Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

EXAMINIS CONCILII TRIDENTINI. PER D. D. MARTINVM CHEMNICIVM SCRIPTI, OPVS INTEGRVM: QVATVOR partes, in quibus præcipuorum capitum totius doctrinæ Papisticæ, firma & solida refutatio, tùm ex sacræ scripturæ fontibus, tùm ex orthodoxorum Patrum consensu, collecta est; uno Volumine complectens. Ad veritatis Christianæ, & Antichristianæ falsitatis cognitionem, perquàm vtile & necessarium.

IN PRIMA PARTE HVIVS Examinis explicantur hi loci:

De Traditionibus.
De Peccato originis.
De Concupiscentia.
De Vocabulo peccati.
De Conceptione B. Virg.
De Operibus infidel.
De Libero Arbitrio.
De Iustificatione.
De Fide.
De Bonis operibus.

Cum INDICE *diligentissimè collecto: qui præter materiam doctrinæ, scripturæ quoq. testimonia explicata, aut ita citata, vt explicata videantur: nec non Patrum authoritates, promptissimè subministrat.*



FRANCOFVRTI AD MOENVM.
ANNO M. D. LXXVIII.

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

Ex libris

Universidad de Deusto
Biblioteca

INCLYTO ET SVMMAE SPEI ILLVSTRIS PRINCIPI AC DOMINO D. ALBERTO FRIDERICO,

Illustrissimi Principis ac Domini, D. Alberti senioris, &c. filio, Marchioni Brandeburgensi, Prussiæ, Stetini, Cassubiorum & Vandalorum Duci, Principi Rugiæ, & Burggravio Noribergensi, &c. Domino suo clementissimo:

Gratiam, pacem, salutem & benedictionem à Deo patre, propter filium, Dominum nostrum Iesum Christum, per Spiritum suum sanctum.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS, Domine clementißime: Quòd scriptũ hoc, complectens grauißimas disputationes de præcipuis doctrinæ cœlestis capitibus, in Tridentino Concilio conspurcatis & deprauatis, Celsit. vestræ in primo adhuc ætatis flore agenti, demißè offero: eius rei honestas & graues habeo causas, quas Celsit. Villustrißimus parens, Princeps ac Dominus D. Albertus senior, &c. Dominus meus clementißimus, pro eximia, & iam senili sua prudentia, ut spero, non improbabit. Homines sapientes, omnibus temporibus, grauißimo cõsilio censuerunt in formandis à prima statim ætate studijs, vita & moribus eorum, qui ad spem Imperij nati sunt, & educantur, plurimum operæ & diligentiæ ponendum esse: quia κοινὸν ἀγαθόν, publicum & commune bonum sit, talis Princeps, qualem sapiens antiquitas in pulcherrimo illo Homeri versu descripsit.

ἀμφότερον Βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμήτης.

Ut autem Dei beneficio tales euadant, valdè multum interest Reipubl. quali institutione à prima statim ætate formentur, & ad quæ exercitia à teneris assuefiant. Qua de re multa extant sapienter cogitata, & venustè dicta, & apud Poëtas & apud Philosophos.

In Ecclesia verò filij Dei, Spiritus sanctus vult, Principes terræ non tantùm ad politicas & bellicas virtutes formari, sed præcipuè vult ipsos erudiri, ut seruiant Domino in timore, & filium ipsius, Dominum nostrum Iesum Christum, à tenera ætate osculari discant, Psal. 2. Vtq; sint benefici miseræ & exulantis Ecclesiæ nutricij, Isaiæ 49. Pulcherrimum enim spectaculum, Deo gratum, Ecclesiæ salutare, & ipsis Ange-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lis optatißimum esse, Dauid affirmat Psal.47. quando Principes populorum congregantur cum populo Dei Abraham, apud illos enim, qui sunt scuta terræ, Deus vehementer eleuatur. Et Psal.102. dulciſſimam facit hypotypoſin: Scribantur hæc in generationem alteram, quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cœlo in terrã proſpexit, in conueniendo populos & Reges in unum, ut ſeruiant Domino. Ita 4. Reg. 11. Ioas in domo Domini, apud pontificem Ioiadam educatur, & quidem in ipſa domo Domini, ritu auguſtiſſimo inauguratur, diademate capiti impoſito, & libro legis in manus tradito: cùm tamen ſeptem tantùm annorum puer tunc eſſet, cuius animus non poterat tunc quidem per ætatem, omnia legis myſteria capere. Ab ineunte tamen ætate, iudicarunt, Regij pueri animum imbuendum eſſe illis cogitationibus, ut meminiſſet in quam ſpem educaretur: ut ſcilicet nõ tantùm priuatim voluntatem Dei agnoſceret, Domino ſeruiret, & filium oſcularetur: ſed ut illa traditione libri teſtimonij, cõmoneſieret, publicam cuſtodiam doctrinæ diuinitus patefactæ, & in libris ſacris cõſignatæ, ſibi, ut politico magiſtratui, certo modo & ordine à quibuſuis deprauationibus tutandam commendari.

Ita ex Chriſtianis Regibus & Principibus multi bono conſilio & pio zelo, liberos ſuos, in collegijs Eccleſiaſt. quæ tunc ſchola erant, & quaſi plantaria Eccleſiæ Dei voluerunt educari: & à prima ætate ita inſtitui & formari, ut reuerẽtiam erga doctrinam Eccleſiæ, in primo ætatis flore conceptam, poſtea in ipſa Imperij adminiſtratione retinerent & colerent. Et ſæpe in tali inſtitutione Principum liberis propoſiti, traditi & commendati ſunt libri, complectentes explicationes de grauiſſimis, contra ſanam doctrinam motis cõtrouerſiis. De quibus etſi per ætatem tunc iudicare non poterant, admonebantur tamen, traditione huiuſmodi ſcriptorum, ad officium pij Principis, ad quod educabantur, pertinere, ut & priuatim ab omnibus ſanæ doctrinæ corruptelis ſerio abhorrerent, utque ſuo loco lupos, afferentes alienam vocem, ab ouili arcerent & abigerent.

Cumq́ non dubitem, illuſtriß. Ducem Pruſſiæ, Dominum Albertum ſeniorem, &c. Dominum meum clementiß. in hac graui ſua ætate, nihil aliud in votis habere, quàm ut pia filioli & hæredis ſui inſtitutio & formatio, per Dei gratiam ita benedicatur, ut unà cum diademate, etiam liber teſtimonij diuini, ipſi rectè tradi & commendari poſſit, utq́ in nutricatione Eccleſiæ, paternis veſtigijs inſiſtat. Iudicaui igitur, Celſ. ipſius nõ ingratum fore, meum hoc officium, ab ea gratitudine, quã Pruſſia multis nominibus debeo, non alienum, ſi inclyto, & ſummæ ſpei Celſ. ſuæ

ſuæ filiolo, Domino Alberto Friderico, &c. Domino meo clementiſſimo inſcriberem & offerrem, Examen hoc Decretorum Concilij Tridentini, quod certis rationibus ita flagitantibus conſcripſi: ut cùm aliud non poſſim, unà cum precibus meis, commonefactione aliqua, inſtitutionem illuſtriß. & ſummæ ſpei Principis, &c. adiuuarem: ut Celſ. ipſius meminerit, in quam ſpem, nõ ſuæ tantùm Pruſſiæ, ſed toti rei literariæ, & præcipuè Eccleſiæ educetur, utq́ progrediente ætate, diſcat & agnoſcere & odiſſe technas & fraudes tyrannidis pontificiæ, & regni Antichriſti.

Non autem priuato vel conſilio, vel arbitrio, hoc argumentũ, graue ſanè & difficile, mihi delegi, ſed quodammodo neceßitate quadã mihi impoſitum eſt. Edidi ante biennium libellum proponentem, & quaſi in tabella monſtrantem præcipua capita Theologiæ Ieſuitarum: quæ ex quadam ipſorum cenſura collegeram, ut noua iſta regni pontificij ſecta, Germaniæ noſtræ detegeretur, quàm monſtroſas opiniones profiteatur & circumferat. Ad illum libellum uerò, ne ex Ieſuitarum quidem ſecta hactenus quiſquam reſponſionem inſtituere voluit, credo quòd nemo, turpitudinis iſtius publicè detectæ patronus haberi voluerit. Tandem Andradius quidam Luſitanus, qui inter Theologos Tridentini Concilij, præcipuam perſonam ſuſtinuit, ad profligandum illum exiguum meum libellum, magna & prolixa acerbitate exarſit. Idq́ non ſuo quodam vel inſtituto, vel arbitrio, ſed (ſicut ipſe narrat) eorum inſtigationibus inflammatus, quorum Tridenti in Concilio præcipua fuit autoritas: cùm quidem (ſicut ipſe narrat) multorum ſermone cognoſcerent, aliqua noſtrorum gratulatione, libellum iſtum meum fuiſſe exceptum.

Iam verò ad primam inſpectionem, ſcriptum illud Andradij, propter acerbam & tumidam maledicẽtiam, cùm quidem in rebus ipſis, ad profligatas Ieſuitarum opiniones, maiorem & craßiorem ipſe addat impudentiam: ſtatueram prorſus ſilentio præterire. Sed cùm attentius, res ipſas, quas Andradius tractat, conſiderarem, deprehendi ipſum quaſi aliud agendo, voluiſſe ſimul myſteria quædam, quæ Tridenti in priuatis congreßibus & deliberationibus agitata ſunt, in lucem producere. Cumq́ illam perſonam, à Tridentinis patribus ſibi impoſitam fuiſſe, ipſe narret: exiſtimo, voluiſſe Pontificios, poſt promulgata & edita impia ſua decreta, etiam interpretationem illorum orbi Chriſtiano tradere. Atque hoc modo ex illis Andradij explicationibus animaduerti, quàm multæ technæ, & quàm variæ fraudes, in Tridentinis decretis inſidiosè occultentur, de quibus Lector vix ſuſpicari poſſet, ſi obiter nuda decreta inſpiciat.

Cùm igitur omnino reſponſio aliqua opponenda eſſet, iudicaui hanc

Universidad de Deusto
Biblioteca

rationem, quæ cum aliqua Lectoris utilitate coniuncta esset, fore commodissimam: si ex Andradij scripto, quod Tridenti durante Concilio, hortatu & instigatione Patrum compositũ erat, excerperentur ea, quæ decretis Tridentinis talem interpretationem addunt, unde non obscurè colligi potest, quæ ibi dictæ sententiæ, quæ agitatæ deliberationes, ad deprauanda præcipua doctrinæ cœlestis capita. Et hac occasione institui examen primæ partis Decretorum Concilij Tridentini, usq; ad doctrinam de Sacramentis. Altera verò pars, si occupationes permiserint, & Ecclesiæ utilitas efflagitarit, Deo benè iuuante, subiungetur. Cognoscet autem Lector, ex commonefactione huius examinis, ex quàm insidiosis technis & fraudibus, consuta sint Tridentina decreta, hoc cõsilio & hoc fine, ut usitatas adulterationes, quas ex philosophia malè & infeliciter cum Theologia dilutas, Monachi in Ecclesiã inuexerunt, quoquo modo, & inuitis & Deo & hominibus, retinere, confirmare, & stabilire possint. Adieci in plerisque locis, fundamenta explicationum & refutationum, quantum quidem instituta examinis ratio tulit. Locum verò, de Scriptura & traditionibus, quia in eo Pontificij, totius suæ causæ robur & præsidium, hoc quidem tempore collocant, aliquanto plenius, iusta fermè tractatione explicaui. In tota autẽ hac scriptione, nihil conatus sum noui afferre, sed tantũ antiqua, hoc est, usitatam nostrarum Ecclesiarum doctrinam repetere, quam non dubito esse Propheticam, Apostolicam, & verè Catholicam consensionem. Sed de consilio scriptionis, in ipsa Præfatione plura dicenda erunt.

Nunc igitur, illustrissime Princeps, Alberte Friderice, &c. ad Celsitudinem vestram reuertor, quã reuerenter & demissè oro, ut clementer audiat, quibus rationibus motus, scriptum hoc Celsitudini vestræ inscribere & offerre voluerim.

Aduersarius meus Andradius, explicationes suas, quas ita inscribit: Serenissimo Regi Lusitaniæ, &c. cuius adolescentia, in primo ætatis flore, sub Iesuitarum disciplina, referente Andradio, instituitur, destinauit, ut scilicet tenellus Regis animus, si à Scriptura ad humanas traditiones abducatur, & superstitionibus Pontificijs ab ineunte ætate undiq; fascinetur, non possit aliquando progredi ad fraudes pontificias agnoscendas, & veritatis lucem aspiciendam. Cogitaui igitur iustiores me habere causas, ut simili inscriptione, seu dedicatione, nostros Principes, qui in primo ætatis flore, in illa simplici & fundatissima doctrina, quæ à Deo generi humano patefacta, & literis Propheticis & Apostolicis consignata est, educantur & instituuntur, commonefacerem & exhortarer, ne si quando ad Reipublicæ gubernacula admoti fuerint,

fuerint, patiantur se & suos, à manifesta & salutari scripturæ luce, ad tenebras & figmenta humanarum traditionũ, & scrinij pontificij somnia abduci. Vestræ autem Celsitudini illustrissime Princeps, Alberte Frider. &c. potissimum iudicaui me hoc qualecunq; officium iure quodã debere. Multis enim & magnis ab illustriss. Celsitudinis vestræ parente, &c. Domino meo clementissimo beneficijs sum affectus, quãdo instructissimæ Ducali Bibliothecæ ante annos tredecim præfectus, honestũ in Aula locum habui. Exercitia etiam mea in Mathematicis qualiacunq; Celsitudini ipsius non ingrata fuerunt.

Et cùm ad pertexenda studia mea ad Academias redire vellem, honestè, & quidem liberaliter à Celsitudine ipsius, & literis & donarijs dimissus sum. Pro quibus beneficijs, iudicaui me hac ratione animi gratitudinem cõmodissimè, vel aliquo saltem modo significare posse: si hac inscriptione ostenderem, me illustriss. filio & hæredi Celsitudinis ipsius, omnia fausta & felicia precari, in ijs præsertim, quæ summa & maxima sunt in hac vita, ut scilicet iuxta Spiritus S. sententiam, primis assuescat ab annis, seruire Domino in timore, & osculari filium, Psal. 2. cõgregari cum populo Dei Abraham, Psal. 47. suscipere nutricationem Ecclesiæ, Isa. 49. odisse Ecclesiam malignantium, Psalm. 26. Et hanc meam operam spero Celsitudini ipsius non minus gratam, atque adeò pro rerũ æstimatione, gratiorem fore, quàm cum olim qualiacunque Mathematum exercitia, Celsitudini ipsius exhiberem: quæ tamen memini, singulari Clementia accepta fuisse. Volui etiam gratitudinem meã pro illo beneficio ostendere, quòd in Bibliotheca instructissima, per triennium & amplius, non sine fructu mihi versari clementer concessum fuit. Illa enim occasione accensus sum studio linguarum, & amore cognoscendæ veræ & purioris antiquitatis. Meritò igitur, cum debita gratitudine, Prutenicæ Bibliothecæ acceptum refero, quantulumcunque est, quod postea in hoc studiorum genere profeci.

Sæpe etiam illius humanitatis recordor, cùm in Aula quiduis potius quàm aulicus, per triẽnium ferme versarer, quòd illi, qui in Aula præcipui erant, ad amicitiam suam honestum & liberum aditum mihi patere volebant. A Domino Burggrauio, propter modestiam & simplicitatem amabar, & quidem liberaliter fouebar. Nobili viro & Casparo Nosticio, Doctori Christophoro Ionæ, Consiliarijs, Andreæ Muncero, Secretario, non ingrata erat mea consuetudo, & quidem multis in rebus opera ipsorum sæpe utebar: qui etiam absentem beneuolentiæ officijs prosecuti sunt. Nec opus est singulos nominare, quorum in Prussia & amicitia usus, & beneuolentiam expertus sum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPISTOLA DEDICATORIA.

Cumq; aliud non possim, existimaui me vel aliquam gratitudinis significationem Prussiæ ostendere posse, si publica hac declaratione & cõmonefactione testatum facerem, me ardentibus & summis votis, institutionem & formationem, ipsam deniq; vitam & salutem, incliti & summæ spei principis ac Domini D. Alberti Friderici, &c. diuinæ gratiæ & benedictioni commendare.

Vestram verò Cels. illustrissime princeps Alberte Friderice, &c. Domine clementissime, reuerenter & demissè oro, ut non ægrè ferat, quòd per vestram Cels. volui gratum meum animum, erga illustrissimũ Cels. vestræ parentem, &c. Dominum meum clementissimum, & erga totam Prussiam, publica aliqua significatione declarare. Erit hoc Deo gratum, & Cels. vestræ honorificum, si in primo ætatis flore, exemplo illustrissimi parentis, cœperit ostendere, & spem præbere, se patrocinium rei literariæ & nutricationem Ecclesiæ, unà cum reliqua hæreditatis successione, susceptura. Et hac bona spe fretus, Cels. vestræ offero & dedico hanc meam qualemcunque operam, quam eruditorum, & in his illustrissimi Cels. vestræ parentis, &c. iudicio grauissimo submitto, reuerenter & demissè orans, ut quicquid hoc est officij, Cels. vestra, placido vultu, & clementi animo accipere non dedignetur.

Deum patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore & ardentibus votis oro, ut propter filium suum, Dominum nostrum Iesum Christum, Cels. vestræ institutionem & studia, totam denique vitam & salutem, diuina sua gratia & benedictione, per Spiritum suum sanctum gubernet, ab omni periculo & malo incolumem clementer conseruet & custodiat, & benedictione sua efficiat, ut Cels. vestra esse aliquando possit organon Deo gratũ, Politiæ utile, & Ecclesiæ salutare, Amen. Brunsuuigæ, Anno Domini M. D. LXV. die Aprilis 29. quo die Deus Cels. vestram in hanc lucem nasci voluit, quem etiam toto pectore oro, ut illum diem Cels. vestræ faustum, felicem, & salutarem sæpissimè redire velit.

Celsitudinem vestram
reuerenter & demissè colens,

Martinus Chemnicius, minister Ecclesiæ Brunsuuicensis.

NARRA-

NARRATIO DE SYNODO NICENA, VERSIBVS EXPOSITA,

auctore Matthia Bergio Brunsuuicensi.

NVnc tandem pietas multum laudata supremi
Pontificis perfecta dedit, quæ tempore longo
Parturiens nobis specie ostentabat inani:
Nunc tandem Alpina cœptum (quis nescit) in urbe
Concilium Latia de relligione peractum est.
Hei mihi quale fuit, quantumq; recessit ab illo,
Quæ sancti quondam, mundi melioribus annis,
Egerunt proceres, cùm nondum adiuta nocentum
Fraude superstitio, doctrina tradita sensim
Carpere Apostolicæ furtis audacibus orsa est:
Cùm nondum sanctis priscorum moribus ætas
Decolor invexit virus: segetiq; malignum
Triticea lolium atq; aconita nocentia furtim
Miscuit ille nocens lachrymabilis arbiter Orci.
Hei mihi quale fuit, quantumq; recessit ab illo,
Quod quondam Solymis duodena coegerat altis
Turba: rudes populos dum Christo hinc inde laborat
Iungere, sollicitaq; hæc providet omnia mente,
Quæ poterant cœptis obstare ingentibus, illo
Tempore, messu adhuc tenera cum stabat in herba
Christe tibi, & multi gressum in tua castra ferebant.
Quid? Quam dissimile hoc rebus fuit omnibus illi,
Quod quondam ex omni princeps longè optimus ævo
Eximio Christi & pietatis amore coegit,
Contra hunc, quem Martis de nomine dixit Arium
Gracia, qui Christi nomen dum perfidus ore
Abnegat impuro, tibi maxime Constantine'
Æterna obiecit laudandum in secla laborem.
At sibi, complicibusq; suis, æterna nocentum
Supplicia infelix, omniq; miserrimus ævo:
Quando hostilis animo Christum infectatus, & inter
Blasphemus contra hunc voces animam exhalavit.
Hæc iam Pierio mens est mihi promere cantu
Non tamen, ut rerum momenta per omnia pergens
Singula commemorem, dici haud indigna: laboris
Ingentis res illa foret: mihi parva loquenti,
Sufficit ad plenos lectorem mittere fontes
Mi sat erit, parvo indicio monstrasse legenti,
Quam simile hoc illis fuerit, quæ diximus antè,
Concilijs, Latij studio quod præsulis actum est.
Nimirum ut Nemesi similem patet esse Lavernam:
Laida Penelopæ: Venerem tibi casta Dianæ:
Gorgonas Harpyasq; tibi Oritonia virgo.
Dum tamen istud ago, numeris dum talia promo,
Ecquis erit, Musis qui non aversus, opellam
Comprobet hanc, venæ censor minus asper agrestis?
Tu quam respexit vultu supremus amico
Lampridem pater, & lucem cui reddidit illam,
Quam tenebris olim & caligine texerat atra
Vana superstitio, & pietati inimica Tyrannis,
Saxonica Acloi non ultima gloria tractus:
Tu mecum facilis cœptum percurre laborem:
Dum decus egregium, dum facta ingentia condo
Principis, insignu magnum Constantia nomen
Cui dedit: & pœnas etiam, quas solvit Arii
Impietas, alto dum bellum intentat Olympo:
Et Christum vanis oppugnat perfidus armis
Vos quoq; quos etiam num hac tanta in luce tenebræ
Impietasq; iuvat blasphemi insana papatus:
Ibida qui turpem Romanæ sedis honore
Afficitis superum (sive huc vos impulit error
Sive auri malesuada fames, seu fulgor honorum,
Præstringit captis oculos) huc vertite mentes,
Huc animos, neu quis dubitet, quin impia facta
Tristibus exemplis, quantumvis tardus ad iram
Sit pater ulturus, quando bonitate videbit
Esse nihil patria, monitis nihil omnibus actum.
Aspicite o animis, quanto divina furore
Ira vel hunc ipsum, de quo mea pagina dicet,
Presserit: informi demissum ad Tartara letho:
Vt vel sic vobis mentem sententia mutet
Sanior, & morti vos eripiatis & Orco.
Sed nos iam vento par demus vela vocanti.
Ergo hic, cui clarum dederat Constantia nomen,
Primus in Imperio magno te Christe professus
Romuli dum fuit, & cultus portenta profani
Sustulit, & vitæ populos melioris in usum
Formavit, passim vanos dedisce cultus
Hortatus, Christumq; animis Christum ore fateri.
Dum tamen illud agit, Christo dum militat ille,
Quæ rerum discrimina pertulit? ô quibus ille
Iactatus fatis, quæ bella exhausta per orbem
Confecit, divos veri dum numinis hostes
Europa atq; Asia pulsos sequiturq; premitq;
Et iam complures sævissima monstra Tyrannos
Sustulerat victor ferro, rerumq; potitus.
Regnum instaurabat Christo fortissimus uni:
Et rectos cultus, Et insita capescere sacra
Iusserat, & vanos ritus & vana priorum
Orgia vastatis passim submoverat aris.
Ille animas Christo dociles, non exta parare,
Non ullas pecudum fibras mandaverat ille
Antiqua quicquid reliquum de sorde manebat.
Extirpare omni penitus ratione parabat.
Nec mora: crudeles rabies Acherontica sensit
Invidiæ stimulos, diriq; ultricibus acta,
Artis opem ad solitæ decurrit: scilicet illam
Hoc super interitu sacrorum artuq; nefandæ,
Millia quæ tam multa hominum Phlegethontis avari
Intulerat regno, super hoc tum scilicet illum
Iræ indignantem immanes curaq; coquebant.
Ergo ille Arium, quo nemo peritior esset,
Perturbare animos, vario mala pingere fuco
Dogmata, & externo pietatem fingere gestu,
Excitat: infandos illum exhortatur ad ausus.
Viperiam inspirans ad cœpta immania mentem.
Viderat ille quidem, non vano fulmine dogma
Defixum, ad multos quod propugnaverat, & quod
Scitè exornatum verbis atq; arte magistra
Protulerat, libriq; & crebra voce piorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Damnari: ipse adeò Pharia iam pulsus ab urbe,
Diversa exilia, & non notas quærere terras
Actus erat: mox illi iterum nova furta paternæ
Artis adornantur: rursus sua dogmata verbis
Pingit, & his populo fucum facit impius omni,
In partesq; suas multos trahit, & sua furtim
Insinuat, motumq; animis dubitantibus addit.
Præsul Alexandri clara tum primus in urbe
Vixit Alexander: qui cùm vidisset, Arium
Non esse hunc hominem, quem pax tranquilla iuvaret:
Quem pia simplicitas intra sua septa teneret:
Sensisseteq; adeò, quid moliretur, & istis
Quid struereet cœptu: quem, si fortuna faveret,
Eventum caperet rerum, mox omnia pandit
Constantine tibi: tua supplex provocat usq;
Auxilia, adversus caput insanabile vani
Lymphatiq; viri, qui fastu insanus & ira
Æternum Christi numen neget ore protervo.
Nec verò hoc ille iudicium neglexit: adire
Ad seipsum turbæ auctorem sociosq; iubebat:
Dicturos magnam magno sub iudice causam.
Assuit ille ultrò, & regem nil tale videntem,
Circumiit, dum animum nunc hic, nunc occupat illic,
Insinuans sese: vitiumq; occultat, & omni
Principis assensum captat ratione benigni.
Sicut erat veri fallax simulator, & arte
Instructus stygia, quæ fando reddere nova
Candida de nigris, & de candentibus atra.
Heu nimium faciles aures tum præbuit illi
Mitis adhuc princeps, latebrosi & pectoris artes
Ignorans huius, quo non astutior unquam
Decepit meutes hominum, monstrog; fefellit,
Atq; ideò, ignarus fraudumq; doliq; latentis,
Ad sua mox iterum incolumes saluosq; remittens
Pacem optate viri, pacem colite, inquit, & iras
Ponite, dissidiisq; aditus occludite cunctis.
Iungite amicitias, & fœdera pristina rursum
Purgatis renovate animis, & utrumq; fovete
Concordes: ne vos odiis certate nefandis.
Aspicite hoc passim, quo machina fœdere sese
Tota liget mundi: quaq; omnia lege per ævum
Consisterent Elementa sibi, faveantq; vicissim:
Aspicite, ut parvos felix concordia cœtus,
Vt parvas locupletet opes: cùm maxima regna
Funditùs illa nocens toties discordia vertat.
Ah coeant iterum, coeant in fœdera dextræ.
His aliisq; illos princeps laudatus amorem
Depositis renovare odiis exhortabatur:
Cuncta prius tentanda putans, sed vana fuêre
Illius hortamenta: adeò neq; causa ferebat
Concordare animos: imis nec fixa medullis
Ambitio elatum passa est requiescere Arium.
Ergo novis iterum pingit sua dogmata fucis:
In partesq; suas nunc hos, nunc pertrahit illos.
Optimus at princeps conceptam gliscere pestem
Dum videt, & studijs certamina crescere sentit:
Multa sua super his tristi cum corde volutat.
Dumq; alius medicas adhibere ad vulnera nemo
Instituit vel posse manus: se poscier ille,
Se signari oculo censet, ne noxia pestis
Corriperet cœtum, de quo grassantia pridem
Arma Tyrannorum dextra victrice fugarat.
Multa alternanti potior sententia visa est
Cogere Concilium, quo res ratione modoq;
Legitimo discussa patescerent, ilicet omnes
Convocat ex omni terrarum parte magistros
Christiadum, pietas quos & doctrina celebres
Efficeret passim, qua sol utrung; recurrens
Aspicit Oceanum, qua lucida tollitur Arctos
Quaq; dies medius flagrantibus æstuat horis.
Nec tantum edictorem publicat: omnia curat
Insuper averti cœptis obstantia: neu quis
Molirive moram, aut veniendi nectere causas
Posset, præberi currumq; rotasq; volucres
Mandat, qua præstò passim venientibus essent.
Nec mora diverso passim se ex orbe ferebant
Tam varius linguis, habitu quam vestis & ore
Dissimiles: aderant Graij, Thracesq; Phrygesq;
Indi, Arabes, Cretes, terraq; Libyssidè nati.
Adfuit & Scythici procerior accola Ponti,
Germanusq; ingens, & glebæ cultor ibera.
Ille valens usu rerum arbitrioq; sagaci:
Ille ministerio linguarum atque arte magistra:
Hic arcana bonus scripturæ evolvere sensa
Ad normam fidei: donis ingentibus omnes
Conspicui, & multis super omnes dotibus aucti.
Festinant omnes iussi, rapiduq; feruntur
Passibus, haud illi tantùm, quibus integer ævi
Sanguis erat: multi senio tardante gravati
Conveniunt, ultra vires fortemq; senectæ.
Quà celebrem tellus vidit Bithyna Niceam:
Vrbem olim, sed mox delete triste cadaver
Vrbis & exemplum divinæ terribile iræ.
Hic tum cernere erat crines incanaq; menta
Multorum, quos antè odiis crudelibus omni
Terrarum tractu rabies Acherontica multo
Vexarat fastu, atq; odiis agitârat amaru.
Cernere erat toto laceratos corpore quosdam:
Lumine multatos alios: pro relligione
Christe tua, & veræ qui pro pietatis honore,
Mittebant charas in aperta pericula vitæ
Pridem animas, quando diris subiecta Tyrannis
Crescebat mira pietas imperdita sorte.
Divini vero proceres atq; inclita postquam
Hinc atq; hinc collecta loco convenit in uno
Concio, cœpti ipse ingentis non futilis auctor
Constantinus adest: non ille satellite multo
Terribilis, non ille armis metuendus & ense:
Non torvus vultu, sed tantùm simplice cultu
Conspicuus, fidiq; aliquot comitatus amicis
Ingreditur, non tam sublimibus alta columnis.
Non tam auro gemmisq; aut Indo splendida luxu
Limina, quàm tali multum veneranda Senatu
Ingreditur, facilesq; oculos fert omnia circum:
Et solio tandem medius consedit in aureo.
Atq; ibi facundo dum cunctis explicat ore.
Quæ causa, aut quæres pro tempore suaserit illud
Cogere Concilium, quantæ sibi singula curæ
Sint, quæ Christe tuum possent extendere regnum
Ostenditq; petitq; adeò, quando optima rebus
Hæc dubiis medicina foret, ardentibus omnes
Numinis æterni votis sine fine petendo
Auxilium, controverso de dogmate certò
Constituant: & quando ipsum, quocunq; mederi
Afflictis posit rebus tentare viderent,
Vnanimes itidem partes explere studerent

Quisq;

Quisq; suas: Christo ut passim sua gloria constet.
Atq; ait. Hæc summa est votorum tota meorum.
Dogmatis unanimes, & consentanea veri
Copula nos nectat: Deus hæc incepta secundet,
Cui soli veros passim instauramus honores:
Vt videant homines cœlestis libera regni
Incrementa, & magno Ecclesia floreat auctu.
Quantis nos odiis ille immanissimus hostis
Oppugnet: quantis hoc egerit hactenus unum
Viribus, ut sacros corrupto dogmate cœtus,
Turbaret, Christo cunctos arcere laborans,
Omnia nota satis, neq; nostræ vocis eget res.
Huic ego divinam Christi defendere laudem
Conatus, vitamq; meam, studiumq; laboresq;
Opposui, te summe pater, te scilicet uno
Confisus, propter te perdere cuncta paratus,
Aut tibi cuncta uni dextra asserturus & armis.
Nunc nos diversa (quis non videt?) impius ille
Aggreditur ratione, malum dum dogmata fraudes
Invehit in sucera: animos, quibus occupet atq;
Correptos tristi secum demergat averno.
At vos, quos chavo pastor supremus ovili
Custodes dedit esse, & quos huic pabula Christus
Mandavit monstrare salubria, vos modo poscit
Tempus, vestræ operæ, vestri nunc hæc studii & res.
Proinde adhibete animos, ne verbi nobile donum
Arbiter obscuret nigri sævissimus Orci.
Biblia sunt vobis: sunt scripta prophetica vobis,
Sunt & Apostolicis signata volumina verbis.
Scilicet his pater ipse deum se lumine largo
Conspicuum dedit, & quod de se scire necesse est
Humanas mentes, totum hac in parte recludit.
Et ratio ipsa adeò doctrinæ est omnibus una
Temporibus, pariterq; eadem sunt antè professi
Cum proavis vates sancti, duodenaq; turba.
Hæc sunt certa, suo hæc vis ordine nulla movebit.
Illorum ad normam doctrinæ tradita quæq;
Exigere & sacros rectum est inquirere fontes
Nec fas est cuiquam norma discedere ab illa
Dogmate diverso: quoniam hic seq; & bona cuncta
Exhibuit pater, & manifesta in luce retexit.
Quare agite, ex animis nunc, ô nunc pellite vestris
Hu quodcunq; potest cœptis obsistere, cesset
Certandi studium: contentio vana facessat,
Iurgia sint iraq; procul, perquirite iusto
Veracis cuncti rem totam examine lancis:
Neu finite incassum vestros cecidisse labores.
Nimirum felix mihi terq; quaterq; videbor
Tum demum, cùm vos animis concordibus uno
Æternæ aspiciam Sophiæ coalescere nexu.
Hæc & plura illos multa gravitate monebat.
Ipse etiam quærentum inter media agmina totos
Continuare dies: ipse aurem intendere cunctis
Attentam, studioq; exquirere cuncta sagaci,
Libera quineriam cunctis hic ora iubebat
Concedi, & quæcunq; animo sententia cuiq;
Sedisset, liquidò, nullo impediente, volebat
Proferri: veri quando indagatio linguas
Neutiquam vinctas, sed libera posceret ora.
Nunc tamen est aliquis, cuius vesania & excors
Impietas prohibere audet, ne dogmata quisquam
Excutiat, mundo quæ dudum obtruserat omni
Impia barbaries huius, qui regna supremi
Æterniq; Dei furto labefactat & arte.
Qui supra reges se tollit & omnia mundi
Imperia, & fastu tumidus latè omnia complet
Barbarico: atq; illos audax sibi poscit honores,
Quos homini sperare nefas celsoq; superbus
In solio superum dicit convitia regi.
Non erat hoc animi tibi Constantine, nec unquam
Te prohibente fuit cuiquam non libera fandi
Copia dum vera x prolata explorat amussis,
Et trutinæ iusto doctrinam examine pensat
Concio sanctorum non illaudata virorum.
Non præindicio damnavit acerbior ullæ
Alterius causam partis, non pronior ille
Alteutris visus, iustoq; faventior unquam
Addidit iniuste vires & robora causæ.
At cùm legitimo tandem res fine fuisset
Clausa, & hanc normam, quam cœlitùs dedit ipse
Æterni interpres, & imago æterna Parentis,
Omnia discussa: & cunctis iam cognitus esset
Martigeræ furor, & rabies manifesta cohortis:
Non tunc illi animus, non tunc constantia iusta,
Laudatus non tunc deerat rigor ilicet ille
Convictos, & adhuc firmata mente foventes
Erroris commenta sui non munere tantùm
Privavit, sed & extorres ignota coëgit
Exilia & terras alio sub sole iacentes
Quærere, nec cœtu se permiscere piorum.
Vt reliquos fidei mox consentanea iunxit
Formula, multorum quæ post quoq; sustulit una
Materiam errorum, & dubitantia pectora sapè
Expediit, dum Christum hominem probat esse Deumq;:
Veraq; Theseo monstrat compendia filo.
Exin se cuncti perfectius rebus ad urbem
Quisq; suam referunt, quos ille hortatibus omnes
Mitibus appellans, animis concordibus unam
Doctrinæ vocem mundo insulcare iubebat:
Inq; propaganda doctrinæ voce laborem,
Et studium acre Deo vigilanti mente probare.
Tum verò infirmos omni ratione iuvando
Allicere ad Christum, pro re, pro tempore cunctis
Consulere, atq; omens sanandi quærere causas.
Sicut qui medicum tractat cum laude laborem,
Pharmaca debilibus si quando salubria miscet,
Diversis diversa adhibet medicamina: non hic
Ingratis semper succis medicantia miscet
Pocula, non aloes lignum, aut absynthia semper
Tristia præbebit, non scilicet omnibus ille
Ingratum tetra Colocynthide temperat haustum.
Est etiam suavi laticem cum nectare prudens
Inficit, & condit fragranti cætera melle.
Non aliter Christo quosdam esse adiungere rectum
Mitibus alloquiis & commoditate ferebat,
Quos tamen infirma dociles cum mente viderent:
Vt tandem ipsi etiam victi bonitate piorum,
Consilia in melius referant, Christumq; sequantur.
Hinc petit, ut precibus votisq; ardentibus omnes
Commendare velint, superum sua regna parenti.
Quando tot insidias videant, tot furta per orbem,
Monstraq; non leviter sanctis obstantia cœptis.
Ille viam monstret, rem providus ille gubernet:
Vimq; dolosq; premat, quos passim immunda malorum
Agmina spirituum miscent. Hinc munera cunctis
Distribui non parva iubet, prout quenq; decebat,

Nemo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nemo adeò tanto numero indonatus abibat:
Neglectus nemo est, sed & ades iussit ubiq;
Templaq; Christiadis resici furiosa priorum
Impietas regum quæ passim evertat & mox
Munificus largos tribuit super omnia sumtus
Hi, rude qui possent vulgus formare docendo.
Felix ô nimium felix clarissime princeps:
Tantorum felix operum, dignissima fama
Aeterna & nullis intermoriente diebus.
Parcere subiectis & debellare superbos,
Heroæ virtutis opus, sed gloria maior
Aeternum Christi in terris extendere regnum,
Dogmataq; invicto divina labore tueri.
Hoc decus est tanti, quanti non omnia mundi
Totius ornamenta forent, si congerat uno
Illa loco seu fors, seu quis deus, hinc tibi maius
Enatum decus est, quam quod capitolia curru
Tarpeiasq; arces aurato invectus ab omni
Laudatus populo parta de pace fuisti,
Terribiles Scythicæ ducens feritatis alumnos,
Ante tuos victor currus, Dacumq; Getamq;.
Nam quod Threicios populatus Sarmata tractus
Te victore cadit, mutatoresq; domorum
Gothosq; Dacosq; truces dare terga coegit
Militiæ labor ille tuæ: quod fœta triumphis
Innumerabilibus tibi laurea contigit, & quod
Naufragio tristi convulsum colligis unus
Imperium, & laceræ reficis tabulata carinæ:
Sunt hæc magna quidem, sed enim communia tecum
Constantine hæc sunt multis, neque gloria summa
Hinc tibi. sed vita tantum quæ clauditur ista
Provenit, maior longè tibi nascitur inde
Verarum series laudum, tua provida cura
Nummis æterni cultum quod iuuit, & almum
Asseruit fidei decus, & venerabile donum,
Repressitq; nefas. neq; verò hoc almus Olympi
Neglexit Rector, per bis tria lustra quietum
Imperium tibi concedens, natisq; paterni
Inconcussa itidem tradens insignia regni.
At qui Christum ausi verbis lacerare vel armis,
Infelix miserumq; genus natos nepotesq;
Exitio secum æterno implicuere cadentes.
Felix ô nimium felix clarissime princeps.
Vt verò canos frigescentemq; senectam
Attigit, ah veris labes mala laudibus hæsit.
Quando illum, cuius toties deprehensa fuére
In superos superumq; ipsum conuicia regem,
Exilio revocat sive illud pacis & ocij
Tunc ipsi subiecit amor, sive altera causa,
Sive oblita sui senio fuit inclyta virtus
Principis eximij, sive hæc tum cuncta peregit
Occultæ studium sectæ, quo tempore Cæsar
Decubuit, morbo fractus, fractuq; senectæ,
Vt potius reor, & potius fas credere duco:
Tunc igitur toties iam condemnatus Arius
Rursus ab exilio Byzantij ad mœnia venit,
Auxilio sociæ occulto studijsq; catervæ
Subnixus: stimulis iamq; exagitata sinistris
Præcipuos illi spondebat factio honores.
Indoluit senior, quem non pietatis egentem
Non animi, non virtutis pia concio summum
Sacrorum & verbi custodem hac urbe fovebat.
Opposuit sese ille viris, ueq; velle ferebat
Cœtibus adiungi sanctis, quem tota piorum
Concio ceu pestem dudum aversata fuisset,
Nuncq; etiam damnet sontem, sicille bidentum
Sollicitus custos cum torvum & acerba tuentem
Sentit adesse lupum, clamorem protinus edit,
Prædonem contra dirum, dum fida canum vis
Assiliens, hostem toto petat improbata campo.
At magis atq; magis stimulis agitata sinistris,
Factio pergebat cœptis instare nefandis,
Cæsaris Imperium illuc iussuq; vocatum
Esse virum memorans, sacris qui ibi præsit & aris.
Ausi quinetiam voces iactare superbas,
Invito sene & invitis etiam omnibus, illic
Hunc unum templis sacris hunc præfore & aris.
At pius & Christi observans super omnia Præsul
Obstitit usq; animo, & ne cœpta nocentia dirus
Perficeret furor, & sacrum infestaret ovile
Horribili contage lues damnanda, supremum
(Quando opis humanæ nil iam superesse videbat)
Sollicitare patrem precibus, prohiberet ab illa
Cœtum labe suum, vim frangeret insidiasq;,
Aut sese ad requiem potius finemq; laborum,
Corporis exutum vinclis, dimitteret, ante
Quam catum inficeret contagio fœda suorum.
O quos hic gemitus, ô quæ suspiria ab imo
Pectore dum dedit, ô quanto est ardore precatus.
Omnem adeò exegit somni sine munere noctem,
Cùm veniente die sua perfecturus Arius
Cœpta, palam populo sese ostentare volebat.
Non tulit omnipotens genitor, miseratus ab alto
Conatus, totaq; senex quæ nocte precatus
Ante Deum fuerat, rectis ea vota feruntur
Passibus, & cœli nubes & sydera tranant.
Mane erat, & magna iam iam se mole ferebat
Ille furens fastu, tantorum & causa malorum:
Atq; illum templo subiturum haud parva caterva
Pone sequebatur gradientem & multa minantem.
Ecce autem subitum atq; omni mirabile seclo
Evenit monstrum, tota dolor ortus in alvo,
Quærere secessus iubet, & se avertere cœtu.
Hic illum (auditis si quicquam credimus) ingens
Occupat attonitum terror, formidine tacta
Mens stupet, & scelerum intuitu, culpaq; nocentis
Contrahitur, miseramq; animam vis strangulat intus
Mortifera, atq; illum constringit & urget inhærens
Ilia rumpuntur post hac: mox exta latebras
Proijcit in fœdas, furiisq; vocantibus atris,
Indignantem animam tristi cum murmure fundit.
Hoc fine ille miser Libyca telluris alumnus
In terris vitam clausit, dum bella movebat
Impia, Christo adimens divinæ stirpis honorem.
Vos ô quos illi similes videt auricomus Sol,
Queis idem furor est eademq; insania, Christo
Adversos vos ferre Deo: quiq; usq; perosi
Accensam verbi lucem, immortale sonantis
Auxilium mundo, varias exquiritis artes
Nequicquam superos contra, resipiscite tandem
Si pote, & in melius mutatos vertite cursus.
Neu dubitate Deum memorem fandi atq; nefandi.
Fraus unde exorta est, in eum plerumq; redundat.
Et quanquam lentis ad pœnam passibus iræ
Procedunt superum, gravitas tamen omnia pensat
Supplicii, mora quæ pridem diuturna neglexit.

Tu quoq;

Tu quoq; qui laceras lingua petulante Mohemum
Chemnicium, & reliquos adeò, quæ plurima turba est
Seu te decepta mentis malus impulit error,
Quo tua te primis Hispania tinxit ab annis.
Ancilla Ausonii dum mavult esse Baalis,
Quàm Christi populus: sive hoc fiducia suasit
Ingenii, seu spes magnorum hortatur bonorum
Ponere respectum veri, & mendacia fuco
Pingere sive aliud causæ est tibi: Tu quoq; tandem
O tandem leve studium hoc ô exue mentis.
Aspice deformes obitus immanis Arii:
Aspice quæ nostro contingunt plurima seclo:
Aspice mugitus Latomi sub morte fatentis
Exosam ob verbi lucem se indicis alti
Horrendo iussu morientem ad tristia mitti
Tartara, perpetuis luat ut facta impia pœnis,
Tristiaq; æternum furiarum verbera ploret.
Nec verò ut vester vita emigraverit olim
Hofmeisterus & huic similes, devota perenni
Exitio capita, te posse latere putandum est,
Vtq; alii similes manet, æternumq; manebit
Accensum mundo lumen: quantumlibet illud
Oppugner vafra stygii Cacodæmonis arte,
Turba furens undis, ferro, face, voce, libriq;,
Et veniet tandem illa dies, qua quenq; sequentur
Præmia pro factis, mundi sub iudice magno.
Tum meliora pijs versa vice currere fata
Incipient: dextra lachrymas tunc ipse suorum
Deterget pater, & mundi ludibria deinceps
Passuros nunquam mundo meliore fovebit
Aeternum. versa tum flebit barbara sorte
Impietas, tunc in fletus hæc gaudia abibunt,
Omnia tunc in lucem, ante hac celata, ferentur,
Tuq; adeo quondam regnata tricorpore tellus
Geryone, ac graviore tyrannide nunc quoq; pressa
Geryonis Latij: quem fanda nefanda patrantem
Alcides pridem invictus Germanicus armis
Instigante Deo, cœlesti numine plenus
Elisit, cæcumq;, orbi scelus omne retexit,
Maximus ille animi gestorum maximus ille
Martinus (quid vane fremis, quid ringere Livor,
Maximus ille tamen) quo sese Saxonis ora
Iactitat, & iactabit in ævum nobilis omne:
Tu tellus Hispana, inquam, nunc aspice demum
Exortam mundo lucem: & Tirynthius ut te
Barbarico eripuit fastu pastoris Iberi:
Sic & nunc vobis aliquando petentibus æras
Auxilium ferat & furijs tandem eximat huius
Qui regnum Europæ Atq; Asiæ Lybiæq; calentis
Sperabat, captasq; impunè hinc inde per urbes
Ibat ovans & divino gaudebat honore
Ius regum & claves alti gestabat Olympi.
Hoc me nunc vobis Pietas iubet alma precari:
Hoc vobis donet cupientibus astripotens rex.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN EXAMEN PRIMAE PARTIS DECRETORVM CONCILII TRIDENTINI,

PRAEFATIO.

TERTIVS jam annus est, cùm præcipua capita doctrinæ Iesuitarum, ex quadam ipsorum censura annotata, lectoribus tãquam in brevi tabella inspicienda proposui, hoc consilio, ut secta illa, quæ nuper admodum in perniciem Ecclesiarum, quæ puram Evangelij doctrinam amplectuntur, à Pontifice Romano creata esse scribitur, nota redderetur nostris Ecclesiis non de nomine, nec ex vestitu tãtùm, sed sicut Christus Ioan. decimo, verum pastorem ab alieno discernendum docet, ex voce doctrinæ, qualis illa sit quam profiteantur & circumferant. Et sine longiori explicatione, nuda tantùm capita recitavi, ut præberem occasionem, ut ipsi plenius se explicarent, sed ex tota illa factione, seu conspiratione, quam societatem ipsi vocant, nullus hactenus in arenam illam descendere voluit, quibus verò de causis certamen illud tam pertinaciter declinarint, homines non prorsus stupidi facilè divinare possunt. Ne tamen quod vitio verti posset, omnino tacerent, cõductitium quendam emissarium, missellum sanè Ecebolum, Ioãnem Alberum ex schola Ingolstadiensi extruserunt, qui personatus, fabulam illam Germanico scripto, tanquam in scena tam ridiculè egit, ut vix ingressus protasin, cùm à lõginquo spectaret fabulæ epitasin, abjecta persona ex theatro se proriperet, facta prius spectatoribus spe, subsecuturum mox alium comœdum, qui reliquas fabulæ partes, si non felicius, splendidius saltem pertexeret. Tandem ex Synodo Tridentina orator magniloquus, Iesuitarum fabulam acturus prodiit, Iacobus Payva Andradius Lusitanus, qui in epistola nuncupatoria illos, quorum autoritas in Concilio Tridentino præcipua fuit, sibi hortatores fuisse narrat, ut libellum meum de Iesuitarum Theologia profligandum susciperet, eò quòd multorum sermone intellexissent Patres, non sine applausu & gratulatione nostrorum, illas meas chartas exceptas fuisse. Ita ille. Ego verò inde colligo, non tam Iesuitarum rationẽ habitam fuisse à Patribus Concilii, quàm quòd per Andradium, tanquam idoneum Concilii interpretem, voluerint explicationes decretorũ suorum inter homines spargere, id quod etjam titulus, orthodoxarum explicationum de controversis religionis capitibus non obscurè indicare videtur. Non igitur cum Iesuitis, qui certamen pertinaciter defugiunt, sed cum hoc argumento Andradii mihi jam res erit. Cùm enim duo in libello meo proposuissem, de origine & Theologia Iesuitarum, Ingolstadiensis quidam Procurator Ioannes Alberus, multa conabatur mitigare, & aliter interpretari in Iesuitarum Theologia. Sed Andradius illam totam, & totaliter talis qualis est, non tantùm fartam tectam conservare conatur: sed ne inferior ipsis videatur, non contemnendo majoris impudentiæ cumulo, illam amplificat, additis paradoxis multo terrioribus, ut sanè Iesuitarum causæ, in toto orbe habitabili, patronus magis idoneus exquiri non potuisset quàm Andradius. Manent igitur Iesuitarum Theologia talis qualis est, donec ipsi eam auctam & recognitam, rursus extrudant.

Iesuitarum origo.

De prima verò origine, institutione & antiquitate sectæ Iesuitarum, sive forsan creationem ipsi vocari malint, quædam quæ ex Andradii narratione didici hoc loco adjiciam, vt Iesuitas, priusquam tractationem alterius argumenti ingrediar, placatos & propitios bona cum gratia à me dimittam, si forsan, quod de ipsorũ sanctitate suspicari non decet, antea offensi fuissent. Et vtile est, veram narrationem de consilio institutionis hujus Pontificiæ fœturæ extare & notam esse. Ego quidem fateor, me hactenus nihil certi potuisse ex Scriptoribus nostri temporis cognoscere, & ad cognitionem rei admodum recentis, antiquitatis monumenta nihil cõferunt. Illorum igitur quas habere potui annotationes secutus sum, sed audio, jam inter tot & tam varia examina ordinum & religionũ Ecclesiæ Pontificiæ commissam esse confusionem Theatinorum, qui à Paulo IIII. originem habent, & Iesuitarum, quorum fœtura alios habet autores. Vt igitur error iste, per satisfactionem fiat venialis, narrationem de origine & ratione institutionis Iesuitarum, ex grandiloquis Andradii progymnasmatis, simpliciter & breviter hoc loco repetam. Miles quidam Ignatius Layola, in obsidione arcis Põpeiopolitanæ, altero crure bombardæ ictu læso, in altero gravissimo vulnere accepto, postea domo, patria, & quas habebat facultatibus desertis, novam inire vitæ austeritatem & humilitatem constituit. Quia verò ad illam vitæ rationem, quam inire cogitabat, literarum cognitionem plurimùm conducere intelligebat, Lutetiam Parisiorum se contulit, vbi per decem annos in studiis versatus, decẽ novæ suæ religionis socios sibi ascivit. Exacto verò decennio, cum nouis recentis suæ religionis sodalibus rediit in Hispaniam, anno Domini 1536.

Postea anno 1537. venerunt Romam, ut à Pontifice Romano facultatem impetrarent, sacræ Hierosolymæ loca peragrandi. Sed cùm Turcicum cum Venetis bellum illud institutum intercepisset, mutato consilio constituerunt, ad docendas Ecclesias vitæ suæ institutum conver-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tere. Venetiis igitur à legato Pontificio, septem ex illis sacris initiati sunt, accepta facultate, ut liberè ubique plebem docere, secretas peccatorum confessiones audire, & sacramenta administrare possent.

Anno 1540. intercedente Cardinali Contareno, à Paulo III. petierunt, ut vitæ illud institutum Pontificia autoritate confirmaret. Qui addita hac cautione, illud ratum habuit, ne plures quàm 60. viri, ad eam societatem ascriberentur. Sed cùm postea animadverterent, illam vitæ rationem, ad restituendam & reparciendam nutantem & labascentem Pontificiam Ecclesiam, præ cæteris ordinibus maximè idoneam esse, 1543. anno decrevit, ne ullis vel locorum terminis, vel personarum numero, societas hæc nomine Iesu insignita, circumscriberetur. Rationem verò institutionis hanc de scripto recitat Andradius: Quicunq; in societate nostra vult militare, & soli Domino, atque Romano Pontifici, ejus in terris vicario servire, post solenne perpetuæ castitatis votum, proponat sibi in animo, se partem esse societatis, ad hoc potissimum institutæ, ut ad fidei propagationem, per publicas prædicationes, & nominatim per puerorum ac rudium in Christianismo institutionem, ac fidelium in confessionibus audiendis consolationem præcipuè intendat, &c.

Sub idem tempus Ignatius ille considerans Germaniam, quæ à Pontificia sede desciverat, non aliter posse sub jugum Pontificium retrahi, quàm per concionatores ad hoc idoneos, aliquos igitur ex suis sodalibus in Germaniam emi fit. Qui cùm facto periculo ostendissent, se Ecclesiis Germaniæ sua hypocrisi plus nocere, seu posse, seu velle, quàm reliquas omnes factitias Monachorum religiones, Ioānes Moronius Cardinalis, qui in proxima Tridentina Synodo legatus fuit Pontificis, & Concilii præses, consilium communicavit cum Ignatio, quanto usui esse posset Ecclesiæ pontificiæ, si Romæ amplissimū collegium construeretur, in quo maxima Germanorum adolescentium multitudo, in bonis literis & religione, sumptibus Pontificis institueretur, ut tandē in patriam redeuntes, collapsam & conculcatam Pontificiam religionem, ibi instaurare aliqua ex parte possent. Et illud opus aggressi sunt Iesuitæ, anno Domini 1553. extructo tali collegio Romæ, non procul à Iesuitarum collegio. Illos verò adolescentes, narrat Andradius assumi in illud collegium, non ut cooptentur tandem in ordinem Iesuitarum, sed ait, Iesuitas tantùm alendi illos, moderandi & instituendi curam gerere, & ad hunc laborem suscipiendū, solùm salutis Germaniæ desiderio fuisse incitatos, ut scilicet per istos emissarios Germania ad gremium, vel si hoc nimium est, ad oscula pedum Romani Pontificis paulatim reduceretur. De hac Iesuitarum techna, Andradius tam bene sibi suisq; ominatur, quòd inquit: Non dubito, quin horum adolescentium opera & diligentia Germania præreptam sibi fidei (scilicet Pontificiæ) lucem aliquando recuperet, &c.

Ioannes Moronius.

Collegium à Iesuitis Romæ institutū anno 1553.

Et hoc est quòd in libello meo antea dixeram, sectam Iesuitarum potissimum in perniciem Ecclesiarum Germaniæ creatam esse. Id verò Ioannes Alberus Ingolstadiens, per inficiationē fortiter conabatur amoliri. Sed gratias agimus Andradio, qui totam rationem institutionis hujus sectæ simpliciter & planè, sine dissimulatione nobis exposuit, ut jam non opus sit, vel ex rumoribus, vel ex cōiecturis divinare, quo consilio Romana sedes novam hanc fœturam postremis hisce mundi tēporibus, orbi obtruserit. Hanc igitur narrationem, exordio hujus scripti inserere volui, ut Iesuitas aliqua cum gratia à me dimitterem. In hac enim responsione, non constitui cum ipsis, qui in publicum prodire verentur agere, sed cum Andradii argumento mihi res erit. Cùm enim hactenus variis artificiis rē suam tentarint & egerint Pontificii, jam post emissa ex Tridento anathematum fulmina, submiserunt hominem, in quo grande & picturatum genus dicendi cum acerba & superba maledicentia, ex æquo certaret, si hac forsan ratione, Germanorū simplicitas posset, vel fascinari, vel Panico terrore, ab agnita verbi divini veritate proturbari. Video enim Andradium cum in exordiis altissimè repetitis, & in argumentationibus cum supercilio propositis, nescio quid parturire putetur, nihil tamen aliud præstare, quàm quòd reliquorum, qui hactenus Pontificiæ turpitudinis patroni fuerunt, fumos jamdudum luce Scripturæ discussos, acerba sua & superciliosè arroganti grandiloquentia, venditare nequicquam satagit. Inter legendum enim, subinde veniebat in mētem, id quod Irenæus inquit: Inflatus cum supercilio incedit, gallinacei elationem habens. Et quod Poëta canit:

Andradii scriptio qualis.

Quid feret hic tanto dignum promissor hiatu?
Proiicit ampullas & sesquipedalia verba, &c.

Multas autē & graves habui causas, quòd volui responsionem aliquam Andradio opponere, cùm ad hoc certamen tam superbè, & quidem satis contumeliosè me provocet. Accedit, quòd in decem illis Andradii libris, multa ita posita sunt, quod tractatio illorum non potest non utiliter multa monere. Ne verò Lectorem odiosa repetitione, & molesta refutatione maledictorum Andradii inutiliter fatigarem, cogitavi responsionem potius de rebus ipsis instituendam esse, ut ita aliquid utilitatis ex illa concertatione ad Ecclesiam, Deo benè juvante, redire posset. Et existimo, materiam respōsionis divinitus mihi oblatam & monstratam esse. Andradius enim præcipuam personā in deliberationibus Synodi Tridentinæ sustinuit, & in ipso Concilio libros suos adversus me conscripsit, idq; hortatu & impulsu illorum, quorum Consilia, Patres Concilii, velut ex Apollinis Pythii, quod in fabulis est, oraculo edita complexi sunt, hæc enim sunt ipsius verba. Multa etjam in decretis Concilii involuta, quæ inter legendum vix aliquis suspicari posset, satis crassè explicat, sicut suis locis monstrabitur. Cùm igitur eodem fermè tempore, maledicta Andradii, & decreta Concilii Tridentini accepissem: non dubitavi monstratam mihi esse viam, quomodo instituenda esset responsio. Decreta enim Synodi, breviter & nudè proposita sunt, quæ verò fuerint deliberationes, ex quibus fundamentis & fontibus factæ decisiones, quo artificio

Causæ oppositæ responsionis Andradio.

Andradium.

artificio fabricata decreta, quem habeant sensum & finem, Andradii explicationes aliquo modo ostendent. Is enim Tridenti perstitit, quousq; tandem Cōcilium perfectum & absolutum fuit: & ibi in mediis Concilii actionibus, explicationes suas confecit. Et sicut in sessionibus sub Pio IIII. omnibus deliberationibus, si non præfuit, at certè interfuit: ita sine dubio, illa etjam, quæ in præcedentibus sessionibus agitata fuerunt, explorata habuit. Si igitur Andradii explicationes ad decreta Concilii, & vtrumque ad regulam Scripturæ contulero & examinavero: ex illa tractatione constituetur & prodibit Examen Decretorum Concilii Tridentini, quod aliquo cum fructu Lectoris fieri posse arbitror. Atque hac ratione judico, me commodissimè simul adversario meo Andradio posse respondere, & maculas illas, quas maledictis suis, non tam meæ, quàm Ecclesiarum nostrarum vestiā sperserit, abstergere & eluere. Quod si Lector viderit, me singula non esse persecutum justa explicatione, meminerit, me examen tantùm, ea occasione, quam ab Andradio mihi datam esse dixi, instituisse. Nec indignetur Andradius, quòd pleraq; ejus maledicta nō judicarim, digna esse responsione, cùm de rebus ipsis potissimum instituta sit hæc nostra συζητησις.

Ratio huius scripti.

Nolo autem hoc loco illa repetere, quæ hoc anno à nostris, editis publicis scriptis, toti orbi demonstrata sunt, propter quas causas Tridentinum concilium non agnoscant pro vero, legitimo, libero & Christiano, sed intra metas examinis orationem continebo. Et illa potissimùm decreta examinanda proponam, quæ dogmata, de quibus hoc tempore controvertitur, complectuntur. Quæ enim de reformatione fabulātur, in fine ita subjiciunt Pontificis arbitrio, ut illa non serio: sed, quod dicitur, pro forma tractata fuisse significent.

Conciliorum autoritas.

Est quidem Conciliorum saluberrima autoritas in Ecclesia, sicut Augustinus rectè inquit, si scilicet secundum regulam & normā sacræ Scripturæ judicent, & quando sententiam suam ex certis & perspicuis Scripturæ testimoniis probant, debet illis Ecclesia, tanquam voci cœlesti, summa cum reverentia obedientiam. Tūc enim locum habet id, quod Christus dicit: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Sed nudus Concilii titulus exauditus, non debet nos statim tanquam caput Gorgonis in saxa, truncos & stipites convertere, ut quęvis decreta sine examine, sine inquisitione & dijudicatione, temerè amplectamur. Scriptura enim affirmat, esse quędam Concilia malignantium, Psalm. 22. quædam vanitatis, Psalm. 26. quędam impiorum, Psalm. 1. quorum cathedram Iere. cap. 15. ex Psalmo vocat consessum לצים qui à ludificatoria interpretatione nomen habent, qualia fuerunt impiorum Pontificum & Sacerdotum Concilia, contra Michæam, Ieremiam, contra Christum & Apostolos. Habemus autem severissima mandata Dei, 1. Ioan. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, num ex Deo sint, quoniam multi Pseudo prophetæ exierunt in mundum.

1. Thessal. 5. Omnia probate, & ejus quod bonum fuerit, tenaces estote.

Matth. 7. Attendite à Pseudoprophetis, &c.

Rectè igitur fit, & ex mandato Dei necessariò hoc faciendum est, ut decreta Conciliorum exigantur ad normam sacræ Scripturę, sicut Hieronymi sententia habet: Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis literis prodita est, contrà quā si quid statuant Concilia, nephas duco. De re enim magna, & complectente salutem animarum agitur. Et tyrannis est verè Pontificia, postulare, ut sine examine, sine inquisitione & dijudicatione, simpliciter assentiamur nudis decretis Concilii Tridentini, in quo idem fuit actor reus & judex, in cujus exordio, Scriptura Canonica ex gradu suo proturbatur, ne sola sit regula & norma judicii. Iactitant quidem Pontificii, legem Martiani Imperatoris C. de summa Trinitate & fide Catholica: Ne quis in Synodo semel judicata & rectè disposita, disputando revolvat, tumultus aut perfidiæ occasionē inde quærens: sed religiosissimus Imperator nullo modo voluit infinitam licentiam quidvis, extra, præter & contra verbum Dei fingendi & statuendi, Conciliis concedere. Nec libertatem judicandi, & diligentiam omnia probādi, à Deo Ecclesię concessam & mandatam, suo decreto voluisse abrogare & tollere, putādus est. Dicit enim, quæ rectè disposita sunt, non esse disputationibus revolvenda. Et in Actis Concilii Chalcedonensis, ubi integrum Martiani decretum ponitur, hęc extant ejus verba: Cessęt jam prophana contentio, quisquis enim post veritatē repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit. Inter nos verò ardua illa quęstio controvertitur: An ea quæ in Synodo Tridentina judicata sint, rectè sint disposita? An de controversiis horum temporū, veritas ibi sit reperta? Et his disputationibus nō quęrimus tumultus, aut perfidiæ occasionem, quod Imperator Martianus rectè prohibuit, sed sine seditione, sine armis, sola voce doctrinæ, juxta normā Scripturæ divinitus patefactæ inquirimus, ne à vera vivifica fide, quam Augustinus ex Scripturis Canonicis conceptam esse dicit, prætextu Synodi ad perfidiam traditionum humanarum abducamur. Hanc inquisitionem voce divina Ecclesię concessam & mandatam, nulla creatura, vel debet vel potest inhibere, aut damnare. Et si adversarius meus Andradius, qua est superbia & acerbitate, hoc ipsum institutum examinandi decreta Synodi Tridentinæ damnaverit: ipso facto ostender, quàm intolerabili tyrannide Ecclesiam premere, & fidei dominari conentur Pontificii. Si Concilium Tridentinum decreta sua rectè disposuit, si veritas ibi reperta est, non timebit sibi ab inquisitione, quę ex Scriptura instituitur, nec ægrè illam feret. Veritas enim non fugit lucem, & eloquia Domini munda sunt, quæ non verentur igne examinari, & vel septuplum probari, Psalm. 12. Tertullianus in Apologetico eleganter dicit: Lex quæ probari se non vult, meritò suspecta est, & si non discussa & probata dominetur, improba est, cùm nulla lex sibi soli conscientiam suæ justitiæ debeat, sed eis à quibus obsequium expectat. Quanto verò magis de Conciliorum decretis, in causis fidei hoc verum est? Vetera Concilia, non nuda tantùm decreta, tanquam dictatoria & ἀνυπεύθυνα Ecclesiis obtruserunt,

Hieronymus.

Lex Martiani.

Fides ex Scriptura concipitur.

Concilia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed editis integris actionibus & justis disputationibus, simul ostenderunt, ex quibus fontibus & fundamentis falsa damnassent, & vera confirmassent: ut dijudicatio Ecclesiæ esset facilior & manifestior, sed Tridentini Areopagitæ nuda tantùm decreta, sine rationibus, prætoria autoritate orbi Christiano promulgant, & mox contradicentibus, imò saltè inquirentibus, ferrum & flammam proposituri videntur. Hæc scilicet est compendiaria illa ratio, quam Canonistæ sequuntur, ut Pontifex Romanus habeat voluntatem pro ratione in his quæ vult.

Sed petimus dari nobis, vel ab invitis, veniam, ut libertate voce divina nobis concessa utamur, ne cuivis spiritui credamus, sed omnia probemus, ipsis vicissim liberũ est, ut in nostra, non sicut cõsveverunt, epicherematis ex carnificum officinis, juxta Hieronymi dictum petitis, sed argumentis & testimoniis Scripturæ inquirant. Quod si factum fuerit, spero fore, ut hac ratione multa mysteria ex deliberationibus Synodi Tridentinæ in lucem ab adversariis educantur, nisi forsan pro ratione mysteriorum occultanda & silentio tegenda judicabuntur, juxta dictum: Qui malè agit, odit lucem. Sed ad rem ipsam accedemus. Suprà autem, quæ sit instituti nostri ratio significatum est. Ad dogmatica igitur properantes, reliqua præambula præteribimus: nisi quòd velim Lectorẽ obiter hujus admonitum, ut consideret, qualia fuerint principia Synodi Tridentinæ. *Hieronymus.*

Põtifex Paulus III. in bulla indictionis, nundinationem indulgentiarum, titulo plenariæ remissionis peccatorum, gratis pro sua liberalitate proposuit illis, qui processionibus interfuerint, qui eleemosynâ alicui pauperi elargiti fuerint, vel qui Dominicam orationem, cum salutatione Angelica quinquies recitaverint. Mox in ipso ingressu Concilii in Litania, ubi ne uno quidem verbulo mentio fit intercessionis Christi, pro unico mediatore Christo, omnes Angelos & Sanctos, mediatores, patronos & intercessores substituerunt. Subsecutus est Ambrosius Catharinus, qui in oratione in exordio Concilii habita, Christi matrem, sociam ejus appellat, quæ scilicet throno ejus assideat, ut gratiam nobis impetret. Alius quidã in oratione sua, voces Evangelicas, quę soli filio Dei competunt, ad Romanum Pontificem sceleratè detorquens exclamavit, Papa lux venit in mundum: ut scilicet nullum esset dubium, inter ipsa principia Synodi Tridentinę, impleri id, quod Paulus vaticinatus est, 2. Thess. 2. hominem peccati, & filium perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, sedere in templo Dei, ostendentem se, tanquam sit Deus. Ex his principiis judicari potest, qualis expectandus sit progressus & exitus. Impossibile enim est juxta usitatum dictum: Quæ malo inchoata sunt principio, bono finiri exitu.

Recitentur igitur decreta quartæ Sessionis Concilii Tridentini.

PRIMVM DECRETVM QVARTÆ *sessionis, Quinto Aprilis celebratæ, Concilii Tridentini, M. D. XLVI.*

RECEPTIO ET NVMERATIO LIbrorum sacrorum, veteris & novi Testamenti.

SACRO sancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea tribus Apostolicæ sedis legatis, hoc sibi ante omnia perpetuò proponens, ut sublatis omnibus erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur, quod promissum antè per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Iesus Christus Dei filius, proprio ore primùm promulgavit, deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis salutaris veritatis, & morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari iussit, percipiensq; hanc veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usq; pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla sequuta, omnes libros, tam veteris, quam novi Testamenti (cùm utriusq; unus Deus sit autor) nec non traditiones illas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit ac veneratur. Sacrorum verò librorum indicem, huic decreto ascribendum cẽsuit: ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiantur. Sunt verò infrascripti Testamenti veteris. Quinq; libri Moysi, scilicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomiũ. Deinde Iosue, Iudicum, Ruth, Quatuor Regum. Paralipomenon duo, Esdræ duo, primus scilicet & secundus, qui dicitur Nehemias. Tobias, Iudith, Esther, Iob. Psalteriũ Davidicum, centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Esaias, Hieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, scilicet Osee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, Duo Machabæorum, primus scilicet & secundus. Testamenti novi, Quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem. Acta Apostolorum à Luca Evangelista conscripta, quatuordecim Epistolæ beati Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, ad Corinthios duæ, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, una Iudæ Apostoli, Apocalypsis Ioannis Apostoli.

Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.

Omnes itaq; intelligant, quo ordine & via ipsa Synodus, post iactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, & quib. potissimum testimoniis ac præsidiis in confirmãdis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus sit usura.

SECVN-

SECVNDVM DECRETum quartæ Sessionis.

RECEPTIO VVLGAtæ editionis, & modus interpretandi & imprimendi sacram Scripturam.

Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex multis Latinis editionibus quæ circumferuntur sacrorum librorum, quanam authentica habẽda sit, innotescat, statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesia ipsa probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, aut expositionibus, pro authentica habeatur, & quod eam nemo reijcere quovis prætextu audeat vel præsumat.

Canon alius.

Præterea ad coercenda petulantia ingenia, decrevit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sanctarum Scripturarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes, nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contra venerint, per ordinarios declarentur, & pœnis à iure statuis puniantur.

EXAMEN.

Et res ipsa, & totius orbis Christiani justissimæ querelæ à multis annis clamitant, in Ecclesia Pontificia multum errorum in doctrinam, & varios abusus in ritus Ecclesiasticos irrepsisse. Multorum igitur votis sæpe expetitum, & diu expectatum fuit verum, legitimum, liberum & Christianum Concilium, in quo vera medicina his tantis malis adferretur, idq; ex Scriptura, quam Basilius, in principiũ primi Psalmi, à Spiritu sancto conscriptam esse ait, ut sit communis medica animarum officina. *Scriptura. Basilius.*

Et in prima sessione Pontifex per suos legatos significavit, Tridenti apertam esse Synodum, (sicut ipsi loquuntur) qua sibi hoc propositum habere fingunt, ut sublatis omnibus erroribus, puritas ipsa Evangelii, in Ecclesia conservetur. Bona sanè sunt verba.

Constituit autem Synodus in principio, quibus potissimum testimoniis & præsidiis, in extirpandis hæresibus, & confirmandis dogmatibus uti velit, fit & hoc rectè exemplo, & more purioris antiquitatis, Cusanus enim de forma veterum universalium Synodorum, dicit morem fuisse, ut sacra Evangelia ponerentur in medio Synodi, ut admonerentur, quibus præsidiis & armis contra errores, pro veritate dogmatum in consiliis pugnandum esset. Quod in aliis etjam de religione disputationibus solitum fieri, Augustinus scribit Epistola 163. *Augustinus.*

Et nota est Constantini Magni memorabilis sententia, qua ipse Nicenam Synodum aperuit (sicut nunc loquuntur Pontificii) Evangelici (inquit) libri sunt, & Apostolici, antiquorumq; Prophetarum oracula: quę nos manifestè instruunt, quid sentiendum sit de rebus divinis. Suscipiamus igitur ex sermonibus divinitùs inspiratis, quæstionum solutionem. *Constantinus Magnus.*

Tridentina igitur Synodus, quibusnam præsidiis in confirmandis dogmatibus constituit se usuram? Num Spiritus sancti doctrina, quæ literis Canonicis, sicut Hieronymus inquit, prodita est? *Hieronymus.*

Nequaquam, inquiunt, Scriptura sola regula & norma erit nostri iudicii, sed, Primò Traditiones, quæ sine scripto, tantùm ex consvetudine longi temporis probationem habent, pari pietatis affectu ac reverentia, sicut ipsam Scripturam, susciptendas & venerandas constituunt. Secundò, discrimen inter libros Scripturæ Canonicos & apocryphos, quod totius veræ & purioris antiquitatis testimonia habet, convellunt, abrogant & tollunt, ut ad confirmationem Ecclesiasticorum dogmatum, par & eadem sit autoritas librorum Canonicorum & apocryphorũ. Tertiò, Quia in veteri versione, ipse sensus Scripturę sæpe non satis expressus, sæpe etjam vitio describentium depravatus est, constituunt vulgatam illam editionem habendam pro authentica, ita ut nemo eam in disputationibus & expositionibus, quovis prætextu, etiamsi scilicet ostendatur manifestè discedere ab ipsis fontibus, audeat vel præsumat rejicere. *Traditiones. Scripturæ libri quidam canonici, quidam apocryphi. Bibliorũ vetus versio.*

Quia verò hisce etjam præsidiis non satis fidunt Tridentini Patres, adjungunt Quartum, quod est fortissimũ ἄτρυμα, penes se scilicet esse jus & autoritatem authenticæ interpretationis Scripturarum: hoc est, sicut Hosius de expresso verbo Dei inquit: Si quis habeat interpretationem Romanæ Ecclesiæ, etjamsi non videat, quomodo cum textu vel conveniat, vel pugnet, habere tamen ipsissimum verbum Dei.

Existimas igitur ne, optime Lector, Tridentinos Patres ex indictione terreni sui Dei, Pontificis Romani, hoc proposito convenisse, ut si errores aliquos in ipsorum doctrina, in ritibus abusus aliquos hærere ex verbo Dei ostensum fuerit, parati sint hæc ad normam Scripturæ Canonicæ corrigere & emendare? Nihil minus. Hæc ipsa enim Quartę Sessionis decreta sonoram coram toto mundo edunt confessionem, Pontificios in sua Ecclesia, multa, imò pleraque talia habere, quæ Scripturæ Canonicæ testimoniis & præsidiis probare, confirmare & defendere nullo modo possunt. Ideò enim alia præsidia extra & præter Scripturam conquirunt, ut si testimoniis Scripturæ urgeantur & oppugnentur, ne veritati cedere cogantur, sed ad alta in hunc usum dispositа præsidia, receptũ & χρυσοφυγέτα qualiacunq; habere possint.

Illa verò præsidia extra, præter, imò contra Scripturam, tot & tam varia oportunis locis ita collocarunt & disposuerunt, ut manifestè significent, se hoc animo convenisse, non ut ad nor- *Finis institutæ Synodi Tridenti.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mam Scripturæ aliquid corrigant, sed ut qualescunq; errores & abusus, qui hactenus ex verbo Dei notati, reprehensi & refutati sunt, per alia præsidia, contra Scripturæ testimonia prætextu aliquo retinere, defendere, & Ecclesiæ cervicibus imponere possint. Huc enim redeunt omnia illa quæ de variis suis præsidiis, inter initia Synodi constituerunt. Et potuissent paucis verbis totam rem absolvere, si tantùm in ipso Synodi ingressu professi essent, se simpliciter præsentem Ecclesiæ suæ statum, qualis ille cunq; est, velle retinere, & pertinaciter defendere, nec admissuros se, ut ex norma Scripturæ Canonicæ aliquid, quicquid illud sit, corrigatur vel emêdetur. Non igitur opus fuisset tot annorum sumptibus, nisi judicassent, prætextu & titulo Synodi, hominibus fucum esse faciendum.

Tertullian. Scripturarũ Lucifugæ.

Tertullianus de Resurrectione carnis, quosdam vocat Lucifugas scripturarum. Iste titulus nulli hominum generi melius convenit, quàm congregationi Tridentinæ. Vsq; adeò enim reformidant & fugiunt lucem Scripturæ, ut vix obiter credo pallido ore, & tremulis labris mentione facta Scripturæ canonicæ, mox alia, & quidem varia præsidia circumspiciant, quorum tenebris se involvere possint, si ad lucem Scripturæ protrahantur.

Sed singula hęc diligentius examinanda sunt, Hoc enim tempore præcipui loci cõmunes Pontificiorum sunt: De insufficientia, obscuritate, & incertitudine Scripturæ. De traditionibus, & de prætoria autoritate interpretationis. Animadvertunt enim, se ante congressum devictos esse, si in has angustias copiæ ipsorum redigantur, ut nihil sit recipiendum vel credendum, quod testimoniis Scripturæ non potest ostendi & probari, utq; in illis, quæ titulo vel Traditionum, vel Patrum vel Conciliorum, prætenduntur, illud tantùm, quod autoritati divinarum Scripturarum congruit, accipiatur, quod verò nõ congruit eadem facilitate contemnatur qua probatur, juxta Hieronymi dictum, velut (juxta Augustini regulam) liberè cum pace illorum, quorum nomina prætexuntur, respuatur.

DE SCRIPTVRA SACRA.

Decretorum Tridentinorum obscuritas.

Tridentini Patres decreta sua, sine rationibus nudè tantùm, variis sæpe generalitatibus involuta, proponunt. Quod si dignati fuissent etiam hoc publicare, ex quibus rationibus, fontibus & fundamentis decreta illa constituissent, facilior esset ratio inquisitionis & dijudicationis. Sed benè res habet. Adversarius enim meus Andradius, unà cũ aliis Pontificiis scriptoribus, multa talia mysteria, sive prudentes, sive imprudentes in vulgus efferunt. Et exhibitis illorum declarationibus, ratio examinis plana erit, sicut hic locus de Scriptura, & sequens de traditionib. manifestè ostendet. Mentionem facit 4. hæc Sessio sacrorum librorum, satis honorificam, & videri posset, hoc tantùm velle, unam & eandè esse doctrinam Evangelii, quam Apostoli primùm voce tradiderunt, & postea libris scriptis complexi sunt. Sed audiamus Andradium, qui secretorum Concilii gnarus est, ex quibus fundamentis & quo artificio compositum sit hoc decretum.

Scripseram, Iesuitis cum aliis Pontificiis hoc axioma commune esse, quòd sacra Scriptura sit doctrina mutila, manca & imperfecta, eò quòd non contineat omnia, quæ ad fidem, moresq; piè vivendi pertinent. Hic verò Andradius, Lusitanico cothurno aduersus me insurgit, vociferans qua potest acerbitate, de mendaciis & injuriis. Et ego cùm hæc legerem, mirabar, quæ esset causa, quòd Andradius à contumeliosis illis vocibus, quas non ignorat à multis Pontificiis scriptoribus, multò durius in sacram Scripturam conjectas esse, tantopere abhorreret. Cogitabam autem, forsan in Synodo Tridentina cœpit jam rectius & honorificentius de autoritate Scripturæ sentire: quod si fieret, non ægrè sanè ferrem, me hoc modo mendacii argui. Attentè igitur cœpi sequentia perlegere, nunquid Andradius, qui Synodi pars magna fuit, sentiret & profiteretur, Doctrinam cœlestem, quæ ad fidem & pietatem vitæ necessaria est, contineri in sacra Scriptura omnẽ, totam, integram & perfectam. Sed inquit: nullo modo in Scriptura est tota comprehensa. Et fatetur, me, licet mutatis verbis, sententiam tamen eandem quæ Iesuitarum & omnium Pontificiorũ est, expressisse. Quid igitur tumultuatur? Quia, inquit, plebs concitari posset, si sacra Scriptura tam atrocibus & invidiosis verbis incessatur. Magnas igitur gratias habemus Andradio, quod jam intelligere possumus, quare decretũ Synodi Tridentinæ, contumeliosas illas voces, quas multi Scriptores Põtificii in sacram scripturam solent evomere, noluerit usurpare, cùm tamen in effectu sententiam eandem confirmare & sancire velit, ne scilicet plebs concitetur, si Scriptura tam atrocibus & invidiosis vocibus incessatur, & hæc de artificio compositionis decreti diligenter observentur.

Scripturam quo Consilio voluerint appellare mandatam.

Audiamus porrò, quis sit sensus huius decreti de Scriptura, quæ rationes agitatæ fuerint in deliberationibus, cùm decretum illud fabricandum esset. Andradius, inquit, cùm Christus fragilitati memoriæ, Evangelio scripto succurrendum putavit, ita breve compendiũ literis tradi voluit, ut pars maxima, tanquã magni precii thesaurus traditionibus, intimis Ecclesię visceribus infixis, relicta fuerit. Et ex 31. cap. Ierem (quod ipsi cum aliis Pontificiis scriptoribus commune est) probare contendit, doctrinæ novi Testamenti, quæ à Christo proprio ore primùm promulgata, & postea Spiritu sancto dictante, ab Apostolis prædicata, & per totum orbem propagata est, hãc esse proprietatem, qua à doctrina veteris Instrumenti eam discerni Deus voluerit, ne vel tabulis lapideis comprehendatur, vel calamo & atramento literis consignetur. Addit igitur, non factũ esse ex mandato Christi, quod Evangelistæ & Apostoli literis quædã commendarint, prædicare enim jussit, nõ scribere. Ego verò hoc addo, quod ex loco Ieremiæ, sicut à Pontificiis ille tractatur, sine cõtradictione manifestissimè sequitur, contra verbum & voluntatẽ Dei factum esse, quod vel pauca quædam de doctrina novi Testamenti, calamo & atramento in literas ab Apostolis relata sunt. Si enim vera sunt, quæ Pontificii de loco Ieremiæ dicunt, voluntas & mandatum

eum Dei erit, ut simpliciter nihil de doctrina novi Testamenti literis consignetur: non enim dicit, partim chartis, partim mentibus inscribendam esse novam legem: sed juxta ipsorum sententiam, Paulus simpliciter affirmabit, non esse attramento scribendam.

Habebimus ergo sacros libros novi Testamenti, sine voluntate & mandato Christi: imò contra verbum, voluntatem & mandatum Dei conscriptos. Conflagret licet Andradius sita acerbitate, certum tamen est, hæc & ipsorum fundamentis manifestissimè consequi, licet aliis verbis se involvat: ne scilicet plebs, sicut Andradius inquit, concitetur, si tàm invidiosis verbis Scriptura incessatur. Et ut in pauca, quæ prolixè ab ipsis disputantur, contraham: hoc est, quod non ambabus tantum manibus, sed toto corpore, & omnibus nervis contendunt, Evangelistas & Apostolos nullo modo hoc consilio scripsisse, ut propter posteritatẽ, ea quæ ad fidem & mores piè vivendi necessaria sunt, literis cõsignarent, ut Scriptura illa esset canon, norma & regula fidei in Ecclesia: sed fingũt longè alias causas. Andradius cùm prolixè disputasset, Christũ & Apostolos, per tot annos multò plura prædicasse, quàm quæ angustiis librorũ novi Testamenti comprehendi potuerint: randem concludit, multa esse credenda, quæ scripta non sunt: & propterea constantem Ecclesiæ sententiam, Evangelii instar accipiendam & amplectendã esse. Pronunciat igitur normam, canonem seu regulam fidei exactissimam, non esse Scripturam, sed Ecclesiæ judicium. Addidit etjam, in piorum moribus Evangeliũ multò clarius esse expressum, quàm literarum monumentis sit comprehensum. Pighius de Eccles. Hierar. lib. 1. cap. 2. dicit, Apostolos quædam conscripsisse, non ut scripta illa præessent fidei & religioni nostræ, sed ut subessent potius. Et tandem concludit, Ecclesiæ autoritatem, non solùm non inferiorem, non solùm parem, imò quodammodo & superiorem & notiorẽ esse autoritate Scripturæ. Siquidem Ecclesia præcipuis scripturis canonicam impartita est autoritatem, quam nec ex se, nec ex autoribus suis habebant. Cap. 3. dicit Apostolicas epistolas non Ecclesiæ catholicæ, sed pro nata occasione necessitatis unius aut alterius Ecclesiarum particulariũ scriptas esse: ideo non esse opinandum, Apostolũ universis suis Epistolis voluisse comprehẽdere universa nostræ fidei, Christianæq; doctrinæ præcepta & mysteria. Et addit, Epistolã ad Philemonem, quia præter deprecationẽ pro servo fugitivo nihil prorsus continet, non esse in hoc scriptam à Paulo, ut publicè legeretur in catholica Christi Ecclesia. In fine inquit: Anathema sunt, quicunque communi receptæq; ab antiquo observationi & traditioni Ecclesiasticæ contradicunt, tametsi nulli scripturæ vel contradicant vel adversentur. Cap 4. hoc agit in re dubia, aut quacunq; excitata controversia, ad fidem certitudinemq; faciendam, magis idoneam & efficaciorem esse Ecclesiasticæ traditionis autoritatem, quàm ipsas Scripturas. Rationem hanc assignat: quia clarior, magis aperta, & planè inflexibilis sit traditio: cùm contrà Scripturæ plurimum frequenter obscuritatis habeant, & se trahi accommodarique in diversam, eamq; quam quis secum antè præsumpsit, sententiam, & eludi cauta expositione facilè permittant. Proinde & Scripturarum certam inflexibilemq; amusim esse Ecclesiasticæ traditionis communem sententiam. Et in fine ita concludit: Si hujus doctrinæ memores fuissemus, hæreticos scilicet non esse informandos vel convincendos ex Scripturis (hæc enim sunt ejus verba) meliore sanè loco essent res nostræ. Sed dum ostentãdi ingenii & eruditionis gratia eum Luthero in certamen descenditur scripturarum, ex citatum est hoc, quod proh dolor nunc videmus incendiũ, &c. Et ne recitandis singulorum Pontificiorum in sacram Scripturã contumeliis longior sim, summa huc redit, sacram Scripturam non esse canonem, normam, amusim seu regulam, ad quã omnia quæ de rebus fidei disputantur, sint exigenda: idq; propter duas potissimum causas. 1. Quia sit insufficiens, non complectens omnia, quæ ad fidem & vitæ pietatem necessaria sunt & sufficiunt. 2. Quia etjam in illis quæ complectitur, sit obscura & ambigua tanquam nasus cereus, aut quasi plumbea Lesbiæ ædificationis regula. Et propterea dicunt, illam esse materiam litis, non vocem judicis: præceptorem mutum, literam mortuam, imò occidentem, &c. Eccius juxta morem suum, vocat Evangelium nigrum, & Theologiam atramentariam. In hanc ergo sententiam intelligendum est decretum. 4. Sessionis Tridentinæ Synodi de Scriptura. Ex Andradio enim jam didicimus, ex quibus rationibus & fundamentis, decretũ illud hoc modo constitutum sit. Superest jam, ut illud examinemus. Afferamus autem ad examen illud (juxta Augustinum) non stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes, Hoc grave, hoc leve est: sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis: & in illa quid sit gravius, appendamus: imò nõ appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Hæc sunt Augustini verba contra Donatist. lib. 2. cap. 6.

Scripturam nolunt esse regulam fidei.

Pighius.

Epistolæ Apostolorum.

Scripturarũ obscuritatis flexibilitas.

Fidei regulã quare nolint esse scripturam.

Res autẽ seria & magna agitur. Pontificii quidem petulantiam, dissentiendi libidinẽ, & nescio quæ alia odiosa nomina propterea nobis tribuunt: sed Deus qui inspector est cordium, videt & novit, nos diligentiam illam omnia probandi, ab ipso nobis serio mandatam, ideo adhibere, ne quovis vento doctrinæ circumferamur: sed ut fides nostra certum habeat fundamentum & firmamentum. Certum enim est, mundum in sua sapientia Deum non novisse, 1. Corinth. 1. sed Deum ipsum se & voluntatem suam, dato certo verbo, quod ingentibus miraculis confirmavit, generi humano patefecisse. Et quidem, si vel angeli essemus, vel inter angelos versaremur, nulla admodum opus esset vel solicitudine, vel circumspectione, ne puritas patefactæ doctrinæ cœlestis vel adulteraretur, vel amitteretur. Sed tria valde magna obstacula nobis objiciuntur. 1. Versamur in hoc mundo, cujus judicium è diametro pugnat cum judicio Spiritus sancti, in rebus fidei. 2. Ratio nostra extollit se contra agnitionem Dei: animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus, sed stultitia sunt ei. 3. Diabolus est mendax, pater mendacii, & spiritus erro-

Doctrinæ Christianæ corruptio facilis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris. Et hinc fit, quod doctrina divinitus patefacta, non semper & ubique in hoc mundo manet pura & sincera: sed sæpe depravatur & corrumpitur, vel substitutis quæ omninò falsa sunt, vel admixto fermento, q̃ Paulus vocat καπηλεύειν, sicut caupones vinum infusa aqua adulterant: ita enim Græci interpretes, Esaiæ 1. verbum illud usurpant. Nec satis certum κριτήριον est, si prętendatur titulus ordinarii ministerii: scriptum est enim Ieremiæ 14. Mendacia Prophetæ vaticinantur nomine meo: non misi eos, non præcepi eis, neque locutus sum ad eos, dolum cordis sui vaticinantur. 3. Regum 22. Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum regis, &c. Considerandum ergo est, qua ratione in tàm ancipite discrimine, Deus omnibus temporibus Ecclesiæ suæ clementer prospexerit: ut certum esset, quæ doctrina ut indubitata, cœlestis & divina amplectenda esset: & qua norma quævis corruptelæ, quæ fugiendæ essent, agnosci & dijudicari possent. Hæc autem consideratio paulò altius repetenda est: ut in historia sacra ab initio mundi observare possimus, quàm sæpè & variè insidiis diaboli, mundi scandalis, & rationis petulantia, adulterata & depravata fuerit puritas verbi Dei: & contrà, quàm paterna solicitudine Deus Ecclesiæ suæ, de restitutione & conservatione puritatis verbi sui contra mundi, carnis & Diaboli corruptelas prospexerit. Et illas observationes, ad hasce nostras disputationes accommodabimus. Quod enim Pontificii fabulantur, aliam, & planè diversam rationem conservandæ puritatis doctrinæ cœlestis esse in novo Testamento, ab ea qua Deus usus fuit in veteri, postea diluemus.

Doctrina quæ amplectenda.

DE ORIGINE, CAVSA ET VSV *Scripturæ novi Testamenti.*

Tota hæc disputatio de sacra Scriptura, videtur mihi non posse simplicius & rectius explicari, quàm si constituatur de prima sacræ Scripturæ origine, qua occasione, propter quam causam & in quē usum, primùm instituta & tradita sit à Deo, neque enim tempore novi Testamenti primum cœpit: Ex prima igitur origine judicanda est: & ita pleræq; Pontificiorum objectiones solidè refutabuntur. Deus igitur ab initio mundi, & ante & post lapsum, ex arcana sua sede, quæ est lux inaccesibilis, prodiens se & voluntatē suam generi humano, dato certo verbo, & additis manifestis miraculis patefecit: utq; doctrina illa divinitus patefacta, viva voce propagari, & posteritati quasi per manus tradi posset, Deus Adamū constituit, ætatis illius quasi Episcopum: quem divino testimonio, & autoritate ornatum fuisse, non est dubium, cui etiam tàm longęvam vitam Deus concesit, ut is suo testimonio, puritatem doctrinę cœlestis à corruptelis vindicaret, & suos ab affuendis peregrinis opinionibus retraheret. Sed non diu post patefactionem illam, Cain cum suo cœtu discesit à puritate verbi Dei. Post mortem verò Adami, non tantum posteritas Caini, verum etiam filii Elohim, qui traditiones doctrinæ cœlestis acceperant, corruperunt vias suas: in qua corruptione, absq; dubio pręcipua fuit adul teratio verbi Dei. Ita enim Deus inquit, Non disceptabit Spiritus meus in homine in perpetuū. Et causam addit: Quia caro sunt, & figmentum cordis humani malum est. Fuit igitur doctrina cœlestis in originali mundo, viva voce, sine scripto, quasi per manus tradita: sed quia cordis humani figmentum malum est, puritas verbi per traditiones vivæ vocis tandem, nō fideliter fuit conservata, sed corrupta & adulterata, imò tandem planè amissa. Dicit enim Deus: Non disceptabit Spiritus meus in homine in perpetuum, &c. Ibi verò Deus peculiaribus revelationibus ad Noe, additis stupendis in diluvio miraculis, puritatem doctrinæ collapsam restituit, conservavit, & pleniorem ejus declarationem addidit, & ante & post diluvium. Et Noe illis miraculis confirmavit in præconem justitiæ, 2. Pet. 2. ut custos esset puritatis doctrinæ, & illam viva voce per manus traderet posteris. Et quidē cum Noe posteritas in universas terras dispergeretur, electa fuit posteritas Sem, cujus custodiæ traditio doctrinæ cœlestis cōmendaretur. Considera autem, quàm benè & fideliter traditio doctrinæ cœlestis in illa familia, quæ tunc titulum veræ Ecclesiæ gerebat, viva voce cōservata fuerit. A confusione enim lingvarum usque ad Thare, cum gigneret Abraham, nondum ducenti anni transierant: & servierunt diis alienis Thare pater Abraham, & Nahor, Iosuæ 24. Non autē in universum abjecerūt & proculcarunt traditionem veræ doctrinæ, sed admixto fermento eam corruperunt & adulterarunt, sicut historia Laban postea ostendit. Modicū autem fermenti, juxta Paulum, totam massam corrumpit. Hęc observanda sunt, ut consideretur, quàm lubricam & incertam custodiam & cōservationem doctrinæ novi Testamenti, Pontificii constituant in traditionibus sine scripto: cum quidem non habeamus nunc promissiones de novis & peculiaribus revelationibus, quales tunc fuerunt. Nunc sunt postrema & delira tempora senectutis mundi: & postulatur, ut fundamentum doctrinæ cœlestis in traditionibus, quales illæ in hominū animis sine scripto conservantur, constituamus: cum Scriptura nobis ostendat, quàm incerta fuerit custodia verbi Dei, per traditiones in animis hominum servatas, primis illis vividis, puerilibus & florentissimis mundi temporibus.

Deus patefecit suam voluntatem.

Adam longævus.

Fermentum doctrinæ.

Labani idolum.

Deus igitur tunc, cum traditiones adulteratæ essent & depravatæ, iterum per peculiares revelationes Abrahæ factas, puritatem doctrinæ suæ instauravit: quàm plenius etjam declaravit, & Abrahamum Prophetam instituit, Genes. 20. Sequentibus etjam temporibus, immediatè cum Isaac & Iacob locutus, instauratam doctrinæ suæ sinceritatem confirmavit. Iacob verò moritus, depositum illud filiis suis, tanquam in testamento relictum, diligenter quasi per manus posteris tradendum & conservandum, commendavit. Et quamdiu duodecim Patriarchæ filii Iacob superstites fuerunt, traditionem illam sanæ doctrinæ incorruptam seruatam esse, verisimile est. Sed à morte filiorum Iacob, vsq; ad exitum ex Aegypto, ultra centum non multi anni intercesserunt. Quàm certò autem & fideliter, intra tàm breve temporis spacium, puritas doctrinæ per

Abraham.

Iacob.

per traditiones cōseruata fuerit, Ezechiel ostendit cap. 20. vbi Deus inquit: Dixi ad eos: Vnusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat, & irritaverunt me. Vnusquisq; offensiones oculorum suorum non projecit, nec Idola Aegypti reliquerunt: & dixi, ut implerem iram meam in eis, in medio terræ Aegypti, &c. Ibi verò sicut antea etjam, cum traditio non conservasset depositum illud, Deus peculiaribus revelationibus, ad ditis multis stupendis miraculis, puritatem doctrinæ suæ per Mosen, ad veteres fontes Patriarcharum revocavit: id quod scriptio libri Geneseos manifestè ostendit.

Mosen.

Brevius quàm pro rerū amplitudine complexus sum historiam annorum ab initio mūdi bis mille quadringētorū & quinquagintaquatuor: in quibus doctrina cœlestis, voce divina patefacta, fuit propagata & per manus tradita, sine scriptura divinitus inspirata, sola viva voce, ab iis qui cœlestibus revelationibus, ac aliis testimoniis divinitus ad hoc constituti & confirmati fuerant. Ostendimus autem, quàm parum fideliter traditio illa, quę à Patriarchis accepta erat, retenta & conservata fuerit à posteris: sæpius enim corruptam, adulteratā & depravatā fuisse, Scriptura ostendit, ab iis, qui traditiones illas à Patribus acceptas conservare, propagare, & aliis per manus tradere debebant. Qualis igitur sit custodia & cōservatio doctrinæ cœlestis, per traditiones apud posteritatem, exempla illa ostendunt. Visum autē tunc Deo fuit, per novas subinde & peculiares revelationes, puritatem verbi sui, quando per traditiones adulterari cœperat, instaurare, confirmare, propagare & conservare. Qvare verò illa, & non alia ratione tunc uti voluerit, nostrum non est curiosius inquirere. neque enim omnium operum suorum rationes Deus nobis reddere tenetur.

Sed hoc dignū est cōsideratione, Cùm per traditiones puritas doctrinæ non conservaretur, & Deus non vellet ampliusilla ratione uti: ut exortis corruptelis per novas subinde & peculiares revelationes repeteret, instauraret & conservaret puritatē ejus doctrinæ, quæ ab initio mundi Patriarchis patefacta & tradita fuerat: dignū inquam est observatione, quam aliā rationem tempore Moysis ipse instituerit & ostenderit: ut scilicet scriptis, divina autoritate & testimonio approbatis & confirmatis, puritas doctrinæ cœlestis propagaretur & conservaretur: ne quæstionibus aut controversiis de veteri genuina & pura Patriarcharū doctrina exortis, semper quęrendæ & expectandæ essent novę & peculiares revelationes. Illa verò historia diligenter consideranda est. Vtiliter enim illustrabit & explicabit præsentem controversiā de sacra Scriptura, mōstrata prima ejus origine. Ostendit autem historia, quod judicio pręcipuè esse observandum, Deum non tantum instituisse, sed ipsum suo facto & exemplo, cùm primus verba Decalogi scripsit, initiasse, dedicasse & consecrasse viam illā & rationem: ut per Scripturas divinitus inspiratas conservetur & retineatur doctrinæ cœlestis puritas.

Scripturæ autor & origo.

Ita prima origo sacræ Scripturæ, Deum ipsum habebit autorem. Loquimur autem de Scripturis divinitus inspiratis. Nihil igitur disputabimus de illis, quæ Iosephus ante diluvium columnis incisa fuisse refert. Nec apocrypha scripta Henoch huc pertinent, de quib. Hilarius in Psalmo 132. inquit: Quæ libro legis non continentur, ne nosse quidem debemus. Sunt qui opinantur, Moysen historiam Iob, apud Iethro socerum suum in terra Madian reperisse, & illam secum attulisse ad filios Israel in AEgyptum, ut exemplo Iob oppressiones Pharaonis patienter discerent ferre: sed hoc dicitur sine certis testimoniis & argumentis. Iudæi fabulantur, librum Geneseos à Moyse conscriptum fuisse, priusquam Deus verba Decalogi scriberet: propterea quod Exodi 24. fit mentio voluminis fœderis, ante allatas tabulas decalogi. Sed non animadvertunt, multa per anticipationem, seu per ὕστερον πρότερον in historia sacra dici: volumen enim illud, cujus mentio fit Exod. 24. fuit liber veteris Testamenti, quod Deus in monte Sina pepigit cum filiis Israel: sicut manifestè scriptum est, Heb. 9. Sed Exod. 34. cùm Deus verba Decalogi scriberet in tabulis, Moyses nondum scripserat volumen fœderis, sed tunc primum accipit mandatum scribendi. Nullum igitur dubium est, quæ Exod. 24. descriptione & dedicatione voluminis fœderis referuntur, gesta esse postea, quæ Exod. 34. describuntur: ita ut Deus Decalogum prius scripserit in tabulis, quā Moyses suos libros cōscriberet. Non ignoro, varia disputari de libro bellorum Domini, cujus Moyses mentionem facit, Num. 21. Vtiturenim futuro tempore: Dicetur in libro bellorum Domini, quod gestum est in mari rubro. Et quod Iosue 10. citatur liber justorum, non potest esse liber aliquis antediluvianus: agitur enim de historia, quæ sub Iosua accidit. Nec Iudæorum sive fabulas, sive ęnigmata morot, quòd lex ante conditionem mundi scripta fuerit literis igneis, nigris in dorso ignis candidi: neque civitas, quasi universitas librorum apud Cananitas Iosue 15. huc pertinet. Nobis enim de libris Scripturæ divinitus inspiratæ, quos ad posteritatē Deus pervenire & conservari voluit, disputatio est.

Iosephus.

Henoch.

Hilarius.

Iob.

Liber bellorū Domini.

Et hæc eò recitavi, ut observetur ex scripturis divinitus inspiratis, quas ad posteritatem Deus conservari & extare voluit, nihil scriptum fuisse ante tabulas Decalogi, Dei digitis conscriptas. Multum enim facit ad dignitatē & autoritatem sacræ scripturæ illustrandam, quòd Deus ipse rationem comprehendendi literis doctrinā cœlestem, non tātum instituit & mandavit, sed quòd illam primus, scriptis verbis Decalogi suis digitis initiavit, dedicavit & consecravit. Si enim ab hominibus primum scriptio sacrorū librorū inchoata fuisset, potuisset opponi præscriptio plus quàm bis mille annorū: vbi in melioribus mundi temporibus & inter prę cæteris antiquissimos Patriarchas, sine scripto, viva voce tradita fuit doctrina verbi divini. Deus igitur ipse, suis digitis fecit initium scribendi. ut ostenderet, quantum huic rationi, ut doctrinæ puritas ad posteritatem scriptis conservetur, tribuendum sit: Quòd verò tabulas lapideas sumpsit, in quibus verba Decalogi scripsit, alia est ratio quæ explicatur, 1. Cor. 3. Ne verò ea, quę per homines Dei, miraculis & testimoniis divinis ad hoc ornatos, vel conscriberentur, vel cōscripta comprobarentur, minoris

Scripturæ autoritas & dignitas.

vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel nullius ad confirmationem dogmatum, & refutationem corruptelarum, autoritatis haberentur: noluit Deus ipse totam legem conscribere, sed scriptis verbis Decalogi, Moysi mandatum dedit, ut reliqua ex ore ejus conscriberet. Et ut populus Dei certus esset, Scripturam illam Moysis non humana voluntate allatam, sed divinitus inspiratam esse. Deus valde multis stupendis miraculis testimonio Moysis autoritatē conciliavit, & ante scriptionem, & post, & in ipsa scriptione.

Moysis autoritas confirmata.

Duo igitur hactenus ex vetustissima historia sacra monstravimus. 1. Puritatem doctrinæ cœlestis, per traditiones vivæ vocis non fuisse semper & vbiq; conservatam, sed sæpius corruptam & adulteratam. 2. Ne verò novis semper & peculiaribus, ad instaurandam & retinendam doctrinę puritatē, opus esset revelationibus, Deum sub Moyse instituisse aliam rationem: ut scilicet scripto comprehenderetur doctrina verbi Dei. Et hæc est prima origo Scripturæ: qua monstrata, superest ut porrò consideretur, quem Scripturæ usum, quam dignitatem & autoritatem Deus ipse esse voluerit. Et quia historia manifesta est, nuda annotatione locorū cōtenti erimus. Complexus est autem Moyses 4. libris, non tantùm historiam sui temporis eductionis ex Ægypto, & quæ per 40 annos in deserto gesta sunt: sed præcipuum ejus consilium fuit, conscribere doctrinam legis, quam Deus in monte Sina in deserto, populo Israel tradidit. Præterea in primo libro complexus est capita doctrinæ & fidei Patriarcharum, quā ab initio mundi, ad sua fermè tempora, ex ipsius Dei patefactione traditam acceperant, & professi fuerant. Et tabulas quidem Decalogi, ipsius Dei manu scriptas, in arcam fœderis, quæ in loco tabernaculi sanctissimo erat, imponi Deus iussit: Moyses verò sua scripta, inspiratione divina consignata, collocari jussit in latere arcæ, Deut. 31. Et ejus depositi custodiam & conservationem commendavit sacerdotibus, filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis senioribus Israel. Constituit etjam, ut Rex exemplar legis, ex illo quod coram facie Sacerdotum & Levitarum erat descriptum, secum haberet, ne declinaret in partem vel dexteram vel sinistram, Deuter. 17. Et mandavit, ut vulgus etjam in postibus, in januis, in limine, in ostiis verba illa scriberet, Deut. 6. & 11.

Moysis scripta.

Vsum etjam expresè ostendit Deuter. 31. vbi præcipit, ut legatur coram toto Israel, tàm viris quàm mulieribus, parvulis & advenis, ut audientes discant, custodiant & impleant omnes sermones legis hujus: filii quoque eorum, qui nunc ignorant, ut audire possint, &c. Et in fine inquit: Ponite librum istum a latere arcę fœderis, ut sit tibi contra te in testimonium. Novi enim quòd post mortem meam declinabitis de via, quam præcepi vobis.

Scripturæ usus.

Hæc Scripturæ testimonia ostendunt, quomodo post conscriptos sacros illos libros, Ecclesia filiorum Israel fuerit columna & firmamentum veritatis: quia scilicet ipsis concredita fuerunt eloquia Dei, Rom. 3. Non autem ita, ut vel quidvis arbitratu suo statuere, vel ex traditionibus non scriptis, pro fidei dogmatibus, alia & diversa ab illis, quæ conscripta erant, obtrudere possent Ecclesiæ: sed quia custodes esse debeant Scripturæ, in qua Deus sua inspiratione doctrinam cœlestem, & quæ ab initio mundi Patriarchis tradita, in Ecclesia sonuerat, & quæ Moysi patefacta fuerat, literis comprehendi curârat: nō ut libri sancti in angulo tabernaculi sepulti jacerent, sed ita ut quærentibus aut ignorantibus, quæ doctrina Patriarchis, quæ Moysi esset divinitus patefacta & tradita, ostenderent ex illa Scriptura, veram, genuinam & puram doctrinæ cœlestis vocem. Et si declinassent à mandatis Dei, ut Scriptura illa esset testimonium, Deut. 31. Ideò enim jubebat Moyses describi exemplar legis, ut esset canon, norma & regula, ne declinaretur vel in dexterā, vel in sinistram partem, Deuter. 17. Et valde illustri magnificentia, Deus illam verbi sui custodiam ornavit & commendavit extructione, portatione & circumservatione splendidissimi tabernaculi.

Scripturæ ostendit, quæ doctrina sit falsa.

Adjiciatur verò & hæc observatio. Reliqua Noę posteritas per universas terras dispersa, sine dubio ex relatione majorum, per successionem multa ex traditionibus Patrum, licet fermentata retinuerat: sicut posteris etjam temporibus talia vestigia traditionum, licet valde depravata in gentium religionibus deprehensa & notata sunt à scriptoribus Ecclesiasticis. Et non est dubium, ipsos cùm non minus videri vellent, habere verbum Dei, quàm filii Israel, magnificè opposuisse titulos & prætextum traditionum, ab ipsis Patriarchis acceptarum. Quod si tūc habuissent advocatum, Andradio, Pighio, aut Lindano similem, næ illi contumeliosè eluisse magnificum illud institutum Dei, de Scriptura per Moysen tradita. Quid enim? Num verisimile est, Patriarchas & ante & post diluvium, quibus longissima vita concessa fuit, intra bis mille & trecentos annos vsq; ad mortem Ioseph, non plura verba fecisse de doctrina divinitus patefacta, quā quæ paucis & angustis illis primi libri Moysis paginis comprehensa sunt? Atqui non minus fuit verbum Dei, quòd illi à Deo acceptum, frequentius & multò pluribus verbis tractârunt, quàm illud quod à Moyse in primo libro de doctrina & fide Patriarcharum, brevissimè cōscriptum est. Nec existimandum est, tàm parvi momenti illa fuisse, quæ Patriarchæ plenius tractârunt, vt facilè negligi possint: modò illa teneamus, quæ Moyses scripto complexus. Et quid est, quod nostro tempore contra Scripturæ autoritatem, pro traditionibus à Pontificiis affertur, quod nō potuissent etjam prætendere posteri Cham & Japhet, qui religionē suam, cùm ex Scriptura non possent, titulo traditionum tuebantur. Nam & illud quod Pighius de Epistola ad Philemonem calumniatur, posset de libro Moysis dici, longè majora mysteria fuisse in Patriarcharum doctrina, quàm quę Moyses narrat de ovibus, de servorum rixis, de mulierum contentionibus, & similibus. Sed una & simplex tunc fuit responsio, verum esse, quòd intra tàm multos annos, Patriarchæ longè plura verba fecerint de doctrina cœlesti, quàm quæ uno tàm angusto libro Moysis potuerint comprehendi. Sed ex omnibus illis, quæ Patriarchæ & fecerunt, & docuerunt divina inspira-

Noæ posteritas.

Cham. Iaphet.

inspiratione, illa electa esse ut conscriberentur, quæ ad fidem & mores piè vivendi, posteritati sufficere judicata sunt. Et huius judicii seu selectionis, Deum ipsum esse autorem, nullū est dubiū, quæ enim Moyses in 1. cap. ante creationem hominis facta & dicta esse scribit, à nullo homine, sed ex solius Dei revelatione cognoscere potuit. Certum igitur est, quod ne Pontificios quidem negaturos arbitror, ea quæ de Patriarcharū doctrina & fide Deus posteritati necessaria judicavit, comprehensa esse scriptis Moysis. Et sanè non est dubium, in memoria piorū hæsisse tunc adhuc narrationes quasdā, nec falsas nec vanas de sermonibus Patriarcharū. Sed illas oportuit nec cōtrarias, nec diversas, sed consentaneas fuisse illis, quę Moyses scripsit, ita ut scriptura Moysis regula & amussis esset, ad quam exigerentur & examinarentur, quæcunq; de Patriarcharū & Moysis doctrina dicerentur. Hanc collationem ideo instituit: ostendit enim ex ipsa prima origine Scripturæ, refutationē omnium argumentorū, quæ nunc à Pontificiis pro traditionibus contra Scripturam nectuntur: & quidem talem refutationē, quā ipsi admittere & usurpare coguntur, quando de scriptis veteris Testaméti disputatio est. Quòd verò fingunt, aliam esse rationem scriptorum novi Testamenti, postea refutabimus.

Scriptura Moysis.

Et hæc de prima Scripturæ origine, potissimùm huc pertinent. Reliqua igitur de doctrina & Scriptura veteris Testamenti, breviter perstringemus.

Prophetarū doctrina.

Post Moysen enim Deus subinde excitavit Prophetas, quorum doctrinæ & Testimonio ingentibus miraculis fidem & autoritatem cōciliavit: sicut historia Eliæ & Elisæi manifestè ostendit. Et ad Iosue Deus dicit cap. 3. Hodie incipiam te exaltare coram omni Israel, ut sciant, sicut cum Moyse fui, ita & tecum sum. Illi verò licet miraculis essent confirmati, non tamen habebant potestatem, ut de doctrina Patriarcharum & Moysis, alia diversa aut contraria assererent aut statuerent, quàm quæ in libris Moysis consignata erant: sed ex divina revelatione addebant interpretationes illustriores, prout lucifer novi Testamenti magis magisq; appropinquabat. Totius verò suæ doctrinæ summā & capita, quantum Deus posteritati necessarium judicabat, ipsi conscribebant: quæ conscripta, ad sacros Moysis libros, hoc est, in latere arcæ collocabantur. Ita enim de Iosue cap. 24. scriptum est, quòd omnia verba sua scripserit in volumine legis Domini, quod positum erat in latere arcæ fœderis, Deut. 31. Et 1. Reg. 30. Samuel legem regni scripsit in libro & reposuit coram Domino: hoc est, vbi arca fœderis erat. Esa. 30. Deus dicit Prophetæ: Nunc ingressus scribe super tabulā, & in libro diligenter exara illud, & erit in die novissimo vsque in æternum. Et quomodo Prophetæ soliti fuerint capita doctrinæ suæ, quę Dei inspiratione ad posteritatem peruenire debebant, conscribere, colligi potest ex 2. cap. Habacuc: Scribe visionem, & explana eam super tabulam, ut percurrat qui legerit eam. Et Esa. 8. Sume tibi librum, & scribe in eo, stylo hominis. Similia exempla extant apud Ieremiam cap. 36. 45. 51.

Et hoc modo constitutus est canon Scripturæ Propheticæ. Nam Ezech. 43. de Pseudoprophetis dicitur: in Scriptura Israel non scribentur. Sed de Canone Scripturæ postea dicendum erit.

Hæc narratio de temporibus Prophetarum, quam brevitatis studio obiter attingere magis quàm explicare volui, liquidò ostendit, quam paterna solicitudine Deus Ecclesiæ suæ prospexerit: ut posteritas doctrinam Propheticā, sine fermento, sine adulteratione & depravatione, genuinam, puram & sincerām habere, conseruare & propagare posset. Scripto enim illam comprehendi voluit, ne peregrina & adulterina Ecclesię obtruderentur, hoc titulo, quasi à Prophetis tradita & accepta essent. Quod si objiciatur, Esaiam in curriculo ministerii sui, per annos 80. certè plura prædicasse, quàm quę 66. angustis illis, quę extāt sectionibus, comprehendātur: quod idem de reliquis Prophetis, quorum vel nulla planè extant scripta, vel quę extiterunt interciderunt, plausibilius objici potest. Et certè æquè fuit verbum Dei, pari reverentia amplectendum, quod prædicatum est, & quod scriptum est. Responsio autem firma & vera hæc est: Quæ ex Prophetarum doctrina Deus ad fidem & pietatem posteritatis necessaria judicavit, ea conscribi curavit, & ad posteritatē conservavit. Hoc argumentum ideo toties repeto, ut Pontificii videāt, quale habeant fundamentū in suis objectionibus. Negare enim nec possunt, nec audent id quod verissimum est: licet plura fuerint tradita à Patriarchis Mose & Prophetis, quàm scripta sunt: contineri tamen in scriptura veteris Testamenti omnia, quæ de Patriarcharum, Moysis & Prophetarum doctrina Deus necessarium judicavit posteritatem scire. Coguntur & hoc aduersarii concedere, Quæcunq;, quocunq; etjam titulo à Iudæis asseruntur, examinâda & exigenda esse ad normam illius Scripturæ: ut quæ ei consentanea sunt probentur: quæ verò peregrina sunt, aut dissentiunt reprobētur. Cōstat enim de doctrina veteris Testamenti nihil esse admittendū aut recipiendū, quod ex scripturis illius non potest probari, non obstantibus quibusvis argumentis de traditionibus. Fundamenta verò hujus verissimæ sententiæ, monstrabunt nobis postea viam ad refutandas & subvertēdas omnes objectiones Pontificiorum de Traditionibus. Christus enim & Apostoli in novo Testamento, quando allegant Prophetas aliquid dixisse, Deum locutum per os Prophetarū, quando nominant sermonem Propheticum, non ablegant nos ad tacitas sine scripto traditiones, sed ea, quæ in scriptura extant, intelligunt. Lindanus, totius Pontificiæ religionis panopliam in eo constituit, quod Petrus dicit: Verbum Dei est, quod prædicatum est vobis. Sed Apostoli per tot annos plura prędicaverunt, quàm quæ angusto codice novi Testamenti comprehendi potuerunt. Plura ergo in novo Testamento sunt credenda, quàm quæ scriptis Apostolicis continentur. Sed idem & eadem etjam ratione de doctrina veteris Testamenti dici posset, sæpius enim occurrunt in veteri Testamento illæ voces: Auribus nostris audivimus, Patres nostri nunciaverunt nobis, tradiderunt illa filiis post se, &c. Et non est dubium, multa ex concionibus & sermonibus Prophetarum, in piorum

Dei solicitudo pro doctrinæ veræ conservatione.

Esaias.

Iudæorum doctrina ad quam normam examinanda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum animis conservata, & posteris communicata fuisse. Num verò propterea, extra & præter scripturam veteris Testamenti, fabulæ Thalmudicæ recipiendæ erunt? Nos verò potius sequamur verè piorum judicium, qui tempore Prophetarum fuerunt: inde enim solutionem objectionis intelligemus.

Scripturæ in dicta in controversiis audiendum.

Motis enim controversiis, & exortis corruptelis, simpliciter proposuerunt normam Scripturæ. Ita cùm tempore Achas, remoto altari Domini, & substituto Damasceno, tristissimæ regnarent corruptelæ, quæ titulo & prætextu revelationum proponebantur, Esaias cap. 8. simpliciter dicit: Ad legem & ad testimonium, quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Videt & agnoscit Lector, quomodo Scriptura in veteri Testamento vsurpata fuerit pro norma, canone, amussi, & regula certissima in controversiis de doctrina: sicut suprà ex Moyse ostendimus, in hunc usum illam conscriptam fuisse. Et Iosaphat religionem collapsam, & superstitionibus cõtaminatam instauraturus, scribitur eam revocasse ad primas vias David patris sui. Sed audi, juxta quam regulam & normam corruptelæ abjectæ, & puritas doctrinæ patrum restituta fuerit. 2. Paralip. 17. Misit de Principibus suis, de Sacerdotibus & Levitis, qui docerent populum in Iuda, habentes librum legis Domini: & circuibant cunctas urbes Iuda, ac erudiebant populum. Ezechias etjam, corruptelas doctrinæ & cultus divini ab Achas invectas eliminaturus, operatus est rectum & verum coram Domino juxta legem. 2. Paralip. 31. & juxta dispositionem David: siquidem Domini præceptũ fuit per manum Prophetarum ejus. Et memorabile est, cùm Manasses & Ammon, populum à vera Patrum religione ad idololatriam abducerevellent, librum legis Domini absconderunt, ne singulis septenniis populo prælegeretur, sicut Moyses constituerat, sub Iosia enim Helcias sacerdos librum legis Domini, qui per manũ Moysis datus fuerat, invenit in ruinis templi cùm reficerentur. Et Iosias convocatis universis senioribus, sacerdotibus, Levitis, & omni populo, à minimo usque ad maximum, legit omnia verba voluminis: & percussit fœdus corã Domino, adjuravitq; omnem populum, ut facerent quæ scripta sunt in volumine illo quod legerat. Et hæc fuit norma, juxta quam repurgavit doctrinam & cultum templi. In hanc sententiam in historia Iudicum de corruptelis doctrinæ & cultus divini, aliquoties scribitur: In illo tempore non erat rex in Israel, sed quisq; quod sibi rectum videbatur faciebat, Rex enim jussus erat Deuteron. 17. exemplar legis divinæ semper secum habere, in illum usum sicut de Iosaphat, Ezechia & Iosia jam dictum est. Et cùm Ioas in regnum inauguratur, adhibetur ceremonia pulcherrima, 2. Paral. 23. Impolito enim diademate, traditur ipsi testimonium legis, & ita ungitur in Regem. Et summa, quando Prophetæ arguunt populum de corruptelis doctrinæ, dicunt discessionem factam esse à lege Domini: quæ certè Scriptura comprehensa fuit.

Illustre etjam est exemplum in Esdra, quomodo errores & abusus, qui multi irrepserant per tempora exilii, ad normam Scripturæ correxerint & emendârint. Ex hac etjam norma Paulus coram Rege Agrippa, probat se nihil falsi aut peregrini docere, Act. 26. Nihil docens extra ea, quæ Moyses & Prophetę prænunciaverunt. Abraham etjam divitem à peculiaribus revelationibus, mittit ad audiendum Moysen & Prophetas. Et ne quis de traditionibus non scriptis hoc intelligat, Christus Lucę 24. cùm testimonia doctrinę Patrum & Prophetarum, ab initio mundi proferre vellet, Scripturam interpretatur, & inquit: Ita scriptum est. Et hoc testimonium diligenter considerandum est. Ingressus jam erat Christus in gloriam suam per resurrectionem, & potuisset multa commemorare de Patriarcharum & Prophetarum veris traditionibus non scriptis: ipse enim est persona illa, quæ cum Patribus locuta fuit. sed ea tantùm, quæ scripta sunt, affert. Voluit enim comprobare in illis, quæ de doctrina Patriarcharum & Prophetarũ scripta sunt, contineri omnia, quæ necessaria sunt & sufficiunt, quando quæritur, quæ fuerit doctrina & fides Patriarcharum & Prophetarum. Et norma illa Scripturæ veteris Testamenti, tantæ fuit autoritatis ad comprobationem & confirmationem dogmatum, quòd Christus ipse doctrinam suam Testimoniis Scripturæ veteris Testamenti probare non erubescit. Paulus Roma. 1. confirmat se prædicare Evangelium, quod per Prophetas in scripturis sanctis promissum fuit. Et Actorum 17. prædicatio Apostolorum ad Scripturas examinatur, an rectè se habeat. Et hoc examen laudatur à Spiritu sancto.

Scripturam commendat Christus.

Scripturæ est norma dogmatum.

Sed jamdudum præsentio, Andradium exclamaturum, peregrinam esse hanc disputationem neq; enim quæstionem esse de libris veteris Testamenti, sed de Scriptura novi Testamenti. Ego verò non ignoro, quare soleant præcedere commemorationem de usu & autoritate Scripturæ veteris Testamenti: sentiunt enim, ex nuda illa commemoratione, omnia sua argumenta, quæ contra Scripturam novi Testamenti cumulant, labefactari & infringi. Et propter hanc causam paulò altius volui repetere hanc commemorationem, de prima origine Scripturæ sacræ. Non enim in novo Testamento ab Apostolis primùm ratio illa, vt doctrina cœlestis literis commendetur, inventa & instituta est: sed rationem illam acceperũt à veteribus, & ea vsi sunt propter easdem causas & in eundem usum, sicut Scriptura in prima sua origine tradita fuit. Et hoc diligenter observandum est.

Scripturæ novi Testam. quo consilio instituta.

Ostendimus igitur. I. Quæ sit prima Scripturæ divinitus inspiratæ origo, & quem primum habeat autorem. II. Qua occasione & propter quã causam instituta fuerit Scriptura sacra: quia scilicet per traditiones non conservabatur puritas doctrinæ, sed illo titulo & prætextu, multa peregrina & falsa admiscebantur. III. Quem Deus voluerit usum esse Scripturæ: vt scilicet, esset norma & regula fidei & judiciorum in controversiis & disputationibus de religione, sicut multis exemplis probavimus. IIII. Ostendimus, quòd divina inspiratione, ex Patriarcharũ & Prophetarum doctrina, summaria capita electa fuerunt, quæ conscriberentur: quæ posteritati, à Deo judicata sunt necessaria esse, & sufficere.

cere. V. Monstravimus, quid tribuendum sit objectioni illi, contra perfectionem & sufficientiam Scripturæ veteris Testamenti: quod scilicet frequentius, & multò pluribus verbis, viva voce tradita fuerit doctrina à Patriarchis & Prophetis, quàm paucis & angustis libris comprehendi potuerit.

Hæc capita rectè considerata, pulcherrimè illustrant disputationem de Scriptura novi Testamenti. Quòd enim Euangelistæ & Apostoli doctrinam suam scriptis comprehendi curarunt, illud sumpserunt à prima Scripturæ origine: & inde rectissimè potest judicari, quæ sit ratio, causa & usus Scripturæ novi Testamenti, sicut mox ostendemus. Sed prius pauca quædam annotanda sunt de origine traditionum, quæ Scripturæ, vel ut imperfectæ assuuntur, vel ut ambiguæ & obscuræ opponuntur.

Evangelica scripta.

Apostolica scripta.

DE SIMILITVDINE ET AFFINITATE *traditionum Pontificiarum, cum Pharisaicis & Thalmudicis.*

De traditionibus Pontificiorum, suo loco dicemus. Sicut autem utile est, primam originem Scripturæ sacræ considerare, unumquodq; enim ex sua origine rectissimè judicatur: ita & hæc observatio multa, monebit, quòd disputatio de traditionibus non scriptis, vel assuendis vel opponendis scripturæ, non recens cœpit, sed est ipsissima panoplia Iudaicæ perfidiæ, contra gladium spiritus, quod est verbum Dei in Scriptura. Fuisse autem antiquissimis etjam temporibus certamina de Scriptura & traditionibus, non est dubium: cùm posteri Cham & Iaphet, religiones suas, extra & contra Scripturam, palliare & tueri conati fuerunt titulo & prætexu traditionum, quas à maioribus per manus accepisse jactitarunt. Sed de iis tantùm quæ manifesta sunt, breviter dicemus. Puritatem sanæ doctrinæ verbi Dei, apud Iudæos tempore Christi corruptam, adulteratam & depravatam fuisse, historia Evangelica manifestè ostendit. Quod si originem & causam illarum corruptelarum, cùm quidem sacros libros Iudæi haberent, legerent & interpretarentur, inquiramus, respondebit historia Evangelica, deberi illas falsis & vanis traditionibus. Quando enim Scriptura erat manifesta, ut de secundo & quarto præcepto, opponebant traditiones, ita ut verba Scripturæ inflecterent ad traditiones, & ex illis sumerent interpretationem, hoc titulo & prætextu: Dictum est antiquis, sicut exempla extant, Matth. 5. 15. & 23. Habebant præterea multas vanas traditiones, extra & præter scripturam: quarum observationem, fingebant ita necessariam, ut eam vel præferrent, vel certè æquarent mandatis Dei scriptis. Mar. 7. Luc. 11. & 18. Matth. 23 &c.

Doctrinæ corruptelæ apud Iudæos tempore Christi, & earũ causa.

Traditionũ observatio.

Et hunc fuisse tunc fontem omnium corruptelarum in doctrina Pharisaica, filius Dei in multis locis ostendit. Vnde autè arbitraris ortam illam persvasionem de traditionibus, nisi inde, quòd judicatum est, non omnia quæ ad fidem & vitæ pietatem necessaria sunt, in scriptura veteris Testamenti comprehensa esse? Et non est dubium, multa nec vana nec falsa, ex sermonibus Patriarcharum & Prophetarum in memoria piorum, in vera antiquitate hæsisse. Sed inde apud posteros, cùm facta esset inclinatio puritatis doctrinæ, orta demum est persvasio, quia Patriarchæ & Prophetæ plura fecissent & dixissent, quàm quæ scripta sunt: ideo præter scripturam, illa etjam quæ titulo traditionum jactabantur, pari reverentia & pietatis affectu complectenda & veneranda esse, licet Scripturæ non essent consentanea, vel etjam cum illa pugnarent. Et hoc bene consideretur, qua ratione Diabolus soleat insidiari puritati doctrinæ (quando Scripturam in universum non potest abolere, sicut tentavit per Antiochũ, 1. Machab. 1.) quòd scilicet specioso prætextu fingit præter Scripturam, necessarias esse etjam traditiones sine scripto: & quidem ita, ut traditiones illæ non ad Scripturã examinandæ, sed econtrà verba Scripturæ inflectenda judicentur ad traditiones non scriptas: cùm tamen Deus propter illam ipsam causam, Ecclesiæ scripturam in prima ejus origine, sicut suprà ostensum est, commendarit, ut illa esset norma & regula, ne falsa, supposititia & vana, quocunq; titulo & pretextu Ecclesiæ obtruderentur. Sed hoc consilium & institutum Dei, Diabolus insidiosè apud Iudæos invertit, specioso hoc prætextu: quòd sine dubitatione illa quæ certũ esset Patriarchas & Prophetas docuisse & fecisse, licet scripta non essent, digna tamen esset pari cum Scriptura autoritate. Et sub hoc prætextu, incerta & commentitia quæq; postea inimicus veritatis venditavit. Vide autem cùm de traditionibus extra & præter Scripturam, Christo disputatio esset cum Pharisæis, potuisset facilè commemorare alia & plura Patriarcharum & Prophetarum vera dicta & facta quàm quæ scripta sunt: & potuisset illius commemorationis fidem, miraculis comprobare. Et sine dubio fecisset illud, si judicasset non omnia quæ necessaria sunt & sufficiunt, Scripturis contineri. Cùm enim duæ essent quæstiones, 1. An de doctrina Patriarcharum & Prophetarum, præter ea quæ scripta sunt, aliquid aliud tãquam ex traditione vivæ vocis profectum & acceptum, quod ex Scriptura probari non posset, nec cum ea consentaneum esset, admittendum esset & recipiendum. 2. An illæ traditiones, quæ à Pharisæis hoc titulo prætendebantur, essent veræ? Christus non tantùm ipsas traditiones Pharisæorum, ut falsas & vanas refutat & abjicit: sed simpliciter deducit ipsos ad scripturam non substitutis aliis traditionibus, de doctrina veterum, tanquam præter scripturam necessariis & amplectendis. Et 1. Pet. 1. Apostolus dicit: Non auro vel argento, sed precioso sanguine agni immaculati Christi, redempti estis à vana conversatione quam ex patrum traditione acceperatis, sitis igitur sancti in omni conversatione, sicut scriptum est.

Traditiones Christus non allegavit.

Traditiones qua de causa susceptæ à Iudæis.

Corruptelæ igitur puritatis doctrinæ apud Pharisæos originem habuerunt ex traditionibus, quas ut necessarias, Scripturæ partim affuebant, partim opponebant. Et Christus doctrinæ propheticæ pristinam & genuinam puritatem ita restituit, quòd abjectis & refutatis traditionibus ad ipsam Scripturam Ecclesiam deducit. Hæc ex historia Evangelica sunt manifesta. Irenæus libr. 4.

Doctrinæ corruptelæ ex traditionib. natæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap. 25. dicit suo tempore extitisse legem Pharisaicam de traditionibus, ubi de scripta lege Dei quædam auferant, quædam addant, quædam ut volunt interpretentur. Has traditiones vocat aquatas ex primo capite Esaiæ, propterea quod puritati verbi Dei, admisceatur fermentum traditionum. Et dicit ipsos fingere, illarum traditionum observationem ex ipsa lege necessariam esse.

Traditionũ Pharisaicarum & Papisticarũ similitudo.

Hæc descriptio observetur, ostendet enim imaginem & similitudinem traditionum quas Pontificii Ecclesiæ ostendunt. Nam & ipsi fingunt ex ipsa Scriptura novi Testamenti, necessariam esse etjam traditionum non scriptarum observationem.

Sed Andradius cum suis excipiet, de non toleranda contumelia, quòd ipsorũ traditiones cum Pharisaicis & Iudaicis comparantur. Dicēt enim Pharisæos & sequentes Rabinos finxisse & commentos esse suos traditiones: Pontificiorum verò traditiones ab ipsis Apostolis acceptas, certa & continua Episcoporum successione conservatas, & per manus traditas esse nostra usq; tempora. Sed Iudæi nullo modo concedent se suas traditiones sine certa authoritate ex figmentis hominum habere. Texunt enim longam & sine interruptione continuam successionis seriem, qua traditiones ab ipso Deo traditæ, à Moyse acceptæ, ad posteritatem bona fide propagatæ, & per manus traditæ narrantur. Etnisi Thalmud prius esset conscriptum, omnino cogitarem, Rabinos artificium illud à Pontificiis mutuo sumpsisse, & ad suas traditiones accommodasse. Tanta enim est similitudo, ut utriusq; commenti de traditionibus & Thalmudistarũ & pontificiorũ, unum & eundem esse architectum & artificem, qui scilicet bono semini interspergit & admiscet zizania, dubitari non possit. Ita autem commentum suum concinnant Thalmudici. Fingunt Mosen in monte Sinai accepisse à Deo, non tantum ea quæ scripsit, verùm etjam mysticâ & arcanam expositionem legis: quam nec scripserit, nec scribi voluerit, sed viva tantùm voce eam tradiderit, & ita posteritati per manus tradendam commendârit. Et addunt utrumq; esse verbum Dei, pari reverentia & pietatis affectu amplectendum & venerandum: cùm quod Moyses scripsit, tùm quod sine scripto, viva voce per traditiones conservandum & propagandum mandavit. Vide autem, quam splendidam contexant successionẽ, qua conservata sit traditio illa, ne de fide ejus dubitetur. Moyses, inquiunt, tradidit eam Heli sacerdoti, Heli Samueli Prophetæ, Samuel Davidi regi, David Achiæ Prophetæ, Achias Eliæ, Elias Elisæo, Eliæus Iojadæ Pontifici, Iojadas Zachariæ Prophetæ, Zacharias Hoseæ, Hoseas Amos, qui eam tradidit Esaiæ: Esaias Micheæ, Micheas Ioëli, Ioël Nahum Prophetæ, Nahum Habacuc, qui eam tradidit Sephoniæ: Sephonias Ieren.iæ, Ieremias Baruch Scribæ, Baruch Esdræ, Ab Esdra deinde ponunt continuam successionem maximè illustrium virorum usque ad Hillelem. Simeonem justum, Gamalielem, & alios donec ex illa conservatione cœpit in scripta redigi, unde tandem Thalmud confectum est. Hæc prolixè descripta extant apud Petrum Galatinum.

Thalmudicarum traditionũ origo & propagatio.

Hæc profectò longè alia species successionis est, quàm quæ à Papistis jactatur, de serie & numero Romanorum Pontificum, in quorum catalogo multi fuerunt monstra verius quàm homines. Fingamus jam, nobis rem esse cum Iudæo aliquo, qui rectius sentiens, repudiatis Thalmudicis traditionibus, illa tantùm velit recipere & credere, quæ sacris Scripturis consentanea sunt, & ex illis probari possunt, & illi opponamus Pighii argumentum: unde tu Iudeæ nosti, vera illa esse quæ in libris Moysis & Prophetarum scripta extant, qui autographa non vidisti: nec si videres, posses certi aliquid ex inspectione statuere. Vnde igitur certus es, libros illos, non esse supposititios, nec esse adulteratos, sed complecti veram & sanam doctrinam verbi Dei, sicut divinitus patefacta est? Certè non aliunde hoc constabit, quàm ex testificatione illorum, quorum suprà facta est mentio, qui continua successionis serie libros illos conservarunt, & posteritati quasi per manus tradiderunt. Si igitur sacros codices, ex illorum traditione, seu testificatione recipis: qua fronte reliquas traditiones, quæ per illos ipsos, certa successionis serie ad posteritatem propagatæ feruntur, repudiabis? Aut si de Thalmudicis traditionibus dubitare incipies, vacillabit etjam & corruet ipsius Scripturæ certitudo & autoritas, quam traditio & testificatio Synagogæ tibi commendavit. Hic velim ex Andradio audire, quid judicet Iudæum, qui ex Thalmudicis traditionibus se extricare cuperet, ad hanc objectionem debere & posse respondere. Non enim arbitror, ipsum ita insanire, ut judicet, pari reverentia & pietatis affectu suscipiendos libros Biblicos & Thalmudicos. Agnoscat igitur, vel ex hac collatione, quale argumentum sit illud, quo ipse etjam pro traditionibus Pontificiis pugnans, ferìò triumphat. Si libros sacros ex traditione ecclesiæ recipimus: ergo eodem modo etjam reliquas omnes traditiones debemus recipere. Sed hoc posteà explicandum erit. Nunc tantùm ostendere volui, quâta sit cognatio & similitudo Thalmudistarum & Papistarum, quando de traditionibus non scriptis, extra & præter scripturam disputant. Idem enim spiritus, qui Scripturæ veteris Testamenti insidias struxit, sub velamine traditionum, etjam in novo Testamento, ea quæ ex Scriptura probari non possunt, sub titulo traditionum, Ecclesiæ obtrudere conatur: & utrobiq; usque adeo simili utitur artificio, ut facilè agnoscas eundem esse architectum. Quanta verò sit efficacia hujus erroris, manifestum est. Sola enim illa persuasio de traditionibus non scriptis, cùm quidem tàm plausibili specie successionis præstantissimorum in populo Dei virorum proponatur, accedente præscriptione & consuetudine longissimi temporis, captivam ducit & detinet miseram plebeculam Iudæorum in tristissima excæcatione: ut Rabi Abraham Hispanus, de sententiis Rabinorum inquit: Nos decet verbis illorum subscribere, eò quòd omnia eorum verba, sunt Cabalæ verba. Et nos incedimus ac palpamus, sicut cœci in pariete, ut sustentemus nos ad illum. Ac licet videantur vobis, verba nostra esse vera ac recta: nihilominus tamen est nobis abjicienda veritas in terram, quoniam veritas

Romani Pontifices.

Traditionũ stabilitio ex Andradio.

Scripturæ autrusq; Testamenti struit Satan insidias per traditiones.

veritas cum illis est. Et Lyra Deuter. decimoseptimo, citat glossam Hebraicam, recipiendum esse, quicquid hoc modo proponatur, etjamsi dextrum dixerint esse sinistrũ. Eosdem ergo laqueos, ex funiculis commentitiarum traditionum contextos, quibus Iudæos irretivit, nobis etjam tendit idem author.

Traditionũ Iudaicarum occasio quæ fuerit.

Et quare Iudæorum Rabini tàm pertinaciter pugnent pro Thalmudicis traditionibus, circumstantia temporis, quando conscribi cœpit Iudaicum Thalmud, si rectè consideretur, ostendet. Cùm enim subinde ex Iudæis multi, luce scripturarum convicti, ad Christianam religionem transirent: videntes Rabini, se id quod volebant obtinere non posse, si solis scripturarum armis pugnandum esset, alia sibi compararunt præsidia. Circa annum enim Domini 150. cœpit conscribi Thalmud, complectens traditiones: cujus successum cùm animadvertissent, posteà in infinitum fermè auctum est. Et post illa tempora rarò ex Iudæis aliquis (quia laqueis traditionum irretiti, & à Scriptura averti erant) ad Christianam fidem conversus fuit. Diximus breviter de Scriptura veteris Testamenti: ut ostenderemus, quæ fuerit prima origo, quæ ratio, quis usus sacræ Scripturæ. Adjecimus illam etjam observationem, quomodo Pharisæi, & posteà Thalmudistæ, Ecclesiam Iudæorum repleverint infandis erroribus & superstitionibus, ea ratione quòd contenderunt, præter Scripturam Moysis & Prophetarum, pari reverentia & pietatis affectu recipiendas esse etjam traditiones non scriptas, licet ex Scriptura probari non possent. Et Thalmudica quædam commenta, de traditionibus recitavimus, propter affinitatem quam habent cum Pontificiorum disputationibus, tacita enim illorum collatio, loco manifestæ refutationis esse potest. Iam digredimur ad Scripturam novi Testamenti, & ad disputationes nostri temporis de traditionibus.

DE SCRIPTVRA NOVI *Testamenti.*

Video me brevitatis metas, quæ ad rationem examinis sufficere possent, in hoc loco de Scriptura tranfire: sed candidus Lector dabit mihi ultrò veniam, si causam cõsideraverit. Longè alia nunc est ratio disputationum inter Pontificios, quàm tempore Eccii, Emseri, & similium fuit. Illi enim Scripturæ armis nobiscum congredi non detrectabant. Pighius verò deprehendit, hoc institutum plus detrimenti quàm commodi dedisse regno Pontificio. Aliam igitur ipse viam magis compendiariam monstravit, cui si insistant, nullo negotio, quidvis possent obtinere: ut scilicet cõquisitis omnibus Rhetorices artificiis declamitent, de angustiis, de imperfectione, insufficientia, ambiguitate & obscuritate Scripturæ: & strenuè pugnent pro necessitate, authoritate, perfectione, certitudine & claritate traditionum, non Scripturarum. Vidit enim in illis, quæ ex Scriptura defendi non possunt (quæ potissima regni Pontificii pars est) hac sola ratione victoriam, nec dubiam nec laboriosam fore. Et hoc consilium scriptores Pontificii, qui Pighium insecuti sunt, pro viribus omnes amplexi sunt: ut integris jam libris nihil fermè aliud agant, quàm quod contra scripturã, pro traditionibus non scriptis disputant. Et in hoc etjam præsidio, Concilium Tridentinum omnes opes suas, ipsamq; adeò salutem suam collocat. Necessitas igitur requirit, ut paulò pluribus de authoritate Scripturæ, contra commentitias traditiones agamus. In reliquis posteà breviores erimus, & intra metas examinis orationem continebimus. Quia verò de Scriptura novi Testamenti potissimùm controversia inter nos est, de illa jam dicemus. Et ex illis fundamentis, quæ de prima origine sacræ scripturæ in veteri Testamento suprà annotavimus, plana est tota hæc disputatio: propter quas scilicet causas, & quo consilio doctrina novi Testamenti, scriptis sit comprehensa. Et ipsi adversarii hoc animadvertunt & sentiunt. Vide autem infidiosas ipsorum technas. Nodum enim illum quasi Gordium cùm solvere non possint, semel præcidunt hac bipenni: in scriptura scilicet veteris Testamenti, omnia quæ de Patriarcharum & Prophetarum doctrina, Deus posteritati necessaria esse judicavit & sufficere, comprehensa esse: sed doctrinæ novi Testamenti, longè aliam esse rationem. Ejus enim proprietatem, ab ipso Deo ita esse constitutam, ut nec in tabulis, nec in chartis, nec calamo, nec atramento, vel quovis alio modo literis consignetur: sed viva tantùm voce, animis auditorum commendetur, & ita sine scripto conservetur, & per manus tradatur. Et hunc volunt esse sensum ejus, quod Ieremiæ 31. scriptum est: Dabo legem meam in corda eorum, & in intimo eorum scribam eam. Et quod Paulus dicit 2. Corinth. 3. Epistola nostra estis vos, scripta à nobis non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis.

Papistarum de scripturæ novi Testam. iudicium.

Quid igitur ad hæc respondebimus? Dicemus id quod res est. Si Deus ita constituisset & ordinasset, ut doctrina Christi & Apostolorum sine scripto, sola traditione vivæ vocis propagaretur & conservaretur, reverenter vellemus hac ratione contenti esse, qua Deum in principio mundi, ultra bis mille annos usum, suprà ostendimus. Ille enim solus optimè novit, qua ratione saluti Ecclesiæ commodissimè prospiciatur. Sed hæc est quæstio: An Deus de doctrina Christi & Apostolorum ita constituerit, ut non consignetur literis, sed sine scriptis viva tantùm voce per manus tradatur. Pontificii quidem dicunt, Deum per Ieremiam & per Paulum hoc affirmare. Sed quia Pontificii fidem suam in multis suspectam reddiderunt Ecclesiæ, nos ex mandato Christi, Io. 5. & exemplo Berrhoensium, Actorum 17. scrutabimur Scripturas, an hæc ita se habeant, sicut Pontificii asseverant. Ecce autem statim vel palpabiliter deprehendimus, non esse verum, quod Pontificii de Ieremię aut Pauli sententia fabulantur. Sunt enim aliquot libri ab ipsis Apostolis, de doctrina novi Testamenti conscripti, quod sine dubio non fecissent, si illa esset Dei sententia, in dicto Ieremiæ, quam Pontificii ipsi affingunt. Author Epistolæ ad Hebræos, in media scriptione, dum doctrinam novi Testamenti literis cõmendat illam sententiam Ieremiæ allegat. Et Paulus jam scripserat utramq; Epistolam ad Thessalonicenses,

An doctrina Christi & Apostolorum scripto debuerit comprehendi, an verò viva voce sit tradenda.

Scripturæ à Papistis datæ epitheta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

censes, & priorem ad Corinthios, cùm dicit: non atramento: sed spiritu Dei, 2. Corinth. 3. imò illud ipsum tunc, non viva voce tradebat, sed scribebat. Extra omnem igitur controversiam manifestissimum est, Apostolos sententiam Ierem. 31. & Paulum dictum suum, 2. Corinth. 3. non ita intellexisse, sicut Pontificii fingunt: doctrinam scilicet Christi, & Apostolorum, nō ferre, ut scripto comprehendatur & tradatur.

Dabitur autem nobis venia, si judicaverimus Apostolos rectius intellexisse Ieremiæ & Pauli sententiam, quàm Pontificios. Sed excipient, se non ita sentire, quasi simpliciter nihil omnino de doctrina Christi Apostolorum debuisset literis mandari, aut scriptis comprehendi: sed quod quædam sanè debuerint, aut saltem potuerint scribi, non autem omnia quæ necessaria sunt & sufficiunt: sed quòd multa, & quidem præcipua, relinquenda fuerint traditionibus non scriptis. Audio, & scio quid Pontificii dicant: sed quæstio est, an illud quod dicunt, sit Ieremiæ & Pauli sententia in locis allegatis. Inspicio autem Ieremiæ sententiam, & non invenio quòd dicat, legem novi Testamenti scribendam esse partim in chartis, partim in cordibus, nec video quòd Paulus dicat, de doctrina Christi & Apostolorum, quædam atramento in tabulis vel chartis, quædam Spiritu Dei in cordibus esse scribenda: sed loquuntur indefinitè. Nec concedimus Pontificiis, ut extra & contra verba textus, arbitrariis suis interpretationibus Ecclesiam impunè ludificentur.

Si quis igitur verba Ieremiæ & Pauli, cum Pontificiis ad hanc quæstionem violenter velit detorquere. An doctrina Christi & Apostolorum, debeat aut possit scripto comprehendi: an verò sine scripto, traditione vivæ vocis sit conservanda & propaganda? certum & manifestum est, illa expositione nō posse reddi aliam quàm hanc sen-
Papistica sententia de novi Testamēti scriptura. tentiam, quòd doctrina Christi & Apostolorum, simpliciter sine aliquo omnino scripto, sola traditione nec scripta nec scribenda, sit proponenda, propaganda & conservanda. Et si quis ex illa doctrina literis aliquid conetur confignare, id fieri contra ejus naturam & proprietatem, imò fieri contra voluntatem & ordinationem Dei. Sed hāc expositionem & sententiam falsam esse, Apostoli ipso facto monstrarunt. Scriptis enim doctrinam suam complexi sunt: idq; sicut Irenæus dicit, ex voluntate Dei.

Ab hoc igitur præsidio Pontificii, luce veritatis clarissima dejecti sunt: nisi forsan eum rationē ipsis libeat insanire. Quàm ineptam enim reddant collationem veteris & novi Testamenti, de qua Ieremias & Paulus gravissimè disputant, si opinionem suam pertinaciter tueri voluerint, Lector attentius quæso consideret. Si enim vetus Testamentum intelligunt de doctrina Patriarcharum & Prophetarum, usque ad Christum
Testamētum vetus. (quod impropriè dici, Augustinus docet, & ostendit, potius vetus instrumentum appellandum esse) certè doctrina illa per annos bis mille, quadringentos, quinquagintaquatuor, sine scripto, per traditionem vivæ vocis tradita & propagata fuit. Sunt autem à conscriptione legis usque ad ministerium Christi, anni 1538. Populus igitur veteris Testamenti, doctrinam cœlestem per annos 116. diutius habuit sine scripto, quàm in scriptis. Christi verò & Apostolorum doctrina, cœpit scriptis comprehendi, cùm ne per 20. quidem totos annos, sola voce sine scriptis tradita fuisset. Vt enim maximè concedamus, Matthæum tunc primùm scripsisse, cùm Paulus jam Romæ esset: certè Paulus jam tunc scripserat utramque ad Thessalonicenses, priorem ad Timotheum, utramque ad Corinthios, & Epistolam ad Romanos. Vide jam Andradi, quomodo constet, quòd contendis æquum fuisse, ut populus Dei sub veteri Testamento, doctrinam cœlestem literis haberet comprehensam: novi verò Testamenti planè diversam esse rationem. Quòd si vetus Testamentum intelligant de doctrina legis quæ in monte Sina promulgata fuit: certè præcepta Decalogi, & ante & post diluvium, voce divina proposita, & à Patriarchis tradita leguntur in Genesi. Et Paulus Romanorum 2. affirmat opus legis natura scriptum esse in omnium hominum cordibus, etjam illorum qui legem scriptam non habent. Etjam consideretur, quæ insania sit, Ieremiæ tribuere illam sententiam, quasi discrimen veteris & novi Testamenti, in eo potissimùm consistat, quòd doctrinam legis, scriptis comprehendi æquum fuit, doctrinam verò Evangelii, per traditiones sine scripto cordibus cōmendandam esse. Certum igitur & manifestum est, Ieremiæ dictum nec habere, nec admittere illam expositionem & sententiam: de qua Pontificii ita digladiantur, ut in illa omne suum præsidium contra Scripturam pro traditionibus non scriptis se collocare, non dissimulent. Et Augu- *Augustinus.*
stinus, qui in libro de Spiritu & litera, locum illum Ieremiæ & Pauli ex professo justa tractatione explicat, ne verbo quidem mentionem facit ejus somnii, quod Pontificii Ecclesiæ obtrudere volunt, pro commentitiis suis traditionibus contra Scripturam stabiliendis.

Chrysostomus Homilia prima in Matthæum, *Chrysost.*
accommodat quidem Ieremiæ dictum ad hanc sententiam, quod paucis aliquot annis, Christi & Apostolorum doctrina, sine scripto tradita fuit, de quo nulla inter nos controversia est: non autem id quod Pontificii faciunt, extruit inde, naturam & proprietatem novi Testamenti non ferre, ut doctrina ejus literis consignetur, & scriptis comprehendatur: ut sicut Lindanus dicit, naturam verbi Evangelici à scripto & literis planè abhorrere. Hic enim status est disputationis nostræ.

Adjiciam verò & hanc observationem, ex hac sola disputatione animadverti posse, quales interpretes Scripturæ sint Pontificii. Ieremias & Paulus in illis dictis de re longè gravissima disputant, quam ex Augustini sententia breviter recitabo. Vetus Testamentum est doctrina manda- *Testa. vetus.*
torum, extra hominum scripta: qua foris docemur, attestante conscientia nostra (est enim opus legis, scriptum in cordibus) quòd & qualem obedientiā Deus à nobis requirat: & condemnat quidem hos qui huic normæ non sunt conformes, sed virtutem præstandi ea quæ requirit, non subministrat. Tàm tristis enim est naturæ per peccatum depravatio, ut quando Deus voluntatem suam

suam patefacit, & per ministerium, seu voce seu scripto proponit: vetus tamen homo, qualis est sine spiritu regenerationis, etjam quando vires suas naturales exerit, & aliquid præstare contendit, non possit spiritualia quæ verbo proponuntur, rectè & verè intelligere, amplecti & servare: præcipuè verò, legem ita faciendo non facit. Hoc Augustinus vocat vetus Testamentum, ubi cor non renovatur: & ibi licet opus legis, quo ad notitiam, scriptum sit in cordibus: dicitur tamen lex foris extra hominem scripta, non in corda, quando corda non renovantur ad veram interiorem obedientiam. Novum verò Testamentū,
Testamentū novum. est promissio gratiæ propter filium Mediatorem: cum qua conjuncta est, promissio & exhibitio Spiritus sancti, qui doctrinam foris in ministerio sive voce sive scripto sonante, efficacia & operatione sua in corda scribat: hoc est, mentem illuminet, voluntatem & cor regeneret, ut possimus promissionem de Messia, vera fide ex corde amplecti. Qui verò credunt in nomine ejus, illis dat potestatem, ut fiant filii Dei, Iohan. 1. Et hoc est quod Ieremias dicit, Spiritum sanctum scribere doctrinam Evangelii in corda credentium, ut impleatur, quod dicit: Ego ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: Deinde etjam doctrinā legis, Spiritus sanctus scribit in corda renatorum, ut secundum interiorem hominem cor delectetur lege Dei, Rom. 7. & ex animo incipiant obedire, Rom. 6. Hoc Augustinus in sua disputatione, vocat novum Testamentum: cujus vim & efficaciam, etjam in Patribus tempore veteris Testamenti fuisse, rectè asserit.

Hanc gravissimam & utilissimam doctrinam Pontificii, in sententia Ieremiæ nō tantùm prætereunt, sed obscurant & expungunt, substituta alia peregrina & falsa explicatione. Spiritus sanctus enim illud de quo Ieremias loquitur, operatur non enthusiastico modo, sine medio, sed per
Verbum Dei. ministerium verbi Dei. Ne autem verbum illud, quod solum est organon Spiritus adulteretur, vel incertum sit quodnam illud sit: Deus in veteri Testamento scriptis illud cōprehendi mandavit. De Christi verò & Apostolorum doctrina, in novo Testamento jam dicemus. Scriptura igitur verbi Evangelici non pugnat cum dicto Ieremiæ.

Hæc de Ieremiæ sententia, necessariò dicenda fuerunt. Ejus enim peregrinam, contortam, & adulterinam expositionem magnificè amplificatam, semper in acie collocant adversarii, pugnaturi contra Scripturam novi Testamēti, pro suis traditionibus. Ostendimus igitur, Ieremiæ dictum nullo modo vel præbere, vel admittere illā sententiam, quam Pontificii contra Scripturam fingunt. Et hoc præsidio destructo, jam in patenti campo, facilior erit cum adversariis congressus de Scripturis novi Testamenti. Et quod de Ieremiæ sententia diximus, idem etjam ad Pauli dictum pertinet, 2. Corinth. 3. Non enim negat doctrinam Evangelii esse, quam atramēto, chartis in Epistola, & tunc & antea commendaverat: neque hoc dicit, quia Corinthios primùm, sine suo aliquo scripto, sola vivæ vocis traditione cōvertit, ideo illa quæ nunc atramento scribebat non esse organon Spiritus, per quod Evāgelium scribatur in corda credentium: sed hoc agit, Corinthios qui corde jam credebant ad justitiam, & ore confitebātur ad salutem, quiq; nova creatura facti, lege Dei delectabantur, & ex animo obediebant: illos inquam dicit esse Epistolam Christi, non atramento exterius, sine interiori renovatione scriptam, quoad vetus Testamentum, & ad literam occidentem pertinet: sed in ipso corde expressam, non viribus veteris hominis, sed spiritu Dei vivi. Sed jam ad ipsam Scripturam novi Testamenti progrediemur. Con- *Testamenti novi doctrina.*
venit autem de hoc inter nos, doctrinam novi Testamenti (sicut usitatè nunc loquimur) illam esse, quam Christus tempore carnis suæ, in ministerio suo proprio ore promulgavit, quamq; Apostoli, cùm à Spiritu sancto in omnem veritatem ducti essent, in omnem terram omni creaturæ prædicaverunt.

Constat & hoc, doctrinam illā primis aliquot annis, & à Christo, & postea ab Apostolis, sine scripto viva voce traditam & propagatam esse, postea verò ab Apostolis scriptis esse comprehensam. Sed non patitur nos usq; ad scripta Apostolica progredi Andradius: sed facta tantùm mentione primi temporis, cùm sine scripto tradita est doctrina Evangelii, statim exclamat: Quæ igitur est levissimorum, perditissimorumq; quorundam hominum tanta impudentia & temeritas, qui hanc rationem tradendi, propagandi & conservandi Evangelium (per traditiones scilicet absq; scripto) qua Christi Ecclesia nata, educata, lōgè latèq; propagata, denicq cōservata fuit inanē ac levem existimat. illa enim extra omnē controversiam, omnium est optima, certissima & utilissima ratio tradendi, propagandi & conservandi doctrinam Evangelii: quam ipse filius Dei, qui est patris sapientia, iniit: quam Spiritus sanctus, cùm Apostolos in omnē veritatem duceret, usurpavit. Et Andradius subducto calculo, ostendit Ecclesiā viginti annis aut plus, scripto Evangelio caruisse. Non enim probat Theophylacti rationem, q; Matthæus anno post ascen- *Matth. Evangelium quando scriptum.*
sionem Christi octavo scripserit: sed amplectitur Irenæi annotationem, quòd Matthæus tunc primùm scripserit, cùm Paulus jam Romæ esset: & ita ante conscriptum Matthæi Evangelium, supputat annos ab ascensione Christi unū & viginti & menses undecim. Aut si recipiatur illorum sententia, qui Claudii imperio tribuunt menses novem supra annos tredecim, exurgent anni duo & viginti, & menses septem. Non igitur octo tantùm annis, juxta Theophylacti supputatio- *Theophyl.*
nem, sed tàm multis inquit Andradius annis & mensibus, scripto Evangelio Ecclesia Christi caruit. Non autem consideravit, præstrepitu calculorum in supputatione, ut maximè Irenæi annotatio, quam non improbo, recipiatur: quod tamen Paulus priusquam Romam vinctus duceretur, scripserit ad minimum 6. Epistolas: duas *Paulus ante captivitatē quæ scripserit.*
ad Thessalonicēses, unam ad Timotheum, duas ad Corinthios, & unam ad Romanos. Iuxta Irenæi igitur annotationem, tot jam Epistolis Pauli cōscripta fuerat doctrina Evangelii, ante Matthæi scriptionem.

Nec difficile mihi esset, ex actis Apostolicis ostendere, circa quotū post ascensionem Christi

Universidad de Deusto
Biblioteca

annum, Paulus primũ cœpisset scribere ad Thessalonicenses: & ita de calculo Andradii, annorum 22. & mensium 7. quo tẽpore constituit primùm cœpisse doctrinam Evangelii literis mãdari, aliquid detraheretur. Sed non pugnabimus de numero annorum & mensium, de quo inter veteres etjam scriptores non satis convenit: imò calculo Andradii (quod ipsi in mentem tunc non venit) liberaliter addamus annos et jam ministerii Christi, ut calculum annorũ augere possit, additione trium annorum, & aliquot mẽsium. Fac igitur ita esse, sicut Andradius contendit, viginti annis aut plus, scripto Evangelio Ecclesiã caruisse. Quid inde efficiet? Certè in veteri Testamento, Ecclesia Dei, ab initio mundi per annos bis mille, quadringentos & quinquagintaquatuor Scriptura divinitus inspirata caruit. Aut si placeret numerum strepitu pluriũ calculorum augere, diceremus juxta LXX. per annos ter mille, sexcentos & nonagintaduos, primam Ecclesiam caruisse Scriptura. Si hic Thalmudista aut Cabalista aliquis, post traditam Scripturam veteris Testamenti, pro suis traditionibus Andradii grandiloquentia ita insurgeret: Quæ igitur est levissimorum, perditissimorumq; hominum insolentia & temeritas, quæ hanc tradendi verbi Dei rationem, qua prima Ecclesia in mundo nata, educata, & per annos bis mille, quadringentos, & quinquagintaquatuor propagata & conservata fuit, jam non vult amplius admittere? ut scilicet præter Scripturam, Cabala et jam pari reverentia & pietatis affectu suscipiatur.

Hæc certè Cabalistæ, si non ipsi saltẽ per conductitium aliquẽ Rhetorem, multò splendidius possent amplificare, quàm Andradius supputationem suam de viginti annis. Sed dicat nobis Andradius, quid ad hanc objectionem pro Scriptura veteris Testamenti, contra Thalmudistarum Cabalam respondendum judicet: & idem sibi et jam responsum habeat. Quòd enim exceptionem fingit ex sententia Ierem. 31. jam ostendimus vanum & falsum esse. Verba igitur sunt, aut potius juxta Proverbium, fumi sunt, quos Andradius grandiloquentia sua, de viginti illis annis venditat. Neque enim sequitur: Ecclesia novi Testamenti, viginti annis caruit Evangelio scripto: ergo optimum fuisset, ut perpetuò illo careret: ergo sceleratè fecerunt Apostoli, qui aliam rationem propagandi & conservandi doctrinam Evangelii, per scripta scilicet, instituerunt, quàm ipse filius Dei, qui est sapientia patris, in ministerio suo iniit: usus scilicet sine scripto, sola traditione vivæ vocis. Si negaverit Andradius, hæc esse suæ mentis: qua igitur ratione putant, hanc consequentiam valere: Per viginti Apostoli, sine scripto, sola traditione vivæ vocis, doctrinam Evangelii propagarunt & cõservarunt: ergo nunc etjam, postquam scriptis comprehensa est doctrina Evangelii, prior illa ratio servanda est: & quidem ita, ut scriptis opponãtur traditiones. Apostoli igitur doctrinam Evangelii, à Christo acceptam, & à Spiritu sancto illustratam, primis aliquot non multis annis, sine scripto, sola traditione vivæ vocis propagarunt: mox verò per Dei voluntatem, sicut Irenæus loquitur, cœperũt literis consignare, & scriptis comprehendere non

Evangel. scripto an carere possit Ecclesia.

Argumentatio Papistæ.

contrariam, non diversam, non aliam, sed illam ipsam doctrinam, quam voce prædicârũt. Quòd si quæratur, quare nõ statim in primo anno cœperint scribere: possemus respondere id, quod suprà diximus de annis ab initio mundi, bis mille, quadringentis & quinquaginta quatuor. Sed hoc loco ratio manifestior est. Doctrina enim Evangelii, antequam conscriberetur, erat prius contra Iudæorum & Gentium calumnias & contradictiones, prædicatione Apostolorum, signis & prodigiis per totum terrarum orbem confirmanda, & assensione populorum credentium in omnibus terris comprobanda: ut certi essemus, ea quæ scripta sunt, non esse dubia, incerta, aut parùm firma, sed sicut Lucas inquit, κατὰ ἀπροφορημένα, hoc est, à Deo per Apostolos confirmata, & à primis fidelibus per totum mundum, ut certissimæ fidei comprobata. Ita non tantùm nihil detrahitur Scripturæ, sed dignitas & autoritas ejus magis illustratur inde, quòd non statim primis annis Apostolicæ prædicationis, literis consignata est.

Evangelium quare non mox primo anno scriptum.

Status verò totius disputationis, in eo jã consistit, ut monstretur, quibus de causis, quo consilio, quo proposito & instituto, Evangelistæ & Apostoli doctrinam Evangelii literis consignare, seu scriptis mandare & comprehendere voluerint: quem voluerint illorum scriptorum usum esse in Ecclesia: quo loco primitiva Ecclesia, scripta illa habuerit: quid, & quantum illis tribuerit. Ad hunc disputationis statum, mox posito titulo, De Scriptura novi Testamenti, progredendum fuerat: sed prius reprimendi fuerũt clamores Pontificiorum de loco Ieremiæ, & de primis annis Apostolicæ prædicationis. quorum strepitu Lectorem conantur obruere & obtundere, ut ita à vero statu disputationis illum avocent.

Evangelium ex quib. causis descriptũ.

Collocabimus autem quasi in acie, pulcherrimam Irenæi sententiam, quæ extat in præfatione, & 1. capite 3. libri, ubi dicit. Sola vera ac vivifica fides illa est, quam ab Apostolis Ecclesia percepit, & distribuit filiis suis. Etenim Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem Evangelii, per quos & veritatem, hoc est, Dei filii doctrinam cognovimus, quibus & dixit Dominus: Qui vos audit, me audit: & qui vos contemnit, me contemnit, & eum qui misit me. Non enim per alios dispositionem salutis cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos. QVOD QVIDEM TVNC PRAECONIAVERVNT, POSTEA VERO PER DEI VOLVNTATEM, IN SCRIPTVRIS NOBIS TRADIDERVNT FVNDAMENTVM ET COLVMNAM FIDEI NOSTRAE FVTVRVM.

Evangelium prædicatum & scriptũ.

Hæc Irenæi sententia, in genere loquitur, de tota Scriptura novi Testamenti: cujus autoritatem, perfectionem, & (ut nunc loquimur) sufficientiam, firmissima demonstratione ostendit. Illa enim extra omnem controversiam, sola est vera & vivifica fides, quam primitiva Ecclesia ab Apostolis accepit, & filiis suis distribuit. Sed illa fides concepta initio prædicatione Apostolorũ, quam ipsi ex doctrina filii Dei acceperant. Hanc verò doctrinam Christi & Apostolorum, ex qua vera primitivæ Ecclesiæ fides accepta fuit, Apostoli

stoli primum sine scripto viva voce tradiderunt, postea verò non humano aliquo consilio, sed per Dei voluntatem in Scripturis tradiderunt. Quid nam? Illam ipsam doctrinam, quam à filio DEI acceptam, viva voce prædicaverãt, ex qua solam veram & vivificam fidem, primitiva Ecclesia, ab Apostolis acceperat, & filiis suis distribuerat. Quibus verò Apostoli Evangelium tradiderunt in Scripturis. Num ut particulares illæ tantum Ecclesiæ, quibus inscriptæ sunt Apostolorum Epistolæ, pro præsenti tantum necessitate scriptis illis Apostolorum uterentur. Ita quidem Pighius fingere videtur, sed Irenæus dicit: Nobis nobis Apostoli id, quod prædicaverãt in Scripturis tradiderunt. Quo verò consilio? quem illius suæ Scripturæ usum Apostoli in Ecclesia esse voluerunt? Respondet Irenæus: Vt id quod in Scripturis nobis tradiderunt, in futurum esset fundamentum, & columna fidei nostræ: illius scilicet, quam ab Apostolis Ecclesia percepit, & distribuit filiis suis. Fundamentum igitur & columnam solius veræ & vivificæ fidei, primitivæ Ecclesiæ ab Apostolis acceptæ, habemus nos in scripturis, quas Apostoli per Dei voluntatem nobis tradiderunt. Fundamentum quidem fidei, quia inde discitur, agnoscitur, extruitur, & concipitur. Columna verò, quia fide probatur, cõfirmatur, & contra omnes corruptelas propugnatur, & cõservatur illa fides, quæ sola, vera, & vivifica est. Fides igitur, quæ aliunde, quàm ex scripturis ab Apostolis traditis extruitur, concipitur, probatur & confirmatur, non est vera, vivifica, Apostolica, & primitivæ Ecclesiæ fides. Hæc in Irenæi demonstratione manifestissimè & firmissimè cohærent. Et postea dicit illos esse hæreticos, qui scripturis Apostolicis non assentiuntur, & notas hæreticorum his verbis describit cap. 2. Cùm ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex authoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his veritas inveniri ab his, qui nesciant traditionem: non enim per literas traditã illam, sed per viuam vocem, &c. Mirum ni vel parumper erubescant, Pighius Lindanus, Andradius, & similes, recognoscentes suas voces in hac descriptione. Ostendit igitur Irenæus in illa sententia, quo consilio Apostoli doctrinam suam in Scripturis nobis tradiderint, & quem Scripturæ ejus usum in Ecclesia esse voluerint, ut scilicet esset fundamentum & columna fidei nostræ, qui vivam Apostolorum vocem non audivimus. Et addit, illos esse hæreticos, qui Scripturas illas, vel abjiciunt, vel in accusationem earum cõvertuntur, quòd variè sint dictæ, & quòd veritas ex his non possit inveniri, nisi præter illas Scripturas adjungantur traditiones, quæ sine scripto & literis, per vivam vocem ab Apostolis traditæ tractantur.

Hæc prolixius aliquanto de Irenæi sententia annotare volui. Loquitur enim in genere de tota Scriptura novi Testamenti, & complectitur firmissima demonstratione, illa omnia, quæ ad hanc controversiam de Scripturæ authoritate pertinent. Quæ verò sit Irenæi de traditionibus sententia, in sequenti loco explicabimus. Lectorem autem oro, ut ad illam Irenæi sententiam conferat quod Andradius dicit: nam breve compendium doctrinæ Apostolicæ literis traditum esse, ut pars maxima tanquam magni precii thesaurus traditionibus non scriptis relicta fuerit, item quòd Concilium Tridentinum constituit, in controversiis horum temporum, veritatem non posse ex solis scripturis inveniri, nisi pari reverentia, & pietatis affectu suscipiantur illa etjam, quæ tum ad fidem, tum ad mores pertinentia extra & præter Scripturam, tanquam ex traditionibus non scriptis venditantur. Sed ut veritas manifestior evadat, ordine de singulis scriptis novi Testamẽti inquiramus: quibus de causis, & quo cõsilio literis confignata sint, & quem Scripturæ illius usum, tum scriptores ipsi, tum primitiva Ecclesia voluerint esse.

Non autem de momentis, sive annorum sive mensium: quibus unumquodque scriptorum in novo Testamento editum fit, scrupulosius disputabimus (veterum enim annotationes inter se non satis conveniunt) sed ea quæ certa sunt, ἐφ' ἁπλᾶ sumemus.

Matthæus quando scripserit.

Et id, quod Andradius de Matthæo contendit, non gravatim recipio, scripsisse scilicet illum, cùm Paulus jam Romæ esset. Aequum enim est, ut antiquissimorum potius Irenæi & Eusebii in historia Ecclesiastica, quàm recentium, vel Theophylacti de octo, vel Nicephori de 15. annis, sententiam sequamur. Et hãc supputationem, ideo libentius recipio, deducet enim nos ad primam & illustrem originem scripturæ novi Testamenti. Si enim Matthæus tunc primum scripsit, cùm Paulus Romæ evangelizaret, sicut Irenæus loquitur, erit quidem primus inter Euangelistas, juxta omnium antiquorum sententiam, sed non erit primus inter eos, qui doctrinam Apostolicam literis cœperunt commẽdare. Paulus enim prius q̃ Romam vinctus duceretur, aliquot jam Epistolas conscriptas ediderat, id quod ex historia Actorũ manifestè colligitur, sicut suprà ostendimus. Quæro autem, fuerit ne aliquid ab Apostolis conscriptum, priusquam Paulus primas suas epistolas ediderit? Et invenio Actor. 15. Apostolos & Seniores in primo & celeberrimo concilio Apostolico, re diligenter deliberata, & communibus suffragiis scripsisse epistolam ad Ecclesias ex gentibus collectas. Nec reperio ante illam Epistolam, aliquid ab Apostolis literis mandatum fuisse, si Andradii supputationem de Euangelistis sequamur. Hæc igitur erit prima origo, hoc primum principium Scripturæ divinitus inspiratæ, in novo Testamento, quod ita esse, Andradius juxta suam de Matthæo supputationem, negare non poterit. Sicut igitur Scripturæ sacræ in veteri Testamento, originem valdè illustrem invenimus, cùm scilicet Deus ipse primus, verba Decalogi suis digitis in tabulas exarauit, ita Andradius præbuit mihi occasionem suæ supputatione, ad investigandam magnificam & illustrem primam originem scripturæ in novo Testamento, quòd scilicet initium literis consignandi doctrinam Apostolicam factum fuerit, non ab uno aliquo ex Apostolis, privato quodam cõsilio, sed cùm Apostoli omnes, & etjam presbyteri Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in primo & celeberrimo concilio Apostolico congregati essent, communibus

Apostoli primi scribunt epistolam ex concilio.

Scripturæ novi Testam. à quibus & quando inchoata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nibus suffragiis, & rediligenter deliberata, conscripta & edita est Epistola, complectens sententiam Apostolorum, de qua tunc motæ erant controversiæ. Et hoc esse primum scriptum, ab Apostolis in novo Testamento editum, Andradius, si sibi constare voluerit, negare non poterit, ante concilium illud Apostolorum quicquam de Scriptura, divinitus inspirata, in novo Testamento conscriptum fuisse. Theophylacti enim supputationem non recipit, & meo quidem judicio, meritò, Nec arbitror ipsum apocrypham Epistolam, quæ sub Christi Servatoris nomine, ad Abgarum toparchen Edessenum apud Eusebium extat, in numerum Scripturæ Canonicæ collocare.

Erit igitur hæc, quam ostendimus, prima origo Scripturæ divinitus inspiratæ in novo Testamento, cujus hoc erit emblema: Visum est Spiritui sancto, & nobis, Et sicut primum traditione vivæ vocis, Lex exivit ex Zion, & verbum ex Ierusalem, ita etjam prima Scriptura novi Testamenti exivit ex Zion, & principium cœpit in Ierusalem, quod ipsum ad dignitatem & autoritatem Scripturæ, non parum facit.

Scripturæ novi Testam. occasio & causa.

Et hæc ipsa prima origo, si rectè consideretur ostendit id, de quo disputamus, propter quas scilicet causas, qua occasione, quo consilio, & in quē Ecclesiæ usum doctrina Apostolica literis cœperit consignari. Ipsa enim prima Apostolica epistola his verbis utitur: Quidam ex nobis exeuntes turbarunt vos sermonibus, docentes circuncisionem & observationem legis, quibus id non mandavimus, &c. Quia igitur sub prætextu, & titulo traditionum Apostolicarum sparsis adulterinis & suppositiciis dogmatibus, Ecclesię turbabātur, visum est Apostolis & presbyteris cum tota Ecclesia, veram de illa controversia Apostolorum sententiam scripto comprehendere. Et hæc fuit occasio primi Apostolici scripti. Finis verò & usus hic fuit, ut ex scripto Ecclesiæ certò constaret, de vera & genuina Apostolorum sententia, ne quis sicut antea factum fuerat, adulterinam & suppositiciam sententiam hoc titulo, quasi ab Apostolis traditam & acceptam, Ecclesiis obtrudere posset. Experientia igitur in ipsis primis Apostolicæ prædicationis annis ostendit, in tantis diaboli insidiis, mūdi malitia, & ingenii humani petulantia, puritatem doctrinæ Apostolicæ, per traditiones non fideliter conservari, sed sub prætextu traditionum Apostolicarum, doctrinam adulterari, cùm Apostoli ipsi, Ecclesia per varias terras sparsa, nō possent vbiq; viva voce præsentes esse. Et propter hanc causam, in prima Apostolorum Synodo, cœpta est scriptio doctrinæ Apostolicæ.

Scripturæ novi Testam. finis & usus.

Est & hoc in prima Apostolica epistola notandum, quòd scribunt se misisse Iudam & Silam, ut illa ipsa & eadem annunciarent, quæ ipsi Epistola sua complexi erant. Quare autem non jusserunt potius Ecclesias contentas esse traditione vivæ vocis, per Iudam & Silam sine scripto? nisi quòd propter periculum commentitiarum traditionum, rationem hanc certitudinis judicarunt Ecclesiæ utilem & necessariam esse, ut Iudas & Silas, qui ab Apostolis mandata acceperant ad Ecclesiam perferenda, ex scripto ostendere & probare possent, nō incerta, adulterina vel falsa, sed genuina & vera esse quæ afferrent & traderent. Et Lucas mox subjicit, ipsos multis verbis & longa oratione hoc fecisse, & tamen illa, quæ longè pluribus explicarunt, non fuerunt contraria, non diversa, imò non alia præter illa, quæ scripta fuerant, sed τὰ αὐτὰ, sicut Apostolorum epistola inquit: non quòd illas literas & syllabas tantùm ingeminarunt, sed sententia fuit vna & eadem pluribus quidem verbis, & prolixius à Iuda & Sila explicata. In summa autem & brevi compendio, quantum sufficiebat & necessarium erat, in Apostolorum scripto comprehensa.

Et hæc ipsa observatio de prima origine scripturæ in novo Testamento ostendit fontes explicationum, quando Pontificii objiciunt, Apostolos frequentius & pluribus docuisse, quàm quæ paucis illis Scripturę paginis potuerint omnia comprehendi.

Sed de reliquis etjam scriptis novi Testamenti inquirendum est, propter quas causas, quo consilio, & in quem usum conscripta & edita sint, hoc enim suprà diximus statum esse hujus disputationis. Et si ordinem temporis sequi liberet, prius de Epistolis quibusdam Pauli dicendum esset, sed ordinis gratia primum de Evangelistarum scriptis, postea de Apostolorum epistolis dicemus.

DE SCRIPTIS EVANGELISTARUM.

Illud igitur probandum est, Evangelistas propter hanc causam, hoc consilio, & in hunc usum, historias suas conscripsisse, ut literis ad posteritatem commendata extarent, quæ Apostoli de dictis & factis Domini, Ecclesiam ad posteritatem scire, necessarium judicarunt.

Matthæi Evangelium quo consilio & occasione scriptum.

Omnium autem consensu Matthæus, primus inter quatuor Evangelistas, historiam suam conscripsit. De occasione autem & consilio scribendi, Eusebius hoc annotavit lib. 3. cap. 24. Matthæus cùm primùm Ebræis prædicasset, & jam ad alios quoque transiturus erat, Evangelium suum patrio sermone literis tradidit, & quòd subtracta sua præsentia desiderare possent illi, à quibus discedebat, per literas adimplevit. Nicephorus libr. 2. capit. 45. hanc sententiam ita expressit: Discedens absentiam suam scripto præsenti compensavit.

Thomas citat hanc Hieronymi descriptionem: Matthæus in Iudæa Evangelium edidit, ob eorum maximè causam, qui Ierosolymis ex Iudæis crediderant. Cùm enim primùm prædicasset Evangelium viva voce, volens transire ad gentes, primus Evangelium conscripsit, quod fratribus à quibus ibat, in memoria dereliquit, sicut enim necesse fuit ad confirmationem fidei, Evangelium prædicari, sic & contra hæreticos scribi.

Chrysostomus homilia 1. in Matthæum ita inquit: Matthæus scripsit accedentibus, his qui ex Iudæis Christo crediderant, & rogantibus, ut quæ verbis docuisset, hæc eis in literis servanda dimitteret.

Autor

Autor operis imperfecti in Matthæum, quod sub Chrysostomi nomine extat, occasionem scribendi ita recitat. Cùm facta esset gravis persecutio in Palæstina, ut periclitarentur dispergi omnes, ne carentes doctoribus, doctrina etjam carerent, petierunt Matthæum, ut omnium verborum & operum Christi conscriberet eis historiam, ut ubicunque essent futuri, totius secum haberent fidei statum.

Thomas illam sentētiam ita recitat: Petierunt Matthæum, ut dispergendis, totius fidei, quam viva voce tradiderat summam, scripto complecteretur, &c. Et hæc narratio de persecutione, non malè congruit ad tempus scriptionis juxta Irenæum. Circa 20. enim ab ascensione Christi annum, Iudæam miserabiliter afflictam fuisse à magis & latronibus autor est Iosephus. Accesit captivitas Pauli, quæ videbatur omnibus Christianis periculum minari.

Causæ igitur propter quas Matthæus Evangelium suum conscripsit, hę sunt. I. Vt quòd propter discessum, præsens viva voce, docendo & confirmando præstare non poterat, id absens scripto, seu per literas præstaret. II. quia memoria fragilis & labilis est, ut quæ docuerat, ea literis servanda dimitteret. III. ut totius fidei statum, & summam scripto comprehensam haberent, qui viva Apostolorum voce uti non possent. IIII. propter hæreticos necesse fuit doctrinam Evangelii scribi, ne Ecclesia falsa, supposititia, & adulterina, sub nomine Evangelii obtruderentur. Et Irenæus scriptionem Matthæi, primum exemplum ponit ejus, quod dixerat: Apostoli quod præconiaverunt per Dei voluntatem, postea in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.

Lindanus levi pede hæc trāsit, fingens tantum μνημόσυνον fuisse, sicut de amicorum munusculis dicitur.

Esse sui dederat monumentum & pignus amoris.

Sed ea quæ manifesta sunt, non patiuntur se tam facilè eludi.

Evangelii secundum Matthæum usus.

Notandum est & hoc, quem ipsi Apostoli, & viri Apostolici judicaverint usum esse Evangelii à Matthæo conscripti.

Hieronymus scribit, Pantænum cùm à Demetrio Episcopo Alexandro missus esset in Indiam, reperisse Bartholomæum ibi prædicasse adventum Christi, juxta Matthæi Evangelium, quod etjam Hebraicè scriptum, inde secum attulerit Alexandriam.

Nicephorus libr. 4 capit. 32. historiam illam ita recitat: Apud quosdam fideles in India Matthæi Evangelium inventum esse Hebraico sermone, à Bartholomæo expositum, quod in multa tempora, formas literarum ejus, qui id primum scripsit, illæsas conservarit.

Idem etjam lib. 17. cap. 36. refert in Barnabæ tumulo Evangelium Matthæi repertum fuisse, ipsius Barnabæ manibus scriptum. Ipsi igitur & Apostoli, & viri Apostolici, reverenter de Evangelio Matthæi senserunt, & quis debeat ejus usus esse in Ecclesia, suo exemplo ostenderunt.

Marcum plerique omnes secundo loco, post Matthæum scripsisse consentiunt. Clemens verò Alexandrinus, Lucam præponit Marco: Irenæus etjam Marcum post mortem Petri & Pauli scripsisse refert. Sed de ordine & tempore non disputabimus. Illud verò utilius quæritur, qua occasione, & quo consilio scripserit, quæq; sit scripti ipsius autoritas.

Evangelii à Marco conscripti occasio.

Eusebius ex Clemente hanc historiam recitat libr. 1. cap. 15. quam Nicephorus repetit libr. 2. cap. 15. Cùm Evangelium in Occidente mvenisset, tantus pietatis splendor mentibus illorum, qui Petrum audierant, illuxit, ut non possent contenti esse, non scripta divinæ prædicationis doctrina, aut in iis, quæ sine scripto, de divino verbo didicissent permanere: sed Marcum magna animorū contentione obtestati sunt, ut commentarios ejus doctrinæ, quam verbo sine scripto traditam accepissent, literis comprehensam ipsis relinqueret. Ajunt autem, Apostolum Petrum, cùm ex instinctu Spiritus sancti hoc cognovisset, delectatū esse virorum illorum voluntate, & scriptum hoc judicio suo comprobasse & confirmasse, utq; in Ecclesiis legeretur, constituisse.

Nicephorus.

Nicephorus lib. 2. cap. 45. dicit, Petrum dictasse Marco Evangelium, atq; ut id in Ecclesiis deinceps legeretur, sanxisse.

Eusebius.

Eusebius libr. 3. cap. 39. & Nicephorus lib. 3. cap. 20. ex Papia referunt, Marcum ordinis quidem negligentiorem fuisse, hoc verò unicum sibi in scribendo proposuisse, ne quid eorum quæ audierat omitteret, aut qua in re, quod falsum esset traderet.

Irenæus.

Irenæus libr. 3. capit. 1. Marcus discipulus & interpres Petri, ea quæ annunciata erant, nobis tradidit:

Ruffinus de Evangelio Marci.

Pighius delectatur Ruffini verbis, qui Evangelium Marci, vocat religiosum furtum, ut scilicet eò facilius Scripturę autoritatem posit extenuare. Sed quo consilio in literas relatum sit Marci Euangelium, & quam ejus authoritatem Petrus in Ecclesiis esse voluerit, ex illis quæ annotata sunt, lector intelligit. Et videbit, quàm frivola & peregrina Pontificii ad hæc clarissima testimonia respondeant.

Lucæ Evangelium.

De Luca, quo is consilio historiam suam conscripserit, non opus est aliorum testimonia conquirere. Ipse enm in proœmio disertè explicat, qua occasione, & propter quam causam scriptionem suam instituerit: quia scilicet multi tentabant, nec satis diligenter, nec certò, nec fideliter contexêre narrationem, de iis, quę Iesus cœpit facere & docere. Potest autem ἀνατάξασθαι, & ad traditiones & ad scriptiones referri: utroq; enim modo, tunc fuit adulterata & depravata doctrina Euangelii. Et ex anthitesi observetur, vnde potissimum factum fuerit. Lucas enim ea, quæ scribit, vocat πεπληροφορημένα, certissimè fidei, quæ diligenter & certò assecutus sit. Inde ergo corruptelæ oriri cœperunt tempore Apostolorum, quòd vel falsa, vel suppositicia, vel non satis comperta, pro certis & veris tradebantur vel voce, vel scripto, ab illis, qui πληροφορίαν doctrinæ Evangelicæ non satis certò assecuti fuerant.

Euangelii secundum Lucam scripti occasio.

Quale verò remedium huic periculo adulterationis doctrinæ, tempore Apostolorum oppositum fuit? Num existimarunt, traditionibus vivæ vocis, animis credentium receptis, & cordibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus inscriptis, posse certò & tutò ad posteritatem, contra corruptelarum discrimina, puritatem doctrinæ conservari?

Certè Theophilus erat κατηχημένος, hoc est, doctrinam Evangelii viva voce, ex veris Apostolorum traditionibus acceperat, sed propter ejus doctrinæ ἀσφάλειαν, Lucas dicit, se Evangelium suum conscripsisse. Pulcherrimè autem hoc vocabulo describit, certam & firmam custodiam & conservationem puritatis doctrinæ, contra quævis pericula & insidias corruptelarum.

Verbum enim ἀσφαλίζειν, ita usurpatur, quando accurata custodia aliquid ita asseruatur, ut caveatur, ne vel elabatur, vel amittatur, Ita Acto. 16. custodia captivorum, hoc vocabulo describitur. Et Matthæ. 27. Iudæi petunt sepulchrum Christi ἀσφαλίζεσθαι. Vsurpatur etjam vocabulũ illud, quando contra ingruentem vim aliquid ita munitur & firmatur, ut tutum & illæsum retineri & conservari possit, ut cùm oppida munitionibus & præsidiis firmantur: cùm caput galea munitur: cùm fores pessulo firmantur: qualia exempla multa extant apud autores.

Propter talem igitur puritatis doctrinæ ἀσφάλειαν, contra corruptelarum incursiones, dicit se Lucas Evangelium suum conscripsisse. Et eodem vocabulo Paulus etjam de suis scriptis utitur, Philip. 3. sicut postea annotabimus.

Theophylactus duobus modis vocabulum illud explicat. I. Prius te sine scriptis institui, nunc scriptum tibi trado Euangelium, atque ita mentem tuam munio, ut ne obliviscatur eorum, quæ sine scriptis tradita sunt. I I. Solemus sæpe, quando quis nobis sine scripto loquitur, suspicari nequid fortè mẽdacii admixtum sit: quando autem etjam scribit quæ loquitur, tunc credimus quòd non scripsisset, nisi vera se dicere confideret. Ita Lucas inquit: Scripsi tibi Evangelium, ut ea de quibus sine scripto eruditus es, in majori securitate conserves, maioremq; mihi fidem habeas, qui adeò de his, qui sine scripto docui, confidam, ut etjam scripturis prodere non formidarim. Hæc Theophylactus.

Certum igitur & manifestum est, qua occasione, propter quam causam, quo consilio, & in quẽ finem Lucas Evangelium suum conscripserit. Eusebius libr. 3. cap. 24. de Luca inquit: Necessariò nos à dubia aliorum opinione liberans, dum certam ipse narrationem per Evangelium suum tradit. Quid verò Lectori expectandum sit ex illo scripto, ipse etjam explicat. Dicit enim, se ea descripsisse, quæ de dictis & gestis Salvatoris inter Christianos tunc fuerint πεπληροφορημένα, hoc est nota, certa & indubitata: & de quibus soliti fuerant catechisari. Et illa ita se descripsisse ait, sicut Ecclesiæ trãdiderunt ii, qui ab initio fuerant spectatores & ministri doctrinæ Evangelicæ. Apostolos igitur viva voce, sine scripto, primum doctrinam Christi tradidisse, nullum est dubium. Num autem traditiones illæ Apostolorum manserunt, & relictæ sunt sine scripto? Certè Lucas affirmat, se ea, & quidem eodem modo scripto complexum esse, sicut Apostoli doctrinam de factis & dictis Christi, Ecclesiæ tradiderunt. Et quare traditiones illas in literis retulerit, suprà ostensum est. Irenæus libr. 3. cap. 14. pulchrè hac in re confert præceptorem Paulum, & discipulum Lucam. Paulus Miletum evocatis presbyteris Ephesinæ Ecclesiæ dicit: Non subtraxi vobis, ut non annunciarem omnem sententiam Dei. Lucas verò sine invidia quæ didicerat, tradidit, inquiens: Sicut tradiderunt nobis, &c. Hæc Irenæus.

Lucæ quæ & qualia scripserit.

Ambrosius illud expendit, quòd cùm Lucas affirmet, se assecutum omnia, non tamen omnia, sed de omnibus se scripsisse dicit, Acto. 1. *Ambrosius.*

Chrysostom. quærit, quomodo Lucas affirmat se de omnibus scripsisse, quæ Iesus cœpit facere & docere, cùm Ioannes dicat, hoc esse impossibile. Respondet autem: Non dixit omnia, sed de omnibus, perinde ac si quis dicat summatim & in genere. Aut de omnibus loquitur, quæ necessaria sunt. *Chrysostom.*

Hæc pro autoritate Scripturæ, contra prætextum traditionum non scriptarum, sicut illæ nostro tempore à Pontificiis jactantur, profectò manifestissima sunt.

Restat ut de quarto, hoc est, de Iohanne dicamus. Observatio enim historiæ de ipsius scriptione, multa ad hanc disputationem pertinentia monebit. Cùm jam edita essent, & in Ecclesia extarent trium Evangelistarum scripta: Apostoli viventes adhuc, docebant de gestis CHRISTI, & ea quæ à tribus Evangelistis conscripta extabant, & quæ præterea facta & dicta esse, memoria tenebant, ut rectè tunc ab Apostolis, de gestis Christi usurpari potuerit illa Pauli vox 2. Thessa. 2. Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem nostrum, sive per trium Evangelistarum scripta. *Ioannis Evangelium.*

Vide autem quid factum fuerit. Cùm reliqui Apostoli morte essent sublati, & Ioannes in Pathmon esset relegatus: Ebion & Cherinthus, motis certaminibus de Christi divinitate, de regno ejus terreno, de Leviticis observationibus, &c. Ecclesias miserè perturbarunt. Sed audi quæso, qua ratione, qua specie, & quo prætextu hoc fecerint. Eusebius libr. 3. capit. 28. citat ex Caio, Cherinthum prætextu revelationum, velut à magno Apostolo acceptarum, portentosa sua dogmata voluisse Ecclesiam invehere. Et addit ipsum fuisse inimicum Scripturis Dei. Quia igitur in recenti adhuc Ecclesiæ memoria erat, Apostolos de gestis & concionibus Salvatoris tradidisse alia quædam, præter illa, quæ in trium Evangelistarum historiis conscripta extabant: Cherintus & reliqui hoc prætextu abusi sunt, & adulterina sua dogmata, quæ ex Apostolicis scriptis, quæ tunc extabant, probare non poterant, proponebant hac specie, quòd Apostoli viva voce talia docuissent: & ad illas commentitias traditiones contendebant inflectenda esse ea, quæ scripta erant. Ad hæc certamina respicit Iohannes Apocalip. 2. cùm inquit: Examinasti eos, qui gloriantur se esse Apostolos, & non sunt. Item Iesabel, quæ dicit se esse prophetissam, &c. Iactarunt igitur & revelationes & traditiones, quibus Apostolicam authoritatem tribui voluerint. Et sicut Ioannes inquit in epistola ad Thyatherenses, illa sua dogmata vocarunt τὰ βάθη, hoc est, non vulgaria illa Apo-

Apostolorum dogmata, quæ omnib. in Ecclesia, ex scriptis etjam nota erant, sed profunda, recondita & abstrusa mysteria, quæ Apostoli non cuivis ex vulgo, sed privatim suis familiaribus viva voce, ut mysteria silentio veneranda, per manus tradiderant. Ioannes verò vocat profunda non Apostolorum, sed Satanæ.

Et illud certamen hac specie motũ, valdè turbavit Ecclesias. Negare enim non poterant, quia recens adhuc erat memoria, Apostolis de gestis Christi, plura viva voce tradidisse, quàm quę scriptis trium Evangelistarum comprehensa erant. Et quia reliqui Apostoli jam morte sublati erant, Ioanni DEVS longiorem vitam, post reliquorum Apostolorum mortem, sine dubio ideò concessit, ut Apostolica vigilantia Ecclesiæ ad omnem posteritatẽ prospiceretur, ne vel supposititicæ traditiones, vel adulterina scripta, pro vera & genuina Apostolorum doctrina, Ecclesiis obtruderentur.

Cùm igitur Ioannes ab exilio ex Pathmo, in Asiam reversus esset, controversiæ illæ à Cherintho & aliis interea motæ, ad ipsum, tanquam ad postremum ex Apostolis vigilem & inspectorem examinandæ & djudicandæ delatæ sunt, non tantum ab Episcopis Asiæ, verumetjam multorum fidelium, & totius Ecclesiæ legationibus, sicut Hieronymus inquit. Ibi Ioannes, sicut Eusebius scribit lib. 3. cap. 24. trium Evangelistarum scripta probavit, & veritatis illis dedit testimonium. Quia verò hæc quæstio magnis tunc tumultibus agitabatur: An omnia, quæ Dominus fecisset & docuisset, quæq; Apostoli de ipsius gestis tradidissent, cõprehensa essent in scriptis trium Evangelistarum, an verò plura essent tradita, quàm scripta? Ne igitur Ecclesia ad posteritatem, quovis vento & prætextu traditionum circumferretur, sed certa esset de doctrina ab Apostolis de gestis Christi tradita: Ioannes data sibi hac occasione, ea quæ præter trium Evangelistarum narrationes & facta sciebat, & tradita noverat, quæq; Spiritus sanctus Ecclesiæ ad omnẽ posteritatem necessaria & sufficiẽtia judicabat, conscripta sua Evangelica historia adjecit, & Ecclesiæ exposuit. Et quia Ebion solùm Matthæi Evangelium recipiebat, cui peculiares interpretationes, quasi ex traditione acceptas affingebat, Iohannes concionibus Christi accuratius quàm reliqui fecerant descriptis, inde veram interpretationem sumendam esse monstravit.

Hæc vera observatio, de occasione & causa scriptionis Ioannis, valde multa monet. Num verò postquam Ioannes etjam scripsit, singula quæ Iesus fecit & dixit, scriptis comprehẽsa sunt? Nequaquam. Ipse Ioannes enim ita concludit: Sunt & alia multa quæ Iesus fecit, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scriberentur, libros. Non ergo omnia de doctrina Christi, quæ necessaria sunt, & quæ sufficiant in Evangelistarum scriptis habebimus, sed præter ea, alia etjam ex traditionibus, ad fidem & salutem necessaria erunt? Hoc quidem Pontificii pugnant. Sed audi, quid Ioannes dicat: Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.

Lindanus ut hæc verba eludat, dicit Ioannem de uno illo articulo, de divinitate scilicet Christi, in sua scriptione egisse. Sed certum & manifestum est, de doctrina & miraculis Christi, ea quæ in reliquorum Evangelistarum descriptionibus deerant, ipsum adjicere voluisse. Summam verò & finem totius doctrinæ Christi, ponit verã fidem, salutem & vitam æternam. Et illa quæ de Christi doctrina, & veram fidem & salutem necessaria sunt & sufficiunt, Ioannes affirmat scripta esse. Res igitur manifesta est, licet nec omnia, nec singula, illa tamen tot & tanta, de doctrina & miraculis Christi conscripta esse, quæ ad veram fidem, & ad vitam æternam necessaria sunt, & sufficiunt. Non enim de sua tantùm scriptione, sed de reliquorum etjam Evangelistarũ scriptis, Ioannes hæc loquitur, sicut veteres omnes interpretantur. Qui ergo præter illa adhuc alia de doctrina Christi quærunt, manifestum est quòd nec fidem, nec salutem, sed perfidiam & perditionem quærant. Hæc enim scripta sunt ut credatis, & credentes vitam habeatis, inquit Ioannes. Quare verò Spiritus sanctus non voluerit singula conscribi, rationem reddit Ioannes: non ut ex scrinio pectoris Pontificis Romani, titulo & prætextu traditionum, quidvis in Ecclesiam eructaretur, sed quia mundus, inquit, non caperet. Et Augustinus rectè dicit, intelligendum hoc esse non de mole librorum, nec de locali capacitate, sed quòd Spiritus sanctus nostri habuerit rationem, & ea selegerit conscribenda, quæ in hac infirmitate credentes capere possent. Grata igitur mente, & reverenter debemus illud Spiritus beneficium amplecti & osculari, quòd ad nostram se demiserit infirmitatem, & noluerit illam nimium onerare, sed de doctrina & miraculis Christi ea selegit & dictavit conscribenda, quæ ad veram fidem, & vitam æternam sufficere & necessaria esse iudicavit. *Lindanus.*

Hic verò Andradius exclamat: Ergone reliqua quæ Christus fecit & dixit, quæ scripta non sunt, fuerunt ociosa & inutilia ad fidem & ad mores? Inanemné igitur laborem, & ociosam operam, exceptis iis quæ scripta sunt, in cæteris omnibus Christus posuit, quæ nihil erant futuris seculis profutura? Sed nos simpliciter respondemus verbis Ioannis, si singula scriberentur, mundus non caperet omnes libros. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, & per fidem vitam habeatis. Nec propterea ociosa & inutilia fuerunt reliqua, quando easdem conciones, & similia miracula sæpius repetivit, confirmanda enim erat illa doctrina, cujus summa cùm confirmata esset, postea per DEI voluntatem conscripta est.

Ita objicit etjam hoc Andradius: Christus post resurrectionẽ per 40. dies, de regno Dei permulta locutus est, quæ à nemine Evangelistarum scripta extant, & tamen non fuisse tam parvi momenti, existimandum est, ut ociosa judicari potuerint. Sed respondemus id, quod Augustinus de illa Christi sententia Ioan. 16. Multa habeo dicere, &c. cùm Evangelistæ tacuerint, quis nostrum dicat ista vel illa fuisse, aut si dicere audeat, unde probabit? quis tam vanus aut temerarius, qui etjamsi vera dicat, sine ullo divino testimonio affirmet ea esse, quæ Spiritus sanctus per Evangelistas

Universidad de Deusto
Biblioteca

gelistas scribere noluit. Quis hoc nostrum facit, & non maximam culpam temeritatis incurrat, in quo nec Prophetica, nec Apostolica excellit autoritas. Sed tamen quæ illa fuerint, quæ de regno Dei Christus locutus est Apostolis, cùm mentem ipsis aperiret, ex Apostolorum scriptis certò colligere possumus.

Operæprecium autem est observare, memorabile artificium Andradii, quod sine dubio in Concilio Tridentino didicit. Contra Iesuitas allegaveram Augustini & Cyrilli sententias, ex doctrina & miraculis Christi, electa esse ea, quæ conscriberentur, quæ saluti fidelium tam ad mores, quàm ad dogmata à Spiritu sancto, judicata sunt sufficere. Quid verò existimas bone Lector, contra hæc tam clara testimonio, quæ radio solis (sicut Tertullianus loquitur) scripta videri possent, Andradium contra Scripturæ sufficientiam, pro traditionibus proferre posse? Dicam tibi, primum strenuè maledicit, nos ganeonum more, mutilis & decurtatis sanctorum testimoniis agere, ut imperitam multitudinem circumveniamus. Nos verò Dei beneficio, & possumus & solemus, ipsorum authorum loca inspicere, nec ex solis commentariis sapere. Sed audiamus sanè, quo artificio Andradius aliam sententiam ex illis dictis Augustini & Cyrilli exculpere possit. Torvo autè supercilio, quasi ex Tridentinis subselliis dictitat. Quando Augustinus inquit: Electa sunt quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere visa sunt, nequaquam hanc esse sententiam, omnia fidei nostræ sacramenta Evangelistas parvo volumine complexos, sed ea tantùm literis consignasse, quæ ad constituendam fidem aliarum rerum omnium, quæ literis comprehensæ sunt, sufficere non poterant. Audax profectò est interpretatio. Sed quid? suntne hæc Augustini verba? Non sunt, sed Andradii. Atqui receperat, se ex Augustini verbis, hanc nobis sententiam monstrare velle. Audi verò, quomodo hoc præstet. Augustinus dicit miraculum resuscitati Lazari fidem facere, 1. Christum esse illum Deum, qui omnia, quæ universitatis ambitu continentur, creavit. 2. quod in fine seculi, omnes mortuos resuscitaturus, ut credamus in eum, & ad illam resurrectionem præparemur, quæ erit ad vitam, non ad iudicium. 3. dicit resuscitatione Lazari, figurari resurrectionem animarum, quæ magna Dei gratia, per fidem fit, ne moriantur in æternum, &c. Et hinc Andradius vult probare, Augustinum loqui de fide illarum rerum, quæ sacris literis comprehensæ non sunt. Atqui ego hactenus, pro mea simplicitate credidi, articulos istos, de quibus Augustinus loquitur, expresè in sacris literis contineri. Et jam animum subjbat admiratio, quomodo homo sanus, nisi per febrem forsan somniare posset, ex illis Augustini verbis extrui posse id, quod Andradius dictitat, sed non memineram, Andradium Tridenti in Concilio hoc scripsisse, ubi jus & plenaria autoritas est talium interpretationum, nec cuiquam liberum est dicere: Quid facis? Oportet profectò magnam esse vel insolentiam, vel impudentiam Andradii, qui existimat, se talia posse Germaniæ sua grandiloquentia persvadere. Ejusdem farinæ etjam est altera interpretatio. Cyrillus dicit: Non omnia quæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes tàm ad mores, quàm ad dogmata putarunt sufficere. Andradius verò tradit talem interpretationem, Cyrillum his verbis non asserere, fidei omnia Sacramenta sacris esse literis explicata, sed tantum ea, quæ ad credendum, omnia divina mysteria (quæ scilicet in Scriptura comprehensa non sunt) sufficere possunt. Nihil addam, manifestum enim est, quàm petulans & superba sit hæc Andradii non explicatio, sed ludificatio, si ad verba Cyrilli conferatur. Et quale putas Concilium fuisse, in quo tales interpretationes regnarunt? Exempli sanè gratia, utile est talia Pontificiorum artificia extare. Et quidem ipse Andradius suæ ludificationi non satis fidit, ideò alia quærit effugia. Affirmat Cyrillum de solo Evangelio Ioannis hoc dixisse. Sed Cyrilli verba sunt, quæ scribentes putarunt sufficere: Num is solus Ioannes est? O os impudens. Postremò concludit, ut maximè sit Augustini & Cyrilli sententia, conscripta esse, quæ ad mores, fidem, & ad salutem sufficiunt, communem tamen consensum, quo contrarium statuitur, esse præferendum.

Cyrillus.

Concil. Trid.

Repeto igitur illas Augustini & Cyrilli sententias, quas nunc magis amo, cùm videam illos tam firma perspicuitate, authoritatem & sufficientiam Scripturæ, de doctrina Christi asserere, ut cùm Andradius omnibus acerbitatis & grandiloquentiæ nervis, toto denique Tridentino artificio illas variis modis incantare, & transformare conatus sit, nihil tamen inde, præter extremæ impudentiæ notam retulerit. Sunt autem hæ sententiæ, de tota historia Evangelica, quatuor Evangelistarum. Augustinus tractatu in Ioannem 49. cùm multa fecisset Dominus Iesus, non omnia scripta sunt, electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere visa sunt. Cyrillus libr. 12. in Ioann. Non igitur omnia quæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quàm ad dogmata putarunt sufficere, ut recta fide & operibus, ac virtute rutilantes, ad regnum cœlorum perveniamus per Iesum Christum.

Augustinus.

Cyrillus.

Addam adhuc unam sententiam Augustini, de conser. Evangelist. libr. 1. cap. 35. vbi refutat illos, qui discipulos Christi, Evangelium conscribentes, ideò contemnendos putant, quia ipsius Christi nulla scripta proferantur à nobis. Christus (inquit) omnibus discipulis suis, per hominem quem assumpsit, tanquam membris sui corporis, caput est. Itaque cùm illi scripserunt quæ ille ostendit, nequaquam dicendum est, quòd ipse non scripserit, quandoquidem membra id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quicquid enim ille de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam suis manibus imperavit. Hæc Augustinus. Agnoscis autem candide Lector, quis intelligendus sit author & censor, quando in præcedentibus sententiis dicitur: Quæ visa sunt sufficere, quæ scribentes putarunt sufficere. Sed in postrema hac sententia, Andradius statim inveniet rimam qua elabatur, Augustinus enim dicit, quæ de suis factis & dictis Christus nos legere voluit, ea Evangelistis describenda mandavit. Andradius verò dicit:

Augustinus.

Papistarum de scriptura & traditionibus sententia.

dicit. Non omnia voluit nos legere in Evangelistarum scriptis, sed maximam partem de suis dictis & factis, tanquam præcipui precii thesaurū, ex traditionib. non scriptis, sed per manus traditis nos audire voluit. Sed lector videt, Augu. hoc nec velle, nec dicere. Et quæ hoc titulo nunc à Pontific. jactantur, ea certè legimus in Pighio, Perezio, Lindano, Osio, in Pontificali, in Rationali divinorum, in Tomis conciliorum, &c. Augst. verò dicit: Quicquid de suis dictis & factis Christus non legere voluit, illud scribendum Evangelistis, tanquam suis manib. imperavit. Christus igitur non voluit, ut apud alios scriptores, de suis factis & dictis aliquid, quod in illis, quæ apud quatuor Evangelistas descripta extant, non continetur, legamus. Quicquid ergo præter hæc ab aliis de Christi dictis & factis scriptum est, illud certum est, Christum nō imperasse scribendum, nec voluisse, ut illud legamus. Quicquid enim de suis dictis & factis Christus nos legere voluit, illud scribendum Evangelistis, tanquam suis manib. imperavit. Quando igitur Pontificii fabulantur, Christum instituisse cōfectionem Chrismatis, Sacramentum confirmationis, extremæ unctionis, auricularis confessionis, satisfactionis, indulgētias, purgatorium, Missam, invocationē Sanctorum, adorationē imaginum, utrumq; gladium Pontificis, & scrinium in pectore ejus, & similia, quæ sub hoc titulo in Pontificiorū scriptis legimus, opponimus hanc Augustini sentētiam. Quicquid de suis factis & dictis Christus nos legere voluit, illud scribendum Evangelistis, tanquam suis manibus imperavit. Quid ergo de illis quæ apud Evangelistas non legimus, & tamē hoc titulo venditantur, quòd sint facta & dicta Christi, judicandum sit, manifestum est. Loquimur autem non de literis & syllabis, sed de sententia, sicut ejus dicti quod Paulus recitat, Acto. 20. Beatius est dare, quàm accipere, &c. sententia extat in multis concionibus Christi. Irenæus autor est, quatuor illa conscripta Evangelia fuisse in primitiva Ecclesia normā, amussim & regulam, ad quam exigebantur, à quocunq; aliquid, quasi de factis & dictis Christi proponebatur: & quod illis consentaneum inveniebatur, recipiebatur, quod verò vel dissentiebat vel repugnabat, liberè repudiabatur.

Irenæus de scriptis Evangelistarum.

Ita autem inquit Irenæus libro tertio, cap. 1. Nec plura numero, nec rursus pauciora capit esse Evangelia quàm quatuor illa. Quoniam enim quatuor sunt regiones mundi, & disseminata est Ecclesia super omnem terram, columna autem & firmamentum Ecclesiæ est Evangelium & spiritus vitæ, consequens est, quatuor habere eam columnas undiq; flantes incorruptibilitatem, & justificantes homines. Et postea subdit. Hi verò qui sunt à Valentino suas conscriptiones proferentes plura habere gloriantur, quàm sint ipsa (scilicet conscripta) Evangelia, siquidem in tantum processerunt audaciæ, ut quod ab his non olim conscriptum est, veritatis titulent Evangelium, in nihilo conveniens Apostolorum Evangeliis. Si enim quod ab eis profertur, veritatis est Evangelium. Dissimile autem est hoc illis, quę ab Apostolis nobis tradita sunt, qui volunt, possunt dicere, quemadmodum ex ipsis Scripturis ostenditur, jam non esse, id quod ab Apóstolis traditum est veritatis Evangelium.

Thomas etjam in Marcum inquit: Oportuit Evangelium non solùm prædicari propter præsentes, sed etjam scribi propter futuros. Et hactenus quantum satis est, ostendimus, quibus de causis, quo consilio, quo proposito & instituto, Evangelistæ historiam de dictis & factis Christi, literis consignarint, quem voluerint illorū scriptorum usum esse in Ecclesia, quo loco primitiva Ecclesia scripta illa habuerit, quid, & quatum illis tribuerit. Et ex illis, quæ annotavimus, ea, quæ à Pontificiis de traditionibus non scriptis, contra autoritatem, perfectionem & sufficientiam Scripturæ disputantur, rectissimè dijudicari possunt. Iucunda enim est illa observatio, quæ fuerit summa fidei de dictis & factis Christi in Ecclesia Ierosolymitana, ex qua verbū exivit in omnem terrā, in Matthæi Evangelio literis, consignatum est. Et quæ sit doctrina, quam de dictis & factis Christi, Petrus viva voce, Romanæ Ecclesiæ, cujus fides in universo mundo, vivētibus Apostolis celebrabatur, tradiderit, scripto Marci memoriæ mandatum est, hęc enim sunt antiquitatis verba. Lucas verò ipse affirmat, se ea conscripsisse, quæ Apostoli de dictis & factis Christi, in Ecclesia Antiochena (ejus enim civis Lucas fuit) quæ prima Christianis hoc nomen dedit, tradiderunt, & quæ Ecclesiæ illæ gētium, quas cum Paulo perlustravit, certa & indubitata tunc fide tenebant & profitebantur. Quid verò Ioannes in Ephesina Ecclesia de dictis & factis Christi tradiderit, ipse etjam scripto complexus est. Et hæ Ecclesiæ, extra omnem controversiam, tunc fuerunt præcipuæ, Ierosolymitana, Antiochena, Ephesina & Romana. Addatur si libet & Alexandrina, ad quam Marcus cum Evangelio suo, postquam illud conscripsisset, profectus esse scribitur. Si ergo pio studio quærimus, quæ sint veræ & indubitatæ Apostolorum traditiones, de doctrina Christi, quæ fuerit πληροφορία, hoc est, certa & indubitata fides illarū Ecclesiarum, quas Tertullianus matrices vocat, res ex illis quæ hactenus diximus, manifestissima est.

Antiochia.

Alexandria.

DE SCRIPTIS ET EPISTOLIS *Apostolorum.*

Quando propriè loqui volumus, inter doctrinam Christi, & doctrinā Apostolorum, nulla est differentia. Ita enim Apostolis Christus dat potestatem annunciandi Evangelium, Matth. 28. ut disertè addat: Docentes ipsos servare quæcunq; præcepi vobis. Ioan. 16. Spiritus sanctus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixi vobis. 2. Cor. 13. An experimentū quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? 2. Corint. 5. Pro Christo legatione fungimur, &c. Hoc verò loco, ordinis & distributionis gratia, doctrinam Christi intelligimus, juxta Lucæ explicationem, Act. 1. quæ Iesus cœpit facere & docere, usque ad diem cùm assumptus est. Et hanc doctrinā de dictis & factis Christi, quantum nobis S. sanctus necessarium esse & sufficere judicavit, Evangelistarum scriptis comprehensam esse demonstravimus. Apostolorum verò doctrinam intelligimus, quam post ascensionem Christi, ipsi per totū terrarum

Doctrina Christi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Doctrina Apostolorum, quæ & qualis fuerit.

orbem, tam inter gentes quàm inter Iudæos tradiderunt & propagarunt. De illa jam nobis dicendum est. Constat enim, Apostolos primis aliquot annis, Apostolicam doctrinam ex Scripturis quidem veteris Testamenti probasse & confirmasse, sed sine suo aliquo scripto, sola viva voce tradidisse & propagasse. Postea verò de doctrina sua cœperunt quædam conscribere quo consilio, quibus de causis, quo proposito & instituto hoc fecerint, quem hujus suæ scripturæ usum in Ecclesia esse voluerint, eodem modo inquiremus, sicut de Evangelistis fecimus. Illa enim (etjam adversariorum confessione) est vera, tota & perfecta doctrina Evangelii (quantum quidem pro modulo hujus vitæ) quam Christus Dei filius proprio ore primùm promulgavit, deinde per suos Apostolos omni creaturæ prædicari jussit. Si igitur, sicut jam de Christi doctrina probavimus, de Apostolorum etjam doctrina ostenderimus literis consignatum, & scriptis comprehensum esse, quantum Spiritus sanctus nobis ad dogmata, & ad mores necessarium esse & sufficere judicavit, manifestum erit, sacrâ scripturam esse Canonem, normam, regulam, fundamentum & columnâ totius nostræ fidei, ita quod ex Scriptura probandum & confirmandum erit, quicquid hoc titulo & nomine, quod sit Christi & Apostolorum doctrina, suscipi debet, quod ad hanc normam, omnia in controversiis religionis ita exigenda & examinanda erunt, ut valeat Hieronymi illud dictum, quicquid de Scripturis sacris autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur qua probatur. Et hoc est caput controversiæ, inter nos & Pontificios. Ad hanc verò considerationem omnino pertinet & necessarium est, ut constet & monstrari possit, quæ fuerint prima principia, qui secuti progressus Apostolicæ prædicationis, quomodo primũ Ecclesias fundarint, cum inter Iudæos tum inter Gentes, quomodo postea aliquantulum progressus in fide confirmarint, qui fuerint ritus, quæ exercitia, & quæ quasi πολιτεῖαι fuerit in prima Apostolica Ecclesia. Et certum quidem est, Apostolos non statim primis annis suæ prædicationis scripsisse. Ne tamen opus esset, vel diu conjecturis divinare, vel ex rumusculis traditionum, quæ sine capite sparguntur, petere quis fuerit primus, & verè antiquissimus Apostolicæ Ecclesiæ status, voluit Spiritus sanctus certũ authenticum & canonicum de his tam necessariis & utilibus rebus, scriptum ad omnem posteritatem extare in Ecclesia, cùm non ignoraret, fore, ut hoc titulo multa incerta, vana, suppositicia & falsa obtruderentur Ecclesiæ. Lucas enim cùm scriptione Evangelicæ historiæ fidem & autoritatem in Ecclesia sibi comparasset, contexuit etjam historiam de actis Apostolorum, exorsus à primis initiis Apostolicæ prædicationis. Et hæc historia abundè suppeditat, quæ de his rebus necesse est, & sufficit scire.

Acta Apostolorum quo consilio scripta, & quid contineant.

Lindanus tragicis vocibus tumultuatur, in omnibus Apostolorum scriptis non extare literis consignatum, quomodo nondum Christianos ad fidem adduxerint, & quæ fidei capita suis catechumenis soliti fuerint proponere, quia (inquit) Epistolas suas Apostoli scripserunt, non ad rudes fidei, & ad catechumenos, sed ad illas, quas jam antea in rudimentis fidei instituerant. Et inde infert, Apostolos non omnia Evangelicæ fidei dogmata, in Scripturas contulisse & conclusisse. Sed non animadvertit Lindanus, aut potius videre noluit, in actis Apostolorum à Luca, non tantùm descriptam esse historicã narrationem, quòd multi, qui prius non erant Christiani, tam ex Iudæis quàm ex Gentibus, ad fidem Evangelicam cõversi & facti fuerint Christiani, verum etjam extare ibi integras descriptiones, quæ capita doctrinæ, & quomodo Apostoli proposuerint illis, quos ad fidem Evangelicam primùm adducebant, non tantùm ex Iudæis, quibus doctrina Prophetica antea nota erat, verum etjam ex Gentibus, qui planè rudes erant doctrinæ divinitus patefactæ.

Catechisandi ratio in actis descripta

Et Heb. 6. capita Apostolicæ catecheseos, quæ vocantur sermones inchoationis, ita recensentur: Doctrina pœnitentiæ ab operibus mortuis, fidei in Deum, baptismi, impositionis manuum, resurrectionis mortuorum, & judicii æterni. Quis verò ita insaniat, ut fingere ausit, hæc capita vel non tradita, vel non explicata extare in actis & in scriptis Apostolorum, cùm hoc manifestissimum sit?

Catechesis apostolica capita.

Irenæus lib. 4. ca. 40. dicit apud illos, qui à Mose & Prophetis, de peccato & de promissione adventus Messiæ præcatechisati erant, brevem & facilem fuisse Apostolorum catechisationem, sicut Acto. 8. Philippus paucis catechisationem absolvit, & ab Eunucho rursus discedit: Paulo verò Apostolo apud Gentes laboriosiorem fuisse catechisationem, oportebat enim illos instrui, Non mœchari, non furari, &c. & quæcunque odio habentur à Deo. Itẽ quòd sit unus Deus, qui filium miserit, &c. Hæc Irenæus. Vtrumque autem certè habemus in scriptis Apostolorum, & quid Iudæis & quid Gentibus propofuerint, quando eos ad fidem Christi adducebant. Et Lucas cap. 1. dicit, se scribere certitudinem illorum, de quibus Theophilus antea catechisatus fuerat. De catechesi igitur Apostolorum, nihil desideratur in ipsorum scriptis. Sed inquit Lindanus: Certè nec in actis, nec in Epistolis Apostolorum scriptum est de omnibus illis ritibus, quos nos Pontificii circa Baptismum servamus, nec de Sacramento confirmationis per Chrisma, &c. Respõdeo. Hoc & nos dicimus, in Pontificiorum doctrina multa esse, quæ nulla habeant in Scriptura testimonia, & ideo contendimus, illa immeritò tribui Apostolis, quorum nulla extant vestigia vel in actis, vel in scriptis Apostolorum. Sed excipiunt, non omnia singulorum Apostolorum acta, à Luca esse literis consignata. Pauca enim tantùm de Petro narrat: Plura quidem de Pauli gestis scribit, ut cujus itineris comes & ministerii socius fuit, sed tamen nec omnia Pauli acta recenset, sicut ex 11. capite secundæ ad Corinthios, Roman. decimoquinto, Galat. primo & secundo, & ex aliis locis colligitur, de reliquorum & Apostolorum actis, fermè nihil annotavit. Omnino igitur plura & dixerunt & fecerũt Apostoli, quàm quæ Lucas angusto illo libello de actis Apostolorum complexus est. Non rectè itaque aliquid ideò rejicitur,

Scriptura ignorat multa, quæ pro cultu habet papatus.

rejicitur, ut ab Apostolis nec institutum, nec factum, quia Lucas in actis Apostolicis illud non annotarit, sed multo plura credenda sunt ab Apostolis instituta, tradita & facta, quàm quæ ex Actis à Luca conscriptis probari possunt. Respondeo. Et quis tandem erit modus, finis aut numerus eorum, quæ sub hoc titulo Ecclesiæ, sine teste obtrudentur? Simplex autem & vera solutio ita deprehenditur. Antiquis temporibus, statim post Apostolorum tempora, argumentum illud ita fuit agitatum, quod multa scripta proposita fuerunt, promittentia supplementum eorum, quæ à Luca de actis Apostolorum præterita, & tamen Ecclesiæ necessaria videbantur, ut itinerarium Petri, quasi à Clemente conscriptũ, Prædicatio Petri, Actus Andreæ, Philippi, Petri, Thomę, &c. Et quidem vivente adhuc Ioanne Apostolo, historia de periodo sive actibus Pauli & Teclæ sparsa fuit: quam Ioannes conficto commenti authore, ostendit esse supposititiam, sicut cæteri etjam libri de actibus Apostolorum, ab Ecclesia reprobati sunt. Non recens igitur artificium est, sub illo titulo & prætextu, quòd, Lucas non omnia singulorum Apostolorum acta, scriptione sua persecutus est, vana, falsa & suppositicia obtrudere Ecclesię. Cùm verò suppositicii illi libri, qui promittebant pleniorem narrationem de actibus singulorum Apostolorum, reprobarentur, sine dubio ideò, quòd incerta & falsa continerent, num edita tũc fuerunt alia authentica scripta, de gestis aliorum Apostolorum, quæ ad posteritatem conservarentur, cùm præsertim Ioannes, qui ad Euangelicam historiam ea quæ videbat à cęteris prætermissa, quę posteritati tamẽ cognitu necessaria judicabat adjecerat, tunc adhuc superstes esset? Hoc certè factum esse, nemo affirmabit. Nec sanè audebimus dicere, ideò illud intermissum esse, ut posteritas suo arbitratu, vel ex incertis narrationibus quidvis fingeret de Apostolorum institutis, dictis & factis. Restat ergo, ideò non fuisse aliquid aliud de Actis Apostolorum conscriptum, quod judicatum fuit, illa, quæ Lucas ediderat, adhibitis Epistolis Apostolorm, posteritati sufficere. Nam & in veteri Testamento, non omnium seu Patriarcharũ seu Prophetarum acta descripta sunt. Nec omnes Prophetæ, doctrinam suam literis posteritati commendarunt, imò quorundam scripta Deus intercidere passus est, ut Nathan, Gad, Semeiæ, Haddæ, Achiæ, Iehu filii Hammoni, &c. & ex illorum non scriptis traditionibus, Rabini dicunt Thalmud confectum esse. Quid verò illis aliud respondere possumus, nisi quòd ex omnibus Patriarcharum & Prophetarum dictis & factis, Spiritu sancto monstrante & seligente, ea literis mandata sunt, quæ posteritati ad dogma & ad mores (sicut Cyrillus loquitur) necessaria esse & sufficere judicata sunt?

Acta Apost. ab aliis conscripta, sed reiecta.

Patriarcharum acta, nõ omnia descripta.

Prophetarũ conciones nõ omnes extant.

Idem responsum verè etjam opponimus Pontificiorum objectionibus. Quod enim attinet ad Ecclesiæ statum, ad ministerium, doctrinam, fidem, &c. nõ habuerunt singuli Apostoli proprium aut peculiare aliquid, sed una fuit fides, eadẽ doctrina, & commune ministeriũ, quo unum & eundem Ecclesiæ (quod ad substantiam Evangelicę religionis) statum constituerunt: ut etjamsi singulorum Apostolorum acta conscripta essent, non tamen contrarium, non diversum, non aliud, sed unum & idem sæpius scriptum legeremus. Quæ igitur ratio communis illius ministerii unius fidei, ejusdem doctrinæ in primo, & antiquissimo Apostolicæ Ecclesiæ statu fuerit, quia Spiritus sanctus non curavit sigillatim cujusque Apostoli acta conscribi, sine dubio judicavit, nos illud, quãtum ad nostram doctrinam sufficit ex illis, quę Lucas conscripsit, posse colligere & intelligere. Si enim plura judicassetnecessaria esse, absq; dubitatione curasset illa per alios ad posteritatem conscribi, sicut in historia Evangelica fecit. Vsurpabimus igitur nobis verba Augustini: Cùm Dominus tempore Apostolorum, noluerit reliquorum Apostolorum acta conscribi: quis nostrum dicat, ista vel illa esse, aut si dicere quis audeat, unde probabit?

Apostolorum fuit una fides, & doctrina & cõmune ministerium.

Sed inquis: In actis apud Lucam, plerumque tantùm capita consignata sunt, non autem additæ sunt justę & necessarię explicationes. Respondeo. Illæ explicationes conscriptæ extant in epistolis Apostolorum, ut ita de doctrina Apostolica, quod nobis necessarium fit, in scriptis novi Testamenti nihil desiderari possit. Inquirẽdum igitur jam est nobis, quo consilio, propter quas causas, & in quem usum Apostoli epistolas suas conscripserint, hæc enim consideratio, id quod quærimus, liquidò ostendet.

Nicephorus lib. 2. cap. 34. de Pauli epistolis ita scribit: Ad plerosque, quos eum adire Spiritus sancti vis & gratia jusserat, quosq; per fidem in Christum Evangeliũ magnificè regenuerat, quæ præsens oratione sua dilucidè docuerat, eadem per compendium absens in memoriã revocans, epistolas dedit. Ita verò ea quoq; quæ secretioris mysterii magisq; abstrusa antea silentio præterierat postea per sacra sua scripta, aut grandioris sapientiæ verbis accuratè & dilucidè declaravit, aut saltem (ut ita dicam) parabolarum more & specie tanquam per ænigmata adumbravit: neq; propter eos, qui ad res divinas audiendas idonei futuri erant, ea occultans, neq; propter ineptos atq; indignos dilucidè prorsus & apertè, ad contemptum evitandũ exponẽs. Hęc Nicephori verba manifestè ostẽdunt, I. Pauli epistolas scriptas esse, ut essent ὑπομνήματα, cõpendio complectentia eadẽ quę præsens oratione sua, dilucidè tradiderat illis, quos per fidem in Christũ regenerat. II. quòd prætereaetjam ea, quæ in tradendis primis fidei principiis, ut altioris sapientiæ mysteria prætierat, voluerit in epistolis accuratè & dilucidè declarare. III. quòd illa scripserit, non præsentibus tantùm, sed illis etjam, qui ad res divinas audiendas idonei futuri erant. IIII. quòd accuratè & dilucidè dogmata in epistolis suis declararit. V. Multa tamen in epistolis Pauli, quasi per ænigmata esse adumbrata, propter ineptos & indignos, ad contemptum evitandum, illa verò ænigmata, Paulum ita esse moderatum, ut ea quæ scribebat, nollet occultata esse illis, qui idonei ad res divinas audiendas futuri erant. Quod idem est, sicut Augustinus dicit, Spiritũ sanctum Scripturas sanctas magnificè & salubriter ita modificasse, ut locis apertis fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim (inquit)

Nicephorum Pauli epistole quomodo scripta.

Epist. Pauli & aliorum quales sint.

Augustinus. Scripturarũ magna est perspicuitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum salutari quadam difficultate permixta.

(inquit) ferè de illis obscuritatib. eruitur, quòd non planissimè dictum alibi reperiatur. Sed totum id, quod quærimus, non potest evidentius, certius & firmius, quàm ex ipsis Apostolorum epistolis demonstrari. Hoc igitur quam fieri potest brevissimè annotabimus; quomodo in ipsis Apostolorum epistolis deprehendi & observari possit, quo consilio, & propter quam causam scriptæ sint, & quis earum debeat in Ecclesia vsus esse. Et juxta Nicephori observationē, duo illa præcipuè cōsiderabimus, quòd scilicet Apostoli voluerint epistolas suas esse ὑπομνήματα, compendio complectentia ea, quæ præsentes voce Ecclesiis tradiderant, deinde quòd ea, quæ post percepta prima fidei principia, Ecclesiis adhuc necessaria judicabant, per scripta sua accuratè & dilucidè declararint.

Et quia multum refert, hanc sentētiam ex solidis fundamentis, & firmis testimoniis constitutam & confirmatam habere, operæpreciū est, huic considerationi aliquantulum immorari. Pius enim animus confirmatur uno Scripturæ testimonio, quàm si sexcenta ex aliis Scriptoribus cumulentur.

Posset autem in argumentis & perpetuo contextu singularum epistolarum, multis & variis demonstrationibus hoc ostendi, sed copiosa, & valdè prolixa futura esset oratio, & ab instituto aliquantulum nos abduceret. Quædam igitur tantùm, quæ maximè illustria sunt testimonia, ex Apostolorū epistolis annotabimus, ut ex ipsis Apostolorum vocibus, audiamus & discamus, quo consilio, propter quas causas, in quem finem & usum, Apostoli doctrinam cœlestem, quam primum viva voce tradiderunt, postea literis consignarint, & scriptis monumentis complecti voluerint.

Apostoli doctrinam suā quare scripsu comprehenderint.

Prima igitur ante alias scripta videtur prior ad Thessalonicenses. Occasio autem & causa, quare illam scripserit, ex 17. cap. Act. & ex ipsius epistolæ verbis non obscurè colligitur. Multos enim & ex Iudæis & ex Gentibus religiosis, non paucas etiam ex primariis matronis Thessalonicæ Paulus ad fidem Christi, tempore non ita longo adduxerat, statim verò à Iudæis in fidelibus, mota per tumultum seditione ejectus inde fuerat. Solicitus igitur erat, ne propter persecutionem, fidem recens susceptam, vel negligerent, vel abjicerent. Et cùm ipse venire non posset, Timotheum eò miserat, qui hortaretur ipsos, ut in fide semel sucepta perseverarent. Postea propter illam ipsam causam, scripsit priorem hâc ad Thessalonicenses epistolam, in qua non tantùm hisce verbis utitur: In doctrina quam viva voce à me traditam accepistis, permanete; sed capita ejus doctrinæ, quā præsens tradiderat, in qua ut perseverarent, ipsos hortabatur, repetit & recitat, ut ita epistola illa esset perpetua commonefactio, per repetitionem revocans ipsis in memoriā doctrinam, quam viva voce ipsis tradiderat. Alteram verò causam scriptionis suæ, hâc esse dicit, ut impleret ea, quæ deerant fidei ipsorum. Id quia reditu suo ad ipsos hactenus præstare non poterat, per Epistolam supplet & efficit. Hæc planè conveniunt ad generalem observationem Nicephori, de Paulinis Epistolis.

Altera ad Thessalonicenses, non multò pòst scripta est. Et in illa præcipuè hoc observandum est, quod in secundo capite disertè explicatur alia occasio seu causa, propter quam Apostoli cœperunt doctrinam suam literis comprehendere. Verba hæc sunt. Ne turbemini, sive per Spiritum sive per sermonē, sive per epistolam, quasi à nobis profectam. Audis quosdam tunc turbasse Ecclesias, sparsis novis dogmatibus, prætextu Spiritus seu revelationum. Quia enim doctrina Apostolorum habebat autoritatem, propter testimonium spiritus arrogabant sibi hoc etjam alii: ut cùm jactarent spiritum & revelationes divinas, postularent sua etjam dicta, pari reverentia & pietatis affectu suscipienda esse, sicut Apostolorum. Sed hoc facilè refutabatur, tantùm enim Apostoli erant electi, ut essent testes Christi, quorum doctrina talem haberet autoritatem. Cùm igitur intelligerent homines phanatici, Ecclesiam debere alligatam esse ad illam vocem doctrinæ, quam Apostoli sonabant, alia ratione corruptelas meditabantur: prætendebant enim illa sua commenta, quæ afferebant, esse vel à Paulo, vel ab aliis Apostolis, viva voce in aliis Ecclesiis tradita. Ideò enim Paulus dicit: Nolite turbari, sive per spiritum, sive per sermonem, quasi à nobis profectum. Et speciosus erat prætextus, cùm ad illa tempora, doctrina Evangelii, sola viva voce tradita fuisset. Erat autem Apostolis mandata, non tantùm cura docendi, verumetjam inspectio, ne alia quàm vera & sana doctrina Ecclesiis proponeretur, sed animadvertebant, cùm longè lateq; propagata Ecclesia, ipsi viva sua voce non possent ubique præsentes esse, puritatem doctrinæ Apostolicæ per traditiones, nec fideliter, nec tutò ubique retineri & conservari, sed sub illo prætextu & titulo spargi peregrina & commentitia dogmata. Cœperunt igitur doctrinam suam literis consignare, ne sub titulo traditionum adulteraretur, sed ut Ecclesia certa esset de vera & genuina Apostolorum doctrina. Quia verò etjam supposititiæ Epistolæ, quasi à Paulo, vel ab aliis Apostolis profectæ, Ecclesiis obtrudebantur: Paulus peculiari signo suæ manus, genuinas suas Epistolas notavit. Et illas authenticas Apostolorum Epistolas, hoc est, autographa, in illis Ecclesiis, quibus inscriptæ erant, suo adhuc tempore servatas fuisse, Tertullianus autor est, libr. de Præscriptione adversus hæreticos.

Apostolicæ autoritas.

Apostolorum officium in docendo.

Scriptorum Apostolicorū occasio.

Hoc diligenter observandum est in hac secunda ad Thessalonicenses epistola, qua occasione, & propter quam causam Apostoli, cùm aliquot annis sola viva voce doctrinam tradidissent, Postea cœperint illam literis commendare: ne scilicet turbarentur Ecclesiæ, sive per spiritum, sive per sermonem tanquam ab Apostolis traditum. Et rectè hoc opponimus Pontificiis. Si enim in primis annis Apostolicæ prædicationis, ipsis Apostolis adhuc in carne viventibus, per traditiones non fuit ubiq; servata doctrinę puritas, ub Apostoli ipsi non poterant præsentes esse, sed sub illo titulo & prætextu, varia commenta sparia fuerunt, quasi ab Apostolis tradita. An non luculenter insaniunt, qui in hisce postremis tēporibus, de quibus licet Christus & Apostoli prædixerūt,

Traditiones viventibus adhuc Apostolis corruptæ, quo magnū, &c.

tantam fore pseudoprophetarum copiam, tantam errorum efficaciam, ut si fieri possit, etjam electi seducerentur, ipsi tamen jubent nos, omissa clarissima luce, & certissima regula Scripturæ, veritatem & puritatem doctrinæ Apostolicæ quærere in traditionibus, quæ tanquam ab Apostolis profectæ, nunc à quibusdam jactantur, & hoc nomine venditantur. Certè prudentius & rectius facimus, quòd veritatem & puritatem doctrinæ Apostolicæ quærimus in Scriptura, quam ideò ab Apostolis Ecclesiæ traditam esse, manifestissima testimonia ostendunt, ne sub prætextu & titulo traditionum Apostolicarum, quidvis nobis obtrudi possit. Sed ex hac ipsa Epistola Pontificii nec tunt argumentum, quod tanquam Achilleam panopliam opponunt contra Scripturam, pro suis traditionibus. Paulus enim dicit: Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram. Manifestissimum ergo est (ajunt) non omnia quę necessariò tenenda sunt, in scriptis Apostolorum comprehensa esse, sed ea etjam, quæ ab Apostolis viva voce tradita, per traditiones ad nos pervenerunt, pari reverentia & pietatis affectu suscipienda esse. Et fateor, inter omnia Pontificiorum argumenta, quę contra sufficientiam Scripturæ pro traditionibus cumulantur, nullum majorem habere speciem, quàm hoc. Videtur enim ipsa Scriptura suam insufficientiam fateri, & ideò nos mittere ad traditiones non scriptas, cùm dicit: Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.

Traditionū stabilitio per locum Pauli.

Possem autem respondere: Quia non contraria, non diversa, non alia, sed una & eadem fuit doctrina, quam Paulus tradidit, sive per sermonem, sive per Epistolam, ideò rectè ipsum dicere: Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram. Et videtur in verbis præcedentibus explicare quas velit intelligi traditiones, inquit enim: Gratias agere debemus Deo pro vobis, quòd elegerit vos in salutem in sanctificatione spiritus, & in fide veritatis, in qua vocavit vos, per Evāgelium nostrum, in acquisitionē gloriæ Domini nostri Iesu Christi, Et per particulam illativam annectit. itaque tenete traditiones, &c.

Quod autem de veris Apostolorum traditionibus scriptū est, non statim ad illas, quæ à Pontificiis hoc nomine proponuntur, transferri debet. Si enim tam liquidò & certò probarint, traditionem aliquam esse indubitato Apostolicam, sicut ea quæ scripta sunt, probantur, valeat sanè id, quod Paulus dicit: Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolā nostram. Hoc verò in controversia adhuc positum est, an sint veræ Apostolicæ traditiones, quæ à Pōtificiis jactantur. Quando hoc probaverint, postea de dicto illo Pauli disputent. Hæc possem verè ad hanc objectionem respondere: sed non utar nunc quidem illis responsionibus, sed paulisper sequar, quò nos ducunt adversarii, ut Andradius iterum ex commiseratione quadam cogitet, me minimè circumspectum esse. Concedo igitur, tunc cùm Paulus Thessalonicensibus hæc scriberet, non omnia quæ de Christi & Apostolorum doctrina tenenda sunt, scriptis fuisse comprehensa. Iuxta Irenæi enim supputationem, quam adversarius meus Andradius sequitur, nec Matthæus, nec ullus Evangelistarum adhuc scripserat. Et à Paulo prior tantùm epistola ad Thessalonicenses tunc scripta erat, altera verò tunc primum scribebatur. Sicut igitur rectè dicitur, & nemo impugnat, in duabus illis epistolis ad Thessalonicenses, non omnia quæ de CHRISTI & Apostolorum doctrina, cognitu necessaria sunt, quantum satis est, comprehensa esse, ita Paulus meritò dicit, Thessalonicenses debere non tantùm illam doctrinam, quam in priori epistola ab ipso traditam acceperāt, tenere (in illa enim non omnia erant, expresè & explicatè comprehensa) verumetjam quę viva voce ab ipso tradita acceperant, quæ in Epistola illa non omnia continebantur.

Exemplum simile.

Ex collatione illud quod dico, simplicissimè & clarissimè intelligi potest. Si quis Canone Scripturæ veteris Testamenti nondum absoluto, libros Moysis, sicut Sadducæi postea fecerunt, ita recepisset, ut ea quæ per Prophetas à DEO tradebantur, repudiaret & abjiceret, meritò culpandus esset. Rectè enim tunc dici poterat: Tenete doctrinā quam Deus vobis tradidit, sive per scripta Moysis, sive per os, aut sermonem propheta rum. Si verò Cabalista aut Thalmudista aliquis, post constitutum & absolutum Canonem Scripturæ veteris Testamenti, idem illud argumentum ad suas traditiones confirmandas accōmodare vellet, quæro ab Andradio, & à reliquis Pontificiis, num constet & admittendum sit hoc argumentum: Tempore Prophetarum rectè dicebatur, suscipiendā & tenendam doctrinam verbi Dei, nō tantùm quæ scriptis Moysis comprehensa erat, verumetjā quæ per Prophetas viva voce tradebatur, ergo etjam post tempora Prophetarum, postquam constitutus & absolutus est Canon scripturæ veteris Testamenti, existimādum est, nō omnia quæ de doctrina Patriarcharum & Prophetarum necessariò tenēda sint, in libris sacræ Scripturæ contineri, sed præterea etjam illa, quæ à Pharisęis & Cabalistis, titulo traditionum venditantur, pari reverentia & pietatis affectu suscipienda & veneranda esse. Non arbitror Andradium hoc admissurum. Petrus certè à Soto hoc negat. Qua ergo ratione putant consequi? Paulus cùm primò unam epistolā scripsisset, dicit, Thessalonicenses debere tenere traditiones, non tantùm quas in una illa Epistola acceperāt, sed quas præterea etjam viva voce ab ipso didicerant, quæ in unica illa Epistola non omnes plenè continebantur, ergo nunc etjam, postquam constitutus & absolutus est Canon Scripturæ novi Testamenti, idē de imperfectione & insufficientia totius Scripturæ dicendum est, ut præterea illa etjam, quæ nunc titulo traditionum à Pontificiis jactantur, pari reverētia & pietatis affectu, sicut ipsam Scripturam, suscipiamus & veneremur. Certè manifestissimum est, etjam si vera essent, quę à Pontificiis de traditionibus disputantur, ex illa tamen Pauli sententia minimè hæc consequi. Longè aliud enim est de Scriptura novi Testamēti loqui, cùm primùm unica tantùm Epistola Pauli edita esset, quàm cùm tot libris &

Universidad de Deusto
Biblioteca

epistolis postea tradita & explicata est, sicut postea ostendemus, quòd Paulus in epistola ad Timotheum, quam circa finem vitæ scripsit, longè aliter loquatur de Scriptura.

Quid contra hanc manifestissimã veritatem, vel specie aliqua verisimilitudinis, dicere possint Pontificii, non sanè video, nisi forsan crepitu anathematis, veritati oppedere voluerint. Quoties igitur argumentum illud, in scriptis Pontificiorum legeris, memineris esse insignem fallaciam à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Et sanè gestit animus audire, quid Andradii grandiloquentia, contra hanc evidentiam proferre conabitur.

Sed progrediamur ad reliquas Pauli epistolas, proxima enim post ambas ad Thessalonicenses, scripta videtur, sive ex Phrygia, sive ex Macedonia prior ad Timotheum, Actorum 18. in qua sicut Nicephorus dicit, Paulus ἐντύπωσιν rationem & vitam Hierarchicam copiosè describit. Et sanè non egemus Nicephori testimonio, ipse enim Paulus causam scriptionis explicat cap. 3. Hæc scribo tibi, sperans me citò venturum ad te, si autem tardavero, ut scias, quomodo oportet in domum Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Manifesta explicatio, qua occasione, propter quam causam, & in quem usum Paulus priorem epistolam ad Timotheum scripserit. Commendaverat ipsi ministerium in Ecclesia Ephesina, ut sanam doctrinam, & traderet & cõfirmaret, ἑτεροδιδασκάλους verò refutaret, quæ cum sana doctrina in moribus pugnant argueret, ritus Ecclesiæ ad ædificationem utiles institueret & conservaret, ministros ordinaret, &c. Vt autem sciret, quomodo fidelem ministrum Christi in his, quæ ad ministerium pertinent, oporteat rectè versari in Ecclesia, quæ non est congregatio malignantium, sed domus Dei, columna & firmamentum veritatis, propter hanc causam, & in hunc usum affirmat se scripsisse illam epistolam. Et quidem non dicit, Quomodo oporteat te conversari, sed indefinitè & generaliter loquitur, Quomodo oporteat conversari, &c. Vt sit typus generalis. Et profectò magna hęc est hujus epistolæ commendatio. Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, extra omnem controversiam, propter possessionem & conversationem puritatis doctrinæ Apostolicæ. Quomodo verò ministerium docendi, ita sit instituendum & usurpandum, ut Ecclesia non fiat spelunca latronum, & congregatio malignantium, sed sit & maneat columna & firmamentum veritatis: propter hanc causam & in hunc finem ipse Paulus suis verbis testatur, se priorem hãc epistolam ad Timotheum conscripsisse. Et ideò statim in primo capite ponit summam παραγγελίας, hoc est, illius doctrinæ, quam à Christo acceptam, Timotheo annunciandam commendaverat. Et præcepta illa, quæ scribit, aliquoties nominat ἀποδοχὴν, cap. 1. & 4. hoc est, veram Apostolicam Cabalam, ex traditione vivæ vocis, ab Apostolis ita acceptam, ut fidelis sit sermo, & dignus acceptione. Et ad illa etjam præcepta, quæ scripta in illa epistola comprehendebat, subinde se refert: Hoc præceptũ commendo tibi, hæc scribo tibi, hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assecutus es. Hæc præcipe & doce. Hæc meditare. In his esto. In his permane, hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt. Testor corã Deo, ut hæc custodias sine præjudicio. Hæc doce, & exhortare, &c. Certum igitur & manifestum est, quo consilio Paulus hanc epistolam ad Timotheum scripserit, & quem voluerit ejus usum esse in Ecclesia. Tertullianus de præscriptione adversus hæreticos, expendit diligenter vocabula, quòd Paulus non dicit illud vel illa, sed hoc præceptum, & hæc proponens, &c. Inquit enim: Cùm Paulus inquit: Hæc, de eis dicit, de quibus in præsenti scribebat. De occultis verò, ut de absentibus apud conscientiam, non (hæc) sed (illa) dixisset. Consideretur verò & hoc, cùm Paulus Timotheo ministerium & inspectionem Ecclesiæ Ephesinæ commendaret, non est dubium, ipsum viva voce, ea, quæ ad ministerium pertinent, tradidisse & explicasse. Dicit enim: Sicut rogavi te, ut denunciares, &c. Cur verò, non multò post discessum suum, eadem scripto comprehensa mittit ad Timotheum? Ita enim orditur epistolã: Sicut rogavi te, ut maneres Ephesi, &c. Et in tertio demum capite sequitur ἀναποδόσεις: Sicut rogavi te, hæc scribo tibi. Certè non ideò hoc fecit, quòd tam parum fideret memoriæ Timothei: Sed quia autoritas Timothei non erat par Apostolicæ autoritati, sed oportebat ipsum testimonium habere, & liquidò posse probare ea, quæ proponebat esse ab Apostolo tradita & accepta, ideò Paulus ea, quæ ad ministeriũ pertinentia, viva voce ipsi mandarat, jam literis cõsignata ad ipsum mittit, ne quis, sicut inquit, adolescentiam ipsius contemnat, sed ut & ipse certus sit, & aliis probare & confirmare possit, hoc esse præceptum illud, sibi à Paulo commendatũ, ut ęq Ecclesia certa sit, Timotheum, quando hæc proponit fratribus, esse bonum ministrum Christi. Nunquid autem non sufficisset sola asseveratio Timothei, si affirmaret, se illa quæ proponebat à Paulo, ex traditione vivæ vocis accepisse? Certè non opus fuisset scriptione Pauli, si Pontificios de autoritate traditionum non scriptarum in consilium adhibuisset. Quia vero illa, quæ Timotheo viva voce commendarat, scripto complecti voluit, satis ostendit, quo consilio id fecerit, & quem judicaverit scripturæ usum debere esse in novo Testamento, ut tale scilicet testimonium proponat, qui gloriatur se Apostolicam doctrinã afferre. Accedit & hoc, quòd Timotheus non diu seu continuè mansit Ephesi, sicut historia Actorum ostendit. Paulus igitur ideò scripsit, ut post discessum Timothei, haberent Apostolicam formam ministerii, quomodo conversandum sit in Ecclesia, quæ est columna & firmamentũ veritatis. Hæc profectò sunt valdè illustria testimonia, contra quæ si quis excipiat generalia quidem capita eorum, quæ ad ministeriũ pertinent, in hac epistola notari, ut de sanis sermonibus Christi, de ea, quæ secundum pietatem est doctrina, quæ est Apostolica, non autem extare in ea, plenas & justas explicationes, respondeo. Qui sint sani sermones Domini nostri Iesu Christi, habemus in scriptis Evangelistarũ, quæ verò sit Apostolorum

Epistola ad Tim. prima.

Ecclesia columna & firmamentum veritatis.

Epistola ad Tim. prima quare scripta.

Timothei autoritas ex Epist. Pauli.

rum doctrina, in aliis ipsorum Epistolis plenius explicatum est. Si quis verò pertinaciter contendat, præter illa quæ & in hac epistola, in aliis scriptis novi Testamenti consignata sunt, alia etjam fuisse tradita, quæ æquè nobis sint necessaria: respondeo verbis Augustini: Cùm Spiritus sanctus illa noluerit scribi, quis dicet vel ista vel illa esse? & si quis tàm temerarius & audax erit, ut dicere audeat, unde probabit?

De iis quæ scripta sunt, certi sumus, quòd sint ab Apostolis tradita, quæ propter hanc etjã causam scripta sunt, ut de iis certi essemus. De incertis verò, non potest fides esse. Relinquamus igitur talia illis, qui certis & necessariis relictis, incertis occupari malunt: nos iis quæ propter fidei certitudinem conscripta sunt, contenti simus.

Epistola ad Titum.

Eadem omninò est ratio Epistolæ ad Titum, quæ post priorem quidem ad Corinthios ex Nicopoli Act. 20. scripta est: sed propter argumenti similitudinẽ, hoc loco de illa annotabimus, quæ ad nostri instituti rationem pertinent. Hujus rei gratia inquit, reliqui te in Creta, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas presbyteros. Num igitur vel incertum & ignotum est, vel ex Pontificiorum traditionibus divinandum est, quæ & quomodo ex mandato Pauli, Titus in Creta debuerit corrigere, quę Paulus festinans ad alia loca, non potuerat absolvere? & quomodo debuerit presbyteros constituere: Certè propter hanc causam, & hoc consilio scripsit Epistolam ad Titum, sicut ad illa quæ scribit se refert: Hæc loquere: de his volo te affirmare.

Et quia ab Epheso Paulus ita profectus est, ut iret in Macedoniã: in illo igitur itinere pervenit in Cretam, & ab ea proxima est Epirus, ubi Nicopolis sita est. Post paucos igitur dies à discessu suo ex Creta, Paulus scripsit hanc epistolam ad Titũ, repetens ea, quæ præsens viva voce ipsi in mandatis dederat. Quare verò hoc fecit, cum elapsis paucis diebus, mandata illa in recenti adhuc memoria Titi essent: nec periculum esset, ne Titus doctrinam adulteraret? Respondeo: Causam ipse in Epistola indicat cap. 2: Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio: nemo te contemnat. cap. 3. Fidelis sermo: de his volo te asseverare. Iam verò Titus potuisset verè confirmare, se illa quæ agebat docendo, exhortando, arguendo & corrigendo, facere ex mandato Pauli, quod viva voce paucis ante diebus ab ipso acceperat. Sed vides consilium Pauli, quia scripto illa sua mandata complecti voluit. 1. ut Titus ipse certus esset, ea quæ proponebat, esse fidelem sermonem, de quo rectè & meritò posset & deberet asseverare. 2. Vt Ecclesia haberet testimonium, ea quę Titus cum asseveratione proponebat, esse fidelem sermonem. Vt igitur ea quæ Titus ratione ministerii, docendo, exhortando, arguendo & corrigendo agebat, non contemnerentur, sed haberent autoritatẽ, ut ab Apostolo tradita & mandata, ut cum omni imperio posset docere, exhortari & arguere: Paulus judicavit nõ satis esse, si Titus saltem affirmaret, se illa viva voce ab Apostolo accepisse, sed mandata illa scripto comprehensa misit ad Titum, propter causas, quas ipse (sicut monstravimus) in epistola indicat. Si igitur tunc quãdo Paulus non tantum in carne adhuc viuebat, sed in loco valde vicino aderat, & ante paucos dies, viva voce. mandata dederat Tito, quem vocat Germanum suum filium, quem Cretenses viderant esse non tantum comitem itineris Pauli, sed & socium ministerii: si tunc inquam, Paulus judicavit solam allegationem traditionis, in iis quæ ministerii sunt, non sufficere illis qui ipsi non erant Apostoli, sed doctrinam ab Apostolis traditam docebant, sed necessarium esse testimonium ex scripto, unde probari & confirmari posset, certũ esse sermonem, qui à nemine esset contemnendus, sed cum omni imperio proponendus (hæc enim sunt Pauli verba) quid igitur hisce jam postremis mundi temporibus Pontificii contendunt, pro traditionibus Apostolicis esse recipienda, quæ ex Scriptura probari & confirmari nullo modo, quæ & ipsi fateri non erubescunt, possunt? Certè ab Apostolo discimus, quomodo Titus Cretensibus debuerit probare & confirmare, certũ & fidelem esse sermonem de quo asseverabat, qui non esset cõtemnendus, sed autoritate Apostolica proponendus. Et jam Lector de tota hac cõtroversia judicari potest. Ideo enim potissimum ab adversariis flagellamur, quod tutissimum hoc Pauli consilium sequendum esse docemus, hisce præsertim postremis senescentis mundi temporibus: de quorum periculis, quod ad doctrinæ corruptelas attinet, multa & manifesta in Scriptura extant vaticinia.

Scripto comprehendere Paulus mandata sua voluit.

Titi autoritas ex Pauli epistola.

Et hæc quæ ex ipsis Pauli verbis ostendimus, quo consilio, propter quas causas, & in quẽ usum epistolas suas conscripserit, cavillationibus sanè exagitari & conspurcari possunt, juxta Phormionis artificium. Nihil tam benè dictum est, quod maledicendo depravari non possit. Sed veris & solidis argumentis labefactari nullo modo potest. Pergamus igitur ad reliqua Pauli scripta.

Epist. ad Corinthios 1.

Prior ad Corinth. epistola videtur Ephesi scripta esse. Paulus enim dicit, se mãsurũ Ephesi usq ad Pentecosten. Et in fine dicit: Salutant vos Ecclesiæ Asiæ: & inter illas nominat etjam Aquilam & Priscillam, quos Ephesi Act. 19. Paulus reliquerat. Non diu igitur post discessum suum Paulus epistolam illam scripsit ad Corinthios. Nobis verò tantum propositum est inquirere, quo consilio propter quas causas, & in quem usum Epistolam illam scripserit. Deprehendimus autem statim in principio, Paulum voluisse epistolæ illius usum esse, non tantum in Corinthiaca Ecclesia, pro præsenti tantum necessitate. Inscribi enim illam omnibus qui invocant nomen Christi in omni loco, & ipsorum & nostro. Hoc primò observetur propter Pighii calumniam, quasi Paulus epistolas suas tantùm propter particulares quasdam Ecclesias, & tantùm in usum præsentis tunc necessitatis conscripserit.

Epistolæ ad Corinth. 1. occasio & usus.

Deinde & causæ propter quas epistolam illam scripserit ex ipsius verbis colligi possunt. Erant inter Corinthios schismata: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Christi, hoc est. Cũ quidam doctrinam accepissent à Paulo, quidam ab Apollo, viro disertissimo: quidã à Petro, qui cum Christo in carne conversatus fuerat: quidam etjam è venissent, qui Christum in carne viderant, & docentem audiverant: inde certabatur apud Corinthios, quæ traditiones essent præstantiores,

Universidad de Deusto
Biblioteca

stantiores. Paulus verò ostendit, non ex personarum docentium discrimine, sed ex unitate & veritate doctrinæ judicandum esse. Fundamẽtum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, qui est Christus Iesus. Qui plantat, & qui rigat, unum sunt. Illa etjam circumstantia temporis digna est consideratione, quòd Paulus tunc primum cœpit doctrinam suam literis consignare, postquam datis dextris societatis, Galat. 1. publicè declarata erat cõsensio de doctrina inter ipsum & reliquos Apostolos: ut certi essemus, in epistolis Pauli comprehẽsam esse doctrinam, quæ communis fuit omnibus Apostolis: ne quis cavillari posset, nos Pauli tantum, nõ etjam reliquorum Apostolorum doctrinam in scriptis novi Testamenti habere.

Quia verò apud Corinthios, quidam ab illa forma doctrinę, quam per traditionem vivę vocis à Paulo acceperant discesserant, & adulterationes quędam cœperant irrepere de peccato, de cœna Domini, de resurrectione mortuorum, &c. Paulus capita traditionis suæ in illa epistola literis consignare voluit: quomodo scilicet fundamentum posuerit, quomodo potum lactis Corinthiis dederit: Nihil, inquit, judicavi me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Vnde prædicationem suam vocat verbum crucis. Et cap. 15. inquit: Evangelium quod accepistis, & in quo statis, hac ratione prædicavi vobis. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepistis, quod Christus mortuus est, &c. Et addit: Sive ego, sive alii Apostoli ita prædicavimus, & ita credidistis. Doctrinam igitur Christi, sicut illa ab Evangelistis descripta nunc extat, prædicavit & tradidit: & hoc vocat fundamentum, capite 3. Sicut & capit. 11. institutionem Cœnæ Dominicæ iisdem verbis repetit, sicut extat apud Euangelistas. Et præfatur: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.

Fuit igitur una causa scriptionis, sicut Nicephorus inquit: quòd quæ præsens oratione sua dilucidè docuerat, eadem absens per compendium in memoriam, scripta Epistola revocare voluit, propterea quòd à quibusdam Pauli traditionibus discesserant. Et diligenter hoc notetur, quòd puritas doctrinæ Apostolicæ apud Corinthios, per conservationem traditionis vivæ vocis, non diu fuit custodita, sed intra valde breve tempus cœpit adulterari. Quòd si id factum fuit primis annis Apostolicæ prædicationis, ipsis Apostolis adhuc viventibus: quid putandum est accidisse traditionibus, per tot centurias annorum post mortem Apostolorum, & quidem postremis mundi temporibus? Etsi tunc ad conservationem puritatis doctrinæ, opus fuit scriptis Apostolorũ: quantò infinitis modis magis nunc hac via & ratione opus est?

Epistola 1. ad Corinth. scripta, altera causa.

Alteram causam, quòd priorem ad Corinthios epistolam Paulus scripsit, ipse etjam exponit. Posito enim fundamento, cùm non esset dubium, superstruendum esse ædificiũ: illo prætextu alii quidem superstruebant aurum, argentum, gemmas: alii verò ligna, fœnum, stipulas. Et observetur hoc, quòd ipsis Apostolis adhuc in carne viventibus; imò non diu post discessum Pauli, quidam apud Corinthios cœperunt lignũ, fœnum, stipulas super fundamentum extruere. Vt igitur posito fundamento, non esset incertũ, quæ Apostolica structura superimponenda esset, ipse Paulus scripto ostendit, quòd si aurum, argentum & gemmæ, quæ Apostolica structura super fundamentum extruantur: unde etjam djiudicari possint lignum, fœnum, stipula, quæ ab aliis superstruantur.

Et ita habemus literis consignatum, totum ædificium Dei (cujus architecti sunt Apostoli) fundamentum scilicet, & ea quæ superstruenda sunt: & quem hujus scriptionis usum in Ecclesia Paulus esse voluerit: Inde constat, quòd Epistolam inscripsit omnibus, qui invocant nomen Christi in omni loco. *Ædificium Dei.*

Miserat quidem Paulus Timotheum ad Corinthios, ca. 4. qui inquit, ἀναμνήσει, hoc est, quasi oblivioni datas in memoriam vobis reducet vias meas. Simul verò addidit ei quasi instructionem, seu literas fiduciarias aut credentiæ (sicut vulgò loquimur) in hac Epistola: qualis scilicet deberet esse ἀνάμνησις illa, ut inde probare posset Timotheus, ea quæ diceret à Paulo se in mandatis accepisse. Et hac cautione Paulo ideo utendum fuit: alicubi enim Ecclesiis imponebatur, quasi per sermonem à Paulo profectum, 2. Thessalonicen. 2.

Quòd si quis cavilletur, vel capita quædam Apostolicæ doctrinæ, vel certè justas explicationes in hac epistola desiderari: respondemus simpliciter, nos non ita unam aliquam Pauli epistolam amplecti, ut reliquas nõ inspiciamus & conferamus: sed adhibitis & collatis omnibus scriptis novi Testamenti, affirmamus nos in illis habere, quantum necesse est, & sufficit, capita scilicet doctrinæ Apostolicæ, & justas explicationes: sicut postea Paulus 1. Tim. 3. ipse confirmabit. Et hoc loco 1. Cor. 4. dicit: Sicut ubique in omnibus ecclesiis doceo. Adhibenda igitur & conferenda sunt illa etjam, quæ à Paulo in aliis Ecclesiis tradita esse, ex scriptis eius cõstat. hac enim demonstratione Paulus συνέργους suos, adhuc vivente se uti voluit, sicut jam ostendimus. Ideo enim scripta mandata ipsis tradidit. *Scripturæ libri omnes retinẽdi & inter se conferendi.*

Sed inquiunt, Paul. 1. Corinth. 11. de cœna Domini loquens, dicit: Cætera cùm venero disponam. Ergo illa quæ nunc in Pontificiorum Missa servantur, Paulus postea viva voce Corinthiis tradidit. Ita Iesuitæ.

Audax profectò est consequentia: sed eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Omninò tamen (dicat quis) sequitur Paulum quædam voluisse viva voce disponere, quę scripto non est complexus. Num verò dogmata quædam plura & alia, de cœna Domini promittit? Certè de iis quæ scribebat, dicit: Ego à Domino accepi, quòd & tradidi vobis. Non ergo vel plura, vel alia dogmata de cœna Domini quàm quę à Domino acceperat, promittere potuit. De ritibus igitur quibusdam externis loquitur. Nam ita capit. 16. verbum διατάσσεσθαι usurpatur, ut prima sabbati eleemosyna seponatur. Paulus verò solicitè distingvit illa de quibus mandatum Domini habet, à ritibus adiaphoris, qui ad ædificationem Ecclesiæ ordinantur. Talia enim non sicut dogmata perpetua & universalia sunt: ut de aperto & velato capite, capit. 11. Cùm igitur ea quæ præsens ordinare voluit, noluerit scripto complecti: quis nostrũm dicat, ista vel illa esse: aut si quis dicere audeat, unde probabit? Sed video ex hac observatione præter opinionem, scriptionem nostram excrescere. Vellem enim generali annotatione, quæ de reliquis Epistolis restant, comprehendere: sed tamen animadverto, ex singulis fermè Epistolis, peculiare aliquid, quod ad hoc nostrum institutum illustrandum & confirmandum pertinet, utiliter posse annotari. Cumq; hęc testimonia, quæ ex ipsis Epistolis Apostolicis sumuntur, omniũ sint certissima, quibus piæ mentes, contra omnes cavillationes rectissimè possunt confirmari: pertexemus Catalogum illum, qua fieri poterit brevitate.

2. Epistol. ad Corint. scriptæ occasio.

Altera igitur ad Corinthios, ex Macedonia, non multò post priorem scripta est hac occasione. Cùm ex Tito redeunte, inter cætera & hoc Paulus cognovisset, doctrinam suam à quibusdã apud Corinthios hoc prætextu in contemptum adduci, quòd aliorum Apostolorũ major deberet esse authoritas, qui cum Christo per aliquot annos versati fuerant: authoritatem igitur ministerii sui vindicat, & inquit capite 12. Nihilo inferior fui iis qui sunt supra modum Apostoli. Quid est quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, &c. Iterum vides, Ecclesiam turbari disputationibus, de vivis Apostolorum traditionibus. Illud verò ad nostrum institutum propriè pertinet, quod à falsis fratribus, tunc cœpit jactari, longè alium esse Paulum absentem per epistolas, quàm præsens sit verbo & facto. Colligitur hoc ex 1. 10. & 13. capitibus. Aliquoties igitur repetit: Quales sumus absentes per Epistolas, tales & præsentes facto, cap. 10. Prædixi & prædico, ut præsens, ita & nunc absens, cap. 13. Et pulcherrima extat sententia in 1. cap. Non enim alia scribimus vobis, quàm quæ legitis & cognoscitis. Vtitur duobus verbis, ἀναγινώσκετε, quod Græca scholia rectè interpretantur, quasi per remini scentiam aliquid antea traditum & notum recognoscere: & ἐπιγινώσκετε quod significat notum compertum & exploratum habere. Ipse igitur Paulus occasione sibi ab adversariis data, ex professo consignavit testimonium de suis epistolis, quòd in illis nihil scripserit, quàm quæ præsens viva voce tradiderat, ita ut legentes epistolas, in illis recognoscerent doctrinam prius traditam. Et pulchrè huc convenit, sicut Basilius verbo ἐπιγινώσκειν utitur, cùm inquit: Agnovi epistolã tuam, sicut filii non degeneres ex similitudine cum parentibus noscitantur: ita Paulus dicit epistolas suas ex doctrina quam præsens viva voce tradiderat, agnosci. Ea igitur quorum cognitionem anteà viva voce Ecclesiis tradiderat, postea epistolis suis complexus est. Non enim alia inquit, scribo vobis, quàm quę recognoscitis & cognoscitis. 1. Corinth. 14. verbo illo ita utitur, ut significet se epistolas suas subjicere recognitioni seu dijudicationi illorum, qui Prophetæ seu spirituales erãt. dixerat enim: Spiritualis dijudicat omnia, cap. 2. Ita autem inquit cap. 14. Si quis videtur Prophetã esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quòd Domini mandata sint. Publicę igitur Ecclesiæ testimonio & judicio

comprobatæ fuerũt Pauli epistolæ, cùm quidem adversarii illas arroderent. Et hoc testimonium Pauli de suis epistolis, cùm adversarii illis detrahere inciperent, diligenter notandum est, quòd qualis præsens viva voce fuit, talis sit in epistolis. Non minꝰ igitur nunc, nec alio modo habemus Paulum docẽtem, quàm cùm præsens viva voce Ecclesias institueret. Et has traditiones Pauli, ex animo amplectimur, veneramur & exosculamur. Venimus jam ad epistolas ad Romanos, cui hoc à nostris tribui indignè fert Lindanus, quòd complectatur methodum fidei Christianæ. Sed ipse Paulus explicet nobis, quo consilio epistolam illam scripserit, capite 1. inquit: ut impertiar vobis aliquod donum spirituale, ad confirmandos vos: hoc est, ut communem capiam consolationem in vobis, per eam quæ invicem est fidem vestram atque meam. Et cap. 15. inquit: scio, quòd repleti sitis omni scientia: sed tamen audacius scripsi vobis, ex parte tanquã in memoriam vobis reducens, propter gratiã quæ data est mihi à Deo, ut sim minister Christi, in Gentibus, sacrificans Evangelium, ut fiat oblatio Gentium accepta, &c. Quòd igitur præsens præstare non potuit, per epistolam efficere voluit, confirmare scilicet fidem, quæ communis erat & Pauli & Romanorum: idq; reducendo in memoriam, ita ut in epistola ad Romanos sit minister Christi, sacrificans Evangelium in Gentibus, sicut impleverat illud à Ierusalem ad Illyricum usq;. Addit autem, se scripsisse illam epistolam, cùm instituisset profectionem Ierosolymas. Et de illa profectione, dicit Actor. 20. Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, vincula & tribulationes me Ierosolymis manere. Scio quòd amplius non videbitis faciem meam, &c. Cùm igitur Ierosolymas quasi ad mortẽ proficisceretur, conscripsit illam epistolam: ut si quid ipsi accideret, literis consignatum post se relinqueret, quomodo administrasset Evangelium Dei inter Gentes, & quòd esset Evangelium Christi quod impleverat, hoc est, plenè, sufficienter & perfectè prædicaverat à Ierusalem per circuitum, usq; ad Illyricum. Et propter hanc causam copiosius & accuratius capita doctrinæ, quæ in aliis epistolis tãtũ recitaverat, ad Romanos justa explicatione tractat & declarat: idq; pulcherrima methodo. *Epistola Pauli ad Romanos.*

Habemus igitur in epistolis Pauli nõ nudum tantum catalogum capitum ejus doctrinę quam viva voce tradidit: verum etjam justas explicationes, & quidem quo ordine, & qua methodo capita illa à Paulo sint proposita: & propter hanc causam, Epistola ad Romanos meritò à nostris commendatur. Complectitur enim methodum fidei quæ fuit & Pauli Romanorum: continet summam Evangelii quod Paulus implevit, hoc est, plenè prædicavit à Ierusalem ad Illyricum usque: & hoc ita continet, ut fundamenta, ex quibus doctrina illa munitur & confirmatur, monstret & explicet. dicit enim: Ad cõfirmandos vos, εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς. Et quidem tunc scripta est, cùm Paulus ob imminens vitæ discrimen, quasi confessionẽ suam fidei & doctrinæ volebat post se relinquere. Et quia fides Romanorum tunc in universo mundo celebrabatur, hanc Epistolam illis inscripsit: ut hac ratione totius orbis Ecclesiis, *Quo consilio epistola Pauli ad Romanos fit conscripta.* *Vsus & dignitas Epistolæ Pauli ad Romanos.*

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

Universidad de Deusto
Biblioteca

sis, Pauli confessio innotesceret, & commendatior esset.

Theodoretus quærit, quare epistola ad Romanos primo loco sit collocata, cùm tamen non sit prima omnium scripta? Et respõdet hoc factum esse, quia in se omnis generis doctrinam, & accuratam copiosamq; dogmatum pertractationem contineat.

Hæc omnia tàm manifesta, firma & plena consolationis, Lindanus eludere conatur unica vocula, quòd Rom. 15. Paulus dicit: Audacius scripsi vobis ἀπὸ μέρους. Ergo nõ omnia necessaria fidei dogmata, illa Epistola complecti voluit. Dicit enim, se ex parte scripsisse. Quid autem, si illud ἀπὸ μέρους, referendum sit nõ ad verbum scripsi, sed ad adverbium Audacius? ut sensus sit, Aliquantulum, vel quodammodo audacius scripsi vobis: sicut 2. Corinth. 2. particula illa usurpatur: Non me contristauit, sed ἀπὸ μέρους quodammodo vos omnes. Et si maximè conjungatur verbo Scripsi, tamen & 1. Corinth. 13. Paulus dicit: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Dicit etiam 2. Corinth. 1. Spero quòd vsq; ad finem cognoscetis, sicut & cognovistis nos ex parte. Dicemus ne propterea Paulum etiam viva voce non tradidisse omnia quæ necessaria erant? Ita tandem nec in Scriptura, nec in traditionibus Apostolorum habebimus omnia. Sed demus sanè institutionem baptismi & cœnæ Dominicæ, integram historiam de dictis & factis Christi, de virginibus, de Antichristo, de excommunicatione, de extremo judicio, de ritibus, qui in prioribus ad Timotheum describuntur, &c. non contineri in Epistola ad Romanos. Si igitur ἀπὸ μέρους hoc significat, quædam capita doctrinæ in epistola ad Romanos non comprehensa esse: nos quæ illa sint, ex aliis scriptis novi Testamenti monstrare & probare possumus. Pontificii verò illud ἀπὸ μέρους, non tantum ad Epistolam ad Romanos, sed ad totam Scripturam veteris & novi Testamenti referunt. Et reliqua illa quæ in Epistola ad Romanos non continentur, non tantùm volunt ea intelligi, quæ in aliis Scripturæ locis extant, sed præcipuè quæ ipsi titulo traditionum Ecclesiæ obtrudunt. Hoc verò Paulus non dicit, cùm inquit ἀπὸ μέρους. Quòd si Pontificii instant & vrgent, respondemus verbis Augustini aliquoties jam repetitis: Si scripta non sunt: quis nostrum, qui nec Prophetica, nec Apostolica authoritate excellimus, dicit ista vel illa esse: aut si quis dicere audeat, unde probabit? Quis enim est tàm vanus & temerarius, qui cùm sine ullo testimonio divino affirmet illa esse, nõ maximam culpam temeritatis incurrat? Quòd enim titulum traditionum Pontificii prætẽdunt, non sufficit. Nam cùm Timotheus & Titius, potuissent verius illud prætendere: Paulus tamen, sicut ostendimus, ideò ipsis dedit Epistolas, ut ex scriptis probarent autoritatem & veritatem eorum quæ proponebant, ubi Paulus ipse præsens adesse non poterat. Apostolorum enim erat, ut sanam doctrinam vel ipsi traderent, vel ab aliis traditam, si vera esset, comprobarent & confirmarent: aut si secus deprehenderetur, notarent & refutarẽt. Idq; ubi & quantũ poterant, viva facie bant voce: sicut Actorum 8. mittuntur Petrus & Iohannes, ut Philippi prædicationem, Apostolica authoritate comprobarent & confirmarent. Vbi verò viva voce præsentes esse non poterant, per literas illud efficiebant: sicut Paulum fecisse monstravimus. Talia igitur documenta, talem demonstrationem & probationem meritò requirimus, quando aliquid quasi Apostolica traditio nobis proponitur. Interea illis quæ Scriptura continentur, contenti sumus.

Et hæ sunt epistolæ, quas Paulus ante captivitatem suam scripsit. Quas verò Roma ex vinculis ad Ecclesias misit, de iis non potest certò constitui, quo ordine sint scriptæ: nec ad nostrum institutum magnoperè hoc facit, qui tantum inquirimus, quo consilio, propter quas causas, & in quem Ecclesiæ usum sint scriptæ. Eo igitur ordine, sicut vulgò collocantur, de illis dicemus. Epistola ad Galatas, propter quas causas, & in quem usum scripta sit, ipsa indicat. Galatæ enim à doctrina Evangelii, quã ex traditione vivæ vocis à Paulo acceperant, discesserant & translati erant. Quo verò modo, qua specie, aut quo prætextu, Evangelium interversum fuerit apud illos, qui Paulum antea ut angelum Dei, imò ut Christum ipsum susceperant, ipsa Epistola non obscurè indicat. Iactabantur opiniones, ut traditæ à reliquis Apostolis, qui non ita abhorrerẽt à lege & ab operibus ejus, sicut Paulus, & contendebatur, illorum autoritatem, qui cum Christo versati, omnium secretorum ejus conscii essent, meritò præferendam esse Paulo. Non instituimus, justam explicationem argumenti Epistolæ ad Galatas: sed hanc tantum observationem ostendimus, quòd puritas doctrinæ, per traditiones non fideliter fuerit conservata apud Galatas: sed quòd titulo, & prætextu traditionum, quasi à reliquis Apostolis acceptarum, Ecclesia turbata, & pura doctrinæ massa fermento corruptionis infecta fuerit, sicut Paulus ipse loquitur. Non autem omninò abjecerant Galatæ professionem Evangelii, sed historiam veteris Testamenti, & historiam de Christo ipsos retinuisse, non obscurè ex hac Epistola colligitur. Affirmat autem Paulus Evangelium apud ipsos esse interversum, propterea quod discrimen legis & Evangelii, & verum cujusq; officium & usum, admissa confusione amiserant: quòd puritatem doctrinę de peccato, de operibus legis, de justificatione, fidei, & de sequenti novitate, non rectè & distinctè conservarãt. Et hoc diligenter observandum est, doctrinam Evangelii non tantum consistere in historica vel narratione, vel assensione, de dictis & factis Christi, & reliquis quæ in sacra Scriptura narrantur, sed potissimum fitam esse in vera interpretatione & accommodatione ad pœnitẽtiam, fidem, justificationem, spem & caritatem. Et de hoc argumento Paulus laborat in epistola ad Galatas.

Epistola Pauli ad Gal.

Doctrina Evangelica quanam in re potißimũ consistat.

Consideremus autem, quale remedium Paulus opposuerit corruptelis illis, sub prætextu traditionum sparsis. Afferit quidem multis argumentis ministerio suo authoritatem: & Galatas deducit ad illud Evangelium, quod ex traditione vivæ vocis anteà ab ipso acceperant. Et addit: Si vel nos Apostoli, vel angelus de cœlo evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.

Num

Num verò silentio præterit & involuit, quæ fuerint illę suę traditiones, ad quas Galatas ablegat? Certè illo consilio instituit scriptionem hujus epistolæ, ut ea quæ de doctrina Evãgelii, viva voce apud Galatas tradiderat, explicet & cõfirmet: de Iesu scilicet Christo crucifixo (in quo tota historia Christi comprehenditur) & de vera hujus historiæ accommodatione, explicatione & usu. Quale igitur fuit Evangelium quod Paulus Galatis annunciavit, quodq; Galatæ acceperãt, non opus est ut vel ex coniecturis, vel ex fama traditionum non scriptarũ divinemus. Paulus enim literis illud consignavit, & copiosè explicavit in epistola ad Galatas. Rectè igitur Hieronymus dicit. Spiritus sancti doctrina est, quæ canonicis literis prodita est: contra quã si quid statuant Concilia, nephas duco. Quia igitur Paulus dicit: Si quis præter id quod nos evangelizavimus, & vos accepistis, annũciaverit, anathema sit. Illud verò quod Paulus evangelizavit, & Galatæ acceperãt, literis consignatum est: rectè ergo & Basilius & Augustinus Pauli illam sententiam ad Scripturam accommodant: Si quis præter illam doctrinam, quæ in Scriptura comprehensa & tradita est, aliud evangelizaverit, anathema esto. Paulus enim non tantum dicit, Si contrà: sed, si præter id fuerit, etjam si modicum fuerit fermenti, corrumpi puritatem totius massæ, Galat. 5. Cap. 4. dicit: Filioli quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. Quomodo verò parturit Paulus Galatas? Certè illa doctrina quam in hac epistola explicavit: & illa ipsa doctrina, anteà fuerant regenerati. Habemus ergo in Epistola ad Galatas, doctrinã qua filii Dei generantur, & qua rursus si lapsi fuerant, parturiuntur, ut Christus in ipsis formetur. Et cap. 6. epistolam ita concludit: Quotquot juxta hunc Canonem, normam seu regulam incedunt, pax super illos, & misericordia. Repeto autem quod ex Tertulliano antea citatum est: Si Paulus aliquid aliud, præter & extra ea quæ scripserat, intelligi voluisset, nominasset vel istum vel illum Canonem. Dicit autem τῷ κανονι τούτῳ, juxta hunc Canonem. δ ειντικως ergo intelligit de iis quæ scripserat. Et non simpliciter dicit in præsenti στοιχῶσι, sed ὅσοι στοιχήσουσι ut ostendat, non propter Galatas tantum, & præsentem ipsorum necessitatem scriptam esse hanc epistolam: sed sicut Psalm. 102. inquit, Scribantur hæc in generationem alteram: ut apud populum qui creabitur, ejus usus sit.

Doctrina epistoli Pauli ad Galatas.

Et fine dubio appellatio Scripturæ canonicæ hinc sumpta est. στοῖχοι enim in re militari vocantur ordines, certa ratione collocati, & hostibus oppositi. Et γη κατὰ στοῖχου πεφυτευμένη vocatur, in qua certo ordine, ad certam normã arbores cõpositæ sunt. Et utraq; significatio pulchrè huic loco convenit, ut certo ordine vestigiis veræ fidei insistamus. Roma. 4. Ne aberremus, utq; contra incursiones hostium fidei præmuniti simus, necesse est, ut ad certũ ordinem, certis quasi cancellis circundati incedamus, ne lineã illam, quæ quasi norma est ordinis, prætergrediamur. Quis autem sit illis κάνων, Paulus ostendit, cùm de iis quæ scripserat, dicit, τῷ κάνονι τούτῳ. Et utitur tẽpore futuro, significans quem velit scriptorum suorum usum esse apud posteritatem, in Ecclesia: ut scilicet sint canon fidei, ita ut pax & misericordia sit super illos, quorum fides secundum hunc canonem incedit. Et quid amplius quærimus, quàm ut pax & misericordia Dei sit super nos credentes: Et grati hoc beneficium Dei celebrare debemus, quòd in Scriptura illum canonem certò nobis constituit: juxta quem si fides nostra incesserit certi sumus, pacem & misericordiam super nos esse.

In Epistola ad Ephesios capit. 3. extat insignis sententia de instituto, fine & usu epistolarũ Pauli: Sicut suprà scripsi in brevi πρὸς ὃ, potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi. Sed prius explicandum est: quid significet τὸ πρὸς ὅ. Vetus interpres reddidit, prout potestis legentes intelligere. Et ita Chrysostomus interpretatur, exclamans Papæ. Itaq; nequerem omnem scripsit, neq; quantum scribi oportebat: istud enim rei natura non ferebat.

Chrysostom.

Theophylactus: Scripsi non quantum oportebat, sed secundum captum vestrũ, Oecumenius: Et tantummodo scripsit, quorum caperent notionem. Et ita usurpatur aliquando Præpositio πρὸς, in proportionibus. πρὸς αὐτὸν, pro corporis eius quãtitate: πρὸς τὸ μεγεθος τῆς πόλεως pro urbis magnitudine. Dicitur etiam πρὸς τὸ οἰκεῖον prout visum fuerit: πρὸς τὸν πολλῶν λόγον, sicut vulgus existimat. Porrò habet etiam Præpositio πρὸς cum accusativo alias significationes, quę ad Pauli sententiam rectè conveniunt, ut Thucidides: πρὸς τὰς ἐπιστολὰς ὑπόπτευον αὐτόν, ex epistolis habebant ipsum suspectum: Germanicè ita dicimus: Man fehlt jn an seiner spraach/ an seinẽ schreiben. Et ita Lutherus reddidit Pauli sententiam: Daran jr mercken kundt. Latinè non potest commodius reddi, quàm: Vnde, seu ex quibus potestis intelligere. Convenit & hæc significatio: τὰ πρὸς ἀλήθειαν καλὰ, τὰ πρὸς νόμον, quæ ad normam veritatis & legum, pulchra honesta sunt. Ita Plutarchus dicit: πρὸς φῶς βαδίζειν, Lumine monstrante viam ambulare. Quod igitur Paul. dicit Ephe. 3. πρὸς ὃ δύνεσθαι νοεῖν, sensus erit, vel sicut vetus interpres reddidit. Prout potestis intelligere: vel, unde, seu ex quibus potestis intelligere: Daran jr kundt mercken. vel, Ad quam tanquam normam legentes potestis intelligere. Et singula hanc sententiã Pauli illustrant, quid scriptis suis ipse tribui velit. Sensus autem ita colligetur. Cap. 1. nominat Evangelium salutis, quod fide amplexi, & Iudæi & Gentes signati sunt Spiritu promissionis sancto in redemptionem acquisitionis. Petit illuminari oculos mentis, ut sciant quæ sit spes vocationis, quæ divitiæ hæreditatis, quæ potentia Dei in credentes, &c. Cap. 2. dicit. Christus veniens (per ministerium scilicet) evangelizavit pacem, & iis qui procul aberant, & qui propè erant. Estis superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, existente summo angulari lapide, ipso Iesu Christo. Cap. 3. Siquidem audivistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vos, quoniã secundum revelationem notum factum est mihi mysterium, ut inter Gentes evangelizem, &c. Vide autem quomodo illa omnia Paulus ad scripta sua referat. Dicit enim: Sicut suprà scripsi, in brevi πρὸς

Theophylactus.

Doctrina Evangelica quanam in re potißimũ consistat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vi πρὸς ὃ, poteſtis legentes intelligere, cognitionem meam in myſterio Chriſti. Digna omnino eſt ſententia accurata conſideratione. Paulus enim valedicens presbyteris Epheſinæ Eccleſiæ, Actor. 20. inquit: Non ſubterfugi, quò minus annunciârim omne conſilium Dei vobis. Iam verò Roma ex vinculis ad ipſos ſcribens, repetit ſummam & capita, quòd Chriſtus per miniſterium evangelizârit pacem & Gentibus & Iudæis: quod Iudæi primum, poſtea Gentes fide ſuſceperint Evangelium ſalutis: quòd ipſe Paulus Evangelium, quod per revelationem filii Dei accepit, annunciârit inter Gentes: quòd Epheſij audierant, per quod ſuperextructi ſunt ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, &c. De his omnibus verò tandem dicit: Sicut ſuprà ſcripſi in brevi πρὸς ὃ. poteſtis legentes intelligere ſcientiam meam in myſterio. Verba ſunt aliquantò diligentius expendenda, ἐν ὀλίγῳ. Oecumenius interpretatur, vel paulò antè, vel per brevia, ſeu paucis. Quòd ſi ἐν ὀλίγῳ ſignificat paulò antè: verbum ergo προεγραψα non ſimpliciter ſignificabit, ſuprà vel antè ſcripſi: eſſet enim Tavtologia, ſed habebit alteram ſignificationẽ, quæ pulcherrimè huc quadrat. Significat enim προγραμμα Scripturam in publico loco poſitam, ut ab omnibus legi poſsit: ſicut edicta magiſtratus, aut reſcripta Principum proponebantur. Et ſuprà oſtendimus ex ſecundo capite Habacuc, quomodo Prophetæ ſummam ſuarum concionum ſoliti fuerint conſcribere & proponere. Scribe, inquit Dominus, viſionem, & explica eam ſuper tabulas, ut percurrat qui legerit eam. Inde Paulus Roman. 15. Scripturæ veteris Teſtamenti, tribuit verbum προγραφεσθαι, quod Paulus hoc loco ad ſua etjam ſcripta transfert, quòd ſint quaſi προγράμματα, hoc eſt, tabellæ, complectentes ſummam doctrinæ Evangelii publicè propoſitę, ut ſummam illam quivis legere poſſet. Dicit autem, ſe ἐν ὀλίγῳ in præcedẽtibus breviter & paucis illa conſcripſiſſe. Plurib. enim ſine dubio verbis & apud Epheſios per triennium, & alibi doctrinam Evangelii tradiderat. Ne verò ideò Scriptura arguatur imperfectionis ſeu inſufficiẽtię, addit, πρὸς ὃ, poteſtis legentes intelligere cognitionem meam in myſterio Chriſti. Si ſequamur Chryſoſtomi ſententiam, redditio erit rationis, quare ea, quæ multis verbis & copioſa oratione tradiderat, breviter & paucis voluerit ſcripto comprehendere: prout ſcilicet legentes poſsint ſcientiam Pauli in myſterio Chriſti intelligere.

Narrat Paulus 2. Corinth. 12. ſe raptum in tertium uſq; cœlum, audiviſſe ibi ἀῤῥητα verba, hoc eſt, myſteria, quæ verbis explicari non poſſunt. Totam igitur ſcientiam ſuam in myſterio Chriſti, non potuit humanis verbis ſatis & plenè explicare. Et etjamſi potuiſſet angelorum & hominum lingvis loqui. 1. Corinth. 13. affirmat tamen hoc loco, ſe & breviter & eo modo ſcripſiſſe, prout legentes ſcientiam ipſius in myſterio Chriſti poſſent intelligere. Quod igitur paucis & breviter Paulus ſcripſit, non rectè à Pontificiis in accuſationem Scripturarum conuertitur, quaſi ſint imperfectę & inſufficientes. Sed eò gratiores debemus hoc beneficium Spiritus ſancti ſumma cum reverentia amplecti, quòd Scripturam ita moderari voluit, prout legentes intelligere poſſimus. Et hinc judicari poteſt, qualis ſit præſumptio, nolle illis, quæ ſcripta ſunt contentum eſſe, propterea quòd Apoſtoli pluribus & copioſius doctrinam tradiderint.

Epiphanius narrat, Cajanos confinxiſſe librum, quem aſcenſum Pauli nominârunt: occaſione inde accepta, quod ἄῤῥητα illa verba, quæ in tertio cœlo Paulus audiverat, quia tunc carnalibus & rudibus adhuc non poterat explicare, judicârint tamen cognitu neceſſaria eſſe, præter illa, quæ ſcripta extabant, & potuerũt prætendere, quod Paulus tunc ſcripſerit, prout poterant intelligere, poſtea verò perfectioribus reliqua etjam eſſe tradita & ſcripta. Sed nugæ & fraudes ſunt. Illis igitur, quæ propter noſtram tarditatem & infirmitatem breviter & ſimpliciter ſcripta ſunt, contenti ſimus. *Epiphanius.*

Si verò Prępoſitio πρὸς, alio modo accipiatur, reddet hunc ſenſum: ſe paucis quidem ſcripſiſſe, ſed tamen ita, quòd inde poſsit à legentibus intelligi, qualis fuerit cognitio Pauli in myſterio Chriſti. Si igitur quæſtio eſt, quod fuerit myſterium, cujus agnitionem ex revelatione filii Dei Paulus accepit, quod inter Gentes annunciavit, quod fideles & Iudæi & Gentes ſuſceperunt, quod Epheſi audiverũt, cùm Paulus ipſis omne Conſilium Dei annunciaret, per quod ſuperextructi ſunt, ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum? Reſpondet Paulus, ſe paucis quidem, ſed tamẽ ita ſcripſiſſe, ut πρὸς τοῦτο inde & tanquam ad normam intelligi poſsit, quæ ſit ſcientia ipſius In myſterio Chriſti. Et quid per Deum immortalem amplius quærimus? Hæc enim eſt unitas illa fidei & agnitionis filii Dei, de qua cap. 4. loquitur, propter quam dat quoſdam Apoſtolos, Prophetas, Evãgeliſtas, Doctores, Paſtores, ne circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, &c. Hoc profectò luculentum teſtimonium, quid Paulus ſuis ſcriptis tribui velit: & oſtẽdit illuſtrẽ refutationẽ Põtificiæ objectiõis, de brevitate & anguſtia ſcripturę.

Epiſtola ad Philippenſes, præbet etjam non contemnendum teſtimoniũ ejus rei, de qua inquiſitionem inſtituimus: quo ſcilicet conſilio, propter quam cauſam. & in quem uſum Apoſtoli doctrinam ſuam literis confingnârint. Ita enim dicit ca. 3. τὰ αὐτὰ, eadem vel illa ipſa vobis ſcribere me quidem non piget, vobis autem tutum eſt. Illud autem τὰ αὐτὰ, non poteſt referri ad alias aliquas epiſtolas, quas Philippẽſibus anteà ſcripſerit: hoc enim probari non poteſt. Referendum igitur eſt ad ea, quæ præſens viva voce tradiderat, ſicut cap. 4. inquit: Quæ didiciſtis, accepiſtis, audiviſtis, & vidiſtis in me. *Epiſtola ad Philippẽſes.*

Teſtatur itaq; ipſe Paulus, ſe eadem & illa ipſa ſcripſiſſe, quæ præſens viva voce tradiderat. Et cauſam addit, quare eadẽ & illa ipſa ſcripto comprehendere uoluerit: Mihi inquit, οὐκ ὀκνηρόν, hoc eſt, non gravatim hoc facio quaſi pudeat me, ut ſuperfluum & non neceſſarium quid agere, eadem ſcilicet, quæ tradidit etjam ſcribere: vobis verò inquit, τὸ ἀσφαλὲς quòd eadem quæ viva voce tradidi, ſcriptis cõplector. Quam verò emphaſin

phaſin habeat vocabulũ ἀσφαλὲς, & quàm pulchrè oſtendat, propter quam cauſam & in quem uſum Paulus eandem doctrinam quam viva voce tradidit, literis cõſignârit, ſuprà oſtendimus, cùm de Lucæ ſcriptione ageremus: ut ſcilicet de veritate doctrinæ Apoſtolicæ ſimus certi & ſecuri, utq; ejus puritatem certius, firmius & tutius, contra incurſiones corruptelarum conſervare poſſemus: ſicut & Paulus hoc loco oſtendit. Cùm enim dixiſſet, Vobis τὸ ἀσφαλὲς tutum eſt: Mox addit, Videte canes, videte malos operarios, &c.

Cap. 3. dicit, ad quod pervenimus, eodem procedamus Canone. Quis autem eſt ille Canon? ſine omni dubitatione illa doctrina, quam præſens viua voce tradiderat. Atqui Paulus affirmat, ſe eadem & illa ipſa ſcribere. Quis igitur ſit Canon Pauli, habemus in ipſius ſcriptis, idq; ipſius teſtimonio: dicit enim, ſe τὰ αὐτὰ ſcribere.

Et capite 4. de iis quæ ſcripſerat, dicit: ταῦτα hæc cogitate, quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiviſtis, & vidiſtis in me. Cõjungit igitur ea, quæ tradiderat, cum iis quæ ſcribebat, ita ut dicat: Hæc cogitate, quæ & audiviſtis, &c. Quod nõ rectè diceretur, ſi alia eſſent tradita quàm ſcripta. Tunc enim dicendum fuiſſet, Illa cogitate: vel, Cogitate hæc, & præterea quæ audiviſtis, Dicit autem. Hæc cogitate quæ & audiviſtis & didiciſtis. Omnino igitur eadem eſſe oſtendit.

Et propter has quidem cauſas, Paulus ad illas Eccleſias, quas præſens viva voce ſuæ doctrinæ fundaverat, ſcripſit: Coloſſenſes verò & Laodicenſes, faciem ipſius in carne non viderant, ſicut dicit, cap. 2. Quo conſilio verò, propter quas cauſas, & in quem uſum illis ſcripſit, qui ex ipſius viva traditione doctrinam Evangelii non acceperant. Reſpondet ipſe cap. 2. Volo vos ſcire, qualem ſolicitudinem habeam pro vobis, & quicunque faciem meam in carne nõ viderunt: ut conſolationem accipiant corda eorum, cùm fuerint inſtructi in caritate, & in omnes divitias certæ perſuaſionis intelligentiæ in agnitionem myſterii Dei. Hoc autem dico, ne quis vos decipiat in ſublimitate ſermonum. Item, videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, &c. Didicerant igitur Coloſſenſes Evãgelium ab Epaphra: Paulus verò ſcribit ad illos, 1. Vt ex Apoſtoli ſcripta comprobatione habeant πληροφορίαν, illud quod ab Epaphra, qui non erat Apoſtolus acceperant, non eſſe incertum aut adulterinum dogma, ſed eſſe verbũ veritatis Evangelii, quod prædicatum eſt in univerſo mundo ſub cœlo. 2. Ne vel per Philoſophiam, vel per traditiones hominum ſeducantur, &c. Et hujus rei ſolicitudinem Paulus ſibi ut Apoſtolo incumbere oſtendit, ita ut ἀγῶνα appellet, ne ſub ſuo vel aliorum Apoſtolorum nomine adulterinũ aliquid ſpargatur. Vbi igitur præſens viva voce, non poteſt adeſſe, per ſcripta officio ſuo ſatisfacit. Quod igitur Epaphras aſſeveravit doctrinam illam, quam Coloſſenſibus proponebat, eſſe traditionẽ Pauli & aliorum Apoſtolorum, verè & rectè faciebat. Ad πληροφορίαν verò neceſſaria erat Apoſtolica confirmatio: quam cum Paulus viva voce præſens tribuere non poſſet, ideo epiſtolam ſcripſit ad Coloſſenſes, ut certam haberent perſuaſionem de cognitione myſterii Dei, & ne ſecundum traditionem hominum ſeducerentur ſub prætextu humilitatis, & opinione ſapientiæ. Hæc enim ſunt ipſius verba. Non autem tantùm hæc verba ſcribit, Vera ſunt, quæ Epaphras apud vos docuit: ſed capita doctrinæ Apoſtolicæ recitat, ut inde agnoſcant & intelligant πληροφορίαν eorũ, quæ ab Epaphra audierant, quòd eadem eſſent. Qualis autẽ eſſet πληροφορία, ſi Epaphra alia docuiſſet, quã quæ Paulus tunc Coloſſenſibus ſcribebat? Quicquid ergo proponitur tanquam doctrina ſeu traditio Apoſtolica, illud omnino Apoſtolica autoritate & cõprobatione confirmandum eſt: & ubi viva Apoſtolorum vox haberi nõ poteſt, Confirmatione per literas opus fuit: ſicut & alibi, & in hac epiſtola Paulus teſtatur. Cap. 3. dicit: Sermo Chriſti habitet in vobis opulenter. Quod de doctrina Chriſti, ſicut ab Evangeliſtis deſcripta extat, intelligendum videtur. Cap. 4. meminit Marci, à quo mãdata acceperint. Quod intelligo de epiſtola Apoſtolorum, Actor. 15. Cùm enim ſepararentur Paulus & Barnabas, Actor. 15. ſicut Paulus cum ſuis tradidit Eccleſiis dogmata decreta ab Apoſtolis, Actor. 16. quæ ſcripto comprehenſa fuiſſe certiſsimum eſt, Actorum 15. Ita non eſt dubium, etjam Barnabam cum Marco, quem Actor. 15. aſſumpſerat, idem feciſſe. Et quæ Actor. 16. vocantur δόγματα, hoc loco vocari videntur ἐντολαὶ. Ita ad ſcripta novi Teſtamenti, quæ tunc extabant, Paulus Coloſſenſes deducit. Non autem in Coloſſenſium tantùm uſum Paulus epiſtolam illam conſcripſit, ſed vult ut legatur etjam in Eccleſia Laodicenſium, qui ut Coloſſenſes faciem ipſius in carne non viderãt. Nobis igitur omnibus, qui Pauli vivam vocem non audivimus, & faciem in carne non vidimus, epiſtolæ ejus propoſitæ ſunt, ut inde πληροφορίαν fidei noſtræ ſumamus. Hoc enim eſt ipſius Pauli conſilium, & eſt cardo controverſiæ, quæ inter nos eſt & inter Pontificios.

Addamus hoc loco etjam obſervationem ex epiſtola ad Hebræos: de autore enim jam non diſputamus. Rectè autem definit doctrinam Evangelii, quę à Domino primùm cœpit enarrari, & poſtea ab Apoſtolis prædicata & confirmata eſt, Dicit autem cap. 2. Ne παραῤῥυῶμεν. Rectè enim dicit Chryſoſtomus: Quando ſermo auditus non retinetur aut cõſervatur, dicitur effluere. Quare igitur epiſtola illa ſcripta ſit, inde poteſt æſtimari: ne ſcilicet effluant ea, quæ ex traditione vivæ vocis acceperant. Et capite quidem 13. dicit, ſe breviter & paucis ſcripſiſſe: duo tamen complectitur, in quibus ſumma doctrinæ Apoſtolicæ conſiſtit. Nam cap. 5. & 6. oſtendit, quæ elemẽta doctrinæ Apoſtolicæ ſolita fuerint proponi in Eccleſiis, tempore Apoſtolorum. Et nuda ſanè tantùm capita Apoſtolicę cateheſeos ibi recitantur: juſtæ verò explicationes in aliis Apoſtolorum ſcriptis extant. Principale verò argumentum epiſtolæ ad Hebræos hoc eſt, quis intelligendus ſit ſolidus adultorum cibus, quem poſt præcepta prima fidei elementa Chriſtianis *Epiſtola ad Hebræos.* *Summa epiſtole ad Hebræos.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

proponi solitum, Paulus etjam confirmat 1. Cor. 3. & 14. Et hæc duo capita, sine dubio complectuntur summam totius doctrinæ Apostolicæ. Ideo cap. 13. concludit: Doctrinis variis & peregrinis nolite circumferri. Ita Nicephorus etjam dicit argumentum epistolarum Apostolicarum consistere in duobus: 1. quòd ea, quæ viva voce tradiderant, per literas in memoriam Ecclesiis revocant. 2. quæ fundamento supra extruenda erant, per epistolas adjiciunt. Et cùm illa duo, in quibus summa totius Apostolicæ doctrinæ consistit, fundamentum scilicet, & quæ fundamento superextruenda sunt, habeamus in Scriptura novi Testamenti, quid ultra desideramus?

Superest ex epistolis Pauli, posterior ad Timotheum: quam tunc scripsit, cùm finis resolutionis ipsius instaret: & quia illam paulò ante mortem suam scriptam, quasi ultimæ voluntatis loco Paulus Ecclesiæ relinquere voluit, suppeditabit nobis maximè illustre testimonium de tota Scriptura novi Testamenti. Cap. 2. dicit: Habeto ὑποτύπωσιν sanctorum verborũ, quę audisti ex me. Ne verò dubia aut ignota sit illa hypotyposis mox addit, illam consistere in his duobus capitibus, fide scilicet & charitate, quæ in Christo Iesu fundata sunt. Et hoc mox vocat bonum illud depositũ, quod jubet custodire. Cap. 2. inquit: Quæ audivisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Et cap. 3. Tu permane in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris.

Has sentẽtias loqui de doctrina, quam Paulus præsens viva voce Timotheo tradiderat, non est dubium? Sed unde nos, qui nec Pauli, nec Timothei vivam vocem audivimus, certi erimus quæ fuerint illæ traditiones, Timotheo à Paulo commendatæ? Num apud posteritatẽ, πληροφορίαν fidei nostrę voluit pendere à narrationibus & asseverationibus hominum, qui (ficut Augustinus inquit) nec Propheticam nec Apostolicã habent autoritatem? Certè sæpius jam ostensum est, quod propter illam ipsam causam Paulus doctrinam suam literis consignârit. Eodem etjam modo 2. Timoth. 3. à traditionibus vivę vocis digreditur ad Scripturam.

Et cùm hactenus de singulis epistolis & scriptis novi Testamenti, observaverimus testimonia ex ipsis verbis Scripturę, jam hoc loco Paulus circa finem vitæ suæ, in genere universę Scripturæ, & veteris & novi Testamenti, clarissimum & pulcherrimum voluit præbere testimonium. Et ficut Coloss. 2. dicit, se dum viveret solicitum fuisse de plerophoria fidei illorũ, qui faciem ipsius in carne non viderant: ita jam moriturus, eandem solicitudinem Ecclesiæ ostendit pro tota posteritate, quæ faciem ipsius non visura, & vocem non auditura erat in hac vita. Est autem sine dubio ejus doctrinę, quam Paulus præsens viva voce tradidit, summa & finis, ut homines erudiantur ad salutem per fidem in Christo Iesu.

Pauli de sacra Scriptura iudicium.

Idem verò de sacris literis affirmat, inquit enim: Sacræ literæ possunt te eruditum reddere ad salutem per fidem quæ est in Christo Iesu. Sicut igitur Ioannes de scriptis Evangelistarum pronunciat. Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus: ita Paulus de tota Scriptura affirmat: Sacræ literæ possunt te instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu. Iudicium tàm est simile, & quidem isdem verbis pronunciatum à Paulo primùm, & postea à Ioanne: ut illa similitudo & autorem eundem Spiritum sanctum ostendat, & præcipuè constantem certitudinem & firmitatem judicii hujus de Scriptura sacra confirmet. Ne enim judicium illud de Scriptura, putetur uno in loco obiter excidisse: alio loco & tempore, iisdem verbis Spiritus sanctus illud repetere voluit. Et tales repetitiones in Scriptura, significationem habent certitudinis, quodq; res magni momenti sit, quàm Deus eorundem verborum repetitione diligenter commendatam esse velit hominibus. Ille verò locus Pauli, 2. Timoth. 3. si diligenter expendatur, ostendet Paulum loqui non tantùm de sacris literis veteris Testamenti, sed de tota Scriptura veteris & novi Testamenti. Dicit enim, Timotheum ab infantia nosse sacras literas. Sed illo tempore, quando Timotheus infans adhuc erat, nondum extabant scripta novi Testamenti. Loquitur ergo de sacris literis veteris Testamenti, quas Timotheum à primis pueritiæ annis notas habuisse confirmat. Mox verò attexit aliam sententiam: Omnis Scriptura divinitus inspirata, &c. Hoc loco quæro, an illa sententia tantùm de sola Scriptura veteris Testamenti intelligenda sit? Si enim quis contendere ausit, scripta novi Testamenti, quæ illo tempore jam extabant, in illa Pauli sententia non cõprehendi, sed excludenda esse: sequetur, ea non esse divinitus inspirata, nec utilia ad doctrinam, quod neminem credo dicturum.

Certum igitur & manifestum est, quòd Paulus, cùm de sacris literis veteris Testamenti locutus esset, mox addit generalem sententiam de omni Scriptura divinitus inspirata: in qua scripta etjam novi Testamenti ipsum comprehendere, nemo sine blasphemia negare poterit. Illo autem tempore quo Paulus hoc scribebat, extabãt jam omnia fermè canonica scripta novi Testamenti; exceptis Ioannis scriptis. Paulus igitur & ea comprehendit, quæ illo tempore jam extabant, & generaliter dicit: Omnis Scriptura divinitus inspirata, &c. Hæc itaque vera est canonisatio scriptorum novi Testamenti. Et quia de autoritate, certitudine, veritate, perfectione & sufficientia Scripturæ veteris Testamenti, nulla tunc inter fideles dubitatio erat. Paulus principaliter in posteriori illa sententia, de scriptis novi Testamẽti loqui videtur, de quibus judicium suum jam moriturus ad omnem posteritatẽ Ecclesiæ relinquere voluit.

Sed quid, inquis, ex illa sententia probabis? Vtilem enim esse Scripturam etjam novi Testamenti, nemo est qui neget. Sed ab utilitate ad sufficientiam argumentari, non est firma collectio. Liber Ruth utilis est ad doctrinam. Quis verò sanus inde colliget, omnia quæ ad dogmata & ad mores necessaria sunt, in libro Ruth contineri, ita ut nihil suscipiendum sit, quod inde non possit expressè probari?

Respondeo. Fateor, si Pauli sententia tantùm diceret,

diceret, Scriptura utilis est ad doctrinã, &c. non satis firmiter inde colligi sufficientiã Scripturæ. Sed Paulus pronunciat, omnem Scripturam divinitus inspiratã, in qua etjam novi Testamenti libros cõprehendi ostendimus, ita esse utilem ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionẽ in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonũ absolutus. Vocat hominem Dei, quod posset de quovis Christiano intelligi, qui Deo dicatus est. Sed in priori ad Timotheum cap. 6. homo Dei, est periphrasis ministri Evangelii: sicut Prophetæ vocabantur viri Dei. Et in tota hac posteriori ad Timotheum epistola, agit Paulus de ministerio docendi & tradendi Evangelium. Pronunciat igitur, Scripturam esse utilẽ, ut homo Dei, hoc est, minister Evangelii sit ἄρτιος: quod significat sanum, integrum, omnibus partib. & numeris absolutũ. Et de sufficientia etjam usurpatur, ut cùm Græci dicunt: ἄρτιοι ποιῶν τοῦτο, sufficientes sunt hoc efficere. De qua verò sufficientia & integritate Paulus hoc intelligi velit, ipse explicat, cùm nominat hominem Dei, hoc est, ministrũ Evangelii: ut ad omne bonum opus, quod ad ministerium scilicet requiritur, sit ἐξηρτισμένος. Nam & Tit. 3. cùm de Zena legisperito & de Appollo locutus esset, addit: Discant & nostri bonis operibus præesse, quæ de ministerio præcipuè ibi intelligit. Quamvis si generaliter de quovis Christiano, & de omni opere bono intelligatur, nihil detrahetur sentẽtię Pauli. Sed & vocabula & circumstantiæ ostendunt, Paulum præcipuè de ministerio loqui. Significat autem ἐξηρτισμένος, qui præparatus, instructus, & quasi ad finẽ deductus & absolutus est. Ita Act. 21. dies absoluti & expleti, hoc vocabulo describuntur. Et Oecumenius interpretatur ἐξηρτισμένον, per πεπληρωμένον. Lucæ 6. ubi Christus dicit: Non est discipulus supra magistrum, sed tunc perfectus erit, quando sicut magister erit: ibi usurpat vocabulum κατηρτισμένος. Et ex illa collatione Lector intelligat, quid Paulus hoc loco vocet ἐξηρτισμένον.

Ex hac igitur vocabulorum declaratione manifestum est, Pauli sententiam hanc esse: Quando homo Dei, hoc est, minister Evangelii, Scriptura divinitus inspirata utitur ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem: quod tunc fit in ministerio ἄρτιος, hoc est: sanus, integer, sufficiẽs & perfectus ad omne bonum opus, quod ad ministerium requiritur, ἐξηρτισμένος, satis & sufficienter instructus, paratus & absolutus. Hanc enim esse emphasin vocabulorum certum est.

An in sacra Scriptura omnia contineãtur, quæ ad ministeriũ Evangelij pertinent.

Quæritur jam, an homini Dei, hoc est, ministro Evangelii, quãdo habet & rectè usurpat Scripturam divinitus inspiratã, aliquid præterea aliud præter Scripturã ad ea quę ministerii sunt, sit necessarium? An verò Scriptura divinitus inspirata, sufficienter contineat illa omnia, quæ ad ministerium Evangelii pertinent & requiruntur. Pontificii priorẽ sententiam defendunt: nos posteriorem de perfectione & sufficiẽtia Scripturæ tuemur. Quod si pio studio quæritur, utri sententiæ Paulus accedat, & suffragium suũ adjungat: res contra omnes cavillationes manifestissima est, pronunciat enim Scripturam ad hoc esse utilem, ut homo Dei sit ἄρτιος, ad omne opus bonũ ἐξηρτισμένος. Quod si præter Scripturam, aliæ etjam & diversæ traditiones nõ scriptæ, pari reverentia & pietatis affectu suscipiendæ sunt: profectò Paulus non rectè dixisset, Scripturam ad hoc utilẽ esse, ut homo Dei sit ἄρτιος, ad omne opus bonum ἐξηρτισμένος. Habent autem se correlativè, doctrina ministerii, & fides Ecclesiæ: & igitur de uno probatur, de altero etjam probatum esse intelligitur. Sed inquis: Paulus tamẽ Timotheo non tantũ Scripturam cõmendat, verum etjam traditiones, quas viva voce ipsi tradiderat: Quæ audisti, inquit, ex me, quæ didicisti, quæ cõredita sunt tibi, &c. Verũ hoc est. Sed vide quàm simplex & plana sit solutio. De suis traditionib. Paulus dicit: Hæc præcipe & doce. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt. In illa igitur doctrina, quã Paulus viva voce tradidit, absq; omni dubitatione cõprehensa fuerunt omnia, quæ ad dogmata & ad mores necessaria sunt. Et de illis Pauli traditionibus rectè dici potuit, ut sint utiles ad doctrinam, ut homo Dei sit ἄρτιος, ad omne opus bonũ absolutus. Non enim subterfugi, quin omne consiliũ Dei vobis annunciârim, inquit Actorum 20. Quia verò Paulus, idẽ de Scriptura pronunciat, sicut ostensum est: omnino igitur necesse est, eandem doctrinam, quam Paulus viva voce tradidit, in Scriptura esse comprehensam. Non enim dicit, Qui habet Scripturam, habet partẽ aliquam doctrinæ Apostolicæ: quando verò ad Scripturã adjungit traditiones non scriptas; tum demum homo Dei est ἄρτιος. Hoc nõ dicit, sed verba sunt clarissima: Scriptura utilis est, ut homo Dei sit ἄρτιος. Vtrumq; igitur verũ est: Homo Dei tenens Pauli traditiones, ἄρτιος est in ministerio: &, Tenens Scripturam divinitus inspiratam, ἄρτιος est in ministerio. Quia eadem est doctrina, quæ primò viva voce fuit tradita, & postea in scriptis comprehensa. Neq; locum habet illa objectio, quod 2. Thess. 2. inquit: Tenete traditiones quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. Illud enim Paulus tunc dixit, quando libri novi Testamenti primùm cœperant conscribi, & nondũ omnes erant editi. Sed circa finem vitæ suæ, cùm jam cõscripti & editi essent libri novi Testamenti, ita de Scriptura loquitur, quòd duo æquipollentia constituit, traditionem & Scripturam, ut qui unum habet, habeat & alterum: idq; inde & ideo quia idem scriptum est quod traditum fuerat. Et illa ipsa etjam capita, quæ Paulus recenset 2. Tim. 3. ostendunt perfectionẽ & sufficientiam Scripturæ, quatuor enim ponit.

Obiectio eiusq; refutatio.

1. διδασκαλίαν, quę complectitur ea, quę ad dogmata proponenda & confirmanda pertinent.

2. ἔλεγχον. Vsurpatur autem verbum ἐλέγχειν, de refutatione hæreticorum, Tit. 1. ἔλεγχος igitur complectitur dijudicationem, & refutationem falsorum dogmatum.

3. Ponit παιδείαν, & addit, Quæ est in justitia, ficut scilicet, qui justitiam facit, justus est. Complectitur ergo institutionem piæ vitæ, & informationem morum.

4. ἐπανόρθωσιν, qua arguuntur, corriguntur &

Universidad de Deusto
Biblioteca

instaurantur, quę in vita & moribus, ad regulam divinæ voluntatis non conveniunt.

Et quando in ministerio hęc habemus tàm ad dogmata quàm ad mores, certè nihil ultra debemus vel possumus desiderare. Rectè ergo Paulus pronũciat, Scripturam utilé esse, ut homo Dei sit ἄρτιος.

Habemus igitur ex Paulo clarissima testimonia sigillatim de singulis ipsius epistolis, propter quas causas, quo consilio, in quem finem & usum illas conscripserit, & ecclesiis commendârit. Adjungemus breviter etjam ex reliquis Apostolorum scriptis testimonia quædam.

Petri Apostoli de sacra Scriptura iudicium.

Petrus igitur 1. cap. dicit, Evangeliũ esse quod Prophetæ pronunciârunt, & Apostoli evangelizârunt: Hoc, inquit, est verbum Domini, quod evangelizatum est inter vos. Sed illud, ajunt, fecerunt Apostoli viva voce. Rectè, quis enim hoc negat? Sed jam quęrimus, quia Apostoli doctrinam suã primùm viva voce tradiderũt, & postea eam literis consignârunt, quo consilio, propter quas causas, & in quẽ usum hoc fecerint. Ipse autẽ Petrus in fine prioris epistolę illud explicat: Per Silvanum vobis fidelem ut arbitror fratrẽ, paucis seu breviter scripsi, adhortans & testificans, hanc esse verã gratiam Dei, in qua & statis. Antea diximus, ad Apostolorũ officium pertinuisse, ut doctrinam quæ Ecclesiis tradita erat, si vera & sana esset, suo testimonio cõprobarent & confirmarent. Illud Petrus antea præsens viva voce fecerat in Samaria, Act. 8. Quia verò nunc præsens viva voce nõ potest ubiq; in dispersione illud præstare, mittit Silvanũ. Num verò ita mittit Silvanum, ut is tantùm titulum traditionũ obducat illis, quæ se in mandatis à Petro habere dicturus erat? Et certè Silvanus in magna tunc fuit autoritate, ut qui unà cũ Paulo aliquot ipsius epistolis subscripserit. Sed tamen in cõprobatione & confirmatione dogmatum, ubi Apostolica authoritas requiritur, Petrus cùm ipse pręsens adesse nõ posset, in scripto tradidit Silvano consignata illa, quæ suo nomine Ecclesiis exponi volebat: ut & Sylvanus probare posset, & Ecclesię certæ essent, quæ vera, certa & γνήσια essent mandata Petri. Habemus igitur etjam ex Petri sententia & consilio, id quod ex Pauli epistolis suprà aliquoties monstravimus: ut quando aliquis qui non est Apostolus, aliquid nobis proponit tanquam ab Apostolis traditum & acceptum, si non possumus vivam Apostolorum vocem habere, exigamus probationem ex scripto aliquo Apostolico. Si enim nudus traditionum prętextus & titulus Ecclesiis posset satisfacere, certè non opus fuisset, ut Silvano tantæ tunc autoritatis viro Petrus sententiam suam scripto comprehensam, & Ecclesiis ex scripto commonstrandam tradidisset. Hoc verò tempore (ne quid dicam durius) profectò non sunt Silvani, illi qui sine Scriptura prætextum traditionum nobis obtrudunt.

Consilium autem & causam scribendi, Petrus his verbis exponit. Scripsi paucis, testificans hãc esse veram gratiam Dei, in qua statis.

Lindanus. Lindanus fingit, Petrũ in illa epistola tantùm voluisse cõfirmare traditiones, quas sine scripto acceperant: quæ autem fuerint illæ traditiones, nullo modo voluisse in illa epistola ostendere vel exponere. Sed si hoc tantũ fuisset Petri institutũ, potuisset epistolã 4. aut 6. verbis absolvere. Testificor veram esse quæ tradita accepistis. Quare verò tàm multis verbis capita doctrinæ Apostolicæ recenset & exponit? Certè ipse dicit, se paucis illa scripsisse, ut testificaretur ταύτην esse verã gratiam Dei, in quã stabiliti essent, Non dicit (juxta Tertulliani observationẽ) illã, sed hanc: referens se ad ea quæ scripserat. Eorum igitur quæ evangelizata fuerant in illis Ecclesiis, repetitionem in hac epistola instituit: ut post mortem suam, sicut in altera epistola inquit, extaret testificatio, quam Petrus judicasset veram esse gratiam Dei, In altera epistola causam scriptionis plurib. verbis, & luculentius exponit. Recitatis enim summariis doctrinæ capitibus inquit: Licet hæc sciatis, & confirmati sitis in præsenti veritate, non tamẽ negligam vos de his commonefacere (per scripta scilicet) Et addit hãc causam: ut post obitum meum habeatis, unde memoriã horũ faciatis. Erunt enim inter vos falsi Doctores, qui fictitiis sermonibus de vobis negociabuntur. Item: quia in novissimis diebus venient illusores, &c.

Emphasis vocabulorũ expendatur, ὑπομνήματα enim vocantur commentarii seu libri, qui in subsidium memoriæ, brevibus annotationibus ex lectione seu auditione conficiuntur. Et hinc colligitur, quid Petrus velit cùm usurpat verbum ὑπομιμνήσκειν: nominat & ὑπόμνησιν. Adverbiũ etjam ἑκάστοτε, considerandũ est: significat etnim semper ubiq; sigillatim. Et sensus ex illa phrasi colligendus est, ἔχειν μνήμην ποιεῖσθαι, cujus sensus est, vel ut possitis facere, vel ut habeatis unde faciatis memoriã doctrinæ Apostolicæ semper ubiq; & sigillatim, etjam quando vivam Apostolorum vocem amplius habere nõ poteritis post obitum illorum. Omnino enim plus est μνήμην ποιεῖσθαι, quã μνεῖαν. Significat enim conservare memoriam alicujus rei זכרון enim & זכרון quod Græci interpretes nũc μνημόσυνον, nunc μνήμην, nunc μνεῖαν, reddiderũt, significat & memoriam alicujus rei, & monumentum, quo memoria illa renovatur & conservatur. Duas igitur causas suæ scriptionis, verbis valde illustribus Petrus recenset. 1. Vt cùm viva Apostolorum voce destituti fuerint, possint tamen semper ubiq; & sigillatim memoriam puræ doctrinæ ab Apostolis traditæ habere & conservare. 2. dicit, se ideo scribere, quia futuri sint in Ecclesia falsi Doctores. Et illorum corruptelas vocat fictitios sermones, quos scilicet fingent ab Apostolis traditos & acceptos, sicut Paulus dicit, 2. Thess. 2. Nec de illis tantùm periculis, quę tunc temporis erant, loquitur: sed futuri sunt, inquit capite 2. & capite 3. In extremis temporibus venient. Quem ergo usum suorum scriptorum in Ecclesia esse voluerit, manifestum est. Non igitur judicavit Petrus, per traditiones servari posse memoriam doctrinæ. Ideo enim scripsit, imò prædicit corruptelas orituras ex fictitiis traditionibus. Et his scripta opponit, & recenset summam Scripturæ. 1. Sermonem prophetici, qui in veteri Testamento descriptus est. 2. quæ de Christi adventu, majestate & potentia Apostoli & viderunt & audiverunt. Illa verò in scriptis Evangelistarum

gelistarum exposita esse, suprà demonstravimus. 3. Mandatũ quod Apostoli tradiderunt, illud verò conscriptum esse, mox ex Ioanne audiemus. Et Petrus ipse testatur, se ideo scripsisse, ut ejus quod Apostoli tradiderant, memoria post mortẽ suã maneat & conservetur. Nec de suis tantùm scriptis loquitur, sed in fine concludit, sicut & dilectus noster frater Paulus, secundũ datam sibi sapientiam scripsit vobis, quasi in omnibus epistolis loquens de his, &c. Vidit igitur Petrus Pauli epistolas, & illas suo testimonio, Ecclesiis ita commendat, ut significet, pertinere eas non tantùm ad particulares illas Ecclesias quibus inscriptæ sunt, sed continere eas doctrinam universalem, pertinentem ad omnes, qui ęquè preciosam cum Apostolis sortiti sunt fidem: ad illos enim Petrus scribit, & inquit: Vobis scripsit Paulus. Quomodo verò, & de quibus Petrus judicet Paulum scripsisse, inde colligitur, quòd non de uno tantùm articulo, sed de tota suã doctrina, cujus mentionẽ in illa epistola fecerat, Petrus inquit: Sicut & Paulus scripsit vobis de his. Et illustre est encomium epistolarũ Pauli, quod Petrus de his inquit, ὡς καὶ λοιπῶν: hoc est & Paulus in omnibus suis epistolis, quasi viva voce loquatur de dogmatibus. Si igitur quærimus, quasi vivam vocẽ Pauli tradentem doctrinam Apostolicam, Petrus ostendit, eam in epistolis ipsius sonare & exaudiri. Sed inquiunt: Petrus tamen affirmat epistolas Pauli esse difficiles intellectu, quas multi ad suã pernicię depravent. Periculosum igitur est, Scripturis uti: & tutius est, traditionibus acquiescere. Respondeo: Petrus hoc non dicit, epistolas Pauli ita esse conscriptas, ut difficultate & obscuritate sua Lectoribus præbeant occasionem ad perditionem, utitur enim articulo, non fœmineo, sed neutro, significans res ipsas de quibus Paulus loquitur, quia positæ sunt longè supra & extrà omnem conspectum rationis non posse rectè intelligi ab hominibus carnalibus, sed opus esse illuminatione Spiritus sancti. Nec dicit omnia dogmata in epistolis Pauli esse δυσνόητα, sed quędam, Et illa non dicit per se prębere Lectoribus occasionem ad perditionẽ: sed homines inquit, indocti, & parùm cõfirmati, depravant illa ad suã ipsorum perditionem. Vtitur verbo valde emphatico, στρεβλοῦσι, quod à torturis sumptum est. Sicut enim adhibitis tormentis, sępe de innocentibus habentur quæstiones, ut aliquid aliud quàm res ipsa se habet, pro affectu torquentium ab illis exprimatur: ita Petrus dicit, Scripturæ quasi tormenta adhiberi, quibus à genuina, simplici & aperta sententia distorqueatur: ut illud nobis loquatur, quod ante lectionẽ præsumpsimus intelligendum, sicut Hilarius loquitur. Ergo per se nisi cõtorqueatur, non reddit nisi unã, simplicem, verã & salutarem sententiam. Hanc verò fortunam, Petrus dicit epistolis Pauli communẽ esse cum reliqua Scriptura. Inquit enim, Sicut & reliquis Scripturis. Num verò propterea dehortatur Petrus à lectione Scripturæ. Nihil minus: sed causam & finem illius commonefactionis ponit, cùm inquit: Vos igitur dilecti, quia pręmoniti estis, cavete, ne simul cũ aliis nephariorum errore abducti, excidatis à propria stabilitate, &c. Habemus igitur Petri judicium de

 sione,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sione, & mutilata & mutata est. Ostendit autem Ioannes se scripsisse & propter illos, qui jam credebant, ut in fide confirmati, scirent se habere vitam æternam: & propter illos, qui adhuc crediturierant, ut crederent in nomen filii Dei. Nudas tantùm sententias recito: in re enim per se manifesta, non opus est multis verbis.

In Apocalypsi Ioānis, hoc in primis observandum est, quòd Ioānes aliquoties mandatum accepit à filio Dei, ut scribat Ecclesiis ea, quæ & videbat & audiebat. Et tamen tanta est Eccii, Pighii, & Andradii mei impudentia, ut non vereantur dicere, Apostolos accepisse à filio Dei mandatum, non ut scriberent, sed ut tantùm prædicarent Evangelium. Atqui Ioannes aliquoties expressum accipit mandatum ab ipso filio Dei, ut scribat Ecclesiis. Et de reliquis novi Testamenti scriptis Paulus affirmat, quòd sint divinitus inspirata: hoc est (sicut Petrus illud interpretatur) non humana voluntate, sed à spiritu sancto impulsi, locuti sunt homines Dei. Pertinet & hoc in Apocalypsi ad nostrā observationē, quòd non omnia Ioannes permissus est scribere, sed ea quæ necessaria erant, & capi poterant. Nam cap. 10. inquit: Cùm locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram: & audivi vocem de cœlo, dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere. In fine comminatur plagis, qui vel ad posuerit vel diminuerit de verbis libri hujus. Ergo quod de Scriptura veteris Testamenti dicitur, pertinet etjam & rectè accommodatur ad scripta novi Testamenti: Nihil addas, nihil minuas: non declines sive ad dexteram, sive ad sinistram: non faciatis singuli, quod vobis rectum videtur, sed quod ego præcipio tibi, hoc tantum facito: nec addas, nec minuas aliquid.

Iudas de sua epistola inquit: Cū anteà habuerit studiū & promptitudinem scribendi de communi salute, impositam sibi jam esse necessitatē scribendi, propter subingressos falsos Doctores. Et argumentū epistolæ est, ut certent pro tuenda doctrina, quæ semel tradita est sanctis. Hic Lindanus exclamat, Iudam manifestè loqui de doctrina Apostolorū, quam viva voce tradiderant. Quid ni loquatur de illa, cùm nulla sit alia Apostolica doctrina, quàm quæ ab ipsis tradita est? Sed jam ostendimus, illa quæ Apostoli annunciaverunt & tradiderunt, esse ab ipsis confignata literis, & scriptis comprehensa. Et ut Iudas ostendat, se respicere ad scripta Apostolorum, ad verbum fermè describit, quæ extant in secunda Petri epistola. Et posteà dicit: Memores estote verborum quæ antehac dicta fuerunt ab Apostolis Domini. Non autem intelligit ignotas aut non scriptas traditiones, sed mox ipsa verba Petri citat, quæ extant in 3. cap. secundæ epistolæ. Quia igitur Iudas, cùm loquitur de fide semel tradita manifestè se refert ad scripta Apostolorum: sine dubio adjecisset alia, si quę putasset deesse & desiderare in scriptis Apostolicis, ad cōservationem puritatis doctrinæ necessaria.

Quod in secunda & tertia epistola, quæ Ioannis nomine feruntur, dicitur: Cùm multa haberem quæ scriberem, nolui per cartam, atramentum & calamum: sed spero protinus me visurum te, & ore ad os loqui. Hoc Lindanus ita depravat, præcipua quædam fidei capita, & sublimiora Christianismi dogmata Apostolos noluisse papyro & atramento peritura credere, sed ut perpetua essent, traditionibus commendasse: sed impudens figmentū, manifestum mendacium est, quòd textus hoc vel dicat, vel sentiat. Et verus Apostolus Ioannes multò aliter in priori epistola, quam constat γνησίαν esse, loquitur, se scilicet scribere mandatum illud vetus, quod ab initio acceperant. De autore vero duarū posteriorum, ab antiquis semper dubitatum fuit. Maneat igitur, quod Hieronymus de Apocryphis ex sententia antiquitatis pronunciat, ad confirmanda ea, quæ in controversiam veniunt, testimonia ex illis sumi nec posse, nec debere. Et cùm autor illarum epistolarum, multa illa quorum mentionem facit, scribere noluerit, respondemus verbis Augustini: Quis ergo dicet, vel ista, vel illa esse: aut si quis dicere audeat, unde probabit?

Et hactenus de singulis novi Testamenti scriptis ostendimus, quo consilio, propter quas causas, & in quem usum Apostoli doctrinā suam literis obsignārint, & scriptis comprehenderint: & illam tractationem ideo institui. Tota enim disputatio de autoritate, perfectione & sufficientia Scripturæ, omnium rectissimè ex his fundamentis potest dijudicari. Constitueram autem in principio paucioribus uno atq; altero testimonio hanc observationem absolvere. Sed in ipsa tractatione, posteà animadverti, in singulis Apostolorum Epistolis extare luculenta aliqua de hac re testimonia, quæ singula peculiare aliquid monent. sicut illa simul in unum collecta, firmiores & solidiores de autoritate, perfectione & sufficientia Scripturæ præbent probationes, quàm quæ jejunis Pontificiorum cavillationibus & sophismatis eludi & labefactari possint. Me sanè erudivit, delectavit, & plurimum confirmavit hæc tractatio: & spero ad Lectorem etjam aliquid fructus, Deo benè juvante, inde rediturum.

Summa autem eorum, quæ demonstravimus, hæc est. Hoc consilio, propter has causas, & in hunc usum Apostolos doctrinam suam literis consignasse. 1. Ut ea quæ præsentes viva voce tradiderant, per literas repeterent, & in memoriam revocarent. 2. Ut ea quæ post tradita prima fidei elementa superstruenda erant, per epistolas explicarent. 3. Quia sub prætextu & titulo traditionum, quasi ab Apostolis acceptarum, Ecclesiæ turbabantur, & doctrina adulterabatur. 4. Quia doctrina viva voce ab Apostolis accepta, non fideliter per traditiones conservabatur. 5. Ut alii Doctores, qui non erant Apostoli, haberent scriptum testimonium, unde probare possent Ecclesiis, Apostolicam esse doctrinam quam afferebāt. 6. Ut Ecclesiæ quæ non poterant audire vivam Apostolorum vocem, certæ essent, quam doctrinam ut verè Apostolicam susciperé & venerari deberent. 7. Eadem quæ Apostoli præsentes viva voce tradiderant, absentes posteà scriptis complexi sunt. 8. In scriptis Apostolorum proponi, non nudum tantùm Catalogum, quæ fuerint capita Apostolicæ doctrinæ, verùm etjam justas explicationes. 9. Quòd Canon fidei Christianæ

stianæ sit in Scriptura. 10. Ex scriptis Apostolorum posse intelligi, quæ fuerit ipsorum cognitio in mysterio Christi. 11. Apostolos ita scripsisse, prout credentes in hujus vitæ infirmitate mysteria Evangelii capere possint. 12. Eadem quæ prius tradiderant, posteà literis consignarunt, ideò ut puritas doctrinæ cōtra corruptelas conservari posset. 13. Apostoli in suis scriptis complexi sunt, & prima elementa fidei, & quæ posteà subsecuta fuerit plenior & perfectior doctrina. 14. Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est, ut minister Evangelii sit perfectus, ad omne opus ministerii satis instructus. 15. Apostoli ideò scripserunt, ut Ecclesia post obitum Apostolorum, quando viva ipsorum voce destituta esset, haberet unde posset retinere & conservare memoriam doctrinæ Apostolicæ, præcipuè quia in postremis temporibus futurum erat, ut commentitiis sermonibus, quasi ab Apostolis traditis, multæ corruptelæ Ecclesiis obtruderentur. 16. Ut extaret forma, quomodo in ministerio versandum sit in Ecclesia, ut sit & maneat columna & fundamentum veritatis. 17. Eadem quæ ab initio Apostoli tradiderunt, posteà conscripserunt, ideò in certum usum omnibus ætatibus, omnibus Ecclesiis, & omnibus temporibus. 18. Scripserunt & pro illis, qui jam credebant, & pro illis etjam, qui adhuc crediturierant. 19. Mandatum scribendi acceperunt ab ipso filio Dei. 20. Eadem est origo, ratio & usus Scripturæ in novo Testamento, sicut fuit in veteri, ut nihil addatur, nihil minuatur, non declinetur, vel ad dexteram, vel ad sinistram. Et quæ præterea huc pertinentia, in ipsa tractatione explicata sunt.

Hæc contra omnes cavillationes, contra omnia sophismata Pontificiorum, luculenter & solidè probant & confirmant autoritatem, perfectionem & sufficientiam sacræ scripturæ in novo Testamento. Quæ verò de traditionibus objiciuntur, infrà suo loco explicabuntur.

TESTIMONIA VETERIS ECclesiæ de Scriptura.

Quę hactenus ex ipsis Scripturæ verbis adduximus, firmissima sunt testimonia, quibus pia mens tutò niti potest. Proponunt enim nobis ipsius Spiritus sancti judicium de Scriptura. Sicut enim veteres dicunt, de DEO nihil credendum esse, nisi ipso Deo revelante & testificante: Ita etjam de Scriptura id credamus, quod ipsa Scriptura de se, imò quod autor ipse Spiritus sanctus de opere suo judicat & pronunciat. Adjungemus verò etjam veteris Ecclesiæ consensum de autoritate, perfectione & sufficientia scripturæ. Amamus enim & veneramur veteris & purioris Ecclesiæ testimonia, cujus consensu & adjuvamur & confirmamur, fidem verò oportet niti verbo Dei, non humana autoritate. Ideò Patrum testimonia nō præponimus, sed subjungimus Scripturæ.

Primum autem repeto Irenæi sententiam, lib. 3. cap. 1. Apostoli Evangelium tunc præconiaverunt, posteà verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.

Augustinus de Civitate 19. cap. 18. Civitas Dei credit scripturis sanctis, veteribus & novis, quas Canonicas appellamus. Vnde fides ipsa concepta est, ex qua justus vivit, per quam sine dubitatione ambulamus, quàm diu peregrinamur à Domino. *Augustinus.*

Chrysostomus homilia prima in Matthæum. Oportuerat quidem nihil nos indigere literarum auxilio, sed tam mundam in omnibus exhibere vitam, ut librorum vice, gratia Spiritus uteremur. Quia verò hanc nobis excussimus gratiam, age vel ad secundam navigationem animum adjiciamus. Ita Patriarchis Deus non per literas, sed per semetipsum locutus est, quia munda eorum corda repererat. Postquam verò omnis Iudæorum populus in vitiorum ima delapsus est, necessariò inde dantur literæ ac tabulæ, & ea, quæ per has administratur admonitio. Et hoc non tantum veteris Testamenti sanctis, sed etjam novi accidisse perspicimus. Siquidem nec Apostolis scriptum aliquid tradidit CHRISTVS sed pro literis Spiritus sancti se illis daturum gratiam promisit. Et hoc illo esse multò melius, testatur Ieremias capit. 31. Paulus 2. Cōrinth. 3. Quia verò progrediente tempore, quidam propter dogmata, alii propter morum improbitatem graviter impegerunt, ea rursus quæ literis constat, opus fuit admonitione. Et addit: Considera quam sit extremæ omninò dementiæ, quia primam illam dignitatem perdidimus, ne secundo quidem remedio uti velle ad salutem, sed cœlestia scripta, quasi frustra ac vanè deposita despicere: Primam igitur illam dignitatem, quando sine literis sola viva voce tradebatur doctrina Apostolica, Chrysostomus pronunciat amissam esse & ostēdit, propter quam causam, & in quem usum Deus Scripturam nobis tradiderit, non tantùm in veteri, sed etjam in novo Testamento. Ignorat enim differentiam illam, de qua Pontificii fabulantur. *Chrysostom.*

Theophylactus illam Chrysostomi sententiam ita reddidit: Quoniam hæreses pullulaturæ erant, quæ mores nostros depascerentur, operæ precium visum est, ut scriberentur Evangelia: quia discentes ex illis veritatem, non deciperemur ab hæresium mendaciis. *Theophyl.*

Augustinus de doctrina Christian. libr. 2. cap. 9. In his, quæ apertè posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quę continent fidem, moresq; vivendi, spem scilicet & charitatem. Augustini igitur sententia est, omnia quæ ad fidē, moresq; vivendi pertinent, inveniri in Scriptura, & quidem in illis locis, qui apertè positi sunt in scriptura. Quid igitur de illis quæso judicandum est, quæ Pontificii præter & extra Scripturam nobis obtrudere conantur?

Augustinus contra literas Petiliani libro tertio, capite sexto: Si quis sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacunque alia re, quę pertinet ad fidem vitamq; nostram: non dicam, si nos sed quod Paulus adjecit, si Angelus de cœlo vobis annunciaverit, præterquam quòd in Scripturis legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit. *Augustinus.*

Arrigat ad hunc locum aures Lindanus, qui contendit non esse anathema, qui præter ea, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

scripta sunt evangelizat, eo quòd plura sint tradita quàm scripta.

Idem in Epistolam Iohannis Tractatu 2. Maximè debetis animadvertere, & memoriæ vestræ mandare, quòd contra insidiosos errores DEVS voluit ponere firmamentum in Scripturis, contra quas nullus audet loqui, qui quoquo modo se vult videri Christianum. Cùm enim palpandum se præbuisset, non illi sufficit, nisi de Scripturis confirmaret cor credentibus, prospiciebat enim nos futuros, in quo nos palpemus non habemus, & quod legamus, habemus.

De bono viduitatis, ca. 1. Quid amplius te doceam, quàm id quod apud Apostolum legimus? Sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plus quàm oportet. Non sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba tibi Doctoris exponere.

Athanasius. Athanasius contra Gentes: Sufficiunt sanctæ ac divinitus inspiratæ Scripturæ, ad omnem institutionem veritatis.

Chrysostom. Chrysostomus 2. Thess. 2. Omnia clara sunt ac plana ex Scripturis divinis: quæcunq; necessaria sunt, manifesta sunt.

Hieronymus. Hieronymus ad Gal. Spiritus sancti doctrina est, quæ Canonicis literis prodita est, contra quã si quid statuant Concilia, nephas duco.

Basilius. Basilius in sermone de fide confessione: Si fidelis est Dominus in omnibus sermonibus suis, & fidelia omnia mãdata ejus, manifesta est elapsio (ἐκπτωσις) à fide, & superbiæ crimen, aut reprobare, quid ex his quæ scripta sunt, aut superinducere quid ex non scriptis, cùm Christus dixerit: Oves meæ vocem meam audiunt, alienum autem non sequentur, sed fugient, quia non noverunt vocem eius. Idem in Moralibus, summa 72. capit. 1. pronunciat, quòd oporteat auditores eruditos in Scripturis probare ea, quæ à Doctoribus dicuntur, & quæ quidem consona sunt Scripturis suscipere, quæ verò aliena rejicere. Et ad illam regulam accommodat sententiam Pauli, Galat. primo, Si Angelus è cœlo evangelizaverit vobis, præter id quod prædicavimus vobis, anathema sit. Ibidem summa 80. capit. 22. Quid est proprium credentis? Nihil audere, aut insuper addere, si enim omne quod non ex fide est, peccatum est, fides autem ex auditu est, auditus autem per verbum Dei, omne quod extra Scripturam divinitus inspiratam, quia non ex fide est, peccatum est.

Idem Epistola 80. Non putamus, justum esse, obtinentem apud ipsos consvetudinem, legem ac regulam facere rectæ doctrinę. Igitur Scriptura divinitus inspirata, arbiter à nobis constituatur (διαιτητὴς ἀνωμίν) & apud quos inventa fuerint dogmata, divinis sermonibus concordantia, his omninò etjam veritatis suffragium accedit.

Origenes. Origenes in 3. cap. ad Rom. Paulus Doctoribus Ecclesiæ præbet exemplum, ut ea, quæ loquuntur ad populum, non propriis præsumpta sententiis, sed divinis munita testimoniis proferant. ei enim tantus ac talis Apostolus autoritatem dictorum suorum sufficere posse non credit, nisi doceat in Lege & Prophetis scripta esse quæ dicit: quantò magis nos minimi hoc observare debemus, ut non nostras cùm docemus, sed sancti Spiritus proferamus sententias.

Gerson. Gerson in 1. parte de examine doctrinarum, citat glossam quandam super illud: Apparuit Moses & Helias cum ipso: Suspecta est omnis revelatio, quam non confirmat, Lex & Prophetæ cum Evangelio.

Epiphanius. Epiphanius hæresi 65. Nos uniuscujusq; quæstionis inventionem, non ex propriis ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia.

Sempiterna memoria digna est sententia Constantini Magni, qua Nicænam Synodum (ficut nunc loquuntur) ipse aperuit. Et occasio ejus sententiæ considerandæ est. Sozom. libr. 1. cap. 17. recitat varias fuisse sententias. Aliis consulentibus, nihil innovandum præter fidem ἀχρῆτῳ traditam, aliis verò affirmantibus, non esse temerè adhærẽdum vetustis opinionibus ἀδιακρίτως temere, sine inquisitione & examinatione, & ita variis quæstionibus causa distrahebatur. Constantinus igitur, sicut Theodoretus scribit, libro primo, capit. septimo, intulit sermonem de concordia, indignum dicens, hostibus Ecclesiæ domitis jam ipsos se mutuò impetere, & risum præbere inimicis, præsertim in disputationibus rerum divinarum, in quibus doctrinam Spiritus sancti haberẽt ἀναγραπτον, hoc est in scripta, quasi in acta seu instrumenta relatam, hoc enim significat ἀναγράφειν. Evãgelici enim inquit & Apostolici libri, & antiquorum Prophetarum oracula, planè instruunt nos, quid de rebus divinis sentiendum sit. Proinde hostili posita discordia, ex dictis divinitus inspiratis sumamus quæstionum explicationes Pulcherrima hæc sententia, digna est, quæ ipsius autoris verbis extet & nota fit. Sic autem habet: εὐαγγελικαὶ καὶ ἀποστολικαὶ βίβλοι, καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν τὰ θεσπίσματα, σαφῶς ἡμᾶς ἄχρι νῦν διὰ τὸ θεόφρονα ἐκπαιδεύουσι, τίνι πολέμιον ὂν ἀπελάσαντες ἐρίν, ἐκ τῶν θεοπνεύστων λογων λαβωμεν τῶν ζητουμένων τὴν λύσιν.

Evagrius. Ita etiam Evagrius libro 2. cap. 16. de Ephesina & Chalcedonensi Synodo scribens, recenset Ioannis Antiocheni sententiam, à Cyrillo approbatam. Ex Evangelicis & Apostolicis de Domino vocibus, scimus viros divinos constituisse, &c.

Cusanus. Et Cusanus scribit, formam veterum universalium Synodorum fuisse, ut sacra Evangelia ponerentur in medium.

Augustinus. Idem Augustinus Epistola 163. dicit, in privatis etjam de religione disputationibus servatũ, Vbicunq;, inquit, locus constitutus fuerit, faciamus codices canonicos præstò esse. Et si qua proferri potuerint ex vtraque parte documenta, ut postpositis cæteris, rem tantam ad inquisitionis terminum perducamus.

Chrysostom. Chrysostomus homil. 13. in Genes. Dicunt de Paradiso, non sicut scripta sunt, sed alia ratione intelligenda. Sed Scriptura cùm tale quiddam nos docere vult, seipsam exponit, & auditorem errare non finit. Oro igitur & obsecro, ut omnibus

bus illis præclusis auribus, ad amussim canonem sacræ Scripturæ sequamur.

Origenes. Origenes in Ezechielem homilia 7. Qui pessimæ vitæ est, non facilè homines ad falsum dogma solicitat: sed illi qui conversationis optimæ sunt. Quærgo curam habet vitæ suæ, non capiatur hæreticorum mansvetudine, ad consentiendum doctrinæ ipsorum. Nec meis qui doceo delictis scandalizetur, sed ipsum dogma consideret. Audi verò, quomodo Origenes ipsum dogma doceat considerandum. Nullum, inquit, imitemur, & si volumus imitari quempiam, propositus est nobis ad imitandum Christus Iesus, descripti sunt actus Apostolorum, & Prophetarum gesta de sacris voluminibus agnoscimus. Illud exemplar firmũ est, illud propositum solidum: quod qui sequi cupit, securus ingreditur.

Cyrillus. Cyrillus de recta fide ad Reginas: Necessarium nobis est, divinas sequi literas, & in nullo, ab earum præscripto discedere.

Augustinus. Augustinus contra Maximinum lib. 3. cap. 14. Sed nunc nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego huius authoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumcunque propriis, sed utriusq; communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.

Origenes in Ieremiam: Necesse nobis est Scripturas sanctas in testimonii vocare: sensus quippe nostri & enarrationes, sine his testibus non habent fidem.

Hieronymus. Hieronymus ad Titum: Sine autoritate Scripturarum, garrulitas non habet fidem.

Idem in caput Matthæi 23. Quod de Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

In Commentariis Psal. 86. quę Hieronymi nomine feruntur: Dominus narrabit in Scriptura populorum & Principum qui fuerũt in ea. Quomodo narrabit Dominus? Non verbo, sed Scriptura. In cujus Scriptura? populorum, hoc est, Scriptura sancta, quæ populis omnibus legitur, hoc est, ut omnes intelligant. Plato scripsit non populis, sed paucis, vix enim intelligunt tres homines. Isti verò, hoc est, Principes Christi, nõ scripserunt paucis, sed universo populo, non ut pauci intelligerent, sed ut omnes. Dicit & in Principum Scriptura, hoc est, Apostolorum & Evangelistarum, horum qui fuerunt in ea. Videte quid dicat. Qui fuerunt, non qui sunt, ut exceptis Apostolis, quodcunq; aliud postea dicetur, abscindatur, non habeat postea authoritatem. Quamvis ergo sanctus sit aliquis post Apostolos, quâvis disertus sit, non habet autoritatem. Quoniam Dominus narrat in Scriptura populorum & Principum, horum qui fuerunt in ea.

Chrysostomus in cap. Matth. 24. homilia 49. Cùm videritis hæresin impiam, quæ est exercitus Antichristi, stantem in locis Ecclesiæ sanctis, tunc qui in Iudæa sunt, conferant se ad montes, hoc est, qui sunt in Christianitate, conferant se ad Scripturas. Vera enim Iudæa, Christianitas est: montes autem sunt Scripturæ Prophetarum & Apostolorum, sicut scriptum est: Fundamenta ejus in montibus sanctis. Quare autem in hoc tempore omnes Christiani conferre se ad Scripturas debent? Quia in hoc tempore, ex quo obtinuit hæresis Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neq; refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scripturæ divinæ. Antea enim multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi, & quæ Gentilitas. Nunc autem nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas. Quare? quia hæresis omnia similiter habet. Volens ergo cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscet, in tanta confusione similitudinis, nisi tantummodo per Scripturas? Sciens ergo Dominus tantam confusionem rerum in novissimis diebus esse futuram, ideò mandat, ut Christiani, qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere veræ fidei, ad nullam rem fugiant, nisi ad Scripturas. Alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur & peribunt, non intelligentes, quæ sit vera Ecclesia, & per hoc incident in abominationem desolationis, quæ stat in locis Ecclesiæ sanctis.

Chrysostomus. Chrysostomus in Psal. 95. Si quid dicitur absq; Scriptura, auditorum cogitatio claudicat. Verum ubi è Scriptura divinæ vocis prodiit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.

Augustinus. Augustinus in Psalm. 57. Auferantur de medio chartæ nostræ, procedat in medium codex Dei. Audi Christum dicentem, audi veritatem loquentem.

Tertullianus. Tertullianus adversus Hermogenem: Adoro Scripturæ plenitudinem. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat væ illud, abjicientibus aut detrahentibus destinatum.

Augustinus de peccatorum meritis, lib. 2. cap. 36. Vbi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisq; documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando.

Cyrillus. Cyrillus, sive is Origenes est, in Levi. libr. 5. Si nõ potueris omnes carnes sacrificii, secunda die finiri, nihil de his in tertia die comedes, &c. Ergo inquit, in hoc biduo, puto duo testamenta posse intelligi, in quibus liceat omne verbum, quod ad Deum pertinet, requiri & discuti, atq; ex ipsis omnem rerum scientiam capi, si quid autem superfuerit, quod non Scriptura divina decernat, nullam aliam debere tertiam Scripturam ad autoritatem scientiæ suscipi.

Augustinus. Augustinus de unitate Ecclesię, cap. 3. Non audiamus, Hæc dico, hæc dicis: sed, Hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorum autoritati utriq; consentimus, utriq; credimus, ibi quæramus Ecclesiã, ibi discutiamus causam nostram. Item, Auferantur de medio, quæ adversus nos invicem, non ex divinis canonicis libris, sed aliunde recitamus. Quærat fortasse aliquis: Cur vis ista auferre de medio? Quia nolo humanis documentis, sed divinis oraculis Ecclesiam sanctam demonstrari. Item, Quicquid attulerint,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rint, & vndecunq; recitaverint, audiamus potius, si oves ejus sumus, vocem pastoris nostri. Ergo in Scripturis sanctis canonicis Ecclesiam requiramus.

Chrysostom. Chrysostomus homil. 13. in 2. ad Cor. Nō multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiramus. Absurdum enim est, de pecuniis non credere aliis, sed ipsas numerare & supputare, de rebus autem multo amplioribus, aliorum sententiam simpliciter sequi, præsertim cùm habeamus omnium exactissimam trutinam, gnomonem & regulam, divinarum legum assertionem. Ideò oro vos omnes, ut relinquatis, quid huic vel illi videatur, & de his à Scripturis hæc omnia inquirite.

Chrysostomus in 22. cap. Matt. Quicquid quæritur ad salutem, totum jam impletum est in Scripturis.

Origenes. Origenes in Matth. homilia 25. Ad testimonium omnium verborum, quæ in doctrina proferimus, debemus sensum Scripturæ proferre, quasi confirmantem quem exponimus sensum, Sicut enim omne aurum quodquod fuerit extra templum, non est sanctificatum, sic omnis sensus, qui fuerit extra divinam scripturam, quamvis admirabilis videatur quibusdam, non est sanctus, quia nō continetur à sensu Scripturæ. Non ergo debemus ad confirmandam doctrinam nostros proprios intellectus assumere: nisi quis ostenderit eos sanctos esse, ex eo, quod in Scripturis continentur divinis, quasi in templis quibusdam Dei.

Cyprianus. Cyprianus ad Pompeium, habet valdè elegantem sententiam, quam Augustinus dicit sine dubitatione optimam esse. In compendio est, inquit, apud religiosas mētes, & errorem deponere, & invenire atque eruere veritatem. Nam si ad divinæ traditionis caput & originem revertamur, cessat error humanus. Si canalis aquæ, qui copiosè prius & largiter profluebat, subitò deficiat, nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noscatur: utrumne arescentibus venis in capite ficcaverit, an verò integra inde & plena procurrens, in medio itinere destiterit? Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes, & in aliquo si nutaverit & vacillaverit veritas, ad originem Dominicam, & Evangelicam & Apostolicam traditionem revertamur, & inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo & origo surrexit. Et postea ostēdit, unde probandæ sint traditiones: Vnde est, inquit, ista traditio? Vtrum de Dominica & Evangelica autoritate discedēs, an de Apostolorū mandatis atque epistolis veniens? Ea enim faciendа esse, quæ scripta sunt, Deus testatur & proponit, ad Iosue dicens: Non recedet liber legis hujus ex ore tuo, ut observes facere omnia, quæ scripta sunt. Si igitur aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis & actibus continetur, observetur etjā hæc sanctatraditio, &c. Non ignoro autem, Cyprianum hæc pro defensione suæ rebaptisationis, in qua errabat, allegare. Sed Augustinus refutans illum Cypriani errorem, non dicit, hoc principium seu axioma falsum esse, ad originem scilicet Apostolicæ traditionis in Scriptura comprehensæ, esse recurrendum, indeq; canalem in nostra tempora dirigendum, & traditiones omnes, quæ hoc titulo proponuntur, ad Scripturam esse exigendas, & inde probandas, sed concedit hoc esse optimum, & fine dubitatione faciendum, libr. 5. capit. 26. de unico Baptismo contra Donatistas. In accommodatione verò Scripturæ ostendit Cyprianum errasse. Fixum igitur manet illud principium de Scriptura, Augustini etjam cōsensu & commendatione.

Augustinus. Augustinus de pastoribus cap. 14. Ego vocem pastoris inquiro. Lege hoc mihi de Propheta, lege mihi de Psalmo: recita de Lege, recita de Evangelio, recita de Apostolo. Inde ego recito Ecclesiam, toto orbe diffusam, & Dominum dicentem: Quæ sunt oves meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me, auferantur chartæ humanæ, sonent voces divinæ.

Augustinus de unitate Ecclesiæ, cap. 6. Legite hoc nobis de Lege, de Prophetis, de Psalmis, de Evangelio, de Apostolicis literis legite, & credamus.

Cap. 10. Ne catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi fortè falluntur, ut contra canonicas Dei Scripturas aliquid sentiant.

Cap. 12. Qui aliud evangelizat, anathema sit, aut legat mihi hoc in Scripturis sanctis, & non sit anathema.

Cap. 16. Ecclesiā suam si possunt, demonstrent: non in sermonibus & rumoribus Afrorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, nō in signis & prodigiis fallacibus: quia etjam cōtra ista, verbo Domini præparati & cauti redditi sumus, sed in prescripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius pastoris vocibus, in Evangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus canonicis sanctorum librorum autoritatibus. Item, Non dicat, Ideò verum est, quia illa & illa mirabilia fecit, vel iste vel ille, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant & exaudiuntur, aut quia illa & illa ibi contingunt, aut quia ille vel ille talevisum vel vigilans vidit, vel dormiēs somniavit. Removeantur ista vel figmenta mendacium hominū, vel portenta fallacium spirituum. Nam nec nos propterea dicimus nobis credi oportere, quòd in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam quam tenemus commendarunt innumerabiles nostræ cōmunionis Episcopi, aut quia nostrorum collegarum Conciliis prædicata est, aut quia per totum orbem in locis sanctis, quæ frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel exauditionum, vel sanitatum fiunt, &c. Item ipse Dominus Iesus, cùm post resurrectionem discipulorum oculis videndum, manibusq; tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fallaciæ se pati arbitrarentur, eos testimoniis legis, Prophetarum & Psalmorum confirmandos esse judicavit, &c. Hæ sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta, inquit Augustinus.

Et cap. 20. concludit: Exigite ab istis, ut ostendant aliqua manifesta de Canonicis libris testimonia. Mementote quod Domini dictum sit: Habent Mosen & Prophetas, audiant illos.

Et memorabile est, quòd Augustinus illa de Scripturæ persuasione, se ex Manichæorum hæresi

ræsi eluctatum esse scribit, Confess. libr. 6. cap. 5. Persvasisti mihi, non qui crederent, sed qui non crederent libris tuis, esse culpandos. Itaque cùm essemus infirmi ad inveniendam liquida ratione veritatem, & ob hoc opus nobis esset autoritate sanctarum literarum, jam credere cœperam, nullo modo te tributurum fuisse tam excellentem illi scripturæ per omnes jam terras autoritatem, nisi & per ipsam tibi credi, & per ipsam te quæri voluisses.

Et alio in loco ita confitetur: Sed non finebas me ullis fluctibus cogitationum auferri ab ea fide qua credebam, & in Christo filio tuo Domino nostro, atque in Scripturis sanctis, quas Ecclesiæ tuæ sanctæ commendat autoritas, viam te posuisse salutis humanæ ad eam vitam, quæ post hanc mortem futura est, &c. Et vetus catechisatio talis fuit introductio, qua persvadebantur catechumeni, vera & divinitus patefacta esse, quæ in sacra Scriptura continentur. Et eorum, quæ in scriptura comprehenduntur, summa proponebatur & declarabatur catechumenis. Cumq; responderent se illa credere, & velle observare, admittebantur ad Sacramenta. Ita catechisatio erat introductio ad Scripturam. Sicut hæc cōlliguntur ex Augustino de catechisandis rudibus, capite sexto, nono, 26. & per totum librum.

Possem plures ex Patribus sententias recensere, sed posito ex ipsa Scriptura fundamento, sufficit aliquas in conspectu habere, quæ monstrent consensum veteris Ecclesiæ, quo ita adjuvamur & confirmamur, ut fides tamen nitatur, non humana autoritate, sed verbo Dei. Et sunt quidem aliæ illustres Patrum sententiæ, quæ in genere de verbo Domini, & de doctrina Apostolorum loquuntur: Sed scio quomodo illas illudant adversarii, non omnia scilicet verba Domini, nec totam doctrinam Apostolorum, scriptis contineri. Ideò illas potissimùm veterum sententias collegi, quæ disertè & expresè de Scriptura loquuntur. Testimonia verò veterum, quæ de Canone sacræ Scripturæ, & de scriptis Patrum loquuntur, suis postea locis annotabimus.

Habemus igitur etjam veteris Ecclesiæ testimonium de perfectione & sufficientia Scripturæ, quòd omnia, quæ ad fidem moresq; vivendi necessaria sunt, cōtineat, ita ut regula, Canon & norma sit, ex qua in negociis religionis probanda & confirmanda sunt, quæcunque ut verbum Dei susci pi debent. Et hujus manifestissimæ veritatis luce, adversariorum oculi ita perstringuntur, ut verbis fateri cogantur, sacram Scripturam esse fidei regulam certissimam. Sed audi quæso, quàm veteratoriè Andradius illud eludat. Inde enim disces, quo sensu intelligi velint, quando honoris (quod dicitur) gratia aliquando ita loquuntur, sacram Scripturam esse fidei regulam. Hæc autem sunt Andradii verba.

Omnia divinarum literarum judicio ita quidem metienda sunt, ut nihil probemus diversum ab iis, quæ scripta sunt. Fides tamen catholica non ita ex Scripturæ sacræ finibus & angustiis circumscribenda & coarctanda, ut nihil credamus amplectamurq;, quod in sacris literis scriptum non sit. Nam etsi omnia sacris literis comprehensa verissima sint, non tamen omnia, quæ Christiana fides credit, religio veneratur, sacrarum literarum sunt monumentis consignata. Hæc Andradius Tridenti scripsit: in quibus vides, quàm curtam, imperfectam, defectuosam & consutitiam regulam fidei faciant ex Scriptura. Veterum certè testimonia de Scriptura ita non loquuntur, & appellatio Canonis seu regulæ, hoc non patitur. Theophylactus enim dicit: Canon & amussis neque additionem patitur, neq; ablationem. Et Photius apud Oecumenicum inquit: Quemadmodum in Canone seu norma sive absturleris quippiam, sive addideris, totum perdidisti, ita & in fide.

Et contra Eunomium, qui symbolum, quod veteres regulam fidei vocarunt, ita se recipere ajebat, ut judicaret additamento exactiori opus habere. Basilius libr. 1. ita inquit: Regula & amussis, quandiu nihil defuerit, ut sint regula & amussis, nullum additamentum ad sinceritatem recipiunt, juxta defectuosum enim contingit additamentum. Vbi verò imperfecta fuerint, ne appellationes quidem has rectè susceperint, ut scilicet vocentur regula & amussis, &c. Idem etjam Andradio responsum esse volo. Si Scriptura non aliter esse regula fidei, quàm eo, quo ipse fingit modo, ne dignam quidem esse hanc appellatione, ut vocetur regula fidei. Ideò etjam Pighius de Hierarchia Ecclesiæ lib. 1. cap. 4. disertè dicit, ipsi etjam Scripturæ propter obscuritatem & flexibilitatem, opus esse alia certa & inflexibili norma & amussi, traditione scilicet Ecclesiastica. Vsq; adeò misera, curta, imperfecta, plumbea, incerta, flexibilis fidei regula est Scriptura. I nunc Tridentum, & quære à Patribus, an regula fidei sit sacra Scriptura? Quid enim responsi Principes nostri retulerint, dignum est sempiterna memoria, cùm de forma salvi conductus ageretur. Inter cætera petitum est à nostris, ut de Iudice controversiarum, ex Basilienſi Concilio hęc verba insererentur, Et signanter, quod in controversia lex divina, praxis Christi, Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ vnà cum Conciliis & Doctoribus, fundantibus se veraciter in eadem, pro verissimo iudice in hoc concilio admittantur. Tridentinis verò patribus intolerabile hoc visum est, ut Conciliorum & Patrū sententiæ eatenus tantum recipiantur, quatenus veraciter se fundant in sacra scriptura. Ideò formulam illam Basilienſis Concilii expunxerunt, & pro ea subſtituerunt hæc verba: Et signanter quòd causę controversiæ secundum sacrā scripturam & Apostolorum traditiones, probata Concilia, Catholicæ Ecclesiæ consensum, & sanctorum Patrum autoritates in Concilio Tridentino tractantur. Andradius verò omnia & ipsius verbi Dei, & Patrū testimonia de Scripturę perfectione & sufficientia, una ἀπόδειξει putat se posse evertere, audivit enim demonstrationes Geometricas, nō tam probare quàm cogere. Est autem hæc ipsius demōstratio: Deus semper in mundo habet aliquā Ecclesiam. Vera autem Ecclesia, à vera fide sejungi & separari non potest. Necessariò ergo nobis credendum est, quicquid sive olim, sive nunc

Ecclesia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesia sive tradidit, sive credit, etjam si nullo id Scripturæ testimonio probari possit, & per consequens, non Scriptura, sed Ecclesiæ sensus norma est exactissima, ad quam dirigēda & formanda est fides nostra. Fortis me herclè est ἀπροσ άξις quæ uno impetu Scripturam de gradu suo proturbare conatur, ne sit regula & Canon fidei nostræ. Vnica illa demonstratio potuisset, vel Christum cum omnibus Apostolis condemnare, propterea quòd Scripturæ testimoniis, contra consensum Pharisaicæ Ecclesiæ pugnabant, sed facilis est responsio. Verissimum est, veram Ecclesiam à vera doctrina seu fide non posse sejungi. Illa enim est vera Ecclesia, quæ veram & sanam doctrinā verbi Dei amplectitur & profitetur. Quando verò cœtus ille, qui habet titulum Ecclesiæ, discedit à vera doctrina verbi Dei, non sequitur propterea, vel sanam doctrinam falsam, vel errores, quos cœtus ille amplectitur, veritatem esse: sed hoc sequitur, cœtum illum, quando non amplius habet veram doctrinam non esse veram Ecclesiam. Non ergo sicut Andradius vult, veritas verbi Dei depēdet ab Ecclesia: sed, econtrariò veritas Ecclesiæ dependet & dijudicatur ex veritate verbi Dei, quod amplectitur & profitetur. Ecclesia enim non est cœtus αὐτοκρατορικος, sive ἀνυπεύθυνος, sed debet certis & firmis documentis ostēdere & probare, quòd doctrina illa, quam amplectitur & profitetur sit divinitus patefacta, vera & sana. Illa verò documenta sumit ex instrumentis librorum Scripturę Canonicorum, sicut ex veterum sentētia hoc probavimus. Est & hoc considerandum, quòd etjam in vera Ecclesia, super fundamentum sæpè extruuntur fœnum, lignum, stipulæ, prima Corint. tertio. Aliquando vera Ecclesia prævalente & supereminente altero adulterino cœtu, ita quasi latet, ut Elias dicat: Solus relictus sum. Et quando filius hominis venerit, putasne quòd fidē inveniet in terra. Quòd si quis tempore Eliæ ex consensu visibilis cœtus, de doctrinæ veritate judicasset, omnino errasset. Andradii igitur postulatis oppono sententiam, quæ extat in Decret. 11. quæstio. 30 Is qui præest, si contra voluntatē Dei, vel præter quod in Scripturis sanctis præcipitur, vel dicit aliquid, vel imperat, tanquam falsus testis Dei & sacrilegus habeatur. Oppono etjam Augustini sententiam suprà citatam. In disputatione enim de vera Ecclesia, multæ magnæ quæstiones sunt, quæ non γεωμετρικος sine probationibus postulandę, sed ἐκκλησιαστικῶς probādæ sunt: An scilicet visibilis ille cœtus, qui arrogat & usurpat sibi titulum Ecclesiæ, sit semper & indubitatò vera Ecclesia, sive habeat veritatem verbi Dei, sive non. 2. An ex statu Ecclesiæ, judicandum sit de veritate doctrinę, an verò ex doctrina divinitus patefacta, judicandum sit, quæ sit vera Ecclesia. Christus certè signum monstrans verāEcclesiam, hoc constituit: Oves meæ vocem meam audiunt. Et Paulus dicit: Superædificati estis super fundamentū Prophetarum & Apostolorum. Augustinus disputans contra Petilianum, quæ & ubi sit Ecclesia, non vult illam in sermonibus & rumoribus hominum, non in Conciliis, non in scriptis Patrū, non in signis & prodigiis, sed in divinis libris Canonicis quæri & demonstrari. Non audiamus, Hæc ego dico, hæc tu dicis, sed audiamus. Hęc dicit Dominus. Falsum igitur est, quod Andradius somniat, ideò aliquid credendum esse, quia visibilis ille cœtus, qui titulum habet Ecclesiæ, illud observarit & observet, quamvis nullo Scripturæ testimonio probari possit. Vera enim est Augustini sententia: Si quis vel Apostolus vel Ecclesia, vel etjam Angelus de cœlo, de quacunque re, quæ pertinet ad fidem, vitamq; nostram, nobis annunciaverit, præterquàm quod in Scripturis legalibus & Evangelicis accepimus, anathema sit. Sunt præterea duo alii loci communes Pontificiorum, de incertitudine scilicet seu ambiguitate, & de obscuritate Scripturæ: sed illos adversarius meus Andradius non vult ingredi. Concedit enim Scriptura sacra nihil esse verius, certius, firmius & immutabilius, & ubi dogmata seu præcepta tradit, Scripturam esse certam, & minimè ambiguam. Ab hæreticis verò, verba Scripturæ à proprio & germano sensu transferri, & pro libitoq; trahi ad varias & diversas sententias. Et de hoc inter nos convenit: non enim disputamus, quid Scriptura hæreticis fiat per accidens, sed quid sit per se. De obscuritate Scripturæ, Andradius nō potest abjicere illam quam ex Augustino contra Iesuitas attuleram distinctionem, quòd cùm multa sint in Scriptura obscura & difficilia loca, omnia tamen quę ad fidem moresq; vivendi pertinēt, inveniri in planis & apertis scripturæ locis. Istud etjam quod Irenæus dicit, probare cogitur: licet multa sunt obscura & parabolica Scripturę loca, regulā tamen ipsam veritatis, in Scripturis sacris in aperto positam esse. Ne tamen nihil agere videatur Andradius, multa declamitat, quàm multum periculi sit in obscuris Scripturæ locis, si quis ea curiosè & audacter ad impiam & sacrilegam opinionem torqueat. Sed in tota hac declamatione pugnat sine adversario. Dicimus enim & nos, obscura Scripturæ loca, non esse exponenda, contra illā sententiam, quæ in planis & apertis Scripturæ locis explicatur: imò ex obscuris Scripturæ locis, non esse extruendam sententiam aliquam, quæ monstrari non possit in aliis manifestis Scripturæ locis. Quòd verò Andradius ad mysteria quædam fidei, ex solis obscuris Scripturæ locis alludere videtur, simpliciter opponimus verba Augusti. Nihil fermè de obscuritatib. illis eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur. Et contra Petilianum capit. 5. Quia in Scripturis multa figuratè & obscurè posita sunt, aperta & manifesta deligamus. Quæ si in sanctis Scripturis non invenirentur, nullo modo esset, unde aperirentur clausa, & illustrarentur obscura. Illa igitur interim seponēda sunt, quæ obscurè sunt posita, & figurarum velaminib. involuta, & secundum nos, & secundum illos possunt interpretari. Et cap. 16. Non colligant & commemorent, quæ obscurè vel ambiguè, vel figuratè dicta sunt: quæ quisq; sicut voluerit, interpretatur secundū sensum suum. Talia enim rectè intelligi exponiq; non possunt, nisi prius ea, quæ apertissimè dicta sunt, firma fide teneantur.

Andradius.

Augustinus.

Item: Aliquid proferte quod non egeat interprete, nec unde convincamini, quod de alia re dictum sit, & vos illud ad vestrum sensum detorquere

torquere conemini. Cap. 19. Quæ ambiguè posita, & pro nobis & pro vobis possint interpretari, nihil utiq; adjuvant causam vestram, sed planè talia malam causam, vel moras faciendo sustentant. Item hæc mystica sunt, operta sunt, figurata sunt, aliquid manifestum, quod interprete non egeat, flagitamus. Huic distinctioni de obscuritate & perspicuitate Scripturæ, addatur & altera, de qua Paulus loquitur, 2. Cor. 4. Si velatum est Evangelium nostrum, in his, qui pereunt velatum est: in quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium, ne illucescat ipsis lumen Evangelii. Et 1. Cor. 1. Animalis homo nō percipit ea, quæ sunt spiritus. Sed Dominus aperit mentes, ut intelligant Scripturas, dato Spiritu sancto, Luc. 24. Ierem. 31. Pertinet etjam huc, quod Augustinus dicit Epi. 3. Tanta est Christianorum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usq; ad decrepitam senectutem maximo ocio, summo studio, & meliore ingenio conarer addiscere, non quòd ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perveniatur difficultate: sed cùm quisq; ibi fidem tenuerit, sine qua piè rectèq; non vivitur, tam multa, tamq; multiplicibus mysteriorū umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaq; non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verumetjam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapiētiæ: ut annotissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod Scriptura dicit: Cùm consummaverit homo, tunc incipt.

Augustinus.

His verò distinctionibus positis & servatis, firmum & immotum manet, Psalm. 18. Præceptum Domini lucidum, illuminas oculos. Psalm. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. 2. Pet. 1. Sermo Propheticus ceu lucerna lucet in obscuro loco.

Cyrillus. Cyrillus contra Iulian. lib. 7. respondens objectioni, quod Scriptura vulgarem & protritam habeat dictionem, inquit: Vt omnibus essent nota, parvis & magnis, utiliter familiari sermone commendata sunt, ita ut nullius captum transcendant. Et libr. 9. Ignorat Iulianus, quòd nihil difficile est iis, qui in legis versantur scripturis. Inaccessa autem omnino ipsi & suis, quævis sententiarum in eis. Lactant. Num Deus & mentis & vocis, & linguæ artifex, disertè loqui non poterit, imò verò summa providentia carere fuco voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerēt, quæ ipse omnibus loquebatur.

Augustinus. Augustinus: Hoc ipsum verbum consummatum & breviatum, nec obscurum Deus esse voluit, ideò breve, ne non vacaret legere, ideò apertum, ne dicat: Non licuit mihi intelligere.

Chrysostom. Chrysostomus Homil. 1. in Ioa. Hujus doctrina, sole clarior est & illustrior. Idem Hom. 9. in 2. ad Corin. Semper enim quando aliquid obscurum loquitur Paulus, seipsum iterum interpretatur.

Ambrosius. Ambrosius lib. 3. Epist. 5. Ita nobiscum loquitur, ut nos sermonem ejus intelligamus. Libr. 2. Epist. 7. Paulus in plerisque ita se ipse in suis exponit sermonibus, ut is qui tractat, nihil inveniat quod adjiciat suum, aut si velit aliquid dicere, Grammatici potius quàm disputatoris fungatur munere.

Augustinus Tracta. 21. in Ioan. Temerè fortassis facimus, quia discutere & scrutari volumus verba Dei. Sed quare dicta sunt, nisi ut sciantur, quare sonuerunt, nisi ut audiantur, quare audita sunt, nisi ut intelligantur?

DE LIBRIS CANONICIS, SEV SCRIPTVRA Canonica.

EX PRIMO DECRETO QVARTAE *sessionis Concilij Tridentini.*

Sacrorum librorum indicem, huic decreto ascribendum censuit Synodus: ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiantur. Sunt verò infrascripti Testamenti veteris. Quinq; libri Moysi, scilicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Deinde Iosue, Iudicum, Ruth, Quatuor Regum, Paralipomenon duo, Esdræ duo, primus scilicet & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum, centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Esaias, Hieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, scilicet Osee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, Duo Machabæorum, primus scilicet & secundus.

Novi Testamenti, Quatuor Evangelia, secundū Matthæum, Marcum, Lucam & Ioannem. Acta Apostolorum à Luca Evangelista conscripta, quatuordecim Epistolæ beati Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, ad Corinthios duæ, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, una Iudæ Apostoli. Apocalypsis Ioannis Apostoli.

Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones præditas sciens & prudens contempserit, anathema sit.

Omnes itaq; intelligant, quo ordine & via ipsa Synodus, postiactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, & quibus potissimum testimoniis ac præsidiis, in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus sit usura.

EXAMEN.

Tres potissimùm quæstiones ad hunc locum pertinēt. 1. Quæ sit ratio appellationis, quòd Scriptura vocatur Canonica, & quomodo illa appellatio confirmet, quæ de autoritate, perfectione & sufficientia Scripturæ hactenus diximus. 2. A quibus, & quomodo constitutus sit Scripturæ Canon, sive unde Scriptura habeat autoritatem Canonicam. 3. Qui libri sint Canonici, qui apocryphi.

Nugæ sunt quòd quidā fabulantur, ideò Scripturam vocari Canonicam, quòd illa autoritas per Canonem alicujus Concilii ipsa attributa sit, cum ne nominare aut fingere quidem possint

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concilium aliquod, in quo primùm constitutus sit talis Canon Scripturæ, quasi antea Scriptura non habuisset talem autoritatem. Quòd enim Canones, qui sub Apostolorum nomine circumferuntur, hujus rei mentionem faciunt, tam est putidum, ut Lindanus etjam illud, ut supposititi-ũ reprobet. Nam & tertium Machabæorum librum Canonicum faciunt, imò libros Clementis inter Canonicos referunt, de quibus longè diversum judicium extat apud Eusebium libr. 3. capit. 38. Non igitur eo modo Scriptura vocatur Canonica, sicut vocantur horæ Canonicæ, aut satisfactiones Canonicæ, aut sicut κανὰ θήρια, γάστερες ἀργαὶ, abligurientes bona Ecclesiastica vocantur Canonici.

Sed absq; dubio appellatio sumpta est ex Paulo, qui Galat. 6. inquit: ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι, Quotquot secũdum hunc Canonem seu regulam incedent, pax super illos & misericordia. Et Phil. 3. Eodem Canone seu regula ambulare. 2. Cor. 10. doctrinã Apostolicam vocat κάνονα, cujus μέτρου Deus quasi admẽsus sit Paulo, quousq; ejus propagatione pertingere deberet. Sumpta autem est appellatio ex Psal. 19. In omnẽ terram exivit regula eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Verba sive doctrinam Apostolorũ vocat ץק quod significat Canonem seu regulam, constantem aut linea aut funiculo, quæ applicatur ad structuram, seu quodcunque opus, ne à vera ratione, aut extra debitum ordinem aberret: sed ut certo ordine, & debita ratione conficiatur & absolvatur. Et suavissima est hæc metaphora, quæ ad doctrinam Apostolorum trãsfertur. Est enim Ecclesia, domus Dei viventis, cujus ædificatio est ex Deo, & architecti sunt ministri verbi. Vt autem structura illa ministerio verbi, seu prædicatione doctrinæ rectè inchoetur, justo ordine & debita ratione conficiatur & absolvatur, opus est certo Canone seu regula, ad quam architecti opus suum exigant, ne ædificatio à justo ordine, & debita ratione exorbitet. Et regula illa, est doctrina Apostolorum, Psal. 19. Quia verò illa, quantum & satis & necesse est, scriptis est comprehensa, Scriptura vocatur Canonica, libri Canonici, sive Canon Scripturę, quia est talis regula, ad quam structura fidei Ecclesiæ formanda & aptanda est, ita ut quicquid ad illam regulam convenit, rectum, sanum & Apostolicum judicetur, quicquid verò non quadrat, sed ab illa regula, sive in excessu, sive in defectu exorbitat & aberrat, rectè judicetur suppositititium, adulterinũ, erroneum. Et Paulus utitur verbo στοιχεῖν κάνονι. Sicut acies cãstrorum certo ordine instruitur, progressura cõtra hostiles incursiones, ita quando Ecclesia vestigiis veræ fidei vult incedere, Roman. 4. ita ut munita sit contra pericula corruptelarum, opus habet certo Canone seu regula, secundum quam incedat, intra cujus limites & terminos se contineat, ne in errorem incidat. Et quicunque juxta hanc regulam incedunt, pax super illos, & misericordia, inquit Paulus. Ille verò Canon seu regula, est doctrina divinitus ab initio mũdi generi humano patefacta, per Patriarchas, Prophetas, per CHRISTVM & Apostolos. Et quia illa doctrina, scriptis per Dei voluntatem est comprehensa, ideò & inde Scriptura vocatur Canonica.

Valdè illustris igitur est appellatio Scripturæ Canonicæ, quæ probat & confirmat illa, quæ hactenus de ejus autoritate, perfectione & sufficientia diximus. κανὼν enim, sicut Varinus annotat, vocatur etjam in trutinis pars illa, quæ in medio libritis lingulæ instar consistit, & ostendit vel æquilibrium, vel excessum, vel defectum. Quam metaphoram pulcherrimè expressit Augustinus libro secundo, capite sexto, de Baptismo contra Donatistas: Afferamus, inquit, non stateras dolosas, ubi appẽdamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro, dicẽtes: Hoc grave, hoc leve est: Sed afferamus divinam stateram de scripturis sanctis, tanquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit gravius appendamus, imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Hæc pulcherrima est explicatio, quo sensu scriptura appelletur Canonica. Aristoteles 2. Politi. cap. octavo, disputans, utrum melius sit gubernationẽ politicam instituere κατὰ γράμματα, secundum leges scriptas, aut secundũ quod hominibus videtur æquum, utitur vocabulo κάνονος. Inquit enim: πάντα βέλτιον γίνεσθαι κατὰ νόμον, ἢ κατὰ ἀνθρώπων βούλησιν, ὃ γὰρ ἀσφαλὲς ὁ κανών. Sicut igitur lex scripta, Canon est judiciorũ politicorum, ita scriptura vocatur Canonica, q; sit certa & infallibilis regula fidei. Varinus Canonẽ ita definit, q; sit μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδ' ἁμῶς ἐπιδεχόμενον. Hoc est, Canon est regula seu mensura infallibilis, quæ nullo modo admittit, ut aliquid ei vel addatur, vel detrahatur, &c. Hoc modo scriptura verè est Canonica. Ita Cicero dicit Tyronẽ esse κάνονα scriptorum suorũ, quòd ea moderetur, corrigat & emendet.

Demosthenes περὶ στεφάνου, dicit ὅροι καὶ κανόνες ἀγαθῶν, Græcis erant, tueri libertatem. Cœlius etjã annotat, κανονικὸς vocatos Pythagoræ illos harmonicos, qui non ex auditu tantùm, sed præcipuè ex ratione judicabant de harmoniis. Plutarchus etjam in vita Solonis dicit, Chronica quædam appellata fuisse κάνονας: cujus appellationis ratio, facilè potest intelligi. Hæ observationes illustrant & explicant, quæ sit ratio appellationis, quòd scriptura vocatur Canonica. Et in hanc sententiam extant Augustini multa pulcherrima dicta, ex quib. quædam annotabimus, clarissimè enim ostendunt perfectionem & sufficientiam Scripturæ.

Contra Faustum Manichæum libr. 11. capit. 5. De his libris, qui non præcipiendi autoritate, sed proficiendi exercitatione scribuntur nobis dici potest, aliquid eos habere non consonum fortasse occultiori, & ad dinoscendum difficiliori veritati. Quod genus literarum non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate legendum est. Cui tamen ne intercluderetur locus, & adimeretur posteris ad quæstiones difficiles tractandas atque versandas linguæ ac stylis saluberrimus labor, distincta est à posteriorum libris, excellentia Canonicæ autoritatis veteris & novi Testamenti, quæ Apostolorum confirmata tempo-

Augustinus de perfectione & sufficientia Scripturæ.

ta temporibus, per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum, tanquã in sede quadam sublimiter constituta est, cui serviat omnis fidelis & pius intellectus. Ibi si quid velut absurdum moverit, non licet dicere, Autor hujus libri non tenuit veritatem, sed, Aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis. In opusculis autem posteriorum, quæ libris innumerabilib. continentur, sed nullo modo illi sacratissimæ Canonicarum scripturarum excellentiæ coæquantur, etjam inquibuscunq; eorum invenitur eadem veritas, longè tamen est impar autoritas. Itaq; in eis, siqua fortè propterea dissonare putantur à vero, quia non ut dicta sunt intelliguntur, tamen liberum ibi habet lector auditorve judicium, quo vel approbat quod placuerit, vel improbet quod offenderit, & ideò cuncta ejusmodi, nisi vel certa ratione, vel ex illa Canonica autoritate defendantur, ut demonstretur sive omnino ita esse vel fieri potuisse, quod vel disputatum ibi est vel narratum, si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur. In illa verò Canonica eminentia sacrarum literarum, etjamsi unus Propheta, seu Apostolus aut Evangelista, aliquid in suis literis posuisse ipsa canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare quòd verum sit. Alioquin nulla erit pagina, qua humanæ imperitiæ regatur infirmitas, si librorum saluberrima autoritas, aut contempta penitus aboletur, aut interminata confunditur.

Manifestè affirmat Augustinus, Scripturã Canonicam regere humanæ imperitiæ infirmitatem, ei servire debere omnẽ fidelem & pium intellectum, ex illis demonstranda & judicanda esse reliqua.

Contra Faustum libr. 13. cap. 5. Cùm Manichæi Scripturam non reciperent, dicebant, se famæ de Christo credidisse. Augustinus respondet: Si famæ de Christo credidistis, videre utrum idonea testis sit, considerate, quò vos præcipitetis Scripturas, tanta autoritate firmatas cõmendatas q; respuitis, miracula non facitis, quæ si faceretis, etjam ipsa in vobis caueremus, per instruentem nos Dominum, Matth. 24. Vsque adeò nihil credi voluit adversus confirmatam Scripturarum autoritatem, &c.

De Baptismo contra Donatistas libr. 2. cap. 3. Objicere nobis soletis Cypriani literas, Cypriani Concilium. Quis aũt nesciat, sanctam Scripturam Canonicam, tam veteris quàm novi Testamenti certis suis terminis contineri: eamq; omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari nõ possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse cõstiterit. Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem vel scripta sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorum autoritatem, doctorumq; prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est.

Ad Vincentium Donatistam epistola 48. Noli contra divina testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, primò quia hoc genus literarum ab autoritate Canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquã ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, si fortè aliter sapuerint, quàm veritas postulat.

In Tractatu de Pastoribus: Constituit montes Israel autores Scripturarum divinarum, ibi pascite, ut securè pascatis, quicquid inde audieritis, hoc vobis benè sapiat, quidquid extra, respuite, ne in nebula erretis, colligite vos ad mentẽ Scripturæ, ibi sunt deliciæ cordis vestri, ibi nihil venenosum, nihil alienum, pascua ibi uberrima tantùm.

Contra Faustum lib. 23. Quod de generatione Mariæ Faustus posuit, quia Canonicum non est, non me astringit.

In Ps. 67. Testimoniis utriusq; Testamenti ita acquiescendum, ut quando ex his aliquid profertur & probatur, omnis contentio pacifica quietè finiatur. Item, Tunc prædicatoribus verbum veritatis datur, si autoritas ab eis duorum testamentorum non relinquatur.

De nuptiis & concupiscentia lib. 2. cap. 33. Ista controversia judicem quærit. Iudicet ergo Christus, & cui mors ejus profecerit, ipse dicat: Hic est, inquit, sanguis meus, &c. Iudicet cum illo & Apostolus, qui clamat: Proprio filio non pepercit, &c.

Contra Cresconium li. 2. c. 31. Nos nullam facimus Cypriano injuriam, cùm ejus quaslibet literas à Canonica divinarum Scripturarum autoritate distingvimus. Neq; enim sine causa tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omnino judicare nõ audiamus, & secundum quos de cæteris literis vel fidelium & infidelium judicamus.

Ibidem cap. 32. Ego hujus Epistolæ autoritate non teneor, quia literas Cypriani, non ut Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis divinarum Scripturarum autoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus respuo.

Epistol. 19. ad Hieronymum. Ego solis eis Scripturarum libris, qui jàm Canonici appellantur, hunc timorem & honorẽ didici deferre, ut nullũ eorum autorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credam, alios autem ita lego, ut quãtalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos autores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à veritate non abhorreat, persvadere potuerunt.

Epistol. 112. ad Paulinam: Si divinarũ Scripturarum, earum scilicet, quæ Canonicæ in Ecclesia nominantur, perspicua aliquid firmatur autoritate, sine ulla dubitatione credendum est. Alii verò testibus vel testimoniis, quibus aliquid credendum esse suadetur, tibi credere vel non credere liceat, quantum meriti ea ad faciendam fidem vel habere, vel non habere perpenderis.

Et quia aliquoties Augustinus meminit, reliquos scriptores omnes, vel ex libris Canonicis, vel certa aut probabili ratione probare debere, quòd vera sint quæ scribunt, quæstio est, quam intelligat rationem probabilem? Illud verò perspicuè multis verbis explicat Epistola 112. ad Paulinam:

Augustinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

linam: Si ea quæ non videmus, neq; de Scripturis sanctis didicimus, nulla omnino credidissemus, unde sciremus esse civitates, ubi nunquam fuimus, vel à Romulo conditam Romam? Vnde sciremus, quinam parentes nos procreassent, quibus avis majoribusq; geniti essemus, taliũ quippe cùm plurima sciamus, non tamen ea vel ullo sensu præsentia, vel Canonicorum eloquiorum autoritate didicimus, sed aliis referentibus, de quorum testimonio in hoc duntaxat rerum genere, minimè dubitandum esse putavimus. In quibus, si alicubi fallimur credendo, nihil periculi esse judicamus, si non sit contra illam fidẽ, qua pietas informatur. Hæc prælocutio mea, te atque alios qui ista lecturi sunt, præstruit, qualis seu meorum, seu quorumlibet scriptorum judices esse debeatis, ne vel scire vos opinemini quod nescitis, vel temerè credatis, quod neq; corporis sensibus, aut animi contuitu in ejusdem rei, quæ cognoscenda est evidentia percepistis, neq; Canonicarum Scripturarum autoritate credendum esse didicistis, &c. Hanc Augustini sententiam integram propterea adscripsi, ut certò intelligatur, quid Augustinus velit, cùm dicit vel autoritate Scripturæ Canonicæ, vel per alias certas aut probabiles rationes probandum esse, quod Patres affirmant. Pontificii enim ex illis rationibus mox vel suas traditiones, vel aliquid aliud fabricarent. Sed habemus ipsius Augustini declarationem.

Sacra Scriptura unde habeat autoritatem.

Altera hujus loci quæstio est. Cùm valdè magna & eminens sit Scripturæ Canonicæ autoritas, unde illam habeat & acceperit, seu à quibus constitutus sit Canon ille, ad quem certi libri canonici pertineant? Pontificii dicunt, ab Ecclesia Scripturam habere illam autoritatem, quod Pighius ita interpretatur, autoritatem Ecclesiæ quodammodo superiorem esse autoritate Scripturarum, siquidem Ecclesiæ autoritas, Scripturis quibusdam, eisq; præcipuis, quam neq; ex se, neque ex autoribus sui apud nos habebant. Canonicam impartita est autoritatem. Alii dicunt, usque adeò Ecclesiæ autoritatem esse supra Scripturam, quòd Evangelia ab Apostolis, ut à Matthia, Iacobo, Bartholomæo, Thoma, Philippo, Petro, Andrea scripta, Ecclesia potuit rejicere, & quòd rursus Canonicam potuit impertiri autoritatem, illis, quæ conscripta sunt à Marco & Luca, qui non fuerunt Apostoli, sed quos Lindanus dicit, antea fuisse Apostatas, ut qui Ioannis sexto, à Christo defecerint. Sunt qui non verentur blasphemare sacram Scripturam divinitùs inspiratam: si autoritate Ecclesiæ deseratur, non plus per se valere, quàm fabulas AEsopi.

Et ex his postulatis extruũt hoc axioma, quòd ea, quæ Ecclesia tradit & proponit, etjam sine ullo Scripturæ testimonio eandem habeant autoritatem, sicut Scriptura Canonica, cui Ecclesia hanc autoritatem indulserit. Sed falsissimũ est, Ecclesiam habere autoritatem rejiciendi & improbandi ullam Scripturam, quam certò constet divinitùs inspiratam esse. Falsum est & hoc, sacrã Scripturam nec ex se, nec ex suis autoribus habere autoritatem Canonicam, sed eam aliunde ex Ecclesiæ autoritate scilicet mutuatum esse.

Illud verò manifestè blasphemum est, quòd si præsens Ecclesia, Pontifex scilicet Romanus cum suis prælatis, Scripturam sua autoritate deserent, non plus illam per se valituram, quàm fabulas AEsopi.

Habet igitur Scriptura Canonica eminentem illam suam autoritatẽ principaliter inde, quòd divinitus est inspirata, 2. Tim. 3. hoc est, quòd nõ hominum voluntate allata est, sed quod à Spiritu sancto impulsi homines Dei & locuti sunt, & scripserunt. 2. Pet. 1. Vt autem tota hæc necessaria res contra omnes impostoras esset certissima, Deus certos quosdam homines ad scribendum elegit, & illos multis miraculis & divinis testimoniis ornavit, ut nullum esset dubium divinitus inspirata esse ea, quæ scribebant.

Postremò scripta illa divinitus inspirata, tunc cùm scriberentur publica testificatione proposita, tradita & commendata sunt Ecclesiæ, ut ea, adhibita summa cura & providentia, incorupta conseruaret, & quasi per manus traderet, & commendaret posteritati. Et sicut vetus Ecclesia tempore Moysis, Iosuę & prophetarum, ita etjam primitiva Ecclesia tempore Apostolorum, certò potuit testificari, quæ scripta essent divinitus inspirata, noverat enim autores, quos Deus peculiaribus testimoniis Ecclesiæ commendarat, noverat etjam, quæ essent illa, quæ ab ipsis scripta erant, & ex iis, quæ traditione vivę vocis ab Apostolis acceperat, poterat judicare, illa quæ scripta erant, esse illam ipsam doctrinam, quam Apostoli viva voce tradebant. Ita Ioan. 12. Apostoli testimonium, & Ecclesiæ testificatio conjunguntur: Hic est discipulus ille, qui scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium ejus. Ita Paulus certo signo notavit genuinas suas Epistolas. Habet igitur Scriptura Canonicam autoritatem, principaliter à Spiritu sancto, cujus impulsu & inspiratione prodita est. Deinde à scriptoribus, quibus Deus ipse certa & peculiaria veritatis testimonia perhibuit. Postea à primitiva Ecclesia habet autoritatem, ut à teste, cujus tempore scripta illa edita & approbata fuerunt.

Scriptura autoritatem habet, 1. à Spiritu sancto. 2. à Scriptoribus. 3. primitiva Ecclesia.

Hæc verò testificatio primitivæ Ecclesiæ, de scriptis divinitus inspiratis, postea perpetua successione per manus tradita est posteritati, & in certis antiquitatis historiis diligenter cõservata, ita ut sequens Ecclesia, custos esset testificationis primitivæ Ecclesiæ de Scriptura. Maxima igitur est differentia, 1. inter testificacionem primitivæ Ecclesiæ, quæ fuit tempore Apostolorum. 2. inter testificationem Ecclesiæ, quæ proximè post Apostolorum tempora secunda est, quæq; primæ Ecclesiæ testificationem acceperat. 3. & inter testimoniũ præsentis Ecclesiæ de Scriptura. Quę enim & nunc est, & antea fuit Ecclesia si potest ostendere testimonia eorum, qui acceperant, & nouerant testificarionem primæ Ecclesię de germanis scrtptis, credimus ei, ut testi probanti sua dicta. Non autem habet potestatem statuendi aut decernendi aliquid de libris sacris, cujus non possit certa documenta ex testificatione primitivæ Ecclesiæ proferre. Hæc sunt verissima, & tota disputatio rectissimè ex his fundamentis intelligi potest.

Ita ex allegationibus, quæ extant in novo Testamento

stamento colligi potest, quis fuerit Canon scripturæ veteris Testamenti. In novo Testamento Ioannes vidit trium Evangelistarum scripta, & probavit ea. Paulus epistolas suas peculiari nota signavit, Petrus eas vidit, & Ecclesię commendavit. Ioannes suis scriptis annectit, & suum & Ecclesiæ testimonium. Omnino enim non quælibet, sed Apostolica autoritas requiritur, ut in novo Testamento probetur scriptum aliquod esse Canonicum, seu divinitus inspiratum. Ita Tertullianus refutaturus Evangeliũ à Marcione adulteratum, inquit: Cõstituimus in primis Evangelicum instrumentum, Apostolos autores habere, quibus hoc munus promulgandi Evangelii ab ipso Domino sit impositum. Si & Apostolicos, non tamen solos, sed cum Apostolis, quoniã prędicatio Apostolorum suspecta fieri posset, si non assistat illi autoritas magistrorum, imò Christi, qui magistros Apostolos fecit. Et mox addit: Quia Evangelium ante Lucam discurrit, habuit utiq; authẽticam paraturam, per quã ad Lucam usq; pervenit, cujus testimonio assistente, Lucas quoq; posit admitti. Et postea: Dico apud Ecclesias Apostolicas, & jam apud uniuersas id Evangelium Lucæ, quod tuemur ab initio editionis suæ stare. Eadem autoritas Ecclesiarum Apostolicarum cæteris patrocinabitur Evangeliis, quæ per illas & secundum illas habemus.

Et Augustinus inquit: Eo tempore scripserũt, quo non solùm ab Ecclesia Christi, verumetjam ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari meruerunt.

Et memorabilis est historia quã Hieronymus ex Tertulliano recitat, unde intelligi potest, qua vigilantia constitutus sit Canon librorum Canonicorũ novi Testamenti. Ioanni enim Deus post mortem reliquorum Apostolorum, longiorem vitam cõcesit, ut Apostolica vigilantia Ecclesiæ ad omnem posteritatem prospiceretur, ne adulterina scripta sub Apostolorum nomine Ecclesiis obtruderentur. Historiam autem Hieronymus sic refert. Cùm post mortem Pauli libellus quidã de Periodo Pauli & Teclæ spargeretur, & sub nomine ac titulo Pauli circumferretur, presbyterum quendã in Asia ἀποδεδεκέναι Pauli convictum apud Ioannem Apostolum, quòd autor esset illius libri, & confessum, se hoc Pauli amore fecisse, & ob id excidisse. Ita Hieronymus.

Quòd verò Marcus & Lucas, qui non fuerunt Apostoli, ad scribendum Evangelium divinitùs vocati sunt, Augustinus hanc reddit rationem, ne putaretur, quòd attinet ad prædicandum & percipiendum Evangelium, interesse aliquid, utrum illi annuncient, qui Dominum hîc in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt: an hi, qui ex his fideliter comperta crediderunt, divina providentia procuratum est per spiritum sanctum, ut quibusdã etjam ex illis, qui primos Apostolos sequebantur, non solùm annunciandi, verumetjam scribendi Evangelium tribueretur autoritas, &c. Et huc pertinet altera Augustini sententia: Eo tempore scripserunt, quo non solùm ab Ecclesia Christi, verumetjam ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari meruerunt.

Hoc igitur modo constitutus est Canon Scripturæ in novo Testamento, & inde scriptura canonica habet eminentem illam autoritatem.

Huc etjã pertinet, quod Tertullianus de præscriptione 2. affirmat, ipsas authenticas Apostolorum literas, hoc est ipsa αὐτόγραφα Apostolorũ, suo adhuc tempore in Ecclesiis Apostolicis conservata extitisse. Eusebius etjã alicubi narrat de scripto quodam, quod sub Pauli nomine ferebatur, quosdam affirmasse, αὐτόγραφον extare in Tarso Ciliciæ: sed compertum fuit, falsam esse narrationem, Vides ergo, quibus documẽtis usa fuit Ecclesia, quę post Apostolorum tempora secuta est in dijudicandis genuinis libris.

Et hanc primæ Ecclesiæ, quę Apostolorũ tempore fuerat, testificationem de genuinis Apostolorum scripturis, posteritas quæ mox secuta est, tam constanter & fideliter retinuit & conservavit, ut cùm multa postea quasi ab Apostolis conscripta proferrẽtur, rejecta & reprobata fuerint, tanquam supposititia & adulterina, primò ideò, quia non poterat ostendi & probari ex testificatione primæ Ecclesiæ, quòd vel ab Apostolis essent conscripta, vel viventibus Apostolis comprobata, & primæ Ecclesiæ tradita & commendata: secundò, quia afferebant peregrinam doctrinam, non consentaneam illi, quam Ecclesia ab Apostolis acceptam, in recenti tunc adhuc memoria conservabat. Ita Serapion apud Eusebium libro sexto, de Evangelio quodam, quod Petri titulum præferebat, judicat: Nos, inquit, Petrum & reliquos Apostolos, sicut & Christum recipimus, sed ψευδεπιγράφα rejicimus, velut gnari eorũ sensus & sententiæ, scientes, quòd talia οὐ παρελάβομεν, hoc est, non accepimus tradita ab Apostolis, &c. His duobus κριτηρίοις adhibitis, vetus Ecclesia quædam scripta simpliciter rejecit, ut supposititia & adulterina, quędam verò, de quibus vel non certissima, vel non consentientia, primitivæ Ecclesiæ extabant testimonia, non simpliciter damnavit, sed tamen distinguere & sejungere voluit ab illis, quæ sine ulla dubitatione & contradictione vera & legitima erant scripta.

Ita Eusebius libr. 3. cap. 3. & 25. facit tres ordines scriptorum. Primum eorum, quæ nec ficta, nec dubia, sed ἀναμφιλέκτως ἐνδιάθηκα, καθολικὰ καὶ ὁμολογούμενα, hoc est, quę sine cõtradictione testamentaria, legitima, catholica, & omnium Ecclesiarũ confessione certa sunt. Secundum ordinem ponit eorum scriptorum, de quibus dubitatum fuit, an certò essent ab illis Apostolis conscripta & edita, quorum nomen & titulum præferunt, ut quæ contradictionem, non consentientibus primitivæ Ecclesiæ testificationib. passa sunt, illa non fuerunt simpliciter damnata, sed usurpata & lecta à multis Ecclesiasticis viris, ut non inutilia. Et sicut quę prioris generis sunt, vocata sunt Canonica & Catholica: ita quæ ad secundum ordinem pertinent, vocata sunt hagiographa, Ecclesiastica, & à Hieronymo, apocrypha. Et tam accurata distinctio ideò salubri vigilantia facta est, ut certus esset Canon, & certa regula dogmatum seu fidei in Ecclesia: Vt sciant, inquit Cyprianus, à quib. sibi fontibus verbi Dei hauriendi sint pocula. De apocryphis seu Ecclesiasticis,

Tres ordines Scriptorum iuxta Eusebium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cloſiaſticis, quæ ad ſecundum ordinem pertinẽt, inquit Hieronymus: Legit hæc Eccleſia ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Eccleſiarum dogmatum confirmandam. Item: illorum autoritas ad roborandā illa, quæ in contentionẽ veniunt, minus idonea judicatur. Cyprianus, ſive is Ruffinus eſt, in expoſitione Symboli inquit: Quæ legi quidem in Eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam.

Tertium verò ordinem ſcriptorum, Euſebius facit eorũ quę ſunt ſuppoſititia, adulterina & falſa, quæ ſimpliciter rejiciuntur & reprobantur.

Iam quæſtio eſt, 1. An Eccleſia, quæ primitivã & vetuſtiſsimam illam ſecuta eſt, vel quæ nũc eſt Eccleſia, poſsit ea ſcripta, quæ hoc modo rejecta & reprobata ſunt authentica facere? Et manifeſtum eſt, quòd non. 2. An ea, quæ ex teſtificatione primæ Eccleſiæ habent certa & firma autoritatis ſuę teſtimonia, poſsit rejicere & probare? Et non arbitror quenquam hoc dicturum. Tertia igitur quæſtio eſt: An ea ſcripta, de quibus in antiquiſſima Eccleſia, propter quorundam contradictionem dubitatum fuit, ideò quòd teſtificationes primitivæ Eccleſiæ de his non conſentirent, an inquam præſens Eccleſia poſsit illa ſcripta facere Canonica, Catholica, & paria illis, quæ primi ordinis ſunt? Pontificii non tantùm diſputant ſe hoc poſſe, ſed de facto illam autoritatem uſurpant: In univerſum tollentes primitivæ & antiquiſsimæ Eccleſiæ neceſſariã diſtinctionem, inter libros Canonicos & apocryphos, ſeu Eccleſiaſticos. Sed manifeſtiſsimũ eſt ex iis, quę diximus: Eccleſiam nullo modo habere illã autoritatem, eadem enim ratione poſſet etjam vel Canonicos libros rejicere, vel adulterinos canoniſare. Tota enim hæc res (ſicut diximus) pendet ex certis teſtificationibus ejus Eccleſiæ, quæ tempore Apoſtolorum fuit: quas acceptas proximè ſequens Eccleſia, certus & fide dignis hiſtoriis conſervavit. Vbi igitur non poſſunt proferri certiſsima documenta primitivæ & antiquiſsimæ Eccleſiæ, ex teſtificationibus veterum, qui non longè poſt Apoſtolorum tempora vixerunt, libros illos, de quibus controvertitur, fuiſſe ſine cõtradictione & dubitatione, pro legitimis & certis acceptos & commendatos Eccleſię, non valent ulla humana decreta. Quàm inſolens enim eſt audacia, ita ſtatuere, licet primitiva & ſequẽs antiquiſsima Eccleſia, de libris illis, propter multorum Eccleſiaſticorum contradictionem dubitarit, ideò quòd non ſatis certa & firma autoritatis ipſorum teſtimonia extarent, hoc tamen non obſtante decernimus, debere illos pro omnino certis pari autoritate, cum illis, qui legitimi ſemper judicati ſunt, recipi. Sed quibus documentis hoc veſtrũ decretum probatis? Reſpondet Pighius: Eccleſia habet illam poteſtatem, quòd poteſt ſcriptis quibuſdam impertiri Canonicam autoritatẽ, quam nec ex ſe, nec ſuis autoribus habent. Quin igitur imparciantur illam autoritatem, vel fabulis Aeſopi, vel veris narrationibus Luciani. Non quòd libros illos, de quibus controverſia eſt, velim fabulis Aeſopi comparari (tribuo enim illis cum Cypriano & Hieronymo, honorificũ locum, quẽ in veteri Eccleſia ſemper habuerunt; ſed ἐπ' ἀκρῳ τῷ γὲ ὡς ἀδ' ὑνατον, ſicut Dialectici loquũtur, volui oſtẽdere, in diſputatione de libris ſcripturæ, Eccleſiam non habere illam poteſtatem, quòd poſſit ex falſis ſcriptis facere vera, ex veris falſa; ex dubiis & incertis facere certa, canonica & legitima, ſine ullis certis & firmis documentis, quæ ad hanc rem requiri, ſuprà diximus.

Et planè eodem modo Auguſtinus, quando diſputat de conſtitutione Canonis librorum Scripturæ non tribuit Eccleſiæ merum & mixtum imperium juxta Scripturam, ſed teſtificationis meminit, & qualem teſtificationem intelligat, conſideretur. Contra Fauſtum lib. 28: cap. 2. Cùm cœpero Matthæi Evangelium recitare, continuò dices, illã narrationem non eſſe Matthæi. Tu mihi quid contrà lecturus es? Aliquem fortè librum Manichæi. Sicut ergo ego credo, illum librum eſſe Manichæi, quoniam ex ipſo tempore, quo Manichæus vivebat in carne, per diſcipulos ejus, certa ſucceſsione præpoſitorum veſtrorum, ad veſtra uſque tempora cuſtoditus atque perductus eſt, ſic & iſtum librum crede eſſe Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipſe in carne vixit, interrupta ſerie temporum, Eccleſia & certa connexionis ſucceſsione uſq; ad tempora iſta perduxit. Ibidem lib. 33. cap. 6. Etjam in literis ſecularibus, ſub clarorum autorum nominibus, poſtea multa prolata ſunt, & ideò repudiata, quia vel his, quæ ipſorum eſſe conſtaret, minimè congruerent, vel eo tempore, quo illi ſcripſerũt, nequaquam innoteſcere, & per ipſos, vel familiariſsimos eorum in poſteros prodi cõmendariq; meruerunt. Platonis, Ariſtotelis; Ciceronis, aliorumq; ejuſmodi autorũ libros, unde noverunt homines quòd ipſorum ſunt? niſi temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua. Quæ Patres conſcripſerunt, unde conſtat, quid cujuſq; ſit? niſi quia his tẽporibus, quibus ea quis ſcripſit, quibus potuit inſinuavit & edidit, & inde in alios atq; alios, continuata notitia, latiusq; formata ad poſteros, etjam uſq; ad noſtra tempora pervenerunt. Ecce iſtas literas, quas habemus in manibus, ſi poſt aliquantum tempus vitæ hujus noſtræ, vel illas quiſq; Fauſti eſſe, vel has neget meas, unde convincitur? niſi quia illi, qui nunc iſta noverunt, notitiam ſuam ad longè etjam poſt futuros continuatis poſterũ ſucceſsionibus trajiciunt. Quę cùm ita ſint, quis dicat hoc mereri non potuiſſe Apoſtolorum Eccleſiam tam fidam, tam numeroſam fratrũ concordiam, ut eorum ſcripta fideliter ad poſteros trajicerent? Lib. 11. cap. 2. Quam libri à te prolati originem, quam vetuſtatem, quam ſeriem ſucceſsionis teſtem citabis? Et vides in hac re, quid Eccleſiæ Catholicæ valeat autoritas, quæ ab ipſis fundatiſsimis ſedibus Apoſtolorum, uſq; ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur. Libr. 32. cap. 21. Hic jam ſi quæratis à nobis, unde ſciamus Apoſtolorum eſſe iſtas literas breviter vobis reſpondemus, inde nos ſcire, unde & vos ſcitis illas literas eſſe Manichæi.

Auguſtinus.

De civitate Dei libr. 15. cap. 23. Omittamus earum Scripturarũ fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur, eò quòd earum occulta origo non claruit patribus, à quibus uſq; ad nos autoritas verarum

rarum Scripturarũ certiſsima & notiſsima ſucceſsione pervenit. In his autem apocryphis etſi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falſa, nulla eſt canonica autoritas. Scripſiſſe quidem nonnulla divina Enoch, negare non poſſumus, cùm hoc in Epiſtola canonica Iudas apoſtolus dicat: ſed non fruſtrà non ſunt in eo canone Scripturarum, quæ ſervabatur in templo Hebræi populi, ſuccedentium diligentiâ ſacerdotum. Cur autem hoc? niſi quia ob antiquitatem ſuſpecta fidei judicata ſunt, nec utrum hæc eſſent quæ ille ſcripſiſſet, poterat inveniri: non talibus proferentibus, qui ea per ſeriem ſucceſſionis reperirentur ritè ſervaſſe, unde illa quæ ſub ejus nomine proferuntur, rectè à prudentibus judicantur non ipſius eſſe credenda: ſicut multa ſub nominibus & aliorum Prophetarum, & recentiora ſub nominibus Apoſtolorum ab hæreticis proferuntur: quæ omnia ſub nomine apocryphorum, ab autoritate canonica, diligenti examinatione remota ſunt.

De conſenſu Evangeliſt. libr. 1. Cæteri ſcriptores vel non tales extiterunt ſuis temporibus, ut eis fidem haberet Eccleſia, atque in autoritatem Canonicam ſanctorum librorum, ſcripta eorum reciperet: vel quia ſcriptis ſuis quædam ſallaciter indiderint, quæ Catholica & Apoſtolica regula fidei, & ſana doctrina condemnat.

Idem cõtra Fauſtum: Legunt Scripturas apocryphas Manichæi, neſcio à quibus futoribus fabularum, ſub nomine Apoſtolorũ ſcriptas: quæ ſuorum ſcriptorum temporibus in autoritatem ſanctæ Eccleſiæ recipi merentur, ſi ſancti & docti homines qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera locutos eſſe cognoſcerent.

Manifeſtum eſt, Auguſtinum nõ tribuere Eccleſiæ illam poteſtatem, quòd poſsit ſcriptis quibuſdam tribuere canonicam autoritatem: quam nec ex ſe ipſis, nec ex ſuis autoribus habuerũt, & quam illis cùm ſcriberentur temporibus, non habuerint, ſicut Pontificii contendunt. Sed alia eſt ratio autoritatis Spiritus ſancti: cujus impulſu & inſpiratione Prophetæ, Apoſtoli, & Apoſtolorum diſcipuli libros ſacros conſcripſerant, qui miraculis doctrinam illam conſcriptam confirmârunt. Et alia eſt ratio teſtificationis Eccleſiæ, quòd ſcripta illa ſint à Prophetis & Apoſtolis vel cõſcripta, vel comprobata, & Eccleſiæ commendata. Et in hac teſtificatione alia etjam eſt ratio illius Eccleſiæ, quæ fuit illis temporibus, cùm libri illi primùm ſcriberẽtur, & ejus Eccleſiæ, quæ poſtea ſecuta eſt. Illa enim tantùm conſervat, & ad poſteros tranſmittit teſtificationem primæ Eccleſiæ: non autem vel debet, vel poteſt aliquid de libris illis ſtatuere, cujus non habeat certa documenta ex teſtificatione primæ Eccleſiæ.

Gerſon.

Ità Gerſon de vita ſpirituali, lectione 2. corollario 7. diſputat, majorem hac in re fuiſſe autoritatem primitivæ Eccleſiæ, quàm nunc ſit. Et addit: Non eſt in poteſtate Papæ, aut Concilii, aut Eccleſiæ, immutare traditiones datas ab Evangeliſtis & ab Apoſtolis, ſicut quidam delirãt, Nec habent parem autoritatis firmitatem, ut faciant aliquid eſſe purè de fide. Subjungit & hoc: Et hìc aperitur modus intelligendi illud Auguſtini: Evangelio non crederem, niſi me authoritas Eccleſiæ compuliſſet. Ibidem enim Eccleſiam ſumit pro primitiva congregatione fidelium eorum qui Chriſtum viderunt, audierunt, & ſui teſtes extiterunt. Hæc Gerſon.

Tertia quæſtio eſt: Qui libri ſint in Canone, & qui non ſint in canone? ſicut Hieronymus inquitur. Non autem de ſuppoſititiis, adulterinis, & falſis ſcriptis tunc loquimur, quorũ Catalogus extat apud Euſebium, & diſtin. 15. cap. Sancta Romana. ſed de illis libris quæſtio eſt, qui ſimul extant in vulgata Bibliorum editione, quiq; in Eccleſiis à fidelibus leguntur. De illis quæritur veteris Eccleſiæ teſtificatio, an omnes ſint ejuſdem certitudinis, & paris autoritatis. Eſt autem certiſsimum & manifeſtiſsimum, veteris Eccleſiæ hanc eſſe teſtificationem, quòd ex illis libris quidam ſint in Canone, quidam non ſint in Canone, ſed ſint apocryphi: ſicut Hieronymus ſolet loqui: (quod idem eſt) quædam ex illis ſcriptis eſſe legitima, & quæ ſine contradictione certa & conſentiẽtia ſuæ authoritatis teſtimonia habeant, ab univerſa prima & veteri Eccleſia. de quibuſdam verò dubitatum fuiſſe propterea quòd propter quorundam cõtradictionem non habuerint ſatis certa, firma & conſentientia primæ & veteris Eccleſiæ teſtimonia de ſua authoritate.

Apocryphæ ſcripta veteris Teſtam.

Et ex ſcriptis veteris Teſtamẽti, inter apocrypha quę non ſunt in Canone, numerantur Liber Sapientię, Syrach, Iudith, Tobias, tertius & quartus Eſdræ, Baruch, epiſtola Ieremię, libri Machabæorum, particulæ in Eſther & Damele.

Et ratio, quare libri illi ab autoritate Canonica ſeparati ſunt, non eſt obſcura. Quidam enim ex illis, poſt tempora Prophetarum tunc ſcripti ſunt, cùm populus Iſrael non amplius habebat Prophetas, quales veteres fuerant: & ſcripti ſunt ab illis, qui non habebãt divina teſtimonia, ſicut prophetæ, de doctrinæ ſuæ certitudine & authoritate. Quidam verò ex illis libris, præferũt quidem nomina Prophetarum, ſed non habuerunt certas teſtificationes, quòd ab illis quibus tribuuntur, eſſent conſcripti. Hæc ratio manifeſta eſt, quare remoti ſint à canone ſcripturæ. Iſtos ergo libros qui nunc vult facere canonicos, illum neceſſe eſt probare poſſe, quòd certò, abſque omni dubitatione ſint à Prophetis conſcripti: quod probare impoſsibile eſt. Vel neceſſe eſt ſtatuere, ad Scripturam divinitus inſpiratam nihil referre, ſive habeat divinæ certitudinis, autoritatis & veritatis teſtimonia, ſive humana tantum habeat teſtimonia. Conſideret igitur Lector, quo tandem evaſura ſit dictatoria librorum illorum Canoniſatio.

Ex libris novi Teſtamenti, qui in prima & veteri Eccleſia non habuerunt ſatis certa, firma & conſentientia certitudinis & autoritatis ſuæ teſtimonia, hi recenſentur.

Scripta apocrypha novi Teſtamenti.

Euſebius libro 3. capit. 25. Scripta quæ non habentur pro indubitatis, ſed quibus contradicitur, licet multis ſint cognita, hæc ſunt: Epiſtola Iacobi, Iudæ, poſterior Petri, & altera cum tertia Iohannis: Apocalipſin Iohannis quidem reprobant, quidam certis & indubitatis ſcripturis adjudicant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hieronymus in Catalogo script. Epistola Iacobi, ab alio quodam sub eius nomine edita asseritur.

Eusebius libr. 2. cap. 23. Istius Iacobi qui Iustus & Oblias vocabatur, dicitur esse epistola, quę prima scribitur inter Catholicas. Sciēdum autē est, ἀνενθέτως, hoc est, quòd non pro genuina & legitima, sed pro notha & adulterina judicetur. Non multi igitur veterum (τῶν παλαιῶν) istius meminerūt, sicut & quæ Iudæ: quia de libro Enoch qui apocryphus est, testimonium assumit, à plerisque rejicitur.

Eusebius libro 3. capite 3. Eam quæ circumfertur altera Petri epistola, non esse legitimam accepimus.

Hieronymus in Catalogo scripto: Secunda à plerisque Petri esse negatur, propter stylum cum priori dissonantiam.

Eusebius libro tertio, capite 25. Reliquis duabus epistolis Iohannis contradicitur. Et rationem addit, capite 25. Quia, inquit, dubitatum fuit, utrum essent Iohannis Evangelistæ, an verò alterius cujuspiam, ejusdem cum illo nominis.

Eusebius libro 3. cap. 3. Non est ignorandum, quòd quidam in Romana Ecclesia, epistolam ad Hebræos reprobârunt, asserentes contradici, quasi non sit Pauli.

Lib. 6. cap. 25. Origenes ponens catalogum canonicorum scriptorum veteris Testamenti, dicit libros Machabęorum ἔξω τάπων esse. Ibidem: Petrus unâ epistolam, de qua certò constat, post se reliquit. Esto autem reliquerit & alteram: de illa namq; controvertitur. Item, Alteram & tertiam Ioannis, non omninò germanas esse dicūt. Ibidem: De epistola ad Hebræos, character dictionis non habet τὸ ἰδιωτικὸν ἐν λόγῳ, sicut Paulus confitetur se idiotam esse sermone. Quisquis autē potest discernere inter phrases, fatebitur epistolam ad Hebræos ἐν συνθέσει τῆς λέξεως ἑλληνικώτερον. Rursus quod sensus hujus epistolæ nequaquā inferiores sint illis literis, quæ sine contradictione Apostolicæ sunt, fatebitur, quisquis diligenter legerit Apostolica. Et tandem concludit: Si qua igitur Ecclesia, Epistolam illam tanquam Pauli recipit, ἐν δοκιμείτω καὶ ἐπὶ τούτῳ. Non enim frustrà prisci viri, Pauli esse tradiderunt. Quis verò illā scripserit, τὸ μὲν ἀληθὲς Deus novit. Ad nos verò historia pervenit, vel à Clemente, vel à Luca esse scriptā: ut sensus sint Pauli, phrasis verò & compositio sit ἀπομνημόνευσαντος τινὸς Apostolica, & quasi γολιογραφήσαντος, quæ dicta erant à præceptore. Hieronymus in octavo capite Isaiæ: Licet Latina Ecclesia epistolam ad Hebræos inter Canonicas scriptas non recipiat.

Eusebius lib. 3. capit. 24. De Apocalypsi etjamnum apud multos dispar est opinio, probantibus illam aliis, aliis verò reprobantibus.

Lib. 3. capit. 39. Verisimile est, alterum Iohannem, qui inter seniores numeratur, nisi quis primum, qui inter Apostolos nominatur, Apocalypsin illam vidisse, quæ sub nomine Iohannis circumfertur. lib. 5. cap. 8. Irenæus tribuit illam Iohanni Apostolo. Ita & lib. 6. cap. 25. Origenes.

Cur de quibusdam scriptis novi Testamenti veteres dubitarint.

Hæc veterum testimonia ideo annotavi, ut non tantùm notus sit catalogus scriptorum novi Testamenti, quæ non habent satis certa, firma & consentientia autoritatis suæ testimonia: sed ut præcipuè notari possint rationes, quare de illis dubitatum fuerit. 1. Quia apud veteres non inventa fuerunt satis certa, firma & consentientia testimonia de testificatione primæ Apostolicæ Ecclesiæ, quòd libri illi essent ab Apostolis comprobati, & Ecclesiæ commendati. 2. Quia non certò ex testificatione primæ & veteris Ecclesiæ constitit, an ab illis sub quorum nomine editi sunt, libri illi conscripti essent: sed judicati fuerunt ab aliis sub nomine Apostolorum editi. 3. Cùm quidam ex vetustissimis, aliquos ex illis libris tribuerent Apostolis, quidam verò contradicerent: res illa, sicut non erat indubitatò certa, relicta fuit in dubio. Pendet enim tota hæc disputatio à certis, firmis & consentientibus primæ & veteris Ecclesiæ testificationibus: quæ ubi desunt, sequens Ecclesia sicut non potest ex falsis facere vera, ita nec ex dubiis potest certa facere, sine manifestis & firmis documentis. Cōtra hæc tàm manifesta antiquitatis testimonia Tridentinum concilium sessione quarta, ita decernit: Si quis libros integros cum omnib. suis partibus, prout in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, anathema sit. Sed unde hoc fuum decretum, contra antiquitatis testimonia probant & confirmant? Num proferunt certa & manifesta quædam documenta, ex testificationibus primæ Apostolicæ & veteris Ecclesię, quòd libri illi cōtroversi, eandem certitudinem & parem authoritatem cum reliquis, de quibus nunquam dubitatum fuit, habeant? Nihil minus: neq; enim possunt hoc facere. Sed rapiunt sibi hanc potestatem, quod Papa cum suis Prælatis, possit & illis, & forsan aliis etjam libris impertiri canonicam authoritatem: quam nec ex se, nec ex suis autoribus merentur, & quam tempore Apostolorum & primitivę Ecclesiæ non habuerunt: sicut Pighius contendit. Quin igitur apertè dicunt quod res est. Licet probari non possit, libros illos vel à Prophetis, vel ab Apostolis sive scriptos, sive comprobatos, & à prima veteriq; Ecclesia certò & constāter receptos: imò licet contrarium manifestissimis antiquitatis testimoniis meridiana luce clarius probetur: hoc tamen non obstante, statuimus & decernimus, certò hoc credendum esse, licet nulla à nobis hujus rei idonea proferantur documenta, quia (si dis placet) plenitudo hujusmodi Antichristianę potestatis, sepulta est in scrinio pectoris Pontificii.

Dicunt Anathema omnibus, qui libros apocryphos non recipiunt eadem certitudine & authoritate, sicut canonicos. Anathema igitur erit Eusebius, Hieronymus, Origines, Melito, & tota prima Apostolica ea vetus Ecclesia: ex cujus testificatione, illa quæ suprà de libris istis recitavimus, accepta sunt.

Scio, quòd Nicephorus, scriptor non admodū vetus, libr. 3. ubi ex Eusebio recitat primitivæ & veteris Ecclesiæ sententiā de libris istis apocryphis, addit, Ecclesiam jamdudum illos pro legitimis & testamentariis recepisse. Sed quas affert rationes, quæ documenta, quare à testificationibus primitivæ Ecclesiæ discedendum sit? Nihil certè Hilarius in prologo Psalmorum, de re gravi profectò non satis graviter agit. Ludit enim, quia 22. sunt libri canonici veteris Testamenti, juxta numerum literarum Hebraicarum: ideò quia Græcorum & Latinorum, 24. sunt literæ, addendos esse canoni duos libros, Iudith, scilicet & Tobiam, ut numerus respondeat literis. Sed in re tàm gravi & seria, non tàm frivolè ludendum est.

Tota igitur disputatio in hac quæstione consistit: An certum & indubitatum sit, libros illos de quibus hæc controversia est, esse Scripturam divinitus inspiratam à Prophetis & Apostolis, qui divinitus autoritatem illam habuerunt vel editam, vel approbatam?

Tota antiquitas respondet, non esse certum, sed propter multorū contradictiones fuisse dubitatum. Tridentinum verò supercilium anathema minatur, nisi quis illos susceperit pari, imò eadem certitudine & autoritate, sicut reliquos libros, de quibus nunquā dubitatum fuit. Quid igitur mirum est, quòd parasiti quidam Pontificii disputārunt, Papā posse novos fidei articulos condere: cùm hoc loco novam Scripturam Canonicam fabricare non vereatur? ut nullum amplius sit dubium, quis sit ille, qui in templo Dei sedens, super omne quod Deus dicitur, extollitur, 2. Thess. 2.

Vsus huius disputationis.

Nunquid igitur simpliciter abjiciendi & damnandi sunt libri illi? Nequaquam hoc quærimus. Quem igitur usum habet hæc disputatio? Respondeo. Vt regula fidei, sive sanæ in Ecclesia doctrinæ certa sit. Ex solis enim libris Canonicis, authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam veteres censuerunt, sicut testimonia suprà allegata sunt. Solius Canonicæ Scripturæ autoritas, idonea judicata fuit ad roborandā illa quæ in contentionem veniunt: reliquos verò libros, quos Cyprianus Ecclesiasticos, Hieronymus apocryphos nominat, legi quidē voluerunt in Ecclesiis, ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Ecclesiarum dogmatū cōfirmandam. Non enim voluerunt illos proferri, ad autoritatem ex his fidei confirmandam. Et illorum autoritas, ad roborandā ea quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicata fuit. Nullum igitur dogma ex istis libris extrui debet, quod non habet certa & manifesta fundamenta & testimonia in aliis canonicis libris. Nihil quod controversum est, ex istis libris probari potest, si non extent aliæ probationes & confirmationes in libris canonicis. Sed quæ in illis libris dicuntur, exponenda & intelligēda sunt, juxta analogiam eorum quæ manifestè traduntur in libris Canonicis. Hanc esse vetustatis sententiam, nullum est dubium. Sed Concilium Tridentinum propter illam ipsam causam, necessariam & verissimam hanc veteris Ecclesiæ distinctionē infringit, subvertit & tollit: quia (sicut Andradius meus inquit) non volunt se in has conjicere angustias, ut omnibus aliis præsidiis destituti, à sola Canonica Scriptura fidem mutuentur. Inquit enim Synodus Tridentina, se ideo ex libris apocryphis facere Canonicos: ut ostendat quibus potissimū testimoniis & præsidiis, in confirmandis dogmatibus, & instaurandis moribus sit usura.

Quid igitur antiquitatis suffragia prætendūt, qui primæ & veteris Ecclesiæ sententiam de Canone fidei? & dogmatum ab ipsis fundamentis subvertunt? Et diligenter consideret Lector, quid incommodi in Ecclesiam invexerit, neglecta & sublata antiquissima illa distinctio, inter libros Canonicos, apocryphos, & adulterinos seu falsos. Primùm enim ad authoritatem librorum Canonicorum, paulatim adjungi cœperunt reliqui, qui apocryphi vocantur Hieronymo. Postea ex adulterinis & reprobatis scriptis, multa tanquam ex traditionibus citari cœperunt: sicut ostendemus in loco de traditionibus. Tertiò, circa Gregorii tempora cœpit dici, Concilia amplectenda & venerāda esse sicut Evangelia. Quartò, glossa in cap. Nol. distin. 15. inquit: Augustinus loquitur secundū illa tempora, cùm adhuc scripta Patrum, non erant Authentica: sed hodie omnia jubentur teneri usque ad ultimum jota. Quintò, accessit & hæc impudentia, quòd Augustini sententiam de doctrina Christiana, lib. 2. capite 8. turpissimè falsare nō sunt veriti. Ita enim legunt & interpretantur, dist. 19. cap. In Canonicis: Inter Scripturas Canonicas præponendas esse illas, quas Apostolica sedes (hoc est, Romana) habere, & ab ea alii accipere meruerunt Epistolas. Ibi decretales Romanorum Pontificum non tantùm æquantur, sed præponuntur Scripturæ Canonicæ: idq; manifestissimo crimine falsi. Augustinus enim hoc non dicit. Sed quid miramur, cùm arrogent sibi illam licentiam, quòd possint canonisare libros, qui tempore Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ tales habiti non fuerunt? Postremò. Quia hæc de Conciliis, Patribus, & Decretis Pontificum, nimis crassa, nostro quidem seculo videri possint, si equētur Evangelio: aliud jam artificium inventum est, ut quicquid credit & observat Ecclesia Pontificia, quod nullo Scripturæ testimonio probari potest, dicatur & credatur esse traditio Apostolica. Et hi sunt Pontificiorum loci verè ἄτεχνοι, ex quibus nullo negocio quidvis probare possunt.

Obiectiones Pontificiorū ex Hieronymo & Augustino.

Hæc recensui, ut intelligatur, quid Pontificii quærant suā illa cōfusione: & quàm omninò necessarium sit, pro veteri illa librorum Scripturæ distinctione dimicare. Duas autem habent objectiones, quas specie aliqua huic quā defendimus sententiæ, opponere possunt. Vna est ex Hieronymo, qui dicit libros illos procedente tempore autoritatem obtinuisse, & inter sanctas Scripturas cōputatos. Altera est ex Augustino, qui libros illos vocat Canonicos. Sed de Augustino prius dicemus. Ille enim de doctrina Christina libr. 2. capit. 8. recitans, quibus libris Canon Scripturæ contineatur, annumerat etjam illos libros, quos hactenus diximus esse extra Canonem, seu apocryphos. Et illam Augustini sententiam sequitur Concilium Carthaginense tertiū, &c. Hæc propter Augustini autoritatem, specie aliqua contra ea quæ hactenus diximus, prætendi possunt. Sed non est difficilis responsio. Primum enim quærere possem: Cùm tota antiquitas aliter sentiat, utrum recipienda & imitanda potius sit totius antiquitatis, quàm unius Augustini sententia, cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

tùm non fit ignotum, quam libertatem Lectori Auguſtinus in ſuis ſcriptis cõcedat? Salva igitur Auguſtini honorificentia, & bona ipſius pace fieret, ſi nollemus ipſius unius ſententiam præferre & plurium & antiquiorum conſtanti judicio. Sed non utamur nunc hac reſponſione. Video enim Auguſtinum, licet aliis vocabulis utatur, de re ipſa tamen idem & ſentire & loqui, ſicut ex teſtimoniis antiquitatis hactenus oſtendimus. Nam apocrypha ſcripta Auguſtinus non intelligit, ut Hieronymus de Iudith, Tobia, &c. ſed ſimpliciter apocrypha vocat adulterina, falſa & reprobata ſcripta. Vt de Civit. Dei libr. 15. cap. 23. vocat fabulas ſcripturarum, quæ apocryphæ nominantur, quarum propter multa falſa, nulla eſt Canonica authoritas. Et contra Fauſtum dicit, apocrypha à ſutoribus fabularum ſub Apoſtolorum nomine ſcripta. Auguſtinus igitur non tres cum Euſebio & Hieronymo, ſed duos tantum ordines ſcriptorum vocabulis apocryphorum & Canonicorum diſtingvit. 1. vocat apocrypha, hoc eſt, fabuloſa, adulterina & falſa. 2 ea quæ in Eccleſiis legebantur, uno vocabulo vocat Canonica. Quæro autem, num Auguſtinus affirmet illorum librorum omnium, quos uno vocabulo Canonicos nominat, eandem eſſe certitudinem, & parem autoritatem? hic enim eſt ſtatus diſputationis. Et invenio, Auguſtinum expreſsis verbis tradere & exponere hanc diſtinctionẽ: quoſdam ſcilicet ex illis libris, ab omnibus accipi Eccleſiis catholicis: quoſdam verò non ab omnibus accipi, ſed à quibuſdam tantum. Et addit, illas Scripturas, quæ ab omnibus Eccleſiis accipiuntur, præponendas eſſe eis, quas quædam non accipiunt. Et in his rurſus, quæ à pluribus & gravioribus accipiuntur, præponendas eſſe iis, quæ pauciores, minorisq; autoritatis Eccleſiæ tenent. Sicut igitur tota antiquitas, ita etjam Auguſtinus diſtingvit libros Biblicos: & quoad authoritatem & certitudinem, dicit alias aliis præponendas: hoc eſt, non parum eſſe omnium authoritatem & certitudinem, eò quòd quædam ab omnibus Eccleſiis accipiantur, quædam non ab omnibus. Et illud eſt, quod cum tota antiquitate nos etjam dicimus. Ita libros Machabæorum Auguſtinus alibi vocat Canonicos. Non autem de appellatione potiſsimum diſputatio eſt, ſed de re ipſa: An ſcilicet Auguſtinus, libris Machabæorum parem, imò eandem tribuat authoritatem, quam habent reliqui libri qui propriè ſunt Canonici. Lego autem, quòd Auguſtinus contrà Gaudentii epiſtolam, libr. 2. cap. 23. Raciæ exemplum, inferentis ſibi mortem, licet variè torqueat: non tamen vel audet, vel poteſt defendere & probare. Et tandem inquit: Hanc quidem Scripturam, quæ appellatur Machabęorum, non habent Iudæi ſicut legem & Prophetas, & Pſalmos, quibus Dominus teſtimonium perhibet, tanquam teſtibus ſuis, Lucæ 24. Sed recepta eſt ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobriè legatur vel audiatur.

Hoc certè modo Auguſtinus de libris verè canonicis non loquitur. Extat præterea alius locus apud Auguſtinum: unde adhuc manifeſtius colligitur, tempore Auguſtini, iſtorum librorum de quibus controverſia eſt, non fuiſſe parem autoritatem, ſicut aliorum verè Canonicorum. Nam de prædeſtinatione ſanctorum, libr. 1. capit. 14. D. Auguſtinus dicit, ſe uſum teſtimonio ex libro Sapientiæ: Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus. Et addit: Quod teſtimonium à me poſitum fratres iſtos ita reſpuiſſe dixiſtis, tanq; non de libro Canonico adhibitum. Quid verò Auguſtinus? Non defendit librum iſtum verè eſſe canonicum, ſed inquit: quaſi excepta hujus libri atteſtatione, res ipſa non clara ſit, quam volumus hinc doceri: & adhibita ſententia ex Ezechiele dicit, Hæc eſt tota cauſa, cur dictum ſit, à quocunq; ſit dictum: Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus. Item: Quilibet hoc dixerit, quis homo ſanæ fidei reſiſtendum putabit? Manifeſtum ergo eſt, Auguſtinum de diſtinctione librorum ſacrorum idem ſentire quod Hieronymus inquit: Legit hæc Eccleſia ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam. Manifeſtum ergo eſt, Auguſtinum probare, retinere & ſervare veterum illam diſtinctionem, de qua ſuprà diximus, quòd ſcilicet non eadem aut par ſit certitudo & autoritas omnium librorum Scripturæ, quæ in vulgata Latina editione continentur. Et jam quivis Lector intelligit, Pontificios falsò & nequicquam Auguſtini autoritatem obtendere ſuæ opinioni, qua omnes libros æquant & pares faciunt, quoad certitudinem & autoritatem. Sed inquis: Quare Auguſt. illos libros annumerat cæteris, & vocat canonicos? Reſpondeo: Auguſtinus hoc tantùm agit, apocryphos illos libros, quos Hieronymus ita vocat, licet non ſint ejuſdem certitudinis & autoritatis, ſicut reliqui indubitati ſcripturæ libri: non tamen ſimpliciter eſſe abjectos & damnatos, ſicut reliqua adulterina & falſa ſcripta, ſed receptos eſſe in numerum ſacræ Scripturæ: ea tamen lege & conditione, ſicut ſuprà ex Hieronymo & Cypriano dictum eſt. Illud verò & nos libenter concedimus & docemus.

Altera objectio eſt ex Hieronymo, qui inquit: Epiſtola Iacobi, paulatim procedente tempore, authoritatem obtinuit. Et de Epiſtola Iudæ inquit: autoritatem vetuſtate jam & uſu meruit, & inter ſanctas ſcripturas computatur. Dicit etjam ſynodum Nicenam, librum Iudith in numero ſanctarum Scripturarum computaſſe. Sed quia de Hieronymi ſententia, abſque omni ambiguitate conſtat, facilis eſt reſponſio. Eſt enim Hieronymo diſcrimen inter hæc duo: Computari inter Scripturas, & recipi inter Scripturas canonicas. De Iudith enim dicit in Præfatione, quòd computetur in numero ſanctarũ Scripturarum. Sed in Præfatione librorum Salomonis inquit: Iudith, Tobiæ & Machabæorũ libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter canonicas Scripturas non recipit. Et ipſe Hieronymus, quomodo hæc intelligi velit, diſertè explicat, cùm inquit: Legit hæc Eccleſia ad ædificationem plebis, non ad autoritatem dogmatum Eccleſiaſticorum confirmandam. Item illorum autoritas ad roborandа illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. Manet igitur & juxta Auguſtinum & Hieronymum, ſententia antiquitatis fixa & firma.

Ita etjam Euſebius lib. 2. cap. 23. de epiſtola Iacobi

cobi & Iudę inquit: Attamen ſcimus & iſtas cum reliquis, in plurimis Eccleſiis δ'εδ'ημοσιευμένας publicè legi, &c. Sed inde non ſequitur, canonicam ipſis tributam fuiſſe autoritatem. Nam & de paſtore Hermæ, eodem vocabulo utitur Euſebius lib. 3. cap. 3.

Quod igitur ad rem ipſam attinet, idem ſentit & dicit Auguſtinus de libris Scripturæ, quod reliqui ante ipſum veteres ſcriptores: niſi quod non iiſdem vocabulis, nec eodem modo utitur. Latius enim accipit vocabulum Canonicorum, quàm Hieronymus. Apocrypha etjam aliter intelligit quàm Hieronymus. Et ex diviſione Euſebii trimembri, quòd ſcilicet quidem libri ſint legitimi, quidam de quibus dubitatum fuit, quidam adulterini & falſi: Auguſtinus fecit bimembrem diviſionem, quoſdam libros eſſe Canonicos, quoſdam apocryphos. Et tamen illos quos vocat canonicos, rurſus non obſcurè diſtingvit: quoſdam ſcilicet ab omnibus accipi Eccleſiis, quoſdam non ab omnibus, quos ſobriè vult legi. Quod ſi Pontificii de rebus ipſis ita ſentirent, de verbis aut vocabulis non magnoperè pugnaremus. Sed volunt ad confirmationem dogmatum, & ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, eandem & omninò parem eſſe autoritatem omnium librorum, qui in vulgata Latina editione Bibliorum habentur. Et hoc eſt quod impugnamus, quodq; cum judicio totius antiquitatis pugnare dicimus.

Conſtitutis autem rebus, de verbis quidem ſeu vocabulis non temerè eſt pugnandum, utile tamẽ eſt, vocabula habere maximè propria, quæ res ipſas perſpicuè & ſine ambiguitate ſignificẽt & explicent. Hieronymus vocat libros canonicos, qui ſunt legitimi & indubitati: de quibus verò dubitatum fuit, vocat apocryphos. Auguſtinus utroſq; uno vocabulo appellat Canonicos. Hieronymus apocryphos appellat, tàm eos de quibus dubitatum fuit, quàm adulterinos & falſos. Ita in prologo Galeato inquit: Vt ſcire valeamus, quicquid extra hoc eſt, inter apocrypha eſſe ponendum: ut Syrach, Iudith, Tobiam, &c. Et in Præfatione in Evangeliſtas, inquit: Apocryphorum nænias, mortuis magis hæreticis, quàm Eccleſiaſticis vivis canendas. Auguſtinus verò per apocrypha tantùm intelligit adulterina & falſa.

Varius igitur & diverſus eſt horum vocabulorum uſus: ſed ſi de proprietate quæritur, facilis eſt djiudicatio. Ipſa enim appellationis emphaſis & proprietas indicat, libros illos non propriè vocari canonicos, qui leguntur quidem in Eccleſiis, ſed non ad confirmandam ex his fidei autoritatem: & quorum autoritas non idonea judicatur, ad roborandа ea, quæ in cõtentionem veniunt. Convenit enim appellatio propriè ad illos libros, qui ſunt canon dogmatum & fidei.

Libri apocryphi. ἀπόκρυφοι propriè vocantur illi libri, quorum occulta origo non claruit illis, quorum teſtificatione autoritas verarum Scripturarũ ad nos pervenit: ſicut inquit Auguſtinus de Civit. lib. 15. capit. 23. Et contra Fauſtum lib. 11. cap. 2. dicit, vocari apocryphos, qui nulla teſtificationis luce declarati & prolati ſunt. Hæc explicatio appellationis, rectè convenit ad illos libros, qui in vulgatis editionibus habentur quidem, ſed non ſunt in Canone, ſicut Hieronymus loquitur: propterea quod non ſatis certis teſtificationibus conſtitit, an eſſent à Prophetis vel Apoſtolis ſive editi, ſive comprobati. Ad tertium genus ſcriptorum, quæ adulterina & falſa ſunt, ſive hæc, ſive alia appellatio accommodetur, non pugno: modo ipſarum rerum diſtinctio, quæ neceſſaria eſt, retineatur & proponatur.

Euſebius habet vocabula valdè ſignificantia. Quæ enim Hieronymus appellat canonica ſcripta, ea Euſebius vocat γνήσια, ἐνδιάθηκα, καθολικὰ, ἀναμφίλεκτα, ὁμολογούμενα: hoc eſt genuina, germana, legitima, teſtamentaria, catholica, ſine contradictione & dubitatione certa, & ab omnibus confeſſa.

Ea verò quæ leguntur quidem in Eccleſiis, ſed tamen non ſunt in Canone, ſicut Hieronymus inquit, Euſebius vocat ἀμφίλεκτα: de quib. dubitatum fuit, ſive quibus contradictum fuit. Vocat etjã non legitima, non teſtamentaria, &c. Reliqua verò vocat adulterina, abſurda, & impia.

DE VERSIONE SEV TRANSLATIONE SCRIPTVra in alias linguas.

SECVNDVM DECRETVM SYNODI TRIDENTINAE quartæ Seſsionis.

Inſuper eadem ſacroſancta Synodus conſiderans, non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex multis Latinis editionibus quæ circumfertur ſacrorum librorum, quaenam authentica habenda ſit, innoteſcat: ſtatuit & declarat, ut hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſeculorum uſu in Eccleſia ipſa probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, aut expoſitionibus, pro authentica habeatur, & quod eam nemo rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat.

EXAMEN.

In hoc ſecundo decreto 4. Seſsionis de verſionibus ſeu tranſlationibus ſacrorum librorum, duo ſunt notanda. 1. Quia tantum de Latinis editionibus diſputant: obliquè igitur, quod aliàs apertè faciunt, damnant, ſi in alias vernaculas & populares lingvas Scriptura transferatur. 2. Solam veterem & vulgatam Latinam editionem ita faciunt authenticam, ut nemo eam in prædicationibus, lectionibus, diſputationibus aut expoſitionibus rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat. Hæc ſunt examinanda. Et judicium non eſt obſcurum, ſi origo verſionum conſideretur. Deus primum doctrinam cœleſtem lingva Hebraica patefecit. Ante diluvium enim illa unica & ſola lingva fuit totius generis humani, & illius lingvæ literis poſtea doctrinã ſuam conſcribi curavit: quia Hebræa lingua, matrix eſt omnium aliarum linguarum, ſicut Hieronymus inquit in 13. cap. Sophonię. Et licet facta eſt poſtea confuſio lingvarum, Gneſ. 11. videtur tamen fuiſſe primis illis temporibus talis quædam cognatio ſeu affinitas, quod Abraham in Chaldæa, Aegy-

Hebræa lingua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aegypto & Chanaan fine interprete loquitur, & alios intelligit. Et Genes. 31. acervum testimonii aliter Laban patria lingua appellat, aliter Iacob: uterque tamen alterum intelligit. Et filiæ Laban imponunt filiis nomine Hebraica, cùm in ipsa adhuc Syria essent. Ita Genes. 41. Ioseph in Aegypto per interpretẽ loquitur fratribus: fuisse tamen adhuc magnam cognationem cum lingua Hebraica, ostendit appellatio אברך quam Pharao Iosepho imposuit. Idem etiam ostendit nomen Mosis משה quod filia Pharaonis ipsi imposuit, addita ratione appellationis. Et amici Iob ex diversis partibus veniẽtes, Hebraicè cum Iob disputant. Deuter. 28. vbi minatur hostes ex longinquis regionibus venturos, inquit: Cujus lingvam intelligere non poteris. Potuerunt igitur tunc propter affinitatem lingvarum, ab aliis etiam legi & intelligi, quæ Deus lingva Hebraica tradebat, & conscribi curabat. Neque enim ita Deus Scripturam tradidit, ut tanquam ad folia Sibillæ nemini, aut perpaucis ad ejus lectionem aditus patẽret. Sed propter hanc ipsam causam, ut ab aliarum etiam lingvarum hominibus legi posset Scriptura, ventum est postea ad versiones sive translationes. Cùm enim progressu temporis, affinitas quæ reliquis lingvis cum Hebræa hactenus intercesserat, corrupta esset, ita ut Hebraica non amplius ab aliis intelligerentur: tandem in alias lingvas, quæ tunc usitatæ erant, & præ reliquis latè patebant, transferri cœpit Scriptura sacra: idq; ideo, ut non tantum ab Hebraicè peritis, sed ab aliis etiam hominibus legi & intelligi possent, quæ omnium salutem complectebantur. Ita Daniel & Ezras cœperunt Chaldaico idiotismo quædam conscribere. Postea in lingvam Syriacam seu Chaldaicam tota Scriptura veteris Testamenti translata est: illa enim lingva in multis nunc terris & populis latè patebat. Ita cùm propter Græcorum Monarchiam, lingva Græca in plerisq; terris & populis usitata & nota esse cœpisset, translata est Scriptura veteris Testamenti in Græcam lingvam. Et Christus verbis Scripturæ in Syriaco idiotismo in cruce vsus est. Apostoli etiam Græca translatione veteris Testamenti plerunq; usi sunt. Institutum igitur transferendi sacros libros in alias lingvas vernaculas & populares, comprobatũ est ab ipso filio Dei, & ab Apostolis. Neque enim unam aliquam lingvam Deus ita dedicavit sacræ Scripturæ, ut nephas sit eam transferri in alias vernaculas & populares lingvas: unde ab omnibus legi & intelligi possint, quę de doctrina cœlesti, literis, vel Hebraicis vel Græcis consignari voluit Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnationem veritatis pervenire. Ita Eunuchus Aethiopissæ, Act. 8. legit Prophetam Isaiam, non in lingva Hebraica, sed in translatione Græca. Vult ergo Deus sacram Scripturam legi & intelligi, ab aliarum etiam lingvarum hominibus, utq; illud fieri posset, factæ sunt translationes in illas lingvas, quarum usus tunc latissimè patebat non inter doctos tantùm, sed alios etiam: qualis erat Syriaca & Græca. Hoc & Augustinus agnoscit, de doctrina Christ. libr. 2. cap. 6. ita enim inquit: Ex quo factum est, ut etiã Scriptura divina, qua tantis morbis humanarum voluntatum subvenitur, ab una lingua profecta, quæ opportunè potuit per orbem terrarum disseminari, per varias interpretum lingvas, longè lateq; diffusa, innotesceret Gentibus ad salutem: quam legentes nihil aliud appetunt, quàm cognitionem, voluntatemq; illorum à quibus conscripta est invenire, & per illas voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos esse credimus.

Versionum Scripturæ causa & usus.

Novum verò Testamentum, sicut vulgò nunc loquimur, misso Spiritu sancto in die Pentecostes, inchoatum, & quasi dedicatum est diversarum, & postea omnium Gentiũ lingvis, ad quas salus illa pertinebat. Sicut enim lingvarum confusione puritas doctrinæ divinitus patefactæ, amissa & depravata fuerat: ita Spiritus sanctus per diversitatem lingvarum cunctarum, Gentes in unitatem fidei rursus per Apostolos congregavit. Et quidem ideo dedit donum lingvarum, ut doctrina novi Testamenti, non quibusdam tantũ populis in una aut altera lingva, sed omnibus gentibus, quæ sub cœlo sunt, tradi & proponi posset illa lingua, quã intelligere possent. Scripturam verò novi Testamenti Deus Græcis literia tradi voluit, propterea quòd ejus tunc usus latissimè patebat: sicut ex Ciceronis oratione pro Archia colligi potest. Inquit enim: Si quis minorem putat gloriæ fructum ex Græcis versibus percipi, quàm ex Latinis, vehementer errat, propterea quòd Græca leguntur in omnibus ferè Gentibus. Latina suis finibus exiguis sanè continentur.

Novum Testamentum Græcè scriptum.

Et in Oriente, ubi Græca lingva diu manfit vernacula & popularis, Patres Græci locuti sunt Ecclesiis, populus in Græca lingva legit sacram Scripturam: sicut Chrysostomus sæpissimè laicos hortatur ad lectionem sacrę Scripturæ, quod facilè fieri poterat, quia Græca lingva tunc adhuc vernacula & popularis erat.

In Occidente verò, ubi unà cum imperio Romano, etiam Latinæ lingvæ usus latè in populis propagabatur, cœptæ sunt fieri translationes sacræ Scripturæ in lingvam Latinam. Et Augustinus de doctrina Christiana libr. 2. capit. 11. inquit: Qui Scripturas ex Hebræa lingua in Græcã verterunt lingvam, numerari possunt: Latini autem interpretes, nullo modo. Vt enim cuiq; primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibimet, utriusq; lingvæ habere videbatur, ausus est interpretari, &c. Ita Augustinus Ecclesiæ suæ Latinæ locutus est, & populus Latinè legit Scripturam, Latinè cantavit Psalmos: erant enim Latinæ lingvæ homines.

Factæ igitur sunt semper translationes Scripturæ sacræ in illas lingvas, quarum usus popularis erat, & latissimè patebat, non inter doctos tantum, verum etiam inter alios.

Postquam igitur jam lingvæ Latinæ usus desiit esse vernaculus & popularis, quæstio est: An liceat sacram Scripturam transferre ex suis fontibus in illas lingvas, quæ hoc tempore in nostris regionibus usitatæ sunt, & latè patent. Hoc institutum Pontificii non tantùm damnant, sed ferro & flamma persequuntur, dimicantes tantùm pro Latina versione. Sed quid de Barbarica illa tyrannide sentiendum sit, ex his quæ diximus,

An liceat scripturã nostras lingvas transferre.

mus manifestum est: ubi enim Deus patefecit, tantam esse Latinæ linguæ dignitatem, ut in ea sola legenda sit sacra Scriptura? Maior certè esset dignitas Hebraicæ & Græcæ linguæ, in quibus originaliter scripti sunt libri sacri. Quare igitur non contendunt potius, in solis illis linguis legendam esse sacram Scripturam? Sed forsan ideo hoc fit, quia maior ipsorum pars cum Accursio dicit: Græca sunt, legi non possunt. Certè Deus nõ vult doctrinam suam tantùm Latinis hominibus notam esse. Si ergo mandatum Dei est, doctrinam novi Testamenti omnium linguarum Gentibus tradere & proponere, ita ut intelligere possint: illud profectò fieri non potest, nisi doctrina Scripturæ, docendo transferatur in illas linguas, quæ notæ sunt populis, quibus prædicandus est Christus: nisi forsan statuere velint, Latinæ tantùm linguæ hominibus annunciandum esse Evangelium. Doctrina enim Evangelii ex Scriptura prædicanda est. In prædicando autem, non utendum est lingua, quæ ignota est illis quibus prædicatur, 1. Corinth. 14. Ergo verba & sententiæ Scripturæ transferendæ sunt in linguas, quę notę & usitatę sunt illis, quibus prędicatur. Quid autem interest, sive voce, sive scripto fiat verfio sive translatio? Si enim omnino piaculum est, Scripturam transferre in populares linguas: ergo neq; Evangelium ex Scriptura doceri & tradi poterit lingua vulgari.

Sed non memineram, Pontificiorum fidem extra & præter Scripturam consistere: possunt igitur docere sine Scripturæ translatione in linguas vulgares. Sed ad rem. Cùm nõ abhorreant, quando sententiæ quædam Scripturæ docendo transferantur in vulgares linguas: hoc tamen damnant, si tota Scriptura versione scripta ita transferatur. Quare autem hoc? nisi quòd volũt hanc sibi licentiam reservare, ut quicquid libet, & quantum libet, populo proponant: cui incumbat necessitas credendi, sine ulla dijudicatione. Vident autem hanc licẽtiam non fore integram, si populus ipse Scripturam in lingva vulgari & nota legere possit. Hæc est illa Helena, hinc illæ lachrymæ.

Quòd enim prætendunt, majestatem Scripturę inquinari, si in barbaras lingvas transferatur, nugæ sunt. Quæ enim est Latinæ lingvæ sanctitas? (non loquor jam de elegantia)

Et certè nõ violata fuit doctrinæ cœlestis majestas, quando in Pentecoste variis barbaris lingvis tradita & proposita fuit. Ergo nec versione in quamcunque lingvam, quantumvis habea tur barbara, inquinabitur, si verfio sit vera & sana. Omnium enim Gentium linguæ à Spiritu sancto dedicatæ sunt, ut sonent magnalia Dei, Actorum 2. Roman. 14. Isa. 66. Ita Hieronymus alicubi testatur, se in lingvam Dalmaticam vertisse Scripturam.

Verè igitur Antichristi tyrannis est, homines innocentes tantùm propter versiones Scripturę in lingvas vulgares, necare. Non loquor autem de versionibus, si quæ sunt pravæ, & non respondentes fontibus.

Alterum caput hujus decreti, est de veteri & vulgata Latina editione: quam nos sanè simpliciter & in totũ nec rejicimus, nec damnamus (debetur enim sua laus, quisq; fuit vetus ille interpres: multa enim sunt non malè reddita) Et utile est, extare certam aliquam versionem, quæ in citationibus allegetur: ita ut tamen vocabulorum emphasis, & sententiæ proprietas ex ipsis fontibus judicetur: ad quos omnino recurrendum est, si cubi minus rectè, commodè & propriè interpres reddidisse videtur. Hoc modo nos retinemus & usurpamus veterum versionem. Et si Tridentini decretores de veteri versione hoc tantùm agerent, nulla inter nos esset dissensio. Sed his non contenti, flagitant ut vulgata illa versio, sicut in ipsorum Ecclesia usitata est, pro authentica habeatur in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus aut expositionibus, ita ut eam nemo rejicere quovis prætextu ausit. Sed quid si ea, quæ in fontibus sunt sive Hebraicis, sive Græcis, vulgata illa editio non recte, commodè & propriè reddidit? Si librariorum vel inscitia, vel incuria quædam sunt mutata, mutilata vel addita, num licebit à veteri editione discedere, & ad fontes recurrere? Num licebit fontes præferre rivulis? & si qua in vulgata illa versione malè reddita, mutata, mutilata & addita sunt, ita ut à fontibus dissentiant: num licebit ea, si quis odiosius urgeat, rejicere? Respondent Tridentini Patres: Vulgatam editionem nemo rejicere, quovis prætextu audeat, vel præsumat. Hoc verò non est tolerandum in Ecclesia, vt pro iis, quæ Spiritus sanctus in fontibus Hebraicis & Græcis scripsit, ea quæ ab interprete vitiosè reddita, vel à librariis mutata, mutilata & addita sunt, tanquam authentica nobis obtrudantur: & quidem ita, ut non liceat inspectis fontibus ea rejicere.

Concilij sententia de veteri translatione Bibliorum.

Græci interpretes, inquit Augustinus, numerari possunt: Latini verò, nullo modo. Si igitur de antiquitate Latinæ versionis contenditur, illa certè quæ nunc vulgata est, non erit antiquissima: tribuitur enim Hieronymo in libris veteris Testamenti. Et tamen ipse Hieronymus, in Hebraicis quęstionibus multa aliter reddit & interpretatur, quàm nunc legimus in vulgata editione. Extat Hieronymi verfio in Psalterio & Ecclesiaste: sed in vulgata editione, longè alias habemus istorum librorum versiones. Quatuor Evangelistas Hieronymus fatetur se collatione Græcorum codicum emendasse: & tamen interpretans Matthæum, quædã reprehendit in vulgata editione, sicut & in epistolis Pauli. Et quid post Hieronymi tempora, librariorum dormitantium incuria, cùm studia linguarum sepulta jacerent, vulgatæ editioni accidisse putamus? Certè negari non potest, in vulgata Psalterii editione, in valde multis locis genuinam Psalmorum sententiã nec rectè, nec commodè, nec propriè reddi, sed sæpe peregrinam sententiam obtrudi. Hoc adeò manifestum est, ut Lindanus etjam illud agnoscat. Nec arbitror Andradium hoc negaturum, qui Hebraicæ linguæ cognitionem, præter rem sæpe ostentat.

De autore veteris translationis.

In Syracide, quàm multæ integræ sententiæ sunt additæ, quæ in Græco planè non sunt: quædam transpositæ sunt, ex aliis in alios locos.

Gen. 9. mutilata est sententia: Qui effuderit sangui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sanguinem humanum, fundetur sanguis illius. Omissum enim est, per hominem.

In Matth. 9. mutilata est pulcherrima sententia: Non veni vocare justos, sed peccatores. Ibi omissum est, Ad pœnitentiam.

Rom. 1. in fine planè mutata est sententia.

1. Ioh. 5. Apostolus ita scripserat: Hæc scribo vobis qui creditis in nomen filii Dei, ut sciatis quoniam vitam æternã habetis, & ut credatis in nomen filii Dei. Vulgata verò editio legit.

Hæc scribo vobis, ut sciatis quoniã vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filii Dei.

Rom. 4. ubi Paulus dicit, Abrahamum non ex operibus justificatum: additum est, Operibus legis: ut scilicet de cæremonialibus philosophari possent.

Rom. 11. planè omissa sive expuncta est illa sententia: Si ex operibus, jam non amplius est gratia, alioquin opus non esset amplius opus.

Quàm multa indocti librarii depravârunt, quæ nunc in templis Pontificiorum pro authenticis sine intellectu leguntur: ut Ioëlis 2. Præstabilis super malitia.

1. Ezræ 9. pro paxillus: posuerunt, pax illius: pro sepem, spem.

Iud. 11. ex altera matre: fecerunt, adulteram matrem. Psalm. 31. ex victu: fecerunt, viduam.

1. Reg. 19. pro cecidit: legunt, cecinit. Item, ex lapidibus sæculi: fecerunt, lapides sæculi, &c.

Et quid opus est in re manifesta multis verbis? Extant multa talia loca, justis scriptis notata à Valla, Stapulensi, Erasmo, &c.

Valla. Stapulensis. Erasmus.

Et tamen tanta est Pontificiæ congregationis impudentia, ut nõ vereantur sine ulla exceptione statuere, vulgatam editionem non esse rejiciendam, ne ullo quidem prætextu: etjamsi scilicet vitiosè quædam sint reddita, quædam mutata, mutilata & addita, ita ut cum fontibus non consentiant. Ita scilicet interpretis errata, librariorum σφάλματα, hominum additiones & mutilationes, pro verbo Dei acceptabimus: nec liberum erit ipsis puris fontibus plus credere, quàm cœnosis & lutulentis rivulis.

Augustinus certè de doctrina Christ. libro secundo, capite undecimo, inquit: Latinæ linguæ homines, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas. Capite duodecimo: Quis interpretum vera secutus sit, nisi exemplaria linguę præcedentis legantur, incertum est. Cap. 15. Libros novi Testamenti, si quid in Latinis varietatibus titubat, Græcis credere oportere, non est dubium. Idem epistola 59. Vocabula secundum Græcum eloquium discernenda sunt. Nam nostri interpretes vix reperiuntur, qui ea diligenter & scienter transferre curaverint.

De sermone Domini in monte lib. 1. fatetur exemplaribus Græcis majorem adhibendam esse fidem, quàm Latinis.

Contra Faustum lib. 11. cap. 2. Confugiendum est ad exemplaria veriora vel plurium codicum, vel antiquiorum, vel linguæ præcedentis, unde hoc in aliam linguam interpretatum est.

De vera religione: Locutio divinarum scripturarum secundum cujusque linguæ proprietatem accipienda est.

Et in decretis distin. 9. citatur hæc Augustini sententia: Vt veterum librorũ fides, de Hebræis voluminibus examinanda est: ita novorum veritas, Græci sermonis normam desiderat.

Hoc modo Apostoli usurpârunt quidem, & allegârunt vulgatam tunc LXX interpretum editionem, quia tunc in omnũ manibus erat: non autem authenticam ipsam fecerunt contra ipsos fontes, sed emphasin & proprietatem sententiæ ex ipsis fontibus sumpserunt, sicubi interpretes ab illis discesserunt: sicut Hieronymus multis exemplis hoc ostendit. Et hæc est vera & Apostolica ratio utendi versionibus: quod diligêter notandum est.

Apostoli quo modo usi sint Græca translatione.

Sed Pontificii nec Apostolos, nec Patres, nec sua ipsorum decreta curant, modò statum regni sui quoquo modo retinere & conservare possint. Ita versionem Erasmi, quam Leo X. approbârat, Paulus IIII. retulit in Catalogum librorum damnatorum. Et dignum est observatione, quòd in illo Catalogo omnes editiones Bibliorum etjam veteris interpretis, in quibus vel manifestissima quædam vulgatæ editionis errata sunt emendata, damnantur. Et inde manifestum esse potest, quid Tridentini quærant hoc suo decreto.

Non autẽ nulla est causa, quare tàm acriter & pertinaciter eo modo sicut dictũ est, pro erratis vulgatæ editionis dimicent. In multis enim locis transformata est ad dogmata Pontificia, Et sicut Albertus Ingolstadiensis Ecebolus dicit: In veteri litera vulgatæ editionis latent multa mysteria fidei, scilicet Põtificiæ: ut intercessio & patrocinium Mariæ probari potest ex illa depravatione Gen. 3. Ipsa cõteret caput serpentis. Quam falsationẽ Colonienses etjam Iosepho in publica editione affingere non sunt veriti, abutentes corrupta Ruffini interpretatione: cùm Iosephus in Græca lingua nihil tale habeat. Et cùm Hebræus, Chaldæus, Græcus, & tota antiquitas tũc textum legat & interpretetur de ipso semine: tàm perfricta tamen est frons Thaidis Babylonicæ, ut amasios ejus, hujus tàm crassæ impudentiæ, ne in clarissima quidem luce pudeat.

Papistæ ita propu nent vul tam veri nem.

Sacrificium Missæ probant ex eo, quòd vetus translatio habet: Melchisedech obtulit panem & vinum, erat enim sacerdos: cùm Hebræus nec verbum oblationis, nec cõjunctionem rationalem ibi habeat.

Peccatum originis possunt extenuare inde, quod ubi Deus dicit, Figmentum cordis est tantum malũ: ibi vetus versio habet, Cogitatio cordis humani intenta seu prona est ad malum. Invocationem sanctorum probãt inde, quia Iob 5. vulgata editio habet: Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere. Et Psalm. 150. Laudate Dominum in sanctis.

Dubitationem fidei de remissione peccatorum, possunt probare, quia Syrach 5. textus ita depravatus est: De peccato propiciato noli esse sine metu. Et Eccl. 9. Nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit.

Quòd omnia quæ in Conciliis suis statuunt, accipienda sint pro oraculis Spiritus sancti, possunt probare ex depravatione textus in vulgata editione, Iohan. 14. Spiritus sanctus suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Græca verò habent ἃ εἶπον ὑμῖν, Quæcunq; dixi vobis: non dixero.

Perfectionem bonorum operum in hac vita Staphylus probat ex corrupto textu, in veteri editione, Ephes. 6. Vt possitis in omnibus perfecti stare.

Matrimonium probatur esse unum ex 7. Sacramentis: quia vetus interpres Ephes. 5. pro mysterio reddit sacramentum. Vnctionis extremæ efficacia probatur inde, quòd Iac. 5. vetus editio habet verbum (alleviare) quod de spectris, incursionetq; sathanæ interpretantur, cùm Iacobus habeat verbum ἐγερεῖ.

Meritũ vitæ æternæ probant: quia scilicet Syr. 16. & Heb. 13. interpres vocabulum meriti, quod in textu non est, posuit, sicut & Genes. 14. inquit, Vt veniam merear. Andradius meus probat. rus in baptisatis, nec vestigia, nec reliquias ullas manere peccati, citat Heb. 9. Christus semel oblatus est ad multorũ exhaurienda peccata. Et addit: quod exhaustum est, ibi nihil reliqui est: cùm non ignoret, tale verbũ in Græco non esse. Groperus Anno 1541. Ratisbonæ probaturus Papisticam satisfactionem institutam esse ab Apostolo Paulo, allegavit quod Erasmus 2. Corin. 7. in descriptione pœnitẽtiæ Corinthiorum ἀπολογίαν transtulit satisfactionem.

Et quod præcipuè Lector notare debet, Tridentinum Concilium ut probet Ecclesiam habere potestatem dispensandi in Sacramentorum substantialibus, contra institutionem Christi, abutitur æquivocatione veteris versionis, ubi 1. Corinth. 4. ministri Christi vocãtur dispensatores mysteriorum Dei. Possunt ergo in Sacramentis dispensare, & unam speciem in cœna abrogare: sunt enim dispensatores. Bone Deus, quanta est Antichristi impudentia, in tanta luce cognitionis linguarũ, de tàm gravi materia tàm pueriliter ludere: cùm Paulus tantùm οἰκονόμους, vocet ministros Christi.

Ecquid verò tibi Lector jam videtur? Nõ certè frustrà Tridentinum Cõcilium veterem vulgatam Latinam editionem Bibliorum, authenticam facit, eo modo sicut jam dictum est.

DE INTERPRETATIONE SCRIPTVRAE.

SECVNDI DECRETI IIII. SESSIONIS Tridentini Concilii, Canon alius.

Præterea ad coercenda petulantia ingenia, decrevit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est judicare de vero sensu & interpretatione sanctarum Scripturarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes, nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contra venerint, per ordinarios declarentur, & pœnis à jure statutis puniantur.

EXAMEN.

Hilarii dictum est: Scripturæ non sunt in legendo, sed in intelligendo. Certum igitur est, doctrinã Scripturæ, & salutarem ejus usum, consistere non in verbis non intellectis: sed in vero ejus sensu, & sano intellectu, sicut parabola Matt. 13. inquit: Qui verbum Dei audit & intelligit, & fructum affert, hic in terram bonam seminatus est. Et multi sanè in Scriptura loci, sunt planis & perspicuis verbis expositi, qui interpretatione procul petita non indigent, sed seipsos explicant: ad quos, ut Augustini verbis utar, accessus patet & doctis & indoctis. Et in his quæ apertè in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresq; vivendi. Sunt verò præterea multæ difficiles & obscuræ sententiæ in Scriptura, quarum sensus nõ potest à quovis primo statim aspectu deprehendi. Et tamen ne vel frustrà in Scriptura essent positæ, vel ansam præberent erroris, Deus voluit in Ecclesia donum extare interpretationis: quod sicut donum sanationum, miraculorũ & linguarum nõ est cõmune omnibus, sicut inquit Paulus 1. Cor. 14. Alii per spiritũ datur gratia sanationum, alii operatio virtutum, alii genera linguarũ, alii interpretatio sermonum. Et donũ illud Deus non vult vel cõtemni, vel abjici, sed reverenter usurpari, tanquã organon & adminiculum, ad inveniendum & intelligẽdum verum & sanum Scripturæ sensum. sicut Eunuchus reginæ Candaces Actor. 8. inquit. Quomodo possum intelligere, si non aliquis viam præmonstret mihi? Et cùm intelligeret divinitus sibi oblatum esse Philippum, habentem donum interpretationis, cum gratitudine illum in currum ad sẽ recipit, & de sensu loci Esaiæ cum ipso confert. Et de hoc genere interpretationis pulchrè dictum est ab Augustino libro 1. de moribus Ecclesiæ: Eò dulcius accipiuntur, postquã per interpretationem aperta sunt, quo clausa difficilius aperiebantur. Illud verò donum interpretationis, non est extra Ecclesiam in non renatis, est enim lumen Spiritus sancti, accensum in cordibus piorum. Et de non renatis inquit Paulus, 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ spiritus sunt, stultitia enim sunt ei: spiritualis verò dijudicat omnia. Et 2. Corinth. 4. Si adhuc opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium. Sed in Ecclesia, filius Dei sedens ad dextram Patris, dat talia dona ad ædificationem corporis sui, Ephes. 4.

Scripturæ doctrina in quo consistat.

Obscura in Scriptura.

Interpretationis donũ.

Est & hoc certum, neminẽ debere suæ prudentiæ inniti in Scripturæ interpretatione, ne in claris quidem locis. Illud enim manifestè scriptum est, 2. Pet. 1. Scripturam non esse privatæ interpretationis. Et illi, qui sacram Scripturã ad suos sensus, quos antea præsumpserunt, intelligendos contorquent, faciũt hoc in perniciem suam, 2. Pet. 3. Optimus enim Scripturæ Lector est, secundum Hilarium, qui dictorũ intellectum non attulerit, sed retulerit ex Scriptura. Gratiæ jam

Patrum scripta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& reverenter utimur Patrũ laboribus, qui multa Scripturæ loca, commentariis suis utiliter illustrârunt. Et veteris Ecclesię testimoniis, in vero & sano Scripturæ sensu, nos non parum confirmari fatemur. Neq; enim probamus, si quis sibi comminiscatur sensum pugnantem cum tota antiquitate, & cujus planè nulla sint Ecclesiæ testimonia.

Et hæc cùm ita sint, quid igitur est, quod in canone Concilii Tridentini, de interpretatione Scripturæ desiderari possit? Respondeo. Insidiosè sanè verbis generalibus positus est ille Canon. Sed quatuor sunt potissimùm capita in hoc loco, de quibus inter nos controvertitur: quæ insidiosa generalitate hoc loco involuerunt, alibi verò clarissimè hæc explicant.

Primò contendunt donum interpretationis, ordinariæ Episcoporũ successioni ita allegatum esse, ut quicunq; ad thronos illos evehatur, ejus qualescunque interpretationes statim suscipiendæ & venerandæ sint, tanquam legitimæ, veræ & sanæ, quę valeant ex privilegio loci, quem illi occupant. Ita dicunt, quòd Papa habet omnia jura in scrinio pectoris sui: etjamsi sit idiota, & tàm obliviosus, ut immemor sit etjam sui. Item, quòd habeat voluntatem pro ratione, in his quæ vult: quòd possit formam Sacramentorum, ab Apostolis traditam immutare: quòd contra Epistolas Pauli possit statuere: quòd dispensare possit contra prima quatuor Concilia, & contra verba Evangelii, &c. Agnoscet opinor Andradius ipsa Canonistarum verba. Et talis est etjam persuasio Synodi, quòd quando ibi cõgregati sunt omnes Episcopi, sicut in arca Noe animalia munda & immunda congregabantur: quamcunque illi fine probatione tradant interpretationem, eam amplectendam, propterea quòd fingunt Cathedris Episcoporum indivulsè alligatum esse donum interpretationis.

Sed hoc falsum est. Paulus enim 1. Cor. 12. ubi disputat de dono interpretationis, disertè dicit: Hæc omnia operatur unus & idem spiritus, dividens singulis prout vult. Et tota historia veteris Testamenti ostendit Deum sæpe præteritis ordinariis Pontificibus & Sacerdotibus, aliunde & sæpe ex aliis tribubus excitasse Prophetas, interpretes voluntatis suæ. *Prophetæ veteris Testamenti.* Et quales sint interpretes Episcopi nostri, totus mundus jam videt. Secundò, ex dono interpretationis faciunt autoritatẽ quasi prætoriam: ut non opus ipsis sit, interpretationem probare monstratis certis & firmis rationibus & fundamentis interpretationis: sed sine examine, sine inquisitione & dijudicatione, simpliciter volunt nos jurare in illum sensum, quem nobis obtrudunt illi, qui sine ostensione spiritus jus interpretandi sibi arrogant. Atqui Paulus 1. Thess. 5. ubi inquit: Spiritum nolite extinguere, Prophetas nolite contemnere. Mox addit: Omnia probate, quod bonum est tenete. Ita Acto. 17. cùm Paulus interpretaretur Scripturas, Berrhoenses prius scrutantur Scripturas, an hæc ita se habeant: & cùm agnoscunt, interpretationẽ Scripturæ consentaneam esse, approbant & recipiunt eam. Et Actor. 8. Eunuchus interpretationem elegãti verbo ὁδηγέω describit. Ipse interrogat, Philippus respondet: & hac ratione monstrantur fundamẽta veræ interpretationis, ita ut Eunuchus ipse, ex illa quasi manuductione Philippi cognoscat & intelligat, quæ sit illius loci quem legebat, sententia. Ita 1. Cor. 14. Paulus describit, quomodo in obscuris locis, pii Doctores veram interpretationem communicatis sentẽtiis inquirere debeant: Prophetæ duo aut tres dicant, & addit: Cæteri dijudicent. Quod si alii sedenti revelatum fuerit, taceat prior. Augustinus de doctrina Christiana, & alibi cùm alios docet, tùm ipse usurpat non prætoriam interpretandi autoritatem: sed ostendit quomodo ex locis manifestioribus interpretandi sint obscuriores: quomodo ex phrasi Scripturæ, ex circumstantiis, ex collatione aliorum locorum, & ex analogia fidei, quærenda sit simplex, sana & vera interpretatio. *Augustini exemplum.* Et quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus, stultitia enim sunt ei: spiritualis verò dijudicat omnia, 1. Cor. 2. Opus est ergo Spiritus sancti illuminatione, ad inveniendum & dijudicandum verũ Scripturæ sensum. Et Pater cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus, Luc. 11. Ita Paulus optat Ecclesiis spiritum illuminationis. Ephes. 1. & 3. Philip. 1. Col. 1. Ita etjam David orat, Psal. 118.

In hanc sententiam Origenes inquit hom. 17. in Exod. Non solùm studiũ nobis adhibendum est ad discendas sacras literas, verùm & supplicandum Domino, ut ipse accipiens librũ signatum dignetur aperire: ipse enim est qui aperit mentes, ut intelligantur Scripturæ. Et in Iosue homilia 8. Ad explananda ea, gratia Spiritus sancti indigemus.

Hilarius inquit, lib. 4. de Trin. Intelligentia dictorum, ex causis sumenda est dicendi. Et lib. 9. Dictorum intelligentia aut ex præpositis, aut ex consequentibus expectetur. lib. 8. Fides non ex nostro arbitrio, sed ex dictorum est ineunda virtutibus. Basilius de Spiritu sancto cap. 1. dicit, interpretem debere sententiam in singulis vocibus ac syllabis latentem perscrutari, Cyrillus in Ioan. lib. 8. Ante omnia quando locũ Scripturæ intelligere volumus, tria diligenter consideranda sunt: tempus, quando scriptum est quod dicitur: persona quę dicit, vel ad quam, aut de qua dicitur: & res propter quam, & de qua dicitur. Sic enim absque errore sensum poterimus verum investigare.

Augustinus de Vtilitate credendi cap. 2. tradit 4. modos interpretationis. 1. Secundum historiam, cùm docetur quid sit scriptum aut gestum. 2. Secundum etymologiam, quid, qua de causa, vel factum vel dictum sit. 3. Secundum analogiam, cùm demonstratur Scripturam sibi nõ adversari. 4. Secundum allegoriam, cùm docetur non ad literam esse accipienda quędam, sed figuratè intelligenda.

Item de moribus Ecclesiæ lib. 1. cap. 1. Et diligentia & pietas adhibenda est. Altera fiet, ut scientes inveniamus: altera, ut scire mereamur. Idẽ de scalis Paradysi, capite 2. Lectio inquirit, oratio postulat, Meditatio invenit, contemplatio degustat.

Non igitur prætoria vel Pontificia est interpretationum autoritas in ecclesia: sed certæ sunt regulæ, secundum quas fieri, & ad quas exigi debent.

bent. Habet enim Ecclesia jus & libertatem dijudicandi. Sed Pontificii tale jus interpretationum sibi sumunt, ut una & eadem opera, & se labore probandi eximant, & Ecclesiæ dijudicandi libertatem adimant. Et hoc est quod in isto Canone impugnamus. Veras enim & sanas interpretationes, congruentes ad regulas, quas ex Patribus recitavimus, amamus & exosculamur. Ad *Pontificiorũ interpretationes.* Pontificiorum verò interpretationes accommodamus, quod Tertullianus de lege dicit: Lex quę probari se non vult, meritò suspecta est. Hilarius inquit, libro 4. de Trinitate. Non enim divinorum dictorum sed intelligentiæ nostræ à nobis ratio præstanda est. Et Hieronymus in Apologia de libris contra Iovinianum: Propositum mihi erat, non ad meam voluntatem, Scripturas trahere: sed dicere, quod Scripturas velle intelligebam, Commentatoris enim officium est, non quid ipse velit: sed quid sentiat ille quem interpretatur, exponere. Alioqui si contraria dixerit, non tàm interpres erit, quàm adversarius ejus, quem nititur explanare. Certè ubicunq; Scripturas non interpretor, sed liberè de meo sensu loquar, arguat me cui libet.

Tertio: Quando dictũ aliquod Scripturæ Pontificii ad suas corruptelas transformârunt, solicitè inquirunt in Patrum scriptis, ut aliquas inde sententias corradant qnomodocunq; patrocinaturas suo proposito. Et tales interpretationes veterũ quacunq; occasione, quocunq; modo traditas, contendunt simpliciter sine discrimine & examinatione recipiendas esse, sive verbis Scripturæ consentiant, sive ab illis dissentiant: cvm ipsi Patres Lectorem nolint ita sibi alligatum, ut putẽt necesse sibi esse, aliquid ideo credere, quoniam à patribus dicitur: sed quia dicta sua vel per Scripturas canonicas, vel per alias probabiles rationes, quod à veritate nõ abhorreant, persvadere poterint. Hæc enim sunt Augustini verbo ad Paulinam epist. 112. & apud Hieronymum, epist. 19. Origines in. 2. cap. ad Romanos inquit: Hæc de circumcisione ea lege sunt dicta nobis, ut si quis melius & rationabilius dixerit, illa magis quàm hæc nostra teneantur.

Hieronymus ad Minerium & Alexandrum: Meum propositum est, antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide catholicæ Ecclesiæ non recedere. Idem in præfatione super Oseam: De Origene, Eusebio, Didymo, &c. hæc dico, ut noveris quos in prophetæ huius campo præcursores habuerim: quos & simpliciter non superbè, sicut quidam meorum amicorum insibilat, tuæ prudentiæ fateor, non in omnibus fum secutus: ut judex potius operis, quàm interpres existerem, diceremq; quid mihi videretur in singulis. Suas etjam interpretationes Hieronymus non vult pro oraculis haberi, sed subjicit eas Lectoris judicio, ut in 2. cap. Micheæ Videtur mihi sic posse sensus reddi, si tamen prudens Lector nostræ rationi acquieverit. Ita in 2. capite Sophoniæ in Isaiam cap 19. in Ezech. 36. 40. libro 2. in Zachariam, &c. Et ad Augustinum inquit: Respondeat mihi prudentia tua, quare tu contra tot & tales interpretes in explanatione Psalmorum diversa senseris. Hæc libertas in interpretationibus, omnino in ecclesia retinenda est, ut cum iudicio legantur quorumcunque interpretationes, & liberè exigantur ad fontes & fundamenta. Nec propterea damnanda est in terpretatio aliqua Scripturæ, quod à veteribus quibusdam dissentiat: si modò verbis Scripturæ, circumstantiis textus, & analogiæ fidei consentanea sit. *Interpretatio qualis esse debeat.* Quid verò veterum sanis & veris interpretationibus tribuendum sit, suprà diximus. Vtimur enim veterum laboribus, cum reverentia & gratitudine, sed salva libertate Christiana.

Quartò arrogant & hoc jus sibi Pontificii, ut in locis Scripturæ etjam clarissimis, à simplici & genuina sententia, quam propria verborum significatio præbet, liberè possint discedere, & aliam assuere tali dictatoria autoritate: ut nobis credendum sit, non quod Scriptura simpliciter, propriè & apertè dicit, sed quod ipsi pro imperio & autoritate nobis interpretantur. Hoc enim artificio eludunt locos clarissimos, de fide justificante, de reliquiis peccati in renatis, de imperfectione bonorum operum in hac vita, de libero arbitrio, de intercessione Christi, &c. Quando Christus dicit: Bibite ex hoc omnes: ipli assingunt suam interpretationem, Non omnes, sed sacerdotes tantùm. Quando Hebr. 13. Paulus dicit, Honorabile conjugium in omnibus: ipsi dicunt, Non in omnibus, sed in solis laicis tantùm. 1. Cor. 7. Propter vitãdam fornicationem, unusquisq; qui non continet, habeat suam uxorem. Ibi, Vnusquisq; ipsis est signum particulare: nec obstat, quòd sententia est manifestissima. Quando Apostolis Christus dicit: Reges dominantur, vos autem non sic. Ibi volunt nos à manifestissima sententia discedere, & nescio quas interpretationes recipere. Paulus vocat doctrinas dæmoniorum, quæ prohibent nubere, & abstinere à cibis quos Deus creavit, ut sumantur. Sed nihil proficit clarissima illa lux. Contendunt enim verba illa esse intelligenda non sicut sonant, sed sicut ipsi ea interpretantur. Et ut hunc ludum in Scripturæ interpretatione porrò impunè, & quidem cum autoritate ludere possint, ideo canon iste ita constitutus est. Osius de expresso verbo Dei dicit: Si quis habeat interpretationem Romanæ Ecclesię, de loco aliquo Scripturæ, etjamsi nec sciat nec intelligat, an aut quomodo cum Scripturę verbis conveniat, illum tamen habere ipsissimum verbum Dei. Ita Romanæ Ecclesiæ interpretatio est: Ecce duo gladii hîc, hoc est, Pontifex Romanus habet administrationẽ utriusque gladii, & spiritualis & politici.

Elisæus aquas amaras, injecto sale, per miraculum dulces reddidit, hoc est, In Ecclesia debet jam esse aqua exorcisata & sal benedictum: cujus efficaciam contra diabolũ & peccata valere, credendum est. Item Psalm. 8. Deus omnia subjecit pedibus Christi: hoc est, Pontificis Romani. Pecora campi: hoc est, homines viventes in hac terra. Pisces maris: hoc est, animas in purgatorio. Volucres cœli: hoc est, animas beatorum, quas per canonisationem Papa potest adorandas proponere. Tales non interpretationes, sed ludificationes extant multò plures in publicis Pontificiorum scriptis. Vtq; illis omnibus & similibus, qualiacunq; tandem sunt, sua cõstet & salva ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

neat autoritas: ideo Andradius de fide implicita, per tàm multas paginas tumultuatur, insidiosè autem declamitat: cùm implicitū illud dicatur, quod aliqua in re abscondit ū latet: fidem igitur implicitam esse, quòd credimus omnia quę in sacris literis continentur vera esse, licet multa cognitionem nostram fugiant: non omnia enim ejus penetralia, in hac vita lustrare & penetrare possum. Ita sancti veteris Testamenti, multa crediderunt implicitè, quæ nos in novo Testamento explicitè credimus. Sed heus bone vir, sine adversario pugnas, de quibus nulla est controversia. Benè enim novit Andradius, Pōtificios quando pro fide implicita pugnant, non hoc velle & agere, de quo ipse tàm prolixè rhetoricatur. Sophistica igitur est. Sed hæc est, quā appellavi Babylonicam servitutē fidei implicitæ, quā Andradius etjam postea disertè propugnat: quòd volūt nobis impositā esse necessitatem credendi, quæcunq; Ecclesia Pontificia tenet & proponit, licet nullis verbi testimoniis probari possint: & quidem ita, ut non opus sit vel cogitare, vel inquirere, vel intelligere quæ & qualia sint illa, an & ubi in verbo Dei habeant fundamenta. Erasmus alicubi de disputatione quadam cōtra Pontificios, fatetur ipsorum sententiam non habere certa & firma Scripturæ testimonia: sed diversam sententiam ex verbo Dei melius, clarius & firmius probari posse. Addit verò: Sed tamen si hoc Ecclesia jusserit, credam. Captivabo enim intellectum meum, in obsequium Ecclesiæ.

Fides implicita.

Hoc est Andradi, de quo disputamus: non sicut tu calumniaris, quasi in agrestibus hominibus egregia & solida sacrarum literarum cognitio requiratur: in quibus tamen necessariam esse fateris hanc persuasionē, articulos fidei qui proponuntur, non esse humana commenta, sed voces divinas in verbo Dei traditas. Atqui cum rudibus proponuntur verba Decalogi, Symboli, orationis Dominicæ, institutionis Baptismi, & Cœnæ Dominicæ: ibi sunt ipsa verba Scripturæ: in quibus summam doctrinæ cœlestis contineri, non est dubium. Fides igitur quantumvis rudium, credens hæc, non est Pontificiorum implicita fides: amplectitur enim ipsa verba & sententiam Scripturæ: sed persuasionem fidei implicitæ eò trahere, ut vel prohibeatur, vel doceatur, non opus esse cogitare & quærere, an quæ proponuntur, habeant certa, firma & perspicua in verbo Dei fundamenta: sed simpliciter ex persuasione autoritatis personarum credere. Hāc persuasionem dixi non esse veram fidem, sed servilem opinionē: non ex verbo Dei, sed ex humana persuasione conceptam. Hanc enim servitutem imponunt non rudibus tantùm, sed & videntibus ne videant, quærant aut intelligant, ubi in Scriptura fundata sint, quæ proponuntur: sed simpliciter ideo credant, quia Pontifex & Prælati Ecclesiæ ita statuerunt. Hic est status disputationis, de fide implicita. Scimus, non parùm esse omnium perspicaciam. Non requiritur solida Scripturæ cognitio in rudioribus. Rectè enim dicit Augustinus contra epistolam Fundamenti, cap. 4. Cæteram turbam non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit. Et tamen ipsorum etjam fidem oportet esse, non sine verbo Dei. Ideo Augustinus formam catechisandi rudes, talem describit: ut summa doctrinæ cœlestis in Scriptura patefactæ illis proponatur, & ut postea ad ipsam Scripturam deducantur, quisque pro donisui modulo.

Chrysostomus laicos sæpe duriter increpat, quòd lectionem Scripturæ ad solos Monachos ablegent: ita ut ipsi non videant, legant & quærant, quomodo ea, quæ in Ecclesia docētur, Scripturæ sint consentanea. Disertè igitur improbat fidem implicitam, sicut Pontificii de illa disputant. Et omnium Patrum studium fuit, populum non à Scriptura ad fidem implicitam humanæ persuasionis abducere, sed ad Scripturæ agnitionem deducere. Ideo enim Scripturas populo interpretati sunt, & explicationes suas ex Scripturis probārunt. Et aliter quidem hæc proposuerunt catechumenis, aliter neophytis, aliter confirmatioribus, nunquam tamen sine verbo Dei docuerunt. Imò gradus illos ita distinxerunt, ut ostenderent, homines ad ipsa Scripturæ fundamenta magis magisq; esse deducēdos. Vos verò cùm contrarium non tantùm faciatis, sed & fieri jubeatis, objecto spectro fidei vestræ implicitæ: hoc est quod in vobis reprehendimus & accusamus. Nec est quòd speres Andradi, te sophisticis tuis cavillationibus nobis fucum facere: nisi forsan, quod Augustinus inquit, cogitas te per sophisticen grandiori dictionis cothurno incedentem, malam causam, vel moras faciendo posse sustentare.

Miratur Andradius, illos qui donū interpretationis ipsi non habent, posse aut velle, de interpretationibus judicare. Et scimus quidem gradus esse, nec eandem esse omnium perspicaciam in Ecclesia. Scimus etjam, nō debere quenquam plus sapere quàm oportet. Notum tamen est, quid Patres populi judicio in homiliis suis, quibus Scripturas interpretabantur, tribuerint. Interpretis enim est, rationes & fundamenta interpretationis tàm liquidò & certè monstrare, ut ea intelligere & perspicere possint etjam alii, qui ipsi donum interpretationis non habent. Ita enim Eunuchus agnovit Philippi interpretationem veram esse, Act. 8.

Auditorum judicia de doctrina.

DE TRADITIONIBVS.

EX PRIMO DECRETO IIII. Sessionis Tridentini Concilii.

Sacrosancta Tridentina Synodus, perspiciens hanc veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla sequuta, omnes libros, tam veteris, quàm novi Testamenti (cùm utriusq; unus Deus sit autor) nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu, & reverentia suscipit ac veneratur.

EXA-

EXAMEN.

Hic locus communis Pontificiorum latissimè patet, complectens in suo sinu, quicquid tradit & servat Pontificia Ecclesia, quod Scripturæ testimoniis doceri & probari non potest. Et verè est Pandoræ pixis, cujus operculo omne genus corruptelarum, abusuum & superstitionum in Ecclesiam invectum fuit. Quid enim non libebit fingere, admisso semel hoc postulato, non opus esse documentis & probationibus ex Scriptura. Quem errorem refutabimus, si vetustas erroris, & errantium multitudo potest errori patrocinium parere? Hoc siquidem agunt Pōtificii, sua de traditionibus disputatione, ut abusus, qui præter & contra Scripturæ regulam in Ecclesiam irrepserunt, si modò latè pateant, & temporis aliqua præscriptione sint confirmati, titulum habeant non tantùm Ecclesiasticæ consvetudinis, sed quod plus est, Apostolicarum traditionum. Et utile est lectorem commonefacere, quomodo paulatim mutatus sit status disputationis. In primis enim Pontificiorum contra Lutherum certaminibus, ea, quæ nullis Scripturæ testimoniis probari poterant, ita defendebantur, quòd illa quæ Ecclesia statueret, parem haberent vim & autoritatem, cùm iis, quæ ex Scriptura certò constaret divinitus esse patefacta. Multa igitur extant tunc disputata de authoritate Ecclesiæ, de plenitudine potestatis Papæ, de consvetudinibus Ecclesiasticis, &c.

Quid sibi velint Pontificii sua de traditionib. disputatione.

Eccius.

Hi enim sunt loci, quos Eccius in suo Enchiridio, in prima fronte, tanquam in acie contra Lutherum constituit. Postea verò deprehensum est, Locos istos cōmunes, vel non posse sustinere tantam molem structuræ Pontificiæ, vel certè nimis laboriosum esse eos defendere, si firmis ex Scriptura argumētis oppugnentur. Tandē igitur ut magis cōpendiaria via, inventa est disputatio de traditionibus Apostolorū non scriptis. Fingunt enim multa, quæ ad fidē mores q; vivendi necessaria sunt, ab Apostolis tradita esse, quę in scriptura non comprehenduntur. Et mox attexunt aliud ἄτοπον: Ea, quæ in Ecclesia Romana traduntur & observantur, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt, esse illa ipsa, quæ ab Apostolis viva voce sunt tradita, & scriptis non comprehensa. Et hoc dicit Andradius esse principium, ultra quod non sit fas in inquisitione progredi. Per talia postulata, sicut Geometræ appellant, levari se sentiunt onere & labore probandi. Liberati enim ex Scripturæ angustiis, quas ita vocant, nihil jam est quòd ex capacitate loci de Traditionibus depromere non possint. Quod igitur olim fuit scrinium pectoris Pōtificii, quia ejus turpitudinē etjam cœci jam vident, & ignorantes norunt, hoc nunc est locus communis infinitus & immensus, de traditionibus Apostolorum non scriptis.

Andradius.

Quia verò vocabulum Traditionis, apud veteres non eodem modo usurpatur, nec ejusdem generis sunt traditiones, quarum mentio fit in scriptis veterum: Pontificii sophisticè, sine discrimine talia testimonia commiscent, & ex una (quod dicitur) fidelia omnes traditiones dealbant, ut prætextu & specie antiquitatis, fucum faciant: Iudico igitur, totam hāc disputationem de traditionibus, non posse simplicius explicari, nec ad veterum testimonia, quæ à Pontificiis in hac disputatione magno cum apparatu producuntur, commodius responderi posse, quàm per distinctionem: Distribuemus itaq; hanc materiam de Traditionibus, in certa quędam capita seu genera, & ostendemus, quę testimonia veterum, ad quod genus traditionum pertineant, & quid de singulis sentiendum sit.

Ita enim manifestum evadet illa, quæ speciem aliquam in hac disputatione habent, si rectè distinguantur & explicentur: nihil planè patrocinari corruptelis, abusibus & superstitionibus regni Pontificii. Semper autem memoria repetendum est, statum disputationis Pontificiorum de traditionibus hunc esse: Scripturam non omnia quæ ad articulos fidei, & ad dogmata pietatis pertinent, habere, sed multa quæ ad articulos fidei, & ad dogmata pietatis necessaria sunt: suscipienda & credenda esse, sine scriptura, extra & præter Scripturam, ex traditionibus non scriptis, quæ nullo scripturæ testimonio probari possunt.

Status disputationis Pontificiorū de traditionib.

PRIMVM GENVS TRADITIONVM.

Primum igitur genus traditionum illud constituemus, quòd ea, quæ Christus & Apostoli viva voce tradiderunt, quæ postea ab Evangelistis & Apostolis literis consignata sunt, sæpe vocantur traditiones. Ita Cyprianus dicit: In calice Domini offerēdo, ut vino misceatur, Dominica traditio servetur, neq; aliud fiat à nobis, quàm pro nobis Dominus prior fecit. Atqui hæc traditio scripta extat. Et Basilius libro tertio, contra Eunomium inquit: Hoc palàm impugnat salutaris baptismatis traditionem: Euntes, inquit, baptizate in nomen, &c. Item, Baptismus noster est juxta ipsam Domini traditionem, in nomen Patris, Filii & Spiritus sancti. Illa certè traditio scripta extat.

Cyprianus.

Observet autem Lector, quam candidè agant Pontificii. Vbicunq; enim inveniunt vocabulum Traditionis, illud mox detorquent ad suas traditiones, quæ ex Scriptura probari non possunt, ut cùm Paulus dicit 1. Cor. 15. Tradidi vobis quod accepistis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Hic statim exclamant: Audis traditiones? Audio: sed mox in eodē loco lego, Paulum scripto explicare quę sint illa, quæ tradiderit: Tradidi vobis, quod Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas, quòd sepultus est, & resurrexit secundum Scripturas. Audis traditiones Pauli, duplici modo esse ἐγγράφους. Primò enim sumptæ sunt ex Scriptura veteris Testamenti, secundò ab ipso Paulo literis consignatæ sunt. Et tamē sunt homines, quos non pudet hunc locum torquere ad traditiones, quæ jactantur extra, præter & contra Scripturam. Ita de Cœna Domini Paulus inquit: Ego à Domino accepi, quod & tradidi vobis. Sed illam traditionem, post Evangelistas ipse etjam scripto comprehendit. Iesuitæ allegant dictum Pauli, 2. Thes. 3. Subducatis vos ab omni fratre, ambulantè inordinatè, & nō secun-

Candor Pontificiorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum traditionum quam acceperunt à nobis. Sed mox in illo ipso capite describit, quam intelligat traditionem, sicut inspicienti manifestum est. Et tamen inde volunt probare, multa esse credenda, quę nullo Scripturæ testimonio probari possunt. Similis impudentiæ est, quòd pro traditionibus non scriptis allegant id, quod Actor. 16. scriptum est: Tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus Ierosolymitanis, cùm cap. 15. manifestissimè testetur, dogmata illa literis fuisse ab Apostolis consignata.

Verba Cypriani.

Ita cùm Cyprianus ad Pompeium inquit: Si in aliquo vacillaverit veritas, ad originem Dominicam, & Evangelicam, & Apostolicam traditionē revertamur: Mox exclamat Lindanus: Auditis saluberrimam non scriptæ traditionis autoritatem? Sed sceleratè præterit, quod in eadem epistola extat: Vnde est ista traditio, utrum de Dominica & Evangelica autoritate descendens, an de Apostolorum mandatis & epistolis veniens? Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur, Ios. 1. Si igitur aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis & actibus continetur, observetur etjam hæc sancta traditio. Hæc Cyprianus.

Nec sanè justę indignationi honesta de futura esset oratio, si hoc Pontificiorum artificium libēret suis coloribus depingere. Sed satis sit, lectori extremas lineas monstrasse.

Basilius.

Basilius in sermone de confessione fidei, ponit talem definitionem: Fides est assensus, non hæsitans de his, quæ audita sunt, in certitudine veritatis, & prædicata sunt per gratiam Dei. Mirum verò quàm exultet Lindanus, quòd in illa definitione fidei, nulla fiat Scripturæ mentio Sed mox tertio versu, Basilius subjungit hanc sententiam: Si fidelis est Dominus in omnibus sermonibus suis, manifesta est elapsio à fide, & superbiæ crimen, aut reprobare quid ex his quæ scripta sunt, aut superinducere quid ex non scriptis. Considera quæso, optime lector, quale sit hoc artificium, quo Pontificii utuntur. Præclarum extat Irenæi testimonium de Polycarpo, apud Eusebium libr. 4. cap. 14. quod perpetuò eadem docuerit, quæ & ab Apostolis acceperat, quę Ecclesia quoque tanquam sola vera tradidit. Ibidem, Multos hæreticorum ad Ecclesiam Dei cōvertit, dum unam & solam eam veritatem, quam ab Apostolis acceperat, quam etjam Ecclesia tradidit, prædicavit. Axioma extra omnem controversiam verisimum est, illam solam doctrinam veram esse, quam Apostoli tradiderunt, quam primitiva Ecclesia ab Apostolis acceptam profess a est. Sed quęstio est, an doctrina illa, sit alia & diversa ab ea, quam in scriptura comprehensam habemus. Pontificii simpliciter distinguunt traditiones, contra Scripturam. Et quando Irenęus dicit, Polycarpum ea docuisse, quæ ab Apostolis acceperat, hoc ita interpretantur, quòd alia, & multò plura ab Apostolis accepta prædicarit, quàm quæ in Scriptura continentur. Ita illi. Sed propter multas causas suspecta est nobis ipsorū fides. Alia igitur quærenda sunt testimonia Nullum autem dubium est, Polycarpum etjam illa, quæ scripta sunt, ab Apostolis accepisse, quomodo igitur simpliciter contra Scripturam distinguuntur ea, quæ Policarpus dicitur ab Apostolis accepisse? Sed audiamus ipsius Irenęi testimonium, qui apud Eusebium libr. 4. cap. 14. dicit, Epistolam Polycarpi ad Philippenses ita esse scriptā, & ad hoc instructam, ut ex ea fidei character, & veritatis doctrina cognosci possit, ab iis, qui salutis suæ rationem habent. Atqui in illa Epistola quia extat, nulla fit mentio eorum, quæ à Pontificiis pro traditionibus jactantur, sed scribit de incarnatione Christi, de mysterio crucis, quòd Christus sit justitia nostra, q̄ sustulit peccata nostra, ut vivamus in ipso, de resurrectione, de extremo Iudicio, de fide, spe, caritate, de bonis operib. de tolerādis infirmis, de oratione, & de aliis, quæ in scriptura expresse continentur. Est igitur character fidei Polycarpi, non extra Scripturam.

Irenæus de Polycarpo.

Irenæus.

Addamus aliud testimonium, quod adhuc clarius est. Irenæus enim apud Eusebium lib. 5. cap. 20. recitat, se non chartis, sed cordi inscripsisse, quomodo Polycarpus narraverit se cum Apostolis conversatum, quomodo sermones ipsorum commemoraverit, & quæ ex illis de Domino, de virtutibus & doctrina ejus audierit. De hoc loco Andradius meus seriò triumphat, pro traditionibus extra Scripturam. Sed Irenæus mox addit, quòd Polycarpus ea, quę ab illis, qui ipsi verbum vitæ viderant, perceperat, annunciavit, πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς, omnia sanctis scripturis consona. Verè aurea est hæc Irenæi sententia: quæ rectissimè declarat, quomodo intelligendæ sint plerę̄q; veterum sentētiæ de traditionibus. Apostoli multa tradiderūt viva voce: Apostolici ab Apostolis ex traditione vivæ vocis multa acceperunt, quæ suis postea discipulis rursus tradiderūt. Sed Irenæus inquit, omnia illa fuisse σύμφωνα ταῖς γραφαῖς, consona Scripturis. Et nos eorum nihil rejicimus, sed omnia quæ Scripturis sanctis consentanea sunt, suscipimus & veneramur. Pontificii verò pro talibus traditionibus pugnāt, quæ nullo scripturæ testimonio probari possunt, his enim verbis utitur Andradius, qui etjam anathema dicit illis qui perhibent: Nisi de veteri ac novo Testamento evidenter fuerimus edocti, non sequimur doctrinas patrum atque traditionem Ecclesiæ, Lector ipse instituat antithesin eorum, quæ Polycarpus ab Apostolis accepta tradidit, ea enim Iræneus pronunciat omnia fuisse cōsona scripturis sanctis, & eorum quæ Pontificii titulo traditionum jactant, de illis enim disertè affirmant, quod nullo Scripturæ testimonio probari possint. Imo anathema dicunt omnibus, quæ quærunt συμφωνίαν traditionum Pontificiarum, cum veteri ac novo Testamento.

I. Genus traditionum.

Primum igitur genus Traditionum est, quod Apostoli tradiderunt doctrinam viva voce, sed illa postea in Scriptura literis consignata est. Viri etjam Apostolici multa annunciaverunt ab Apostolis accepta: sed πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς omnia consentanea Scripturis sanctis. Et hæc certè nihil patrocinantur Pontificiorum traditionibus, quæ nullo Scripturæ testimonio, sicut ipsi fatentur, probari possunt. Observandum est autem in hoc primo genere, quàm fraudulenter Pontificii citent & tractent scripturæ & antiquitatis testimonia, pro stabiliendis & confirmandis commentitiis suis traditionibus.

SECVNDVM GENVS TRADITIONVM.

Secundum genus traditionum est, quòd libri Scripturæ sacræ non interrupta serie temporum (sicut Augustinus loquitur) & certa connexionis successione, ab Ecclesia custoditi, & fideliter ad posteros transmissi, nobisq; quasi per manus traditi sunt. Ita Origenes dicit, se ἐμπαραδόσει, per traditionem didicisse, quod quatuor Evangelia, in universa Ecclesia sint indubitata. Et Eusebius de libris Canonicis disputans, aliquoties utitur verbis tradendi & accipiendi. Quæ verò sit ratio hujus traditionis, hoc est, Ecclesiæ testificantis de germanis & Canonicis Scripturæ libris, supra fusè explicatum est, cùm de libris Canonicis ageremus. Et hanc traditionem, qua nobis in manum dantur sacræ Scripturæ libri, reverenter accipimus: Nihil autem patrocinatur Pontificiis, qui pugnant pro dogmatibus, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt. Ecclesia enim illa traditione fatetur, se alligatam esse ad vocem doctrinæ sonantis in Scriptura, & propagatione illius traditionis, posteritatem etjam ad scripturam alligatam esse docuit. Et tempore Patrum, illi qui apud Ecclesiam quærebant veritatem, deducebantur ad Scripturas: sicut ex Augustino, de catechisandis rudibus constat.

Origenes.

Augustinus.

Et contra Epistolam Manichæi capit. 5. narrat Augustinus, quomodo ad fidem Ecclesiæ catholicæ perductus fuerit. Dicit enim, se obtemperasse catholicis laudantibus Evangelium, & dicentibus: Credite Evangelio. Et ibi ponit vulgatam illam sententiam: Ego verò Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas. Ex Ecclesiæ igitur testificatione commotus fuit, ut legeret Evangelium, & crederet, doctrinam divinitus patefactam in illo contineri. Num verò postquam Evangelio credidit, pollicetur se plus crediturum Ecclesiæ quàm Evangelio, si ipsa aliquid statuat vel proponat, quod vel sit contra Evangelium, vel nullo Scripturæ testimonio probari possit? Hoc certè non dicit. Imo alibi dicit anathema illis, qui annunciant prę̄ter quod in scripturis legalibus & Evangelicis accepimus. Et in illo ipso loco dicit, se quia Evangelio credat, non posse Manichæo credere, propterea quia ibi nihil legat de Manichæi Apostolatu. Hoc ergo secundum genus traditionum deducit nos ad scripturam, & ad vocem doctrinę sonantis in ea alligat nos, usque adeò non probatur inde Pontificium axioma, multa dogmata fidei suscipienda esse, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt.

Obiectio Pontificiorum.

Sed objiciunt Pontificii: Si hanc Ecclesiæ traditionem, testificantem de libris Scripturæ sacræ accipitis, quo jure reliquas traditiones, de quibus Pontificia Ecclesia testificatur, quod sine scripto ab Apostolis sint traditæ, rejicietis? Ecclesiæ enim testimonium, sicut Andradius inquit, aut ubique contemnendum, aut ubique certè amplectendum est. Respondeo. Immensa est differentia inter primitivam Ecclesiam, quæ fuit tempore Apostolorum & Apostolicorum testificantem de libris Scripturæ sacræ, & inter Pontificiam Ecclesiam, obtrudentem nobis sine probatione pro traditionibus Apostolorum sua commenta.

Patres, ubi hanc traditionem de libris Scripturæ describunt, probant illam ex testificationibus primitivæ Ecclesiæ. Si idem eadem certitudinis ratione, de aliis etjam traditionibus, quarum alicubi mentionem habent, fecerint: valeat sanè hoc, ut eodem etjam jure recipiantur. Affirmant autem ea, quæ ab Apostolis tradita fuerunt, omnia fuisse consona sacris Scripturis, sicut jam diximus ex Irenæo, & mox pluribus ostendemus. Habemus igitur ex ipsa Patrum traditione, unde dijudicandum sit, quæ sint veræ Apostolicæ traditiones, sicut Hieronymus inquit in primum caput Aggæi: Gladius Dei, qui est sermo Dei vivus, percutit illa, quæ absque autoritate & testimoniis Scripturarum, quasi traditione Apostolica homines sponte reperiunt & confingunt. Ecclesiæ igitur traditio, libros scripturę̄ sacræ ita nobis commendat: ut moneat reliqua omnia ad illam esse exigenda (sicut testimonia in præcedentibus allegata ostendunt) & quæ illi sunt consona, recipienda, quæ verò non sunt consona, licet quasi traditio Apostolica proponantur, percutienda esse gladio verbi Dei. Et hæc est simplex & vera solvtio superioris illius objectionis, & rejicere eam Pontificii non possunt, aliàs enim eodem jure cogerentur, & ipsi etjam Pharisæorum traditiones, & totam Thalmudicā fabulam Cabalam recipere. Iudæos enim Augustinus scitè vocat nostros librarios & scriniarios, ut qui custodes fuerunt librorum veteris Testamenti, circumferentes adhuc illam custodiam in ipso exilio.

Quærunt sanè κρυσφύγετον Pontificii, Ecclesiam accepisse libros veteris Testamenti, ex traditione non Pharisæorum, sed Prophetarum, Christi & Apostolorum. Sed quia series temporum non interrupta, juxta Augustinum, ad hanc rem requiritur, non possunt Pharisæi, ab illa testificatione de libris veteris Testamenti excludi. Quare igitur Christus & Apostoli, qui traditionem de libris veteris Testamenti recipiebant, nō eodem etjam jure reliquas traditiones seniorum recipiebant, cùm quidem hunc præferrent titulum: Dictum est antiquis? Quo jure ipsi Pontificii repudiant Thalmudicas traditiones, cùm de libris veteris Testamenti, traditionem Iudæorum recipiant? Si dixerint, Iudæos confinxisse Cabalam Thalmucidam, ipsi hoc fortiter negabunt, allegant enim primos authores Patriarchas, Mosen & Prophetas. Quare igitur huic ipsorum testificationi nec vos Pontificii creditis, cùm tamen de libris veteris Testamenti, testificationem ipsorum, utique non repudiemus? Nos simpliciter respondemus: Quia ex libris Propheticis, de quibus Iudæi testificantur, discimus literis consignatum esse, quantum de doctrina Patriarcharum, Mosis & Prophetarum, & satis est, & opus est. Ideò reliquas traditiones omnes, ad ea, quæ scripta sunt examinamus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus, & huic testificationi contrariam traditionem Iudæorum, multa tradentium extra, præter & contra Scripturam non recipimus, sed jure optimo repudiamus, id enim ex ipsis libris, quos Iudæi sua testificatione nobis commendant, discimus. Si quam aliam responsionem habent Pontificii proferant, & eandem nos opponere poterimus ipsorum objectioni, quare cùm traditionem Ecclesiæ de libris Canonicis recipiamus, non similiter etjam reliqua omnia, quæ titulo traditionum nobis à Pontificia Ecclesia obtruduntur, recipiamus.

TERTIVM GENVS TRADITIONVM.

Tertium genus traditionum, constituimus illud, de quo loquuntur Irenæus libro 3. & Tertullianus de præscriptione adversus hæreticos, magnificis enim encomiis uterque celebrant traditionem Apostolicam. Irenæus libr. 3. cap. 3. inquit: Traditionum Apostolorum in toto mundo manifestatam, in Ecclesia adest perspicere omnibus: qui vera velint audire. Et capit. 4. Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facilè est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli quasi in depositorium divites, plenissimè in ea contulerint omnia, quæ sint veritatis, ut omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hic est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt & latrones. Propter quod oportet quidem devitare illos, quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid autem, si neq; Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiuntur multæ Gentes barbarorum, sine charactere & atramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem Apostolorum traditionem diligenter custodientes.

Tertullianus Tertullianus de Præscrip. Hanc igitur dirigemus præscriptionem: Si Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos CHRISTVS instituit. Quid autē prædicaverint, hoc est, quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva voce, quàm per epistolas. Postea, Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit, reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.

Hæc magnifica traditionum encomia, videntur omnino multū patrocinari Pontificiis contra Scripturam. Nam & excerptam illam Tertulliani sententiam, quasi in Triumpho in omnib. suis libris ducunt, quæ sic habet: Non ergo ad Scripturas provocandum, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta est victoria.

Sed simplex veritas firmiter fundata, & sibi benè cōscia nec reformidat, nec subterfugit vera antiquitatis Testimonia. Manifestè enim ostendemus, hasce Irenæi & Tertulliani disputationes nō infringere, sed tota series disputationis consideretur. Sicut enim Iurisconsulti dicunt, Incivile esse, lege non tota perspecta, ex aliqua ipsius particula pronunciare, ita Hilarius rectè monet, in nostris disputationibus intelligentiam dictorum ex causis dicēdi sumendam esse. Ordiamur itaque ab illa quæstione, quæ est status disputationis Pōtificiæ, de traditionibus: & quæramus, an Irenæi & Tertulliani disputatio instituta fuerit de recipiendis dogmatibus quibusdam fidei, quæ nullo Scripturę testimonio probari potuerint, sed quę voluerint credi sine Scriptura, extra & præter Scripturam, ex sola traditione, cujus nulla exiterint in Scriptura testimonia. Res autem non est obscura. Vterque enim, & Irenæus & Tertullianus, expresè narrant, de quibus dogmatibus fidei instituta fuerit illa disputatio, recitant enim ad verbum fermè illos articulos fidei, quos hodie Symbolum, quod Apostolicum nominatur, complectitur. Num verò articuli illi fidei non possunt ex Scriptura probari, ostendi & confirmari? Num contrarii hæreticorum errores, de his articulis non possunt ex Scriptura impugnari & refutari? Certè manifestissimum est, summam totius Scripturæ in hisce potissimum consistere articulis. Et Irenæus in tertio, quarto & quinto libris, nihil aliud agit, quam quod ex Scriptura prolixè probat & confirmat articulos istos fidei, & ex Scripturæ testimoniis sumit refutationes corruptelarum pugnantium cum illis articulis.

Hoc igitur quod manifestissimum est, & negari nullo modo potest, primò diligenter observetur in hac disputatione, non fuiff. scilicet controversiam de dogmatibus fidei, quorum vel probatio, vel contrariorum refutatio ex Scripturæ testimoniis non potuerint peti & sumi. Sunt enim illi articuli, in quibus quasi summa totius Scripturæ consistit. Et hoc ideò observetur, agnoscet enim Lector, quo artificio has Irenæi & Tertulliani disputationes Pontificii detorqueant ad suas traditiones, de quibus ipsi fatentur, quòd nullo Scripturæ testimonio probari possint.

Cur Irenæus & Tertullianus provocarint ad traditiones.

Quæ verò causa fuit, cùm articuli illi fidei haberent in Scriptura multa, certa, firma & perspicua testimonia, quòd Irenæus & Tertullianus provocant ad traditiones, quas Ecclesiæ Apostolicæ ab Apostolis acceptas, tunc tenebant & observabant? Causam illam non opus est per conjecturas divinare. Vterque enim manifestè illam exponit. Num verò hæc fuit causa, quòd ex Scriptura non potuerunt satis evidentia & firma de illis fidei articulis proferre testimonia, aut hæreticorum fabulas inde refutare? Nequaquam ipsi enim hæretici non poterant negare, illam Ecclesiæ fidem habere in Scripturis fundamenta & testimonia, & sua figmenta à Scripturis argui & refutari. Ideò enim scripturas vel rejiciebant, vel depravabant, vel conquerebantur insufficientes esse.

esse. Ita enim Irenæus inquit libr. 3. cap. 2. Cùm ex Scripturis arguuntur, in accusationē convertuntur ipsārum scripturarū, quasi non rectè habeāt, neq; sint ex autoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciunt traditionē, non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocē. Tertullianus ita inquit: Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas, & si quas recipit, adjectionibus & detractionibus ad dispositionem institutī sui intervertit, & si recipit, non recipit integras, &c. Item, Dicunt Apostolos non voluisse omnia omnibus revelare, quædam palàm & universis, quædam secretò, & paucis demandasse, & hoc Paulum vocare depositum. Agnoscit lector, hæreticos cùm videret, se ex Scripturis perspicuè & firmiter refutari, movisse certamen de autoritate ipsārum Scripturarum. 1. Quòd non rectè haberent, & ideò non essent recipiendæ. 2. Quòd variè essent dictæ, ut non possit inde colligi certa & firma sententia. 3. Non omnes Scripturas recipiebant, sed quasdam tantùm, & tamen illas etjam non integras, sed multa addebant, multa etjam detrahebant. 4. Criminabantur ex Scripturis solis non posse inveniri veritatem, nisi addantur & adhibeantur traditiones, quæ non per literas, sed per vivam vocem ab Apostolis traditę essent. 5. Fingebant Apostolos quædam palam & universis, ut quæ scriptis divulgaverunt, quædam verò secretò & paucis demandasse, ex quibus sua probabant figmenta. Et quia hæc ejusdem sint authoritatis cum illis, ideò Scripturas exponendas & corrigendas secundum secretas & tacitas traditiones, quæ non per literas, sed viva voce traditæ sint. Hæc ita recitantur ab Irenæo & Tertulliano, ex quibus manifestum evadit, propter quam causam, & in quem finem Patres illi provocarint ad traditiones. Quia enim quasdam Scripturas non recipiebant, aut non recipiebant integras, & criminabantur eas vel non rectè habere, vel varias esse dictas, vel esse insufficientes, ut illis solis non posset inveniri veritas, ideò Tertullianus dicit, non esse provocandum ad Scripturas, nec in illis certamen constituendum, in quibus aut nulla, aut incerta sit victoria contra tales scilicet hæreticos. Num verò censet, articulos illos fidei, de quibus tunc erat certamen, non posse ex scripturis contra hæreticos defendi, nec corruptelas hæreticorum inde refutari? Certè Irenæus prolixè hoc facit, & per se hoc manifestissimum est. Sed de illis hæreticis, qui autoritatem Scripturarum in dubium vocabant, & traditiones opponebant Scripturæ, quiq; alias proferebant Scripturas, additionibus & detractationibus interversas, quas veras & germanas esse asseverabant, de illis, inquam, hæreticis Tertullianus hoc dicit. Et addit rationem, prius probandū esse, apud quos sit veritas Scripturarū, quàm ad ipsas Scripturas provocaretur. Hanc esse Tertulliani mentem, manifestissimum est, Sceleratè igitur faciunt Pontificii, quia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter Tertulliani sententiam torquent, quasi omnino in controversiis de religione, non sit provocandum ad Scripturas, & quasi in disputationibus de dogmatibus fidei, in Scripturis aut nulla, aut omnino incerta sit victoria. Hoc enim falsissimum esse ex omnium Patrum consensu, suprà probatum est, & Tertullianus nunquam hoc sensit.

Quia igitur hæretici traditiones opponebant Scripturis, ita ut ex traditionibus conarentur ostendere. 1. Scripturas quas Ecclesia pro Canonicis receperat, non esse veras, & per omnia recipiendas. 2. propter varietatem, hoc est, ambiguitatem, seu incertitudinem & obscuritatem, non posse ex Scriptura intelligi veritatem. 3. ex solis Scripturis non posse intelligi veritatem, nisi adhibeantur etjam traditiones, quæ non per literas, sed per vivam vocem traditæ sint, præter illa enim, quæ Apostoli palam & universis tradiderunt, quæ postea in literis retulerunt, alia quædā secretò, & paucis demandasse. Irenæus igitur & Tertullianus provocant hæreticos ad traditionem. Et quia utrinq; jactabātur traditiones, quæ stionem illam disputant, quæ sit vera Apostolorum traditio. Probant autem illam unā & solam esse veritatē, quam Christus à Deo accepit, & tradidit Apostolis, quam Apostoli rursus tradiderunt Ecclesiis, & quæ in Ecclesiis per successiones presbyterorum custodita fuit. Et quia tunc temporis in illis præcipuè Ecclesiis, quæ ab Apostolis fundatę fuerant, vigebat veritas disciplinę Apostolicæ, & fidei Christianæ, ita ut traducem religionis adhuc sincerum obtinerent & conservarent, svavissimum sanè fuit, ordinem & consensum Ecclesiarum in doctrina considerare. Et rectè tunc dixit Irenæus, Etjamsi nulla relicta fuisset ab Apostolis Scriptura, ex illa tamen traditione, quam Ecclesia ab Apostolis acceptam, ad illa usq; tempora sinceram conservaret, potuisse cognosci, quæ esset vera doctrina Apostolica. Nū verò idem valebit in Ecclesia Pontificia, ita ut quicquid illa tenet & servat, hoc solo nomine judicetur Apostolicum, licet nullo Scripturæ testimonio probare possint? Fortiter hoc contendunt patroni Pontificis Romani, sed nos dicimus, & ipsa evidentia probat, inter primitivam Apostolicam Ecclesiam, & inter regnum Pontificium, majorem esse distantiam, quàm sit inter cœlum & terram. Probare igitur prius ipsos necesse est, Ecclesiam suam esse Apostolicam, quàm hoc privilegium sibi arrogent.

Sed pergamus in inquisitione, hoc enim observandum est, quid ex traditione, quæ tunc in omnibus Apostolicis Ecclesiis una & eadē erat, ad quam provocabāt, probarint Irenæus & Tertullianus. Certum est autem, Pontificiorum etjam, ut arbitror confessione, quod ex traditione non protulerint doctrinam aliquam pugnātem cum Scriptura, hoc enim nomine traditiones, quas hæretici jactabant, damnabant. Illa igitur erit quæstio, An diversam & aliam doctrinam, quàm quæ in Scriptura tradita erat, Irenæus & Tertullianus ex traditione protulerint & probarint, hoc est, An disputarint & ostenderint, Ecclesiam tunc ex traditione habuisse multa dogmata & mysteria fidei, quæ nullo Scripturę testimonio probari potuerint. Hunc enim esse statum controversiæ inter nos & Pontificios, aliquoties jam diximus.

Status in disputatiōe de Traditionibus.

Recitant autem uterque, quid sit illud, quod ex traditione probant, & sunt illi ipsi articuli fidei,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dei, quos Symbolum Apolicum complectitur. Illos autem in Scriptura multis manifestis testimoniis tradi, nullum est dubium Non igitur aliquod aliud dogma fidei ex traditione proferunt & probãt, præter illa, quæ in Scriptura continentur: sed eadem, & illa ipsa dogmata, quæ in Scriptura comprehenduntur, ostendunt & probant etjam ex traditione. Causas verò propter quas ad traditionem provocarint, cùm in Scriptura haberent multa firmissima testimonia, suprà recensuimus, ut scilicet ostenderent consensum veræ traditionis Apostolicæ cum Scriptura.

Ita ergo & traditionibus probant veritatem, authoritatem & sufficientiam Scripturæ, quia scilicet eadem omnino sint dogmata fidei, quæ Scriptura continet, & quæ primitiva Ecclesia, ex Apostolorum traditione accepta, usq; ad illa tempora sincera custodierat. Nam ne apex quidem in tota illa Irenæi & Tertulliani disputatione ostendi potest de ullo dogmate, quod ex sola traditione ita producant, ut nullo Scripturæ testimonio probari possit.

Et hęc quia fortissimè infringunt & evertunt Pontificiorũ fabulationes de insufficientia Scripturæ, & de illis traditionibus, quas nullo Scripturæ testimonio probare possunt, attentè sunt cõsideranda. Simpliciter autem exposui statum disputationis apud Irenæum & Tertullianum, & non video, si integra disputatio consideretur, quomodo alia inde possit erui sententia, quàm quod ostendat consensum traditionis Apostolicæ cum Scriptura, ita ut eadẽ sit doctrina, quam Scriptura tradit, & quam primitiva Ecclesia ex Apostolorum traditione acceperat. Et hanc sententiam ipsi autores verbis non obscuris ostendunt. Irenæus enim, idem quod ex traditione ostenderat, posteà prolixè probat ex Scriptura. Et in ingressu illius disputationis cap. 1. inquit: Apostoli tunc quidem Evangelium præconiaverunt, posteà verò per DEI voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum. Et capit. 3. hunc patrem Domini nostri Iesu Christi, ab Ecclesiis annunciari ex ipsa Scriptura, qui velint discere possunt, & Apostolicam Ecclesię traditionem intelligere.

Et lib. 4. capit. 63. inquit: Agnatio vera est Apostolorũ doctrina, & antiquitus Ecclesiæ status in universo mundo, & charactere corporis Christi, secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quę in uno quoq; loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ pervenit usque ad nos custodita sine fictione, Scripturarum tractatione plenissima, neque ablationem recipiens lectio, sine falsatione, & secundum Scripturas expositio legitima & diligens, & sine periculo, & sine blasphemia, & præcipuum dilectionis munus, &c. Audis antiquum Ecclesiæ statum, & doctrinam Apostolicam per successiones Episcoporum pervenisse usque ad Irenæi tempora, & sine fictione custoditã fuisse. Sed quomodo? Tractatione, inquit, Scripturarũ plenissima, & expositione secundum scripturas legitimas. Non dicit de dogmatibus fidei, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt.

Pontificii semper in ore habent antiquum Ecclesiæ statum, & traditiones per manus traditas: sed illustre est hoc Irenæi testimonium de verè antiquo Apostolicæ Ecclesiæ statu, & quomodo traditio Apostolica sine fictione custodita fuerit.

Ita Tertullianus de Præscript. Sed & hæretici de Scripturis agunt, & de scripturis suadent. Aliunde scilicet, inquit, loqui possent de reb. fidei, nisi ex literis fidei. Item, Credunt sine Scripturis, ut credant adversus Scripturas. Et posteà respondens ad illud quod hæretici fingebant: Apostolos præter illa quæ palàm & universis tradebant, quædam etjam alia, secretò & paucis demandasse, & hoc Paulum vocare depositum, ita inquit Tertullianus: Quod hoc depositum est tam tacitum, ut alterius doctrinæ deputetur? an illius denunciationis, de qua ait: Hanc denunciationem commendo apud te Timothee. Item illius præcepti, de quo ait: Denuncio tibi, ut custodias præceptum. Quod autem præceptum, quæ denunciatio, ex suprà & infrà scriptis intelligitur, non nescio quid suboստendi hoc dicto, de remotiori doctrina. Item, Nam & cùm dicit (hæc) de eis dicit, de quibus in præsenti scribebat, de occultis autem, ut de absentibus apud conscientiam non (hæc) sed (illa) dixisset. *Tertullianus.*

Pagina 109. Percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipse adhuc cathedræ Apostolorũ præsidentur, apud quas ipse adhuc authenticæ literę eorum recitantur, sonantes vocem, repræsentantes faciem uniuscujusque. Item, habes Romam, & inde nobis quoque autoritas præstò est. Videamus quid didicerit, quid docuerit. Vnum Deum novit creatorem universitatis, & Christum Iesum ex virgine Maria, filium Dei creatoris, & carnis resurrectionem. Legem & Prophetas cum Evangelicis & Apostolicis literis miscet, & inde petat fidem eam. Et mox de hæreticis inquit: Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas cogit aliter disponendi instrumenta doctrinæ. Aliàs enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, per quæ docerent hæresin. Et sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinæ, sine corruptela instrumentorum ejus, ita & nobis integritas doctrinæ non competiisset, sine integritate eorum, per quę doctrina tractatur. Consideret lector, quomodo Tertullianus in hac sententia de Scriptura loquatur. Et paucis interjectis, de Scripturis ita inquit: Quod sumus, hoc sunt, ab initio ex illis sumus. Vides lector, qualem instituat collationem seu συμφωνίαν Scripturarum, & primitivæ Ecclesiæ, tenentis sinceram traditionem Apostolicam. Quod nos inquit (scilicet tenentes traditionem Apostolicam) sumus, hoc sunt Scripturæ, & quidem ex ipsis nos sumus. Sunt igitur (ut ita dicam) duo æquivalentia seu termini convertibiles: antiquus Ecclesiæ status, tenens veram Apostolicam traditionem, & doctrinæ Scripturæ sacræ.

Hęc prolixius aliquanto tractavi, primò ideò, quia truncatæ illæ sententiæ, quæ ex Irenæo & Tertulliano citantur, possunt Lectorem perturbare, nisi tota illorum disputatio consideranda, proponatur. Secundò, quia ex illa Irenæi & Tertulliani

tulliani disputatione, firmissimè munitur & cõprobatur nostra sententia de autoritate, perfectione & sufficientia Scripturę, & simul refutantur Pontificiorum traditiones, quas ipsi fatentur, se nullo Scripturæ testimonio probare posse. Ostendimus enim, Irenæum & Tertullianum probare consensum traditionis Apostolicæ & Scripturæ, ita ut traditio non opponatur Scripturæ, tanquam vel falsæ, vel ambiguæ, vel imperfectæ, hoc enim hæreticos contendisse, Irenęus ostendit, cap. 2. Sed ex traditione probatur & confirmatur veritas, autoritas, certitudo, perfectio & sufficientia Scripturæ, ita ut antiquus Ecclesiæ status & vera traditio Apostolorum, custodiatur tractatione & expositione Scripturarum. Quando igitur proponuntur traditiones, quæ cum Scriptura non consentiunt, & ex Scriptura ostendi & probari nõ possunt: certissimũ est, eas non esse Apostolicas. Hoc fundamentum firmum & perspicuum est, quod cavillationibus sophisticis impeti quidem & exagitari, non tamen labefactari aut everti poterit. Ideò Lectori hanc Irenæi & Tertulliani disputationem, diligenter commendo. Quod igitur de doctrina Christi & Apostolorum Tertullianus dicit, hoc nos rectissimè ad Scripturam accommodamus: sunt enim termini (sicut dictum est) convertibiles. Est autem hæc Tertulliani sententia: Cùm credimus, nihil desideramus ultra credere, hoc enim prius credimus, non esse quòd ultra credere debeamus, &c. Hæc de dogmatibus dicit Tertullianus, de ritibus verò paulò pòst dicemus.

Et ad confirmationem eorum, quæ hactenus diximus, multum faciunt illa etjam, quæ suprà ex Eusebii lib. 5. cap. 20. de Irenæi testimonio super traditionibus Polycarpi annotavimus, quòd scilicet Polycarpus commemoraverit discipulis suis, quæ ab Apostolis tanquam vivis testibus acceperat de Domino, de virtutibus, de doctrina ejus. Sed quid? Num alia fuerunt, quam quæ in Scriptura tradita sunt? Num tradidit Polycarpus dogmata quædam, ut ab Apostolis tradita & accepta, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt? Nequaquam, inquit Irenæus, sed tradidit πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς, omnia cõsona Scripturis sacris. Tales igitur fuerunt, sunt, & debent esse omnes traditiones, quę tanquam Apostolicæ proferuntur. Et semper examinandæ sunt, an habeant illam Irenæi συμφωνίαν cum scriptura sacra. Si igitur vero & pio studio quæritur, quæ sit vera antiqua & Apostolica traditio, non opus est excogitare fabulas de purgatorio, de aqua benedicta, & similibus. Irenæus enim & Tertullianus, in illa, de qua jam multa diximus disputatione, non in genere tantùm loquuntur, sed quæ sit Apostolica traditio in specie liquidò, expressis verbis ostendunt, describunt & recitant.

Antiquissima enim Symbola, complectentia summam doctrinæ & traditionis Apostolicæ, tribus in locis extant apud Irenæum & Tertullianum, quæ adscribam. Ostendẽt enim unde sumptum sit Symbolum, quod vulgò vocatur Apostolicum. Irenæus enim li. 3. ca. 4. dicit, Barbaras quasdam Gentes, sine charactere & atramento *Irenæus.* veterem traditionem diligenter custodire: credentes in unum Deum, fabricatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, per Christum Iesum Dei filium, qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eãm quæ esset ex virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, & passus sub Pontio Pilato, & resurgens, & in claritate receptus in gloria venturus, Salvator eorum, qui salvantur, & Iudex eorum, qui judicantur, & mittens in ignem æternum transfiguratores veritatis, & contemptores patris sui & adventus ejus, &c. Quibus Barbaris si quis annunciavit, quæ ab hęreticis adinventa sunt, statim concludentes aures, longo longius fugient. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem, non admittunt hæreticorum portentiloquia, &c.

Hæc est vera & vetus Apostolorum traditio: quæ nihil tradit extra & præter Scripturam, sed complectitur summam totius Scripturæ.

Et li. 1. ca. 2. Irenæus similiter exponit prædicationem Apostolicam: Ecclesia, inquit, per universum orbem usq; ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum patrem omnipotẽtem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: & in unum Iesum Christum filium Dei incarnatum pro nostra salute: & in Spiritum sanctum, qui per Prophetas prædicavit dispositiones Dei, & Adventum, & eam, quæ est ex virgine generationem, & passionem, & resurrectionem à mortuis, & in carne in cœlos ascensionẽ dilecti Iesu Christi, Domini nostri, & de cœlis in gloria patris adventũ ejus, ut Christo Iesu Domino nostro, & Deo & Salvatori & regi, secundum placitũ patris invisibilis, omne genu curvetur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingva confiteatur ei, & judiciũ justum in omnibus faciat, spiritalia quidem nequitiæ, & Angelos transgressores & apostatas factos, & impios, & injustos, & iniquos, & blasphemos homines in æternum ignem mittat, justis autem & quis, & præcepta ejus servantibus, & in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab initiò, quibusdam verò ex pœnitentia vitam donans, in corruptelam loco muneris conferat, & claritatem æternam circumdet. Hanc prædicationẽ cùm acceperit, & hanc fidẽ Ecclesia, & quidem in universum mundũ disseminata diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit iis, quasi unam animam habens, & unum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi unum posidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamẽ virtus traditionis una & eadem est. Et neq; hæ, quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neq; hæ, quæ in Hiberis sunt, neq; hæ, quæ in Celtis, neq; hæ, quę in Oriente, neq; quæ in AEgypto, neque hæ, quæ in Lybia, neq; hæ, quæ in medio mundi sunt constitutæ. Sed ficut Sol in universo mundo unus & idem est, sic & lumen prædicatio veritatis ubiq; lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire, &c. Hæc igitur est Apostolica traditio, hæc vera Ecclesiæ antiquitas, hic Catholicus consensus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et omnia sunt sacris Scripturis consona, quæ nos & recipimus & profitemur. Habemus igitur veras & antiquas Apostolorum traditiones. Sed Pontificii de aliis nugis fabulantur, quando de traditionibus disputant.

Tertullian. Tertullianus etjam de Præscript. Regula autè est fidei, qua creditur unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi conditorem, qui universa ex nihilo produxerit, per verbum suum primò omnium emissum, id verbũ filius ejus appellatũ, in nomine Dei variè visum patriarchis, in Prophetis semper auditum: postremò delatũ ex spiritu Dei & virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero ejus & ex eo natum hominem, & esse Iesum Christum, exinde prædicasse novam legem, & novam promissionem regni cœlorum, virtutes fecisse, fixum cruci, tertia die resurrexisse, in cœlos ereptum, sedisse ad dextrã patris, misisse vicariam vim Spiritus sancti, qui credentes agat, venturum cum claritate, ad sumendos sanctos in vitæ æternæ, & promissorum cœlestium fructum, & ad prophanos judicandos igni perpetuo, facta utriusq; partis resuscitatione, cum carnis restitutione. Hæc regula ut probabitur à Christo instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferũt & quæ hæreticos faciunt. Hæc Tertullianus. Descripsi autem hæc Symbola, vt ostenderem, nos non reprobare, quas certò constat veras & antiquas esse Apostolorum traditiones. Concilium verò Tridentinum (quod notandum est) ideò confessionem symboli sejunxit à traditionibus, ut sciremus, ipsos non potissimum contendere de veris, certis & antiquis illis Apostolorum & Ecclesiæ traditionibus, sed de aliis rebus, quas pro stabiliendo regno Pontificio, sub titulo & prætextu Apostolicarum traditionum nobis obtrudunt. Et Andradius dicit anathema illis, qui perhibent: Nisi de veteri & novo Testamento evidenter fuerimus edocti, non sequimur doctrinas Patrum, & Ecclesiæ traditionem.

QVARTVM GENVS TRADITIONUM.

Quartum genus traditionũ est, de expositione, vero sensu, seu nativa sententia Scripturę. Nã ex Irenæo & ex Tertulliano constat, fuisse ipsis non de Scriptura tantùm, verum etjam de expositione seu sensu scripturę, certamina cum hæreticis. Ita enim Tertullianus inquit: Ista hæresis, si scripturas aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Et tantùm veritatis obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. Item, Illic & Scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas invenitur doctri-
Irenæus. næ. Et Irenæus ostendit, hæreticos exposuisse Scripturam, non sicut in manifestis & apertis locis sonat, sed ex figuratis, parabolicis & obscuris locis, falsa & prodigiosa quædam extruxisse, quibus deinde manifestos & apertos locos eludebant. Et prætexebant, se illas interpretationes accepisse ex traditione, quæ non per literas, sed per vivam vocem tradita fuisset. Irenæus libro tertio, cap. secundo, & libro secundo, cap. 35. & per sequentia capita. Ita etjam Tertullianus inquit: Nituntur his, quæ de ambiguitate cœperunt. In hoc igitur certamine de legitima expositione, sive de vero & nativo sensu Scripturæ, cùm quidem hæretici suis interpretationibus prætexerent titulũ Traditionũ, Irenæus & Tertullianus provocant ad veram traditionem Ecclesiæ. Nullum enim est dubium primitivam Ecclesiam accepisse ab Apostolis, & à viris Apostolicis, non tantùm textũ (sicut loquimur) Scripturæ, verum etjam legitimam & nativam ejus interpretationem, quam quia primitiva Ecclesia, ad illa usque tempora sine fictione custodierat, ita ut certis documentis probare posset, à quibus eam accepisset, & ita retrò progressus fieret ad ipsos usque Apostolos, jucundissima sanè fuit illa consideratio, qua piæ mentes plurimũ confirmatæ fuerunt contra hæreticorum corruptelas. Sed priusquam progrediamur, recurrendum est ad statum hujus nostræ disputationis de Traditionibus, an scilicet Irenæus & Tertullianus, in illa disputatione de Scripturæ interpretatione, dogma aliquod, aut interpretationem aliquam proferant ex traditionibus, extra & præter Scripturam, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possit. Certè Irenæus libro quarto, capit. 63. dicit, legitimam expositionem esse secundum Scripturas. Et libro secundo, capit. 46. & 47. tradit regulas aliquot de interpretatione Scripturæ, ex quibus intelligi potest, quæ sit verè Apostolica traditio, de interpretatione Scripturæ. 1. Sanum sensum, & qui sine periculo est, illum esse, qui apertè & sine ambiguo, ipsis dictionibus in Scripturis ponitur. Addit autem: Vniversæ Scripturæ, & Propheticæ & Evangelicæ, in aperto & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus, audiri possunt. Item, Habemus regulam ipsam veritatem, & in aperto positum de Deo testimonium, hoc est (sicut Augustinus inquit) in his, quæ apertè in Scripturis posita sunt, in veniuntur illa omnia, quæ continent fidem, mores q; vivendi. 2. Quæ verò in parabolis ambiguè, non apertè, neq; ipsa dictione, neq; sine controversia in scripturis dicta sunt, non esse interpretanda cõtra ea, quæ apertè dicta sunt, neque inde extruendum aliquid, quod ex aliis, quæ manifestè dicta sunt, probari non possit. Ideo exercitium quidem, & inquisitionem in hujusmodi locis probat, ita autem ne excidamus ab ea svasione, quæ manifestissimè prædicatur, hoc est, obscura Scripturæ loca vult exponi ex illis, & secundum illa, quæ manifestissimè in Scriptura posita sunt. 3. Interpretationem vult ita institui, ut veritatis corpus integrum, & simili aptatione membrorum, & sine concussione perseveret, hoc est, interpres totum corpus doctrinæ, quæ in Scripturis traditur, sibi præponere debet, ne interpretatio cõtra illud feratur. Et videtur idem velle, quod Tertullianus dicit, secundum plura interpretanda esse pauciora, & quod Paulus Rom. duodecimo exigit, ut prophetia fit analogà fidei. 4. Multa sunt mysteria in scriptura, quæ in hac infirmitate perscrutari non possumus. Dicit igitur, si omnium quæ in Scripturis requiruntur, absolutiones non possumus invenire, alium tamen Deum non requiramus: hoc

hoc est, sicut antea dixerat, ab ea suasione, quæ in Scripturis manifestissimè prædicatur, non excidamus. Ita in Scripturis quædam absolvamus secundum gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo, non solùm in hoc seculo, sed & in futuro. Et tandem concludit: Si secundum hunc modum, quædam quæstionum Deo commiserimus, & fidem nostram servabimus, & omnis Scriptura à Deo nobis data, consonans nobis invenietur: & parabolæ his, quæ manifestè dicta sunt, consonabunt: & manifestè dicta, absolvent parabolas: per dictionum multas voces unam consonantem melodiam in nobis sentiemus.

Has de interpretatione regulas ex Irenęo ideò annotavi, tum quia utiles & pulchrę sunt, ex Apostolica traditione accepręę, tum verò præcipuè, ut ostenderem veterem Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ traditionem, de interpretatione Scripturæ, non abduxisse homines à Scriptura, nec in interpretatione finxisse dogmata quædam, extra & præter Scripturam, quæ nullo Scripturę testimonio probari possent, sed ex ipsis Scripturis, & secundum Scripturas, institutum & sumptum fuisse sanum Scripturæ sensum.

Ad Apostolicas etjam traditiones de interpretatione præcipuè pertinet, quid Irenæus & Tertullianus, quando de veritate expositionũ provocant ad Apostolorum traditionem, quæ in Ecclesiis syncera tunc ad huc servabatur, recităt & describunt, qualis sit illa traditio: Symbolum scilicet, seu regula fidei, cujus verba in tertio genere traditionum annotavimus. Nihil autem ibi est sine Scriptura, extra & præter Scripturã, sed sicut Irenæus de Polycarpi traditionibus inquit: πάντα σύμφωνα τῆς γραφῆς.

Has verò germanas, antiquas, & veras Apostolorum traditiones, summa cum reverentia amplectimur. Profitemur enim, nos vera fide amplecti omnia scripta Prophetarũ & Apostolorũ, & quidem in hac ipsa nativa sententia, quæ expressa est in Symbolis Apostolico, Niceno & Athanasiano. Damnamus etjam constantissimè omnes furores, qui pugnant cum Symbolis, quique cõdemnati sunt veris Ecclesiæ judiciis. Tertullianus Symbolum vocat regulam fidei, qua salva, & forma eius manente in suo ordine possit in Scriptura tractari, inquiri, si quid videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari. Et ita Augustinus expositurus Genesin, præmittit articulos fidei, ut in explicatione quæstionum difficillimarum, si nihil dixerit contra hanc regulam fidei, sed quæ illi cõsentanea sunt, non possit dici errasse, etjamsi fortè sensum & mysteria verborum nõ ubiq; assecutus, nec quæstionibus satisfeciisse per omnia videri posset. Irenęus etjam li. 1. cap. 3. de regula illã fidei, quam suprà descripsimus, inquit: Et neq; qui valdè præ valet in sermone, ex iis, qui præsunt in Ecclesiis, alia quàm hęc sunt dicet neq; qui infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Et cap. 4. recitat qui fuerint quasi loci communes, in explicationibus eorum, qui doctiores fuerunt, ex quirere scilicet ea, quæ in parabolis dicta sunt, & adjungere veritatis argumento: dispositionem Dei in genere humano factam enarrare: de lapsu Angelorum & hominum differere, quare quædam temporalia, quædam æterna, quædam terrena, quædam cœlestia unus & idem Deus fecerit, annunciare, quare in veteri Testamento, alia atq; alia forma invisibilis Deus apparuerit, de discrimine veteris & novi Testamenti: quare conclusserit Deus omnia in incredulitatem, ut universis misereatur: quare verbum Dei caro factũ, quare non in initio, sed in novissimis temporibus apparuerit, de fine seculi, de futuris quæ in Scriptura prædicta sunt, de resurrectione, de vocatione Gentium, &c.

Hæc igitur omnia, quæ de legitima expositione, & sano sensu Scripturarum, ex traditione Apostolorum, Irenæus, & Tertullianus recitant, cùm recipiamus & amplectamur, non possumus accusari, quòd veras, genuinas & veteres Apostolorum traditiones de Scripturæ interpretatione negligamus aut repudiemus. Illud verò quod Pontificii sibi arrogant, fatemur nos improbare, quòd volunt nos simpliciter recipere quasvis interpretationes, quas ex scrinio pectoris Pontificii, sive ex decretis prælatorum Ecclesiæ, sine liquidis & certis sacræ Scripturæ probationibus & documentis nobis obtrudunt. Hoc enim non est traditionis Apostolicæ, sicut jam ostendimus.

QVINTVM GENVS TRADITIONUM.

Quintum genus Traditionum constituemus illud, quòd Patres aliquando ita vocant illa dogmata, quæ non totidem literis & syllabis in Scriptura ponuntur, sed bona, certa, firma & manifesta ratiocinatione, ex perspicuis Scripturæ testimoniis colliguntur. Nazianzenus rectè & venustè dicit. Quædam & esse, & dici in Scripturis: quædam verò esse in Scripturis, tametsi non dicantur. Idem libro quinto, de Theologia, recitat objectionem hæreticorum, negantium Spiritũ sanctum esse Deum: Vnde, inquiunt, peregrinũ hunc Deum, & Scripturæ verbis nusquã expressum nobis introducis? Respondet autem: Sicut patrem esse ingenitum, non ponitur tot syllabis in Scriptura, tamen ex illis, quæ scripta sunt colligitur, ut cùm dico, bis quinq;, non dico decem, tamen si inde colligam, & dicam decem, rectè dico, ita si aliquid in Scriptura exprimitur, si illud nomine donatum enunciem, rectè facio. Ita Origenes libro quinto ad Roma. dicit: Ecclesia ab Apostolis accepit traditionem, etjam parvulis Baptismum dare. Idem in Levit. homilia 8. dicit, secundum Ecclesiæ observantiam, etjam parvulis Baptismum dari. Augustinus etjam de Baptismo contra Donatistas libro 4. cap. vigesimo tertio, de parvulorum Baptismo inquit: Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ. Et addit: Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica autoritate traditum rectissimè credimus. Et de verbis Apostoli, Sermon. decimoquarto, de Baptismo parvulorum: Hoc habet autoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritas obtinet Canon.

Origenes.

Augustinus.

Affirmant igitur Origenes & Augustinus Baptismum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptiſmum parvulorum eſſe traditionem Apoſtolicam. Hoc recipimus. Sed reſpiciamus ad ſtatũ diſputationis noſtræ cum Pontificiis, de Traditionibus: An ſcilicet affirment, eſſe talem traditionem, quæ nullo Scripturæ teſtimonio probari poſsit. Et illæ quidem literæ & ſyllabæ non reperiuntur in ſcriptura. Infantes ſunt baptiſandi, Apoſtoli baptiſarunt infantes. Sed Patres quando dicunt, Baptiſma parvulorum eſſe traditionem: idem probant & confirmant certis & manifeſtis ſcripturæ teſtimoniis.

Lindanus. Et quia Lindanus hac traditione nobis inſultat, quaſi dogma aliquod fidei ſine Scripturæ teſtimoniis, ex ſola traditione non ſcripta recipiamus, annotabo aliquot veterũ teſtimonia, quòd valdè multis ſcripturæ teſtimoniis probent & confirment illam traditionem: Parvulos eſſe baptiſandos. Auguſtinus enim dicit: Et ſi quiſquam in hac re autoritatem divinam quæ rat, quanquã quod univerſa tenet Eccleſia, non niſi autoritate Apoſtolica traditum rectiſsimè credimus, tamẽ veraciter conjicere poſſumus, quid valeat parvulis Baptiſmi Sacramentum, ex circumciſione carnis, &c.

Origenes ubi dicit, traditionem Apoſtolorum eſſe, parvulis Baptiſmum dare, mox addit: Sciebant enim illi, quibus myſteriorum ſecreta commiſſa ſunt divinorum, quia eſſent in omnib. genuinæ ſordes peccati, quæ per aquam & ſpiritũ ablui deberent: propter quas etjã corpus ipſum corpus peccati nominatur.

Irenæus. Ita Irenæus libr. 2. cap. 39. dicit: Omnes venit Chriſtus per ſemetipſum ſalvare: omnes inquã, qui per eum renaſcuntur in Deum, infantes, parvulos, pueros, juvenes & ſeniores.

Origenes. Origenes in Lucam, hom. 14. Quomodo poteſt ulla lavacri in parvulis ratio conſiſtere, niſi juxta illum ſenſum: nullus mundus à ſorde, nec ſi unius diei quidẽ fuerit vita ejus ſuper terram. Et quia per Baptiſmi Sacramentum, nativitatis ſordes deponuntur, propterea baptiſantur & parvuli. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poterit intrare in regnum cœlorum.

Cyprianus. Cyprianus li. 3. epiſt. 8. parvulorum Baptiſma inde probat: Cùm Dominus in Evangelio dicat: Filius hominis nõ venit animas hominum perdere, ſed ſalvare, quantum in nobis eſt, ſi fieri poteſt, nulla anima perdenda eſt. Nam Deus ut perſonam non accipit, ita nec ætatem.

Chryſoſtom. Chryſoſtomus homilia de Adam & Eva: Ideò prædicat Eccleſia Catholica debere parvulos baptiſari, propter originale peccatum, de quo ſanctiſsimus ille benè clamabat: In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit mater mea.

Ambroſius. Ambroſius libr. 10. epiſt. 89. dicit: Pelagianos evacuare Baptiſma parvulorum: cùm Ioannes proteſtetur: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Item, Sicut nunc in Eccleſia manet conſtitutio Salvatoris dicentis: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum cœlorum, ita de circumciſione in lege præcautũ erat, niſi in die circumcideretur octavo, exterminaretur anima, &c.

Auguſtinus epiſt. 89. Dicunt infantem nõ baptiſatum perire non poſſe, quia ſine peccato naſcatur, ſed dicit doctor gentium, in quo Chriſtus loquebatur: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccarunt. Item, Judicium ex uno delicto in condemnationem, gratiam autem ex multis delictis in juſtificationem. Proinde iſti, quem fortè invenerunt infantem, non ex illius unius hominis concupiſcentia procreatum, ipſum dicant illi damnationi non eſſe obnoxium, nec per Chriſti gratiam ab illa damnatione eſſe liberandum. Ideò non eſt ſuperfluus Baptiſmus parvulorum: ut qui per generationem illi condemnationi obligati ſunt, per regenerationem ab eadem condemnatione liberentur. Non autem invenitur homo, qui præter Chriſtum ſpiritualiter regeneretur. *Auguſtinus.*

Has veterum ſententias ideò recenſui, ut Lector ipſe videat, Baptiſmum parvulorum ita ab ipſis vocari traditionem, ut valdè multis, certis & firmis Scripturæ teſtimoniis illum probent & confirment. Iuſsi enim ſunt Apoſtoli baptiſare omnes Gentes, ſcribuntur baptiſaſſe totas domos ſeu familias, in quibus non eſt dubiũ, comprehendi etjam infantes, quos Chriſtus ſibi jubet adduci. Andradius inſultat nobis Auguſtini teſtimonio, qui de Bapt. contra Donatiſtas libro 2. cap. 7. inquit: Quam conſuetudinem (non rebaptiſandos ab hæreticis ſemel baptiſatos) credo ab Apoſtolica traditione venientem, ſicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis poſteriorum, & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur. *Auguſtinus.*

Et de eadem diſputatione contra Creſconium, libr. 1. cap. 33. inquit: Quamvis hujus rei certæ, de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum etjam hac in re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quàm ipſarum Scripturarum commendat autoritas, ut quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat, &c. His ſententiis poſſunt fucum facere illis, quibus ignota eſt integra Auguſtini diſputatio. Sed Auguſtini quæſtio in illo loco hæc eſt: An poſsit proferri exemplum ex Scripturis Canonicis, quòd aliquis ab hæreticis veniens, vel denuò ſit baptiſatus, vel ſine iteratione Baptiſmi, poſt pœnitentiam per impoſitionem manuum ſit ſuſceptus. Et fatetur in neutram partem exemplum de facto, ex Scriptura poſſe proferri.

Sed de jure (ut ita loquar) diſputans, utra ſententia ſit vel vera vel falſa, quæro ab Andradio, num Auguſtinus ſola nitatur conſuetudine & titulo traditionis non ſcriptæ ita ut conſuetudo & traditio illa Eccleſiæ, nullo ſcripturæ teſtimonio probari & cõfirmari poſsit? Hic enim eſt ſtatus noſtræ diſputationis cum Pontificiis. Et illi quidem pro ſtabiliendis ſuis traditionibus, quas nullo Scripturæ teſtimonio probare poſſunt, illis Auguſtini ſententiis abutuntur: ſed magna impu-

impudentia luculentam injuriam faciunt Auguſtino. Prolixa enim diſputatione ex multis Scripturæ teſtimoniis ſententiam ſuam probat. Et quia videri poſſunt illæ Auguſtini ſententiæ, traditioni & conſuetudini Eccleſiæ, ſine teſtimoniis ſcripturæ, pluſculum tribuere, loca quædam ex ipſa Auguſtini diſputatione annotabo, quæ oſtendent, ipſum nullo modo ſecutum traditionem aut conſvetudinem, quæ nullo Scripturæ teſtimonio probari poſsit. Libr. 1. de Bapt. cont. Donatiſtas, cap. 7. Ne videar humanis argumentis agere, ex Evangelio profero certa documenta. lib. 2. cap. 14. Quid ſit perniciоſius, utrum nõ baptiſari, an rebaptiſari, judicare difficile eſt. Veruntamen recurrens ad illam ſtateram Dominicam, ubi non ex humano ſenſu, ſed ex autoritate divina rerum momenta penſantur, invenio de utraq; re Domini ſententiam. Qui lotus eſt, non habet neceſsitatem iterum lavandi, &: Niſi quis renatus ex aqua, &c. Ipſa deniq; Eccleſia, ſic traditum tenet, &c.

Lib. 3. ca. 4. Profectò iſſem in Cypriani ſententiam, niſi me ad diligentiorem conſiderationem revocaret tanta autoritas aliorum, non quia fieri non potuit, ut in obſcuriſsima quæſtione verius pluribus, unus paucive ſentirent: ſed quia non facilè pro uno vel pro paucis adverſus innumerabiles ejuſdem religionis & unitatis viros, niſi pertractatis pro viribus, atq; perſpectis reb. ferenda eſt ſententia. Lib. 4. cap. 6. Illa conſvetudo, quam etjam tunc homines ſurſum verſus reſpicientes, non videbant à poſterioribus inſtitutam, rectè ab Apoſtolis tradita creditur. Sed mox addit cap. 7. Quanto robuſtius nunc dicimus, quod Eccleſiæ conſvetudo ſemper tenuit, & quod plenarium concilium confirmavit, hoc ſequimur. Huc accedit, quia bene perſpectis ex utroq; latere diſputationis, rationibus & Scripturarum teſtimoniis, poteſt etjam dici: Quod veritas declaravit, hoc ſequimur.

Lib. 5. cap. 4. Quiſquis & Eccleſiæ conſvetudine, & poſteriori robore plenarii concilii, & tot tantiſq; ſanctorum Scripturarum teſtimoniis, & perſpicuis rationibus veritatis intelligit, Chriſti baptiſmum verbis Evangelicis conſecratum, non fieri cujuslibet hominis perverſitate perverſum, &c.

Libr. 5. cap. 23. Apoſtoli nihil quidem exinde præceperunt, ſed conſvetudo illa, ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe credendum eſt: ſicut ſunt multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quãquam ſcripta non reperiantur. Sed audi, quid mox ſubjungat: Contra mandatũ Dei eſſe, quòd venientes ab hæreticis, ſi jam illic baptiſmum Chriſti acceperunt, baptiſantur: quia Scripturarum ſanctarum teſtimoniis non ſolum, oſtenditur, ſed planè oſtenditur, &c.

Cyprianus. Cap. 26. Quòd autẽ Cyprianus nos admonet, ut ad fontem recurramus, hoc eſt, ad Apoſtolicam traditionem, & inde canalem in noſtra tempora dirigamus, optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum. Traditũ eſt ergo nobis, ſicut ipſe cõmemorat, quòd ſit unus Deus, unum baptiſma, & lib. 6. cap. 1. poterat jam ſufficere, quod toties repetitis rationibus, adjunctis etjam divinarum Scripturarum documentis oſtendimus, &c. Hæc pluribus quàm fortaſsis neceſſe videri poterat, ex Auguſtino repetivi. Quia enim aliquoties in hac diſputatione meminit traditionis, oſtendendum fuit falſum eſſe, quod pontificii inde extruunt, ex ſola traditione multa eſſe credenda, quæ nullo Scripturæ teſtimonio probari poſſunt. Auguſtinus enim qui concedit, facti quidem nullũ extare in ſcriptura exemplum, ipſum tamen jus (ut hoc modo loquar) oſtendit multa certa habere in Scripturis documẽta. Nec nos de literis & ſyllabis contendimus, modò res ipſa habeat certa in Scriptura fundamenta. Et concedimus magnũ robur eſſe, ſi Eccleſiæ conſvetudo & traditio cum certis & manifeſtis Scripturæ teſtimoniis conſentiat. Hic verò eſt ſtatus cõtroverſiæ inter nos & pontificios: An in dogmatib. Eccleſię recipienda ſit, ſive conſvetudo ſive traditio, quæ nullo ſcripturę teſtimonio probari poteſt, ſemper enim repeto Andradii verba.

Ad hoc quintum genus traditionum, multæ pertinent veterum diſputationes de dogmatib. quæ reipſa in ſcriptura, certa & firma habent teſtimonia, licet totidem literis & ſyllabis non exprimãtur: ut quòd filius ſit ὁμοούσιος patri. Ariani ſiquidem funeſtis tragœdiis orbem turbabant: cùm nullum dogma recipiendum ſit, præter ea, quę ſcripta ſunt, ideò repudiãdum eſſe ὁμοούσιον, quia ſit ἄγραφον. Patres verò in illa diſputatione nõ opponebant Arianis hoc axioma, multa dogmata, quæ nullo Scripturæ teſtimonio probari poſſunt, propter ſolum traditionis titulum ſuſcipienda & credenda eſſe, ſed ſimpliciter reſpondebant, licet vocabulum non extet in Scriptura, rem ipſam tamen habere certiſsima Scripturæ teſtimonia. Ita Athanaſius Tomo 2. in oratione quòd decreta Nicenæ Synodi, commodis & piis verbis ſint expoſita: Tametſi hæ voces, inquit, in Scriptura non reperiantur, habent tamen eam ſententiam, quam Scripturę volunt. *Athanaſius.*

Et Cyrillus lib. 1. dialogorum de Trinitate, ad objectionem, quòd homouſion ſit ἄγραφον, reſpondet, rem ipſam, quę per illud vocabulum ſignificatur, habere certiſsima Scripturæ teſtimonia, ut ſi quis dicat Deum incõporeum. Eadem ratio eſt de unione perſonali, de duabus naturis in Chriſto, & ſimilibus. Falſum enim eſt, Eccleſiam illa dogmata habere ſine Scripturę teſtimoniis, ex ſola Patrum traditione. Λογομαχίαι verò illorum, qui de vocabulis tantùm rixantur, cùm res ipſa habeat Scripturæ teſtimonia, merito improbantur. *Cyrillus.*

Multa talia ſunt exempla de modis loquendi à Patribus acceptis, quorum res ipſę in ſcriptura ſunt fundatiſsimæ. Ita Baſilius divinitatẽ Spiritus ſancti probat ex ſcripturæ ſacræ teſtimoniis, & addit etjam antiquitatis conſenſum. Formulam verò glorificationis, Gloria Patri & Filio cũ Spiritu ſancto, probat ex traditione Patrum, quę tamen cum doctrina Scripturæ conſentit. Et tamen formula illa, ex traditione accepta, nũc mutata eſt, dicimus enim: Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto: quia ad verba inſtitutiõis Baptiſmi, propius convenit conjunctio, Et, quàm prępoſitio Cum. Ita traditiones exiguntur ad ſcripturã, & cedũt ſcripturæ. Nazianzenus lib. 5. de Theologiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

logia dicit φιλίαν τῶν γραμμάτος, studium literæ, esse pallium seu prætextum impietatis. Hoc Lindanus ita depravat, quasi Nazianzenus sentiat impietatem esse, ita addictum esse Scripturæ, ut nullum dogma recipiatur, quod Scripturæ testimoniis probari non possit, cùm ipse Nazianzenus dogma illud, quod ibi tractat de divinitate Spiritus sancti, multis Scripturę testimoniis prolixè probet. Sed illos reprehendit, qui cùm non totidem literis & syllabis in Scriptura reperiant: Spiritus sanctus est Deus, ejusdem essentiæ cum Patre & Filio, licet dogma illud aliis certis Scripturæ testimoniis firmiter probetur, utuntur tamen sophisticis tergiversationibus, ut impietatem suam adversus Scripturæ sententiam, prætextu aliquo occultare possint. Ideò non vocat studium Scripturæ, seu literæ: nō γραφῆς, sed γράμματος. Et hoc est quod Epiphanius contra Apostolicos dicit: ταῖς ῥηταῖς γραφαῖς μόνον κέχρηνται. hoc est, Illa tantùm quæ totidèm literis & syllabis in Scriptura posita sunt, admittunt.

SEXTVM GENVS TRADITIONVM.

Sextum genus traditionum constituemus illud, quod de catholico Patrum cōsensu dicitur. Vsitata enim est illa forma loquendi, Patres ita tradiderunt. Injuriam autem nobis facit Andradius, quòd clamitat, nos in universum antiquitatis testimonio nihil tribuere, Patrum autoritatem nihili pendere, Ecclesiæ approbationem, fidem, majestatemq; labefactare. Bona enim conscientia affirmare possumus, nos post sacrę Scripturæ lectionem aliquid, quantum quidem Domini gratia concedit, in inquirendo & investigando veræ & purioris antiquitatis cōsensu posuisse, & quotidie adhuc ponere. Patrum enim scriptis suum, & quidem honorificum qui illis debetur, tribuimus locum, ut qui multos Scripturæ locos, præclarè explicaverunt, antiqua Ecclesiæ dogmata, contra novas hæreticorum corruptelas defenderunt, idq; ex Scriptura, multos locos doctrinæ rectè explicarunt, multa de historia primitivæ Ecclesiæ annotarunt, & multa alia utiliter monuerunt. Et cupimus id, quod de gratia Dei propter filium mediatorem credimus & speramus, ut membra veræ catholicæ Ecclesiæ, in futura vita ipsum filium Dei, patriarchas, Prophetas, Apostolos, martyres & patres, qui verū fundamentum tenuerūt videre, & eorū familiaritate in omni æternitate frui. Mediocri igitur diligentia inquirimus cōsensum veræ, eruditæ & purioris antiquitatis, & Patrū testimonia, quæ Scripturæ consentanea sunt, amamus & magnificamus. Est enim nostrorum sententia, quòd in controversiis religionis, judex sit ipsum verbum Dei, & quòd postea accedat cōfessio veræ Ecclesiæ. Semper enim sequuntur verbum, tanquam judicem, aliqui pii, & confessione firmiorum adjuvantur infirmi. Valet igitur in Ecclesia, sententia congruens cum verbo Dei, & confessione piorum, sive sint plures, sive pauciores impiis. Ita veteres dānaverunt Samosatenum, & deinde Arrium. Iudex erat verbum Dei, id est, testimonia ex Evangelio, bona fide, & sine sophistica prolata, quæ convincunt non calumniosè judicantem. Sed tamen adjuvabantur tunc quoq; infirmi in pronunciando, confessione firmiorum eorum, qui Apostolos, aut eorum discipulos audierant, & quos constabat fuisse fideles custodes doctrinæ, ut Polycarpi, Irenæi, Gregorii Neocæsariensis. Ab his recentiores audierant, λόγον significare personam. Postea ipsi collatis dictis Evangelii, agnoscunt hanc nativā esse sententiam, quam abillis audierant. Aliqui etjam non solùm discunt à prioribus, sed etjam tanquam à firmioribus cōfirmantur. Ita Petrus Alexandrinus refutabat Meletiū, oitabat Evangelium, quod satis perspicuè docet, recipiendos esse lapsos, qui emendantur. Sed simul adjuvabatur exemplis prioris Ecclesiæ, quæ semper antea lapsos receperat. Ita nos pronunciamus de Baptismo infantium. Habemus testimonia in Scripturis manifesta, quę affirmant, extra Ecclesiam non esse salutem. Deinde & primæ Ecclesiæ testimoniis juvamur. Ita Iudex est verbū Dei, & accedit puræ antiquitatis confessio. Vult enim Deus in Ecclesia esse ministerium vocis: Quare audienda est ab Ecclesia, ut doctrix, sed fides & invocatio nituntur verbo Dei, non humana autoritate. Hæc ex locis cōmunibus Philippi Melanchthonis, præceptoris mei descripta, hoc loco annotare volui, ut Andradii clamoribus opponerem publicum Ecclesiarum nostrarum testimonium, quàm reverenter de cōsensu antiquitatis, de testimoniis veterum, de confessione & exemplis veteris Ecclesiæ sentiamus. Probamus piam & elegantē Basilii sententiam, qui in Homilia contra Sabellianos & Arium inquit: Maximè velim, velut simpliciter traditum accepi, ita etjam audi toribus tradere, sed quia circumstatis vos censores magis quàm discipuli, necesse est nos, velut in judicio contradictionem protendere. Vos autem hortamur, ut nō quod vobis placet, à nobis audire quæratis: *Sed quod Domino complacet, & consonum est Scripturæ, & non contrarium Patribus.* Et mox: Compescat te traditio. Dominus sic docuit, Apostoli prędicarunt, Patres conservarunt, martyres cōfirmarunt, sis contentus dicere, velut edoctus es. Et de fidei confessione inquit: Traditurus sum quæ didici ex divina Scriptura. Athanasius de humanitate verbi circa finem inquit: Nos ista hausimus à magistris divinitus afflatis, qui sacros libros evoluerunt.

Petrus Alexandrinus.

Dictum Basilii.

Fatemur etjam, nos ab illis dissentire, qui fingunt opiniones, quæ nulla habent testimonia ullius temporis in Ecclesia: sicut nostro tempore fecerunt, Servetus, Campanus, Anabaptistæ, & alii. Sentimus etjam, nullum dogma in Ecclesia novum, & cum tota antiquitate pugnans recipiendum. Quid de consensu & testimoniis antiquitatis honorificentius dici & sentire posset?

Servetus. Campanus. Anabaptistæ &c.

Ita Irenæus ad Florinum scribit: Hæc dogmata Florine, sanam sententiam non habent: hæc dogmata dissentiunt ab Ecclesia, hæc dogmata ne hæretici quidem unquam ausi fuissent pronunciare, hæc dogmata, qui ante nos fuerunt presbyteri, qui & Apostolorum discipuli extiterunt, non tradiderunt. Hæc Eusebius li. 5. ca. 20.

Quæ dicta sint Patres a legari falsò.

Sed profitemur & hoc, quòd non ex nobis finximus, sed ab ipsis Patrib. didicimus, quòd scilicet

licet inquiramus & allegemus testimonia Patrum, non ideo, quasi ea quæ ex perspicuis Scripturę testimoniis ostenduntur & probantur, per se nec certa, nec firma satis sint, aut non satis habeant ex se roboris & autoritatis, nisi accedat Patrum etjam consensus: sed causam quare allegentur, Augustinus disertè explicat, de Peccatorum meritis, libr. 3. cap. 7. Hæc non ideò commemoravi, quòd disputatorum quorumlibet sententiis, tanquam canonica autoritate nitamur: sed ut appareat, ab initio usq; ad præsens tempus quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato, apud Ecclesiæ fidem tanta constantia custoditum, ut ab eis qui Dominica tractarēt eloquia, magis certissimum proferretur ad alia falsa refutanda, quàm quod tanquam falsum refutari ab aliquo tentaretur. Cæterùm in sanctis Canonicis libris, viget hujus sententiæ clarissima & plenissima autoritas. Idem de Nuptiis & Concupiscentia lib. 2. cap. 29. Quid autem dicam de ipsis divinarum Scripturarum tractatoribus, qui in catholica Ecclesia floruerunt? quomodo hæc nō in alios sensus conati sunt vertere, quoniam stabiles erant in antiquissima & robustissima fide, non autem novitio movebantur errore. Quos si colligere, & eorum testimoniis uti velim, & nimis longum erit, & de Canonicis authoribus, à quibus non debemus averti, nimis fortasse videbor præsumpsisse quàm debui.

Augustinus.

Augustinus contra duas Epistolas Pelagianorum libro quarto, cap. 8. Non quo Canonicis libris, ullius disputationis æquetur autoritas: sed ut admoneantur, qui putant sanctos Patres aliquid dicere, quemadmodum de his rebus ante nova hæreticorum vaniloquia catholici antistites, eloquia divina secuti sunt: & sciant, à nobis rectam & antiquitatis fundatam catholicam fidem, adversus recentem Pelagianorum præsumptionem perniciemq; defendi.

Alterum quod de Patrū autoritate sentimus, etjam ab ipsis Patribus didicimus. Augustinus epistola decimanona ad Hieronymum: Alios scriptores (præter Canonicos) ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinave præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per alios autores canonicos, vel probabili ratione quòd à veritate non abhorreat, persvadere potuerint.

Epistol. 111. Neq; quorumlibet disputationes quamvis catholicorum & laudatorū hominum, velut scripturas canonicas habere debemus: ut nobis non liceat, salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorū scriptis improbare atque respuere: si fortè invenerimus, quòd aliter senserint quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales ego volo esse meos lectores.

Contra Cresconium lib. 2. cap. 31. Ideo constitutus est canon librorum canonicorum, secundum quos de cæteris literis vel fidelium: vel infidelium liberè judicemus. Cap. 32. Cypriani literas non ut Canonicas habeo, sed ex Canonicis confidero: & quod in eis divinarum Scripturarum autoritati congruit cum laude ejus accipio: quod autem non cōgruit, cum pace ejus respuo. Et addit: Quoniam canonicum non est quod recitas, ea libertate ad quam nos vocavit Dominus, hoc quod aliter sapuit, non accipio. Et mox: Ita hoc Cypriani de rebaptizandis hęreticis non accipio, quamvis inferior incomparabiliter Cypriano: sicut illud Apostoli Petri, quod gentes judaizare cogebat, nec accipio, nec facio, quamvis inferior incomparabiliter Petro. Cap. 31. dicit, se hoc modo nullam injuriam facere Cypriano. Et de Baptis. contra Donatistas, lib. 7. cap. 20. dicit. Cyprianum potuisse aliter sapere, quàm veritas postulabat, sine ulla ejus contumelia credimus, quicunq; diligimus Cyprianum. Ipse etjam Cyprianus, in Sermone de lapsis dicit, illum infamare martyrii dignitatem, qui affirmat martyres aliquid mandare, quod in lege Domini scriptum non sit. Augustinus ad Vincentium Victorem lib. 2. Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt justo judicio, & nulla temeritate culpari.

Et de bono perseverantiæ capit. 21. Quamvis neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in his in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros retractationum, ut nec meipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem. Et addit, se nec post retractationem quidem velle, per omnia sibi credi. Ita enim inquit: Arrogantius loquor quàm verius, si vel nunc dico, me ad perfectionem, sine ullo errore scribendi jam in ista ætate venisse. Sed interest, quantum & in quibus rebus erretur: & quam facilè quisq; corrigat: vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Ita Epiphanius petit veniam, si ubi errārit, vel ultra vires aliquid tentārit. Ambrosius etjam libro primo, de Officiis modestissimè inquit: Nam arrogans videri arbitror, si inter filios suscipiam affectum docendi. Non Prophetarum gratiam, non virtutem Evangelistarum, nec Pastorum circumspectionem: sed tantummodò intentionem & diligentiam circa Scripturas divinas opto assequi.

Iustinus quæst. 119. ad objectionem, quòd Patres quidem diversum senserint, respondet: Sed Apostolus, pater Patrum ita dicit, &c. Observet Lector, ipsorum Patrū sententiam esse: non ideo aliquid credi & recipi debere, quòd ex Patribus quispiam ita vel senserit, vel dixerit, nisi ex Scripturis canonicis, hoc quod dicit probet. Potuisse enim Patres aliter sapere, quàm veritas postulat, & ad illam libertatem nos à Domino vocatos esse, ut de quorumcunq; scriptis secundum literas Canonicas liberè judicemus. Et quando in Patrū scriptis, aliquid quod Scripturæ non congruit, improbamus, & respuimus, fieri illud nulla temeritate, sed justo judicio, sine injuria & contumelia Patrum: Salva illorum honorificentia, & bona eorū pace, ab illis etjam, qui incomparabiliter inferiores sunt Patribus.

Iustinus.

Et habemus præterea ipsorum etjam Patrum exempla, qui veterū erratis, sicubi à regula Scripturæ discesserunt, non sanè protervè insultant: sed tamen etjam ea quæ ad canonem Scripturæ non congruunt, propter Patres non approbant, nec recipiunt. idq; ut commodius demonstrem,

Exempla in Patribus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nō inutile fore judico, si hoc loco breviter anno tavero rationes quasdā, quasi regulas, quas inter legendum observavi: quomodo Patres incommodè dicta veterum, non ad errorem patrocinia detorserint, sed commoda interpretatione, juxta analogiam fidei, mitigarint & excusarint. Præcipuè verò Augustino multum negocii exhibuerunt Pelagiani, cumulatis multis veterum sententiis, incommodè dictis, de peccato originali, de libero arbitrio. Modestè verò Augustinus respondet. 1. Vobis Pelagianis nondum litigantibus, securius (inquit) loquebantur Patres de his articulis, libro primo, contra Iulianum. hoc est, Extra contentionem, nondum motis controversiis, Patres sæpe non accuratè, sed securius multa disputabant. Illa verò securius dicta, sicut Augustinus loquitur, non sunt torquenda ad patrocinium eorum, quæ cum Scriptura non conveniunt.

Augustinus adversus Pelagianos.

2. Iulianus objecerat Chrysostomi sententiam, infantes non habere peccata. Augustinus inquit: Intellige propria peccata, & nulla erit contentio. Sed inquit Iulianus: Cur ipse Chrysostomus non addit propria? Cur putamus, inquit, nisi quia disputans in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur: hoc est, incommodius dicta Patrum, secundum analogiam fidei sunt interpretanda. Hoc modo Augustinus de natura & gratia, Hilarii, Ambrosii, Chrysostomi, Hieronymi, & sententias, quas Pelagius pro sui erroris confirmatione allegaverat, addita commoda interpretatione ad analogiam fidei accommodat: quam tamen interpretationem, non semper ex ipsis quæ allegatæ erant sententiis sumere potuit: sed eas vel ex manifestis Scripturæ sententiis, vel ex aliis Patrum dictis Scripturæ consentientibus petivit. De gratia Christi libro primo, cap. 48. ad Ambrosii dictum, probantis exemplo Zacharię & Elisabeth, hominem in hac vita posse sine peccato esse, Augustinus ita respondet: Dictum hoc est, quantum mihi videtur, secundum quandam inter homines conversationem probabilem, non secundum perfectionem justitiæ. Nam & Paulus dicit, se fuisse sine querela: & tamen hanc justitiam stercoribus deputavit.

Et de natura & gratia capit. 61. ad sententiam, quòd Christus vincendo peccatum, & desideriis carnis domitis docuerit peccatum, non esse necessitatis, Augustinus ita respondet: Quomodo dictum sit, autor hujus sententiæ viderit, qualiter possit exponere: dum tamen nos minimè dubitemus, Christum peccatum in se non habuisse quod vinceret. Et ibi ponit hanc sententiam: Ego in hujusmodi quorumlibet hominum scriptis, liber, quia solis Canonicis debeo, sine ulla recusatione, consensum.

Augustini responsio ad dictum quoddam Ambrosii.

3. Ad dictum quoddam Ambrosii, respondet libro 1. contra Iulianum: Hoc dictum est adversus Manichæos, contra quos hoc sufficiebat. Et in libris retractationum, ipse Augustinus de se inquit: Disputabimus contra Manichæos, qui fingebant, naturā mali esse coæternam Deo: contra quos satis erat obtinere, malum esse ortum ex libero voluntatis arbitrio: & ideo, inquit, parùm diximus de gratia. Patres igitur, quando contra hæreticos aliquos disputant, hoc tantùm sibi proponunt, ut istorum opiniones evertant, de aliis interim articulis, non sunt admodum soliciti. Et inde multa, non satis circumspectè de aliis dogmatibus dicta, Patribus sæpe excidērūt. Ideo Augustinus inquit: Audi, quod ad rem præsentem spectat, quid de peccato originis, Basilius alibi sine ulla ambiguitate dicat.

4. Basilius epist. 41. de Dionysio Alexandrino inquit: Non omnia ejus viri admiramur: imò sunt quædam, quæ penitus abrogamus. Habent enim seminaria quædā impietatis τῶν ἀνομοίων, Causam verò arbitror, non mentis malignitatem, sed quòd vehementer voluit resistere Sabellio. Soleo igitur ipsum assimulare arborum insitori: qui dum novellæ plantæ incurvum statum vult corrigere, nimia attractione à medio aberrat, & in contrariam partem nimium deflectendo peccat. Ita Athanasius Tomo secundo, de sententia Dionisii inquit: Ratio temporis & personæ consideranda est, quòd ita scripserit. Sabellianissimus enim tunc Ecclesias invaserat: & Dionysius rudibus monstraturus, Patrem non esse filiū, de humanitate loquitur: ex illis enim quæ humanitatis sunt, compendio refutantur Sabelliani. Et ibi dicit Athanasius: Arriani videntes, se nihil posse ex scriptura, pro sua hæresi habere, ad Patres se convertunt: sicut prædones, cùm de studiis suis malè audiant, fingunt sibi socios probos & modestos: & sicut Iudæi Scriptura convicti, ad patrem Abraham confugiunt, &c. Et profectò eodem planè modo, Pontificii Scripturæ testimoniis destituti & convicti, prætextum ex Patribus quærunt.

Basilius.

Basilius epistola 64. cùm objiceretur, Gregorium Neocæsariensem dixisse, patrem & filium mentis cogitatione esse duos, hypostasi verò unum, ita respondet: Hoc non dogmaticè, sed in contentione esse dictum, in disputatione contra AElianum. Volens enim Græcum hominem ad fidem convertere, non exactius circa verba disceptat, sed alicubi etjam concedit consvetudini ejus qui inducitur. Ideo multas illic invenias voces, quæ nunc maximum robur præbent hæreticis.

5. Chrysostomus libr. 1. de compunctione cordis inquit: Non putes hæc cohortatoriè magis quàm verè dici. Multa igitur apud Patres dicuntur exhortatoriè magis quam dogmaticè & verè.

Chrysostomus.

Ita Hieronymus ad Nepotianum dicit, se in epistola exhortatoria ad Heliodorum, pro ætate lusisse, & calentibus adhuc rhetorū studiis, quædam scholastico flore depinxisse. Et contra Iovinianum: Rhetoricati sumus, & in morem declamatorum paululum lusimus.

Hieronymus.

6. Est & illud discrimen in Patrum scriptis observādum: quòd aliquando privatas speculationes & devotiones exponunt, aliquando particularis alicujus Ecclesiæ consvetudinē describunt, aliquando verò publica dogmata totius catholicæ Ecclesiæ explicant. Et inter hæc profectò, magnum est discrimen.

Vtilis est & hæc observatio, quòd aliter agunt & disputant cum infirmis fratribus, aliter cum robustis, aliter cum domesticis fidei, aliter cum hæreticis, aliter cum philosophis, aliter cū principibus: quæ singula exemplis possent ostendi.

7. Mul-

7. Multa tolerārunt, & sæpe cesserunt temporum suorum consvetudini, etiam vbi vitii aliquid esse agnoverunt.

Augustinus. Ita Augustinus epistola 119. Multa hujusmodi propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberius improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quia multa quæ in divinis libris saberrimè præcepta sunt, minus curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, &c. Ita vigilias & ἀγάπας, ad sepulchra martyrum alicubi laudat Augustinus: sed de moribus Ecclesiæ capit. 14. & Epist. 64. reprehendit, & vellet abrogari.

Cyprianus. 8. Elegantissima est Cypriani sententia libro secundo, epistola tertia: Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciēdum putaverit: sed quid prior Christus qui ante omnes est fecerit. Neq; enim hominis consvetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Et ideò si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter hoc non observavit & tenuit, quid nos Dominus facere exemplo & magisterio suo docuit: potest simplicitati ejus, de indulgentia Domini venia concedi. Nobis verò non poterit ignosci, qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus: qui dum instruit in futurum, quid facere debeamus, de præterito ignoscit, quòd simpliciter erravimus, &c. Considerent hanc sententiam, qui semper in ore habent, se malle cum Patribus errare, quàm cum aliis rectè sentire. Rectè etiam nostri dicunt. Patres si admoniti fuissent, multa correcturos fuisse. Interest enim (sicut Augustinus inquit) quàm facilè quis corrigat, vel quanta pertinacia suum errorem defendere conetur.

Postremò, quando illæ sive mitigationes, sive commodæ interpretationes eorum, quæ non satis commodè à veteribus dicta erant, non recipiebātur & admittebantur, vel quando non poterant locum habere: Patres disertè improbārunt & damnārunt ea, quæ ad regulam Scripturæ non congruebant. Ita Augustinus de Cypriani & de omnium scriptis, liberrimè pronunciat: sicut sententias ejus suprà recitavimus. Ita in Irenæo, Chiliastarum sententia liberè damnata est. Illa sententia, quòd quidam salvati fuerint lege naturæ, quidam lege Moysis, quidam verò gratia Christi, extat apud multos vetustissimos Patres: sed Augustinus illam, ut Pelagianam, expressè damnat. Contra Donatistas illos qui Patrum errores amplectūtur, eo quòd (sicut Quintilianus inquit) honestus error videatur, magnos duces sequentibus: dicit idem facere, ac si quis Petro similis esse vellet, negando Christum, vel cogendo gentes ad Iudaisationem: vel si quis Davidi affectaret similis esse, committendo adulterium.

Augustin. de Cypriani & aliorum scriptis.

Quomodo Patres aliorum Patrum nec non sua scripta legi voluerint.

Ita ergo ipsi Patres aliorū Patrum scripta tractārunt, & sua etjam hoc modo legi & accipi voluerunt. Quam sententiam nos libenter probamus, amplectimur & sequimur. Adversarii verò nostri Pontificii, quando contra ea quæ ex Scripturis demonstrantur, sententias aliquas ex Patribus, quomodocunque convasatas, pro tuendis suis superstitionbus proferre possunt: volunt nos sine judicio & recusatione, à Scriptura discedere, & sententiis quę ex Patribus citantur, assentiri, etjamsi nullo scripturę testimonio probentur. Et hujus sententiæ, Staphylus & Lindanus Athanasium non verentur autorem facere. Citant enim mutilatum & truncatū ejus dictum ad Epictetum: Hoc solum hæreticis respondere & dicere sufficit, hæc non esse Catholicæ Ecclesiæ, neque Patres ita sensisse. Vtq; facilius ad hoc Pontificiorū propositum torqueri possit Athanasii sententia, Nannius interpres eam ita vertit: Tantummodò ad ea respondendum est, quod ipsum per se sufficit, Patres non ita sensisse, cùm Græca verba simpliciter dicant: τοῦτο μόνον ἀποκρίνασθαι πρὸς τὰ τοιαῦτα, καὶ ἅπερ ἄρτι εἶπε. Sed insignem faciunt injuriam Athanasio. Ad Epictetum enim recenset prodigiosos quorundam errores. Verbum in corpus est commutatum, corpus Christi constituere quaternitatem in Deitate, corpus esse coæternum & cōsubstantiale Deitati: & similia opinionum & verborum portenta. De illis verò dicit: Hæc nudis verbis tantùm descripsi: ut qui solùm audiat, fœditatem illorum & impietatem statim animadvertat. Quæ enim manifestè prava perversaq; sunt, ea curiosius tractare non oportet, ne contentiosis hominibus ambigua videantur: sed hoc solum ad talia respondere & dicere sufficit, ea non esse Ecclesiæ catholicæ, & Patres ita non sensisse. Ne verò ex solido silentio occasionem impudentiæ sibi sumant, paucas ex Scriptura sententias opponemus, &c. Quæso te Lector, conferas hanc integram Athanasii sententiam, cum mutila Pontificiorum allegatione: & statuas inde, quo candore Pontificii, tractent Patrum testimonia.

VII. GENVS TRADITIONVM.

Septimum genus traditionum est, quòd ubi veteres mentionem faciunt traditionum non scriptarum, propriè non intelligunt dogmata fidei sine Scriptura, extra & prę̄ter Scripturam recipiēda, etjamsi nullo Scripturæ testimonio probari possunt: sed de ritibus & consvetudinibus quibusdam vetustis loquuntur, quos propter antiquitatem ad Apostolos retulerunt. Ita Basilius vocat quidem dogmata sine scripto, ex traditione accepta: sed recenset, non articulos aliquos fidei, sed tantùm ritus quosdam: Cruce signare: ad Orientem converti in oratione: verba ἐπικλήσεως, dum ostēditur panis eucharistiæ, & quæ in celebratione eucharistiæ ante post verba institutionis recēsentur: benedictio aquę baptismatis, & baptisati, illimitio olei: trina immersio: abrenunciatio satanę in baptismo, cōfessio fidei. Origenes innumeras recenset genuflexiones in oratione, ritus eucharistiæ & baptismi. Hier. contra Luciferianos ex Textu recēset: Die dominico & à Pascha usq; ad Pentecosten non jejunare, nec de geniculis adorare, prægustare lac & mel post baptismū, oblationes pro defunctis, & pro natalitiis annua die, &c. Et de his quidem traditionibus an singulæ & omnes sint Apostolicæ, in postremo genere traditionum dicemus. Nunc tantùm ostendere volui, Patres quando de traditionibus

Basilius.

Origenes.

Hieronymus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionibus non scriptis loquuntur, tantùm de vetustis quibusdam ritibus disputare: nõ hoc agere (sicut Pontificii contendunt) ut multa dogmata fidei, quæ licet nullo Scripturæ testimonio probari possint, pari tamen reverentia & pietatis affectu suscipiantur, sicut illa quæ certa & manifesta habent in Scriptura testimonia. Sicut igitur discrimen est inter doctrinam, & inter ritus: ita disputatio Pontificiorum, de traditionibus non est eadem cum illa quæ extat apud veteres. Etsi prius de doctrina consensus constitueretur, de ritibus facilè posset iniri ratio & concordia. Apostolos igitur ritus quosdam ordinasse & tradidisse Ecclesiis, ex scriptis ipsorum certò constat. Et verisimile est, quosdam etjam alios externos ritus, qui in Scriptura annotati non sunt, ab Apostolis traditos esse.

Nullum etjam dubium est, Ecclesiã post Apostolos, pro ratione ędificationis, ordinis & decori, alios quosdam ritus addidisse. Et nullis quidem certis & firmis documentis probari potest, qui sint ritus, certò ab Apostolis traditi, qui ex Scriptura ostendi non possunt. Possumus tamen habere certam Apostolicam rationem, de dijudicatione & usu omnium traditionum, de ritibus seu ceremoniis externis, undecũq; sanè originem suam habeant. Et hoc certius & utilius est quàm de authoribus incertas texere altercationes. Ne igitur traditiones de externis ritibus sine certa aliqua Apostolica regula, vel in ambiguo fluctuent, vel in infinitum vagentur: ex illis ordinationibus seu ritibus externis, quos Apostolos tradidisse, certò ex ipsorum scriptis constat, colliguntur certæ quædam regulæ, secundum quas, de quibusvis ritibus seu ceremoniis, Apostolica ratione judicari & debet & potest.

1. Sunt quidam ritus, qui ex Scriptura ita probari possunt, quia continent usum, exercitium, & utilem declarationem ejus doctrinæ, quæ in Scriptura divinitus patefacta est. Ita 1. Corint. 11. Paulus ex institutione deducit, quomodo piè celebranda sit cœna Dominica. Et ex doctrina Apostolorum, quæ Scriptura comprehensa est, deductum est. 2. Thessal. 3. de separandis illis qui inordinatè vivunt. 1. Corinth. 5. de excommunicatione, Actor. 14. de constituendis ministris Ecclesiæ, &c. Et tales ritus meritò amamus & retinemus: quales sunt confessio fidei, abrenunciatio Satanæ, & alii ritus in actione baptismi: qui doctrinam de baptismo in Scriptura traditam utiliter ad ædificationem explicant & illustrant. Ita de abrogatione Sabbati, manifesta extãt Scripturæ testimonia: & quod Apostoli prima sabbati conventus celebrârint, Scriptura non obscurè indicat, Actor. 20. 1. Corinth. 16. Et Apocalip. 1. extat appellatio diei Dominicæ. Ita ex doctrina de charitate proximi, & de infirmis in fide suscipiendis, Apostoli condiderunt decretum suum.

Tales etjam sunt illæ consvetudines Ecclesiasticæ, quas Augustinus existimat ex Apostolorũ traditione originem habere: de baptizandis infantibus, de non rebaptisandis, qui baptismum ab hæreticis, secundum formam à Christo institutam acceperant. Illæ enim consvetudines tradunt exercitium & usum ejus doctrinæ, quæ in Scripturæ testimoniis comprehensa est. Tales ritus quin vocentur Apostolici, non pugnamus: cum hoc modo, sicut dictum est, habeant in ipsa Scriptura testimonium.

2 Apostolicos ritus Paulus hisce notis insignivit: ut scilicet omnia fiant decenter, ordine, & ad ædificationem. Ita 1. Corinth. 11. ritum de velandis mulieribus, ostendit probabilem esse ex Scriptura: allegat consvetudinem, & ostendit servire decoro. Ita 1. Corinth. 14. monstraturus rationes ordinationis, de lingvis, prophetia, Psalmis, oratione, &c. recenset ædificationem, decorum & ordinem. Et tales sanè ritus judico retinendos & servandos, qui sunt (sicut eleganter dictum est) incitamenta & retinacula pietatis: hoc est, juxta Pauli regulam, qui primò faciunt ad ædificationem, ut homines invitentur ad verbum, ad Sacramenta, & ad cætera pietatis exercitia: ut doctrina cõmodius proponatur, pluris fiat, avidius accipiatur, & melius retineatur: utq; accendatur & foveatur pœnitentia, fides, oratio, pietas, misericordia, &c. Secundò, qui serviunt ordini. Oportet enim in publicis Ecclesiæ congressibus, esse ordinem dignum gravitate Ecclesiastica.

Tertiò, qui ad decorum faciunt. Intelligitur autem ἐυσχημοσυνη, nõ theatrica pompa, sive aulica magnificentia: sed tale decorum, ut externis ritibus ostendatur, quid tribuamus verbo, sacramentis, & reliquis Ecclesiasticis exercitiis, utque reliqui ad reverentiam verbi, sacramentorum, & congressum Ecclesiasticorum invitentur.

3. Ritus Apostolicos moderatur Christiana libertas: ut scilicet ceremoniæ sint genere indifferentes, numero paucæ, sint piæ & utiles, ad ædificationem, ordinem & decorum: utq; totũ hoc genus, extra casum scandali, liberas habeat observationes: & pro ratione ædificationis, loci, temporũ, personarum, &c. possint institui, mutari & abrogari. Ita Apostolorum constitutio de suffocato & de sanguine, jam dudum in usu esse desiit. Causa enim propter quam facta fuerat, nõ amplius tunc est. 1. Cor. 11. Paulus ordinat, ut viri aperto capite orent & prophetent: mulieres verò velato capite. Et illud sumit ex circumstantia locorum & temporum. Tunc enim in illis locis, viri aperto capite, mulieres, servi & libertini, velato capite prodibant in publicum: sicut autor est Plutarchus in Problem. Rom. Et indicium authoritatis erat, aperto capite loqui: sicut econtra, velatum caput testimonium erat subjectionis. Nostris temporibus & locis contrarium servatur. Aperto enim capite dicere, vel audire, est testimonium subjectionis: signum verò autoritatis, est capite non aperto dicere. Ita trina immersio, prægustatio, lactis & mellis, stationes in orationib. die Dominico & intra Pascha & Pentecosten: jamdudum in necessario usu esse desierunt. Natalicia verò, quorum Tertullianus mentionem facit, Nicena Synodus liberè abrogavit. Nulla verba peculiaria nunc habent, ne Pontificii quidem, quando panis Eucharistiæ consecratus ostenditur: quos tamen ritus, veteres existimant ab Apostolis traditos. Ecclesia igitur libertatem suam, in huiusmodi traditionibus ipso facto declaravit. Doctrina enim universalis & perpetua

petua est, ritus verò pro circumstantiis mutari liberè possunt.

Colliguntur præterea etjam ex Apostolorum scriptis, certæ regulæ, quando & docendo, & exemplis adversandum sit hujusmodi traditionibus de ritibus: quando scilicet statuuntur quædam quæ pugnant cum verbo & mandato divino, Matthei 15. Vel quando ritibus suo genere adiaphoris, assuuntur opiniones cultus, meriti & necessitatis, etjam extra casum scandali. Pertinet etjam huc, quod Augustinus quæritur epistol. 119. Ipsam religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis, misericordia Dei liberã esse voluit, servilibus oneribus, premunt, ut tolerabilior sit Iudæorum conditio, qui legalibus sarcinis, nõ humanis præsumptionibus subjiciebantur.

Hęc est verè Apostolica ratio judicandi de hujusmodi traditionibus: & est certior & utilior, quàm de incertis disputare: quæ scilicet traditiones à quibus Apostolis, quo tempore, quo loco, &c. sint traditæ: de quibus nullum ex Scriptura documentum proferri potest.

Nos igitur nõ simpliciter omnes traditiones quæ hujus sunt generis, rejicimus & damnamus. Illud enim quod Hieronymus Lucinio scribit, non improbamus: traditiones scilicet ecclesiasticas, præsertim quę fidei non sufficiunt ita observandas, ut à majoribus traditę sunt. Et quod Augustinus dicit: Quod neq; cõtra fidem, neq; contra bonos mores injungitur, indifferenter esse habendum, & pro eorum inter quos vivitur societate servandum. Hæc verò juxta Apostolicas regulas, quas ex Scriptura colligi diximus, intelligi volo. Nam & August. epist. 119. de quibusdam ritibus resecandis disputat: licet non facilè inveniri possit, quomodo sint contra fidem, tamen quia multitudine, & necessitatis præsumptione Ecclesiam premant, abrogandos esse.

OCTAVVM GENVS TRADITIONVM.

Postremum genus traditionum cõstituemus illud, de quo Pontificii potissimùm digladiantur. Illam enim distributionem traditionum, in certa aliquot capita seu genera ideo institui: ut disputatio de Traditionibus, quam Pontificii studiosè, affectatis confusionibus perplexam reddunt, simplicius & clarius intelligi possit, utq; veterum sententiæ, quæ non uno modo de traditionibus loquũtur, rectius dijudicari & explicari possent. Pontificii enim, cumulatis multis dissimilibus vetustissimoum scriptorum sententiis, speciem aliquam & prætextum, imò fucum potius disputationi suæ conciliant. Sophisticum autem est, quod omnes traditiones quæ non sunt unius generis, ex una fidelia (sicut proverbium habet) dealbant: ut fraudem simpliciores non animadvertant. Et judico non esse simpliciorem rationem, qua tota hæc disputatio explicetur, & Pontificiorum objectiones solidè refutentur, quàm si distinguantur traditiones de quibus veteres magnificè loquuntur, ab illis pro quibus Pontificii digladiantur. Ostendimus enim hactenus aliquot genera traditionũ, quas veteres ita vocant, quæ habent Scripturæ testimonia, & illis sunt consentaneæ. Illa igitur quæ veteres de istis traditionibus magnificè prædicant, sicut nihil contra nos, qui ea quæ Scripturæ consentanea sunt, libenter recipimus, pugnant: ita Pontificiorum institutum, de stabiliendis iis quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt, prorsus nihil, si vera explicatio monstretur juvare possunt.

Iam verò ingredimur illum locum, qui proprius & peculiaris est Pontificiorum, de traditionibus scilicet, tam ad fidem quàm ad mores pertinẽtibus, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt: quas tamen pari reverentia, & pietatis affectu, Synodus Tridentina suscipiẽdas & venerandas imperat, sicut ipsam Scripturam. Et ex illo loco sicut primum progressæ sunt, ita hodie etjam defenduntur corruptelæ, abusus, superstitiones, & quicquid ad regnum Antichristi pertinet. Quæ enim magis compendiaria posset excogitari licentia, quid vis liberè & impunè fingendi in Ecclesia, quàm si ad omnia vel firmissima & clarissima argumenta, ex Scriptura nudus traditionum titulus, tanquam Gorgonis caput ita obvertatur, ut fas nõ sit vltra quærere, si dicatur esse traditio? In oratione Tartiani ad Gracos, idolum quoddã vocatur ἐπιτομὴ γεγονὸς ἀμαυσίας epitome superstitionis: nos vero Pontificiorum disputationes de traditionibus, rectius possumus vocare non epitomen, sed pandectas errorum & superstitionum. *Abusus & superstitiones ex Traditionibus.*

Insignis omnino audacia est, majestati & authoritati Scripturæ Canonicæ aliquid æquare. Concilium autem Tridentinum, traditionibus sine scripto, tum ad fidem, tum ad mores pertinentibus hoc tribuit, ut pari pietatis affectu & reverentia suscipiantur, sicut ipsa sacra Scriptura. Quid verò?

Num forsan Conciliũ intelligit tales traditiones, sicut veteres, quæ in Scriptura continentur, & ejus perspicuis testimoniis probari possunt? Nihil verò minus. Sed Andradius dicit, necessariò credendas illas etjam traditiones, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt. Ut ne Lector hæsitet quid velint, clarè & diserte se explicant, quas intelligant traditiones. Petrus à Soto his verbis utitur: Infallibilis est regula, & Catholica: Quæcunque credit, tenet & fervat Romana Ecclesia, & in Scripturis non habentur illa ab Apostolis esse tradita: item, quarum observationum initium, author & origo ignoretur, vel inveniri non potest, illas extra omnem dubitationem ab Apostolis traditas esse. Et in specie has traditiones enumerat: Oblationem sacrificii altaris, unctionem chrismatis, invocationem sanctorum, merita operum, primatum Romani Pontificis, consecrationem aquæ in Baptismo, totum Sacramentum confirmationis: elementa, verba & effectus sacramenti ordinis, matrimonii, & extremæ unctionis: orationes pro defunctis, enumerationem peccatorum Sacerdoti faciendam, necessitatem satisfactionis. Hæc sunt Asoti verba, quæ ideo adscripsi, ut Lector videat non de adiaphoris, sed de rebus longè gravissimis controversiã esse in hac disputatione de traditionibus. Habemus igitur descriptionem, non invidio- *Cuiusmodi Traditiones Tridentini intelligant.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

invidiosè à nobis exaggeratam, sed ipsorum verbis nobis traditam: quales scilicet intelligere debeamus traditiones, quas volunt nos pari pietatis affectu & reverentia suscipere & venerari, sicut ipsam Scripturam Canonicam. Pertinent autem ad Asoti enumerationem infinita alia: ut mutilatio cœnæ Dominicæ, cœlibatus Sacerdotum, delectus ciborum, purgatorium, nundinatio indulgentiarum, cultus imaginum, legendæ sanctorum: & in summa, quicquid credit, tenet & servat Romana Ecclesia, quod nullo Scripturæ testimonio probari potest, credendum est ab Apostolis traditum esse. Brevè sanè, & facilè est hoc compendium. Clamitant à multis jam annis totius orbis justissimæ querelæ, regnũ Pontificium multas corruptelas, abusus & superstitiones invexisse in Ecclesiam: petunt, in legitimo Concilio gravissimas has controversias ex verbo Dei dijudicari & definiri. Sed ecce, Pontificii sonora voce profitentur, multa quæ credunt, tenent & servant, nullo se Scripturæ testimonio probare posse. Corrigi ne igitur volunt ea, quæ ad Canonem sacræ Scripturæ non congruunt? Nihil minus. Sed opponũt ἀιτήματα, sive postulatum, sicut Geometræ loquuntur, ad cujus probationem nolunt obligati esse: Quæcunque scilicet ea quę nunc est Romana ecclesia, credit, tenet & servat, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt, certò statuẽdum esse, quòd sint ab Apostolis tradita. Et mox Tridentinum Concilium addit vocem suam decisivam: Traditiones sine scripto, pari pietatis affectu ac reverentia suscipiendas ac venerãdas esse, sicut ipsam sacram Scripturam. Tam brevi & levi velitatione conclamatum & debellatum est in Synodo Tridentina, de gravissimis horum temporum controversiis: sicut Episcopus quidam Gallus, in exordio Concilii exclamavit: Venimus, vidimus, vicimus.

Tridentini de Traditionibus.

Non autem ordine de singulis, quæ titulo Traditionum Ecclesiis obtruduntur, & quos sibi fingant authores, dicemus: eruditè enim & copiosè hoc præstitum est ab aliis: sed generales quasdam observationes annotabimus, id quod eò brevius fieri potest. In illis enim quæ hactenus exposuimus, fundamenta sunt totius hujus disputationis.

Et primò observetur, quàm periculosum sit Ecclesiæ, & quàm perniciosum fidei, traditiones de dogmatibus, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt, pari pietatis affectu & reverentia suscipere & venerari, sicut illa quæ certis & perspicuis Scripturæ testimoniis traduntur & probantur. Suprà enim multis ostendimus, viventibus adhuc in carne ipsis Apostolis in Ecclesiis, in ipsorum absentia, puritatem doctrinæ nõ semper fuisse per traditiones sine Scripto fideliter conservatam: sicut ostendunt Ecclesiæ Corinthiorum & Galatarum. Pseudoprophetæ etjam viventibus adhuc Apostolis, multas fingebant corruptelas, sub hoc prętextu & titulo quasi ab Apostolis viva voce essent traditæ: sicut suprà ostendimus. Et propter hanc ipsam causam, Apostoli doctrinam suam cœperunt literis comprehendere, & Ecclesiis commendare: id quod suprà multis & evidenter monstratum est. Paulus etjam monet Ecclesias. ne sinant se turbari & decipi, sub titulo & prætextu traditionum. Et illam admonitionem ponit, cùm primùm inciperet scribere. 2. Thessal. 2. Ne citò dimoveamini à mente, neque turbemini vel per spiritum, vel per sermonem, vel per epistolam, tanquam à nobis profectam. Repetit etjam illam admonitionẽ, cùm ex vinculis scriberet Colossensibus. Videte, ne quis vos seducat per inanem deceptionem, secundum traditionem hominum. Petrus etjam cum imminente fine vitæ suæ, postremam scriberet epistolam, prædicit futuros falsos Doctores, qui fictis sermonibus, negociaturi sint in Ecclesia. Et non vanas fuisse illas Apostolorum de traditionibus prædictiones & admonitiones experientia ostendit. Statim enim post Apostolorum tempora, cùm adhuc in recentissima memoria esset, quæ fuisset Apostolorum doctrina, hæretici sub prętextu & titulo traditionum non scriptarum, cœperunt peregrina dogmata Ecclesiis obtrudere. Irenæus enim libr. 3. cap. 2. inquit: Cùm ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quia non posit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant traditionem: non enim per literas traditam illam, sed per vivam vocem, sicut Paulus dicit, sapientiam inter perfectos. Et libro primo dicit, Carpocratianos nova sua commenta, hoc prætextu defendisse, quòd scilicet Iesus talia privatim Apostolis in mysterio locutus fuerit, & Apostolos illa tradidisse, non omnibus, sed dignis tantùm.

Pauli præceptum de Traditionibus.

Irenæus.

Tertullianus de præscriptione adversus hæreticos dicit, ipsos cùm ex Scripturis commenta sua probare non possent, sed inde refutarentur, duo prætendisse: vel Apostolos non omnia scisse, quia CHRISTVS dicat: Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis ea modò sustinere: vel Apostolos quidem nihil ignorasse, nõ autem omnia illos omnibus revelasse: quædam palam & universis, quædam secretò & paucis demandasse. Ideo contendebant, illa etjam quæ sine Scriptura, pręter & contra Scripturam, quasi viva voce tradita proponẽbantur, suscipienda esse. Sed hoc commentum egregiè refutat Tertullianus: Dominus enim præcipit, ut si quid in tenebris & in abscondito audissent, in luce & in tectis prædicarent, lucernam non sub modio absconderent, sed super candelabrũ constituerent, Et addit: ut maximè inter domesticos quædam disseruerint: non tamen ea fuisse credendum est, quæ aliam regulam fidei superducerent, diversam & contrariam illi, quam catholicè in mediũ proferebant. Irenæus allegat illud Pauli, Non subtraxi vobis, ut non annunciarẽ omnem sententiam Dei, Et addit: Ita & Lucas, sine invidia quæ didicerat tradidit, inquiens: Sicut tradiderunt nobis qui ab initio, &c. Hæc Irenæus. Quia verò nullum erat dubium, Apostolos multa tradidisse viva voce, ne ideo fingerentur dogmata alia, diversa & contraria illis quę in Scriptura extant: Irenæus & Tertullianus ostenderunt, veras Apostolorum & Apostolicorum traditiones non esse alias diversas & contrarias, sed omnino consentaneas Scripturæ: sicut in præcedentibus hæc demonstrata sunt. Hoc verò loco, paucis illa repe-

Tertullian.

repetenda fuerunt: ut ostẽderetur, antiquam & frequentẽ esse viam per traditionum fallere nomen. Apostoli enim hoc prędixerunt, & Ecclesias præmonuerunt. Historię primitivæ Ecclesię hoc ostenderunt, quæ etjam subministrant solutiones ad prætextum illum: quia Apostoli, viva etjam voce multa tradiderint, ideo non omnia ex Scripturis sumi & probari posse, quæ credenda sunt. Irenæus enim dicit, ea quæ Polycarpus ex traditione cõmemorare solitus fuerit, nõ fuisse diversa, nec contraria, sed πάντα σύμφωνα τοῖς γραφαῖς, omnia consentanea Scripturis sacris.

Ita sequẽtes etjam hæretici, pallium traditionum corruptelis suis induerunt. Eusebius libro quinto, cap. 28. recitat, Artemonem de doctrina sua, quasi antiqua, gloriatum esse. Majores enim omnes, ipsos etjam Apostolos, ita sensisse & docuisse. Sed reclamant ipsi, inquit Eusebius, primum divinæ Scripturæ: deinde antiquiora fratrum scripta. Clemẽs Stromat. 7. dicit Basilidem gloriatum, se Glaucia quodam, qui fuerit interpres Petri, magistro usum.

Valentinum audivisse Theodatum, Pauli familiarem. Marcionistas gloriatos se Matthiæ discipulos habuisse magistros, & ab ipsis traditam doctrinam se tenere & producere.

Athanasius.

Athanasius oratione 2. cõtra Arrianos, recitat exordium scripti Arrii, cui titulus fuerit Θαλεία, tale fuisse: Ex electis Dei secundum fidem, peritis Dei, recti gradis, qui sanctum & Dei spiritum acceperunt, ita didici ego. Cùm igitur tempore ipsorum Apostolorum, & postea tempore primitivæ Ecclesiæ, sanæ doctrinæ, & sinceræ fidei Apostolorum semper periculum fuerit, structis insidiis ex prætextu & titulo traditionum non scriptarum: prudens Lector facilè æstimare potest, qualis sit Pandorępixis omnis calamitatis in Ecclesia, quod Tridentinum Concilium statuit, Traditiones non scriptas, tàm ad dogmata quàm ad mores, pari pietatis affectu & reverentia suscipiendas & venerãdas esse, sicut ipsam Scripturam, Versamur enim nunc in postremis temporibus. de quorum horrendis periculis, pręcipuè quoad doctrinam & fidem, CHRISTVS & Apostoli, tristissima vaticinati sunt. Reprobã igitur mentem esse oportet, quæ relicta clarissima Scripturæ luce, tenebris incertarum traditionum fidem suam concredere, his periculosis tẽporibus persuaderi potest. Nos verò tutissimum consilium Chrysostomi sequemur, qui inquit, sicut integram sententiam suprà annotavimus: Sciens ergo Dominus, tantam cõfusionem eorum in novissimis diebus esse futuram: ideo mandat, ut Christiani qui sunt in Christianitate, volentes firmitatem accipere veræ fidei, ad nullam rem fugiant, nisi ad Scripturas: alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur, & peribunt. Opponimus etjam Hieronymi sententiam, qui in primo capite Aggæi inquit: Alia etjam, quæ absque autoritate & testimoniis Scripturarũ, quasi traditione Apostolica sponte reperiunt atq; confingunt, percutit gladius Dei.

Deceptiones ex traditionibus.

Secundò observandum est & hoc: nõ tantùm hæreticos seductos, alias seduxisse, prætextu & titulo traditionum non scriptarum: verùm etjam excellentes in Ecclesia viros qui nõ fuerunt mali, deceptos tamen fuisse, cùm pręter Scripturam traditionibus non scriptis nimium tribuerent. De Papia, qui Ioannis auditor, & Polycarpi cõdiscipulus fuit, Eusebius libro tertio, cap. trigesimonono, memorabile hujus rei exemplum annotavit. Præfatur Papias, se ab iis qui Apostolis familiares fuerunt, ea quæ fidei sunt, accepta benè didicisse, & rectè memorię mandasse. Et addit. Non sum delectatus illis qui peregrina præcepta commemorant, sed his qui quæ vera sunt docent, & quæ à Domino fidei nostræ sunt tradita, & ab ipsa profecta sunt veritate adferunt. Sic ubi quispiã venit, qui seniorum sectator fuerat, seniorum verba exquirebam: quid Andreas, quid Philippus, quid Thomas, vel alius quispiã ex discipulis Domini dixerit. Magnifica sanè hæc est traditionum Papiæ commendatio. Et consideret Lector hæc Papiæ verba: Cogitabã me non tantum utilitatis ex libris, quantum ex viva voce relaturum. Vides Papiam Scripturæ præferre traditiones: ideo etjam potissimùm de illorum Apostolorum traditionibus exquisivit, quorum nulla scripta extant. Et sanè si cui alii, certè Papię de Traditionibus nõ scriptis fides esset adhibenda, Sed audi quid Eusebius dicat: Multa paradoxa, & alia quædam Papias ὡς ἐκ παραδόσεως ἄγραφα, tanquam ex traditione non scripta ad se relata adjicit: & peregrinas quasdam Servatoris parabolas ac doctrinas, cum aliis nõnullis fabulosis, in quibus etjã est Chiliastica opinio. Et rationem addit Eusebius: ipsum Apostolicas disputationes non rectè accepisse, nec rite considerasse, eò quòd admodũ modico fuerit judicio præditus. Hic mihi Lector paulisper se colligat, & inter se conferat duos Apostolorum sive Apostolicorum συμφωνίτας, Polycarpum scilicet & Papiam, quorum uterq; affirmat, se solam eam veritatem quam ab Apostolis acceperant, tradere. Sed Polycarpus sanam fidei regulam tenet. Quæ enim ex traditionibus commemorat, sunt πάντα σύμφωνα τοῖς γραφαῖς, omnia consentanea Scripturis sacris: sicut Irenæus inquit apud Eusebium libro quinto, cap. 20. Papias verò, quia plus tribuebat traditionibus non scriptis, quàm libris sacris, invexit in ecclesiã ξένας δι' ὑπερβολὴν παραλογίας, καὶ μυθικωτέρας τινάς, peregrina dogmata, & quæ quodammodo fabulosa erãt. Ita bonum & Apostolicum virum Papiam, decepit nimia traditionum non scriptarum admiratio: cùm quidem illis, plus quàm Scripturis tribueret. Polycarpum verò συμφωνίαν traditionum cum Scripturis, in via regia retinuit. Ita Eusebius libro tertio, capite tricesimoseptimo dicit, multos discipulos, in primo gradu Apostolicæ successionis, opus Evangelistarum perfecisse: hoc est, illis qui de doctrina fidei nihil dũ prorsus audierant, Christum prædicasse, ac *Divinorum Evangeliorum tradere scripturam*, magno studio fategisse. Tales tunc fuerunt veræ traditiones.

Papiæ deceptus prætextu traditionum.

Non autẽ solum Papiã admiratio traditionum non scriptarum decepit, sed ficut Eusebius dicit, quàm plurimis post se Ecclesiasticis viris, Chiliasticierroris causam dedit. Et rationem addit Eusebius τῷ ἀρχαιότητα τὸ ἀνδρὸς παροσεβλη-

Universidad de Deusto
Biblioteca

μένοις, quia, inquit, prætenderunt antiquitatem illius viri. Admiratio igitur traditionũ non scriptarum, & prætextus antiquitatis extra, præter, & contra Scripturam, à sana fidei regula seduxerunt bonos etjam & præstantes in Ecclesia viros. Chiliastiacam enim opinionẽ ex traditione quasi Apostolica amplexi sunt Irenæus, Apollinari⁹, Tertullianus, Victorinus & Lactantius. sicut annotavit Hieronymus. Et illud factum est primis & florentissimis Ecclesiæ temporibus. Quid igitur postremis hisce & miserrimis senescentis Ecclesiæ temporibus futurum existimas Lector, si recipiatur Decretum Tridentinæ Synodi de traditionibus non scriptis, pari reverentia & pietatis affectu suscipiendis, sicut ipsam sacram Scripturam?

Vnum adhuc exemplum, quod valde illustre est attexam. Clemens Alexandrinus in tota antiquitate habitus fuit vir celeberrimus. Ita commemorat libro primo Strom. se audivisse multos beatos viros, qui maximi faerunt precii, ex Græcia, Cœlesyria, ex Aegypto, ex Oriente, Et præcipuè celebrat unum, quem in Palestina Hebræum audierit. Illum Andradius intelligit Papiam fuisse. Et addit Clemens: Qui veram beati doctrinæ servabant traditionem, statim à Petro, Iacobo, Ioanne, Paulo acceptam, ad nos quoque Deo volente accesserunt, illa à majoribus data, & Apostolica deposituri semina. Item inquit: Procedit nobis speculatio, ex gloriosa & veneranda traditionis regula. Et hìc exclamat Andradius:

Andradij objectio. Quid opus erat Clementem tanta animi cõtentione, ista vel inquirere, vel literis commendare, si omnia sacris literis forent comprehensa? Et sanè non nego, Clementem singulari studio & admiratione audivisse, quotquot profitebantur se alia quædã, præter illa quæ scripta sunt ab Apostolis & viris Apostolicis tradita accepisse. Ideo enim dicit operarium, qui in messem Domini emittitur, duplicem habere agriculturam, ἄγγραφον καὶ ἔγγραφον.

Sed audiamus quædam, quæ Clemens ex traditione illa non scripta se accepisse dicit. Ponit autem primùm illud Axioma, quare non contentus sit Scriptura, sed præter illã quærat alias traditiones de dogmatibus fidei: quia scilicet Dominus non revelavit multis, ea quæ non erãt multorum, sed paucis quibus sciebat convenire. ἀπόῤῥητα verò, inquit, verbo creduntur non scripto. Item. Mysteria traduntur mysticè.

Et libro quinto extat longa disputatio. Sicut Philosophi quædam arcana de suis dogmatibus ita occultarunt, ut non essent manifesta omnibus, quędam enim vocarunt ἐξωτερικά, quædam ἐσωτερικά & sicut Plato dicit, maximã cautionẽ esse, non scribere, sed discere: quæ enim scripta sunt, in vulgus exeunt: ita Apostolum etjã conservantem antiquam illam occultationem, dicere: Sapientiam loquimur inter perfectos. Item inquit: Paucorum est, hæc capere. Ideo in Evangelio quodam præcepit Dominus: Mysterium meum mihi, & filii domus meæ. Hæc verba si quis conferat, deprehendet planè illa ipsa esse, quæ supra annotavimus ex Irenæo lib. de Carporatianis, & lib. tertio, de Valentinianis: item ex Tertulliano, de præscriptione adversus hæreticos. Hoc enim prætextu, traditiones statim post tempora Apostolorum cœperunt Ecclesiæ obtrudi. Et illa quidem sententia in hæreticis ab Irenæo & Tertulliano graviter repressa fuit. Mansit tamen & hæsit opinio, etjam in posteris, sicut in Clemente, CHRISTVM & Apostolos, quædam (sicut Tertulliani hæretici loquuntur) palàm & universis, quædam verò secretò & paucis tradidisse: & hanc esse originem traditionum, præter Scripturam. Valde multus etjam est Clemens, in Commendando quodam peculiari genere Gnosticorum: quorum hanc tradit descriptionem libro sexto. Cognitio quæ verum gnosticũ facit, illa est, quæ per successionem ad paucos ex Apostolis, absque scripto tradita pervenit, &c. Damnata quidem fuit ab Ecclesia Gnosticorũ hæresis, quæ à perfectiori sententiæ opinione, ex commentitiis traditionibus originem habuit: sed tamen propter admirationem traditionum non scriptarũ, seminaria quædam de cognitione perfectiori quàm quæ in Scripturis traditur, hæserunt in magnis & eruditis etjam viris in Ecclesia.

Quæ verò sunt illa, quæ Clemens ex secreta seu mystica illa paucorum traditione accepit? Recitabimus quędam: unde de reliquis, quæ ipse fatetur talia fuisse quæ timuerit conscribere, judicium fieri possit.

Traditiones Clementis. Libro primo Stromat. inquit, se in illis suis ex traditionibus contextis commentariis, doctrinę cœlestis veritatem velle admiscere Philosophiæ decretis: quia sicut lex Iudæis pædagogia fuit in CHRISTVM, ita & Græcis philosophia. Et postea addit: Per se quoque aliquando Græcos justificabat philosophia. Multæ enim sunt viæ ad vitam. Et postea contendit, legem etjam procurare salutem, & facere justos ex injustis, si quis velit audire. Atqui hæc manifestissimè pugnant contra scripta Pauli. Sed Clemens excipit esse mysteria, quæ non palàm & universis, sed secretò & paucis tradita fuerunt ab Apostolis. Tertullianus verò ex professo hoc refutat, verba autè annotavimus.

Recitat etjam libro primo traditionum, quod Christus uno solo anno prædicârit. Hanc verò traditionem Irenæus libro secundo, capite trigesimonono tribuit hæreticis: & ipse opponit aliam traditionem, quam affirmat, seniores à Ioanne Apostolo, & ab aliis etjam Apostolis accepisse: Christum scilicet non multum abfuisse à quinquagesimo ætatis anno, cùm crucifigeretur. Sed & hæc Irenæi traditio, communi Ecclesiæ sententia reprobata fuit. Potest enim ex Evangelio Ioannis, & ex Actis Apostolorum ostendi, quòd non sit vera. Ita boni etjam viri in Ecclesia, nimia admiratione traditionum non scriptarum decepti fuerunt.

Sed pauca quædam alia ex Clementis traditionibus adjiciemus. Libro 2. Stromatũm, dicit Apostolos post mortem etjam mortuis prædicasse, qui cum Apostolis in aquã descenderunt, & inde rursum vivificati ascenderunt. Ibidem, secundam tantùm concedit pœnitentiam lapsis.

Lib. 3. dicit. Dicit Paulus secundas nuptias ex venia concedere: non enim peccant contra legem, non tamen implent perfectionem Evangelicam.

Lib. 4. Sive hìc sive alibi agatur pœnitentia: nullus enim locus vacat misericordia Dei. Et ideo inquit libro 6. Fortè cessabũt supplicia post hanc vitam.

Lib. 6. multis contendit, Græcos per Philosophiam salvatos. Et Apostolos Evangeliũ annunciasse impiis apud inferos, ut non maneant in damnatione, qui in vita non potuerint audire Evangelium, sed convertantur. Contendit etjam, non inhærendum literæ Scripturæ, sed quærendam allegoriam, ita ut etjam Decalogum in varias transformet allegorias.

Libro septimo: Virgines prudẽtes dicũt Deo: Nihil prætermisimus eorũ quæ præcepisti, quam obrem promissa quoque petimus. Et ad illam sententiam accommodat, quòd athleta quidam, cùm longo tempore corpus exercuisset, ascendens ad Olympia, cùm Pisani Iovis aspexisset statuam: Si omnia, inquit, ô Iupiter, mihi rectè parata sunt ad certamen, justè mihi redde victoriam.

Ibidem disputat, perfectum non debere jurare. Et Christianos non posse contendere judicio, nec coram gentibus, nec coram sanctis. Possem similia valde multa ex libris Clementis recitare de peccato originis, de libero arbitrio, de apathia, de perfectione, de fide, de salute, &c. quæ à regula Scripturæ procul discedunt: Sed pauca hæc capita, quę ne ipsos quidem Pontificios probaturos arbitror, annotare volui: ut ostenderem, quomodo bonis etjam & magnis in Ecclesia viris, titulus, prętextus & admiratio traditionum non scriptarum, quarum origo referebatur ad illos qui profitebantur se Apostolos audivisse, imposuerit: ita ut sæpe ad peregrinas planè doctrinas declinarint, id quod de Clemente negari non potest. Magnifica verò illa traditionum Clementis encomia, etjam Origeni, & aliis post ipsum, opiniones illas instillarunt. Sed in Origene & in aliis postea multa secundum Scripturæ regulam damnata sunt, quę Clemens tanquam traditiones Apostolicas acceperat: ut de Philosophia, & de lege salvante: de unica tantùm, post susceptam fidem, pœnitentia: de conversione & pœnitentia post mortem: de cessatione supliciorum æternorum: de perfectione, de libero arbitrio, &c.

Et si quis libros Stromatum Clementis rectè consideret, deprehendet, titulo & admirationi traditionum præter Scripturã deberi quod tempore Origenis, & postea apud quosdam doctrina Ecclesiæ à puritate & simplicitate Apostolica degeneravit, ad mixturam & transformationem philosophicam.

Origenes. Origenes in libros περὶ ἀρχῶν, ubi præcipua capita doctrinæ Ecclesiæ explicare conatur, ita præfatur: Cùm multi sint, qui se putent scire quæ Christi sint, servetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & usque ad præsens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione, &c. Magnifica est præfatio: & quòd dicit se illa ex traditione accepisse, judico ipsum dicere quod sensit. Doctrinam enim suam acceperat à Clemente Alexandrino: qui traditiones illas, ab iis qui profitebantur se Apostolos & Apostolicos audivisse, acceperat. Ita Origenes censet esse Apostolicas traditiones. Sed qualis sit doctrina in libris περὶ ἀρχῶν Origenis, & per se manifestum est, & notum est Hieronymi judicium de illis ad Avitum Pammachiũ & Oceanum, & alibi dogmata ejus vocat venenata. Et illi scilicet sunt fructus taliũ traditionum.

Quòd si optimis illis primitivæ Ecclesiæ temporibus, prætextus & admiratio traditionũ non scriptarum, potuit præstantissimos viros à sana & simplici fidei regula, ad peregrinas opiniones adducere: certè his exemplis monemur cavere fermentũ Decreti Tridentini de traditionibus non scriptis, pari pietatis affectu suscipiendis, sicut ipsam sacram Scripturam. Lector inter se conferat Papiæ, Clementis, & hæc nostra postrema tempora, & res non erit obscura. Per titulum igitur, prætextũ & admirationem traditionum præter & contra Scripturam, & decepti sunt, & deceperunt alios cùm hæretici, tùm magni etjã, & non mali in Ecclesia viri. Opus est ergo certa regula, ad quam exigatur, si quid nomine traditionis proponitur. Sed quæ illa regula sit, postea dicem⁹. Absolvemus enim prius reliquas observationes de origine traditionũ, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt.

Tertia observatio est, quòd veteres quidam ex apocryphis, sive adulterinis scriptis, multa sub titulo traditionum citârunt. Et hæc observatio multa illustrabit. Papias & Clemens ab illis qui profitebantur, se vel Apostolos, vel Apostolicos audivisse, traditiones suas acceperant. Qui verò postea secuti sunt, cùm non possent allegare vel Apostolos vel Apostolicos quos audivissent, & tamen admirarentur traditiones, alio prætextu illas ad Apostolos retulerunt. Et ad hanc rem, occasionem prębuit lectio scriptorum apocryphorum, hoc est, adulterinorum. Suprà enim diximus, quòd Ecclesia salubri diligentia tres ordines distinxerit, scriptorum de doctrina Christi & Apostolorum. In primo ordine erant legitima, certa & testamentaria scripta, sicut Eusebio vocantur. Secundus ordo habebat scripta, de quibus quædam erant dubitationes: quæ tamen ad ædificationem plebis legi volebant. Tertius ordo erat scriptorum, quę adulterina, suppositia, ficta & falsa habebãtur. Cùm igitur tertii ordinis scripta, simpliciter essent rejecta & improbata: multi tamen illa privatim inspiciebant & legebant: & paulatim concipiebatur opinio, fieri posse quòd talia, aut quædam saltè ab Apostolis essent tradita: Quæ igitur ex apocryphis seu adulterinis illis scriptis citabant, illa incipiebant ornare titulo traditionum. Non fingo hæc: exempla enim sunt manifesta, quibus id quod dico, ostendi potest.

Clemens Alexandrinus. Clemens enim Alexandrinus, talia multa ex apocryphis citat, quibus peregrina dogmata stabilire conatur. Vt libro 2. Strom. ex libro Pastoris Hermæ, probat Apostolos etjam post mortem prædicasse illis qui antea in infidelitate mortui fuerant, & illos conversos vivificasse. Libro

Universidad de Deusto
Biblioteca

quinto, probaturus arcana quædam fidei occultata, & non omnibus Christianis manifestata, citat ex apocrypho quodam Evangelio: Mysteriũ meum mihi & filiis domus meæ.

Libro sexto, ex apocryphis Petri & Pauli probat, Græcos per Philosophiam salvatos. Ibidem, ex pastore Hermæ probat, in Scriptura discedendum à litera, & quærendas allegorias: & quidem ita, ut ipse Decalogus in varias allegorias transformetur. Et libro tertio dicit, Tatiani sectatores conjugium damnasse, citatis sententus quibusdam Christi, ex Evangelio secundũ Aegyptios: Veni ad dissolvendum opera fœminæ. Item: Quamdiu vos fœminæ paritis, mors vigebit, &c.

Origenes. Basilius. Origenes & Basilius dicunt, traditionem esse, Zachariam illum, qui Matth. 23. occisus dicitur inter templum & altare, fuisse patrem Baptistæ: sed hoc in apocrypho protevangelio Iacobi scriptum est. Tertullianus & Basilius dicũt esse Apostolicam traditionem, crucis signo digitis in aëre formato, omnia signare: sed hoc sumptum est ex Evangelio Nicodemi. Ibi enim Charinus & Lenthius resuscitati, digitis faciunt signaculum crucis in linguis. Et Christus in inferno facit signum crucis supra Abraham & sanctos. Latroni etjam dat signum crucis in manu, & inquit: Si custos Paradisi noluerit te intromittere, ostende illi signum crucis. Augustinus epistol. 99. ad Evodium: Quòd CHRISTVS Adamum in inferno solverit, Ecclesia ferè tota cõsentit, quòd eam non inaniter credidisse credendũ est, undecunq; hoc traditum sit, etjamsi Canonicarum Scripturarum hinc expressa non proferatur autoritas, addunt quidam, hoc beneficium aliis etjam Patriarchis & Prophetis fuisse concessum: ut cùm Dominus in infernum venisset, illis doloribus solveremur, &c. Audis traditionẽ. Sed in Evangelio Nicodemi hæc leguntur. Et Augustinus, objiciens sibi contra illam traditionem ea, quæ de sinu Abrahæ scripta sunt, inquit: Ego quidem non video, explicent fortasis qui possunt. Idem: Nesc o utrum quisquam sit, cui nõ videatur absurdum, &c. Tales scilicet sunt disputationes de traditionibus.

Vetus fertur traditio, Enoch & Heliam reversuros ante extremum diem, & præliaturos cum Antichristo: sed sumptum hoc est ex Apocrypho Evangelio Nicodemi.

Epiphanius admirator Traditionũ. Epiphanius adeò delectatus fuit hujusmodi traditionibus ex scriptis Apocryphis, ut magis probet Christum, juxta apocryphum protevangelium Iacobi, in spelunca quadam in itinere natum esse, quàm in ipsa civitate Bethlehem, in stabulo. Clemens etjam 7. Stromatum tanquam ex traditione refert, quomodo obstetrices Mariam inspexerint post partum: quod itidem ex protevangelio Iacobi sumptum est.

Traditiones in Epiphanio Ita Epiphanius ex traditione, parentes Mariæ nominat Ioakim & Annam: & addit, Angelum Paradisi, nunciasse Ioakim, conceptionem filiæ. Sed hæc sumpta sunt, ex protevangelio Iacobi, Nominat etjam ex traditione, hoc est, ex scriptis apocryphis, uxorem Cani Sanue, uxorem Seth Asuram, uxorem Noe Barthenon, patrẽ Danielis Sabaan, patrem Melchisedech Heraclem, matrem Astaroth: Abelem interfectum, natum annos triginta, anno Adæ centesimo: Lazarum fuisse triginta annorum, cùm resuscitaretur: & post resuscitationem vixisse alios 30. annos. Dicit etjam ex traditione, Adamum ibi sepultum, ubi Christus crucifixus fuit. Sed & hanc de sepultura Adæ traditionem, & de Zacharia patre Baptistæ, Hieronymus liberè rejicit: quia ex Scripturis Canonicis non habent autoritatem. Iejunium in pane & aqua, Epiphanius nominat traditionem: sed extat in Herma, similitud. 5. Eusebius lib. 3. cap. 25. inter adulterina & reprobata recitat scriptum quoddam de doctrinis Apostolorum. Et in Canonibus Apostolorum, inter Canonicos libros numerantur Clementis libri περὶ διαταγῶν Apostolorum: id quod suppositium esse, ipse etjam Lindanus agnoscit. Epiphanius verò multis commendat illas Apostolorum constitutiones, quæ apocryphæ seu nothæ habitæ fuerunt veteribus: sicut de Canonibus Apostolorum expressè dicitur, dist. 15. & 10. Epiphanius igitur dicit lib. 3. Tom. 2. hæresi 80. In constitutionibus Apostolorum, inquit, divina doctrina, pilos barbæ non esse secandos. Meminit etjam libri de constitutionibus Apostolicis, libro 1. Tomo 3. hæresi 45. Et libro 3. Tomo 1. hæresi 70. Ita lib. 2. Tomo 1. hæresi 59. citat & defendit Canonem de cœlibatu sacerdotum: ita ut in sacerdotio non ut antur conjugio. Sed Paphnutius in Nicena Synodo, vocat novam legem. Falsum igitur est, quod sit traditio Apostolica.

Et lib. 2. Tom. 1. cõtra Apostolicos dicit, ad interpretationem Scripturæ, opus esse traditione. Quòd si hoc tantùm intelligeret, ex historiis Ecclesiæ multa sumi posse, quibus loca quædã Scripturæ declarentur: sicut ibi dicit, consvetudinem fuisse, quòd Christiani filias suas non elocârint incredulis, vel Iudæis vel Gentibus, & ideo multas mansisse innuptas: hoc, inquã, non gravatim reciperemus: sed longius progreditur Epiphanius, & traditiones opponit Scripturæ. Vbi enim Paulus in genere scripsit, Virgo si nupserit, non peccat: Epiphanius opponit traditionem ex apocryphis illis Apostolorũ constitutionibus, peccatum esse, post decretã virginitatẽ ad nuptias reverti: cùm Hieronymus dicat 1. Cor. 7. Si quis in statu virginitatis adoleverit, si postea agnoscat, se in duplici necessitate constitutum, ut aut scortetur, aut uxorem ducat, faciat quod vult: si uxorem duxerit, non peccavit. Ita Cypr. lib. 1. epist. 11. Quòd si se ex fide Christo dicaverint, publicè & castè perseverent: si autem perseverare nolunt, aut non possunt, melius est nubere, quàm ut in ignem delicus suis cadant, Adulterina igitur est traditio, quã Epiphanius ex scripto apocrypho allegat: pugnat enim cum Scriptura, & ignota est Patribus. Et ex hac observatione intelligi potest, unde Patres, præcipuè verò Epiphanius, multas tales traditiones quas hoc titulo ornãt, sumpserint. & quæ illarũ etjam olim fuerit autoritas, hoc exemplum ostendit. Chrysostomus in opere imperfecto de Magis, quòd biennio post natum Christum venerint, dicit: Audivi aliquos referentes de Scriptura quadam, etsi non certa, tamen non destruente fidem, &c. Et hanc traditionem seriò sequitur Epiphanius.

Traditiones ab Epiphanio opponuntur Scripturæ. *Chrysostomus.*

Theo-

Theophyl. Theophylactus verò, recitata illa traditione mox subjicit: Sed tu alteram sententiã, tanquam meliorem retine. Ita de traditione, de Zacharia patre Baptistæ, Matth. xi 23. Hieronymus dicit: Quod de Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

Quarta observatio, quòd Patres multas, aliquantò vetustiores consuetudines, cùm earum origo non facilè monstrari posset, statim ad Apostolos, quasi ab ipsis traditas, ut majore esset earum autoritas, retulerunt: quas tamen Apostolos non habere autores, ex aliis veterum scriptis liquidò probari potest.

Epiphanius cõstanter asserit, jejunium quartæ feriæ & sextæ, Ecclesiam habere ex traditione Apostolorum. Iejunium etjam quadragesimæ Ambrosius, Hieronymus, & alii tribuunt traditioni Apostolorum. Sed quid & quantum huic traditioni tribuendũ sit, manifestè potest ostendi. Apud Augustinũ enim epist. 86. Vrbicus quidam catholicam necessitatem, ut sabbato jejunetur, ex traditione Petri defendebat, qui Dominica die cum Simone mago certaturus, pridie eum ecclesia Romana jejunârit. Alii verò contradicebant, Apostolorum traditionẽ esse, non sabbato, sed sexta feria jejunare. Augustinus verò ita respondet: Est quidem hæc opinio plurimorum, quamvis eam perhibeât esse falsam plerique Romani. Quòd si respondetur, hoc docuisse Hierosolymis Iacobum, Ephesi Ioannem, cæterosq; aliis locis, quod docuit Romæ Petrus, hoc est, ut sabbato jejunetur, sed ab hac doctrina cæteras terras deviasse, atq; in ea Romã stetisse: & è contrario refertur, Occidentis potius loca non servasse quod Apostoli tradiderunt, Orientis verò terras, unde cœpit ipsum Evãgelium prædicari, in eo quod ab omnibus Apostolis traditum est, mansisse: interminabilis est ista contentio, generans lites, non finiens quæstiones. Sit ergo una fides universæ Ecclesiæ, etjamsi ipsa fidei unitas quibusdã diversis observationibus celebretur, quibus nullo modo quod in fide verum est, impeditur. Et postea dicit: Ego in Evangelicis & Apostolicis literis, animo id revolvẽs, video præceptum esse jejunium: quibus autẽ diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorũ non invenio definitum, &c. Manifesta est sententia: & tamen quia vetus erat consuetudo, multi eam ad Apostolorũ traditionem referre non verebantur. Ita Augustin. epist. 119. dicit quidem, quadragesimam jejuniorum habere autoritatem ex jejunio Mosis, Heliæ & Christi. Sed epist. 86. affirmat, quibus diebus fit jejunandum, nec à Domino, nec ab Apostolis esse definitum. Ideo epist. 119. tandem concludit: Vt 40. illi dies ante Pascha observentur, Ecclesiæ consensio roboravit. Agnoscit Lector, quomodo Patres antiquas consuetudines conati fuerint ad Apostolorum traditiones referre, aut ex Scriptura probare: & quàm incerta sit tota illa res. Ambrosius quidẽ asserit, exemplo Christi nobis indictam quadragesimam. Sed Chrysostomus homil. 47. in Matthæũ disertè hoc negat: Christus, inquiens, non jubet, ut jejunium suũ imitemur, sed inquit: Discite à me, quia mitis sum, &c.

Ambrosius.

Irenæus. Irenæus apud Eusebium lib. 5. cap. 26. scribit non tantùm de die Paschæ, verùm etjam de specie jejunii (scilicet ante Pascha) esse disceptationem. Quosdam enim unũ diẽ jejunare, quosdam plures, quosdam 40. horas, computata hora pro die. Et hæc, inquit, varietas, non nostro primùm tempore cœpit, sed multò ante nos, &c. Manifestissimũ igitur est, non verã esse assevérationem, quòd jejunium 40. dierum ante Paschã, sit traditio Apostolorum. Irenæus enim ibi dicit, de jejunio ante Pascha, fuisse ante ipsum συνήθειαν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμόν. Significat autem ἰδιωτισμὸς τάξιν τῶν ἰδιωτῶν, idiotarũ constitutionem. Et illam Irenæus dicit, nõ fuisse judicatam accuratè observandã, sed posthabitã fuisse. Hunc locum Lector diligenter observet, de vera origine jejunii ante Pascha. Et tamẽ procedente tempore, facta inde fuit traditio Apostolica: idq; à præcipuis ex Patribus.

Non igitur statim credendum est, quando Patres sine certis documentis affirmant, aliquid esse traditionem Apostolorum. Quadragesimam enim Ambrosius, Maximus Taurinensis, Theophilus, Hieronymus, & alii affirmant esse traditionem Apostolicam. Sed Socrates lib. 5. cap. 22. recitat magnam diversitatẽ jejunii ante Paschã. Romanos dicit jejunasse tres septimanas ante Paschã: Græcos & Alexandrinos, sex septimanas, alios septem: in quibus tantùm 15. dies per interstitia jejunent. Et tandem cõcludit? Quia nemo hac de re potest ostendere scriptum aliquod mandatum, ἔγγραφον παράγγελμα: manifestũ est, quòd Apostoli illud cujusq; sententiæ & voluntati liberum reliquerunt.

Epiphanius. Epiphanius cõtra Aërium, dicit extare constitutionem Apostolorum, in qua præcipiant & de diebus jejuniis, & quòd nihil accipiẽdum sit præter panem, sãlem & aquam. Sed Socrates multis ostendit, falsum hoc, & non Apostolicum esse.

Prolixus aliquantò hoc annotavi (illustre enim exemplum est) quomodo tempore Patrum, multæ observationes ornari cœperint titulo traditionum Apostolicarum, quas tamẽ ab Apostolis non fuisse traditas certum est. Nota est veterum contentio de tempore Paschatis, Romanis asserentibus, suam consuetudinẽ à Petro & Paulo traditam. Asiaticis cõtra allegantibus, se aliam traditionem accepisse à Ioanne, Philippo, Polycarpo, & aliis. Et magna acerbitate res acta fuit. Sed Irenæus apud Eusebium libr. 5. cap. 26. vocat antiquæ consuetudinis traditionem: item consuetudinem presbyterorum. Videt Lector, proximis ab Apostolorum morte temporibus, prætextu traditionum non scriptarum, excitatas in Ecclesia turbas, & antiquas consuetudines, cœpisse ornari titulo traditionum Apostolicarum: Socrates enim libro 5. cap. 22. dicit: Evangelia nõ imposuerũt jugum servitutis, sed homines ipsi, suis quisq; locis, propter remissionem & memoriam passionis, Paschã & alios dies festos, sicut voluerunt, ex consuetudine quadam celebrãrunt. Non enim hoc vel Servator, vel Apostoli, νόμῳ lege aliqua observandum esse mandârunt, nec supplicia comminati sunt. Scopus enim erat Apostolorum, non de diebus festis νομοθετῆσαι, leges ferre: sed rectam vitam, & pietatem inducere. Mi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

re. Mihi autẽ videtur, ſicut alia multa, ſecundum regiones in conſuetudinem abierunt, ita & feſtũ Paſchatis: propterea quòd nemo Apoſtolorum quicquam de illo ſancivit. Et poſtea dicit: Occidentales quidem dicunt, eſſe traditionem Petri & Pauli: Aſiatici verò, Ioannis. Sed neutra pars poteſt proponere ἔγγραφον ἀπόδειξιν, demonſtrationem ſcripto traditam.

Epiphanius. Epiphanius dicit: Synaxes ordinatæ ſunt fieri ab Apoſtolis, quarta pro ſabbato & Dominica, Sed Socrates ex varietate multorũ exemplorum, oſtendit hoc non eſſe certũ. Et recitata multa rituũ diverſitate, addit tandem memorabilẽ ſententiã: Hujuſmodi diſcrepantiæ autores eos eſſe puto, qui ſingulis temporibus Eccleſiis præfuerunt: διὰ ταῦτα παραλάβοντες, ὡς νόμον τοῖς ἐπιγινομένοις παρέγραψαν, qui verò talia acceperunt, veluti legem quãdam ex acceſſoriis iſtis ritibus conſcripſerunt. Hæc Socrates. Primò igitur fuerunt conſuetudines: deinde factæ ſunt leges: poſtea ut majorem legibus illis autoritatem conciliarent, traditionibus Apoſtolorum eas tribuerunt. Hæc ſunt manifeſta, quæ multa monẽt de traditionibus: quæ hoc nomine quaſi ab Apoſtolis acceptæ, à Patribus quibuſdã celebrantur.

Epiphanius contra Aërium, orationes pro mortuis vocat traditionem Eccleſiæ à Patribus acceptam. Illã verò Patrũ traditionem alii ornarunt, titulo Apoſtolicæ traditionis. Ita Chryſoſtomus homili. 69. Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerũt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio.

Damaſcenus Et Damaſc. inquit: Apoſtoli edixerunt in tremendis ſacramẽtis memoriã fidelium defunctorũ habendã. Sed Hieron. & Gregorius affirmãt, Apoſtolos in celebratione Euchariſtiæ, nullas alias preces præter ſolam Dominicam orationem adhibuiſſe. Vides igitur quàm certum ſit, orationes pro defunctis eſſe Apoſtolicam traditionem.

Tertullianus Tertullianus de Corona militis, recitat multas obſervationes, quas ſine ullius Scripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, exinde conſuetudinis patrocinio dicit vindicari. Et illas omnes traditiones Pontificii contendunt ſimpliciter, abſq; omni tergiverſatione, ut Apoſtolicas recipiendas. Sed Tertullianus nõ dicit, traditiones illas omnes ab Apoſtolis eſſe profectas: ſed hoc tantùm dicit, Obſervationẽ conſuetudo roboravit, quæ ſine dubio de traditione manavit, quomodo enim uſurpari quid poterit, ſi traditũ prius non eſt? Sed quæro, unde ſit traditũ? num ab Apoſtolis? Hoc certè Tertullianus non affirmat. ſubjungit enim: An nõ putas, omni fideli licere concipere & cõſtituere quod Deo congruat, diſciplinæ conducat, & ſaluti proficiat? Itẽ Salvo traditionis reſpectu, quocunq; traditore cenſeatur, &c. Poſteri verò, omnes illas traditiones ſimpliciter aſſeverârunt eſſe Apoſtolicas. Sed obſervetur, q; Tertullianus vocat traditiones, quocunque traditore cenſeantur. Ergo nõ omnes traditiones quæ apud veteres extant, ſimpliciter ſunt Apoſtolicæ. His manifeſtis exemplis ſatis, ut arbitror, oſtenſum eſt, nõ ſtatim ſimpliciter aſſentiendum, quando Patres ſine certis documentis affirmãt, aliquid eſſe Apoſtolicam traditionem: quomodo enim multas veteres conſuetudines, quæ aliã habuerũt originẽ, ad Apoſtolorum traditiones retulerint, ideo ut majorem habent autoritatem, exẽpla oſtendunt. Et in encomiis illarum traditionũ, quarum origo incerta eſt, ſunt aliquando nimium tranſcendentes apud Patres hyperbolæ: quæ ſi abſq; ulla cõmoda mitigatione, nimium urgeãtur, ipſi fidei nullo modo ſunt vel conſentaneæ, vel tolerabiles: ſicut eſt locus Baſilii de Spiritu ſancto, cap. 27. ſi tamẽ Baſilii eſt illa de traditionibus diſputatio. Eraſmus enim non ſine cauſa judicavit eſſe ſuppoſititiã. Recitat autem Baſilius ibi traditiones quaſdam: quæ licet totidem ſyllabis in Scriptura nõ ſunt poſitæ, quod tamen ad ſententiã attinet, cõſonæ ſunt teſtimoniis Scripturæ: ut confeſſionem fidei quæ fit in baptiſmo: item renunciationem ſatanæ, & doxologiã: Gloria Patri & Filio cum Spiritu ſancto, &c. Et de hujuſmodi traditionibus nõ eſt inter nos controverſia: quæ enim Scripturæ teſtimoniis probari poſſunt, libẽter recipimus. Recitat autẽ præterea alias conſuetudines ſine ſcripto (ita enim vocat) & affirmat illas ex traditione Apoſtolorum ad nos in myſterio delatas. Et illis annumerat, quæ in celebratione Euchariſtiæ, præter verba inſtitutionis & antè & poſt dicuntur. Atqui Gregorius lib. 7. epiſt. 63. inquit: Mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodò orationem Dominicam, oblationis hoſtiam conſecrarent. Affirmat præterea Baſilius, traditionem Apoſtolicam in oratione converti ad Orientem. Sed Socrates, lib. 5. cap. 22. narrat in Antiochia Syriæ, quæ celeberrima fuit Apoſtolica Eccleſia, templum habere univerſum ſitum: altare enim non ad Orientem, ſed ad Occidentem ſpectare. Sed illud forſan cum Baſilio cum aliis commune eſt, quòd antiquas conſuetudines ſine certis documẽtis refert ad Apoſtolorũ traditiones. Quòd verò addit, traditiones illas eandem habere vim ad pietatem, ſicut illa quæ in Scriptura continentur, ita ut ſi conſuetudines illæ nõ obſerventur, ipſa Evangelii prædicatio ad nudum nomẽ contrahatur: hoc, inquam, cum ipſa fide manifeſtè pugnat, illud enim de pleriſq; illis traditionibus ne ipſi quidẽ Pontificii affirmare audent. Si quis enim juxta inſtitutionem Chriſti baptiſetur, & non ter mergatur, vel non ſignetur ſigno crucis, quæſtio eſt, an baptiſma ſit vel falſum, vel vanũ? Baſilius pronunciat eandem habere vim ad pietatem, trinam merſionem, & ſignationẽ crucis, benedictionem aquæ baptiſmi, illinitionẽ olei, &c. ſicut ipſum baptiſmum. Ergo nec Chriſtus rectè baptiſatus erit, nec Apoſtoli quenquam in Actis rectè baptiſaverunt? Longobardus certè lib. 4 diſt. 3. inquit: In duobus cõſiſtit ſacramentum baptiſmi, ſcilicet in verbo & elemento: Ergo etſi alia deſint quæ ad decorem ſacramenti inſtituta ſunt, non ideo minus eſt verum ſacrãmẽtum, & ſanctum, ſi verbum ſit tibi & elementum, &c. Neminem ſanè tàm perfrictæ frontis eſſe arbitror, etiamſi Ieſuita ſit, qui affirmare auſit, eandem habere ad pietatem vim adorare in ſpiritu & veritate, & in oratione ad Orientẽ converti. Trina immerſio, verba invocationis dum panis Euchariſtię oſtenditur, prohibitio geniculationis inter Paſcha & Pentecoſten, jamdudum apud

Hyperbola Patrũ in encomiis traditionum.

Baſilij diſputatio de traditionibus.

apud ipſos Pontificios in uſu eſſe deſierunt. Univerſalis igitur illa hyperbole Baſilii, de traditionibus nõ ſcriptis, quod eandem habeant ad pietatem vim, ſicut illa, quę in Scriptura inſtituta & mandata ſunt, nullo modo poteſt conſiſtere, vel defendi, nec video, quomodo vel Andradius ſua virulenta grandiloquentia hoc tentare poſſit. Tales igitur Patrum aſſeverationes & hyperbolę de traditionibus, nõ temerè ſunt amplectendæ, ſed cum magno judicio legendæ. Et non immeritò de illo loco Baſilii, an ſit γνήσιος, Eraſmus valdè dubitat.

Quinta obſervatio eſt, quòd ex Mõtaniſtarum ſtatutis & obſervationibus multa irrepſerunt in locum communem de traditionibus. Opus igitur eſt vigilanti judicio, ne pro Apoſtolicis Montanicas amplectamur traditiones. Montanus enim amplexus eſt doctrinam veteris & novi Teſtamenti, ſed præter hæc docuit, neceſſarias eſſe etjam obſervationes à paracleto traditas, quia Chriſtus dixerit, Apoſtolos non potuiſſe omnia portare, ſed multa reſervanda fuiſſe paracleto. Ita Tertullian. Montaniſta de velandis virginibus, dicit: Lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem correctionis. Quale enim eſt, ut diabolo ſemper operante, & adjiciente cotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut ceſſaverit, aut proficere deſiterit, cùm propterea paracletum miſerit Dominus, ut quando humana mediocritas omnia ſemel capere non poterat, paulatim dirigeretur, ordinaretur, & ad perfectum perduceretur diſciplina ab illo vicario Domini Spiritu ſancto, inquit enim: Adhuc multa habeo, &c. Item, Eccleſia per Evangelium efferbuit in juventutem, nunc per paracletum componitur in maturitatem. Antiquæ igitur obſervationes, quarum apud Tertullianum ſit mentio, non ſunt omnes Apoſtolicæ traditiones, ſed multæ ex Montani paracleto profectæ ſunt. Et tamen ex Patribus etjam quidam, omnes Tertulliani traditiones pro Apoſtolicis venditant. Sed inquis: Mõtanus damnatus fuit hæreſeos. Ergo Eccleſia ipſius inſtituta non retinuit. Videamus igitur quæ fuerint Montaniſtarum diſciplinæ, inde enim conjicere poterimus, an quæ zizania inde irrepſerint in conſvetudines Eccleſiaſticas.

Apollonius apud Euſebiũ li. 5. ca. 18. de Montano dicit: Hic eſt ὁ λύσεις γάμων, qui docuit deſtructiones nuptiarum. Ita enim Tertullianus loquitur de caſtitate. Num verò Montaniſtę diſtraxerunt matrimonia jam contracta? Nequaquam, ſed quid ſit Montanica λύσις γάμων, hoc eſt, ſolutio nuptiarũ, ex Tertulliano colligitur: qui docet, paracletũ abſtuliſſe ſecundas, tertias, &c. nuptias, & ſtatuiſſe monogamiam. Præcipuè verò urget hoc Tertullianus in ſacerdotibus, inde quod Paulus dicit: Epiſcopus ſit unius uxoris vir. Et quia vera Eccleſia Paulum non ita intelligebat, inquit: Quot enim & digami præſident apud vos in Eccleſiis, nõ erubeſcentes cum hæc illis leguntur. Habes enim quid ſit Montanica deſtructio nuptiarum. Iam verò apud multos veterum, contra ſecundas nuptias, ut quas benedici noluerint, planè ſimilia leguntur. Epiphanius certè ex profeſſo diſputat, de neceſſitate monogamiæ ſacerdotum, quem ſequuntur & alii. Vnde verò hæc originem habent? Non ex Scriptura, ſed ex traditionibus. Ex quibus autem traditionibus? Num Apoſtolicis? Ita quidem Pontificii contendunt, ſed collatio Tertulliani oſtendit, eſſe reliquias conſtitutionum Montani.

Montanus.

Ex Montani traditionibus quædã apud Pontificios adhuc reſidua.

Pertinet & hoc ad Montanicas deſtructiones nuptiarum, quòd Tertullianus in libro de exhortatione ad Caſtitatem diſputat, matrimonium eſſe ex indulgentia, voluntatem verò Dei eſſe ſanctificationem, juxta dictum: Eſtote ſancti, ſicut ego ſanctus ſum. Sanctificationis verò has numerat ſpecies: I. virginitatem ex nativitate. II. virginitatem ex lavacro, quæ aut in matrimonio purificat ex compacto, aut in viduitate perſeveret ex arbitrio. III. gradus eſt, cùm poſt matrimonium unum interceptũ, exinde ſexui renunciatur. Diſputat etjam de eo, quòd matrimonium permittitur. Quòd verò permittitur, non ex mera & tota voluntate, ſed quaſi de invita venit voluntate. Illud etjam, Melius eſt nubere quàm uri, contendit pertinere ad eos, qui ſunt nupti vel vidui, & idem eſſe ac ſi diceretur: Melius eſt uno oculo carere, quàm duobus. Non ergo bonum eſt nubere, ſed genus mali inferioris. Et diſputat, illud eſſe conſilium Pauli, ut hominis, non autem Dei præceptum. Objicit etjam ſibi: Ergo, inquis, jam & primas nuptias deſtruis. Reſpondet autem: Nec immeritò, quoniam & ipſę ex eo cõſtant quod eſt ſtuprum. Et propter illam ſtupri affinitatem, optimum eſt mulierem non tangere. Ibidem etjam diſputans contra primum & ſecundum matrimonium, allegat hæc dicta: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus. Cum ſancto ſanctus eris. Secundum carnem ſapere, mors eſt, ſed ſecundum ſpiritum, vita eſt.

Hęc ideò adſcripſi, ut lector obſervet, eandem planè ſententiam, & eadem omnino verba extare in Pontificiorum diſputationibus de cœlibatu. Quod ſi itaq; cõtendunt eſſe traditiones, cor cedimus hoc, ſed oſtendimus, non Apoſtolicas, ſed Montanicas eſſe traditiones.

Alterum eſt quod Apollonius Montano tribuit, hoc eſt, ὁ ὑπεῖκας νομοθήσας, qui leges jejuniorum præſcripſit. Num verò error Montani fuit, quòd docuit eſſe jejunãdum? Nequaquam. Auguſtinus enim rectè dicit: Ego in Evangelicis & Apoſtolicis literis video præceptum eſſe jejunium. Sed de tempore, ſpecie, ſeu modo jejunii, Montanus fecit conſtitutiones, eaſq; non ordinis tantùm gratia, ſed opinione neceſsitatis & cultus. Hanc enim eſſe vim & ſignificationẽ verbi νομοθετεῖν manifeſtè colligitur ex Socrate libro 5. cap. 22. quando ſcilicet non relinquitur cuiuſq; ſententiæ & voluntati liberum, ſed fertur lex neceſsitatis, additis comminationibus peccati & pœnarum, ſi non hoc modo obſervetur. Nonne verò in toto Papatu talis jejuniorum legiſlatio eſt? Et ex Epiphanio quidem proferunt eſſe traditionem Apoſtolicam: ſed Socrates (ſicut ſupra oſtendimus) hoc diſertè negat. Quando verò inquirimus primam illarum legum originem, invenimus zizania illa, paulatim ex Montani ſeminariis in Eccleſiaſticas conſvetudines irrepſiſſe.

Traditiones Pontificias de ieiunio ex Montanicis erroribus fluxiſſe.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et ut tota hæc res eò sit manifestior, adscribã locum ex libro Tertulliani, de jejunio, ubi narrat, Montanistas à Catholicis propter has causas reprehensos: Arguunt, inquit, nos, quòd jejunia propria custodiamus, quòd stationes plerunque in vesperam producamus, quod etiam xerophagias observemus, lavacri quoque abstinentiam. Novitatem igitur objectant, de cujus illicito præscribant. Et veræ Ecclesiæ sententiam, contra Montanistas ita recitat: Statos dies jejuniorum, in legalibus & Propheticis vetustatibus jam abolitos: itaque de cætero indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus & causis uniuscujusque: sic & Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum, & in commune obeundorum jejuniorum. Proinde nec stationum, quæ & ipsæ suos quidem dies habeant quartæ feriæ & sextæ, passivè tamen currant, neq; sub lege præcepti. Xerophagias verò novum affectati officii nomen, & proximum ethnicę superstitioni: cùm fides libera in Christo, ne Iudaicæ quidem legi abstinentiam quorundam ciborum debeat, semel in totum macellum admissa, ab Apostolo de testatore eorum, qui sicut nubere prohibeant, ita jubeant cibis abstinere à Deo conditis, & ideo nos (Montanistas) jam tunc prænotatos in novissimis temporibus, abscedentes à fide, intendentes spiritibus mundi seductoribus, doctrinis mendaciloquiorum. Sic & cum Galatis nos percuti, ajunt observatores dierum, mensium & annorum. Iaculantur interea, Isaiam pronunciasse, Dominum elegisse non abstinentiam cibi, sed opera justitiæ, & ipsum Dominum in Evangelio ad omnem circa victus scrupulositatem, compendio respondisse, non his coinquinari hominem, quę in os inserantur, cùm & ipse manducaret & biberet, usque in notationem: Ecce homo vorator, & potator. Sic & Apostolum docere, quòd esca nos Deo non commendet. Et addunt: In duobus præceptis caritatis, tota lex pendet, & Prophetæ, non in pulmonum & intestinorum meorum inanitate, &c. Ita Tertullianus describit, quid in Montanistarum jejuniis Ecclesia tũc reprehenderit, & quibus argumentis contra ipsorum hypocrysin certarit. Quem locum ideò annotavi, quia & apud Patres quosdã, præcipuè verò apud Pontificios, illa nunc ornantur titulo Apostolicarum traditionum. Lector autem ex hac Tertulliani narratione manifestissimè agnoscit, esse Mõtanicas institutiones, quæ principiò ab Ecclesia vera graviter fuerunt reprehensæ & refutatæ, sed postea blandiente hypocrisi, sensim cœperunt in ipsam Ecclesiam irrepere. Postea verò accesit titulus Apostolicarum traditionum, sed falsò, sicut hæc Tertulliani descriptio ostendit. Hunc igitur locum lector diligenter observet, multa enim inde dijudicare poterit.

Tertulliani Montanismus.

Tertullianus in libro de pœnitentia à Montano habet, quòd unicam tantùm pœnitentiam, post Baptismum concedit. Sed hoc dogma Clemens Alexandrinus titulo Apostolicæ traditionis ornat.

Tertullianus de resurrectione carnis, ceremonias circa Baptismum recitat, unctionem, signationem crucis, & manus impositionem. Nec tantùm decorum & significationes, sed spiritualem efficaciam ipsis tribuit, inquit enim: Caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur. Et hæc esse Montanica, vel inde colligitur, quòd in illo ipso loco addit et jam ξηροφαγίας, sordes corporis, & monogamiam, quæ Montanica esse, certum est. Sed ubi extat mandatum & promissio de illis signis, & spirituali ipsorum efficacia? Tertulliani responsio est, in libro Corona militis. Paracletum ideo post Apostolos missum esse, ut disciplinam ordinaret, & ad perfectum perduceret. Cyprianus, Tertulliani nimium studiosus, ex Montani officina hausit, quòd anabaptismum suum stabilire conatur ex hujusmodi observationibus. Oportet, inquit libr. 1. Epistol. 2. mundari & sanctificari aquam prius à sacerdote, ut possit Baptismo suo, peccata hominis, qui baptisatur, abluere. Quomodo autem aquam mundare & sanctificare potest, qui ipse immundus est? Vngi quoque necesse est eum, qui baptisatus est, ut accepto chrismate, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.

Et Cornelius apud Eusebium li. 6. cap. 33. narrat, Novatum in morbo in lecto baptisatum. Et addit: Si tamen accepisse dicendus est. Neq; enim reliqua consequutus est, quorum oportet participem fieri secundum Ecclesiæ Canonem, neque obsignatus est ab Episcopo. Cumq; hæc consecutus non sit, quomodo Spiritum sanctum potuit consequi? Hæc sententia nimium montanizans, postea correcta est, sicut manifestè disputat Hieronymus contra Luciferianos, in vero Baptismate tribui Spiritum sanctum, et jamsi non accedat impositio manus per Episcopum. Et Longobardus libr. 4. dist. 3. dicit: In duobus consistit sacramentum Baptismi, scilicet verbo, & elemento. Ergo etsi alia desint, quæ ad decorem sacramenti instituta sunt, non ideò minus est verum Sacramentum & sanctum, si verbum sit ibi, & elementum, &c. Et tamen de reliquiis illarum observationum, tanta contentione Pontificii nunc pugnant, sub titulo & prætextu traditionum Apostolicarum, quarum tamen qualis sit origo, ex Tertulliano & Cypriano æstimari potest. Apud Irenæum enim, talium traditionum nulla planè fit mentio, sed de sectatoribus Marci hæretici dicit, quòd ungant Initiatos suos succo Balsami, sicut Heracleonitæ ungunt suos morientes, & sic redimunt illos.

Longobard.

Innocentius, extra de sacra unctione, fatetur Pontifices apud Græcos, quando consecrantur, non solere inungi. Monet igitur, ut morẽ quem Romana Ecclesia servat, imitentur. Et cùm multa de omnibus generibus unctionum disputasset, tandẽ concludit: Non judaizat Ecclesia, cùm unctionis celebrat Sacramentum, sicut antiqui mentiuntur. Audis, antiquos reprehendisse unctionem judaizantes.

Innocentius.

A Montanistis habuit Cyprianus, quòd docet absolutionem non valere, nisi persolutis satisfactionibus Canonicis, ut in sermone de Eleemosyna disputat, peccata quæ ante baptismũ committuntur, Christi sanguine & sanctificatione dimitti,

Cyprianus.

dimitti, quæ verò postea committuntur nostrorum operum sacrificiis purganda esse. Sed cùm apud posteros, cumulatis Canonibus pœnitentialibus, dogma illud pugnans cum Scriptura subsistere non posset, relaxari per indulgentiam primum fuerunt Canones pœnitentiales, postea planè interciderunt. Et tamen de satisfactionibus jam nobis pugnandum est. Cumq; nulla amplius opus esset relaxatione Canonum pœnitentialium, infecta fuit nundinatio indulgentiarum Pontificiarum. Et hæc omnia, si dis placet, jam quasi Apostolicæ traditiones venditantur. Sed res omnis ex vera origine rectissimè dijudicatur.

Non igitur terrere nos debet titulus traditionum Apostolicarum, quãdo nullo Scripturæ testimonio probari possunt, quæ enim zizania, & unde irrepserint in Ecclesiam, sub titulo & prætextu traditionum, exemplis quibusdam monstratum est, præcipuè verò traditiones quę apud Tertullianum extant, quæ ex Scriptura probari non possunt, propter Montanismum suspectæ esse debent.

Traditiones Papisticæ.

Quintò est hoc diligenter considerandum, quòd Pontificii tot ac tales habent traditiones pro quibus dimicant, quarum testimonia ne ex veterum quidem probatis scriptis ulla possunt proferre, sed coguntur vel comminisci, vel usurpare apocrypha, adulterina & supposititia scripta, sub confictis veterum titulis. Et hæc observatio rectè considerata, ostendet quantum sit fidei tribuendum plerisque Pontificiis traditionibus. Andradius Ignatii verba, quæ extãt apud Eusebium, manifesta falsatione depravat, quasi Ignatius senserit, præter Scripturam alias etjam Apostolorum traditiones ad perficiendam Christianam religionem valdè esse necessarias, cùm Euseb. lib. 3. ca. 35. hoc tantùm dicat, quòd Ignatius per Asiam proficiscens Romam ad Martyrium cohortatus sit Ecclesias, ut caverent hæreses, recens tunc exortas, & ab hærerent Apostolicæ traditiõ. Et addit, ἀνυπερθέσφαλείας κράτος, ἀδαμαντυρομένος δ' ἰσχυροσθενεῖ πίστει προσήγετο, hoc est, Cùm jam ad martyrũ duceretur necessarium judicavit, Apostolicã traditionem cautionis gratia, etjam scripto exarandam seu exprimendam esse. Audis, cùm sub titulo traditionum, non scriptarum multa peregrina & falsa obtruderentur Ecclesiis, Ignatium judicasse necessariam esse scriptam demonstrationẽ, quæ traditiones verè essent Apostolicæ.

Hieronymus.

Hieronymus dicit, etjam Egesippum scripto complexum traditiones Apostolicas. Quæ scripta de traditionibus Apostolorum, Deus intercidere non fuisset passus, si tam fuissent ad Ecclesiæ salutem necessaria, sicut ipsa Scriptura canonica, quam valde mirabiliter Deus inter tot atrocissimas persecutiones, hæreses & corruptelas, integram conservavit. Verisimile autem est, scripta illa Ignatii & Egesippi, si extiterunt, neglecta, & tandem suppressa fuisse à magistris ceremoniarum, qui viderunt traditiones Pontificias indu non stabiliri, sed magis traduci, utpote Apostolicis non similes sed contrarias. Aliud igitur artificium excogitatum fuit, ut scilicet sub veterum titulis, scripta supposititia, vel fingerentur, vel conficta usurparentur, vel si qua extabant, transformarentur ad statum regni Pontificii stabiliendum. Et hujus artificii quædam tantùm exempla annotabo.

Extant in Tomis Conciliorũ epistolæ, & multa prolixa scripta primorum & vetustissimorum Pontificum, quorũ & eruditio & pietas celebris fuit. In illa scripta, totum statum regni Pontificii, qualis nunc est, infarserunt tam impudẽter, ut fraus manifestè appareat, quòd sint cõficta & supposititia. Erasmi judicium de Epistolis illis notum est. Extant & aliorum judicia, qui & ex Phrasi & circumstantiis temporum, & ex rebus ipsis adulterationem demonstrant. Adscribam igitur tantum Nicolai Cusani judicium, quod ut à Cardinale profectum, repudiare nõ poterunt, Inquit igitur libro 3. de Concordantia Catholica, capit. 2. Sunt, meo judicio, illa de Constantino apocrypha, sicut etiam fortasis quædam alia, longa & magna scripta, sanctis Clementi & Anacleto Papæ attributa. Si quis illas Scripturas diligenter perlegeret, & eorum tempora ad eorum scripturas applicaret, ac deinde opusculis omnium Patrum, qui usq; ad Augustinum, Hieronymum & Ambrosium fuerunt, ac etjam de gestis Conciliorum, vbi authentica scripta allegantur, usum & memoriam haberet, hoc inveniret, quia nec in illis omnibus Scripturis, de illis præfatis epistolis mentio habetur, & etjam ipsæ Epistolæ applicatæ ad tempus eorum sanctorum, seipsas prodeunt, &c. Hæc Cusanus Cardinalis. Et tamen ex illis commentitiis Epistolis, præcipuas traditiones, quas nullo Scripturæ testimonio probare possunt, defendere & stabilire conantur Pontificii.

Clementis Romani scripta, præter Epistolam ad Corinthios, jam Eusebii tempore adulterata fuisse, notum est. Et postea distinct. 15. cap. Sancta Romana, inter apocrypha relata sunt. Iam verò multa sub Clementis nomine edita extant, & quotidie nova extruduntur, quæ corruptelis, abusibus & superstitionibus Pontificiis pallium Apostolicarum traditionum obducere conantur. Indeenim Andradius aquam & salem benedictum probare contendit, esse Apostolicæ institutionis.

Legendæ Sanctorum.

Legendæ Sanctorum, propter nimis palpabilem impudentiam, jam & doctis & vulgo sordere cœperunt. Fingitur itaq; nuper inventum esse valdè vetustum scriptum, de vitis Apostolorum: cujus autorem fecerunt Abdiam Babylonicum, quidam disputant, esse Iulii Africani, quod tamẽ in tota antiquitate, nullum verum habet testimonium. Ibi Thomas post mortem apparet, & concionatur: ibi Matthæus 200. virgines consecrat, & velamen eis imponit, & quidem ideò interficitur, quòd doceret, virginem Christo consecratam, non licere regi nubere. Docet etjam ibi meritis eundem esse in cœlum. Matthæus etjam ibi instituit jejunium quadragesimale, & certorum temporum, interdicit etjam certis diebus esum carniũ. Ibi Andreas inquit: Et pro mortuis obtinemus pietatem tuam Domine. Docetur etjam ibi, Andream post mortem invocandũ, ut misereatur meretricis cujusdã. Ibi Thomas matronas quasdam ad Christũ conversas hortatur,

Fictitiũ scriptum de vitis Apostolorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ut deserta conjugali consvetudine, perpetuam castitatem voveant. Ibi etiam traditur Christum quosdam, qui nuptias celebrabant, per apparitionem à consvetudine conjugali revocasse ad cœlibatum. Ibi Ioannes probat factũ Crusianę, quòd citra viri cõsensum, votum cœlibatus emiserit. Ibi Ephesini ædificant basilicam in nomine Ioannis, quam ei adhuc vivo dedicant: cùm Augustinus dicat: Nos templa non extruimus sanctis, &c. Et talia impudentissima mendacia, titulo traditionum Apostolicarum conficta, volunt nos pari pietatis effectu & reverentia suscipere & venerari, sicut ipsam Scripturam sanctam.

Templa.

Martialem dicunt fuisse unum ex 70. discipulis, ejus jam Epistolæ aliquot feruntur, ignotæ Eusebio, Hieronymo, Gennadio, &c. In quibus multa non incommodè dicta sunt. Miscentur tamen quædam titulo traditionum, quæ se produnt, quòd non sint Apostolica, ut quod dicit, cùm altaria dæmonũ destruerentur, aram ignoti Dei reservatam, & dedicatam in nomine DEI & Stephani. Item quòd dicit, per signum crucis baptisma sanctificari. Dicitur ibi: Valeriam licet esset sponsa regis, tamen per prædicationẽ Martialis adductam, ut voveret virginitatem mẽtis & corporis, & ideò decollatam. Dicitur etiam ibi princeps Tholosanus, propter prædicationem Martialis, copulam carnalium nuptiarum devitasse. Dicit etiam ibi Martialis, necessarium esse aliquid aliud scribi, quàm quod scriptum est in sacris literis, cùm apud Eusebium lib. 5. cap. 16. & apud Nicephorum libr. 4. capit. 23. Apollinarius scribens contra Montanum, asserentem multa prẽter vetus & novum Testamentum, ad religionem necessaria esse, modestissimè dicat: Nõ scripsi hactenus, non quod veritati testimonium dare nequiverim, sed quòd timui, ne quibusdã ad Evangelii ac novi Testamenti libros aliquid scriptione mea superaddere viderer, quibus nec adjici quicquam, nec adimi potest ab eo, qui vitam secundum Evangelium instituere cupit. Cõservet lector hoc veteris Ecclesiæ testimonium, de libris novi Testamenti.

Puriorie antiquitatis, de libris novi Testamenti censura.

Hæc exempli tantùm gratia recitavi, ut lector conslideret, qua fide Pontificii tractent locum communem de traditionibus, quibus tamen generale annectunt decretum, ut pari reverentia & pietatis affectu suscipiamus & veneremur somnia & mendacia sicut ipsam Scripturam divinitus inspiratam. Ignatii Epistolas extitisse, non tantum Eusebii, verumetiam Hieronymi adhuc tempore certum est, feruntur nunc Latinè, sunt editæ etiam Græcè, & multas habent non contemnendas sententias, præsertim sicut Græcè leguntur. Admixta verò sunt & alia, non pauca, quæ profectò non referunt gravitatem Apostolicam. Adulteratas enim jam esse illas epistolas, vel inde colligitur. Theodorus ex Epistola ad Smyrnenses, citat Ignatii sententiam contra hæreticos quosdam, Eucharistiam & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur, Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Iesu Christi quæ pro peccatis nostris passa est, quam pater sua benignitate suscitavit. Et illam sententiam Vuilhelmus Vuideford, anno 1396. adhuc legit in Epistola illa Ignatii. Sed nunc nec in Græca nec in Latina Ignatii epistola ad Smyrnenses, nec in aliis legitur.

Hieronymus 3. dialog. contra Pelagianos dicit: Ignatius, vir Apostolicus & martyr, scribit audacter: Elegit Dominus Apostolos, qui super omnes homines peccatores erant. Sed illam sententiam, Ignatii epistolæ, quæ nunc extant, non habent.

Hieronymus.

Apostoli peccatores.

Et qui Græcas illas epistolas edidit, annotat, multas sententias, & aliis pluribus verbis ex Ignatio à veteribus citari, quàm nunc extent & ferantur. De Epistolis igitur illis Ignatii, quæ nunc eius titulo feruntur, meritò dubitamus, transformatæ enim videntur in multis locis ad stabiliendum statum regni Pontificii. Et divinitus judico esse factum, quòd adulterina quædã assumenta suo se indicio prodant. Nam in Epist. 5. ad Philippenses, ita hodie legimus: Quicunq; Dominicam aut sabbathum jejunaverit, ipse est Christi interfector. Quicunque cum Iudæis Pascha egerit, comparticipabit eis, qui Dominum & Apostolos ejus occiderunt. Sed hęc esse supposititia, non est dubium. Omninò enim contrarium de Apostolis dicunt Augustinus ad Casulanum, & Socrates lib. 5.

Quid igitur de illis quæ scripturæ testimonia non habent, & ex illis Ignatii epistolis, tanquam traditiones Apostolorum citantur, sentiendum sit, non est obscurum.

Hieronymus Ignatii epistolis, cùm adhuc integræ & genuinæ essent, nõ tribuit autoritatem canonicam. Nam libr. 3. contra Pelagianos, cùm ex Ignatio, & ex Evangelio secundum Hebræos quædam citasset, inquit: Quibus testimoniis si non uteris ad authoritatem, utere saltem ad antiquitatem, quid viri Ecclesiastici senserint, &c. Quid ergo nunc, quales hodie sunt adulteratæ, illis tribuendum erit, præsertim quando ea, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt, inde stabilire conantur Pontificii? Ita omnium fermè Patrum scriptis, supposititia quædam sub ipsorum nominibus admixta sunt. Et ex illis omnium libentissimè Pontificii testimonia citant.

Et quis erit sanæ mentis, cui non meritò suspectum habeatur totum negocium de traditionibus non scriptis, sicut à Concilio Tridentino proponitur? Cùm videat Pontificios, suas illas traditiones non posse aliter retinere & stabilire, nisi falsa & supposititia scripta, vel ipsi fingant, vel ab aliis conficta proferant, & genuina veterum scripta, vel adulterent, vel adulteratis utantur, sicut exemplis quibusdam ostendimus.

Postremò, multa monebit Lectorem & hæc observatio, quòd Pontificii non verentur multa ad Apostolorum traditiones referre, quæ ab aliis autoribus multò posterioribus instituta & profecta esse, ex ipsis Pontificiorum Scriptoribus ostendi potest. Fumi igitur sunt, quos sub titulo Apostolicarum traditionum, vendunt rudioribus.

Extra de celebratione missarum, capit. Cùm Marthæ, Archiepiscopus quidem Lugdunensis miratur

miratur quòd aliquis in Canone Missæ tentaverit asseverare, Christũ plus dixisse, quàm aliquis Evangelistarum asseveret, nempe: Hic est calix novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, &c. Huic respondet Innocentius: Multa ab Evangelistis omissa, quæ Apostoli postea vel verbo supplevérunt, vel facto expresserunt. Sed scriptores Pontificii annotarunt, à quibus Romanis Pontificibus verba illa sint adjecta. Glossa igitur nihil dissimulans, apertè fatetur: Multa servat Ecclesia, quæ ab Apostolis non sunt tradita, tamen cùm sint longa consvetudine approbata, non sunt minoris autoritatis.

Canon Missæ.

Totum Canonem Missæ, cum reliqua theatrica pompa, esse ex Apostolica traditione, si quis vel dubitare se ostenderit, anathemate percellitur. Sed ex Pontificis Scriptoribus ostendi potest, ultra sexcentos annos Romanos Pontifices addendo laborasse, donec ex variis sutelis consarcinatum idolum Missæ Pontificiæ absolveretur. Et quidem in historiis, de singulis Missæ & Canonis particulis ostenditur, quos autores, & quibus temporibus habuerint. Nunc verò si dis placeat, tanquam articulum fidei credere debemus, illa omnia ab ipsis Apostolis instituta & tradita fuisse: cùm ipse Platina affirmet, Apostolos sola oratione Dominica ad verba institutionis usos, in celebratione Eucharistiæ. Et Gregorius asseverat, canonem paulò ante sua tempora, à scholastico quodam compositum esse. Quomodo igitur ab Apostolis traditum esse potest, quod per 600. annos, tam varios originis suæ autores, sive mavis sutores habuit?

Alexander Aquam vino esse admiscendam, in celebratione Eucharistiæ statuit, idem aquam & salem benedictum instituit.

Telesphorus jejunium quadragesimale instituit.

Hyginus chrisma instituit, & dedicationem templorum; quod Polydorus Pio tribuit, qui primum Christianorum templum publicè consecravit S. Prudentianæ.

Calistus jejunia quatuor temporum instituit.

Felix altarium consecrationem instituit.

Sylvester confirmationem puerorum invenit, chrisma Episcopis attribuit.

Felix IIII. instituit, ut infirmi ante obitum ungantur.

Syricius memoriam & invocationem Sanctorum, Missæ addidit.

Pelagius memorias mortuorum anniversias Missæ adjecit.

Et summa, de singulis Pontificibus ordine possent ex historiis talia commemorari. Nobis sufficit exemplis quibusdam monstrasse, ea, quæ Pontificii hodie nõ verentur ad ipsos Apostolos, tanquam ab ipsis tradita & instituta referre, longè alios habere autores, & multò posteriores Astolis. Idq; probari ex illis historicis, qui regno Pontificio addicti fuerunt. Ita tempore Augustini, incerta & dubia erat opinio de purgatorio: nunc verò facta est indubitata & certissima Apostolorum traditio. Hanc recitationem, de traditionibus Pontificiis, simplici ordine distribuere volui, ut lector eò rectius considerare possit,

Commẽtum de Purgatorio.

quale pandocheum corruptelarum & superstitionum, sit decretum illud Tridentinæ Synodi, quod jubet nos sine scripto traditiones pari pietatis affectu & reverentia suscipere & venerari, sicut ipsum verbum Dei in sacris literis comprehensum.

Vt igitur locum hunc de traditionibus concludam, ostendimus, nos non simpliciter omnes traditiones rejicere, quæ hoc titulo & nomine apud veteres celebrantur. Quæ enim aut in Scriptura continentur, aut Scripturæ consentaneæ sunt, illas non improbamus. Sed de illis potissimum traditionibus quæstio est, quæ (sicut Andradius inquit) nullo Scripturę testimonio probari possunt. In illis non sufficit simplex asseveratio, quòd sit Apostolica traditio, ostendimus enim multiplices in hoc genere cùm bonorum quorundam lapsus, tum malorum impostura. Nec sufficit, si ex Patribus aliquis dicat esse traditionem ab Apostolis profectam. Nam & illos hoc titulo & prætextu sæpe falsò fuisse, aliquot exemplis ostendimus. Optimum igitur & tutissimum est consilium, sicut Irenæus dicit, quæ Polycarpus ex traditione commemoraverat, fuisse omnia sanctis Scripturis consentanea. Et sicut Socrates inquit: Cùm variæ jactarentur Apostolorum traditiones, quia non poterat ostendi ἐγγραφος ἀπόδειξις, demõstratio ex scripto: ideò judicatum fuisse, Apostolos nihil de talibus rebus statuisse. Maneat igitur quòd Hieronymus dicit, ut gladius verbi Dei percutiat omnia, quæ sine autoritate & testimoniis Scripturarum tanquam traditione Apostolica proponuntur.

Et quia ostendimus veteres quando de traditionibus, sine scripto loquuntur, non propriè de dogmatibus quibusdam fidei, sine Scripturæ testimonio credendis loqui, sed præcipuè de ritibus quibusdam, sive observationibus, quę non habent expressum in Scriptura mandatum, quęret forsan Andradius, an simpliciter omnes tales ritus improbemus & damnemus? Et licet nostri instituti non sit disputationem de adiaphoris nunc explicare, breviter tamen respondeo, Ritus qui Scripturæ sunt consentanei, rectè retineri, qui verò cum Scriptura pugnant, justo judicio, & nulla temeritate rejici & aboleri. Quod si de adiaphoris ritibus, qui cum Scriptura non pugnant, quæstio est, simplex & plana est responsio: Si non proponantur cum opinione necessitatis, cultus & meriti, sed tantum ut ordini, decoro & ædificationi serviant, & cum Christiana libertate non pugnent, posse de illis statui, prout Ecclesiæ ædificationi videbitur cõvenire, fides enim non est alligata ad certos ritus, extra verbum Dei institutos, sed est libera, in qua tamen libertate, ratio habenda est scandali, & eorum, qui in fide sunt infirmi. Sed his omnibus, quantumvis æquis, & Scripturæ consentaneis conditionibus, adversarii non sunt contenti: sed quando amplius nihil possunt, tuentur se patrocinio antiquitatis, & longæ consvetudinis. Respondemus igitur ex ipsorum iure, dist. 8. Consvetudo sine veritate, vetustas erroris est. Nemo consvetudinem rationi & veritati opponat, quia consvetudinem ratio & veritas semper excludit.

Traditiones veterum.

Ritus Ecclesiastici.

Augustinus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augustinus in quæstionibus veteris & novi Testamenti dicit: Si ad solam longam consvetudinem, vel ad antiquitatem respiciendum est, possunt & homicidæ, & adulteri, & similes flagitia sua ita defendere, quia antiqua sunt.

Hanc disputationem de Scriptura, & de traditionibus, prolixius aliquanto quàm instituta examinis ratio ferat, tractavi. Video enim Pontificios in illa disputatione, quasi arcem totius suę causæ collocare, & ea rectè explicata, facilior jam progressus erit in reliquis, in quibus quoad ejus fieri poterit, brevitati studebo. Integræ enim & justæ explicationes, in aliis nostrorum scriptis extant, quas non est animus retexere. Reliqua igitur Tridentinæ Synodi decreta ita examinabimus, ut declarationem, quomodo pleraque in decretis illis intelligenda sint, adversarii mei Andradii explicationes nobis submini-strent.

DE PECCATO ORIGINALI.

PRIMVM DECRETVM QVINTAE Sessionis Tridentini Concilii, 17. mensis Iunii, 1546. celebratæ.

Vt fides nostra Catholica, sine qua impossibile est placere Deo, purgatis erroribus, in sua synceritate integra & illibata permaneat, & ne populus Christianus, omni vento doctrinæ circumferatur, cùm serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hostis, inter plurima mala, quibus Ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali, eiusq; remedio, non solum vetera, sed etiam nova dissidia excitaverit, sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ sedis legatis, iam ad revocandos errantes, & nutantes confirmandos accedere volens sacrarum Scripturarum, & sanctorum Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia, & ipsius Ecclesiæ iudicium & consensum sequuta, hæc de ipso peccato originali statuit, fatetur ac declarat.

Si quis Adam primum hominem non confitetur, cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & iustitiam in qua positus erat, amisisse, incurrisseq; per offensam prævaricationis huiusmodi, iram & indignationem Dei atque adeò mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus & cum morte captivitatem, sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, Diaboli, totumq; Adam, per illã prævaricationis offensam, secundum corpus & animam, in deterius commutatum fuisse, anathema sit.

Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, acceptam à Deo sanctitatem & iustitiam quam perdidit, sibi soli, & non nobis eum peredidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit, cùm contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Christi Iesu Domini nostri, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio & redemptio, aut negat ipsum Iesu Christi meritum, per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ rité collatum, tam adultis quàm parvulis applicari, anathema sit, quia non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Vnde vox illa: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et illa: Quicunq, baptisati estis, Christum induistis.

Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptisandos negat, etiamsi fuerint à baptisatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari, ad vitam æternam consequendam, unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit, quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in homines omnes mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa, semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, ex traditione Apostolorum, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideò in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

EXAMEN.

Pleraque hujus Decreti verba, ex purioris antiquitatis scriptis transsumpta, & Scripturæ consentanea sunt. Nec sanè propter nostras Ecclesias opus erat hoc decreto, certamina enim quæ de peccato originali ab Anabaptistis & aliis phanaticis nostro tempore mota fuerunt, summa diligentia à nostris explicata & refutata sunt. Sicut igitur ea, quæ mediocriter, commodè & rectè dicta sunt, simpliciter accipere, nec Sophisticis cavillationibus exagitare decet, ita nihil sanè scrupulosius, in hoc decretum de peccato originali inquireremus, sed Andradius, cui secretiora Concilii Tridentini mysteria nota & perspecta sunt, ex illis aliquid prodit, quod ego sanè pro mea simplicitate in isto decreto nõ potuissem observare, cujus tamen observatio, multa nos docebit de artificiis Tridentinæ Synodi. Dicit enim: Cùm Theologi laborent, ut explicent, quomodo transgressio Adæ in nobis peccati rationem habeat, peccatoresq; nos efficere potuerit: Concilium Tridentinum, cùm definiret peccatum originis, verè esse peccatum unicuique proprium, illius tamen propriam rationem consulto silentio involuisse, & ita liberum cuique reliquisse opinari. Et postea dicit: Cùm igitur quæ sit peccati originis ratio atque definitio, non inter hæreticos modò, sed inter Catholicos

Andradius.

tholicos etjam in quæstione versetur, & ancipiti contentione in contrarias sententias omnes distrahantur: Concilium Tridentinum, sicut & alia quædam Concilia, cùm definierint omnes trahere originis peccatum ex Adamo, quidnam illud peccatum sit, consulto prætermerunt, & missum fecerunt. Opinãdi igitur nobis libertatem reliquerunt. Hæc Andradius. Ne verò lector existimet, Andradium velle hoc de peccato originis dicere, quod David inquit: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, seu quod Ieremias dicit, pravum hominis cor, & inscrutabile esse, explicandum est quid illud sit, quod ait Concilium Tridentinum, consulto involvisse silentio.

PONTIFICIORVM SENTENTIA DE *peccato originis.*

Scholastici Scriptores quidam disputant, peccatum originale tantùm esse nudam privationem, & non positivam aliquam pravitatem hærentem in natura humana, amissa enim justicia originali, naturalia tamen in homine manssisse integra. Alii disputant, fomitẽ peccati tanquam morbidam qualitatem hærere tantùm in carne, quę inclinet appetitum sensitivum, & mediante eo, etjam voluntatem inclinet ad inferiora. Quidam fomitem ponunt in appetitu sensitivo, & sentiunt superiorem portionẽ rationis ab omni deprauatione immunẽ, liberam & integram esse, nisi quod aliunde paululum inclinari possit ad inferiora. Et multi disputant, fomitem illum non esse de ratione peccati originalis. Sunt qui opinantur, peccatum originale nec privationẽ, nec positivam aliquam pravitatem esse in homine, sed tantum reatum, propter lapsum Adæ sine pravitate aliqua hærente in nobis. Quærimus jam quid Tridentinum Concilium de illis opinionibus statuerit. Ego sanè judicarem prophanas illas opiniones, in verbis Decreti improbari. Sed Andradius interpres Concilii, dicit, Decretum illud eo artificio compositum, ut nec illæ, nec similes opiniones Pontificiorum Theologorum, de peccato originali damnarẽtur, sed liberrimæ relinquerentur. Et hoc Lector benè observet.

Pighii disputatio de peccato originis.

Veniamus nunc ad nostri quædam temporis certamina. Albertus Pighius post colloquium Vuormaciense, anno 1542. edidit satis prolixum scriptum de peccato originis, in quo in summa, sententiam suam ita explicat: Tria de peccato originis in Ecclesia definita esse: 1. quod sit. 2. unde sit, ex propagatione scilicet ab Adam. 3. qui sint ejus in nobis effectus. Quid verò sit peccatum originis, & in quo consistat ejus propria ratio, Ecclesiastica definitione certum non esse. Atque ideò acerbè damnat Augustanam confessionem, quòd voluerit tradere definitionem peccati originalis. Et ordine conatur ostẽdere, omnes omnium sententias de definitione peccati originalis, certò & evidenter falsas esse. Augustini enim sententiam, quòd peccatum originale sit concupiscentia, certò esse falsam, ita probat, peccatum enim esse non potest sine lege, cujus sit transgressio. Sed parvuli quia rationis usu destituti sunt, lege obligari non possunt. Itẽ, Illud quod prorsus vitare non possumus, quod necessariò & inevitabiliter nobis inest, nec à nobis, sed ab alio nobis inest, lege interdici non potest. Concludit igitur, concupiscentiam originalem, nec in parvulo, nec in adulto, nec ante nec post Baptismum, propriè & verè esse peccatum, quia resultet ex compositione & temperatura partium corporis humani. Deinde conatur etjam probare, carentiam justiciæ originalis debitæ inesse, non habere rationem peccati, sive in parvulis, sive adultis. Quia inquit, nulla lex Dei proferri potest per quam obligentur omnes habere originalem illam justiciam, quæ Adæ data fuit. Et ut maximè esset talis aliqua lex, peccatum deputandum esset illi tantùm, qui propria sua culpa, justiciam illam originalem perdidit.

Suam verò tandem Pighius sententiam ita explicat, quòd nec carentia justiciæ originalis, nec concupiscentia habeat rationem peccati, sive in parvulis, sive adultis, sive ante, sive post Baptismum. Has enim affectiones non esse vitia, sed naturæ conditiones in nobis. Peccatum igitur originis non esse defectum, non vitium aliquod, non depravationem aliquam, non habitum corruptum, non qualitatem vitiosam hærentem in nostra substantia, ut quę sit sine omni vitio & depravatione, sed hoc tantùm esse peccatum originis, quòd actualis transgressio Adæ reatu tantùm & pœna transmissa & propagata sit ad posteros, sine vitio aliquo & pravitate hærente in ipsorum substantia, & reatum nunc esse, quod propter Adæ peccatum extorres facti sumus regni cœlorum, subjecti regno mortis & æternæ damnationi obnoxii, & omnibus humanæ naturæ miseriis involuti. Sicut ex servis, qui proprio vitio libertatem amiserunt, nascuntur servi, nõ suo, sed parentũ vitio. Et sicut filius scorti sustinet infamiam matris, sine proprio aliquo, in se hærente vitio. Hanc Pighii sententiam & probat & defendit Ambrosius Catharinus Episcopus. Videt enim, hoc modo totam doctrinam Pontificiam de concupiscentia, quæ post Baptismum reliqua manet, de libero arbitrio, de justitia, merito & perfectione bonorum operum, &c. posse facilimè defendi & stabiliri, Et ego quidem, cùm primùm legerem Decretum Tridentini Concilii de peccato originali, arbitrabar in eo hanc prophanam, & Scripturæ ex professo repugnantem Pighii & Catharini sententiam, dissimulatis honoris gratia autorum nominibus, improbari & damnari. Ita enim verba decreti intelligi posse manifestum est.

Ambrosius Catharinus.

Sed Andradius, Concilii intimus, prodit nobis, quæ fuerint deliberationes, cùm decretum illud confideretur, consulto scilicet ita involutũ fuisse, ut nihil vel in Scholasticis, vel in aliis Pontificiis Scriptoribus quantumvis prophanum & falsum, improbaretur vel damnaretur, sed ut liberrima relinqueretur licentia, quidvis opinandi de peccato originis, in hac quæstione quid sit, & qua ratione in nobis sit peccatum, modò quis credat, 1. quod sit. 2. unde propagetur. 3. qui sint ejus effectus. Sed inquis: Decretum Concilii

Universidad de Deusto
Biblioteca

cilii non ita expresè loquitur. Hoc & ego dico: sed quàm insidiosè multa sint in decretis illis posita, vel unicum hoc exemplum satis ostendere potest. Et gratia debetur Andradio, quòd hæc ex intimis Concilii consultationibus, tam liberè prodit & evulgat, quod vix quisquã nostrum suspicari ausus fuisset.

Ad perpetuam igitur rei memoriam, notum sit toti orbi Christiano, prophanam Pighii sententiam (ne quid dicam durius) in Decreto Tridentino non esse vel improbatam vel damnatam, sed relictam esse cum aliis prophanis Scholasticorum de peccato originali disputationib. sub opinandi libertate. Non igitur propositum fuit Tridentinis Patribus, aliquos in suis scriptoribus vel crassissimos nævos, ad normam Scripturæ emendare, sed quæstum fuit tale artificium, ut ea, quæ apertè defendere nõ audent, silentio ita involuant, ut opiniones relinquãtur liberæ. Nec conqueri poterunt Tridentini Patres, nos per calumniam, invidiæ conciliandæ gratia hoc de ipsis fingere: per Andradium enim, qui fuit conscius secretorum Concilii, hæc mysteria in vulgus emanarunt. Et jam non pœnitet me Andradio dedisse causam scribẽdi: aliàs enim hanc fraudem, sub insidiosis verborum involucris, in decreto Tridentino nemo nostrum facilè deprehendisset. Et tamen valdè multum refert, Ecclesiam scire, quæ agitatæ fuerint disputationes, quæ habitæ deliberationes in Concilio Tridentino, de hujusmodi opinionibus.

Andradius. Et Andradius ipse, libertate illa à Concilio indulta, hoc loco liberè utitur. Mentem enim suam de peccato originis aperturus, ita præfatur. Non quidem magnum scelus suscepisse videri debet, qui in re libera liberè etjam opinetur. Breviter autem recitabo Andradii sententiam, ut Lector agnoscat fructus Tridentini Concilii, & videat qualem doctrinæ emendationem decretis suis quæfierint. Inclinare igitur disputatione sua videtur ad Scholasticorum sententiam, qui sentiunt, humanam naturam in ipsa integritate ita conditam fuisse, ut quia propter compositionem ex diversis partibus, inter se minimè consentientibus constat, consequerentur eam incitamenta, & quasi prurigines, hoc est, tales pulsus & concitationes, ut caro cùm sibi grata & jucunda concupiscit, contra spiritum repugnet, & à præscriptione rationis sit aversa. Illis verò puris seu meris naturalibus, superadditam fuisse justiciam originalem, tanquam donum supernaturale, quæ carnis lasciviam & petulantiam cõprimeret, omnes sceleratos animi motus cohiberet, & omnes cùm animi tum corporis partes in officio contineret. Iam verò quia originali justicia spoliati sumus, carnem quasi equum sine freno, ferocibus cupiditatibus rapi. Atque ita concupiscentiam, nõ quidem per se esse peccatum, sed quia non amplius justitia originali cohibeatur & comprimatur, inde fieri peccatũ, ut ita peccato originali, amotio & privatio justiciæ originalis, propriè habeat peccati rationem, imò ipsa sit peccati originalis forma, ex qua ipsi etjam concupiscentiæ insit ratio peccati. Quando igitur in regeneratione datur spiritus renovationis, ut spiritus repugnet carni, tunc concupiscentiam ipsam per se non esse amplius peccatum, ut quæ sit ipsius naturæ conditio, modò cohibeatur & comprimatur. Quia verò peccatũ non potest esse sine legis transgressione, quærit Andradius, cum qua lege pugnet justitiæ originalis amissio? Et respondet: nullam hac de re legem à Deo explicatè latam fuisse, sed pugnare illam privationem cum generali legis naturæ sententia, qua quisque obligatur, ut naturæ incolumitatem & conservationem curet. Iam verò quia contendit Andradius, peccatum esse tantùm actionem contra legem Dei, quæ committitur à sciente & volente, difficilis oritur quæstio: cùm originalis justitia, solius Adæ culpa à sciente & volente est amissa, quomodo illa carentia in nobis possit rationem peccati habere? Vtitur autem subtili illa responsione, quæ Augustini est, sicut omnium hominum natura, ita etjam omnium voluntates originaliter fuisse in Adamo. Atque hoc modo etjam originale peccatum habere rationem voluntarii in nobis. Sed quia hoc modo minima ratio voluntarii, in peccato originali reperitur (neque enim nostræ personæ propria voluntate, sed aliena, Adæ scilicet seu communis originis, commissum est) ideò dicit, peccatum originis à Pontificiis Theologis rectè censeri, minimum esse omnium peccatorum. Quando verò Patres illud maximum vocant, hoc ita intelligendum esse, quod latius cæteris diffundatur, & per omnes homines pervadat. Est igitur Andradii sententia, concupiscentiam qualis est in hac naturæ corruptione, fuisse etjam in integra natura, sed ita, ut cohiberetur & comprimeretur à justicia originali, ideò per se non esse peccatum, si tantùm frenetur, id quod fit in renatis. Amissionem verò justiciæ originalis in Adamo, pugnare non cum lege aliqua Dei, sed cum generali illa tantùm legis naturæ sententia, qua naturæ conservatio unicuique demandatur. In nobis verò carentiam illam justiciæ originalis, tantum habere de ratione peccati, quantum habeat de voluntario. Sed quia minimam habet rationem voluntarii, ideò peccatum originis minimum esse omnium peccatorum.

Hanc Andradii speculationem de peccato originis, ideò recensui, ut lector observet, qualis doctrinæ emendatio speranda sit ex Tridentino Concilio. Cùm enim summa doctrinæ consistat in agnitione nostræ depravationis, & reparationis per Christum, agnoscit Lector, quàm fœdè & sceleratè, tota doctrina cœlestis divinitus nobis patefacta, ab ipsis fundamentis extenuetur, obscuretur & depravetur philosophicis illis speculationibus de peccato originis. Quantum enim peccatum extenuatur, tantum de beneficio Christi detrahitur. Et Patres quidem Concilii, turpitudinem illius dogmatis ita nudatam proponere, in tanta veritatis luce aliquantum puduit, & tamen noluerunt improbare, ideò generalibus verborum involucris Decretum illud involuerunt. Andradius verò Advocatus & interpres Concilii, disertè, & quidem multis verbis explicat, quæ sub illis involucris lateant mysteria. Iuxta Andradii igitur interpretationem, non peccabit contra mentem

tem Concilii, si quis sententiã magis adhuc prophanam de definitione peccati originalis comminiscatur. Posito enim hoc axiomate, peccatum originale in nobis non plus habere de natura peccati, quàm habeat de ratione voluntarii, mox attexet Franciscus de Mayro: Sed peccatum originale in particulari solummodo fuit voluntarium, voluntate scilicet Adæ, sed in universali, hoc est, in nobis, omnino est in voluntarium. Ergo omnino nullam habebit rationem peccati. Sed non opus est ex aliis Scriptoribus accersere consequentias. Ipse enim Andradius quid in Concilio Tridentino de peccato originis didicerit, non obscurè explicat. Damnat etenim cum Colonien sibus Monhemium, qui dixerat, propẽsionem ad peccandum, & ἀταξίαν, cupiditatem, quas simul cum natura induimus, esse peccatũ originale, & tantam esse naturæ corruptionem, originis peccato contractam, ut nihil à tali possit natura edi aut effici, non perversum & contaminatum. Hanc sententiam Andradius damnat, suam verò hanc ponit: Etsi humanam naturam, perquam depravatam esse, negare non possumus: hæc tamen depravatio non tantopere est amplificanda, ut nihil in illa pium, nihil bonum, nihil non contaminatum agnoscamus. Mens igitur Concilii Tridentini, ubi Andradius hæc Patrum hortatu & inspiratione scripsit, illa erit: In natura humana depravata, sine renovatione spiritus, restare adhuc aliquod bonum, non in externa tantùm disciplina, verum etjam quòd ad res spirituales. Addit enim, restare aliquid pium, & aliquid non contaminatum. Et vera pietas certè ad res divinas seu spirituales pertinet: cujus seminaria quædam in hac corrupta natura, ante renovationem spiritus reliqua esse, Andradius affirmat.

Franciscus de Mayro. *Monhemius.* *Vires humanæ.*

Scholastici quidem scriptores, olim talia liberè disputarunt: sed nunc in tanta luce veritatis, profectò putaram neminem tam perfrictæ frontis esse, quem non puderet illorum, quæ usque adeò prophana sunt. Et video Concilium Tridentinum aliquo saltem pudore retractum fuisse, quod suo illo decreto ita loquitur, ut dextrè intelligi posset. Sed quæ fuerit mens illorum, quam involvere potius quàm disertè explicare maluerunt, Andradius nihil dissimulans, eam post Concilium, in totius orbis theatro, sonora voce prædicat: ut ita in hoc Decreto, Patres Concilii aliud sedentes & foris publicarint, aliud stantes & domi confusurrarint de peccato originis. Sed Andradius, imprudens forsan, secreta illa eliminat. Vtut autem sit, utile est Ecclesiam scire, ex illorum, qui Concilio interfuerunt interpretatione, qua fraude & quibus insidiis usi sunt architecti hujus decreti de peccato originis.

Ne verò ad calumniam Manicheismi, quæ etjam Augustinum prægravarunt Pelagiani, Andradius se propiat: disertè dicimus, licet natura non tantùm in aliqua parte, sed in omnibus partibus & viribus sit depravata, tamen discernendum esse inter naturam ipsam, quæ per se bona & à Deo est, & inter vitium quo natura per peccatum Adæ depravatum est. Sicut Augustinus inquit de natura & gratia. cap. 1. Omnia bona, quæ natura habet in formatione, vita, sensibus, mente, &c. à summo Deo creatore suo habet, vitium verò quod ista naturalia bona contenebrat & infirmat, ex originali peccato contractum est.

Sed fermè oblitus eram ejus quæstionis, quæ ad nos propriè pertinet, cùm scilicet omnes quæscunq; disputationes de peccato originalis definitione, in Tridentino Concilio sub libera opinandi licentia relictæ sint, quid ibi factum fuerit doctrinæ Augustanæ confessionis, quæ ex Scripturæ testimoniis constituit descriptionem peccati originalis? Num igitur probant eam Pontificii? Nequaquam, num liberam eam permittunt? Nihil minus, sed expresè eam damnant. Hoc verò mirabile est, cùm reliquas omnes opiniones quales eæcunque sunt, liberrimas relinquant. Sed discat ab hoc exemplo Lector, sicut Poëta dixit: Romæ omnia cùm liceant, non licet esse pium, ita in Concilio Tridentino, omnes, qualescunque opiniones liberas relinqui, solam verò illam sententiam, quæ ex Scripturæ testimoniis extructa est, non tantùm non relinqui liberam, sed horrendis clamoribus damnari.

SCRIPTVRAE SENTENTIA DE *peccato originis.*

Non est autem nostri instituti, justam aut integram adornare refutationem, fundamenta enim veræ de peccato originis sententiæ, in multis & prolixis scriptis sunt à nostris ex verbo Dei monstrata & explicata. Omnino verò non ex rationis speculationibus, nec ex philosophicis ratiocinationibus, sed ex doctrina divinitus patefacta discendum & statuẽdum est de corruptione seu depravatione naturæ, quæ per peccatum unius hominis intravit in mundum, & omnes homines pervasit. Moses Psal. 90. vocat עלמנו abscondita nostrum, quod Deus ponat in illuminationem vultus sui. Ideò enim institutum est ministerium verbi, ut ejus voce ostendatur & arguatur illud præcipuè peccatum, quod à conspectu & agnitione carnis, rationis & mundi procul remotum & absconditum est. Adversarius autem meus Andradius, explicaturus mentem suam, quid censeat esse peccatum originis, quasi in schola Aristotelis aut Galeni rationem philosophicæ methodi, splendidè sanè persequitur. Non autem vel semel unico saltem Scripturæ testimonio, ea, quæ de peccato originali disputat, confirmare & probare conatur. Tantam scilicet opinandi libertatem, Concilium Tridentinum permisit, ut cùm turpe habeatur, Iurisconsultum sine lege loqui, factum jam sit valdè (si dis placet) religiosum, Theologum sine Scripturæ testimoniis disputare. Revocanda igitur est tota hæc disputatio ad Scripturæ metas & cancellos. Et omnino falsum est, naturam humanam in prima creatione cùm esset integra, ita conditam fuisse, ut in mente, voluntate, corde, & reliquis viribus, esset talis ἀταξίας, & rebellio, qualis jam etjam in renatis adhuc reliqua esse cernitur. Falsum est & hoc, nullam esse à Deo legem latam cui repugnet, qua arguatur & damnetur defectus justitiæ originalis, & quæ in ejus

Ministerii usus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Imago Dei.

locum succesſit concupiſcentia. Creatus enim fuit homo ad imaginem Dei, quæ fuit conformitas cum norma juſticiæ in Deo, quæ in lege divina patefacta eſt. ut ſcilicet in tota mente, toto corde, tota voluntate, in omnibus membris corporis, & potentiis animæ, eſſent vires integerrimæ & perfectiſsimæ, ad agnitionem & dilectionem Dei, & poſtea proximi, juxta vocem legis divinæ: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, tota anima, tota mente, & omnibus viribus, & proximum ſicut teipſum. Et quidem ſine aliqua ἀταξίᾳ corruptionis & rebellionis, ſcilicet ſine tenebris in mente, averſione in voluntate, contumacia in corde, & depravatione in reliquis viribus, puriſsima & ſanctiſsima fuit in prima creatione natura humana, juxta ultimũ præceptum: Non concupiſces: ſicut illud Paulus interpretatur, Romanorum 7. Et quòd hæc fuerit imago Dei in homine, ipſa reſtitutio imaginis, quę in hac vita per Spiritum ſanctum inchoatur, & in vita æterna abſolvetur, ſatis oſtendit, Romanorum duodecimo, Epheſ. 4. Coloſ. 3. &c. Illam verò imaginem ſeu conformitatem ad normam juſticiæ in Deo, lex divina ab omnibus hominibus in primo & ultimo præcepto requirit. Et ubi illam non invenit, arguit hominem de peccato: quod damnat æterna morte, niſi facta fuerit remiſsio propter Chriſtum mediatorem. Iam verò non tantùm ſacræ literæ docent, ſed & experientia oſtendit, in natis ex virili ſemine eſſe amiſsionem divinæ lucis in mente,

Peccatum originis.

& in ejus locum ſucceſsiſſe horribiles tenebras. In voluntate eſſe averſionem à Deo, & inimicitias adverſantes Deo, in corde contumaciam affectuum, & in omnibus viribus horrendam ἀταξίαν & depravationem, quod attinet ad res divinas ſeu ſpirituales. De externa enim diſciplina rationis in homine non renato, poſtea ſuo loco quædam dicemus. Et hæc naturæ depravatio, non eſt juxta rationis noſtræ judicium extenuanda aut fucanda: ſed quid ſit, qualis & quanta ſit, juxta Spiritus ſancti ſententiam, quam in verbo patefecit, dijudicanda eſt.

Et quia valdè multum refert malum illud in intimis naturæ latebris, & occultiſsimis cordis receſsibus abſconditum, rectè & verè agnoſcere (neque enim intelligi poteſt magnitudo gratiæ Chriſti, niſi cognitis noſtris morbis) ideò Scriptura in valdè multis teſtimoniis, & quidem variis modis, proponit nobis conſiderandum triſtiſsimam illã naturæ noſtræ corruptionem. Ex illis quædam annotabimus, ut manifeſtum fiat, non eſſe vel incertum vel liberum, quid de peccato originis ſentiẽdum ſit, ſicut illam ſibi licentiam Pontificii ſumunt.

Primò enim Scriptura deſcribit, qualis fuerit humanæ naturæ excellentia, perfectio & integritas ante lapſum, ut ita ex antitheſi oſtendat, quomodo illa bona ſint partim amiſſa, partim contenebrata & depravata, Geneſis 1. Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Eccleſ. 7. Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit adinventionibus. Sed poſt lapſum Geneſis 5. Adam genuit filios, ſecundum ſuam imaginem & ſimilitudinem. Quæ verò fuerit imago Dei in homine, ex reſtitutione ejus, quæ in renovatione inchoatur, aliquo modo intelligi poteſt. Et tota hæc deſcriptio de imagine Dei, & amiſsione ejus, delineata eſt in Decalogo, ſi ad noſtram naturam conferatur. Ideò Paulus Rom. 3. dicit: Omnes peccaverunt, & deſtituuntur gloria Dei, renovatio enim vocatur gloria, 2. Cor. 3.

2. Deſcribit, quid & qualis per ſe ſit corrupta noſtra natura, ante reparationem & renovationem. Ita Rom. 5. dicit, per unius inobedientiam peccatores conſtitutos multos. Et quomodo hoc intelligi velit, ibidem explicat. Vocat enim impios & inimicos Dei, priuſquam illi per filium reconciliemur. Eph. 2. Opponit illa duo, quid credentes facti ſint per gratiam, & quid fuerint natura. Nominat quidem peccata actualia, ambulare ſcilicet in peccatis ſecundum Principem poteſtatis aëris, converſari in deſideriis carnis, facere voluntates cogitationum: ſed addit, non conſuetudine, non imitatione accerſita hæc mala, ſed natura, inquit, eramus filii iræ, habentes ſcilicet deſideria carnis, voluntates carnis & cogitationum. Et nos, inquit, qui ex circumciſis parentibus nati ſumus, eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri, ex Gentibus ſcilicet nati. Diſtinguit autem Scriptura hæc duo: facere peccatum 1. Ioan. 2. ſeu ambulare in peccatis, Epheſ. ſecundo, & habere peccatum, 1. Ioan. 1. quod vocatur inhabitans peccatum, Roman. 7. adjacens peccatum, Rom. 7. ἁμαρτία ἐνπερίκειται ἐμοί, peccatum undique circumſiſtens, & occupans omnes vires in homine, Hebr. 12. ignorantia exiſtens in illis, Epheſ. 4.

3. Quando deſcribitur reparatio & reſtitutio hominis, per ſpiritum renovationis, ſimul oſtenditur antitheſis depravationis. Rom. 12. Epheſ. 4. Coloſ. 3. &c. Inchoatur autem reſtitutio & reparatio in omnibus partibus & viribus hominis in hac vita: quæ ita creſcere debet, ut tandem aboleatur corpus peccati. Rom. 7. Ex antitheſi igitur conſideretur, qualis ſit depravatio, quæ per peccatum Adæ ingreſſa eſt naturam humanã, & occupavit omnes ejus partes.

4. Quæ, qualis & quanta ſit naturæ humanæ per peccatũ deprauatio, Scriptura oſtendit, quãdo deſcribit, quales ſint originalis illius morbi reliquiæ, etjam in renatis in hac vita, Roman. 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me ſub lege peccati, quæ eſt in membris meis. Item, Lex eſt ſpiritualis, ego autem carnalis, venditus ſub peccatum: non enim quod volo, hoc ago, ſed quod odi, hoc facio. Et jam quando velle adjacet mihi, perficere tamen bonum non invenio. Galat. 5. Qui Chriſti ſunt, carnem crucifixerũt cum morbis & concupiſcentiis. Coloſ. 3. renatis concionatur: Mortificate membra veſtra, quæ ſupra terram ſunt, &c.

5. Scriptura oſtendens, quàm horribilis ſit in homine depravatio, quando vel deſeritur à ſpiritu Dei, vel eſt ſine ſpiritu, ponit ipſiſsimam deſcriptionem peccati originalis. Ita Geneſ. 6. cùm Deus dixiſſet: Non permanebit ſpiritus meus in homine,

homine, mox ſequitur, Multa erat malicia hominum in terra, & omne figmentum cogitationum cordis, tantùm erat malum. Et ne exiſtimentur mala illa actionibus aut conſuetudine accerſita, dicit à pueritia malum eſſe figmentum cordis humani, hoc eſt, natura, ſicut Paulus loquitur Epheſ. 2. Et quidem tunc etjam pronunciat hoc Deus de corde humano, quando ſublatis per diluvium impiis, Noe tantùm cum ſuis in terra vivebat, Gen. 8. Ita Rom. 3. deſcribens hominem qualis extra Chriſtum, & ſine ſpiritu, ducit deſcriptionem per ſingulas partes hominis. Omnes declinaverunt, non eſt qui faciat bonũ, guttur eſt ſepulchrum, linguis doloſè agunt, ſub labiis eſt venenum, os maledictione plenum, pedes veloces ad effundendum ſanguinem, &c. Ita in lapſis poſteriora fiunt pejora prioribus, Luc. 11. 2. Petr. 2.

6. Malum illud Scriptura & privatiuè & poſitivè deſcribit, 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus, ſtulticia enim ſunt ei. Roman. ſeptimo, Perficere bonum non invenio. Roman. 8. Legi Dei non ſubjicitur, neque enim poteſt. Sapientia carnis inimicitia eſt adverſus Deum. Rom. 7. Lex in membris, repugnat legi mentis, captivans renatos ſub lege peccati. Epheſ. 2. vocat concupiſcentias carnis, voluntates cogitationum. Geneſ. 6. Figmentum cordis malum.

7. In illa deſcriptione mali originalis, Scriptura adjungit etjam tyrannidem Diaboli. Epheſ. 2. Satan efficaciam ſuam habet in filiis diffidentiæ.

Subiectum peccati originalis.

8. Obſerveturetjã, quomodo Scriptura monſtret ſubjectum pravitatis originalis, ponit enim illam in mentem. Epheſ. 5. Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino. Epheſ. 4. Tenebris obſcuratum habentes intellectum, propter ignorantiam exiſtentem in ipſis. 2. Corinth. 4. Non ſumus idonei, ex nobis ipſis cogitare aliquid. Deuterono. 29. Vidiſtis ſigna, & non dedit vobis Dominus cor ad intelligendum. Rom. 1. Vani facti ſunt in cogitationibus ſuis. 1. Corin. 2. Animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus. Collocat etjam pravitatem illam in voluntate & corde. Geneſ. 6. & 8. Figmentum cordis malum. Marc. 7. Ex corde hominum procedunt malæ cogitationes, adulteria, furta, injuriæ, nequitiæ, dolus, invidia, blaſphemia, ſuperbia, ſtulticia, omnia hæc mala ab intus procedunt. Epheſ. 2. Facientes volũtates carnis & cogitationum. Et denique in toto homine, qualis eſt ex prima nativitate, in omnibus ejus membris & partibus, ponitur ſedes originalis pravitatis. Verus enim homo, Rom. 6. & Gal. 5. cum morbis & concupiſcentiis juberur crucifigi. Rom. 8. Sapientia carnis eſt inimicitia adverſus Deum. Rom. 7. In carne mea non habitat bonum. Lex peccati in membris meis. Rom. 6. Vt deſtruatur corpus peccati. Pſal. 51. David in ipſa maſſa ſeminis, quando primum concipitur, agnoſcit peccatum & iniquitatem. Eph. 2. Concupiſcentia carnis, voluntas cogitationum. Rom. 3. nominantur os, labia, guttur, pedes, oculi, &c. Et ab ipſa anima, 1. Cor. 2. nominatur animalis homo, ψυχικὸς, qui non percipit quæ ſunt ſpiritus.

Nec verò timendum eſt, ſi has Scripturæ ſententias ſequamur, ne depravationem naturę nimium exaggeremus, quæ Colonienſium & Andradii ſolicitudo eſt, non enim ſatis agnoſci & deplorari poteſt illa pravitas, hærens in nobis. Sed manet quod Pſal. dicit: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Et quod Ieremias pronunciat: Pravum eſt cor ſuper omnia, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Nec propterea cum Manichæis nos conjungimus, quorum blaſphemias damnamus & execramur: ſed Scripturam ſequimur.

Has deſcriptiones ex ipſis Scripturæ verbis, nudè & breviter tantùm recitavi, ut Andradio oſtenderem, falſum eſſe quod ipſe cum multis aliis Pontificiis & ſentit & docet: Scripturam tantùm tradere, quòd ſit aliquod peccatum originale, non autem explicare quid, quale & quantum ſit. Et lectorem quæſo, ut inſtituat collationem, qualia ſint verborum fulmina, quando Scriptura de peccato originali loquitur, & quàm leviter, quàm frigidè Pontificii philoſophentur de puris naturalibus. Patres certè vocãt vitium, contagia, inquinamenta naturæ, ingenita ſcelera, &c. quorum ſententias Auguſtinus annotavit, lib. 1. contra Iulianum. Quòd enim Andradius prætendit, Concilium Tridentinum, quia non definivit, quid ſit peccatum originis, reliquiſſe libertatem cuivis quidvis opinandi, quid velit eſſe peccatum originale, nos opponimus vocem ipſius Spiritus ſancti, oſtendentis in Scriptura multis teſtimoniis & variis modis, quæ, qualis & quanta ſit originalis humanæ naturæ depravatio. Et quando os Domini loquitur, omnis caro debet filere, cœlum & terra auſcultare. Andradius verò mavult cum Concilio Tridentino opinari, quàm cum Scriptura credere.

ARGVMENTA ADVERſarii.

Et quidem in hoc potiſsimùm loco, voluit ingenii acumen, & dicendi facultatem oſtentare, patrocinaturus Ieſuitarũ definitioni, quòd nihil habeat rationem peccati, niſi fiat à ſciente & volente. Et Auguſtini quidem diſputationes de voluntario, mihi antea non erant ignotæ, dum ea, quę contra Manichæos dixerat, ſubtili & procul petita ratione ita vult defendere, ne pugnent cum doctrina de peccato originali. Sed manifeſtiſsimum eſt, valdè eſſe coactum, & procul petitum, definitionem illam (quicquid fit à ſciente & volente) convenire etjam peccato originali, & quidem in infantibus, propterea quia ſicut omnium hominum natura, ita etjam omnium voluntas originaliter fuerit in Adamo. Certè actualis peccati eſſe illam definitionem, meridiana luce clarius eſt, & ipſi Scholaſtici ſcriptores fatentur. Et in quaſcunque ſe formas vertat Andradius, prudenti lectori nunquam perſuadebit definitionem illam propriè & commodè convenire peccato originali. Quantum verò incommodi habeat, ludere defendendis incommodioribus dictis, vel hæc Andradii diſputatio oſtendit. Dum enim ſplendidè declamitat de voluntario, eò tandem provehitur, ut pronunciet, pecca-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum originis, quia in nobis minimum habeat de voluntario, ideò etiam minimum esse omnium peccatorum. Sententiarii verò quidam disputant, originale peccatum in nobis, præsertim in infantibus, propriè nullam habere rationem voluntarii. Iuxta Andradii igitur definitionem, nullam prorsus habebit ratione peccati, Quanto simplicius & certius est, cum Scriptura & sentire & loqui, peccatum esse ἀνομίαν? Quia enim regula & norma justiciæ, est voluntas Dei, quę in lege divina nobis patefacta est. Sicut igitur justũ est, quicquid huic normæ seu regulæ justiciæ conforme est, ita peccatum est ἀνομία: hoc est, quod legi divinæ non est conforme, sed ei repugnat: sive sit defectus, sive depravatio in natura rationali, sive inclinatio, sive actio, repugnans legi Dei. David certè non subtiliter quærit rationem voluntarii, in peccato originali, dum inquit: In iniquitatibus editus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Verbum enim חמם Genesis 30. de ipsa conceptione usurpatur, sicut LXX. propriè reddiderunt, ἐκκαυσις. Cùm igitur massa embryonis, in primo ardore conceptionis, primùm inciperet uteri calore foveri, jam erat peccato contaminata, quæ contaminatio, juxta Davidis confessionem, habebat veram rationem peccati, cùm nondum formata essent vel mentis, vel voluntatis, vel cordis organa. Non autem ignoro, quàm multa hic possint disputari, de voluntario, de origine animæ, & conjunctione ejus cum corpore: sed nos cum Ambrosio, non Dialecticorum argutiis, sed piscatorũ simplicitati credimus. *Animæ origo*

Et Augustinus de illis disputationibus rectè inquit de peccatorum meritis libro tertio, cap. quarto. Ego autem etsi refellere istorum argumentationem non valeam, video tamen inhærendum esse iis, quæ in Scripturis sunt apertissima. Quando Paulus Rom. septimo, de peccato inhabitante conqueritur: Non quod volo, hoc ago, sed quod odi, hoc facio. Et Galat. 5. Spiritus concupiscit adversus carnem, ut non quæ vultis, ea & faciatis, certè Augustinus ipse agnoscit, lib. 1. Retract. cap. 13. ibi locum non habere politicam illam sententiam, nihil esse peccatum, nisi fiat à sciente & volente. Quia igitur improprietas in hac sententia per se manifesta est, nihil amplius ad prolixam Andradii declamationem de Iesuitica peccati definitione respondebo, quàm quod Augustinus contra Iulianum lib. 3. cap. 5. inquit: Frustra putas ideò in parvulis nullum esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest. Hæc enim rectè dicuntur de proprio cujusque peccato, non de originalis peccati contagio, quod tamẽ & ipsum à primi hominis mala voluntate sumpsit exordium, &c. Cõtendit etiam Andradius, naturæ corruptionem non tantopere esse amplificandam, ut nihil in ea pium, nihil bonum, nihil non contaminatum agnoscamus. Atqui Iob inquit cap. 14. Quis dabit à sordibus mundum, quod ex contaminato est? Roman. 7. Paulus de se jam renato inquit: Quod in me, hoc est, in carne mea, non habitat bonum. Et Genesis 6. de natura humana à spiritu Dei deserta, inquit Deus: Omne figmentum cogitationum cordis eorũ, tantùm malum est omni tempore. Et ne ad solos impios qui ante diluvium fuerunt, hæc sententia restringatur, repetitur cap. 8. cùm solus Noe justus cum suis in terra viveret, & ad totum genus humanum accommodat, figmentum cordis malum esse à pueritia: ne scilicet de actuali tantùm malitia intelligatur. Nam & de infante, & de puero usurpatur vocabulum נער Iud. 13. Esa. 7. Exod. 2. Et in hanc sententiam David vocat delicta juventutis.

Hanc sententiam in vulgata editione multipliciter esse depravatam, manifestum est. Pro eo enim, quod Deus dicit, Figmentum cogitationum cordis: corruptè legimus in Latina editione, Sensus & cogitatio cordis, ut scilicet de sensualitate disputari, & superiores vires rationis à corruptione eximi possent. Vbi Deus dicit: solummodo est malum: hoc depravatum est, cogitatio intenta seu prona est ad malum. Andradius Hebraicè doctus, agnoscit versionem illam non respondere verbis Hebraicis, ne tamen incurrat anathema Tridentinæ Synodi, nõ versionem ex fontibus corrigere, sed ad depravatam versionem ipsos fontes intorquere conatur. Particulam רק interpretatur, verè malum est figmentum cordis humani, cùm & ipsa radix, & exempla ostendant, esse particulam exclusivam. Et sicut Pelagius olim illud Ephesios secundo. Eramus natura filii iræ: ita interpretatus est, φύσει, hoc est, omnino & verè, ne peccatum originale concèdere cogeretur. Ita Andradius רק reddit (verè) ne scilicet prematur mole illius sententiæ: Omne figmentum cordis humani solummodo malum est, & quidem omni tempore, ita ut à pueritia malum fit. Magna enim non tam pondera quàm fulmina sunt, in singulis verbis: contra extenuatores pravitatis, quæ originaliter hæret in hac corrupta natura. Andradius verò ut illa eludat, contendit vocabulum Iezer figmentum significare solùm propensionem seu concupiscentiam ad peccandum, quæ mala dicatur non per se, sed ideò tantùm, quia ad malum propendeat & inclinet. Sed Iezer significat, vel intus animo aliquid concipere, formare, & quasi effigiare: vel foris juxta conceptam ideam aliquid fingere seu formare. Et Scriptura aliquoties vocat figmentum cogitationum. Genesis 6. & 1. Paral. 28. Cogitationes verò præcedere cupiditates, notum est. Significat igitur, quando mens primùm concipit & format cogitationes, ipsos primos motus, conatus seu impetus cordis, quãdo homo est sine Spiritu sancto, jam esse res malas, hoc est, contaminatas & aversas à Deo. Non enim dicit quod Andradius fingit, propendere ad malum, sed, esse malum. Nec de cupiditatibus tantùm loquitur: vocat enim figmẽtum cogitationum. Et consideretur emphasis verborum, in dicto, quod extat Deut. 31. ubi de futura populi defectione Deus loquitur, & inquit: Novi figmentum ejus, quid ipse faciat hodie, priusquam introducam eum in terram. Et 1. Paral. 28. numerantur ordine cor, figmentum & cogitationes. Ex cogitationibus verò postea sequi cupiditates & desideria notum est. Deus autem ipsum cogitationum figmentum, dicit tantummodo esse malũ. Porro quia Iezer significat etiam

etiam singulari studio, & animi contentione aliquid formare, potest & hic esse sensus: Quæ animus humanus qualis est in hac naturæ depravatione, sine Spiritu sancto, etiam maximo studio & singulari sapientia, cogitationibus concipit & format, esse tantummodò mala omni tempore ut idem sit Mosi, figmentum cogitationum cordis, quod Paulo est φρόνημα carnis. Nam cogitatio, quæ deliberatione confirmata est, vocatur Iezer Esa. 26. Illa igitur Mosis sententia non extenuat (sicut Andradius cum Iesuitis fingit) sed tristissima exaggeratione amplificat originalem humani cordis depravationem. Quòd enim Andradius dicit, non cor ipsum, sed figmentum cordis accusari: ineptum est. Sicut enim ex bono thesauro cordis, proferuntur bona: ita mala, ex cordis thesauro malo proferuntur. Ex abundantia enim cordis os loquitur, inquit Christus Lucæ 6. Et Ieremias vocat cor hominis pravum.

DE RELIQVIIS PECCATI ORIGINALIS POST BAPTISMUM: sive de concupiscentia, quæ in baptisatis sive renatis in hac vita adhuc reliqua est.

DECRETVM QVINTAE SESSIONIS Tridentinæ Synodi.

Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quæ baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram & propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari: anathema sit. In renatis autem nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo, per baptisma in mortem: quia non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum induentes, qui secundum Deum creatus est, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur. Manere autem in baptisatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, ac sentit: quæ quidem cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Iesu Christi gratiam repugnantibus non valet: quinimo, qui legitimè certaverint, coronabuntur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat. Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit: sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

EXAMEN.

Hæc controversia una est ex præcipuis, quæ magna contentione ab adversariis disputatur. Inde enim pendet meritum, perfectio, justitia, & supererogatio bonorum operum coram iudicio Dei. Ideo non contenti argumentationibus, ludunt variis æquivocationibus in vocabulo peccati. Miscent etiam calumnias, quasi nos doceamus, peccatum originale eodem planè modo, & eadem omnino ratione esse & manere post Baptismum in renatis, sicut ante Baptismum in nõ renatis est: & idem peccatum, sive renatus repugnet, sive obediat desideriis concupiscentiæ.

Andradius clamitat, nos blasphemare gratiam Dei, meritum Christi, Baptismum & fidem, quasi tam infirma illa sint, ut non possint subitò uno momento in baptisatis totum peccatum originale tollere, & extirpare ex natura humana. Sed remotis cavillationibus & calumniis, res ipsa in hac quæstione ex Scriptura manifestissima est. De rebus ipsis igitur primùm, quæ certa & manifesta sunt, ex Scriptura constituemus.

STATVS CONTROVERSIAE, & fundamenta.

Ostendimus autem suprà, peccatum originale in non renatis, esse defectum & concupiscentiam, & annexum habere reatum iræ Dei & mortis æternæ. Num verò docemus, illud post Baptismum in renatis eadem omnino ratione esse & manere, sicut est ante Baptismum in non renatis? Nequaquam: didicimus enim ex Scriptura, in Baptismo, per mortem & resurrectionem Christi, fieri remissionẽ omnium peccatorum. Et illam non esse superficiariam, non dimidiatam aut partialem, sed plenam & perfectam: ita ut nulla condemnatio sit his, qui in Christo Iesu sunt. Discimus & hoc ex Scriptura, Baptismum esse lavacrum regenerationis & renovationis per Spiritum sanctum, Tit. 3. loco igitur defectus originalis, Spiritus sanctus in renatis operatur nova dona, spirituales facultates & motus. Incipit etiam naturam sanare, mortificare & crucifigere veterem hominem cum morbis, concupiscentiis & actionibus carnis. Rom. 6. & 8. Galat. 5. expoliare & destruere corpus peccati, Col. 2. Roman. 6. exuere veterem hominem, Col. 3. Expurgare vetus fermentum, 1. Corin. 5. &c. Hæc credimus, docemus & confitemur. Hic igitur nõdum est status controversiæ, inter nos & adversarios. Sed prima quæstio est: Cùm in Baptismo fiat remissio omnium peccatorum, plena & perfecta: an etiam renovatio quæ inchoatur in Baptismo, ita fit in hac vita perfecta & absoluta, ut in baptisatis seu renatis, in hac vita post Baptismum, nihil planè reliquum sit de malo seu morbo originali. Clamitat autem Scriptura, experientia docet, & omnium piorum in hac vita tristissimæ querelæ testantur, multum vetustatis adhuc hærere in carne renatorum, Rom. 7. Quod volo bonum, non facio, perficere non invenio, &c. Et Scriptura ubiq; vult renatos orare & studere, ut dona renovationis crescant & augeantur. Quod verò opus habet ut crescat & augeatur, nondum est perfectum & absolutum. *Peccatum originale.* *Baptismus.*

Augustinus de peccatorum meritis & remissione lib. 2. cap. 7. diligenter expendit verba Pauli, 2. Corinth. 4. inquit enim: Non ex qua hora quisque baptisatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur: sed renovatio incipit à remissione omnium peccatorum. Nam in Baptismo quamvis tota & plena fiat remissio peccatorum: tamen si continuò tota & plena etiam hominis in

Universidad de Deusto
Biblioteca

æternam novitatem fieret mutatio, non dico & in corpore, sed si in ipso animo qui est homo interior, perfecta in Baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus: Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem.

Profectò enim qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus. Et in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc in vetustate est, &c. Et non est opus coacervatione multorum testimoniorum: omnium enim confessione (sicut explicat Longobardus libr. 2. dist. 32.) constat, reliquias concupiscentiæ originalis, quæ in Baptismo cœpit crucifigi, mortificari, expoliari & expugnari, etjam post Baptismum in renatis in hac vita superesse & hærere, Rom. 6. & 7. Galat. 5. Colos. 3. &c.

Certum igitur est, cùm remissio peccatorum, quæ in Baptismo fit, plena & perfecta sit: renovationem tamen quæ ibi inchoatur, non esse in hac vita perfectam & absolutam, hoc est, malum originale licet per Baptismum remissum sit, non tamen subitò totum tolli, & penitus extirpari ex carne renatorum: sed ejus reliquias quasdam, defectus scilicet & concupiscentiam superesse, & hærere in carne renatorum in hac vita.

Statut. Et de illis peccati originalis reliquiis, hoc est, de reliquiis, defectibus, & de reliqua concupiscentia, quæ post Baptismum etjam in carne renatorum in hac vita hærent, altera est & potissima quæstio. Et ne peregrinis disputationibus à statu abducamur, non est quæstio, an reliquiæ illæ peccati originalis renatos, qui per Baptismum Christo insiti, fide in ipso sunt & manent, Deo exosos faciant & damnent? nihil enim damnationis est illis, Rom. 8. neque hoc propriè hoc loco disputatur, quando reliquiæ illæ peccati originalis in mortali corpore ita regnant, ut desideriis concupiscentiæ non repugnemus, sed obediamus, Roma. 6. tunc enim peccatum consummatum parit mortem. Iacobi 1. & Roma. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Sed hoc quæritur: quid concupiscentia illa, quæ in renatis post Baptismum in hac vita adhuc reliqua est, quando ipsi non obeditur: quid inquam sit per se, in se, ex se, & sua natura, sicut Iesuitæ loquuntur: Credentes sanè, qui in Christo Iesu sunt & manent, non facit Deo exosos, nec damnat ipsos. Sed quæro, an inde hoc fiat, quòd reliqua illa concupiscentia in renatis sit res bona, pura, munda, sancta, placens Deo, & legi divinæ conformis? *An sit res bona.* Non arbitror autem vel Andradium, vel Iesuitas hoc audere affirmare. Paulus enim Roma. 7. sonora voce, multis verbis, & justa disputatione reclamat. Et pulchra extat disputatio apud Augustinum lib. 6. contra Iulianũ, cap. 6. cùm enim dixisset concupiscentiam, reatu suo jam soluto, manere tamen in baptisatis: Iulianus hoc ita accipiebat, quasi ipsa concupiscentia per Baptismũ reatu liberetur & absolvatur, ita ut post Baptismum in renatis sit bona & sancta. Augustinus verò respondet: si hoc sentirem, profectò non dicerem eam malam esse, sed fuisse. Talia quippe dicis, qualia dicenda sunt in eos, qui per Baptismum sanctificatam & fidelem factam concupiscentiam carnis affirmant in eis, in quibus regeneratis manet tamen: quasi accesserit bonum sanctificationis, ut jam in renatis sit cõcupiscentia sancta Dei filia. Nos autem malam eam dicimus, & manere tamen in baptizatis. Sed tamen reatus ejus, inquit Iulianus, jam solutus est. Respondet Augustinus: Non reatus ejus quo ipsa erat rea (neque enim aliqua persona est) sed quo hominem reum originaliter faciebat remissus atq; vacuatus est: ut quando audis in aliquo homicidii reatum solutum, non ipsum homicidiũ, sed hominem à reatu existimas absolutum. Valdè illustris est hæc sententia, Baptismum scilicet non efficere, ut concupiscentia originalis, quæ ante Baptismum erat res mala, per remissionem in Baptismo sanctificetur. ut in renatis in quibus manet, non sit amplius res mala, sed fiat & sit res bona, sancta, munda, & placens Deo. Reatũ enim dicit tolli, non ab ipsa concupiscentia, quasi absolvatur, ut amplius non sit res mala: sed ab homine baptisato, ut illum damnare & reum facere non posset, licet reliqua sit in ipso. Manet igitur quod Paulus de concupiscentia in se renato habitante dicit, Roma. 7. Quod in me, hoc est, in carne mea habitat, non est bonum.

Pergamus autem in inquisitione. Quia igitur reliqua concupiscentia in renatis, non est res bona & sancta: quæro an sit res adiaphora seu indifferens? *An concupiscentia sit indifferens.* Et respondet Paulus Rom. 7. Volenti mihi facere bonum, adjacet malum. Augustinus etjam libr. 6. contra Iulianum cap. 6. inquit: Non dicimus tantùm malam fuisse cõcupiscentiam, ante Baptismum scilicet, sed & eam dicimus malam esse, quæ in baptisatis manet. Certum igitur est, concupiscentiam quæ in renatis post Baptismum reliqua est, non esse rem bonam, nec indifferentem, sed malam. *Mala concupiscentia.* Quia verò quędam sunt mala pœnæ, quædam mala culpæ: Paulus multis explicat, quale malum sit concupiscentia, quæ in renatis reliqua est. Roman. 7. Consentio quidem legi Dei, quoniam bona est: non tamen quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Nunc autem nõ ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Item: Carne servio legi peccati. Ita Rom. 8. & Galat. 5. Colossens. 3. Ephes. 4. jubet Paulus malum illud crucifigi, mortificari, destrui, exui. Et Rom. 7. extat tristis querela Pauli: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?

Cùm igitur reliqua concupiscentia in renatis sit tale malum, quod repugnat legi Dei, propter quod Paulus jam renatus conqueritur se miserum esse, & corpus suũ ideo esse corpus mortis: quomodo inquam illud tale malum, renatus nõ facit Deo exosos? quomodo non damnat ipsos? Respondet Paulus: Gratias ago Deo, per Iesum Christum Dominum nostrum. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberavit me à lege peccati & mortis. Sed quomodo liberavit me à lege peccati? Num ita, ut nulla lex peccati reliqua sit in renatis? certè ca. 7. conqueritur legem peccati esse in membris suis: & quidem carne se illi legi peccati servire. Quomodo igitur liberati sunt renati à lege peccati, si illa adhuc reliqua est in membris ipsorum? Respondet: Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui in Christo Iesu sunt: qui non secundum carnem ambulant, sed actiones carnis spiritu mortificant. Vtrumque enim complectitur, & remissionẽ quæ perfecta est, & mortificationem quæ inchoata est, & quotidie crescere debet.

Summa totius disputationis de Cõcupiscentia. Originalis igitur concupiscentia in Baptismo remittitur, debilitatur & minuitur: non ita ut repentè absumatur, & prorsus extinguatur, ut non sit: quamdiu enim renati hìc vivunt, necesse est legem peccati esse in membris ipsorũ: hæc enim omnia sunt Augustini verba. Illa verò reliqua concupiscentia non impedit, quò minus renati Deo placeant, & sint hæredes vitæ æternæ. Sed illud non ideo fit, quasi cõcupiscentia ista in renatis per Baptismum facta sit vel sancta, vel indifferens: est enim juxta Pauli confessionem malum: & quidem tale malum, quod repugnat legi mentis, quam Spiritus sanctus scripsit in corda renatorum. Sed hæc est gratia Dei, quòd tale malum habitans in carne renatorum ipsis propter Christum non imputatur ad condemnationem. Beati enim, quorum tecta sunt peccata. Roma. 4. Psalm. 32. Non igitur fingere debent renati, reliquam in membris suis concupiscentiam talem esse, quæ per se, etjamsi remoto gratiæ & remissionis umbraculo Deus in judicium cum illa intrare vellet, non posit hominem exosum Deo facere & damnare: sed agnoscant quale sit malũ, & gratias agant Deo, qui propter filium mediatorem, malum illud non imputat ad damnationem. De concupiscentia enim, quæ in renatis reliqua est, ita Augustinus inquit contra Iulianum lib. 6. cap. 5. Talè porrò ac tantũ malum, tantum quia ineſt, quomodo nõ teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem; nisi ejus vinculum, in illa quæ fit in Baptismo, remissione peccatorum omnium solveretur?

Hæc profectò tàm sunt ex Scriptura evidentia, ut si quis ea vel negare, vel in dubium revocare ausit, nõ video quid in Scriptura credere vel possit, vel velit. Et ideo rem ipsam ex Scripturæ testimoniis simpliciter proposui, non admixta disputatione de appellatione peccati: ut remotis cavillationibus de vocabulis, res ipsa evidentius convinceret adversarios.

CONCILIVM TRIDENTINVM
de Concupiscentia.

Constitutis autem & confirmatis causæ fundamentis, accedamus jam ad examẽ Tridentini decreti. Quia enim utrinq; confitemur, manere in baptisatis concupiscentiam: sunt qui existimant, hãc controversiã tantum esse λογομαχίαν: An scilicet reliqua in renatis concupiscentia appellanda sit peccatum, an verò tantùm pœna & causa peccati. Sed de rebus ipsis, & quidem gravissimis, controversiam esse, ut cętera omittam, vel ipsum decretum Tridentinum ostendit. Observet autem Lector, quo artificio verba sint posita in isto decreto. Non enim simpliciter dicunt, renatos Deo placere: sed ajunt, in renatis nihil odit Deus. Fatentur autem concupiscentiam manere in baptisatis. Sentiunt ergo, Deum concupiscentiã quæ in renatis reliqua est, nõ odisse. Quæritur autem, an venerandi isti Patres ita hoc intelligi velint, quod reliquũ illud malum concupiscentiæ, renatis propter Christum, cui per baptismum insiti sunt, non imputetur? Sed decretum inquit: Si quis asserit in baptismate non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: sed tantùm dicit illud imputari, anathema sit. Concupiscẽtia igitur quæ in baptisatis manet, erit res per se non displicens Deo, aut quam Deus posit odisse. Si enim in renatis nihil odit Deus: omnia ergo in renatis Deo placebunt. Manet autem in renatis concupiscentia: illa ergo Deo placebit, aut certè non displicebit: & ne quidem si imputetur, erit aliquid per se dignum odio Dei, & damnatione. Quod enim Paulus dicit Rom. 8. Nihil damnationis, &c. hoc Tridentini nõ volunt, idq; sub interminatione anathematis ita intelligi, quòd reliqua concupiscentia propter Christum non imputetur: sed quod in se, & sua (ut ita dicam) natura non sit digna damnatione. Totum enim id quod veram & propriam peccati rationem habet, censent in baptismate sublatũ. Item dicunt renatos Deo dilectos effectos esse. Et rationem assignant: quia innocẽtes, immaculati, puri & innoxii effecti sunt. Et ne quis arbitretur ipsos ita hoc intelligere, quod reliqua concupiscentia propter Christum non imputetur. Hanc sententiã anathemate damnãt. Et ita se explicant; renatos ideo esse immaculatos, puros & innoxios, quia totũ id quod veram & propriam peccati rationẽ habet in baptismate sublatum sit. Lector audit me nihil exaggerare, sed ea tantum annotare, quæ ex verbis Decreti manifesta sunt, & sponte sequuntur. Conferantur autem hæc ad tristissimã querelam, qua Paulus jam renatus, Ro. 7. malum concupiscentiæ in se habitans describit, accusat & deplorat: & non opus erit alia refutatione. Disputant autem hæc Pontificii tanta contentione, ut præcipua fulcra regni Pontificii stabiliant: renatos scilicet in hac vita posse legi Dei perfecta obedientia satisfacere: item bona opera renatorum, posse pro peccatis satisfacere, opponi iræ Dei, consistere in judicio Dei, & mereri vitam æternam, &c.

Non ergo otiosa de verbis est contentio in hac quæstione: sed de rebus gravissimus est controversia, de quibus necessario in Ecclesia admirandum est. 1. Vt miserias nostras, quamdiu sub corruptibilis hujus carnis onere gemimus, rectius agnoscamus, propius aspiciamus, ex veris gemitibus cum Paulo deploremus: ne in Pharisaicam delapsi superbiam, de mundo & immaculato corde, falsò nobis blandiamur. *Miseria nostra.* 2. Vt filio Dei mediatori, sua tribuatur & relinquatur gloria. *Christi beneficia.* Neque enim post baptismum definit esse reconciliator noster, justitia nostra, & pax nostra: sed semper dum in hac carne vivimus, ut verum propiciatorium, obedientia sua tegit & obumbrat corpus mortis, & carnem in qua nihil habitat boni: ut malum illud inhabitans, propter ipsum non imputetur ad damnationem. 3. Vt articulo justificationis, sine corruptelis sua constet puritas. *Iustificationis doctrina.* In hac enim vita credentes post reconciliationem placent Deo, & accepti sunt ad vitam æternam: non propter mundiciem propriam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

priam, cui nihil amplius mali adhæreat: sed humili confessione agnoscunt & deplorant, in carne sua non habitare bonum. Vera autem fide agunt gratias Deo, per Dominum nostrum Iesum Christum: propter quem quia peccata non imputantur, nihil damnationis est credentibus: sed beati sunt, quoniam tecta sunt peccata. Fides enim remissionem peccatorum, non semel tantùm in baptismo, tanquam qualitatem aliquam infusam accipit, ita ut postea nihil de ea cogitet: sed per malum, quod in carne adhuc reliquum est, quotidie admonentur renati, ut studeant in Christo manere, ut propter illum non imputetur malum in carne habitans: quod si extra Christum fuerimus, damnare posset. 4. Necesse est hanc doctrinam de inhabitante peccato, puram retineri: ne operibus nostris Pharisaicam opinionem justitiæ, perfectionis & meriti, assuamus: sed ut rectè intelligere possimus, quare Christus dicat: Cùm omnia feceritis, dicite: Servi inutiles sumus. & quare Paulus dicat: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc nondum sum justificatus. Propter inhabitans enim peccatum renatorum, opera in hac vita nec perfecta, nec omni ex parte munda sunt.

Bonorum operum doctrina.

Hæc recitavi, ut cogitetur non leve esse hoc certamen, sed necessariò de hoc articulo esse contra adversarios dimicandum.

DE VOCABVLO PECCATI.

Erit autem res adhuc plenior, si sophismata de æquivocatione appellationis peccati removeantur. Quia enim Augustinus alicubi disputat, concupiscentiam quæ in renatis reliqua est, non esse peccatum: adversarii illis Augustini sententiis seriò triumphant, & corruptelis suis inde fucum faciunt coram imperitioribus. Sed explicatio plana est, si adhibeatur declaratio æquivocationis vocabuli. Augustinus enim quando negat concupiscentiam in renatis esse peccatum diserte se explicat, in qua significatione accipiat vocabulum peccati. Ita enim inquit ad Bonifacium libr. 1. cap. 13. Peccata sunt, quæ secundum carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, seu cogitantur: quæ transacta reos teneant, si non remittantur. Ad Valerium, libr. 1. capit. 24. inquit: Hoc enim est non habere peccatum, reum non esse peccati. Contra Iulianum libr. 6. capit. 5. Tu qui putas, quòd si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptisatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo, quod planius ita dicitur: Omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis, non enim caret malo ignorantiæ: quod tantum est malum, per quod homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, &c. Et libro 2. contra Iulianum inquit: Concupiscentia, quæ scilicet post Baptismum in renatis reliqua est, nõ eodem jam modo appellatur peccatum (sicut scilicet ante Baptismum) quo reum facit. Manifestum est ergo, Augustinum intelligere peccatum, quando concupiscentiis carnis spiritu non repugnatur, sed obeditur: quod peccatum illis qui renati fuerant, attrahit reatum iræ Dei & mortis æternæ, nisi rursus convertantur. Et in hac significatione Iacobus etjam loquitur capit. 1. Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. Et idem est quod Paulus Rom. 6. vocat peccatum regnans. & Rom. 8. peccatum sive mortale, sive damnans, cùm inquit: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Et in hac significatione non tantùm concedimus: sed quando explicamus discrimen peccati mortalis & venialis, fideliter & diligenter monemus, cõcupiscentiam quæ in renatis reliqua est, quando ei ita resistitur, ut actiones ejus de Spiritu mortificentur, non esse peccatum mortale sive regnans, aut vastans conscientiam. Docemus etjam, non esse peccatum damnans credentes: hoc est, propter quod damnentur ii, qui in Christo Iesu sunt. Quod igitur ad rem ipsam attinet, planè idem sentimus & docemus, quod Augustinus tradit. Et si hoc tantùm contenderent adversarii, reliquias concupiscentiæ in renatis, quando per spiritum ipsis resistitur, nõ esse peccatum regnans, mortale, aut damnans eos qui in Christo Iesu sunt: nulla esset hac de re inter nos controversia. Omnino enim docendi sunt homines, quale sit discrimen, quãdo renati actiones carnis per Spiritum mortificant, & in Christo manẽt: & quando concupiscentiam ita regnare permittunt, ut ei obediant, & eam perficiant. Quod discrimen diligenter in nostris Ecclesiis traditur. Et Augustinus tota illa sua disputatione hoc tãtùm agit, ut discrimen illud ostendat. Pontificii verò hoc non potissimùm quærunt, sed simpliciter contendunt, nihil in renatis esse quod Deus possit odisse, sed omnia in renatis esse pura, immaculata & innoxia.

Peccatũquid vocet Augustinus.

Concupiscentia vocatur peccatum.

Paulus verò in illo ipso loco, Roma. 6. & 7. ubi ex professo tractat doctrinam de discrimine peccati regnantis & non regnantis, mortalis & venialis, tribuit concupiscentiæ quæ in renatis reliqua est, etjam quando non regnat appellationẽ peccati: idq; non semel, ut obiter ei appellatio illa excidisse videri possit: sed appellationẽ illam aliquoties inculcat & repetit. Nam Romanorum sexto, ut minimũ quinquies vocatur peccatum. Rom. 7. ad minimum sexies vocatur peccatum. Rom. 8. ter vocatur peccatũ. Heb. 11. vocatur circumstans peccatum. Psal. 32. vocatur peccatum Sanctorum. Sed excipiunt Pontificii vocabulum peccati non verè & propriè, sed figuratè & abusivè in illis locis intelligendũ esse. Alphonsus Phil. 4. dicit, concupiscentiam in renatis vocari peccatum, sicut Christus 2. Corinth. 5. vocatur peccatum. Concilium Tridentinum contendit, per metonymiam vocari peccatum: & quia ex peccato est, & quia ad peccatũ inclinat. Verùm nullus melior & certior potest interpres esse verborum Pauli, quàm ipse Paulus: & quidem in illo ipso loco. Non enim nudam tantum appellationem peccati tribuit reliquiis concupiscentiæ: sed multipliciter describit, quid velit intelligi vocabulo peccati. Nam primò dicit: In carne mea non habitat bonum. Secundò, volenti mihi facere bonum, adjacet malum. Tertiò, malum illud describit privatiuè: Non quod volo bonum, hoc facio, perficere non in venio. Quartò, positivam ejus pravitatem describit: Quod odi malum, hoc

Peccatũ vocetur concupiscentia quando ipse exercet.

facio.

Video autem legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ: hoc est, legi divinæ quam Spiritus sanctus scribit in corda renatorum, captivat me sub lege peccati quæ est in mẽbris meis. Ego ipse qui mente servio legi Dei, carne servio legi peccati. 5. Dicit concupiscentiam pugnare cum illo præcepto. Non concupisces. Et facit discrimen inter cõcupiscere, & concupiscentiæ obedire. 6. dicit tale esse malũ quod fit crucifigendum, mortificandum, expoliendũ, exuendum, destruendum. 7. Propter hoc peccatum Paulus renatus exclamat: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Explicatè, certè, distinctè & disertè Paulus loquitur. Vocat concupiscentiam peccatum: sed non regnans peccatum, quo desideria carnis perficiantur. Dicit enim, Mente servio legi Dei, non quod volo, sed quod odi, facio. Nec intelligit peccatum damnans. Nihil enim damnationis est iis, qui in Christo Iesu sunt. Num verò sicut Alphonsus fingit, concupiscẽtiam ut rem per se bonam, puram & sanctam, abusivè vocat peccatum, sicut Christus vocat peccatum? Nihil certè minus, Tridentini dicunt, vocari peccatum, vel quia est pœna, vel quia est causa peccati. Et hæc quidem ratio quòd sit pœna peccati, tractatur Roman. 5. quòd sit causa peccati, explicatur Rom. 6. Peccatum operatũ in me est omnem cõcupiscentiam, Roman. 7. Non ego hoc operor, sed inhabitans in me peccatum. Sed inquis: Si hæc quia vera sunt, conceditis concupiscẽtiam in renatis & pœnam esse peccati, & causam peccati: quid igitur contendimus? Respondeo: Hoc est κρισφύγετα, quod Pontificii contendunt, reliquias concupiscentiæ in renatis, à Paulo vocari peccatum: non quòd per se sit peccatum, sed tantùm hac sola ratione, quòd sit vel pœna, vel causa peccati. Longobardus lib. 2. dist. 32. dicit, concupiscentiam ante baptismum esse & pœnam & culpam: post baptismum verò, tantum esse pœnalitatem. Sed Paulus disputat, concupiscentiam quæ in renatis reliqua est, non tantùm esse pœnam, nec tantùm causam peccati: verumetjam hanc habere rationem peccati, quòd non sit bonum, sed malum: & tale malum, quod privativè & positivè repugnet legi Dei, quam Spiritus sanctus inscribit in corda credentium. Et Paulus agnoscit, malum illud per se dignũ esse morte æterna, nisi propter Christũ tegeretur, & non imputaretur. Inquit enim: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratias ago Deo meo per Dominum nostrum Iesum Christum. Nulla ergo nunc damnatio est in iis, &c. Manifestum igitur est, Paulum concupiscentiam quæ post baptismum in renatis reliqua est, vocare peccatum: non tantùm quòd sit & pœna & causa peccati: sed potissimum ideo, quòd sit malum pugnans cum lege Dei: quod tantum quia inest, in æternã mortem pertraheret (sicut inquit Augustinus) nisi propter Christum non imputaretur.

Pontificij.

De concupiscentia, quæstio ad Pontificios.

Restat jam quæstio: An propter hanc rationem, concupiscentia reliqua propriè & verè possit peccatum appellari. Vulgus & politici intelligunt hoc propriè esse peccatum, vel quando accedente consensu concupiscentia perficitur, vel quando peccatum peccatores reatu obstrictos tenet. Et juxta hunc modum, negat Augustinus concupiscentiam cui renati per spiritum resistunt, verè esse peccatum. Paulus verò de hoc politico judicio inquit, Rom. 7. Concupiscentiam non agnovissem esse peccatum, nisi lex diceret, Non concupisces. Cumq; juxta Augustinum, discrimen sit inter concupiscere, & post concupiscentias ire: alterum Paulus antea aliquo modo intellexit esse peccatum: sed prius illud, concupiscere, scilicet propriè & verè esse peccatum, dicit se non cognovisse nisi ex lege Dei. Paulus igitur ex lege & secundum legem Dei pronunciat concupiscẽtiam esse peccatum. Augustinus verò, eo modo sicut vulgus peccatũ intelligit, negat verè esse peccatum. Quæro jam, uter propriè loquatur. Augustinus ne ex vulgi usurpatione, an vero Paulus ex legis divinæ sententia? Ego arbitror quid verè & propriè sit peccatum, ex Paulo pronunciante secundum legis divinæ sententiam, sumendum & discendum esse: quicquid sit de vulgari usurpatione vocabuli peccati, quam Augustinus sequitur. Sed ut antea dixi, de rebus ipsis prius constituendum est cum Pontificiis: ne ex æquivocatione vocabuli peccati, quærant κρισφύγετα. An scilicet concupiscentia quæ in natis reliqua est, sit vel bonum, vel indifferens, vel malum: & tale malum quod pugnat cum lege Dei, quodq; reum facit hominem æternæ damnationis, nisi propter Christum non imputaretur. Constitutis autem rebus, postea de vocabulis seu appellationibus facilis est ratio. Non enim res vocabulis, sed vocabula rebus serviunt & accõmodanda sunt. Hæc sunt Scripturæ fundamenta in hac quæstione.

Augustinus.

VETERVM SENTENTIA *de Concupiscentia.*

Tridentinum verò decretum asseverat, Ecclesiam Catholicam nunquam ita intellexisse, quòd concupiscentia in renatis verè & propriè peccatum sit. Dicendum igitur aliquid est, quid vetustissimi Patres, de concupiscentia quæ in renatis reliqua est, senserint. Et ne longius eamus, ex illis veterum testimoniis, quæ Augustinus libr. 2. contra Iulianũ collegit, quia valde illustria sunt, ostendemus quæ fuerit veteris Ecclesiæ sententia. Ex Ambrosio Augustinus vocat vitia nostra, quæ legi mentis ex lege peccati resistunt: illorum reatus quidem in Baptismo periit, infirmitas verò manst. Item Ambrosius vocat iniquitatem, non illam quæ deletur in Baptismo, illorumq; peccatorum quæ fecimus fuit: quæ cuncta remissa sunt, atq; omnino jam non sunt. Istam verò legem peccati, cujus manentis reatus in sacro fonte remissus est, Ambrosius propterea vocavit iniquitatem: quia iniquum est ut caro concupiscat adversus spiritum, quamvis adsit in nostra renovatione justitia. Hæc Augustinus ex Ambrosio. Ibidem Ambrosius dicit, quandam delectationem esse divino mandato adversam, & de illa Paulum loqui, cùm inquit: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Ambrosius igitur nostram sententiam, ipsissimis verbis reddit & exprimit.

Hilarius vocat corpora nostra omnium vitiorum materiam. Mala quæ in nobis sunt, malicia

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per conditionem originis. Et ubi expresse de renatis, qui concupiscentiæ repugnant, Hilarius loquitur, inquit: Memores illa ipsa corpora nostra, omnium vitiorum esse materiam: per quæ polluti & sordidi, nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus. Et Cyprianus apud Augustinum malis motibus de origine venientibus fortiter resistens, inquit: Ne quisquã sibi de puro atq; immaculato pectore blandiatur, ut innocentia sua fretus, medicinam nõ putet adhibendam esse vulneribus, cùm scriptum sit: Quis gloriabitur, castum se habere cor? Aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccatis? Si autem nemo sine peccatis esse potest, quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superbus aut stultus est, &c. Obsecro autem Lectorem, ut hæc Hilarii & Cypriani verba conferat ad decretum Tridentinum: quod affirmat, in Baptismo ita tolli quicquid habet veram & propriam rationem peccati, ut renati efficiantur innocentes, immaculati, puri, innoxii. Patres certè planè contrarium dicunt: & tamen non verentur Tridentini, de consensu Catholicę Ecclesiæ gloriari.

Augustinus etjam hanc Hilarii sententiam citat: nos in hoc terreni, & morticini corporis habitaculo, mundos esse non posse, nisi per ablutionem cœlestis misericordiæ emundationem consequamur, post demutationem resurrectionis, terreni corporis nostri effecta gloriosiore natura. Item, ipsis Apostolis, verbo licet jam fidei emundatis atque sanctificatis, non deesse tamen maliciam per conditionem communis nobis originis, Dominus docuit, dicens: Si vos cùm mali sitis, &c.

Apostoli adhuc mali.

Hęc veterum testimonia quę Augustinus collegit, valde illustria sunt. Hieronymus in 7. capite Matthæi dicit προπάθειαν esse primos motus, quando ab initio movent & irritant, πάθος verò esse, postquam ad illos voluntatis consensus accesserit: Et de primis motibus dicit: Quamvis habeant culpam, tamen non teneri crimine.

Hieronymus.

Ipse Augustinus reliquam concupiscentiam vocat malum, & quomodo hoc intelligivelit, declarat per antithesin: non dicit esse bonam, non sanctam, sed malam, contra Iulianum libro sexto, capit. sexto. Et libro quinto, capite quarto, inquit: Discerne mala quæ per patientiam sustinemus, ab eis malis quæ per continentiam refrenamus, hoc est, affirmat concupiscentiam non tantùm esse malum pœnæ, sed & malum culpæ. Capit. 5. vocat vitium, contra quod virtute pugnandum est. Est igitur vitium tale quod virtuti opponitur, libro secundo, contra Iulianum: Lex peccati repugnans legi mentis, quę in tanti quoque Apostoli membris erat, remittitur in Baptismate, non finitur. De peccatorum meritis & remissione lib. 1. cap. 3. Per Baptismum Christi hoc agitur, ut caro peccati evacuetur. Non autem sic evacuatur, ut in carne cõcupiscentia innata non sit: sed ne obsit mortuo, quæ inerat vivo. Nam nec gradibus hoc præstatur in Baptismo, nisi fortè miraculo ineffabili: ut lex peccati repugnans legi mentis, penitus extingvatur, & non sit. Tractatu in Ioann. 41. Augustinus vocat reliquam concupiscentiam, langvorem obluctantem saluti nostræ. Alibi vocat infirmitatem succumbentem legi Dei. Præcipuè verò observanda est Augustini sententia, quæ extat contra Iulianum lib. 5. cap. 3. Quia enim Augustinus ante disputaverat, concupiscentiam in renatis non esse verè peccatum, sed pœnam peccati: Iulianus hoc arripuit, & dixit: Non ergo vituperanda, sed potius laudanda est illa inobedientia carnis, si pœna peccati est. Attende autem, quomodo Augustinus illam Iuliani objectionem quam ex illius verbis extruxerat, solvat. Dicit quædam simul esse & peccata, & pœnas peccatorum. Et declarat illud hoc exemplo: Sicut cæcitas cordis, & peccatum est quo in Deum creditur: & pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur: & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur. Et eandem dicit etjam rationem esse concupiscentiæ carnis. Expendamus autem Augustini verba: & disertè ostendet, se non loqui de concupiscentia ante baptismum in non renatis: nec de concupiscentia in renatis, quando regnat ut desideriis ejus obediatur. Inquit enim concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus. Quid verò illa est? Pœna, inquit, est peccati: quia reddita est meritis inobediẽtis. Est & causa peccati defectione consentientis, vel contagione nascentis. Et hactenus Tridentinum etjam Decretum consentit. Nunquid verò tantum est & pœna & causa peccati, sicut Tridentini contendunt. Sicut etjam Longobardus dicit, ante Baptismum esse & peccatum, & pœnã peccati: sed post Baptismum, in renatis tantùm esse pœnalitatem. Sed August. disertè ponit concupiscentiam carnis, adversus quam bonus concupiscit Spiritus, non tantùm esse pœnam & causam peccati: sed præterea adjungit tertium, esse scilicet etjam peccatum: sicut multa simul sunt & peccata, & pœnæ peccatorũ. Declarat etjam quam habeat rationem peccati: quia, inquit, inest illi inobedientia contra dominatum mentis. Hæc manifestissima est retractatio, seu explicatio ejus, quod antè incommodius dixerat, reliquam concupiscentiam non esse peccatum, sed pœnam & causam peccati. Cùm enim Iulianus ex illis Augustini dictis objectionem formaret, concupiscentiam non vituperandam, sed potius laudandam si nõ sit peccatum, sed pœna peccati: Ibi Augustinus agnoscit & fatetur non satis esse, quod tantum antea sæpe dixerat, concupiscentiam in renatis tantùm esse pœnam & causam peccati: sed addit tertium, esse scilicet etjam peccatum. Et rationem addit: Quia scilicet inest ei obedientia contra dominatum mentis: in qua scilicet bonus spiritus concupiscit adversus carnem. Consideret igitur Lector, quo candore Pontificii Augustini sententias, cõtra apertissimam ipsius declarationem eò contrahant, quasi concupiscentia in renatis nõ sit peccatum, sed tantùm sit vel pœna, vel causa peccati. Operæprecium autem est Lectorem commonefacere, quàm sycophãticè conentur clarissimã hanc Augustini explicationem eludere. Et aliquot depravationes recitabo, ut Lectori eò commendatior sit hæc Augustini sententia. Eccius in Colloquio Vvormacensi, primò dixit Augustinum ibi loqui de concupiscentia in non renatis. Cùm verò hoc manifestè refutaretur (Augustinus enim

Concupiscentia quæ pœna peccati, & ipsa peccatum.

Concupiscentia in renatis quid?

Eccius.

enim nominat concupiscentiam, adversus quã bonus concupiscit Spiritus) ibi Eccius dixit, non esse figendum pedem in eo loco, ubi Augustinus contra adversarium pugnat. Colonienses contra librum reformationis, his verbis conantur elabi: Fatetur quidem Augustinus, concupiscentiæ in renatis inesse obedientiam contra dominatum mentis: sed non dicit, ajunt, talem inobedientiam in baptisatis, prædominante in eis mente, esse peccatum. Atqui Augustinus clarè dicit, concupiscentiam in renatis hanc ipsam habere rationem peccati, quia inest ei inobedientia contra dominatum mentis. Andradius meus tale fingit glossema. Augustinum concupiscentiam tunc vocare peccatum, quando mens cupiditatum procellis agitata, divinam legem conculcat. Sed hoc manifestè falsum est. Augustinus enim dicit, se loqui de illa concupiscentia, adversus quam bonus concupiscit spiritus. Et manifestè distinguit defectionem consentientis, ab inobedientia quæ per se inest concupiscentiæ. Augustini igitur sententia est, concupiscentiam in renatis etjam quando non adest defectio consentientis, sed quando bonus spiritus adversus eam concupiscit, tamẽ esse peccatum: quia insit ei inobedientia contra dominatum mentis. Superbum sanè oportet esse ingenium Andradii, qui quasi pro imperio contra manifestissima Augustini verba, suas nobis obtrudit depravationes: sed talibus, ut video interpretationibus assuevit in Concilio Tridentino.

Colonienſ.

Andradius.

Auguſtinus.

Nos verò illam Augustini sententiã ideo probamus, quia sumpta est ex Paulo Romanorum 7. ubi concupiscentiam vocat peccatum: & addit rationem, quia repugnet legi mentis. Etjam dignum est observatione, quod ipsa evidentia disputationis Paulinæ, coëgit Augustinum sæpe aliter de reliqua concupiscentia loqui, quàm alibi vulgari more solet disputare: ut tracta. 41. in Iohannem recitat varias significationes vocabuli peccati. Christus enim vocatur peccatum: infantes ante baptismum habent peccatum: non renati habent peccatum, de quo scriptum est: qui facit peccatum, servus est peccati. Renati verò, inquit, liberati sunt à peccato. Num verò ita, ut sine omni omnino sint macula peccati? Audi quomodo loquatur: Liberati, inquit, sunt à peccato: quia carent criminibus & querela. Sed illa, inquit, est inchoata, non perfecta libertas: nondũ est tota, nondum pura libertas: quia, video aliam legem in membris, &c. Item: Quicquid peccatũ est à nobis, antea deletum est in Baptismo. Sed nunquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Certè si non remansisset, sine peccato hic viveremus. Si ergo carne servis legi peccati, fac quod ait Apostolus: Non regnet peccatum in mortali corpore nostro. Non ait, Non fit: sed: Non regnet. Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis saltem illi regnũ auferatur: non fiat quod jubet. Et ibidem tractans de discrimine peccati regnantis & non regnantis, inquit: Non ergo Deus quædam peccata damnat, quædam justificat & laudat. Nulla laudat, sed odit omnia: sicut Medicus odit ægritudinem, & id agit curando, ut ægritudo pellatur: Sic Deus gratia sua hoc agit in nobis, ut peccatum consumatur. Sed quomodo consumitur? Minuitur in vita proficientium, in vita consumetur perfectorum. Audis, per gratiam Baptismi minui quidem peccatum, non autem consumi in hac vita. Et hanc postremam Augustini sententiam ideo asscripsi, ut Lector cum ea conferat quod Tridentinum Concilium dicit: In renatis nihil odit Deus. Augustinus verò dicit, Deum odisse peccatum, etjam in renatis: sed in non renatis ita odio peccatum, ut propterea personam odio habeat & damnet. In renatis verò ita odit peccatum, sicut medicus propter ægritudinem ægrotum, cujus curationem suscepit, non odit: sed personam quidem ægroti diligit, morbum verò odit: & ita odit, quòd studet illum pellere ab ægroto.

Peccatũ regnans & non regnans.

ARGVMENTA PONTIFICIORUM.

// Sed vera sententia ex Scripturæ fundamentis jam confirmata, cui etjam antiquitatis consensus accedit, super est ut de argumentis Pontificiorum quædam dicamus. Et Tridentinum Decretum hoc potissimùm utitur argumento: Baptisati, Deo dilecti effecti sunt. Ergo in renatis nihil odit Deus: sed sunt innocentes, immaculati, puri, innoxii. Et per consequens, concupiscentia quæ in renatis manet, non habet rationem peccati. Sed plana est responsio, si consideretur quod Scriptura tradit, Deum renatos diligere, non ideo quòd natura ipsorum omni ex parte perfectè fit pura, immaculata & innoxia: sed propter filium mediatorẽ, quem in baptismo induimus. Quid enim de immundicie, quæ etjam in renatis hæret, post Paulũ, Cyprianus & Hilarius sentiant, suprà ipsorum verbis ostẽsum est. Tridentini verò veteratorie hoc invertunt: Quia renatos Deus diligit: ergo nihil est in ipsis quod possit odisse, etjamsi in judicium vellet cum ipsis intrare, sed omnia in renatis sunt pura & immaculata. Scriptura verò fortiter hoc negat. Tradit enim, multa hærere in renatis, quæ Deus posset odisse & damnare, Romanorum septimo. Sed causam dilectionis Dei erga nos, collocat extra nos in CHRISTO IESV. Romanorum octavo. Nemo separabit nos à charitate Dei, quæ est in Christo IESV Domino nostro. Vt ita maneat quod Daniel inquit: Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei nostræ. Ita quod Roma. 8. Paulus dicit: Nihil est damnationis iis, qui in Christo Iesu sunt. Tridẽtini ita accipiunt, quasi Paulus doceat, in renatis nihil esse damnabile, vel dignum damnatione, etjamsi Deus in judicium nobiscum intraret. Sed Paulus Roma. 7. tristi querela materiam mortis in sua carne, multis verbis describit. Quòd verò non damnatur, adscribit non suæ puritati, sed inquit: Gratias ago Deo per Iesum Christum. Et addit: Nulla ergo nunc condemnatio est in iis, qui in Christo Iesu sunt: hoc est, licet in carne renatorum nil habitet boni, sed sit corpus mortis: quia tamen in Christo Iesu sunt: propter ipsum non damnantur. Allegant & hoc Tridentini, quod Paulus dicit Rom. 6. Consepulti sumus cum Christo per Baptismũ in mortem. Sed nunquid ita quòd ma-

Primum Argumentum Trident.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum originale subitò & penitus in carne renatorum extinctum est in Baptismo? Certè Paulus post Baptismum renatis præscribit, ut crucifigant & mortificent veterem hominem. Mortui igitur sumus peccato in Baptismo, quia reatus peccati solutus est, mortificatio verò inchoata est. Et tamen Tridentini, mortem peccati ita interpretantur, quasi totum malum originale simpliciter & penitus sit mortuum & sepultum, ita ut nihil amplius restet in renatis, in hac vita mortificandum. Et quàm reverenter Scriptura tractetur in Tridentino Concilio, hoc etjam exemplum ostendit. Scriptura tradit, in Baptismo veterem hominem exui, & indui novum: sed quantum ad novitatem attinet, renatos hortatur, ut per totam hanc vitam deponant seu exuant veterem, & induant novum, Ephes. 4. Col. 3. *Tridētinum decretum.* Quod sanè non diceret, si in baptisatis in hac vita, vel novitas esset perfecta, vel nihil reliquum esset vetustatis: tunc enim natura prorsus esset pura & immaculata. Tridentini verò patres hoc ita depravant, quasi illud exuere & induere, in baptismo subitò penitus absolutū & perfectum esset. Ita enim habet ipsorum decretum: Baptisati veterem hominem exuentes, & induentes novum, immaculati, puri, & innoxii sunt. Præmittunt autem solennè protestationem, se nolle illud intelligi de imputatione: ergo de inhærente puritate. Et quidem cùm fateri cogantur, renatos adhuc esse in actu exuendi veterem, & induendi novum: pronunciant tamen, ipsos jam esse puros & immaculatos: idq; non imputativè. *Augustinus.* Quantò rectius Augustinus, de peccatorum meritis & remissione libro secundo, capite octavo inquit: Si in homine interiore perfecta in baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus: Et si exterior noster homo corrumpitur: sed interior renovatur de die in diem. Profectò enim qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus. Et in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc in vetustate est, &c. Baptisatos nihil sanè remoratur ab ingressu cœli, sicut Decretum inquit. Sed hoc ideo, quia CHRISTO insiti sunt, qui est justitia nostra. Tridentini verò hoc ita intelligunt, ut si remoto gratiæ umbraculo, Deus post baptismum nobiscum in judicium intret: nihil tamen reperire posset, quod nos ab ingressu cœli remorari posset. Tot igitur sunt Scripturæ depravationes, quot verba in hoc decreto. Illud verò demum formidabile est argumentum, quòd dicunt: Concupiscentia iis, qui viriliter per Christi gratiam repugnant, nocere non valet: imò qui legitimè certaverit, coronabitur. Ergo concupiscentia reliqua non habet veram & propriam rationem peccati. Sed nec Diabolus nocere potest saluti eorum, qui fide ipsi resistunt, 1. Petr. 5. Et qui legitimè contra Diabolum certaverit, coronabitur. Respondeo igitur Augustini verbis, qui lib. 5. cap. 3. contra Iulianum inquit. Eodem modo posses etjam malos Angelos à culpa absolvere. Valde enim disertus es, & idoneus dicere panegyricum Satanæ, & angelis ejus. Neq; etjam ideo bona erit concupiscentia, quia per Spiritū mortificatur & superatur: *Augustinus.* sicut rectè dicit Augustinus contra Iulianum libro 6. cap. 8. Neque enim nulla est iniquitas, cùm in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus turpiter reluctātur, etjamsi vincere non sinantur.

Et hæc quidem argumenta, Tridentini patres scripto complexi sunt in suo decreto. Præter hæc verò, sine dubio privatim alia etjam inter ipsos agitata fuerunt: quorum nobis Andradii liberalitas copiam facit. Sumit autem hoc quod in confesso est, peccato inesse duo: reatū, quo personam obstringit: & turpitudinem, maculam, iniquitatem, seu malitiam, quæ in ipso hæret peccato, ut per se sit aliquid displicens Deo. Quando igitur Tridentini dicunt, reliquias concupiscentiæ in renatis nō habere veram & propriam rationem peccati, Andradius dicit hunc esse sensum: Non tantùm reatum tolli, sed manente concupiscentia, exipsa tolli maculam, turpitudinem, iniquitatem seu malitiam, ita ut in renatis Deus illam nō possit odisse. Hoc Lector bene notet. Præstruxerat autem Andradius antea, concupiscentiam per se, etjam ante baptismum, propriè non habere rationem peccati, nisi abesset justitia originalis qua cohiberetur. Cùm igitur in baptismo reddatur justitia reprimens concupiscentiam, ideo illam per se non esse peccatum. Hoc autem non statim proponit, sed prius colores aliquos quærit ex Scriptura. Rhetoricè igitur & prolixè declamitat Andradius: An gratiæ Dei, meriti Christi, & efficaciæ Sacramentorum tanta sit imbecillitas, ut non possit in baptismo subitò & penitus tollere quicquid habet peccati rationem? Num igitur, inquit, tantæ sunt peccati vires, ut nec gratiæ Dei, nec meriti Christi, nec baptismi vi atque virtute superari possint in baptismo? Plus ne ergo Adæ malitia obfuit, quàm Christi meritum renatis possit? &c. Breviter autem & simpliciter respondeo: A possibili ad inesse, non esse firmam argumentationem. Posset sine dubio gratia Dei, propter meritū CHRISTI, per efficaciam baptismi, subitò tollere ex baptisato, totum originale malum, ipsum etjam fomitem concupiscentiæ, & mortem corporis: quæ tamen Pontificii concedunt manere in renatis. Quid si hoc loco ab Andradio mutuarer exclamationes? Tanta ne igitur imbecillitas est sanguinis Christi, quòd mala illa subitò & penitus non potest tollere in baptismo? Quid si exclamem, blasphemum esse Andradium in virtutem & efficaciam mortis & sanguinis CHRISTI: qui concedit mala illa, fomitem scilicet mortem corporis, &c. per baptismum nec subitò nec penitus in hac vita tolli? Quicquid responderit, agnoscat oportet, incisum esse nervum illorum argumentorum de possibilitate, quæ grandiloquētia sua speciosè exornavit. Simplex enim & vera regula est: Quid gratia Dei, meritum Christi, & efficacia baptismi, in renatis operetur, quomodo & quo ordine, statuendum esse ex verbo Dei, non ex argumentationibus à possibili. Tradit autem verbum Dei, sicut suprà testimoniis Scripturæ probatum est, gratiam Dei in baptismo dare plenam & perfectam indulgētiam omnium peccatorum: mortificationem verò & renovationem in hac vita inchoari, & quotidie augeri in renatis: sed absolutionem & perfectionem in altera demum

demum vita fore. Nullum autem est dubium, gratiam Dei subitò, & uno momento hoc perficere & absolvere posse. Sed Scriptura testatur, DEVM certo consilio hoc non facere in hac vita, neque tamen hoc quicquam derogat efficaciæ gratiæ Dei, & meriti CHRISTI. Virtus enim Dei, in infirmitate perficitur. Et etjamsi nulla nobis constaret ratio, cur Deus inchoatum renovationis beneficium, in hac vita non velit subitò perfectum & cōsummatum reddere: sed in magna infirmitate conservare, augere, & tandem ad perfectionem deducere, quæ in altera vita futura est: sufficere tamē nobis deberet, quòd Scriptura testatur, Deum hoc modo & ordine in renatis operari. Et tamen certum est, posse ipsum uno momento hoc absolvere. Quòd verò illud non facit, bona ejus est voluntas: cujus certas ipsum habere rationes, non est dubium. Rhetoricationes igitur Andradii de possibilitate, opposita hac simplici responsione, per se concidunt & evanescunt.

Augustinus. Addam illustrem Augustini locum, qui contra Iulianum libro quarto, ca. tertio, planè eandem tradit solutionem. Quasi, inquit, nos negemus, adjutorium Dei tantùm valere, ut hodie nullas concupiscentias malas habere possimus, contra quas vel invictissimè dimicemus. Et tamen non fieri, nec tu negas: cur autem non fiat, quis cognovit sensum Domini? Non tamen parum scio, cùm scio, quæcunq; illa causa sit, quòd nec justi Dei sit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Est igitur aliquid in ejus abdito altoq; consilio, cur quamdiu vivimus in hac carne mortali, est in nobis contra quod mens dimicet nostra. Est etjam propter quod dicamus: Dimitte nobis debita nostra. Et paulò infra: Ideo factum est in loco infirmitatis hujus, ne superbè viveremus, & sub quotidiana peccatorum remissione vivamus. Sed sive ista causa sit, sive alia quæ multò amplius me latet: tamen quod dubitare non possum, quantūlibet proficiamus sub hoc onere corruptibilis corporis, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, &c. Propter quod & sancta Ecclesia, etjam in talibus suis membris, ubi maculam criminis & rugam non habet falsitatis, licet contradicente superbia vestra, non desinit Deo dicere: Dimitte nobis debita nostra.

Alia argumenta Pontificiorum. Sed Scripturæ etjam testimoniis pugnat Andradius: quibus quomodo utatur, videbimus. 1. Cor. 6. Et hæc quidem fuistis, sed ablutі estis, sed sanctificati estis. Ergo nihil restat in renatis contaminatum. Respondeo: Quod attinet ad remissionem peccatorum & ad imputationē justitiæ, baptisati quia Christum qui est justitia nostra, induerunt, habent in ipso mundiciem perfectissimam. Mundicies verò renovationis seu satisfactionis, tantùm inchoata est. quæ quotidie crescere debet, donec perficiatur, quod in altera vita futurum est. Et hæc est ipsius Pauli explicatio. Ita enim eos, quos 1. Cor. 6. dicit ablutos & sanctificatos, postea 2. Corin. 7. alloquitur. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes sanctificationem. Ita igitur ablуti & mūdati sunt baptisati, ut opus sit ipsis hac exhortatione: Mundemus nos ab omni inquinamento. Sed inquis: Fortè intelligit Paulus inquinamenta sordium, quas post baptismum peccatis actualibus, communicatione cum idolis, contraxerant? Non nego & hoc Paulum comprehendere: sed in ipsis etjam renatis hærere quod quotidie expurgandū sit, Paulus ostendit 1. Corinth. 5. ubi renatos dicit esse azymos, & tamen debere expurgare vetus fermentum. Nec intelligi hoc poterit reliquos Corinthios esse sine omni vetustate, tantū ut incestuosum expurgent. Nam Eph. 4. Col. 3. ipsos renatos alloquitur, cùm jubet deponere & exuere veterem hominem. In ipsis igitur renatis reliqua est vetustas, quotidie expurganda. Ita Ioh. 15. de palmite jam ferente fructum, Christus inquit: Pater meus purgat ipsum, ut plus fructus afferat. Et epistola Iudæ, vocat tunicam à carne inquinatam. Quod autem mundum & purum est, non potest alterum maculare. Sunt igitur baptisati, mundati: & tamen quotidie opus habent purgatione. Vos, dicit Christus Apostolis, mundi jam estis propter sermonem meum. & tamen pater meus quotidie purgat vos. Ita sanctificati sunt in baptismo. Sed Paulus hortatur, ut perficiant sanctificationem. Inchoata igitur, non perfecta est in hac vita sanctificatio. Et planè eodem modo Augustinus dictum illud Pauli explicat, contra Iulianum lib. 6. capite 5. quod Paulus ait: Et hæc quidem fuistis, sed ablуti estis, sed sanctificati estis. Mutatos eos dixit in melius: non ut concupiscentia careret, quod in hac vita fieri non potest: sed ut ei non obedirent, quod in bona vita fieri potest: utiq; ab eo quo erāt vinculo ejus obnoxii, liberatos se esse agnoscerent. *Augustinus.*

Ita quod Hebræorum primo scriptum est: Purgatione peccatorum per seipsum facta, consedit in excelsis. Ibi Andradius urget (præteritum) quod facta jam sit purgatio peccatorum. Sed si hoc modo libeat aoristum urgere, dicemus peccata nostra priusquam baptisaremur, imò priusquam nasceremur, purgata fuisse. Dicit enim hoc factum, priusquam in cœlos Christus ascenderet. Et de sacrificio quidem Christi, quo pro omnibus peccatis in cruce satisfecit, hoc verū est. Sed nostra quæstio est, quomodo & quando in nobis fiat peccatorum purgatio? Dicimus autē eam fieri, primò remissione, solutione reatus, seu non imputatione. Deinde mortificatione & renovatione, quæ in hac vita inchoatur, crescit & augetur, absoluta autem erit in altera demum vita. Ita prima Ioan. primo: Si in luce ambulamus, communionem habemus cū Deo: & sanguis filii ejus, emundat nos ab omni peccato. Et addit Ioannes: Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos seducimus, quod si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut dimittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate. Complectere jam integram Ioannis sententiam: Nemo potest communionem habere cum Deo, nisi prius habeat purgationem peccatorum. Sed etjam quando jam habent communionem cum Deo, & ambulant in luce, tamē adhuc emundantur à peccato. Et ita emundati, quotidie confitemur peccata, ut mundet nos ab omni iniquitate, continua ergo est emundatio peccati. Ita Hilarius apud Augustinum libro se- *Hilarius.* *Argumen. ex 1. cap. epist. ad Hebræos.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cundo, contra Iulianum dicit, nos in hoc terreni & morticini corporis habitaculo, mundos esse non posse: nisi per ablutionem cœlestis misericordiæ, emundationem consequamur: post demutationem resurrectionis, terreni corporis nostri effecta glorioſiore natura. Quibus verbis *Augustinus.* Augustinus addit hanc explicationem: Vides quòd Hilarius nec in hac vita mundationem nostram neget, & tamen humanam perfectionem speret: id est, perfectioris mundationis in ultima resurrectione naturam. Ibidem etiam Hilarius explicat, quomodo in renatis per totam vitam fiat purgatio peccati, colluctantium adversus nos passionum concertatione: convertente scilicet divina misericordia malitiam Diaboli ad purgationem nostram. Cùm enim per infirmitatem animi surrepentia incentiva reprimuntur, emundamur à peccato per hujus victoriæ gloriam. Et tandem concludit: Conscii igitur illa ipsa corpora nostra, omnium vitiorum esse materiam: per quæ polluti & sordidi, nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus: gaudeamus nobis esse hostē, in cujus concertatione bello quodam dimicemus, &c. Augustinus et- *Augustinus de mundicie renatorum in hac vita.* jam de perfectione justitiæ, mundiciem renatorum in hac vita ita describit: Ingredi sine macula, non absurdè etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est: sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis. Ingressum quippe hoc iter nostrum, quo tendimus ad perfectionem, munda mundat oratio, ubi veraciter dicitur: Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus. Vt dum reprehenditur quod non imputatur, sine macula noster ad perfectionem habeatur cursus: in qua perfectione cùm ad eam pervenerimus, jam non sit omnino, quod ignoscendo mundetur. Has veterum sententias ideo adscripsi, ut Lector videat, non nostras esse explicationes, quòd renati mundi sint in hac vita, imputatione & inchoatione. Andradius verò hoc urget, non tantùm baptisatum mundari, sed ipsa peccata purgari in baptismo. Et quia in peccato duo insunt, peccati turpitudo, & reatus: sentit Andradius, non tantùm reatum, verùm etiam turpitudinē ex concupiscentia, quæ in renatis manet, in baptismo tolli. Erit igitur id quod Iuliano Augustinus tribuit, cōcupiscentia ita per Baptismum sanctificata, ut jam sit bona, justa, & sancta Dei filia. Sic perge Andradi.

Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum.
Si vis esse aliquid.

Argumentū Pontific. ex epistol. Pauli ad Titum capite 3. Ad Titum 3. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quē effudit in nos abundè. Nihil igitur restat peccati, in illis in quos Spiritus sanctus abundè effunditur. Respondeo: Paulus non dicit, Spiritum sanctum renovationem in illo momento, quando homo baptisatur, perficere & absolvere: sed effunditur in baptismo super renatos, ut interior homo de die in diem renovetur, 2. Corinth. 4. Et in quantum non est renovatus, in tantum adhuc in vetustate est, inquit Augustinus. Baptismi igitur efficacia, per totam vitam renatorum se extendit, & morte demum absolvitur: donec mortale hoc induat immortale, & corruptibile induat incorruptionem, 1. Cor. 15.

2. Corinth. 6. Quæ societas luci ad tenebras? quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Ergo in baptisatis nihil reliquum est peccati. Respondeo: Paulus hoc agit, peccatum mortale non stare cum justitia fidei, sicut vulgò loquimur. Sed Andradius ita intelligit, quasi non posset in uno homine simul esse vetustas & novitas, caro & spiritus, lex mentis & lex peccati. Expostulet igitur cum Paulo, qui hoc disertè affirmare, & crebris repetitionibus inculcare non veretur. *Argum. ex 2. epist. Cor. 6.*

Ephesios 5. Sanctificavit Ecclesiam, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipsam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam. Hanc Pauli sententiam Pontificii semper ita citant, quasi Paulus scripserit: Christus mundavit Ecclesiam: & sistit eam, in hac scilicet vita, statim post baptismum, sine macula & ruga, cùm Paulus dicat: Mundavit Ecclesiam, ut sistat eam sine macula & ruga. Sed quando? tunc inquit, quando futura est gloriosa. Conjunguntur enim gloriosa, sine macula & ruga. Tunc autem futura est gloriosa, sicut inquit Paulus ad Colossenses tertio: Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria. Et Romanorum quinto: Gloriamur spe gloriæ Dei. Christus ergo nunc Ecclesiam mundat lavacro aquæ in verbo abluens peccata præterita, & pellens ab ea dominationem malorum angelorum. Deinde perficiens ejus sanitates, facit eam occurrere in illam gloriosam sine macula & ruga. Hæc est Augustini explicatio, de perfectione justitiæ. Et contra Iulianum libro secundo, citat hanc Hilarii sententiam: Ipsis, inquit, Apostolis, verbo licet jam fidei emundatis atque sanctificatis, non deesse tamen malitiam per conditionem communis nobis originis, docuit dicens: Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris. Operæprecium verò est considerare, quòd Pelagiani illam Pauli sententiam, Ephesios quinto, planè eodem modo, sicut nunc Pontificii opposuerunt Augustino. Ita enim inquit de bono perseverantiæ libro secundo, capite quinto: Etiam hoc Pelagiani audent dicere, hominem justum in hac vita nullum habere omnino peccatum: & in talibus hominibus esse jam in præsenti tempore, Ecclesiam non habentem maculam neque rugam: tanquam sponsa Christi non sit, quæ per universam terram quod ab eo didicit, dicit: Dimitte nobis debita nostra. Et ad Bonifacium libro quarto, capite septimo: Dicunt Pelagiani, baptismo perfectè homines innovari: atque ad hoc Apostoli adhibēt testimonium, ad Ephesios quinto. Sed si dixerint se non habere peccatum, respondet eis Iohannes, quòd seipsos decipiant, & veritas in eis non sit. Si autem confiteantur peccata sua, cùm se velint esse Christi corporis membra; quomodo erit illud corpus, id est, Ecclesia in isto adhuc tempore perfecta, sicut ipsi sapiunt, sine macula & ruga: cujus membra non mendaciter confitentur se habere peccata? Quapropter & in baptismate cuncta dimittūtur peccata, & per ipsum lavacrum aquæ in verbo exhibetur *Argumentū ex 5. cap. epist. ad Ephes.*

Argumentū ex 9. cap. epi. ad Hebræos. betur Christo Ecclesia sine macula & ruga. Quia nisi esset baptisata, infructuosè diceret: Dimitte nobis debita nostra: donec perducatur ad gloriam, ubi ei perfectius nulla insit macula & ruga.

Hebr. 9. Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata. Sed quorum vel tenues reliquiæ manent, exhausta dici nullo modo possunt. Renati igitur nullas vel tenues peccati reliquias habent. Ita Andradius. Primò autem consideret Lector, quomodo Andradius abutatur verbo exhauriendi, quod in vulgata editione extat: cùm textus habeat verbum ἀνενεγκεῖν quod significat vel offerre, vel portare. 1. Petr. 2. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Et textus Hebræorum 9. opponit duo illa: Semel oblatus est, ut multorum peccata tolleret: in secundo verò adventu, apparebit sine peccato. Plena igitur abolitio peccati tunc demum futura est.

Et si quæ aliæ similes sententiæ ex Scriptura opponuntur, generalis explicatio & solutio consistit in tribus hisce capitibus. Primò, sicut Paulus inquit Romanorum octavo, Liberati sumus à lege peccati & mortis: quia licet in nostra carne habitet peccatum, carne serviamus legi peccati: nihil tamen damnationis est in iis, qui in Christo Iesu sunt. Secundò, Mortui sumus peccato. Romanorū sexto, Et vetus noster homo cum Christo crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut non amplius serviamus peccato. Tertiò, Cùm mortale hoc induerit immortalitatē, tunc fiet sermo qui scriptus est: Vbi est mors stimulus tuus: Stimulus autem mortis, est peccatum, 1. Corinth. 15. Ita generalis est Augustini responsio, contra Iulianum, libro sexto, capite 5. Ad illam quoque perfectionem quæ speratur, eodem baptismate quod hic accipitur, pervenitur. Et libro secūdo: sanat vitiatum, à reatu statim, ab infirmitate paulatim. Et tractatu 41. in Ioannem: Post regenerationem baptismi, inquit, precemur medicum, saucii portemur in stabulum curandi. Et illustris est Augustini sententia, quæ omnibus objectionibus opponi potest, libro 1. de meritis peccatorum, cap. 27. Tractans enim quęstionem, quomodo peccatum quod parenti remissum est, filio nisi renascatur, obsit, respondet: Quia renovati parentes, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis, carnaliter generant. Et addit: Illud præcipuè propter quæstiones, quæ hac de re motæ sunt, vel moveri adhuc possunt, attendere & meminisse debemus; tantummodo peccatorum omnium plenam perfectamq; remissionem baptismo fieri, hominis verò ipsius qualitatem non totam continuò commutari, sed spirituales primitias in bene proficientibus, de die in diē, novitate crescente, commutare in se quod carnaliter vetus est: donec totum ita renovetur, ut animalis etiam infirmitas corporis, ad firmitatem spiritalem incorruptionemq; perveniat. Ita Augustinus. Andradius verò contendit, non tantùm reatum solvi, verùm etiam quicquid in concupiscentia habet rationem peccati, aboleri. Parentes igitur renovati, transmittent ad filios talem concupiscentiam, ex qua quicquid peccati rationem habet, extirpatum est. Conciliet Andradius, qua est grandiloquentia, hāc suam sententiam cum Augustino.

Si verò baptizatus statim moriatur, dicimus cum Augustino lib. 2. de peccatorum meritis, capite 28. Si continuò consequatur ab hac vita migratio: non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quæ tenebant.

Hæc de sententiis, quæ ex Scriptura opponi solent, dicta sint. Quod enim Andradius ex Hieronymo citat, in baptismo veterē Adamum prorsus interisse: item baptismū ex toto novum hominem facere, nihilq; veteris relinqui: ostendit, quales sint tortores Patrum Pontificii. Cùm enim Paulus ubiq; clamitet, veterem hominem, licet cum Christo in baptismo crucifixum, manere tamen in renatis, ita ut in hac vita semper sit mortificādus, deponendus & exuendus, Rom. 8. Galat. 5. Ephes. 4. Colos. 3. Andradius Hieronymum honorifica afficit contumelia: quasi contra Paulum sentiat, veterem hominem in baptismo prorsus interisse, ita ut prorsus nihil vetustatis relinquatur in renatis in hac vita. Et hactenus Andradius prætextu qualicunq; ex Scriptura reliquias concupiscentiæ circumvestitatis in theatro circumduxit, ut specie aliqua spectatorum oculos falleret. Audiamus jam porrò, quomodo in Concilii penetralibus, de concupiscentia quæ in renatis est reliqua, didicerit philosophari. Multis astruit politicum illud axioma: Nihil habere rationem peccati, nisi sit volūtarium. Sed Roma. 7. Paulus inquit: Non quod volo, sed quod odi, facio. Galat. 5. ait: Vt non quæcunque vultis, eadem & faciatis. Ergo concupiscentia in renatis, quando non accedit consensus, nullam prorsus habet rationem peccati. Quia verò objicitur, concupiscentiam etiam in renatis esse ἀνομίαν, propterea quia dissidet à norma legis, & cum illa pugnet: & quia lex est norma justitiæ in Deo: quicquid igitur ab illa norma dissidet, & cum ea pugnat, habet rationem peccati. Argumenti hujus mole, premi se omnes Pontificii sentiunt, ideo varias quærunt rimas ut elabantur. Colonienses contra librū reformationis intelligunt, si concedatur concupiscentiā esse ἀνομίαν, continuò sequi, quòd habet in se verā rationem peccati. Tergiversantur itaq; legem non accusare & arguere ipsam concupiscentiā: sed hoc tantum, si perficiatur concupiscentia. Pighius vult hoc esse absurdum, si dicatur concupiscentiam ante baptismū in non renatis habere verā rationem peccati, propterea quia à lege Dei dissidet, & cum ea pugnat: illam verò post baptismum in renatis, licet repugnet legi mentis, ab omni culpa peccati, & iniquitatis ratione, ita absolvere, non tantùm ut personam baptisatā non faciat ream, sed ut ipsa concupiscentia amplius non habeat ullam rationem peccati. Hoc Pighius existimat valde absurdum esse. Ipse igitur contendit concupiscentiam etiam ante baptismū, non esse ullā ἀνομίαν, sed conditionem naturæ bonā, sanctam & justam. Andradius verò cum Iesuitis concedit concupiscentiā in renatis esse ἀνομίαν, hoc est, dissidere à lege Dei, & cum ea pugnare: & tamē fortissimè contendit, nullā prorsus habere rationē peccati. Sed quo, inquis, artificio potest contra evidentissima principia disputare? Audi quæso perfricat frontem, & superba voce detonat: non *Colonienses.* *Pighius.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnem ἀνομίαν esse peccatum, sed ἀνομίαν esse genus peccati, sicut animal hominis. Sicut ergo quoddam animal est rationale, quoddam irrationabile: ita forsan quædam ἀνομία erit mala, quædam bona: quædam justa, quædam injusta: quædam iniqua, quædam sancta: quædam displicens Deo, quædam placens: quædam erit peccatum, quædam bonum opus, vel saltem indifferēs. Sed cùm divina voluntas sit certa & immota norma & virtutis & vitii, quæ norma in lege patefacta est, unde Paulus dicit: Per legem agnitio peccati. Item: Peccatum non agnovissem, nisi lex diceret: Non concupisces: Quomodo quæso Andradius firmissimū illud axioma potest infringere? Respondeo: Eludit tantùm puerili & frigidissimo hoc sophismate: Diaboli & homines scelerati repugnant legi Dei: & tamen Diabolus nō est peccatū, & impius homo non appellatur peccatum, sed peccator. Ergo non omne quod legi Dei repugnat, est peccatum. De re grāvissima agitur, quomodo scilicet lex Dei doceat agnitionem peccati, quæ rationi ignota est. Andradius verò quasi cū pueris de talibus luderet, objecto sophismate, ridet, non solvit argumentū. Peccator & peccatum sunt cōjugata, & peccator sanè nō est ipsum peccatum. Hoc tamen certissimum est, sine peccato nullum esse peccatorem: sed peccatorem & esse & dici, ratione peccati, seu propter peccatum. Ita homo impius repugnat legi Dei: sed quomodo? an ratione substantiæ, an verò ratione peccati, quo vitiata est substantia? Certum est autē, nullam substātiam posse legi Dei repugnare nisi per peccatum, vel ratione peccati. Vsq; adeo certum, firmum & fixum est, quicquid à norma justitiæ in Deo quæ in lege patefacta est, dissidet, & cum ea pugnat, habere rationem peccati.

In Græcis vocibus planè nullus est locus Iesuitarum sophismati. Si enim dicam: Impii homines sunt ἄνομοι, sed non sunt ipsa ἀνομία: ergo nō omnis ἀνομία est peccatum. Quàm ridiculum sit argumentum, omnes intelligunt. Quando verò Ioannes dicit: Peccatum est ἀνομία: Latinè non potest commodius reddi, quàm si dicamus: Peccatum est, quod à lege Dei dissidet, sive, quod legi Dei repugnat. Ex illis Latinis vocibus, sumit Andradius post Iesuitas, occasionem cavillandi, cùm non ignoret, cavillum illud in Græcis vocibus prorsus nullum habere locum, sicut ex hoc exemplo intelligi potest. 1. Ioan. 5. scriptum est: πᾶσα ἀδικία, hoc est, omne quod justitiæ repugnat, est peccatum. Iam ex Iesuitarum logica possem tale argumentum texere: Diabolus & impii pugnant cum justitia, & tamen non sunt ipsum peccatum: ergo falsum est quod Ioannes dicit, πᾶσαν ἀδικίαν, hoc est, omne quod cum justitia pugnat, esse peccatum. Sed quis talem sophisticam cavillandi libidinem non detestetur, in re præsertim tàm seria? Eadem certè ratione peccatum vocatur ἀδικία, sicut ἀνομία: quia lex est regula justitiæ. Sicut igitur omnis ἀδικία est peccatum, ita & omnis ἀνομία est peccatum.

Sed Lectorem oro, ut hoc attentè consideret, quòd Andradius Tridenti in ipso Concilio, cùm tragicis vociferationibus diu multumq; contendisset, non omnē ἀνομίαν, hoc est, nō omne quod à lege divina dissidet, & cum ea pugnat, peccatum esse: postea in 5. libro Iesuitarum axioma fortiter defendens, pronunciat: Quicquid à Prælatorum Ecclesiæ, ac maximè à Romani Pontificis jussis dissidet, & cum illis pugnat, immane esse peccatum: & majori scelere involvi illū qui Pontificias, quàm qui divinas leges perfregerit: si præsertim Prælatorum despicientia, & legum Pontificiarum contemptione feratur. Hæc enim sunt Andradii verba. Et quidem tàm strictè hoc urget, ut ideo cum Iesuitis pronunciare non vereatur, illos esse velut ethnicos & publicanos habendos, qui filii Dei præscriptum, & veteris Ecclesiæ consuetudinem sequentes, Romani Pontificis & Prælatorum ejus præscriptione, ab utraq; Christi Eucharistiæ specie sumenda non retardantur. Huc scilicet tendit operosa illa disputatio, non omnem ἀνομίαν esse peccatum, ut hominum mandata divinis præferantur. Et quidem Tridenti in ipso cōcilio Andradius illa disputat.

Profectò necesse est, Andradium habere nos Germanos non aliter, quàm bestias, & pecora campi: quibus manifestissimum & firmissimum hoc axioma, per tā puerile sophisma arbitratur se ridendo posse extorquere. Sed constat contra omnes portas inferorum invictū axioma: Quicquid in natura rationali dissidet à norma legis, & cum ea pugnat: sive sit defectus, sive στέρησις, sive inclinatio, sive actio, sive amissio, est peccatū. Non enim per Philosophiam, quæ de voluntariis tantùm actionibus loquitur, agnitio peccati, sed per legem. Lex verò accusat & arguit, non tantùm consentire concupiscentiæ, vel ire post concupiscentias, sed ipsum etjam concupiscere. Et hoc peccatum Paulus dicit se nō potu sse cognoscere, nisi per legem quæ dicit: Non concupisces. Hæc firmissima fundamenta, Andradius labiis suis magniloquis conspurcare quidem conatur, sed infringere non potest: nisi forsan aliam voluerit fingere normam justitiæ & peccati in Ecclesia, quàm quæ est in mente divina, quæ in lege ipsius nobis patefacta est. Et sanè disputās de loco Iacobi: Qui in uno delinquit, reus est omniū: non obscurè significat, charitatē qualis & quāta in renatis in hac vita est, esse normam justitiæ. & quicquid mensuræ hujus charitatis non adversatur, licet ad legem Dei non congruit, non esse peccatum. Et talia censet esse peccata venialia, & ipsam concupiscentiam. Et alibi magis probat, quod Scholastici dicunt, peccatū esse contra naturā hominis qualis nunc est, quàm esse ἀνομίαν. Sed quid multis disputo? colligere hinc promptum est, Pontificios non curare magnopere ἀνομίαν contra legem divinam, modò non repugnetur iis, quæ Pontifex in scrinio pectoris sui gerit. Vtile autem est, Lectores scire, ex traditionibus Concilii Tridentini non scriptis, esse hanc unam, non omnem ἀνομίαν esse peccatū: Et quid est, si hoc non est legē Dei conculcare? pleno scilicet ore fateri, aliquid esse ἀνομίαν: & tamen ridere illos, qui propterea coram Deo se humiliāt, & petunt peccatum illud non imputari? Sed Lector ipse prophanam hanc Andradii philosophationem de peccato consideret. Ejusdē generis est quòd Andradius in hac disputatione affirmat, tegere

Axioma firmissimum.

tegere peccata, occultare, nō imputare, remittere, Ro. 4. Psa. 32. nihil aliud significare, quàm omnes peccati fibras penitus extirpare, ita ut ne vestigium quidem ullum reliquum sit. Nova planè est hæc Tridentina grammatica. Ineptissimus igitur est Paulus, qui tam muliebriter quiritatur, Ro. 7. Si remissio peccati ipsas fibras peccati ita extirpat, ut ne vestigium quidem ejus reliquum fiat. Manifestissimè certè dicit Paulus, post remissionem, peccatum adhuc in carne sua habitare. Quanta igitur hujus rhetoris impudentia est, fingere novam planè Grammaticā, quod tegere, non imputare, remittere, sit malū ipsum penitus extirpare. Propiciatorium tegens tabulas legis, figura fuit quomodo tegantur peccata. Num verò illud operimētum arcæ, erat extirpatio tabularum legis. Psa. 32. est verbum מסה quod etjam usurpatur Prover. 12. Homo astutus tegit sententiam, hoc est, juxta Andradium, extirpat. Ezech. 18. Nudum operiet vestimento. Ionæ 3. Operient se saccis. Accommodet huc quæso lector novam Andradii Grammaticam, & mirabilis erit metamorphosis. Ezech. 13. verbum illud usurpatur de pseudoprophetis, foventibus peccata vano prætextu. Nunquid ibi, bone Andradi, significat peccatum extirpare? Sed Andradius inquit: In Psalmo mox sequitur, In cujus spiritu non est dolus. Maximus autem esset dolus, fingere peccata esse remissa, quæ in carne adhuc hæreant? Nihil autem aliud respondebo, quàm quod Augustinus dicit libr. 2. contra Iulianum, de hac Davidis sententia: Confitetur etjam peccata justorum, magis asserens eos in Dei misericordia spem ponere, quàm de justitia sua fidere. Et ideò non est in ore ejus dolus: imò in ore illorum omnium, quibus hujus veracis humilitatis, vel humilis veritatis perhibet testimonium. Opponat hæc lector. Augustinus dicit confiteri etjam justorum peccata, est quòd David inquit: In spiritu ejus non est dolus. Andradius verò inquit: In illius spiritu non est dolus, qui nullum in se peccati vestigium agnoscit. Et huc accommodat quod Psal. 51. petit deleri iniquitatem. Verbum enim מחה significat talem deletionem, sicut cū patinam quis invertit & abstergit. 4. Reg. 21. Sed titulus Psalmi testatur, quòd loquatur de peccato actuali: quod juxta Augustinum, actu transit, & reatu manet, quem hoc modo deleri Propheta petit. Sed illo reatu ita deleto, vide quid porrò petat David: Multiplicetur ablutio mea, amplius iterum atque iterum lava me ab iniquitate mea. Sed quid opus est continuò repetita mundatione, si jam delata est iniquitas adulterii? sicut verbum מסה significat. Id verò David ipse ostendit, cùm inquit: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, &c. Et hoc dicit 50. fermè annis post acceptā circumcisionem. Hoc igitur est peccatum illud quod Psal. 32. petit tegi: pro quo omnem sanctum orare necesse sit.

Sed non dubito, pium lectorē jamdudum pertęsum Andradianæ impudentiæ, quæ digna propediem erit galero Cardinalitio. Vnum igitur tantùm adhuc addam, verè magistrale Andradii artificium. Sentētiam Ioannis: Si dixerimus nos peccatum non habere, &c. ita conspurcat, ut cōtendat intelligendum esse, de actualibus solum peccatis, & de adultis hominibus, qui propria se actione possunt commaculare: quando scilicet flammæ concupiscentiæ, subitum aliquem voluntatis assensum secum rapiunt. Et lectorem oro, ut attentè consideret, quorsum disputationes Pontificiorum de reliqua in renatis concupiscentia tendant. August. libr. 2. de peccatorum meritis, disputat, excepto uno homine Iesu Christo, neminē vel fuisse vel esse in hac vita sine peccato. Et alibi dicit: Si omnes sancti & sanctæ in unum congregentur & rogentur, omnium unam fore vocem: Si dixerimus, nos peccatum non habere, &c. Sed Andradius nuper in Tridentino Concilio didicit, 1. infantes baptisatos, & qui ad adultam ætatē nondum pervenerunt, non comprehendi illa sententia. 2. Quando homo est sine peccatis actualibus, sicut est in somno: tūc juxta Andradium, non comprehenditur in illo dicto Ioannis. 3. Quando concupiscentia quiescit, aut etjam quando movetur: si non rapiat secum voluntatis aliquem assensum, tunc adultus nō habet peccatum. Sit igitur & hæc una ex traditionib. Tridentini Concilii non scriptis: Inter renatos in hac vita valdè multos esse, qui contra Ioannis testimonium verè dicere possent, se peccatum non habere: quia multi sunt baptisati, qui ad ætatem adultam nondum pervenerunt. Et Andradius Tridenti in Cōcilio dicit, Ioannis sententiam de adultis tantùm intelligendam, ipsos etjam adultos renatos, in hac vita valdè sæpe esse sine peccato, nam quando dormiunt, non maculant se actuali aliquo peccato. Et quando concupiscentia quiescit, aut quādo ita ipsi resistitur, ut nullum voluntatis assensum secum rapiat, tunc juxta Pontificios non est peccatum. Renati igitur adulti, in majori vitæ hujus parte, poterunt contra Ioannem testimonium dicere, se peccatū non habere. Corrigenda igitur erit Ioannis sententia, ut tantùm de quibusdam renatis in hac vita, & non semper, sed aliquādo tantum verum fit: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est. Si cum truncis & stipitibus qui nihil intelligunt, Andradius negocium haberet, non posset majori libidine, quæcunque ipsi libent, sine probatione dictitare. Nā ne mentionem quidem dignatur facere, quod Paulus Rom. 7. tam trisli querela peccatum inhabitans deplorat: quòd ideò vocat peccatum inhabitās, ut rectè intelligi possit quod Ioannes dicit: Si dixerimus nos peccatum non habere, &c.

Imò ex illa sua sententia Andradius affirmat, renatos nec omnes, nec semper in hac vita opus habere illa precatione: Dimitte nobis debita, &c. quia nec ipsa concupiscentia, nec motus ejus, si non accedat cōsensio, sint peccata vel debita. Atqui Christus ideo vocat debita: quia quæ lex flagitat, nec habere, nec præstare possumus in hac vita, ea perfectione sicut lex postulat. Illa igitur, quæ etjam in inchoata novitate, legi flagitat ti adhuc debemus, rectè petimus dimitti: sicut David facit Psalm. 51. Non ignoro Augustinum aliquando dicere, propter concupiscentiam reliquam renatos non dicere: Dimitte, &c. sed propter actualia peccata. Sed idem Augustinus epist. 29. inquit: Quamdiu charitas augeri potest, profectò illud quod minus est quàm debet, ex vitio

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, ex quo vitio non est justus in terra qui faciat bonum, & nō peccet, propter quod vitium si dixerimus quòd peccatum non habemus, &c. (adverte hoc Andradi) propter quod etjam quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere, Dimitte nobis debita nostra, cùm jam omnia dicta, facta, cogitata dimissa sunt. Idem de verbis Apostoli, Serm. 2. Sed sufficit, inquis mihi, quòd in Baptismo accepi remissionem omnium peccatorum. Nunquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas? Adhuc carnem fragilem portas, adhuc corpus quod corrumpitur, aggravat animam, adhuc utique dicis, donec sanentur langvores tui: Dimitte nobis debita nostra. Hæ sententiæ quia cum Scriptura congruunt, essent producendæ. Sed hoc est artificium Pontificiorum, ut ex Patribus sententiam aliquam arripiant, quam contra Scripturam torquere possint, etjam cùm non ignorent, Patres alibi rectius sentire & loqui.

Sed satis sit de hoc loco, in quo Andradii nimis insolens impudentia, longius quam constitueram, me provexit: Lectorem autem oro, ut secum reputet, quid in reliquis fidei articulis existimet sibi à Concilio Tridētino expectandum: in cujus penetralibus, de peccato tam frigidè, tam leviter & prophanè philosophantur, ut totam religionem redire non obscurè videantur: id quod ex sequentibus magis adhuc manifestum evadet.

AN BEATA MARIA VIRGO SINE PECCATO originali concepta sit.

APPENDIX DECRETI V. SESSIONIS Tridentini Concilii.

Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam Dei genitricem: sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IIII. sub pœnis in ipsis constitutionibus contentis, quas innovat.

EXAMEN.

Scriptura ubi de peccato Originali loquitur, unicum tantùm hominem Iesum Christum, qui à Spiritu sancto conceptus, peccatum non novit, excipit. Talis enim decebat nos Pōtifex sanctus, innocens, immaculatus, segregatus à peccatoribus, quę Græcè significantius dicuntur: ὅσιος, ἄμωμος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. Hebr. 7. De reliquis verò hominib. omnibus, qui ex commixtione viri & fœminæ nascuntur, sine exceptione universalem profert sententiam, Roman. 5. per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranśit, in quo omnes peccaverunt. 1. Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. Ephe. 2. Eramus & nos natura filii iræ, sicut & cæteri. Eodem etjam modo vetus Ecclesia & sensit & docuit. Augustinus quidem de natura & gratia capit. 36. dicit: De sancta virgine Maria, propter honorem Domini, nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum, &c. Et hoc quidem eò trahunt, quasi sentiat, Mariam non comprehendi in sententiis Scripturæ, quæ de peccato Originali loquuntur. Sed quia diserte dicit: Mariæ gratiam collatam ad vincendum peccatum: manifestissimum est, quòd non sentiat Mariam sine peccato conceptum fuisse, aliàs enim non opus fuisset conferri ipsi gratiam ad vincendum peccatum. Ideo etjam ubique de peccato originali generaliter loquitur, & tantum Christum excipit. De fide ad Petrum cap. 23. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortiq; subjectum, & ob hoc naturæ filium iræ nasci. De nuptiis & concupiscentia: Ideo Christus non de concubitu nasci voluit, vt hinc etjam doceret, omnem qui de concubitu nascitur, carnem esse peccati: quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati. Ambrosius in Lucam: Solus enim per omnia ex natis de fœmina, sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ, immaculati partus novitate non sensit. Idem in Isaiam: Omnis homo mendax, & nemo sine peccato, nisi unus Deus. Servatum est ergo, ut ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur esse expers delicti. Qui autem expers delicti, expers est etjam hujus conceptionis. Et quidem Augustinus dicit, cum qui contrarium sentiat, repugnare Scripturæ De perfectione justitiæ: Quisquis esse vel fuisse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat excepto uno mediatore Dei & hominum, quibus necessaria non fuisset remissio peccatorum, contrarius est divinæ Scripturæ, ubi Apostolus ait: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertrânsiit, in quo omnes peccaverunt. Et contra Iulianum libr. 5. cap. 9. pronunciat esse hæresin, ubi enim dixisset: Si absque dubio caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati, quid restat ut intelligamus, nisi ea excepta, omnem reliquam humanam carnem esse peccati? Et paulò pòst subjicit: Quisquis hoc negat, detestandus hæreticus invenitur. Et ibi manifestè affirmat, Mariam in concupiscentia originali conceptam, inquit enim: Hic apparet, illam concupiscentiam, per quam Christus cōcipi voluit, fecisse in genere humano propaginem mali. Quia Mariæ corpus, quamvis inde venerit, tamen eam non trajecit in corpus, quod non inde concepit.

Bernhard.

Bernhardus etjam dicit: Excepto homine Christo, universos respicit, quod unus humiliter confitetur: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Hæc fuit veteris verę & purioris Ecclesię sententia,

tentia, ex Scripturæ clarissimis testimoniis extructa. Et quidem Longobardus etjam lib. 3. dist. 3. inquit: Sanè dici potest & credi, juxta sanctorū attestationes convenientiam, ipsam verbi carnē prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua virginis caro, sed spiritus sancti operatione munda tam, ita ut ab omni contagione immunis, uniretur verbo. Fuit igitur Longobardi adhuc tempore ignota opinio, Mariam sine peccato originali conceptam. Sed confideret lector, quando primum absq; verbo, specie aliqua bonæ intentionis à scripturæ testimoniis paululum discedit, quid tandem consequatur. Longobardus enim arrepta occasione ex Augustini verbis, incipit sine verbo Dei disputare, fieri potuisse, cùm Maria ex Spiritu sancto cōciperet Christū, quod & ipsa simul tota ab omni peccato, etjam ab ipso fomite mundata, & penitus liberata fuerit. Sed qui Longobardum secuti sunt, nō contenti fuerunt illa opinione: sed longius progressi, cœperunt disputare, Mariam cùm primum in peccato originali concepta fuisset, postea in utero sanctificatam, sine peccato natā fuisse. Et cùm nullo scripturę testimonio hoc probari posset apocrypha historia nativitatis Mariæ, quæ nunc in protevangelio Iacobi extat, primò tanquam opinio non omnino improbanda proposita, postea verò tanquam Canonica veritas approbata fuit. Cumq; jam in duabus de Maria virgine quæstionibus, extra Scripturæ limites excessum fuisset, in scholis quidam disputare cœperunt, Mariam virginem etjam conceptam fuisse sine peccato originali. Cujus opinionis patronus Scotus postea factus est. Nullo verò verbi Dei testimonio, hoc ostendere potuerunt, imò ne conati quidem sunt, sed rationabantur à possibili, Christum potuisse matrem suam in ipsa conceptione, ab omni originalis peccati contagio præservare: & hoc convenire dignitati & honori matris Domini. Huic verò opinioni, quia non tantùm sine verbo Dei, & testimoniis antiquitatis proponebatur, verum etjam pugnabat cum manifestis Scriptura testimoniis, multi tunc contradixerunt: ut Thomas, Bonaventura, Gregorius de Arminio, &c. Paulatim tamen festum conceptionis Mariæ, in quibusdam locis institui cœpit. Sed erant tamen multi, qui contradicerent, sicut testatur etjam glossa de consecrat. dist. 3. ca. provocandum. Et magnis contentionibus res acta fuit, nō in scholis tantum, verumetjam pro concione, coram populo, cùm una pars Scripturæ testimoniis, & antiquitatis suffragiis pugnaret, altera verò pars, ex dignitate & excellentia prærogativarum Mariæ ratiocinaretur, & probationis loco afferret revelationes, miracula & similia. Tandem verò anno Domini 1483. Sixtus Pontifex Romanus autoritatem suam interposuit. Sed quomodo? Num ex Scriptura quęstionē illam dijudicari voluit? Nequaquam. Sed quia nondum sit à Romana Ecclesia, & Apostolica sede decisum, ideò utramq; opinionem liberam esse, ita ut neutra accusanda aut damnanda sit hæreseos: & tamen quam sententiam ipse magis probet, non obscurè indicat. Quia enim Romana Ecclesia tunc celebrabat festum conceptionis Mariæ, edicit ne quis reprehendat illam opinionem, propter quam festum in stitutū erat, quòd scilicet Maria sine peccato originali concepta esset. Iam enim ante anno Domini 1466. constituerat, proposita prolixa indulgentiarum nundinatione, festum de mira conceptione Mariæ virginis, cum peculiari officio, in quo asseritur sine peccato originali concepta, ab omnibus fidelibus celebrandum. Et anno Domini 1439. concilium Basilienſe, Sessione 36. definit, opinionem illam, quòd Maria nunquam subjacuerit peccato originali, sed semper immunis fuerit ab omni originali & actuali culpa, ab omnibus catholicis tenendam & amplectendam, nulliq; de cætero licitum esse in contrarium prædicare vel docere. Hæc recensui, ut rectius intelligatur, quid appendix Tridentini Decreti velit: ut obiter dicit, de conceptione Mariæ virginis observandas constitutiones Sixti IIII. ut scilicet primò liberum sit, extra, præter, aut etiam contra verbum Dei opinari, an beata Maria virgo cōcepta fuerit sine peccato originali. Secundo, ne ex Scriptura reprehendatur opinio illa, asserens ipsam in conceptione & animatione, ab omni penitus originalis peccati contagio præservatam fuisse. Tertiò, ne quis audit significare, sibi non per omnia probari revelationes, miracula, &c. quibus opinio illa, præter & contra Scripturam stabilitur. Quartò, ut festum conceptionis Mariæ, cum indulgentiis Papalibus, respectu illarum causarū, propter quas institutum est, religiosè servetur. Sed hæc quia valdè crassa sunt, Tridentini patres retineri quidem volunt, sed nudare verentur. Involvunt igitur generalitate quadam, quæ tamen non ita obscura est, quin animadverti possit. Illam igitur generalitatem lectori paucis evolvam, & explicabo. Sixtus causas cur festum conceptionis Mariæ celebrandum sit, has recitat: Quia Maria est via misericordiæ, mater gratiæ, pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix, & per vigil ad regē quem genuit intercedit, ideò debitum reputamus, universos fideles celebrare festum de mira ejus conceptione, ut exinde fiant ejusdem virginis meritis, & intercessione divinæ gratiæ aptiores. Et ordinamus, ut qui celebrationi interfuerint, eandem indulgentiam & remissionem peccatorum consequantur, quam consequuntur in festo corporis Christi.

Anshelmus.

Anshelmus originem festi de conceptione Mariæ, ita describit, quòd Abbati cuidam in periculo naufragii, Mariam miserorum & desperatorum spem devotè invocanti, vir quidam à Maria missus aparuerit, qui revelaret, si periculum illud evadere vellet, ut promitteret, se diem conceptionis Mariæ, sexto Idus Decembris velle celebrare, & celebrandum prædicare. Et concludit Anshelmus: Nos ergo fratres, si portam salutis volumus apprehendere Dei genitricis conceptionem dignis officiis celebremus, ut ab ejus filio digna mercede remuneremur. Alia legenda narrat, Mariam clerico cuidam apparuisse, & dixisse: Si conceptionis meæ festa annuatim sexto Idus Decembris solenniter celebraveris, & colenda prædicaveris, mecum in regno unigeniti mei laureatus eris. Et ratio ibi redditur,

quare

Universidad de Deusto
Biblioteca

quare Mariæ & Christi, non verò aliorum etiam sanctorum, conceptiones celebrentur. Dignè enim hanc dominationem super cæteros sanctos illa debet habere, per quam omnes sancti sanctificantur & beatificantur. Dicitur enim Christus, Sanctus sanctorum, & hæc, Sancta sanctorum. Celebremus igitur dignis officiis ejus conceptionem: ut ipsius meritis & precibus, à sæcularibus curis, & à cunctis vitiis mereamur eripi, & ad gaudia Paradisi perduci. Subjungitur etiam in legenda, varia miracula, quibus ipsa Maria peculiaribus apparitionibus approbarit illam sententiam, quòd sine omni penitus originali peccato concepta fuerit, & quòd per multa prodigia punierit illos, qui excepto uno homine IESV Christo, universalem Scripturæ definitionem sequantur: In peccatis concepit me mater mea.

Hæc omnia, & his similia, complectitur appendix decreti Tridentini, quòd jubet observare constituttones Sixti IIII. Et arbitror, quosdam inter ipsos pudore retractos, noluisse ut nominatim & expresè talia recenserentur. Quia tamen nihilominus retinenda & stabilienda fuerunt, visum fuit illa generalitate quadam involvere, quam Lectori judicavi paucis explicandam esse.

Si quis verò scire cupit, quæ sit Tridentini Concilii de conceptione Mariæ sententia, videri sanè posset, quia mentio fit constitutionum Sixti, quòd disputationem illam relinquat sub libera opinandi licentia, sed verba diversum omnino ostendunt. Cùm enim dixissent, Adamũ transfudisse peccatum in omne genus humanũ, mox adjiciunt appendicem: Declarat tamen hæc ipse Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam virginem Mariam. Quibus autem documentis ostendunt, ab expressis generalibus Scripturæ sententiis de peccato originali, Mariam virginem esse excipiendam? Num sacra Scriptura ita docet? Non docet. Num forsan fit mentio apud veteres hujusmodi alicujus traditionis, quasi ab Apostolis acceptæ? Non fit. Num forsan vetus Ecclesia ita sensit? Num Patres ita docuerunt? Neq; hoc ostendi potest. Sed allegantur revelationes, finguntur miracula. Suprà autem ostendimus, quomodo Augustin. contra Petilianum ex Scriptura probet: In rebus fidei, post constitutum Scripturæ Canonem, nec revelationibus, nec miraculis, præter aut contrà Scripturam credendum esse, multa enim talia fingi ab hominibus, & si non fingantur, Scripturam tamen præmonere, ne illis contra verbum credamus. Deuter. 13. Matth. 24. 2. Thessal. 2. Nec Scripturam igitur, nec traditiones curant Pontificii, quando volunt novos fidei articulos condere, sed solum fundamentum est, quod Persius inquit:

Quod volumus, sanctum est.

Vel sicut Canonistæ loquuntur: voluntas Papæ est ipsi pro lege, in his quæ vult.

Nihil autem hac disputatione detractum volo dignitati beatæ Mariæ virginis. Amplector enim summa animi reverentia, quod ipsa canit: Ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia magna mihi fecit, qui potens est. Sentio autem ita rectè beatam prædicari Mariam virginem, si ea ipsi tribuantur, quæ & Scripturæ consentanea sunt, & inde probari possunt, ut sanctum sit nomen Domini. Nec ulla alia celebratio ipsi grata esse potest.

DE OPERIBVS INFIDELIVM, SEV NON RENATORVM.

SEXTAE SESSIONIS TRIDENTINI Concilii capitulum, de imbecillitate naturæ & legis, ad justificandos homines.

Primùm declarat sancta Synodus, ad iustificationis doctrinam probè & syncerè intelligendum, oportere ut unusquisque agnoscat & fateatur: quòd cùm omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi, & (ut Apostolus inquit) natura filii iræ (quemadmodum in Decreto de peccato originali expositum fuit) usque adeò servi erant peccati, & sub potestate Diaboli ac mortis, ut non modò gentes per vim naturæ, seu ne Iudæi quidem, per ipsam etiam literam legis Moysi inde liberari aut surgere possent, tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum & inclinatum.

CANON I.

Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Christum Iesum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri: aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum gravius peccare, anathema sit.

EXAMEN.

Dixi aliquoties, Andradii scriptionem, quam in Concilio, jussu Patrum instituit, ad hoc prodesse, ut Decreta Concilii rectius intelligere, & penitius introspicere possimus. Conclusiones enim saltem, seu (ut vocant) nudas decisiones, Decreta nobis proponunt: Andradii verò beneficio jam incipimus in singulis fermè decretis, arcana quædam cognoscere, quæ scilicet fuerint in Concilio disputata & deliberata, quo artificio decreta condita, & quo sensu Patres voluerint illa accipi. Cujus valdè luculentum exemplum, hic locus nobis præbebit. Neq; enim facilè quis divinaret, quid sibi vellent duo illa contraria decreta.

1. Omnes homines propter peccatum originale, usque adeò esse servos peccati, & sub potestate Diaboli ac mortis, ut non modò gentes per vim naturæ, sed nec Iudæi quidem, per ipsam etiam literam legis Moysi inde liberari ac surgere posse.

2. Quòd jubent anathema esse, si quis dixerit, opera quæ ante justificationem fiunt, quacunq; ratione facta sint, verè esse peccata. Sed hæc mysteria Andradii revelationes nobis pandet. Ejus igitur explicationem, remoto grandiloquentiæ ipsius strepitu, simpliciter recitabo.

ANDRADII SENTENTIA, DE *operibus infidelium.*

Sententia Canonis 7.

I. Narrat Canonem 7. conditum propter illos, qui naturæ depravationem ita amplificant, ut dictitent, nihil ab ea, quamdiu justitiæ expers fuerit, emanare, peccati turpitudine & culpa nõ contaminatum, nisi prius justitia fuerit informata, & per spiritum renovata. Sententia igitur illius Canonis, juxta Andradii declarationem, hæc est, ab impijs, in quibus nec persona Deo est reconciliata, nec naturæ renovatio per spiritum inchoata, imò qui justitiæ de qua Paulus disputat, expertes sunt, multa opera emanare, quæ omni peccati turpitudine & culpa careant. Recito enim Andradii verba, qui addit: Si quid in hujusmodi operibus desideretur, non tam justitiæ, quàm divinæ cognitionis defectui adscribendum esse.

II. Quia non potest negare, Augustinum & Prosperum ex Scripturæ sententia longè aliter, quàm Scholasticos doctores, de hac quæstione disputare: dicit, ab Ecclesia & Conciliis nondum esse definitum, quo genere infidelium opera censenda sunt, ideò cuique liberum esse opinari. Illam verò opinandi libertatem, Lector ita intelligat. Scholastici disputant, hominem non renatum, sine fide & Spiritu sancto, ex puris naturalibus posse præcepta Dei implere, quò ad substantiam actus, & infidelem, qui hoc modo facit opera præceptorum, non peccare, hominem etiam existentem in peccato mortali, posse ex puris naturalibus vitare, & cavere quodvis peccatum mortale, ne de novo illud committat, & infidelem hoc modo, faciendo quod in se est, removendo scilicet obicem peccati mortalis, & eliciendo bonum actum ex libero arbitrio, mereri de congruo, ut Deus ipsi det gratiam. Quòd si quis quærat, quid Tridentinum Concilium de his Scholasticorum opinionibus sentiat, non facilè hoc in decretis deprehendere poterit, & posset sanè aliquis existimare, propter improbandas illas opiniones, posita esse hæc verba in Decreto, homines usque adeò esse servos peccati, ut gentes per vim naturæ inde liberari ac surgere non possent. Sed Andradius, jussu Concilii in ipso Concilio scribens, vicit liberum esse in hac disputatione cuique opinari. Et quidem inter liberas illas opiniones, recitat etiam hanc: Infidelium virtutes licet non sint perfectæ, & æternis præmiis dignæ, posse tamen aliquando humanas vires generalibus tantùm auxiliis fultas, & sustentatas, omnem peccati turpitudinem vitare.

Verba Andradii.

Augustinus.

Augustinus certè de Pelagianis dicit: Sunt quidem ita præsumentes de libero arbitrio, ut ad non peccandum nec adjuvandos nos divinitus opinentur, semel ipsi naturæ concesso libero voluntatis arbitrio. Et semper opponit illã Pauli sententiam, 2. Corint. 13. Oramus Deum, ut nihil mali faciatis.

De peccatorum meritis lib. 2. cap. 5. inquit: Repellamus ab auribus & mentibus nostris, eos, qui dicunt, accepto semel liberæ voluntatis arbitrio, nec orare nos debere, ut Deus nos adjuvet ne peccemus. Sed ut video, quę olim fuerunt Pelagiana, jam in Tridentino Concilio facta sunt liberæ opinionis.

III. Andradius narrat, sapientissimis viris hanc sententiam maximè probari, infidelibus non generali tantum influentia, sed peculiaribus divini auxilii subsidiis opus esse, ut opera faciant, omnis culpæ vacua. Et quis non hoc ut sanè dictum acciperet? sed ficut ipse Andradius se explicat, intelligit peculiaria subsidia, non gratiam regenerationis & renovationis per Spiritum sanctum, sed motus seu impetus peculiares in non renatis, quos vulgò vocamus heroicos, quales fuerunt in excellentibus Ethnicis. Et illis subsidiis affirmat, infideles qui spiritu regenerationis & renovationis destituti sunt, posse opera efficere, quæ omni turpitudine careant, omnis culpæ sint vacua, & nulla culpa contaminata. Et ut forsan infideles actiones illas in Deum quem ignorat, referre non possit, in maximam tamen Dei gloriam illas cedere, quæ nulla sunt turpitudine contaminata.

Virtutes infidelium.

Addit verò: Etiamsi desint peculiaria illa subsidia, non tamen arbitramur, omnes illorum actiones consulto, & cum deliberatione susceptas, peccata esse. Et ut aliquando sint peccata, non tamen ideo hoc esse, quòd ab impio & infideli animo proficiscantur: sed tantùm ideò, quia non referantur ad verum finem, ut Deo serviant.

IIII. In libello contra Iesuitas, notaveram, quædam Iustini Clementis & Epiphanii valdè incõmodè de hac quæstione dicta, quæ cum Scriptura manifestissimè pugnant. Vt quòd Iustinus disputat, Socratem & Heraclitum, quia secundum rectam rationẽ vixerint, fuisse Christianos: Clemens dicit: Philosophiam per se justificasse Græcos, Epiphanius dicit, sine lege Mosaica & Evangelica, sola lege naturæ, multos fuisse justificatos & salvatos. In illis dictis Andradius nõ quærit mitigationem, quæ sit analoga fidei, sed sicut sonant, suscipit illa defendenda, nihil enim tam absurdum est, & impium, quod non speret suæ se grandiloquentiæ posse defendere. Initiò autẽ quasi œstro percitus debacchatur, inferri cœlitibus bellum, cœlestia jura perfringi, &c. si non quæcunque & quomodocunque dicta Patrum, etiam contra manifestissimas Scripturæ sententias amplectamur. Sed quæso te mi lector, patienter ausculta, quæ portenta Andradio, inter has debacchationes exciderint. Videbis enim prophanas & contumeliosas Thammeri opiniones, de fide, & de salute Philosophica sine verbo Dei, & sine Spiritu sancto, quorum ipsos hactenus in Germania Pontificios puduit, jam nõ tantùm in ipso Concilii Tridentini sinu clanculum foveri, sed publicè omnibus amplexandas & exosculandas proponi.

Thammerus de salute philosophica.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et hujus quidem generis multa legi disputata, cùm apud veteres, tum apud recentiores. Sed verè possum lectori confirmare, apud neminem me legisse, quæ tam impudenter sint prophana, tam contumelioſa in verbum Dei: & tam blaſphema in incomprehensibilia judicia Dei, quàm hi Cerberei sunt Andradii latratus. Cur enim non rem suo nomine appellem? Agnoscet autem hinc lector, fucum tantùm esse, quòd jactitant Pontificii, se pro Apostolicis traditionibus pugnare. Idem enim ipsis est, quamcunque quis religionem amplectatur, sive sit philosophica, sive forsan Turcica: modò ipsis ſtatus regni sui salvus maneat. Illis enim qui verbo Dei prorsus caruerunt, salutem liberaliter promittunt. In hanc autem sententiam scribit Andradius, idq; in ipso Concilio Tridentino: Nullum, inquit, dubium est, fidem necessariam esse ad justitiam & vitam æternam. Iustus enim ex fide vivit. Illa verò fides, & vera DEI cognitio ad justitiam & salutem æternam, non ex sacris tantùm literis, divinisq; oraculis, sed ex rebus etjam iis, quæ sensibus subjiciuntur, haberi potest.

Andradii sententia de Philosophis, quibus verbum Dei non est patefactum.

Et ita interpretatur primum caput ad Romanos. Et mox suo more addit exclamationem: Philosophi, qui ab inani deorum multitudine abhorruerunt, unicum verò Deum, quem totis viribus inquisiverunt, mente complexi, & religiosè venerati sunt, illi perpetuò placere ſtudentes, illos tu Chemnici, illa fide, Deiq; cognitione destitutos dices, per quam scilicet impius justificatur, & ex qua justus vivit? Summa autè est, quod probare contendit, non posse Deum, vel ab injustitia, vel à crudelitate defendi, si non arbitremur ad salutem satis fuisse illam Dei noticiam, quæ & naturaliter hominum mentibus insita est, & consideratione creaturarum acquiri potuit. Quid autem, quæso, Andradio significat, quod Paulus dicit: Quisquis invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo autem invocabunt fine fide? fides verò ex auditu, auditus per verbum Dei, Romanorum decimo: Ideò certè Deus, ab initio mundi, dato certo verbo, se & voluntatem suam generi humano patefecit. Illud enim solum est ordinarium Dei organon, per quod Spiritus sanctus operatur & accendit fidem, quæ ad salutem est necessaria. Sed siste paulisper lector, nondum enim habes totum mysterium iniquitatis, quod in privatis Concilii Tridentini congressibus, de hac disputatione agitatum fuisse, ex Andradio discimus: Sentit enim Andradius vim hujus objectionis: Non sufficere ad salutem, generalem & confusam illam noticiam, qualis fuit in Ethnicis: quia cognitio & fides redemptionis per Christum, omnibus seculis ad salutem necessaria fuit.

Fides ad salutem necessaria.

Sed arrige aures, quomodo Andradius in Cõcilio Tridentino hanc objectionem solvere didicerit. Ita enim inquit: In ipsa divina providentia gubernantur res creatæ, implicatè & absconditè continetur humani generis per Christum redemptio. Philosophi igitur, qui generalẽ illam Dei providentiam perspectam habebant, simul sanè intelligebant, nihil Deum prætermissurum, ut homines sempiterna felicitate perfruerentur. Atque ita non prorsus ignorasse Christum Iesum crucifixum dicendi sunt, & si rationem quam Deus esset initurus humanæ salutis curandæ, compertam minimè habuerint. Hæc verò sunt non humana, sed diabolica ludibria fidei justificantis, & verbi divinitus patefacti. Quàm modestè, & quàm piè Augustinus loquitur, quando incidit in quæstionem prædestinationis de judiciis Dei, de corruptione & gratia, cap. 8.

Si à me quæratur, ignorare me respõdeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? &: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & inpervestigabiles viæ ejus. Quantam igitur nobis judicia sua manifestare dignatur, gratias agamus, quantum verò abscondere, non adversus ejus consilium murmuremus, &c.

Lib. 3. Hypognost. cur hoc illi operetur, illi nõ operetur, metuentem me, & trementem judicia ejus inscrutabilia & incomprehensibilia, nolo interroges. Quia quod lego, credo, non autem discutio. Quis enim est homo, qui respondeat Deo? &c.

Andradius verò disputans de philosophis, quibus Deus verbum suum nõ patefecit, inquit: Neque enim duritas atq; immanitas terrior ulla esse potest, quàm sempiternis cruciatibus mancipare homines, propter illius fidei inopiã quam cõsequi nulla ratione poterant. Et postea de fide philosophica: Cùm aliam agnitionem naturæ non potuerunt habere, impossibilia in obligationem cadere, ferus solùm, teter, humanitatiq; hostis quispiã poterit existimare, Deum immortalem, quàm plena hæc sunt horrendæ blaſphemiæ, contra tremenda & incomprehensibilia judicia Dei? Et hæc in medio Concilio Tridenti scripsit Andradius, quæ convenientius in Turcica barbarie disputarentur. Et quid est, si hoc non est verbum Dei proculcare, fidem justificantem ludificare, & judicia Dei blaſphemare? Quid ergo miramur, Põtificios Scripturæ tam parum tribuere, cùm non vereantur & fidem & Ecclesiam fingere, quæ prorsus nullum habeat verbũ Dei vel scriptum, vel patefactum? Olim Apelles Marcionita, apud Eusebium libro quinto, capite decimo tertio dicebat. Quemque in eo quod crederet relinquendum esse, salvandos enim omnes, modò in crucifixum credant, & in bonis operibus inveniantur. Rhetorius postea apud Philastrium docebat, omnes religiones, modò haberent intentionem & conatum colendi Deum, rectè ambulare. Nunc verò (ô flagitiosam postremi seculi labem) Tridenti in medio Concilio Andradius, Philosophis qui nec sacras literas, nec divina oracula habuerunt, tribuit veram fidem, justitiam fidei, salutem æternam. Fabricet ergo novam Ecclesiam, aliud cœlum, & peculiarem beatitudinem, ubi membra, cives & comparticipes sint, quicunque ignari fuerunt verbi Dei, si tantùm juxta rationem vixerunt. Eradatur itaque, & conculcetur sententia Pauli, prima Corinthiorum 1. Cùm in Dei sapientia, mundus per sapientiam non cognosceret Deum,

Apellis Marcionitæ opinio apud Eusebium.

Philosophis ab Andradio asscribitur salus æterna.

Deum, placuit Deo, per stultam prædicationem salvos facere credentes. Frustra ergo clamitat Esaias, ad legem & ad testimonium: Si non dixerint vobis juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.

Nec constabit, quod Christus dicit Ioannis decimoseptimo, Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Illam verò sententiam, quam Andradius in Concilio Tridentino publicè profiteri non veretur, Augustinus disertè refutat & damnat, ut Pelagianam, salvatos scilicet fuisse aliquos, sine agnitione & fide Evangelii, sola lege naturæ. De Natura & gratia capi. 2. De peccato Originali, libro secundo, capite vigesimosexto. Ad Bonifacium libro primo, capite vigesimoprimo. Et contra Iulianum libro quarto, capite tertio, ita alloquitur Pelagianos: An fortè Fabriciis, Regulis, Fabiis, Scipionibus, Camillis, cæterisq; talibus provisuri estis aliquem locum inter damnationem regnumq; cœlorum: ubi nõ sint in miseria, sed in beatitudine sempiterna, qui Deo non placuerunt, cui sine fide impossibile est placere, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerunt. Non opinor perditionem vestram, ad istam posse impudentiam prosilire, &c. Sed quid dicis bone Lector? quòd Augustinus ne hereticos quidem ausuros arbitratus est, illud liberè jam non tãtùm disputatur, sed publicè scribitur & editur, idq; non in Philosophica aliqua palæstra, sed in sacrosancta, si dis placat, & œcumenica Tridentina Synodo. Sleidanus scribit, anno 1552. Franciscanum quendam, Tridenti fervente Concilio, pro concione publicè, cùm 2. caput ad Romanos explicaret, docuisse, eos, qui Christi cognitionem non habuissent, si modo honestè vixissent, salutem esse consecutos. Et ille quidem tunc docere desiit, quasi Patribus dogma illud nõ probaretur. Sed jam Andradius publico scripto, quod in ipso Concilio composuit, sententiam illam probat & defendit. Et ego sanè æquius jam fero, quòd tumida Andradii acerbitate tam contumeliosè proscindar & flageller: cùm hoc modo prodantur talia Concilii mysteria, ex quibus lectores evidentius quàm ex scriptis Decretis intelligere possunt, quæ opiniones in intimis Concilii penetralibus, de religione agitatæ fuerint, qualem doctrinæ reformationem quæsiverint, & quàm infidiosè plurima in decretis suis posuerint & occultarint. Nõ facilè quis animadverteret, prophanam illam opinionem in decretis illis latere, & ut maximè quis tale quid suspicaretur, multi clamitarent, invidiæ conciliandæ gratia, decretis hoc affingi. Sed habemus jam advocatum & interpretem Cõcilii Andradium, explicantem primum capitulum sextæ Sessionis, quomodo homo suis operibus, quæ per humanæ naturæ vires fiunt, justificari non possit. Quod enim ex Clemente notavera quosdam Philosophia justificatos, hoc Andradius ita explicat: ipsam quidem Philosophiã nunquam habuisse vim ad justificandum, sed ad justitiam comparandam fuisse olim Græcis necessariam. Divinum enim numen, philosophiæ ministerio usum fuisse, ut homines excellentissimæ illi disciplinæ deditos, clarissimis justitiæ ornamentis illustraret. Intelligit autem non Ethnicam justitiam, sed Christianam quæ ad vitam æternam perducit.

Franciscani cuiusdam concio referente Sleidano.

Quid item 7. Canon de eo, qui nititur se disponere ad gratiam, verbis obscurioribus velit, Andradius aperte explicat, declarans illud Clemẽtis, quòd Philosophia sit prædagogia ad Christũ, hæc enim sunt ejus verba: Philosophiæ meditatio, quia mentem Dei cognitione illustrat, pietate informat, virtutumq; institutis & amore exornat, ad Evangelium quodammodo viam munit. Animus enim, qui ex philosophia (de illis enim Andradius loquitur) vera Dei cognitione, virtutumq; lumimbus, est illustratus, atq; in divinarum rerum contemplatione satis versatus, facilius quidem ad reliqua fidei mysteria adduceretur, &c. Et philosophiæ sanè, si intra suos terminos se contineat, suus, & quidem honestus in vita humana locus tribuendus est, sed nullo modo est commiscenda cum doctrina Ecclesiæ in iis, quæ sunt spiritus. Paulus enim dicit 1. Cor. 1. Græcis doctrinam Evangelii esse stultitiam. Et cap. 2. Homo ψυχικὸς non capit ea, quæ sunt spiritus, stultitia enim sunt illi, & non potest agnoscere. 2. Corinth. 10. dicit: Omnem intellectum captivandum esse in obsequium Christi, quia φρόνημα carnis, inimicitia est adversus Deum. Rom. 8. Et ideò Colos. 2. vocat συλαγωγίαν: quando etjam vera Philosophia extra suos terminos, possessionẽ doctrinæ Ecclesiæ invadit. Et de veris Philosophis dicit Tertullianus, philosophos esse Patriarchas hæreticorum, qui Ecclesiæ puritatem doctrina sua commaculârunt.

Philosophia haud quaquã commiscẽda cum doctrina Evãgelii.

SCRIPTVRAE SENTENTIAE DE *operibus infidelium.*

Sed redeamus ad disputationem de operibus infidelium. Definet autem jam lector mirari, quòd Pontificii renatorum operibus, perfectionem & meritum vitæ æternæ ex condigno tribuant, quodq; de peccatis fidelium tam leviter sentiant. Nam & infidelium opera, docent posse omnis culpæ esse vacua: non solùm ut non peccent, sed ut per illa salventur Ethnici. Vt autem doctrina hæc de operibus infidelium rectè explicari possit, accuratè distinguenda sunt ea, quæ sunt opera creationis Dei in homine adhuc reliqua, ab illis, quæ per peccatum ingressa sunt, sicut monet Augustinus contra Iulianum libr. 4. cap. 3.

Primò igitur quæ sint opera Dei reliqua in homine, discernenda sunt à per se vitiosis. Augustinus ita dicit: Anima & corpus, & quæcunque bona animæ & corporis naturaliter insita, etjam in peccatoribus, dona Dei sunt, quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt. Ita noticia numerorum, noticia legis naturæ, & omnis veræ noticiæ, in homine sunt per se, & suo ordine res bonæ, artes etjam & leges veræ, inde extructæ, sunt res bonæ. Ita alii affectus in homine, sunt lege DEI prohibiti, alii lege Dei præcepti.

Augustinus.

Secundò, huic distinctioni addendũ est quod Augustinus inquit, De natura & gratia, capite tertio: Omnia bona quæ natura habet, in formatione, vita, sensibus, mente, &c. à summo Deo

Universidad de Deusto
Biblioteca

creatore & artifice suo habet. Vitium verò quod ista naturalia bona contenebrat & infirmat, ut illuminatione & curatione opus habeat, ex originali peccato contractum est. Naturalia igitur bona, quę adhuc in homine reliqua sunt, variè & horribiliter per peccatum vitiata, læsa & contaminata sunt. Spoliati enim sumus donis naturæ integræ, insuper tristis sauciatio & pravitas, contaminavit etjam illa, quæ per se in natura bona sunt. Et propterea Scriptura nō tantùm figmentum cordis dicit malū esse, sed Ieremias pronunciat ipsum cor esse pravum.

Vocatur mens carnis, Coloss. 2. Mens polluta, Tit. 1. Vanitas mentis, obduratio cordis, obscuratio mentis, Ephes. quarto. Sapientia terrena, ψυχικὴ, dæmoniaca, Iacob. tertio. Ideò etjam Paulus dicit, 1. Cor. 15. Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Et propterea vocatur renovatio mentis, Rom. 12. Imò renovatio totius hominis. Coloss. tertio. 2. Corinthiorum quarto, &c. Et tamen manet discrimen inter ipsam naturam, & inter vitium, quo per peccatum depravata est natura. Nam quæ per se vitiosa sunt, in renovatione mortificāda & extinguenda sunt. Ipsa verò natura per gratiam nō extinguitur aut aboletur, sed illuminatur, sanatur, purificatur & reparatur.

Actiones non renatorum. Tertia quæstio est de ipsis actionibus non renatorum. Et hoc discrimē manifestum est. Quædam actiones sunt genere suo vitiosæ, & lege Dei prohibitæ. Quædam suo genere non sunt vitiosæ, ut inventiones & tractationes artium, constitutiones honestarum legum, virtutes politicæ, ethicæ, œconomicæ, &c. Nam etjam non renatos aliquo modo posse externam disciplinam præstare, & externa flagitia pugnantia cum externa disciplina cavere, in loco de Libero arbitrio ostendemus. De illis igitur actionibus, quæ suo genere honestæ & bonæ sunt, est quæstio. Et magnam habent virtutes illę, etjam in Ethnicis speciem, sicut Aristoteles dicit, nec hesperum, nec luciferum formosiorem esse justitia. Certum est etjam, Deum velle coërceri externa disciplina omnes homines, etjam non renatos, & propter disciplinæ conservationem, Deus Magistratus præfecit generi humano, vult legibus homines regi, vult suppliciis puniri violatores disciplinę. Et quia imperia nec constitui, nec conservari possunt, sine excellentibus politicis virtutibus, Deus propter imperia reprimit tyrannidē Diaboli, miscentis omnia libidinibus & sceleribus, & excitat peculiares heroicos motus & impetus, in quibusdam etjam non renatis, ad excellentes politicas virtutes. Quomodocunq; autem illa actio Dei in non renatis appelletur, non pugno, modò id quod certum & necessarium est, retineatur, ut scilicet distinguatur à gratia justificationis, regenerationis, renovationis, sanctificationis in credentibus per Spiritum sanctum. Ita *Augustinus.* Augustinus epist. 130. Polemonis continentiam disputat esse donum Dei. Et contra Iulianum lib. 4. cap. 3. inquit: Quanto tolerabilius, illas quas dicis, in impiis esse virtutes, divino muneri potius, quàm eorum tribueris tantummodo voluntati licet ipsi hoc nesciant. Et de Civitate Dei lib. 5. disputat Romanos per viam virtutis contendisse ad gloriam, honorem & imperium. Et dicit capite decimoquinto. Si Deus neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id est, virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etjam Dominus ait: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Actiones igitur virtutum in non renatis, suo genere & per se non sunt vitiosæ, hoc est, ipsa materia seu substantia actionum non est mala, aut quibuscunque aliis verbis hoc exprimatur. Heroicos etjam illos motus excellentium virtutum in Ethnicis, à Deo excitari, Augustinus sentit: quibus etjam utatur ad constitutionem imperiorum, & ad conservandam seculi creaturam.

Sed jam 4. quæ principalis est quæstio, restat. Ex his enim quæ diximus, videtur consequi, virtutes illas in non renatis, non esse peccata, sed bona opera. Sed facilis est declaratio, ex iis, quæ suprà dicta sunt. Quæ natura adhuc reliqua habet ex prima creatione, in formatione, vita, sensibus mente, &c. per se sunt bona, sed per peccatum sunt sauciata, vitiata & contaminata. Ita Augustinus eruditè respondet, ad bonum opus requiri, non tantùm ut aliquid fiat quod suo genere bonum sit, sed præcipuè ut benè fiat. Possunt enim, inquit, aliqua bona fieri non bene facientibus, à quibus fiunt. Vt bonum est, subvenire periclitanti, sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quàm Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit. Et ex hoc fundamento, quæstio illa de operibus non renatorum clarissimè explicari potest, si eam ex sententiis verbi Dei dijudicare volumus. Duobus enim modis infidelium virtutes erunt non bona opera, sed peccata coram judicio Dei.

Primum, ratione finis. Eleganter enim dictū est ab Augustino, Non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes, item non actibus, sed finibus pensari officia. Et addit: Cùm itaq; facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Veræ autem virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus. Quicquid igitur boni fit ab homine, & nō propter hoc fit propter quod fieri deberet, vera sapientia præcipit, & si officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. Probat autem Ethnicos virtutes suas non retulisse in Deum, sed vel ad voluptatem, vel ad avariciam, vel ad ambitionem. Injustum autem & sacrilegum est, virtutes debere vitiis, ut sunt voluptas, avaricia, ambitio, servire.

Secundò, Infidelium opera non inter verè bona opera, sed inter peccata recensenda esse, inde probatur. Verè enim bona opera debent servire Deo, non in vetustate literę, sed in novitate spiritus, quando is legem scribit in corda credentium. Opera igitur, quæ vetus homo, qui spiritu sanctificationis non est renovatus, facit, non sunt verè bona opera. Neque enim fructus bonus

bonus est, qui de charitatis radice non surgit, sicut copiosè illud disputat Augustinus in libro de Spiritu & litera. Vbi concedit quidem, gentes naturaliter aliqua legis vel facere, vel sapere, sed inter verè bona opera numeranda esse, constanter negat. Conditiones enim boni operis à Paulo describuntur: charitas ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, prima Timoth. 1. Charitas autem est fructus spiritus, Galatas quinto. Fide purificantur corda, Actorum decimoquinto. Sangvis Christi emundat conscientiam, Hebræo. nono. Item Ephs. quarto. Dei factura sumus, creati in Christo Iesu, ad bona opera quę præparavit, ut in illis ambulemus, 2. Petr. 2. Offerentes hostias spirituales, acceptabiles Deo, per Iesum Christum: Romano. duodecimo. Reformemini renovatione mentis, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. Hæ verò conditiones cùm in non renatis nō sint, virtutes illorum nullo modo possunt inter bona opera numerari. Augustinus verè longius adhuc progreditur, & contendit, impiorum virtutes non tantùm non esse verè bona opera, sed probat numerandas esse inter peccata: idq; ex his fundamentis: Mala arbor non potest facere, nisi fructus malos, id est, sola peccata. Hæc sunt Augustini verba. Item, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Quam sententiam ostendit Augustinus, non de cibis tantùm loqui, sed esse generalem. Item, Sine fide impossibile est Deo placere, Matth. duodecimo. Aut facite arborem bonam, & fructus bonos, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Priusquam autem inseramur Christo, sumus oleastri, hoc est, malæ arbores. Rom. undecimo. Et in prophetis Deus ubique etjam speciosissima opera rejicit, quæ fiunt à persona non reconciliata, ex corde impio, quod est sine timore Dei, sine fide & dilectione Dei. Esa. primo. Incensum, abominatio est mihi: solennitates vestras odit anima mea. Cap. 66. Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum. Proverbiorum decimoquinto. Sacrificium impiorum, abominatio. Et hæc dicuntur de operibus sacrificiorū à Deo institutis, quando vel sine non recto, vel ex corde impio fiebant. Omnium autem non renatorum corda, sine Spiritu sancto, sunt sine timore Dei, sine fiducia erga Deum, & sine dilectione Dei. Igitur sunt impia. Origenes explicans illam Pauli sententiam: Quicquid non est ex fide, peccatum est: dicit hæreticorum opera versi in peccata, eo quòd illorum fides non sit vera. Et citat illud Psal. Fiat oratio ejus in peccatum. Huc pertinet etjam quod Paulus inquit Tit. 1. Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed coinquinata est ipsorum mens & conscientia. Et Ioan. 16. Spiritus sanctus arguat mundum de peccato, quod non credunt in me. Hæ Scripturæ sententiæ nec obscuræ, nec ambiguæ sunt, quæ ostendunt, infidelium opera, quantumvis speciosa, coram judicio Dei peccata censeri, non tantum propter aberrationem in causa finali, sed potissimū propter causam efficientem & formalem. Quòd verò clarissimas illas Scripturæ sententias, in judicando non libenter sequimur, inde fit, quia cum pharisaico rationis nostræ judicio non consentiunt. Et sicut Augustinus inquit, epist. 99. Quadam indole animi delectant illæ ethnicorū virtutes, ut non libenter illas damnemus. Sed profecto quid coram judicio Dei sit peccatum, non aliunde, nisi ex ipsius verbo discendum est. Nec leve est flagitium, docere, infidelium opera esse omnis culpæ vacua, aut nulla culpa contaminata. Quod enim nulla culpa contaminatum est, non potest non Deo placere. Et Augustinus Iuliano inquit: Introducis hominum genus, quod placere Deo possit, sine fide Christi, lege naturę. Hoc est unde vos maximè Christiana detestatur Ecclesia. Hæc Augustini verba lector diligenter expendat, agnoscet enim inde, quàm sit detestabilis illa opinio, quam Andradius in ipso Concilio defendere non veretur.

Augustinus.

Augustinus de impiorum virtutibus.

Origenes.

ARGVMENTA ADVERSARIA.

Ex his fundamentis & res ipsa intelligi, & objectiones rectè explicari possunt. Actiones per se & suo genere non sunt vitiosæ aut malæ. Quomodo igitur fiunt peccata? Respōdeo. Sicut cordis substātia, quatenus est Dei creatura, bona est, sed propter vitium peccati, pravum vocatur, lerem. 17. ita actiones quæ suo genere non sunt vitiosæ, in impiis polluuntur & contaminantur, quia fiunt à persona nec reconciliata, nec renovata, sed vitiosa & rea. Et Deus judicat non juxta externum opus, sed cor respicit. Officia etjam non actibus sed finibus pensantur. Hæc doctrina retinenda est, ut cognoscamus, quanta sit humanæ naturæ per peccatum depravatio, quæ opera etjam per se bona contaminat, & in peccatū vertit in non renatis. Ita Augustino objicit Iulianus: Si gentilis nudum operuerit nunquid, quia non est ex fide, peccatum est. Respondet Augustinus: Prorsus in quantum nō est ex fide, peccatum est: non quia factum per seipsum, quod est nudum operire peccatum est: sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. Item, Quòd si ipsa misericordia per seipsam naturali compassione opus est bonum, etjam isto bono malè utitur, qui infideliter utitur? & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit: qui autem malè facit, aliquid profectò peccat. Ipsorum igitur sunt peccata, quibus & bona malè faciunt: quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta & noxia faciunt voluntate, qualis voluntas, nullo Christiano dubitante, arbor est mala, quæ facere non potest, nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum est. Hæc Augustinus.

1. Obiectio.

Altera objectio est: Si excellentes virtutes in Ethnicis, sunt peculiaria dona & opera Dei, ergo non sunt peccata.

2. Obiectio.

Respondet Augustinus: Quatenus sunt bona, à Deo sunt, qui etjā impiorum malis benè utitur à quo etjam per malos fit bonum. Fiunt autem in infidelibus peccata, quia ea, quæ sunt insignia dona Dei, polluunt & contaminant, & illis abutuntur.

Tertia objectio est Erasmi: Num igitur in-

3. Obiectio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quit, quando Socrates mores honesta disciplina gubernat, idem est coram Deo, ac si vel sororem stupraſſet, vel matrem veneno ſuſtuliſſet? Reſpõ deo: Certiſsimum est, non omnia peccata, etjam in non renatis, esse paria. Tolerabilius enim erit Sodomæ in die judicii, quàm Corazin: Matth. 11. Sed inde non ſequitur, opera moralia non renatorum esse bona, vel non peccata. Nam ſicut Auguſtinus dicit: Qui boni non ſunt, poſſunt esse alii minus alii magis mali. Item: Ad hoc eos in die judicii cogitationes defendent, ut tolerabilius puniantur, quia naturaliter quæ legis ſunt utcunq; fecerunt. Minus enim Fabricius, quàm Catilina punietur, non quia iſte bonus, ſed quia ille magis malus: & minus impius, quàm Catilina Fabricius, non veræ virtutes habendo, ſed à veris virtutibus non plurimum deviando. Hęc Auguſtini ſententia de operibus non renatorũ, manifeſtiſsima est, excertis & firmis Scripturæ teſtimoniis extructa: quam alibi etjam ſæpe repetit, ut de Civi. Dei lib. 5. per aliquot capita. lib 19. cap. 25. in Pſalm. 31. Et lib. 3. ad Bonifacium, ca. 5. Catholica fides juſtos ab injuſtis non operum, ſed ipſa fidei lege diſcernit: ſine qua quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. Et Epiſtola 99. inquit: Virtutes gentilium quadam indole animi ita delectant, ut eos, in quibus hæc fuerũt, vellemus præcipuè ab inferni cruciatibus liberari: niſi aliter ſe haberet ſenſus humanus, aliter juſtitia creatoris.

Ambroſius de Vocatione gentium, lib. 1. cap. 3. Sine cultu veri Dei, etjam quod virtus videtur esse, peccatum est: nec placere ullus Deo ſine Deo poteſt. Proſper de Vita contemplativa lib. 3. cap. 1. Apoſtolus non dixit: Omne quod non est ex fide, nihil est, ſed dicendo, Peccatum est, declaravit quòd ſi non fuerunt ex fide, non ſunt aliqua bona credenda, ſed vitia quæ non juvant ſuos operarios, ſed condemnant, inflatosq; præcipitant, atq; à finibus æternæ ſalutis eliminant.

Anſhelmus in 14. cap. Rom. Omnis vita infidelium, peccatum est, & nihil bonum ſine ſummo bono. Hanc ſententiam à Longobardo citatam, Scholaſtici ſcriptores dicunt nimis duram esse. Poſtillator quidem dicit esse crudelem.

Et hæc cùm ita ſe habeant, cogitet Lector, quo nomine appellandum ſit, quòd Concilium Tridentinum non veretur ita ſtatuere canone 7. Si quis dixerit, omnia opera ante juſtificationem, facta, peccata eſſe, anathema ſit. Anathema igitur dicunt Auguſtino, Ambroſio, Proſpero, Anſhelmo, imò ipſi Scripturæ, quæ affirmat, quicquid non est ex fide peccatum esse. Andradius Auguſtini ſententiam ita depravat, quaſi ſentiat, illa ſolùm infidelium opera peccata eſſe, quæ ſine heroicis motibus divinitus excitatis fiunt. Sed hoc impudens est mendacium. Tota enim Auguſtini diſputatio, in ſingulis fermè verſibus diverſum clamitat. Fruſtra verò hoc quis miretur, cùm Andradius philoſophis veram fidem, Paulinam juſtitiam, & vitam æternam tribuere non vereatur. Fretus enim ſua grandiloquentia transfert in ſe illud Pſalmi: Lingvam noſtram magnificabimus, labia noſtra nobiſcum ſunt: quis noſter Dominus est? Cui ego adjungo alterum verſum qui in eodem Pſalmo extat: Diſperdat Dominus omnia labia doloſa, & linguam magniloquam: Amen, Amen.

Pontificii anathema dicunt ipſi Auguſtino Ambroſio, &c.

Et ne quis in hac diſputatione, illud Pauli cogitet: Quid ad nos, de iis qui foris ſunt, judicare? Certè animadvertit Lector, agi in hac diſputatione de puritate vel depravatione doctrinæ, de peccato, de fide, de juſtificatione, de renovatione per Spiritum ſanctum, de bonis operibus, &c. Et breviter. *Meritum congrui* est Helena illa, de qua Canon iſte Tridentini Concilii, contra Scripturæ & antiquitatis ſententiam dimicat.

DE LIBERO ARBITRIO.

Ex Decretis Sextæ ſeſſionis Tridentini Concilii.

CAPVT II.

De diſpenſatione, & myſterio adventus Chriſti.

Quo factum est, ut cœleſtis pater, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, Chriſtum Ieſum filium ſuum & ante legem, & legis tempore multis ſanctis patribus declaratum ac promiſſum, cum venit beati illa plenitudo temporis, ad homines miſerit, ut & Iudæos qui ſub lege erant, redimeret: & Gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam, juſtitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem in filiorum reciperent. Hunc propoſuit Deus propitiatorẽ per fidem, in ſanguine ipſius, pro peccatis noſtris, non ſolùm autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.

CAPVT VI.

Modus præparationis.

Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum: credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, atq; illud in primis, à Deo juſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, & tamen peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumq; tanquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipiunt, ac propterea moventur adverſus peccata, per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet. Denique proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata. De hac diſpoſitione ſcriptum eſt: Accedentem ad Deum, oportet credere quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit, &: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et: Timor Domini expellit peccatum. Et: Pœnitentiam agite, & baptiſetur unuſquiſq; veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Et: Euntes ergo, docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare omnia quæcunq; mandavi vobis. Denique: Præparate corda veſtra Domino.

CANON

CANON II.

Si quis dixerit, ad hoc ſolum divinam gratiam per Chriſtum Ieſum dari, ut facilius homo juſtè vivere, ac vitam æternam promereri poſſit: quaſi per liberum arbitrium ſine gratia, utrumq;, ſed ægrè tamen & difficulter poſſit, anathema ſit.

CANON III.

Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atq; eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.

CANON IIII.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à DEO motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atq; vocanti, quò ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, nec poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereq; paſsivè ſe habere, anathema ſit.

CANON V.

Si quis liberum hominis arbitrium, poſt Adæ peccatum, amiſſum & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo: imò titulum ſine re, figmentum denig; à ſatana invectum in Eccleſiam, anathema ſit.

CANON VI.

Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita ut bona Deum operari: non permiſsivè ſolùm, ſed etiam propriè & per ſe, adeò ut ſit eius proprium opus, nõ minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit.

EXAMEN.

Omnino multum refert, ut doctrina de libero arbitrio, in Eccleſia contra omnes corruptelas extet, rectè, propriè & perſpicuè, ex veris Scripturæ fundamentis expoſita. Neq; enim rectè intelligi, aut piè uſurpari poterit, quod Scriptura tradit de tota hominis converſione, de pœnitentia, de fide, de nova obedientia, de ſpiritu gratiæ & precum, de corruptione humanæ naturæ per peccatum, & de beneficiis filii Dei per Spiritum ſanctum, quomodo dona Dei accipiantur, quomodo conſerventur, vel amittantur, quomodo creſcant vel deficiant, &c. niſi pro puritate doctrinæ hujus loci, ſicut extat in fontibus Prophetici & Apoſtolici, contra quaſcunque corruptelas, in Eccleſia dimicemus. Et ſicut propoſito fine, neceſſaria est deliberatio de iis, quæ ad finem perducunt: an, quomodo, unde, & quibus auxiliis ea effici poſsint, ut finem monſtratum aſſequamur: ita quia Scriptura monſtrat doctrinam de reconciliatione cum Deo, de remiſsione peccatorum, de ſalute & vita æterna, de pœnitentia, fide, oratione, nova obedientia, &c. omnino neceſſarium est ſcire, an & quomodo illa poſsint præſtari & effici. Et hiſtoria omnium temporum oſtẽdit, triſtiſsimam ruinam in præcipuis doctrinæ cœleſtis articulis ſecutam in Eccleſia, quando in hoc loco admiſſa ἑτεροδιδασκαλία, à forma ſanorum verborum Scripturæ diſceſſum fuit. Rectè vero explicatus hic locus, hominem in ſeriam agnitionem ſui, & ad veram humilitatem deducit, ut agnitis morbis & infirmitatibus, intelligat quare, quomodo & quantopere opus ſibi ſemper ſit medico filio Dei.

Et propter has cauſas inimicus ille, ſuperſeminans zizania, huic loco præ cæteris infeſtus est, unde etjam variis artificiis & ſophiſmatis, omnibus temporibus illum depravare tentavit. Ipſa ſanè doctrina, perſpicuè, verbis non ambiguis, in Scriptura tradita est, ſed miſera natura, ſtulta ſui admiratione faſcinata, non facilè patitur ſe ita dejici, ut in rebus & actionibus ſpiritualibus, omnia gratiæ Dei accepta ferantur. Rectè verò Auguſtinus inquit, de Natura & gratia capite 53. Quid tantùm de naturæ poſsibilitate præſumitur? vulnerata, fauciata, vexata, perdita est. Veræ confeſsione, non falſa defenſione opus habet.

VARIAE COGNATAE QVAESTIONES, de Libero arbitrio.

Et quidem Decreta Tridentina meris æquivocationibus in vocabulo liberi arbitrii ludunt: ut lectorem perturbent, res ipſas involvant & obruant. Quando enim ſine ordine & diſtinctione miſcentur diſputationes, de ipſa ſubſtantia voluntatis, de qualicunque ejus libertate in externis, de vitioſis actionibus, & de renovatæ voluntatis libertate, quomodo controverſia tam gravis rectè explicari poteſt? Illa igitur æquivocationum ſophiſmata, prius removenda ſunt, ut ad verum controverſiæ hujus ſtatum, ſine ambiguitate pervenire poſsimus, ita enim poſtea facilis & perſpicua erit explicatio. Et primò non est in hoc loco diſputatio, de potentia animæ vegetativa, ſenſitiva, & locomotiva, ſed de parte cognoſcente & appetente, hoc eſt, de mente ſeu intellectu, & de voluntate hominis. Secundò, Si liberum arbitrium, ſicut Gabriel diſputat, accipiatur pro ipſa ſubſtantia voluntatis, connotata etjam eſſentia mentis ſeu intellectus, næ evidentiſsimum est, ipſam ſubſtantiam mentis & voluntatis, per peccatum originale licet miſerè depravatam, vitiatam, & inquinatam, nõ tamen prorſus amiſſam, extinctam & abolitam eſſe. In hac igitur ſignificatione negare hominẽ habere liberum arbitrium, idem est, ac ſi quis diſputare vellet, hominem eſſe animal inanime, brutum & irrationale, quod verè eſſet cum ratione inſanire. Tertiò, Liberum arbitrium propriè ſignificat δύναμιν, potentiã, vim, & facultatem mentis & voluntatis, qua diſcernitur ab iis, quæ ſine mentis cogitatione ſeu deliberatione, ſine voluntatis aliqua electione & expetitione, vel naturaliter agunt, vel violẽter impelluntur. Et in hac etjam liberi arbitrii ſignificatione, non difficilis est explicatio. Peccatum enim originale, ſubſtantiam humanæ mentis & voluntatis

Liberum arbitrii quid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mens & voluntas quatenus per peccatum originale depravata.

non ita depravavit, ut in homine non renato mens & voluntas, nullos prorsus habeāt motus vel actiones. Nec talis est depravatio, quòd mens & voluntas non renata, sine cogitatione, deliberatione, judicio, electione, expetitione seu aversione moveantur & agant, sicut ea, quę vel naturaliter agunt, vel violenter impelluntur. Hæc enim proprietas ex prima creatione aliquomodo adhuc reliqua est, quòd in iis, quæ mente & voluntate aguntur, homo judicat, discernit, eligit, expetit, aversatur, rejicit, & actionem aliquā externis membris, vel imperat, vel prohibet, vel suspendit. In hanc sententiā multa disputat Ambrosius, sive is Prosper est, de vocatione gentium lib. 1. cap. 3. ubi dicit: Iudicium voluntatis depravatum, non ablatum est. Item, Homo à Diabolo, non voluntate spoliatus est, sed voluntatis sanitate privatus est. Et nihil aliud vult Bernhardi disputatio de libertate à necessitate, hoc est, à coactione.

Iustinus Apologia 2. ponit hāc distinctionem: Quædam moventur sine judicio, sicut lapis movetur deorsum, quædam moventur judicio, sed non libero, ut ovis videns lupum, judicat eū fugiendum, ex naturali instinctu, non ex deliberatione, nec potest eligere, an velit non fugere. Homo verò per potentiam intelligentē judicat aliquid fugiendum vel prosequendum. Et quia ex collatione quadam rationis eligit actiones, non ut ovis, ideò liberi dicitur arbitrii. Sed hæc prudenter sunt discernenda, in quibus objectis, rebus seu actionibus, mens & voluntas facultates illas ex se, aut natura sua habeant, & quatenus illas habeant. Quartum igitur est, quod in iis rebus, quæ in hac naturæ corruptione sensib. & rationi adhuc subjectæ sunt, mēs aliquo modo potest cogitare, instituere deliberationem, judicare, discernere, probare vel improbare. Voluntas aliquo modo potest ea, quæ à sensu vel ratione monstrata sunt, velle aut non velle, eligere aut non eligere, expetere vel aversari, certas actiones imperare, vel prohibere externis mēbris, actionem vel suspendere vel mutare. Et hoc est quod vulgò dicimus: Homines non renatos posse aliquo modo externam disciplinam præstare: hoc est, externa honesta opera cum lege Dei congruentia facere, & vitare contraria scelera.

Mētis voluntatisq; conditio, quò ad externā disciplinam.

In hisce autem objectis, tales facultates aliquo modo adhuc reliquas esse in hac depravata natura, testantur multa præclara exempla Ethnicorum. Testatur hoc tota gubernatio politica, & experientia in singulis hoc evidenter ostendit. Et ex ipsa Scriptura idem probatur Rom. 2. Gentes quæ non habent legem, natura ea quæ legis sunt, faciunt.

Rom. 10. Qui Dei justitiam ignorant, suam conantur stabilire. Philip. 3. Paulus ante conversionem dicit, se secundum justitiam quæ in lege est, conversatum fuisse sine querela.

Huic verò libertati, multa varia & magna objiciuntur impedimenta. Dona enim illa naturalia, quæ reliqua sunt in natura corrupta, saucia, & variis modis, etiam quò ad externam disciplinam depravata sunt.

Aristoteles 7. Ethicorum, cap. 3. disputat, qui fiat, quòd homines sæpe faciant ea, quæ sciunt esse vitiosa. Vt illam generalem notitiam mens non negat. Nō occides: sed per πάθος, hoc est, per contumaciam affectuum, eripitur menti particularis notitia: ut inimicum, in tali casu, hac occasione occidere. Ibi mens quærit excusationem & prætextus. Affectus igitur sæpe ruunt contra judicium rationis, & rapiunt in suas partes etiam ipsam voluntatem, licet reclamāte primùm judicio mentis, tandem verò etiam ipsa mens ad affectus aliquo modo se inflectit, quærens excusationes & prætextus.

Ad hoc impedimentum accedit tyrannis diaboli, qui efficax est in impiis, accendens & augēs flammas cupiditatū, objectis variis laqueis, quibus homines implicat, ut tādem sequatur mens reproba, Rom. 1. Et fiant ἀπαλγηκότες, Ephes. 4. In tantis etiam vitæ hujus confusionibus, moles ipsa negociorum & periculorum, turbat & impedit gubernationem disciplinæ. Hæc necessariò addenda sunt, quando de facultatibus mentis & voluntatis, quæ ex prima creatione in hac etiam corruptione reliquæ sunt, disputatur.

Quod si hoc modo, hoc sensu, & in hac significatione dicatur, hominem esse agens liberum, seu liberè agere, habere aliquam libertatem, sive liberum arbitrium, cùm res sunt veræ, de vocabulis non serendæ sunt λογομαχίαι. Sed tamen necessarium est, ad removēdas æquivocationes, ut addatur declaratio, quæ libertas, quibus in rebus, & quomodo sit intelligenda, quòd scilicet in externis, aliquam, qualemcunque habeat libertatem homo non renatus, qua externam disciplinam aliquo modo præstare potest.

Augustin. de vitiosis actionibus.

Quintò, De malis seu vitiosis actionibus, Augustinus rectè sentit & loquitur, De peccatorum meritis lib. 2. cap. 5. Ad peccandum non adjuvamur à Deo, sed quòd à Deo nos avertimus, nostrum est, & hęc est voluntas mala. cap. 18. Et contra duas epistolas Pelagianorum, lib. 1. cap. 2. recitet iuliani objectionem: Ergone primi hominis peccato liberum arbitrium periit, ut omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur? Respondet autem: Quis nostrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de genere humano. Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam. Liberum arbitrium verò usq; adeò in peccatore nō periit, ut per illud peccent, maximè omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet, quod libet. Vnde & Apostolus: Cùm essetis servi peccati, liberi fuistis justitiæ. Ecce ostenditur etiam peccato minimè potuisse, nisi alia libertate servire. Et cap. 3. Non itaq; sicut dicunt nos dicere, omnes in peccatum, veluti in viti carnis suæ necessitate coguntur. Sed si jam in ea ætate sunt, ut propriæ mentis utantur arbitrio, & in peccata sua voluntate retinentur, & à peccato in peccatum sua voluntate præcipitantur. Neq; enim aliud agit in eis, qui svadet & decipit, nisi ut peccatum voluntate committant, vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroq; malo, & cæcitatis & infirmitatis. Sed hæc voluntas, quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideò libera in bonis non est, quia liberata non est.

Item

Item in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitię, vel occultus, vel manifestus deceptor inservit, vel sibi ipsi persvasit. De Ecclesiasticis dogmatibus capite 21. Vt labamur potestatis nostræ est, & ignaviæ.

Verè autem misera est libertas, delectari peccatis. Et licet posse peccare, non sit sine libero arbitrio: nihil enim carens libero arbitrio, potest peccare. Anshelmus tamen dicit, nec libertatem, nec partem esse libertatis, peccandi potestatem. Et Augustinus in Enchiridio, cap. 30. Qualis quęso potest servi addicti esse libertas, nisi quamlo eum peccare delectat? Liberaliter enim servit, qui sui Domini voluntatem libenter facit: ac per hoc ad peccatum liber est, qui peccati servus est Et ad Bonifacium libro tertio, capite 8. Liberum arbitrium captivatum, non nisi ad peccatum valet. De verbis Apostoli sermone 13. Agis quidem Deo non adjuvante, libera voluntate: sed malè. Ad hoc idonea est voluntas tua quæ vocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancilla. Cùm dico tibi, Sine adjutorio Dei, nihil agis: nihil boni dico. Nam ad malè agendum, habes sine adjutorio Dei, liberam voluntatem: quanquam illa non est liberata à quo quis enim devictus est, huic & servus addictus est: & omnis qui facit peccatum, servus est peccati.

Et de Civitate lib. 14. cap. 11. inquit: Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cum vitiis peccatisq; non servit.

Arbitrium hominis non renati utrū liberum ad peccandum.

Disputatum igitur est à quibusdam, an arbitrium hominis non renati, propriè possit dici liberum ad peccandum, vel in peccando? 1. Quia sicut jam dictum est, non est vera libertas, posse peccare. 2. Quia captivitati & tyrannidi diaboli, subjecti sunt non renati. 3. Quia non æqua inter bonum & malum facultate versantur. 4. Quia oppositа sunt, servus & liber: sunt autem non renati, servi peccati, sed de vocabulis, præsertim ἀγράφοις, non est temerè litigandum, quando de rebus ipsis constat & convenit. Omnino tamen necesse est, quando dicitur, homines libero arbitrio peccare: addere doctrinam de tyrannide diaboli, & potestate tenebrarū, cui non renati subjecti sunt. Et illa explicanda est, sicut describitur Ephes. 2. efficax est in filiis diffidentiæ. 2. Timo. 2. captivi tenentur laqueis diaboli, ad ipsius voluntatem. 2. Corin. 4. excæcarmentes ne, &c. Actor. 5. Implet cor. Ioan. 13. immittit in cor. 1. Par. 1. commovet cor. Explicandum est & hoc, Arbitrium hominis non renati in peccando liberum esse: non ita, quasi homo non renatus æquam habeat potestatem, sicut ad peccandum, ita etiam ad nō peccandum. Aliquo modo sanè potest, sicut externam disciplinam præstare, ita etiam externa scelera cum disciplina pugnantia vitare. De interiori verò immundicie & corruptione rectè dicitur: Mala arbor non potest nisi malos fructus facere. Item: Quicquid non est ex fide, peccatum est. Et hnc pertinet distinctio, quæ apud Damascenum & Bernhardum extat, inter necessitatem coactionis & immutabilitatis: quæ latius explicare, non est hujus loci.

Illud verò utiliter explicari potest, quare Augustinus disputet, hominem in malis habere liberum arbitrium: ne quis scilicet (sicut inquit Augustinus de Gratia & lib. arb. cap. 2.) Deum causetur in corde suo: sed sibi quisq; imputet cū peccat. Deus enim licet naturā humanam, qualis est in hac corruptione, conservet, præbens & sustentans vitam & motum: non tamen est causa peccati: hoc est, nec vult, nec efficit, nec adjuvat peccatum in homine: sed causa peccati, est voluntas in diabolo & hominibus. Tyrannis etiam diaboli in impiis efficax est: non ita ut coactitia necessitate, per extraneum & violentum impulsum, sine rationali aliquo motu mentis, voluntatis & cordis, ad peccandum, quasi optorto collo rapiantur: sed (sicut Augustinus inquit) hoc agit diaboli tyrannis, ut congenitam delectationem iniquitatis, vel in sensibus, vel in affectibus moveat & excitet: ut ita ab homine, peccatum voluntate committatur.

Tota igitur hæc disputatio de libero arbitrio in malo, huc referenda est: ne extra mentem, voluntatem & cor hominis, quæratur & ponatur causa & ratio peccati in impiis, & in violēta quadam coactione extra hominem. Sed retinendum est quod Iacobus inquit: Nemo cùm tentatur, dicat se à Deo tentari. Vnusquisq; enim tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum. Illa etiam valde difficilis & perplexa est disputatio: quòd etiam illa quæ fiunt contra Dei voluntatem, nō tamen præter ejus voluntatem, (sicut Augustinus loquitur) fieri possint. Si enim nollet illa fieri, nullo modo possent fieri. Sed quia Deus non est efficax causa peccati, movens, impellens, cogens, vel adjuvans homines ad peccata: Augustinus piè & modestè loquitur, talia fieri Deo sinente, permittente, sive deserente. Et tamen addit contra Iulianum libro 5. capite 3. sive alio quocunq; modo, vel explicabili, vel inexplicabili: modò maneat, Deum esse bonum & justum: hoc est, non esse causam peccati. Quòd verò de illa permissione Dei, quædam disputata sunt, ideo factum esse judico: non enim ita intelligenda est, quales sunt tyrannorum permissiones, quæ conjunctā habent voluntatem, vel adjuvantem, vel approbantem scelera. Nec ita intelligenda est, quasi Deus planè non curet, quando homines perpetrant scelera. Nec permissio illa ita est libera & soluta, ut planè non sit subjecta providentiæ Dei. Deus enim licet nec velit, nec adjuvet, nec efficiat peccatum: determinat tamen metas, quousq; & quamdiu sit permissurus, quando & ubi sit repressurus impios. Multas impiorum cogitationes, consilia & conatus impedit, invertit, reprimit, vel propter Ecclesiā, vel ut ipsi sibi exitium accersant.

An omnia tā bona quam mala fiant volente Deo Augustinus.

Sæpe etiam malitia illa quæ ab ipsa hominum volūtate oritur, & à diabolo inflammatur, Deus utitur ad irrogandas meritas pœnas, illis quos justo suo judicio vult visitare.

Pessima etiam impiorum consilia, & pernicio fissimos conatos, Deus Ecclesiæ & piis sæpe vertit in bonum: & sæpe etiam peccata, sunt pœnæ peccatorum.

Hęc certè sunt explicanda, quando de permissione Dei disputatur. Et tamen fixum & immotum manet discrimen, quòd in bonis operibus renatorum, non tantum natura à Deo sustentatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, sed per Spiritum sanctum mens illuminatur, cor renovatur: & summa, Deus operatur, ut velint & faciant Deo grata: sive (quod idem est) Deus vult, approbat, efficit & adjuvat bona opera in renatis. Hæc de peccatis dici nec possunt, nec debent.

Sed hæc peculiarem requirunt tractationem, quam Deo volente aliàs dabimus. Nunc pauca quædam dicenda fuerunt, & propter sextũ Tridentinum canonem: utq; commodius perveniremus ad constitutionem status, in controversia de libero arbitrio. Non ignoro autem, quid à quibusdam de voluntate & operatione Dei in actionibus hominum vitiosis disputetur. Sed quæ sit nostrarum Ecclesiarum sententia, 19. articulus confessionis, manifestè ostendit. Nihil igitur ad nos aculei illi pertinent.

Hactenus diximus de quæstionibus quibusdam, quæ valdè cognatæ sunt illi quæstioni, quæ principalis & præcipua est in controversia de libero arbitrio. Illas verò principiò, peculiari explicatione breviter absolvere & discernere volui. Video enim Tridentinum Concilium, mixtione & confusione illarum disputationum abuti: ut principalis status hujus controversiæ transponatur, perturbetur & obruatur: sicut postea ostẽdemus. Illis igitur separatis & sepositis, simpliciter & perspicuè constituemus, quis sit verus status, de quo principaliter in hoc loco disputatur & quæritur. Et ut explicatio eò sit simplicior, planior & brevior: in aliquot capita distribuam ea, quæ ad constituendum statum pertinere videbuntur.

PRINCIPALIS STATVS CONtroversiæ de libero arbitrio.

Principalis igitur quæstio, in controversia de libero arbitrio, est de motibus & actionibus spiritualibus: sive de rebus divinis, de operibus, quæ ad Deum pertinent: ut cogitemus, velimus & faciamus aliqua Deo grata, & animæ nostræ salutaria, de justitia spirituali, de cultibus interioribus: sive aliis quibuscunque vocabulis hæc explicentur. Spiritualia verò intelliguntur hoc loco, quæ ad cõversionem hominis, fidem & pietatem pertinent: sicut illa in verbo Dei, hoc est, in lege & Evangelio proponuntur: ut agnitio & detestatio peccati, contritio, timor Dei, fide agnoscere, meditari, assentiri, desiderare, quærere, velle & accipere promissionem Evangelii, orare, consolatione se sustentare, &c. novam obedientiam, dilectionem, spem, patientiam, & alias virtutes, juxta mandata Dei inchoare & præstare: luctari cum securitate, diffidentia, & contumacia: veteris hominis passiones & desideria crucifigere, actiones carnis mortificare, novos motus & actiones, interiores & exteriores, congruentes verbo Dei, inchoare & præstare: & ut in summa omnia comprehẽdantur, spiritualia hoc loco intelligimus, ea quæ lex & Evangelium nobis proponunt, in mente, voluntate, corde, & reliquis viribus, inchoare, præstare, retinere & conservare: & quidem eo modo, sicut verbum Dei illa requirit: quantum quidem in hujus vitæ infirmitate, per Spiritus sancti gratiam fieri potest. Nam & Pharisaica justitia in hominibus non renatis, simile quid vel fingit, vel exterius præstat. Ideò expresè dicitur, quæstionem esse: Quomodo ea, quæ Lex & Evangelium nobis proponunt, recte, vere, serio, & breviter, eo modo, sicut verbum Dei præscribit, inchoari & præstari possint. Hæc aliquantò simplicius & crassius enumeravi: ut fine ambiguitate certum & manifestum fit, de quibus rebus sive objectis in hac controversia de libero arbitrio, principaliter disputetur.

Non enim quæstio est, an per lapsum extincta sit substãtia animæ in homine, an in anima prorsus amissa sit potentia intelligens & appetens: nec quæstio est de disciplina rationis, nec de vitiosis actionibus: de quibus tamen quæstionibus, necessariæ sunt declarationes. Sed principalis quęstio est, quomodo inchoari & pręstari possint spiritualia illa, de quibus jam diximus. Misceri autem in hac disputatione sæpe alias quæstiones, ad turbandam doctrinæ simplicitatem notum est.

Valla disputat, num sit in hominis arbitrio, movere pedem, vel dextrum, vel finistrum. In Dialogis Hieronymi, Pelagianus dicit: Si voluero curvare digitum, an semper mihi necessarium erit speciale Dei auxilium?

Apud Augustinũ de perfectione justitiæ, Cœlestinus objicit locum Pauli. 1. Corinth. 7. de libertate nubendi, Faciat quod vult. Augustinus verò respondet: Quasi pro magno habendum sit, velle nubere: ubi de adjutorio divinæ misericordiæ operosius disputatur. Ita multi disputant, hominem non esse truncum, saxum, aut brutum aliquod.

Alii liberum arbitrium hominis inde probãt, quia Christus dicit: Volui te congregare, & noluisti. Quæ quæstiones suo quidem loco declarandæ sunt: sed à principali statu hujus controversiæ ne is vel turbetur vel obruatur, separanda sunt.

Secundò. Vt status controversiæ adhuc planius, remotis omnibus sophisticis cavillationibus cognoscatur, disertè constituendum est & hoc: novos motus in conversione non imprimi menti, voluntati & cordi, sicut cæræ imprimitur sigillum, ita ut nulli sequantur novi motus in mente, voluntate & corde. Gratia enim operatur, non ut conversio fit brutum aliquid in homine, sine motu & actione aliqua mentis, voluntatis & cordis: sicut cum asina Bileam loquitur, nec est violentum aliquid: sicut cùm saxum impellitur & protruditur, quod motum illum nec sentit, nec vult, nec intelligit, nec est enthusiasticum aliquid: sicut arreptitii olim reddebant oracula, quæ nec intelligebant, nec meminerant: vel sicut in obsessis diabolus sæpe allegat motus & actiones mẽtis, voluntatis, & cordis ipsorum: & ipse per eos multa loquitur & agit, ad quæ in obsessis nulla fit applicatio mentis, voluntatis, vel cordis. Sed quia conversio est motus quidam, & mutatio in mente, voluntate, corde, &c. necessarium est, ut in vera conversione fiant & sint motus aliqui: ut notitia & cogitatio de lege & Evangelio, desiderium, voluntas & conatus assentiendi: unde oritur lucta cum securitate, diffidentia & con-

& contumacia veteris hominis. Et in summa, in conversione oportet fieri & esse motus aliquos, & actiones, quibus incipiat fieri applicatio quædam mentis intelligendo, voluntatis assentiendo, desiderãdo, volendo, &c. & applicatio cordis seriis affectibus, ad ea quæ in lege & Evangelio nobis pronunciatur. Vbi enim nulla prorsus fit & est mutatio in mente, voluntate & corde, ibi nulla nova sequitur notitia, cogitatio, nullus assensus, nullum desiderium, nullus conatus, nulla lucta, &c. sed totus homo in universum repugnat, & opponit contrarium actum: & breviter ubi nullo qualicunque motu notitiæ, cogitationis, desiderii, affectuũ, &c. inchoatur applicatio mentis, voluntatis & cordis, ad ea quæ in lege & Evangelio proponuntur: ibi certum est, nullam vel fieri, vel esse cõversionem. Aliter enim faber utitur instrumento inanimato: aliter verò Spiritus sanctus operatur conversionem in mente, voluntate & corde. Facit enim vt velimus & possimus intelligere, cogitare, desiderare, assentiri, accipere, operari, &c. Status igitur disputationis non est, an tales motus & actiones in conversione fieri & esse debeant: sed hic est status quæstionis, unde homo in mente, voluntate & corde habeat & accipiat, quod tales motus & vult & potest inchoare & prestare. Augustinus enim in hac disputatione eleganter conjungit hæc tria, velle, posse & facere. Et illam quæstionem mox explicabimus: sed prius alia quędam adhuc declaranda sunt, ne quid explicationem postea vel turbet vel remoretur.

Tertiò igitur & hoc declarandum est, non esse expectandos Enthusiasticos raptus, extra & prẽter ministerium verbi & Sacramentorum. Verbum enim Dei prædicatum, lectum, auditum, cogitatum, est medium seu organon, per quod Spiritus sanctus efficax est, & operatur in mente, voluntate & corde hominum. Et sicut Deus vult vocem verbi sui audiri, legi, & cogitari: ita externo ministerio verbi hominem uti posse, ut audiat, legat, & aliquo modo cogitet, & experientia, & Scripturæ exempla testantur. Licet longè aliter verbum audiant & meditentur, in quibus jam inchoata est renovatio per Spiritum sanctum. Ioannis octavo, Qui ex Deo est, verbum Dei audit. Ioann. sexto, Qui audit à patre, venit ad me. Lucæ octavo, Videte quomodo audiatis. Aliter etjam describitur, quomodo pii meditentur in verbo Dei: Psalm. 1. & 119. Aliud præterea est auditus verbi: & ex auditu concipere novos motus pœnitentiæ, fidei, novæ obedientiæ, &c. quod proprium est Spiritus. Et tamen per illud organon, per verbum scilicet lectum, auditum, cogitatum, & non aliter, Spiritus sanctus efficax est, & operatur.

Ita Augustinus inquit, de Fide ad Petrum, capite 32. Firmissimè tene, posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas, vel adversitas, verba legis & Evangelii sive legere, sive ex ore cujusq; prędicatoris audire, sed divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua præveneri: ut quod audit corpore, corde etjam percipiat: & accepta divinitus bona voluntate atque virtute, mandata Dei facere & velit, & possit, &c. Omnino igitur à verbo ordiendum est, ut legatur, audiatur, & cogitetur.

Quartò, Observanda est etjam in hac controversia Longobardi distinctio de quatuor statibus liberi arbitrii. 1. Qualis fuerit in natura integra ante lapsum. 2. Quæ sit post lapsum, priusquam cœperit sanari & renovari. 3. Quando jam cœpit sanari & renovari, quæ renovatio, per totam vitam crescit & augetur. 4. Quid sit futurum in glorificatione, seu post glorificationem. Ibi enim omnino plena & perfecta erit libertas. Et quidem de primo & de ultimo statu non est controversia: sed secundi & tertii diligens est habenda ratio, ne confundantur, sed accuratè distingvantur.

Longè enim aliud est, loqui de viribus seu facultatibus mentis, voluntatis & cordis hominis ante conversionem, priusquam cœperit per Spiritum sanctum sanari & renovari: & aliud est quãdo jam cœpit sanari & renovari. Tunc enim ex donatione & operatione Spiritus sancti, adsunt & sequuntur novi motus in mente, voluntate & corde. Ipsa etjam sanatio & renovatio, non est talis mutatio, quæ uno momento statim absolvatur & perficiatur: sed habet sua initia & certos progressus, quibus in magna infirmitate crescit, augetur & conservatur: non autem ita, sicut lilia agri crescunt, quæ nec laborant, nec curant: sed in exercitiis pœnitentiæ, fidei & obedientiæ, quærendo, petendo, pulsando, conando, luctando, &c. Initia donorum spiritualium retinentur, crescunt & augentur, sicut Lucæ 19. de traditis talentis Dominus mandat, ne in terram defodiantur, sed inquit: Negociemini, donec veniam. Et in hanc sententiam Paulus utitur pulcherrimo verbo, ἀναζωπυρεῖν. Exuscita donum quod in te est. 2. Timoth. 1. Et quia à verbo ordiendum est, & ex verbo, de voluntate Dei, & de efficacia spiritus statuendum est: non est dubium, quando verbo lecto, audito & cogitato, homo concipit propositum, desiderium, conatum applicationis, quando luctatur cum securitate, diffidentia & contumacia, &c. has esse veras effectiones & operationes Spiritus sancti: licet magna infirmitate sæpe ita abscondantur, ut præsentia & efficacia Spiritus, non percipiatur ardenti aliquo sensu. Ibi certè non ex sensu, sed ex verbo judicandum est.

Breviter hæc tantum notò: neque enim justam & integram institui hujus controversiæ explicationem. Hæc verò per distributionem aliquantò forsan rudiorem & crassiorem præmittere volui: ut disputationibus sive peregrinis, sive cognatis in suum locum rejectis, & commoda explicatione declaratis, planius ostendi possit, qui propriè & principaliter in hac disputatione de libero arbitrio, in controversia positum sit. Quãm sophisticis enim æquivocationibus Decreta Tridentini Concilii statum hujus controversiæ involvant, perturbent & obruant, postea monstrabimus: prius enim reliqua quæ ad explicationem necessaria sunt, paucis absolvemus.

Vt igitur tandem statum hujus controversiæ simpliciter & planè constituamus, non est quæstio de ipsa substantia mentis, voluntatis & cordis,

Universidad de Deusto. Biblioteca

dis, neque hæc est quæstio, quòd illæ animæ potentiæ alium habent modum agendi, quàm quæ vel naturaliter agunt, vel violento & bruto motu agitantur & impelluntur, sicut suprà explicavimus: nec etiam de disciplina rationis, nec de vitiosis actionibus, principalis est quæstio (suprà enim hæc declarata sunt:) sed de motibus seu actionibus spiritualibus in contritione, fide, *Status disputationis.* & nova obedientia, sicut in verbo Dei illa nobis proponuntur, sicut suprà declaravimus, quæstio est.

Et certum est ordiendum esse à verbo: quod juxta mandatum Dei, homo debet, & aliquo modo etiam potest audire, legere & cogitare. Certum est & hoc, conversionem & renovationem non fieri sine aliquo motu & actione mentis, voluntatis & cordis, sicut suprà diximus. Sed quæ- *Quæstio.* stio est, vnde homo habeat & accipiat potétiam, vires seu facultates inchoandi, & efficiendi tales motus & actiones. Et collatione hæc quæstio rectius intelligitur. In iis quæ sensibus & rationi subjecta sunt, homo in mente & voluntate habet φυσικας δυναμεις: hoc est, facultates in natura, ex prima nativitate hærentes & insitas: quibus homo potest propositis & admotis objectis, concipere motus, & elicere actiones, proprietati mentis & voluntatis congruentes.

Quæstio igitur est, an eodem modo mens & voluntas ex prima nativitate insitam habeant talem potentiã, tales vires & facultates: ut quando homo verbum Dei legit, audit & cogitat, possit sine Spiritu sancto, ex puris (sicut Scholastici loquuntur) naturalibus, concipere tales motus, & elicere tales actiones in mente, voluntate & corde, quales ad contritionem, fidem & novam obedientiam Scriptura requirit.

Pelagiani. Et ita quidem olim Pelagius & sensit, & docuit. Sed ab hac sententia Pontificii affirmant se prorsus alienos esse. Et idem etiam Andradius meus prolixè contestatur: sed ejus memoriam oportet valde esse labilem. In principio enim 4. libri, prorsus oblitus est ejus, quod per multas paginas prolixa oratione in fine 3. libri disputârat: Philosophos sine verbo Dei, & sine Spiritu regenerationis, naturalibus notitiis & viribus pervenisse ad veram fidem & justitiam, qua salvati sint: adjuncto illo tantũ auxilio Dei de quo Cicero etiam dicit, nullam excellentem virtutem in Ethnicis fuisse sine afflatu divino. Quantum enim hæc absint ab ipsissimo Pelagianismo, vel cæci vident: neq; enim heroicos impetus, & tales afflatus, quales Philosophi intelligunt, Pelagius exclusit. Illam verò Andradianam disputationem, ideo memori mente reponemus, ut noverimus, non seriò, sed pro forma tantum (quod dicitur) fieri, quando Pelagianismum damnant Pontificii. Non enim, ut arbitror, audebunt damnare Andradii sententiam, quod sine verbo Dei, & sine spiritu regenerationis Philosophi habuerint veram fidem, Paulinam justitiam, & vitam æternam. In ipso enim Concilio Tridenti Andradius illud scripsit.

Sed audiamus sanè, quàm speciosis, & ad fallendum comparatis verbis, se à Pelagianis separare conentur. Dicunt se nullo modo sentire, quòd liberum arbitrium sufficiat ad inchoãdas & efficiendas actiones spirituales: sed gratiæ Dei & divini auxilii necessitatem tantoperè extollunt, ut ne optare quidem & velle ullum perfectum bonum, sine ullo possimus.

Dicunt naturam humanam peccati contagio ita enervatam & debilitatam, ut ne cogitare quidem quicquam eorum bonorum possit, quæ ad sempiternam felicitatem ducunt, nisi divini spiritus vi atque virtute erigatur atq; confirmetur. Hæc sunt Iesuitarum & Andradii verba.

Tertius etiam Canon sextæ sessionis, anathema dicit illis qui sentiunt, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione & adjutorio, hominem posse pœnitere, credere, diligere, sperare, sicut oportet, &c. Verba sanè sunt speciosa, & satis magnifica, quæ videtur totum tribuere gratiæ Dei, quod si ita esset, jam nulla inter nos de hoc loco esset controversia. Sed ipsi contestantur & clamitant, se nullo modo probare sententiam & doctrinam Augustanæ confessionis de libero arbitrio: sed ad damnandam illam, emissos esse crepitus istos anathematum, in Tridentina Synodo. *Pontificii probant Augustanam Confessionem in Articulo de libero arbitrio.*

Vides amice Lector, quanto studio, quot modis, & quàm insidiosè hęc controversia involvatur, ne verus ejus status animadvertatur. Et fit hoc verbis tam speciosis, ut controversiarum imperiti, si non admoneantur, existiment nihil esse periculi.

CONCILII TRIDENTINI SENTENTIA *de libero arbitrio ex interpretatione Andradii.*

Quis igitur jam erit status controversiæ, inter nos & Pontificios: aut in quo consistit discrimen nostræ sententiæ, & Tridentini Concilii, de libero arbitrio?

Respondeo: Ex Decretis Concilii, posset sanè illud non obscurè colligi. Sed ne clamitent, nos vim facere verbis, & per calumniam ea aliter interpretari, quàm Synodus forsan senserit: audiamus sanè Andradii interpretationem, quam sicut absq; dubio, in ipso Concilio Tridenti didicit: ita liberè sine ulla dissimulatione, in scripto suo nobis communicat. Ita autem & Synodi, & suam sententiam explicat: Liberum arbitrium, *De libero arbitrio.* sine inspiratione & auxilio spiritus, non posse sanè efficere spirituales actiones: sed illud nõ ideo fieri, quasi mens & voluntas, qualis est in homine ex prima nativitate, ante conversionẽ, prorsus non habeat ullam potentiam, ullas vires aut facultates, quæ ad inchoandas & efficiendas spirituales actiones necessariæ sunt: sed ideo, quia naturales illæ vires & facultates, licet nec deletæ, nec extinctę, adeo tamen peccatorum laqueis implicatæ sint, ut homo non possit se propria virtute ab illis extricare. Vtq; sententia planior sit, illustrat eam hac similitudine: Sicut ille qui ferreis soleis devinctus est, habet quidem insitam & innatã incedendi δυναμιν seu potentiam: sed licet habeat illam, non tamen potest ea uti, ut in actum prodeat, nisi prius vincula rumpantur, quæ motum reprimunt & retardant. Ex hac similitudine Lector, sine ambiguitate perspicuè intelligit, quæ sit Concilii Tridentini sententia, quando dicit, liberum arbitrium gratiæ Dei excitanti

excitanti & adjuvanti liberè assentiri & cooperari. Sentiunt enim in mente & voluntate hominis nõ renati, ex prima nativitate in hac corruptione, naturaliter adhuc insitas esse vires aliquas, seu facultates qualescunq; ad res divinas seu spirituales actiones: sed illarum facultatum & virium motum & usum, per peccatum reprimi & retardari in non renatis: gratiam verò Dei, & efficaciam spiritus, non simpliciter efficere & operari in iis, qui renascuntur, novam aliquam δυναμιν, vim, facultatem aut potentiam inchoandi & præstandi motus & actiones spirituales. *Gratiæ Dei quid tribuat* quam ante conversionem aut renovationem, ex naturæ viribus non habuerint, sed tantùm vincula rumpere, & laqueis liberari: ut facultas naturalis antea constricta, compressa & impedita, possit jam per gratiam excitata, vires suas in rebus spiritualibus exercere. Illas autem vires naturales, sicubi imbeciliores sunt, sentiunt adjuvari & confirmari per gratiam & auxilium Spiritus sancti. Et ubi non sufficiunt, dicunt novum habitum infundi, qui respectum meriti afferat.

Declarat enim Andradius suam illam sententiam similitudine ægroti, cujus vires morbo fractę, debilitatę & attenuatæ sunt, ubi medicus vires quæ adhuc reliquæ sunt: licet sint attenuatę, confirmat & roborat: & si quæ sunt amissæ, restituit. Alii utuntur similitudine aviculæ, quæ habet & retinet quidem potentiam & facultatem volandi: sed quando funiculo alligata est, non potest usum & motum illius facultatis quæ naturaliter ipsi insita est exercere: si quis autẽ rumpat funiculum, is non inserit aviculæ novam & peculiarem volandi δυναμιν, quam antea non habuerit, sed tantùm impedimentum aufert.

Et postea Andradius, ubi disputat, gratiã unà cum viribus liberi arbitrii, habere rationem causæ efficientis eorum quæ ad conversionem pertinent, utitur hac similitudine: Si te rogem, cùm ligneam materiã conflagrare cernis, quæ sit conflagrationis illius efficiens causa: ignem dicas necesse est, unà cum Deo naturæ autore & patrono, qui igni exurendi virtutem suppeditat, & ad operandum cum illo conspirat. Cùm igitur liberi nostri arbitrii motio, non magis à Dei gratia pendeat, quàm à divina virtute stipitis exustio: quid est, quod liberum arbitrium efficientis causæ dignitate & nomine spolies? Hanc Andradii similitudinem Lector benè consideret.

Sententia cõcilii de viribus humanis & libero arbitrio. Est igitur Concilii sententia, in natura hominis per peccatum depravata, priusquam per gratiam & operationem Spiritus sancti reparetur, reliquam adhuc esse δυναμιν aliquam, vim, efficaciam, potentiam seu facultatem naturalem, ad motus seu actiones spirituales: sed illam δυναμιν per peccatum partim constrictam & alligatam, partim debilitatam & inclinatam, ut per se sola, sine gratia spiritus, non possit ullum perfectum bonum vel inchoare, vel præstare: gratiam verò vincula & laqueos rumpere, ut naturalis illa facultas stupescens antea, sed jam per gratiam excitata, possit in spiritualibus se exercere, illãverò ubi per peccatum attenuata & inclinata est, confirmari, roborari & adjuvari auxilio spiritus: ubi verò non sufficit, sentiunt infundi novas qualitates, seu habitus: atq; ita in motibus & actionibus spiritualibus, ex gratia & ex naturalibus liberi arbitrii viribus, fieri unam causam efficientem, ita ut ad inchoandos & efficiendos motus spirituales, hæc duo simul concurrant, gratia scilicet & naturales vires liberi arbitrii, quales sunt ex prima nostra corrupta nativitate. De bonis enim renovationis in voluntate renata, quòd faciant renatos συνεργους Dei, alia est quæstio, de qua postea dicemus. Habemus igitur jam ex Andradii interpretatione, quæ sit Concilii sententia, in sexto capitulo, & in quarto Canone sextæ Sessionis. Et ego communi nomine gratias ago Andradio, quòd reliquis mirabiliter tergiversantibus, ipse sine ambiguitate & dissimulatione, tàm apertè & perspicuè ponit & explicat statum controversiæ, quæ est inter Pontificios & inter nos, de libero arbitrio. Statu enim ita posito, plana est explicatio & refutatio: si modo nobis illam indulgentiam largiri dignati fuerint, ut ex Scripturæ testimoniis controversia hæc dijudicetur & definiatur. Vt autem ratio habeatur brevitatis, testimonia in capita quædam distribuam.

SCRIPTVRAE SENTENTIA *De libero arbitrio.*

Primò enim quædam Scripturæ testimonia loquuntur privativè (ut sic dicam) quod scilicet per lapsum in natura corrupta prorsus amissa sit δυναμις vis & efficacia, seu facultas, qua inchoandæ & efficiendę sunt actiones spirituales, sicut oportet. Et distinctè loquuntur Scripturæ testimonia: quædam de mente, quædam de voluntate seu corde hominis non renati. Vocantur enim non renati, tenebræ. Ephes. 5. Iohannis primo & tertio. Actorum vigesimosexto, vocantur in peccatis non tantùm ægroti & infirmi, sed mortui. Ephes. secundo, Colos. secundo. Et hæc disertè explicantur de privatione seu carentia efficaciæ seu facultatis, ad motus & actiones spirituales. 1. Corint. 2. Animalis homo non capit ea quæ sunt spiritus, & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur. 2. Corinthiorum 3. Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis ipsis, tanquam ex nobis ipsis: sed ἱκανότης nostra ex DEO est. prima Corinthiorum 1. Mundus per suam sapientiam Deum non cognovit. Matthæi 11. Nemo novit patrem, nisi cui filius voluerit revelare. Matthæi 16. Caro & sangvis non revelavit tibi. Romanorum primo. Evanuerunt in cogitationibus suis. 1. Corinth. 1. Infatuavit sapientiam hujus seculi. Roma. 7. Scio quod in me, hoc est, in carne mea, non habitet bonum. Roman. 8. Sapientia carnis non subjicitur legi Dei: neque enim potest. Ioan. decimoquinto. Sine me nihil potestis facere, sicut palmes nisi in vite fuerit. Atqui nos natura sumus oleastri. Roman. undecimo. & propterea inserendi veræ viti, extra quam nihil possumus. Et Augustinus verba diligẽter expendit. Non enim dixit, Sine me difficulter potestis. nec dixit, Non potestis perficere aut magni aliquid præstare, Sed simpliciter dicit, Sine me nihil potestis facere: in actionibus scilicet spiritualibus, de quibus ibi, sicut manifestum est, loquitur 1. Cor. 4. Quid habes quod non accepisti? Et *Non renati.*

Augu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augustinus de Prædestinatione sanctorum, prolixè contra Pelagianos ostendit, hanc sententiam nō loqui de reliquiis donorum naturalium, quę in hac corrupta natura, adhuc reliqua sunt: sed de iis quæ donātur in renovatione per Spiritum sanctum. Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit illum. Hæc testimonia manifestissimè ostendunt, naturam non renatam, in se & ex se prorsus nullam habere vim, efficaciam aut facultatem, quam ex se conferat, ut gratiæ propriis viribus aliquid cooperetur, ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales. Detrahitur enim naturæ non renatæ cogitare, velle, posse, & facere, quod ad spirituales actiones attinet. Secundo, Multa Scripturæ testimonia non tantum de defectu loquuntur, sed ostendunt in locum amissarum virium successisse, vitiosum habitū & tristissimam depravationem in mente, voluntate & corde, quod ad motus seu actiones spirituales attinet, vocatur enim ante conversionem seu renovationem, cor durum, Ro. 2. lapideum, Ezech. 11. & 36. cervix ferrea, frons ænea, nervus ferreus, Esa. 48. cor pravum super omnia, Ier. 17. Sicut Aethiops non potest mutare pellem suam, nec pardus maculas suas. Ierem. 23. Lex est spiritualis, ego autem carnalis, venditus sub peccatū. Malum mihi adjacet. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati. Carne servio legi peccati, Roman. 7. Sapientia carnis, inimicitia est adversus Deum, Rom. 8. Figmentum cordis humani tantùm est malum ab adolescentia, Gen. 6. & 8. Progenies viperarū, quomodo potestis bona facere, cùm sitis mali? Matth. 12. Spiritualia sunt stultitia homini animali, 1. Corinth. 2. Qui facit peccatum, servus est peccati, Iohan. 8.

Habitus vitio si privationi succesſerunt.

Tertiò, Testimonia Scripturæ, quæ describūt liberationem à servitute peccati, sanationem, illuminationem, reparationem, renovationem mentis & voluntatis, non tam frigidè & perfunctoriè loquuntur: ut cùm quis hominem habentem per se δύναμιν ambulandi, ex compedibus solvit. Sed Ezech. 11. & 36. Auferam cor lapideum, & dabo cor novum. Ioan. 1. Tenebræ lucem non apprehenderunt. 2. Corinth. 4. Deus qui dixit ex tenebris lucem splendescere, ipse illuxit cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei. Deut. 29. Vos vidistis universa quæ fecit Dominus coram vobis in Aegypto: & non dedit tibi Dominus cor ad intelligendum, oculos ad videndum, & aures quæ possent audire usque in præsentem diem. Matth. 13. Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: reliqui videntes non vident. 1. Corinth. 12. Nemo potest Iesum Dominum dicere, nisi per Spiritum sanctum. Psalm. 51. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Matth. 16. Caro & sangvis non revelavit tibi, sed pater, &c. Ioan. primo. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sangvinibus, neque ex voluntate viri aut carnis, sed ex Deo nati sunt. Ioan. 6. Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit eum, Ephes. 2. Ipsius factura sumus, creati in Christo Iesu, ad bona opera. Phil. 1. Qui incepit in vobis bonum opus perficiet. Philip. 2. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere, ut aliqua ipsi grata fiant.

Gratia omnia in totum nova facit.

2. Corinth. 3. ἱκανότης nostra ex Deo est, non ex nobis ipsis. Iac. 1. Omne datum bonū, & donum perfectum, est desursum à patre luminum. Lucæ 24. Aperuit ipsis mentem, ut intellegerent Scripturam. Actor. 16. Deus aperuit cor Lydiæ. Idem probant precationes de donis spiritualibus, Psa. 118. Ephes. 1. Col. 1. Ita de fide Ephes. 2. Per fidem, & hoc non ex vobis: Dei donum est, ne quis glorietur. Hanc sententiam Longobardus lib. 2. distinctio. 27. dicit à sanctis ita exponi, quòd fides non sit ex vi naturæ nostræ: quia Dei donum purè est. Hæc enim sunt ejus verba.

Gratia quales non inveniat.

Ex his & aliis multis Scripturę testimoniis manifestissimum est, gratiam Dei in nō renatis ante conversionem seu renovationem, non invenire δύναμιν, aliquam vim, aut facultatem aliquam, sive ligatam sive attenuatā, quod ad motus vel actiones spirituales pertinet: sed invenire. 1. ἀδυναμίαν, privationem defectus & carentiam. 2. Vitiosum habitum, & depravationem in mente, voluntate & corde, quod attinet ad inchoandas & efficiendas verè spirituales actiones. 3. Gratiam in conversione seu renovatione, non ita operari, quasi reliqua sit facultas quædam ad spiritualia in corrupta hac natura, ex prima nativitate insita & inhærens: quæ peccati quidem laqueis ita sit cōstricta & attenuata, ut nisi per gratiam Dei excitetur & confirmetur, non possit in actum prodire. Quando verò accedat gratia excitans & adjuvans, tunc naturalē illam δύναμιν progredi ad efficacem actum, ut possit concipere motus, & elicere actiones spirituales. Ita quidem Pontificii sentiunt & docent. Sed Scriptura non ita, sed longè aliter describit beneficium filii Dei, ministerio verbi per Spiritum sanctum liberantis nos à servitute peccati, sanantis & renovantis naturam hanc peccato depravatam. Tradit enim, quod Spiritus sanctus in illis, quos vult convertere, primum incipiat pravitatem illam, quam quoad motus & actiones spirituales, in mente & voluntate non renatu invenit, mortificare & auferre: deinde incipiat operari, & donare novam vim, facultatem & efficaciam in mente, voluntate & corde, ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales.

Et expendantur pondera verborum, quibus Scriptura utitur in hujusmodi descriptionibus. Cor est tardum. Luc. 24. vanum, Psal. 5. Ephes. 4. durum. Roman. 2. lapideum, Ezech. 36. illud cor Deus emollit. 2. Paralip. 34. aperit, Actorum 16. convertit, Lucæ 1. circumcidit, Deutero. 30. conterit, Esa. 57. Psalm. 50. aufert cor lapideum, Ezechiel. 36. externus homo corrumpitur, 2. Corinthior. 4. vetus homo crucifigitur, Galat. 5. ut destruatur corpus peccati, Romanorum 6. sanat animam, Psalm. 40. excitat à mortuis, Ephes. 5. mortuos peccatis vivificat, Ephes. secundo, dat cor novum, Ezech. 11. Renovemini spiritu mentis vestræ, Ephes. 4. interior homo renovatur, 2. Corinth. 4. Vocatur regeneratio, Tit. 3. renascentia, Ioan. 3. Crea cor mundum, Psal. 50. Creati in Christo Iesu ad bona opera, Ephes. 2. Novus homo creatur ad imaginem Dei. Ephe. 4.

Nascimur creaturi antea.

Hæc & similia Scripturæ testimonia, si conferantur ad similitudines, quibus Andradius & suam & Cōcilii sententiam explicat, videbit Lector

Concilij doctrina qualis

ctor luce meridiana clarius, controversiam de libero arbitrio naturali, in rebus ad salutem pertinentibus, in Concilio Tridentino non revocatā ad fontes Propheticos & Apostolicos: sed traditam ibi esse sententiā dissentientem à Scriptura, imò ex professo pugnantem cum multis manifestissimis Scripturæ testimoniis: sicut ipsa collatio & inspectio ostendit. Sed Andradius, ut video, Tridenti in Concilio didicit, de his gravissimis doctrinæ cœlestis capitibus, magnificè quidem declamitare: sed ita, ut ne semel quidem horum & similium Scripturæ testimoniorum, quæ tàm multa & illustria sunt, mentionē faciat. Non igitur ociosum, sed maximè necessarium est hoc certamen, ut vera Scripturæ sententia retineatur: quæ profectò clarissima est, si cæteris quæstionibus vel peregrinis, vel cognatis, dextra explicatione in suum locum sepositis, status controversiæ, sine ambiguitate, simpliciter & planè constituatur. Docet enim Scriptura, naturam humanam, sicut per peccatū depravata est, antequam per Spiritum sanctū renovetur, habere quidem in iis quæ sensib. & rationi subjecta sunt, in mente & voluntate aliquas δύναμις φυσικὰς, naturales vires seu facultates, quibus aliquo modo potest cōcipere motus, & elicere actiones, proprietati mentis & voluntatis congruentes, sicut suprà dictū est: sed quod attinet ad spirituales motus seu actiones inchoandas & efficiēdas, eo modo sicut suprà dictum est, affirmat Scriptura in mente & voluntate hominis non renati naturaliter ex prima nativitate, non esse insitam ullam δύναμιν, vim, efficaciam aut facultatē: sed quia Adam per peccatum dona illa amisit, jam propagari ἀδυναμίαν in omnes homines, qui ex immundo semine nascuntur. Deinde huic defectui & ἀδυναμίᾳ, conjunctam jam esse in hac naturæ corruptione, contrariam pravitatem & inclinationem: Spiritum sanctum verò, naturam corruptam ita sanare & renovare, quòd incipit pravitatem illam mortificare, & loco defectuum efficere in mente & voluntate, novam δύναμιν, vim, efficaciam aut facultatem, unde sequantur motus & actiones spirituales, hoc est, operatur velle, posse, & facere. Hæc verò dona, Spiritus sanctus operatur per medium seu organon verbi, si legatur, audiatur & cogitetur: quod homo & debet, & aliquo modo potest facere. Nec infundit illas qualitates, sicut liquor in doliū infunditur: sed ita ut sequantur motus & actiones in mente & voluntate. Quando igitur Spiritus sanctus per verbum cœpit naturam sanare, accensa aliqua scintilla efficacię & facultatis spiritualis, licet renovatio non statim sit perfecta & absoluta, sed in magna infirmitate tantùm inchoata: tūc tamen nec mens nec voluntas est ociosa, sed aliquos habent novos motus: quos etjam debent exercere meditando, orando, conando, luctando, &c. Sed illa spiritualis efficacia, spirituales illi motus, quantumvis tenues, non oriuntur, non nascuntur vel ex toto, vel ex parte, ex naturalibus potentiis, quas mens & voluntas ex prima nativitate habent: sed sunt dona, operationes & effectiones Spiritus sancti, in nobis. Et ad primā effectionem spiritualis efficaciæ & facultatis, ad spirituales actiones in nobis, mens & voluntas ex naturalibus suis viribus effectivè nihil conferunt. Simpliciter enim retinendæ sunt hæ sententiæ: Non à nobis ipsis, tanquā ex nobis ipsis: sed à Deo est idoneitas nostra. Sine me nihil potestis. Quid habes, quod non accepisti? Quando verò scintilla aliqua illius efficaciæ per spiritum in nobis accensa est, tunc aliquid agit in spiritualibus rebus & mens & voluntas in homine. Sed quæstio est, unde habeat, quòd & vult & potest aliquid agere? Ex spiritu s. renovationis, qui operatur velle & facere, à quo est ἱκανότης cogitandi salutaria.

Renovatio nostri, quomodo fiat.

Et ipsa lucta carnis & spiritus, veteris & novi hominis in renatis, illustre ostendit discrimen actionum, quæ autorem & donatorem habent Spiritum sanctum, & quæ oriuntur seu nascuntur ex naturalibus liberi arbitrii viribus, quod attinet ad res spirituales.

Gratia operās & cooperans.

Omnino igitur in Ecclesia retinenda est vera & utilis Augustini distinctio, inter gratiam operantem & cooperantem. De gratia & libero arbitrio, cap. 17. inquit: Quis etsi parvam dare cōperat caritatem, nisi ille qui præparat voluntatē, & cooperando perfecit, quod operando incipit. Quoniam ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Philip. 1. Vt ergo velimus, sine nobis operatur: cùm autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De correptione & gratia cap. 2. Non se itaq; fallant qui dicunt: Vt quid nobis prædicatur & præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum: si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis? sed potius intelligant, si filii Dei sunt, spiritu Dei se agi: ut quòd agendum est agant, & cùm egerint, illi à quo aguntur, gratias agant, aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant. De gratia & libero arbitrio capite 16. Certum est, nos velle cùm volumus: sed ille facit ut velimus, de quo dictum est: Deus est qui operatur in vobis velle. Certum est, nos facere cùm facimus: sed ille facit ut faciamus, præbendo voluntati vires efficacissimas, qui dixit: Faciam ut faciatis. Quid hoc aliud est, nisi: Auferam à vobis cor lapideum, unde non faciebatis: & dabo carneum, unde faciatis, &c.

De mandatū Dei ut bona agamus.

De dogmatibus Ecclesiast. cap. 32. Deus agit in nobis ut velimus & agamus: nec ociosa in nobis esse patitur, quæ exercenda, non negligenda dedit, ut & nos cooperatores simus gratiæ Dei, ac si quid in nobis ex nostra remissione languescere viderimus, ad illum solicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros. De correp. cap. duodecimo. Si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen virtutem perfici oportebat, Renatis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei perseverent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes, in firmitate sua voluntas ipsa succumberet. Subventum est ergo infirmitati voluntatis humanę, ut divina gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma, nō tamen deficeret, neq; adversitate aliqua vinceretur. De bono perseverantiæ capite tredecimo. Nos ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

volumus: sed Deus in nobis operatur velle. Nos ergo operamur: sed Deus in nobis operatur & operari, pro bona sua voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere: hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus: quod autem attinet ad pietatis viam & verum Dei cultum, non sumus idonei ex nobis ipsis cogitare aliquid, tanquam ex nobis ipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Et capite sexto, inquit: Tutiores vivimus, si totũ Deo damus: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.

Has Augustini sententias ideo adscripsit: ut ostendam, nos hanc de libero arbitrio doctrinam, non ita tradere, ut alatur & confirmetur in hominibus desidia, securitas & contumacia. Inculcamus enim illud: Videte ne in vanum gratiam acceperitis.

Sed ideo illam retineri cupimus, ut filio Dei medico nostro, sua tribuatur gloria. Neq; enim intelligi aut considerari potest magnitudo beneficiorum ipsius, nisi miserias nostras foliis ficuum palliatas, verbo autem Dei nudatas, agnoscere discamus. Et quando tale aliquod donum habemus, ne de nostris viribus gloriemur: sed illi gratias agamus, qui operatur velle & facere: & si quid deest, ut in invocatione ad ipsum confugiamus. Ne etjam securi excutiamus talia dona, quę scimus Spiritum sanctum in nobis operari: sed ut reverenter illa conservemus, & exerceamus. Et in nostra magna infirmitate, hanc habemus consolationem: quia non nostræ vires, sed Spiritus sanctus inchoavit in nobis bonũ illud opus: perficiet ergo, Philippenses primo. Ita accendit hæc doctrina nobis fidem, spem, invocationem, gratiarum actionem, timorem Dei, & diligentiam in tuendis illis donis divinis: quæ Augustinus ideo solet quasi per gradus enumerare, ut gratiam Dei rectius agnoscere & considerare possimus. Numerat posse, velle & facere, cogitare, desiderare, expetere, accipere. Inquit etjam de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 17. Sancta cogitatio, bonum propositum, pium consiliũ, omnisq; motus bonæ voluntatis, ex Deo est: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.

Vilitas huius doctrina.

Gratiæ praeconia.

Eodem modo gratiæ varias tribuit Augustinus appellationes, ut rem ipsam illustret, & quasi gradus conversionis ostendat. Vocat enim gratiã prævenientem, præparantem, liberantem, operantem: deinde gratiam subsequentem, cooperantem, adjuvantem bonum perseverantiæ, &c.

AVGVSTINI SENTENTIA DE LIBERO ARBITRIO. *Et quomodo Andradius eam depravet.*

Hæc sunt simplicia, perspicua & vera, ex manifestis Scripturæ testimoniis extructa: & nõ est dubium, hanc etjam esse perpetuam Augustini sententiam. Sed huic luci Andradius conatur nebulas offundere. Augustinus enim scripto peculiari libello, copulat gratiã & liberum arbitrium. Et dicit: Vbi ad aliquid faciendum vel non faciendum, in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. Item: Ad gratiam Dei necesse est accedere consensum nostrum: ut bonum nostrum non sit ex necessitate, sed volũtarium. Ergo aliquid quantulumcunque sit facultatis ad res spirituales, tribuendum est libero arbitrio, quod ipsi naturaliter ex prima nativitate insitum sit. Sed remotis æquivocationibus, explicatio non est obscura, quid Augustinus velit. Quæ enim Deus in verbo suo nobis præscribit: ut agnitionem sui, contritionem, fidem, spem, charitatem, patientiam, invocationem, obedientiam, &c. talia sunt, quæ sine motu & actione mentis & voluntatis nec inchoari, nec effici possunt. Sine mente enim & intellectu, nemo aliquid intelligit, cogitat aut judicat: sine voluntate nemo desiderat, expetit, petit, quærit, conatur, luctatur, &c. Multa inquit Augustinus, homines nolentes agunt: sed credere nisi volens, nemo potest. Velle autem, proprium est voluntatis. Hoc igitur extra omnem controversiam, ipsa rei evidentia manifestum est. Num verò Augustinus inde concludit, mentem & voluntatem homines, per se & ex se, hoc posse præstare, quod verbum Dei præcipit? Nequaquam. Sed ex Scriptura prolixè probat, mentem & voluntatem hominis non renati, naturaliter ex prima nativitate non habere virtutem, efficaciam & facultatem inchoandi & efficiendi spirituales motus & actiones, sicut in verbo Dei præcipiuntur. Quia tamen Deus verbum suum non frustrà generi humano patefacit, addit Augustinus, gratiam Dei hoc quod natura non potest, efficere & operari in homine, Operatur autem gratia conversionem, non alibi quàm in mente, voluntate, & corde hominis. Corde enim creditur, Romanorum 10. ex animo obeditur, Rom. 6. Mente agnoscitur salus, Eph. 1. Non autem ita operatur in voluntate hominis, sicut lapides volvuntur, & inanimata impelluntur: ita ut in spiritualibus, mens & voluntas renatorum gratia divina rapiantur, sine motu aliquo mentis & voluntatis, intelligente & voluntario.

Scriptura enim disertè affirmat, renatos in rebus spiritualibus agnoscere, scire, credere, assentiri, desiderare, vel conari, luctari, &c. quæ extra controversiam sunt actiones mentis & voluntatis. Sed illas actiones, mens & voluntas ex suis viribus nec inchoare, nec præstare potest. Propter hanc igitur causam, gratia mentem illuminat, voluntatẽ convertit & mutat, præbendo novam efficaciam & novas facultates: ut ex ignorantibus fiant intelligentes, ex nolentibus fiant volentes: atq; ita in conversione, mens & voluntas, id quod ex viribus naturalibus anteà nõ poterant, incipiant jam ex dono, & per operationem spiritus renovationis, habere motus & actiones spirituales, intelligendo, cogitando, judicando, desiderando, conando, luctando, volendo, faciendo, &c. Hanc esse Augustini sententiam, certum est. Ita enim inquit de peccatorum meritis libro secundo, capite 5. Non solis votis agendum est, ut non subinferatur ad benè vivendũ etjam nostræ efficacia voluntatis: quia nõ sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in iis, in quorum naturam rationem

Augustinus

rationem voluntatemq; non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis. Illud verò capite sequenti explicat: conjungit enim gratiam & liberum arbitriũ. Sed mox addit: Ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere non ambigo: nec tantùm ut fit verùmetjam ut bonum fit, id est, ad facienda mandata Domini convertatur. Videt Lector, Augustinum loqui non de voluntate non renata, sed quæ jam conversa est, & cœpit fieri bona. Et Hypognost. 3. inquit: Nemo sic de gratia confidat, tanquam Deus liberi arbitrii ejus quod per mortem filii sui reparavit, opera non requirat: imò vigilet, quærat, petat, pulset, &c. Ita de gratia & libero arbitrio, cap. 2. Cùm aliquid secundum Deum operatur, non alienet hoc à propria voluntate. Ne verò quis existimet ipsum loqui de propriis, hoc est, de naturalibus virtutibus voluntatis, capite decimosexto, inquit: Certum est nos velle & facere cùm volumus & facimus: sed ille operatur velle & facere, præbendo voluntati vires efficacissimas, de quo scriptum est: Deus operatur in nobis & velle & facere. Et de prædestinatione sanctorum cap. 3. fatetur errorem esse, si cubi dixerit, ut prædicato Evangelio consentiamus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse. Et postea addit, quod dixerat, Nostrum est credere & velle: ita esse intelligendum, quòd utrumque sit Dei qui præparat voluntatem. & utrunq; etjam sit nostrum: quia non fit nisi volentibus nobis. Illud verò ita explicat, ad Bonifacium lib. 1. cap. 19. Christus non dicit, Duxerit: ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem: sed dicit, Traxerit. Quis autem trahitur, si jam volebat: & tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus, in ipsis hominum cordibus operari: non ut homines (quod fieri non potest) nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. Et in Enchiridio cap. 32. Nolentem prævenit ut velit, volentem subsequitur ne frustrà velit. Contra 2. epist. lib. 4. ca. 6. Pelagius dicit, gratiam adjuvare bonum cujusq; propositũ: non tamen reluctanti studium virtutis immittere, Augustinus verò respondet: Posset benè intelligi, si non ab istis quorum sensus notus est, diceretur. Reluctanti enim, prius aditus divinæ vocationis, ipsa Dei gratia procuratur: ac deinde in illo jam non reluctante, spiritus virtutis accenditur. Ita Ambrosius de Vocatione gentium, libro 2. ca. 9. Quòd gratia à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ: quòd autem à multis suscipitur, & gratiæ est divinæ, & voluntatis humanæ. Nulla enim species cujusq; virtutis occurret, quæ vel sine dono divinæ gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatis habeatur. Sed audi, quomodo hoc explicet. Ipsa enim gratia, hoc omni genere medendi & auxiliandi agit, ut in eo quem vocat, optimũ sibi receptricem & famulam donorum suorum præparet voluntatem. Et libro 1. cap. 6. Licet inest homini nolle bonum, tamen nisi donatum non habet bonum, velle: illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiã. Et hoc est quod Augustinus inquit: Per gratiam non tollitur humana voluntas, sed mala mutatur in bonam: & cùm bona facta fuerit, adjuvatur. Idem etjam vult Prosperi sententia: Liberũ arbitrium naturaliter homini inditum, manet in natura: sed qualitate & conditione mutatũ, per mediatorem Christum, qui ipsam voluntatem, ab eo quod perversè volebat avertit, & in id quod ei bonum esset, velle convertit.

Prosperi sententia.

Hæ explicationes manifestissimè ostendunt, quòd Augustinus non tribuat voluntati efficaciam, aut facultatem aliquam ad actiones spirituales, quam naturaliter ex prima nativitate habeat: sed tantùm illam, quam ex dono & operatione spiritus renovationis accepit.

Pontificii verò hoc ita invertunt, quasi gratia tantùm moveat & excitet, voluntas verò ex se habeat consentiendi facultatem. Sed Augustinum planè diversum sensisse jam ostendimus. Et utile est, Lectorem considerare, quàm mala fide Patrum scripta tractentur à Pontificiis. Augustinus inquit, consentire & dissentire, propriè esse voluntatis: sicut dicimus intelligere proprium esse mentis, velle voluntatis. Illa sententia postea ita depravata est: consentire in spiritualibus, esse propriæ voluntatis: hoc est, ex propriis viribus. Quantùm verò inter hæc duo interfit: consentire est propriè voluntatis, & propriæ voluntatis: manifestum est.

Nulla autẽ alia habet argumenta Andradius, pro sua sententia, quàm hanc Augustini disputationem. cui Augustinus talem titulum facit, De gratia & libero arbitrio. Et si intelligeret Andradius, actiones voluntatis renatæ quas habet & accepit, non naturaliter in prima nativitate, sed in regeneratione ex dono & operatione Spiritus sancti, sicut Augustinus disputat: nulla esset inter nos controversia. Certum enim est, Spiritum sanctum in conversione non abolere, destruere aut extingvere potentias animæ, quæ vulgò ita vocantur: sed sanat & renovat illas, & quidem ita, quòd pravitatem adhærentem illis mortificat & aufert: ut illis organis renovatis & præparatis, uti possit ad motus & actiones novi hominis.

Andradius nititur solo Augustino.

Nullo modo enim vel probamus vel sequimur Manichæorum deliria, qui finxerunt quosdam homines esse φύσει ἄλυτους, hoc est, naturam in quibusdam per peccatum ita corruptam, ut ne quidem per gratiam & operationem Spiritus sancti converti, reformari, & renovari possit. Rectè enim dicit Augustinus, ad articulos falsò sibi impositos, articulo 6. Hoc inter malos homines distat & dæmones, quod hominibus etjam valde malis, superest, si Deus misereatur, reconciliatio: dæmonibus autem nulla servata est conversio. Rectè & hoc contra Manichæos dicit, de Civit. Dei lib. 14. capit. 11. conversionem fieri non detracta substantia animæ, vel ulla ejus parte sublata: sed ea quæ vitiata ac depravata fuerat, sanata atque correcta. Nam sicut dicit contra Iulianum lib. 4. cap. 3. Gratia Dei per Iesum Christũ Dominum nostrum, non lapidibus aut lignis pecudibusq; præstatur. Carent enim subjectis, mente scilicet & voluntate: in quibus Deus ordinario modo, per verbum & sacramenta agere solet, & in quibus necesse est fieri conversionem. Hæc verò non ita intelligenda sunt, sicut Pelagius contendebat, quasi ante gratiam conversionis seu renovationis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vationis, sit in natura corrupta, generositas aliqua, δύναμις, inclinatio, habilitas, dispositio, facultas, aut quomodocunq; appelletur, ad inchoandas & prestādas actiones spirituales. Ita enim dici posset. Habes aliquid, quod ex gratia renovationis seu conversionis non accepisti. Quod Augustinus ut Pelagianum detestatur. Et de gratia Christi, lib. 1. cap. 18. recitat, & refutat illa verba Pelagii: Habemus possibilitatē utriusq; partis à Deo insitam, velut quandam (ut ita dicam) radicem fructiferam atq; fœcundam: quæ ex voluntate hominis diversa gignat & pariat, & quæ possit ad proprii cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum. Hæc Pelagius. Augustinus verò contra Iulianum lib. 2. de sententia Ambrosii dicit: naturam humanam etiam istam, quæ sub peccato nascitur, & cujus ortus in vitio est, esse justificationis capacem: sed per gratiam Dei. Et lib. 4. cap. 3. dicit humanam substātiam capacem esse divinorum donorum. Non autem, sicut bonum ingenium dicitur capax esse omnium disciplinarum, propter insitam φυσικὴν δύναμιν: sed per gratiā Dei, inquit, quia est natura rationalis: in qua Deus per verbum & sacramenta, pro bona sua voluntate, potest operari velle, ut mala voluntas convertatur in bonam. Ita Lutherus etiam loquitur Tomo 1. pagina 236. Quando sancti Patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis ejus prædicant: quòd scilicet verti potest ad bonum, per gratiam Dei: & fieri revera liberum ad quod creatum est. Et alibi vocat capacitatem passivam.

Irenæus. Irenæus lib. 5. dicit carnem humanam capacē esse donationis Dei, hoc est vitæ æternæ: quia nutriatur carne & sanguine Christi. Libro 4. capite 24. dicit hominem esse receptorium bonitatis Dei: & in Deo intentus, semper proficit ad Deum. Neque enim Deus cessat benefaciendo, & locupletando, nec homo cessat beneficium accipere, & ditari à Deo.

Ambrosius. Et pulchra est sentētia, sive Ambrosii, sive Prosperi, de vocatione gentium libro secundo, capite nono, Ipsa gratia, omni genere medendi atque auxiliandi hoc agit, ut in eo quē vocat, optimam sibi receptricem & famulam donorum suorum præparet voluntatem. Hæc verò diligēter distinguenda & explicāda esse, Scriptura suo exemplo monet & ostendit. Vtitur enim verbo δέχεσθαι, quādo dicit verbum & gratiam Dei accipi oportere. Actorum 8. Iacobi 1. 2. Corinth. 6. Vnde verò homo illam capacitatem habeat, ponit & negativè & affirmativè. Animalis enim homo, ea quæ spiritus sunt, οὐ δέχεται. 1. Corinthiorum 2. Deus verò est qui operatur & ut velimus, & ut possimus verbum & gratiā Dei capere. Aliàs manet quod Ioan. 8. Christus dicit: Verbum meum οὐ χωρεῖ: non invenit aut habet locū in vobis, quo capaciatur. Hæc disertè & accuratè sunt explicanda. Pelagius enim sicut de possibilitate, ita & de capacitate abusus est æquivocatione vocabuli, De gratia & peccato originis, cap. 13.

Et Iustinus Apologia prima non satis circumspectè loquitur, vbi sententiam illam, quòd angelorum & hominū genus sit δεκτικὸν virtutis & vitii, ita explicat: Nō enim laude dignum esset, nihil haberet δύναμιν ἐπ' ἀμφότερα τρέπεσθαι. Intelligit capacitatem, potentiam, vim, facultatem aut efficaciam naturalem: qua homo possit, sicut ad malum, ita etiam ad bonum se vertere. Sed quid de hac sentētia Augustinus judicet, notum est.

Et hæc sunt potissima Andradii argumenta: quæ rectè declarata, nihil juvant illam cujus patrocinium suscepit, sententiam: sicut manifestum est, si omnes illæ disputationes referantur ad statum controversiæ, quem suprà exposuimus. Reliqua verò, quæ agitari solent argumenta, obiter tantùm attigit: quorum plana & expedita est explicatio, si adhibeatur illa quæ vera & necessaria est distinctio: quòd scilicet primò quædam scripturæ sententiæ loquuntur de libertate naturæ integræ ante lapsum. Secundò, quædam de ipsa substantia mentis & voluntatis. Tertiò, quædam loquuntur, de qualicunq; illa libertate, quam in illis rebus quæ sensibus aut rationi subjectæ sunt, voluntas adhuc habet. Quartò, quædam loquuntur de contingentia in actionibus vitiosis. Quintò, quædam loquuntur de voluntate, quæ cœpit renovari & liberari. Quando enim Deus operatur velle, tunc volumus. Et renati habent potestatem ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales. Sed illa potestas ex libero arbitrio nulla est, nisi detur desuper per spiritum renovationis: sicut Augustinus contra duas epistolas Pelagianorum libro 1. capite 3. loquitur. Sextò, in multis Scripturæ sententiis, menti & voluntati hominis aliquid præscribitur & jubetur: quòd si non habeat potestatem obediendi, videri posset Deus illudere nostræ calamitati, ac si herus servo, quem videat luxatis pedibus ingredi non posse, multa præcipiat, & extrema minitetur, nisi pareat. Aut si quis ad cœcum dicat: Si volueris videre, invenires thesaurum. Sed Augustinus respondet de gratia & libero arbitrio, capite 16. Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt. Non juberet Deus, quod sciret ab homine, non posse fieri. Quis hoc nesciat: Sed ideo jubet aliqua quæ non possumus, ut non noverimus quid ab ipso petere debeamus. Ex lege enim percipiente & prohibente, non est agnitio virtutis & potentiæ nostræ: sed peccati agnitio, hoc est, τὸ ἀδύνατον & depravationis. Et tamen non frustrà jubetur: promittitur enim gratia, quæ operatur ut velimus & faciamus. Ita Augustinus ibidem inquit: Meminerimus ipsum dicere, Facite vobis cor novū, & spiritum novum: qui dicit, Dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo vobis. Quomodo ergo quod dicit, Facite vobis: hoc dicit, Dabo vobis? Quare jubet, si ipse daturus est. Quare dat, si homo facturus est? nisi quia dat quod jubet, & juvat ut faciat cui jubet. Per gratiam enim fit, ut fit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ: per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas quæ jam esse cœpit, augeatur, &c. Contra 2. epistol. Pelagia. libro 2. capite 10. Nihil in Scripturis sanctis homini à Deo video juberi, propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate, vel posci propter adjutorium gratiæ demonstrandum.

Septimò

Septimò objicitur, quòd in Scriptura multę sunt admonitiones, exhortationes, correptiones, &c. Illæ verò videntur ociosæ, inutiles, & non necessariæ, si non est in homine facultas quædam naturalis, ad actiones spirituales inchoandas & efficiendas. Respondet Augustinus: O homo, in præceptione agnosce quid debeas habere: in correptione agnosce, tuo te vitio non habere: in oratione agnosce, ut accipias quod vis habere. Et verbum admonens, exhortans, corripiens, est medium seu organon, per quod Spiritus sanctus voluntatem convertit, renouat, &c. Correptiones igitur etiam non renatorum, non sunt ociosæ. In renatis verò principia donorum quæ à Spiritu sancto acceperunt, fuscitantur, conservantur & augentur per admonitiones & correptiones, ne effundantur, sed crescant & augeantur. Hæ explicationes veræ, simplices & planæ sunt: nec à nobis primùm excogitatæ sunt, sed à veteribus, ab Augustino præsertim traditæ.

QVAM INSIDIOSE POSITA *sint Tridentina Decreta de Libero arbitrio.*

His ita explicatis, Lectori paucis jam ostendam, quàm insidiosè Canones Concilii ludant meris æquivocationibus. Vnde colligi poterit, quale ibi studium fuerit veritatis: cùm ideo invehant tenebras æquivocationū, ne veritas per se manifesta emergere possit. Canone quinto, dicunt anathema illis, qui sentiunt liberū hominis arbitrium, post Adæ peccatum amissum & extinctum esse: non autem explicant, quid vocabulo liberi arbitrii intelligant. Num si intelligatur ipsa substantia mentis & voluntatis, vel libertas in rebus externis, aut in actionibus vitiosis: manifestum est liberum arbitrium non esse omnino extinctum & amissum. Si autem intelligatur potentia, vis aut efficacia ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales: aut talis libertas, quæ æquam habeat potestatem sicut ad mala, ita & ad bona: jam in præcedentibus ostendimus, quid ex Scripturæ testimoniis rectè responderi possit. Et cùm tàm variæ sint æquivocationes: Postulant tamen reverendi Patres, ut sine distinctione in genere, sub anathematis interminatione confiteamur, hominem post lapsum retinuisse liberum arbitrium: non autem vel de substantia mentis & voluntatis non de libertate disciplinæ in rebus externis, nec de contingentia in actionibus vitiosis potissimum pugnant. Ita enim quod ad nos attinet, nullam haberent causam fulminandi anathematis: sed de potentia, vi & efficacia naturali ad actiones spirituales, certamen est. Illam verò quæstionem expressis verbis verentur proponere, cùm Scripturæ testimonia nimium sint manifesta. Vtuntur itaq; artificio æquivocationis: An liberum arbitrium per peccatum prorsus sit extinctum & amissum. Ita in capitulo secundo, ubi loquuntur de vi naturæ in gentibus, addunt: Tametsi in eis liberum arbitrium minimè extinctum esset, licet viribus attenuatum & inclinatū. Hæc verba si de externa rationis disciplina intelligerent, nulla esset inter nos controversia. Sed hoc volunt, liberi arbitrii naturales vires, ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales, licet sint attenuatæ & inclinatæ minimè tamē vel in Gentibus, vel in Iudæis non renatis extinctas esse.

Nec novus est ille æquivocationum ludus in vocabulo Liberi arbitrii. Luserunt enim illum & olim Pelagiani. Et observet Lector, quomodo Augustinus ad illas æquivocationes respondeat. Ad Bonifacium libro primo, cap. 3. Arbitrium in bono liberum non erit, quod liberator non liberaverit: sed in malo liberum habet arbitrium. Ibidem: Hæc voluntas quæ libera est, in malis quia delectatur malis: ideo libera in bonis non est, quia liberata non est. De gratia & libro primo, capite 15. Semper est in nobis voluntas libera, sed non semper est bona. Aut enim à justitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando servit justitiæ & tunc est bona: sed per gratiam fit, ut sit homo bonę voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. De Correptione & gratia cap. 1 Liberum arbitrium, & ad malum & ad bonū, faciendum, confitendum est nos habere. Sed in malo faciendo, liber est quisque justitiæ & servus peccati: in bono autem liber esse nullus potest, nisi fuerit liberatus, Ioan. 8.

Et cùm Pelagiani argumenta ex vocabulo liberi arbitrii non amissi urgerent, Augustinus opposuit alias appellationes, ex Scriptura sumptas. Ad Bonifacium libro 3. cap. 8. Liberum arbitrium captivatum, non nisi ad peccatū valet: ad justitiam verò nisi divinitus liberatum, adjutumq;, non valet.

De verbis Apostoli, sermone undecimo: Ad malè agendum habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem, quanquam illa non est libera, à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.

Contra Iulianū libro secundo, Hic vultis hominem perfici atque vitam Dei dono, & non libero, seu potius servo propriæ voluntatis arbitrio. Epistola 105. ad Vitalem: Liberū arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus. In Enchiridio capite tricesimo: Libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit, & ipsum. Sicut enim qui se occidit, utiq; vivendo se occidit: ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberū arbitrium, à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est, quæ sententia cùm vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quādo eum peccare delectat?

De verbis Apostoli, sermone 2. Verum est, magnas liberi arbitrii vires homo cum conderetur accepit: sed peccando perdidit. Epistola 89. Libertas sine gratia, nihil est nisi contumatia, non libertas. Verè enim liberi eritis, si filius vos liberaverit.

Vocabula quidem infirmationis, attenuationis & inclinationis, scio extare in concilio Aurasicano: sed ibi in iis, quæ ad salutem pertinent, omnia detrahuntur vigori naturæ, & tribuuntur gratiæ. Et Canone 13. dicitur: Liberum arbitrium amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi.

Tridentinum verò Concilium sub illis verbis

Universidad de Deusto
Biblioteca

suas occultat insidias, quòd in homine non renato, reliquæ adhuc sint ad spirituales actiones aliquæ vires, licet valde attenuatæ & inclinatæ. Cõsideret igitur Lector, quàm insidiosè ludant æquivocatione vocabulorum.

Ita cùm dicunt: quia necesse sit hominem assentiri, & recipere gratiam: ideo hominẽ ipsum, non omnino nihil agere, rectè possumus cum Augustino respondere: Posse benè intelligi, si non ab istis, quorum sensus notus est, diceretur, Addatur enim, hominem ipsum velle & posse assentiri, recipere & agere in conversione, sive in rebus spiritualibus: non ex suis naturalibus viribus, sive ex toto, sive ex parte habere: sed accipere ab illo, qui operatur velle & facere. Et nihil erit controversiæ. Certum enim est, nos velle assentiri, recipere, agere, &c. sed Deus operatur velle & facere. Quid enim habes, quod non accepisti. Quam sententiam de donis naturalibus intelligere, Augustinus ostendit Pelagianum esse. Cùm igitur paucis verbis has æquivocationes facilè potuissent evoluere: quid existimas causæ esse, quòd maluerint illis generalitatibus ludere: nisi ut sub illis cothurnis utrique pedi aptis, antiquam sententiariorum fabulam, spectatoribus nõ animadvertentibus, in theatrum reducere possent?

Illud verò quod seriò probare laborant, hominem posse dissentire, & gratiam quando offertur abjicere: nimis proh dolor, verum est. Neq; enim fingimus, gratiam in conversione ita obtrudi voluntati, ut velit nolit cogatur eam habere: sicut cùm stigma corpori inuritur: sed hoc dicimus, quòd donum & operatio Spiritus sancti sit, ut gratia cum desiderio, delectatione & gaudio recipiatur. Vt autem repudietur, abjiciatur & effundatur, carnis nostræ pravitas & malitia est.

Illud etiam non satis explicatè dictum est, liberum arbitrium hominis à Deo motum & excitatum, cooperari assentiendo, Deo excitante & vocante. Omnino enim Augustini distinctio inter gratiam operantem & cooperantem, diserte explicanda est: An scilicet liberum arbitrium, naturalibus suis viribus cooperetur Deo: ita ut cùm Deus operatur in nobis velle & assentiri, naturalis quædam vis seu efficacia veteris hominis cooperetur, ad producendum illud velle seu assensum illum. Sive quando gratia movet & excitat voluntatem, quòd tunc ex naturalibus viribus voluntatis assensus emergat. Augustinus certè dicit: Vt velimus, Deus operatur fine nobis, ficut suprà explicatum est. Acceptis verò primitiis donorum spiritualium, voluntatem renatam esse σύνεργον Dei, illis facultatibus quas à spiritu regenerationis accepit, nullum est dubium.

Augustini distinctio inter gratiam operantẽ & cooperantẽ.

Observanda præterea est insidiosa æquivocatio in verbo adjuvandi. Augustinus præclarè dicit de Correptione & gratia cap. 1. Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis. Non ità, ut cùm quisque fuerit à peccati damnatione liberatus, jam non indigeat liberatoris sui auxilio: sed ita potius, ut ab illo audiens, Sine me nihil potestis facere: dicat ei & ipse, Adjutor meus esto.

Item in Enchiridio: Hominis voluntatem adjuvat præparatam, & præparat adjuvãdam. Sed sub illo verbo adjuvandi, Pelagius venenũ suum insidiosè occultabat. Dicit enim apud Augustinum libro primo, capite 19. ad Bonifacium. In omni opere bono hominem semper adjuvari à gratia. Et libro quarto, capite 6. gratiam adjuvare uniuscujusque bonum propositum. Hoc fine scrupulo, inquit Augustinus, acciperetur. Sed Pelagius inde texebat tale argumentum. Qui adjuvatur, ipse unà cum adjuvante aliquid agit & operatur.

Voluntas non renata, adjuvatur à gratia. Ergo ex se aliquid confert, & viribus suis naturalibus, quas habet ex prima nativitate, aliquid cooperatur ad conversionem. Augustinus verò respondet libro 3. capite 4. ad Bonifacium: Tempore veteris Testamẽti in iis, qui secundum promissionem filii erant, Spiritum sanctum non solùm adjutorem (quod Pelagiani dogmati suo sufficere existimant) verùm etiam largitorem fuisse dicimus virtutis, quod isti negant. Et libro secundo, capite 9. Hominis bonum propositum adjuvat quidem subsequẽs gratia: sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia. Adjuvantem igitur gratiam Augustinus tunc primùm ponit, quando sine veteris hominis cooperatione gratia præveniens operata est velle. Tunc enim adjuvat ne fruſtrà velimus. Hac adhibita cõsideratione, inspiciat Lector decreta Tridentina, & agnoscet, quàm generaliter & insidiosè, sine justa & necessaria distinctione utantur verbo adjuvandi. Nec calumniosè verba torquemus. Ex Andradio enim interprete concilii didicimus, quam sententiam sub illis verborum involucris texerint. Nam & Catsiani manifestè Pelagianas sententias quas contra Iesuitas notaveram, quas Prosper justo scripto graviter refutavit, quarum etiam quædam in Auraficano concilio disertè damnatæ sunt, Andradius Tridenti in ipso concilio publicè defendit, nempe: Deus cùm in nobis ortũ bonæ voluntatis viderit, quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse, cõfestim illuminat, confortat, &c.

Item: Evidenter apparet etiam per naturæ bonum, quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarũ voluntatũ prodire principia. Item: Dubium videtur, an quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, Deus misereatur nostri: an verò econtrà. Vtrumque enim recipiendum est, ut in aliis voluntatem gratia præveniat, in aliis voluntas gratiam, &c. Hæc Catsianus. Vt autem imperitum Lectorem Andradius fallat, Paphnutii quasdã sententias, quæ extant in 3. collatione recitat: cùm de illis quas ex 13. collatione Prosper refutavit, respõdere deberet.

Exagitant etiam illud quod Lutherus dicit, hominem ad regenerationem, renovationem, seu conversionem habere se merè passivè. Et sanè hac phrasi offendi posset aliquis, qui non est assuetus modis loquẽdi, qui Scholasticis scriptoribus usitati sunt: quasi sensus sit, Spiritum sanctum ita operari conversionem, ut in voluntate quæ renovari cœpit, nulli omnino sequantur novi motus: sed planè sit otiosa & iners, & tantùm bruta agitatione percellatur & protrudatur.

Lutherus dicit hominem in conversione patim pati.

tur. Quod Luthero nunquam in mentem venit. Theologos verò, qui in Tridentino concilio adhibiti fuerunt, quia & enutriti sunt, & conversati in illo genere dicendi, quod Scholasticis Scriptoribus usitatum est, non est dubium, bene intellexisse quid sit, merè passivè se habere, sed cavillandi studium non potuerunt dissimulare: præsertim cum suam de naturalibus liberi arbitrii viribus, quas si non ex toto, saltem ex parte aliqua, ad renovationem seu conversionẽ conferat, hoc modo existimarent non incõmodè posse hominibus obtrudi. Vsitata autem est apud Scholasticos disputatio: Quod subjectum recipiens formam aliquam, qualitatẽ, habitum, actionẽ, &c. quatenus recipit, habeat se passivè. Sunt verò quædam subjecta, quæ præterquam quod recipiendo se passivè habent, etiam activitatem quandam in se habent, quam conferunt, & quæ simul cooperantur, ut forma, qualitas, actio seu habitus in subjecto illo producatur. Et talia subjecta habent se ad productionem formæ, non merè passivè, sed partim passivè, partim activè. Sunt verò alia quædam subjecta, quæ ad productionem formæ, nullam ex se habẽt activitatem, sed tantùm recipiunt formam. Et illa dicuntur se merè passivè habere. Illos modos loquendi Scholasticorum, Lutherus, ut tunc temporis in Scholis usitatos & notos, accommodavit ad doctrinam de libero arbitrio.

Cùm enim mens & voluntas sint subjectum, in quo Spiritus sanctus operatur conversionem seu renovationem: hactenus habet se subjectum illud juxta Scholasticorum phrases, passivè. Iam verò quæstio est: An mens & voluntas, qualis est ex prima nativitate, in hac naturæ per peccatum corruptione, habeat activitatẽ aliquam, hoc est, δύναμιν, vim seu efficaciam aliquam quam conferat, & qua simul cum Spiritu sancto cooperetur, ut inchoetur conversio, sancta cogitatio, bonum propositum, studium, conatus, lucta, &c. In motibus & actionibus spiritualibus, hoc est, (ut Scholastici loquuntur) an voluntas non renata, habeat se ad spiritualem conversionem partim activè, partim passivè? Quæ verò Scriptura tradit δύναμιν illam ad spiritualia esse per peccatũ amissam, ita ut nihil possit voluntas ex se: & Augustinus etiam, gratiam qua Deus operatur in nobis velle, non vult vocari cooperantẽ, sed operantem: Lutherus igitur, usus Scholasticorum phrasi, sententiam illam ita explicavit, quòd merè passivè se habeat. Et tamen non docuit, sine cogitatione mentis, & consensu voluntatis fieri conversionem: sed hoc voluit. Deum eos, quos convertit, trahere voluntatib. eorum, quas ipse in illis per Spiritum sanctum operatus est, sicut Augustinus loquitur.

Voluntas hominis nõ renati, an habeat sese partim activè, partim passivè.

Nihil igitur incommodi habet illa phrasis, si rectè intelligatur. Sed constituta de rebus ipsis vera sententia, de modis loquendi facilis potest iniri ratio, ut scilicet sine ambiguitate, rẽ ipsam propriè, commodè, & perspicuè explicent.

Ecquid igitur in omnibus hisce decretis, quæ de libero arbitrio loquuntur, lector aliud deprehendit, quàm ambiguos lusus multiplicium æquivocationum? Sed inquis: Certè non ad ludendum convocati fuerunt Patres Tridentum, sed res seria acta fuit. Ego verò respondeo, generalitatibus, ambiguitatibus & æquivocationibus, veritatem citius amitti & obscurari, quàm vel inveniri, vel illustrari. Quid igitur cautæ esse putas, quòd in re seria & gravi, hoc artificio uti voluerunt? nisi hoc, quòd Scholasticorum opiniones de libero arbitrio nimium crassas, non ausi fuerunt denudatas in Theatrum producere, ne primo aspectu explauderentur, quia tamen omnino retinere illas voluerunt, involvendæ ita fuerunt ambiguis generalitatibus & æquivocationibus, ut quoquo modo Ecclesiæ rursus obtruderentur. Aut forsan ideò factum hoc est, quia (ficut Ruardus Tapperus dicit) in concordantia gratiæ & liberi arbitrii, esse liberum, ut suo quisq; sensu abundet. Ergo, inquis, & Augustanæ confessioni sua sententia libera permittetur? Nihil verò minus. Sicut enim in loco de Peccato originis diximus: In Papatu quidvis liberum est opinari, ea verò sola sententia damnatur & anathematisatur, quæ ex Scripturæ testimoniis extructa est.

Tridentini nolunt videri decessisse à Scholasticorum opinionibus.

EX DECRETO SEXTAE SESSIONIS TRID. CONCILII.

De dispensatione & ministerio adventus Christi.

Quo factum est, ut cœlestis pater, pater misericordiarum, & Deus totius cõsolationis, Christum Iesum filium suum, & ante legem, & legu tempore multis sanctis patribus declaratum ac promissum, cùm venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit, ut & Iudæos, qui sub lege erant redimeret: & gentes quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atq; omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorẽ, per fidem in sanguine ipsius, pro peccatis nostris, nõ solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Qui per Christum justificantur.

Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt sed ii duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur. Nam sicut revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti: cum ea propagatione, per ipsam dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant, ita nisi in Christo renascerentur, nunquam iustificarentur: cum ea renascentia per meritum passionis eius gratia, qua iusti fiunt illis attribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus gratias non semper agere hortatur patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transtulitq; in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.

Insinuatur descriptio justificationis impii, & modus ejus in statu gratiæ.

Quibus verbis iustificationis impii descriptio insinuatur, ut sit trãslatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius

Universidad de Deusto
Biblioteca

lius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam, Iesum Christum Salvatorem nostrum. Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationu, aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Modus præparationis.

Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atq; illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, & tamen peccatores se esse intelligentes, à divinæ iustitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandã DEI misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidetes DEVM sibi propter Christum propitium fore, illumq; tanquam omnis iustitiæ fontem, diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata, per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet, denig; proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad DEVM oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit. Et: Cõfide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et: Timor Domini expellit peccatum. Et: Pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Et: Euntes ergo, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis. Denig; præparate corda vestra Domino,

Quid sit justificatio impii, & quæ ejus causæ.

Hanc dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Huius iustificationis causæ sunt: finalis quidem, gloria Dei & Christi, ac vita æterna: efficiens verò, misericors Deus, qui gratuitò abluit & sanctificat, signans & ungens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ: meritoria autem, dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, suæ sanctissimæ passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo patri satisfecit: instrumentalis item Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam iustificatio contingit: demum unica formalis causa est, iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, quia videlicet ab eo donati, renovamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisq; suam, secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusq; dispositionem & cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi, communicantur, id tamen in hac impii iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito, per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atq; ipsis inhæret. Vnde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur per fidem, spem & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neq; unit perfectè cum Christo, neq; corporis eius vivum membrum efficit. Qua ratione verissimè dicitur, fidem sine operibus mortuam & ociosam esse, & in Christo Iesu neq; circumcisionem aliquid valere, neq; præputium, sed fidem quæ charitatem operatur. Hanc fidem ante baptismi sacramentum, ex Apostolorum traditione catechumen ab Ecclesia petunt, dum petunt fidem, vitam æternam præstantem, quam sine spe & charitate fides præstare non potest. Vnde & statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Itaq; veram & Christianam iustitiam accipientes, eam ceu primã stolam, pro illa quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam & immaculatam iubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternam.

Quomodo intelligatur, impium per fidem & gratis justificari.

Cùm verò Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit & expressit, ut scilicet per fidem ideò iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire: gratis autẽ iustificari ideò dicamur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, iam non ex operibus, alioquin (ut idem Apostolus inquit) gratia non est gratia.

De acceptæ justificationis incremento.

Si ergo iustificati, & amici Dei ac domestici facti, eunte de virtute in virtutem renovantur (ut Apostolus inquit) de die in diem, hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ. In ipsa iustitia, per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atq; magis iustificantur, sicut scriptum est: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Et iterum: Ne verearis usq; ad mortem iustificari. Et rursus: Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc verò iustitiæ incrementum petit à sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis Domine fidei, spei & charitatis augmentum.

CANON IX.

Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atq; disponi, anathema sit.

CANON

CANON X.

Si quis dixerit, homines sine Christi iustitia, per quã nobis meruit iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse, anathema sit.

CANON XI.

Si quis dixerit, hominem iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illi inhæreat, aut etiam gratiam qua iustificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur, anathema sit.

CANON XIIII.

Si quis dixerit, iusticiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse iustificationis adeptæ, non etiam ipsius augendæ causam, anathema sit.

EXAMEN.

Hic locus est præcipuus in doctrina Christiana. Anxiæ enim & perterrefactæ mentes, quæ cum peccato & ira Dei luctantur, unicum hunc portum quærunt, quomodo Deum possint habere placatum & propitium. Et fides in tentatione de unica hac consolatione solicitè circumspicit, quid debeat apprehendere, quo nitiine iusto Dei judicio ob peccata damnetur, sed ut ira Dei placata, miser peccator in gratiam recipiatur, & acceptetur ad vitam, finis enim fidei, est vita æterna. 1. Petr. 1. Ibi verò unicus locus justificationis rectè explicatus, & ita intellectus, sicut in doctrina Evangelii patefactus est, affert necessariam & uberrimam consolationem piis conscientiis, illustrat & amplificat gloriam filii Dei, redemptionis & mediatoris nostri. Contra verò si locus hic peregrinis opinionibus adulteretur, obscurat gloriam & beneficia Christi, & eripit afflictis conscientiis necessarias consolationes, quæ in Christo nobis propositæ sunt. Nondum autem planè intermortua est memoria, qualis fuerit sub Papatu carnificina cõscientiarum, luctantium in tentatione cum peccato & ira Dei, & anxiè quærentium firmam & certam aliquam consolationẽ, dum præterito Christo, qui unus ad omnem justitiam nobis sufficit, jam ad sancti tatem operum debitorum, jam ad proprias satisfactiones operum indebitorum, jam ad supererogationes, mox ad superflua merita ordinum, ad varias fraternitates, ad patrocinia sanctorũ, ad peregrinationes, ad nundinationes indulgentiarum, & quo non miseras conscientias abduxerunt, & circumegerunt. Et tandem peractis illis omnibus, in tristissima dubitatione illas reliquerunt propositæ (si dis placet) consolatione ignis purgatorii. Phighius etjam quãtumvis nobis iniquus & acerbus, tamen de articulo justificationis inquit: Dissimulare non possumus, à nostris hanc vel primam doctrinæ Christianæ partem, obscuratam quam illustratam magis, à Scholasticis spinosis plerisq; quæstionibus & definitionibus. Et tales extant multorum querelæ inter ipsos Pontificios etjam. Iam verò in Concilio Tridentino, gravissima hæc quæstio in deliberationem deducta fuit, & quidem sicut ipsi narrant, per 7. menses agitata. Et quis non speraret, cùm doctrina hæc ex multis manifestissimis Scripturæ testimoniis, hoc tempore clarissimè sit illustrata, fore ut desertis philosophicis Scholasticorum lacunis, ad fontes Propheticos & Apostolicos, si non omnino, propius saltem accederent, præsertim cùm per tot menses res fuerit deliberata. Sed eum tandem exitum habuit longa illa deliberatio, crebri illi congressus, & multæ illæ disputationes in Concilio, de articulo justificationis, quod profusa anathematum libera litate, damnata est ea, quæ est omnium Prophetarum & Apostolorum sententia, quòd homo justificetur, hoc est, in gratiam recipiatur & acceptetur ad vitam æternam, sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, fide apprehendente misericordiam Dei, peccata remittentis propter Christum.

Tota verò lerna & colluvies Scholasticorum opinionũ de inhærentibus novis justitiæ qualitatibus, propter quas homo reddatur & sit Deo gratus, & ad vitam æternam acceptus per bona sua opera, ex novis illis qualitatib. prodeuntia, Ecclesiæ rursus obtruditur, quasi doctrina ab ipso filio Dei, sole justitiæ tradita, & quidem addita districta inhibitione, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare aut docere. Infelicem ergo Ecclesiam, cui per Tridentinum Concilium non licebit credere, prædicare vel docere illam beatitudinem hominis, testimonio Mosis, Davidis, & omnium Prophetarum cõfirmatam: cui Deus imputat justitiam sine operibus, juxta dictum: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, Rom. 4. Sed dicat quis: Si propositũ Patrum concilii hoc fuit, ut tantùm repeterent condemnationes doctrinæ nostrarum Ecclesiarum, & significarent, se nullam ex verbo Dei reformationem doctrinæ suæ, qualis ea cunq; est, admittere aut velle aut posse, potuissent rem brevib. expedire, nec opus fuisset per tot menses continuatis deliberationib. Et alii quidem suspicantur, hoc pro forma (quod dicitur) factum esse, ut species aliqua prætendi posset non ex præconceptis opinionibus, sed habita diuturna, gravi & matura deliberatione, ex scripturę fundamentis condita esse illa de justificatione decreta. Ego verò ex ipsis decretis, præcipuè verò ex Andradio meo colligo, causas tam solicitæ & diuturnæ deliberationis per tot menses duas, præcipuè fuisse. 1. Quia testimoniorum scripturæ (quæ tradunt nos non propter nostras qualitates & virtutes, sed gratuita imputatione justitiæ, obedientiæ & meriti Christi, coram judicio Dei justificari, hoc est à

Locus iustificationis.

peccatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatis absolvi & acceptari ad vitam æternam) Lux tanta est, quæ parvulos illuminat, pios confirmat, & adversariorum etiam oculos vel invitos, sua claritate perstringit: quæ renda fuerunt artificia, quibus lux illa, objecta aliqua nebula & caligine, posset obscurari, ne tanta claritate in oculos hominum incurreret. Et quia specie aliqua illud fieri debebat, non uniusitaque mensis deliberatione, negocium hoc confici potuit. 2. Scholastici nimium crassè philosophantur, de homine faciente quod in se est, de merito congrui, de gratia gratum faciente, de merito condigni. Et de justificatione fine Scriptura non aliter disputant, ac si in Aristotelis schola, de Physicis motibus philosophiarentur. Quia vero sententiam illam Scholasticorum, Concilium retinere voluit (vidit autem homines lectione Scripturæ, vel invito toto Antichristi regno, tantum jam profeciſſe, quòd à prophanis illis disputationibus & vocibus abhorrent, & ad Scripturam omnia revocari volunt) magni igitur laboris, & diuturnæ deliberationis res fuit, excogitare, quomodo Philosophica de justificatione opinio, Scripturarum vocibus quibusdam ita posset circumvestiri, ne à quovis statim agnosceretur, sed aliquo modo posset hujus temporis lucem ferre.

Hæc principaliter acta fuisse, in illa tot mensium tractatione, & decreta ipsa, præcipuè verò Andradii explicationes luculenter testificantur, sicut ostendemus.

VERVS STATVS LOCI DE *Iustificatione.*

Prius autem de Sophistica illa dicendum est, qua verum disputationis κρινόμενον astutè occultant, & odiosè sententiam nostram prægravant. Certum est, utrumq; esse beneficium filii Dei Mediatoris, & remissionem peccatorum, & renovationem, in qua Spiritus sanctus in credentibus accendit novas virtutes. Christus enim sua passione meruit nobis nõ tantùm remissionem peccatorum, verumetjam hoc, quòd propter ipsius meritum datur nobis Spiritus sanctus, ut renovemur spiritu mentis nostræ. Hæc beneficio filii Dei, dicimus quidem esse conjuncta, ita ut quando reconciliamur, simul etjam detur Spiritus renovationis. Sed propterea non confundimus illa, sed distingvimus, ita ut cuiq; suum locum, ordinem, & suam proprietatem tribuamus, sicut ex Scriptura didicimus, ut scilicet reconciliatio seu remissio peccatorum præcedat, & postea sequatur inchoatio dilectionis seu novæ obedientiæ. Præcipuè verò, ut fides statuat se habere placatum Deum, & remissionem peccatorum, non propter sequentem & inchoatam novitatem, sed propter mediatorem filium Dei.

Remissio peccatorum.

Renovatio hominis.

Inde verò Pontificii texunt calumniam, quasi beneficia filii Dei divellamus & mutilemus. Omnia enim decreta Tridentina, de justificatione ita condita sunt, ut obliquè nos insimulent, quasi doceamus, credentes tantùm habere remissionem peccatorum, non verò etjam renovari per Spiritum sanctum, item Christum meruisse nobis tantùm reconciliationem, & nõ simul etjam renovationem: quasi renovationem, charitatem seu novam obedientiam ita excludamus, ut nec adsit, nec sequatur in reconciliatis: quasi in renatis unica tantùm virtus fidei adesse debeat, reliquarum præsentia aut consequentia simpliciter excluſa. Sed tantùm impudentes & sycophanticæ sunt calumniæ, quibus strepitum excitant, ne homines imperiti animadvertant, qua de re cõtrovertatur. Sæpius enim à nostris repetitum est, planè & clarè nos docere, oportere in renatis existere noticiam articulorum fidei, contritionem, bonum propositum, ac inchoari dilectionem, & debere sequi bona opera. Expresè etjam damnamus Simonis Magi blasphemiam, qui finxit, hominibus gratis fide salvatis liberũ esse, ut agant quæcunque velint. Salutem enim contumelioſè definiebat, esse liberationem ab illa servitute, qua homines ad bonas actiones ex mandato Dei obligantur, nec permittuntur agere quæ velint. Hi sunt acerbi, & verè Diabolici sarcasmi, quibus Apostolorum doctrinam de gratuita justitia fidei, & de libertate Christiana, Satan ludificare voluit, & eam invisam reddere bonis mentibus. Serio etjam abhorremus à Basilidis blasphemia, qui finxit ita nos sola gratia fide salvari, ut omnes qualescunque actiones, & quidem universa libido indifferenter usurpari possit.

Libertas à necessitate operum.

Improbamus etjam Gnosticos, qui dixerunt se salvari ex sola cognitione, & propter fidei excellentiam adeò spirituales fieri, ut non possint gratia excidere, quicquid etjam perpetrent. Improbamus & illud quod Augustinus hæresi 54. dicit, AEtium & Eunomium usque adeò fuisse bonis moribus inimicos, ut asseverarint, quòd nihil cuiquam obesset, quorumlibet perpetratio & perseverantia peccatorum, si modò hujus quæ ab ipso docebatur, fidei particeps esset.

Hæc repetere hoc loco volui, ut boni viri ubicunq; sunt, intelligant, injustè nostras Ecclesias hisce calumniis deformari, quasi alterum beneficium filii Dei, renovationem scilicet spiritus abjiciamus: & doctrinam de pœnitentia, de charitate, de nova obedientia & bonis operib. simpliciter excludamus à nostris Ecclesiis. Necessarium etjam fuit, hanc explicationem præmittere, ut verũ hujus controversiæ κρινόμενον, quod insidiosè & magno studio à Tridentinis occultatur, planè & clarè cõstitui posset. Nequaquam enim hic est status: an credentes, postquam remissionem peccatorum fide propter Christum acceperunt, etjam renoventur spiritu mentis suæ, nec quæstio est, an renovatio etjam pertineat ad beneficia Christi, neque hæc est controversia, an oporteat existere in homine pœnitentiam, contritionem, bonum propositum, ac inchoari dilectionem, & sequi bona opera, hæc enim omnia planè & clarè confitemur, docemus, & sedulò urgemus in nostris Ecclesiis. Et hæc cùm ita se habeant, lector ipse secum reputet, quale sit artificium, in hac tam gravi controversia, sophisticis cavillationibus ludere, & statum controversiæ occultare.

Sed dicat quis: Si hæc ita se habent, quid igitur est, de quo tam acriter, ad totius fermè orbis tumultum,

multum, de articulo justificationis contenditis? Certè sicut vos renovationem non negatis, nec charitatem simpliciter abjicitis, ita Pontificii remissionem peccatorum non negant, sed confitentur. Et si de rebus ipsis consensio est, erunt igitur tantùm λογομαχίαι: hoc est, verbales contentiones, seu bellum grammaticale. Pontificii enim verbum justificare, intelligunt juxta morẽ Latinæ compositionis, pro justum facere, donato vel infuso habitu justitiæ inhærentis, unde prodeant opera justitiæ. Lutherani verò Hebraica phrasi verbum justificare accipiunt, ideo justificationem definiunt absolutionem à peccatis, seu remissione peccatorum, imputatione justitiæ Christi, adoptione & hæreditate vitæ æternæ, idque tantùm propter Christum, fide apprehensum. Et tamen simul docent sequi renovationem, inchoandam esse dilectionem, & bona opera. Non ergo de rebus ipsis, sed tãtùm de vocabulo justificationis certamen erit, quod inde oritur, quia alius aliter verbum illud intelligit, & interpretatur. Et certè in Ecclesia non decet, quando res ipsæ salvæ sunt, de vocabulis movere turbas. Paulus enim 1. Timo. 6. graviter dicit, morbũ Ecclesiæ perniciosum esse, quando quis langvet circa quæstiones & logomachias, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, concertationes hominum mẽte corruptorum, qui veritate privati sunt.

Iustificare.

Hanc objectionem ideò recensui, ut eò commodius & planius explicari & monstrari posset, quod sit κρινόμενον, seu quis sit verus status hujus controversiæ, de articulo justificationis.

Est autem nostra simplex hæc, & aperta respõsio: Nequaquam tales sumus turbatores, qui veras & solidas, & salutari concordiæ ita simus iniqui, & adeo cupidi contentionum, ut etjamsi de rebus ipsis constituta esset vera, pia & salutaris consensio, quæsituri tamen essemus materiam rixarum, ex verborum pugnis.

Patribus enim, licet plerunque verbum justificare accipiant pro renovatione, qua efficiuntur in nobis per Spiritum opera justitiæ, nõ movemus litem, ubi juxta Scripturam rectè & commodè tradunt doctrinam, quomodo & quare persona Deo recõcilietur, accipiat remissionem peccatorum, & adoptionem, & acceptetur ad vitam æternam. Sæpè etjam à nostris monstratum est discrimen illud significationum, quomodo juxta analogiam fidei, & perpetuam Scripturæ sententiam rectè, piè & dextrè intelligi & admitti possit illa etjam significatio, si cum Patribus accipiatur, juxta morem Latinæ compositionis. Sed nihilo placatiores facti sunt Pontificii. Non enim de vocabulis tantùm, sed præcipuè de rebus ipsis dissensio & certamen est, in articulo justificationis.

Status huius disputationis.

Hæc enim est principalis quæstio, hic status hoc κρινόμενον: quod scilicet id sit, propter quod Deus hominem peccatorem in gratiam recipiat, quid judicio Dei opponi debeat & possit, ne juxta rigidam legis sententiam damnemur, quid fides apprehendere & adferre, quo niti debeat, quando vult cum Deo agere, ut accipiat remissionem peccatorũ, quid interveniat, propter quod Deus peccatori, qui commeritus est iram & æternam damnationem, reddatur placatus & propitius: quid conscientia statuere debeat illud esse, propter quod donetur nobis adoptio, in quo tutò collocari possit fiducia, ut acceptemur ad vitam æternam, &c. An illud sit satisfactio, obedientia & meritum filii Dei mediatoris: an verò inchoata in nobis novitas, dilectio, & reliquæ virtutes in nobis. Hic est status ille controversiæ, qui tam studiosè & insidiosè in decretis Tridentinis occultatur, quem pluribus verbis ideò simplicius aliquanto explicare volui, ut videat Lector, non λογομαχίαν esse, sed rem longè gravissimam, & conscientiis unicè necessariam, quæ in hoc loco in controversia posita est. Et quando ad hunc scopum omnes disputationes in hoc loco referuntur, tunc omnia sunt planiora.

DE VOCABVLO IVSTIFICATIONIS.

Hæ verò quæstiones adeò connexæ, imò quasi involutæ sunt verbo justificandi, ut cuicunque retribuatur justificatio fidei, sive quòd justificet nos, statim sponte sequatur, illam rem esse, propter quam à Deo in gratiam recipiamur, & illam rem fidem debere iudicio Dei opponere, ne persona damnetur: propter illam rem Deum reddi nobis placatum, donare adoptionem, & acceptare nos ad vitam æternam. Hoc usque adeò certum & manifestum est, ut Tridentini etjam dicant: justificationem esse translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius iræ, in statum gratiæ & adoptionis. Et descriptionem iustificationis impii insinuari in illa sententia Pauli Colossensium primo: Eripuit nos de potestate tenebrarum, transtulitq; in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum. Videt lector, ipsos ad veram significationem verbi justificare, non obscurè alludere, sed mox postea, ubi ad rem ipsam ventum est, ut explicetur, quid sit iustificatio peccatoris, ibi justificare ipsis aliud nihil significat, quàm hominis per Spiritum renovationis infundi habitum, vel qualitatem iustitiæ inhærentem. Et novitatem quidem in credentibus per Spiritum sanctum inchoari, nos etiam docemus: sed dicimus illa novitate nos non justificari coram DEO: hoc est, novitatem nostram non esse illud, propter quod recipiamur in gratiam, & accipiamus remissionem peccatorum, nec esse illud, quo fides niti debeat, quando agit cum Deo, ut adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam. Ex valdè multiplicibus igitur fraudibus consuta sunt Tridentina Decreta de justificatione, sicut hactenus ostendimus.

Manifestum est autẽ ex iis quæ jam diximus, veram Scripturæ sententiam de justificatione non posse commodius explicari, intelligi & conservari, nec contrarias corruptelas rectius & illustrius posse refutari, quàm ex propria & genuina significatione verbi justificare. Neque ignorant hoc Pontificii: ficubi enim mentionem faciunt Hebraicæ proprietatis, valdè levi brachio hoc attingunt. Ipsorum enim institutio accõmodatius est, si abutantur similitudine analogiæ Latinæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Latinæ compositionis: ut sicut sanctificare dicitur, ita etjam justificare intelligatur. Ita enim ad hærentes qualitates statim dilabi possunt, ut in illis justificatio nostra constituatur.

Pauca igitur quædam annotabimus, quæ sit in hoc articulo propria & genuina significatio verbi justificare, idq; ita fiet, ut simul ostendatur, Scripturam justificationem coram Deo, ad remissionem peccatorum & vitam æternam, adimere nostris virtutibus, novitatibus & operibus, & transferre in satisfactionem, obedientiam & meritum filii Dei Mediatoris. Deinde ostendemus, Tridentinum Concilium damnare illam sententiam, quæ est ipsissima & perpetua omnium Prophetarum & Apostolorum doctrina, & in ejus locum substituere planè alienam, & cum Scriptura pugnantem sententiam.

Justificare quid Pontificiis.

Simpliciter autem contendunt Pontificii verbum justificare, propriè significare talem motum seu mutationem ab injustitia ad justitiam, sicut quando in physicis motibus una qualitas expellitur, & alia introducitur. Talem enim volunt esse rationem compositionis, qualis est in verbo sanctificare, vivificare, calefacere, frigefacere, &c. Et Patres quidem verbum justificare, in hac significatione sæpe usurpare non ignoro, sed de proprietate lingvarum quæstio est. In Latina igitur lingva, apud probatos authores, non scio extare exemplum, quòd justificare significet, vel imbuere aliquam habitu justitiæ, vel infundere qualitatem justitiæ. Proposui hoc antea Iesuitis, ut quia analogia Latinæ compositionis nituntur, exemplum aliquod ex illis autoribus, ex quibus usus Latinæ lingvæ probatur, proferrent. Sed advocatus ipsorum Andradius cùm anxiè omnia conquisierit, nihil tale proferre potest.

In Græca communi lingva, δικαιοῦν duas habet significationes. Primò significat justum aliquid censere seu pronunciare. Ita Plutarchus in Agesilao: Denunciato bello coëgit omnes stare illis οἷς ὁ πέρσης ἐδικάσατο. Et in Bruto: Cùm Mimi captivi, qui cæci Cassii insultarant, in judicio accusati essent: Messala Corvinus ἐδικαίου virgis cæsos nudos, esse mittendos ad castra hostium. Commentator Sophoclis in Oedipo Colonæo, δικᾶν dicit usurpari ἀντὶ τοῦ δικαίως κρίνειν. Suidas exponit δικαιογνωμίζειν. Et citat Lysiam, qui δικαιώσεις vocat τὰς δικαιολογίας. Secùda significatio valdè usitata est. τὸ δικᾶν, ἀντὶ τοῦ κολάζειν supplicio afficere, non privata pœna, sed præcipuè cùm causa judicata, judicialiter (ut ita dicam) aliquis punitur: ideò Suidas δικαίμωρον exponit, per δίκης τυγχάνοντα. Et Thucididē citat, usurpantem δικαιώσεις ἀντὶ τῶν κολάσεων. Sed hujus significationis ubiq; obvia sunt apud Græcos autores exempla.

Apud authores igitur Græcæ linguæ, verbum justificari non usurpatur in illa significatione, de qua sola Pontificii dimicant. Restat ergo usus hujus verbi in lingva sacra. Et forensis (sicut vulgò loquimur) ejus significatio usque adeò manifesta est, quòd Andradius eam negare non audet. Anxiè autem conquiritexempla, probaturus, quòd in multis Scripturæ locis, verbum justificare significet non absolvere à peccatis, sed mentem qualitate justitiæ inhærentis exornare. Et hoc ariete arbitratur se expugnaturum totā doctrinam de imputativa justitia. Videndum igitur est, quibus exemplis, quàm certò & firmiter hoc probet. In prima autem acie collocat testimonium ex Syracide cap. 1. Religio, seu pietas justificat cor. Et in vulgata sanè versione ita legitur. Sed Syracides in sua lingva ibi hoc non habet. Animadvertit autem Lector illud, de quo antea diximus, quare Tridentina Synodus decreverit vulgatam editionem, per omnia habēdam esse pro authentica. Quod enim Syracides non scripsit, sed aliunde in contextum irrepsit, illud Andradius pro authentico citat, ad evertendam justitiam fidei. Præterit autem, quod Syracides ipse in primo illo capit. scripsit: θυμὸς ἀδίκως, iracundia injusta non poterit justificari, hoc est, à culpa absolvi.

Fides?

Mirum verò est, quòd non etjam adduxerit id, quod in vulgata versione Psalmi 72. legimus: Frustra ergo justificavi cor meum. In Hebræo enim planè aliud verbum est.

Plus verò coloris habet, quod ex 18. cap. citat: Non verearis usq; ad mortem justificari. Quod Tridentinum Concilium ita interpretatur, sanctificationem & renovationē debere crescere, & augeri usque ad mortem, Quæ sententia in doctrina renovationis quidem vera est: sed considere t lector, an Syracides in illo loco, vocabulo justificationis hoc intelligi velit. Illud enim est de quo disputamus. Ostendit autem contextus, hoc agi, conversionem, ut inveniamus propitiationem, non differendam esse usque ad langvorem seu morbum, sed orādum esse εὐκαίρως, hæc enim sunt verba textus. Illam verò sententiam mox aliis verbis repetit: μὴ μένῃς. Hoc est, Justificari non differas usque ad mortem. Quod antea dixerat, invenire propitiationem, jam vocat justificari, & illud docet, non esse differendum usque ad mortem. Iudicet etjam lector, an ex illo loco sententia Pontificiorum de justificatione stabiliri, & nostra everti possit. Qualemverò putas esse fidem, quæ hujusmodi fundamentis, contra clarissima Scripturæ testimonia nititur? Nihil profectò aliud, quàm effugia sunt, ne veritati locum dare cogantur.

Ex Apocalypsi etjam, pro confirmatione suæ sententiæ citat: Qui justus est, justificetur adhuc: & qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Sed facilis est responsio. Andradius enim dimicat pro illa sententia, quæ justificationem & sanctificationem contendit idem esse, & hanc sententiam vult probare ex illo dicto Ioannis. Sed ibi Ioannes, sicut & Paulus 1. Corin. 6. diserte distingvit justificationem & sanctificationem. Videt igitur lector, quales sint Andradii probationes. Nec obstat, quòd justificati jubentur adhuc justificari: cùm remissio peccatorum non sit mutila. Habitat enim peccatum in carne justificatorum, quod sæpe captivat ipsos, ut in multis offendant. Sicut igitur illi, quibus remissa sunt peccata, quotidiè petūt: Dimitte nobis debita nostra, eodem etjam modo, qui justus est, justificetur adhuc, perpetuò enim in hac vita est illa Apostolica legatio. 2. Corinth. 5. Reconciliemini Deo.

Hisce

Hisce igitur testimoniis Andradius significationem verbi justificare, quam ut advocatus Cōcilii Tridentini, contra nostrarum Ecclesiarum doctrinam defendendam suscepit, nequaquam probavit: sicut quivis lector judicare potest. Quod enim Esaiæ sententiam, In scientia sua justificabit multos, eò torquet, magna impudentia est. Ibi enim mox additur explicatio, quomodo intelligenda sit illa justificatio, quia, inquit, iniquitates eorum ipse portabit, sicut Luc. 1. Zacharias canit: Ad dandam scientiam salutis, quæ est in remissione peccatorum.

Firma igitur adhuc stant illa, quæ contra Iesuitas de propria & genuina significatione verbi justificare in articulo justificationis diximus. Repeto autem id, quod suprà dictum est, statum disputationis non esse an renovatio pertineat ad beneficia Christi, an homo, quando reconciliatur cum Deo, simul etjam per Spiritum sanctum renovetur, an nova obedientia sequi debeat. Hęc enim planè & perspicuè docemus. Sed hæc est quæstio: Quomodo & quare justificemur, ut à Deo in gratiam recipiamur, & acceptemur ad vitam æternā. Hæc toties sunt repetenda, ne hanc disputationem de significatione verbi justificare calumnientur, quasi ipsam renovationem suo loco & ordine negemus.

Justificare.

Et ut maximè ostendetur (quod tamen certò & evidenter non facilè probabitur) verbum justificare in quibusdam Scripturæ locis habere illam, de qua Pontificii dimicant, significationē: de summa tamen rei, de qua agimus, nondum conclamatum esset.

Non enim propriè est quæstio, quid verbū justificare in aliis Scripturæ locis significet, sed hoc quæritur, quam significationem verbum justificare habeat in illis Scripturæ locis, in quib. doctrina justificationis, tanquam in sua sede traditur & tractatur. Reliqua verò exempla, tantùm declarationis gratia adhibentur.

Manifestissima autem est antithesis, Rom. 8. quæ propriam & genuinam significationē verbi justificare, in hoc articulo ostendit, quæ scilicet cum forensi significatione omnino convenit, quòd coram judicio Dei, propter Christum absolvamur à reatu peccati & damnationis, pronūciemur justi, & acceptemur ad vitam æternam. Ita enim habent verba: Quis accusabit adversus electos Dei? Deus est qui justificat, quis est qui condemnet? &c. Ita Rom. 5. Iustificatio & condēnatio aliquoties opponuntur, Et Rom. 3. totus, ut ita dicam, processus vocabulis judicialib. describitur. Lex accusat omnes esse sub peccato. Omne os obstruitur, & totus mundus reus, ὑπόδικος fistitur Deo, quia ex operibus legis non justificatur omnis caro. Iustificamur autem gratis, ipsius gratia, per redemptionem, &c. 1. Cor. 4. Nolo judicari ab humana die, sed qui me judicat, Dominus est. Ideò licet nihil mihi conscius sim, tamen in hoc non sum justificatus. Ita 1. Ioan. 2. fit mentio advocati, sicut Romano. 8. intercessoris. Psa. 143. Ne intres in judicium, quoniam in conspectu tuo non justificabitur omnis vivens. Luc. 18. Publicanus quasi coram Dei tribunali stans, orat: Deus, propitius esto mihi peccatori. Hanc Publicani orationem cùm Christus vellet significare exauditam esse inquit: Descendit justificatus: hoc est, Deus propitiatus fuit peccatis ipsius. Actor. 13. Per Christum vobis remissio annuntiatur peccatorum, & ab omnibus (peccatis) à quibus non potuistis in lege justificari, in hoc omnis qui credit justificatur. Hæc testimonia nulla sophistica possunt eludi, ut ad infusionem inhærentis justitiæ referantur, sed manifestè ostendunt, judicialem esse significationem verbi justificare in hoc articulo, quòd scilicet peccator, lege Dei accusatus, convictus, & sententiæ æternæ damnationis subjectus, fide cōfugiens ad thronum gratiæ, propter Christum absolvatur, justus reputetur & pronuncietur, in gratiam recipiatur, & ad vitam æternam acceptur. Et Ioannes licet non usurpet verbum justificare, tamen doctrinam ipsam verbis judicialibus describit: Qui credit, non justificatur, non venit in judicium. Misit filium in mundum, non ut judicet mundum. Et 1. Ioa. 3. Translati sumus à morte ad vitam. Actorum 3. Petrus dicit peccata deleri. Illud verò Paulus explicat, cum inquit Coloss. 2. chirographum quod contra nos erat, deletum esse.

Et dignum est consideratione, quàm solicitè Apostoli caverint, ne Hebraismus verbi justificare, in aliis lingvis minus notus, doctrinam vel turbaret, vel obscuraret. Alius enim clarioribus, & quidem variis vocabulis illud explicarunt. Ne enim intelligatur de infusione qualitatum justitiæ, Rom. 4. exponitur. per imputare justitiam sine operibus, vel fidem imputare ad justitiam. Exponitur etjam ibi per vocabulum beatitudinis, & per illud Psalmi, tegere iniquitates, & non imputare peccatum. Rom. 5. exponitur per æquipollentiam verbi reconciliari, quod Augustinus etjam animadvertit. Actor. 13 æquipollet remissioni peccatorum. Matth. 1. Salvum faciet populum à peccatis. Illud Acto. 13. per verbum justificare exponitur, ita quòd Galat. 2. Paulus dicit: Non in Christum credidimus, ut justificemur. Illud Actor. 15. Petrus ita effert, Per gratiam Christi credimus nos salvari, sicut & illi. Et quod Ephes. 2. dicitur: Gratia salvati estis, illud Rom. 3. est gratia justificari. Ioannes vocat, Non judicari, non venire in judicium. Rom. 5. constitui justum, est periphrasis verbi justificare, Nam καθίσταναι εἰς κρίσιν, Græcis est verbum judiciale. Ista judicialia etjam sunt, solvere & ligare peccata. Græci interpretes, Iob 13. & 32. reddiderunt δίκαιος ἀναφανδμαι. ca. 27. 40. δίκαιον ἀποφῆναι. Sicut cap. 13. ἔθεντο αὐτὸν ἀσεβῆ, quod cap. nono dixerant ἀσεβῶν, pro condemnare, impium pronunciare.

Et Patres quidem, licet plerumq; sequantur analogiam Latinæ compositionis, in verbo justificare, sæpè tamen evidentia Paulinę disputationis, coguntur agnoscere propriam & genuinam hanc significationem, quam mònstravimus. Ita Augustinus, quia videt Rom. 5. justificari, exponi per reconciliari, agnoscit & probat nostram interpretationem. Et in Psalm. 31. Si justificatur impius, ex impio fit justus. Sed quomodo? Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum, &c. Contra Iulianum li. 2. citat sententiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ambrosii: Eum iustificari à peccato, cui per Baptismum peccata remittuntur omnia. Hilarius in 9. cap. Matthæi. Movet scribas, ab homine remissum peccatum, quod lex laxare non poterat, fides enim sola justificat. Cyrillus in 6. cap. Ioan. Gratia iustificat, mandata verò legis condemnant magis. Oecumenius recitans veterum explicationes in 3. cap. ad Rom. dicit: Iustitia Dei est iustificatio ex Deo, absolutio ac liberatio à peccatis, à quibus lex ipsa absolvere non potuit. Item: Quomodo fit iustificatio? per remissionem peccatorum, quam in Christo Iesu cõsequimur. Sed non quærimus nunc principaliter, quomodo patres usurpent verbum iustificandi, sed nostra quæstio est, in qua significatione Spiritus sanctus utatur verbo iustificandi, in illis Scripturæ locis, in quibus tractat & tradit doctrinam iustificationis, sicut illud manifestissimè iam monstravimus.

Et hæc significatio congruit ad reliqua Scripturæ loca, ubi verbum iustificare usurpatur de actionibus iudicialibus, & opponitur verbo condemnare. Genes. 44. Quid respondebimus, quid loquemur, quo iustificabimur? 2. Regum 15. dicit Absolon: Qui habet iudicium, veniat ut iustificem eum.

Esa. 41. Iudicemur simul, dent testes suos, narra si quid habes, ut iustificeris. Psal. 51. Vt iustificeris, & vincas cùm iudicaris. Deut. 25. Iustificate iustum, condemnate impium. 3. Reg. 8. Condemnes impium, dando viam eius in caput suum, & iustifices iustum, dando illi secundum iustitiam eius. Prover. 17. Qui iustificat impium, & cõdemnat iustum, abominatio est. Esa. 5. Væ qui iustificatis impium, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Matth. 12. ex verbis tuis iustificaberis vel condemnaberis. Hæc exempla & congruunt ad illam significationem, quæ propria est loci Iustificationis, & doctrinam ipsam illustrant.

Diligenter autem considerandum est, quare Spiritus sanctus doctrinam iustificationis, verbo iudiciali proponere voluerit. Homines enim prophani, securi & Epicuræi, existimant leve & perfunctorium quid esse iustificationem peccatoris, ideo de peccato non admodum sunt soliciti, reconciliationem cum Deo non seriò expetunt, nec diligentia aliqua retinere student. Proprietas verò verbi iustificare, ostendit quàm gravis & seria actio coram iudicio Dei fit iustificatio peccatoris. Mens item humana, pharisaica persuasione inflata, quando privatis suis cogitationibus de iustitia indulget, facilè potest concipere persuasionem & fiduciam iustitiæ propriæ quantamcunq. Sed quando sub imagine examinis & tribunalis iudicii divini, per processum (ut sic dicam) iudicialem, doctrina iustificationis proponitur; concidunt, evanescunt, & prosternuntur Pharisaicæ illæ persuasiones. Ita genuina proprietas verbi iustificare, puritatem doctrinæ iustificationis, & à Pharisaico fermento, & ab Epicuræis opinionibus conservat & defendit. Et tota doctrina iustificationis non potest simplicius, rectius & commodius intelligi, & ad serium usum in exercitiis pœnitentiæ & fidei accommodari, quàm ex vera observatione iudicialis significationis verbi iustificare, sicut multorum Patrum exempla ostendunt, qui de operibus & meritis magnificè sæpe concionantur, in meditationibus verò, quando hanc imaginem iudicii divini, & processum illum iudicialem, sicut diximus sibi proponunt, tũc dulcissimis sententiis doctrinam hujus articuli explicant. Et in hoc genere Bernhardus præ cæteris felicior est, quia non in ociosis speculationibus, sed in seriis exercitiis, proposita imagine iudicii divini, & sistens se quasi ad tribunal DEI, doctrinam & testimonia Pauli, de iustificatione expendit.

Suprà etiam ostendimus, quantum referat, genuinam significationem vocabuli iustificare, in hoc articulo retinere in Ecclesia, rem ipsam enimita in se comprehendit, ut quicquid fit cui tribuatur, quod nos iustificet, statim consequatur, quòd propter illud recipiamur à Deo in gratiam, & accepremur ad vitam æternam.

Monstrata autem ex manifestis Scripturæ testimoniis, verè propria & genuina significatione verbi iustificare, ipsa doctrina iustificationis plana & manifesta erit, si modò eam ex divinis oraculis, & non ex Philosophicis rationis cogitationib. petere & dijudicare nobis concedatur.

Imitabimur autem methodũ Scripturæ, quæ de iustificatione & negativè & affirmativè loquitur, hoc est, cõsiderandum est, quibus rebus adimat, & cui tribuat iustificationem peccatoris coram Deo, ad vitam æternam.

QVIBVS REBVS ADIMAT SCRIPTVra iustificationem hominis ad vitam æternam.

Et peccatis quidem neminem coram Deo iustificari, hoc est, propter scelera neminem DEO gratum esse, & acceptari ad vitam æternam, extra controversiam est. Pugnat enim cum perpetua & immutabili voluntate Dei, quæ in lege patefacta est, & ipse Deus pronunciat esse abominationem, hoc modo iustificare impium, Proverbiorum decimo septimo, Esaiæ quinto, & Exod. 23. Insontem non occidas, quia non iustifico impium.

De qualitatibus igitur, habitibus, actionibus, & operibus humanis, quibus appellatio iustitiæ tribuitur, quæstio est, an in illis consistat justificatio nostri coram Deo ad vitam æternam. Et ratio quidem, quia aliam iustitiam ignorat planè ita statuit. Sed nos audiamus vocem Dei nostri, pronunciantis in Scriptura iudicium suum de hac quæstione. Et observetur, quomodo Scriptura totum hoc negocium vocabulis iudicialibus describat.

Alia est autem politica iustitia, qua coram hominibus, vel inter homines iusti sumus, & acquirimus præmia politica, quando scilicet actiones nostræ respondent legibus, quib. constat iustitia inter homines. Sed de illa hoc loco non disputatur, nisi quòd Scriptura rideat illos, qui (ut Pharisæi) in iustificatione coram Deo, homines deligunt judices, apud quos aucupantur famam & laudem justitiæ. Matth. 6. Luc. 16. Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus. Sed hoc modo per ambitionem gloria huius seculi, non autem

tem gloria apud Deũ acquiritur: sicut Christus inquit Matthæi 6. Receperunt mercedem suam. Et Luc. 16. Quod altum est coram hominibus, abominatio est apud Deum. Sed in negocio de gratia Dei, salute & vita æterna, oportet Deum ipsum esse judicem: & apud ipsum agendum esse negocium, quando ita volumus justificari, ut Deo placeamus, & ipsi accepti simus ad vitam æternam: ipsa etiã ratio intelligit, ideò enim propriam justitiam adducit coram Deo. Et Rom. 10. Paulus utitur verbo valdè significanti. Quærunt propriam justitiam στῆσαι, hoc est, stabilire, erigere, & opponere coram judicio Dei, sicut Luc. 18. Pharisæus variis modis justitiam suam contendit coram Deo probare, fidens illis suis operibus, & quærens illis justificari, hoc est, apud Deum haberi illo loco, ita tractari & remunerari, sicut Deus illis promisit, quos justos agnoscit, pronunciat & acceptat. Ita omnino servatur forensis significatio verbi justificari, juxta exemplum Esa. 43. Narra si quid habes, da testes, ut justificeris. Gene. 44. Quid respondebimus, quid loquemur, quo nos justificabimus? Et 3. Regum octavo, Iustifices justum, dando illi secundum justitiam ejus.

Hoc ergo modo afferens propriam justitiam agit coram DEO, justificetur. Sed audiamus, quam sententiam Deus justus Iudex pronunciet. Et vt res planior fit, paucis retexemus distributionem illam, quæ apud Paulum extat.

I. De variis cultibus, quos gentes contra verbum Dei, ex cœco rationis judicio instituerunt, hoc fine, ut Deum propicium & placatum haberent, quia pugnant cum verbo Dei. Scriptura pronunciat quòd sint abominatio coram DEO. Deut. 12. & 17. Ita Paulus Rom. 1. pronunciat Gentes hujusmodi cultibus, magis iram Dei provocasse. Et Ephes. 2. Eratis sine Deo in hoc mundo, promissionis spem non habentes.

II. De operibus electitiis, quæ homines propria intentione qualecunq; sine verbo & mandato Dei suscipiunt ad hunc finem ut justificentur, hoc est, Dei gratiam & salutem æternam acquirant, Deus pronunciat Isai. 29. Matth. 15. Frustra colunt me mandatis & doctrinis hominum. Et Isa. 1. Quis requisivit hæc de manibus vestris?

III. De externa disciplina rationis, juxta legem naturæ in non renatis, Paulus disputat ad Rom. & cap. 3. pronunciat, gentes per disciplinam rationis nõ justificari coram Deo, sed esse sub peccato, sunt enim sine fide Christi, & sine Spiritu sancto, corda sunt impia & immunda, ipsa etiam lex naturæ per peccatum obscurata est, ita ut vix particulam aliquam legis, de quibusdam secundæ tabulæ officiis teneant, & illi ipsi notitiæ legis naturalis, quæ adhuc reliqua est, disciplina Ethnicorum non omni ex parte est conformis. Et in summa: Mala arbor non potest bonos fructus facere. Et sine fide impossibile est placere Deo, imò quicquid non est ex fide, peccatum est. Gentes igitur per disciplinam rationis non potuerunt coram Deo justificari.

IIII. De pharisaica justitia, quæstio aliquanto proprius ad nostrum propositum accedit, quando scilicet illi, qui legem Dei scriptam habent, conantur & student sine fide Christi, & sine Spiritu sancto, naturalibus liberi arbitrii viribus, opera legis facere, hoc fine, ut Deo placeant, gratiam ejus consequantur & acceptentur ad vitam æternam, hoc est, ut justificentur, ibi enim magis speciosum mens humana habet prætextum, propriam justitiam coram judicio Dei statuendi. Deus enim ipse legem promulgavit, & factoribus promisit benedictionem & vitam, non tantùm ut politicum premium, sed sicut Luc. 10. scribæ interroganti: Quid faciendo vitam æternam hæreditabo, Christus propositis mandatis legis, respondet: Hoc fac, & vives.

Quando igitur homo non renatus conatum, studiũ, imò zelum, quantum in se est, erga mandata Dei, ad judicium ipsius adfert, confidens & petens propterea justificari, quam quæso sententiam Deus justus Iudex pronunciat? Christus certè pronunciat Matth. 5. Nisi abundaverit justitia vestra plus, quàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et Paulus inquit Rom. 3. Ex operibus legis non justificabitur omnis caro, Gal. 3. Quicunq; ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Num igitur lex non habet promissiones vitæ æternæ? Certè Christus manifeste hoc affirmat, Luc. 10. Matth. 19. Num verò Deus fallit & ludificat homines promissionibus legalibus? Absit. Est enim Deus qui mentiri nescit. Tit. 1. Et manet quod Paulus dicit, Ro. 3. Deus est verax, omnis autem homo mendax. Cur igitur homo non renatus ex operibus legis non justificatur? Respondet Paulus, quia per legem agnitio peccati, hoc est, lex causatur tali obedientia, quam non renati naturalibus viribus præstare possunt, sibi nequaquam satis fieri, sed tales factores accusat peccati coram judicio Dei, quod cum quædam legis opera faciant, illa tamen & imperfectè & corruptè faciant, & præterea in plurimis, & in gravioribus sint prævaricatores legis, lex autem habet quidem promissionem vitæ, sed sub conditione, non qualiscunque impletionis, sed perfectæ & integræ, ex toto corde, tota anima, ita ut caro nihil contrà concupiscat. Et de hujusmodi factoribus Paulus inquit, Roman. secundo, Non auditores, sed factores legis justificabuntur coram Deo. Item: Qui fecerit hæc, vivet in eis, Quando verò quis aliqua legis opera facit, & quomodocunque facit, in cæteris prævaricator legis existens, illum lex non pronunciat justum coram Deo ad vitam æternam, sed pronunciat reum & maledictum. Quia qui non in omnibus, quæ in libro legis scripta sunt, permanserit, maledictus esto Et quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, reus factus est omnium. Quòd si non mœcheris occidas autem, factus es transgressor legis. Quia igitur Lex est spiritualis, & non renati sine Spiritu sancto, toti sunt carnales, venustate ergo literæ legi non satis fit. Ex operibus igitur legis non renati, non justificantur, sed fiunt rei, & sunt sub maledicto, Rom. 3. Galat. 3. quia etiam faciendo nõ faciunt legem, eo modo & tali perfectione, sicut Lex flagitat. Et de his quidem capitibus, non est potissimùm controversia inter nos & Pontificios in articulo justificationis. Nã in primo Canone dicit Tridentinum Concilium: Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque divinâ per Christum gratia posse justificari, anathema sit. Breviter autem illam Paulinam distributionem repetere volui ideò, quia negocium sive actus veræ justificationis, ex illa antithesi rectius intelligitur: & ut observetur, quomodo Paulus per sufficientem enumerationem ostendat, planè nihil esse in homine, sive Ethnico, sive Judæo, sive renato, sive non renato, quo possit coram Deo justificari: ut ita gloria justificationis, in solidum tribuatur soli Christo mediatori, per fidem apprehenso. Voluit etiam Andradio ostêdere, quàm flagitiosum, & non tolerandum in Ecclesia Dei sit illud dogma, quo asserit, philosophos ethica sua justitia coram Deo ad vitam æternam justificatos fuisse. Illud enim ex professo pugnat cum ipsis fundamentis Scripturæ.

Philosophorum ethnicorum justificatio.

Ex illa igitur distributione sive enumeratione, facilius iam ad ipsum disputationis statum perveniemus. De renatorum enim bonis operibus, sive nova obedientia, potissima nunc est inter Pontificios & nos controversia, an scilicet renati, illa novitate, quam Spiritus sanctus in ipsis operatur, & bonis operibus, quæ ex illa renovatione scaturiunt, justificentur, hoc est, An novitas, virtutes, seu bona opera renatorũ sint res illa, qua in iudicio Dei consistere possint, ne damnentur, propter quam DEVM habeãt placatum, & propitium in quam respicere, quâ niti, cui fidere debeant, quando agitur de ardua illa quæstione, ut simus filii Dei, & acceptemur ad vitam æternam. Et sanè, si humana consulenda essent iudicia, novitati renatorum omnium calculis tribueretur gloria iustitiæ coram Deo, ad vitam æternam. Non enim est opus seu effectio humanarum virium, sed est donum & operatio Spiritus sancti, unde bona opera vocantur fructus Spiritus, Ephes. 5. Et est beneficium filii Dei Mediatoris, propter cuius meritum credentes renovantur Spiritu mentis suæ, ut per Spiritum sanctum inchoetur in ipsis conformitas cum lege Dei, secundum interiorem hominem Rom. 7. Et illa novitas vocatur iustitia, Rom. 6. 1. Ioan. 3.

Novæ obedientiæ laus.

De renatorum etiam bonis operibus dicit Scriptura, 1. Timoth. 5. Hoc acceptum est coram Deo 1. Ioan. 3. Ea quæ placita sunt coram ipso, facimus. Hæc profectò valdè magna & præclara sunt, quæ Scriptura tribuit novæ renatorum obedientiæ. Et nos sanè novæ obedientiæ suâ laudem suo loco non detrahimus, sicut posteà dicemus de bonis operibus. Sed iam versamur in quæstione de iustificatione hominis corã Deo ad vitam æternam, de qua quæstione Paulus dicit 1. Cor. 4. Mihi pro minimo est, ut ab humano die iudicer: sed neque meipsum iudico, sed qui me iudicat, Dominus est. Eius igitur ut iudicis sententia inquirenda est: in Scriptura enim illam nobis patefecit.

Et Pontificii quidem contendunt, exclusivam Pauli, quando dicit (Sine operibus legis) intelligendam esse tantùm, vel de operibus ceremonialibus, vel de operibus non renatorum. Sed clarissima sunt in Scriptura testimonia, laudem & gloriam iustificationis coram Deo ad vitã æternam adimi & detrahi, non tantùm ceremoniis Mosaicis, & operibus non renatorum, verumetiam renatorum novitati, novæ obedientiæ seu bonis operibus.

Maximè autem illustre est testimonium, quod extat Rom. 4. ubi Paulus propositurus exemplar iustificationis universale in Abrahamo, quê ideò vocat patrem fidei, & in circumcisione & in præputio, sumit Abrahamum, non in prima conversione, cùm primùm ex Chaldaica idololatria vocaretur Gen. 11. Iosue 24. Ita enim exclusiva (Sine operibus) posset restringi ad illa opera, quæ ante conversionem non renatus in idololatria fecisset. Sed cùm à prima vocatione Deo fide obedisset per aliquot annos à capite 11. Genesis ad 15. caput, tunc certè fuit renovatus spiritu mentis suæ, & ornatus multis præstantissimis operibus & fructibus Spiritus Heb. 11. In illa quasi medio curriculo bonorum operum Abrahæ, ponunt Moses in veteri, & Paulus in novo Testamento, quæstionem: Quæ tunc fuerit iustificatio Abrahæ coram Deo, ad hæreditatem vitæ æternæ? Et ad illum Abrahamũ iam renatum, spirituali novitate & multis bonis operibus ornatum, Paulus accommodat has sententias: Non operanti, credenti autem in eum, qui iustificat impium, fides eius imputatur ad iustitiam. Ad illum Abrahamum accommodat etiam hanc sententiam: David dicit beatitudinem esse eius hominis, cui Deus imputat iustitiam sine operibus. Certè autem illo tempore Abrahamum iam renatum nõ fuisse sine bonis operibus, sed multa verè bona per fidem operatum fuisse, testatur epistola ad Hebræos cap. 11. Et tamen Spiritus sanctus per Paulũ Abrahæ renovati operationi & operibus, manifestè adimit & detrahit laudem & gloriam iustificationis coram Deo, ad vitam æternam. Et in illo loco hoc facit, ubi Abrahamum proponit, non tanquã singularem personã, sed ut Patrem fidei & universale exemplar veræ iustificationis, scriptum est enim, non tantùm propter Abrahamum, sed & propter nos, quibus imputabitur, Rom. 4. Et addit: Si ex operibus Abraham iustificatus est, potest sanè apud homines gloriam habere: sed non apud Deum. Hoc testimonium usque adeò perspicuum, illustre & firmum est, quod etiam Andradius meus confitetur, inter ipsos Pontificios aliquos egregiæ eruditionis viros, in hac salebra hærere, nec se posse explicare: & quidem ipse etiam nihil quod ad rem faciat, ad hoc testimonium respondere potest. Nec sanè video, quid contra tam manifestam lucẽ ulla sophistica possit: nisi forsan tale quid proferatur, quod sicut Augustinus cõtra Petilianum inquit: Malam causam vel moras faciendo, paulisper sustentet. Magis igitur iam amo, & pluris facio hoc testimonium: quod video, ne specie quidem aliqua à Pontificiis eludi posse. Et hoc est Mosis & Patriarcharum testimonium, cui Paulus monstrat adiungendum esse Davidis testimonium, loco & nomine omnium Prophetarum, sicut cap. 3. dicit, iustitiam fidei habere testimonium legis & Prophetarum. David igitur Psal. 143. cùm dixisset: Exaudi me in tua iustitia, mox addit: Ne intres in iudicium, &c. Num quid autem timet David, ne tyrannica crudelitate præter ius & æquum, in iudicio Dei secũ agatur? Nihil minus.

Abrahæ iustificatio.

Iudicium

Iudicium enim Dei est, secundum veritatem. Rom. 2. Dicitur autẽ Deus intrare in iudicium, quando hominum naturam, vitam, actiones & opera, exigit & examinat ad normã iustitiæ suæ, quæ in lege patefacta est, redditurus unicuique secundum iustitiam ipsius. Quare autem hoc iudicium Dei, David tantopere deprecatur? Forsan tunc hoc dixit, quando nulla habuit bona opera? vel cùm lapsus in crimen adulterii & homicidii, Deum atrociter offenderat? Et tunc quidem demissè oravit: Miserere mei Deus.

Sed hoc loco inquit: Ne intres in iudicium cum servo tuo. Quid autem sit servus Dei, ipse explicat Psalm. 18. Servus tuus custodit mandata tua. Et 118. Servus tuus dilexit mandata tuũ. Item, Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas. Quæ te servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus. Tunc igitur cùm esset servus Dei, hoc est, vir iuxta cor Dei, Act. 13. non vult iuxta inhærentis novitatis iustitiã iudicari, quia inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Paulus Ro. 4. dicit, Davidem pronunciare beatitudinem esse ejus hominis, cui Deus imputat iustitiam sine operibus. David igitur tunc cùm esset servus Dei, hoc est, per Spiritum sanctum renatus, sibi & operibus suis detrahit iustificationem, quæ coram Deo est, ad vitam æternam. Nec de sua tantùm persona loquitur, sed inquit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et ne de non renatis illud tantùm intelligatur, Psal. 13. nominat omnem sanctum, cujus beatitudo sit, ut ipsi imputetur justitia, sine operibus. Manifestissimum igitur est, quòd omnium sanctorum operibus in hac vita, adimatur & detrahatur locus & gloria justificationis coram Deo ad vitam æternam. Et in hanc sententiam Patriarchæ, Moses & Prophetæ consentiunt, hoc est, totius veteris Testamenti testimonio comprobatur justitia fidei sine operibus, etiam illorum, qui jam renati sunt. Alia quidem & plura testimonia ex libris Prophetici adduci possent, sed sequimur Paulũ, qui hoc modo inquirit, & ostendit testimonia & consensum Patriarcharum, Mosis & Prophetarum, Ro. 4. Et ad nostrum institutũ generalia capita probationum sufficiunt.

Iustificatio credentium ad vitam æternam.

Veniamus igitur ad novum Testamentum: nec singula testimonia recensebimus, sed exemplo Pauli, Roman. 4. inquiremus consensum Christi, Apostolorum, & Ecclesiarum Apostolicarum.

Christi doctrina de iustificatione. Iudicium Dei.

Et Christus quidem, totam hanc doctrinam complectitur, quando inquit: Qui credit in me, non judicatur, Ioan. 3. Item, Non veniet in judicium, Ioan. 5. Quod verò est illud judicium? Sine dubio, ubi juxta normam divinæ justitiæ, quæ in lege patefacta est, hominum vita & opera examinantur, & prout deprehenduntur vel respõdere huic normæ, vel non respondere, homo pronũciatur vel justus, vel peccator & injustus.

Iustificari ex lege.

Vide autem, cùm nullum sit dubium, renovationem esse beneficium filii Dei mediatoris, non tamen pronunciat, quòd credentes sua illa novitate in judicio Dei possint consistere, ut propter illam justi pronuncientur, & acceptentur ad vitam æternam, sed ad alterum suum beneficium hoc refert, ut qui credit, inquit, in me non peccat, sed habeat vitam æternam. Quomodo verò, & quare? Num ita, & ideò quòd accepta novitate, possint per illam & propter illam in judicio Dei consistere? Hoc certè non dicit, sed, qui credit, propter Christum, non venit in judicium, & hoc modo non perit, sed habet vitam æternam. Iustificatio igitur credentium ad salutem & vitam æternam illa est, quòd non judicantur juxta opera sua, sed quòd propter Christum absolvuntur à sententia damnationis, & acceptantur ad vitam æternam. Ita Apostolis sanctificatis & renovatis dicit. Cùm omnia feceritis, dicite: Servi inutiles sumus. Nec tantùm de operibus, quæ ante vocationem fecerant, vult ipsos ita dicere, nec tantùm cùm in principio valdè infirmi adhuc erant: sed cùm, inquit, ita per Spiritum sanctum profeceritis, ut omnia feceritis, tamen dicite: Servi inutiles sumus. De servis verò inutilibus, quando Deus in judicium cum ipsis intrat, ut juxta opera sua judicentur, pronunciatur illa sententia, quæ extat Matthæi 25. Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium. In utroq; enim loco Matthæi 25. & Luc. 17. idem vocabulum ponitur ἄχρειος δοῦλος.

Paulus Apostolus de operibus suis in Phariſaismo ante conversionem factis, inquit Philip. 3. Si quis alius in carne videtur confidere, ego magis, qui secundum justitiam quæ in lege est, conversatus fui sine querela. Sed quæ mihi fuerant lucra, hæc arbitratus sum propter Christũ detrimenta. Sed de operibus suis post renovationem factis, cùm plus cæteris laborasset, quid de illis, inquam, dicit, quod attinet ad articulum justificationis? Lector inspiciat locum Philip. 3. & inveniet Paulum nõ tantùm uti præterito tempore ἔγνωμαι, de operibus præcedentibus conversionem, sed per particulam, ἀλλὰ μενοῦνγε, ulterius progredi, & uti etiam præsenti tempore, ἡγοῦμαι, ut ostendat, quòd operibus suis, etiam post renovationem factis, non tribuat justificationem coram Deo ad vitam æternam. Imò si fiducia justitiæ coram Deo, ad vitam æternam illis operibus assuatur, pronunciat illa esse stercora & detrimenta. Et simul ostendit, quæ tunc temporis cùm epistolam illam ex vinculis scriberet, justitia sua fuerit coram Deo, ad vitam æternam, imò quæ futura sit sua justicia, quando occursurus est ad resurrectionem mortuorum: Veruntamen, inquit, existimo omnia detrimentũ esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum fieri, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & ut inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ per fidem est Christi, quæ ex Deo est. Iusticia in fide ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis ejus, & communionem passionum ejus, configuratus morti ejus, si quomodo occurram ad resurrectionem mortuorum. Alius locus adhuc clarior est, 1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.

Paulus de iustificatione.

Verba sunt valdè significantia. Quòd enim inquit: Nihil mihi conscius sum. Illud est, quod Actorum 23. dicit: Ego omni conscientia bona

Pauli exemplum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

conversatus sum ante Deum, usq; in hodiernum diem. Et Actor. 24. Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper. Et hoc est justitia bonæ conscientiæ, de qua inquit 1. Cor. 15. Plus illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Gratia enim Dei sum id quod sum. Sed audi quid Paulus renatus de illa sua justitia bonæ conscientiæ quã gratiæ, seu dono & operatione Dei tribuit, pronunciet: Nihil, inquit, mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Iustificationem igitur coram Deo ad vitam æternam, Paulus disertè detrahit suis operibus, in quibus post renovationem, bona conscientia coram Deo & hominibus cõversatus fuit. Hoc Apostoli testimonium, manifestissimum est.

Exemplum Ecclesiæ Apostolicæ.

Adjungamus testimonium de Ecclesiis Apostolicis ex epistola ad Galatas. Ibi enim sumpta occasione ex disputatione de operibus legis ceremonialibus, tractat in genere quæstionem de tota lege, & operibus ejus, id quod manifestissimum est ex tota illa epistola. Multis autem argumentis & vehementibus verbis adimit & detrahit operibus legis justificationem coram Deo ad vitam æternam. Sed quæstio est, an tantum de operibus non renatorum, quæ ante fidem & conversionem fiunt, loquatur? Solvitur autem illa quæstio ex ratione chronologiæ. Priusquam enim illam epistolã Paulus scriberet, aliquot jam annis antè Galatæ fuerant conversi. Theodoretus supputat 6. annos: sed ad nostrum propositũ nihil refert, quicquid sit de præcisa annorum supputatione. Erant igitur Galatæ renati, nam Spiritum sanctum ipsis suppeditatum fuisse, Paulus testatur cap. 3.

De Galatarum igitur operibus, qui jam per Spiritum renati erant. Paulus disputat. Et ex collatione hoc intelligi poterit. Iudæi, Roman. decimo, de propria justitia, excluso Christo disputabant: Galatæ verò non simpliciter abjecerant Christum, nec excludebant fidem in Christum, sed bona credentium opera, fidei volebant adjũgi in articulo justificationis coram Deo ad vitam æternam. Et de operibus quidem ceremonialibus erat disputatio, non autem de solis illis, sed de tota lege & operibus ejus, id quod manifestũ est. Nec disputabant Galatæ, de operibus suis, quæ non renati ante fidem seu conversionem suam fecerant, an illa justificarent, sed de justificatione operum suorum, quæ post conversionem & post acceptum Spiritum sanctum fecerant, disputatio erat.

Galatarum disputatio de justificatione

Statu quæstionis ita, sicut est, posito, videat jam Lector in tota illa epistola, quibus verbis & argumentis, Paulus operibus renatorum adimat & detrahat justificationem coram Deo ad vitam æternam. Non enim simpliciter dicit, hominem ex operibus legis non justificari, sed rem vehementer exaggerat, dicit enim, eos hac opinione transferri ab Evangelio, & à gratia Dei. Non abjicio, inquit, gratiam Dei. Si enim per legem justitia: frustra ergo Christus mortuus est, evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, gratia excidistis, &c.

Plura possent adduci testimonia, sed brevitatis studio, generalia tantùm capita notavi. Vocem igitur cœlestem adimere & detrahere justificationem coram Deo ad vitam æternam, ipsis etjam renatorum bonis operibus, primùm ex veteri Testamento ostendimus, Testimonio Patriarcharum, Mosis & Prophetæ: deinde ex novo Testamento idem ostendimus, testimonio Christi, Apostolorum, & Ecclesiarum Apostolicarum. Et nihil sanè ad πληροφορίαν ulterius requiri vel potest vel debet. Non autem muda tantùm propositio in Scriptura observanda est, sed considerandæ præterea sunt rationes, quare etjam renatorum operibus detrahatur justificatio. Ita enim tota res planior erit. Est autem vtra ratio Pauli, quòd justificatio ex operibus pertinet ad legem factorum seu operum, Rom. 3. 10. & Galat. 3. Lex verò non pronunciat hominem coram Deo justum ad vitam æternam, propter particularem aliquam, aut qualemcunque obedientiam & conformitatem: sed requirit, ut totus homo, secundum omnes sui partes, & secundum omnes singularum partiũ actiones, normæ justitiæ in Deo, quæ in lege patefacta est, respondeat, & quidem exactè respondeat, ea puritate, perfectione & integritate, sicut lex præscribit & flagitat. Et si totam legem quis servaverit, offendat autem in uno, pronunciatur reus esse omnium. Et Andradius quidem hoc testimonium veteratoriè conatur eludere, interpretans (unum illud) de charitate, ut sensus sit, si opera legis fiant sine charitate, non justificare. Sed Iacobus diserta interpretatione explicat, quid per unum illud intelligi velit. Inquit enim: Si nõ mœcheris, occidas autem, factus es transgressor legis, qui enim dixit: Nõ mœchaberis, dixit etiam: Non occides.

Quare justificatio renatorum bonis operibus detrahatur.

Qui igitur operibus vult justificari, si non in omnibus quę in libro legis scripta sunt, permanserit, ut faciat ea, illum lex non pronunciat justum, sed reum & maledictum, Galat. 3. Iacobi 3. Iam verò renatorum obedientia in hac vita, est quidem inchoata conformitas cum lege Dei, sed quæ propter carnem adhuc imperfecta & immunda est, sicut Paulus renatus cõqueritur Ro. 7. Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Volenti mihi facere bonum, adjacet malum.

Video aliam legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Mente servio legi Dei, carne autem servio legi peccati. Tali verò obedientia, legi non satisfit. Est enim lex spiritualis, hoc est, requirens spiritualem conformitatem seu obedientiam, cui nihil ex vitiosa & corrupta carne adhærescat. Ego verò, inquit Paulus renatus, carnalis sum, venditus sum sub peccatum, &c. Si igitur Deus cum renatis intret in judicium, judicaturus ipsos secundum opera ipsorum, non justificabuntur in conspectu ipsius.

Vbi enim lex peccatum potest ostendere, ibi non justificat, sed reum facit, maledicit & condemnat, juxta dictum: Qui non in omnibus permanserit, maledictus esto.

Vniversalis autem est sententia 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quòd peccatum nõ habeamus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et omnibus justis in hac vita, præscripta est quotidiana illa precatio: Dimitte nobis debita nostra. Non est justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit? Delicta enim quis intelligit? Ideo Paulus dicit: Nihil mihi cõscius sum, sed in hoc non sum justificatus. Non enim ab humano judice judicor, nec me ipsum judico: sed qui me judicat, Dominus est, qui illuminat abscondita tenebrarum, & manifestat consilia cordium. Vtitur autem verbo ἀνακρίνειν, quod forense est, quando vel quæstiones habentur de reis, vel causæ in judicio disquiruntur, examinantur & discutiuntur, ut justitia ritè administretur. Ita enim usurpatur Luc. 23. Act. 12. 24. & 28. Et quia talẽ disquisitionem opera Pauli etiam renati, in judicio Dei sustinere non possunt: ideo Paulus pronunciat, se in illis non esse justificatum. Hæc ratio manifesta & firma est: quæ etiam Pighium movit, ut licet aliàs doctrina nostrarum Ecclesiarum acerbissimè insectetur, tamen ingenuè agnoscat & fateatur, ne renatorum quidem inhærentem justitiam posse in judicio Dei consistere, ut propter illam justificentur ad vitam æternam.

Pighius.

Secunda ratio Pauli, sumitur ex distinctione justitiæ legis, & justitiæ fidei, Roma. 10. Gal. 3. Legis enim justitia est: Qui fecerit ea quæ in lege scripta sunt: fidei verò justitia est, credendo sibi applicare, quod Christus pro nobis fecit. Opera igitur quibus renati faciunt ea quæ in lege scripta sunt, sive ante sive post renovationem, pertinent ad justitiam legis, licet alia atq; alia ratione. Ante renovationem enim lex extorquet ex libero arbitrio, qualemcunq; disciplinam: in renovatione verò, Spiritus sanctus scribit legem in corde renatorum, Ierem. 31. ut delectentur lege Dei, Roma. 7. & ex animo obediant, Ro. 6. Et hæc obedientia, est inchoatio illius justitiæ, quam lex à nobis flagitat. Summa enim legis, est charitas. Hoc modo, & hac ratione dicitur justitia legis. Omnes autem Pauli disputationes, huc redeunt: Homines in hac vita, justitia legis non justificari coram Deo, ad vitam æternam. Ergo nec renati, charitate sua, quæ est summa legis, justificantur.

Iustitia legis in renatis.

Et ita distinguuntur justitia legis & justitia fidei: quòd Paulus disertè dicit, legem non esse ex fide. Fides enim non hoc respectu justificat, quia præparat ad assequendam justitiam, quæ consistat in faciendo, sive in operibus quæ lex præscribit & flagitat. Paulus enim dicit Galat. 2. Nos in Christum credidimus, non ut fide assequeremur justitiam operum quibus justificaremur: sed ut justificemur fide, non ex operibus. Cum enim legi, propterea quia per carnem infirmabatur, impossibile esset nos justificare: Deus ex gratia fecit translationem nostræ justificationis à lege, hoc est, à nostro facere, ad fidem accipientem id quod Christus pro nobis fecit. Et illa duo disiuncta sunt hac antithesi: Qui fide in Christum justificantur, lege non justificantur: & qui faciendis iis quæ lex flagitat, justificari volunt, illi non justificantur fide in Christum. Ideo Paulus ad Galatas disputat, eos qui beneficio Dei transferentis institutionem nostram à lege ad fidem in Christum, non volunt in solidum humili gratitudine uti, sed opera sua quæ secundum præscriptum legis faciunt assuere: eos, inquam, pronunciat evacuatos esse à Christo, & gratia excidisse. Vel enim lege sola, vel fide in Christum sola, oportet nos justificari. Hæc ratio ostendit, quam magni momenti sit hæc disputatio.

Epistola ad Galatas.

Tertia ratio est: ut omnis nostra gloriatio excludatur: ut qui gloriatur, in Domino glorietur, à quo factus est nobis Christus justitia 1. Corinthiorum 1. Non autem excluditur gloriatio per legem factorum, Roman. 3. hoc est, quando quis vitam æternam hæreditat, ideo quòd ea quæ in lege scripta sunt, fecerit: Lucæ decimo. Sed per legem fidei excluditur, Hoc est, quia Christus est perfectio legis, ad justitiam omni credenti, Romanorum decimo. Gloria igitur & laus justificationis nostræ coram Deo, ad vitam æternam, debetur obedientiæ & merito Christi: non tanquam causæ quæ efficiat, ut in nobis aliquid hæreat, quo facientes ea, quæ in lege factorum scripta sunt, justificemur: sed quia obedientia Christi imputatur nobis ad justitiam. Illa verò gloria non potest sine blasphemia Christo detrahi, & in nostram sive novitatem sive obedientiam transferri. Et quia obedientia Christi, qua pro nobis legem implevit, ad justitiã omni credenti, non est manca, mutila & imperfecta: contumeliosum igitur est in meritum Christi assuere ipsi nostra opera, ut justificemur: quasi Christi obedientia non sufficeret nobis ad justificationem coram Deo, nisi assumento nostræ justitiæ perficeretur. Quarta ratio extat, Roma. 4. Vt promissio hæreditatis vitæ æternæ, sit firma. Quando enim nititur conditione nostræ obedientiæ, quia illa propter carnem imperfecta & immunda est, promissio semper incerta est: ideo ex fide ut secundum gratiam, ut firma sit promissio. Si enim qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides, & abolita promissio. Lex enim iram operatur, Roman. 4. ita ut sub maledicto sint, non tantum qui carent operibus legis, Galat. 3. quia non permanent in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciant ea.

Obedientia Christi perfecta est.

Hæc copiosius aliquanto explicare volui: in hoc enim potissimum cardine vertitur controversia inter nos & Pontificios, in articulo justificationis: An scilicet renati, propter suam novitatem & opera justificentur coram Deo, ad vitam æternam. Repeto autem id, quod aliquoties iam dictum est. Agnoscimus renovationem esse ingens beneficium filii Dei mediatoris, per Spiritum sanctum in nobis. Docemus, debere sequi post reconciliationem novam obedientiam: & illi tribuimus suo loco, ea quæ Scriptura ipsi tribuit: sicut postea de bonis operibus dicemus. Sed hanc dignitatem & gloriam didicimus ex Scriptura non tribuendam esse nostræ novitati, & nostris operibus, ut sint justificatio nostra coram Deo ad vitam æternam. Hæc enim dignitas & gloria, solius filii DEI mediatoris obedientiæ seu justitiæ, per fidem nobis imputatæ, debetur.

Renovationis donum.

Hactenus igitur ostendimus, quomodo Scriptura nobis adimat & detrahat justificationem coram Deo ad vitam æternam: ita ut in statuta distributione seu enumeratione demonstret, nec in natura, nec in vita, nec in qualitatibus, habitibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus aut operibus hominum in hac vita, sive sint Iudæi, sive ethnici, sive renati, sive non renati, esse & hærere illud quo in judicio Dei ita possint consistere, ut propter illud justificétur ad vitam æternam. Et hæc distributio: An in aliqua parte hominis, vel actionibus ejus, sit & hæreat aliquid quo possit coram Deo justificari: quasi forma examinis à Paulo ideo instituta fuit, quia Pharisaica persvasio de nostra justitia inhærente, opponenda judicio Dei, naturaliter hæret in omnium animis. Et ad doctrinam de justificatione hominis, per solam gratiam seu misericordiam Dei, propter solius Christi mediatoris obedientiam: necesse est ut insolidum adimatur & detrahatur omnibus quæ vel sunt, vel hærent in homine: sive Iudæo, sive ethnico, sive renato, sive non renato.

QVOMODO SCRIPTVRA TRADAT HOMINEM CORAM DEO IUSTIFICARI AD VITAM ÆTERNAM.

Cõstituta autem parte negativa, plana ex verbo Dei erit sententia affirmativa: quomodo scilicet justificemur coram Deo, ad vitam æternam? Aut quæ sit illa justitia, quam afferre debemus, coram Deo, quando cum illo agimus, ut nos absolvat à sententia damnationis, ut sit nobis placatus & propitius, ut simus ipsius filii, & accepte mur ad vitam æternam, Iam enim in præcedentibus monstratum est: Primò, quòd judicium Dei non inveniat in nobis in hac vita, ne in renatis quidem, talem, tàm perfectam, & tàm puram justitiam inhærentem, qua ita possimus coram Deo cõsistere, ut propter illam justificemur ad vitam æternam. Secundò, Invenit autem in nobis, etjam in sanctis in hac vita, multa & varia peccata. Psalmo 32. prima Ioannis primo: imò ipsum peccatum, habitans in carne, rebellans legi mentis, & captivans etjam renatos: sicut Romanorum 7. Paulus conqueritur. Tertiò, Et lex divina, quæ est norma & regula justitiæ in Deo, pronunciat reos & maledictos, qui non in omnibus quæ in lege scripta sunt permanserint, ut faciant ea. Quartò, ibi verò Deus, qui dives est in misericordia, propter immensam charitatem, qua diligit nos, nolens nos in æterna morte, ad quam justa legis divinæ sententia damnati eramus, perire, gratis per suam gratiam justificat: hoc est, à sententia damnationis absolvit, justos reputat, & receptos in gratiam acceptat ad vitam æternam, illos qui peccata sua agnoscunt, & confitentur, & fide promissionem misericordiæ in Christi mediatore propositam apprehendunt: *Gratia.* Roma. 3. Sed Pontificii opponunt, gratiam in illa Pauli sententia, significare donum novitatis seu charitatis, quod à Deo propter Christũ, per Spiritum sanctum gratis conferatur & infundatur credentibus: ut illa sive novitate, sive charitate, in judicio Dei possint consistere, & propter illam recipi in gratiam, & acceptari ad vitam æternam, *Renovatio. Charitas.* hoc est, justificari. Et renovationem quidem esse donum Spiritus sancti, propter Christum, & charitatẽ unà cum reliquis virtutibus à Spiritu sancto accendi in credentibus, nullum est dubium. Sed quæstio est de justificatione. Ostendimus autem clarissimis & firmissimis Scripturę testimoniis, renatos in hac vita, sua novitate aut charitate, non posse coram Deo ad vitam æternam justificari. Est igitur manifesta depravatio sententiæ Paulinę, quam Pontificii contra perpetuam ejus sententiam ipsi affingunt.

VOCABVLVM GRATIAE.

Et vocabulum gratiæ in Scriptura, sæpe quidem favorem, benevolentiã seu misericordiam: aliquando verò etjam dona ipsa quæ ex benevolentia conferuntur, significat. Sed quæstio est, quid vocabulum gratiæ propriè significet in illis locis, ubi Paulus disputat, nos gratis per gratiam Dei justificari. Item: Gratia Dei salvati estis. Et testimonia sunt non obscura vel ambigua: sed manifesta, certa & firma, quod vocabulum gra- *Gratia.* tiæ in hac disputatione intelligendum sit de gratuita misericordia, bonitate, benevolentia, seu favore Dei, complectentis sua gratia, & recipientis in gratiam indignos, propter filium mediatorem. Paulus enim Roman. 5. manifestè distinguit gratiam & donum per gratiam: sicut Ioan. 1. Gratia & veritas distinguvntur. Et utrunq; quidem est beneficiũ filii Dei mediatoris. Sed quando Paulus dicit, nos gratia justificari & salvari: *Gratia & ficari.* intelligit illam gratiam, quam scriptura distinguit à dono per gratiam, hoc est, intelligit, non novitatem nostram, sed misericordiam Dei, seu gratuitam acceptationem: id quod inde manifestum est. Paulus enim in articulo justificationis, gratiam opponit bonis operibus: non illis tantùm quæ ratio fine Spiritu sancto præstat, sed & Abrahæ operibus, quæ sunt dona & fructus spiritus. Rom. 4. Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Et quod Roman. 3. dicit: Gratia justificamur sine operibus legis. Illud Roman. 4. accommodat ad Abrahę renati opera: & ita gratiam justificantem, opponit Abrahæ ex renovatione spiritus operanti. Vniversalis enim est sententia, Rom. 11. Si per gratiam jam non ex operibus; alioqui gratia jam non esset gratia. Et quando 2. Tim. 1. Paulus dicit: Salvos nos fecit, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quę data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia: ibi certè gratia non potest significare aliquid inhærens in nobis. Ante tempora enim secularia cùm nondum essemus, imò cùm nondum jacta essent fundamenta terrę, data nobis fuit in Christo gratia.

Et Scriptura aliis synonymis seu æquipollentibus vocabulis manifestè ostendit, quomodo velit vocabulum gratiæ in his disputationibus intelligi. Tit. 3. vocat benignitatem & charitatem, qua Deus complectitur miserum & perditum genus humanum. Ibidem: Secundum misericordiam suam, salvos nos fecit: ut gratia ipsius justificati, hæredes simus vitæ æternę. Et Ephe. 2. Deus qui dives est in misericordia, propter multam suam dilectionem qua nos dilexit mortuos nos peccatis convivificavit cum Christo, gratia estis salvati. Ita quod Hebr. 2. scriptum est: Gratia Dei gustavit mortem pro omnibus: Illud Roman. 5. Paulus ita effert: Commendat charitatem

tem suam ergo nos, quòd cum peccatores existeremus, Christus pro nobis mortuus est. Et Hebr. 4. Accedamus ad thronum gratiæ, ut accipiamus misericordiam, & inveniamus gratiam ad auxilium opportunum. Hæc adeò sunt manifesta, *Thomas, Richardus.* quòd & Thomas & Richardus de media villa fatentur veteres quosdam gratiam exposuisse pro beneplacito & dilectione Dei gratuita, qua eligit, vocat, justificat, adoptat, Ephes. 1.

PARTICVLA GRATIS.

Et quidem Paulus propterea addidit particulam Gratis, ut propriam & genuinam significationem vocabuli Gratiæ, in articulo justificationis & salutis magis illustraret, & contra omnes corruptelas præmuniret: Justificati gratis per ipsius gratiam. Significatio autem vocabuli חנם ita colligitur. Opponitur enim solutioni precii aut satisfactioni. Genes. 29. Nunquid servies mihi gratis dic quid mercedis accipies. Exod. 21. Egrediatur gratis absque pecunia. Num. undecimo. Pisces gratis comedimus. 2. Reg. 24. Non offeram holocausta gratis, sine precio acquisita. Significat etjam sine causa, aut sine merito, præter aut contra meritum aliquid fieri, ut Psal. 54. Oderunt me gratis. 108. Expugnaverunt me gratis. Proverbiorum 24. Ne gratis fis testis contra proximum. 1. Regum. 19. Quare peccabis in sangvine innoxio, interficiẽs Davidem gratis. 3. Regum 2. Aufer sangvines gratis effusos. Ezechielis 6. & 14. Non gratis feci malum hoc, inquit Deus. Ieremiæ 15. Dabo thesauros tuos in direptionem gratis: id est, illis, de quibus nihil tale meritus. Threnorum 3. Ceperunt me, ut avem gratis: hoc est, quibus non dedit causam. In his exemplis, Græci interpretes semper reddiderunt Hebraicam vocem חנם per particulam δωρεαν: quę & in novo Testamento ita usurpatur. 2. Corinth. 11. Gratis evangelizavi. Apocalip. 21. Accipiat aquam vitæ gratis. 2. Thessalo. 3. Non gratis comedi panem, sed in labore. Syrach. 29. Multi fraudantur δωρεαν: hoc est, cùm longè aliud meriti essent.

Hæc exempla ideo recitavi: Illustrant enim significationem particulę, gratis. Hostes enim Davidis, dicuntur ipsum gratis odisse & persequi: propterea quod in Davide non sit causa vel meritum, cur ipsum oderint & persequantur: quin potius causam in ipso inveniunt, cur non deberent eum odisse: sed causa odii est in malevolentia hostium. Et apud Ezechielem Deus dicitur non gratis punire: hoc est, illos in quibus nullam causam, vel meritum pœnę invenit. Inde intelligi potest, quare Paulus Ro. 3. vocabulo gratiæ addat particulam gratis. Nam Genes. 39. de Ioseph textus dicit: Invenit gratiã in oculis Potipharis. additur autem: Quia erat vir fortunatus, id est, propter egregia dona quæ in Iosepho animadvertebat, diligebat & magnificiebat illũ. Ne quis igitur opinetur, eodem modo & nos gratia Dei justificari & salvari, addit Paulus particulam gratis: quæ ostendit primò causam seu meritum: ut coram Deo justificemur ad vitam æternam, nõ esse vel hærere in nobis. Secundò, Deum invenire in nobis multas causas, cur posset nos damnare. Tertiò, Indignos verò, & longè aliud méritos, Deum ex mera bonitate & misericordia propter filium recipere in gratiam, & acceptare ad vitam æternam, ut idem sit, quod Psalmus dicit: Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Et quod Daniel inquit, Non in justitiis nostris, sed in misericordia tua. Justificamur itaque gratis, per Dei gratiam, non quia vel sumus, vel efficimur in hac vita perfectè justi, sine peccato, sed quia misericordia Dei, peccata quę in nobis invenit, propter Christum remittit & tegit, Rom. 4. DEVS enim erat in Christo mundum sibi reconcilians, non imputans hominibus peccata. 2. Corinth. 5. Et per Christum annunciatur nobis remissio peccatorum, ab omnibus, à quibus non potuimus in lege justificari, Actorum 13. Hæc enim est scientia salutis, in remissione peccatorum. Lucæ 1. Nam si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si verò confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra. Si enim peccaverimus, advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. 1. Ioan. 1. Credenti igitur in eum qui justificat impium fides imputatur ad justitiam, sine operibus, Rom. 4.

QVAE SIT IVSTITIA ILLA, QVAM IN IUSTIFICATIONE IUDICIO DEI OPPONIMUS.

Hæc ex Scripturæ testimoniis manifesta, certa & firma sunt. Sed quæstio est, cujus explicatio multum lucis affert huic loco, an scilicet, & quomodo Deus impium sine justitia justificet. Humana enim sæpe judicia impium justificant, vel per errorem, vel per incuriam, vel per iniquitatem, quando impietas vel ignoratur, vel non curatur, vel approbatur.

Illa verò Deo in justificatione peccatoris nullo modo tribui vel possunt, vel debent. Ipse enim pronunciat esse abominationem, hoc modo impiũ justificare. Prover. 17. Esa. 7. Nec rectè respondetur hoc loco, si dicatur, Deum quia est agens liberrimum, licet ea faciat quę ipse pronunciat esse abominationem, tamen justè agere. Illa enim norma justitiæ quæ in lege est patefacta, est æterna, immota, & immutabilis voluntas Dei. Sed illa requirit, & pro peccatis satisfactionem plenissimam, & ad justitiam requirit impletionem legis perfectissimã & purissimam. Num verò Deus justificans impium gratis per gratiam, sine operibus legis, sibi ipsi repugnat & contrarius est, ut qui voluntatem suam in lege aliter patefecit? Nequaquam. Ego, enim inquit, Deus sum, & non mutor, Malachiæ tertio. Et Numer. vigesimo tertio. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit? Ideo Paulus inquit Romanorum 3. Non destruimus legem, quando docemus fide sine operibus legis justificari hominem, sed magis stabilimus eam. Et Matthæi quinto, Christus inquit, Nolite putare, quòd venerim solvere legem. Amen

quippe

Universidad de Deusto
Biblioteca

quippe dico vobis, donec transeat cœlum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Firma igitur & fixa manebit illa legis sententia, pro peccatis requiri satisfactionem: non qualemcunque, sed sufficientem & condignam: & ad justitiam requiri implectionem, & obedientiam undique perfectam & absolutam. Sed nos talem satisfactionem præstare, & talem justitiam in hac vita habere non possumus. Et tamen facilius est cœlum & terram transire, quàm ut unum jota, aut apex unus legis cadat, cui non debita perfectione satisfiat. Quid igitur? Non ergo justificabitur in conspectu Dei omnis vivens: sed omnes in æternum damnabuntur.

Prorsus illud ita fieret, quantum ex nobis est. Sed ibi Evangelium patefacit nobis, Deum in arcano suo consilio, & immensa misericordia, inventisse talem modum & rationem: ut & justitiæ Dei in lege patefactæ satisfieret, & homo gratis per gratiam Dei, fide sine operibus legis justificaretur ad vitam æternam: ut scilicet filius Dei ad liberandum, justificandum & salvandum genus humanum mitteretur in mundum, & venerit in carnem. Quomodo verò mediator ille noster factus est justitia nostra, liberator & salvator noster? Num solvendo & destruendo sententiam voluntatis divinæ, in lege patefactam? Hanc certè opinionem, & persvasionem ipse filius Dei dicit falsam esse, quia impossibile hoc fit, Matthæi 5. Lucæ 16. Sed ideo factus est sub lege, non pro se, aut suo nomine: sed ut eos qui sub lege erant, redimeret. Galat. 4. Satisfactionem igitur pro peccatis, perpessione pœnarum: & implectionem legis, perfectissima obedientia, loco & nomine omnium nostrum in se recepit. Et ideo nostram naturâ assumpsit, ut in illa naturâ quæ sub lege erat, fieret satisfactio & impletio. Quia verò debebat talis esse satisfactio & impletio, quæ pro peccatis, & ad justitiam totius mundi satis esset & sufficeret: ideo oportuit personam mediatoris simul esse & Deum & hominem, ut vis & efficacia satisfactionis & impletionis esset infinita & immensa, sufficiens pro toto mundo. Sed inquis: Quid me relevat, quod aliquis alius legi satisfecit, cùm lex me urgeat: Tu diliges, tu non concupisces. Et Roman. 2. Ira & indignatio, tribulatio & angustia super omnem animâ hominis, operantis malum. Imò Ezechiel. 18. Deus hanc sententiam pronunciat: Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii. Justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum. Propter alienam igitur justitiam, ille qui ipse peccator est, non justificatur. Respondeo: Certum est, legem requirere ad justitiam ab unoquoq; & in unoquoq; talem satisfactionem & conformitatem, qualem ipsa requirit. Neque enim legis doctrina est, aliena satisfactione & justitia nos redimi & justificari: unus etiam homo non potest satisfacere pro alio, coram Deo: sicut Psalm. 48. inquit: Frater redimendo non redimit virum, non dabit Deo redemptionem ejus: preciosa est enim redemptio animæ eorum. Sed Evangelium, hoc mysterium absconditum à seculis revelat & patefacit: cùm genus humanum, legi non posset satisfacere, & lex nullo modo posset solvi & destrui, quòd Deus fecerit translationem legis, quod ad articulum justificationis attinet, in aliam personam: quæ & satisfactione, & obedientia, pro toto genere humano legem impleret. Et quia illa persona, Deus & homo: ideo eius satisfactio, est expiatio pro peccatis totius mundi, 1. Ioan. 2. & inde Christus est impletio legis, ad salutem omni credenti, Roman. 10. Et hunc per ministerium Deus nobis proponit, ut per eius redemptionem, fide in sangvine ipsius, gratis per gratiam Dei justificemur, Rom. 3. Quia igitur primò consilio totius Trinitatis filius Dei missus est in mundum, factus ex muliere, factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut nos ita adoptionem reciperemus. 2. Quia Christi mediatoris, Dei & hominis satisfactio & obedientia talis & tanta est, quæ potest esse expiatio pro peccatis totius mundi, & sufficere ad justitiam omni credenti. 3. Quia in ministerio Christus à Deo nobis ita proponitur, ut per redemptionem eius fide justificemur. Quando igitur in vera contritione fides apprehendit & applicat sibi illam satisfactionem & obedientiam Christi, tunc habet quod possit accusationibus legis in judicio Dei opponere, & ita consistere, ut justificemur. Habent quidem credentes, ex renovatione per Spiritum sanctum, etiam inhærentem justitiam: sed quia illa in hac vita tantùm inchoata, imperfecta, & propter carnem adhuc immunda est: ideo illa non possumus in judicio Dei consistere, nec propter illam Deus non justificat: hoc est, à peccatis absolvit, in gratiam recipit, & ad vitam æternam acceptat: sicut suprà ex Scriptura ostensum est. Christi verò satisfactio & obedientia, qua pro nobis legem implevit, est illa justitia, quæ & sufficiens & digna est, ut in Dei judicio justa pronuncietur. Et illa per fidem credentibus imputatur, ita ut per illam, & propter illam in judicio Dei consistere possint: non aliter, imò multò melius, quàm si ipsi perfecta obedientia legi satisfecissent. Habent enim per imputationem, justitiam quæ est Dei & hominis. Propter Christi igitur satisfactionem & obedientiam, fide nobis à Deo imputatam, credentes justificantur, hoc est, accipiunt remissionem peccatorum, absolvuntur à sententia damnationis, recipiuntur in gratiam, adoptantur in filios, & acceptantur ad vitam æternam.

Christus impievit legẽ.

Iustificatio.

Non igitur docemus, credentes sine justitia justificari: qualem justificationem impii, Deus pronunciat esse abominationem. Proverbio. 17. Esa. 5. sed dicimus necesse esse, ut in iustificatione intercedat & interveniat iustitia: & quidem non qualiscunq; iustitia, sed talis quæ in iudicio DEI sufficiens & digna sit, ut iusta pronuncietur ad vitam æternam. Nostra verò inhærens iustitia, quæ in renovatione per Spiritum sanctum inchoatur, propter adhærentem carnis imperfectionem & immunditiem non est talis. Oportet igitur aliam esse iustitiam, qua interveniente & intercedẽte iustificemur coram Deo ad vitam æternam. Illa verò est satisfactio, & obedientia, hoc est, iustitia Christi mediatoris: quæ in ministerio verbi & Sacramentorum proponitur, fide apprehenditur, & à Deo imputatur credentibus: ut eam interponere possimus inter judicium Dei, & nostra peccata: ut subea, velut sub clypeo, à divina quam commerumus ira protegamur: ut ea tecti, audacter & securè jam divino nos sistamus tribunali, & ita justi pronũciemur ad vitam æternam. Hæc sunt Pighii verba: qui licet aliàs doctrinę nostræ acerbissimus est adversarius, hanc tamen sententiam, ut veram, piam, & Scripturæ consentaneam, ipsa veritatis evidentia cogitur agnoscere & confiteri.

Iustificatio.

Respectu igitur Christi, legi pro nobis satisfacientis, est redemptio, meritum & iustitia: sed respectu nostri, est gratia, seu gratuita misericordia: quia in nobis, etjam in renatis, in hac vita judicium Dei non invenit talem justitiam inhærentem, quæ sufficiens & digna sit, ut propter illam justificemur ad vitam æternam: invenit autem in nobis, etjã in renatis quædam, imò multa & varia peccata, quæ nos non satis intelligimus: propter quæ, si juxta legis severitatem vellet in judicium nobiscum intrare, posset nos damnare. Gratuita igitur gratia est, quod indigni & immeriti justificamur. Et Christi quidem obedientia, est meritum propter quod justificamur. Sed quòd Deus filium suum misit in mundum, quòd filius Dei mediator legi pro nobis satisfecit: nulla nostra dignitas, nullum meritum nostrum effecit: sed cùm longè aliud meriti eramus, ex mera gratia ac misericordia DEVS hoc decrevit & præstitit.

Nec etjam dignitate aliqua nostra meremur, ut Christi justitia nobis imputetur, sed sine operibus gratis, per gratiam Dei credentibus imputetur. Romanorum 4. Ita respectu nostri, sola & mera est gratuita gratia, bonitas, charitas & misericordia Dei, quando justificamur coram Deo, ad vitam æternam. Hæc explicatio ostendit, totam doctrinam de justificatione, simplicem & planam esse.

Christus impievit legẽ.

Non autem ipsi comminiscimur hanc sententiam, quòd Christus mediator legem satisfactione pœnarum plenissima, & obedientia perfectissima, pro nobis impleverit: & quod illa justitia mediatoris credentibus imputetur, ut ea justificentur coram Deo, ad vitam æternam. Sed hæc est propria & perpetua Evangelii doctrina, cujus aliquot tantùm illustres sententias annotabimus.

Gal. 4. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret, in Christo Iesu. Audis Gentes assequi benedictionem, qua à maledictione liberantur, propter redemptionem Christi, qua pro nobis factus fuit maledictum.

Gal. 4. Deus misit filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret: ut adoptionem filiorũ reciperemus. Adoptamur igitur in filios, propter satisfactionem & obedientiam Christi.

2. Corint. 5. Illum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut efficeremur justitia Dei in ipso. Quomodo verò Christus factus est peccatum? Certè imputativè. Et ita nos in ipso efficimur justitia Dei.

Rom. 8. Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus misso filio suo in similitudine carnis peccati, de peccato damnavit peccatum, ut justificatio legis impleretur in nobis. Pulcherrimam sententiam, versio fecit obscuram: quid scilicet sit, de peccato damnare peccatum. Sed phrasis sumpta est ex Græcis interpretibus, qui sacrificium pro peccato absolutè seu τελειικῶς reddiderunt περὶ ἁμαρτίας. Levitici 4. & 5. vocat καὶ ὑπὲρ ἁμαρτίας & τὸ περὶ ἁμαρτίας. Levit. 6. περὶ πλημμελείας. Sensus igitur est quia ad expianda peccata requirebatur sacrificium pro peccato: sacrificium autem hirci, vituli, capræ, avis, turturum, columbarum, non poterat expiationem illam præstare. Lex enim accusat & damnat, non quadrupedum vel volatilium, sed hominum naturam quæ peccato depravata est. Ideo Deus misit filium suum in similitudine carnis peccati: hoc est, in carne, quæ similis esse fratribus per omnia, excepto peccato: ut περὶ ἁμαρτίας, hoc est, tali sacrificio pro peccato, victima scilicet sui corporis, quod peccato nihil debebat, peccatum damnaret in illa ipsa carne humana, scilicet quam peccatum damnationi subjecerat. Et quia est filius Dei, & à Deo missus, ut fieret victima pro nobis? inde sacrificium ejus tantam habet vim & efficaciam, sicut Paulus inquit: Vt justificatio legis in nobis impleretur. Sed quomodo. Num ut per legem justificaremur? nequaquam. Paulus enim acriter pugnat, nos per legem non justificari, sed ut δικαίωμα legis, hoc est, justitia absolutissima, quam lex à nobis flagitat & requirit, impleatur, non à nobis, sed in nobis: quia Christus qui legem pro nobis implevit, in nobis est: hoc est, per fidem in nobis habitat. Eph. 3. Impletio verò legis quæ in nobis inchoatur, non suum, sed alium habet locum, sicut Paulus inquit, Qui Spiritum Christi non habent, in illis Christus non est. Ideo dicit: Qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. Matthæi 10. Filius hominis venit dare animam, redemptionem pro multis.

1. Timoth. 2. Dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Roma. 10. Christus est impletio legis, ad justitiam omni credenti. Ro. 5. dicit nos justificari in sangvine Christi. Et illud ita exponit, quòd reconciliati sumus Deo per mortem filii sui. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam justi constituentur multi. Quomodo verò? Respondet Paulus Rom. 4. Quia fides imputatur ad justitiam. Non quòd fides per se sit talis virtus, sed quia apprehendit, accipit, amplectitur, & possidet Christum, qui est perfectio legis ad justitiam omni credenti. Illa enim est justitia quam Deus imputat sine nostris operibus, iis qui beati redduntur: per redemptionem enim quæ est in Christo Iesu, justificamur, Rom. 3.

Ierem. 23. Hoc est nomen, quo vocabunt eum, Iehova justitia nostra. 1. Cor. 1. Factus est nobis à Deo justitia. 2. Cor. 5. Vt efficeremur justitia Dei in Christo. Esa. 53. Correctio super eum, ut nos pacem haberemus: & livore ejus sanati sumus. Deus posuit in eo iniquitatem omniũ nostrum. Hinc scientia sui justificat multos.

Rom. 4. Scriptum est propter nos, quibus imputabitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

putabitur credentibus in eum, qui suscitavit Iesum: qui traditus est propter peccata, & resurrexit propter iustitiam nostram.

Audis utrunq; & quod Deus imputat credentibus, & quid illud sit quòd imputet: nempe quod Christus traditus sit propter peccata nostra, & quòd resurrexit propter iustitiã nostram. Ro. 5. Gratia regnat per iustitiam, in vitam æternam, per Christum Iesum. Est autem Christus iustitia nostra. Ierem. 23. 1. Corinth. 1. Roman. 10. Sed quomodo per illam, ut alienam possumus iustificari ad vitam æternam? Respondeo, sicut Paulus inquit Galat. 3. Quicunque in Christum baptisati estis, Christum induistis. Simul ergo ejus etjam justitia induti sumus. Roman. 8. Deus cum filio suo omnia nobis donat. Christus autem habet perfectam legis impletionem pro nobis, seu justitiam. Illam igitur pater donat credentibus, ut propter eam justificentur.

Hæc quam breviter recitavi, est perpetua Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ, in veteri & in novo Testamento sententia, de justificatione hominis coram Deo ad vitam æternam: hoc est, quid illud sit, in quo & debeamus, & tuto possimus fiduciam collocare, quod propter illud justificemur: hoc est, accipiamus remissionem peccatorum, absolvamur à merita damnationis sententia, recipiamur à Deo in gratiam, adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam.

VETERVM TESTIMONIA *de iustificatione.*

Et in patrum quidem scriptis, quia verbum justificare plerunq; in alia significatione usurpant multæ dissimiles extant sententiæ. Sed quando emphases verborum in sententiis Scripturæ penitus introspiciunt, & præcipuæ quãdo in sententionibus & meditationibus, quasi ad Dei tribunal sistunt, tunc dulcissimis sententiis nostrã hanc, imò Scripturæ doctrinam approbant: nos scilicet reconciliari Deo, accipere remissionem peccatorum, habere Deum placatum & propitium, adoptari in filios, & acceptari ad vitam æternam: non propter nostras virtutes, aut nostra bona opera, etjam quando renati sumus, sed ex gratuita misericordia Dei, propter satisfactionẽ, meritum, obedientiam seu justitiam filii DEI mediatoris, quando promissionem Evangelii, fide apprehendimus.

Basilius in concione de humilitate: Qui gloriatur in Domino glorietur, quòd Christus nobis factus sit à Deo justitia, sapientia, justificatio, redemptio. Hæc est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neq; ob justitiam suam quis se jactat: sed novit quidem seipsum veræ justitiæ indignum esse, sola autem fide in Christum justificatum. Et ne quis existimet Basilium de non renatis loqui, adducit exemplum Pauli, Philip. 3. qui justitiam operum suorum, non tantũ quam in Pharisaismo habuit, sed & illam quam tunc, cùm epistolam ille scriberet habebat, cõtemnit: ut in qua nolit inveniri, quod attinet ad articulum justificationis corã Deo, ad vitam æternam.

Origenes in tertio capite ad Romanos explicans illam sententiam: Excluſa est gloriatio, non per legem factorum, sed per legem fidei, allegat exemplum Pauli, Galat. 6. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Christi. Et inquit: vides Paulum non gloriantem super justitia sua, castitate, sapientia, neque super cæteris suis virtutibus & actibus. Quando verò? tunc scilicet, cùm Galatis scriberet.

Hilarius in Psalm. 51. Non enim illa ipsa justitiæ opera sufficerent ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei, etjam in hac justitiæ voluntate, humanarum demutationum & motuum non reputet vitia. Spes igitur in misericordia Dei, in seculum & in seculum seculi.

Basilius in Psalm. 114. Manet enim sempiterna requies illos qui in hac vita legitimè certaverũt: non ob eorum merita factorum, sed de munificentissimi Dei gratia, in qua speraverunt.

Augustinus ad Bonifacium libro 1. capite 21. Quantælibet fuisse virtutes antiquos, prædices justos: non eos salvos fecit nisi fides mediatoris qui in remissionem peccatorum sangvinem fudit. Ibidem lib. 3. cap. 5. Pelagiani laudatores sibi esse videntes sanctorum, si non audeant dicere imperfectæ ipsos fuisse virtutis, cùm hoc confiteatur vas electionis: Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim. Et paulò pòst tamen qui se negaverat esse perfectum, inquit: Quotquot perfecti sumus, hoc sapiamus: ut ostenderet, secundum istius vitæ modum esse quandam perfectionem: eiq; perfectioni hoc quoq; deputari, si se quisq; noverit nõdum esse perfectum. Quid enim excellentis in veteri populo sacerdotibus sanctis? Et tamen eis præcipit Deus, sacrificium primitus pro suis offerre peccatis. Et quid sanctius in novo populo Apostolis? Et tamen præcepit eis Dominus in oratione dicere: Dimitte nobis debita nostra. Omniũ igitur piorum, sub hoc onere corruptibilis carnis, & in istius vitæ infirmitate gementium, spes una est, quòd advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum: & ipse est exoratio peccatorũ nostrorum. Contra Cresconium libro 3. cap. 80. Ad existimationem humanam magna testium, qui me noverint, suppetit copia: ad Dei verò conspectum sola conscientia, quam contra vestras criminationes cùm intrepidam geram, non me tamen sub oculis omnipotentis justificare audeo: magisq; ab eo effluentem misericordiæ largitatem, quàm judicii summum examen expecto, cogitans quod scrptum est: Cùm rex justus sederit in throno, quis gloriabitur se castum habere cor, aut mundum se esse à peccatis?

Augustinus epist. 29. ad Hiero. Charitas in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima verò, quæ jam non potest augeri, quamdiu hic homo vivit, in nemine est. Quamdiu autẽ augeri potest, profectò illud quod minus est quàm debet, ex vitio est. Ex quo vitio, non est justus in terra qui faciat bonum, & non peccet: ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei, omnis vivens: propter quod vitium, si dixerimus, quia peccatum nõ habemus, veritas in nobis non est: propter quod etjam, quantumlibet perfecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra: cùm iam omnia in baptismo dicta, facta, cogitata, dimissa sint.

Ambro-

Ambrosius de Iacob & vita beata, cap. 6. Non gloriabor, quia justus sum, sed quia redemptus: gloriabor, nõ quia vacuus sum peccatis, sed quia mihi remissa sunt peccata.

Non gloriabor quia profui, neq; quia profuit mihi quisquam: sed quia pro me ad vocatus apud patrem Christus est, sed quia pro me Christi sangvis effusus est.

Augustinus de verbis Apostoli, serm. 2. Sed inquis. Sufficit mihi, quòd in Baptismo accepi remissionem omnium peccatorũ. Nunquid quia delera est iniquitas, finita est infirmitas? Adhuc utique dicis, donec sanentur langvores tui, Dimitte nobis debita nostra: qui propitius sit omnibus iniquitatibus tuis. Denique post redemptionem ab omni corruptione, quid restat nisi corona justitiæ? Ipsa certè restat: sed etjã in ipsa, vel sub ipsa, non sit caput turgidum, ut recipiat coronam. Attende quàm nolit corona turgidum caput, qui redemit de corruptione vitam tuam, qui coronat te. Iã hic dicturus eras: Merita mea, fatetur, virtus mea fecit hoc: debitum redditur, non donatur. Audi potius Psalmũ: Nam omnis homo mendax. Audi quid Deus dicat: Qui coronat te in miseratione & misericordia.

Sermo. 15. Pro nihilo salvos facies eos. Quid est pro nihilo? Nihil invenis, vnde salves: & multum invenis, unde damnes.

In Psalm. 31. Qui sunt beati? non in quibus Deus non invenerit peccatum. Nam in omnibus invenit, Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inveniuntur, remanet ut non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendavit: Credidit Abraham Deo, & reputatũ est illi ad justitiam.

Item: Si gratia est, gratis datur. Quid est, gratis datur? gratis conlat. Nihil boni fecisti & datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inveniuntur mala: si quod debetur, Deus istis operibus redderet, utique damnaret. Non tibi Deus reddit debitam pœnam, sed donat indebitam gratiam.

Hieronymus lib. 1. adversus Pelagianos: Tunc ergo justi sumus, quando nos peccatores fatemur: & justitia nostra nõ ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia.

Gregorius in Ezechielem homilia septima. Iustus igitur advocatus noster, justos nos defendet in judicio, quia & nos ipsos cognoscimus, & accusamus injustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris: sed in advocati nostri allegatione confidamus.

Bernhardus sermo. 5. de verbis Esaiæ: Nostra, si qua est humilis justitia, recta forsitan, sed non pura: nisi fortè meliores nos esse credimus quã patres nostros, qui non minus veraciter quàm humiliter ajebant: Omnes justitiæ nostræ, tanquam pannus menstruatæ mulieris: Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse?

Idem supra Cantica, sermo. 73. Si iniquitates observaverit etiam electorum, quis sustinebit? Audi sanctum & electum quid dicat Deo: Tu remisisti iniquitatem peccati mei. Pro hac ad te orabit omnis sanctus, in tempore opportuno. Opus igitur habent & sancti, pro peccatis orare: ut de misericordia salvi fiãt, propriæ justitiæ non fidentes. Omnes enim peccaverunt, & egent misericordia Dei.

Ambrosius de Iacob & vita beata. Non operibus justificamur, sed fide: quoniam carnalis infirmitas, operibus impedimento est: sed fidei claritas, factorum obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum.

Augustinus de Civitate Dei lib. 10. cap. 22. Remissio peccatorum fit per mediatorem Dei & hominum, hominẽ Christum Iesum, per quem facta peccatorũ purgatione, reconciliamur Deo: quorum in hac vita non fit nostra virtute, sed divina miseratione purgatio, per indulgentiam illius, non per nostram potentiã: quia ipsa quantulacunq; virtus, quæ dicitur nostra, illius est bonitate nobis concessa. Multum autem nobis in carne tribueremus, nisi usq; ad ejus dispositionem sub venia viveremus. Augustinus in Psalmum 129. Si iniquitates observaveris Domine, Domine, inquit, quis sustinebit? Ecce apparuit, de quo profundo clamaret. Clamat enim sub molibus & fluctibus iniquitatum suarum. Circumspexit se, circumspexit vitam suam: vidit illam undiq; flagitiis & facinoribus coopertam, quacunq; respexit, nihil in se boni invenit, nihil illi justitiæ serenum potuit occurrere. Et cùm tanta & tàm multa peccata undiq; catervas scelerum suorum videret, tanquam expavescens exclamavit: Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Videt enim propè totam vitam humanam circum latrari peccatis, ac cusari omnes conscientias cogitationibus suis: inveniri cor castum, præsumens de sua justitia. Quod quia inveniri non potest, præsumat ergo omnium corde misericordia Domini Dei sui, & dicat Deo: si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Quæ autem spes est? Quoniam apud te propitiatio est. Et quæ est ista propitiatio, nisi sacrificium? Et quod est sacrificium, nisi quod pro nobis oblatum est? Sanguis innocens fusus, delevit omnia peccata nocenciũ Ergo apud te propitiatio. Nam si non esset apud te propitiatio, si iudex solùm esse velles, & misericors esse nollens, observares omnes iniquitates nostras, & quæreres eas: quis sustineret? quis ante te staret, & diceret: Innocens sum? quis staret in judicio tuo? Spes ergo una est quoniam apud te propitiatio est.

Bernhardus super Cantica, sermone vigesimo tertio. O solus verè beatus, cui non imputavit Dominus peccatũ. Nam quis non habuerit peccatum? Nemo. Omnes enim peccaverunt, & omnes egent gloria Dei. Quis accusabit tamen electos Dei? sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium, cui soli peccavi. Idem sermo. 61. Ego fidenter quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini: quoniam misericordia affluũt, nec desunt foramina per quæ effluant. Item: Memorabor justitiæ tuæ solius: ipsa enim est mea: nempe factus es mihi tu justitia à Deo. Nunquid mihi verendum est, ne non una ambobus sufficiat? Non est pallium breve, quod secundum Prophetam non operiret duos. Iusti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia tua, justitia in æternum. Et te pariter, & me operiet larga & æterna justitia.

Quàm multas dulcissimas huius generis sententias possem adferre ex meditationibus Augustini, Bernhardi, Anshelmi, Bonaventuræ, Gersonis, ex contemplationibus Idiotæ, quæ ita inscribuntur, &c. si instituti nostri ratio illud ferret. Ibi enim, quia sistunt conscientiam suam ad tribunal Dei, praxin & usum articuli justificationis pulcherrimè ostendunt: & iam suaves habent sententias, ut legens in intimis præcordiis me illis affici sentiam: nec quicquam libentius lego in scriptis Patrum, quàm pias ipsorum meditationes.

Possidonius. In agone etiam mortis, ipsam veram medullam articuli justificationis & didicerunt, & expresserunt patres.

Possidonius de vita Augustini cap. 27. memorabilem narrat historiam. Indicaverat nobis Augustinus, se beatæ memoriæ Ambrosii in ultimo fine constituti, audisse sapientissimum & pissimum responsum, quod multum laudabat ac prædicabat: Nam cùm ille venerabilis vltima jaceret ægritudine, & à fidelibus lecto ejus astantib. cum lachrymis rogaretur, ut sibi à Domino vitæ posceret commeatum, eum illis dixisse: Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Et in his noster Augustinus senex, elimata ac librata admirabatur & laudabat verba. Ideo enim eum dixisse intelligendum est, nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus: ne crederetur, præfidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse. Sed non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere. Hoc enim dixerat ad illud, quod homines de homine nosse poterant. Nam sciens examè æquitatis divinæ, de bono Domino se dicit magis quàm de meritis suis confidere: cui etiã in oratione quotidiana Dominica dicebat, Dimitte nobis debita nostra, &c.

In vita Bernhardi cap. 12. Cùm extremum jam spiritũ trahere videretur, in excessu mentis suæ, ante tribunal Domini sui visus est repræsentari. Affuit autem & Satanas ex adverso, improbis eum accusationibus pulsans. Vbi autem ille omnia fuerat profecutus, & viro Dei pro sua fuit parte dicendum. Nihil territus aut turbatus air: Fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterùm duplici jure illud obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet patris, & merito passionis: altero ipse contentus, alterum mihi donat: cuius dono, jure illud mihi vendicans, non confundor. In hoc verbo confusus est inimicus, &c.

Extat exhortatio Anshelmi ad fratrem moriturum, verbis dulcissimis scripta. Cum frater aliquis laborare videtur in extremis, pium est & consultum, eum per prælatum, sive alium sacerdotem, subscriptis interrogationibus & exhortationibus exerceri. Et interrogetur primò.

Frater, lætaris quòd in fide morieris? Et respondeat: Etjam, Fatearis te non tàm benè vixisse, sicut debuisses, Fateor. pœnitet Te? Etjam.

Habes voluntatem emendandi te, si spacium vivendi haberes? Etjam.

Credis quòd propter te mortuus est Dominus Iesus Christus, Filius Dei? Etjam.

Credis non posse salvari, nisi per mortẽ ejus? Etjam.

Agis ei de hoc ex corde gratias? Etjam.

Mors Chr. Age ergo, dum in te est anima tua, ei semper gratias, & in hac sola morte totã fiduciam tuam constitue. Huic morti te totum committe: hac morte te totum contege, eiq; te totum involve. Et si Dominus te voluerit judicare, dic: Domine, mortem Domini nostri Iesu Christi objicio inter me, & te judicium tuum: aliter tecum non contendo. Si dixerit, quod merueris damnationem, dic: mortem Domini nostri Iesu Christi objicio inter me & mala merita mea: ipsiusq; dignissimæ passionis meritum affero pro merito, quod ego habere debuissem, & heu non habeo.

Dicat iterum: Mortem Domini nostri IESV Christi pono inter me & iram tuam. Deinde dicat ter: In manus tuas Domine, commendo spiritum meum. Et conventus sui astantes respondeant: In manus tuas Domine, commendamus spiritum eius. Et securus morietur, nec videbit mortem in æternum.

Anshelm. Idem Anshelmus in meditationibus, pulcherrima hypotyposi fistit se ad tribunal judicii divini: & ostendit nec vitam renatorum, nec opera posse opponi iudicio Dei, sed solũ Christum mediatorem. Terret me, inquit, vita mea. Namque diligenter discussa, apparet mihi aut peccatum, aut sterilitas tota vita mea. Et si quis fructus in ea videtur, sic est aut simulatũ, aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum: ut possit aut placere, aut displicere Deo. Certè tota aut in peccato est & damnabilis: aut infructuosa, & contemptibilis. Sed quid separo infructuosam à damnabili? utiq; si est infructuosa, est damnabilis, Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum in ignem projicietur. O ergo lignum aridum & inutile, æternis ignibus dignum. Quid respondebis in illa die, cùm exigitur à te usque ad ictum oculi, omne tempus vivẽdi tibi impensum, qualiter à te fuerit expensum? O angustiæ. Hinc erunt peccata accusantia, inde terrens iustitia: subtus patens horrendum chaos inferni, desuper iratus iudex: intus conscientia urens, foris mundus ardens. Vix justus salvabitur: peccator sic deprehensus, in quam partem se premet? latere erit impossibile, apparere intolerabile. Vnde mihi consilium? unde salus? Quis est qui dicitur magni consilii angelus? Ipse est Iesus. Idem est iudex, inter cuius manus tremo. Respira ô peccator, ne desperes. Spera in eo quẽ times, refuge ad eum à quo confugisti, Iesu Christe, propter hoc nomen tuũ. Fac mihi secundum hoc nomen tuum: respice miserũ, invocantem nomen tuum. Ergo Iesu esto mihi Iesus propter nomen tuum. Si me admiseris intra latissimum sinũ misericordiæ tuæ, non erit angustior propter me. Verum est, conscientia mea meruit damnationem, & pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem: sed certum est, quòd misericordia tua superat omnem offensionem, &c. Sed infinitum esset, singula talia quæ in Patrum scriptis extant, recensere. Hæc pauca verò ideo annotavi: ut ostenderem, doctrinam nostram de iustificatione, habere testimonia omnium piorũ, qui omnibus temporibus fuerunt: idq; non in declamatoriis rhetoricationibus, nec in ociosis disputationibus, sed in seriis exercitiis pœnitentiæ & fidei, quando conscientia in tentationibus cum sua indignitate vel coram ipso judicio Dei, vel in agone mortis luctatur. Hoc enim solo modo, rectissimè intelligi potest doctrina de justificatione sicut in Scriptura traditur.

TRIDENTINI CONCILII SENTENTIA *de Iustificatione.*

Constituta autem ex Scriptura, & comprobata vera sentẽtia de justificatione hominis coram Deo ad vitam æternam: accedimus jam ad examen decretorum concilii Tridentini, de justificatione: cujus ratio facilior & plenior nobis erit quia & fundamenta doctrinæ, & pleraq; ad examen pertinentia, jam in præcedentibus explicata sunt. In cæteris verò habemus Andradium, concilii interpretem.

Et de medio quidem seu organo, quo à Deo nobis offertur, & quo à nobis accipitur promissio justificationis, postea in loco de fide dicemus.

De præparatione verò (quam ita vocant) ad justificationem, & de incremento justificationis, ad finem hujus loci quædam annotabimus. Quæ igitur in decreto ad ipsam justificationem pertinent, jam annotabimus.

Est autem status disputationis: Quomodo homo coram Deo justificetur ad vitam æternam: hoc est, quid illud sit quod ad judicium Dei adferre, quod interiram divinam & peccata nostra interponere debeamus: ut propter illud à sententia damnationis absolvamur, in gratiã à Deo recipiamur, adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam.

Dupliciter autem respondent Tridentina decreta. I. Negant Justificationem peccatoris esse solam remissionem peccatorum. Et multa dicunt anathemata: si quis dixerit homines per justitiam Christi coram Deo justos esse, vel hominem justificari sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, vel justificari gratia: hoc est tantùm favore Dei, aut misericordia Dei, peccata remittentis propter Christũ. II. Affirmant, justificationem impu coram Deo ad vitam æternam, non esse solam remissionem peccatorũ, sed & sanctificationem interioris hominis. Et unicam causam formalem justificationis, affirmant esse illam justitiam à Deo nobis donatam, qua renovamur spiritu mentis nostræ: ut non modo reputemur, sed verè justi nominemur & simus: justitiam in nobis recipientes, quam dicunt esse charitatem inhærentem in nobis, quam merito passionis Christi Spiritus sanctus in nobis operatur.

Hæc Tridentina decreta, si referantur ad ea, quæ suprà ex Scriptura demonstrata sunt, luce meridiana clarius erit, illam ipsam sententiam, quæ perpetua est Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ de justificatione hominis coram Deo ad vitam æternam, multis & atrocibus anathematismis à concilio Tridentino damnari: quòd scilicet sola divina misericordia propter meritum, obedientiam seu justitiam Christi, peccata nobis remittantur, recipiamur in gratiam, adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam.

Manifestum erit & hoc quod sub multorum anathematum intermination, justificationem hominis coram Deo ad vitam æternam, tribui volunt illi ipsi rei cui Scriptura manifestissimis sententiis eam adimit & detrahit: novitati scilicet, charitati seu bonis operibus renatorum. Et quia suprà multis manifestissimis Scripturæ testimoniis hoc demonstratum est ad ea Lectorem remitto. Si enim tantùm collationem & negativè & affirmativè instituerit, ejus sententiæ quæ in Scripturæ tradita est, & ejus quæ in decretis Synodi Tridentinæ proponitur: videbit eas ex diametro inter se pugnare: quod enim Scriptura negat, hoc Tridentinum concilium affirmat esse nostram justificationem coram Deo ad vitam æternam: & rursus quod Scriptura affirmat, hoc concilium non tantum negat, sed atrociter damnat: ut verè dicere possimus tale esse concilii, quale Psalmo 2. describitur: Convenerunt in unum, adversus Dominũ, & adversus Christum ejus. Ipsum verò artificiũ, quo architecti horum decretorum rem ipsam specie aliqua ita involverunt, ne ab imperitioribus statim deprehenderetur, dignum est observatione. Si enim statum quæstionis ita posuissent: Quid illud sit propter quod Deus nobis placatus & propitius reddatur, qua re adoptio nostra apud Deum nitatur, propter quid coram tribunali Dei consistamus & absolvamur, ut simus hæredes Dei, & acceptemur ad vitam æternam: viderunt in tanta luce Evangelii, moderata ingenia, & aures multorũ piorum in ipso regno pontificio abhorrere ab illis monachorum vocibus, si propriis nostris operibus promitatio, adoptio & hæreditas vitæ æternæ tribueretur.

Artificium Papisticum.

Et cùm tamen omnino sententiam istam retineri vellent, primò, æquivocatio verbi justificationis visa fuit concilio commodissima, quæ turpitudinem monasticæ opinionis aliquo modo palliaret: de qua æquivocatione in principio diximus. Secundò pro operibus propriis, substituerunt vocabula sanctificationis, renovationis, inhærentis justitiæ, &c. Tertiò insidiosè ita formârunt capitula & canones decretorum, quasi nostra doctrina sanctificationẽ, renovationem, charitatem, & reliqua dona novitatis, quæ spiritus operatur in renatis, ita excludat, ut nec sequantur, nec adsint in renatis: ita ut propter nostras Ecclesias repetenda fuerint decreta, quæ olim in concilio Milevitano Pelagianis opposita fuerunt: Christum scilicet meruisse nobis non tantùm remissionem peccatorum, verùm etjam hoc quòd propter ipsius meritum, per Spiritum sanctũ renovamur: & credentes fide propter Christum accipere non tantùm remissionem peccatorum, verùm etjam Spiritũ sanctum qui corda sanctificat & renovet. Sed anteà diximus, & aliquoties jam repetitum est, hunc non esse statum controversiæ. Nullo modo enim hæc negamus, sed clarè & diligenter utrunque beneficium mediatoris prædicamus, & reconciliationem & renovationem, illo ordine sicut Scriptura tradit.

Renovatio quomodo excludatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sycophanticum igitur artificiū est, quòd obliquè nostras Ecclesias insimulant, quasi illa ita excludamus, ut nec sequantur, nec adsint: cùm status controversiæ sit: An propter meritum, obedientiam, seu justitiam Christi: an verò propter sequētem & inchoatam nostram novitatem absolvamur coram tribunali Dei, habeamus Deum placatum & propitium, adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam, sicut in principio hujus loci, de insidiosis illis technis, & de vero controversiæ hujus statu, plura annotavimus. Quia enim vident, etjā idiotas in monachorum & postillatorum crassis scriptis & opinionibus animadvertere, quòd in doctrina de justificatione, à sententia Scripturæ procul discedant: aliud igitur & subtilius artificium Tridentinis patribus quærendum fuit, cùm vellent in tanta hujus temporis luce, quæ ex lectione Scripturæ hominibus affulsit, quorundam oculos configere & fascinare. Sed huic sophistico artificio semper opponendum, & vel ad fastidium usq; repetendum est, quæ sit principalis quæstio in hac controversia de justificatione hominis corā Deo ad vitam æternam: sicut illam aliquoties jam exposuimus. Et tamen inter illas ipsas sophisticas insidias, si quis paulò attentius cōsideret, non obscurè animadvertet, quò Tridentina illa decreta tendant. In quarto enim capitulo dicunt: In hac de justificatione disputatione, quæstionem esse: quomodo homo ab eo statu in quo est filius iræ, transferatur in statum gratiæ & adoptionis filiorū Dei. Et cap. 7. dicunt se agere de illa justificatione, qua homo ex inimico fit amicus Dei, ita ut sit hæres secundum spem vitæ æternę. Hanc verò justificationem definiunt non esse solam imputationem justitiæ Christi, vel solam peccatorum remissionem: sed & sanctificationem, & renovationem interioris hominis. Et illud mox planius explicant, cùm dicunt, charitatem esse justitiam inhærentem. Et hanc esse candidam & immaculatam illam stolam, quam renati perferre debeant ante tribunal Christi, ut habeant vitam æternam. Sine dissimulatione igitur Christo adimunt, & nostræ charitati hoc tribuunt, quòd ea justificemur. hoc est, quòd propter illam coram tribunali Dei absolvamur, & acceptemur ad vitā æternam. Sed quid fiet Paulo, qui justificationem nostram tribuit misericordiæ Dei, & merito obedientiæ, passioni, satisfactioni Christi? Audi verò, quomodo Tridentinum Concilium dulcissimas illas Scripturæ sententias eludat. Dicunt, Christum sua sanctissima passione meruisse, non hoc ut misericordia Dei propter illam Christi satisfactionem & obedientiam, nos à sententia damnationis absolvat, recipiat in gratiam, adoptet in filios, & acceptet ad vitam æternam. Sed hoc dicunt esse totum meritum Christi, quòd propter illud misericordia Dei infundat nobis novam qualitatem justitiæ inhærentis, quæ est charitas, ut illa justificemur: hoc est, ut non propter Christi obedientiam, sed propter nostram charitatem absolvamur coram judicio Dei, adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam: ut ita misericordia Dei, tantùm sit causa efficiens, & obedientia Christi tantùm sit meritoria causa: ut inde nos in nobisipsis habeamus inhærens aliquid, quod possimus opponere judicio Dei, quo debeamus confidere, quòd propter illud, & non propter Christum absolvamur, adoptemur in filios, & accipiamus hæreditatem vitæ æternæ. Quòd verò Paulus dicit, gratis nos justificari: hoc ita interpretantur, quòd non propter nostra præcedentia merita, sed propter CHRISTVM, gratis nobis donetur & infundatur habitus ille charitatis, propter quam coram tribunali Dei justi pronunciemur ad vitam æternam. Vt autem Lector rectè intelligat unde hæc sumpta sint, conferat locum Bonaventuræ in tertio sententiarum dist. 19. quæst. 1. ubi inquit: Vtraq; mors scilicet & resurrectio Christi, delicta nostra tollunt, & utraq; justificant. Attamen neutri attribui potest propriè causalitas justificationis, sive remissionis peccatorum. Habet tamen aliquā causæ proprietatem: scilicet per modum meriti intervenientis, quod reducitur ad causam materialem. Formalis enim est gratia, hoc est, charitas, quam Deus infundit, &c.

Hæc de artificio, quo usi sunt architecti sive λογοδαίδαλοι decretorum, rectè observata, multa monent. Nec opus est addere peculiarem refutationem. Ideo enim in principio fundamento doctrinæ Propheticæ, Evangelicæ, & Apostolicæ de justificatione exposui, ne in refutatione subinde eadem essent repetenda; & ut ex ipsa collatione dijudicari posset, quo loco & genere censenda sint illa, quæ in Tridentino Concilio de justificatione decreta sunt: ex professo enim, & ex diametro pugnant cum perpetua Scripturæ sententia.

Et hæc quidem in ipso decreto Tridentino ita animadverti possunt. Quæ verò præterea mysteria sunt retrusiora, & quæ agitatæ fuerint in concilio rationes, ex quibus sententia illa decreti extructa tandem est: Andradii explicationes nobis pandent. Præcipuè verò glossa (quod dicitur) notabilis est, quid & quomodo in Tridentino concilio intellexerint remissionem peccatorum: existimaret enim aliquis, hanc qualemcunq; esse liberalitatem aut indulgentiam concilii, quòd justificationem vel ex parte videatur constituere in gratuita remissione, sive nō imputatione peccatorum, propter meritum Christi. Sed audi bone Lector, quomodo Andradius mentem & sensum concilii explicet: in hanc scilicet sententiam, & his verbis: Quia justus is dici non potest, qui totus est peccatorum maculis inquinatus: ideo Deum infundere homini charitatem, cujus vi & potentia, crimina omnia eluantur, scelera extinguantur, peccata expellātur & intereant, omneq; tetri facinoris vestigium aboleatur. Atq; ideo justificationem magis in charitate divinam legem complectente, quàm in peccatorum venia positam esse: imò justificationem in ipsa sanctificatione collocandam esse. Et charitatem esse, quæ hominem Deo pergratum perq; acceptum reddat. Hæc verò Andradius ita explicat, ut manifestè ostendat, decretū concilii esse tantùm paraphrasin ejus quod Sententiarii disputant: ad remissionem scilicet culpæ, requiri infusionem gratiæ: hoc est, charitatis per quam peccatum expellatur: sicut ad expulsionem tenebrarum, requiritur illuminatio aëris. Fingunt enim Deum non posse

Remissio peccatorum.

Deus quomodo placetur Papistis.

posse placari offensæ, nisi peccatum ex homine sit expulsum, & ejus loco infusa nova qualitas charitatis, quam Deus respiciat: & offensam remittat, & hominem gratum & acceptum habet ad vitam æternam. Ideo enim charitatem vocant gratum facientem. Ita Scholastici.

Et in hanc planè sententiam, Andradius ostendit intelligenda esse Tridentina decreta de justificatione.

Diligenter itaque Lector observet, id quod ex Andradii interpretatione videt & agnoscit: hoc tantùm propositum sibi habuisse concilium Tridentinum, ut Scolasticorum opiniones de justificatione repeteret & confirmaret: & summa, ut rata manerent, & sacrosancta haberentur, quæcunq; & quomodocunque in regno Pontificio à scriptoribus scholasticis, monachis, postillatoribus, summistis, &c. de justificatione disputata sunt: nisi quòd vocabula paulisper mutanda judicārunt, ut speciem aliquam reformationis, vel quasi imperitioribus præberent.

Expendamus autem paululum hanc concilii, de remissione peccatorū mentem, Andradii interpretatione nobis proditam. Verbis enim concedunt, ad justificationē pertinere remissionem peccatorum: & divinam misericordiam, peccata remittere propter Christum. Et nos sanè pro ea simplicitate, qua linguæ Spiritus sancti & vocibus Scripturæ assveti sumus, hæc ita intelligimus: quòd filius Dei mediator, passione ac morte sua nobis promeruerit remissionem peccatorum, ita quòd propter meritum, satisfactionem & obedientiam Christi, pater credentibus non imputet peccata ipsorum: & quòd (juxta Anshelmi dictum) mortem Domini nostri Iesu Christi, fide interponere debeamus inter peccata nostra, & interitam Dei, quando petimus & quærimus ut accipiamus remissionem peccatorum.

Sed concilium Tridentinum, per interpretem suum Andradium publicè declarat hanc non esse suam mentem & sententiam: sed Christum meruisse tantùm nobis infusionem charitatis, ut ejus inhærentis nostræ charitatis vi & potentia, peccata expellantur, extinguantur & aboleantur. Et ita demum Deum remittere offensam, & fieri placatum & propitium, quando videt omne vestigium peccati in homine per charitatem extinctum, & prorsus abolitum (utor enim Andradii verbis) qui & hoc addit, ob charitatem infusam nos justos dici: quippe quia Peccatis, munere nostræ charitatis deletis, in Dei gratiā reconciliemur. Qui igitur vult remissionem peccatorum accipere, debet juxta cōcilii Tridentini sententiam, interponere inter peccata sua & offensam Dei, non satisfactionem Christi, sed inhærentem suam charitatem: & tunc demum credat Deum remissa offensione, sibi certò placatū & propitium esse, quando charitas peccatum ita expulerit & extinxerit, ut omne ejus vestigium in homine abolitum sit: hæc enim sunt Andradii verba. Ita juxta eandem interpretationem, Christus obedientia sua non meruit credentibus in ipsum salutem & vitam æternam: sed hoc tantùm meruit, quod propter ipsum infunditur nobis charitas inhærens: utilla demum sit quæ hominem Deo non tantùm gratum, sed pergratum (repeto enim Andradii verba) non tantùm acceptum, sed peracceptum reddat ad vitam æternam.

Christi meritum quid effecerit Papistu.

Sed hīc objicit Osius: Ergone vos Lutherani docetis, peccatum ita remitti, ut maneat in homine sine contritione, detestatione & mortificatione, post reconciliationem, eodem planè modo sicut ante? Respondeo: Non est doctrina nostra, quòd doceamus, inconversione debere adesse in homine contritionem, detestationē peccati, bonum propositum, &c. Docemus etjam, renatos debere spiritu actiones carnis mortificare, Rom. 8. Vt caro cum vitiis & concupiscentiis magis magisq; crucifigatur & mortificetur, Galat. 5. ne peccatum regnet. Roman. 6. Sed ex Scriptura didicimus, remissionem peccatorum, ut sit certa & firma, niti non nostra contritione, detestatione, mortificatione, &c. sed niti satisfactioni & merito Christi, ut propter illam peccata nobis remittantur. Et licet in reconciliatis non maneat peccatum regnans, seu vastans conscientiam: tamen ex Scripturæ traditione didicimus, Deum remittere offensam, & esse nobis placatum & propitium: non quòd nullum planè vestigium peccati amplius in nobis inveniat (in carne enim mea, inquit Paulus renatus, habitat peccatum) sed quia propter Christum peccatum non imputat, sed remittit. Si enim dixerimus, peccatum nos non habere, nos ipsos seducimus: sed si confiteamur, justus est ut dimittat peccata.

Sed in re manifesta nihil addam amplius. Videt enim pius Lector, remissionem peccatorum, adoptionem, ipsam denique salutem & vitam æternam adimi & detrahi satisfactioni & obedientiæ Christi, & transferri in nostras virtutes: Christo verò mediatori hoc tantùm relinquitur, quòd propter ipsius meritum accipiamus charitatem. Postea verò fingunt, charitatis vim & potentiam hanc esse, quòd peccata extingvat: ut ita tandem, propter charitatem nostram, quia peccata delet, accipiamus remissionē peccatorum. Addunt & hanc esse charitatis vim & potentiam, quòd reddat nos Deo pergratos & acceptos ad vitam æternam. Verè igitur, & justo dolore cum Paulo exclamabimus: Evacuati estis à Christo, qui charitate vestra, quæ est summa legis justificamini. Gal. 5. Exinanita est fides, & abolita promissio, si hæreditas ex lege, cujus summa est charitas. Rom. 4. Et sanè non commutarem magno aliquo precio, quòd hoc modo produntur insidiæ & technę Tridentini concilii, quas miris verborum involucris occultārunt. Quando enim juxta Andradii interpretationem mens Concilii denudata de remissione peccatorum, eo sicut jam ostendimus modo proponitur, tunc cuivis tantùm volenti considerare manifestū est, quomodo Scriptura ex diametro pugnet, quàm contumeliosa & blasphema sit in sanctissimum meritū Domini nostri Iesu Christi: cujus thronum, ipso deturbato, nostræ virtutes invadere jubentur, ut sint nostra propitiatio pro peccato, & precium vitæ æternæ. Et ex hac Andradii interpretatione nunc demum intelligo, quid hoc sibi velit, cùm decretum Tridentinum pronunciet, justificationem cōstare duabus partibus, remissione peccatorum & renovatione: quòd tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

non multò pòst dicunt, unicam tantùm esse causam formalem justificationis, novitatem scilicet, vel charitatem: Illa enim juxta Andradii interpretationem, simul est causa formalis & remissionis peccatorum, & acceptionis ad vitam æternam.

ARGVMENTA ANDRADII.

Sed postquam sententiam Concilii de justificatione, & ex ipsis verbis decreti, & ex Andradii interpretatione satis percepimus: Audiamus jam argumẽta, quæ Andradius Tridenti in Concilio didicit. Est autem primum ejus argumentum, ex verbo justificare: quod contendit idem esse ac informare, imbuere, & exornare animum infusa nova qualitate inhærentis justitiæ, quę sit charitas. Sed hoc argumentum supràclarè refutatum est.

Secundum argumentum est. In conversione, seu reconciliatione hominis, non tantùm adest fides, non sola remissio peccatorum, vel sola imputatio justitiæ Christi: verùm etjam contritio, renovatio, spes, charitas, &c. Ergo justificatio nõ est sola remissio peccatorũ, sed & reliquæ virtutes ad justificationem pertinebunt. Respondeo: Verum est, neminem cõciliari, nisi præcedat contritio: & quando homo reconciliatur, tunc simul etjam renovatur. Sed non sequitur, quæ simul sunt, vel simul fiunt, quòd eandẽ omnia habeant proprietatem, & idem officium. Homo enim simul habet pedes, oculos, aures: non tamẽ sequitur, quòd pedibus videat, & oculis audiat. Ita in justificatione hæc est quæstio, quid illud sit, per quod & propter quod Deo reconciliemur, adoptemur, & acceptemur ad vitam æternam. Id verò Scriptura solius Christi merito tribuit. Et inter ipsas etjam partes conversionis, certus est ordo. Reconciliationem enim oportet præcedere, & postea sequitur charitas cum cæteris virtutibus, quę ad effectus justificationis pertinent. Andradius verò longam texit seriem. Iustificatio non est sine reconciliatione. Reconciliatio pendet ex Dei erga nos amore. Amoris verò Dei ratio est, quòd illos quos diligendos suscepit, amplissimis beneficiis exornet: ut sunt dona charitatis, & reliquarum virtutum. Et inde colligit, justificationem sine inhærentibus Dei donis esse nullo modo posse. Et per consequens contendit, justificationem duabus cõstare partibus: reconciliatione scilicet, & cæteris novis virtutibus. Vide autem acumen hujus rhetoris, satis profectò obtusum. In justificatione quæritur, propter quid Deus nobis reconcilietur, ut ipsum habeamus placatum & propitium? Est autem reconciliationis hujus effectus, quòd donis charitatis, & aliarum virtutum, Deus renatos exornet.

Ex his effectibus Andradius pro suo acumine facit causam & formam justificationis. Nos verò & hos & alios justificationis effectus non negamus: sed effectus non dicimus esse causas. Nec succenseat nobis Andradius, quòd non sinamus nobis talia, ipsius grandiloquentia persuaderi. Ioannes enim monuit nos, licet utrunq; verum sit: & quòd Deus nos diligat, & quòd nos vicissim diligamus & Deum, & proximum: tamen hæc distinguẽda esse, ut causam & effectum, prima Ioan. 4. In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos. Ergo diligamus ipsum, & proximum.

Tertium argumentum est. Ex justitiæ ratione, divinis literis explicata, justificationis vis atque ratio petenda est. Sed Scriptura tradit, in renatis Spiritum sanctum inchoare obedientiam legis, sive conformitatem cum lege: quæ justitia vocatur. Ergo illa justitia justificamur. Respondeo: Major propositio placet, & sequamur eam: ut scilicet justitiæ ratio, sicut eam Scriptura explicat, monstret nobis veram rationem justificationis.

De iustitia quomodo loquatur Scriptura.

Sed Scriptura de obedientia legis, sive de justitia illa, duobus modis loquitur. 1. Quòd Christus satisfactione plenissima, & obedientia perfectissima, legem pro nobis impleverit: & ita factus sit justitia nostra. 2. quòd Spiritus sanctus in renatis inchoet conformitatem quãdam cum lege Dei: Ieremiæ 31. Roman. 7. & illa conformitas vocatur etjam justitia, Romano. 6. & 1. Ioannis 2. quæ non malè definitur ab Andradio, esse habitus animi, induçens ad parendum divinæ legi atque voluntati. Sed quæstio est: utra justitia, Christiné vel nostra sufficiens & digna sit, quam opponere possimus judicio Dei: ut propter illam, coram tribunali Dei absolvamur, remissionem peccatorum consequamur, justi pronunciemur, in gratiam recipiamur, adoptemur in filios, & acceptemur ad hæreditatẽ vitæ æternæ. Ibi verò Scriptura explicat rationem justitiæ: quòd scilicet renatorum inhærens & inchoata justitia in hac vita, propter adhærentem carnem, nec perfecta nec omnino pura sit: atque ideo severitatem examinis judicii divini sustinere non possit, & propterea etjam renatos non possit justificare: Christi verò iustitiam tradit esse sufficientem & dignã, utpote plenissimam, perfectissimam & absolutissimam: & quidem pro nobis præstitam, ut propter illam & per illam, in iudicio Dei possimus consistere, absolvi, in gratiam recipi, adoptari & acceptari ad vitam æternam: sicut suprà multis clarissimis Scripturæ testimoniis demonstratum est. Hoc modo iustitiæ ratio, sicut eam scriptura explicat, monstrat veram rationem iustificationis. Sed Andradius hanc Christi mediatoris iustitiam fide nobis imputatam, blasphemat esse commentitiam, adumbratam & fictitiam. Nullum autem aliud habent argumentum, nisi quòd opponunt absurditatem ex physica & Ethica: absurdum scilicet esse (sicut Osius inquit) dicere alicuius rei formam esse, quæ ipsi rei non insit. Vt si dicam, parietẽ esse album albedine, quæ vesti meæ inhæreat, non parieti: vel Ciceronẽ esse fortẽ fortitudine, quæ non ipsi, sed Achillis animo inhæreat, Quid verò hæc argumẽta aliud ostendunt, quàm Pontificios in doctrina iustificationis, relicta Evangelii luce, quærere sententiam quæ conformis & consentanea sit philosophicis opinionibus, aut certè legalibus sententiis de iustitia? Evangelium verò pronunciat, esse sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum huius seculi cognovit, prima Corinthiorum 2. Ideò cùm habeamus sententiæ nostræ in Scriptura, certa & firma fundamenta, non est curandum, etjamsi incurrat in absurditatem philosophicam.

Obiectio.

Responsio.

Christi meritum.

Quartò. Christus meruit nobis, non tantùm remissionem peccatorum, vel solam imputationem suæ justitiæ, sed & hoc nobis meruit, ut per Spiritum sanctum renovati, habeamus novam obedientiam seu justitiam inhærentem. Ergo justificatio non est sola remissio peccatorum. Respondeo: Fatemur, Christum nobis utrunq; meruisse. Sed cum Scriptura dicimus, illam nostram inhærentem justitiam, licet suum habeat locum, suas commendationes, sua etjam præmia: tamen quia in hac vita propter carnem imperfecta & immunda est, non posse in judicio Dei consistere, ut propter eam à sententia damnationis absolvamur, adoptemur in filios, & acceptemur ad vitam æternam. Ideò opus esse nobis alia justitia, perfecta & absoluta, propter quam & per quam coram Deo justificemur ad vitam æternã. Illam verò Scriptura monstrat in satisfactione & obedientia Christi mediatoris, si fide eam apprehendamus. Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine ejus, Ioan. 1. Et Gal. 4. Factus sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

Iustitia nostra.

Iustitia Christi.

Quintò. Andradius sentit, suam & Concilii sententiam prorsus profligari fulmine disputationis Paulinæ, de exclusiva (fide, sine operibus legis) in qua ita opponit fidem & opera legis, quòd non tantùm operibus legis detrahit, & fidetribuit, & justificationẽ coram Deo ad vitam æternam, sed quòd affirmat, si ex lege hæreditas, exinanita est fides, & abolita promissio. Roma. 4. Si ex operibus, jam non ex gratia, alioqui gratia non esset gratia, nec opus esset opus. Roman. 11. Si cum lege justificamini, evacuati estis à Christo: gratia excidistis, Christus nobis nihil prodest. Galat. 5. Omninò enim talem immediatam facit Paulus antithesin fidei & operum, gratiæ & operum, meriti Christi & nostrorum operum, in articulo justificationis, cujus extrema nullo modo possint conjungi aut convenire, sed posito uno, statim excludatur & tollatur alterum. Signanter autem dico, in articulo justificationis, aliàs enim extra hunc articulum, optimè convenit fidei & bonis operibus. Fides enim per charitatem efficax, genitrix est bonorum operum, & opera placent fide. Quia igitur Andradius sentit, Paulum hoc modo in articulo justificationis contra nostra opera fulminantem, varias circumspicit rimas vt elabi possit. Stante enim illa immediata Pauli oppositione, inter fidem & opera legis, cujus summa est charitas, videt decretum Tridentinum non posse subsistere.

Primùm igitur inquit, intelligi posse tantùm opera legis ceremonialis, quòd illa sola excludantur ab articulo justificationis. Sed quia hoc manifestè falsum est, & quidem ab Augustino & Hieronymo etjam refutatum, non audet in hac responsione pedem figere. Paulus enim in hac disputatione ceremoniis Leviticis manifestè adjungit legem moralem, & ita de tota lege, & de totius legis operibus disputat. Tandem igitur ad hanc elusionem Andradius delabitur, Paulum ab articulo justificationis excludere illa tantùm opera, quę non renati lege imperante, solis liberi arbitrii viribus, sine fide, sine gratia & auxilio Spiritus sancti præstant.

Opera verò quæ ex fide oriuntur, & sunt fructus Spiritus, adeò fingit ad justificationem necessaria, ut fine illis fides apprehendens Christũ, justificare nullo modo posset (recito enim Andradii verba,) Sed Paulina disputatio evidenter convincit, hoc commentum Pontificiorum vanum, falsum, & contra mentem Pauli esse. Abraham enim, qui est universale exemplar justificationis, post suam vocationem, Genes. 11. usque ad 15. cap. multa habuit bona opera, & illa ex fide profecta. Hebræo. 11. fuerunt fructus Spiritus, Ephes. 5. Et tamen Paulus in articulo justificationis, exclusivam suam accommodat etjam ad illa Abrahæ opera: Non operanti, sed credenti fides imputatur ad justitiam. Item ad Abraham iam renatum dicit pertinere illud: beatitudinem esse eius hominis, cui Deus imputat iustitiam sine operibus. Item, Si ex lege hæreditas, exinanita est fides, & abolita est promissio. Hoc testimonium nulla sophistica eludi potest. Ita Paulus renatus, cùm inquit: Nihil mihi conscius sum: multa habuit bona opera, ex fide profecta, & tamen inquit: In hoc non sum iustificatus. Daniel renovatus inquit: Non in iustificationibus nostris, &c. sicut supra plenius hæc sunt explicata.

Abraham exemplum iustificationis.

Paulus igitur exclusivam suam, quando dicit, hominem fide iustificari sine operibus legis, intelligit non tantùm de operibus nõ renatorum, verumetiam de illis operibus, quæ renati ex fide per Spiritum sanctum faciunt. Sicut enim inter se opponit facere & credere, operantem & credentem, ita etiam opponit fidem & opera legis, iustitiam legis & iustitiam fidei. Et iustitiam legis definit, quando homo facit ea, quæ in lege scripta sunt, ut per ea iustificetur, & in æternum vivat. Et disciplinam quidem rationis, facientem aliqua legis opera, ex solis liberi arbitrii viribus, non iustificare, Pontificii etiam concedunt. David verò renatus ex fide per Spiritum sanctum, inchoat obedientiam aliquam Legis, faciens ea, quæ in lege scripta sunt. Quæro iam an David illa sua obedientia, legis illa iustitia, illis operibus iustificetur? Et Paulus Roma. 4. disertè hoc negat, & de Abrahamo, & de Davide, etiam post renovationem. Certum igitur est, Paulum intelligere iustitiam legis, quando homo sive sit non renatus sive renatus, obedientia sua aut operibus suis: facit ea, quæ in lege scripta sunt. Et hac iustitia legis, Paulus pronunciat nullum hominẽ in hac vita iustificari, quia propter carnem imperfecta & immunda sit etiam in renatis.

Iustitia fidei

Fidei verò iustitia est, credere, Christum mediatorem pro nobis legi satisfecisse, ad iustitiam omni credenti, Roman. 10. Stat igitur Pauli antithesis in genere de omnibus operibus, sive renatorum, sive non renatorum, si non ex operibus, iam non ex gratia, si verò ex gratia, iam non ex operibus. Sed hæc suprà pluribus sunt explicata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Manifesta igitur est depravatio totius Paulinę sententiæ, quòd Andradius sine probatione fingit, utramq; justitiam, & legis & fidei, consistere in nostra observatione legis: & differre non officiis, sed modò tantùm officiorum, ut scilicet quando præstatur à non renatis, tunc sit legis justitia: fidei verò justitia in eo consistat, quòd inducat renatos ad obedientiam & observationem eorum, quæ in lege scripta sunt: ut justitia fidei sit ipsa renatorum obedientia erga legem, quando charitas, quæ totam legem complectitur, per Spiritum sanctum infunditur credentibus. Sed Paulus in articulo justificationis, hæc membra oppositionis constituit: Iustitia legis est, quando homo ipse suis operibus facit ea, quæ in lege scripta sunt: fidei verò justitia est, quando homo fide apprehendit & possidet Christum, qui sua perfectissima obedientia legis pro nobis satisfecit, ut esset nostra justitia, Ierem. 23. Ad removendas verò calumnias, hanc addimus declarationem. Omninò verum est, Spiritum sanctum scribere legem in corda renatorum, ut ex fide per Spiritum incipiant facere legem, sed ex Paulo addimus, obedientiam illam legis, inchoatam, non esse illam justitiam, quam possimus judicio Dei opponere, ut propter illam coram tribunali Dei justificemur ad vitam æternam. Propter carnem enim in hac vita legi non satisfacit, est enim imperfecta & immunda. Verum est & hoc, quòd fides inducat renatos per Spiritum sanctum ad inchoandam obedientiam & observationem legis moralis. Sed hoc respectu, & propter hanc causam non justificat: sed quia apprehendit & possidet Christum, qui propter satisfactionem plenissimam, & obedietiam perfectissimam, quam legi pro nobis præstitit, & justitia nostra, sicut in loco de Fide dicemus.

Mortis & resurrectionis Christi disiunctio.

Sextum argumentum. Paul. Roman. 4. Iustificationem à remissione peccatorum usque adeò disiunxit, ut hanc Christi morti, illam verò resurrectioni ejus adscribendam esse existimaverit. Ergo justificatio non est sola remissio peccatorum. Respondeo: Paulus quidem Rom. 6. dicit, mortem Christi designare mortificationem peccati in nobis, & resurrectionem ejus designare novam vitam, ut sicut ipse resurrexit à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Sed in articulo justificationis, mortem & resurrectionem Christi, Paulus non ita disiungit, ut non morti, sed resurrectioni tantùm justificationem tribuat. Nam Roma. 5. dicit: Iustificati in sangvine ipsius. Rom. 3. Iustificati per redemptionem, quæ est in Christo per fidem in sangvine ipsius. Roma. 8. Deus est qui justificat, quis est qui condemnet? Christus mortuus est, imò & resurrexit, & est ad dexteram Dei, &c. Et Act. 10. & 13. remissio peccatorum tribuitur simul & morti, & resurrectioni Christi. 1. Corinth. 15. Si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris.

Non igitur vera est illa Andradii distractio, potius quàm disiunctio. Sed gravissima est doctrina, quòd Paulus dicit: Christus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justitiam nostram. Vt enim Christus esset justitia nostra, oportuit ipsum non tantùm sustinere pro nobis pœnas peccatorum nostrorum, verumetiam legem tam perfecta obedientia implere, quę sufficeret pro justitia totius mundi. Et tota illa actio mediatoris, in eo vertitur, an pater illam filii satisfactionem & obedientiam acceptare velit pro toto mundo. Illud verò pater in eo maximè ostendit, quòd filium, quem propter peccata populi percusserat, non dereliquit in morte, sed resuscitavit ex mortuis, & collocavit ad dexteram majestatis suæ. Et hoc est quod 1. Corinth. 15. Paulus dicit: Si Christus non resurrexit, adhuc estis in peccatis vestris, hoc est, Si mors Christum superasset, & pater ipsius satisfactionem pro nobis non acceptasset, sed in morte ipsum reliquisset: tunc non haberemus propter Christum remissionem peccatorum.

Cùm igitur Paulus Roma. 4. explicare vellet, quæ sit illa justitia, quæ credentibus imputatur sine ipsorum operibus, aut quid fides apprehendere debeat, ut imputetur ad justitiam, inquit: Credentibus in eum qui suscitavit Iesum à mortuis, qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justitiam nostram. Illa enim est justitia nostra. 1. Quòd filius Dei mediator, factus est pro nobis, obediens patri usque ad mortem. 2. Quod pater illam satisfactionem & obedientiam filii acceptavit pro reconciliatione & propitiatione nostra, id quod resuscitatione ostendit. Ideò Paulus in imputatione justitiæ conjungit mortem & resurrectionem Christi. *Christum Salvatorem esse, meritò & efficaciâ.* Consideretur & hæc ratio, quia Christus Salvator noster est, non tantùm merito, verumetiam efficacia, ut qui tanquam advocatus noster intercedit, & apparet vultui Dei pro nobis, ut per vitam ejus servemur ab ira. 1. Ioan. 1. Rom. 8. Hebræo. 7. Rom. 5. Propter hanc etiam causam Paulus morti Christi jungit resurrectionem ejus, & non dicit sicut Andradius citat: Mortuus est propter remissionem peccatorum, & resurrexit propter justificationem; sed: Mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justitiam nostram.

Septimò. Operæprecium est & novam grammaticen ab Andradio discere. Non potest negare, Paulum in articulo justificationis, sæpe usurpare vocabulum imputationis. Sed pro suo imperio, quo Concilii nomine fungitur dicit ut nobis, imputari justitiam Christi, nihil significare aliud, quàm propter Christi meritum infundi renatis charitatem, seu justitiam inhærentem. Et hoc loco, in mentem mihi venit, quòd ante aliquot annos in Osiandrico certamine, non sine risu audivi quendam ita philosophantem, verbum putare cum compositis, esse vocabulum hortense, sicut igitur amputare, significat per putationem aliquid auferre: ita imputare, justitiam esse inserere, implantare & infundere hominibus novas qualitates.

Et tunc quidem ineptias illas ridebamus, jam verò si dis placet, Trideni in ipso Concilio hæc sapientia, & quidem cum supercilio proponitur: *Imputare.* imputare justitiam, nihil significare aliud, quàm infundere qualitates justitiæ. Thrasonica profectò est impudentia, talia dictitare, non secus ac si imperium haberent in beluas, cùm à seculo, in tota rerum natura talem significationem verbi imputare, nemo vel per febrim somniarit, alioqui

qui enim, imputare peccatum, esset instillare alicui iniquitatem. Sed quia sentiunt Pontificii, se vehementer premi emphasi & proprietate verbi imputare: cùm illam vera refutatione amoliri non possint, satis esse judicant, si quoquo modo eam conculcent & proterant, dicerunt enim ex Fabio, conculcanda esse, quæ refutare non possunt. Et utile est lectorem aliquot exempla tenere, quo modo vocabulum illud ludificent.

Osius dicit, novam, & à seculo inauditam esse vocem justitię imputativæ. Item justitiam Christi nobis imputari, nec in Canonicis nec in orthodoxorum libris reperiri. Sed Canon Tridentinus 11. hoc negare non audet: sed tantùm reprehendit, si quis dixerit hominem justificari sola imputatione justitiæ Christi. Concedunt igitur justitiam Christi, credentibus imputari.

Iesuitę, talem fingunt interpretationem, fides imputatur ad justitiam. Deus enim fidem inventam in hominibus, dignam ducit cui conferatur, seu infundatur justitia inhærens, per quam homines justificentur.

Imputare. Andradius magistraliter pronunciat, imputari justitiam, nihil significare aliud quàm infundi qualitatem justitiæ. Vera igitur significatio verbi imputare, diligenter observanda est. Esse autè vocabulum relativum, nullum est dubium. In imputatione enim requiritur qui imputat, cui imputatur, quod imputatur, & ad quid imputetur. Et aliquando ita usurpatur, ut fundamentum imputationis (ut dialecticorum vocabulis utamur) sit aliquid inhærens in illis, quibus fit imputatio. Terminus sit reatus, seu premium. Et inter hæc duo, imputatio sive ad reatum, sive ad premium, est relatio. Ita 2. Regum 19. dicit Semei: Non imputet mihi rex iniquitatem. Roma. 5. Vbi non est lex, peccatum non imputatur. 2. Timoth. 4. Omnes dereliquerunt me, non imputetur illis. Quæstio jam est: An eodem modo charitas inhærens renatis, imputetur ipsis ad justitiam, ut propter eā ipsis adjudicetur hæreditas vitæ æternæ. Et Pontificii quidem fortiter hoc contendunt, sed sine Scriptura. Nobis verò, quia res ardua est, firma & solida quærenda sunt fundamenta, quæ Paulus Roman. 4. monstrat. Cùm enim inquit: Operanti merces imputatur, non secundum gratiam, sed secundum debitum, ostendit esse quandam imputationem, quæ habet & respicit fundamentum in illo, cui fit imputatio, ut si fiat propter opera. Et hanc imputationem dicit fieri, non secundum gratiam, sed secundum debitum. Hac verò imputatione pronunciat Abrahamum non esse justificatum coram Deo. Addit autem: Non operanti, credenti autem in eum qui justificat impium, fides ejus imputatur ad justitiam. Et hanc imputationem dicit fieri nō secundum debitum, sed secundum gratiam. Hac etiam imputatione affirmat Abrahamum fuisse justificatum.

Ostendit igitur Paulus, se vocabulum imputationis, in articulo justificationis usurpare in hac significatione, quando in eo, cui fit imputatio, non habet aut respicit fundamentum cujus dignitate fiat, sed fit ex gratuita misericordia Dei sine merito, imò contra quàm meriti sumus.

Cùm enim dicit hac imputatione justificari impium: ostendit nobis inesse contrarium fundamentum, cui reatus potius quàm justitia imputari deberet, si Deus in judicium nobiscum ingredi vellet: Et postea cùm inquit, beatitudinem esse ejus hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus, manifestè ostendit, fundamentum hujus imputationis non esse in eo cui fit imputatio, dicit enim: Imputatur sine operibus, & Abraham tunc quidem multa habebat bona opera. Sed illam inhærentem novitatem, Paulus disertè dicit, non fuisse fundamentum, sicut dialectici loquuntur, cujus ratione & dignitate ipsi imputata fuerit justitia ad beatitudinem. Dicit enim: Sine operibus imputatur justitia. Sed ex gratuita misericordia, fit illa imputatio. Si autem operanti imputaretur, jam non secundum gratiam, sed secundum debitum fieret. *Imputatio iustitia.*

Et in hac significatione, quando in eo cui fit imputatio, non inest fundamentum imputationis, sed ejus contrarium, sæpe usurpatur Hebraicum חשב & Græcum λογίζομαι. Gen. 31. Extraneę reputatæ sumus patri nostro. Nume. 18. de Levitis, qui non habeant aream, inquit: Reputabitur vobis sicut firmamentum ex area. Psal. 144. Quid est filius hominis, ut reputes eum? Romanorum secundo. Præputium ejus in circumcisionem reputabitur.

Non autem Deus imputat justitiam credentibus, sine omni aliquo fundamento? Certè ipse hoc dicit esse abominationem. Proverb. 17. Esa. 5. Et in nobis quidem non est fundamentum illud, imputatur enim justitia sine operibus. Rom. 4. Et ibi in fine Paulus manifestè ostendit, quod, & ubi, sit fundamentum hujus imputationis: Imputatur, inquit nobis credentibus in eum, qui suscitavit Iesum à mortuis, qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justitiam nostram, hoc est, Satisfactio & obedientia Christi, est fundamentum illud, cujus respectu, ratione & dignitate, Deus credentibus ex gratia imputat justitiam.

Et ita habemus totam relationem. Fundamentum, est iustitia Christi, terminus est persona credens, cui fit imputatio ad iustitiam & beatitudinem: relatio, est misericordia Dei, imputans iustitiam sine operibus. Et ita fides imputatur ad iustitiam, non propter dignitatem virtutis, sed quia apprehendit in promissione Evangelii meritum Christi, & misericordiam Dei, in quibus consistit & fundamentum, & relatio imputationis iustitiæ ad beatitudinem.

Hæc observatio de vocabulo imputationis, valdè illustris est, & lector inde intelliget, quare Pontificii tam iniqui sint huic vocabulo, & cur de eius depravatione tantoperè laborent, pulcherrimè enim illustrat, & munit totum locum de iustificatione. Quòd enim obiiciunt locum ex Psalmo 106. ubi factum Phinees dicitur ipsi imputatum esse ad iustitiam, facilè explicari potest. Paulus enim Romanorum quarto duplicem statuit imputationem. Primò, quando operanti merces imputatur. Et hac imputatione affirmat personam non iustificari coram Deo ad vitam æternam. Non enim ex uno aliquo opere persona potest iustificari, quia qui non in omnib. permanserit, *Imputatio duplex.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

manserit, maledictus est, & qui in uno delinquit, etiamsi cætera servarit, reus est omnium. Alia verò est imputatio, qua persona justificatur, quando scilicet justitia gratis fide imputatur sine operibus.

Psalm. igitur 106. non loquitur de justificatione personæ. Sed quia factum Phinees videri poterat truculentum, dicitur Deus illud imputasse ad justitiam, hoc est, acceptasse pro justo opere, & quidem ei imputasse mercedem, quæ etjam ad posteros perveniret in generatione & generationem, operanti enim merces imputatur, Roman. 4. Sed illa imputatione, persona non justificatur ad vitam æternam. Beatitudo enim est ejus hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus. Manet igitur gratuita imputatio justitiæ Christi, qua credentes justificantur ad vitam æternam.

Octavò. Tridentinum decretum dicit Apostolicam traditionem esse, quòd Catechumenis, quando petunt fidem, vitam æternam præstantem, proponitur illud verbum Christi: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Audi verò, quomodo Andradius hoc probet & confirmet. Quicquid à Christo est traditum, & in Evangelio scriptum, pertinet ad justitiam fidei. Sed si vis ad vitam ingredi, serva mandata, item: Hoc fac & vives, est Christi sententia, & est in Evangelio scripta. Ergo doctrina Evangelii, & justitia fidei est, quòd homines & debent & possunt vitam æternam suis sibi operibus promereri. Respondeo: Puerilis est hallucinatio, ab ipso Augustino refutata: Doctrinam Legis & Evangelii libris veteris & novi instrumenti ita distingvere, ut in alteris nihil, nisi legem, in alteris nihil, nisi Evangelium cõtineri existimetur, cùm manifestissimum sit, Christum & Apostolos in novo Testamento sæpe doctrinam legis tractare & explicare, & vicissim in Mose & Prophetis, in multis locis ipsissima doctrina Evangelii describitur. Ita verba quidem sunt Christi, & extat in libris Evangelicis: Hoc fac & vives. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Sed Christus ipse expressis verbis ostendit, has sententias pertinere ad doctrinam legis, inquit enim: In lege quid scriptũ est? quomodo legis? Item, Mandata nosti. Falsum igitur est, quòd Pontificii affirmant, hanc esse doctrinam Evangelii propriam, aut justitiam fidei. Paulus enim disputat opposita esse, Iustus ex fide vivet, &: Qui fecerit hæc, vivet in eis, & quidem inde probat, in lege neminem justificari apud Deum. Galat. 3. Sed tamen inquis: Cùm proposita esset quæstio, quomodo quis posset vitam æternam hæreditare: Christus respondet, Si vis ad vitam ingredi serva mandata. Item, Hoc fac & vives.

Respondeo: Interrogabant illi, quid faciendo, aut quibus operibus vitam æternam deberent sibi comparare. Ibi Christus respondet: Si operibus vultis vitam æternam promereri, nulla sanctior aut perfectior est regula bonorum operum quàm doctrina legis, cui nihil vel addi, vel adimi potest, quæ etjam habet promissionem vitæ, si quis eam perfecta obedientia eo modo, sicut lex præscribit, impleverit.

Non autem affirmat, scribas istos hoc posse, imò hoc agit, ut convincat ipsos, quòd legẽ perfectè implere non possint, sicut contextus manifestè hoc ostendit, ut intelligant, opus sibi esse alia justitia, quàm operum suorum, si vitam æternam velint hæreditare. Ideo enim lex cum suis promissionib. primùm proponitur, ut quia humanus animus plurimùm de sua virtute sibi blanditur, in ipso conatu experiatur, se legem perfecta obedientia implere non posse, & ita discat, opus sibi esse alia justitia ad vitam æternam. Neq; enim locum potest habere doctrina de gratuita justitia fidei, nisi prius convictus sit homo, quòd operibus suis ex lege, non possit salutem & vitam æternam consequi. Ita lex est pædagogus ad Christum, ut ipse sit nostra justitia. Pontificii verò scelerate hoc inverunt. Quòd enim Christus Pharisæis opinione propriæ justitiæ inflatis proposuit, ut superbiam eorum retunderet, hoc ipsi catechumenis petentibus, quæ sit fides, qua vitam æternam possint consequi, proponunt? Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et cùm Moses illos, qui justificari volunt, à lege mittat ad Christum: Pontificii catechumenos, per Baptismum Christo adducendos, quando petunt fidem, præstantẽ vitam æternam, à Christo ablegant ad legem, ut faciendis iis, quæ in lege scripta sunt, justificentur & vivant. Et non verentur hoc tribuere Apostolorum traditioni, cùm Paulus ex professo contrarium doceat. Et Actorum secundo, cùm catechumeni quærunt: Quid faciemus, viri fratres? Petrus non dicit: Si vultis ad vitam ingredi, servate mandata legis, sed: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptisetur unusquisque in remissionem peccatorum. Actorum decimosexto, Catechumenis petit fidem, vitam æternam præstantem, inquit enim. Quid me oportet facere, ut salvus fiam? Paulus verò quid respondet? num dicit: Fac ea quæ in lege scripta sunt, & vives? Nequaquam, sed: Crede, inquit, in Dominum Iesum, & salvus eris, tu, & domus tua. Et continuò baptisatus est, & ipse, & omnis domus ejus.

Hæc sunt veræ & certæ Apostolorum traditiones, quid catechumenis petentibus salutem & vitam æternam responderint. Sed Tridentini patres opponunt traditionem nõ scriptam, quæ planè contrarium affirmat, ut scilicet catechumenis petentibus fidem, vitam æternam præstantem, proponatur hæc sententia, quam ipse Christus pronũciat legalem esse: Si vis ad vitam ingredi, serva ea, quæ in lege scripta sunt. Et ex hoc etjam exemplo Lector intelligit, quid Pontificii quærunt titulo traditionum non scriptarum, ut scilicet ab iis, quæ scripta sunt, Ecclesiam abducant, ut non diversum tantùm, sed & contrarium ejus, quod Scriptura tradit, credatur, sub prætextu traditionum non scriptarum. *Traditiones non scriptæ.*

Postremò addam & hoc, quomodo Andradius conetur respondere ad illud, quod in Iesuitarum censura notaveram, misericordiam DEI in Christo, quam Evangelium celebrat, in qua nostrum omnium salus & vita consistit, esse hanc, quod Deus proposuerit hanc conditionalem propositionem: Qui fecerit ea, quæ in lege scripta sunt, pta sunt, vivet in eis. Dixi: & adhuc dico, flagitiosam esse illam Iesuitarum sententiam, scelerate depravantem dulcissimas Evangelii consolationes de misericordia Dei in Christo Iesu, ad salutem nobis propositas, cùm Scriptura simpliciter illam Dei misericordiam & nostra opera opponat: Non in justificationibus nostris, sed in miserationibus tuis multis. Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit. Sed excipit Andradius, innumerabilia & inexhausta esse misericordiarum DEI genera, atque ideo rectè dici posse, pertinere & hoc ad misericordiam DEI, quòd opera nostra, licet imperfecta & sordida, dignatur premius, & in hac vita, & post hanc vitam. Ego verò non nego hoc, imò scio, misericordia Dei plenam esse totam terram. Sed quæstio est, quæ sit illa misericordia Dei, quam Evangelium prædicat, in Christo nobis esse propositam, ut in ea vita & salus nostra consistat. Hanc dico à Iesuitis impiè definiri, quòd sit illa legis promissio de nostris operibus: Qui fecerit hæc, vivet in eis.

augmentum fidei, spei, charitatis, & reliquorum donorum spiritualium, qualis enim sit spiritualis negligentiæ pœna, ostendit parabola de talentis. Nullum etjam dubium est, fidem esse efficacem per charitatem, & esse genitricem bonorum operum, & quidẽ bona opera, fide propter Christum Deo placere. Et in hanc sententiam locus Iacobi 2. commodè & dextrè potest intelligi & accipi, quòd per bona opera sequentia, Abraham declaretur verè fuisse per fidem justificatus, & ostendatur, fidem esse non inanem, & mortuam, sed veram & vivam.

De ostensione enim, seu declaratione, contra inanem opinionem vanæ fidei & justificationis, Iacobus manifestè disputat, inquit enim: Si quis dicat, se fidem habere, ostendat fidem ex operibus. Et sumit exemplum Abrahæ quòd ipse Angelus de approbatione seu declaratione interpretatur, cùm inquit: Nunc cognovi, quod timeas Dominum. Hoc igitur agit Iacobus, obedientiam & bona opera Abrahæ declarasse, & præbuisse testimonium, quòd verè fuerit fide justificatus. Iustificari enim, Iacobo significat justum declarari per externa testimonia. *Locus Iac. 2.*

Si de his doctrinæ capitibus in illo Tridentini decreti capitulo ageretur, nulla esset controversia: res enim veræ sunt. Sed iterum observet lector, insidiosum Synodi artificium. Sumunt doctrinam & testimonia Scripturæ, quomodo renovatio de die in diem crescere, quomodo inhærentia dona spiritus, per orationem in exercitiis augeri debeant. & sub illa specie longè aliud agunt. Titulus enim est de acceptę justificationis incremento, & capitulum dicit, eos, qui semel gratis justificati sunt, postea magis justificari per observationem mandatorum Dei & Ecclesię, ita ut postea ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantùm. Canon etjam vigesimusquartus, ita loquitur: Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etjam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa, fructus solummodo, & signa esse justificationis adeptæ, non etjam ipsius augendæ causa, anathema sit.

Planius verò ex Andradii explicationibus, & ex Iesuitarum censura intelligi potest, quid capitulum illud Concilii, de acceptæ justificationis incremento sibi velit, ne quis æquivocationibus turbetur. Nam & nova renatorum obedientia, ornatur in Scriptura titulo justitiæ. Romanorum 6. Ephes. quarto, secunda Corinthiorum 9. Hebræorum undecimo, prima Ioan. secundo. Et novitatem illam posse & debere in hac vita crescere & augeri, nullum est dubium. Tridentini verò Patres, propriè & principaliter hoc non volunt, sed Pontificiam distinctionem, de prima & secunda justificatione volunt confirmare, & Ecclesiæ obtrudere. Primam autem justificationem vocant, quando homo non renatus, primũ justitia inhærenti perfunditur, accepto primùm habitu, seu infusa qualitate charitatis. Et de illa prima infusione charitatis dicunt, quòd eam opera nulla, tanquam debitam mercedem promerentur. Secundam verò justificationem vocant, quãdo infusa charitas exercet suas operationes, proferens *Iustificatio prima.* *Iustificatio secunda.*

DE ACCEPTAE IVSTIFICATIONIS INCREMENTO.

CAPVT X.

Sic ergo justificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute ad virtutem renovantur (ut Apostolus inquit) de die in diem, hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ. In ipsa justitia, per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atq; magis justificantur, sicut scriptum est: Qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum: Ne verearis usque ad mortem justificari. Et rursus: Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm. Hoc verò justitiæ incrementum petit à sancta Ecclesia, cùm orat: Da nobis Domine fidei, spei & charitatis augmentum.

CANON XXIIII.

Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, & signa esse justificationis adeptæ, non etiam ipsius augendæ causam, anathema sit.

EXAMEN.

Renovationem novi hominis, sicut & mortificationem veteris, in hac vita nõ esse perfectam & absolutam, sed de die in diem crescere & augeri, donec in altera vita perficiatur, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem manifesta sunt Scripturæ testimonia. Vtiles etjam & necessariæ sunt exhortationes in Ecclesia, ne renati accepta dona spiritus negligant, extingvant, aut excutiant, sed veris & fervis exercitiis fuscitent, invocato Spiritus sancti auxilio, ut ipse det

Universidad de Deusto
Biblioteca

proferens bona opera. Et hanc secundam justificationem, bonis operibus dicũt comparari posse & debere. Et illa opera sentiunt promereri majorem justitiam, quàm illa sit, quę gratis propter Christum in prima justificatione infunditur: imò addunt, illa opera, quibus cõstat secunda ipsorum justificatio, tandem promereri vitam æternam, quam nostris operibus in charitate factis, tanquam debitum præmium deberi dicunt. Hæc Iesuitæ.

Andradius similiter contendit, Pauli disputationes, quòd gratis propter Christum sine operibus justificemur, intelligendas esse tantum de prima justificatione, quæ postea nostris operib. augeatur & amplificetur, ut magis simus justi coram Deo. Et addit Andradius: Egregia justorum opera, non solùm ad justitiam augendam magnam vim, Christi beneficio habẽt, sed etjam ad æternam salutem promerendam atq; comparandam. Et disputatio quidem de bonis operibus, postea suum peculiarẽ habebit locum. Nunc verò ideò hæc adscripsi, ut planè & perspicuè intelligatur, quid sibi velit capitulum de acceptæ justificationis incremento. Licet enim æquivocatione vocabuli justificationis & justitiæ, turbare conantur lectorem, semper tamen justificationi annexa est quæstio, quomodo Deo reconciliemur, ipsum habeamus placatum & propitium, adoptemur in filios, acceptemur ad vitam æternam. Cùm igitur dicunt, in secunda justificatione nos magis justificari per opera nostra, quàm in prima justificatione, quæ gratis fit propter Christum, sine nostris operibus; certè sentiunt, Deum postea nobis magis placatum esse, firmius adoptare, & firmius acceptare ad vitam æternam, propter nostra opera, quàm prius propter redemptionem & meritum Christi.

Et lectorem oro, ut totam hanc rem diligentius secum expendat. Paulus fortissimè dimicat, nos gratis propter Christum, sine dignitate & merito nostrorum operum justificari, hoc est, DEO reconciliari, & acceptari ad vitam æternam.

Illas sententias non possunt in universum eradere: restringunt igitur ad unicum momentum, quando homo primum eximpi- fit justus: ut in uno tantum, & primo illo momẽto primæ conversionis, gratis propter Christum sine operibus justificemur, postea verò per totam vitam in tentationibus, in agone mortis, & tandem ad vitam æternam justificemur coram Deo, propter nostra opera, & quidem ita, ut major, auctior & dignior sit altera illa justificatio, quæ fit propter opera nostra, quàm prima, quæ gratis propter Christum fit. Reducunt igitur in Ecclesiam figmentum illud Scholasticorum, quòd Christus primam tantùm gratiam nobis promeruit, cujus auxilio, concurrente libero nostro arbitrio, ipsi postea nostris bonis operibus promereri possimus, ut Deo magis simus grati, & accepti ad vitam æternam, propter nostra opera.

Et breviter meritum condigni, est Helena illa, de qua capitulum Tridentinum de incremento justificationis pugnat, fingunt enim ideò infundi qualitatem seu habitum charitatis, non ut prima illa gratia habeamus salutem & vitam æternam, sed ut illa gratia adjuti, possimus nostris bonis operibus ipsi nobis promereri vitam æternam. De merito enim condigni, Gabriel ita loquitur: Anima gratia informata, per actum à voluntate simul & gratia elicitum, de condigno meretur vitam æternam.

Hæc tam grandia & enormia, comprehensa & absconditа sunt in capitulo illo, de acceptæ justificationis incremento. Nec sanè facilè quis, nisi gnarus sit Theologiæ Scholasticæ, si tantùm Scripturæ sententias, quæ in illo capitulo allegantur, consideret, talia animadverteret. Sed habemus Andradii explicationes: quibus adhibitis, animadvertemus postea ex verbis capituli, planè illam ipsam mentem fuisse patrum Tridenticolarum.

Quòd autem hæc opinio adversa quasi fronte pugnet cum Scripturæ sententia, non est obscurum. Neque enim de principio tantùm conversionis loquitur Scriptura, quando tradit, Nos gratia propter Christum, sine operibus justificari coram Deo ad vitam æternam: ut illa justificatio unius tantùm momenti sit: Postea verò per totam vitam, ut salutem consequamur, per & propter opera nostra justificemur. Nam Romanorum quarto, Paulus probat, Abrahamum fide gratis propter Christum sine operibus justificatum, non in principio tantùm conversionis: sed tunc etjam cùm renovatus per multos annos bonis operibus Deo obedisset, imputatur ipsi justitia sine operibus, non operanti, sed credenti.

Et cùm affirmat Davidem dicere, hanc esse beatitudinem hominis, cui imputatur justitia sine operibus, certè non potest de principio, tantùm conversionis intelligi, hanc enim dicit justificationem esse, ut ipsam tandem beatitudinem consequamur, ut scilicet justitia nobis imputetur sine operibus.

Romanorum quinto, extat illustris distributio. Prima de principio, per Christum habuimus accessum fide, in hanc gratiam, ut fide justificati, pacem habeamus ad Deum. Secunda, de medio, in illa ipsa gratia, fide stamus. Tertia, de fine, illa ipsa gratia, fide gloriamur spe gloriæ Dei, hoc est, sicut fide accessum habuimus in gratiam, ita etjam speramus eadem fide & gratia, nos perventuros ad glorificationem. Sicut igitur in principio, ita etjam in medio & fine, fide gratis propter Christum, sine operibus justificati, pacem habemus apud Deum.

Philip. 3. Paulus eodem modo per distributionem tradit doctrinam justificationis, quæ fuerit sua justitia coram Deo ad vitam æternam, scilicet, primò, cùm ex Pharisaismo converteretur. Secundò, tunc cùm ad Philippenses scriberet. Tertiò, quãdo occursurus est ad resurrectionem mortuorum.

Num verò dicit aliam fuisse suam justificationem in principio conversionis, & aliam postea cùm ex vinculis scriberet, vel quando occursurus est ad resurrectionem mortuorum? Hoc certè non dicit, sed unam & eandem justitiam fidei, scilicet in principio, medio & fine describit.

Romano-

Romanorum primo, Habacuc non tantùm dicit, justus ex fide vivit: sed ζωεται vivet, una igitur & eadem est justificatio & in principio conversionis, & qua tandem pervenimus ad vitam æternam. Revelatur enim justitia Dei in Evangelio, non ex fide in nostra opera, sed ex fide in fidem.

Actorum 15. quæstio tractatur, an Gentibus proponenda sit justificatio fidei, sine operibus legis? Ne verò ad principium tantùm conversionis hoc restringatur, audi quam probationẽ Petrus afferat. Dicit: Gentibus sive conversis, sive convertendis, ita proponendam doctrinam justificationis sine operibus legis, sicut nos Apostoli credimus, nos gratia Domini Iesu Christi salvari. Certè verò Apostoli tunc non erant in principio conversionis, cùm Petrus hanc sententiam pronunciaret, sed ad minimum interfuerãt 18. anni. Et tamen non dicit, Sicut nos credidimus: sed, Sicut credimus nos salvari. Et idem accommodat Petrus ad Patres jam defunctos, quòd illa ipsa gratia, sine jugo legis salvati sint. Eandẽ igitur rationem justificationis & salutis, Petrus tribuit principio, medio & fini.

Ita Christus dicit: Qui credit in me, habet vitam æternam. Ne verò de principio tantum conversionis hoc intelligatur, conjungit hæc duo, Ioan. 6. Qui credit in eum, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Ita loquitur, Ioan. 3. & 5. Qui credit in filium, non judicabitur, non venit in judicium. Eadem igitur est justificatio ad vitam æternam & in principio: & postea in resurrectione mortuorum, ne veniamus in judicium.

Falsum ergo, & Scripturis adversum est dogma illud de differentia primæ & secundæ justificationis. Et cõtumeliosum est in sanctissimum meritum Christi, asserere secundam justificationem, quæ in nostris operibus cõsistit, majorem, auctiorem & digniorem esse apud Deum, quàm primam, quæ solo Christi merito nititur, & quidem non primam, sed secundam justificationem mereri vitam æternam. Quòd verò incrementum justificationis tribuunt simul observationi mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in loco de bonis operibus examinabitur.

DE FIDE.

DE NECESSITATE PRAEPARATIONIS ad justificationem, in adultis, & unde fit.

CAPVT V.

Declarat præterea. ipsum iustificationis exordium in adultu, à Dei per Christum Iesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averti erant, per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, idem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neq; homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere potest, neq; tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit, unde in sacris literis cùm dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur, cùm respondemus: Converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri confitemur.

MODVS PRAEPARATIONIS.

CAPVT VI.

Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, & tamen peccatores se esse intelligentes, à divinæ iustitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam DEI misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes DEVM sibi propter CHRISTVM propitium fore, illumq; tanquam omnis iustitiæ fontem, diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata, per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet, demq; proponunt suscipere Baptismum, in hoare novam vitam, & servare divina mãdata. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad DEVM oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit. Et: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et: Timor Domini expellit peccatum. Et: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Et: Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcunq; mandavi vobis. Deniq; præparate corda vestra Domino.

QVAE SIT IVSTIFICATIO IMPII & quæ ejus causæ.

CAPVT VII.

Hanc dispositionem seu præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, unde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Huius iustificationis causæ sunt: finalis quidem, gloria Dei & Christi, ac vita æterna: efficiens verò, misericors Deus, qui gratuitò abluit & sanctificat, signans & ungens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ: meritoria autem, dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui cùm essemus inimici, propter nimiã charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo patri satisfecit: instrumentalis item Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam iustificatio contingit: demum unica formalis causa est, iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur Spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed vere iusti nominamur, & sumus, iustitiam in

Universidad de Deusto
Biblioteca

nobis recipientes, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi, communicantur, id tamen in hac impii iustificatione fit, dum eiusdē sanctissimæ passionis merito, per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret, Vnde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur per fidem, spem & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neque unit perfectè cum Christo, neq; corporis eius vivum membrum efficit. Qua ratione verissimè dicitur, fidem sine operibus mortuam & ociosam esse, & in Christo Iesu neq; circumcisionem aliquid valere, neq; præputium, sed fidem quæ charitatem operatur. Hanc fidem ante baptismi sacramentum, ex Apostolorum traditione catechumeni ab Ecclesia petunt, dum petunt fidem, vitam æternam præstantem, quam sine spe & charitate fides præstare non potest. Vnde & statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Itaq; veram & Christianam iustitiam accipientes, eam ceu primā stolam, pro illa quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam & immaculatam iubentur statim renati cōservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternam.

QVOMODO INTELLIGATVR, IMpium per fidem & gratis justificari.

CAPVT VIII.

Cùm verò Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quē perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit & expressit, ut scilicet per fidem ideò iustificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificatiōis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium pervenire: gratis autem iustificari ideò dicamur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, iam non ex operibus, alioquin (ut idem Apostolus inquit) gratia non est gratia.

CONTRA INANEM HÆRETIcorum fiduciam.

CAPVT IX.

Quamvis autem necessarium sit credere, neq; remitti, neq; remissa fuisse unquam peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum, nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorū iactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est, cùm apud hæreticos & schismaticos possit esse, imò nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam catholicam contentione prædicetur una hac, & ab omni pietate remota fiducia. Sed neq; illud asserendum est, oportere eos, qui verè iustificati sunt, absq; ulla omnino dubitatione, apud semetipsos statuere, se esse iustificatos, neminemq; à peccatis absolvi ac iustificari, nisi eum, qui certò credat, se absolutum & iustificatum esse: atq; hac sola fide, absolutionem & iustificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deq; mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deq; Sacramentorū virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet dum seipsum, suamq; propriā infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest. cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.

PRÆDESTINATIONIS TEMErariam præsumptionem cavendam esse.

CAPVT XII.

Nemo quoq; quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usq; adeò præsumere debet, ut certò statuat, se omnino esse in numero prædestinatorū: quasi verum esset, quòd iustificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam si ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.

DE PERSEVERANTIAE munere.

CAPVT XIII.

Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est: Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit. Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum qui stat statuere, nemo sibi certi aliquid, absoluta certitudine polliceatur: tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operās velle & perficere. Verumtamen qui se existimāt stare, videant ne cadant: & cum timore ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus & oblationibus, in ieiuniis, in castitate. Formidare enim debent, scientes quòd in spem gloriæ, & nondum in gloria renati sunt, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia, Apostolo obtemperent dicenti: Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

CANON IIII.

Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à DEO motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo, Deo excitanti atq; vocanti, quo ad obtinendum iustificationis gratiam se disponat ac præparet: nec posse dissentire, si velit: sed velut inanime quoddam, nihil omnino agere, mereq; passivè se habere, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationem fiūt, quacunq; ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri: aut quanto vehementius quis nititur, se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.

CANON

CANON IX.

Si quis dixerit, sola fide impium iustificari, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atq; disponi, anathema sit.

CANON XII.

Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse qua iustificamur, anathema sit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse, ut credat certò & absq; ulla hæsitatione, propriæ infirmitatu & indispositionis peccata sibi esse remissa, anathema sit.

CANON XIIII.

Si quis dixerit, hominem à peccatis absolvi ac iustificari ex eo, quòd se absolvi ac iustificari certo credat, aut neminem verè esse iustificatum, nisi qui credit se esse iustificatum: & hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici, anathema sit.

CANON XV.

Si quis dixerit, hominem renatum & iustificatum, teneri ex fide ad credendū, se certò esse ex numero prædestinatorum, anathema sit.

CANON XVI.

Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certò habiturum, absolutā & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.

EXAMEN.

Non adferemus huc omnia, quæ ad justam de fide tractationem pertinent: sed de iis tantùm, quæ instituta ratio examinis exigere videbitur, quædam annotabimus.

In Paulinis igitur epistolis, præsertim ad Romanos & ad Galatas, in singulis fermè versibus, resonant illæ voces: Hominem justificari fide, per fidem, ex fide, fides dicitur imputari ad justitiam. Vocatur justitia fidei, Rom. 4. Iustitia per fidem, Rom. 3. Iustitia ex fide, Rom. 10. Iustitia in fide, sive (quod significantius est) ἐπὶ τῇ πίστει, Philip. 3. Iustitia per fidem, in omnes & super omnes qui credunt. Rom. 3. Nos in Christum credidimus, ut justificemur ex fide Christi, non ex operibus legis, Gal. 2.

Hæc quia manifestissima sunt, Pontificii negare non possunt. Varia igitur quæruntsophismata, ut cùm vocabula fidei justificantis, negare non possint, ipsam tamen veram, & consolationis plenissimam sententiam, peregrinis explicationibus Ecclesiis eripiant. Nec verò de variis aliorum sophismatis nunc dicemus, sed artificium Tridentini Concilii examinabimus. Et status disputationis in hac principali quæstione versatur: Quo sensu, & qua ratione fides dicatur justificare.

Tria autem potissimùm sunt capita, quæ examinanda erunt. Primò, de præparatione ad justificationem. Hunc enim volunt sensum esse, quando Paulus dicit, justificare hominem per fidem, quòd fides sit fundamentum & radix justificationis, hoc est, quia fides tantùm initium sit justificationis, per modum præparationis seu dispositionis. Secundò, Quomodo Scriptura describat fidem justificantem, & in quam sententiam explicet, quando dicit hominem per fidem justificari. Tertiò de pontificiorum dubitatione contra fiduciam & certitudinem fidei justificantis, de remissione peccatorum juxta promissionem Evangelii.

DE PRÆPARATIONE AD *iustificationem.*

Hactenus in aliquot exemplis lector animadvertit architectos decretorum Concilii Tridentini, tali usos artificio ut priusquam institui possit vel explicatio, vel refutatio, primùm sit inquirendum, quid sit quod voluerunt dicere. Quia enim propositum ipsis fuit totam formam doctrinæ Scholasticæ & suis Ecclesiis confirmare, & nostris rursus obtrudere, excogitandum fuit tale artificium, ne fraus illa primo statim aspectu à quibusvis animadverteretur: ideò terminos quidem, seu modos loquendi qui sine Scriptura in philosophicis Scholasticorum officinis nati sunt, studiosè in plerisque fugiunt & declinant, res verò ipsas, sicut à Sententiariis traditæ sunt, simpliciter retinent, nisi quòd fucum addunt vocabulis quibusdam ex scriptura mutuatis, ut lector qui non est versatus in Scholasticorum πραγματείαις, sed tantùm assvetus ad linguam Spiritus sancti, primo aspectu existimet, concilium serio meditari reformationem aliquam doctrinæ Scholasticæ ad normam Scripturæ, cùm audiat non tam frequentes ibi sonare solos terminos Scholasticorum, sed adhiberi in quibusdam locis etjam verba & Phrases Scripturæ. Sed postea in progressu, & ex rebus, & ex verbis longè diversum, imò contrarium deprehenditur. Licet enim alicubi verba quædam ex Scriptura mutuantur, faciunt tamen Babylonicam confusionem linguæ Spiritus sancti, & terminorum Scholasticorum, juxta dictum: Vinum tuum est mixtum aquâ. Isa. 1. finceritatem verò rerum ipsarum, sicut in Scriptura traditæ sunt, prorsus adulterant.

Et hujus artificii illustre est exemplum in capitulis de præparatione ad justificationem. Omnino enim certus est sive modus, sive ordo, in verbo Dei nobis designatus & præscriptus, quo Deus utitur, quando vult hominem ad justificationem deducere, ut accipiat reconciliationem, remissionem peccatorum, adoptionem, &c. Et qui ad modum sive ordinè illum divinitus præscriptum, non voluntse ductu spiritus accommodare,

Universidad de Deusto
Biblioteca

modare, sed negligunt, & conculcant illum: hi ad justificationem non perveniunt, vult enim Deus à notitia & assensu verbi sui nos ordiri. Et ante justificationem oportet præcedere contritionem, hoc est, seriam agnitionem peccatorum, pavores conscientiæ agnoscentis iram Dei adversus nostra peccata, & dolentis propter peccatum, in qua contritione non retinetur, sed abjicitur propositum perseverandi & pergendi in sceleribus. Ad hos verò terrores necesse est accedere fidem, quæ agnitione & fiducia misericordiæ Dei promissæ, propter filium mediatorem, rursus erigat & consoletur animum, ne oppressi desperatione, ruamus in æternum exitium. Sed fides accedat ad Deum, quærat, desideret, petat, apprehendat, & accipiat remissionem peccatorum. Et hoc modo seu ordine in verbo Dei designato, viam parari Domino, ut in ipso, per & propter ipsum, fide consequamur & accipiamus justificationem, ipsa scriptura tradit. Ita enim vox clamat: Parate viam Domino, Isai. 40. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Et de ministerio Baptistæ prædicantis baptismum pœnitentiæ, dicit Gabriel Luc. 1. Parare Domino plebem præparatum. Huc etjam accommodari potest, quod Syracides cap. 2. inquit: Qui timent Dominum præparabunt corda sua, & in conspectu ejus humiliabunt animas suas. Incidamus potius in manus Domini, quàm in manus hominum, secundum enim magnitudinem ejus, sic & misericordia ejus.

Si igitur hæc esset mens & sententia Synodi, quòd simpliciter vellent monstrare illum, de quo jam diximus modum & ordinem, quo juxta Scripturæ traditionem Deus utitur, quando homines vult deducere ad justificationem, & si illa, quæ Scriptura tradit præcedere, tribuerent non viribus liberi arbitrii, sed gratiæ Dei, & operationi Spiritus sancti: nec in illis præparationibus constituerent meritum aut dignitatem, propter quam justificemur: facilè posset de vocabulo præparationis dextrè, juxta Scripturam intellecto, conveniri.

Nam & Lutherus ab illo non abhorruit, inquit enim in 3. caput ad Galatas: Legem in vero suo officio esse ministrã & præparatricem ad gratiam: quia ad hoc profit, ut gratia possit aditum ad nos habere. Imò dicit, legẽ in suo officio prodesse ad justificationem: non quod justificet, sed quia urgeat ad promissionem gratiæ, & faciat eam dulcem & desiderabilem, &c. Falsum igitur est, quod in 9. Canone nobis tribuunt, quasi doceamus, nullum planè motum voluntatis divinitus donatum & excitatum, præcedere acceptionem justificationis. Omnino enim docemus pœnitentiam seu contritionem præcedere: quæ sanè non potest existere sine magnis, veris & seriis voluntatis motibus. Non autem dicimus, pœnitentiam seu contritionem præcedere tanquam meritum, quod sua dignitate cooperetur ad consequendam justificationem, sed sicut sensus morbi aut dolor vulneris, non est meritum sanationis, sed urget & impellit ad desiderãdum, quærendum & suscipiendum medicum. Sanis enim non opus est medico, sicut Christus inquit, sed malè habentibus.

Contritionẽ est meritum.

Longè verò aliud est, de quo insidiosè dimicant Tridentini patres, quando de præparatione ad justificationem disputant. Et ne opus sit conjecturis agere, Osius in prolixa sua confessione, disertè illud explicat, dicit enim: Scholasticos meritum congrui inde extruxisse, quòd apud veteres quosdam alicubi legatur: Peccatores, bonis operibus ante justificationem factis, mereri remissionem peccatorum, & ipsam justificationem. Quia verò contra meritum illud congrui & ex Scriptura, & ex Patribus, præsertim verò ex Augustino, multa verè possunt opponi, dicit igitur Osius, Synodum Tridentinam maluisse appellare præparationes, vel dispositiones ad gratiam, quàm meritum congrui. Et hoc lector diligenter notet, concilium scilicet Tridentinum idem intelligere vocabulo præparationis vel dispositionis, quod Scholastici intelligunt, quando de merito congrui disputant. Nam & in illis ipsis Scholasticorum disputationibus de merito congrui, ubiq; resonant vocabula præparationis & dispositionis. Vt igitur rectius examinari possint illa, quæ Tridenti de præparatione ad justificationem decreta sunt: paucis repetenda sunt, quæ Scholastici disputant de Præparationibus seu dispositionibus ad gratiam, & de merito congrui.

Pantheologia ex sentẽtia Thomæ ita disputat: Oporter esse aliquam præparationẽ, ad receptionem gratiæ, gratũ facientis. Et ratio est: Nulla enim forma recipitur in materia, sine debita ejus dispositione, sicut ignis non recipitur in ligno, nisi ficco & arido: nec scientia in homine recipitur, nisi à volente: & sicut in creatione animæ rationalis, quæ immediatè à Deo producitur, natura disponit materiam ad animæ rationalis receptionem. Ad illam verò præparationem, dicit non requiri donum aliquod Spiritus sancti habituale, sed tantùm auxilium divinum, movens & excitans liberum arbitrium: quod ita motum ex suis naturalib. viribus sufficiat ad eliciendum actum conversionis, faciendo quod in se est, ut ita per proprium actum se præparet & disponat ad habendã gratiam. Efficaciam verò illius præparationis ad meritum, dicunt inde esse, quia vires liberi arbitrii per gratiam gratis datam moveantur & excitentur. Vnus igitur & idem est motus, inquit Thomas, quo liberum arbitrium disponitur, & quo gratia justificationis infunditur, sicut in generatione naturali in eodẽ instanti ultima dispositio in materia alterationem terminat, & forma substantialis inducitur, ita cum motu voluntatis, qui ad gratiã disponit, faciendo quod in se est, simul infunditur gratia justificationis. Gabriel in 3. sententiarum dist. 27. ita disputat. Cuilibet facienti quod in se est, & per hoc sufficienter dispositio ad susceptionẽ gratiæ, Deus infundit gratiam. Sed perfectissimus modus faciendi, quod in se est, est diligere Deum super omnia, quod affirmat, humanã voluntatem ex suis naturalibus posse. Hunc igitur actum dicit esse immediatam & ultimam dispositionem ad gratiæ infusionem, & illa dispositione existente in eodem instanti, infundi gratiam, quia in naturalibus subjecto dispositio vltima dispositione ad formam, forma immediatè infunditur.

Gabriel.

In 4.

Duplex dispositio ad gratiam.

In 4. sent. dist. 14. quæst. 1. dicit duplicem esse dispositionem ad gratiã, scilicet præviam, quę non est sufficiens, ut sunt primi actus considerationis peccati & offensæ Dei, qui disponunt ad eliciendum ex naturalibus actum seu motum diligendi Deum super omnia. Concomitantem dispositionem vocat, cũ qua simul est infusio gratiæ seu charitatis. Quando enim ex naturalibus elicitur actus dilectionis Dei super omnia, illa est immediata sufficiens & ultima dispositio aptans ad gratię susceptionem, & ea existente, statim infunditur gratia, & ita actus ille meritorius est, sicut in physicis ultima dispositio necessitas ad formam. Quæstione secunda dicit, Sicut forma non inducitur in subjectum indispositum, & habens contrariũ formæ inducendæ, ita necesse est subjectum præparari ad infusionem gratiæ, quæ sit formalis nostra justitia coram Deo, hoc est, sicut Andradius meus explicat, est habitus animi divina lege conformatus ad parendum divinæ legi atque voluntati, virtutumq; omnium officia obeunda inducens.

Et Gabriel dicit, hac gratia infusa, hoc est, habitu illo hominem dignum reddi gloria æternæ beatitudinis. Item per illam gratiam, hoc est, per habitum illum hominem acceptari ad vitam æternam, & per habitum tolli obligationem ad mortem æternam. Talis est Scholasticorum præparatio seu dispositio ad justificationem, tali etjam dispositioni respondens est ipsorum justificatio.

De Merito congrui ita loquuntur in compendio Theologiæ lib. 5. cap. 11. meritum in genere est boni operis efficacia ad obtinendum id, quod non habetur, vel ad habendum justius quod habetur. Meritum congrui est, per quod disponitur subjectum, ut possit recipere gratiam, secundum rationem divinæ justitiæ, injuria enim fieret divinæ justitię, si daretur gratia, in quibus esset obex, hoc est, prorsus indignis.

Thomas inquit: Meritum congrui est, quod procedit ex libero arbitrio. Congruum enim est, ut dum homo virtute liberi arbitrii bene utitur Deus secundum excellentiam misericordiæ suæ excellentis operetur. Et hoc merito congrui potest aliquis primam gratiam promereri. Cujus rationem Gabriel hanc assignat: Quia actum facientis, quod in se est, Deus acceptat ad infundendam gratiam, non ex debito justitiæ, sed ex sua liberalitate. Huic liberi arbitrii operationi Thomas adjungit generalem influentiam Dei.

Compendium Theologię dicit gratiam gratis datam semper præsto esse, excitare & commovere liberum arbitrium, quod ita motum, quando naturalibus suis viribus utitur, tunc facit, quod in se est, & tunc Deũ infallibiliter infundere gratiam, hoc est, charitatem, qua accepti reddamur Deo, & postea ejus operibus vitam æternam ex condigno promereamur.

Has Scholasticorum descriptiones, de præparationibus seu disputationibus ad gratiam & de merito congrui adhibeat lector ad Decretum Concilii Tridentini de præparatione ad justificationem, & agnoscet qualia monstra decretum illud alat. Et ut eò minus sit dubitationis, interpres Concilii Andradius prolixè explicat in hanc sententiam intelligenda esse, quæ de præparatione ad justificationem traduntur.

Facilis igitur & plana jam erit examinatio 6. & 5. capitulorum de præparatione ad justificationem. Et observet lector insidias, verba enim cum aliqua mentione gratiæ divinæ, ita sunt posita, ut suspicari aliquis possit, Tridentinos patres nihil velle commune habere cum Scholasticorum opinionibus, de dispositione ad gratiam per opera non renatorum ex naturalibus liberi arbitrii viribus elicita. Num igitur rejiciunt & improbant illas opiniones? Nihil vero minus. Nam Canone 7. Anathema dicunt illis, qui negant infideles per sua opera se disponere ad gratiam. Et fugillant illam Lutheri sententiã, quòd infidelis, quando operibus extra gratiam naturalibus liberi arbitrii virib. factis confidit se disponi posse ad gratiam, dupliciter peccet. 1. quia omne quod nõ ex fide est, peccatum est. 2. peccatum graviùs efficitur, quando illis operib. affingitur opinio meriti & fiducia, quòd propter ea Deus daturus sit gratiam. Supra etjam ostendimus, quòd Andradius, Tridenti scribens, operibus infidelium, non tantùm ipsum meritũ congrui, sed longè & multum plus ultra tribuat. Sed inquis: Multam certè gratiæ divinæ mentionem faciunt Tridentini patres, cap. 5. & 6. Respondeo: Illud intelligendũ est juxta ea, quæ jam ex Scholasticis recitavimus, gratiã scilicet gratis datam excitare & commovere liberũ arbitrium, quòd ita motum ex naturali sua virtute possit elicere tales motus & actiones, quibus homo disponatur ad gratiam. Agnoscit igitur lector, quàm insidiosis technis usi sint architecti decretorum. Explicationes verò & refutationes Scholasticæ istius opinionis, suprà in locis de libero arbitrio & de operibus infidelium traditæ sunt. Pergamus igitur ad ea, quæ sequuntur, quod scilicet ratione præparationis fides intelligenda sit justificare. Canone enim 12. Anathemate damnant, si quis fidem justificantem intellexerit fiduciam divinæ misericordiæ, quærentem, apprehendentem & accipientem in promissione Evangelii remissionem peccatorum propter Christum mediatorem, & illa sola fiducia, nos coram Deo ad vitam æternam justificari. Et cap. 8. suam sententiam ita explicant, ut scilicet per fidem ideò justificari dicamur: quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis. Illud verò quomodo intelligi velint, copiosè declarant, cap. 6. de modo præparationis ad justitiam. Et quo res planior fit, Andradius addit suas interpretationes. Dicit enim, justificandi vim fidei, in sacris literis ideò tribui, quia animum ad accipiendam justitiam præparet, præmuniat & præfulciat. Et illud mox clarius explicat his verbis: Impius fide justificari dicitur, quia fides initium & fundamentum est justificationis hac ratione, quia fores quodammodo aperit ad spem & charitatem, quæ opera sunt ad comparandam & consequendam justitiam necessaria. Fides igitur in Concilio Tridentino est initium & præparatio ad justificationem, non quòd apprehendat justificationem, hoc est, remissionẽ peccatorum gratis propter Christum, in promissione Evangelii propositum, sed quia incitet li-

Lutherus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

berum arbitrium ad eliciendos tales motus seu actus, qui ratione meriti congrui, necessarii sunt ad consequendâ justitiam, quam dicunt esse novum voluntatis nostræ habitum. Et Scholastici sanè, non dissimulant ex quibus lacunis lutulentam istam opinionē hauserint. Sicut enim in philosophia actio virtutis nascitur ἐκπροαιρέσεως, hæc verò oritur ex scientia, eodem modo Thomas philosophatur, Justitia est habitus voluntatis: voluntas verò non fertur in incognitum sed movetur à potentia cognoscente. Ideò fidem sentit requiri ad justificationem tanquam quoddam dirigens voluntatem, ut eliciat motus spei & dilectionis, quibus ita præparetur & disponatur, ut de congruo mereatur infusionem justificationis, fidem igitur simpliciter intelligunt, historicam tantùm notitiam, & nudum assensum, quo in genere cognoscimus & statuimus vera esse, quæ de Deo & voluntate ejus revelata sunt, non tantùm in scriptura, verumetjam in illis, quæ titulo traditionum proponuntur. Quomodo verò Tridentini in 6. capit. sentiant historicam illam notitiam, & nudum illum assensum incitare liberum arbitrium ad onera illa, quæ statuunt necessaria esse ad consequendam justificationem, ex Gabrielis sententia exponam, quæ extat distinct. 14. libro 3. quæst. 2. Ita enim Lector rectius intelliget chymæram 6. capituli, de modo præparationis. Voluntas, inquit, in actibus suis præsupponit actus intellectus. 1. Oportet igitur actum fidei præcedere, quo apprehendatur peccati abominatio, & quod sit stipendium peccati. 2. Inde sequitur timor iræ Dei, & gehennæ incendii. 3. Inde peccata incipiunt displicere cum quadam detestatione. Et hæc est dispositio de congruo, non immediata, nec sufficiens, sed valdè remota. 4. Fides convertit se ad considerationem divinæ misericordiæ, & statuit Deum paratum remittere debita, per infusionem charitatis, illis qui sufficienter sunt præparati & dispositi. 5. Ex illa consideratione sequitur actus spei, per quem incipit Deum concupiscere, ut summum bonum. 6. Ex illo actu spei ascenditur ad diligendum Deum super omnia, ex naturalibus. 7. Ex illa dilectione elicitur alia displicentia & detestatio peccati, non ob timorem damnationis, sed propter Deum finaliter super omnia dilectum. 8. Istos actus sequitur propositum emendationis. Et hoc tandem est meritum congrui sufficiens, seu immediata, sufficiens & ultima dispositio ad infusionem gratiæ. Hos gradus præparationis seu dispositionis, eodem planè ordine & verbis non multum mutatis lector videt recenseri in sexto capitulo, de modo præparationis. Audi verò, quid præparationibus illis tribuatur. Thomas vocat dispositionem aut præparationem necessitatis, quando ad ultimam dispositionem materiæ necessariò sequitur & adest formæ introductio. Ita Gabriel inquit: Quando adest sufficiens & ultima hæc dispositio, in qua gratia commovet & incitat liberum arbitrium, quod deinde ex sua virtute elicit, & producit tales actus præparatorios, tunc demum necessitati ad infusionem gratiæ: quia statuerit, facienti quod in se est, infallibiliter dare gratiam. Andradius hocita explicat, illis imperfectis motibus spei & charitatis animum ita præparari, ne justitia fit prorsus indignus. Colonienses Iesuitæ præparationes illas ita declarant, quòd Deus talem fidem cum cæteris actib. in homine inventam, dignam ducat cui conferat justificationem. Habemus igitur tandem, quid concilium illis suis præparationibus quærat, ut scilicet stabiliatur meritum aliquod nostrum, & dignitas aliqua nostra, quæ necessaria sit ad consequendam justificationem. Dicunt enim justificationem nostrā ita inniti misericordiæ Dei, ut tamen salua sit justitia divina, ut scilicet conferatur, sine nostro aliquo merito, & sine nostra aliqua dignitate.

Vana huius opinionis.

Gradus præparationis seu dispositionis.

Scriptura verò docet, quicquid divina justitia ad justificationem, hoc est, reconciliationem peccatoris requirit, totum à Christo pro nobis impletum esse, ut quo ad nos mera sit misericordia, gratis nos justificans sine nostris operibus, tantùm ut in vera pœnitentia, miseriam nostram agnoscentes, gratuitum illud beneficium fide gratis accipiamus, non per modum meriti aut dignitatis.

Attentè igitur consideret lector, quid illa verba sibi velint, quæ posita sunt in 7. capitulo. Homo Christo inseritur per fidem, spem & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas, neq; unit perfectè cum Christo, neq; corporis ejus vivum membrum efficit. Illud verò mox clarius explicant. Dicunt enim: Catechumenis fidem vitam æternam præstantem petentibus responderi: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Omnino alludunt ad disputationes de fide informi, & de fide formata, licet à vocabulis certo consilio sibi temperent. Fidem enim justificantem nolunt intelligi fiduciam apprehendentem in promissione Evangelii, Christum mediatorem, cum toto ipsius merito: sed historicam tantùm notitiam & nudum assensum intelligunt, quando fidem nominant. Et quia talis fides, quæ aliquando in impiis, imò in ipsis etjam diabolis invenitur Iaco. 2. non potest justificare: cogitant igitur fidei adjungendum esse aliquid, quod majoris sit ponderis & meriti, charitatem scilicet, cujus dignitate homo accepretur ad vitam æternam. Ut autem ratio examinis eò certior sit, addam Andradii interpretationem. Is igitur dicit: Opera spei & charitatis necessaria sunt, ad comparandam justitiam. Et rationem addit: Quia illis operibus Christum perfectè apprehendimus. Contendit etjam ad justificationem necessarium esse, ut Christus apprehendatur. Sed illum asserit, non sola fide, sed fide, spe & charitate simul apprehendi. Illud verò his verbis declarat: Plurimorum justificationem epistola ad Hebræos fidei tribuit, non ob Christum solo intellectu, qui fidei sedes est apprehensum: sed quia fides, ad spei & charitatis egregia opera præclaros illos viros incitabat. Ita Noe fide justificatus dicitur, quia fides amore Dei ipsum inflammavit. Quomodo verò Christus apprehendatur operibus spei & charitatis, Andradius ita explicat, quia scilicet illis operibus animus cumulatè ad justitiam præparatur, ne scilicet sit prorsus indignus, cui Christus se & merita sua communicet. Et dicit quidem in illis operibus non constituendam vim

Fides [illegible] cans [illegible] Papistæ

vim meriti, sed intelligit meritum cōdigni: præparationem verò intelligit, in eodem planè sensu, ficut Scholastici de disputationibus & de merito congrui disputant, sicut suprà hæc sunt explicata.

Et ipse Andradius, ut est apertus, sine dissimulatione se declarat. Disputans enim utrum fidei vel charitati vel pœnitentiæ quæ ex fide oritur, primæ partes in hac præparatione deferendæ sint, tali utitur syllogismo: Ea ad quippiam efficiendum potissimū valent, quæ ad illud augendum plus virium habent. Cùm igitur justitiam augere nullæ res magis quàm charitatis officia possint: colligitur sanè necessariò, ea in animo ad justitiam prę parando, principem locum obtinere. Videt Lector, quod in conclusione dicere debuerat. (Ergo actiones charitatis, quæ justificationem prætendunt, ad eam efficiendam potissimum valent.) illud vocat præparationē. Quid igitur intelligat, hinc manifestum est.

Tridentina decreta quid sibi velint.

Hæc accuratius & prolixius aliquantò examinanda fuerunt, ut clarè intelligi possit, ex quibꝰ fontibus illa sint hausta, quid monstri alant, & quò tendant, quæ in Concilio Tridentino, de justificatione decreta sunt. Simpliciter enim nihil aliud sunt, quàm repetitiones & confirmationes illarum opinionum, quas Scholast. ei scriptores ex Philosophia & Theologia malè & infeliciter diluras in Ecclesiam invexerunt: nisi quòd mutatis aliquantulū terminis scholasticorum quæsita nunc sunt vocabula quædam ex Scriptura, quæ ad præsumptas illas, ex philosophia opiniones, intorquerentur, ne fraus statim appareret. In disputatione enim, de præparatione ad justificationem, ex professo, sicut ostendimus, repetunt & confirmant, opiniones de merito congrui: In capitulo de justificatione stabilitūt Scholasticorum disputationes, de gratia gratum facente, hoc est, de qualitate seu habitu charitatis, qua fingunt hominem Deo acceptum reddi & dignum vita æterna. Vbi verò de incremento acceptæ justificationis loquuntur, nihil aliud agunt, quàm ut meritum condigni restituant, hoc est, Vt renati suis operibus de condigno sibi mereantur vitam æternam. Atque ita tota lerna & colluvies Theologiæ Scholasticæ mutatis tantùm vocabulis Ecclesiæ per concilium rursus obtruditur. Quàm insidioso autem artificio meritum congrui sub disputatione, de præparatione ad justificationem occultarint, aliquantò pluribus ostendendum fuit. Verum enim est, ordiendum esse à notitia & assensu verbi Dei. Verū est, oportere præcedere aliquam contritionem. Verum etjam est, quod Ambrosius dicit: Neminem rectè posse pœnitentiam agere, nisi qui speraverit indulgentiam: verūm etjam fidem non esse mortuam vel ociosam, sed efficacem per charitatem, nullum est dubium. Quid igitur inquis, vitii habet Decretum illud? Respondeo: fidem intelligi volunt. 1. historicam notitiam & nudum assensum, ita ut negent esse fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum. 2. Fingunt gratiam divinam tantùm movere & excitare liberum arbitrium, quod deinde ex naturalibus suis viribus possit illa præparatoria inchoare & præstare. 3. In illis præparationibus constituunt aliquod meritum & aliquam dignitatem, cujus intuitu justificemur. Fidem enim dicunt debere statuere, quando homo facit quod in se est, tunc Deum necessitari ad infundendam gratiam. 4. Quod proprium est fidei apprehendere scilicet Christum ad justitiam & salutem, illud tribuunt nostræ charitati. Et ordinem in Scriptura monstratū simpliciter invertunt. Fingunt enim dilectionem Dei in nobis debere præcedere reconciliationem cum Deo cùm impossibile sit inchoari veram dilectionē Dei nisi prius audita & fide apprehensa, voce Evangelii de reconciliatione per misericordiam Dei propter filium mediatorem. Hæc certè, ut de Scriptura jam non dicam, cum Augustino non conveniūt, qui hanc perpetuò regulam inculcat: Bona opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum.

Hoc sit simplex examen decreti Tridentini de præparatione ad justitiam, & quo sensu intelligi velint, quando Paulus dicit impium fide justificari. Refutationem verò & explicationem in sequenti capite tractabimus. Quædam verò pertinent ad locum de pœnitentia.

QVID VERE ET PROPRIE SIT FIDES *justificans, quo & sensu Scriptura velit intelligi, quando pronunciat impium fide justificari.*

Omninò necessaria est vera & genuina explicatio, quid sit fides justificans, & quo sensu intelligēdum sit, quando Scriptura tradit hominem justificari per fidem. Est enim fides instrumentum seu ὄργανον illud, per quod in voce Evangelii misericordiam Dei remittentis peccata, & acceptantis nos propter filium mediatorem ad vitam æternam, quærimus, apprehendimus, recipimus, & nobis applicamus. Et hinc fit, quòd diabolus tam hostiliter infensus est doctrinæ de fide. Quia enim decretum Dei de redemptione generis humani non potuit impedire: omne igitur suum artificium eò confert, ut organon applicationis vel eripiat, vel labefactet, vel depravet. Novit enim id quod Hebræ. 4. scriptum est: Verbum Dei auditum non prodesse illis auditoribus, quorum fidei non est admixtum. Quia qui non crediderit, condemnabitur.

Fides est organū quo salus accipitur à Deo.

Diabolus est hostis doctrina de fide.

Brevitatis autem & ordinis gratia in quæstiones aliquot explicationem distribuam. Et prima quæstio erit de objecto, circa quod fides justificans propriè & principaliter versatur. Habet enim fides, in Scriptura sive in verbo Dei, suum proprium, peculiare & certum objectum, quod ita respicit & intuetur, ut in eo quærat, apprehendat, accipiat, & sibi applicet illud, cujus respectu, merito & dignitate, credens coram Deo justificetur, hoc est, accipiat remissionem peccatorum, reconcilietur Deo, accipiat adoptionem & acceptetur ad vitam æternam. Sicut enim fides est organon, quo nos apprehendimus & accipimus gratuitam misericordiam Dei remittentis peccata, adoptantis nos & acceptantis ad vitā æternam: ita Deus certum constituit organon seu instrumentum, per quod offert, distribuit, cōmunicat, & applicat credentibus reconciliationem, remissionem peccatorum, & vitam æternam. Et

Objectum fidei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut meritum Christi non potest apprehendi ad justitiam & salutem, nisi per organon fidei divinitus ad hoc ordinatum: ita si fides alibi, quàm in suo proprio & principali objecto, quærat justificationem, non invenit, neq; accipit illã. Vtrunque igitur ex firmis & perspicuis Scripturæ testimoniis certò constituendum est, non enim sine periculo & pernicie salutis & justitiæ in altero horum erratur: & ideo hæc fundamenta subruit diabolus, quando doctrinam justificationis conatur labefactare & evertere. Ne autem explicatio illa sophisticis confusionibus turbetur; per divisionem sejungenda sunt illa quæ à ratione fidei justificantis diversa sunt.

Diaboli artificium.

Est enim fides miraculorum, 1. Corinth. 12. sed multi tales audient in illa die, Non novi vos, discedite à me. Est fides mortua, Iacobi 2. hypocritica seu ficta. 1. Timoth. 1. Et mortuam fidem non justificare extra controversiam est, ut est historica tantùm notitia, externa tantùm professio fidei, Epicuræa persuasio de impunitate omnium scelerum, &c. Hæc igitur à fide justificante, quæ vera & viva est, sejungenda sunt. Pontificii enim confusione illorum veram explicationem turbant, obscurant & depravant. Est autem fides quædam generalis, quæ complectitur in genere historicam notitiam eorum, quæ in Scriptura à Deo proposita sunt: & generalem assensionem, qua statuimus ea, quæ in verbo Dei nobis revelata sunt, vera esse, non propter argumenta rationis: sed quia certi sumus à Deo, qui verax & omnipotens est, illa tradita & proposita esse. Et hæc quidem generalis fides, quia etiam in impiis esse potest, per se non justificat. fides tamen justificans, generalem illam fidem præsupponit & includit. Quando enim generale illud fundamentum, statuens vera & certa esse, quæcunq; divinitus in verbo Dei patefacta sunt, non adfuerit, vel vacillaverit, nec concipi potest, nec in lucta retineri, fiducia promissionis divinæ misericordia remittentis peccata propter Christum.

Articulus etiam redemptionis, justificationis seu reconciliationis, non potest rectè intelligi, nisi precedente notitia reliquarum partium verbi Dei. Quando igitur dicimus proprium & principale objectum fidei justificantis esse promissionem gratuitæ misericordiæ Dei propter Christum mediatorem, non subtrahimus fidem reliquis articulis seu partibus verbi Dei. Sed sicut summa, finis & scopus totius Scripturę est Christus mediator, Lucæ 24. Ioan. 5. Rom. 10. Hebr. 10. Ita fides, quando universo verbo Dei assentitur, respicit ad scopum & finem Scripturę, Christum scilicet in officio mediatoris, sicut Augustinus fidem Christianam à fide dæmonum discernit per ultimos articulos: Credo remissionem peccatorum, corporis redemptionem & vitam æternam.

Propter hanc causam, & in hanc sententiam, nostri in definitione fidei justificantis addunt hanc particulam. Fides est assentiri universo verbo Dei nobis proposito, & in hoc promissioni gratuitæ reconciliationis donatæ propter Christum mediatorem. Neque enim probamus Appellis Marcionitæ opinionem, qui apud Eusebium disputat, non nocere si quis reliquis partibus verbi divini, quæ ad fundamentum pertinent, vel prorsus non credat, vel pravè credat, modò in Christum crucifixum credat.

Hoc igitur modo fides justificans, præsupponit & includit fidem illam generalem. Quæstio autem est, quod sit proprium & principale objectum, quòd fides justificans in universo verbo Dei ita intuetur, ut in eo quærat, apprehendat, & accipiat reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, adoptionem, & vitam æternam. Et ex enumeratione principalium partium verbi Dei, explicatio hujus quæstionis non est obscura.

Fidei iustificantis proprium obiectum.

Primo enim in historia de annis Mathusalem, de ædificatione turris Babel, & similibus historiis, fides directè, nec quærit nec invenit remissionem peccatorum: imò nec historia τὸ ἐξημερον creationis docet, quomodo à peccato, ira Dei, & à morte æterna liberemur. Et ubi illa non traduntur vel offeruntur, ibi fides non debet ea quærere, nec si quæsierit, poterit ea ibi invenire.

Secundò, in illa parte verbi Dei, quæ arguit peccata, & comminatur pœnas temporales & æternas, fides non potest quærere & invenire reconciliationem & remissionem peccatorum. Fides enim in verbo, non debet aliud quærere, nec potest aliud invenire & accipere, quàm quod verbum monstrat, docet & offert. Quomodo igitur ibi quæreret & inveniret reconciliationem & remissionem peccatorum, ubi verbũ iram & maledictionem Dei denunciat.

Tertiò, quia illa pars verbi divini, quæ præcipit obedientiam, & præscribit opera, habet promissiones justitiæ, benedictionis & vitæ, Rom. 2. Deut. 30. Lucæ 10. Videtur in illo objecto fidem debere quærere justificationem: proponit enim promissiones vitæ. Sed Paulus hanc quęstionem ex professo explicat. Dicit enim legem promittere vitam non credentibus, sed facientibus, Ro. 4. & 10. Galat. 3. Ita ut peccator sentiens peccata sua, & iram Dei, non possit in legãlibus promissionibus humili & supplice fide, invenire remissionõ peccatorum, reconciliationẽ, & vitam æternam. Illæ enim promissiones non gratis ex gratia seu misericordia credentibus talia offerunt: sed exigunt, ut afferamus opera satisfacientia legi. Qui fecerit hæc vivet in eis, Roman. 10. Gal. 3. Et Roman. 4. Operanti merces imputatur, non secundum gratiam, sed secundum debitum. Fides autem secundum gratiam, sine operibus, quærit & accipit promissionem hæreditatis, ideò Galat. 3. Paulus dicit, Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea vivet in eis. Et quia promissionibus legis annexa est conditio perfectæ impletionis: ideo fides, nec potest nec debet statuere, quòd propter opera nostra, quę propter carnẽ imperfecta sunt in promissionibus legis invenire possimus justitiam, benedictionem & vitam: quia maledictus qui non in omnibus permanserit. Et qui in uno offenderit, reus est omnium. Sine lege igitur revelata est justitia Dei, per fidem Iesu Christi, super omnes qui credunt. Roma. 3. Item excluſa est gloriatio, non per legem factorum, sed per legem fidei. Et Rom. 4. Si ex lege hæreditas, exinanita est fides & abolita promissio. Suprà autem in loco justificationis ostendimus, Paulum, quando de operibus legis disputat, non tantum de operibus liberi arbitri loqui: sed de operibus Abrahæ & Davidis, hoc est, renatorum. Verum igitur & proprium objectũ fidei justificantis, in quo quærere debeat reconciliationem & remissionem peccatorum, non est doctrina de bonis operibus & de remuneratione bonorum operum. Paulus enim justis disputationibus hoc negat in Epistola ad Romanos & Galatas.

Promissiones legis quales.

Firma autem & perspicua sunt Scripturæ testimonia, quę docent & affirmãt promissionem, quæ est Evangelii propria de gratuita misericordia Dei propter filium mediatorem remittentis peccata, adoptantis & acceptantis credentes ad vitam æternam, esse verum, proprium & principale objectum fidei justificantis, in quo quærat, apprehendat & accipiat justificationem, hoc est, reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum. Roman. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius. Roman. 4. Non operanti, credenti autem in eum qui justificat impium, imputatur fides ejus ad justitiam, sicut & David inquit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. Item: Ideo non ex lege, sed ex fide & secundũ gratiam, ut firma sit promissio. Item scriptum est propter nos, quibus imputabitur ad justitiam, credentibus in eum, qui suscitavit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justitiam nostram, Roma. 10. ex professo describens fidei justitiam, objectum ejus constituit mortem & resurrectionem Christi, quod verbo vocat. Evangelio evangelisans pacem. Actor. 10. Christo, qui mortuus & resuscitatus est, omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomẽ ejus, omnes qui credunt in eum. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundũ, ut filium suum unigenitum daret. Item: ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sed non est opus omnia loca adscribere. Hæc enim quæ annotavimus ostendunt, pertinere huc omnes Scripturæ sententias.

Obiectum fidei iustificantis proprium.

1. Quæ loquuntur de gratuita misericordia, dilectione, gratia, benignitate, beneplacito, &c. Dei patris mittentis filium, eligentis, vocantis, reconciliantis, adoptantis, acceptantis ad vitam æternam credentes, &c.

2. Quæ sententiæ loquuntur de officio mediatoris, incarnatione, cruce, passione, resurrectione, ascensione, sessione ad dexteram.

3. Quòd Spiritus sanctus illa beneficia proponat, offerat, distribuat, applicet, obsignet fide per verbum Evangelii, & per Sacramenta à filio Dei ad hoc instituta. 4. Pertinent huc etiam plurimæ Scripturæ sententiæ, quòd ex misericordia DEI propter Christum mediatorem, fide accipiamus & habeamus gratuitam reconciliationem, remissionem peccatorum, imputationem justitię, acceptationem coram Deo ad vitam æternam, adoptionem, liberationem à lege peccati & mortis, liberationem ab execratione legis, propitiationem pro peccatis, pacem, gaudium, spem gloriæ Dei, hæreditatem salutis & vitæ æternæ, &c.

Scripturæ loca ad obiectũ fidei iustificantis pertinentia.

Hæc de vero, proprio & principali objecto fidei justificantis, in quo justificationem quærere debeat & accipere possit, firma & perspicua habent in Scriptura testimonia.

Et valdè multum interest ad conservationem puritatis doctrinæ de justificatione, tenere verum & proprium illud objectum fidei justificantis. Observet autem Lector, quòd Tridentini Patres, cùm de causa instrumentali disputant, per quam Deus proponat, offerat, distribuat, communicet & applicet credentibus beneficia justificationis: nominant tantùm Sacramentum Baptismi, nulla facta mentione verbi seu promissionis, quæ Evangelii propria est, cùm Scriptura, verbum & Sacramenta in hoc officio conjungat. Pronunciat enim Evangelium esse ministerium Spiritus & vitæ, 2. Corinth. 3. Est enim potentia Dei ad salutem omni credenti, Romanorum 1. Et 2. Corint. 5. Paulus dicit, quòd Deus qui mundum sibi reconciliat non imputans peccata ipsorum, dederit Apostolis ministerium reconciliationis. Item quòd verbum reconciliationis in ipsis posuerit, & Sacramenta nihil aliud sunt, quàm sicut Augustinus eleganter dixit, visibile verbum. Neq; enim baptismus est separatum ali quod opus operatum, præter & extra promissionem Evangelii, sed est sigillum justitiæ fidei. Et Ephes. quinto. Paulus conjungit Baptismum & verbum. Dicit enim: Mundans Ecclesiam lavacro aquę in verbo, Neque etiam semel tantùm in hac vita, quando scilicet baptizamur, Deus nobis offert, communicat & applicat beneficium justificationis. Non igitur caret artificio Romanensi, quòd solùm Sacramentum Baptismi, non facta mentione verbi aut promissionis Evangelii, causam instrumentalem constituunt justificationis, sed in loco de Sacramentis plenior forsan erit de his dicendi occasio.

Beneficium hoc semper durat.

In sexto capitulo observet Lector, quòd ipsa vis veritatis extorqueat ipsis hęc verba, quòd dicunt, Fidem credere vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud in primis, à DEO justificari impium per gratiam ejus. Sed cùm hæc verba sonent, rem ipsam interim non obscurè depravant. Fingunt enim fidem debere statuere, quando habemus gratiam, hoc est habitum charitatis, quòd propter illã simus Deo accepti & digni vita æterna. Atque ita fidei justificanti, verbis quidem concedunt, re ipsa verò suffurantur & eripiunt verum & proprium ejus objectum, quod scilicet in gratuita misericordia Dei, peccata remittentis propter Christum mediatorem quærere debeat justificationem. Et objectum illud transferunt in dignitatem qualitatum hærentium in nobis. Manifestum igitur est, quàm sit utile & necessarium, ex firmis & perspicuis Scripturæ testimoniis constituere & confirmare, quod sit verum, proprium & principale objectum fidei justificantis. Variis enim sophismatis insidiæ struuntur veritati in hac disputatione.

Papistarum confessio de fide.

Res autẽ ex Scripturæ testimoniis sicut ostendimus plana est, nisi quòd illa obiectio, non admonitum turbare posset, quòd Heb. 11. per totum caput describuntur varia obiecta fidei. Vt articulus creationis, diluvium, occultatio Mosis, transi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

transitus maris rubri, casus murorum Iericho, calamitates sanctorum, prælia Iudicum, Regum Iuda, &c. Et in Evangelica historia, vbi fides multum commendatur, plerunq; describuntur objecta externa.

Hac objectione Pontificii utuntur, ut contrà manifestas Scripturæ testimonia aliqua specie disputare possint. Promissionem gratuitæ misericordiæ propter Christum mediatorem, non esse proprium & principale objectum fidei justificantis. Illud verò ideo disputant, ut probent fidem vim & virtutem justificandi non habere ex suo objecto, quod apprehendit, sed eam à charitate mutuari. Neq; enim fides ideo justificat, quia intellectu apprehendit casum murorū Iericho: aliā igitur præstantiorem virtutem, charitatem scilicet, docent adjungendam esse fidei, cujus dignitate formetur: & ita justificet. Sed simplex, & vera est hujus objectionis explicatio. Non negamus, varia esse fidei objecta, imò fidem in genere versari circa omnia illa, quæ divinitus in verbo Dei revelata sunt. Sed jam est quæstio, quodnam illud sit objectum, in quod fides justificans propriè & principaliter intuetur, quando vult quærere, invenire, apprehendere & accipere remissionem peccatorum, reconciliationem, adoptionem, &c. Fide transierunt mare rubrum, Heb. 11. Sed non in omnibus illis beneplacitum fuit Domino, 1. Corint. 10. Ita in decem leprosis fides apprehendit objectum externæ sanationis, sed vni tantùm Christus dicit, Fides tua te salvum fecit.

Aliter igitur Scriptura loquitur de objecto fidei in genere: aliter verò constituit illud objectū, cujus respectu & apprehensione, fides coram Deo justificat ad vitam æternam, sicut suprà ostendimus. Alia deinde est quæstio de exercitiis fidei in cruce, in obedientia, in petitione, & expectatione rerum corporalium & spiritualiū, postquam persona jam fide reconciliata est.

Locus Heb. 11. Et de hac quæstione disputat Epistola ad Hebræos, quomodo scilicet fides post acceptam justificationem, per patiētiam se exerceat, sicut status totius sequentis disputationis ponitur in fine capitis 10. Et in illis exercitiis, quando fides versatur circa alia externa objecta, ut firma & stabilis sit, expectatio, patientia, & obediētia, oportet tanquam fundamentum præsupponi & prælucere proprium & principale illud objectum, gratuitæ scilicet misericordiæ Dei, promissę propter Christum mediatorem. In cruce enim & inter scandala, quādo præstanda est patientia, obedientia & expectatio auxilii divini circa alia objecta, conscientia in primis, & ante omnia angitur de hac quæstione: An Deus mihi sit placatus, reconciliatus, & propitius. Et nisi fides justificans ex proprio & principali suo objecto, prius de hac quæstione statuat, non potest esse verum, firmum, & stabile exercitium fidei circa alia objecta. Quotquot enim sunt promissiones Dei, sunt ναὶ καὶ ἀμήν in Christo Iesu ad gloriam Deo per nos, 2. Corin. 1. Hoc est, promissiones de reliquis objectis. tunc demum nobis sunt ratę, ita ut earum impletionē certa fiducia expectare possimus, quando fide in Christū, cum Deo reconciliati sumus. Et ita sunt nobis ratæ, si earum impletio ad Dei gloriam, per nos illustrandam faciat. Particula enim ναὶ significat asseverationem certitudinis promissionū, ἀμὴν refertur ad expectationem ex certa fiducia eorū quæ promissa sunt.

Firmum igitur & fixum manet proprium & principale objectum fidei justificantis, cujus respectu & apprehensione justificat, esse gratuitam promissionē misericordiæ Dei remittentis peccata, adoptantis & acceptantis credentes ad vitam æternam, propter Christum mediatorem.

Et hæc est prima quæstio, de objecto fidei justificantis.

Altera quæstio est, quomodo & qua ratione fides justificans circa illud suum objectum versetur ut justificet, scilicet non frigida cogitatione, non generali & superficiali assensione: sed ita ut agnoscat, intueatur, experat, quærat, apprehendat, accipiat, complectatur, & singulis credentibus applicet in promissione Christū cum omnibus suis meritis, & in Christo misericordiam Dei remittentis peccata. Omnino enim accipere oportet Christum & promissionem gratuitæ misericordiæ propter Christum illos, qui volunt justificari, qui enim non accipiunt, non justificantur, juxta dictum Ioann. 1. Sui enim non receperunt: quotquot autem acceperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri.

Duob. vocabulis utitur παρέλαβον & ἔλαβον, Et notum est, quod in communi lingva Græca verbum παραλαμβάνειν, Demosthene explicante significet id quod ab alio offertur & traditur ad se recipere. Hanc verò proprietatem & hoc officium, in promissione scilicet Evangelii apprehendere & accipere Christum, & in Christo misericordiam Dei ad justitiam & salutem, Scriptura non operibus, non charitati, non aliis virtutibus, sed soli fidei tribuit.

Ioannis primo. Cùm dixisset, Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri: mox addit explicationem, qui sint qui Christum recipiant, & quomodo accipiatur. Qui scilicet credunt in nomen ejus. Et mox subjungit: Ex plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia.

Ioannis decimoseptimo. Verba tua dedi eis, & ipsi acceperunt & agnoverunt, & crediderunt.

Roman. 9. Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiā, justitiam inquam quæ ex fide est, Israel verò sectans legem justitiæ, ad legem iustitiæ non pervenit. Quare hoc? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Vtrumque disertè ponit. Non operibus, sed fide apprehendi iustitiam Evangelii in Christo. Et quid vocabulo Fidei intelligat, mox sequitur. Omnis qui credit in illum, qui positus est in Zion lapis angularis, non confundetur.

Romanorum 5. Propositionem, Fide iustificati pacem habemus, ita explicat: Accipimus reconciliationem, item accipientes abundantiam gratiæ & donationis iustitiæ, regnabunt in vita per Christum.

Galat. 3. Vt benedictio Abrahæ contingeret gentibus in Christo, ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Item: Scriptura conclusit omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Christi detur credentibus.

Col. 2.

Col. 2. Accepistis Iesum Christum Dominum nostrum, radicati & superædificati in ipso, & confirmati in fide. Et in historia Evangelica multis exemplis ostenditur, fidei proprium esse, ut sit organon accipiens beneficia Christi: ut Matth. 9. cęcis clamantibus, Miserere nostri Fili David, Iesus dicit: Creditis me hoc posse facere. Et cùm respondissent, Credimus: tunc tangens oculos illorum, dicit: Iuxta fidem vestram fiat vobis, ita Matth. 13. & Marc. 6. In patria Nazareth non potuit ullam virtutem edere, propter incredulitatem illorum, & Marci 9. cùm pater Lunatici clamaret, Si quid potes, subveni nobis misertus nostri. Respondet Christus, Illud, si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

Ita Ioan. 6. Nisi credideritis, non habebitis vitam in vobis. Ioan. 3. Exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Actorum 10. dicit Petrus: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum. Roma. 3: Paulus dicit: Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum. Item: Vnus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. Roman. 10. Christus est finis legis, ad justitiā omni credenti. Nec verò opus est plura testimonia coacervare: natura enim gratuitæ promissionis Evangelii, requirit ut fide accipiatur, id quod etjam Gropperus in Colonienfi institutione fateri cogitur. Illa igitur potissimū testimonia nunc annotare volui, quæ expresè fidei hoc tribuunt, quòd accipiat Christum, gratiam, justitiam, reconciliationem, remissionem peccatorum, &c.

Tertia quæstio est: Quomodo, & qua ratione fides in promissione accipiat Christum, misericordiam Dei, reconciliationem, remissionem peccatorum, &c. Andradius meus, concilii sententiam explicans dicit, hoc ita fieri: quia fides incitet & inflammet animum, ad actiones charitatis, quibus animus ita præparetur & disponatur, ut non sit indignus cui donetur Christus cum suis meritis, misericordia Dei, recōciliatio, adoptio & vita æterna. Ideo contendit CHRISTVM perfectè apprehendi non sola fide, sed simul etjam operibus seu actionibus spei & charitatis. Et spem ideò adjungunt, quia illam volunt partim nostris meritis, partim misericordia Dei niti. Sed hæc suprà de Præparatione ad justificationem pluribus sunt explicata: quæ nunc repeto, ut confideretur, quàm necessariæ sint veræ declarationes.

Scriptura verò tradit quidem, fidem parere bona opera: sed quando loquitur de acceptione justificationis, hoc est, reconciliationis, non tantùm nominat fidem, sed ex antithesi addit, Non ex operibus, non secundum opera. Et quidem Romanorum 10. affirmat Israelem, licet sectabatur legem justitiæ, non pervenisse ad veram justitiam coram Deo, propter hanc ipsam causam: quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Et Romanorum 4. de Abrahamo, quando multis virtutibus à Spiritu sancto jam erat ornatus, loquens dicit, Non operanti, credenti autem in eum, qui justificat impium, fides ejus imputatur ad justitiam: certè Abraham tunc simul & credebat & operabatur, fides verò imputatur ad justitiam, non operanti, sed credenti. Idem etjam Davidis testimonio probat, quòd renatis, qui habent bona opera, justitia fidei tamē imputetur sine operibus, Romanorum 4. Quando igitur fides etjam renatorum agit coram Deo, de reconciliatione, adoptione & acceptatione ad vitam æternam, non affert & proponit Deo opera, dignitatem & merita, ut propter illa, persona digna judicetur, quæ à Deo adoptetur & acceptetur ad vitam æternam.

Paulus enim 1. Corinth. 4. inquit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc nō sum justificatus. David precatur, Ne intres in judicium etjam cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Daniel inquit: Non in justitiis nostris prosternimus preces nostras. Falsum igitur est organon, quo Christi meritum ad justitiam accipitur esse simul & fidem & opera: ita quòd fides primū efficiat opera, deinde ad Deum afferat & ipsi proponat bona illa nostra opera, ut propter ea reconciliemur, adoptemur & acceptemur ad vitam æternam.

Nam & renati agnoscunt in carne sua, non habitare bonum, sed peccatum, opera sua propter adhærentem carnem, utpote langvida, imperfecta & immunda, non esse talia quibus coram Dei judicio ita possint consistere, ut propter illa persona justificetur, hoc est, reconcilietur DEO, adoptetur & acceptetur ad vitam æternam. Fides igitur circumspicit & quærit, ut apprehendat, obtineat, & ad Deum afferat aliam justitiam perfectiorem & præstantiorē, qua consistere possit coram judicio Dei ad salutem, & vitam æternam. Illa autem justitia est Christus mediator fide apprehensus: Christus enim est impletio legis ad justitiam omni credenti. Rom. 10. In tentatione siquidem & lucta, quādo mens vero obruitur pavore & metu iræ Dei. In illa certè cōsternatione fides non ita statuit: jam habeo charitatem, virtutes & merita, & propter illam dignitatem Deus me recipiet: Sed fides monstrat & intuetur filium Dei, factum victimam pro nobis, sedētem jam ad dexteram patris, & interpellantem pro nobis: ad illum confugit, petit, credit, & statuit propter hunc Pontificem nobis ignosci & donari reconciliationem, non propter nostras virtutes & nostrā dignitatem. Et ita fides peccato nostro & damnationi nostræ opponit, non nostra opera & nostram dignitatem, sed meritum Christi. Habet igitur fides vim & virtutem justificandi, non inde aut ideo, vel quòd pariat bona opera, vel quòd tam excellēs in nobis sit virtus, tam præstans opus, aut tam digna actio nostra, sed correlativè intelligitur ,ppósito: Christus enim mediator in illo suo officio, est justitia nostra. Ieremiæ 23. Romanor. 5. 10. 1. Corinthior. 1. &c. & propter illum misericordia Dei recipit nos, remittit peccata, adoptat, & acceptat ad vitam æternam: Christum verò, ejus meritum, misericordiam Dei, reconciliationem, &c. fide oportet apprehendi. Et quia fides facit nos illorū beneficiorum Dei particeps: estq; velut manus nostra, qua nobis applicamus & ad nos recipimus, complectimur & possidemus ea, quæ in gratuita promis-

Universidad de Deusto
Biblioteca

promissione Evangelii offeruntur: propter hoc officium applicationis, fide tribuũtur, quæ sunt meriti Christi, & misericordiæ divinæ: qui enim non habent fidem, illi non fiunt participes beneficiorum Christi. Paulina igitur antithesis inter fidem & opera ostendit, fidem justificare non hoc modo & hac ratione, quòd per opera faciat hominem dignum, cui donentur beneficia Christi. Sed humilitas agnoscit, & fatetur naturam esse immundam, & personam non dignam his tantis beneficiis, ex gratuita igitur misericordia Dei propter Christum mediatorem, fides quærit & petit illa.

Et quia in promissione per verbum & Sacramenta. Spiritus sanctus in ministerio monstrat, proponit, offert, distribuit, cõmunicat & donat illa merita, & beneficia Christi: ideo fides nõ dubitat se apprehensione promissionis, illa verè accipere & possidere. Quibus verò motibus fides apprehendat & accipiat promissionem Evangelii, in verbis fidei justificantis exercitiis intelligitur. Ibi enim animadvertuntur tales motus & gradus, sicut in Scriptura describuntur.

1. Notitia seu scientia, cogitatio & meditatio, promissionis Dei, de beneficiis Christi mediatoris, de misericordia Dei, de gratuita reconciliatione, &c. Lucæ primo. Esaiæ 53. Colossens. secundo, &c.

2. Huic notitiæ oportet conjunctam esse assensionem, non quidem generalem tantùm, sed qua firma persvasione, quisq; credens statuat universalem promissionem privatim ad se quoq; pertinere, se quoq; includi & comprehendi in universali illa promissione. Roma. 4. Scriptũ est non propter Abraham tantũ, sed & propter nos, quibus imputabitur credentibus.

3. Ex illa notitia & assensione cor seu voluntas per operationem Spiritus sancti, concipit desiderium, ut quia seriò sentit, se oneratum peccatis & ira Dei, expetat, velit, quærat, petat sibi donari & communicari beneficium justificationis, quod in promissione Evangelii proponitur, & illud fide apprehendit, ut ad se recipiat.

4. Quando hoc modo à sententia damnationis, quæ per legem propter peccata nobis denunciatur, fides confugit ad thronum gratiæ, & ad propitiatoriũ, quod pater cœlestis proposuit in sangvine Christi. Accedit fiducia. Ephe. 3. quę ex promissione statuit Deũ tunc tibi donare, communicare, & applicare beneficia promissionis: & te hoc modo verè accipere ea, quæ gratuita Evangelii promissio offert, ad justitiam, salutem & vitam æternam. Ex hac fiducia sequitur παῤῥησία, quæ habet accessum ad Deum, Ephes. 3. pax conscientiæ. Rom. 5. Gaudium spiritus. Roman. 14. ut cor acquiescat in promissione misericordiæ, etjam in cruce, in tentatione, in ipsa deniq; morte, retinens spem gloriæ Dei. Rom. 5. Hæc in multis Scripturæ testimoniis & exemplis copiosè describuntur, quæ figillatim adscribere studium brevitatis prohibet. Volui autem per ἀνάλυσιν aliquantò crassiorem, simplicẽ tamen & veram, gradus fidei justificantis delineare: ita enim in seriis exercitiis, & in lucta, rectissimè intelligi potest doctrina de fide justificante.

Ne utilem illam simplicitatem patiamur perturbari philosophica Pighii cavillatione: qui clamitat, fidem esse chimæram, si simul & in mente & in voluntate collocetur. Quæ enim subjectis differunt, realiter differunt. Sed respondemus. Primò, Quòd Scriptura philosophicas illas distinctiones nõ superstitiosè observet, sed simpliciter tribuat cordi notitias, fiduciam & affectus: sicut etjam menti sæpe ea quæ voluntatis sunt, tribuit. Secundò, Quicquid sit de subjectis, hoc certum est, motus mentis & voluntatis sibi correspondere: ut qualis est notitia & assensio in mente, tales etjam motus plerunq; in voluntate sequantur & respondeant. Tertiò, Quæstio illa jamdudum à Scholasticis explicata est. Bonaventura enim quærit, quomodo conveniat spem esse certam expectationem: cùm certitudo pertineat ad mentem, expectatio ad voluntatem. Respondet autem de intellectu practico. Et addit, nullũ esse inconveniens, unum habitum ponere, & in ratione, & in voluntate.

Addenda autem est commone factio, in singulis hisce gradibus, virtutem Dei in infirmitate perfici. Fides enim nec semper, nec in omnibus est lux ardens, sed sæpe linum tantùm fumigans. Est enim fides magna, ut in Centurione, & in Cananæa, est modica, Matthæi decimoquarto: imbecillis, Romanorum decimoquarto. Et infirmitas fidei vel est in agnitione, Romanorũ decimoquarto, vel in fiducia, Matthæi nono. Justificat autem fides, non propterea quòd fit virtus tam firma & perfecta, sed propter objectum, quod sci licet apprehendit Christum mediatorem. Quando igitur fides in objecto non errat, sed illud inter trepidationes fiducia quantumvis langvida apprehendit, aut apprehendere conatur & expetit: est quidem modica & infirma fides, vera tamen est fides. Et Paulus dulcissimas proponit consolationes in tali fidei infirmitate, Philippen. tertio. Apprehendo, imò magis apprehẽsus sum à Christo. Galat. 4. Cognovistis Deum, imò magis cogniti estis à Deo, modò oremus. Marci nono, Credo Domine, sed tu adjuva incredulitatẽ meam. Ex sensu etjam consolationis & gaudii spiritualis, non semper judicari vel debet vel potest, an fides sit vera. Sensus enim ille non præcedit, sed sequitur fidem: & sæpe absconditur, & obruitur cruce & tentationibus. Ex verbo igitur judicandum est ex fide.

Et hæc est brevis, simplex & vera explicatio, quid sit fides justificans: & quo sensu Scriptura intelligi velit, quando tradit impium per fidem justificari. Et ipsa antithesis illustris est refutatio commentorum Tridentini Concilii.

Postremò pauca quædam dicenda sunt de argumento illo, quod præcipuum est in decretis concilii, beneficia scilicet Christi, ita sibi cohærere, ut quando homo per remissionem peccatorum recõciliatur, simul etjam per Spiritum sanctum inchoatur sanctificatio & renovatio. Vnde volunt consequẽs esse, fidem ad justificationem in Christo, apprehendere non solam reconciliationem, sed simul etjam renovationem. Et clamitant, nos qui justificationem constituimus in sola gratuita imputatione justitiæ Christi, tollere & negare alterum beneficium Christi, sanctificationem scilicet & renovationem. Item cap. 7.

Homo

Homo cum remissione peccatorum, simul accipit etjam spem & charitatem. Ergo non sola fides, sed fides, spes & charitas simul justificant. Et spem ideo in applicatione justificationis adjungunt, dicunt enim, sine nostris meritis sperare, non esse spem, sed præsumptionem. Et Canone 21. dicunt nos sola fide excludere charitatẽ, quæ renatis inhæreat. Hoc est unicum & potissimum argumentum Concilii Tridentini, contra solam fidem, sola imputatione justitiæ Christi justificantem. Sed plana est responsio. Luculentam nobis injuriam faciunt, quasi in justificatis tollamus & negemus sanctificationem seu renovationem. Planè enim & clarè nostri docent, quòd recõciliationem sequatur renovatio, ita ut cum remissione peccatorũ conjuncta sit donatio Spiritus, qui inchoat renovationem. Qui igitur fide propter Christum Mediatorem reconciliantur, in illis Spiritus sanctus inchoat sanctificationem seu renovationẽ. Sed cũ Scriptura affirmamus, inchoatam novitatẽ non esse illud propter quod accipiamus remissionem peccatorum, adoptemur & acceptemur ad vitam æternam. Ita etjam nullo modo docemus, fidem justificantem esse solitariam, hoc est, talem persvasionem, quæ sit sine pœnitentia, & nulla omnino pariat bona opera. Sed fidem quæ sine operib. ociosa & mortua est, dicimus non esse veram & vivam illam fidem quæ per charitatem efficax est Gal. 5. Consideret autem Lector, qualis sit consequentia argumenti Tridentinorũ. Fides viva non est solitaria, sine charitate. ergo nõ sola, sed unà cum charitate justificat. Ergone quæ simul adsunt, quæ cohærent & conjuncta sunt, unum officium, & eandem omnia habebunt proprietatem? Simul ergo auribus & pedibus audiemus, oculis & manibus videbimus. Nulla ergo, erit vel sensuum, vel potentiarum animæ distinctio: quia homo simul illa accipit, & habet. Sicut igitur hæc & similia multa, etjam quãdo simul ad sunt, rectè & necessariò distinguuntur: ita nos reconciliationem & renovationem, fidem & charitatem non ita divellimus, ut alterum tollamus & negamus. sed cuiq; suum locum, suum officium, & suam proprietatem tribuimus cum Scriptura: quæ solius fidei hoc proprium esse docet, apprehendere & accipere in promissione Evangelii, Christum ad justitiam coram Deo ad vitam æternam. Et illam justitiam fides non parit inter Christum & nostram novitatem seu charitatem, sed in solidum eam tribuit merito Christi.

Vera igitur fides apprehendit Christum: vera etjam fides non est sine operibus, Iacobi secundo: sed per charitatem est efficax. Galat. quinto. Quòd autem fides justificat & salvat, illam vim & virtutem non mutuatur, sumit & habet inde, quia per charitatem efficax est, & bona opera parit: sed quia Christum apprehendit, qui est impletio legis ad justitiam omni credenti, Romanorum 10. & non est in alio salus, Actorum 4. Alia verò quæstio est, qua nota & quo testimonio agnoscatur & deprehendatur, an sit vera & viva fides: ne falsa & mortua opinione fictæ fidei nos seducamus. In hac quæstione cum Scriptura dicimus: Illa fides valet, quæ per charitatem est efficax. Galatas. 5. Et fides sine operibus est mortua. Iacobi 2. Et hoc sensu Apologia confessionis Augustanæ dicit, fidem quæ est sine bonis operibus, non justificare. Item: Si quis dilectionem abjecerit, etjamsi habuit magnam fidem, tamen non retineat eam. Nec enim fidem aut justitiam retinent illi, qui secundum carnem ambulant.

Hæc quæ in libello contra Iesuitas hoc sensu dixeram, Andradius ita depravat, quasi sentiam bona opera ad justificationem & salutem esse necessaria: & addit, Si ita sentire & loqui cœperimus, sperare fore, ut brevi ad Romanã Ecclesiam redeamus, & idipsum cum Pontificiis sentiamus & dicamus. Et illud Lector hoc loco diligenter observet, qualem spem, & quantum robur Pontificii collocent in propositione de necessitate operum ad justificationem & salutẽ. Ad me verò quod attinet, respondeo: virulentam & sycophanticam esse Andradii calumniam. Nunquam sensi, nunquam dixi hoc: sed profiteor & contestor, me seriò improbare illas propositiones, qua à quibusdam in nostris Ecclesiis sparsæ quidem, sed communibus suffragus explosæ & refutatæ sunt: scilicet bona opera ad justificationem & salutem, ita esse necessaria, ut impossibile sit, quenquam sine bonis operibus salvari. Hæc enim gloria debetur uni & soli Christo, qui fide apprehenditur & accipitur: ita ut beatitudo sit ejus hominis, cui Deus imputat justitiam, sine operibus, Rom. 4. Nec tamen ociosæ vel mortuæ fidei tribuimus justificationem: sed dicimus fidem, si vera & viva est, non esse ociosam, sed efficacem per charitatem. Vitam autem quam fides affert credentibus, non mutuatur, aut accipit à charitate sed à Christo quem complectitur, qui est vita & salus nostra. Contra Pontificiorum igitur calumnias, & contra Epicuræas persvasiones ex Scriptura, Apologia Augustanæ Confessionis proponit hanc notam veræ fidei, quod existat in vera pœnitentia, & quod sit efficax per charitatem. In quæstione verò, Quomodo fides justificet. dicimus fidem unicum mediatorem Christum apprehendere, ad justitiã & salutem, sine nostris operibus.

In hac enim quæstione Paulus simpliciter proponit doctrinam justificationis, sed addit multas & varias particulas exclusivas: ne quid, quacunque specie assuatur, sed ut causa justificationis nostræ, soli gratuitę misericordiæ Dei remittentis peccata, meritum solius Christi mediatoris obedientiæ applicatio, soli fidei vendicetur.

Sunt autẽ hæ fermè exclusivæ particulæ apud Paulum 1. vocabulum gratiæ, cum æquipollentibus. Ephes. 2. Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis. Romanorum undecimo. Si ex gratia, jam non ex operibus. alioqui gratia, non esset gratia. Titum tertio. Non ex operibus, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit. 2. Timoth. 1. Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suũ, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora secularia.

Psalm. 70. Memorabor justitiæ tuæ solius. Vbi propter majorem emphasin, affixum geminatur justitiæ tuæ, solius tuæ.

2. Particula gratis cum synonymis, Roman. 3. Gratis justificamur, ipsius gratia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Romanorum 6. Stipendium peccati, mors est, sed χάρισμα Dei est vita æterna.

Ephes. 2. Non ex vobis δῶρον Dei est.

Galat. 3. Si ex lege hæreditas, jam non ex promissione, Abrahæ verò Deus per promissionem κεχάρισται, gratuitò donavit.

3. Nomen unius Rom. 5. Gratia unius hominis Iesu Christi, in plures abundavit. Regnabunt in vita per unum Iesum Christum: per unius justitiam in omnes: per unius obedientiam justi constituuntur multi. Heb. 10. Vna oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.

4. Rom. 3. Sine lege. Gal. 2. Non per legem. Gal. 3. Non ex lege.

5. Opera. Rom. 4. Sine operibus. Titum 3. Non ex operibus. 2. Timoth. 1. Non secundum opera. Ephes. 2. Non ex vobis. Philippens. 3. Non habens meam justitiam. Romanorum 11. Propriam justitiam.

6. Vocabulum imputationis. Rom. 4. Non operanti, sed credenti fides imputatur ad justitiam. Imputatur justitia sine operibus. Imputatur secundum gratiam, non secundum debitum.

7. Remissio peccatorum. Romanorum 4. David pronunciat beatitudinem esse ejus hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates. 2. Corinth. 5. Reconcilians sibi mundum, non imputans ipsi peccata eorum.

8. Vocabulum fidei. Rom. 3. Fide sine operibus Eph. 2. Per fidem non ex vobis, non ex operibus. Romano. 3. Excluſa est gloriatio non per legem operum, sed per legem fidei. Act. 13. Ab omnibus à quibus nō potuistis in lege justificari, per hunc omnis qui credit justificatur. Et Gal. 2. extat peculiaris exclusiva: Scientes quòd ex operibus legis non justificatur homo, nisi per fidem. Particulam enim εἰ μὴ, & ἐὰν μὴ, excludere præcedentia membra, multa exempla Scripturæ ostendūt. Vt Apocalypsis 9. Dictum est locustis, ne lederent fœnum, neq; omne viride, neq; omnē arborem nisi homines qui non habent signū Dei in frontibus. Apocalyp. 21. Non intrabit in ipsum omne prophanum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ. Marci 13. De die illa nemo novit, nec angeli, nec filius, nisi pater. Ioannis capite decimoquinto. Palmes non potest à seipso fructum facere, nisi in vite manserit. Ibi est ἐὰν μὴ. Quarto Regum vigesimosecundo, Græci interpretes particulam adversativā כִּי reddiderūt per εἰ μὴ. quod alibi plerunq; reddunt per ἀλλ' ἤ. Et in eadem significatione Exod. 4. usurpant particulam ἐὰν μὴ. Sensus igitur Pauli Galat. 2. hic est: non justificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Christi. Et mox exclusivam explicat, inquiens: Nos in Christū credidimus, ut justificentur ex fide Christi, & non ex operibus legis.

Hæ fermè sunt exclusivæ, Paulo usitatæ: quas in nostris linguis non possumus brevius & commodius efferre, quam per particulam Sola. Illa enim omnes exclusivas Pauli, uno quasi complexu significantissimè comprehendit, & auditoribus proponit. Et quia omnibus temporibus particula illa, in articulo justificationis in Ecclesia semper usitata fuit, sicut testimoniis ex omnium fermè Patrū scriptis ostendi potest: recepta est in Ecclesiis nostris, quando volumus omnes exclusivas Pauli breviter cōplecti, quòd dicimus: Sola misericordia Dei, sola fide, sola imputatione justitiæ, solius mediatoris Christi, nos justificari.

Et illam exclusivam ita intelligimus, ut primò excludatur conditio meriti, seu dignitatis nostræ. 2. Vt causa reconciliationis adimatur nostris operibus seu virtutibus, & transferatur in solam gratiam Dei, propter meritū Christi mediatoris. 3. Vt ostendatur medium seu organon applicationis. Nō enim operibus, sed sola fide apprehēditur, accipitur & applicatur gratuita promissio reconciliationis, propter Christū mediatorem. Reprehenduntur verò sicut apud Chrysostomum & Augustinū, ita & apud nos illi, qui particulas exclusivas ita intelligūt, quasi illi, qui sine pœnitentia in sceleribus perseverant & pergunt, mortua fide, hoc est, Epicuræa persuasione impunitatis justificentur. Neque etjam solam fidem intelligimus solam notitiam seu externam professionem dogmatū Ecclesiæ, qualis in multis hypocritis & impiis esse potest.

Hæc quæ prolixè à nostris explicata sunt, breviter recito: ut manifestum fiat, quàm sycophanticis calumniis particula Sola in Tridētino concilio exagitetur & depravetur: utiq; Lector intelligat, quando particula Sola, in illo sicut declaravimus sensu, damnatur, simul damnati omnes exclusivas Pauli. Et hoc quærunt Pontificii, ut per particulam, Sola, jugulent omnes Pauli exclusivas.

Et quia Andradius clamitat Lutherū per particulam Sola, intellexisse solitariam & mortuam fidem, adscribam locum ejus in 15. cap. Genesis, ubi clarissimè explicat sensum hujus exclusivæ. verba hæc sunt: Scio reliquas virtutes esse insignia dona Dei, scio fidem sine his donis non existere. Sed quæstio est, quid cujusq; proprium sit. Tenes manu varia semina. Non autem quæro, quæ cum quibus conjuncta sint, sed quæ sit cujusque propria virtus. Hic apertè dic, quid faciat sola fides: non cum quibus virtutibus conjuncta sit. Sola autem fides apprehendit promissionem: hoc proprium solius fidei opus est. Reliquæ virtutes alias habent materias, circa quas versantur. Item: Scimus quòd fides nunquam est sola, sed affert secum charitatem & alia multiplicia dona: neq; unquam sola est, sed non ideo confundendæ res, & quod solius fidei est, aliis virtutibus tribuendum. Hæc Lutherus.

AN VERA FIDES IVSTIFICANS *sit, vel fiducia, vel dubitatio de remissione peccatorum.*

Lutherus in 41. caput Genesis dicit: Etjam si nihil præterea peccatum fuisset in doctrina Pontificia, quàm quòd docuerunt, nos debere vagari & fluctuare ambigentes & dubios de remissione peccatorum, gratia & salute nostra, justas tamen haberemus causas cur ab Ecclesia infideli nos sejungeremus. Et Gropperus etjam turpitudinem Pontificii istius dogmatis de dubitatione fidei justificantis, non tantū agnovit, sed publicè improbavit. Extant etjam de hac quæstione duo

ne duo adversaria scripta Ambrosii Catharini & Dominici à Soto, quæ ostendunt illis ipsis, qui Tridenti congregati fuerunt, non convenisse de flagitioso isto dogmate, quòd fides debeat esse dubitatio. Et propter hanc causam dicunt Titum 9. capituli non simpliciter, sed ita constitutum esse, Contra inanem hæreticorū fiduciam.

Hęc observatio, si rectè consideretur ostendet quo artificio compositum sit illud decretum, cujus tamen intentionem, finem & summam esse Andradius Tridenti in concilio scribens, affirmat ut monachorū dogma de dubitatione quoquo modo retineatur, confirmetur & stabiliatur. Nec sinè nullæ sunt causæ, quare tàm acriter Pontificii de retinenda dubitatione digladiantur: Intelligūt enim, totam negotiationem Pontificiæ nūdinationis hoc fundamento niti. Conscientia enim quærens certam aliquam & firmam consolationem, quādo audit ipsam fidem, etjam quando in promissione Christum mediatorem apprehendit, debere dubitare de remissione peccatorum, cogitat se velle cumulare tàm multa & tàm varia opera, ut juxta poëtam, si non prosint singula, plura juvent. Hinc ultra opera divinitus mandata, electitii cultus sine fine & modo excogitati fuerunt. Hinc vota, peregrinationes & invocationes sanctorum, fraternitates, opera indebita, opera supererogationis, nundinatio missarum, negociatio indulgentiarum, & breviter tota illa lerna superstitionum Pontificiarū. Cumq; in agone conscientia in illis omnibus non invenire certam & firmam consolationem: excogitatum tandem est purgatorium, & propositæ redemptiones suffragiorū post mortem. His regni sui vectigalibus timent publicani Pontificii. Vident enim fore, ut minuantur & intercidant, si homines ex verbo Dei doceantur, fidem esse fiduciam, quæ in promissione Evangelii inveniat, accipiat & possideat certam & firmam consolationem, de reconciliatione cum Deo. Hinc illæ lachrimæ. Hinc tentationes pro stabiliendā dubitatione.

Sed audiamus, qualem fidem remissionis peccatorum Tridentini patres Ecclesiæ proponant.

1. Concedunt, quòd necessarium sit credere, peccatum non remitti, nisi gratis divina misericordia, propter Christum. Illud verò inde scimus credendum esse, quia doctrina Evangelii hanc promissionem fidei proponit.

2. Mox verò addunt: Nemini tamen in sola fiducia & certitudine remissionis peccatorū suorum acquiescenti, peccata dimitti dicendum est. Fides igitur in Concilio Tridentino ita credit promissioni Evangelii, de gratuita remissione peccatorum propter CHRISTVM, ut tamen in ea certa fiducia acquiescere non ausit: imò non verentur dicere nemini remitti peccata, qui juxta promissionem Evangelii, in fiducia & certitudine remissionis peccatorum suorū acquieverit.

3. Rationem adducunt, quia etjam apud hæreticos possit esse vana, & ab omni pietate remota fiducia.

4. Addunt: Ne illos quidem qui verè justificati sunt, debere absq; ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse justificatos.

5. Dicunt non esse asserendum, neminem à peccatis absolvi & justificari, nisi eum qui certò credat, se absolutum & justificatum esse. Sentiunt ergo homines à peccatis absolvi, etjamsi non certò credant se absolutos esse: hoc est, docent absolutionem sine fide.

6. Ponūt hanc declarationem, pios quidem in genere non debere dubitare de promissis Dei, de efficacia mortis Christi, de merito Christi, deiq; Sacramentorum virtute: sed quod ad applicationem ad individua attinet; quem liberdum suam propriam indispositionem respicit, de sua gratia formidare timere posse. Neminem enim scire posse certitudine fidei, cui non possit subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.

7. Anathemate damnant, si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorū assequendā necessarium esse, ut credat certò & absq; ulla hæsitatione proprię infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa.

Hæc sunt capita, quæ de dubitatione contra fiduciam Tridenti decreta sunt. Andradius verò suo more, ut interpres Concilii, addit declarationem, quid sit quod vocant indispositionem: & quod toties damnant, si quis in sola fiducia remissionis peccatorum acquiescat. Ita enim inquit: Evangelium docet eos qui sincera fide & ardenti charitate Deum prosequuntur, consequi justificationem: an verò ipse ea omnia habeam, quæ ad justitiam comparandam sunt necessaria, Evangelium minimè asserit. Item: Fides quidem mea potissimū debet in Christo quærere, ut ego salver: an verò eam operam ad justitiam consequendam, quam oportebat adhibuerim, ex fide non accepimus. Iis enim solùm censet à Deo tribui justificationem, qui pœnitentiæ se, & charitatis actionibus ad illam suscipiendam præparārunt. Non autem constat fidei testimonio, an ea omnia quis præstiterit, quæ sunt ad justitiā comparandam necessaria. Ego, inquit, nulla ratione dubito mihi ad justitiam aditum patere, si sincera fide veraq; pœnitentia ad divinæ gratiæ thronum accessero. Sed an id verè & integrè aliquando præstiterim, constare rectè mihi nūquam potuit. Rationem verò hanc addit: Multa sunt peccata, ipsis etiam peccatoribus usq; adeo occulta, ut illa internoscere nullo modo possint. Cùm igitur nemo scire possit, an aliquo sit crimine implicatus, cujus nulla sit ratione conscius: quomodo certò credere potest, jam se esse justificatum? Et persvasionem esse minimè Christianā, sibi de consecuta justificatione blandiri, probat illa Cypriani sententia: Nemo sicsibi blandiatur depuro & immaculato corde, ut innocentia sua fretus, medicinam non putet esse adhibendam vulneribus, cùm scriptum sit: Quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Et quod Iesuitæ scripserant: Fidelis firmiter quidem sperat vitam æternam, & quod magis est, confidit etiam: non tamen certò credit, sed dubitat, spes enim fallere potest. Ad illud respondurus Andradius, inquit: Spem habere aliquā dubitationem conjunctam & implicatam. Cùm enim spes, qua nobis vitam æternam pollicemur & nostris operibus, & maximè divinæ misericordiæ & omnipotentiæ fidat: quippe quæ ex meritis & gratia proficiscī-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur: ita fit sanè, ut spes ita sit certa, ut semper cum metu & dubitatione sit conjuncta & copulata.

Hanc Andradii interpretationem, conferat Lector ad capita decreti Tridētini de dubitatione: & videbit, ex quib. lacunis, relicto vivo fonte, desperabunda illa dubitationis opinio derivata sit. Qualis enim est justificatio, talis etjam est fides in Pontificia Ecclesia. Primò enim verbis quidem tribuunt reconciliationem & remissionem peccatorum, misericordiæ divinæ propter Christum: sed addunt, illam nemini communicari, conferri aut applicari, nisi qui operibus pœnitentiæ & charitatis, ita se disposuerit, ut non prorsus indignus sit, in quem Deus beneficium justificationis conferat. Quia verò conscientia semper dubitat, an satis habeat talium operum, an satis digna sit eorum præstantia, an sufficiès sit præparatio, an verè & integrè omnia illa pœnitentiæ & charitatis opera, quæ ad dignam & sufficientem præparationem requiri sentiant, præstita sint: necessariò sit, quòd ex hac doctrina anxiæ mentes in invocatione, in tentatione, in lucta cum ira Dei propter peccata, in ipsa denique agone mortis, nunquam possunt invenire certam & firmam consolationem, qua se possint sustentare & erigere, ne oppressæ desperatione ruant in æternum exitium: quo enim magis conantur se hoc modo disponere & præparare, eò profundius in dubitationem immerguntur. Magis enim magisque in ipso conatu agnoscunt & experiuntur insufficientiam, & indignitatem præparationum. Quod si verò de sufficientia & dignitate præparationis suæ præsumpserint, incidunt in judicium Pharisæi, Lucæ 18. quòd scilicet Israel sectando legem justitiæ, ad legem justitiæ non pervenerit: quia non ex fide, sed quasi ex operibus, ita utrinque intercluditur & obstruitur via ad justificationem, per Pontificias præparationes. Et jam Lector ex Andradii interpretationibus intelligit, quid quæritum fuerit Tridentinis illis præparationibus, ad justificationem. ut scilicet tota fides remissionis peccatorum, dubia & incerta, hoc est, nulla redderetur. Ita enim Paulus loquitur Roma. 4. Si ex lege hæreditas, exinanita est fides, & abolita promissio.

Secundò. Tridentinũ decretũ inquit: Etjamsi verè quis justificatus fuerit, non tamen debere quenquam absque ulla omnino dubitatione apud semetipsum statuere, se esse justificatum. Nihil igitur nisi meras dubitationes continet doctrina Pontificia, sive versetur in præparatoriis, sive in causa principali justificationis. Advertat autem Lector, quam Andradius rationem reddat, dubitandum esse etjã si verè quis justificatus sit: Quia, inquit, quædam peccata tàm sunt occulta, ut illa internosci non facilè possint: & inscrutabiles sunt cordis humani recessus. Cùm igitur nemo scire possit, ne forsan crimine aliquo sit implicatus, cujus nulla sit ratione conscius: semper dubium manet, an simus justificati. Cyprianus enim dicit: Nemo sic sibi blandiatur de puro & immaculato corde, ut innocentia sua fretus, medicinam non putet esse adhibendam vulneribus: cum scriptum sit: Quis gloriabitur, mundum se esse à peccato? Et Hierony. inquit: Quod nobis interdum mundum videtur, Dei oculis sordidum deprehenditur, hoc est, quia causam formalem suæ justificationis coram Deo, ad vitam æternam, constituunt in qualitatibus justitiæ inhærentis: & verò propter legem peccati militantem in membris, nemo potest certò statuere, illas suas inhærentes qualitates tales esse, quæ miserum peccatorem possint gratum & acceptum facere, quæque dignæ sint vita æterna: meritò ergo perpetuò de sua salute dubitant, qui hoc modo justificari volunt. Et hoc est quod antea dixi, qualem justificat onem habent Pontificii, talem etjam docent fidem.

Qualis verò, Deum immortalẽ, est illa doctrina, cujus effectus, summa & finis est, ut anxię cõscientiæ quærentes consolationem, conjiciantur in perpetuas hæsitationes & dubitationes, suæ cum Deo reconciliationis, remissionis peccatorum, salutis & vitæ æternæ? Tales certè dubitationes, philosophia & quævis ethnicorum religio docere potest.

Ingenuè verò & rectè faciunt Pontificii, quòd hoc emblema suæ theologiæ ipsi inscribũt, quod fit doctrina dubitationis, quæ scilicet non possit conscientiis monstrare & afferre veram, certam & firmam consolationem, qua in lucta tentationum se erigere & sustentare possint: sed quæ relinquat conscientias in tristissimis dubitationibus, quibus illas magis magisque immergat. Et sanè si aliud de doctrina sua prædicarẽt, & res ipsa & experientia argueret eos mendacii. Nec facilè forsan nobis crederetur, si diceremus totã Pontificiam Ecclesiam nihil aliud esse, quàm officinam seu materiam dubitationis. Domesticum igitur illud ipsorum testimonium de doctrina Pontificia recipimus, & nostro calculo approbamus: quòd scilicet doctrina concilji Tridentini de justificatione, non possit conscientiis verò credentium, afferre certam & firmam cõsolationem, in qua certa fiducia contra tentationes acquiescere possint: sed quòd eas conjiciat, detineat & relinquat in perpetuis dubitationibus. Fidei enim (ficut dicunt) potest subesse falsum: & spei (ficut Iesuitæ dicunt) proprium est posse fallere. Nec sanè elogium hoc invidemus doctrinæ Pontificiæ: imò addimus ex Paulo, eos qui hoc modo suis operibus præparari, & suis qualitatibus justificari volũt, minus adhuc quàm par est facere: quòd saltem dubitant de sua reconciliatione, adoptione, & acceptatione ad vitam æternam. Paulus enim non dubitativè, sed categoricè pronunciat, se in hoc quòd nihil sibi conscius est, non esse justificatum. 1. Cor. nth. 4.

Item qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: quia qui non in omnibus permanserit, maledictus esto. Gal. 3. Qui non ex fide, sed quasi ex operibus sectantur justificationem, ad eam non pervenient. Rom. 9. Evacuati estis, à Christo gratia excidistis, qui in lege justificamini. Gal. 5. Qui igitur tali consolatione afferente dubitationem & desperationem delectatur, fruatur sanè ea: nec prætendere poterit, se deceptum esse: prædicunt enim Pontificii suam doctrinam non afferre talem pacem conscientiis, in qua tutò & certò acquiescere possint. Qui ergo vult de salute sua dubitare, amplectatur doctrinam Pontificiam;

etiam: hoc enim est, quod de summa & fine doctrinæ suæ pollicentur.

Non autem hîc consistunt Tridentini patres, sed ulterius progrediuntur, & decernunt: Neminem, etjamsi vera fide credat, gratis divina misericordia propter Christum peccata sibi remitti, debere certò statuere, se à peccatis absolvi. Imò addunt: Qui credit peccata non remitti, nisi gratis divina misericordia propter Christum, si in illa fiducia acquiescat, tunc & ideo peccata illi non dimitti. Huic verò blasphemiæ, propter gloriam Christi & conscientiarum consolationem resistendum est. Et insignis contumelia est, doctrinam cœlestem hoc titulo infamare, quòd sit doctrina & materia dubitationis in articulo de remissione peccatorum. Ideo enim divinitus patefacta est generi humano doctrina cœlestis, ideo proponitur in Ecclesia: ut verè credentes habeant certam & firmam consolationem, in qua contra omnes tentationes tutò acquiescere possint, in promissione Evangelii de reconciliatione sua cum Deo, de adoptione & acceptatione ad vitam æternam. Sicut igitur libenter damus, & pleno ore confirmamus, Pontificiorum doctrinam de justificatione esse officinam dubitationis & desperationis: ita pro fiducia gratuitæ reconciliationis cum Deo propter Christũ mediatorem, omnino pugnandum est in Ecclesia. Hæc enim est doctrina Evangelii, & Ecclesiæ propria. Non autem prolixa oratione disputationis hujus explicationem persequemur: sed fundamenta tantùm, qua fieri poterit brevitate, notabimus.

Vt autem eò commodius illud fieri possit, primùm paucis illa removebimus, quorum confusione Pontificii callidè & insidiosè statum disputationis corã imperitis transponere conantur.

Non igitur disputatio est de fide hæreticorum, qui falsas & blasphemas opiniones, pugnantes cum fundamento amplectuntur & tuentur. Nec de Epicuræa persvasione, pollicente sibi in perseverantia scelerum impunitatem, quæstio est: illis enim non dubitationem, sed certam asseverationem iræ divinæ, nisi convertantur proponimus. Qui talia agunt, non habent partem in regno Dei & Christi.

Fateamur etjam, veram fidem in hac carnis infirmitate non esse perfectam, sed sæpe tentari multis & variis dubitationibus: ita ut in tentationibus sæpe inter trepidationes, valde langvida sit fiducia. Docemus autem non indulgendum dubitationi, sed perpetuò cum ea luctandum, & orandum: Credo Domine, sed tu opem fer incredulitati meæ. Item: Domine adauge nobis fidem. Monentur etjam justificati ne fiducia misericordiæ Dei ad alendam & confirmandam securitatem & petulantiam carnis abuntantur, illa enim semper freno timoris Domini coercenda & reprimenda est. Nec sanè quando respicimus ad infirmitatem nostram ad novas nostras qualitates, seu virtutes, inde concipimus fiduciam, quòd Deo certò simus accepti ad vitam æternam: disertè enim cum Paulo fatemur, In hoc non sum justificatus.

Has quæstiones ideo ab hac disputatione separo. Video enim pontificios harum confusione hanc doctrinam turbare. Verus igitur controversiæ hujus, inter nos & Pontificios status hic est: quòd ipsi docent, Peccatorem quando in seria pœnitentia, vera fide, ex verbo Dei per Spiritum sanctum concepta apprehendit promissionem gratuitæ misericordiæ, & in ea simul apprehendit ipsum mediatorem filium Dei, qui est justitia nostra, nec posse nec debere, certa fiducia statuere, peccata sibi remitti: posse quidem benè sperare, & de Dei misericordia optima quæque sibi polliceri: sed hæc tamen sine certa fiducia in medio fluctuantis dubitationis suspensa esse relinquenda: quia fidei possit subesse falsum, & spes possit fallere. Et hanc dubitationem numerant non inter infirmitates & maculas carnis, sed inter virtutes fidei: ut nisi dubitatio adsit, ornet & commendet fidem sit inanis hæreticorum fiducia non fides justificans. Quia verò vident duo hæc manifestè esse pugnantia, credere & dubitare: fingunt fidem in genere quidem statuere promissiones divinas de misericordia Dei, de merito Christi, & de Sacramentorum efficacia, veras & certas esse: sed de appellatione ad credentes, fidẽ debere in perpetua dubitatione suspensam manere: an scilicet mea fides, quæ promissione Dei nititur, certò juxta dicta Evangelica statuere debeat: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Item: Fides tua tè salvum fecit.

Iuxta Pontificios igitur, fides inter universalia sive realia sive nominalia, inter ideas Platonicas in aere generali persvasione suspensa volitabit: de applicatione ad personam credentem vel non solicita, vel non certa.

Quia verò utilis & necessaria est illa doctrina, quæ Evangelii propria est: quomodo conscientiæ, quæ pavore iræ Dei propter peccata anguntur, possint habere certã & firmam consolationem, in qua certa fiducia de remissione peccatorum acquiescere possint: non prolixè sanè rhetoricabimur, sed præcipua tantùm fundamenta ejus doctrinæ notabimus.

1. Fundamentum firmum & manifestum sumitur ex natura & proprietate promissionis gratuitæ: fiducia enim salutis nostræ non eo nititur, quasi ingenii nostri perspicacia, acumine suo possit penetrare cœlos cœlorum, & scrutari quid de me in arcano consilio Trinitatis decretum sit: sed hoc fundamento nititur, quòd Deus ex arcana luce prodiens, volũtatem suam nobis in verbo patefecit: ut Paulus 2. Chorinth. 2. non dubitet affirmare, nos mentem Christi tenere. Et in lege quidem voluntas Dei ita patefacta est: Qui fecerit hæc, vivet in eis. Quòd si per dubitationem apprehendi posset vita æterna, nulla magis idonea esset promissio quàm legis, propter annexam enim conditionem perfectæ impletionis, conscientias reliquit in perpetua dubitatione. Rom. 5. Quia verò non dubitatio, sed fides justificat: qui dubitat, sed qui credit, habet vitam æternam: ideo Deus proposuit gratuitam promissionem Evangelii, quæ nititur non nostris operibus, sed misericordia Dei propter obedientiam filii Mediatoris. Et quare hæc promissio sit proposita, Paulus ostendit Rom. 4. Ideo ex fide, ut secundũ gratiam, ut sit firma promissio. Num verò ut tantum in genere, & per se firma sit promissio?

Universidad de Deusto
Biblioteca

missio? Imò, inquit Paulus, ut firma sit omni semini. Quomodo verò? Scriptum est, inquit, propter nos, quibus imputabitur credentibus. In genere enim & per se, firma est etiam legis promissio. Vt verò nobis sit firma, ideo secundum gratiam, & ex fide. Ita Hebr. 6. extat pulcherrima sententia, Deum in gratuita promissione interposuisse jusiurandum: ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmâ consolationem habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem. Audis non in genere tantùm, nec per se firmam tantùm esse promissionem: sed ut nos, qui confugimus ad apprehendendam propositam spem, firmam cõsolationem habeamus. Ex hoc fundamento Ioannes ducit argumentum. 1. cap. 5. Qui non credit Deo, mendacem facit eum. Nec verò de generali assensione Ioannes loquitur. Subjungit enim: Hæc scribo vobis, qui creditis in nomen filii Dei, ut sciatis quòd vitam æternam habetis.

Nam si credo in filium Dei, & tamen dubito, an habeam vitam æternam: non credo huic promissioni, Qui credit in filiũ, habet vitã æternam. Iuxta Ioannem igitur facio Deum mendacem.

2. Ex proprietate fidei justificantis. Tribuitur enim fidei πληροφορία, ὑπόστασις, ἔλεγχος, παῤῥησία, πεποίθησις: quæ certè non dubitationem, sed certam & firmam fiduciam significant: sicut exemplis probare possem, nisi vererer prolixitatem. Ioannes peculiari consilio de fide ita loquitur, 1. cap. 3. Scimus quòd translati sumus à morte ad vitam. cap. 5. Vt sciatis, quoniam vitam habetis æternã, qui creditis in nomen filii Dei. 1. Petri 1. Perfectè sperate in eam quæ ad vos defertur gratiam. Heb. 3. Si fiduciam & gloriationem spei ad finem usq; firmam tenuerimus. Heb. 10. Accedamus vero corde in plerophoria fidei, tenentes confessionem spei ἀκλινῆ. Hebr. 6. extat dulcissima metaphora ancoræ. Quando enim ancora in terram fabulosam incidit, non potest navem firmiter retinere: quando verò in fundum firmum & tenacem jacta est, firmiter retinet navem contra omnes fluctus. Ita inquit ancoram spei nostræ jactam esse in ipsum cœlum: & quidem ubi Christus pro nobis Pontifex est, qui apprehendit, fulcit & retinet ancoram illam, sicut inquit Ioan. 10. De manu mea nemo rapiet eas. Et sicut Paulus inquit Philip. 3. Apprehendi, imò magis apprehensus sum. Ita Rom. 15. Iustificati fide, pacem habemus apud Deum. Item: Stamus in gratia Dei, & gloriamur spe gloriæ Dei. Rom. 4. Ideo ex fide, ut firma sit promissio. Has dulcissimas consolationes, scelerate nobis dubitatione sua depravare & eripere conantur Pontificii Academici. Quòd si virtus esset dubitatio, non rectè præciperetur esse luctandum contra dubitationem: nec juberemur petere: Adauge nobis fidem, Adjuva incredulitatem. Est & hoc valde firmum argumentum, contra Pontificiam dubitationem, quod 2. Cor. 13. Paulus inquit: Tentate & probate vosipsos, an sitis in fide. Annè cognoscitis vos ipsos, quod Iesus Christus in vobis sit, nisi forsan reprobi estis. Audis quemq; debere se ipsum probare, an sit in fide: & illos qui non agnoscunt Christum in se esse, reprobos esse. Hæc copiosa oratione possent explicari: sed nos tantùm fundamenta nunc monstramus. Illud tantùm addam, quàm variis artificiis locum Romanorum octavo, ludificare conentur Pontificii. Pighius ex Thoma dicit, Paulum ibi tantùm de suæ salutis certitudine quam ex peculiari revelatione habuerit, loqui: non verò affirmare omnem Christi fidelem, ejusmodi certitudinem habere: sed hoc manifestè falsum est. Paulus enim in tota illa sententia in plurali loquitur, & fundamenta illius certitudinis ponit: Christus mortuus est, imò sedet ad dexteram patris interpellans pro nobis.

Andradius igitur vidēs, has ludificationes non posse consistere, dicit verbum πεποίθησις significare nõ certam fiduciam, sed verisimilem existimationem seu persuasionẽ: quæ tamen falli possit, quia in quibusdam Scripturæ locis ita usurpetur. Atqui usurpatur etiam pro certa, firma & indubitata persuasione, 2. Timoth. 1. Certus sum, quòd potens est depositum meum servare. Et ab hoc themate πεποίθησις deducitur. *Andradius*

Quæstio jam est: utra significatio cõveniat loco Romanorum octavo. Illud verò totus contextus tantùm non clamat: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quomodo non omnia cum filio nobis donaret? Quis accusabit, quis condemnabit? Deus justificat, Christus mortuus est. Quis separabit nos à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Num periculum, num gladius? &c. Imò in his omnibus plus quam vincimus, per eum qui dilexit nos. Et post hæc sequitur verbũ πεποίθαμαι. Manifestissimũ autem est, eum cum ratione (quod dicitur) insanire, qui totam illam orationem, de dubitatione conaretur explicare. Et inter ipsos Pontificios, nemo hactenus ausus fuit dicere, Paulum Rom. 8. de sua etiam salute incertum dubitare: nisi quòd Iesuitarũ impudentia hoc tentavit, quã Andradius non æquare tantùm, sed & superare contendit.

3. Doctrina de vero usu Sacramentorum, præbet suavissima argumenta de certitudine salutis credentium, contra dubitationẽ Pontificiorum. Certum enim est, filium Dei promissioni gratiæ, sua institutione addidisse signa illa quæ Sacramenta vocantur: ut promissio Evangelii non tantùm in genere proponeretur, sed ut in actione Sacramentorum, generalis illa promissio singulis fide utentibus offerretur, applicaretur & obsignaretur: & quidem ut fidei infirmitas, quæ generali & nuda promissione contra spẽ in spem ægrè se potest sustentare, efficacia sacramentorum sublevaretur & confirmaretur. Ita Rom. 4. Circumcisio vocatur sigillum justitiæ fidei. Galatas tertio: Quotquot baptisati estis, Christum induistis. prima Petri tertio, Baptismus est stipulatio bonæ conscientiæ. In usu cœnæ Dominicæ, singulis non indignè accedentibus filius Dei applicat illud: Accipe, ede: hoc est corpus meũ, quod pro te traditum est: hoc poculum, novum Testamentum est, &c. Ita oratio Damasceni, in sumptione mysteriorum inquit: Dignare ut accipiam, εἰς ἀῤῥαβῶνα τῆς μελλούσης ζωῆς καὶ βασιλείας. De absolutione quàm dulcis est promissio: Quorum remiseritis peccata, remissa erunt eis. Quicquid solveritis in terra, solutũ erit in cœlo. Hinc Gerson

Gerson. Gerson rectè disputat, absolutionem non in optativo modo, sed propter certitudinem pronunciandum esse in indicativo modo, sicut hac forma absolutionis Nathan utitur: Dominus abstulit peccatum tuum. Et Christus Luc. 7. Fides tua te salvum fecit, vade in pace. Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Hæ dulcissimæ consolationes non tantùm labefectantur, sed omnino conscientiis eripiuntur per Pontificiam dubitationem.

4. Firmissima argumenta contra Pontificiorum dubitationem, sumuntur ex testimoniis Scripturæ de obsignatione credentium per Spiritum sanctum. Ephes. 1. Postquam credidistis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ. 2. Corinth. 1. Deus est, qui obsignavit nos, dedit; arrham spiritus in cordibus nostris. Ephes. 4. Nõ contristetis spiritum, quo obsignati estis in diem redemptionis, &c. Emphases vocabulorum obsignationis & arrhabonis, pulcherrimæ confirmant hanc doctrinam. Obsignatio enim extra omnem controversiam iis adhibetur, quæ volumus aliis ad quas illas pertinent, indubitata, & quam certissima esse, & quidem in hunc finem adhibetur, ut omnis dubitatio & hæsitatio, quæcunque incidere posset, per obsignationem removeatur. Nec verò obsignatio spiritus in singulis credentibus, ad generalem tantùm persuasionem pertinent, sed ut singuli statuant sibi firmam & certam esse promissionem, & quidem contra dubitationem, quæ naturaliter hæret in animis nostris, Deus adhibet obsignationem preciosissimam & firmissimam, ipsum scilicet Spiritum sanctum.

Alterum vocabulum, est arrhabo, quod origine Hebraicum esse, certum est. Significat autem hypothecam, cautionem seu symbolum, quodcunque sit, quo ratificatur & confirmatur fideiussio, non certè ut de ea dubitetur, sed ut ei fides indubitata habeatur. Hoc etiam vocabulo appellantur obsides, 4. Reg. 14. usurpatur & Genes. 28. sicut à Latinis arrha, pro parte aliqua per soluti precii, qua fides fit persolvendæ reliquæ summæ. Et hæc vocabula præbent dulcissimam consolationem. Quia enim salvi sumus, sed spe, Romanor. 8. & interim variis tentationibus fides quassatur & concutitur, ne propterea de bona Dei erga nos voluntate, de remissione peccatorum, adoptione, salute, & vita æterna dubitemus, dedit nobis quasi obsidẽ, pignus & arrham, non Angelum, vel creatum aliquid, sed ipsum Spiritum sanctum, qui est ὁμοούσιος patri & filio, ut contra omnem dubitationem, in fiducia salutis nostræ, quæ in nobis revelabitur, acquiescere possimus. Et illæ metaphoræ manifestis sententiis alibi explicantur. 1. Ioan. 5. Qui credit in filium, habet testimonium in seipso. Rom. 8. Spiritus sanctus dat testimonium spiritui nostro, quòd filii Dei simus. Galat. 4. Deus misit spiritum filii sui in corda nostra, clamantem ãbba pater. 1. Cor. 2. Accepimus spiritum ex Deo, ut sciamus quæ nobis à Deo donata sunt. Ephes. 1. Illuminati oculos mentis, ut sciamus quæ spes hæreditatis nostræ, &c. Insignis igitur contumelia est in spiritum gratiæ, decretum Tridentini Concilii de dubitatione veræ fidei.

De his dulcissimis sententiis Andradius inquit, ridiculæ magis quàm acutè dici credentes inde etiam certos reddi de reconciliatione, quòd Spiritus sanctus id intus in animo testetur. Quia inquit, sine peculiari revelatione nemini certò constare potest, illam quam multi sentiũt mentis testificationem, esse Spiritus sancti voces. Et certum quidem est, non omnes humani animi cogitationes & impetus, esse motus & impulsus Spiritus sancti. sed quia verbum Evãgelii est ministerium spiritus, 2. Cor. 3. Ioã. 6. & ex auditu fidei Spiritus accipitur, Gal. 3. testificationem igitur in mente credentium, ex fide secundum promissionem Evangelii conceptam, certum est esse obsignationem Spiritus sancti, sicut Paulus inquit: Postquam credidistis, obsignati estis spiritu promissionis sancto, Ephes. 1. Andradius verò vult, hæc judicari non secundum verbum promissionis, sed expectandas esse peculiares revelationes alias, sine quibus ambiguam, dubiam & incertam, forsan etiam falsam esse credentium, fiduciam, ipsam etiam obsignationem spiritus, de qua Paulus loquitur.

5. Idem probatur ab exemplis sanctorum, ut de Abraham. Roma. 4. Paulus dicit: Contra spem in spem credidit. Et non infirmatus est fide, in promissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Ideò & reputatum est ei ad justitiam. Hæc non verba, sed fulmina sunt cõtra Tridentinum decretum, quod dicit: Nemini qui in fiducia remissionis peccatorum juxta promissionem acquiescit, peccata remitti. Paulus verò dicit: Ideo reputatum est ei ad justitiam. Nec de generali assensione loquitur Paulus, sed de applicatione ad individuum, ad Abraham scilicet.

David inquit Psalm. 22. Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Psal. 26. Dominus salus mea, quem timebo? à quo trepidabo?

Psalm. 30. In te Domine speravi, non confundar in æternum. Item: Qui confidit in Domino, sicut mons Sion in æternum non commovebitur.

Paulus Ro. 8. Quis accusabit, quis condemnabit, quis separabit? &c. persuasum enim mihi habeo, quòd nulla creatura poterit nos separare à dilectione Dei, qua diligit nos in Christo Iesu Domino nostro.

Luc. 7. Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace, fides tua te salvum fecit. Matth. 9. Bono animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua.

6. Dubitatio pugnans cum fiducia, disertis verbis in Scriptura reprehenditur. Matth. 6. O modicæ fidei. Matth. 14. Modicæ fidei, quid dubitasti? utitur verbo διστάζειν, quod significat, quãdo animus affectibus, nunc huc nunc illuc impellitur, ut non maneat in una sententia. Ita usurpatur 7. Ethicor. cap. 2. Et idem est quod Pontificii dicunt, spem assentiri quidem propter probabiles rationes uni parti, sed tamen cum formidine partis alterius. Roman. 4. Iacob. 1. Marc. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidei opponitur verbum διακρίνεσθαι, quod Budæus inde dici sentit, q illi qui hæsitant, secum ipsi alternantibus sententiis quasi litigant & disceptant. Et planè talem fidem fingunt Pontificii.

Luc. 12. loco ὀλιγοπιστίας, utitur verbo μετεωρίζεσθαι, quod significat animum ancipiti & solicita dubitatione suspensum, quò res evasura sit: sicut quæ in sublimi suspensa sunt, facili momento huc illuc impelluntur. Ita Thucyd. lib. 2. Tota Græcia μετέωρος ἐλῦ. Græci interpretes Psalm. 41. 92. 87. de fluctibus maris vehementioribus hoc vocabulum usurpant. Et hanc antithesin Iacobus cap. 1. explicat: Postulet in fide, nihil hæsitãs, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento circumagitur. Non ergo existimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino. Loquitur autem Iacobus non simpliciter de infidelitate, sed utitur verbo διακρίνεσθαι: de quo jam dictũ est. Simpliciter igitur damnat Tridentinam dubitationem. Et observet Lector, quòd Tridentinum Decretum hæsitationem facit virtutem fidei: Paulus verò Roma. 4. eam tribuit τῇ ἀπιστίᾳ, incredulitati. Et Rom. 14. synonyma sunt. Quicquid non est ex fide, &: Quicquid fit dubitante conscientia. Et affirmat, dubitationem non tantùm per se esse vitium, verumetiam contaminare alia opera ut fiant peccata.

7. Vtilis est hæc etjam observatio, unde sumpta sit doctrina, quæ jubet verè credentes dubitare de remissione suorum peccatorum. Nam Matth. 9. scribæ, de generali quidem promissione remissionis peccatorum, non dubitant, sed Christum blasphemiæ arguunt, propterea quod doceat, se tam certò promittere, & donare remissionem peccatorum credentibus, ut jubeat paralyticum θάρσει, hoc est, bono & tranquillo animo esse. Ita Lucæ 7. cùm Christus mulierem absolveret: Remittuntur tibi peccata tua, & juberet eam in pace ire, Pharisæi murmurabant blasphemi essent.

Et Novatiani, conversis post lapsum non simpliciter negabant remissionem peccatorum, sed jubebant illos bene quidem sperare, non tamen certò statuere, vel posse vel debere peccata sibi remitti. Ita enim in Tripart. libro nono error ipsorum describitur: esse quidem lapsos invitandos ad pœnitentiam, remissionem verò Dei potestati relinquendam. Ita etjam Ambrosius de pœnitentia libr. 1. cap. 2. Novatiani dicunt, se soli Deo remittendorum criminum potestatem reservare. Sed Christus mandavit discipulis, solvere peccata. Et libr. 2. capit. 5. dicit: Novatianos probabilienda dubitatione de remissione peccatorum, objecisse locum ex Actis capit. 8. ubi Petrus dicit: Pœnitentiam age, si fortè tibi remittatur iniquitas peccati tui. Ibi dicunt: Petrum non certò affirmasse, pœnitentibus peccata dimitti. Ambrosius verò respondet: Petrum ita loqui, quia Simon magus non ex fide credebat, sed dolum cogitabat. De phrasi verò, inquit, ego nec Petrũ dubitasse dico. Nec verbi unius præjudicio, totam causam frangulandã arbitror. Nam & Christus dicit Ioan. 8. Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis. Et addit: Nec poterat Petrus dubitare de Christi munere, qui sibi solvendorum peccatorum dederat potestatem. Observet Lector, Novatianos in suo certamine non simpliciter disputasse, Deum nemini qui post lapsum pœnitentiam agit, velle peccata remittere, sed hæc fuit juxta Ambrosium controversia, an minister Ecclesiæ, cui commissa est potestas solvendi peccata, certò debeat affirmare, an verò dubitativè proponere illis, qui pœnitentiam agunt, peccata dimitti. Item, an pœnitens, qui vera fide amplectitur Christum, certò statuere, an verò dubitare debeat, sibi peccata dimitti. Et ad hanc descriptionem certaminis Novatiani, conferatur doctrina Pontificia, de dubitatione. Addam verò & hoc, quòd alius quidam supposititius libellus de exhortatione ad pœnitentiam, sub titulo Ambrosii dicit: Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Non dico damnabitur, sed nec liberabitur dico. Non præsumo, non promitto, prorsus nescio de Dei voluntate. Aut ignoscetur tibi aut non ignoscetur, quid horum tibi futurum sit, nescio.

Hæc certè contradictoria planè sunt ejus sententiæ, quam Ambrosius contra Novatianos ex Scriptura defendit. Et hoc observet Lector, multa supposititia interspersa esse scriptis Patrum, ut ita specie antiquitatis simplicioribus facilius imponatur.

Postremò extant & veterum Scriptorum præclara testimonia, quę ostendunt novitium & adulterinum esse Pontificiorum dogma, de dubitatione. Nos illa tantùm annotabimus, in quib. conspicitur planè eadem tunc contra fiduciam fidei fuisse objecta, quæ nunc agitantur & opponuntur à Pontificiis.

De objectione enim arrogantiæ & superbiæ Augustinus inquit sermone 28. de verbis Domini: Omnia tibi peccata tua dimissa sunt. Ideo præsume non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim salvati estis, inquit Apostolus. Non ergo hic arrogantia est, sed fides, prædicare quod acceperis, non est superbia, sed devotio. De objectione indignitatis & indispositionis Augustinus in Psalm. 88, ita inquit: Hoc dixit Deus, Hoc promisit, si parum est, hoc juravit, quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, nemo debet cum trepidatione prædicare, de quo non potest dubitare. Bernhardus de fragmentis septem serm. 3. Tria considero, in quibus tota spes mea consistit. Charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatẽ redditionis, murmuret jam quantum voluerit insipiens cogitatio mea dicens: Quis es tu, aut quanta est illa gloria, quibusve meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondeo: Scio cui credidi & certus sum, quia in charitate nimia adoptavit me, quia verax est in promissione, quia potens in exhibitione. Hic est funiculus triplex, qui difficilè rumpitur: quem nobis è patria nostra in hunc carcerem usque demissum, firmiter obsecro teneamus, ut ipse nos sublevet, ipse nos trahat, & pertrahat usq; ad conspectum gloriæ magni Dei.

Ad objectiones ex Ioele & Iona, Nazianzenus in oratione consolatoria in grandinis calamitate ita respondet: Quis scit, num quid convertatur &

tur & pœniteat, & relinquat benedictionem? Atqui manifestè hoc scio. Ego divinæ clementiæ fidejussor sum. Ad sententiam Solomonis, quæ ab adversariis semper opponitur Bernhardus pulcherrimè respondet serm. 5. in dedicat. Quis poterit salvus esse? dicunt discipuli. Et apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum. Sed de possibilitate jam certi, de voluntate quid agimus? Quis scit, si est dignus amore vel odio? Quis novit sensum Domini? Hic jam planè fidem nobis subvenire necesse est. Hic oportet succurrere veritatem, ut quod de nobis latet in corde patris, nobis per ipsius spiritum reveletur, & spiritus ejus testificans, persvadeat spiritui nostro, quòd Filii Dei sumus: persvadeat autem vocando, & justificando gratis per fidem.

De præsumptionis objectione, Augustinus respondet Tractat. 22. in Ioan. Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi, & tu tibi audes promittere, quia in judicium non venies? Absit, inquis, ut ego hoc mihi promittere audeam: sed credo promittenti (in judicium non veniet.) Ideò non præsumptione mea, sed ipsius promissione in judicium non venio.

Ad objectionem de fide generali, respondet Bernhardus De annunciatione serm. 2. Necesse est primum omnium credere, quòd promissionem habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Sed adde, ut credas hoc, quòd per ipsum peccata tua dimittantur. Hoc est testimoniũ quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo: Dimissa tibi sunt peccata tua.

Dubitationem & incertitudinẽ pugnare cum ipsa fide & justificatione, Hilarius pronunciat in 5. Matth. Regnum cœlorum quod Dominus noster in se esse positum, est professus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperare, quòd alioqui justificatio ex fide nulla est, si fides sit ambigua.

Cyprianus Serm. 4. de mortalitate: Quis hic anxietatis & solicitudinis locus est? Quis inter hæc trepidus & mœstus est, nisi cui spes & fides deest? Ejus est enim mortem timere, qui ad Christum transire nolit: ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim, justum fide vivere. Si justus es, & fide vivis, si verè in Deum credis: cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, amplecteris? Item, Deus tibi de hoc mundo recedẽti, immortalitem pollicetur, & tu dubitas & fluctuas, hoc est, Deum omnino non nosse, hoc est, Christum credentium magistrum peccato incredulitatis offendere, hoc est, in Ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere.

Hæc fundamenta profectò tam sunt firma & perspicua, ut mirum sit invenire homines, & quidem titulo Ecclesiæ gloriantes, qui ausint contrarium statuere, & quidem cum anathematis denunciatione, veram, firmam & certam consolationem conscientiis eripere, ut homines in pristinam rursus conscientiarum carnificinam detrudant.

Sed inquis: Habent & ipsi dubitationis suæ rationes. Respondeo: Antea diximus, quia simpliciter legem tantùm docent, hoc est, hominem suis qualitatibus & operibus justificari, non possunt aliud doctrina sua efficere, quàm perpetuas dubitationes, & tandem desperationem. Hæc verò suprà sunt explicata. Videbimus jam de reliquis objectionibus.

Et quòd primò dicunt, hæreticos qui falsas & blasphemas opiniones defendunt Epicureos etjam in mediis sceleribus sine pœnitentia, posse talem persvasionem certitudinis sibi fingere, facilis est responsio. Nõ enim loquimur vel de falsa, vel de mortua aut diabolica, sed de vera fide, & verè credentibus. Nihil igitur amplius dico quàm prodigiosam esse argumentationem, propter falsam fidem labefactare & convellere veram fidem.

Secundò opponunt contra fiduciam, respectum propriè infirmitatis & indignitatis. Et speciosè amplificant, quàm grata Deo virtus sit, vera animi humilitas, agnoscens & confitens propriam indignitatem, quando in conspectum Dei progrediendum est. Respondeo. Fides nostra omninò habet, & debet habere adjunctam veram humilitatem, quæ seriò considerat, agnoscit & fatetur propriam nostram indignitatem, ita ut non ausit nostram dignitatem opponere judicio Dei, in articulo justificationis: sed seriò statuit, & ex animo confitetur: Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Hæc verò humilitas non facit fidem dubiam & fluctuantem, quia non detinet conscientiam in lege, ut propriam dignitatem opponat judicio DEI, sed impellit & urget, ut quærat aliam promissionem, in qua gratis propter filium Mediatorem, pater credentibus donet reconciliationem, ut quia in propria dignitate non potest invenire, quo tutò coram judicio Dei nitatur, apprehendat illum Mediatorem, in cujus vulneribus firma turaq; securitas est verè credentibus, sicut Bernhardus loquitur.

Tertiò doctrinam de prædestinatione sive electione, opponunt contra fiduciam salutis, utq; specie aliqua illud faciant, dicunt temerariam præsumptionẽ arcani mysterii prædestinationis cavendam esse. Et verum sanè est, quòd sedulò etjam apud nos docetur, non esse arcanum consilium Dei inquirendum, ut inde statuamus, an simus in numero electorum, hoc enim præcipitium est in multos errores, & denique in ipsam desperationem. De electione enim non est judicandum ex rationis cogitationibus, aut dubiis speculationibus, quid in arcano consilio Dei, de cujusque vel salute, vel damnatione decretũ sit, sed ex verbo Dei, in quo voluntatem suam Deus nobis patefecit: non autem ex lege, quæ de nostris operibus, meritis & dignitate concionatur, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex Evangelio. Loquitur autem Evangelium de electione, non ſicut Poëtæ de tabulis Parcarum fabulantur, alios ad vitam, alios ad mortem adſcriptos eſſe: qua de re planè nihil nobis conſtet, an ſimus in numero ſalvandorum, an verò damnandorum. Sed doctrina prædeſtinationis proponit decreta à Deo facta, & poſtea in verbo revelata, de cauſis & modo ſalvandi aut damnandi, ut eſt. 1. Decretum Dei de redimendo genere humano, per obedientiam & paſsionem Chriſti mediatoris. 2. Decretum de vocandis, per miniſterium verbi, tam Iudæis quàm Gentibus, ad communionem meriti Chriſti ad ſalutem. 3. Decretum Dei, quòd ſpiritu ſuo velit per auditum verbi in cordibus hominum operari, ut agant pœnitentiam, & credant Evangelio. 4. Decretum Dei, quòd illos qui cùm ſentiunt peccata ſua & iram Dei, fide confugiunt ad thronum gratiæ, & Chriſtum mediatorem in promiſsione Evangelii propoſitum amplectuntur, velit juſtificare & ſalvare: abjicientes verò verbum, aſpernantes & non amplectentes promiſsionem, velit damnare.

Hæc eſt ſumma & ἀνάλυσις doctrinæ de prædeſtinatione, ſicut illa in verbo patefacta eſt, quæ non docet verè credentes debere dubitare, an ſint in numero electorum, ſed ſicut Paulus Romanorum octavo gradationem inſtituit: Quos elegit, hos vocavit. Quos vocavit, juſtificavit. Ergo quos DEVS vocat & juſtificat, illi certò debent ſtatuere ſe eſſe electos. Et Lector ſi inſpexerit Scripturæ ſententias de electione, manifeſtè videbit doctrinam prædeſtinationis in Scriptura patefactam eſſe, non ut dubiam & incertam redderet ſalutem credentium, ſed ut eſſet fundamentum certitudinis. Epheſ. 1. Elegit nos in Chriſto, ante creationem mundi. 2. Timoth. 2. Fundamentum Dei ſtat firmum, habens hoc ſigillum: Novit Dominus ſuos. Ioan. 10. Oves meæ vocem meam audiunt, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea. Roman. 8. Qui ſecundum propoſitum Dei vocati ſunt. Quis igitur damnabit? quis ſeparabit? Ro. 11. Dona & vocatio Dei ſunt ſine pœnitentia. 2. Timot. 1. Non dedit nobis ſpiritum timoris. Vocavit enim nos ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam quæ data nobis eſt in Chriſto Ieſu, ante tempora ſecularia, &c.

Et nunc quidem totam doctrinam prædeſtinationis non conſtitui explicare: ſed tantùm oſtendere volui, electionẽ Dei, ſicut in verbo Dei patefacta eſt, non labefactare, ſed confirmare & ſtabilire certitudinem ſalutis, & fiduciam credentium. Falſum enim eſt, quod in 12. cap. dicit Tridentinum Concilium, ex verbo Dei nõ poſſe ſciri, quos Deus ſibi elegerit, niſi præter & extra verbum ſpecialis revelatio accedat. Neque hoc verum eſt: neminem verè credentem, ex verbo Dei, ſine peculiari revelatione certò poſſe ſtatuere, ſe eſſe in numero prædeſtinatorum. Pugnant enim hæc cum Scriptura, ſicut oſtendimus. Non ignoro autem, multa inextricabilia & portentoſa necti de prædeſtinatione, à ſpinoſis ingeniis, ſed quam judicem eſſe ſimpliciſsimam ſententiam, breviter expoſui.

Quartò, objiciunt etjam ſententias de perſeverantia. Vt maximè de præſenti gratia certi ſint credentes, neminem tamen certum eſſe, an ſit perſeveraturus in finem. Et quia illi ſoli ſalvi fiunt, qui uſque in finem perſeverant: non igitur poſſe certam fiduciam eſſe de ſalute credentium. Reſpondeo: Multos non perſeverare, ſed gratia excidere, & Scriptura & experientia docet. Sed hoc fit non inde & ideò, quaſi Deus nolit credentes, quos ſemel in gratiam recepit, ad finem uſq; conſervare, ſed ideò fit, quia multi ſecuritate, diffidentia & operibus carnis, Spiritum ſanctum effundunt, & fidem excutiunt. Non igitur docendi ſunt homines, quomodocunque ſe gerant, non poſſe ipſos excidere gratia DEI. Scriptum eſt enim Romanorum undecimo: Si permanſerit in bonitate Dei. Hebræorum tertio: Modò fiduciam retineant uſque ad finem. Sed monendi ſunt, ut actiones carnis ſpiritu mortificent, & fide firmiter inhæreant Chriſto, illiq; per uſum verbi & Sacramentorum magis magisq; uniantur, & petant à Deo donum perſeverantiæ: luctenturq; ne carnis petulantia donum perſeverantiæ excutiant.

Et hoc modo non debent dubitare de perſeverantia, ſed ſtatuere, juxta promiſsiones Philip. 1. Qui cœpit in vobis, perficiet uſq; in diem Ieſu Chriſti. Vocati enim ſumus ad conſortiũ Chriſti ſempiternum: non ut mox iterum abjiciat, quos ſibi adjunxit, ſed (ſicut inquit) nõ peribunt in æternum. Nemo rapiet eas de manu mea. 1. Cor. 1. Confirmabit vos uſq; in finem, ſine crimine, in die adventus Domini. Ita David inquit: Non confundar in æternum. Et Ioannes dicit: Hæc ſcribo vobis, ut ſciatis, quòd vitam habetis æternam. Item, ſcimus cùm apparuerit, quòd ſimiles ipſi erimus. Roma. 8. Quis ſeparabit? certus ſum enim, quòd nec præſentia nec futura nos ſeparabunt. 2. Tim. 4. Repoſita mihi eſt corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die. Roman. 5. Gloriamur ſpe gloriæ Dei. Hæ ſententiæ manifeſtè oſtendunt, ſpem fidelem de perſeverantia, non eſſe inter cœlum & terram in ambigua dubitatione ſuſpenſam.

Quintò agitant has & ſimiles Scripturæ ſententias. 1. Corin. 10. Qui ſtat, videat ne cadat. Philip. 2. Cum timore & tremore operemini ſalutẽ. Roman. 11. Noli altum ſapere, ſed time. 1. Petr. 1. In timore incolatus veſtri tempore converſimini. Proverb. 28. Beatus qui terret aſsiduè cor ſuum. Ad has ſententias reſponſio generalis eſt. Monent enim, ne perſuaſione certitudinis de ſalute, degeneremus in carnalem ſecuritatem, qua ipſa fides ſuffocatur & extingvitur. Nec indulgeamus vitioſis affectibus, ita enim fides excutitur. Et niſi permanſerimus in bonitate Dei, excindemur, Rom. 11. Non manet autem fides in illis, qui ſine pœnitentia indulgent pravis affectibus. Sunt ergo hæ ſententiæ non conciones de dubitatione fidei, ſed exhortationes, ne fides poſ ſidens certitudinem ſalutis, vel ſecuritate extingvatur, vel actionibus carnis excutiatur, ſed ut exerceatur perpetuò in lucta contra carnem, ne illius petulantia effundatur gratia, Spiritus ſanctus, & certitudo ſalutis. Quædam etjam tales ſententiæ, credentibus ob oculos ponunt ſuam infirmitatem, non ut fidem in dubitationem conjiciant, ſed ne credentes inſoleſcant, fiducia donorum, ſed ut toti à Domino pendeant, ardentius & firmius inhæreant miſericordiæ promiſſæ propter Chriſtum.

Sextò, Andradius utitur etjam hoc argumento contra fiduciam. Paulus dicit: Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum juſtificatus, quia qui me judicat, Dominus eſt. Ergo Paulus de ſua juſtificatione non fuit certus. Reſpondeo: Paulus non tantùm dubitat, an ſua novitate & ſuis operibus ſit coram Deo juſtificatus, ſed diſertè dicit: In hoc non ſum juſtificatus. Et rationem addit: Quia licet ipſum conſcientia non reprehendat, & coram hominibus ſit irreprehenſibilis: tamen coram Dei judicio non poſsit illa juſtitia conſiſtere. Aliam igitur quærit, in obedientia & merito Chriſti, quam opponere poſsit judicio & iræ Dei, ut reconcilietur, adoptetur, & acceptetur ad vitam æternam. Et de illa juſtificatione non dubitativè loquitur, ſed Romanorum quinto: Iuſtificati fide, pacem habemus. Fide acceſſum habemus ad gratiam, in qua ſtamus & gloriamur, Romanorum octavo: Quis condemnabit? Deus eſt qui juſtificat, &c. Paulus igitur veræ fidei in CHRISTVM non adimit fiduciam & certitudinem juſtificationis, ſed ſuis operibus non dubitativè, ſed ſimpliciter adimit juſtificationem, non tantùm quæ fecit ante converſionem, ſed cùm renovatus per ſpiritum, in novitate eo uſque jam eſſet progreſſus, ut dicere poſſet, nihil mihi ſum conſcius, tamen addit: In hoc non ſum juſtificatus, quia qui me judicat, Dominus eſt, cujus judicium requirit talem perfectionem, ut qui in uno delinquit, reus ſit omnium.

Solomonis ſententiam Eccle. 9. Tam amorem quàm odium neſcit homo. Andradius ita explicat, tam eſſe hominis vivendi rationem obſcuram, ut neſciat, quid potius mereatur, odiumne an amorem. Ergone dubium eſt in Eccleſia, an Sodomitarum ſcelera diſpliceant Deo? Paulus certè magna aſſeveratione aliquoties repetit: Qui talia agunt, regnum Dei non poſsidebunt. Et ipſe Solomon in eodem capite mox dicit: Quia Deo placent opera tua. Quid igitur (inquis) eſt, quòd Solomõ dicit: Tam amorem quàm odium neſcit homo? Reſpondeo: Quilibet verborũ ſuorum ipſe optimus interpres eſt. Solomon igitur mox addit ſententiæ illius rationem. Et amorem & odium neſcit homo, eò quòd univerſa æquè eveniant juſto & injuſto, unde corda hominum implentur malitia, hoc eſt, Ex eventibus externis in hac vita, non debet nec poteſt ſtatui, utrum Deo placeamus, hoc enim judicium ſeducit impios. Non autem ſequitur. Ex eventibus non poteſt ſtatui, ergo fides etjam ex verbo Dei debet incerta eſſe. In eodem enim libro etiam dicitur: Ex eventibus externis nõ poſſe cognoſci, utrum differat anima hominis à pecude, quia idem ſit utriuſque interitus. Rectè igitur Bernhardus dicit, rationem per ſe & ex eventibus non poſſe ſtatuere de amore DEI erga nos, ſed fidem ex veritate verbi divini hoc ſtatuere, & poſſe, & debere.

Locum Syracidis cap. 5. dixi eſſe depravatum à monachis, qui fecerunt (De propitiato peccato noli eſſe ſine metu) ut dubitationem inde poſſent ſtabilire. Andradius verò contendit, ex Græco etjam textu illud poſſe probari, quia propicium illud dicatur, quod jam eſt condemnatum. Ergo fides etjam poſt acceptam jam reconciliationem debet dubitare. Atqui in Græco non eſt participium præteritum, ſed περὶ ἐξιλασμοῦ, de propitiatione. Et ipſe textus ſe explicat. Inquit enim: Ne dixeris, Peccavi, & quid mihi accidit? Et poſtea: Ne ſis ſine metu, ut adjicias peccatum ſuper peccatum, eò quòd miſeratio Domini magna eſt. Concionatur itaque contra carnalem ſecuritatem, ne quis cumulet peccata ſine pœnitentia, ideò quia propoſita ſit propitiatio, vel ne quis ita ſit ſecurus, ut differat reconciliationem. Hæc vera ſunt, quæ & nos ſedulò monemus. Inde verò non ſequitur: Ergo fides debet dubitare de accepta propitiatione peccati.

Hæc fundamenta perſpicua, firma & ſolida ſunt. Quod enim objicitur, multos hac doctrina abuti ad ſecuritatem, vera eſt reſponſio, propter abuſum non mutandam doctrinæ veritatem, ſed ſervandum eſſe præceptum Pauli, de rectè ſecando verbo Dei. Impœnitentibus enim non proponuntur hæ conſolationes, ſed fulmina, Epheſ. 5. Galat. 5. Coloſ. 3. 1. Corinth. 6. Qui talia agunt, regnum Dei non poſsidebunt. Illis verò qui in pavoribus fide confugiunt ad thronum gratiæ, proponimus non dubitationem, ſed certam & firmam conſolationem, ex promiſsione Evangelii. Quia verò in ipſis credentibus eſt adhuc caro & ſpiritus, vetus & novus homo, ſemper inculcantur etjam illæ commonefactiones, ne abutantur promiſsione Evangelii, ad ſtabiliendam ſecuritatem, & petulantiam carnis: qui verò contemptis illis commonefactionibus, doctrina hac abutuntur, cogitent quod ſcriptum eſt. 2. Petr. 3. Depravant Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.

Poſtremò addenda eſt hæc cõmonefactio, nos nõ loqui de idea quadam certitudinis fidei, quæ in hac carnis infirmitate nulla prorſus tenetur dubitatione, quæ nihil ſentiat trepidationum: quaſi infirma & langvida fides, quæ non ſentit perfectam fiduciam, & abſolutam certitudinem, judicanda ſit, non eſſe vera fides, ſuprà enim oſtendimus, fidem quantumvis infirmam, modò verum objectum apprehendat, veram eſſe. Sed inquis: Cur igitur proponitur doctrina de fiducia & certitudine fidei, in hac carnis infirmitate? Reſpondeo: Propter duas cauſas. 1. Vt ſciamus, quicquid ſentitur dubitationum ſeu trepidationum, non eſſe de natura fidei, ſed pertinere ad illas ſententias: In carne mea non habitat bonum. Volenti mihi agere bonum, adjacet malum. Credentes igitur, coram Deo has ſordes dubitationum non jactant quaſi virtutes fidei, ſed agnoſcunt, fidẽ quatenus opus & virtus eſt in nobis, eſſe imperfectam, & illas ſordes, quæ fidei ex carne aſpergũntur, petunt tegi & ignoſci. Et tamen propter objectum, quod in illa infirmitate fides apprehendit, habent certam & firmam conſolationem. 2. Proponitur ideò, ne indulgeamus dubitationib. ſed luctemur cum infirmitate fidei, ut ſemper ita enitamur ad certitudinẽ, ne patiamur

Universidad de Deusto
Biblioteca

mur nobis excuti fiduciam, sed ut illa confirmetur, crescat & augeatur. Ideò enim Deus in exercitiis fidei proposuit remedia verbi, sacramentorum & orationis. Imò ideò spiritus adjuvat infirmitates nostras, ut fides possit eluctari, ne linum fumigans extingvatur, utq; in ipsa infirmitate, fides nihilominus habeat certam & firmam consolationem, sicut Paulus dicit: Non tam apprehendi quàm apprensus sum, non tam cognovi, quàm cognitus sum.

Ita contra omnes sophisticas cavillationes plana, vera, utilis & necessaria est doctrina de certitudine reconciliationis, juxta promissionem Evangelii: in qua vera fiducia credentes acquiescunt, aut saltem acquiescere conantur.

DE BONIS OPERIBVS.

DE OBSERVATIONE MANDATORUM, deq; illius necessitate & possibilitate.

CAPVT XI.

Nemo autem quantumvis iustificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet, nemo temeraria illa, & à patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini iustificato observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat ut possis, cuius mandata gravia non sunt, cuius iugum svave est, & onus leve. Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt, qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones eius, quod utiq; cum divino auxilio præstare possunt. Licet enim in hac mortali vita, quantumvis sancti & iusti, in levia saltem & quotidiana, quæ & iam venialia dicūtur, peccata quandoq; cadant, non propterea desinunt esse iusti. Nam iustorum illa vox est, & humilis & verax: Dimitte nobis debita nostra. Quo fit, ut iusti ipsi eò magis se obligatos, ad ambulandum in via iustitiæ sentire debeant, quo liberati iam à peccato, servi autem facti Deo, sobriè, iustè & piè viventes, proficere possunt per Christum Iesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus namq; sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur. Itaq; nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditatemq; consequuturum: etiamsi Christo non compatiatur, ut & conglorificetur. Nam & Christus ipse (ut inquit Apostolus) cum esset filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Propterea Apostolus ipse monet iustificatos, dicens: Nescitis, quòd ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Item princeps Apostolorum Petrus: Satagite, inquit, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionē faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Vnde constat: eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari, qui dicunt iustum in omni bono opere, saltem venialiter peccare, aut, quod est intollerabilius, pœnas æternas mereri, atq; etiam eos, qui statuunt in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese in studio ad currendum cohortando, cùm hoc ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam, cùm scriptum sit, Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem. Et de Mose dicat Apostolus, quòd respiciebat in remunerationem.

DE FRVCTV IVSTIFICATIONIS, hoc est, de merito bonorum operum, deq; ipsius meriti ratione.

CAPVT XVI.

Hac igitur ratione iustificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò conservarint, sive amissam recuperaverint proponenda sunt Apostoli verba: Abundantes in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. Et nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Atq; ideo bene operantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia, filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces, ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorū operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum certamē & cursum, reposita sibi esse aiebat Apostolus, a iusto iudice sibi reddendā, & non solum sibi, sed & omnib. qui diligunt adventum eius. Cùm enim ille ipse Christus Iesus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat: quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quo minus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi, pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint consequendam, verè promeruisse censeantur, cùm Christus Salvator noster dicat: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Itaque neque propria nostra iustitia, tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur aut repudiatur iustitia Dei. Quæ enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum.

Neq; verò illud omittendum est, quòd licet bonis operibus in sacris literis usq; adeo tribuatur, ut eam, qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede carituram, & Apostolus testatur id, quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operari in nobis, absit tamen, ut Christianus homo in seipso, vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes, unusquisque sicut misericordiam & bonitatem, ita severitatem & iudicium ante oculos habere debet, neq; seipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit, iudicare, quoniam omnis hominum vita, non humano iudicio examinanda & iudicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc

tunc laus erit unicuiq; à Deo, qui (ut scriptum est) reddet unicuique secundum opera sua.

Post hanc Catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi quisq; fideliter firmiterq; receperit, iustificari non poterit, placuit sanctæ Synodo hos Canones subiungere, ut omnes sciant, non solùm quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant.

CANON XVIII.

Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.

XIX.

Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neq; præcepta, neque prohibita, sed libera, aut X. præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.

XX.

Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi verò ad Evangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine cōditione observationis mandatorum, anathema sit.

XXI.

Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, ut redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatorem cui obediant, anathema sit.

XXV.

Si quis in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideò pœnas æternas mereri, tantumq; ob id non damnari, quia Deus ea opera bona non imputet ad damnationem, anathema sit.

XXVI.

Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus quæ in Deo fuerint facta, expectare & sperare æternam retributionem à Deo, per eius misericordiam, & Iesu Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo, usq; in finem perseveraverint, anathema sit.

XXXI.

Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.

XXXII.

Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius membrum vivum est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia discesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.

EXAMEN.

Non instituemus nunc integram explicationem loci de bonis operibus, sed illa quæ in Concilii Tridentini decretis, & in Andradii explicationibus contra nostras Ecclesias disputantur, breviter examinabimus, & explicabimus. Possunt autem illa 4. capitibus comprehendi.

I.
An facienda sint bona opera.

II.
Quæ sint bona opera, in quibus Deus vult renatos exercere obedientiam.

III.
An obedientia renatorum in hac vita, sit perfecta legis impletio.

IIII.
De meritis & premiis bonorum operum.

PRIMA QVAESTIO.

AN FACIENDA SINT BONA Opera.

De hac quæstione, prorsus nulla apud nos quidem est controversia, nisi quòd Pontificii illa calumnia Ecclesias nostras falsò & injustè à multis jam annis onerant, quasi ipsa verè bona opera prohibeamus, & omne studium eorum damnemus. Tridentinum Concilium cap. undecimo insimulat nos, quasi in sola fide ita nobis blandiamur, ut existimemus nos prorsus liberos esse ab observatione mandatorum Dei. Et Canone decimonono nobis obliquè tribuunt illam doctrinam, nihil esse præceptum præter fidem, cætera omnia esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, & quidem ita, ac si doctrina Decalogi nihil ad Christianos pertineat. Hæ verè Pontificiæ calumniæ, sæpius verè & graviter à nostris refutatæ sunt. Et quidem scripta nostrorum, præcipuè verò ipsa vox doctrinæ, quotidie sonans in nostris Ecclesiis, luculentum dicit coram toto mundo testimonium, ipsis etiam Pontificiorum cōscientiis non ignorum, falsò nobis talia tribui. Ipsi verò quæstionem hanc ideo tam operosè disputant, ut imperitis fucum faciant, quasi illa potissimùm inter Pontificios & nos sit controversia, an facienda sint bona opera. Ad refutandam igitur illam calumniam, pauca quædam repetenda sunt. Vtq; eo brevius illud fieri possit, tātùm capita exhortationum, ad studium bonorum operum, quæ ex Scriptura in nostris Ecclesiis proponi solent, brevissimè recitabo.

1. Inculcatur hoc, Deum justificatis & renatis nullo modo dare licentiam, ut liberè & securè possint & ausint pravis suis cupiditatibus indulgere, impio mundo se conformare, diabolo & peccato servire, mandata Dei violare & cōculcare. prima Thess. quarto, Non vocavit nos Deus ad immundiciem, sed ad sanctificationē. Romanorum 6. Peccabimus ergo, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. Roman. 3. Qui dicunt, Faciamus mala ut veniant bona, illorum damnatio justa est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Certum est & hoc, Deum justificatos & renatos non velle ociosos esse sine bonis operibus. Matthæi 20. Quid statis totum diem ociosi? 2. Petri 1. Hæc si vobis adsint, non ociosos nec infructuosos nō constituent in agnitione Christi. Matthæi tertio & septimo, Omnis arbor quæ non facit fructus bonos, excindetur, & in ignem conjicietur.

3. Nec dubiæ, nec obscuræ sunt scripturæ sententiæ, quæ justificatis & renatis studium bonorum operum commendant. Tit. 2. Christus dedit semetipsum pro nobis, ut mundaret sibi populum peculiarē, ζηλώτην, hoc est, qui peculiari zelo sit sectator bonorum operum. Ephes. 2. Ipsius factura sumus, creati in Christo Iesu ad bona opera, quæ Deus præparavit, ut in illis ambulemus. 2. Corin. 5. Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Et summa proponitur ex Psalm. 34. Declina à malo, & fac bonum. prima Petri secundo, Mori peccato vivere Deo, seu justitiæ. Ephes. 4. Deponere veterem hominem, & induere novum. Romanorum 13. Abjicere opera tenebrarum, & induere arma lucis.

4. Illam verò obedientiam Scriptura in justificatis & renatis non tantùm consulit, nec ut rem indifferentem aut arbitrariam proponit, sed tradit necessariam esse, propter voluntatem & mandatum Dei. Rom. 8. Debitores sumus, non ut secundum carnem vivamus. Ro. 13. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Luc. 17. Quæ debuimus, fecimus. 1. Ioan. 4. Et nos debemus mutuò nos diligere. 1. Thessal. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Rom. 12. Probetis quæ sit voluntas Dei. Ioan. 14. Mandatum do vobis, ut diligatis vos invicem. 1. Ioan. 4. Hoc mandatum habemus, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem.

5. Scriptura addit, non veram esse fidem, quæ non est efficax per charitatem. prima Ioannis 4. Qui dicit se nosse DEVM, & mandata ejus non facit, mendax est. 1. Timoth. 5. Qui suorum curam non habet, fidem abnegavit, & infideli deterior est. Iacob. 2. Fides sine operibus, mortua est.

6. Violatoribus proponuntur comminationes pœnarum corporalium, spiritualium & æternarum. 1. Thessal. 4. Deus ultor est de his omnibus. Psalm. 89. Si mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum. Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Colossi. 3. Propter hæc venit ira Dei super filios inobedientiæ. 1. Tim. 1. Repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragium fecerunt. 2. Petr. 1. Cui hæc non adsunt, oblivionem cœpit purgationis peccatorum. Et qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, &c.

Quia igitur & doctrina de necessitate bonorum operum, & seriæ exhortationes ad studium bonorum operum, sedulò apud nos traduntur, urgentur & inculcantur, unde quæso Pontificii sumunt occasionem, texendi virulentam illam calumniam, quasi prohibeamus, damnemus, aut certè arbitraria faciamus bona opera? Illud verò Tridentini patres Canone 20. non obscurè significant. Quia enim docemus, promissionem Evangelii de remissione peccatorum & vita æterna, non pendere ex conditione nostræ observationis mandatorum divinorum, sed ex gratuita misericordia Dei, propter obedientiam & meritum Christi mediatoris, fingunt Pontificii inde consequens esse, justificatos non teneri ad observantiam mandatorum. Quasi verò Prophetæ & Apostoli prohibeant & damnent studium bonorum operum, quàdo (sicut demonstravimus) docent ex gratuita misericordia, fide propter Christum mediatorem, sine operibus homines justificari. Neque enim quia opera nostra ex articulo, aut negocio & officio justificationis excluduntur, propterea nullas planè habent causas, nullum usum quare sint facienda. Pontificiorum verò imaginatio est: Si bona opera non ideò sunt facienda, ut illis promereamur reconciliationem cum Deo, adoptionem & vitam æternam, tunc potius omittenda esse. Ita verè sunt mercenarii, qui nihil liberaliter ut obedientes filii, præstare velint, sed ut mercenarii, serviliter spe tantùm, & expectatione præmii operari volunt, nec verò ignorare debent, quid Augustinus de hujusmodi operatoribus, ex Scripturæ sententia pronunciet.

Quamvis igitur operibus non promereamur remissionem peccatorum, reconciliationem, adoptionem & vitam æternam, aliæ tamen multæ veræ & graves causæ sunt, propter quas justificati & renati debitores sunt, ut non secundum carnem, sed secundum spiritum vivant & ambulent. Est enim voluntas & mandatum Dei, ut liberati serviamus ipsi in justitia & sanctitate coram ipso, Lucæ 1. sicut testimonia suprà annotavimus. Et illud debitum inchoandæ novæ obedientiæ, non solvitur aut tollitur per gratuitam imputationem justitiæ Christi: sed ex gratuita illa reconciliatione, accedunt multæ gravissimæ impulsivæ causæ, præstandæ novæ obedientiæ, quarum primæ quædam respiciunt ipsum Deum, ut sunt testimonia Scripturæ de Deo patre. 1. Petr. 1. Si Deum invocatis patrem, sicut filii obedientiæ, sancti estote conversantes in timore. 1. Ioannis 3. Sumus filii Dei, & qui hanc spem habent, in eo sanctificent se. 1. Ioan. 4. Si Deus dilexit nos & misit filium, debemus ergo & nos alterutrum diligere. Luc. 1. Fecit redemptionem plebis suæ, ut liberati serviamus ipsi. 1. Thessal. 4. Non vocavit nos Deus ad mundiciem, sed ad sanctificationem.

De filio. Tit. 2. Dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum. 1. Petr. 2. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ viveremus. 2. Cor. 5. Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui viuunt, jam non sibi vivant, sed Christo. Ephes. 2. Creatiin Christo Iesu ad bona opera. Rom. 6. Sepulti sumus unà cum Christo per Baptismum in mortem, ut posthac non serviamus peccato, sed in novitate vitæ ambulemus.

De Spiritu sancto. Galat. 5. Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus. Ephes. 4. Ne contristetis Spiritum

Spiritum sanctum. 1. Thes. 4. Qui hæc spernit, nō hominem, sed Deum spernit, qui spiritum sanctum dedit in nobis. Rom. 9. Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei. Ephes. 5. Sitis imitatores Dei. 1. Ioan. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Colo. 3. Condonate vobis invicem, sicut & Deus per Christum. 1. Pet. 2. Reliquit nobis exemplum, ut insequeremini vestigia ejus. Colos. 1. Ambulate dignè Deo. Philip. 1. Dignè Evangelio Christi ad laudem est & gloriam Dei. 1. Petr. 4. Vt in omnibus glorificetur Deus. Tit. 2. Vt doctrinam salvatoris ornent in omnibus. 1. Tim. 6. Ne nomen Dei & doctrina malè audiat.

2. Quædam causæ impulsivæ, respiciunt ipsos renatos, ut quia sunt renati in Christo, ergo debent esse nova creatura. 2. Cor. 5. & Rom. 6. Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo? Liberati à peccato, servi facti estis justitiæ. Ephes. 5. Vt filii lucis ambulate, nec commercium habeatis cum operibus tenebrarum. Ephes. 4. Dignè ambulate vocatione vestra. 1. Co. 6. Hæc eratis quondam, sed sanctificati estis, &c. 1. Ioa. 3. Qui peccat, nō vidit nec cognovit ipsum. Qui non diligit, manet in morte. In hoc manifesti sunt filii Dei & filii diaboli. 1. Tim. 5. Qui suorum curam non habet, fidem abnegavit. 1. Tim. 1. Quidam repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragium fecerunt, &c.

3. Quædam causæ respiciunt proximum, ut nostris officiis sublevetur. Luc. 6. Ne cuiquam offendiculum præbeamus. 2. Corin. 6. Vt nostro exemplo alii ad pietatem invitentur. 1. Petr. 3. ut benefaciendo os obturemus adversariis. 1. Pet. 2. & 3. Tit. 2.

Sed de causis finalibus bonorum operum, postea quædam repetenda erunt. Nunc breviter tantùm Pontificiorum calumnia refutanda fuit, quasi nostra doctrina vel prohibeat bona opera, vel faciat illa arbitraria, vel certè in dubiū revocet, an facienda sint bona opera. Recitavi autem præcipua Scripturæ testimonia, ut ostenderem, nos exhortari renatos ad studium bonorum operum, ex illis ipsis fontibus & fundamentis, sicut in Scriptura traduntur, utq; monstrarem, multò rectius in nostris Ecclesiis tradi doctrinā de bonis operibus, quàm apud Pontificios, qui apud se solos gloriantur esse possessionem bonorum operum. clarè enim ex verbo Dei docemus, non tantùm quod facienda sint bona opera, sed explicantur veræ causæ, propter quas facienda. Traditur etjam, qualia debeant esse opera renatorum, bona opera, ut discrimen sit inter virtutes philosophicas, inter opera Pharisaica, & inter renatorum novam obedientiam, & quomodo in hac nostra infirmitate fieri possint à persona scilicet fidei reconciliata, & à Spiritu sancto renata. Sed integra harum quæstionum explicatio, non est hujus loci.

SECVNDA QVAESTIO.

Quæ sint bona opera, in quibus Deus vult renatos exercere obedientiam.

De hac quæstione Concilium Tridentinum capit. 10. inquit justificatos per observationem mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsa justitia crescere, & magis justificari. Et Canone 20. dicunt, justificatum teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ. Et moderatior quispiam per mandata Ecclesiæ forsan intelligeret, quæ Ecclesia per ministerium verbi Dei ex Scriptura proponit & præscribit, ut ita planè eadem sint mandata Dei, ratione autoritatis & Ecclesiæ, ratione ministerii. Sed concilii interpres Andradius hāc mitigationem non admittit, discrtè enim mandata Dei, & mandata Ecclesiæ contra se distinguit. Et differentiam hanc constituit, quòd DEI mandata sint ab ipso Deo, in verbo ipsius tradita: Ecclesiæ vero mandata sint de iis rebus, quæ non habent in verbo Dei expressum mandatum aut testimonium. Vt autem status quæstionis rectè constituatur, repeto quę suprà in loco de traditionibus dicta sunt quando disputatur de iis, quę habent testimonium in verbo Dei, intelligenda esse nō illa tantùm, quæ totidem literis & syllabis in Scriptura extant, sed illa etjam, quæ ex certa & manifesta Scripturæ sentētia, bona consequentia deducuntur. Et si talia intelligerent mandata, nulla esset cōtro versia, Sunt enim non minus divina mandata, quàm quæ totidem literis & syllabis in Scriptura exprimuntur. Sed Andradius allegat illud Matt. 23. Super cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunque dixerint vobis, servate & facite. Et inde argumentatur: Si in veteri Testamento, non ea solùm observanda erant, quæ Moses præceperat, sed illa etjam, quæ ii imperassent, qui in Mosis locum successerant, ut Scribæ & Pharisæi: non minor ergo obedientia & observantia debetur Prælatis Ecclesiæ, in novo Testamento. Ex hac argumentatione lector non obscurè intelligit quorsum tradane decreta de mandatis Ecclesiæ, utiq; eo proprius ad statum quæstionis accedamus, addenda est hæc declaratio. Sunt in Ecclesia ordinationes quædam de ritibus aut observationibus quibusdam externis, de quibus quæ sit Scripturæ sententia, in loco de traditionibus explicavimus. Ritus enim qui sunt Scripturæ consentanei, quia hactenus habent verbi Dei testimonium, rectè possunt retineri, qui verò cum Scriptura pugnant, justo judicio & temeritate rejiciuntur & abolentur.

Sunt verò præterea adiaphori quidam ritus, qui cum Scriptura quidem non pugnant, sed tamen non habent expressum in Scriptura mandatum aut testimonium. De illis simplex & plana est responsio: Si ordini, decoro & ædificationi serviant, & ita proponuntur, ut non pugnent cū Christiana libertate, hoc est, ut non proponantur vel observentur cum opinione necessitatis, cultus & meriti, posse de illis Ecclesiam statuere, pro ut ædificationi pro temporis morum & gentium varietate conducere judicabitur. Sunt pluribus explicata, suprà de traditionibus.

Quod si hic esset quæstionis hujus status, non magnopere contendendum esset.

Sed Andradius concilii mentem ita explicat, Romanum Pontificem accepisse à Christo integram, perfectam atque plenam potestatem regendi universam Ecclesiam, ita ut leges ab illo latæ, omnibus in rebus non aliter sint observandæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vandæ, quàm divinæ. Et addit, Sæpe evenire, ut majori scelere involvatur, qui tales Ecclesiasticas, quàm qui divinas leges perfregerit, si præsertim prælatorum despicientia feratur. Et hujus exemplum cum Iesuitis hoc adducit, illos veluti ethnicos & publicanos habendos, qui Ecclesiæ præscriptione ab utraque Eucharistiæ specie sumenda non retardantur. Hæc omnia sunt Andradii verba, ex quibus lector intelliget: quale πανδοχεῖον sit locus Pontificiorum, de mandatis Ecclesiæ. Tridentini verò patres, præter hæc addunt cap. 10. hominem justificari observatione mandatorum Dei & Ecclesiæ.

Est igitur juxta Andradii explicationem, status controversiæ in hac quæstione, 1. Leges à Romano Pontifice & prælatis Ecclesiæ datas, licet non habeant mandatum aut testimonium verbi Dei, non aliter tamen omnibus in rebus observandas, quàm divinas. 2. Sæpe majus esse scelus, hujusmodi traditiones, quàm divinas leges perfringere. 3. Obligationem talium traditionum talem ac tantam esse, ut illi qui in sumenda utraque Eucharistiæ specie, malunt testamentariam filii Dei institutionem, quàm prælatorum Ecclesiæ præscriptionem sequi, habendi sunt veluti ethnici & publicani. 4. Observatione talium traditionum, homines coram Deo justificari ad vitam æternam. Non fingo hæc, ideò ipsa verba & Concilii, & Andradii, qui Tridenti in Concilio scripsit, annotavi.

Quæ verò insolentior potest excogitari impudentia, quàm hominum traditiones pari, imò eodem gradu æquare mandatis divinis? & quid dico æquare, imò præferre, & quidem ita præferre, ut majus pronuncietur esse scelus humanas traditiones, quàm divinas leges perfringere, imò scelus esse anathemate dignum, si quis noluerit humanam prohibitionem præferre institutioni filii Dei, de utraq; Eucharistiæ specie sumenda. Agedum purpurata bestia, homo peccati, & filii perditionis, imple mensurâ ejus quod scriptum est 2. Thess. 2. ut ex coloribus pii te cognoscere possint. Extolle te super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Colloca te in templo Dei, tanquam Deum, ostenta & renuncia teipsum quòd sis Deus. Quin quòd res est, apertè dic, Isa. 14. In cœlum conscendam, juxta astra Dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte testamenti, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Faxit autem Deus, ut propediem sequatur alter ille versiculus, veruntamen ad infernum detraheris, in profundum lacus, Amen, amen.

Olim Pelagius damnatus est, quòd justificationem tribuebat observationi legis divinæ. Nunc verò in concilio Tridentino, non verentur pronunciare hominem gratis justificatum, magis justificari per observationem mandatorum Dei, & traditionum humanarum, ita ut meritū vitæ æternæ, distribuatur inter observationem mandatorum Dei, & traditionum humanarum. Quo modo verò putas, Paulum ad hanc blasphemiam si audisset, exclamaturum fuisse? qui de operibus legis divinæ inquit: Si per legem justitia, gratis ergo Christus mortuus est. Evacuati estis à Christo, à gratia excidistis qui in lege justificamini.

Augustinus de suo tempore inquit epistola 119. Hoc nimis doleo, quia multa quæ in divinis libris saluberrimè præcepta sunt, minus curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolētia sepelierit. Et addit: Vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etjamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciebantur. Quid verò existimas optimum illum virum dicturum, si legisset illa blasphemiarum monstra, quæ in concilio decernere non verentur de humanis traditionibus æquandis, imò præferendis mandatis divinis, & de justificatione hominis, per observationem traditionum humanarum? & debebat quidem in hominibus in Ecclesia, ea esse lux, & is zelus, ut ne ad auditum quidem admitterentur talia portentiloquia, sicut Irenæus loquitur. Sed quia postrema jam sunt tempora, in quibus juxta Christi & Apostolorū vaticinia regnat efficacia erroris, talia impunè non tantùm scribuntur, sed in Tridentina synodo, tanquam Spiritus sancti oracula promulgantur. Breviter autem recitabimus firma, perspicua & immota Scripturæ testimonia, ea esse opera, in quibus Deus vult renatos exercere obedientiam, quę ipse in verbo suo præscripsit & mandavit. Res enim si juxta Scripturæ testimonia judicetur, manifestissima est. Nam & affirmativè & negativè Deus sententiam suam de hac quæstione in Scriptura patefecit, propterea quòd omnibus temporibus fuerunt, qui pietatis specie, & prætextu bonæ intentionis, à norma bonorum operum in verbo Dei nobis proposita discesserunt, facturi vel plura, vel præstantiora opera, quàm quæ Deus ipse nobis præscripsit. Est enim Pharisaica quædam animi humani superbia, quæ non libenter patitur ad præscriptum verbi divini se astringi & alligari, sed electitios cultus vel à se, vel ab aliis excogitatos, judicat esse præstantiores. Hinc luci, hinc excelsa, & multi tales cultus, apud populum veteris Testamenti, qui divinitus non erant mandati, in quibus prætextus bonæ intentionis ita regnavit, ut lapidaret & occideret Prophetas, reprehendentes tales electitios cultus. Verè autem sunt sarcasmi diaboli, acerbè illudentis miserrimæ infirmitati corruptæ nostræ naturæ.

Quia enim propter carnem in hac vita adhærentem, ne renati quidem legi Dei perfecta obedientia satisfacere possunt, instillat diabolus tales opiniones, naturam humanam plura & præstantiora posse supererogare, quàm quæ Deus præceperit. Et fit, ac si servus, neglectis & posthabitis domini mandatis, occupetur aliis laboribus ex suo arbitrio delectis & susceptis. Ita autem loquitur Deus in Scriptura. Deut. 12. Non faciat unusquisq; quod in oculis suis rectum videtur, sed quicquid ego præcipio, hoc observabitis, ut faciatis Domino, nec addas ad illud quicquam, nec minuas quicquam ab eo.

Numer. 15. Non sequantur cogitationes suas, & oculos post quos fornicantur, sed memores præceptorum Dei, faciant ea, eruntq; sancti Deo suo.

Ezechiel.

Ezechiel. 20. In præceptis patrum vestrorum nolite incedere. Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate. Observetur addita ratio, quare non in patrum, sed in Dei preceptis ambulandū sit: quia inquit, ego sum Dominus Deus tuus. Hac enim præfatione in Decalogo vendicat sibi præcipiendi autoritatem, & nos ad verbi sui obedientiam alligat. In ejus autem præceptis ambulare debemus, qui est Dominus Deus noster. Hunc titulum, qui vel verbis vel facto, tribuit Romano Pontifici, & Prælatis Ecclesiæ, manifestè blasphemus est.

Deut. 5. Facite quod præcepit Dominus Deus vester, non declinabitis, neq; ad dextram, neque ad sinistram, sed per viam quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis.

Iesa. 1. Quis requisivit hæc de manib. vestris? Matth. 15. & 29. Esaiæ: Frustrà colunt me mandatis, quæ ab hominibus docentur. Colos. 1. expressè damnantur ἐθελοθρησκίαι, cultus electitii. Ephes. 2. dicit Paulus, Deum præparasse opera, in quibus ambulent, qui in Christo Iesu ad bona opera creati sunt.

Et Rom. 12. traditurus doctrinam de bonis operibus, inquit: Vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, placēs & perfecta. Voluntas autem Dei, ex verbis ipsius æstimanda & discenda est. Ita Rom. 13. ostensurus quomodo & unde voluntas illa Dei sit probanda, nominat legem, & ad verbum recitat præcepta Decalogi. Ita Gal. 5. charitatem quæ radix & summa est bonorum operum, dicit nihil aliud esse quam plenitudinem legis, & summam mandati, 1. Tim. 1.

2. Timoth. 3. Omnis scriptura Dei utilis est, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

Verbum igitur suum Deus proponit normam bonorum operum: & quidem ita, ut cultus electitios, & mandata quæ ab hominibus opinione cultus docentur, rejiciat, Et affirmat, verbum suum normam esse perfectissimam, inquit enim: Nec addas quicquam, nec minuas. Deut. 12. Nec declines vel ad dextram, vel ad sinistram. Deut. 5. Ios. 1. Injuria igitur fit normæ divinæ bonorum operum, quam ipse pronunciat esse perfectissimam, quando ei aliquid ab hominibus superadditur. Et norma bonorū operum, præter cęteras causas etjam ideò ex verbo Dei proponi debet in Ecclesia, ut de imperfectione nostra nos admoneat, in ipso exercitio & cursu bonorum operū. In humanis enim traditionibus, & in electiciis cultibus, mens humana facilè potest persvasionem perfectionis, imò supererogationis sibi fingere, quæ pernicies est doctrinæ justificationis.

Hæc Scripturæ testimonia manifestè docent, quæ sit Dei sententia de proposita quæstione: lectorem autem oro, ut ea, quæ Prophetæ contra cultus electionis, & quæ Christus contra traditiones seniorum disputant, conferat ad Andradii axiomata suprà recitata, quæ ex Tridentino durante concilio in orbem Christianum sparsit: & videbit, qualis spiritus præsederit in Tridentino concilio.

Propter cavillationes verò hoc addam, non intelligendas esse captiosè brevissimas illas lineas, quæ in Decalogo signatæ sunt, sed sicut norma illa bonorum operum à Prophetis, Christo & Apostolis in Scriptura tradita & explicata est. Et simul intelligimus, quæ in divina illa norma comprehenduntur & continentur, ut cum Paulus gratis prædicet Corinthiis, ne offendiculum det Evangelio, 1 Cor. 9. &c.

Audiamus jam porrò quæ argumenta contra hæc Scripturæ testimonia, Andradius mandatis Prælatorum Ecclesiæ, eo sicut dictum est modo, patrocinaturus opponat.

1. Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit, Luc. 10. Mandatum ergo Christi est, ut Prælatos Ecclesiæ non secus ac ipsum audiamus, illis omnibus in rebus obtemperemus, eorum præcepta non aliter observemus quàm divina, & existimem⁹, magis esse divina jussa quàm humana. Hæc Andradius. Respondeo: Dulcissimam doctrinam & consolationem continet hæc Christi sententia, quòd ministri verbi, quando ea quæ docent, ex verbo Dei probant, non secus audiendi sunt, ac si vox divina cœlitus nobis insonaret. Deus enim ministerio adest, & per illud medium nobiscum loquitur, & efficax est, sicut Baptista inquit: Ego sum vox clamantis. Deus enim est, qui per Baptistam clamat. 2. Cor. 13. Paulus inquit: An experimentum queritis ejus, qui in me loquitur Christus? Ita 2. Co. 5. inquit: Deus exhortatur per nos. Quomodo verò? quia verbū reconciliationis posuit in nobis. Sicut Isaiæ 59. Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, &c. Hæc doctrina conciliat ministerio veram reverentiam, & flectit animos ad obedientiam, juxta dictum Heb. 13. Obedite præpositis vestris. Vt quando ministri afferunt & proponunt verbum Dei, auditores accipiunt illud, non uti verbum hominum, sed sicut verè est verbum Dei, sicut, Paul. inquit 1. Thes. 2. Et dulcissima est consolatio, quòd verè possumus statuere, quando ex ore ministri verbum Dei audimus, ipsum filium Dei nobis adesse, nobis loqui, & per illud verbum, efficacem esse. Inde enim pendet quod Christus pronunciat: Quorum remiseritis peccata, remissa erunt: quicquid solveritis in terra solutum erit in cœlo. Sed hæc dignitas, reverētia, obedientia & efficacia ministerii, inde pendet ut verbum Dei afferat & proponat.

Hoc verò Andradius non vult, sed concedit, Christum Prælatis Ecclesiæ dedisse potestatem, non limitatam, sed quasi infinitam, ut quæcunq; proponant, statuant & præcipiant, sive habeant mandatum & testimoniū verbi Dei in Scriptura, sive non habeant, Ecclesia nihilominus adligata sit ad obedientiam, ut omnibus in rebus Prælatis suis obtemperet, & illorum præcepta non aliter observet quàm divina, ita ut nulla ratione de illorum preceptis disceptandū sit, an scilicet verbo Dei sint consentanea. Et ex Hyeronimo huc accommodat dictū illud: Audi Israel & tace. Sed hæc nullo modo est verborum Christi sententia. Cùm enim ad ministerium emitteret Apostolos, Matthæi 10. & 17. Luc. 10. addit quidem ipsorum ministerio hoc privilegium: Qui vos audit, me audit. Num verò hanc habet sententiam: Quicquid hominibus tradideritis, etjamsi ejus rei nullum à me habeatis mandatum, vel verbi mei testimonium, nihilominus pari reverentia &

Universidad de Deusto
Biblioteca

pietatis affectu observandum erit, ac si esset divinum mandatum? Nullo verò modo, si certa mãdata ministerio Apostolorum & septuaginta, Matth. 10. Luc. 10. præscribit, quibus tanquam certis limitibus, & quasi cancellis ministerium ipsorum includit & circumscribit. Et de illa administratione ministerii, certis mandatis Christi circumscripta dicit: Qui vos audit, me audit. Ita Matt. 28. dicit: Vobiscum sum usq; ad consummationem seculi, sed addit: Docete eos servare quæcunq; præcepi vobis. Et tunc rectè dicitur: Qui vos audit, me audit. Ioan. 20. Christus dicit: Sicut me misit pater, ita ego mitto vos, De sua verò missione dicit Ioa. 14. Sicut mandatum mihi dedit pater, sic facio. Qui verò ab ipsis Apostolis egressi sunt, quando non afferunt doctrinam Apostolicam: num in omnibus rebus ipsis obtemperandum est, num præcepta ipsorum non aliter ac divina observanda sunt? nullo verò modo, inquit Ioannes: sed nolite eos in domum recipere, nec ave eis dixeritis. Item: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, num ex Deo sint. Multi enim Pseudo prophetæ exierunt in mundum. Ita Paulus ipsos Apostolos docet alligatos esse ad certam vocem doctrinæ, à Christo traditæ & acceptæ, ita ut anathema dicat, si vel Angelus è cœlo præter illud annunciet. Gal. 1. Falsum igitur est quod Andradius dicit, Ecclesiam divinam habere autoritatem in ferendis legibus, quæ nullum habeant vel mandatum, vel testimonium in Scriptura. Si enim habent verbi Dei testimonium, tunc divinas esse, nullum est dubium.

2. Texit argumentum ex loco Actor. 15. Christus non instituerat ut conversi ex gentibus abstinerent sangvine, suffocatis, &c. imò ex Paulo discimus, abrogatos tunc & antiquatos fuisse omnes veteris legis ritus. Et tamen Apostoli de illis legem imponunt gentibus, & confidenter asseverant, non sibi modo, sed Spiritui sancto etjam ita visum fuisse. Ergo Ecclesia divinam habet autoritatem ferendi leges, etjam de illis, quę à Christo, vel non sunt tradita, vel etjam ab ipso abrogata.

Forte me herculè argumentum, quòd Prælatis Ecclesiæ tribuere potest infinitam licentiam, non tantùm quidvis sine verbo Dei instituendi, sed & ea quæ Christus prohibuit permittẽdi, vel quæ ipse instituit prohibendi. Vbi igitur manet iste titulus: Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate? Num gloriam illam alteri nunc dedit? Num inter 15. annos obliti fuerant ejus mandati. Matthæi. 28. Docentes eos servare quæcunque ego mandavi vobis, & quod Actorum primo in ultimo colloquio constituuntur doctrinæ Christi testes, non novæ doctrinæ legis latores. Et si quis Apostolis in carne viventibus hoc tribuere voluisset, quòd haberent divinam autoritatem ferendi leges, dequibus nullum haberent vel mandatum, vel testimonium verbi divini: imò quòd possent ea, quæ Christus abrogaret restituere, vel quæ instituerat abrogare: sine dubio sonora voce & scissis vestibus ostendissent, se illud nec agnoscere, nec probare.

Illa enim adulatoria prædicatio verò esset accusatio παραπροσβάσεως, quòd legationem suã 2. Cor. 5. non fideliter obtinerent, sed excederent fines mandati, quod de jure etjam communi infamiæ genus est.

Ad ipsum verò argumentum hoc respondeo: propter illam etjam causam Apostoli dicunt, Visum est spiritui sancto, & nobis ne putarentur, pro imperio, sine mandato & testimonio divino, tale decretum facere. Vnde verò certi fuerint Spiritui sancto ita videri, ex oratione Petri & Iacobi manifestum est, ubi certè vocatio gentium, & articulus gratuitæ justificationis, quòd onus legis non sit imponendum conscientiis: & ex Scriptura, & miraculis Spiritus sancti probantur. Et hæc sunt præcipua capita decreti Apostolici. De reliquis verò quatuor capitibus, ut de idolothytis, sangvine, suffocato, & fornicatione, plana etjam est responsio. Fornicatio enim quæ inter gentes pro re indifferente habeatur, certè voce divina prohibetur, & quibus argumentis Apostoli eam gentibus conversis prohibuerint, manifestum est. 1. Corinth. 6. ubi certè non dicit, se pro arbitratu suo eam prohibere, sed gravissimis utitur argumentis. De reliquis tribus, obscurior videtur ratio, sed fundamenta sunt manifesta. Ritus enim illi legales erant antiquati, non quòd simpliciter interdicta & prohibita esset eorum observatio: sed quòd illorum observatio jam non erat amplius eo modo necessaria, sicut sub lege fuerat, sed libera erat facta. Illa verò libertate in rebus mediis seu adiaphoris, verbum Dei docet non esse utendum. Si charitas monstret, infirmos in fide offendi: & si libertas illa non usurpata, possit sine fidei detrimento, infirmos invitare ad fidem. Quia igitur talis tunc erat ratio eorum, qui inter Iudæos infirmi erant: Apostoli ex illo verbi Dei fundamento, decretum hoc fecerunt, ut qui ex Gentibus conversi erant, libertate sua, in illis ritibus, qui jam facti erant adiaphori, ad tempus nõ uterentur, ne offenderent infirmiores inter Iudæos, sed ut ita per charitatem eos ad fidem Christi invitarent.

Non igitur sine fundamento & testimonio verbi Dei, Apostoli ex plenaria potestate decretum istud fecerunt: nec per illud quod Christus prohibuit, ipsa lata lege gentibus imposuerunt: sed ex regula verbi Dei, de usu libertatis in ritibus adiaphoricis, decretum illud sumpserunt. Quod verò capita illa vocant necessaria, non hunc habet sensum, quasi ea, quæ Christus libera reddidit, Apostoli eo modo necessaria faciant Gentibus, sicut sub lege fuerant. Hoc enim Paulus acriter reprehendit, Galat. 2. & Colossens. 2. Sed quia tunc charitas exigebat, ut illa sua libertate, qui ex gentibus conversi erant, propter proximi ædificationem inter Iudæos non uterentur, sed ab ea abstinerent, hactenus & hoc modo Apostoli dicunt ea quæ per se libera sunt, necessaria fieri, non per se, non generaliter, nec semper, sed pro ratione ædificationis infirmiorum. Nam 1. Corinth. cap. 10. Paulus dicit: Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. In epistola verò ad Galatas, & ad Colossens. erga eos, qui non infirmi, sed

sed præfracti sunt, & vrgent opinionem legalis necessitatis illorum rituum ad salutem, Paulus docet non cedendum, sed necessariò usurpandam libertatem. Diversitas verò non pendet ex plenitudine quadam potestatis, ut sine fundamento & testimoniis verbi Dei, pro arbitratu quidvis possint, modò constituere, modò abrogare, sed habet certa fundamenta, & firma testimonia in verbo Dei. Talem verò potestatem & autoritatem ministerii, libenter agnoscimus & prædicamus.

Spiritus sanctus igitur, qui adest ministerio in Ecclesia, non præbet infinitam licentiam quidvis statuendi, sed gubernat Ecclesiam, juxta verbum patefectum. Nam & Apostolis Christus dicit Ioan. 14. Spiritus sanctus suggeret vobis omnia quæcunq; dixi vobis. Non enim inquit (sicut Pontificii textum depravarunt) Quæcunque dixero vobis. Et tamen differentia est. Apostoli enim habent divina testimonia miraculorum, & Spiritus sancti, quòd non errent in doctrina. Talia verò testimonia, reliqui Prælati Ecclesiæ non habent, sed alligati sunt ad vocem doctrinæ cœlestis, sonantis in Scriptura, sed talem sub jectionem ægerrimè ferunt Prælati Pontificii, tâ procul scilicet absunt à politica etjam modestia, quę in laudatissima illa sententia celebratur. Digna est vox majestate Imperatoris, legibus subjectũ se principem fateri.

3. Ad objectionem illam verissimam: Omnia quæ à ministris Ecclesiæ proponuntur, sacrarum literarum trutina examinanda esse. Audi quæso quid Andradius in Tridentino Concilio dicere rit respondere: Christi, inquit, verba sunt: Super cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæcunq; dixerint vobis, servate & facite. Hæc verò verba ita interpretatur: Non ea solùm observanda esse decernit Christus, quę Moses præceperat, sed illa etiam quæ ii imperassent, qui in Mosis locum succederent: Scribæ scilicet & Pharisæi. Et inde à minori ad majus argumentatur, de observantia Prælatorum Ecclesiæ in novo testamento. Hoc argumentum non ideò recito, quasi requirat operosam aliquam explicationem: sed ut Lector videat, qualem dominatũ quærant Pontificii in Ecclesia, & quàm religiosi sint tractatores & interpretes Scripturæ. Vt enim de veterum explicationibus non dicam, qui interpretantur scribas tunc sedere super Mosis cathedram, quando non suas traditiones, sed doctrinam à Deo per Moysen traditam proponunt, & tunc propter personarum vitia, ministerium verbi non esse contemnendum, vel abjiciendũ, certè ipsa rei evidentia, impudentem & parasiticam Andradii interpretationem refutat. In illo ipso enim capite Christus dicit: Væ vobis Scribę & Pharisæi, qui clauditis regnum cœlorum ante homines. Væ vobis duces cæci, qui dicitis, &c. Lucæ 17. Væ vobis Legisperiti, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. Matthæi 16. Videte & cavete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum. Quod Evangelista postea expressè interpretatur de doctrina Pharisæorum & Sadducæorum, Matth. 15. ubi de traditionibus Pharisæorum quæstio proposita erat, Christus disertè dicit: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum, cæcus verò ducatum præstet, ambo in foveã cadunt. Et quid multis? manifestissimum enim est, in tota Evangelica historia, Christo certamen esse cum Pharisæis, propterea quòd sine verbo Dei extra & præter verbum Dei, hominum conscientias traditionibus seniorum onerabant. Et ab illis Christus homines revocat ad verbũ Dei: Frustra enim, inquit, colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum, Et hæc cùm sint evidentissima, cogitet lector, quale sit concilium, in quo Andradius non veretur ad stabiliendã Romanorum Pontificum tyrannidem, tam impudenter falsam fingere interpretationem verborum Christi, Matth. 23. quæ uno calculo Pharisæos potest absolvere, Christum verò & omnes Apostolos damnare, ut quid enim, si vera est Andradii interpretatio, omnia Pontificum dicta & mandata ad trutinam verbi Dei examinabant, & non potius simpliciter quæ ab ordinariis imperabantur, observabant? Dignum certè est hoc emblema, Pontificia Synodo.

4. Verbum Dei nihil statuit de jejunio sabbati. Ignatius verò scribit, Apostolos fecisse decretũ, eos esse interfectores Christi, qui sabbato jejunarint. Habent ergo Prælati Ecclesiæ, divinam autoritatem in ferendis legibus, quæ nullũ habent vel mandatum, vel testimonium in verbo Dei. Respondeo: Hoc ipsum argumentum ostendit, qualia sint fundamenta decretorum Pontificiorum. Supra enim in loco de traditionibus, clarè ostendimus, supposititi ũ esse, quod ex Ignatio citatur, & falsò hoc decretum, cum tali quidem appendice, Apostolis tribui. Augustinus enim epistola 86, ex professo disputat, sabbato jejunare vel non jejunare, non esse traditionem Apostolicam, sicut tunc etjam à quibusdam cæperat disputari. Et Socrates lib. 5. cap. 22. in genere ostendit, Apostolos nullas leges de jejuniis condidisse. Supposititi um igitur & falsum est fundamentum illud. Hoc quidem fieri potest, quòd in gratiam infirmorum, qui ex Iudæis vel conversi vel convertendi erant, tale quid constitutum & servatum fuerit ex regula charitatis in Christiana libertate, sicut dictum est de decreto Apostolorum, Actor. 15. Paulus verò accuratè discernit ea, de quibus expressum Dei mandatum habent, & de quibus ipse Apostolico spiritu contulit. illis enim hoc addit: Non ut laqueum vobis injiciam, 1. Cor. 7. Non igitur Apostolici spiritus est appendix illa, eos esse interfectores Christi, qui sabbato jejunent.

5. In antiquissimis & probatissimis conciliis, multæ factæ sunt constitutiones, quæ à piis Imperatoribus, & à reliqua Ecclesia, religiosè observatæ fuerunt. Habet ergo Ecclesia divinam autoritatem in ferendis legibus, &c. Respondeo: Qua moderatione, & quo fine in rebus adiaphoris Ecclesia ad ædificationem posset aliquid statuere, suprà explicatum est. Et hac ratione, hoc fine utiles & pias ordinationes non damnemus, modò non fiant laquei conscientiarũ, & in Christianam libertatem impingant. Nullo modo verò quod Andradius contendit, concedimus, inde stabilirity rannidem Romani Pontificis quæ vis impia decreta, superstitiosas opiniones & la-

Universidad de Deusto
Biblioteca

queos conscientiarum. In illa enim libertate standum est, qua nos filius Dei liberavit, ne jugo servitutis subjiciamur, Gal. 5. Col. 2. Hæc sunt Andradii argumenta. Reliqua verò de operibus indebitis & supererogationis, pertinent ad locum de Pœnitentia.

TERTIA QVAESTIO.

An bona opera renatorum, in hac vita ita sint perfecta, ut legi divinæ plenè, cumulatè & perfectè satisfaciant?

Vera explicatio hujus quæstionis, omnibus temporibus, variis corruptelis turbata & depravata fuit, propterea quia non sola scripturæ testimonia, sed rationis etjam judicium adhibetur in cõsilium. Ejus verò axioma est, sicut Plutarchus in Solone inquit: Δεῖ κατὰ τὸ δύνατον τίθεσθαι τοὺς νόμους. Lex debet habere hanc conditionem, quòd sit possibilis illis, quibus proponitur. Hæret propterea in tristissima miseræ naturæ depravatione, Pharisaica præsumptio perfectionis, imò supererogationis. Inde in ipsa promulgatione legis populus dicit, cuncta quæ locutus est Dominus faciemus. Exod. 19. Deut. 5. Deus verò ut persuasionem illam retunderet, specie tam terribili legem promulgavit, ut territi dicerent: Non audiamus ultra vocem Domini, ne moriamur. Cumq; peterent ut Moses esset Mediator, ipse verò diceret: Exterritus sum, & tremebundus, Hebr. 12. Deus repetivit promissionem de Messia, & de doctrina Evangelii, Deut. 18. Act. 3. Et Deut. 5. inquit: Bene locuti sunt. Sed quis det talem eos habere mentem, ut custodiant universa mãdata mea, omni tempore? Cum Pharisæis etjam Christo multum fuit negotii, de illa persuasione perfectionis, Matth. 19. Lucæ 10. Omnia hæc servavi à juventute mea, quid adhuc mihi deest? Et Luc. 18. Pharisæus coram Deo gloriatur, se ultra mandata Dei, multa etjam supererogasse. Et nostro tempore una ex præcipuis controversiis est, quæ magna contentione à Pontificiis disputatur, perfectam impletionem legis adeò esse & possibilem & facilem, quòd renati in hac vita sua obedientia non tantùm plenè & perfectè legi divinæ satisfacere possint, sed quòd ultra legem Dei, multa etjam opera indebita possint supererogare.

Supererogatio operũ indebitorum.

Valdè magni autem momenti est hæc controversia. Primò enim non rectè tradi, intelligi aut usurpari potest doctrina scripturæ, de agnitione & confessione peccatorum, quæ etjam in sanctis in hac vita hærent & manent, nisi rectè explicata hac quæstione. 1. Puritas articuli justificationis non potest retineri, nisi ex Scripturæ sententia hæc quæstio rectè explicetur, ut scilicet monstretur, ubi renati quærere debeant perfectam impletionem legis, quam coram judicio Dei opponere possint accusationi legis & iræ Dei adversus peccata, ut justi pronuncientur ad salutem & vitam æternam. Habent quidem renati per spiritum renovationis inchoatam obedientiam legis, sed quia minimus apex in lege divina non potest cadere quin perfectè impleatur, renati inchoata illa sua obedientia, quæ non est perfecta, non possunt in judicio Dei consistere, ut propter illam justificentur ad salutem & vitam æternam. Christum igitur fide apprehendunt, qui est impletio legis ad justitiam omni credenti, Roman. 10. Persuasio verò, quæ renatorum bonis operibus in hac vita tribuit perfectionem, facit Christum post primam reconciliationem ociosum, ut non amplius sit nostra justitia, Ierem. 25. sed justificationem transfert à Christo ad nostra opera. Tertiò, ipsa doctrina de bonis operibus, nõ potest rectè tradi sine vera quæstionis hujus explicatione. Neque enim vera & necessaria animi humilitas, in ipso exercitio & cursu bonorum operum, præstari potest, sed Pharisaica gloriatio, quam Paulus Rom. 3. 1. Corinth. 1. exclusam esse vult, sequetur, si doceatur renatos suis operibus in hac vita perfectè satisfacere legi divinæ. Ostendit etjam quæstionis hujus explicatio, cùm Scriptura manifestè affirmet, credentium bona opera Deo placere, quomodo & quare placeant, scilicet non ideò, quòd legi perfectè in hac vita satisfaciant, sed quia omnia mãdata tunc facta deputantur: quando quicquid non fit, propter CHRISTVM ignoscitur, sicut Augustinus loquitur libro primo, Retract. cap. 19. Et Pontificii non sine causa, tanta contentione de hac quæstione dimicant. Vident enim præcipuos regni sui nervos in ea consistere, renatos scilicet bona sua opera posse & debere opponere judicio & iræ Dei, ut propter illa digni judicentur vita æterna, imò multa ipsos posse supererogare, quæ per nundinationem Pontificiã aliis possint accommodari.

Effectus justificationis perfectus bonorum.

Removendæ autem sunt calumniæ, ut status quæstionis rectè constituatur. Non enim docemus, impletionem legis ita esse impossibilem, ut qui per spiritum renovationis renati sunt, nec possint nec debeant in hac vita inchoare obedientiam legis. Neq; hoc etjam principaliter contra Pontificios disputamus, quòd homines non renati naturalibus liberi arbitrii viribus, non possint legi Dei perfectè satisfacere. Dicimus enim, licet externam disciplinam aliquo modo præstare possint homines etjam non renati, verum tamen hoc est, spiritualem legis obedientiam ne inchoari quidem posse, sine Spiritu sancto. De renatorum igitur bonis operibus, qualia in hac vita sunt, quæstio est, an scilicet perfecta impletione legi divinæ plenè & cumulatè ita satisfaciant, ut lex divina nihil habeat, quod in illis bonis renatorum operibus in hac vita accusare & damnare possit, si Deus in judicium cum ipsis, sine venia & remissione intrare vellet.

Iudicia quædam ruinosa.

Quibus verò, & quàm infidiosis technis fabricatum sit undecimũ capitulum Tridentini Concilii, lectori paucis monstrandum est. Studiosè enim vitarunt vocabulum perfectionis. Non expresè dicunt, quod tamen sentiunt & volunt, perfectam impletionem legis divinæ, operibus renatorum in hac vita possibilem & facilem esse, sed in genere dicunt, observationem mandatorum Dei, homini justificato, juvante Deo non esse impossibilem. Quod si de observatione mandatorum

datorum Dei, quæ in renatis per Spiritum renovationis in hac vita inchoatur, quæ etjam subinde crescere debet, intelligerent: nulla esset controversia. Ideo enim spiritu renovantur justificati, ut possint inchoare novam obediẽtiam juxta mandata Dei. Ita etjam allegant Scripturæ sententias, quæ monent justificatos debere inchoare novam obedientiam, & quæ docent renatos habere talem inchoatam obedientiam. Sed hæc nullam planè apud nos habent controversiam, sicut in prima quæstione ostendimus. Sine distinctione etjam loquuntur de bonis justificatorum operibus, qualia sint in se, quando ad normam legis divinæ exiguntur: & quo loco apud Deum reputentur, quando propter Christum nævi & defectus non imputantur. Quid verò sub illis indistinctis generalitatibus quærant, in fine non obscurè indicant: justificatorũ scilicet bona opera in hac vita tàm esse perfecta, ut nihil illis adhæreat quod venia opus habeat. Illud verò non statim in principio 11. capituli proponunt, sed ludunt generalibus sententiis & argumentis, ut ita imperito & incauto Lectori fucum faciant: ut priusquam animad vertat, irretitus teneatur.

Impossibilitas.

Eodem artificio ludunt vocabulo impossibilitatis. Meminerũt enim Pelagianos olim Augustino negocium fecisse illa cavillatione: quod secundum absolutam Dei potentiam, non sit impossibile, ut per gratiam Dei renatus aliquis in hac vita sit sine peccato. Augustinus verò de peccatorum meritis lib. 2. cap. 6. respondet, aliam esse quæstionem, utrum esse possit, & aliam utrum sit. Et addit cap. 7. Si quæratur, utrum in hac vita aliquis sit sine peccato, esse non credo: magis enim credo Scripturæ, ubi sanctorum vox est: Si dixerimus, quia peccatũ nonhabemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Inde igitur Augustinus dicit ibidem capit. 6. & de natura & gratia capit. 43. Deum non præcepisse homini impossibilia. Illud verò dupliciter exponit, primò ad Bonifacium libro tertio, capite 7. Gratia Dei tribuit in hac vita studium præcepta servandi, & eadem, si quid etjam in illis præceptis minus servatur, ignoscit. Et 1. Retract. capite decimonono, Omnia mandata Dei facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur. Secundò, in libro de perfectione justitiæ, dicit non versari in quæstione, an possit homo omni prorsus culpa vacare: sed quando atque per quem: hoc est, neque in hac vita, neque naturæ, sed solius divinæ gratiæ viribus. Ad Valerium libro 1. capite 29. Ad hoc lex dicit, Non concupisces: ut medicinam gratiæ quæreremus, & in eo præcepto sciremus, & quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & quà possit à nobis in illa immortalitate beatissima perveniri. Nisi enim esset quandoq; perficiendum, nunquam jubendum fuisset.

Augustinus.

Et propter illas quidem Pelagianorum cavillationes, Augustinus à vocabulo impossibilitatis abstinuit. Postea verò in libello supposititio sub Hieronymi titulo anathema adjectum est: & illud citatur à Tridentinis. Scriptura verò de observatione legis non veretur dicere esse jugum, quod nec Apostoli, nec credẽtes in primitiva Ecclesia, nec Patres ferre potuerint, Act. 15. quod de justificatis certè, & renatis dicitur. Et pulcherrima est Bernhardi sententia, Sermone 50. in Cantica: Si placet tibi, de affectuali charitate datum fuisse mandatum, non inde contendo: dummodò acquiescas & tu mihi, quod minimè in vita ista, ab aliquo hominũ possit vel potuerit adimpleri. Quis enim sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fatetur non comprehendisse? Nec latuit Præceptorem præcepti Pondus hominum excedere vires: sed judicavit utile: ex hoc ipso suę illos insufficientiæ admoneri, & ut scirent sanè, ad quem justitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impossibilia, non prævaricatores homines fecit, sed humiles: ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo. Accipientes quippe mandatum, & sentientes defectum, clamabimus in cœlum, & miserebitur nostri Deus: & sciamus in illa die, quia non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.

Bernhardus.

Ex hac commemoratione intelligit Lector, quo consilio Tridentini de vocabulis possibilitatis & impossibilitatis litem moveant: ut scilicet ita homines à vero statu quæstionis abducãt. Sepositâ igitur lite de vocabulis, de rebus ipsis constituatur quæstio: an scilicet renatorum bona opera in hac vita, perfecta impletione legi divinæ satisfaciant: sicut suprà statum quæstionis constituimus.

Renatorum opera utrum perfecta.

Facilior autem & planior erit explicatio. Andradius enim 4. axiomata, quæ in hac quæstione sunt fundamenta firmissima, concedit & approbat.

1. Novitatem seu sanitatem, quæ in renatis per Spiritum sanctum, inchoata est in hac vita, non esse perfectam & absolutam. Est enim & manet in renatis in hac vita, novus & vetus homo, caro & spiritus: lex mentis, & lex peccati. Et interior homo de die in diem renovatur: sicut Augustinus multis probat libro secundo, de peccatorum meritis. Et tractatu in Ioannem 41. Lex verò est spiritualis. Romanorum 7. Quamdiu igitur caro repugnat spiritui, lex non potest perfectè impleri. Ita Augustinus integram sanitatem, & perfectam charitatem, quæ sit impletiò legis, mutuò se consequi docet, libro de perfectione justitiæ.

2. Præceptum charitatis de diligendo Deo ex toto corde, tota anima, tota mente, & omnibus viribus: Item ultimum præceptum, Non concupisces: in hac vita non posse à quoquam perfectè impleri, quamdiu aliquid est carnalis concupiscentię, quòd vel continendo frenetur & quàm diu corruptibile istud incorruptionem non induerit: sicut Augustinus ex Scripturæ fundamentis, multis in locis præclarè demonstrat, libro de perfectione justitiæ, de spiritu & litera capite 36. ad Bonifacium libro tertio, capite 7. Ad Asellicum epistola 200.

Augustinus.

3. Propter carnem, in qua non habitat bonum, sed malum: quod volenti bonum facere, adjacet malum: & propter legem peccati in membris renatorum, quę repugnat legę mentis: nemo renatorum in hac vita est sine peccato. Romanorum septimo, 1. Ioan. 1. Psalm. 32. & 129. Proverb. 20. Sicut Augustinus multis disputat de peccatorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

meritis libro secundo. De perfectione justitiæ. Et de natura & gratia, cap. 36. pulcherrimè dicit: Si omnes sanctos & sanctas cùm hic viverēt, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato, quantalibet fuerint excellentia sanctitatis: si hoc interrogari potuissent, una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Peccatū verò juxta Ambrosium, est prævaricatio legis divinæ. Non ergo perfectè in hac vita lex potest impleri à renatis, qui peccatis carere non possunt.

4. Paulus expressè dicit Roma. 7. Velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. Philip. 3. Non quod jam apprehenderim, aut perfectus sim. Hæc fundamenta quæ sunt firmissima & manifestissima, Andradius concedit & comprobat. Et tamen simul etjam defendit Pontificium axioma: Legem divinam à renatis, in hac vita plenè & perfectè servari & impleri posse. Fatetur autem hæc contraria, & inter se quàm maximè pugnantia videri. Sed tamen pollicetur se demonstraturum, utraque esse verissima. Tanta scilicet est hominis persuasio sive eruditionis, sive eloquentiæ. Reliqui Pontificii scriptores, fundamenta illa variis modis conati sunt arrodere. Andradius verò tumidæ suæ grandiloquētiæ tantùm tribuit, ut speret se etjam vera dicendo posse fallere, & ex veris ea quæ falsa sunt, posse probare & defendere. Nihil tamen adferi, quod non jamdudum in reliquorum Romanensium scriptis protritum sit: nisi quod forsan cogitavit de proverbio, Quisquiliæ in aureo flumine. Disputat igitur ea parte legis, quæ in hac vita dum in carne sumus, perfectè impleri non potest, homines in hac vita non teneri obstrictos: ea solùm Deum præcepisse, quæ præstare divinis viribus adjuti, secundum vitæ hujus conditionem possemus. Reliqua verò in lege non obligare homines in hac vita, sed pertinere tantùm ad futuram immortalem vitam. Inepti igitur fuerunt filii Israel, unà cum Mose, qui exterriti clamārunt: Si audierimus vltrà vocem Domini, moriemur. Fruſtrà enim juxta Andradii opinionē, illis mandatis legis se obstrictos teneri timuerunt, quæ in hac vita perficere non possent. Nec debuerat tunc Deus in illa populi consternatione promittere Messiam, Deut. 18. ut eos qui sub lege erant, redimeret, Galat. 4. sed debuerat potius indicare: Non est quòd timeatis, tantùm enim lusi vobiscum, terribili illa promulgatione legis. Illa enim quę secundum vitę hujus conditionem perficere non potestis, ad vos non pertinent. Non igitur Apostolica, sed muliebris, inepta & ridicula erit ejulatio Pauli, qui in curriculo novæ obedientiæ eò usq; progressus fuerat, ut dicere posset, 1. Corint. 4. Nihil mihi conscius sum. Et tamen Rom. 7. longam & lamentabilem texit querelam, se non posse legem ea perfectione quam flagitat, perficere. Moses verò non sanctis glorificatis in altera vita, sed hominibus in hac vita proponit hanc legis sententiam: Maledictus qui non in omnibus permanserit quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Atqui inter omnia illa quæ in libro legis scripta sunt, est illa lex præcipua: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Item mandatum, Non concupisces. Et Paulus illam Mosis sententiā, ad homines in hac vita adeo pertinere existimat, ut inde pronunciet, eos qui ex operibus legis sunt, sub maledicto esse: quia etjam qui faciūt legem, non tamen in omnib. quæ in libris legis scripta sunt permanent. Galat. 5. Et propter hanc etjam causam, Rom. 4. ubi de Abraham loquitur, pronunciat hæreditatem vitæ æternæ non esse ex lege. Quæ profectò argumentationes Pauli, ineptæ, ridiculæ & falsæ erūt, si vera est Andradii & Pontificiorum opinio. Et talis etjam erit argumentatio Petri, Acto. 15. Quia jugum legis neque patres nostri, neque nos ferre potuimus. ideo per gratiam Christi credimus salvari. Andradius enim excipit, ea, quæ in lege ferre non possumus, ad nos non pertinere. Paulus Roma. 8. cùm questus esset, se nō posse in hac carne legem perfecta obedientia implere, mox subjicit hanc consolationem: Quod impossibile erat legi, Deus misso filio, qui victima pro nobis factus est, præstitit, &c. Andradii verò opinio sentit, non opus esse tali vel remedio vel consolatione: quia ea solùm Deus præceperit, quæ præstare divinis viribus adjuti, secundum vitæ hujus conditionem possumus: reliqua verò ad nos non pertinere. Atqui Christus Matthæi 5. similem planè Pharisæorum opinionem, de mandatis Dei maximis & minimis acriter reprehendit. Et Andradius quidem variè ludit in explicatione minimorum mandatorum. Sed quæ exempli gratia à Christo de interpretatione aliquot præceptorum, Matt. 5. adducuntur, manifestè ostendunt, quæ Pharisei intellexerunt minima mandata: non irasci fratri, dicere Racha, vel fatue: qui viderit vxorem ad concupiscendum eam: diligere inimicos. Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est, &c. Et cùm dixisset: Iota unum, & apex unus non præteribit à lege, donec omnia fiāt, subjicit: Qui ergo solverit unum ex mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Manifesta igitur est declaratio, de quibus mādatis loquatur: quæ Pharisæorum Cabala minima vocavit, & sine detrimento justitiæ solvi posse docuit, si modò reliqua in lege servarentur. Christus verò pronunciat: Nisi facta fuerit reconciliatio cum Deo, & remissio in hac vita, in carcerem mittēris. Amen dico tibi, non exibis inde, donec solveris novissimū quadrantem. Pugnat igitur cum tota Scriptura illa Pontificiorum opinio.

Sed argumenta quædam ex decretis Tridentini Concilii contexit Andradius, quibus opinionem istam confirmare nititur. Dicit igitur, contumeliosum esse in ipsum legislatorē Deum affirmare, ipsum præcepisse aliquid, quod in hac vita, & in hac naturæ corruptione nemo perfectè implere possit. Quasi verò propter naturæ depravationem, mutanda & inflectenda fuerit regula legis, quæ est perpetua & immutabilis norma justitiæ in Deo: imò cùm ne unum quidem iota legis præterire possit, quin perfectè impleatur: ideo Deus misit filium suum, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret. Adeo lex illam ludificationem Pontificiorum non admittit, quòd scilicet ea tantùm flagitet quæ in hac vita

Refutatio argumentum Andradii.

vita præstare possumus. Sed Ioannes inquit, Filios Dei in hac vita habere charitatē Dei: & charitas Dei juxta eundem, est servare mandata Dei. Respondeo: Non est quæstio, an renati habeant charitatem, & incipiant facere legem: hoc enim concedimus & docemus, sed quæstio est, an charitas renatorum in hac vita sit integra, perfecta & absoluta. Item: an perfecta obedientia satisfaciat legi.

Illud verò argumentum aliquantò speciosius est, quod Ioannes dicit, mādata Dei non esse gravia: & quòd Christus pronunciat, onus suum esse leve. Item, quòd Augustinus ad Bonifacium libro tertio, capite septimo, dicit obedientiam renatorum perfectam dici posse, pro statu viatoris. Ibidem: Secundum hominis mortalis & capacitatem, pro hujus vitæ modulo, perfecti sumus. Sed plana est responsio: Qui fide propter mediatorem Deo reconciliati sunt, donantur Spiritu sancto, qui renovat ipsos. Et in illa inchoata novitate est aliquis in hac vita gradus bonæ conscientiæ renatorum: ut scilicet præbeant membra arma justitiæ Deo: nec admittāt vel errores contra fundamenta fidei, vel lapsus cōtra conscientiam. Quòd verò perfectioni deest, & sordes quæ ex lege peccati in membris asperguntur, malum item quod adjacet, fides petit propter Christum tegi, & non imputari. Et hoc modo mandata Dei non sunt gravia. 1. quia sunt Dei filii. 2. quia ducuntur spiritu Dei. 3. quia quicquid non fit propter Christum, ignoscitur: sicut Augustinus inquit. Hoc etjam modo renati dicuntur perfecti. Philip. 3. & 1. Corinthiorum 2. imputatione scilicet & inchoatione. Primò enim fides in Christo accipit, habet & possidet per imputationem, integerrimam & perfectissimam implētionem legis, ad justitiam & salutem. 2. Spiritus sanctus renovat corda credentium, accensa charitate, ut incipiat facere legem. 3. quod in inchoata illa obedientia imperfectum, & propter carnem immundi est credentibus propter Christum non imputatur, sed tegitur. Pontificii verò has sententias ita depravant, quasi id quod inobedientia renatorū, in hac vita perfectioni quam lex requirit deest, non sit peccatum quod à lege accusetur: nec opus habeant renati, illud imperfectionis vitium agnoscere, affirmant enim illud non obstare, quo minus bona renatorum opera in hac vita opponantur judicio & iræ Dei, ad justificationem & vitam æternam. Sed Paulus manifestè, & ex professo opinionem istam refutat, Roman. 7. 1. Corinth. 4. Et Augustinus ad Bonifacium libro 3. cap. 7. disertè se declarat, quomodo perfectionem viatoris intelligi velit, cùm inquit: Virtus quæ nunc est in homine justo, hactenus perfecta nominatur: ut ad ejus perfectionē pertineat, etjam ipsius imperfectionis & in veritate agnitio, & in humilitate confessio. Tunc enim secundum hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta est ista parva justitia, quādo etjam quid sibi desit intelligit. Ita Apostolus perfectum & imperfectum se esse dicit. Ibidem: Gratia Dei tribuit hic studium præcepta servandi: & eadem si quid etjā in illis præceptis minus servatur, ignoscit. Ita 1. Retract. 19. disputans de perfectione renatorum in hac vita, utitur hac dulcissima sententia: Omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoscitur. Et in confessionibus: Væ hominum vitæ, quantumvis laudabili, si remota misericordia judicetur. De civitate: Inhærens justitia sanctorum in hac vita magis remissione peccatorum constat, quàm perfectione virtutum. In Epistola verò 26. ad Hieronym. disertè dicit: Propter illud imperfectionis vitiū, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: propter illud etjam vitium, quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere: Dimitte nobis debita nostra; ex quo vitio non justificabitur in conspectu Dei, omnis viuens. Ita Hieronymus dicit: Quid ergo sapimus, imò quid sapere debemus, qui perfecti sumus? imperfectos non esse confiteri, & nondum comprehendisse, nedum accepisse. Hæc est enim hominis vera sapientia, imperfectum esse se nosse. Atq; (ut ita loquar) omnium in carne, justorū, imperfecta perfectio est. Et quòd in hanc sententiam intelligenda sint & Scripturæ, & Patrum sententiæ de perfectione, Augustinus in multis locis ostendit, ad Bonifacium libro 3. cap. 5. De Gratia, cap. 48. & 49. & c. de perfectione justitiæ.

Augustinus.

Hieronymus.

Illud enim argumentum est firmissimum: Peccatum est prævaricatio legis divinæ. Sed nemo sanctorum in hac vita caret peccato. Ergo nemo in hac vita perfectè satisfacit legi, sed omnes sunt prævaricatores legis, quia peccatores. Audiamus verò quid & quomodo respondeant. Antea Andradius dixit, justos licet aliquando & alicubi offendant & labantur, multa tamen & pleraq; edere opera, omnis vitii & peccati prorsus expertia. Sed Paulus Rom. 7. de uno & eodem opere, imò de singulis operibus renatorū in hac vita dicit: Volenti mihi facere bonum, adjacet malum. Velle adjacet mihi, perficere verò non invenio. Ipse ego mente servio legi Dei, carne verò legi peccati. Non quod ipsum opus lege Dei mandatum, malum sit, & peccatum: sed id quod minus est quàm debebat, vitium est: sicut Augustinus loquitur. Et vitiositas ex carne adhærens peccatum est. Atque hoc modo justum in omni bono opere peccare, Lutherus dixit. Hoc loco verò Andradius dicit, non esse intelligendum de peccatis mortalibus, sed de venialibus. Et hoc quidem rectè. Peccata enim mortalia excutiunt fidem & Spiritum sanctum, & tunc desinunt esse justi: venialia verò peccata, sunt etjam in renatis: nec propterea desinunt esse justi. Dicitur & hoc rectè. Sed quæstio est, quomodo & quare renati, propter peccata venialia non damnentur, quia scilicet beati sunt, quorum tecta sunt peccata, & quibus non imputantur peccata. Psalm. 32. Roma. 4. Nulla enim condemnatio est his, qui in Christo Iesu sunt, Rom. 8. Et 11. capitulum Tridentinum videri posset in illam etjam sententiam inclinare. Rationē enim quare sancti in hac vita, etjamsi labantur in venialia peccata, nō desinant esse justi, hanc reddit: quia justorum illa vox est, & humilis, & verax, Dimitte nobis debita nostra. Sed Andradius Concilii interpres, hoc nō admittit. Contendit enim, venialia peccata per se tam esse minuta & levia, ut non adversentur perfectioni charitatis, nec impedire possint perfectā & absolu-

Neminē per fectè satisfacere legi.

Andradius de peccatis venialibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& absolutam legis obedientiam: utpote quę non sint ira Dei & condemnatione, sed venia digna, etjamsi Deus cum illis in judicium intret. Sicut *Lindanus.* Lindanus inquit: Levicula vitiola lapsuum quotidianorum, aspergines & nævuli sunt: qui per se non maculant & contaminant, sed quasi pulvisculo leviter aspergunt vitam Christianam: ut nihilominus tamen per se sint perfecta, & undiq; immaculata renatorum opera in hac vita. Sed falsum hoc esse, suprà demonstratum est. Licet enim sint differētiæ & gradus peccatorū, nullum tamen tam minutum & leve est peccatum, quod non sit ἀνομία, hoc est, prævaricatio legis divinę.

Lex verò maledictionem denunciat, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis: Qui enim totam legem servat, & in uno aliquo delinquit, reus factus est omnium. Nam ne unum quidem ex minimis mandatis Dei solvendum est.

Iam verò in multis labimur omnes, secūdum Iacobum. Lex igitur accusat & damnat etjam illa peccata quæ venialia vocantur, nisi tegantur, & non imputentur propter Christum. Aliter igitur juxta Augustinum est beatus sine peccato, quod futurum est in altera vita. Aliter autem beatus cui non imputat Dominus peccatum: quod fit in credentibus, in hac vita. Non autē potest esse absoluta & perfecta legis impletio, ubi peccatum non potest deesse. Sed de peccato mortali & veniali, locus dicendi erit in doctrina de pœnitentia.

Accedo jam postremò ad insignem illam, sicut Typographus eam vocat, orationem Andradii: qua me ut falsarium, conversa ad Ecclesiā Brunsvicensem & ad totam Germaniā oratione, quasi in triumpho in frequentissimis totius orbis *Responsio ad accusationē Andradij.* theatris traducit. Sed benè adhuc res habet: est enim ἐπινίκιον ante victoriam. Primò enim non est accusatio de falsatione vel Scripturæ, vel verbi Dei: sed de Augustini quadam disputatione, controversia est, de qua tamen res ipsa planissima est, ut nullum planè locum habeant tragicæ illæ Andradii exclamationes: nisi quod videtur, talem sibi locum communem in omnem eventū contra Lutheranos antea præparasse, is ne periret, arripienda fuit qualiscunque occasio. Res autem ita se habet: de qua cuivis Lectori judicium permitto liberrimū. Scripsit Augustinus librum de perfectione justitiæ contra Cœlestinū, in quo docet, in hac vita neminem pervenire ad tantam perfectionem charitatis seu inhærentis justitiæ, ut perfecta & absoluta impletione satisfaciat primo & ultimo præcepto, ita ut sit sine peccato. Iam quæstio est: an Augustinus illam perfectionem tantùm adimat non renatis, qui sine Spiritu sancto, solis liberi arbitrii viribus conantur legem implere? Ego dixi, & adhuc dico, Augustinū etjā illis qui per Spiritum sanctum renati sunt, in hac vita ex Scripturæ sententia, adimere illam perfectionem. Et hoc certè verissimum & manifestissimum est. Nam & in aliis multis locis, quæstionem illam Augustinus ita tractat, ut de peccatorum meritis libro secundo, ad Bonifacium libro tertio, de spiritu & litera, de natura & gratia, &c. Sed, inquit Andradius, sunt in illo Augustini libro multæ ratiocinationes Cœlestini, quæ de solis liberi arbitrii viribus non renatorū loquuntur. Scio hoc. Sed addo & illud quod negare non potest: Cœlestinum in illo libro objicere Augustino multas etjam Scripturæ sententias de perfectione, quæ loquuntur non de infidelibus, sed de illis, qui per Spiritum sanctum renovati sunt. Et illas sententias Augustinus ita explicat, ut perfectionem charitatis, quę sine peccato sit, adimat etjam renatis in hac vita. Quòd verò Andradius dicit, Pelagianorum disputationes prorsus excluisse gratiam Dei, & solius naturæ viribus sine Spiritu sancto ascripsisse perfectionem: non existimet nos adeo rudes esse antiquitatis, ut ignoremus, quòd & quomodo Pelagiani subinde statum controversiæ mutārint. Cùm enim animadverterent, omnium piorum aures abhorrere à blasphema illa sententia, qua gratiam Spiritus sancti prorsus ut non necessariam excludebant, cœperunt ita loqui: Gratiam spiritus sancti ad hoc valere, ut quæ homines per liberum arbitrium facere jubentur, facilius possint implere per gratiam. Postea verò, sicut in libris ad Bonifacium Augustinus recitat, ita loqui cœperunt Pelagiani: Gratiam adjuvare bonum cujusque propositum. Item: voluntatem in omni bono opere à gratia semper adjuvari: ibi certè gratiam non excludunt. Augustinus verò quando de perfectione, quę sine peccato in hac vita fit, disputat, negat illam non tantùm quando Pelagiani prorsus excludunt gratiam Dei, verum etjam quando gratiam conjungunt libero arbitrio: hoc est, etjam illis qui per Spiritum sanctum renati sunt, & in illa novitate auxilio Dei adjuvantur, talem perfectionem in hac vita adimit. Hæc sunt quæ ego dixi de disputatione Augustini, in libro de perfectione justitiæ contra Cœlestinum, & quæ Andradius tam atrociter accusat. Et non tantùm ferre possum, sed oro Lectorem, ut inspiciat illas Augustini disputationes.

Agnoscet enim, Andradium ex fulgore tragicarum exclamationum, fumum tantùm edere, seu potius vendere. Nam Augustinus ipse in illo libro statum controversiæ dicit versari in duabus illis quæstionibus. 1. Per quem homo possit pervenire ad talem perfectionem, ut sit sine peccato: scilicet non per liberum arbitrium, sed per gratiam Dei. 2. Quando ad talem perfectionem homo perventurus sit: scilicet non in hac, sed in futura vita. Sed in re plana nolo Lectorem diutius detinere: & sicut iniqua præjudicia non curo, ita æqua judicia in hac accusatione nō pertimesco.

Hujus verò cōmonefactum velim Lectorem, ut observet quid Andradius quærat: ut scilicet & Scripturæ, & veterum sententiæ, quæ perfectionem charitatis quæ sine peccato sit, hominibus in hac vita adimunt, restringantur simpliciter tantùm ad non renatos: ita ut renatorum bona opera, in hac vita per se ita sint perfecta, ut severitatem divini judicii, sine remissione peccatorum sustinere possint. Hoc agit: sed ne animadvertatur, strepitum illum exclamationum contra me excitavit. Hoc enim est artificium oratorium, si non potius sophisticum.

QVAR-

QVARTA QVAESTIO.

DE PRAEMIIS ET MERITIS *bonorum operum.*

Hæc doctrina in nostris Ecclesiis planè & distinctè ex verbo Dei proponitur: expiationem scilicet peccatorum, seu propitiationem pro peccatis, non debere tribui meritis nostrorum operum. Pertinent enim ad officium quod solius Christi mediatoris proprium est. Ita remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, adoptio salus & vita æterna, non pendent ex nostris meritis: sed donātur gratis, propter meritum & obedientiam Filii Dei, & fide accipiuntur. Sed in reconciliatis postea bona opera cùm placeant fide propter mediatorem, habent præmia, spiritualia & corporalia in hac vita, & post hanc vitam: idq; ex gratuita promissione divina: non quòd Deus propter perfectionem & dignitatem nostrorum operum, sit debitor: sed quia ex misericordia & paterna liberalitate, propter Christum, promisit se præmiis ornaturum quamvis inchoatam, languidam, imperfectam, & immundam filiorum suorum in hac vita obedientiam. Et illæ promissiones debent in renatis excitare studium bona operandi. Inde enim intelligimus, quàm grata patri cœlesti sit filiorum qualiscunq; illa, quam Spiritu sancto ducente in hac vita sub hoc corruptibili onere carnis inchoant, obedientiam: ut quam præmiis spiritualibus & corporalibus, quę sua dignitate non meretur, ex gratia & misericordia propter filium ornare velit. Et in hāc sententiam, nostri etjam à vocabulo Meriti non abhorrent: sicut etjam patribus usitatum fuit. Præmia enim promittuntur ex gratia & misericordia: non tamen dantur otiosis, vel malè agentibus, sed laborantibus in vinea Domini. Atque ita in Apologia Confessionis Augustanæ, in confessione Virtenbergensi, & in alus nostrorum scriptis, usurpatur vocabulum Meriti. Hoc modo, & in hanc sententiam, proponimus in nostris Ecclesiis Scripturæ sententias, de præmiis bonorum operum. 1. Timoth. 4. Pietas ad omnia utilis est, habens promissiones & hujus & futuræ vitæ, Lucæ 14. Retribuetur tibi in resurrectione justorum. Matthæi 5. Merces vestra erit copiosa in cœlis, Matthæi 10. Non perdet mercedem suam. Galat. 6. Bonum faciendo non defatigemur: tempore enim suo metemus non defatigati Ephes. 6. Scientes quòd quisque fecerit boni, hoc reportabit à Deo. Hebræorum sexto, Non injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quā ministratis sanctis. 2. Thessalonicen. 1. Si tamen injustum est apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui tribulant vos, & vobis qui tribulāmini requiem, &c. Et plena est Scriptura talium promissionum, de spiritualibus & corporalibus præmiis.

Confessio Augustana.

Hæc verò cùm ita se habeant: quid igitur in cōtroversia positum est, inter Pontificios & nos, quod attinet ad doctrinā de præmiis bonorum operum? Respondeo. Controversia consistit in duobus potissimùm capitibus. 1. Quòd docent, renatos suis operibus, verè promereri non alia tantū spiritualia & corporalia præmia, sed ipsam etjam vitam æternam: quæ tanquam merces bonis renatorum operibus & meritis reddenda sit. 2. Quòd censent dari præmia bonis operibus non ex gratia, misericordia, & paterna liberalitate patris cœlestis, sed ex debito: quia renatorum bonis operibus nihil desit quò minus divinæ legi, pro hujus vitæ statu plenè satisfeciſſe, & vitam æternam verè promeruisse censeantur. Hæc extant in 16. capit. Tridentini Concilii. De quibus quædam dicenda sunt: quæ ideo paucioribus absolvi possunt, quia pleraq; quę huc pertinēt, in loco de justificatione, & in 3. quæstione, quomodo & quare bona opera Deo placeāt, explicata sunt.

Status controversiæ.

Concilium igitur Tridentinum dicit, bona renatorum opera verè promereri vitam æternam. Atq; ita simpliciter repetunt & stabiliunt Scholasticorum commenta de merito cōdigni: quod scilicet renatorum opera in hac vita in charitate facta, ex condigno mereantur vitā æternam: hoc est, quod vita æterna ex debito justitiæ divinæ retribuenda sit bonis operibus. Ita enim definiunt meritum condigni. Lindanus dicit, bona opera esse peccatorum prius admissorum expiationes & propitiationes. Petrus à Soto dicit, Pontificiæ Ecclesiæ sensum esse, bonis operibus quæ ex gratia fiunt, ita esse fidendum, ut ad expianda peccata, iram Dei placandam, & vitam æternam consequendam necessaria sint & utilia. Et addit: Si aliquid his inferius retribueretur, non esset verum & proprium bonorum operum præmium. Andradius Concilii interpres, multis improbat, & rejicit nostrorum explicationem, quod vita æterna sit merces, quia compenset benefacta, etjam detur propter aliud, scilicet propter Christum: sicuti patrimonium est merces filii obedientis, etjamsi contingit propter aliam causam. Et dictitat, non minus sempiternam felicitatem justorum esse præclaris operibus debitam, quàm æternos cruciatus impiorum sceleribus. Item vitam æternam ita esse bonorum operum retributionem, quòd non tàm gratis & liberaliter à Deo conferatur, quàm debita sit bonis operibus. Atque ita vera & integra ratio meriti constet: ut scilicet æqualitas sit Geometrica meriti ad precium. Disputat etjā, meriti & mercedis rationem, cum gratiæ nomine ex adverso pugnare: atque ideo vitam æternam tanquam mercedem, non debere secundum gratiam, sed secundum debitum imputari bonis renatorum operibus. Quia Paul. Ro. 4. dicit: Operanti merces imputatur, nō secundum gratiam, sed secundum debitum. Hæc assripsi, ut plenior extet explicatio 16. cap. concilii Tridentini, de merito bonorum operū. Et observet Lector, quòd Tridentinis patribus nimis impudēs visum fuit, vitam æternā tribuere solis nostris meritis: ideo dum aliquam modestię significationem dare student, honoris gratia, vitam æternam partiuntur inter meritum Christi, & nostrorum operum merita. Sed illa ipsa qualiscunq; modestia non probatur Pontificiis Scriptoribus. Lindanus enim acriter reprehendit, quòd quidam qui inter Pontificios modestiores videri volunt, dicunt Deum bona justorum opera, vita æterna remunerare, ex gratuita dignatione suę clementię. Contendit enim illud

Petrus à Soto.

Universidad de Deusto — Biblioteca

illud fieri secundum verâ rationem meriti. Andradius verò argumentatur ex Paulo, non posse consistere illam partitionem, quæ donationem vitæ æternæ partitur inter misericordiam Dei propter meritum Christi, & inter debitum propter merita nostrorum operum. Et certè fortissimum est argumentum Roman. 4. Si secundum gratiam, jam non secundum debitum: si verò secundum debitum, jam non secundum gratiam. Et Roman. 11. Si gratia, jam non ex operibus: aliàs gratia non esset gratia: si verò ex operibus, jam non amplius est gratia: aliàs enim opus non esset opus. Iuxta Paulum igitur, non possunt simul in articulo salutis æternæ consequendæ, consistere gratia & opera seu debitum, lex & fides, seu Christus. Rom. 4. Si ex lege hæreditas, exinanita est fides, & abolita promissio. Gala. 5. Evacuati estis à Christo, gratia excidistis qui in lege justificamini. Quòd enim Pontificii fingunt, Paulum loqui de operibus infidelium tantùm, suprà in loco de justificatione refutavimus. Loquitur enim de operibus Abrahæ & Galatarum, post conversionem, nec de cæremonialibus tantùm, sed de moralibus præcipuè. Vel igitur ex solis nostrorum operum meritis, vel ex sola gratia Dei propter meritum Christi datur vita æterna. Scriptura verò eam simpliciter operibus etjam renatorum adimit, & tribuit misericordiæ Dei, propter meritum Christi. Rom. 4. David pronunciat, beatitudinem esse ejus hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus. Item: Non operanti, credenti autem fides imputatur ad justitiam. Si ex lege hæreditas, exinanita est fides. Ephes. 2. Gratia salvati estis, non ex operibus. Tit. 3. Non ex operibus justitiæ quæ nos fecimus, sed secùndum misericordiam suam salvos nos fecit. 2. Timot. 1. Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu. Matth. 20. 1. Timo. 2. Dedit animam suam precium redemptionis pro omnibus. 1. Ioannis 2. Si quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Blasphema igitur Lindani vox est, opera justorum esse expiationes peccatorum, & propitiationes pro peccatis prius admissis. Paulus Roma. 9. in quæstione, Quis accusabit? quis condemnabit, interponit nō merita suorum operum, sed Christus, inquit, mortuus est, imò resuscitatus est, & intercedit pro nobis. Quàm frequens est repetitio illius sententiæ apud Ioannem: Filium suum unigenitum misit, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 6. Vivet propter me. Ioann. 11. 14. Ego sum vita. 17. Hæc est vita æterna, ut agnoscât te solum verum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. 20. Vt credentes habeatis vitam in nomine Christi. 1. Ioannis 1. Hæc vita est in filio ejus: qui habet filium, habet vitam æternam. Actor. 4. Non est aliud nomen datum in hominibus, in quo oportet nos salvari. In nullo alio est salus, nisi in illo, qui est lapis primùm reprobatus, postea factus in caput anguli. Roman. 6. Stipendium peccati, mors est, donum verò Dei, est vita æterna. Deniq; tota scriptura plenissima est talium sententiarum. Ita Augustinus de gratia & libero arbitrio, loquens de operibus sanctorum post justificationem: Nō meritis nostris Deus nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducit. Et Bernhard. Necesse est primò credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei: deinde quòd nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse: postremo, quòd æternam vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur & ipsa. Et rationē addit: Quia si benè cogitare volueris, invenies procul dubio, quòd nec cum decem millibus possis occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad te.

Vtrũ nostris operibus mereamur vitã æternam.

Quanta verò impietas & blasphemia est, gloriam illam propitiationis pro peccatis, salutis & vitæ æternæ, quæ obedientiæ & merito Christi debetur, ipsi detrahere, & transferre ad nostrorum operũ merita, aut certè partiri inter Christi meritum, & nostra merita: quasi non esset summum sacrilegium, & extrema idololatria, gloriam CHRISTI alteri tribuere: Sed excipiunt, hominem non debere in seipso vel confidere, vel gloriari, sed in Domino. Quomodo verò? Quia scilicet non artibus liberi arbitrii, sed virtutibus à DEO donatis mereamur vitam æternam. Atqui tales erant Abrahæ virtutes, Rom. 4. quando Paulus dicit: Non operanti, sed credenti. Item: Beatitudo sine operibus. Si ex lege hæreditas, exinanita est fides, &c. Et Ierem. 9. 1. Corinthio. 1. Non glorietur sapiēs in sapientia sua, non fortis in fortitudine sua, sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Quomodo verò? Quia Iesus factus est nobis à Domino sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio. Et ne ad novitatem hæc detorqueantur, Roma. 3. Paulus dicit. Non per legem operum, sed per legem fidei excludi gloriationem. Et cap. 4. Exemplo Abrahæ jam renovati hoc explicat: ipsum scilicet in articulo justificationis & beatitudinis, non habere gloriationem coram Deo, quasi secundum debitum, & non secundum gratiam, fiat imputatio, sed beatitudinem esse ejus hominis, cui Deus imputet justitiam sine operibus. Et cap. 5. subjicit: Per Christum accessum habemus fide in gratiam, in qua stamus, & gloriamur super spe gloriæ Dei. Ephes. 2. Gratia salvati estis, non ex operibus, ne quis glorietur. Falsa est igitur Tridētina explicatio. Scriptura enim quando tradit homines non debere in seipsis, sed in Domino gloriari, adimit gloriationem de vita æterna, etjam renatorũ operibus, & tribuit gratiæ seu misericordiæ Dei propter filium mediatorem.

Hoc verò candoris est, quòd in conclusione apertè declarant, quis sit fructus & exitus doctrinæ, de vita æterna, nostris operibus promerenda: ut scilicet de salute sua homines dubii, incerti, & suspensi sint, donec unicuiq; reddatur secundum opera sua: quia scilicet scriptũ est: In multis offendimus omnes. Atqui ideo non ex operibus, nec secundum opera, sed gratis, secundum gratiam, propter Christum mediatorem datur, & fide accipitur remissio peccatorum, reconciliatio, adoptio, salus & vita æterna, ut promissio nobis sit certa & firma, Roma. 4. Pontificii verò, ut promissionem illam nobis incertam & infirmam reddant, ideo hæreditatem à misericordia Dei, & à Christo transferunt ad merita nostrorum operum.

rum. Ita verò exinanita est fides, & abolita promissio, si vera sunt quæ Paulus scribit Rom. 4.

Argumenta Tridentinorum pro bonis operibus, eorumq; refutatio.

Operæprecium verò est, paucis etjam argumenta considerare, quibus Tridentini meritum vitæ æternæ, quòd ex nostris operibus pendeat, stabiliunt.

1. Iustificatis nihil deesse affirmant, quò minus suis operibus in hac vita plenè divinæ legi, pro hujus vitæ statu satisfaciant. Ergo suis operibus verè promerentur vitam æternam. Respondeo: Major propositio hujus argumenti quæ subticetur, verissima est. Et si quis in hac vita suis operibus absoluta obedientia, legi plenè & perfectè satisfaceret, omnino sequeretur conclusio. Vox enim & promissio legis est: Si vis in vitam ingredi, serva mandata. Sed minor propositio, quòd renati in hac vita suis operibus legi perfectè satisfaciant, falsissima est, sicut in tertia quæstione demonstratum est. Et hoc ipsum decretum citat dictum illud de renatis: In multis offendimus omnes, atqui non tantùm qui in multis, sed qui in uno deliquit, reus est omnium. Qualis igitur perfecta satisfactio esse potest? Quòd verò pro vitæ hujus statu fingunt nihil deesse, suprà refutatum est.

2. Dicunt opera renatorum non ex seipsis, sed à Christi cui renati insiti sint, & à Spiritu sancto cujus renovatione opera illa fiant, accipere & habere vim & efficacitatem promerendi remissionem peccatorum, adoptionem, salutem & vitam æternam. Et sanè non aspernanda, sed insignis est dignitas operum quæ in Deo facta sunt, si in suo loco & ordine relinquantur. Sed quæ sit illorum vis & efficacitas, non ex nostris ratiocinationibus, sed ex Scriptura judicandum est. Illa verò gloriam & dignitatem promerendi remissionem peccatorum, adoptionem & vitam æternam, Christo mediatori, non operibus renatorum vult tribui sicut testimoniis ostendimus. Non enim passus est Christus, ut nostris operib. tribueret talem vim & efficacitatem, ut illis demum promereremur remissionem peccatorum adoptionem, & ipsam vitam æternam: sed illos immēsos thesauros filius Dei mediator, sua obedientia & passione, factus sub lege, nobis ipse acquisivit: ut omnis gloriatio de operibus excluſa sit. Rom. 3. Et qui gloriatur in domino glorietur. 1. Corinth. 1. Lectori igitur propono consideranda illa verba Andradii: Præclarę actiones ad quas divinus spiritus mentem inhabitans incitat & impellit, divinitatem quandam habeant necesse est. Agnoscit Andradius remissionem peccatorum, reconciliationem, adoptionem, salutem & vitam æternam, non humana, sed divina esse beneficia. Ideo enim mediatorem oportuit esse Deum & hominem, ut obedientia & passio ejus æquivalens esset precium tantis thesauris promerendis. Quia verò renatorum operibus Pontificii hoc tribuunt, ideo Andradius scribere non veretur, necesse esse ut renatorum opera divinitatem quandam habeant. Nihil addo: sed Lectorem oro, ut novam divinitatem nostrorum operum, quàm Andradius in Tridentina officina fabricatus est, consideret.

Divinitas operum.

Est verò & hoc considerandum. Magna est dignitas, quòd renati sicut palmites Christo insiti, fructuum faciunt, Ioan. 15. & quòd ipsorum opera sint fructus spiritus, Ephes. 5. Sed rursus etjam hoc consideretur, quòd lex peccati in membris renatorum in hac vita, legi mentis ita repugnat, ut bonum quod agente spiritu volunt, non perficiant. Et quia lex illa carnis facit, ut volenti bonum agere, adjacet malum: inquinat igitur, & commaculat ea quæ spiritus in renatis operatur. Si igitur Deus in judicium, etjam cum renatorum operibus intraret, non pronunciarentur merita condigna vita æterna, sed rei constituerentur renati, quòd fructus spiritus carne sua impediant, inquinent & commaculent. Et hoc ipsum sancti confitentur: Quis gloriabitur, Mundum est cor meum, Purus sum à peccato? Et Esa. 64. Non de impiis tantùm, sed de se etjam: nec de lapsibus, sed de bonis operibus loquitur, cùm inquit: Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Sicut Bernhardus pulcherrimè dicit: Nostra si qua est humilis justitia, recta forsitan, sed non pura: nisi fortè meliores non esse credimus, quàm patres nostros, qui non minus veraciter, quàm humiliter ajebant: Omnes justitiæ nostræ tanquam pannus mulieris menstruatæ. Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse? Et pulchra est Augustini sententia: Multum nobis in hac carne tribueremus, si non usque ad ejus depositionem sub venia viveremus.

Alterum caput controversiæ, est de reliquis præmiis bonorum operum, spiritualibus & corporalibus: an renatorum bona opera, præmiis illis à Deo ornentur, ex debito justitiæ divinæ: an verò ex gratia, clementia & bonitate patris cœlestis, erga filios suos propter Christum mediatorem. Dixi autem suprà Lindanum ferò iratsci illis, qui censent Deum remunerare justorum bona opera, ex gratuita dignatione suæ clementiæ. Andradius etjam contendit, non secundum gratiam, sed secundum debitum, ex vera & propria ratione meriti, mercedem bonis operibus à Deo promitti & dari. Et Tridentinum decretum, meriti rationem ita explicat: Quia justificatis nihil defit, quò minus operibus suis in hac vita divinæ legi satisfaciant, & ita verè promereantur præmia.

Etsi igitur fatemur, in reconciliatis bona opera habere præmia spiritualia & corporalia, in hac vita & post hanc vitam: non tamen concedimus illud fieri (sicut Pontificii dicunt) non secundum gratiam, sed secundum debitum justitiæ divinę, propter veram rationem meriti: quia nihil defit operibus, quò minus legi divinæ satisfaciant. Scriptura enim aliquot recitat rationes, bona opera habere præmia, non ex debito justitiæ divinæ, propter rationem meriti, sed ex gratuita dignatione paternæ erga filios quos gratis propter filium adoptavit, clementiæ.

1. Christus Luc. 17. longa similitudine ostendit, Dominum ex debito non obligatum esse, ut gratiam habeat servo, quia fecerit quæ ipsi imperata fuerant. Et addit: Sic & vos, cùm omnia feceritis, quæ vobis præcepta sunt, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Est enim Deus Dominus noster, nos servi ipsius, multis nominibus: ut ratione creationis, redemptionis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptionis, & sanctificationis, sicut Paulus inquit, 1. Corinth. 9. Non estis vestri. Precio enim empti estis. Ergo non est nobis ex debito obligatus, ad retribuenda præmia pro operibus debitis.

2. Propter legem peccati, in membris imperfectio, & malum adhærens bonis operibus renatorum in hac vita. Romanorum 7. Atque ideo severitatem justitiæ & judicii divini sustinere non possunt, si remota misericordia judicetur. Quòd igitur non abjiciuntur & damnantur, sed acceptantur, & præmiis etjam ornantur: non fit secundum debitum, propter rationem meriti. Ita enim legis sententia diversum pronunciaret: Qui non in omnibus permanserit, quæ in lege scripta sunt, maledictus esto. Item: Qui in uno delinquit, reus est omnium. Fit ergo ex gratia & dignatione paternæ bonitatis erga filios suos, propter filium mediatorem.

3. Non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, Rom. 8.

4. Non sumus idonei ex nobis ipsis. 2. Cor. 3. sed Deus est qui operatur in nobis, & ut velimus, & ut faciamus aliqua ipsi grata. Philip. 2. Quòd si igitur accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 1. Cor. 4. Non igitur debitum ex vera & propria ratione meriti, sed misericordia & bonitas Dei est, quòd dona sua in nobis Deus coronat.

Et propter hanc causam Scriptura, quæ mercedem & retributionem nominat, vocabulum tamen meriti non usurpat. Quod enim Eccles. 16. & Heb. 13. interpres reddidit, Meritum: Scriptura vocabulum illud non habet.

Hæc verò commonefactio ideo necessaria est, ne Pharisaica superbia, persvasione propriæ dignitatis in exercitio bonorum operum, renatorum animos occupet: sed ut semper & ubiq; exuberet & regnet gratia Dei, & celebretur gloria bonitatis & misericordiæ ejus: utq; renati in ipso cursu bonorum operum, imò inter ipsa bonorum operum præmia, humili confessione indignitatem suam agnoscant, & omnem gloriam tribuant misericordiæ & bonitati clementissimi patris cœlestis, sicut exemplum pulcherrimum describitur Apocalyp. 4. ubi seniores coronas suas mittunt ante thronum, & dicunt: Dignus es Dominus Deus noster, accipere gloriam & honorem. Et Matth. 25. electi nolunt agnoscere merita, & dignitatem operum suorum, etjam quando coram angelis & hominibus ab ipso filio Dei opera ipsorum celebrantur: sed dicunt: Domine, quando vidimus te esurientem, & pavimus? &c.

Et hæc sunt præcipua capita, quæ in 6. Sessione Tridentini concilii tractantur. Doctrina enim de lapsis, & reparatione eorum, pertinet ad locum de pœnitentia. Reliqua verò quæ in Andradii scripto, & in decretis Tridentinis, de doctrina sacramentorum sequuntur: uno quasi continuo contextu cohærent. Et quia prima hæc scriptionis pars, præter institutum & opinionem longius excurrit: visum fuit, propter alias etjam certas causas, responsionem ita distribuere, ut hæc sit prima pars.

Deum verò æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, toto pectore oro, ut lucem verbi sui, divinitus in nostris Ecclesiis accensam, Spiritu suo sancto conservet: nec eam vel tenebris Pontificiis, vel nebulis phanaticorum extingvi sinat: sed in vera sui agnitione nos conservet ad vitam æternam,

AMEN.

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVI IN HAC PRIMA PARTE EXAMINIS OBIter allegantur & explicantur.

A. primam columnam: B. secundam significat.

GEnes. 1. Principio creavit Deus cœlum & terram, 11.a. ad imaginem & similitudinẽ suam, 99.b.
3. Ipsum conteret caput tuum 62.a.
4. Cain discedit ab Ecclesiæ doctrina, 8.a. quam ut veniam mereat 63.b.
5. Secundum suã imaginem, 100.a. Ada longævitas 8.a.
6. Non disceptabit Spiritus meus, 8.b. omnis caro corrupit viam suam, 8.b. figmentũ cordis humani malum, 8.b. 62.b. 100.b. 102.a. 102.b. 122.a. 132.a.
8. Figmentum cordis humani malum, 101.a. 102.a. 102.b. 122.a. 132.a.
9. Qui effuderit sanguinem hominis 62.a.
11. Populus omnis erat labii unius, 59.b. confusio linguarum, 59.a. 171.b. Thareh & Abraham in Vr Chaldæorum 148.b.
12. Abraham in terra Canaan vivit, 60.a. in Aegypto peregrinatur 60.a.
14. Obtulit panem & vinum 62.b.
20. Abraham Propheta est 8.b.
22. Nunc cognovi quòd timeas Dominum 167.a.
26. Deus Isaaco loquitur 8.b.
29. Servies mihi gratis? 153.a. vocavit nomen eius Ruben 60.a.
31. Extraneæ reputatæ sumus patri nostro, 195.b. Idolum Labani, 8.b. Acervus testimonii 60.a.
39. Invenit gratiam in oculis eius 153.a.
41. Ioseph dicitur Abrech 60.a.
44. Quomodo iustificabimur 146.a. 147.a.
EXod. 2. vocavit nomen eius Mose 60.a.
19. Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus, 200.a.
20. Lex in monte Sinai data, 9.b. Ego sum Dominus Deus tuus, 196.b. 198.b. non occides, 126.b. non audiamus ultra vocem Domini, 200.a. 202.a.
21. Egrediatur gratis sine pecunia 153.a.
23. Insontem ne occidas 146.b.
24. Volumen fœderis 9.b.
25. Tabernaculum extruendum, 10.b. propitiatorium texit arcam 115.a.
34. Deus scribit legem in tabulis, 9.b. scribe tibi verba ista 10.a.
LEvit. 4. & 5. Sacrificium περὶ ἁμαρτίας 155.b.
NVm. 11. Pisces gratis comedimus 153.a.
15. Non sequantur cogitationes suas 196.b.
18. Reputabitur vobis sicut frumentum ex area 165.b.
21. Liber bellorum Domini 9.b.
22. Asina Bileam loquitur 128.a.
23. Non est Deus ut homo ut mutetur 153.b.
DEut. 3. Sit ibi contra te in testimonium 10.b.
5. Quæ locutus est Dominus, faciemus, 200.a. Bene locuti sunt, 200.a. viam quam præcepit Dominus Deus, ambulabitis 196.a.
6. & 11. Verbum Domini in postibus & foribus scribendum 10.a.
6. Diliges Deum ex toto corde 201.b. 202.b.
12. Non facietis quod vobis bonum videtur. 42.a. 147.a. 196.b. nihil addas nihil minuas 42.a. 197.a.
13. Pseudopropheta faciens signa 118.a.
17. Describet exemplar huius legis, 10.a. 12.b. ne recedat ab ea ad dextram aut sinistram 10.a.b.
18. Prophetam excitabo de fratribus tuis 200.a. 202.a.
25. Iustificate iustum 146.a.
28. Cuius linguam non poteris intelligere 60.a.
29. Non dedit vobis Dominus cor ad intelligendũ. 101.a. 132.a.
30. Circumcisio cordis, 132.b. proposui tibi benedictionem & vitam 176.b.
31. Vt audientes discant sermones legis, 10.a. novi figmentum eius, 102.b. liber legis in latere arcæ reponendus 10.a. 11.a.
IOS. 1. Non recedat liber legis ab ore tuo, 46.a. 68.a.
3. Hodie incipiam te exaltare 11.a.
10. Liber iustorum 9.b.
15. Kiriath sepher, urbs literarum 9.b.
24. Servierunt diis alienis, 8.b. 148.b. liber legis in latere arcæ positus 11.a.
IVdic. 11. De altera matre natus es 62.a.
17. Non erat Rex in Israel, sed quisque quod sibi rectum videbatur faciebat 12.a.
1. Reg. 19. Interficiens Davidem gratis, 153.a. cecidit nudus tota illa die 62.a.
30. Samuelis liber coram Domino repositus 11.a.
2. REg. 12. Dominus abstulit peccatum tuum, 187.a.
15. Qui habet iudicium veniat ut iustificem eum 146.a.
19. Non imputet mihi rex iniquitatem 165.a.
24. Non offeram holocausta gratis 153.a.
3. REg. 2. Sanguines gratis effusos 153.a.
8. Condemnes impium, & iustifices iustum, 146.a. 147.a. non est qui peccet 156.b.
19. Solus sum relictus 48.a.
22. Ero Spiritus mendax 8.a.
4. REg. 2. Elisæus aquas iniecto sale restituit 65.b.
16. Abaz altare Domini tollit, & novum constituit 12.a.
21. Quemadmodum quis patinam detergit 115.a.
22. Librum Legis reperi in domo Domini 12.a.
23. Iosias legit librum legis coram populo ibid.
1. PAral. 21. Satanas commovet cor 127.a.
28. Figmentum cogitationum 102.b.
2. PAral. 17. Docebant ex libro legis Domini 12.a.
23. Regi Ioas traditur liber legis 12.a.
31. Operatus est rectum iuxta legem 12.a.
34. Deum emollire cor 132.b.
EZra 9. Paxillus in loco sancto eius, 62.a. daret nobis sepem in Iuda ibid.
IOb. 5. Vocasi est qui respondeat 62.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

14. Quis dabit mundum de immundo conceptum, 102.a.
Psalm. 1. Non abijt in consilio impiorum, 3.a. in lege eius meditabitur die & nocte 129.a.
2. Convenerunt adversus Dominum 159.b.
5. Vanum cor 132.b.
8. Omnia subiecisti pedibus eius 65.b.
12. Linguam nostram magnificabimus Probata septuplum 124.a. 3.b.
18. Servus tuus custodit mandata tua 149.a.
19. In omnem terram exivit regula eorum, 50.a.b. præceptum Domini illuminat oculos. 49.a. delicta quis intelligit 97.a.101.b.
22. Concilium malignantium 3.a.
23. Si ambulavero in media umbra mortis non timebo 187.b.
25. Delicta iuventutis meæ 102.a.
26. Cum Concilio vanitatis 3.a.
27. Dominus salus mea. quem timebo? 187.b.
30. In te Domine speravi, non confundar, non confundar in æternum 187.b. 191.a.
32. Beati quorum tecta sunt peccata, 105.a. 115.a. 141.a.b. 157.a. 168.b. 182.a. 204.a. in cuius spiritu non est dolus, 115.a. pro hac te orabunt omnes Sancti, 106.b. 149.a. 152.a. 157.a. 202.a.
34. Declina à malo & fac bonum 133.b. 193.b.
40. Sana animam meam 132.b.
48. Frater non redimet fratrem 154.a.
51. Dele iniquitates meas, 115.a.b. amplius lava me ab iniquitate mea, 115.a. ut iustificeris & vincas cum iudicaris, 146.a. in peccatis concepit me mater, 76.a. 101.a. 102.a. 115.a. 116.b. cor mundum crea in me Deus, 132.a. cor contritum 132.b.
54. Oderunt me gratis 153.a.
70. Memorabor iustitiæ tuæ solius 181.b.
73. Frustrà ergo iustificavi cor meum 144.b.
78. Patres annunciaverunt nobis 11.b.
89. Si mandata mea non custodierint 194.a.
90. Abscondit um nostrum ponis in illuminatione vultus tui 100.b.
102. Scribantur hæc in generationem alteram 35.a.
103. Qui coronat te in miseratione 157.a.
106. Imputatum est ei ad iustitiam 165.b.
108. Expugnaverunt me gratis 153.a.
109. Fiat oratio eius in peccatum 123.a.
115. Omnis homo mendax 157.a.
119. Lex tua meditatio mea est, 139.a. lucerna pedibus meis verbum tuum, 49.a. servus tuus dilexit mandatum tuum 157.a.
125. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, 187.b.
130. Si iniquitates observaveris Domine 157.a.b.
143. Ne intres in iudicium, 145.a. 148.b. 179.b. non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens 156.b.
144. Quid est filius hominis ut reputes eum 165.b.
150. Laudate Dominum in Sanctis 62.b.
Proverb. 12. Homo astutus tegit sententiam 115.a.
15. Sacrificium impiorum est abominatio 123.a.
17. Qui iustificat impium & condemnat iustum, 146.a. 146.b. 153.b. 154.b. 165.b.
24. Ne gratis sis testis contra proximum 153.a.
28. Beatus qui terret assiduè cor suum 172.b.
Eccles. 7. Deus fecit hominem rectum 100.a.
9. Nescit homo, an odio an amore dignus sit, 189.a. 191.a.
Esaiæ 1. Quis hæc requisivit, 147.a. 209.a. incensum est mihi abominatio, 123. vinum aqua mixtum, 8.a. 14.a. 171.b.
2. De Sion exibit Lex 20.a.
5. Væ qui iustificatis impium. 146.a. 146.b. 153.a. 154.b. 165.b.
8. Sume tibi librum & scribe, 11.a. ad legem & testimonium 12.a. 121.a.
9. Magni Consilij Angelus 158.b.
14. In cœlum conscendam 201.a.
28. Pallium breve utrunq; operire non potest 158.b.
40. Parate viam Domino 172.a.
41. Narra si quid habes ut iustificeris 146.a. 147.a.
48. Cervix ferrea, frons ænea 132.a.
49. Frustrà me colunt 147.a.
53. Correctio super eum, ut nos pacem habeamus, 155.b. notitia sua iustificabit multos 145.a. 180.a.
57. Cor contritum 132.b.
58. Spiritus meus qui est in te 168.b.
64. Iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ. 157.a. 207.b.
66. Qui immolat bovem, est ut homicida. 123.a. prædicabunt gloriam meam inter gentes 61.a.
Ierem. 9. Non glorietur sapiens 206.a.
14. Mendacia nomine meo prophetant 8.a.
15. Dabo thesauros in direptionem gratis, 153.a. non sedi in Concilio irrisorum 3.a.
17. Pravum cor hominis, 67.a. 101.b. 103.a. 122.a. 132.a.
23. Iehova iustitia nostra, 155.b. 164.a. 189.b. 200.b. Aethiops non potest mutare pellem 132.a.
31. Debo legem meam in visceribus eorum, 6.b. 15.b. 17.a. 19.a. 151.a. 162.b.
Thren. 3. Cœperunt me ut avem gratis 153.a.
Ezech. 6. & 14. Non gratis feci malum hoc 153.a.
11. & 36. Cor lapideum 132.a.b.
13. Tegentes peccata 115.a.
18. Anima quæ peccaverit ipsa morietur, 154.a. Nudum operiet vestimento, 115.a. Facite vobis cor novum 122.a.
20. Nec idola Aegypti reliquerant, 9.a. In præceptis meis ambulate 199.b. 198.a.
43. In Scriptura Israel non scribentur 11.a.
Dan. 9. Nobis confusio faciei, 109.b. Non in iustificationibus nostris 153.b. 167.a. 179.b.
Ioel. 2. Præstabilis super malitia, 62.a. quis scit nunquid convertatur 183.a.
Ionæ 3. Operirent se sacris, 115.a. quis scit si forte convertatur 136.a.
Abac. 2. Scribe visionem & explana eam, 11.a. 36.a. Iustus ex fide sua vivet 129.a.
Malach. 3. Ego Deus & non mutor 153.b.
Sapient. 4. Raptus est ne malitia mutaret animum eius 56.a.
Syrach 1. Pietas iustificat cor, 144.a. Iracundia iniusta non potest iustificari 148.b.
2. Præparabunt corda sua 172.a.
5. De peccato propitiato noli esse sine metu, 62.b. 191.a.
18. Non verearis usq; ad mortem iustificari 144.b.
29. Multi fraudantur gratis 153.a.
1. Machab. 1. Antiochus conatur abolere scripturã, 13.b.
Matth. 1. Salvum faciet populum suũ à peccatis, 145.b.
2. Magi Christum requirunt 88.b.
3. Parate viam Domino 172.a.
3. & 7. Arbor non faciens fructum excindetur 193.b.

5. Merces vestra copiosa in cœlis, 205.b. Non veni solvere legem, 153.b. 154.a. Non apex unus de lege cadet, 200.b. 202.b. 203.a. qui solverit unum ex mandatis, 202.b. 204.a. Nisi abundaverit iustitia vestra, 147.b. Dictum est antiquis, 13.a. 69.b. qui irascitur fratri, 202.b. Conjiciat te in carcerem, 202.b. qui aspexerit mulierem, 202.b. Diligite inimicos, 202.b.
6. Receperunt mercedem suam, 122.b. 147.a. Sanctificetur nomen tuum, 118.b. Dimitte nobis debita nostra, 112.a. 112.b. 115.b. 144.b. 151.a. 156.b. 157.a. 158.a. 203.b. ô parum fidentes, 187.b.
7. Attendite à pseudoprophetis, 3.a. In vestitu ovium, 1.a. Mala arbor non fert fructus bonos, 123.a. 127.a. 147.a. Non novi vos 105.b.
8. Tantam fidem in Israel non inveni 180.b.
9. Confide fili, 180.b. 185.a. remittuntur tibi peccata, 187.b. Quis est hic quod remittit peccata, 188.a. quis potest peccata remittere nisi solus Deus, 188.a. 193.a. Sanis non opus est medico, 172.a. Veni vocare peccatores, 62.a. Creditis me hoc posse facere 179.a.
10. Christus dat mandata Apostolis, 197.b. Non perdet mercedem 205.a.
11. Tolerabilius erit Sodomæ, 124.b. Nemo novit patrẽ, nisi cui filius revelat, 131.b. Onus meum leve, 203.a.
12. Linum fumigans non extinguet, 180.b. Facit arborem bonam & fructus eius bonos, 123.a. quomodo potestis bona facere, cum sitis mali, 132.a. Ex malo thesauro cordis mala proferunt, 103.a. Ex verbis tuis iustificaberis 146.a.
13. Videntes non videant, 132.a. qui verbum Dei audit & intelligit, 63.b. Modicæ fidei 189.b. 187.b.
15. Transgredimini præceptum Dei propter traditionẽ, 13.a. Frustrà me colunt mandatis hominum, 147.a. 197.a. 199.b. Cæci sunt & duces cæcorum, 199.b. Magna est fides tua 180.b.
16. Cavete à fermento Pharisæorum, 199.a. Caro & sanguis non revelavit tibi, 131.a.b. quicquid solveris super terram 145.b. 183.a. 197.b.
18. Quicquid solveritis 183.a.
19. Serva mandata, 147.b. 166.a. 167.a. 174.b. 207.a. Hæc omnia servavi, 205.a. quis poterit salvus esse, 184.a.
20. Quid statis totum diem otiosi, 193.b. Ut daret animã precium redemptionis 155.b.
23. Super cathedrã Mosis sedent Scribæ, 196.b. 199.a. Væ vobis scribæ & Pharisæi, 13.a. Claudit is regnum cœlorum, 199.a. Reliquistis quæ graviora sunt legis, 15.a. Zacharias inter templum & altare occisus, 88.a. 89.a. quoties volui te congregare 128.a.
24. Qui perseveraverit usque ad finem, 190.a. Ut electi, si fieri possit seducantur, 29.a. Dabunt signa & prodigia 25.a. 118.a.
25. Servum inutilem ejicite, 149.b. quando vidimus te esurientem 208.a.
26. Edite, hoc est corpus meum, 187.a. Bibite ex hoc omnes 65.b.
27. Ut sepulchrum muniatur 22.a.
28. Docẽtes eos servare omnia quæ præcepi, 25.b. 203.a. Baptizate omnes gentes 76.b.
Marci 6. Non poterat ibi virtutem edere propter incredulitatem 179.a.
7. Baptismi Pharisæorum, 13.a. Ex corde exeunt malæ cogitationes 101.a.
9. Omnia possibilia credenti, 179.a. adiuva incredulitatem meam 180.b. 185.a. 186.a.
13. Nemo novit nisi pater 182.a.
16. Prædicate Evangelium 7.a. 42.a.
Luc. 1. τῶν πεπληροφορημένων, 18.b. 21.b. Ut agnoscas eorum, de quib. edoctus es, certitudinẽ, 22.a. 26.b. Erant iusti ambo, 80.a. Ut convertat corda patrũ, 135.b. Parare Domino plebẽ præparatam, 172.a. Beatam me dicent omnes generationes, 118.b. In iustitia & sanctitate coram ipso, 194.b. Scientiam salutis quæ est in remissione peccatorum, 145.a. 153.b. 180.a.
6. Estote misericordes, 195.a. perfectus erit si sit ut magister, 49.a. ex abundantia cordis os loquitur, 103.a.
7. Dimissa tibi sunt peccata, 183.a. Fides tua te salvam fecit 175.b. 187.a. 187.b.
8. Videte quomodo audiatis 129.a.
9. Filius hominis non venit perdere animas 76.a.
10. Cum mandatis certis emittuntur discipuli, 197.b. qui vos audit, me audit, 3.a. 18.b. 197.b. 198.a. hoc fac & vives, 147.b. 151.b. 166.a. 176.b. volẽs seipsum iustificare 200.a.
11. Si vos cum mali sitis, 104.a. 112.b. dabit Spiritum sanctum petentibus, 64.b. posteriora deteriora prioribus, 101.a. exteriora poculi mundatis, 13.a. tulistis clavem scientiæ 199.a.
12. μὴ μεριμνᾶτε 188.a.
14. Retribuetur tibi in resurrectione iustorum, 205.a.
16. Iustificatis vos coram hominibus, 147.a. habent Mosen & Prophetas 12.a.
17. Domine adauge nobis fidem, 185.a. 186.a. servi inutiles sumus, 106.a. 149.b. 207.b. quæ debuimus fecimus, 194.a. fides tua te salvum fecit 178.a.
18. Pharisæi iustitia, 147.a. 184.a. 200.a. Ieiuno bis in sabbatho, 13.a. descendit iustificatus, 145.a. putas quòd inventurus sit fidem 39.a.
19. Negociemini donec veniam, 129.b. talentum suum defodiens 167.b.
22. Vos autem non sic. 65.b. Ecce duo gladij hic, 65.b. Petrus Christum abnegat 81.a.
23. ἀνακρίνειν, 151.a. In manus tuas Domine commendo Spiritum 158.b.
24. Tardi corde, 132.b. Cùm aperiret nobis Scripturas, 44.a. quæ scripta sunt in lege Mosis & Prophetis, 46.b. 58. 176.b. aperuit illis mentẽ ut intelligerent, 49.a. 64.b. 132.a. sic scriptum est 12.b.
Iohannis 1. Lux in tenebris lucet, 131.b. tenebræ eam non apprehenderunt, 132.a. qui non ex sanguinibus, 132.a. dedit potestatem filios Dei fieri, 17.a. 163.a. 178.b. Gratia & veritas per Christum, 152.b. Ego vox clamantis, 197.b. Ecce agnus Dei 76.a.
3. Nisi quis renatus fuerit, 76.a. 77.a. 132.b. ut omnis qui credit in eum, non pereat, 177.a. 206.b. non misit filium ut iudicet mundum, 145.b. qui credit in filium, non iudicatur, 145.b. 149.a. 169.a. magis dilexerunt tenebras quàm lucem, 131.b. qui veritatẽ facit venit in lucem, 3.b. qui malè agit odit lucem, 4.a.
5. Non veniet in iudicium, 149.a. 169.a. 184.a. Scrutamini scripturas 15.b. 176.b.
6. Qui credit in eum habet vitam æternam, 169.a. nemo poterit ad me venire nisi pater traxerit eum, 131.b. 132.a. 135.a. qui audit a patre venit ad me. 129.a. vivet propter me, 206.a. verba mea Spiritus sunt, 117.b.
8. Forsitan & patrem meum scireti, 183.b. nisi credideritis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritis, non habebitis vitam, 179.a. Qui facit peccatum seruus est peccati, 109.a. 132.a. si filius vos liberauerit, vere liberi eritis, 138.a. Sermo Dei non χωρεῖ in vobis, 136.a. qui ex Deo est verbum Dei audit, 129.a.
10. Alienum non audiunt, 1.a. oves meæ vocem meam audiunt, 48.a. nemo rapiet eas de manu mea, 186.a. 190.a. 172.b.
11. Resuscitatio Lazari 24.a.
11. & 14. Ego sum vita 206.a.
13. Qui lotus est, non opus habet iterum lauari, 77.a. Satanas immisit ei in cor 127.a.
14. Mandatum do vobis, ut diligatis, 194.a. Suggeret vobis omnia quæ dixi, 25.b. 63.a. 199.a. Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio 198.a.
15. Pater meus purgat ipsum, 111.b. Mundi estis propter sermonem meum, 111.b. nisi in vite manserit, 182.a. vos estis palmites, 207.a. Sine me nihil potestis facere 131.b. 138.a.
16. Multa habeo vobis dicere, 23.b. 24.b. 91.a. arguet mundum de peccato 123.a.
17. Hæc est vita æterna, 206.a. verba tua dedi eis, 178.b. sanctifica eos in veritate 121.a.
20. Sicuti misit me pater, 198.a. quorum remiseritis peccata, 187.a. 197.b. Hæc scripta sunt ut credatis, 23.a. 3.b. 38.b. ut credentes habeatis vitam 206.a.
21. Hic est discipulus qui hæc scripsit, 52.a. si scriberentur mundus non caperet 23.a. 23.b.
Acto. 1. De omnibus quæ Iesus cœpit facere, 22.b. 25.b. loquebatur cum eis de regno Dei 23.b.
2. Loquebantur variis linguis, 60.b. loquentes magnalia Dei, 61.a. quid faciemus viri fratres 166.b.
3. Peccata deleantur, 145.b. Prophetam excitabo de fratribus 200.a.
4. Non est in alio salus, 181.a. nō est aliud nomen, 106.a.
5. Satanas implevit cor tuum 127.a.
8. Recipere verbum Dei, 136.a. miserunt ad eos Petrum & Ioannem, 34.b. 40.a. si forte remittatur tibi iniquitas, 183.b. Eunuchus legit Esaiam, 60.a. quomodo possum intelligere sine interprete? 63.b. 66.b. Philippus Eunuchum erudit 26.b.
10. Remissionem peccatorum habere in nomine eius, 164. 164.a. 177.a. 179.a.
12. 24. 28. ἀναχωρεῖν 151
13. Vir iuxta cor Dei, 149.a. remissio peccatorum annunciatur, 145.b. 153.b. 164.a. à quibus non potuistis in lege iustificari 145.b. 182.a.
14. Constitutio ministrorum Ecclesiæ 82.a.
15. Imponere discipulis iugum, 201.b. 202.a. fide purificans corda, 123.a. per gratiam Christi credimus nos salvari, 145.b. 169.a. 202.b. ut abstineant a sanguine & suffocato, 82.a.b. 196.a. 199.b. Epistola Concilii Apostolici, 17.b. turbatur vos sermonibus, 20.a. visum est Spiritui sancto & nobis, 198.b. nisi à necessariis illis, 198.b. Iudas & Silas sunt interpretes scripti Apostolici, 20.a. Barnabas assumit Marcum, 57.b.
16. Deus aperuit cor Lydiæ. 132.b. tradebant eis custodire dogmata, 68.a. custodia captivorū, 22.a. quid me oportet facere ut salver 166.b.
17. Paulus Thessalonicæ docet, 28.a. requirebant in scripturis, an ita se haberet 12.b. 15.b. 64.a.
18. Timotheus è Macedonia venit 29.b.
20. Vt iret in Macedoniam, 31.a. una sabbatorum, 82.a. annunciavi vobis omnem sententiam Dei, 22.b. 36.a. 36.b. 39.b. 84.b. vincula me manere Hierosolymis, 33.b. Beatius est dare quàm accipere 25.a.
21. Dies absoluti & expleti 39.a.
23. Omni conscientia bona conuersatus 150.a.
24. Sine offendiculo conscientiam habere 150.a.
26. Vt aperias oculos eorum. 131.b. Nihil docens extra Mosen & Prophetas 12.b.
Rom. 1. Evangelium per Prophetas in scripturis promissum, 12.b. ad confirmandos vos, 33.b. Evangelium est potentia Dei ad salutem, 177.b. quæ est ex fide in fidem, 169.a. Iustus ex fide vivet, 169.a. 189.b de cognitione Dei in Ethnicis, 120.a. vani facti sunt in cogitationibus suis, 101.a. 131.b. coluerunt creaturam, 146. a. mens reproba, 126.b. qui talia agunt, digni sunt morte 62.a.
2. Iudicium Dei est secundum veritatem, 149.a. secundum duritiem cordis, 132.a.b. perseverantibus in benefaciendo vitam æternam, 176.b. super animam operantis malum, 154.a. non auditores sed factores legis iustificabuntur, 147.a. legem non habentes natura, quæ legis sunt faciunt, 126.a. opus legis scriptū in cordibus, 16.b. præputium eius in circumcisionem reputabitur 165.b.
3. Concredita sunt illis oracula Dei, 10.a. Deus est verax, omnis homo mendax, 147.a. faciamus mala ut eveniant bona, 193.b. non est qui faciat bonum, 160. b. linguis suis dolose egerunt, 101.a. totus mundus reus, 145.a. ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, 147.a. per legem agnitio peccati, 114.a. 136.a. 147.b. sine lege revelata est iustitia, 176.b. 182.a. habet testimonium legis & Prophetarum, 148.b. 199.a. Iustitia per fidem in omnes & super omnes qui credunt, 171.a. 179.a. Omnes peccaverunt, 100.b. 157.b. Iustificantur autem gratis, ipsius gratia, 145.a. 152. a.b. 153.b. 154. 160.b. 168.b. 177.a. 182.a. per redemptionem quæ est in Christo Iesu, 155.b. 177.a. exclusa est gloriatio, 151.b. 156.a. 176.b. 182.a. 200.b. 206.b. lex operum seu factorum, 150.b. per legem fidei, 201. a. iustificari hominem fide, absq; operibus legis, 148. a. 152.a. sine operibus legis, 163.b. 182.b. legem stabilimus 153.b.
4. Quid dicemus invenisse Abraham, 148.b. 163.b. si ex operibus iustificatus est habet quod glorietur, 62.a. 148.b. 152.b. habet quod glorietur, sed nō coram Deo, 206.b. credidit Abraham Deo, 157.a. 168.b. operanti secundum debitum imputatur, 205.b. merces nō imputatur secundū gratiam, 152.b. 165.a. 166.b. 176.b. non operanti sed credenti, 177.a. 182.a. 11.b. David beatitudinem hominis explicat, 145.b. 148.b. 149.a. beatitudinem esse hominis, 166.a. cui Deus iustitiam imputat sine operibus, 131.b. sine operibus, 182.b. quorū tecta peccata, 105.a. 115.a. 141.b. 153.a. 157.a. 168. b. 179.a. 182.a. 204.a. sigillum iustitiæ fidei, 177.b. 186.b. insistentes vestigiis Abrahæ, 35.a. 50.a. hæredem fore mundi, 202.b. iustitia fidei, 171.a. examinata est fides, 163.a. 176.b. 161.b. 186.a. 206.b. lex iram operatur, 151.b. ut firma sit & certa promissio, 151.b. 185.b. 186.a. 206.b. contra spem in spem credidit, 187. a. non hæsitavit, 187.b. Scriptum est etiam propter nos, 180.a. 186.a. imputabitur credentibus, 145.b. 153. b. 155.a.b. 163.b. 165.a. 176.b. resurrexit propter iustificationem nostri 156.a. 160.b. 164.a.b. 165.b.
5. Pacem habemus cum Deo, 180.a. 186.a. 191.b. per Christum habemus accessum in gratiam hanc, 188.b. 206. b. gloriamur spe gloriæ Dei, 112.b. 180.a. 186.b. 172.b. commendat charitatem suam Deus, 153.a. iustificati per sanguinem eius, 155.b. 164.a. Servabimur per eū ab ira, 164.b. reconciliati sumus Deo, 145.b. 155.b. accepimus reconciliationem, 178.b. per unum hominem peccatū intravit, 76.b. in omnes homines mors transiit, quia omnes peccaverunt, 116.a.b. peccatum non imputatur cùm non est lex, 165.a. donum per gratiam, 152.b. Iudiciū ex uno delicto in condemnationem, 76.a. ad iustificationem aut condemnationem, 145.a. Gratia unius hominis Iesu Christi, 182.a. per unius inobedientiam, 100.b. 107.a. per unius obedientiam iusti constituentur multi, 155.b. gratia regnat per iustitiam in vitam æternam per Christum 156.a.
6. Mortui sumus peccato, 113.a. In mortem eius baptizati sumus, 164.a. consepulti in Christo per Baptismum in mortē, 109.b. In novitate vitæ ambulemus, 164.a. vetus homo cum Christo crucifixus, 101.a. 101.b. 113.a. ut destruatur corpus peccati, 101.a. 101.b. 132.b. ne regnet peccatum in mortali corpore vestro, 102.a. 106.b. 109.a. 161.b. peccabimus quia sub gratia sumus? 193.b. obedistis ex animo, 17.a. 134.b. liberati à peccato servi facti estis iustitiæ, 194.b. membra vestra serva iustitiæ, 148.a. 162.b. 167.b. cùm essetis servi peccati liberi eratis iustitiæ, 127.a. gratia Dei est vita æterna, 182.a. 206.a.
7. Non in vetustate literæ, 122.b. non concupisces, 100.a. 107.a. 109.b. 114.a. 114.b. 154.a. 201.a.b. 203.b. peccatum operatū est in me concupiscentiam, 107.a. lex est spiritualis, 147.b. 201.b. ego carnalis venditus sub peccatum, 100.b. 132.a. 150.b. peccatum inhabitans, 100.b. 107.a. 115.a. 115.b. in carne mea non habitat bonum, 101.a. 102.a. 104.b. 107.a. 131.b. 161.b. 191.b. velle adiacet mihi, 150.b. 203.a. perficere bonum non invenio, 101.a. non quod volo ago: sed quod odi facio, 102.a. 101.b. 104.b. 106.a. 113.b. volenti facere bonum adiacet malum, 101.a. 104.b. 106.b. 132.a. 150.b. 191.b. 203.b. Delector lege Dei secundum interiorem hominem, 17.a. 148.a. 151.a. 162.b. Video aliam legem in membris meis, 100.b. 104.b. 107.a. 108.b. 109.b. 132.a. 150.b. quis me liberabit de corpore mortis, 104.b. 105.b. 107.a. 109.b. 115.a. 203.a. gratias ago Deo per Christum, 104.b. 107.a. 109.b. Carne servio legi peccati, 104.b. 107.a. 109.a. 132.a. 150.b. 203.a.
8. Non est condemnatio his qui sunt in Christo, 101.b. 105.a. 105.b. 106.b. 109.b. 113.a. 204.a. qui non secundum carnem ambulant, 155.b. lex spiritus vitæ liberum me fecit, 104.b. 113.a. quod legi erat impossibile, 151.a. 155.b. 207.b. 208.a. in similitudine carnis peccati, 155.b. de peccato damnavit peccatum, 155.b. ut iustificatio legis in nobis impleretur, 155.b. Sapientia carnis est inimicitia adversus Deum, 101.a. 163.b. 121.b. 132.a. legi Dei non subjicitur, 101.a. 131.b. qui Spiritum Christi non habent, non est eius, 191.a. debitores sumus, 194.a. Si secundum carnem vixeritis, moriemini, 102.a. 199.a. si actiones corporis spiritu mortificaveritis, 101.b. 104.b. 113.b. 161.b. 190.b. qui Spiritu Dei ducuntur, sunt filij Dei, 194.b. Spiritus sanctus testimonium dat spiritui nostro, 187.a. non sunt condigna passiones, 208.b. spe salvi sumus, 187.b. Spiritus adiuuat infirmitates nostras, 192.a. quos elegit, hos & vocavit, 190.a. Cum filio suo nobis omnia donat, 156.a. Deus est qui iustificat, 145.a. quis condemnabit? 191.b. 186.b. Christus mortuus est & resurrexit, 164.b. 206.b. Interpellat pro nobis, 164.a. certus sum quod neq; mors 186.a. 187.b. 191.a.
9. Quis es qui ex adverso respondeas Deo, 120.b. gentes apprehenderunt iustitiam, 100.b. quia non ex fide sed quasi ex operibus 179.a. 184.a. 186.b.
10. Dei iustitiam ignorantes suam conantur stabilire, 126.a. 147.a. 150.a. 184.a. Christus est perfectio legis, 151.b. 154.b. 155.b. 156.a. 163.b. 176.a. 179.a. 179.b. 181.a. 200.b. Iustitia fidei & legis, 151.a. Iustitia ex fide, 171.a. si credideris in corde tuo, 177.a. corde creditur ad iustitiam, 134.b. quomodo invocabunt sine fide, 120.a. fides ex auditu, 120.a.
11. Si per gratiam: non ex operibus, 206.a. sin ex operibus iam non est gratia, 62.a. 152.b. 163.a. 181.b. noli altum sapere sed time, 105.b. si permanserit in bonitate, 172.b. natura sumus oleastri, 131.b. dona & vocatio Dei sunt sine pœnitentia, 190.a. O altitudo divitiarum 120.b.
12. Transformemini per renovationem, 100.a. 122.a. 123. probetis quæ sit voluntas Dei, 194.a. 197.a. Prophetia sit analogia fidei 74.b.
13. Nemini quicquam debeatis, 194.a. qui diligit legem implevit, 203.a. si quod aliud est præceptum, 197.a. abjcite opera tenebrarum 194.a.
14. Infirmum in fide suscipite, 180.b. omnis lingua confitebitur Deo, 60.a. gaudium spiritus, 180.a. dubitante conscientia, 188.a. quicquid non est ex fide, peccatum est 123.a. 127.a. 147.a. 188.a.
15. Quæcunque præscripta sunt, 36.a. audacius scripsi vobis ex parte, 34.a. in memoriam vobis reducens, 33.b. de actis Pauli 26.b.
1. Corinth. 1. Omnibus nomen Christi invocantibus in omni loco, 31.b. confirmabit vos usq; ad finem, 172. b. Ego sum Pauli, 31.a. baptizavi familiam Stephanæ, 76.b. verbum crucis, 32.a. infatuavit sapientiam sapientum, 131.b. mundus Dei in sua sapientia non cognovit, 7.b. 131.b. per stultam prædicationem salvos facere, 120.b. Græcis stultitia, 121.b. Christus factus est nobis iustitia, 154.a. 155.b. 156.a. 179.b. qui gloriatur in Domino glorietur, 151.b. 156.a. 200.b. 206.a.
2. Nihil me scire nisi Iesum Christum, 32.a. sapientiam loquimur inter perfectos, 86.a. 203.a. Sapientiam in ministerio, 163.a. accepimus spiritum ex Deo, ut sciamus, 187.a. Animalis homo non percipit, 49.a. 63.b. 64.b. 101.a. 121.b. 131.b. 136.a. stultitia illi sunt, 132.a. mentem Christi tenemus, 185.b.
3. Dei ædificatio estis, 50.a. tanquam sapiens architectus, 50.a. fundamentum aliud nemo potest ponere, 32.a. aliis aurum superædificat 32.b. 48.a.
4. Dispensatores mysteriorum Dei, 63.a. nolo iudicari ab humano die, 145.a. Nil mihi conscius sum, 106.a. 145.a. 149.b. 150.a. 163.b. 179.b. 184.b. 185.a. 199.b. 203.a. qui me iudicat Dominus est, 148.a. 151.a. quid habes quod non accepisti, 131.b. 136.a. 138.a. si accepisti quid gloriaris, 208.a. misi ad vos Timotheum, 32.a. sicut ubiq; in omnibus Ecclesiis doceo 32.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5. Tradatur Satana, 82.a. expurgate vetus fermentum, 101.b. modicum fermenti totam massam corrumpit, 8.b. sicut estis azymi, 111.b. quid ad nos de ijs qui foris sunt iudicare 124.b.
6. Fornicatores non possidebunt regnum Dei, 198.b. non accipient regni Dei hæreditatem, 165.a. iustificati & sanctificati estis 111.a. 144.b. 195.a.
7. Vnusquisq; suam uxorem habeat, 65.b. secundum indulgentiam dico. 91.a. melius est nubere quam uri, 91.b. precio empti estis, 207.a. de his præceptum Domini non habeo 33.a. non ut laqueum vobis injiciam, 199.b. faciat quod vult 128.b.
9. Ne offendiculum ponam Evangelio 197.b.
10. Sed non in omnibus beneplacitũ fuit Domino, 178.a. qui stat videat ne cadat, 172.b. Nihil interrogantes propter conscientiam 198.b.
11. De velando capite, 32.b. 82.b. à Domino accepi quod vobis tradidi, 32.a. 32.b. 67.b. 82.a. Cæteracùm venero disponam 32.b.
12. Nemo potest Iesum Dominum dicere, nisi per Spiritum sanctum, 132.a. Spiritus dividit singulis dona prout vult, 64.a. alij data est fides miraculorum, 176.a. Alij interpretatio linguarum 62.b.
13. Si angelorum linguis loquar, 36.a. ex parte cognoscimus 34.a.
14. Lingua quæ ab idiotis intelligi possit, 61.a. si quis Propheta est, & c. cognoscat, 33.a. Prophetæ duo aut tres loquantur, cæteri dijudicent, 64. omnia ordine fiant 82.b.
15. Tradidi vobis quod accepistis, 67.b. plus omnibus laboravi: Non ego, sed gratia Dei, 150.a. sive ego sive alij: ita docemus, 32.a. si Christus non resurrexit estis in peccatis, 164.a.b. in Adam omnes moriuntur, 116.a. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, 112.a. corruptibile induet incorruptionem, 112.b.
16. Vna Sabbatorum, 82.a. eleemosyna disponatur, 32.b.
2. Corinth. 1. Testimonium bonæ conscientiæ, 150.a. Non alia scribimus vobis quàm legitis, 33.a. cognovistis nos ex parte, 34.a. promissiones Dei sunt Amen, 178.a. dedit arrhabonem spiritus 187.a.
2. Contristavit quodammodo omnes, 34.a. cauponantes verbum Dei 8.a.
3. Epistola nostra vos estis, 15.b. non atramento, sed spiritu Dei, 15.b. 17.a. non sumus idonei cogitare, 101.a. 131.b. 207.a. ideonitas nostra ex Deo est, 131.b. 132.a. 153.b. ministerium spiritus, 177.b. 187.b. in tabulis lapideis, 10.a. administratio iustitiæ in gloria 102.b.
4. Si velatum est Evangelium, 49.a. 63.b. Deus huius seculi excæcavit mentes, 127.a. Deus illuxit cordibus nostris, 132.a. externus homo corrumpitur, 132.b. interior homo renovatur de die in diem, 102.a. 111.b. 112.a.b. 132.b. 201.b.
5. Qui vivunt non iam sibi vivant, 193.b. 194.b. Si quis est in Christo nova creatura, 194.b. non imputans eis peccata, 153.b. 182.a. Ministerium reconciliationis, 177.b. Pro Christo legatione fungimur, 25.b. 197.a. Deus exhortatur per nos, 296.b. Reconciliemini Deo, 144.b. eum fecit peccatum, 105.b. 155.a. ut efficeremur iustitia Dei in illo 155.b.
6. Ne cuiquam offendiculum præbeatis, 196.b. quæ societas lucis ad tenebras 112.b.
7. Spiritus sanctificationem perficientes, 111.a. ἀπολογίαι prosatisfactione reddita 62.a.
9. Iustitia eius manet in seculum 167.b.
10. Intellectum captivantes in obsequium Christi, 121.b. quales sumus absentes per epistolas, 33.a. iuxta mensuram Regulæ 50.a.
11. De actis Pauli, 26.b. Gratis evangelizavi, 153.a.
12. Audivit Paulus ineffabilia, 36.a. nihilo sum inferior alijs Apostolis, 33.a. Virtus mea in imbecillitate perficitur 111.a. 180.b.
13. Vt præsens ita & absens, 33.a. experimentum quæritis loquentis in me Christi, 25.b. 197.b. probate vos ipsos an sitis in fide, 186.a. oramus Deum ut nihil mali faciatis 119.b.
Gal. 1. Si quis aliud evangelizaverit, 35.a. 44.a. 198.a. transferemini in aliud Evangelium, 34.b. De actis Pauli, 27.a. Dederunt mihi dextras societatis, 39.b.
2. Subducit se Petrus metu Iudæorum, 198.b. Gentes cogit Iudaizare, 79.a. 81.a. nisi per fidem, 182.a. nos in Christum credimus, 145.b. 151.a. 171.a. 282.a. Si per legem est iustitia, Christus frustrà mortuus est 150.a. 182.a. 296.a.
3. Ex auditu fidei Spiritum accepistis, 150.b. 187.b. qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, 147.a. 151.b. 182.a. non ex lege, 182.a. Maledictus qui non permanserit in omnibus, 147.b. 150.b. 166.a. 176.b. 186.b. 202.b. 204.a. 208.a. qui fecerit hæc vivet in eis, 147.b. 150.a.b. 166.a. 167.a. 176.b. 185.b. Gentibus benedictio Abrahæ contingit in Christo, 155.a. promissionem Spiritus accipiamus per fidem, 178.b. ut promissio ex fide Christi detur credentibus, 178.b. lex pædagogus est in Christum, 86.b. 166.b. Christum induistis baptizati 156.a. 186.b.
4. Filium factum sub lege, 155.a. Vt eos qui sub lege erant redimeret, 202.a. Vt adoptionem filiorum acciperemus, 155.a. 163.a. Misit Spiritum filij sui in corda nostra, 187.a. quin potius cogniti à Deo estis, 180.b. 192.a. quos parturio donec formetur in vobis Christus 35.a.
5. In libertate in qua Christus vos liberavit state, 200.a. Evacuati estis à Christo qui in lege iustificamini, 150.a. 151.b. 163.a. 161.b. 196.a. 206.a. fides per charitatem efficax, 163.a. 181.b. Paululum fermenti totam massam inficit, 35.a. tota lex in uno verbo completur. 197.a. Spiritu ambulemus, 195.b. Caro concupiscit adversus Spiritum, 201.b. Spiritus concupiscit adversus carnem, 102.a. 113.b. qui talia agunt regnum Dei non possidebunt, 185.a. 191.b. 194.a. Charitas est fructus Spiritus, 123.a. 149.a. 163.b. Carnem crucifixerunt cum concupiscentijs 100.b. 101.b. 104.b. 113.b. 132.b. 161.b.
6. Tempore suo metemus non defatigati, 209.a. mihi absit gloriari nisi in cruce Christi, 156.b. Quotquot iuxta hunc canonem incedunt, 35.a. 50.a.b.
Ephes. 1. Sicut brevibus antea scripsi, 35.b. 36.b. elegit nos in Christo, 190.a. adoptavit nos, 152.b. Evangelium salutis, 35.b. obsignati estis Spiritu promissionis, 187.a. 187.b. Spiritum illuminationis, 64.b. illuminatos oculos mentis vestræ, 132.b. 134.b. ut sciamus quæ sit spes hæreditatis 187.b.
2. Mortui in peccatis, 131.b. ambulavistis in peccatis, 100.b. Satan opus suum habet in filijs diffidentiæ, 101.a. 127.a. in concupiscentijs carnis, 101.a. facientes voluntates carnis, 101.a. eramus natura filij iræ, 100.b. 101.a. 102.b. 116.b. Deus qui dives est in misericordia, 152.b. convivificavit nos cum Christo, 132.b. gratia salvati estis, 145.b. 152.a.b. 160.b. 181.b. 206.b. 206.a. Non ex vobis: donum Dei est, 132.b. 181.b. Creati ad bona opera, 123.a. 132.a.b. 193.b. 194.b. quæ præparavit Deus ut in ijs ambularemus, 197.a. Eratis sine Deo, 147.a. Christus evangelizavit nobis pacem, 35.b. fundamentum Prophetarum & Apostolorum 36.b. 48.a.
3. Legentes potestis intelligere cognitionem meam, 35.b. 36.b. accessum habemus cum fiducia, 180.a. Christus habitat per fidem in cordibus nostris 155.b.
4. Dignè ambulate vocatione vestra, 195.b. una fides, 36.b. dedit dona hominibus, 63.b. ut non quovis vento circumferamur, 7.b. non contristetis Spiritum quo obsignati estis, 187.a. 195. vanitas & obscuratio mentis, 122.a. tenebris obscuratum habentes intellectum, 100.a. ignorãtia existens in illis, 100.b. ἀπαλγηκότες 26.b. deponere veterem hominem, 104.b. 193.b. Renovati Spiritu mentis, 102.b. 110.a. 111.c. 113.b. 122.a. 132.b. in iustitia & sanctitate 167.b.
5. Sitis imitatores Dei, 194.b. propter hæc venit ira Dei, 165.b. eratis quondam tenebræ, 101.a. 131.b. ut filij lucis ambulate, 194.b. fructus spiritus, 207.b. exurge à mortuis, 132.b. lavacrum aquæ in verbo, 177.b. non habentem maculam aut rugam, 112.b. mysterium magnum 63.a.
6. Quod quisq; fecerit boni hoc reportabit, 205.b. ut positus in omnibus perfectè stare 63.a.
Philip. 1. Qui cœpit in vobis bonum opus, 132.a. 134.a. 172.b. dignè Evangelio Christi 194.b.
2. Cum timore & tremore operemini salutem, 192.b. Deus operatur velle & perficere, 132.a. 134.a. 135.a. 138.a. 208.b.
3. Eadem scribere mihi non piget, 36.b. hoc est vobis ἀσφαλὲς, 22.a. 77.a. secundum iustitiam legis, sine querela, 80.a. 126.a. 194.b. propter Christum omnia pro detrimento habeo, 149.b. 156.a. non habens meam iustitiam, 182.a. Iustitiam per fidem Christi, 169.b. Iustitia ἐκ τῶν πίστεως, 171.a. non quod apprehenderim aut perfectus sim, 156.b. quin potius apprehensus sum, 180.b. 186.a. 192.a. 201.b. 202.a. quotquot perfecti sumus sic sapiamus, 156.b. 203.a. eodem proceda mus canone 37.a. 50.a.
4. Quæ didicistis & accepistis ex me 36.b. 37.a.
Col. 1. Vt ambuletis digne Domino, 193.b. Transtulit nos in regnum filij sui 143.b
2. Qualem solicitudinem habeam, 37.a. 38.a. qui faciem meam non viderunt, 37.a. Accepistis Iesum Christum, 179.a. ne quis decipiat vos per Philosophiam, 37.a. 84.b. exuistis corpus peccatorum carnis, 101.b. mortui in peccatis, 131.b. Chirographum deletum esse, 145.b. mens carnis, 122.a. ne gustaveris, 189.b. ἐφειδολαθρησκίᾳ 197.a.
3. Cum ipso apparebitis in gloria, 112.b. mortificate membra vestra, 100.b. 104.b. propter hæc venit ira Dei, 191.b. 194.a. exuere veterem hominem, 101.b. ad agnitionem & imaginem eius, 100.a. 100.b. 101.a. 111.b. 113.b. Condonate vobis invicem, 194.b. Sermo Christi habitet in vobis 37.b.
1. Thessal. 1. Permansistis in spe Iesu Christi 28.a.
3. Suppleamus quæ desunt fidei vestræ 28.b.
4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra 91.b.

199.b. Deus ultor est de his omnibus, 194.a. non vocavit nos Deus ad immundiciem, 193.b. 194.b. qui Spiritum S. dedit in vobis 194.b.
5. Omnia probate 3.a. 64.a.
2. Thessal. 1. Iustum est Deo retribuere 209.b. Ne turbemini sive per Spiritum, 28.b. 84.a. extollit se super omne quod dicitur Deus, 4.a. 57.a. 196.a. sicuti vera est, verbum Dei, 197.b. per signa mendacia, 118.a. tenente traditiones 22.b. 29.a. 39.b.
3. De separandis his qui inordinate vivunt, 82.a. Secundum traditionem quam acceperunt, 68.a. non gratis comedi panem, 153.a. hoc signum meum in omni epistola 28.b. 52.b.
1. Timoth. 1. Sicut rogavi te ut maneres Epheſi. 30.a. ne diversam sequantur doctrinam, 30.a. summa præcepti hæc est, 30.a. 197.a. Charitas ex corde puro, 123.a. ex fide non ficta, 176.a. circa fidem naufragium fecerunt 194.a. 195.a.
2. Deus vult omnes homines salvos fieri, 60.a. dedit se precium redemptionis 155.b. 216.b.
3. Quomodo oporteat in Ecclesia quæ est domus Dei, versari, 30.a. 30.b. 50.a. Ecclesia est stabilimentum veritatis 10.b. 30.a.
4. Doctrinæ dæmoniorum, 65.b. promissiones huius & futuræ vitæ, 210.b. hæc præcipe & doce 30.a. 39.b.
5. Qui suorum non habent curam 194.a. 195.a.
6. Ne doctrinam male audiat, 194.b. Tu autem homo Dei, 39.a.
2. Timoth. 1. Excita donum quod in te est, 129.b. non dedit nobis spiritum timoris 190.a. non secundum opera, sed propositum & gratiam, 152.b. 181.b. 206.a. Certus sum quod potens est, 186.b. habeto formam sanorum verborum 38.a.
2. Quæ audivisti à me per multos testes, 38.a. 39.b. rectè secantem sermonem Dei, 165.a. Novit Dominus qui sint sui, 190.a. Captivi tenemur laqueo diaboli ad ipsius voluntatem 127.a.
3. Permane in his quæ didicisti, 38.a. Sacræ literæ possunt te erudire ad salutem, 38.a. Scriptura divinitus inspirata, 9.b. 30.a. 32.b. 38.a.b. 39.b. 42.a. 62.a. ut homo Dei sit perfectus 39.a.b. 197.a.
4. Reposita est mihi corona iustitiæ, 157.a. non imputetur illis 165.a.
Tit. 1. Deus mentiri nesciens, 147.b. Tito germano filio suo, 31.b. Huius rei gratia reliqui te in Creta, 31.a. infidelibus nihil est mundum, 123.a. mens polluta, 122.a.
2. Vt qui repugnat, rubore suffundatur, 195.a. ut doctrinam salvatoris ornent in omnibus, 194.b. populum sectatorem bonorum operum 194.b.
3. Benignitas & bonitas Dei, 55.a. non ex operibus iustitiæ quæ fecerimus nos, 178.a. 179.b. 181.b. 182.a. secundum misericordiam suam salvos nos fecit, 15.2.b. Lavacrum regenerationis & renovationis, 101.b. 129 b. 132.b. Spiritum sanctum in nos effudit abundè, 112.a. discant & nostri bonis operibus præesse 39.a.
Phile. 1. Paulus pro Onesimo intercedit 7.a. 11.a.
1. Pet. 1. Fidem fidei vestræ vitam æternam, 141.a. perfectè sperate in gratiam, 186.a. sancti estote, 194.b. in timore conversemini, 172.b. conversio à patrib. tradita, 15.b. verbum Dei vobis prædicatum 12.a. 40.a.
2. Per ipsum offerentes hostias spirituales, 123.a. benefaciendo obturetis eu os, 195. ut insequeremini vestigia

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtigia eius,194.b. peccata noſtra ipſe pertulit,113.a. ut peccatis mortui iuſtitiæ viveremus 193.b.194.b.
3.Per converſationem abſque verbo lucrifiant 195.a. Stipulatio bonæ conſcientiæ 186.b.
4.Vt in omnibus glorificetur Deus,194.b. Iuſtus vix ſalvabitur 158.b.
5.Cui reſiſtite fortes in fide,110.a. per Silvanum breviter vobis ſcripſi 40.a.
2.Pet.1. Non otioſos aut infructuoſos,193.b.Non negligam vos de his commonefacere,40.b. oblitus eſt purgationis peccatorum,194.a.tanquam lucerna in obſcuro loco lucenti,49.a. Scriptura non eſt privatæ interpretationis,63.b. impulſi à ſpiritu S. loquuti ſunt 42.a.b.
2.Erunt enim inter vos falſi Doctores 40.b.84.b. Noah præco iuſtitiæ,8.b.poſteriora prioribus deteriora 101.a
3.In extremis temporibus venient illuſores, 40.a. ſicut & dilectus frater noſter Paulus,41.a.Scripturas contorquent 41.a.63 b.191.b.
1.Iohan.1.Hæc ſcribimus & annunciamus,41. b. communionem habemus cum Deo,111.b.Si dixerimus peccatum non habemus, 100. b. 111. b.112.b.115.a.b.150.b. 153.b.161.b.195.a.202.a.203.b.
2.Advocatum habemus, 145.a.153.a.157.a.206.b.propitiatio pro peccatis totius mundi,154.b.156.b.ambulare ſicut Chriſtus ambulavit, 194.b.Non novum mandatum ſcribo vobis, 41.b.ſcribo vobis patres, 41. b. Non ſcripſi vobis ut ignorantibus veritatem, 41.b. facere peccatum 100.b.
3.Scimus quod ſimiles ei futuri ſimus,172.b. qui hanc ſpem habent ſeipſos ſanctificant,194.b.peccatum eſt ἀνομία. 102. a.114.a.204.a.qui peccat non vidit nec cognovit Deum,194.a. Qui facit iuſtitiam,148.a. 162.b.168.a. In hoc manifeſti ſunt filij Dei & diaboli 194.a.translati ſumus à morte ad vitã, 145.b.186.a.
4.Probate ſpiritus 3.a.4.a.41.b.198.a. in hoc eſt charitas non quod nos Deum dilexerimus,&c.162.b. & nos debemus invicem diligere,194.a.b. qui dicit ſe noſſe Deum & mandata eius non facit,194. a.mandatum habemus ut qui diligit, &c. ibid.
5.Mandata eius non ſunt gravia,203.a. qui credit in filium teſtimonium habet in ſeipſo, 187.a. qui non credit Deo mendacem fecit,186.a. qui habet filium habet vitam,206.b.hæc ſcribo vobis qui creditis, 41.b 62.a.186.b ſciatis quoniam vitam habetis qui creditis,186.b.omnis ἀδικία eſt peccatum 114.a.
2.Iohan. Nolite eos in domum recipere,198.a.nolui per atramentum & chartam 42.a.
Heb.1.Purgationem peccatorũ per ſeipſum factã, 111.a.
2.Ne παραρυῶμεν, 37. b. gratia Dei guſtavit mortem 152.b.
3.Si fiduciam & gloriationem ſpei tenuerimus,186.a. 192.b.
4.Verbum auditum non prodeſt ſi non ſit fidei admixtum,175.b.ad thronum gratiæ 145.b.153.a.
6.De capitibus catecheſeos, 26.b.37.b.non iniuſtus eſt Deus,ut obliviſcatur operis veſtri, 205. b.ut per duas res immobiles firmam conſolationem habeamus,186. a.anchoram ſpei 186.a.
7.Pontifex ſanctus,innocens 116.a.
9.Sanguinis Chriſti mundat conſcientiam,123.a.apparet vultui Dei pro nobis,164. b.ad multorum exhaurienda peccata 63.a.113.a.
10.Vna oblatione conſummavit ſanctificandos,182.a.in plerophoria fidei 186.a.
11.Sine fide impoſſibile eſt Deo placere, 128.a.Noah fide iuſtificatus,174.b.177.b.fide egreſſus Abraham,148. b.163.b.fide tranſierunt mare rubrum,178.a.operati ſunt iuſtitiam 167.b.
12.Peccatum undique circumſiſtens, 100.b.106. b.exteritus ſum & tremebundus 200.a.
13.Honorabile coniugium in omnibus 65. b.obedite præpoſitis veſtris,197.b. doctrinis variis nolite circumferri 38.a.
Iacob.1.Poſtulet in fide nihil hæſitans.187.b.unuſquiſq; tentatur à ſua concupiſcentia, 127.b.peccatum conſummatum parit mortem, 102.a.106.b.omnis donatio bona.eſt à patre luminum 132 b.
2.Qui in uno delinquit reus eſt omnium, 114.b.147 b. 150.b.166.a.176.b.204.a.208. b. Dæmones credunt & contremiſcunt, 174. b. fides mortua,176.a.181.b. 104 a.Abraham ex operibus iuſtificatum 167.b.
3.In multis labimur omnes,204.a.Sapientia terrena & dæmoniaca 122.a.
5.Alleviabit eum dominus 63.a.
Iud.1.Propter ſubingreſſos falſos Doctores, 42.a.Memores verborum quæ dicta ſunt ab Apoſtolis,42.a.tunica à carne inquinata 111.b.
Apoc.1.Die dominica 82.a.
2.Scribe angelo Eccleſiæ, 42. a. gloriantur ſe eſſe Apoſtolos & non ſunt,22.b. Ieſabel quæ ſe dicit prophetiſſam,ibidem. non cognoverunt profunditates Sathanæ 23.a.
4.Dignus es Domine accipere gloriam & honorem, 208.a.
9.Niſi homines qui non habent ſignum Dei 182.a.
10.Noli ea ſcribere 42.a
21.Accipit aquam vitæ gratis,153 a.niſi qui ſcripti ſunt in libro 182.a.
22.Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, 144.b ſi quis appoſuerit ad hæc 42.a.

INDEX RERVM ET VERBORVM IN HAC PRIMA PARTE EXAMINIS MEMORABILIVM.

A.

ABdias Babylonicus 93.b.
Abſolutionis conſolatio, 186. a. non in optativo dicenda, 187.a. an miniſter poteſtatem eius habeat,188.a.dubitatione aliquem abſolvere, 188.b.
Accurſius de lingua græca 61.a.
Acta Apoſtolorum 26.a.27.a.
Adiaphora 82.a.b.83.a.95.b.203.b.
Aequivocatio 137.a.b.1.b.150.b.
Affectuum contumacia 126.b.
Achias 27.a.
Altare verſus orientem,90.b.conſecrationes altariũ,95.b
Ambroſius Catharinus 4.a.96.a.
Ἀναγραφεὺς 44.b.
Andradius 1.8.6.a.189.b.
Andreæ hiſtoria 27.a.
Animæ origo 102.b.
Anticipationes in Scriptura 9.b
Apocalypſis 41.a.56.a.b.
Apocrypha ſcripta, 9.b. 54.a.56.a.57.a.b.58.a.b 87.b. 93.a.
Apoſtolorum & Chriſti doctrina eadem. 25.b.actus eorum,26.b.27.a.omnium inter ſe eadem fides,doctrina & miniſterium, 27. a.quo conſilio illi ſcripſerint, 27.b.28.a.&c.officium eorum in docendo, 28. b vita eorum 93.b.
Arrhabo 187.a.
Arrogantia ſpiritualis 188.a.b.
Ἀσφαλίζεσθαι 22.a.
Ἀταξία in homine 199.b.100.a.

B.

Baptiſmi ceremoniæ, 90.b. 92. a. b.94. a.in Baptiſmo plenam fieri remiſſionem peccatorum,103 b.Baptiſmus infantum,75.b.76.b.78.b. an vetus homo in baptiſmo prorſus exuatur, 110. a.111.a.112.a.113.a.Baptiſmi uſus 176.a.
Bonaventura 160.b.

C.

Cabala 14.b.18.a.60.b.202..b.
Canon ſcripturæ, 39.b.35.a.b.50.a.&c. Canonici, 50.a. 51.a. quos libros Auguſtinus vocet Canonicos,58.a. 59.a.Canon miſſæ 95.a.
Caput apertum aut velatum habere 82.b.
Catechiſmus 26.b.47.a.66.a.166.a.b.175.a.
Catholica ſcripta 53.b.
Ceremoniæ in Eccleſia,5.a.b.195.b.ceremoniæ ſeu ritus quomodo dijudicari debeant,82.a.uſus earum,82.b. libertas in ceremonijs recipiendis & abrogandis,82. b.83.a.96.a. quando impugnandæ.83.a.efficaciam illis tribuere 91.a.92.a.
Certitudo fidei 185. Vide fides.
Cerinthus 22.b.
Chiliaſtæ 85.b.
Chriſmatis inſtitutio 95.b.
Chriſto ſubſtituere ſanctos, 4.a. non Chriſtus ipſe ſcripſit, ſed Apoſtolos ſcribere voluit, 24.b. ætas Chriſti & tempus prædicationis eius, 86.b.Chriſto maior gloria tribuitur,cum peccatum rectè cognoſcitur,105.b. carnem ſine peccato Chriſtus aſſumpſit.116.b.notitia Chriſti ſalvandis eſſe neceſſaria, 120.a.beneficia Chriſti rectè intelligi nequeunt, doctrina de libero arbitrio non rectè cognita,125.a.eſt ſalvator noſter merito & efficacia 164.b.
Cœna utraq; ſpecie, quomodo arceant homines Pontificij 195.b.196.a.
Conciliorum autoritas, 3.a.decreta eorum ad normam Scripturæ exigenda,3.b. lex Martiani de ſynodis,3. b.nuda decreta Conciliorum ſine declaratione non erant proponenda,4.a.Concilij Tridentini inchoati pietas, 4.a. Scriptura olim in medium poſita fuit in ſynodis.44.b.Concilia æquare Evangelio.57.b.Scripta Pontificum in tomis Conciliorum. 93.b.Concilij Tridentini ſecreta pandit Andradius.97.b.98.a.119. a.Concilium Auraſicanum, 137.b.137.b.Chalcedonenſe,3.b.Mileuitanum. 159.b.
Concordia inter Doctores 44.b.
Concupiſcentia an ſit peccatum. 97.a.98.a.b.104.a.b. 105. a. ponere eam in natura integra quoque,98.a. 98.b.99.b.Reliqua vide in loco de peccato.
Confirmationis inſtitutio 95.b.
Coniugium ſtupro affine eſſe dicere 92.a.
Conſtantini vox de ſcripturæ autoritate 44.b.
Conſuetudini aliquid dare,81.a.vetuſtiorem conſuetudinẽ pro traditione Apoſtolica habere,89.a.90.a.96.b.
Contentio ſæpe in tranſuerſum abripit Doctores, 80.a.b
Contritio non eſt meritum iuſtificationis 172.a.
Converſionis exempla. 26. b. doctrina eius,125.a.quid faciat in motibus & viribus humanis, 128.b.in converſione quæ adſint 161.b.162.b.
Creationis opera in infidelibus, ab illis,quæ per peccatum ſunt ingreſſa,diſtingui oportet 121.b.
Crucis ſignum 88.a.
Cultus ab hominibus excogitati 147.a.
Cuſanus Cardinalis 5.a.93.b.

D.

Decalogus & ante & poſt diluvium fuit,16.b.quid nomine Decalogi intelligatur 197.a.
Deſperationis materia eſt inquirere voluntatem Dei nõ revelatam 190.a.
Diabolus eſt hoſtis puræ doctrinæ 8.a.
Diaboli non convertuntur 135.b.
Διαπαρακαλία 39.b.
Diffidentia quid poſſit 190.b.
Diſputationũ contentio ſæpe exceſſum & deviationem affert,80.a.b.aliter cum alijs diſputandum, 80.b.81.a
Doctrina examinanda 3.b.11.b.errores in doctrina,5.a b. veram doctrinam omnem in ſcripturis contineri, 6.b. vide Scriptura. Puritas eius cur facile corrumpatur. 7. b. quomodo puritas eius reſtituatur & conſervetur, 8.a. 9.a.b 13.b.21.b.inde uſque ab initio fuiſſe per traditiones corruptam,8,b.9.a.10.a.b. 11.a.32.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

11.a.32.b.87.a. Dei solicitudo in conservanda vera doctrina,11.a. corruptelæ doctrinæ ex assuris Scripturæ traditionibus,13.a.b 14.a.28.a. Christi & Apostolorum doctrina eadem, 25.b. doctrinæ veritas in cœtu aliquo, facit eum Ecclesiam,48.a. doctrina vera non geometricè, sed ecclesiasticè demonstranda, 48.b. doctrina Christianæ summa & loci,73.a.b.75.a.98.b.

Dogmata è quibus scripturis constituenda, 50.a.57.a. 58.b. è manifestis scripturis sumpta aut ratiocinatione inde conclusa, 75.b. quomodo confirmanda, aut refutanda.78.a.b. aliud est dogmaticè, aliud per contentionem dici 80.a.b.

Dona Dei quomodo accipiantur, conferventur, amittantur, 125.a. Spiritus sancti dona exuscitantur.167.b. fiducia donorum insolescere 190.b.

Dubitationis doctrina sola Papatum prodit,182.b. Pontificij super ea disputant,183.a. quare pro ea pugnant 183.a. articuli de fide dubitante,183.a.183.b. causæ dubitationis,184.b. doctrinam cœlestem infamare, quod sit materia dubitationis,185.a. Novatiani eam docuerunt,189.a. dilutio obiectionum pro dubitatione 189.189.189.190.191.

E.

Ebion 22.a.b.

Eccius 7.b.15.a.67.a.

Ecclesia iudicium & authoritatem supra Scripturam extollere,7.a.52.a.52.b. Ecclesia custos est Scripturæ,10.a.52.b. traditionem & fidem eius sine Scriptura etiam sequi,48.a.b. Ecclesiam constituit vera doctrina, non contra, 48.a.b. Ecclesia exigua & latens, 48.a. de Ecclesiæ, tanquam domus Dei, ædificatione, 50.a.b. Ecclesiæ Romanæ fidem, etiam extra Scripturam, pro Apostolica fide haberi velle,83.b.84.a. Ecclesiæ iuventus aut maturitas, 91.a. Ecclesiæ puritas & sanctitas,112.b. Ecclesiam fingere quæ sit sine verbo Dei,120.b. mandata Ecclesiæ,199.a.b.194.b. Ecclesia potestas limitata est, non infinita,197.b.199.a.

Electio nostri unde æstimanda 190.a.b.

ἔλεγχος 39.b.

Eliæ reditus 88.a.

Emserus 15.a.

Enochi reditus 88.a.

Enthusiastici raptus 139.a.

ἐνανθρωπις 39.b.

Erasmi translatio novi Testamenti 62.b.

Error variè considerari potest, 79.b. error magnorum ducum honestus videtur, 81.a. errorum pandectæ, 83.b.

Ethnicus verbo Dei carentibus, salutem tribuere, 86.b. 87.a.120.a.b.121.a.b.

Evangelio viam præparare velle per Philosophiam,121.b in Evangelio vobis proposita, quomodo fieri possint, 131. Evangelij doctrina non est certis libris metienda 166.a.

Eucharistiam ad solam orationem Dominicam consecrare, 90.b. celebratio eius Pontificia,95.a.b. utramque speciem petere an sit peccatum, 114.b. quomodo ea spolient Ecclesiam Pontificij 190.b.196.a.

F.

Fides infirma, 183.a. veritas fidei unde dijudicanda, ibidem. dubitatio fidei Papistica, 183.184.185.186. fides hæreticorum & Epicureorum,185.a. fidem esse universalium: dubitationem verò de applicatione ad personam,185.b. demonstrationes certitudinis fidei,185.b. dilutio obiectionum quibus certitudo fidei impugnatur,188.189.190.191. quomodo fides amittatur, 190.a.b. 204.a. non est certitudo fidei tanta, ut nihil supersit dubitationis,191.b. fides non ferens fructus non est vera 194.a.

G.

Gad 17.a

Gnostici 16.b.

Græcæ linguæ usus 62.a.b.

Gratia quid tribuant Pontificij in hominis renovatione.131.a.b. Gratia operans & cooperans, prævenions & subsequens, &c.133.b.134.a.138.a. Vide etiam locum iustificationis. Gratiam invehiri 153.b. gratiâ & gratis iustificari, 152.a.b.153.a. cooperatio & dispositio ad gratiam. 152.b. gratia & gratis data.173.a. gratia gratum faciens, 175.a. gratia excidit, 190.b.

H.

Hadde 27.a.

Hæretici è Scriptura ne aut traditionibus informandi, 7.b. hæreticos esse qui scripturis non assentiuntur,17.a. inimici scripturæ, 22.b.71.a.84.b.86.b. mansvetudo eorum cavenda,45.b. quomodo debeant refutari, 78.a.85.a. refutando eos, sæpe à tramite per excessum declinari,80.a.b. opera eorum sunt peccata,123.a. fides eorum excludit à regno Dei,185.a. de certitudine fidei illorum 189.a.

Henochi scripta 9.b.

Henochi motus in infidelibus 120.b.122.a.

Hosius 5 b.25.a.65.b.

Humilitatis prætextu dubitationem fidei defendere. 189.b.

I.

Iehu scripta 27.a.

Ieiunij tempus & leges 89.a.b.94.b.95.b.

Iesuitæ quomodo rectè cognoscantur, 1.a. Theologia eorum, 1.b. historia originis & institutionis sectæ eorum 1.b. professio eorum 2.a.

Ignatius Layola 1.b.

Imago Dei in homine, 100.a. restitutio imaginis Dei 100.a.

Imperfectio nostra agnoscenda 202.a.206.b.

Impossibilia an Deus præceperit 206.a.

Imputare pro inferere, 164.b. imputationis vera consideratio 156.a.b.

Indignitatis tentatio 188.b.190.a.

Infidelium opera virtutes & salus,119.120.121.122.123.124.

Interpretatio scripturæ donum Dei est, 63.b. non est in renatis,63.b. alligare eam ad certum ordinem hominum.64.a. interpretationem ab aliis dijudicari nolle, 64.a.64.b.65.a. veterũ interpretationes omnes pro demonstratis haberi velle,65.a. perspicuas scripturas aliter pro habitu interpretari, ut dogmata constituantur, 65.b. observationes aliquot de interpretatione scripturæ 76.b.

Iobi liber 9.b.

Ioannes

Ioannes Moronius 2.a.

Ioannis Evangelium, 22.b.23.24.a.25.b. epistola eius, 41.b.42.a.

Ioannis Alberus 1.a.

Iudei nostri sunt librarij 69.b.

Iudæ epistola 42.a.55.a.

Iudicio Dei se moribundum sistere 158.159.a.

Iuramenti prohibitio 87.a

Iudicijs an utendum ibid.

Iustitia Pharisaica, 128.b. iustitiam Christianam Ethnicus etiam tribuere. 120.121.122.130.b. iustitiæ originalis carentia, 97.a.b.98.a.199.a. iustitia operum fundamentum, 97.a.103.b. meris rationalibus additam iustitiam originalem dicere. 98.a. Vide etiam locum iustificationis.

Iustum quid sit, 102.b. in hac vita iustum esse.112.b.13.a.

Iustificationis doctrina quanti sit momenti.141.a. non habetur pura cùm peccatum non rectè cognoscitur, 106.b. tribuere Philosophiæ, itemq; legi naturæ & divinæ, iustificationes, 86.b.87.a.119.b.120.a.b. fidem iustificantem Ethnicis etiam tribuere,120.a.b.121.a. 143.a. Conscientiæ angores de certo salutis portu.141 a. carnificinæ cõscientiarum in Papatu, cum certam de salute consolationem quæsierunt. atq; Christo ad alia remedia sunt ablegata.141.b. Evangelicorum doctrina & confessio de ratione iustificationis, 141.b. 142.b. iustitiæ qualitates infusæ & inhærentes, 141.b.142.b.144.a.145.a.147.a.151.b.160.a.162.b.163.a.173.a. iustificare & iustificari quid sit.142.a.143.a.144.145.147.146.b.156.a.162.a. reconciliationi seu remissioni peccatorum renovatio est coniuncta, 142.a. utrumque est ex merito Christi.142.a.148.a. sunt tamen à se invicem distinguenda & non confundenda, 142.a. an renovationis præsentis & consequentia prorsus excludatur à renatis & reconciliatis, 142.b.160.a.162.a.181.a. salutis definitio ex Simonis Magi blasphemia,142.b. non habenda sunt renatis quæcunque actiones pro indifferentibus,142.b. Gnostici se putarunt salvari notitia & fidei excellentia, ut non possint gratia excidere. ibidem. status controversiæ in hoc loco cum Pontificijs est de eo: quid sit illud cuius interventu Deus absolvat peccatorem à peccatis, & salvet quoque nitentes cum secure agere possint peccatores.143.b.145.a.151.b.159.a. iustificationem admit scriptura novitati & operibus renatorum, 144.a.147.a.148.a.149.b.150.151.159.b. rationes huius doctrinæ, 150.a.151.a. transfert verò illam in satisfactionem, obedientiam & meritum filij Dei mediatoris,144.a.151.a.153.a.154.a.155.a.b. 156.a.162.b. quomodo hanc doctrinam depravent Pontificij, 160.a. imputatio & imputativa iustitia, 146.a.154.b.155.a.b.165.a. Iustitia Christianorum, 154.b.164.b. iustitia politica non iustificat.147.148. a. iustitia Pharisaica non iustificat, 148.a. fides & Christi merito opera coniungere velle in loco iustificationis,150.a.151.b.159.b.160.a.162.a.163.a.167. b.211.a. iustitia legis & fidei quomodo differant, 151. a.b.164. gratia Dei & gratis iustificari quid sit, 152. a.b.153.a.155.a.160.a. satisfactio pro peccatis nostris, 153.b.154.a. quomodo Christus ad salutem nobis proponatur & accipiatur, 154.a.b. meritum iustificationis nostræ est Christus.154.155. Concilij Tridentini sententia de iustificatione, 159.a. formalis causa iustificationis, 159.a.160.a.162.a.163.a. iustificationem nostram esse remissionem peccatorum, 159.a.160.a.161.a. charitatem iustificare quomodo intelligant Pontificij, 160.a.b.161.a.b.162.a.175.a. fidei & operibus an hic conveniat.163.a. quæ opera pontificij à iustificatione excludant,163.b. de acceptæ iustificationis incremento, 167.168. iustitiam conservari & augeri debere per bona opera, 168.a. iustificatio prima & secunda.158.a.169.a. fides iustificat in principio, medio, & fine conversionis atque etiam in resurrectione mortuorum,169.a. quomodo & quando nobis conferatur iustificatio, 173.a.177.a.b. quo sensu & qua ratione fides dicatur iustificare,171.b. de præparatione ad iustificationem 171.b.172.a.175.a. mereri velle remissionem peccatorum & iustificationem, 172.a.175.a. præparationes & dispositiones ad gratiam, 172.a.173.174. fides iustificans quæ sit.173.a.173.b.176.177.178. fides initium est & fundamentum iustificationis,171.b.173.b. fidem quid & qualem esse sententiam Pontificij.173.b. fides informis & formata, 174.b. Christus quo organo apprehendendus in iustificatione, 173.b.174.a.175.b.179.a. gratia quid sit Pontificiis in hoc loco.173.a.174.a. 175.b. obiectum fidei iustificantis proprium,176.a.b. 177.a.178.a.b. causa instrumentalis qua Deus salutem nobis offert & communicat.177.b.178.b.180.a. unde fides habeat vim iustificandi,176.b.179.a.b. 180.a. fides natura & vis in apprehendendo suum proprium obiectum, 178.b. quomodo fides in promissione accipiat Christum & beneficia eius, 179.a.b. de necessitate operum ad iustificationem & salutem 181.b. exclusiva particulæ in doctrina iustificationis, ibidem. sola fide.182.a.b. propter quas causas exclusivis utendum, 182.a.b. fides certitudinem repudiare Pontificios in hac doctrina 182.b.183.184.185.

K.

Κανὼν 50.b.

L.

Latinæ linguæ usus 60.b.

Legem scribi in cordibus nostris. 17.a.b.

Legenda sanctorum 93.b.

Legi naturæ & divinæ tribuere quod ducant ad Christum,86.b.119.a.b.148.a. legem necessitatis alicui imponere,92.b. an legi repugnet peccatum originis,97.a.98.b.99.b.109.a. Et imago Dei, & amissio eius. potest è Decalogo cognosci,100.a. legis præcepta quomodo fieri possint, 128.b. lex naturæ non iustificat, est tamen etiam obscurata, 148.a. legis promissiones,148.a.176.b. ex legis Dei operibus nemo iustificatur,147.b.148.a. legi quomodo satisfiat pro nobis per Christum.153.b.154.a. legis doctrina non est metienda libris certis,166.a. lex præparat nos ad gratiam,171.b. legem debere esse possibilem. 200.b.

Legis Dei possibilitas aut impossibilitas 201.a.

Leo X. 62.b.

Libertate Christiana in adiaphoris non abutendũ,198.b. liberum arbitrium non extinctum, sed viribus attenuatum & inclinatum dicere, 119.a. an possit legem Dei implere, & peccata mortalia vitare,119.a. mens est pars cognoscens, 125.b. voluntas est pars appetens, ibidem. mentis & voluntatis substantia, 125.b.128.b.130.a.134.b.135.a.137.a. libertas eius in ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

in externis rebus, 125.b.126.a.b.128.b. 129.b.130.a. 133.a. vitiosæ eorum actiones, 125.b.126. b. 128.b. 130.a. renovatarum illarum libertas, 125.b.127. b. quid significet liberum arbitrium. 126. a. depravata omnia non ablata esse. 125. b. homo aliter movetur quàm lapis aut brutum, 126.a 134.b.135.b. libertatis eius in rebus externis impedimenta, 126. b. liberum arbitrium in malo habemus, 127.a.b.141.a. de viribus hominis in rebus spiritualibus, 128.b.129. a.135. b.137. b. quid agant aut patiantur motus humani in conversione, 129. b. status disputationis de libero arbitrio est: Vnde habeat homo bonos motus, vel unde possit aliquid boni inchoare & præstare, 129. a. 130. a. b. 134. b. 135. a. 137. a. 138. a. organum quo novi motus accenduntur in homine, est ministerium verbi & Sacramentorum, 129. b. 130. a. 133. a. status liberi arbitrij ante lapsum, post lapsum, ex conversione, & in futura beatitudine, 129. b. renovatio est ex merito Christi, 142. a. 148. a. 159. b. non uno momento perficitur, sed habeat sua initia & progressus, 103. a. 106. b. 111. a. b. 112. a. 113. a. 129. b. effector novorum motuum est Spiritus sanctus, 129. b. 130. a. 133. a. de agnoscendis novis motibus in nobis effectis, 130. a. nullam esse coactionem mentis & voluntatis ad bonum, 126. a. 130. a. 138. a. libero arbitrio ante conversionem & gratiam una cum Deo vim causæ efficientis ad inchoandum & efficiendum motus spirituales tribuere, 131. a. b. 132. b. liberi arbitrij vires per peccatum impeditas per gratiam excitari, solvi, & instaurari, dicere, 131. a. b. 132. a. 132. b. 173. scripturæ sententia de libero arbitrio, 132. a. naturam non renatam nullam prorsus habere vim cooperandi gratiæ in efficiendis novis motibus spiritualibus, 132. a. habere eam quoq; pravitatem & vitiosos habitus spiritualibus motibus contrarios, 132. a. gratiam omnia in totum nova facere. 132. a. quales nos gratia inveniat. 132. a. luctæ veteris & novi hominis, 133. b. ut velimus & faciamus Deus facit, 133. b. 135. a. utilitas huius doctrinæ 134. a. de præceptis Dei ut bona agamus, 133. b. 137. a. b. subiectum in quo operatur Deus renovationem, est mens, voluntas, & cor hominis, 134. b. 135. a. 135. b. 139. a. Manichæi de aliquibus qui converti non possent, 135. b. hominis capacitas ut converti possit, 136. a. 137. a. assentiri nos oportere & gratiam recipere, 138. a. hominem posse dissentire & gratiam abijcere, 138. a. Deum adiuvare nos & auxilium præstare, 138. b. hominem in regeneratione & conversione habere se merè passivè 139. a.

Lindanus 25. a

Lingvarum conversio & in confusione cognatio. 60. a. translatio Scripturæ in alias linguas 60. b.

Lucæ Evangelium 21. b. 25. b. 52. b. 53. a.

M.

Machabæorum libri, 58. a. ἐξωτερικὰ καὶ ἔσωτερικὰ 86. a.

Mala pœnæ & culpæ 104. b.

Mandata Dei & Ecclesiæ 195. a. 197. a.

Manicheismus 199. a. 101. b. 135. b.

Marci Evangelium 21. b. 25. b. 53. a.

Maria an sine peccato originis concepta fuerit, 116. 117.

Mariæ invocatio 4. a.

Matthæus quando scripserit, 16. b. 17. b. 19. b. de Evangelio Matthæi, 20. b. 21. a. 25. b. 51. b. solum hoc Ebion recepit 23. a

Mediator est Deus & homo, 154. a. satisfactio eius pro nobis. 154. a. b.

Mens hominis, vide liberum arbitrium.

Merces 108. a.

Meriti appellatio an fieri possit in Ecclesia, 205. a. meritum congrui, 172. a. 173. a. 174. a. b. 120. a. 124. b. 142. b. 168. condigni. 121. b. 205. a.

Ministerij dignitas & authoritas, 197. b. obedientia ministerio debita, ibidem. ministerij partes & officia 39. b.

Μνήμιλω aut μνεϊαχριστιανοι 40. b.

Monhemius 99. a.

Montani hæresis multarum traditionum in Papatu mater est 91. 92. 93.

Morientium institutiones & consolationes, 158. a. in Christi morte fiducia 158. b.

Mortificatio iuliora in hac vita, 110. a. 111. a. b. non semel absolvitur, sed crescit 167. b.

Mortuorum memoria & preces pro illis 90. a. 95. b.

Mundus est doctrina pura hostis 8. a.

N.

Nathan 27. a.

Natura hominis qualis creata. 98. b. 199. b. 100. a. b. 101. a. 125. a. à vitio quo corrupta est, discernenda. 99. a. 121. b. 122. a. 123. b. restitutio eius, 100. a. 101. a. 122. a. metuere ne depravatio naturæ nimium exaggeretur 101. b. 102. b. 103. a. 118. b. quid natura ante gratiam tribuatur à Pontificijs 131. a. b.

Necessarium aliud esse 197. a.

Necessitatis legem facere, 92. a. necessitas coactionis & immutabilitatis. 127. b.

Negligentiæ pœna 167. b.

Novatiani 188. a.

Nuptias secundas & tertias prohibere 91. a.

O.

Obsignatio per Spiritum sanctum 187. a.

ὁμοούσιος 77. b.

Orantes ad Orientem convertere facies, 90. b. Spiritus gratiæ & precum non rectè cognoscitur, nisi doctrina liberi arbitrij sit sana 125. a. b.

Orientem spectare orantes 90. b.

Osiandrista quidem de iustitia imputativa 165. a.

Operum iustitia fundamentum, 198. a. 103. b. non constat sibi operum bonorum doctrina, nisi peccatum rectè agnoscatur, 106. a. Operibus legis naturæ aut divinæ à peccato liberari & iustificari neminem posse, 121. a. opera infidelium & quæcunque ante iustificationem fiunt verè esse peccata, 118. b. 120. 122. 123. 124. b. an liceat de operibus infidelium quidlibet opinari, 120. a. facere quod in se est, 120. a. 124. a. 177. a. opera infidelium quæ ex creatione Dei sunt, ab illis, quæ per peccatum sunt ingressa, distinguenda, 121. b. 122. a. opus per se bonum sit malum ex causæ efficientis servali & finali, 122. b. boni operis conditiones, 123. a. non fiunt bona opera ab homine, nisi per Spiritum sanctum, 125. a. b. 128. a. sic de salvatis non permitti, ut quæ volunt agant, 142. a. non etiam esse illis omnes actiones indifferentes, 142. a. aliqui licentiam peccatorum nil obesse hi, qui fidem haberent, dixerunt, 142. a. opera electicia, 147. a. 196. a. 197. a. per bona opera velle iustitiam conservare & augere, 168. a. opera salutis meritoria dicere, 168. a. 196. a. 205. a. b. de necessitate eorum ad salutem, 181. a. necessitas bonorum operum, 194. a. opera carnis à salute & gratia excludunt, 190. a. b. calumniæ Pontificiorum, quibus (per aquè nimirum ut meretrix de pudicitia) de doctrina bonorum operum disputantes, nos, de studio illorum neglecto, aut etiam prohibito, accusant, 193. b. 194. a. 195. a. fundamenta exhortationum ad bona opera in Ecclesijs Evangelicis usitatarum, 194. a. an bona opera, cum ad iustificationem non prosint, nullas habeat causas & utilitates alias, 194. a. b. 195. a. quæ sint bona opera, in quibus vult Deus renatos obedientiam suam exercere, 195. a. 196. b. imperfectio nostra in bonis operibus, 197. a. opera supererogationis, 197. a. 200. a. b. an bona opera renatorum perfecta sint & legi Dei satisfaciant, 200. a. 201. b. quomodo & quare placeant Deo opera, 200. b. 201. a. iustum in omni bono opere peccare, 203. b. de præmijs bonorum operum, 205. 206. utrũ ex gratia Dei nobis præmia dentur, an ex debito propter merita 208. a.

P.

παιδεία 39. b.

Papæ laudes, 4. a. an authoritatem habeat super scripturam & articulos fidei, 57. a. habere eum omnia iuris in scrinio pectoris, 64. a. 67. b. interpretationes Scripturæ ab illo profectæ quam vim habeant, 64. 65. 66.

Paschatis observatio 89. b. 90. a. b.

Patrum testimonijs quomodo utendum, 43. a. 78. a. interpretationes eorum in Scriptura, 63. b. 65. a. de authoritate eorum apud nos, 78. a. quare eorum consensus allegetur, 79. a. quando non audiendi aut recipiendi, 79. a. b. incommode ab eis dicta quomodo accipienda, 80. a. sæpe eos tempori & consuetudini cessisse, 81. a. cum patribus errare quam cum aliis recte sentire malle 81. a.

Paulus quando scripserit, 16. b. 17. b. acta Pauli, 26. b. Pauli & Theclæ actus, 27. a. 53. a. quo consilio scripserit, 27. b. Epistolæ eius ad Thessalonicen. 28. a. b. prior ad Timotheum, 30. a. ad Titum, 31. a. prior ad Corinthios, 31. a. secunda ad Corinthios. 33. a. ad Romanos, 33. b. ad Galatas, 34. b. 150. a. Ascensus Pauli, 36. a. Epistola ad Philip. 36. b. ad Colossenses & Laodicenses, 37. a. ad Hebræos, 37. b. secunda ad Timotheum 38. a.

Paulus Papa 1. a. 2. a. 4. a. 62. b.

Peccati originalis definitio, 96. b. 97. b. 99. a. 109. b. 101. b. an repugnet legi Dei, 97. a. 98. a. concupiscentiam non habere rationem peccati, 97. a. quid non sit peccatum originis, 67. a. 97. b. reatus eius, a. necessitas rectè cognoscendi peccatum originale, 98. a. 99. a. 105. b. an peccatum sit tantùm actio contra legem Dei, 98. a. extenuare peccatum, 98. b. 105. b. 119. a. 204. a. an omne peccatum sit voluntarium, 98. b. 101. a. b. 113. a. 137. b. an sit minimum peccatorum aut maximum, 99. a. 100. b. 101. b. an ut carentia iustitiæ originalis sit peccatum, 97. b. 195. a. b. 198. b. negare omnia in nobis per illud esse depravata, 103. b. naturam à vitio quo depravata est, discernenda, 99. a. 121. a. 122. a. 123. b. peccatum originis nobis incognitum est, & solo verbo Dei de eo docemur, 95. b. 104. b. peccatum facere, habere, in eo ambulare, 99. a. 109. a. peccatum esse ἀνομίαν, 102. a. 114. a. b. politicè aliquid vocari peccatũ, 102. a. metuere ut nimium exaggeretur peccatum originis, 101. b. 102. a. 103. a. de peccati reliquijs post Baptismum, 200. b. 104. b. 105. a. non eodem modo se peccatum originis ante & post Baptismum habere, 103. b. 106. b. Reatus in Baptismo remissus, 104. a. b. Concupiscentia in renatis non est res bona, 104. a. Neque est res indifferens, 104. b. Sed vehementer mala, 104. b. 105. b. 108. a. Sitne peccatum an tantùm pœna & causa peccati, 101. a. 107. a. 108. a. b. 110. b. quatenus neget Augustinum concupiscentiam in renatis esse peccatum, 106. a. b. 107. a. Pontificij dicunt Deum nihil in renatis odisse quia omnia in illis sint pura & sancta, 105. b. 106. b. 108. a. 109. b. Concupiscentia etiam cum non regnat dicitur peccatum, 106. b. quomodo eam peccatum dici intelligant Pontificij, 106. b. Paulum eam vere peccatum esse dicere, 106. a. b. quatenus patres eam dixerint esse peccatum, 97. b. est non tantùm pœna, sed etiam culpæ malum, 104. b. 108. a. 109. a. Deus hoc agit ut peccatum consummatur, 109. b. peccatorum purgatio quãdo in nobis fiat, 112. a. Duo inesse peccato: turpitudinem & reatum, 110. b. 112. a. concupiscentiam negare esse ἀνομίαν, 113. b. Diabolum aut hominem esse peccatum, 114. b. an peccatum sit quod contra pontificem & prælatos admittitur, 114. b. 196. b. Quos homines quando Andradius dicat esse sine peccato, 115. a. An Maria fuerit sine peccato originis concepta, 117. 118. olicem peccati mortalis per se removere velle, 120. a. peccatum aliquid dicere non quia ab infideli fiat, sed quia non referatur ad verum finem, 121. b. Nemo omninũ est sine peccato, 202. a. peccata non omnia esse paria, 124. a. peccata venialia, 126. a. peccati causa quæ sit aut non sit, 127. b. Sathanæ tyrannis ad peccandum quomodo agat in homine, 127. b. peccata fieri Deo sinente, permittente, & deserente, 127. b. peccata multa à Deo impediri & reprimi, 127. b. Malitia impiorum abutitur Deus ad pœnas certas aut suorum conceptiones, &c. 123. b. De voluntate & operatione Dei in vitiosis actionibus, 138. a. Satisfactionem Deus requirit pro peccatis nostris, 154. a. b. peccatum in sanctis manere, 161. b. peccatorum remissionem ita tribuere Deo, quasi non eam per ministerium nobis impertiat 189. a.

Pelagius & Pelagiani, 102. b. 111. a. 120. a. 130. a. 136. a. 159. b. 196. a. 204. b.

Perfectionis persuasio 197. a.

Perezius 25. a.

Perseverantiæ doctrina 190. a.

Petri Epistolæ 40. b. 41. a.

Petri historia 27. a.

Petrus Galatinus 14. b.

Pighius 7. a. 15. a. 25. a. 97. a. 154. b.

Possibilitatis augmentum 111. a.

Prædestinationis doctrina 190. a. b.

Præsumptio spiritualis 189. a.

προγραφαι 35. b. 36. a.

Prophetæ non fuerunt à tribu sacerdotali 65. a.

πρὸς 35. b.

Purgatorij commentum 92. b.

Q.

Quadragesima 29. a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

R.

Ratio est hostis puræ doctrinæ 8.a.
Rebaptizatio 76.b.77.a.
Refutationes hæreticorum quomodo instituendæ, 78.a. 85.a.
Refutari non omnia posse, 102.a. Conculcare argumenta quæ refutare nequeas 165.a.
Regeneratio remissionem peccatorum quæ perfecta est, & renovationem quæ inchoata est & crescit, continet, 105.a.162.a. Sine regeneratione alicui bona opera tribuere, 118.b.120.b. vim præstandi motus spirituales non renato tribuere ante gratiam 131.a.b.
Renovatio nostri æquè & remissio peccatorū est ex merito Christi. 142.a.
Regeneratio per Baptismum sit 76.a. non sit præter Christum, 76.b. an faciat ut concupiscentia non sit peccatum, 98.a. ante illam ponere in homine pium aliquid 99.a. sit in omnibus partibus naturæ, 101.a. Quid efficiat in homine, 103.b. Renovationem non absolvi una vice, sed crescere etiamsi remissio peccatorum quæ sit in Baptismo sit perfecta, 103.b.104.b.107.b.110.a.b. 111.a.b.113.a.139.b.167.a.
Regnum Dei duplici iure Christi est 162.a.
Religionem quamcunq; approbare 120.a.
Revelationes 9.a.10.a.44.b.118.a.
Ritus vide ceremoniæ

S.

Sabbathi abrogatio 82.b.
Sacramentorum usus pugnat contra dubitationem. 185.a.190.a.
Sanctificationis ratio secundum Montanistas 38.b. 93.a.
Satisfactiones 53.b.
Scripta triplicia in Ecclesia habita semper esse, 87.b.
Scriptura est norma iudicij de doctrina, 3.b.5.b. æquare ei traditiones, 5.b. discrimen inter libros scripturæ 5.b. Lucifugæ scripturarum, 6.a. habere eam pro imperfectiore quam ut omnē doctrinam cœlestem contineat, id est, se insufficientia eius, 6.b.7.a.29.a.38.b.69.b.71. an sit voluntas Dei, ut per scripturam doceamur, 7.a. Ecclesiæ iudicium & authoritatem scripturæ anteponere, 7.a.b 52.a.53.a.54.55. traditiones ei æquare aut præferre, 5.b.7.b.19.b.52.a.85.b. accusare eam obscuritatis & flexibilitatis, 7.b.19.a. 49.a.b.63.b.71.a.b. An hæretici è scriptura non informandi, 7.b. quare negent eam esse fidei regulam debere. 7.b. quamdiu & quare ab initio non fuerit doctrina scripto comprehensa, 9.a.17.b.18.a. scripturæ occasio, origo, & author, 9.a.b.12.b. de illis usu, dignitate & authoritate, 10.a.b. Est norma iudicij in controversiis, 12.a.46.a.48.a. Scripturæ assuere traditiones, doctrinam corrumpit, 13.a. Christus scripturam opponit traditionibus, 13.b. Papistas hodie non amplius, ut olim scripturis contra Evangelicos pugnare, 15.a. An doctrina novi Testamenti plene in scriptis quæ habemus comprehensa ac tradita sit, 15.b.16.a. Quo consilio & in quem usum doctrina Evangelij scriptis mandari cœperit, 19.a. 20.a.b.42.b. ad Ecclesiam universam scripta Apostolica pertinere, 19.a.32.a. Scriptura est fidei fundamentum, 19.a.26.a.47.a.b.48.a. hæretici scripturis non adsentiuntur, 19.a. Sunt inimici eius, 23.a. 70.a. Christus non ipse sed per Apostolos scripsit, 24.b. quare non omnia omnium Apostolorum acta descripta sint, 27.a. De constituto Canone scripturæ, 29.b.35.a.50.a.52.a.
Scripturas torquere, 41.a. omnis scripturæ una tantum esse simplex sententia potest, 41.a. Patrum testimonia de authoritate & sufficientia Scripturæ, 43.44. Non veritas aut authoritas scripturæ ab Ecclesia, sed Ecclesia à scriptura & verbo Dei dependet, 48.a.52.a. Vbi dogmata traditis est certa & minimè ambigua, 48.b. obscura loca quomodo expicanda 48.b.49.a.
Scripturarum inexhausta doctrina, 49.a. collatio earum ad scripta aliorum doctorum, 51.a.b.52.a. Vnde scriptura suam habeat authoritatem, 52.b. Ecclesia testis & custos est scripturæ. 10.b.52.a.54.a.55.a.b. 69.a.b. Quomodo Ecclesia dijudicaverit scripta Apostolica & adulterina. 53.54. de canonizatione scriptorum olim reprobatorum & reiectorum confirmatorum, 54.a.b.56.a.56.b. Qui libri scripturæ pro Canonicis sint habendi, 49.b.54.a.55.a.56. &c. Catholica scripta, 55.b. De Apocryphis libris, 54.a.55.a.b. 57.a.b. de commodis & incommodis ex neglecta Canonicorum & Apostolorum scriptorum distinctione, 57.a.b. de translatione Scripturæ authentica. 5.b.60.a.61.b.148.a. translationum causa & usus. 61.b de intelligentia & interpretatione Scripturæ, 5.b.61. 65.66.72.b. Laicis etiam legenda scriptura. 66.b. de nō provocando ad scripturam. 70.a.71.a. à scriptura ad traditiones provocatum olim esse, 70.a.71. An admittantur traditiones cum scriptura pugnantes. 68.b. 69.a.71.b.77.a. Exfiguratis & obscuris locis scripturæ extruere aliquid quo perspicua dicta eius eludantur, 74.a. Sæpe non vocabula & phrases, sed res in scripturis haberi. 75.b.95.b. pontificios scripturæ parum aut nihil tribuere, 123.b. multa in scripturis non posita nominatim, bona tamen consequentia illinc eliciuntur 75.b.77.b.195.b.
Securitas malum 93.a.b.191.a.
Semeias 27.a.
Symbolum Apostolicum 73.a.b.75.a.
Symboli articuli 176.a.
Στοῖχος 35.a.
Στοιχεῖν 50.a.
Spei origo & efficacia secundum pontificios. 174.a.175. a.179.a.180.b. Cum dubitatione coniunctam illam habere 184.a.b.185.b.
Spiritum sanctum esse Deum. 75.b.77.b. Spiritu sancto obsignari, 187.a. amittere eum. 191.a.204.a.
Spiritualia in humanis viribus fiunt, 128.b. Superbia spiritualis 188.a.b.
Superstitionis epitome 83.b.
Στρεβλεῖν 41.a.

T.

Thalmudicæ traditiones, 14.a.b. quando conscriptum fuerit Thalmud & quomodo auctum 15.a. 120.b.
Thammerus 1.b.
Theatini
Tempori cedere, 81.a. Temporis præscriptio 15.a.
Testamenti veteris perfectio, 93.b. Testamenti veteris & novi collatio 16.b.17.a.b.
Traditiones æquare aut perferre scripturæ, 5.b.7.b.19.b. 52.a.85.b. verbum Dei per traditionem sine scriptura conservari, 8.b.9.a.10.a.11.a. ex traditionibus scripturæ astutis corruptelas doctrinæ sequi, 13.a.b.14.a. Christus traditionibus non traditiones, sed scripturam proponit, 13.b. 14.a. Thalmudicarum traditionum ad Pharisaicas collatio earūdemq; origo & propagatio. 14.a.b. Vis persuasionis de traditionibus ad excæcandum homines, 15.a. Quare hodie pro traditionibus non scriptu contra scripturam pugnent pontificij, 15.b. Tempore Apostolorum homines seductos fuisse per traditiones, 20.a.29.a.84.a. Apostolorum traditiones in literas esse redactas, 22.a.84.b. traditionum titulo defenditur, quicquid Ecclesia Pontificia sine scriptura aut cōtra eam servat, 67.a.83.b.16.a. non ita hodie ut tempore Lutheri de traditionib. disputatur, 67.a nomine Apostolico omnes traditiones hodie venditantur, 67.b. Pontificij omnia dicta patrum quæ traditionis mentionem faciunt ad suas traditiones applicant. 67.b. 72.b.83.a. Traditio pro doctrina Christi & Apostolorum in scripturis comprehensa, 67.b. 72.a. 86.a. pro commendatione librorum scripturæ & ad posteros propagatione, 69.b. de traditione ad quam patres à scriptura provocarunt, 69.b. 70. 71. an admittenda traditiones cum scriptura pugnantes, 66.a. 70.a. 73.a. de traditionibus quæ sunt diversæ expositiones scripturæ, 74.a. traditiones quæ non manifesto verbo descriptæ sunt, sed ex scripturis ratiocinando elicitæ, 75.b.77.b. 200.b. de traditionibus quæ omni scripturæ testimonio carent, 76.b. Traditiones quæ sunt catholicus consensus patrum, 78.a. de traditionibus quæ sunt ritus & consuetudines vetustæ, 81.b. de traditionibus Pontificijs ad fidem & mores pertinentibus, cum tamen nullo scripturæ testimonio possint probari, 83.b. an pari pietatis affectu & reverentia cum scriptura suscipi debeant, 83.a. 91.a. 195.b. 196.a. usitatum & frequens esse per traditionis nomen fallere, 85.a.b. 86.a. 87.a. origo traditionum per scripturam, 86.b. multa ex Apocryphis scriptis titulo traditionum citari, 87.b. consuetudines veteres pro traditionibus Apostolicis venditare, 86.a. hyperbolicæ commendationes traditionum in patribus, 91.a. multas traditiones ex Montanistarum hæresi in ecclesiam irrepsisse & retineri, 91.a. 92.93. traditiones è fictitijs & Apocryphis scriptis desumpta. 93.a. multa pro traditionibus venditari quæ à posterioribus hominibus instituta & profecta esse ostendi potest, 95.a. Quid quærant pontificij traditionibus suis non scriptis, 166.a. observationi traditionum promittere vitā æternam. 196.a. Pontificios hac in re deteriores esse Pelagio & Iudaïs 196.a.
Tridentini Concilij interpres Andradius, 1.a.2.b. non est simpliciter ei acquiescendum, 3.b. norma iudicij eius de doctrina & ritibus, 5.b.6.a. Iuventutis institutio apud Iesuitas, 2.a. propositum eorum esse, confirmare & obtrudere nobis de novo Scholasticam doctrinam 171.b.175.a.

V.

Virtutes infidelium an sint peccata 122.123.
Vnctionis institutio, 97.a. unctionem esse traditionem, 92.b.
Vocabula in contentione versari cum de rebus constet, 59.a.140.a. rebus inserviunt vocabula non contra, 104.a.
Voluntas hominis vide liberum arbitrium.
Ὑπομνήματα 40.b.

VV.

VVilhelmus VVideford. 94.a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX LOCORVM E SCRIPTIS PATRVM IN HAC PRIMA PARTE EXAMINIS, ALLEGATORVM

in quo tamen explicationes in dicta Scripturæ, cùm secundum primum & proprium suum Indicem requiri possint, studio sunt omissæ.

A.

Ambrosius de perspicuitate Scripturæ. 49.a. de Baptismo infantum, 67.a. de scriptis suis, 79.b. de simplicitate fidei, 102.a. de reliquijs peccati & concupiscentia post peccatum, 103.b. de virtutibus infidelium, 124.a. de renovatione hominis, 136.a. de iustificatione, 156.b. 157.b. verba eius lætaliter decumbentis, 158.a. de Novatianis, 136.a. Liber eius de exhortatione ad pœnitentiam 136.a

Anshelmus de virtutibus infidelium, 124.a. exhortatio eius ad fratrem morituram, 158.a. quomodo se sistat tribunali Dei 158.b.

Athanasius de Scriptura sufficientia, 44.a. de eo quod sæpe non voces, sed tamen res in Scriptura habeantur, 77.b. de solis Patribus sine Scriptura audiendis 81.b.

Augustinus de fide, 3.b. 43.b. de Scriptura pro Iudice disputationum habenda, 5.b. 7.b. 44.b. 46.a.b. 50.b. de sufficientia Scripturæ, 24.b. 31.a. 43.b. de obscuritate aut perspicuitate eius, 28.a. 49.a.b. de Scriptura Canonica, 48.b. 49.a. 54.b. 56 a. collatio Scripturæ ad aliorum scripta. 51.a.b. de Apocryphis scriptis, 56.b. 59.a. de Scripturæ translatione, 60.a. 62.a .de interpretatione Scripturæ, 63.b. 64.b. de authoritate Patrum, 65.a. 79.a.b. de fide simplicium, 66.b. de traditionibus, 69.a. 76. b. de Scriptura ad Ecclesiæ authoritatem recepta, 69.a. de parvulorum Baptismo, 75.b. 76.a.b. quomodo acceperit aliorum Patrum incommodè dicta, 80.a. aliquando cessit consvetudini ac tempori, 81.a. de discriminanda naturæ a vitio, quo est corrupta, 99.a. de non refutando omnia obiecta. 102. a. de reliquijs peccati in baptizatis, 101.b. an concupiscentia in renatis sit peccatum, 106.b. 109.a.b. 103.b. 110.b. 111.b. de Maria an in peccato concepta, 116.a. de libero arbitrio, 118.a. 125.b. 126.b. 127.a. de prædestinatione, 120.a.b. de fide & salute Ethnicorum, 121.a. de operibus & virtutibus infidelium, 121.a 122. 123. 124.a. de gratia Dei in renovatione virium nostrarum, ut bene velint faciant, 133.b. 134.b. de iustificatione, 145.b. 156.b. 157.a.b. commemoratio eius de Ambrosio, 158.a. de certitudine fidei, 184.b. de observatoribus traditionum humanarum, 196.a. de sabbatho ieiunij, 199.b. de operibus, quomodo placeant Deo, 200.b. de possibilis impletione legis, 201.a. de perfectione nostra, 203.a.b. 204.b.

B.

Basilius de Scriptura, 5.a. de authoritate & sufficientia scripturæ, 44. a. de interpretatione scripturæ, 64.b. 74.a. de traditionibus, 67.b. 68.a. 90.b. de testimonijs Ecclesiæ, 79.b. de contentione in transversum abripiente Doctores, 80.b. de iustificatione, 156.a.b.

Bernhardus de iustificatione, 158.a.b. fiducia eius in Christo contra tentationes Sathanæ, 158.a. de certitudine fidei, 184.a. de fide generali, 184.b. de possibilitate implendi legem, 201.b. de gratuita iustificatione, 206.b. de iustitia humana 207.b.

C.

Chrysostomus de Evangelio Matthæi, 20.b. de usu scripturæ, 43.b. de perfectione & authoritate scripturæ, 44.a. 45.a.b. 46.a. de perspicuitate eius, 49.a. de legenda omnibus scriptura, 67.b. de Baptismo infantum, 76.a. de dictis a se exhortatoriè magis quam verè, 80.b.

Clemens Alexandrinus admirator fuit traditionum, 86. a. 87. a. Philosophiæ iustificationem tribuit, 119.b.

Clementis Romani scripta 50.a. 94.b.

Cyprianus de scripturæ authoritate & usu, 46. a scripta eius ab Augustino quomodo habita, 51.b. 52.a. de traditionibus, 67.b. 68.a. de Baptismo infantum, 76.a. de absolutione ad satisfactiones, 92.b. de peccato in natura humana, 100.a. contra fidei dubitationem 186.b.

Cyrillus de scripturæ sufficientia & authoritate, 44.a. 45.a.b. de perspicuitate eius, 49.a. de intelligentia scripturæ, 64.b. de eo quod sæpe non voces, sed res tamen in scriptura habentur, 77.b. de iustificatione 146.a.

D.

Damascenus de memoria defunctorum 90.a.

E.

Epiphanius de scripturæ authoritate. 44.b. de scriptis suis, 79.a. admirator traditionum, 88.a.b. de iustificatione per legem naturæ 119.b.

Eusebius de Evangelistarum & Apostolorum scriptis, 21.b. 22.a.b. 23.a. de triplici genere librorum in Ecclesia 53.b. de Apocryphis 56.a.b. 57.a.

G.

Gerson de scripturæ authoritate 44.b. 55.a.

Gregorius de iustificatione 157.a.

H.

Hieronymus de Concilijs, 3.b. de disputationibus sanguinolentis, 4.a. de scriptura, 5.b. 45.a. de Matthæi Evangelio, 20.b. 21.a. de Concilijs, 35.a 45.a de Apocryphis scriptis, 56.b. versio Bibliorum Hieronymiana, 61.b. de scriptis veterum, 65.a. de dogmatice aut exhortatorie dictis. 80.b. de Baptismo sine ceremonijs additijs, 93.a. de Ignatij epistolis. 95.a. de iustificatione 157.a.

Hilarius de Apocryphis scriptis, 9.b. de intelligentia Scripturæ, 63.b. 64.a. 62.b. de peccato in natura humana, 104.a. 111.b. de iustificatione, 146.a. 156.b. contra dubitationem fidei, 184.a.

I.

Ignatij Scriptum de traditionibus Apostolicis intercedit. 93.a. de Epistolis eius, 94.a. 95.a. de ieiunio Sabbati 199.a.

Irenæus de inflatis hominibus, 2.b. de traditionibus, 14.a. de Evangelio Matthæi, 18.a. de scripturæ origine & authoritate, 18.b. 43.a. de scripturæ sufficientia, 25.a. de traditionibus, 68.b. 70.a. 72.a. 73.a. 84.b. de summa fidei & doctrinæ Christianæ, 73.b. de interpretatione scripturæ, 74.a. de Baptismo infantij, 76.a. de Spiritu sancto, 77.b. de hominis renovatione 136.a.

Iustinus de authoritate Patrum, 79.b. de iustitia Ethnicorum, 119.b. de homine aliter agente quam brutum, 126.a. de captivitate hominis in conversione, 136.a.

N.

Nazianzenus de dogmatibus è scriptura extruendis, 76.b. de litera Scripturæ, 78.a de certitudine fidei 136.a.

Nicephorus de Evangelio Matthæi, 21.a. de Pauli scriptis, 27.b. 37.b. de Apocryphis scriptis 56.b.

O.

Oecumenius de iustificatione 146.a.

Origenes de authoritate scripturæ, 46.a. de interpretatione scripturæ, 64.b. de traditionibus, 69.a. de Baptismo infantum, 75.a. 76.a. traditiones sectatus est authore Clemente Alexandrino, 87.a. de operibus hæreticorum, quod sint peccata, 123. de iustificatione 156.b.

S.

Socrates de ieiunij legibus 199.

T.

Theophylactus de Evangelio Matthæi 17.b. 20.a.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECVNDA PARS EXAMINIS DECRETORVM CONCILII TRIDENTINI, COMPLECTENS EXPLICATIONEM LOCORVM, DE SACRAmentis in genere, De Baptiſmo, De Confirmatione, De Euchariſtiæ Sacramento, De Communione ſub utraque ſpecie, De Miſſa, De Pœnitentia, De Contritione, De Confeſſione, De ſatisfactione, De extrema Vnctione, De Sacramento Ordinis, & De Matrimonio.

AVTHORE MARTINO CHEMNICIO, D.

1. Iohan. 4.

Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, num ex Deo ſint: quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum.



FRANCOFORTI AD MOENVM, PER
Petrum Fabricium. Anno 1578.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI MARCHIONI BRANDENBVRGENSI,

Stetini, Pomeraniæ, Cassubeorum, Sclavorum, Silesiæ, & Crossorum, &c. Duci, Burggravio Noribergensi, & Rugiæ Principi, &c. Domino suo clementissimo:

Gratiam, salutem ac pacem, à Deo patre, per Dominum nostrum Iesum Christum, unicum Magistrum, autorem & consummatorem fidei nostræ.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS ac Domine, Domine clementissime: extat in Epistola III. Augustini sententia, saluberrimam esse in Ecclesia Conciliorum autoritatem. Quæ si intelligatur de legitimis & veris conciliis, ubi ipsa vox doctrinæ cœlestis, in Scripturis Propheticis & Apostolicis patefacta & consignata, iudex est, & de controuersiis pronunciat, omnino uerissima est. Neque enim Ecclesia Dei, motis præsertim de Religione controuersiis, talis cœtus est, ubi nulla fiat de cõtrouersiis ex verbo Dei inquisitio, nulla sententiarum collatio, nulla dogmatum dijudicatio: sed quisque fingat & præsumat sibi peculiarem, quam amplecti & tueri velit, sententiam. Sicut de suis Cyclopibus Silenus apud Euripidem inquit: Νομὰδ' ἐς ἀκόπους δ' οὐδὲν δ' ἄς ὁδ' ἑνός, *aut sicut Ammianus de Iuliano apostata scribit, quòd conuocatis diuersarum sectarum professoribus, nõ præconis, sed sua ipse voce proclamarit, ut tantum ciuilibus discordiis sopitis, Religioni quisque suæ, nullo vetante, tãquam reginæ suæ seruiret intrepidus. Sed ideò Deus Ecclesiam voluit esse* κοινωνίαν, *hoc est, communionem seu consociationem, in qua multa & varia ad ædificationem corporis sui distribuit dona: ut instituta de controuersiis inquisitione, doctiores in verbo Dei, fontes & fundamenta veræ sententiæ aliis ita præmonstrent, ut spiritu corda illustrante, ipsi agnoscere & intelligere possint, quæ sententia ut orthodoxa sit amplectenda: quæ verò opiniones, ut peregrinæ & falsæ, sint fugiendæ & damnandæ, ut ita errantes in viam reuocentur, infirmi confirmentur, & turbatores puritatis fonticulorum ciuitatis Dei, non humanis præiudiciis, sed ipsa cœlesti voce, in Scriptura consignata reprimantur, & nisi in viam redeant, damnentur.*

Hæc verò Ecclesiastica iudicia, non habẽt autoritatem Prætoriam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ut definitionibus ſuis, ratione ordinis, loci, dignitatum & perſonarum, vel poſſint vel debeant fideliũ conſcientias conſtringere: ſed hæc tota eſt autoritas definitionum Eccleſiaſticarum, ſi illarum certa, firma & perſpicua fundamenta, in Scriptura ita poſſunt monſtrari, ut fideles agnoſcere & iudicare poſſint, eſſe non adulterinam vel alienã, ſed ipſam veri & boni paſtoris noſtri vocem. Hoc modo prima Apoſtolica Synodus, Actor. 15. controuerſiam de operibus legis, ex verbo Dei definiuit. Et poſteà definitionem ſuã non obtruſerunt Eccleſiis nuda autoritate quaſi Prætoria, ſine explicatione fundamentorum, & ſine confirmatione ex verbo DEI, *ſed ideò Iudas & Silas, cum decretis Apoſtolicæ Synodi, miſſi ſunt ad Antiochenam Eccleſiam, ut dogmatum illorum rationes redderent, & verbo Dei confirmarent. Act. 15. Ita enim Eccleſia certa redditur, ſe non hominum placita, ſed ipſius Spiritus ſancti iudiciũ amplecti & ſequi. Talium Conciliorum verè ſaluberrima eſt in Eccleſia autoritas: illis Eccleſia, tanquam voci cæleſti, meritò debet ſumma cum reuerentia obedientiã, iuxta dictum: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. De huiuſmodi Conciliis, pius Imperator Martianus lege cauit, idq; rectè: Ne quis in Synodo ſemel iudicata, & rectè diſpoſita, diſputando reuoluat: nec poſt veritatẽ repertam, mendacium quærat. Quia verò Scriptura affirmat, non omnes congregationes eſſe Concilia iuſtorum: ſed eſſe quædam Concilia impiorum, Pſalmo primo, quædam malignantium, Pſalmo vigeſimoſecundo, quædam vanitatis, Pſalm. 26. teſtatur etiam, multa ſæpe in Conciliis impia decreta fuiſſe: ut in Conciliis Pontificum contra Micheam, Ieremiam, Chriſtum, & Apoſtolos: Chriſtianæ igitur prudentiæ & Religionis, eſt, non ſtatim & temerè ſine examine, ſine inquiſitione & diiudicatione, quauis decreta, quæ Concilij titulo circumueſtita Eccleſiæ proponuntur, amplecti & ſequi. Si enim Concilij alicuius de dogmatibus definitiones, de quibus nec quærimus, nec intelligimus, nec agnoſcimus, an verbo Dei conſentaneæ ſint, tantùm propter nomen & autoritatem Concilij, tanquam ipſius Spiritus ſancti vocem amplectimur: iam fides noſtra non ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto, de quo pater è cælo clamauit: Hunc audite, extructa eſt, Eph. 2. ſed fluxæ & inſtabili arenæ humanæ autoritatis innititur. Scriptum autem eſt: Vniuerſa uanitas, omnis homo. Item, Omnis homo mendax. Ideò Eccleſia non tantùm libertatem habet diiudicandi, 1. Cor. 2. Spiritualis diiudicat omnia, & 1. Cor. 14. Cæteri diiudicent, ſed habet ſeueriſſima mandata Dei, 1. Ioan. 4. Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, num ex Deo ſint. 1. Theſ. 5. Omnia probate, & eius quod bonum fuerit, tenaces eſtote. Ioh. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, alienam*

alienam non ſequuntur. Matth. 7. Attendite ab illis pſeudoprophetis, qui in veſtimentis ouium ad vos veniunt.

Hac libertate uſus Hieronymus, non veretur pronunciare, Spiritus ſancti doctrina eſt, Canonicis literis prodita, contra quam ſi quid ſtatuant Concilia, nephas duco. Auguſtinus contra Creſconium lib. 2. ca. 21. Quia Paulus dicit, Eccleſiam ſubditam eſſe Chriſto, non igitur debet ſe Chriſto præponere, cùm ille ſemper veraciter iudicet, Eccleſiaſtici autem iudices, ſicut homines plerunq; fallantur.

Nec verò ad Conciliorum contumeliam pertinere exiſtimandũ eſt, ſi decreta illorum ad normam verbi Dei exigantur & examinentur. Ipſa enim Concilia debent hoc Eccleſiæ, ut decretorum ſuorũ rationem reddant, monſtratis certis, firmis & perſpicuis in Scriptura cauſis & fundamentis, quibus conſcientiæ etiam illorum, qui hæc per ſe inquirere & diiudicare non poſſunt, ita erudiantur, ut agnoſcant & intelligant, ſe non hominum præiudicia, ſed ipſius Spiritus ſancti iudicium, cuius norma & regula in Scriptura cõſignata eſt, amplecti & ſequi. Elegans & vera eſt Tertulliani ſententia, quæ rectè huc accommodatur: Lex quæ ſe probari non vult, meritò ſuſpecta eſt, & ſi non diſcuſſa & probata dominetur, improba eſt, cùm nulla lex ſibi ſoli conſcientiam ſuæ iuſtitiæ debeat, ſed eis à quibus obſequium expectat.

Ita in capitula Epheſini concilij, priuſquam ab omnibus reciperentur & approbarentur, multi doctiſſimi viri, inter quos etiã fuit Theodoretus ſapiens appellatus, inquiſiuerunt, examinantes ea ad normam Scripturæ, ne aliquid reciperent vel approbarent, de quo nõ poſſent certas & euidentes, ex Scriptura rationes reddere & monſtrare, quod eſſet verbo Dei conſentaneum. Nec Cyrillus detrectauit decreta illa declarare, & Scripturæ teſtimonijs comprobare & confirmare.

Et quidem hanc curam Chriſtiani Imperatores, ad ſe etiam pertinere iudicarunt. Ita Conſtantinus ad Synodũ Tyri collectam, quæ iam decreta ſua promulgarat, ſcribit, apud Sozomenum libro ſecundo, capite vigeſimooctauo: Volo ut properanter ad reuerentiam meam veniatis, ac geſtorum veſtrorum rationem per vos ipſos reddatis. Socrates libro primo, capite trigeſimoquarto, verba Conſtantini ita recitat: Oportet vos feſtinanter ad meam venire pietatem, ut declaretis & oſtendatis, quàm diligenter, ſyncere & rectè iudicaueritis, & cuncta geſſeritis. Et Conſtantius apud Sozomenum libro quarto, capite decimoſexto, ea cõditione Synodum indicit, ut poſtea ad aulam venientes, quæ decreta eſſent exponerent: ut & ipſe Imperator cõſideret, an ſecundum Scripturas inter ſe conueniſſent: & de rebus agendis, quæ optima viderentur determinaret, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPISTOLA

Hæc propter Tridentinam Synodum, quæ hoc ipso mense ante biennium absoluta est, recitare volui. Sicut enim iniustè Pontifex ab ordinibus Germanici Imperij postulauit, ut sine conditione, qualiscunq; futura esset Decretorum ratio, Concilio se submitterent: ita nunc impiè flagitat, ut omnes sine necessaria dijudicatione, quæ consistit in inquisitione & examine, ad regulam ac normam verbi Dei, quæ in Scriptura nobis consignata est, simpliciter amplectantur & sequantur Decreta, quæ in Tridentina Synodo promulgata sunt: cùm de singulis fermè quæ ad dogmata pertinent, ostendi possit, quòd non obscurè, sed quasi versa fronte repugnent & Scripturæ, & puriori antiquitati.

Multum autem refert, extare veras & perspicuas declarationes, quòd impia illa decreta Tridentinæ Synodi, non ex petulantia, non odio veritatis, non contentionis studio, nec dissentiendi libidine repudiemus & damnemus: sed quòd eius rei habeamus veras, iustas & grauissimas causas & rationes: quia scilicet Examen istorum Decretorum, ad normam Scripturæ institutum, clarè & planè ostendit, Decreta illa nihil aliud esse quàm deprauationem doctrinæ cœlestis, patefactæ nobis in Scriptura, & confirmationem omnium errorum, superstitionum, & abusum regni Pontificij: quorum emendatio ad normam verbi Dei à multis annis flagitata, promissa & expectata fuit: sed frustrà, & in vanum, sicut iam res ipsa ostendit. Hac de causa, & in hunc usum, data mihi ab Andradio Lusitano (sicut in prima parte explicaui) occasione, institui simplici orationis filo, Examen Decretorum & Canonum Tridentini Concilij: & spero plures fore, qui hac in re operam suam Ecclesiæ splendidius, eruditius & felicius præstent. Ego qui aurum & gemmas non habeo, vel pilos saltem caprarum, iuxta Hieronymi dictum, ad constructionem & conseruationem tabernaculi Dei in terris, conferre volui. Simpliciter autem doctrinam nostrarum Ecclesiarum recitaui: & ostendi, quomodo ad eius oppressionem, tanquam ad scopulum, Tridentina iacula in singulis verbis directa sint: contuli singula ad stateram Dominicam, quæ in Scriptura sacra à Spiritu sancto nobis præformata est. Plusculũ autem laboris insumendum fuit in explicandis testimonijs veræ & purioris antiquitatis, cuius falsa specie & vano prætextu, multorum simpliciorum animos fascinant & decipiunt. Et inter examinandum, mirabiles fraudes & insidias in Decretis illis deprehendi, quæ ad primam inspectionem non statim se offerunt. Sed de toto hoc scripto, quod mediocri labore mihi constitit, veræ Ecclesiæ Dei, & æquis Lectoribus iudicium permitto: studium enim & voluntatem Deo probari non dubito.

Vestræ

DEDICATORIA.

Vestræ autem Celsitudinis nomini, illustrissime Princeps, alterã hanc partem Examinis Decretorum & Canonum Tridentini Concilij, dedicare & inscribere volui. Complectitur enim explicationem illorũ decretorum, quæ facta & promulgata sunt non multò post illud tempus, cùm Anno Domini M. D. XLVIII. Ordines imperij, post propositam Chymæram formulæ interreligionis, cogerentur Decretis futuri Concilij sine conditione se submittere. Extat autem in publicis historijs ad sempiternam memoriam, & à grata posteritate magis celebrabitur, heroicum illud verè Christianæ constantiæ exemplũ, quòd periculosissimis temporibus, rebus ubiq; propter aduersariorum potentiam nutantibus, cùm omnes fermè Augustanæ confessionis doctrinam profitentes, languidius & timidius agerent, Celsitudo vestra magno & excelso animo, publicè contestata est, se bona cõscientia Decretum de interreligione laudare non posse, nec illud probare quod postulabatur, ut sine exceptione decretis futuri Concilij omnes se submitterent. Arbitratus itaque sum, nõ ingratam Celsit. vestræ fore lectionem explicationis illorum decretorum, quæ post triste illud tempus exultantibus, atque adeo passim triumphantibus aduersarijs, in Tridentino concilio promulgata fuerunt. Ita enim Celsit. vestræ in memoriam reducetur imago tristissimi status Ecclesiarum illius temporis: & grato animo Celsit. vestra agnoscet & celebrabit singulare illud beneficiũ Spiritus sancti, cuius ductu & instinctu factum est, quòd Celsit. vestra tunc in futura illa decreta noluit consentire. Et non dubito, propter Celsi. vestræ illustre nomen, quòd ex illo memorabili constantiæ exemplo, pijs omnibus celebre & gratum est, plures eò libentius hasce explicationes lecturos. Demissè itaq; oro, ut Celsit. vestra animo beneuolo & vultu placido hasce explicationes, quas multi existimant Ecclesiæ nõ inutiles fore, suscipiat. Memini enim Celsit. vestram ante decennium, lucubratiunculas quasdã Mathematicas à me & flagitasse, & clemẽter suscepisse. Cumq; tunc subsidio nõ contemnendo, Celsit. vestra studia mea iuuerit: iudicaui æquum esse, ut publica aliqua significatione, animi mei gratitudinẽ, Celsit. vestræ declararem. Deum Patrẽ Domini nostri Iesu Christi oro, ut Spiritu suo sancto Celsit. vestram, & omnes qui ad Reip. gubernacula sedent, gubernet, & in Ecclesia, postremis hisce periculosissimis tẽporibus, lucem verbi sui, peculiari suo beneficio accensam, cõseruet, nec Tridentinis insidijs & fraudibus extingui patiatur. Brunsuigæ XVIII. Decembris, Anno Domini, M. D. LXVI.

Celsit. vestram.

demissè & reuerenter colens,

Martinus Chemnicius, D.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EXAMEN SECVNDAE PARTIS DECRETORVM CONcilij Tridentini, de Sacramentis, &c.

Exemplũ primæ Apostolicæ Synodi, Actor. 15.

IN PRIMA Apostolica Synodo, Acto. 18. illa pars doctrinæ, de qua tunc propter motas controversias instituta erat συζήτησις, ex ipsis fontibus Scripturæ Propheticæ & prædicationis Apostolicæ (quæ posteà sicut Irenęus inquit, per Dei voluntatem, vt esset fundamentum & colũna fidei nostræ, in literas relata est) ita explicabatur, vt monstratis firmis & conspicuis veræ & sanæ sententiæ fundamentis, ratio redderetur, quare aliæ dissentientes & contrariæ opiniones, abijciendæ & damnandæ essent. Et ipsam quidem sententiam, postea paucis & succinctis capitibus (quæ δόγματα Actor. 15. appellabant) comprehensam, Ecclesijs proponebant, simul tamen etiam fundamenta, rationes & confirmationem suorum Decretorum, prolixè & perspicuè explicabant: vt scilicet Ecclesiæ ex verbo Dei constaret certa ratio, quid & quare amplectendum, quid fugiendum esset.

Apostoli, quoties usus postulavit, parati fuerunt cuiq; reddere fidei suæ rationem.

Fecisse hoc Iudam & Silam Antiochiæ, testis est Lucas Acto. 15. Et quod Paulus in Epistolis ad Roma. & Galatas magno conatu & multis argumentis agit, idem ipsum in alijs Ecclesijs viva voce fecisse, non est dubium. Quod enim verbis docebant (scilicet non dominari fidei Ecclesiæ, 2. Cor. 1. sed paratos se esse semper ad apologiam omni postulanti rationem, 1. Pet. 3.) idem facto & exemplis comprobabant.

Exemplũ veterum Patrũ Synodorum.

Hanc Apostolicam rationem veteres etiã Patrum Synodi secutæ sunt, sicut historiæ Nicenę, Constãtinopolitanæ, Ephesinę & Chalcedonensis synodorum vtrunq; describũt, & decreta seu Canones, & quomodo cõtroversiæ in vtramq; partem disputatæ, & ex quibus tandem fundamentis, iuxta regulam Scripturæ determinatæ fuerint. Quanquam de multis alijs Synodis nudi tantùm canones servati sunt, neglecta vel suppressa explicatione causarũ & fundamentorũ, quæ res Ecclesiæ magis obfuit, quàm profuit. Quia enim intelligentia dictorum, iuxta Hilarij sententiam, ex causis dicendi sumenda est, sæpè à posteris Canones minus dextrè intellecti, sępè verò etiam à pia & natiua sententia, ad peregrina & adulterina dogmata stabilienda contorti sunt, & demum prætextu Tituli Canonũ, promiscuè par autoritas paulatim arrogata fuit omnibus decretis & canonibus, sine inquisitione, siue haberent, siue non haberent, certa, firma & perspicua verbi Dei fundamenta. Et inde tandem extructa est Pontificia illa tyrãnis, quæuis decreta, & quosuis canones, pro libidine & pro imperio, sine ullis scripturę documẽtis, Ecclesię obtrudendi. Quę ratio tandẽ in flagitiosam impudentiã, dignã fronte meretricis Babylonicæ desijt. Extant enim in publicis scriptis. & à multis notatæ sunt prodigiosæ Canonistarũ voces:

Canonistæ.

Quòd Papæ potestas sit absoluta, & eam habeat ut vult.

Quòd habeat voluntatẽ pro ratione, in his quæ vult.

Quòd nemo debeat ei dicere, Cur ita facis?

Quòd sit supra jus: & extra jus omnia possit.

Quòd possit dispensare contra 4. prima Concilia: item contra verba Euangelij, licet non contra mentem.

Quòd cõtra Epistolas Pauli possit statuere, &c.

Ab hac verò monstrosa planè impudẽtia, Tridentina synodus initiò aliqua modestiæ significatione simulauit, se velle discedere. In Quinta enim & Sexta sessionibus, speciem qualemcunque prætenderunt, quasi decreta sua, non Babylonica ista, de qua dictũ est, autoritate, Ecclesiæ obtrudere: sed ex verbi Dei fundamentis extruere & comprobare vellent. Sed quia experti erant boni Patres, quantum laboris & molestię esset, etiam sine aduersarij alicuius cõtradictione, de fundamentis doctrinæ Pontificiæ, tractationem instituere: cum quidem illa ipsa qualisc̃unq; de fundamentis velitatio, infirmitatem, imò fœditatem & abominationem dogmatum in regno Pontificio, plenius ostentaret. Vbi igitur ad septimam sessionem, in qua doctrina de Sacramentis pertractanda erat, ventum est, existimarunt labore illo, cùm quidem Põtificia ista materia, ne speciem quidem iustæ inquisitionis sustinere posse videretur, sibi supersedendum esse: solis enim & nudis anathematis pro iure priuilegiorum sedis Romanensis, 2. Theff. 2. facilius & tutius, quàm monstrandis fundamentis, & reddendis rationibus rem posse peragi. Serò enim forsan recordati sunt eius, quod prudentia Magistrorum nostrorum Parisiensium, anno Domini 1521. contra Lutherũ censuit, legẽ scilicet definiendi in Ecclesia Põtificia hanc esse, ut quid sentiant paucis explicent rationibus, cur ita definiant, nullis scripto mandatis: quaIis scilicet in foro ratio est in sententijs prætorijs. Minus igitur facilis & expedita erit ratio examinis in hac secunda parte. Petendæ enim erũt rationes & explicationes ex lacunis disputationum, quæ extant apud scriptores Scholasticos & Pontificios. In quibusdam sanè Andradij explicationes examen nostrum juvare poterunt. Sed is non omnes locos pertractavit. Spero autẽ fore, vt quo est cãdore Andradius, qui dissimulare nescit, hac occasione plenius aliquã do nobis explicet, quæ rationes in publicis deliberationibus, & in priuatis Synodi congressibus, de articulis sequentibus agitatæ fuerint: utile enim hoc futurum est, ad omnem posteritatem. Nec poterit hoc vel Andradius, vel reliqui, qui Concilio isti interfuerunt, detrectare. Extat enim illustre exemplũ Cyrilli, in Ephesina Synodo, qui post editos canones nõ detrectavit, nec erubuit explicationes edere, in quib. ex verbo Dei rationem redderet, τῶν ἀναθεματισμῶν. Deo igitur bene juvante & fortunante, ad

Pontificij, in refutandis Adversarijs, cur Anathematis potius quàm firmis argumẽtis et rationib. ex sacra scriptu ra sumptis, utantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

examen reliquæ partis Decretorum Concilij Tridentini accingemur.

DE VOCABVLO SACRAMENTI: ITEM DE NVMERO & descriptione Sacramentorum in nouo Testamento.

DECRETVM DE SACRAMENTIS ECCLESIÆ, PVBLICATUM in sacrosancta Oecumenica & Generali Tridentina Synodo, Sessione VII.

AD consummationem salutaris de iustificatione doctrinæ, quæ in præcedenti proxima sessione, vno omnium Patrum consensu promulgata fuit, consentaneum visum est, de sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere: per quæ omnis vera iustitia vel incipit, vel incepta augetur, vel amissa reparatur.

Propterea sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè cõgregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ sedis legatis, ad errores eliminandos, & extirpandas hæreses, quæ circa sanctissima ipsa Sacramenta, hac nostra tempestate, tum de damnatis olim à Patribus nostris hæresib. suscitatæ, tum etiam de nouo adinventæ sunt, quæ catholicæ Ecclesiæ puritati & animarum saluti magnopere officiunt: sanctarum Scripturarum doctrinæ, Apostolicis traditionibus, atq; aliorum Conciliorum & Patrum cõsensui adhærendo, hos præsentes Canones statuendos & decernendos censuit: reliquos qui supersunt ad cæptum opus perfectionem, deinceps, diuino spiritu adiuuante, editura.

CANON I.

Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut vel plura vel pauciora quàm septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquot horum septem non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit.

EXAMEN.

Apologia Augustana de vocabulo Sacramenti, itẽ de numero.

Nostri in Apologia Augustanæ confessionis publicè professi sunt, se non magnopere rixari de vocabulo Sacramenti, aut de numero, cum appellatio sit ἄγραφος: quæ etiam apud veteres ab alijs aliter, modò latius, modò angustius accepta & descripta fuit: si modò hoc seruetur, vt res illæ, quæ in Scriptura, siue cum peculiaribus ritibus, siue absque ritibus, habent mandatum Dei, & promissiones, retineãtur: & quidem eo modo tractentur & usurpentur, sicut in verbo Dei traditæ sunt: siue Sacramenta appellentur, siue non.

Secundò, ut ritus illi, qui habent expressum mandatum Dei in Scriptura, & additam claram promissionem gratiæ, quę novi Testamenti propria est, accuratè discernantur à reliquis rebus, quæ habent quidem mandatũ Dei, sed non habent peculiares & certos ritus diuinitùs institutos. Habent etiam promissionem, sed non illam, quæ est de applicatione & obsignatione gratuitæ reconciliationis.

Tertiò, & ritus qui non habent expressum mandatũ & clarã promissionem gratiæ in Scriptura noui Testamenti, sed vel à Patrib. accepti, vel ab alijs hominibus instituti sunt, discernantur à superioribus, de quibus iam dictum est.

Quarto, ut discrimen conservetur inter promissionem gratiæ, quæ beneficia redemptionis in Evangelio promissa, solo & nudo verbo offert, & applicat credentibus, & inter eandem, quando vestita est ritibus seu ceremonijs diuinitùs in verbo Dei institutis.

Si hoc modo prius de rebus ipsis, ex Scripturæ sententia, sana doctrina & necessaria differentia constitueretur, posteà de vocabulo & numero Sacramentorum, remotis vocabulorum τῶν ἀγράφων pugnis, nõ difficulter cõueniri posset.

Quando verò per appellationem & numerũ Sacramentorum, quæritur rerum ipsarum confusio & adulteratio, iam non est λογομαχία, sed necessarium certamen de rebus ipsis. Et frustrà imò insidiosè & perniciosè de vocabulis tentatur conciliatio, quæ cum periculo & depravatione ipsarum rerum conjuncta est.

Hæc ideò sub ingressum huius disputationis recito, ne quis sententiam Augustanæ cõfessionis, quando dicit, non esse magnopere rixandũ de vocabulo Sacramenti, aut de numero, ita depravet, quasi velit nos decretũ Tridentinę synodi, de septem Sacramentis, eo modo sicut ab ipsis proponitur & intelligitur, simpliciter sine necessaria rerum ipsarum explicatione & distinctione, imò cum manifesta confusione & adulteratione rerum, recipere & approbare. Necessaria etiam in principio est hæc contestatio. Nos hac disputatione illis rebus, quas Pontificij præter Baptismum & Eucharistiã titulo Sacramentorum insignire solent (vt sunt Ministeriũ verbi & Sacramentorum, Conjugium, Pœnitentia, Augmentũ & Confirmatio donorum Spiritus sancti, Consolatio ægrotantium, &c. nullo modo, eam, quam ex Scripturæ sententia habent & habere debent veritatem, reverentiam, dignitatem & utilitatem, vel imminuere, vel detrahere velle, quando pugnamus, non esse verè & propriè Sacramenta à Christo instituta, eo modo, sicut Baptismus & Cœna Domini verè & propriè sunt Sacramenta: imò hoc tantùm agimus, ut de illis rebus in Ecclesia ita sentiamus & loquamur, sicut Scriptura præscribit & tradit: hoc enim modo habent & retinent veram suam dignitatem.

Examen primi Canonis, de numero Sacramentorum noui Testamenti.

Sed propius accedamus ad examen primi Canonis, de numero Sacramentorum noui Testamenti. Habet autem tria membra. Primò enim *de numero* sumit axioma illud quod verissimum est: quia *Sacramentorum* autoritas seu potestas instituendi sacramẽta, ut *rum nouæ* sint efficacia signa gratiæ, nõ est ullius creaturæ, *legis.* sed solius Dei, qui gratiam illam operatur: ideo *Summa hu-* necesse est, ut omnia quæ in novo Testamento *ius argu-* verè & propriè Sacramenta esse debent, institu- *menti.* tionem suam habeant à Iesu Christo Domino nostro: quia ipse est novi Testamenti sponsor, ad Hebræos 7. & mediator, ed Hebræos 8. & 12. Secundò mox attexit, sed sine omni probatione, talia Sacramenta in novo Testamento non esse plura vel pauciora quàm septem: cum expressio

septenarij numeri, nec in Scriptura, nec in tota vera & puriori antiquitate demonstrari possit. vera etiam Sacramenti juxta Scripturã proprietas, nullo modo septem illis ex æquo convenire potest. Et certum est, sicut postea ostendemus, veteres prout vocabulum Sacramenti vel strictius vel latius acceperunt, quosdam pauciora, quosdam plura quàm septem, numerasse Sacramenta. Ipsis etiam Pontificijs non ignotæ sunt disputationes ejus, qui sub nomine Cypriani Sermonem de Ablutione pedum, & de chrismate edidit. Item, Hugonis & Lombardi, qui sentiunt, non omnia illa, quæ numerant septem Sacramenta, ab ipso Christo immediatè esse instituta. Tertiò dicit præsens canon septem illa singula verè & propriè esse Sacramenta. Sed quid quæso, fingere possunt: quomodo matrimoniũ verè & propriè sit Sacramentum, sicut Baptismus & Eucharistia? Quodnam enim est à Christo institutum elementum, quod verbum, quod accedat ad elementum, ut conjugium fiat Sacramentum? Quomodo per matrimonium, quod Syricius Pontifex definit, esse secundũ carnem vivere, quòd Deo non placere possit: quomodo, inquam, justitia fidei per matrimonium vel incipit, vel augetur, vel reparatur, juxta ipsorum Sacramenti descriptionem in Decreto positam? Durandus apertè dicit, matrimonium non esse Sacramentum, strictè & propriè dictum, sicut tria Sacramenta novæ legis. Et hæc cum ita se habeant, tamen perfricta fronte & adducto supercilio, sine probationibus & documentis, tantùm pro imperio decernunt: Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis, non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septem: aut etiam aliquot horum septem non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit.

Anathemata ad probationem seu confirmationem dogmatũ fidei nihil faciũt, sed veræ & perspicuæ rationes ex ipsis sanctæ Scripturæ fundamẽtis desumptæ.

Sanè si sola anathematum crepitacula, sine certis, perspicuis & firmis Scripturæ documentis, ad probationem dogmatum sufficiunt, & possunt articulos fidei facere, poterunt hoc modo Iudæi suas Thalmudicas, & Turcæ Alcorani traditiones, Canonicas facere. Quid enim procliuius, quàm cùm probare non possis, Anathema dicere? Sed ne terrore illo terreamur, Scriptura nos præmunit, cùm inquit: Maledicent illi, tu verò benedicas.

Sed tota hæc disputatio aliquantò plenius examinanda erit. Operæpretium autem est, observare, quòd apud veteres Scriptores nullæ extant vel disputationes, vel probationes de septenario Sacramentorum numero: sed tempore Hugonis & Lombardi ex Sorbona, in Ecclesiam invecta est hæc opinio, quòd nec plura, nec pauciora sint in novo Testamento Sacramenta, quàm septem. Et Lombardus quidem cùm aliàs ex Patribus sua probare soleat, de septenario Sacramentorum numero, ne unam quidem veterum sententiam allegat: Scholastici verò Scriptores, qui argumentis & rationibus tantùm non diffluunt, septenarium etiam Sacramentorum numerum argumentis & rationibus probare & confirmare, seriò laborant. Dignum est autem perpetua memoria, ad omnem posteritatem propaganda, quibus rationibus & argumentis, septenarius

Ex veterum orthodoxorũ Scriptis non potest probari septenarius numerus Sacramentorũ.

Sacramentorũ numerus à Scholasticis in Ecclesiam invectus, & ex quibus fundamentis receptus fuerit. Compendium Theologiæ ex Scholasticorum sententia rationes, quòd nec plura, nec pauciora sint Sacramenta in novo Testamento, quàm septem has reddit: Septem, inquit, sunt Sacramenta, secundum septem diversitates hominum in Ecclesia. I. est Intrantium, vt Baptismus. secundum, pugnantium, vt Confirmatio, tertium, vices resumentiũ, vt Eucharistia. quartum, resurgentium, vt pœnitentia. quintum, exeuntium, ut extrema unctio. sextum, ministrantium, vt Ordo. septimum, novos milites introducentium, ut Matrimonium. Item Sacramenta, inquit, sunt septem, quia disponũt ad septem virtutes habendas. Nam Baptismus est Sacramẽtum fidei, Confirmatio spei, Eucharistia charitatis, pœnitentia justitiæ, extrema unctio, perseverantiæ seu fortitudinis, ordo prudentiæ, matrimonium temperantiæ. Alia etiam, inquit, est ratio numeri Sacramentorũ. Ordinantur enim contra septem morbos spirituales, scilicet, triplicem culpam, & contra quadruplicem pœnam. Baptismus contra peccatum originale, Pœnitentia contra mortale, extrema Vnctio cõtra veniale, Ordo contra ignorantiam, Eucharistia cõtra malitiam, Confirmatio contra impotentiã, Matrimonium contra concupiscentiam.

Assignat etiam hanc rationem numeri septenarij, quòd iuxta rationem medicinæ corporalis, quædam Sacramenta sunt curativa, quædam conservativa, quædam præservativa, quædã meliorativa.

Rationes nõ-tificiorũ ad-ductæ ad cõ-probationem septenarij Sacramentorũ.

Sed quis non videt, quàm infirmæ, imò quàm futiles sint hæ rationes, ad rem tantam compobandam. Si enim hæc sunt documenta & firmamenta causæ, ex similib. imò ex ijsdem rationibus, nullo negocio, vel plura, vel pauciora, quàm septenary Sacramenta demonstrari possent: & propter illas ipsas rationes, si ad demonstrationem numeri mihujus rei valent & sufficiunt, necesse erit & sub lege Moysis, & ante promulgationem legis, nec plura nec pauciora, quàm septem fuisse Sacramenta. Nec enim in novo primùm Testamento cœperunt esse septem virtutes & septem morbi spirituales.

Rationes nõ-nullæ futiles.

Ejusdem futilitatis sunt reliquæ et jam rationes: ideo esse septem Sacramẽta novæ legis, quia septem sunt sigilla libri Apoca. 5. Item, septẽ sunt tubæ Angelorum, Apoca. 8. septem sunt stellæ in dextera ejus, qui similis est filio hominis, & septẽ sunt candelabra, Apoc. 1. Septem panib. satiauit turbã, Matt. 15. Septẽ oculi super lapidẽ, Zach. 3. Septem lucernæ in tabernaculo, Exod. 37. Sed ex hoc fundamento, eiusdẽ cõsequentiæ vigore D. Brẽtius ex alijs numeris in scriptura positis, colligit esse & pauciora & multò plura Sacramenta. Nec sanè video, cur cõsequentia argumentationis, in alijs etiã numeris in scriptura annotatis, valere nõ debeat, nisi forsan arbitrentur, se hoc acumine retundere posse vim illius consequentię, quod Apoca. 1. vbi mentio fit septem stellarũ, Interpres utitur vocabulo Sacramenti. Quid ni igitur firma sit demonstratio, septem esse Sacramenta, quia in illo loco, ubi usurpatur vocabulum Sacramenti, ponitur numerus septenarius:

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc enim sunt verba: Sacramentum septem stellarum, quæ sunt Angeli septem Ecclesiarũ? Ego verò locum ipsis ostendam, unde multò magis propriè & luculenter, ex eadem scilicet copia demonstrari possit septenarius numerus Sacramentorum Ecclesiæ Pontificiæ. De meretrice enim Babylonica, hoc est, de Antichristo, Angelus ita loquitur, Apoc. 17. Ego dicam tibi Sacramentum mulieris & bestiæ, quæ portat eam, quę habet capita septem, quæ sunt septem montes, super quos mulier sedet. Audis ibi utrunque & vocabulum Sacramenti, & numerum septenarium. Tota etjam pictura illius capitis non malè convenit: Intelligenti satis.

Ipsos Pontificios pudere harum probationum.

Et hæ sunt demonstrationes, hæc fundamenta, quibus septenarius numerus sacramentorũ in Ecclesiã invectus & receptus fuit à scriptoribus scholasticis. Neque enim idoneis vel documentis ex scriptura vel testimonijs ex vera antiquitate scholastici septenarium Sacramentorũ numerum probare, vel conantur saltem. Tàm manifesta autem est demonstrationum harum futilitas, ut ejus nunc pudeat ipsos etjam conductitios patronos regni Pontificij, qui aliquid frontis habent. Quia igitur in tanta Evangelij luce, veteribus illis commentis vident, se non posse amplius homines dementare, novà nunc consarcinant perizomata, si forsan panniculis detritis & rejiculis, novo assumento, vel speciem aliquam induere possint.

Duo præcipua argumẽta Põtificiorum ad confirmationem septenarij numeri Sacramentorum.

Duobus autem potissimum argumentis ad stabiliendum septenarium Sacramentorum numerum, hoc tempore utuntur. Primò enim ex veteribus quibusdam scriptoribus colligunt testimonia, quòd appellationem Sacramenti tribuerint nõ tantùm Baptismo & Eucharistiæ, sed præterea etjam, quibusdam alijs ritibus & rebus: & hanc collectionem ita temperant, ne terminos septenarij numeri egrediantur. Deinde ex definitione Sacramenti idem probant per illam regulam, cui definitio convenit illi etjam appellario definiti rectè tribuitur. De singulis igitur ordine quædam annotabimus, ut ratio examinis, non tantùm cùm veterum sophistarum nugis pugnet, verùm etjam recentiorum rhetorum fucos detegat.

Est autem vocabulum Sacramenti ex lingva Latina communi & vulgari sumptum. Varroni enim Sacramentum pignus est, quòd litigantes ad Pontificem deponebãt: & qui vicisset, pignus repetebat: qui verò causa cecidisset, ejus pecunia in ærarium referebatur. Alijs Latinis scriptoribus Sacramentum est jusiurandum, seu obligatio, numinis & religionis interventu confirmata. Vegetio est militare Sacramentum, quo milites duci astringuntur. Quæstio autem est, quomodo & qua ratione vocabulum illud in Ecclesiæ sermonem translatum, & ad signa gratiæ divinitus instituta accommodatum sit?

Vetus interpres in Hagiographis, vbi Græci habent mysterium, aliquãdo reddit, Sacramentum: ut Tob. 12. Sap. 2. & 6. Et Daniel. 2. & 4. vbi Chaldaicum רָזָא. Græci reddiderunt μυστήριον, transtulit, Sacramentum.

In novo verò Testamento sæpè Græcam vocem mysterij reliquit, alicubi verò reddidit, sacramentum. Significat autem in genere id, quod arcanum seu secretum est, ut Tob. 12. Sacramentum Regis occultandum est.

Syrach. 27. Amici mysteria denudare. Iudith. 2. Habuit cum eis mysterium consilij. Ita Paulus 2. Thes. 2. de Antichristo loquens, dicit: Iam operatur mysterium iniquitatis. Principaliter verò significat arcanum & secretum voluntatis, consilij seu propositi Dei, quod rationi naturaliter nõ est notum, sed toti mundo absconditum, nisi quantum divinitus revelatur.

Ita doctrina de redemptione & reconciliatione generis humani vocatur Mysteriũ, seu Sacramentum Dei, Col. 2. Mysterium Christi, Ephes. 3. Mysteriũ Evãgelij, Eph. 6. Mysteriũ fidei, 1. Tim 3.

Incarnatio filij Dei vocatur Sacramentũ magnum pietatis, 1. Tim. 3. Vocatio gentium vocatur Sacramentum voluntatis Dei, Ephes. 1. Doctrinam de resurrectione mortuorũ, vocat Paulus Mysterium, 1. Corinth. 15. Et conversionem Iudæorum, Rom. 11. Ita Ephe. 5. Conjunctionem Christi cum Ecclesia sua, vocat Sacramentum magnum. In hac significatione usitatum est, vocabulum Sacramenti, non tantùm in verbonibus scripturæ, verùm etiã in sermone Patrum, qui sæpè appellant Sacramentũ divinitatis, Incarnationis, Passionis. Tertullianus cõtra Marc. 4. totum Christianismuũ vocat religionis Christianæ sacramentum.

Sed hæc generalis significatio, nec binarium, nec septenarium numerũ Sacramentorum probat. Paulus enim talia Sacramenta, multò plura numerat. & 1. Cor. 13. inquit: Si sciero omnia mysteria. Descendamus igitur ad speciem, ubi significatio vocabuli Mysterij, seu Sacramenti, angustior est. Vocatur autem Græcè mysteriũ, quod Latinus interpres Sacramentũ reddidit: quando res aliqua, vel visio externa, præter speciem, quam externis sensibus ingerit, aliquid aliud significat. Ita visio somnij Nabuchodonosor Dan. 2. vocatur Sacramentũ. Et Apoca. 1. Visio septem stellarũ significans Angelos septem Ecclesiarum: & quod septem candelabra sunt septẽ Ecclesiæ, vocatur Sacramentũ. Ita Apoca. 17. vbi Angelus explicat, quid significent septem capita bestiæ portantis meretricem, inquit: Ego dicam tibi sacramentum mulieris. Ita etjam conjunctio viri & uxoris in conjugio, est Sacramentum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, Ephes. 5. Huic etjam affine est, quod de significatione parabolarum Christus inquit: Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorũ, reliquis autem in parabolis. Hæc significatio propius quidem aliquantò ad propositam quæstionẽ accedit: sed hoc modo multò plura numeranda erunt Sacramenta, quàm septem. Omnes enim figuras & allegorias, significantes aliquid, Patres vocant Sacramenta. Tertullianus lib. 5. contra Marcionem vocat Sacramenta figurarũ, & allegorias Sacramentorum, ubi de duobus Abrahæ filijs loquitur. Adversus Iudæos vocat Sacramentum ligni, disputans de securi Elisæi, & de ligno Adæ. Ita Augustinus texens allegorias, vocat Sacramentũ panis, Sacramentum piscium, Sacramentũ numeri, &c. Nostra verò quæstio est, quomodo & qua ratione vocabulũ Sacramenti ad signa gratiæ novi Testamenti,

Mysterium.

menti, qualia extra omnem controversiam sunt Baptismus & Cœna Domini, translatũ & accommodatum sit. Et in hac inquisitione aliquid operæ posui. Non autem deprehendi, quòd Scriptura appellationẽ mysterij seu Sacramenti tribuat Baptismo vel Cœnæ Domini: imò nec ordini, nec pœnitentiæ, nec impositioni manuum, Actor. 8. & 19. nec unctioni Apostolorum, Marc. 6. in Scriptura tribuitur appellatio mysterij vel Sacramenti, Ephes. 3. Non ipsum ministerium seu ordo, sed quæ per ministerium annunciantur, sunt & vocantur Paulo juxta generalem significationem, mysteria seu Sacramenta, Ephes 5. vbi de conjugio tractat Paulus, addit: Sacramentum hoc magnum est. Sed ipse se explicat, magnum illud de quo loquitur Sacramentum, non esse in conjunctione conjugum, sed in conjunctione Christi cũ Ecclesia. Ita enim Ambrosius & Chrysostomus locum illum interpretantur, & Pauli verba manifesta sunt: Sacramentum hoc magnum est: ego verò dico in Christo & Ecclesia. Theodoretus ita interpretatur: Sicut Eva ex Adamo formata est, ita Ecclesiam nasci ex Christo. Quòd si quis propter hanc significationem, quòd sicut vir & uxor sunt in carnem unam, ita etjam Ecclesia sit caro de carne Christi, &c. contendat matrimonium in Scriptura vocari mysterium seu Sacramentum, non rixabimur de vocabulo. Latè enim illud patere, & multis alijs rebus, ratiõe signi tribui, iam exemplis ostendimus. Nostra verò quæstio est de illa significatione, sicut Baptismus & Cœna Domini, verè & propriè sunt & vocantur Sacramenta.

Sacramenti vocabulum latè patet.

Et usurpatio vocabuli Sacramenti in hac significatione, ut scilicet accommodetur ad signa gratiæ efficacia, qualia in novo Testamento extra controversiam sunt Baptismus & Cœna Domini, habet quidem aliquam affinitatem cum illis Scripturæ exemplis, de quibus suprà dictum est: non tamen ex Scriptura, sed ex Ecclesiastica loquendi cõsuetudine sumpta est. Scriptura enim nusquam vel Baptismum vel Eucharistiam vocat mysteria vel Sacramenta. Hactenus ergo est appellatio ἄγραφος.

Quia verò diligentia digna est piè eruditis, loqui cum Ecclesia: non rixamur de vocabulo, sed hoc agimus, ne doctrina rerum, quæ in Scriptura tradita est, per vocabulum ἄγραφον turbetur & adulteretur. Considerandum igitur est, qua ratione Ecclesiastici quidam Scriptores, vocabulum Sacramenti ad signa gratiæ novi Testamenti accommodârint. Et ad hanc considerationem pertinet. Quomodo vocabulum illud alij latius, alij angustius, usurpârint. Ita enim manifestum evadet, ex Patribus quosdam pauciora, quosdam plura numerasse Sacramenta quàm septem.

Tertullianus

Tertullianus, ex vulgari Latina lingva de Sacramento militari, vocabulum Sacramenti ad Baptismum hoc modo transferre videtur. Ad martyres enim, de abrenunciatione, quæ fit in Baptismo, & de reliquis interrogationibus ita inquit: vocati ad militiam in Sacramenti verba respondimus, &c. Inde verò postea tota actio nomen accepit, sicut inquit adversus Praxeam: fides in Patrem, filium & Spiritum sanctum, secundum Christianorum Sacramentum, &c. Potissima verò ratio hæc est. Græci Baptismum & Cœnam Dominicam vocant μυστήρια: quia sub elementis visibilibus, offertur & exhibetur arcano modo gratia spiritualis, quæ sensibus non apprehenditur, & ratione non intelligitur, sed ex sola verbi Dei revelatione fide cognoscitur. Et appellatio mysteriorum in hac significatione, in vulgari Ecclesiæ sermone recepta & usurpata fuit, propter hanc etjam causam, quia Ethnici peculiares illos, quibus ad idololatricas religiones suos initiabant, vocabant appellatione vulgò tunc trita, μυστήρια. Et inde Latini Scriptores utrunq; vocabulum, & mysteriorum & Sacramentorum, in hoc usu transtulerunt in sermonem Ecclesiasticum. Extant enim Ambrosij scripta, De ijs, qui initiantur mysterijs, & de Sacramentis.

In hoc verò usu antiquitas appellationem mysteriorum seu Sacramentorum, non extendit ad numerum septenariũ, sed pauciora numerat. Vetustissimi enim talia mysteria seu Sacramẽta, numerant duo tantùm: Baptismum, & Cœnam Domini. Hæc enim numerat & explicat Iustinus in Apologia 2. ubi describit ritus Ecclesiæ, sive in Palæstina, ubi natus fuit, sive in Italia. Romæ enim Apologiã scripsit. Horũ meminit Irenæus. Item Tertul. lib. 1. & 4. cõtra Marcionem: & de Corona militis. Quòd enim libro de resurrectione carnis addit impositionem manuum, & unctionem intelligit ceremonias tunc conjunctas actioni Baptismi, non peculiaria Sacramenta à Baptismo distincta: sicut postea ostendemus. Ita etjã Cyrillus Hierosolymitanus, ubi ex professo catecheses & μυσταγωγίας describit, tantũ de mysteriis Baptismi & Cœnæ Dominicæ conejonatur. Quod enim de chrismate disputat, intelligit nõ peculiare Sacramentum, sed ceremoniam adjunctam actioni Baptismi: sicut postea in loco de confirmatione demonstrabimus. Extant Ambrosij libri, de ijs, qui initiantur mysterijs: item sub ejus nomine, aliquot libri de Sacramentis. Sed illi libri, cũ exprofesò explicationẽ doctrinæ de mysterijs seu Sacramentis Ecclesiæ polliceãtur, tamen tantùm de ritibus Baptismi & Cœnæ Dominicæ tractationẽ cõtinent. Vetustissimi igitur scriptores Ecclesiastici, mysteria seu Sacramenta Ecclesiæ, non septenario numero definierunt: sed talia mysteria seu Sacramenta, agnoscunt tantũ Baptismum & Eucharistiam. Qui verò secuti sunt, paulatim quidem cœperunt numerum Sacramentorũ latius extendere: sed tamen & ipsi non septem, sed pauciora numerant. Hujus rei testis esse potest Dionysius ille, quem fingunt esse Areopogitã illum, qui ritus quos describit, ab Apostolis præceptoribus acceperit: quanquã in fine Ecclesiasticæ hierarchiæ, ubi de Baptismo parvulorum disputat, aliis manifestè se prodat, inquit enim: Sancti Præceptores nostri, ex pristina traditione edocti, ad nos derivârũt. Quam sententiam ita reddidit paraphrastes Vercellensis: Doctores nostri à suis senioribus eruditi, tradiderunt visum esse sanctis Apostolis, &c. Is inquam Dionysius, quicunq; fanè sit, ubi exprofesò Ecclesiasticam hierarchiam describit, inter mysteria seu Sacramẽta Ecclesiæ, nõ numerat pœnitentiam, non matrimonium, non unctionem infirmorũ, sed pro ea habet unctionem

Duo tantùm Sacramẽta. Apologia Iustini.

Tertullianus.

Cyrillus.

Dionys. Areo pag.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctionem mortuorum: quam si nostri Pontificij in numerum Sacramentorū receperint, non consistet numerus septenarius, sed excrescet in octonarium. Nec tantū vetustissimi, sed & his recentiores, numerum septenarium Sacramentorum ignorant. Gregorius enim, c. Multi secularium, expressè tria tantùm Sacramenta, quibus definitionem accōmodat, numerat: Baptisma, Chrisma, Corpus & sanguinem Domini.

Rabanus. Paschasius. Quam eandem sententiam etjam Rabanus repetit. Paschasius de Cœna Domini inquit: Sunt autem Sacramenta Christi in Ecclesia Catholica, Baptismus, Corpus quoque Domini & sanguis: Septenarium verò numerum, in nullo veterum scriptorum expressè positum, ostendere possunt.

Lindanus. Lindanus allegat sermonem Cypriani de Chrismate: sed scit, illum non esse Cypriani γνήσιον. Et tamen nec incertus ille author septem, sed pauciora numerat Sacramenta. Quæ igitur est Tridenticolarum vel vesania, vel impudens futilitas, quòd non verentur sine ullis documentis anathema dicere omnibus, qui pauciora quàm septem numerent novi Testamenti Sacramenta? cùm universus vetustissimæ antiquitatis chorus illud fecerit? Quod si exceperint, vetustissimos illos Scriptores nihilominus tamen honorificè sensisse & docuisse de ordine, de matrimonio, de pœnitentia, &c. etjamsi appellationem Sacramenti illis non tribuant: suo ipsorum judicio causam nostram adjuvabunt, posse scilicet illarum rerū dignitatem, secundū Scripturæ sententiam conservari, etjamsi non dicantur esse verè & propriè Sacramenta: sicut est Baptismus & Eucharistia. Quæstio verò est hoc loco, an vetustissima Ecclesia (non autem volo intelligi supposititia Romanensium scripta) Sacramentis seu mysterijs Ecclesiæ, quæ verè & propriè sunt Sacramenta, sicut est Baptismus & Cœna Dominica, septenarium numerum præfinierit: ostendimus autem, pauciora illos numerasse.

Quidam plura quam septem Sacramenta numerarunt. Pergemus jam ostendere quosdā plura quàm septem numerasse. Augustinus enim primus fermè cœpit vocabulum Sacramenti, in hac quidem materia extendere, & latius usurpare quàm antiquitas fecerat. Epistola enim 54. ad Marcellinum, de signis loquens, inquit: Quæ cùm ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur. Et de Civitate Dei lib. 10. cap. 5. inquit: Sacramentū sacrū signum est. Et contra Faustum lib. 19. cap. 11. externum Sacramentorum usum describens, ait: In nullum nomen religionis seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur. Vt igitur Augustino aliquid fit Sacramentum, satis est, si rei alicujus divinæ vel sacræ signum sit: præsertim si in publicis Ecclesiæ conventibus certis externis ritibus usurpetur: sive mandatum habeat à Christo, in novo Testamento, sive ex veteri Testamento sit sumptum, ut Chrisma, vel à viris Ecclesiasticis excogitatum, ut signatio crucis. Nec refert Augustino, sive gratia per illud signum detur, sive tantùm significetur, ut in matrimonio: item sive sit gratia reconciliationis, sive aliud aliquod donū spiritus, ut in ordinatione. Hoc modo & hac ratione, Augustinus alijs & pluribus etjam rebus tribuit appellationem Sacramenti, quā antiquitas ante ipsum fecerat. Ita de bono cjōugali, cap. 24. dicit, in ordinatis manere Sacramentū ordinationis. Et rationē appellationis addit lib. 2. cōtra Epistolam Parmeniani, cap. 13 loquens de Baptismo & ordinatione: utrunq; inquit, Sacramentū est, & quadam consecratione homini datur illud, cùm baptizatur istud, cùm ordinatur. Et contra literas Petiliani, lib. 2. cap. 104. dicit, unctionem in genere vivisibilium signaculorum sacrosanctum esse. Et mox quasi rationem reddens, addit visibile illud sanctum Sacramentum discernendum esse ab invisibili unctione caritatis. Ita etjam matrimonium appellat Sacramentum. Et rationem explicat libro de bono conjugali, cap. 18. Sicut Sacramentum pluralium uxorum illius temporis significavit multitudinem Deo subjectam, in terrenis omnibus gentibus: sic Sacramentum nuptiarum singularum nostri temporis, significat unitatem omnium nostrūm, subjectam Deo futurā in una cœlesti civitate. Hac verò ratione, propter significationem rei sacræ, Augustinus plura numerat Sacramenta quàm septem illa, pro quibus Pontificij dimicant. Nam de peccatorū meritis lib. 2. cap. 26. dicit, catechumenos ante Baptismum secundū quendā modum suum, per signū Christi sanctificari. Sicut & Dionysius baptizandis signum crucis tribuit. Illud verò signū crucis, Augustinus contra Faustū lib. 19. cap. 14. inter Sacramenta numerat. Et in Psal. 141. Multa, Sacramenta aliter atq; aliter accipimus, Quædam, sicut nostis, ore accipimus: quædā per totū corpus accipimus: crucē verò in fronte portamus. Rationē verò quare appelletur Sacramentum, mox explicat: Quia, inquit, in fronte erubescitur, ipsam ignominiam quodammodo, & quā pagani deridēt, in loco pudoris nostri constituit, ne de cruce erubescamus. Item: Crux illa signum est humilitatis, unde sanatur tumor animæ. Et sermone 19. de sanctis inquit: In hac crucis figura continetur Sacramentum. Et explicat, quòd in latitudine intelligatur dilectio proximi, &c. Addit etjam: Hoc Sacramento crucis, sanctus Helisæus Sunamitis filiū, os ori, manus suas manibus ejus applicans, orando suscitavit. Ejusdem virtute Sacramenti, Moses in deserto bis petram virga percussit. Videt lector, quàm latè Augustinus utatur vocabulo Sacramenti. Nam & in Psal. 65. omnes ritus, qui præter baptizationem in actione Baptismi tunc temporis adhibebātur, vocat Sacramenta. Inquit enim: in Sacramentis, & in catechisando, & in exorcisando, adhibetur prius ignis. Et mox rationē addit: Transiens per ignem & aquā, educeris in refrigerium. Quarum enim rerum signa sunt in Sacramētis, ipsæ res sunt in illa perfectione vitæ æternæ. Manifestissimus verò locus est lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 26. Quod catechumeni accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quàm cibi quibus alimur: quoniam Sacramentū est. Intelligit autem συλλογίαν, hoc est, panem benedictū, quem vocant, sanctæ communionis vicarium. Et illum expressè dicit Sacramentum esse, sed addit: Non ita sicut Eucharistia Sacramentū est. Et hoc benè observet lector. Et de symbolo ad catechumenos lib. 4. cap. 1. Omnia, quæ in catechumenis

Augustinus vocabulo Sacramenti in largiori significatione usus.

nis ante Baptismum aguntur, vocat Sacramenta. Et enumerat exorcismos, orationes, cantica, insufflationes, cilicium, inclinationem cervicum, humilitatem pedum, &c. Ita Epistola 23. disputās de Baptismo, hoc est, de Sacramento fidei & corporis Christi, exempla addit de die Dominico, & die Paschæ, de quibus dicitur: Hodie Dominus resurrexit. Et explicat: Hos ipsos dies secundum illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus: ut dicatur illo die fieri, propter sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed jam olim factum est.

Bernhardus. Bernhardus etjam in sermone de Cœna Domini, multis contendit, ablutionem pedum esse Sacramentum remissionis peccatorū quotidianorum. Et in benedictione salis circa Baptismū, Pontificia Ecclesia ita orat, ut in nomine sanctæ Trinitatis efficiatur salutare Sacramentū ad effugiendum inimicum, &c.

Hæc recitavi, ut ostenderem, quale fundamentum sit, cui septenarius Sacramentorum numerus superstruitur: quòd scilicet Augustinus & alij quidam, pluribus ritibus seu rebus appellationem Sacramenti tribuāt, quàm Baptismo & Cœnæ Dominicæ. Ostendimus enim numerum Sacramentorum hoc modo longè ultra septenariū progressurū, cùm pluribus ritibus seu rebus Augustinus appellationē Sacramenti tribuat. Et diligenter observandum est, quòd Augustinus licet in usurpatione vocabuli Sacramenti aliquanto liberalior sit, quampluribus rebus accōmodet, quàm veteres ante ipsum fecerant: ut tamen ostendat reliqua alia ratione dici Sacramenta, quā ficut Baptismus & Eucharistia, plerunque explicat, qua ratione dicantur Sacramenta: sicut in adductis exemplis ostendimus.

Et quando signum crucis vocat Sacramentū, illustri differentia illud distinguit à sanctificatione, quæ fit in Baptismo. Et emphases verborum ejus considerentur.

De peccator. meritis lib. 2. cap. 26. catechumenos secundum quendam modum suum per signū Christi, & orationem manus impositionis sanctificari. Et dignum est observatione, Augustinū ita numerare plura Sacramenta, ut tamē primo, illustri, præcipuo, peculiari & distincto loco ponat Baptismum & Eucharistiam: ut de doctrina Christiana lib. 3. cap. 9. de Sacramentis novi Testamenti loquens: Pauca, inquit, pro multis, eaq; factu facilima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini. Et Epistola ad Ianuarium 118. Dominus noster Iesus Christus in Evangelio, Sacramentis numero paucissimis, observatione facilimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit: sicut est Baptismus, Trinitatis nomine conservatus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur.

In Psal. 103. inquit: Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sanctis Sacramentis quale munus est: si hoc modo Baptismus & Eucharistia secundū Scripturæ sententiā, à reli quis ritibus discernerentur. De appellatione Sacramenti, etjamsi alijs etjam rebus, per quandam ἐκδοχὴν accommodaretur, facilè posset convenire. neque enim λογομαχίας quærimus. Sed Pontificij simpliciter contendunt, reliquos etjam ritus qualescunque quos numerant, verè & propriè esse Sacramenta, sicut est Baptismus & Eucharistia: Ita enim decernit primus ille Canon, quem nunc tractamus.

Falsum autem esse ostendimus, quòd dicitant, septem, & non plura vel pauciora numerāda esse novi Testamenti Sacramenta. In tota enim vera antiquitate, nullū extat testimonium de septenario Sacramentorum numero, quod; nec pauciora, nec plura numeranda sint. Et ne quidem vnū proferre possunt, qui nusquam non de consensu & suffragijs antiquitatis gloriantur. Nec ullius veteris Concilij autoritatem pro septenario hoc numero proferre possunt. nisi quòd ante centum plus minus annos, in Florentino Concilio, unà cum purgatorio & primatu Romani Pontificis, septenarius Sacramentorū numerus apud Græcos tentatus, Armenis verò obtrusus est quod ipsum novitatem septenarij numeri in sacramentis ostendit. Armenis enim Bartholomæus Evangelium prædicavit: & sub Diocletiano, Armeni testimoniū habent, quòd Christiani, & pietatis studiosi fuerint, apud Euseb. lib. 9. cap. 7. Post mille verò demum annos, & amplius, septenarium numerum Sacramentorū à Romano Pontifice primùm accipiunt. Commentum igitur de septenario sacramentorum numero, etjā antiquitatis veris & firmis testimonijs destituitur. Præter Augustini enim Exempla, quæ quomodo ipse intelligi velit, jam ostendimus, ex vetustioribus nihil quod aliquid habeat roboris, proferre possunt, nisi quod Dionysium, Areopagitæ exuvijs personatum, in scenam hanc producunt: qui tamen nec ipse septenarium numerum vel probat, vel confirmat, sicut suprà diximus.

Commento de septenario numero Sacramentorū, nullum Concilium patrocinatur præter Florentinum.

Ex sermone etjam de ablutione pedū, Cypriano inscripto, Lindanus gloriosè citat suffragium pro septenario Sacramentorum numero. Sed primò novit scriptū illud non esse Cypriani γνήσιον, sed falsò ipsi asscriptum. Deinde quisquis iste est autor, cùm recensere velit Sacramenta, quæ & Christus ipse instituit, & quæ posteà Apostoli, dictante Spiritu sancto tradiderint, non septem, sed quinque tantùm numerat. Et simul ostendit, crepitum potius quàm verum anathema esse, quod Canon ille, quem nunc examinamus, decernit: Si quis dixerit, non omnia ista septem Sacramenta à Christo ipso instituta esse, anathema sit. Expressè enim hoc dicit Cyprianus ipsorum, in sermone illo quem allegat. Alexander ab Ales, parte 4. quæst. 8. artic. 2. diserte disputat, à Christo tantùm duo esse instituta Sacramenta, Baptismū & Eucharistiam: idq; probat ex fluxione sanguinis & aquæ, de latere Christi. Et quòd 1. Ioan. 5. scriptū est, tres perhibere testimonium in terris, spiritum, aquam & sanguinem, reliquorum verò Sacramentorum formā, Christum voluisse ordinari per ministros Ecclesiæ, nominatim verò confirmationem dicit nec à Christo, nec ab Apostolis, sed per Concilium Meldense institutam esse, quæst. 24. membro 1. Petrus etjam à Soto, qui Tridenti in Concilio mortuus est, his ipsis verbis utitur:

Lindanus ex Cypriano.

Alexander ab Ales.

Petrus à Soto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

utitur: Habemus totum Sacramentum confirmationis, Ordinis, Matrimonij, & extremæ vnctionis, & elementa, & verba & effectus ex traditione Apostolica: non quòd negemus, in Scripturâ esse nonnulla de ijs Sacramentis: sed omnia quæ ad integritatem eorum certa fide necessaria tenemus, cùm in Scriptura non sint, necesse est Apostolicæ esse traditionis. Hæc ille. Etsi autem nõ ignoro, quid titulo traditionis intelligat, hoc loco tamen nobis sufficit, quòd fatetur elementa, verba, effectus, & integritatem quatuor Sacramentorum, ex Scriptura non posse probari. Prætextũ verò Apostolicarum traditionum, hujusmodi commentis perspicuè detraximus in priore parte examinis.

Fruantur igitur ipsi suo illo anathemate: Si quis dixerit, septem illa Sacramenta non fuisse omnia à Christo ipso instituta, anathema sit.

Hoc primum est Pontificiorum argumentum, ex vocabulo Sacramenti, & ex veterum testimonijs, quod quàm sit firmũ, ex iis, quæ hactenus diximus, manifestum est. Intelligit autem hinc lector non stupidus, quo consilio, & qua de causa, Tridentini patres in hac disputatione maluerint nudis anathematis pugnare, quàm argumentis, & ostensione fundamentorum agere.

Alterum argumentum, pro stabiliendo septenario Sacramentorum numero sumunt ex loco à definitione. Et sanè talia argumenta, quæ ex definitione sumuntur, demonstrationis loco esse solent. Sed paulisper expendamus, quomodo definitionem Sacramenti tractent: an scilicet (quod dicitur) lapis ad regulam conformetur, an verò plumbea regula ad lapidem inflectatur. Apud Augustinum aliquot extant descriptiones, quæ non tam rei definitiones, quàm vocabuli explicationes sunt: ut quòd Sacramentũ sit sacræ rei signũ: item, invisibilis gratiæ visibilis forma. Sed hæ descriptiones valde latè patent: plura enim quàm septem illa signa complectuntur, sicut ipsi Pontificij fatentur. Varijs igitur artificijs quæ litæ fuerunt tales limitationes definitionis Sacramenti, ut sinus ejus redderetur nec angustior, nec latior numero septenario: sed ita concinnaretur, ut septem illa quę volebant esse Sacramenta, intra cõplexum suum reciperet.

Definitio Sacramenti ex Gregorio.

Ex Gregorio cap. Multi secularium, sumpserunt hanc definitionem: Sacramentum est, per quod sub tegumento rerum visibilium, divina virtus secretius salutem operatur. Sed hæc videbatur ad numerum septenarium nõ satis esse accõmodata, quomodo enim juxta hanc definitionem, matrimoniũ erit Sacramentum? Fabricatæ igitur sunt duæ aliæ. Altera est Hugonis: Sacramentum est corporale vel materiale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, ex sanctificatione continens aliquam invisibilem & spiritualem gratiam. Altera est Lombardi: Sacramentum est invisibilis gratiæ, visibilis forma: ita ut ipsius similitudinem gerat, & ejus causa existat. Sed & in his definitionibus non pauca defiderârunt. Quia enim docent, in Eucharistia annihilata substantia, tantùm accidentia panis & vini remanere: viderunt Hugonis definitionem non satis convenire, quòd Sacramentum sit materiale & corporale elementum. Item, quia in matrimonio materiam Sacramenti fingunt esse verba, consensum contrahentium exprimentia: vident nec Hugonis materiale elementum, nec Lombardi visibilem formam, satis accommodata esse. Item si per gratiam intelligatur gratuita reconciliatio, remissio peccatorum, & acceptatio ad vitam æternam, vident queri posse de gratia, quæ in matrimonio contrahentibus, & in ordinatione ordinatis cõferatur. Etsi enim Richardus disputat, etjam per istos ritus conferri gratiã gratum facientem: reliqui tamen agnoscunt, hoc subsistere non posse.

Duæ aliæ definitiones Sacramenti, vna Hugonis, altera Lombardi.

Scotus igitur definitionem ita transformavit: Sacramentum est signum sensibile, sive sit visibile, sive audibile, gratiam vel Dei effectum gratuitum, ex institutione Divina, efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris. Sed & in hac definitione quosdam offenderunt particulæ de institutione Divina, & quòd Sacramenta sint ordinata ad salutem. Occam igitur aliam substituit: Sacramentum est signum, significans efficaciter effectum Dei gratuitum.

Scotus definitio.

Ecquid jam optimè Lector tibi videtur? Num firmæ, fortes & invictæ sunt demonstrationes, quando hoc modo definitiones transformãtur, refunduntur & inflectuntur, donec proposito nostro, quod sine documentis intelligendum præsumpsimus, congruant?

Idem certè est, ac si architectus æquabilitatem ædificij demonstrare vellet, & non lapides ad regulam accommodaret, sed econtrà regulam ad lapides transformaret & inflecteret. Non igitur vim habet certæ & firmæ demonstrationis, quando ex hujusmodi definitionibus, septenarius Sacramentorum numerus probatur. Et tamẽ quælescunque sunt illæ definitiones, multum faciunt negocij scholasticis, ut terminos & limites Sacramentariæ provinciæ in regno Pontificio defendant. Si enim signum, significans effectum Dei gratuitum efficaciter, est Sacramentum: quomodo non erunt Sacramenta, benedictio Monachorum, aqua benedicta, rosa benedicta, enfis benedictus, agnus Dei, benedictio herbarum, campanarum, imaginum, inunctio regalis, consecratio templi, cœmiterij, altaris &c. Illa enim fiunt certis consecrationibus, & finguntur habere spirituales effectus. Aliquid quidem respondent scholastici, alius aliud: sed tamen nec se ipsos expediunt, nec lectoribus satisfaciunt. Nisi quòd Gabrielis ingenuitas probatur, qui dicit, aquam benedictam non esse Sacramentum, quia desit divina institutio. Sed hac ratione etjam ex septenario numero, non pauca corruent. Quales igitur sint Pontificiorum definitiones in hac materia, manifestum est.

Sed inquiunt, se eadem libertate etjam nostras recentes angustiores definitiones non recipere. Quo igitur nos vertemus? quomodo, & ex quibus fundamentis demonstrabimus, quæ sint verè & propriè Sacramenta novi Testamenti? Respondeo. Non dimicabimus de definitionibus, vel hujus vel illius, vel veteribus vel recentioribus: sed sumemus fundamentum, quod extra controversiam & in confessio est apud omnes. Baptismus enim

enim & Eucharistia, omniũ confessione verè & propriè sunt Sacramẽta. Inde igitur colligemus, quæ tanquam substantialia requirantur, ut aliquid verè & propriè sit Sacramentum novi Testamenti, hæc enim erit simplicissima & certissima demonstratio. Vt igitur aliquid sit verè & propriè Sacramentũ novi Testamenti, sicut est Baptismus & Eucharistia, requiritur. I. ut habeat externum aliquod materiale seu corporale & visibile elementum seu signum, quod certo externo ritu tractetur, exhibeatur & usurpetur. II. Vt elementũ seu signum illud, & certus ejus ritus habeat expressum mandatũ divinum, seu institutionem divinam. III. Vt institutum & mandatum sit in novo Testamento. IIII. Vt non ad tempus institutũ sit, sed usq; ad consummationem seculi: sicut de Baptismo scriptum est: Et donec filius Dei redeat ad judicium: sicut de Eucharistia Paulus inquit. Et hæc requirũtur ad elementum seu signum Sacramenti, in novo Testamento. V. Requiritur ad Sacramentũ, promissio divina, de gratia, effectu seu fructu Sacramenti. VI. Illam promissionem oportet nõ simpliciter, nudè & per se tantùm habere testimoniũ in verbo Dei, sed oportet eam divina ordinatione, annexam esse signo Sacramẽti, & eo quasi vestitã esse. VII. Promissionem illã oportet esse non de quibusvis donis Dei, sive corporalibus sive spiritualibus, sed promissionẽ gratiæ seu justificationis, hoc est, gratuitæ reconciliationis, remissionis peccatorũ, & in summa de toto beneficio redemptionis. VIII. Et illa promissio in Sacramentis, nõ in genere tantùm vel significatur, vel annunciatur: sed virtute Dei offertur, exhibetur, applicatur, & obsignatur etjã singulis, qui fide Sacramentis utuntur. Hæc vera, manifesta, certa & firma sunt. Hoc enim modo Baptismus & Cœna Domini, verè & propriè sunt Sacramenta novi Testamenti. Instituatur jam examen, an reliqua ex septenario numero, eo modo verè & propriè sint Sacramenta, sicut Baptismus & Eucharistia: de quibus nulla est controversia. Et quia per absolutionem, non in genere tantùm annunciatur remissio peccatorum, sed privatim etjam singulis petentibus & credentibus peccata solvuntur & remittuntur: hactenus & hoc modo convenit cum promissionibus Sacramentalibus. Vtq; salutaris usus privatæ absolutionis, Ecclesiæ ex sententia verbi Dei magis commendetur: nostri sæpè testati sunt, se non pugnare, sed libenter cõcedere, ut absolutio, quia habeat applicationem generalis promissionis, ad singulos ministerio hoc utentes inter Sacramenta numeretur. Sed tamen hoc certum est, Absolutionem non habere ex divina institutione certum externum elementum, signum aut ritum divinitùs mandatũ. Et etjamsi adhibeatur vel impositio manuũ vel aliquis alius externus ritus: destituitur tamen certo, peculiari & expresso mãdato Dei. Nec extat promissio, quòd per talem aliquẽ externum ritũ Deus velit efficax esse, ad applicationẽ promissionis Evangelij. Promissionẽ quidem habemus, quòd per verbũ velit esse efficax in credentibus: sed ut aliquid sit Sacramentũ, requiritur nõ nuda tantùm promissio in verbo, sed ut ordinatione seu institutione divina sit vestita exter-

Sacramenti novi Testamenti proprietates.

An Absolutio, Ordinatio, & cætera, quæ præter Baptismum & Eucharistiam Pontificij Sacramenta appellant, verè & ppriè sint Sacramẽta. Pœnitentiũ absolutio.

no aliquo signo, seu ritu divinitùs mãdato. Tale verò signũ nõ est annunciatio, seu recitatio promissionis Evangelij: hoc. n. modo, ipsa generalis prædicatio Evangelij esset Sacramentũ. Est enim potentia Dei, per quã fit applicatio promissiõis, in omnibus & singulis credentibus. Et ita nulla amplius esset differentia inter simplicẽ promissionem, & inter sacramentum. In Baptismo certè, & in Eucharistia, annũciatio seu recitatio verborum non est elementum seu signum Baptismi & Eucharistiæ. Absolutio igitur verè & propriè eo modo, sicut Baptismus & Cœna Domini, non est Sacramentum. Sed si quis addita hac explicatione & differentia, eam propter singularem applicationem promissionis voluerit Sacramentum appellare, Apologia Augustanæ confessionis profitetur, se non velle pugnare.

II. Ordinatio.

Ordinatio, hoc est, legitima ad ministeriũ Evangelij vocatio, & publica ejus vocationis declaratio & approbatio, habet mandatũ in scriptura: habet etjã promissionem, quòd Deus legitimè vocatos, donis ad ministeriũ necessarijs velit ornare, 2. Tim. 1. 2. Cor. 3. & quòd per ministerium ipsorum velit efficax esse: non in rebus corporalibus, sed sicut ministerium spiritus est potentia Dei, ad salutẽ omni credenti. Et propter multas causas utile est, dignitatem ministerij, quam ex sententia verbi Dei habet, in Ecclesia ornare, & quasi in illustri loco cõstituere, ad refutandos & phanaticos & Epicureos ministerij contemptores, Hoc modo, & in hanc sententiã Apologia cõfessionis nostræ dicit, se non gravatim ordinem vocare velle Sacramentum, modò discernatur à Baptismo & Eucharistia, quæ verè & propriè sunt sacramenta. Et propter hanc causam Augustinus contra Donatistas. Ordinem vocat Sacramentum: sicut suo loco dicemus. Ordinatio igitur habet quidem promissionem de efficacia ministerij, ad salutem omni credenti: sed nõ habet promissionẽ, quòd beneficiũ Evangelij personæ ordinati, per ipsam ordinationem, tanquã organon divinitùs ad hoc institutum applicetur ad salutem. Multi enim accipiunt ministerium, quod efficax est in alijs credentib. cùm ipsi, qui exercẽt ministerium, non sint filij Dei. Apostoli etjam ritum impositionis manuum, qui illo loco & tempore in orationibus & benedictionibus vsitatus erat, liberè usurpârunt. Non tamen docuerunt, ritum illum à filio Dei in novo Testamento institutum, & expresè mandatum esse: sicut de aqua in Baptismo, de pane & vino in Eucharistia extant mandata Christi. Posteri verò ad ordinationem adhibuerunt chrisma, & multos alios ritus, qui nec mandatum Christi, nec Apostolorũ exemplum habent. Efficacia verò & applicatio promissionis divinæ, non est alliganda ad ritum aliquem, qui non habet mandatum seu verbum Dei. Ordinatio igitur non est verè & propriè sacramentum eo modo, sicut Sacramenta sunt, Baptismus & Cœna Domini. Nam & ritus ordinationis, & promissio ordinationis, deficiunt in proprietatibus illis, quæ requiruntur ut aliquid verè & propriè sit Sacramentũ, sicut Baptismus & Eucharistia.

III. Matrimonium.

Conjugiũ Augustinus tunc potissimũ Sacramenti appellatione ornavit, cùm contra Hieronymi

Universidad de Deusto
Biblioteca

nymi immodestas criminationes, dissimulato Hieronymi nomine, ex verbo Dei defendere vel let, esse statum seu genus vitæ bonum, purum & sanctum. Et quia similitudo quædam est conjunctionis Christi & Ecclesiæ, Augustinus appellationem Sacramenti, quam latè accipere & usurpare solet, facilè ipsi attribuit, ut verò statueret, conjugium verè & propriè esse Sacramentū novi Testamenti, eo modo, sicut Baptismus & Eucharistia sunt Sacramenta, Augustino nunquam in mentem venit. Primò enim non est in novo primùm Testamento institutum, sed statim initiò, creato genere humano.

Et mysterium illud quod est in conjugio, non primùm cœpit tempore novi Testamenti. Veteres enim dicunt, illud mysterium seu Sacramentum esse, quòd ex latere Adæ dormientis formata est Eva, ut esset caro de carne Adæ: quanquam Augustinus aliud addat, de singularitate scilicet uxorum in novo Testamento: sed & illud ipsum, teste filio Dei, Matt. 19. ita fuit ab initio. 2. Habet quidem piorum cõjugium, Dei benedictionem & promissionem, quòd in concordia, charitate, castitate cohabitare possint: sed hæc non est promissio illa gratiæ justificationis, quæ novi Testaméti propria est. Nec conjugiū, organon seu mediū est, per quod Deus offerre, exhibere, & applicare velit beneficia redemptionis: ꝙ Sacramentorū proprium est. Et Eccius concedit, etjam infidelium conjugium esse Sacramentū. 3. Nullum planè externū elementum habet matrimoniū, sicut in Sacramentis requiritur. Ineptiæ enim sunt, quòd fingunt materiam esse, quando vir dicit, Accipio te in meam: formam verò, quando respondetur, Et ego accipio te in meum. 4. Nec inde sequitur verè & propriè Sacramentum, quia habet mandatum Dei, & benedictionem, & aliquid sacri significat. Hæc enim ratione, plures aliæ reseſſent Sacramenta.

IIII. Confirmatio. Quod ad confirmationem attinet: prima Apostolica Ecclesia habuit promissionem, de effusione visibilium donorum Spiritus, super credentes. Quando igitur Apostoli super ipsos orabant, adhibebant usitatum tunc temporis in orationibus symbolum, impositionem manuum. Sed temporale donum illud fuit: defijt enim postquam doctrina Evangelij satis confirmata erat.

Requisita Sacramenti. Vt verò aliquid Sacramentum sit, requiritur ut habeat mandatum & promissionem Dei, nõ ad tempus, sed usq; ad consummationem seculi. Lubdibrium verò est, ritum illum sine mandato Dei imitari: cùm manifestissimum sit, donum illud jamdudum desijsse. Sed inquis: Certè habemus universales & perpetuas promissiones, de dono confirmationis & perseverãtiæ, item de augmento donorum spiritualium. Nos verò hoc, quod plenissimum est consolationis, non tantùm concedimus, sed addimus præterea, divinitùs ordinata esse media, per quæ spiritus dona illa confert, confirmat, auget & conservat, verbum scilicet, fidem, orationem, & exercitia donorum: sicut in loco de confirmatione explicabimus. Sed cujus audaciæ est, ideò sine mandato & institutione Dei, peculiare Sacramentum cõminisci? Multæ enim sunt promissiones, & varia dona spiritus, ad quæ non sunt divinitùs peculiaria Sacramenta instituta. Illud verò arbitror divinitùs factum esse, quòd impositio manuum, in confirmatione non fuit retenta. Ita enim posset Apostolorum exemplū, aliqua saltem specie prætendi. Quia verò commutata est in unctionem chrismatis, & signationē crucis manifestius apparet esse Sacramentum sine institutione & mandato Christi: cujus etjam nullum Apostolorum exemplum prætexi potest. Quòd enim unctio chrismatis, in veteri Testamento habuit institutionem divinam, nõ satis est ad constituendum Sacramentum novi Testamenti, aliàs enim Turcarum etjam circumcisio posset pro Sacramento defendi. Requiritur itaq;, ut institutum & mandatum̃ sit in novo Testamento. Vbi verò extat mandatum in novi Testamenti Scriptura? Vbi exemplum, quòd abrogatis cæteris veterū umbris, usus olei retinendus sit: & inde tot Sacramẽta fabricanda? Vbi promissio ad illinitionem chrismatis dari Spiritum sanctum? Non igitur potest verè & propriè esse Sacramentum novi Testamenti, ubi deest institutio, & expressum mandatum Christi.

V. Vnctio. Similis verò ratio est de vnctione infirmorū, Quod enim Marcus Apostolos, cùm donū sanationis accepissent, factitasse scribit: idē Iacobus Ecclesiæ, tunc cùm adhuc donū sanationis haberet, præscribit. Adhibebatur enim unctio olei, ut externum symbolū doni sanationis. Illud cùm desierit, manifestum est, usum etiam vnctionis olei temperariū fuisse. Non enim extat vel mandatum, vel exemplum in Scriptura, ut in novo Testamento ad aliud quàm ad donum sanationis adhibeatur. Marc. 6. Iacob. 5. Nunquid igitur Ecclesia planè nullā nunc habet consolationem pro ægrotis? Imò habet illa, quæ Iacobus recitat, verbum, fidem, orationem, &c. Illa enim habent mandatum & promissionem Dei, de perpetuo usu. De unctione verò olei, separata à dono sanationis, & ad alium effectum sine verbo translata, non habemus mãdatum vel promissionem Dei in Scriptura novi Testamenti.

Sed de singulis illis, suo loco plenius dicendū erit. Hoc verò loco, breviter tantùm ex certis & firmis fundamentis, rationes manifestas volui ostendere, quare quinq; illa (Pœnitentia, Ordo, Conjugiū, Confirmatio & Vnctio) nec debeant, nec possint, eo modo sicut Baptismus & Eucharistia, verè & propriè dici novi Testamenti Sacramenta. Quare verò Pontificij tantopere dimicent, ut simpliciter, verè & propriè Sacramentis annumerentur, suo loco de singulis annotabimus. Rebus ipsis verò, quæ his vocabulis significantur, nihil detrahimus. Sentimus autem, eas non posse dignius aut rectius ornari & illustrari, quàm si secundum Scripturæ sententiam tradãtur & explicentur, id quod fieri potest, etjamsi non tribuamus illis appellationem Sacramenti, eo modo, sicut Baptismo tribuitur. Imò peregrinæ opiniones & corruptelæ, quas sub titulo Sacramentorum Pontificij rebus illis affinxerunt, non possunt solidè & perspicuè refutari, nisi operculum illud tollatur, & doctrina de rebus illis, simpliciter ita explicetur, sicut in Scriptura tradita est. Sed hæc suis locis plenius & cõmodius explicabuntur.

Nequa-

Nequaquam autem novi aliquid hac disputatione in Ecclesiã invehimus. Antiquitas enim licet vocabulo Sacramenti variè (sicut ostendimus) luserit, omnes tamen, quando incidunt in historiã, quomodo ex latere mortui Christi profluxerit sanguis & aqua, dicunt Ecclesiæ Sacramenta illa esse: aquã scilicet in Baptismo, & sanguinem in Evchariſtia. Augustinus de symbolo ad catechumenos lib. 2. cap. 6. dicit: hæc esse Ecclesiæ gemina Sacramenta. Et de ciuitate Dei, lib. 15. cap. 26. Inde Sacramenta promanarunt, quibus credentes initiãtur. Tractatu in Ioan. 9. Mortuo Christo, lancea percutitur latus, vt profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia. Idem in 40. Psal. De latere Christi, Ecclesiæ Sacramenta profluxerũt. Beda ex Augustino in 19. cap. Ioan. Aperuit latus, ut illic quodammodo ostium vitæ panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt: sine quibus ad vitam, quæ verè est vita, non intratur.

Sacramenta duo tantùm, Baptismus et Evchariſtia.

Augustinus.

Beda.

Chrysostom. Chrysostomus super illum locũ dicit, ex ambobus illis Ecclesiam constitutam esse: & addit, hinc mysteria, hoc est Sacramenta ortum habere: quòd scilicet aqua & sanguis ex Christi latere profluxit. Idem dicunt reliqui Patres, explicantes illum locum Ioannis. Et ipsi Pontificij in Ecclesiis suis canunt: Hinc salutis Sacramenta emanant, in aqua & sanguine.

Nec ociosam λογομαχίαν, sed necessarium certamen esse hanc disputationem, vel vnicum hoc documentū satis ostendit, quod in res ipsas (ut est doctrina De pœnitentia, De ministerio verbi, De conjugio, De cõfirmatione & incremento donorum spiritus, De consolatione ægrorum) loco simplicis sinceritatis, quam secundū verbum Dei habere & retinere debebant, invecta sunt multa accessoria, peregrina, falsa & impia: hac potissimùm occasione, quod titulū Sacramenti, verè & propriè tueri posse non videbantur, si in illa plana simplicitate, qua in Scriptura res illæ traduntur, relinquerentur. Et adversarij propterea tam pertinaciter de numero Sacramentorum dimicant. Vident enim ritus & opiniones, quę præter & contra verbum Dei, ex hominum traditionibus, in res illas invecta sunt, non posse plausibiliori specie excusari, reti neri & defendi, quàm sub pallio, titulo & prætextu appellationis Sacramenti. Vt igitur rebus illis genuina puritas & simplicitas ex verbo Dei restitui, & restituta cõservari possit: neve posteritati occasio detur, à simplicitate illa rursus discedendi, & eius loco, peregrina & adulterina affingendi: utilis & necessaria est illa disputatio, an reliqua quinque, quæ pontificij numerant, verè & propriè sint Sacramenta, eo modo, sicut Baptismus & Cœna Domini.

DE DIFFERENTIA SACRAMENTORVM VETERIS & noui Testamenti.

CANON II.

Si quis dixerit, ea ipsa nova legis Sacramenta, à Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ, & alij ritus externi, anathema sit.

EXAMEN.

Deus voluntatem suam de mysterio redemptionis generis humani, de gratuita reconciliatione, & acceptatione credentium ad vitã æternam per fidem, propter victimã filij Mediatoris, omnibus temporib. ab initio mundi, dato certo verbo, patefecit. Addidit etiam verbo, divina sua institutione, certa quædã externa signa, quibus promissionē justiciæ fidei luculentius obsignaret & confirmaret. Non igitur novi Testamenti tempore primùm cœpit institutio & usus Sacramentorũ: Sed Patres tempore veteris Testamenti, imò etiã ante promulgationem legis, sua quædã divinitus in hunc usum instituta habuerũt signa seu Sacramenta, quę fuerunt sigilla justiciæ fidei. Roma. 4. Iam verò cùm idem sit Deus, idem mediator, eadem gratia justicia, promissio, fides, salus, &c. tamen externa illa signa seu sigilla aliquãdo mutata sunt, aliis divina institutione in locum ipsorum substitutis, prout subinde illustrior redditus fuit modus patefactionis, qui primũ fuit quasi lucerna in loco obscuro ardens, posteà succesisit lucifer, donec tandem nocte præterita, exortus est sol justiciæ. Ita Patriarcharũ signis succesit institutio circumcisionis: & abrogata demum circumcisione, succesſerũt, per institutionem filij Dei, Sacramenta novi Testamenti. Quia verò illa signorum mutatio, hæreticorum, & præcipuè Manichæorum cavillationibus exagitabatur: cœptum est non inutiliter quæri & disputari de cõvenientia seu similitudine, & de differentia Sacramentorum veteris & novi Testamenti. Et res ipsa per se, sicut fundamenta in Scriptura traduntur, plana est. Sed appellatio Sacramenti, nunc latius, nũc angustius usurpata, reddidit illani doctrinam aliquo modo perplexam. Posteà disputationes Scholasticorum de opere operato, omnino eam turbãrunt & subverterunt. Quæ etiam disputationes Luthero occasionem præbuerunt, ut in libro de captivitate Babylonica, inciperet dilidentius ex Scripturæ fundamentis inquirere, de similitudine & differentia Sacramentorũ veteris & novi Testamenti. Ne verò Andabatarum more in tenebris pugnemus, monstrandus est status hujus disputationis.

Sacramentorũ usus fuit etiã tempore veteris Testamenti.

Liber Luther de captivitate Babylonica.

Plana autem, atque (uti arbitror) extra controversiam inter adversarios Pontificios & nos sunt hæc capita: Iustis, qui fuerunt tempore veteris Testamenti, à Deo propositam, exhibitam, datam & collatam fuisse gratiam, justiciam, salutem, & vitam æternam, propter futuram victimam filij Mediatoris. Saluatos enim fuisse justos tempore veteris Testamenti, ex Scriptura certissimum est. Nemo autem salvatur sine gratiã Dei. Illa verò propter solum benedictum semen promittitur & datur. Est & hoc extra controversiam, non aliam fuisse gratiam, neq; etiã aliam fidem qua salvati sunt justi, tempore veteris Testamenti, quàm nunc tempore novi Testamenti. Habemus enim eundem spiritum fidei. 2. Corinth. 5.

Gratia etiam qua justificatus est Abrahiam, & qua salvatus est David, exemplum est justificationis & salvationis omnium temporum. Rom. 4. Restabit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæstio per quod mediũ seu organum tempore veteris Testamenti credẽtibus gratia ad salutem à Deo fuerit exhibita.

4. Restabit igitur quæstio, quomodo, hoc est, per quod medium instrumentũ seu organon Deus tempore veteris Testamenti proposuerit, exhiburit, dederit & contulerit credentibus gratiã ad salutem. Certum autem est, patres illos habuisse verbum promissionis, de benedictione propter futurum semen.

Habuerunt etiam externos quosdam ritus, divina institutione huic promissioni gratiæ additos & annexos.

Et verbum quidem promissionis, an Pontificij permittere velint, fuisse tale mediũ seu organon tempore veteris Testamenti, non planè scio. De Sacramentis certè, quibus promissio illa gratiæ divina institutione annexa fuit, hoc loco disputatur. Et apud veteres quidem Ecclesiasticos scriptores, de circumcisione, quæ fuit Sacramentũ veteris Testamenti, axioma hoc vulgatum & certum est: Infantes, tempore veteris Testamenti, per circumcisionem liberatos fuisse à peccato originali. Beda etiã ex patribus, sententiam hanc, quæ Scholasticis scriptoribus nõ ignota est, citat: Sacramenta veteris testamenti, suo tempore custodita, vitã conferebant æternam. Longobardi verò tempore, in quẽstionem vocari cœpit hæc sententia. Et Hugo quidẽ, qui circa illa tẽpora fuit, valde obscurè & ambiguè disputauit (sicut Gabriel recitat) vt eadem sit salus iustorũ in veteri & nouo Testamẽto. Ideo Sacramenta veteris Testamenti iustificasse indirectè & ex consequenti, quasi mediantibus nouis Testamẽti Sacramẽtis, per ea significatur. Longobardo verò Scholastici tribuunt hãc opinionem, quod per Sacramenta veteris Testamenti, Deus nulla planè ratione contulerit gratiã credentib. etiam quando in fide & charitate vsurpata fuerũt. Quia censuit, ea imposita fuisse tantùm in onus & seruitutem, nõ in iustificationẽ.

Hisce Hugonis & Longobardi disputationibus proiectum fuit in mediũ μῆλον ἔριδος: quod certatim & avidè arripuit populus Scholasticorum: Et fabricata opinione operis operati, hoc discrimen commenti sunt inter Sacramenta vtriusq; Testamenti, quòd per illa tantummodò significata, nõ autem exhibita seu collata fuerit gratia, etiam ritè suscipientibus: per hæc verò gratia & significetur & cõferatur, etiamsi in suscipiente nullus existat bonus interior motus.

Scholastici de discrimine sacramentorum vtriusq; Testamenti.

Sed quia alij ex ipsis viderunt absurdũ esse, si dicatur, iustis in veteri Testamento nõ fuisse collatam gratiam finxerunt igitur, Sacramenta veteris Testamenti cõtulisse gratiã non ex opere operato, sed ex opere operante, hoc est per modum meriti, ex suscipientis deuotione, quòd ita declarant: omnem actum virtutis, charitate formatũ, dicũt meritorũ esse. Vsum verò Sacramentorũ veteris Testamenti, dicunt fuisse actũ obedientiæ. Data enim fuerunt præcepta de huiusmodi Sacramentis, & ideo usum eorum dicunt fuisse impletionem præcepti: & propterea ratione virtutis obedientiæ, per modũ meriti, fideles tunc in usu Sacramentorũ accepisse gratiã. Hæc verò sententia directè, & quasi adversa fronte pugnat cum Paulo, qui Rom. 4. ex professo docet & cõfirmat, circumcisionem non iustificasse Abrahamũ ex opere operãte, seu per modum meriti: sed fuisse sigillũ seu obsignationem iustitiæ fidei, cuius proprium est, vt beatitudo sit eius hominis, cui Deus secundum gratiã credenti, non operanti, imputat iusticiam sine operibus. Roma. 4. Et quid quæso sanè ab istis hominibus, de salutari Sacramentorum usu expectes, qui gratuitam promissionem qua gratia offertur & exhibetur, & fidem qua promissio accipitur, ex Sacramentis proscribunt, hoc est, qui ipsa Sacramenta ex Sacramentis tollunt, & ex Dei actione faciunt nostrum opus, ex gratia meritum, ex promissione præceptum? Et tamẽ istas Scholasticorum opiniones, concilium Florentinum cõfirmare non veretur, inquit enim: veteris Testamenti Sacramenta non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: nostra verò & gratiam continent, & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Quid verò audio? Num iustis, tempore veteris Testamẽti, virtute futuræ passionis Christi, non data fuit gratia? An verò tantum habuerunt præfigurationem, fore vt post natũ Christum primùm daretur gratia illis, qui post consummatam passionem Christi crediturí essent? Passio certè Christi, meritum illud est, propter quod gratia data fuit & olim & adhuc datur. Neque enim verum est, veteres olim per virtutem futuræ passionis Christi, sine certo aliquo medio seu organo, quo illa offerretur & applicaretur, iustificatos esse: nos verò per Sacramenta, siue virtute passionis Christi iustificari.

Concilij Florentinum patrocinatur Scholasticorum opinionibus.

Hæc ideo hoc loco annotavi, vt Lector admonitus intelligat, quæ sit Helena illa, pro cuius restitutione secundus hic Canon dimicat. Vt autem ad explicationem eò cõmodius transeamus, consideret Lector hoc artificium, quod illi qui nunc sunt conductitij Pontificiæ causæ advocati, vt amoliantur suspicionem novitatis, non utuntur in hac quæstione Scholasticorum argumentis, quia animadvertunt, qualia illa sint: sed Augustini autoritate, opinionem illam tueri conantur ex quadam eius sententia, quæ extat in enartatione, Psalm. 73. Sacramenta novi Testamenti dant salutem: Sacramenta veteris Testamenti, promiserunt salvatorem. Sed si rectè & diligenter expendatur, quomodo Augustinus in loco allegato quæstionem illam disputet, nõ tantum liquidò constabit quæ fuerit ipsius sententia, verum etiam monstrabuntur vera fundamenta ex quib. quæstio hæc rectè explicari & dijudicari poterit. Non autem promiscuè de omnibus figuris & signis veteris Testamenti disputamus, sed de illis quib. verbũ promissionis gratiæ annexum fuit. Multę enim fuerunt in veteri Testamento figuræ & umbræ, quæ aliquid sanè de mysterio incarnationis, redemptionis & iustificationis significarunt: non autẽ omnes adiunctã habuerũt expressam promissionem divinã, quòd per illa signa Deus offerre, applicare & obsignare vellet promissionẽ iustitiæ fidei singulis, fide illis ritib. utentibus. Quædam verò non tantùm significarunt, verũ etiã adiunctam habuerũt promissionem, quòd per illa signa in verbo, Deus iusticiã fidei offerre, applicare, obsignare & confirmare vellet, in singulis, fide promissionis signis illis utentibus: quale

Signa veteris Testa. duplicia.

quale signum, extra omnem controversiam fuit Circumcisio. Duplicia igitur fuerunt signa veteris Testamenti: quædam tantùm fuerunt significativa, quædam verò simul etiam fuerunt virtute promissionis, exhibitiva seu obsignativa gratiæ. Augustinus verò omnia illa signa aliquando una & eadem appellatione Sacramenti comprehendit. Quando igitur figuras & umbras, quæ sunt signa tantùm significativa, vocat Sacramenta, tunc dicit in Psal. 73. De discrimine veteris & novi Testamenti, Sacramenta non eadem, promissa non eadem. Et illud declarat, Promissa non eadem, quia promissa terra Canaan, regnum temporale, felicitas terrena. Sacramenta non eadem, quia alia sunt Sacramenta salutem dantia, alia Salvatorem promittentia. Sacramenta novi Testamenti, dant salutem: Sacramenta veteris Testamenti, promiserunt Saluatorem. Nunquid autem dicemus Augustinum sensisse, Patres in veteri Testamento tantùm terrena promissa habuisse, & prorsus destitutos fuisse promissione spirituali, de justicia coram Deo, salute & vita æterna? Aut Patribus in veteri Testamento non fuisse datam salutem? Certè nemo sanus, Augustino manifestè falsam hanc sententiam tribuere audebit, quam multis in locis ipse refutat. In promptu igitur est colligere, quid Augustinus in illo loco velit. Collationẽ enim seu potius mutuam relationem, individuam connexionem instituit inter promissa & Sacramenta: ut qualia sint promissa, talia etiam sint Sacramenta: & quidem ex promissis sumendum esse judicium de Sacramentis. Et hoc fundamentum diligẽter obseruetur. Iam verò inquit: In veteri Testamento, fuerunt quædam promissa terrena seu temporalia politiæ Mosaicæ, & illis promissis etiam Sacramenta quædam fuerunt adjuncta: Concludit igitur Augustinus, sicut ipsa promissa terrena, figuræ fuerunt spiritualium promissionum, ita etiam Sacramenta illarum promissionum, significasse futuram οἰκονομίαν Salvatoris. Manifestum igitur est, Augustinum primò ibi loqui de signis, quæ tantùm sunt significativa, quæ non annexam habuerunt spiritualem promissionem. Deinde etiam inter ipsas spirituales promissiones, in veteri & in novo Testamento, Augustinus tale facit discrimen, quòd in veteri Testamento sint promissiones Christi vẽturi, in novo verò sit annunciatio Christi exhibiti.

Non minus autem promissio de futuro semine benedicto, in veteri Testamento fuit potentia Dei ad salutem omni credenti, quàm annunciatio de Christo exhibito in novo Testamento. Et ex hoc fundamento, de discrimine scilicet promissionis gratiæ in vtroq; Testamento, Augustinus differentiam sumit & constituit, inter Sacramenta, quæ promissioni gratiæ in utroque Testamento voce divina annexa fuerunt, inquit enim: Cùm ergo jam teneas promissa, quid quæris promittentia, Salvatorem jam habens? Hoc verò est quòd dico te tenere promissa: non quòd jam acceperimus vitam æternam, sed quia jam venit Christus, qui per Prophetas prænunciabatur. Et hanc differentiam in multis alijs locis repetit & explicat. Iste igitur locus Augustini, quo fermè solo nituntur Pontificij, nihil ipsis patrocinatur, quasi tempore veteris Testamenti planè nulla fuerint sacramenta, per quæ Deus in verbo obtulerit, exhibuerit & obsignarit gratiam: cùm certum sit, promissionem gratiæ tunc annexã fuisse certis quibusdam ritibus seu Sacramentis. Augustinum enim diversum sensisse, posteà ostendemus. Nunc tantùm objectionem, quam ex Augustini loco Pontificij formant, removere & explicare volui.

De Sacramẽtis vet. Test. quomodo sæpè loquatur Scriptura.

Quæ verò ex Scriptura adjiciuntur, facilè explicari possunt, si servetur Hilarij regula, ut intelligentia dictorum sumatur ex causis dicendi. Scriptura enim de Sacramentis veteris Testamenti, sæpè non loquitur quid sint per se, hoc est, ex institutione divina, vt scilicet sunt figilla promissionis gratiæ & justiciæ fidei: sed reprehendit & refutat falsas opiniones, quas homines externis illis ritibus, neglecta promissione & fide, affingebant. Non enim docebant, fidem in Sacramentis, tanquam in verbo visibili, debere apprehendere promissionem de redemptione per filium mediatorem futura, propter quem DEVS credentes justificat: sed sepulta promissione, & abolita vera fide, fingebant se ex merito & dignitate operum, quæ in externis illis ritibus exercebant, justificari. Contra hanc opinionem Paulus pugnat, de Circumcisione disputans. Rom. 2. Galat. 5. Et in Epistola ad Hebræos ostendit, solus Christi sangvinem habere virtutem emundandi conscientiam à peccatis. Quòd igitur Patres sub veteri Testamento justificati sunt, hoc affirmat factum esse, non virtute sangvinis pecudum, aut reliquarum lustrationum: sed quòd sub illis figuris & umbris, fides aliud objectum intuita sit & apprehẽderit promissionem scilicet de futura victima filij Dei mediatoris. Hoc enim est, quod agit per totam Epistolam ad Hebræos: ubi simul ostendit illorum rituum antiquationem seu abrogationem, cùm ipsorum complementũ, Christus scilicet exhibitus sit, & alia Sacramenta instituerit.

Hisce igitur quæ & ex Scriptura & ex Augustino objici solent, explicatis, tota res plana erit. Idem enim Deus est, & in veteri & in novo Testamento, justificans & circumcisionem & præputium, Idem est Christus heri, hodie, & in sæcula: propter quem & justificati sunt, & justificantur credentes, & in veteri & in novo Testamento. Eadem est substantia (ut sic dicam) promissionis, eadem fides, eadem gratia, eadem justicia, eadem salus & vita æterna in Christo, & propter Christũ: qui in veteri Testamento promittebatur venturus, & in novo annunciatur exhibitus. De his capitibus nulla est, nec esse potest cõtroversia. Quæstio verò in eo versatur, quo medio, instrumento & organo Deus utrobique uti voluerit ad offerenda, exhibenda, & obsignanda illa beneficia: & quòd in novo Testamento verbum Evangelij sit potentia Dei, ad salutem omni credenti, non est dubium. Certum est & hoc, Christũ ad hũc vsum instituisse Sacramenta novi Testamenti, ut per illa tanquam per visibile verbum, offerret, exhiberet & obsignaret credentibus beneficia Evangelij. Iam de veteri etiam Testamento extra controversiã est, planè illã ipsam ibi fuisse rationem verbi seu promissionis. Quæro autẽ, an in veteri Te-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtamento, promiſsio gratiæ tantùm nuda ſine Sacramentis, fuerit propoſita populo Dei? Invenio autem Geneſ.17. promiſsionem fœderis: Ero DEVS tuus, & ſeminis tui poſt te: divina inſtitutione veſtitam eſſe (ut ſic dicam) ritu ſeu Sacramento circumciſionis. Video etiam Paulum, Roma.4. ſignum circumciſionis vocare ſigillum ſeu obſignationem juſtitiæ fidei. Vnde Patres rectè ſentiunt, infantes ſub lege per circumciſionem liberatos fuiſſe à peccato originis. Et Beda eruditè colligit à contrario, eos qui in populo Iſraelitico accipiebant Circumciſionem, ut ſigillum juſtitiæ fidei, conjunctos fuiſſe per hoc Sacramentum Eccleſiæ populi Dei, & conſignatos fuiſſe in fœdus & communionem beneficiorum Chriſti Mediatoris. Deus enim dicit: Maſculus cujus præputij caro circumciſa non fuerit, exterminabitur anima illa de populo ſuo quia pactum meum irritum fecit. Cohærent igitur hæc, & manifeſta ſunt: 1. quòd juſti in veteri Teſtamento eundem habuerint Chriſtum, eandem acceperint gratiam & juſtitiam ad ſalutem & vitam æternam, quam credentes in novo Teſtamento accipiunt & habent. 2. Iuſtos in veteri Teſtamento habuiſſe non tantùm nudam promiſsionem gratiæ, ſed illi promiſsioni, etjam divina inſtitutione annexos fuiſſe certos quoſdam externos ritus, quæ Sacramenta vocantur. Et inde conſequitur. 3. Quod ſcilicet juſti in veteri Teſtamento, non tantùm per nudam promiſsionem gratiæ, propter venturum Meſsiam: verumetjam per Sacramenta, quæ divina inſtitutione promiſsioni illi annexa erant, quale extra controverſiam eſt circumciſio, non minus acceperint beneficia illa Evangelij, ad ſalutem neceſſaria, quàm nos in novo Teſtamento. Atque ideò Paulus, Coloſſ.2. permutatis vocabulis Circumciſionis & Baptiſmi ſignificat: Nos qui in novo Teſtamento per Baptiſmum habemus expoliationem corporis peccatorum carnis, accepiſſe & habere idem, quod circumciſi ſub veteri Teſtamento, per circumciſionem acceperunt. Sicut enim circumciſio fuit ſigillum juſtitiæ fidei, Roma.4. Ita Baptiſmus eſt ſtipulatio bonæ conſcientiæ erga Deum, per reſurrectionem Chriſti, 1.Pet.3. Et medium ſeu organon, quo exhibebatur & obſignabatur juſtitia fidei, fuiſſe ſub veteri Teſtamento non nudam tantùm promiſsionem, ſed & ſignum ejus circumciſionem: inſtitutio circumciſionis, Gen.17. & locus Pauli, Roma 4. clariſsimè oſtendunt. Et 1. Corinth.10. ubi tractat hiſtoriam de Manna, & de aqua ex petra profluente, dicit: Patres eandem eſcam ſpiritualem manducaſſe, & eundem ſpiritualem potum bibiſſe. Et diſertè nominat Chriſtum, qui eſt heri, hodie, & in ſecula, Hebr.13. Et hunc Pauli locum Auguſtinus confert cum Baptiſmo & Cœna Domini, tractatu 26. in Ioan. explicans concionem Chriſti de Manna, inquit: Sacramenta illa fuerunt in ſignis diverſa, in re quæ ſignificatur, paria ſunt. Et tractatu quadrageſimo quinto. In ſignis diverſis, fides eadem, ſicut in diverſis verbis: quorum alterum prænunciat Chriſtum venturum, alterum annunciat Chriſtum veniſſe.

Aug. contra Fauſtũ Manichæum.

Et contra Fauſtum Manichæum, multis argumentis agit, in diverſis ſignis, Sacramentis ſeu ritibus utriuſque Teſtamenti res non eſſe diverſas, ſed eaſdem. Nam libr. decimonono, capite decimoquinto movet quæſtionem, utrum tantùm profuerit antiquis juſtis, fides paſſuri & reſurrecturi Chriſti, quantum nunc prodeſt fides paſsi & reſuſcitati? An ipſa effuſio ſanguinis agni Dei, quæ facta eſt pro multis in remiſsionem peccatorum, aliquid utilitatis & purgationis dederit etjã his, qui hoc futurum credentes, antequam fieret, ex vita migraverant? Et iſtam ſanè quæſtionem eo loco non definit. Alibi verò, manifeſtè ex verbo Dei affirmat, juſtos veteris Teſtamenti, quantælibet fuerint ſanctitatis, non tamen eos ſalvos feciſſe, niſi fidem Mediatoris, qui in remiſſionem peccatorum, ſanguinem ſuum fudit. Hæc enim ſunt ejus verba:

Iam obſervet Lector, quæ inde argumenta Auguſtinus texat. Dicit enim cap.14. In hac vita nemo poteſt eſſe juſtus, niſi qui ex fide vivit. Gratia enim, juſtitia, ſalus, vita æterna, fide accipienda ſunt. Addit autem: Antiqui juſti, qui Sacramentis illis intelligebant venturam prænunciari revelationem fidei, ex illa, licet adhuc operta & abſcondita, munere tamen pietatis intellecta, etjam ipſi vivebant. Agnoſcit Lector connexionem argumentorum. Antiqui juſti acceperunt remiſsionem peccatorum propter Chriſtum Mediatorẽ, remiſsio verò peccatorum nõ niſi fide accipitur, fides verò antiquorum, objectum habuit, nõ nudum tantùm verbum, verumetjam Sacramenta illius temporis; & ex illa fide, in Sacramentis munere pietatis intellecta, juſti vivebant. Hæc omnia ſunt Auguſtini.

Quis igitur jam dicet, fidem antiquorum in Sacramentis illius temporis nihil accepiſſe: cùm Auguſtinus affirmet ipſos fide illa, in Sacramentis intellecta vixiſſe? Cap.16. confert verbum & Sacramenta: Si inquit, eadem res aliter enunciatur facienda, ut de Chriſto paſſuro, reſurrecturo, &c. aliter enunciatur facta, ut de Chriſto paſſo, reſuſcitato, &c. quid mirum, ſi alijs myſteriorum ſignaculis, paſsio & reſurrectio Chriſti futura promiſſa eſt, aliis jam facta annunciatur? Quid enim ſunt aliud quæque corporalia Sacramenta, niſi quædã quaſi verba viſibilia ſacroſancta? Hæc Auguſtinus.

Si igitur concedimus, per verbum promiſsionis in veteri Teſtamento oblata & exhibita fuiſſe à DEO credentibus gratiam & ſalutem, quomodo Sacramentis illud adimemus, quæ nihil aliud ſunt, quàm viſibilia verba? ut eadem ſit ratio, & idem uſus uerbi & Sacramentorum.

Et Cap.14. Correlativa facit, ſicut fidem & verbum ſeu promiſsionem ita etjam fidem & Sacramenta, quod ergo fides accipit, hoc Deo per verbum & Sacramenta offert & exhibet. Verba Auguſtini hæc ſunt: Tunc ergo occulta erat fides, nam eadem credebant, eadem ſperabant omnes juſti & ſancti etjam temporum illorum: & promiſsiva erant illa omnia Sacramenta, omnisq; ritus ille ſacrorum: nunc autem revelata eſt fides.

Et cap.16 inquit: Adverſus calumnioſam imperitiam Fauſti demonſtrare ſuffecerit, quanto errore delirent, qui putant ſignis Sacramentis q; mutatis,

mutatis, etjam res ipſas eſſe diverſas, quas ritus propheticus prænunciavit promiſſas, & quas ritus Evangelicus annunciauit impletas: aut qui cenſent, cùm res eædem ſint, non eas alijs Sacramentis annunciari debuiſſe completas, quàm his quibus adhuc complendæ prænunciabantur.

Tota igitur res, de collatione Sacramentorum veteris & novi Teſtamenti, planiſsima eſt, ſi tantùm adhibeatur illa diſtinctio, quam Lutherus tradit de captivitate Babylonica: quòd ſcilicet quædam figuræ veteris Teſtamenti tantùm fuerunt ſigna ſignificativa, non autem annexum habuerunt verbum promiſsionis gratiæ. De illis ſignis hoc loco non diſputamus. Fuerunt autem etiam in veteri Teſtamento ſigna quædam, quæ ex inſtitutione divina, annexum habuerunt verbum promiſsionis gratiæ: quod verbum fidem exigit, quæ gratiam accipiat. Et de illis veterum Sacramentis manifeſtiſsimum eſt, quòd ex inſtitutione divina, eundem habuerint uſum & finẽ, quem Sacramenta novi Teſtamenti. Vnum enim & eundem Chriſtum, in verbo promiſsionis, ſacramentis illis annexo, credentibus propoſuerunt: eadem fuit fides, quæ & in verbo promiſsionis, & in Sacramentis, quæ promiſsioni gratiæ annexa erant, eandem gratiam, juſtitiam, remiſsionem peccatorum ſalutem & vitam æternã quæſivit & accepit, ſicut nunc in novo Teſtamento. Et hactenus ſimilitudo ſeu convenientia eſt inter Sacramenta veteris & novi Teſtamenti.

Triplex diſcrimen inter Sacram. vet. & novi Teſt. ſecundũ Auguſtinum.

Nulláne autem differentia eſt, nullúmne diſcrimen inter Sacramenta veteris & novi Teſtamenti? Eſt omnino illuſtre diſcrimen, ſicut Auguſtinus varijs in locis demonſtravit. 1. in ipſis ſignis ſeu ritibus externis. Cùm enim Chriſtus ſua incarnatione impleviſſet ea, quæ veterum Sacramentis ſignificata & promiſſa fuerant, mutata & abrogata ſunt vetera illa Sacramenta, & per inſtitutionem Chriſti Mediatoris, alia in ipſorum locum ſubſtituta. Alijs enim ritibus, inquit Auguſtinus contra Fauſtum libro 19. capite decimo ſexto, res annunciari debuerunt completæ, quàm his, quibus adhuc complendæ prænunciabantur. 2. Sacramenta veteris Teſtamenti, fuerunt prænunciativa venturi Chriſti, novi verò Teſtamenti annunciativa ſunt exhibiti Chriſti: ſicut inquit Auguſtinus in Pſalm.73. Et tractatu in Ioannem 45. Item contra Fauſtum lib.19. cap. 13. Et cap.14. inquit: Illa in veteri Teſtamento fuerunt promiſsiones rerum complendarum, hæc in novo Teſtamento, ſunt indicia completarum. Et idem omnino diſcrimen Auguſtinus conſtituit, inter verbum gratiæ ſub veteri de venturo, & in novo Teſtamento, de exhibito Chriſto. Tractatu in Ioannem 45. Et contra Fauſtum lib.19. cap.16. Sicut igitur in diverſis verbis, ita etjam in ſignis diverſis, non eſt diverſa, ſed eadem fides: inquit Auguſtinus. Idem ergo etjam Chriſtus, eadem gratia, ad eandem juſtitiam, eandem ſalutem, &c.

Obſervandum autem eſt hoc diſcrimen, quòd idem Chriſtus, licet aliter verbo & Sacramentis in veteri Teſtamento venturus prænunciatus fuerit, & myſterium redemptionis complendũ: aliter verò verbo & Sacramentis in novo Teſtamento, Chriſtus annuncietur exhibitus, & myſterium redemptionis impletum: virtus tamen incarnationis & redemptionis Chriſti eadem eſt, eadem etjam gratia ad ſalutem neceſſaria, quam Deus non minus tempore veteris Teſtamenti propoſuit, quàm in novo, quam etjam veterum fides non minus certò accepit in verbo & Sacramentis, quàm nunc in novo accipitur. Hæc diſtinctio inter ipſam incarnationem ac redemptionem, & inter virtutem ejus ſeu gratiam, non rectè obſervata, decepit Scholaſticos, quando enim in Auguſtino legunt, res quæ in veteri Teſtamento ſignificatæ & promiſſæ fuerunt, in novo redditas & exhibitas eſſe, hoc intelligunt non de ipſa incarnatione, & de opere redemptionis, ſed de gratia & ſalute, quæ propter Chriſtum donatur & exhibetur: cùm certiſsimum ſit, exhibitionem & collationem gratiæ & ſalutis propter Chriſtũ, non minus fuiſſe tempore veteris Teſtamenti, quàm in novo.

Quando igitur Auguſtinus dicit, in verbo & Sacramentis veteris Teſtamenti, fuiſſe veritatem promittentem, in novo exhibentem, in veteri ſignificationem promittentem, in novo res redditas: hoc intelligit de incarnatione Chriſti, & de opere redemptionis, non autem de virtute ejus, & de gratia, quam certè juſtis in veteri Teſtamento exhibitam eſſe, nemo negare poteſt, qui ipſos ſalvatos eſſe conceſſerit.

Tertium diſcrimen Auguſtinus ita deſcribit, De doctrina lib.3. capit.9. Sacramentis numero pauciſsimis, obſervatione facilimis, ſignificatione præſtantiſsimis, ſocietatem novi populi colligavit.

Et contra Fauſtum libro 19. cap.13. Prima Sacramenta cùm ſuo adventu Chriſtus impleviſſet, ablata ſunt, & alia ſunt inſtituta: virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Et in Pſalm.73. Mutata ſunt Sacramenta, facta ſunt faciliora, ſalubriora, feliciora. Num verò ideò veteris Teſtamenti Sacramenta, omnino nec ſalubria, nec felicia erunt, quia novi Teſtamenti Sacramenta prædicantur ſalubriora & feliciora? Aut quia Sacramentorum novi Teſtamenti prædicatur virtus major, & utilitas melior, nũ ideò planè nulla erit virtus, aut nulla omnino utilitas Sacramentorum veteris Teſtamenti? Certè quæ ſecundum magis & minus comparantur, licet gradu differant, in uno tamen & eodem genere conveniunt. Felicitatem igitur, utilitatem, virtutem & ſalutem, Auguſt. Sacramentis veteris Teſtamenti eo ipſo tribuit, quòd prædicat novi Teſtamenti Sacramenta feliciora, ſalubriora, virtute majora, & utilitate meliora. Et hoc libẽter damus: ſicut modus revelationis in novo Teſtamento illuſtrior eſt, lux fidei major, & menſura gratiæ uberior: ita etiã per Sacramenta novi Teſtamenti, gratiam Chriſti luculentius, plenius, perfectius & uberius diſpenſari credentibus. Nunc enim conſummato redemptionis myſterio, figuris ſuceeſsit ipſa veritas. Heb.9. umbris corpus, Coloſſ. 2. Filius Dei enim etjam ante ſuam incarnationem fuit juſticia & ſalus credentium, Eſaiæ 45. & in ipſis inhabitavit, 2.Cor.6. Nunc verò poſtquã incarnatus eſt Deus & homo Eccleſiæ ſuæ adeſt, & in credentibus habitat. In humana enim carne, quam filius Dei aſſumpſit, habitat jam tota pleni-

Sacram. novi Teſta. cur ab Auguſtino appellentur feliciora, ſalubriora, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

plenitudo divinitatis: ut ex ejus plenitudine, omnes accipiamus gratiam pro gratia, Coloſ. 2. Ioan. 1. Illud tempore veteris Teſtamenti nondum erat factum, ſed futurum promittebatur & credebatur. Quòd ſi igitur promiſsio, de futura incarnatione & redemptione, potentia Dei fuit ad ſalutem credentibus, ſub veteri Teſtamento: major certè, uberior & plenior erit gratia, poſtquàm in novo ipſum complementum rerum illarum factum eſt in Chriſto, qui ut Deus & homo credentibus ſe communicat.

Hoc igitur modo, novi Teſtamenti Sacramenta differunt à veteribus, non tantùm quia ceremoniæ ſunt aliæ, & alij ritus externi: ſed diſcrimen eſt aliud longè illuſtrius, ſicut jam diximus. Pontificij verò hiſce differentijs non ſunt contenti, ſed ſimpliciter volunt, Deum per veteris Teſtamenti Sacramenta, etjam quæ verbum promiſsionis annexum habuerunt, nullam gratiam exhibuiſſe & contuliſſe credentibus, quod manifeſtè falſum eſſe, ſola circumciſio oſtendit. Cauſa verò principalis, quare dogma illud Scholaſticorum, de differentia Sacramentorũ utriuſque Teſtamenti, tantopere urgeant, hæc eſt, quòd opinionem operis operati, quomodocunque defendere & ſtabilire conantur. Sed de opere operato dicendum erit in examine 8. Canonis.

DE DIFFERENTIA SACRAMENTORVM inter ſe.

CANON III.

Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit.

EXAMEN.

Hujus Canonis examen paucis abſolvemus. Cùm enim aliàs omnia & ſingula fulmina ſuorũ anathematum, peculiariter in noſtrarum Eccleſiarum capita vibrare ſoleant: ab hujus certè tertij Canonis triſulco fulmine, laus Deo capita noſtra omnino libera ſunt. Ita enim fulminant: Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit.

Nos verò nequaquam ij ſumus, qui ſentiamus vel doceamus, ſeptem illa quæ ipſi numerant ſacramenta, ita eſſe inter ſe paria, ut ſicut Baptiſmus & Euchariſtia, eodem etjam modo, ſeu pari ratione, reliqua quinque quæ numerant, verè & propriè ſint Sacramenta. Hoc ipſum enim eſt, quod in examine primi Canonis egimus: etjamſi de appellatione Sacramenti non pugnemus, ſicut & veteres variè ea uſi ſunt: omnino tamen diſcernendas eſſe res illas, quæ ex inſtitutione divina adjunctos habent certos externos ritus, ab illis rebus, quæ habent quidem mandatum Dei, ſed non certos externos ritus voce divina mandatos: & ab illis etjam ritibus, qui habent expreſſum mandatum Dei, & annexam voce divina promiſsionem gratiæ ſeu beneficij redemptionis, ſicut eſt Baptiſmus & Euchariſtia, diſcernendos eſſe reliquos ritus, qui undecunque accepti ſunt, certè non habent expreſſum mandatum Dei, nec promiſsionem voce divina annexam, de applicatione & obſignatione gratuitæ reconciliationis. Atque ideò contendimus, ritus illos ab hominibus acceptos, nullo modo eodem loco habendos aut in parem dignitatis gradũ ſublevandos eſſe, ſicut priores illos, qui voce & mandato filij Dei inſtituti ſunt. Immenſo enim intervallo diſtant, & in Eccleſia diſcernenda ſunt filij Dei inſtituta, ab hominum inventis. Ab omni igitur crimine & accuſatione Canon iſte nos abſolvit. Dicit enim anathema illis, qui fingunt ſeptem illa quæ ipſi numerant Sacramenta, ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius.

Sed hæc forſan joco quis dici arbitretur. Neque enim veriſimile eſt, Tridentinos patres in tertio hoc Canone, tam terribiliter detonare de diſpari 7. Sacramentorum dignitate, ideò quaſi noſtram ſententiam probare, & quidem ſub vinculo anathematis confirmare voluerint, nec ideò ſanè, quaſi nec obliquè, nec leviter, ſed anathematis ſeveritate notare & damnare voluerint Scholaſticorum diſputationes, qui fingunt, ſicut Baptiſmum & Cœnam Dominicam, eodem etjam modo, & pari ratione, reliqua quinque verè & propriè eſſe Sacramenta. Quo igitur conſilio, & quo ſenſu fabricatus eſt tertius iſte Canon? Dicam tibi. Veteres illas contumelias repetere & ſtabilire voluerunt, dignitatem ſcilicet chriſmatis in confirmatione, quamvis nec mandatum Dei, nec promiſsionem filij Dei habeat, multò tamen præſtantiorem & ampliorem eſſe, quàm ipſius Baptiſmi, licet expreſſum habeat mandatum Dei, & certiſsimam promiſsionem, voce filij Dei annexam. Ratio verò (ſi Diis in Romanorum pantheo placet) hæc eſt, quòd Baptiſmus adminiſtrari poteſt, etjam abijs qui ſunt in ſimplicibus Sacerdotum ordinibus, imò in neceſsitate etjam à laicis: ſicut Hieronymus inquit contra Luciferianos. Confirmationis verò adminiſtrationem, ſolis Epiſcopis reſervari ipſis placuit. Addunt & hanc rationem, quòd Baptiſmus tantùm ſit Sacramentũ initiationis: per confirmationem verò, conferatur perfectio gratiæ & gloriæ. Ritum etjam ordinationis dicunt Sacramentum eſſe, præeminentia nobilitatis & perfectionis (vtor ipſorum verbis) dignius & præſtantius quàm Sacramentum Baptiſmi. Quia, inquiunt, ordo conſtituit hominem in gratia, gradu & ſtatu dignitatis (hoc eſt, pinguium præbendarum, & regalium prælaturarum) quod Baptiſmus non facit. Atque ita cùm in primo Canone, ea quæ non habent Dei mandata, ſed ſunt ab hominibus inventa, divinis inſtitutis æquaſſent: jam in tertio Canone, poſtulant ea in ſublimiorem dignitatis gradum extolli & collocari, quàm quæ ipſe filius Dei in novo Teſtamento ſua voce inſtituit, & Eccleſiæ commendavit. Vſque adeò verum eſt, quòd eum, qui ſemel verecundiæ fines tranſijt, oportet gnaviter impudentem eſſe.

Rationes Pontificiorum confirmationem & ordinem ipſi Sacram. Baptiſmi præferentium non verentur.

Eſt & hoc unum ex myſterijs hujus tertij Canonis, quòd dignitas Sacramenti Ordinis, non poteſt ferre honorabile, ſanctum & caſtum conjugiũ: licet & ipſum nominent Sacramentũ. Tanto enim dignius eſt Ordinis Sacramentum conjugio, quòd facilius pati ſecum poteſt centum proſtibula, ſucceſsivè tamen (ſicut inquit Colonienſis quidam) quam unam legitimam conjugem. Si qua verò præterea alia tertius hic Canon myſteria continet, ea vel Andradius, vel alius quiſpiam nobis pandet. Quod verò ad rem ipſam attinet, quæ ſit Sacramentorum, quæ Scripturæ teſtimonium habent, ſeu convenientia ſeu differentia, non poteſt ſimplicius & rectius conſtitui & explicari, quã ſi unumquodq; ex ſua inſtitutione, & ex promiſſione quam ex voce divina annexam habet, judicetur. Non malè enim huc quadraret, quòd in decreto ſuo dicunt, per Sacramenta juſticia fidei vel incipit vel incepta augetur, vel amiſſa reparatur. Sed hæc plenius explicare, non eſt hujus loci: tantùm enim examen decretorum & canonum Tridentini concilij inſtituimus.

DE NECESSITATE SACRAMENTORVM.

CANON IIII.

Si quis dixerit, Sacramenta novæ legũ non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperfluа: & ſine eis aut eorũ voto, per ſolã fidem, homines à Deo gratiã juſtificationem adipiſci, licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint, anathema ſit.

EXAMEN.

Infidiæ hujus Canonis.

Principiò artificium compoſitionis in hoc Canone conſiderandum eſt: in ſingulis enim fermè dictionibus, peculiares latent inſidiæ. Indifferenter de omnibus ſuis, quæ numerant, Sacramentis prædicant, quòd ſint ad ſalutẽ neceſſaria. Quòd enim addunt (licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint) intelligunt de ordine & conjugio, Reliquos verò ritus, ut confirmationis, extremæ unctionis, articularis confeſsionis, ſatisfactionis, &c. nolunt ſimpliciter eſſe Sacramenta ad ſalutem neceſſaria. Et quod præcipuè obſervandum eſt, neceſsitatem Sacramentorum opponunt juſtificationi per ſolam fidem. Atqui ea quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, diſtinguenda ſunt, ut Chriſtus promerens, Pater dominans, organa ſeu Sacramenta verbi & Sacramentorum, per quæ Spiritus ſanctus beneficia illa novi Teſtamenti offert, applicat, obſignat, auget & confirmat in credentibus: & demum fides, quæ beneficia illa apprehendit. Singula hæc ſuo modo, & in ſuo gradu, ad ſalutem noſtram ordinata ſunt. Et ſicut non ſequitur: Sacramenta ad ſalutem ſunt neceſſaria: ergo non ſolus Chriſtus ſuo merito nobis eam acquiſiuit: ita etjam nõ ſequitur: Sacramenta ad ſalutem ſunt neceſſaria: ergo non per ſolam fidem gratiam juſtificationis accipimus. Neque enim quiſque ſanus, juſtificationem per ſolam fidem, ita unquam intellexit, quaſi à juſtificatione excludatur gratia Dei, meritum Chriſti & miniſterium verbi & Sacramentorum. Imò fides in juſtificatione quærit, apprehendit, & accipit gratiam Dei, propter meritum filij mediatoris: & quidem hæc quærit & accipit in miniſterio verbi & Sacramentorum, per quod medium, ſcit Spiritum ſanctum velle efficacem eſſe. Quærere verò, apprehendere & accipere illa beneficia, Scriptura affirmat, ſolius fidei proprium eſſe. Manifeſtum igitur eſt, qualis ſit ſophiſtica, neceſsitatem Sacramentorum opponere juſtificationi per ſolam fidem. Ego verò arbitror, architectos 1111. hujus Canonis, aliud ſpectaſſe hac antitheſi inter neceſsitatem Sacramentorum ad ſalutem, & inter juſtificationem per ſolam fidem. Neque enim neceſsitatem Sacramentorum eo tantum referunt, quòd ſint cauſæ inſtrumentales, per quas à Deo nobis offeratur & exhibeatur gratia juſtificationis: ſed loquuntur de adipiſcenda, ſeu accipienda gratia juſtificationis: & hoc nolunt ſoli fidei tribui, ſed adjungunt neceſsitatem Sacramentorum, hoc eſt, intelligunt noſtrum opus, quod in ſuſceptione Sacramentorum facimus, ita ut fides non ſola, ſed unà cum dignitate ſeu merito illius noſtri operis, accipiat gratiam juſtificationis. Et propterea nominant Sacramenta novæ legis, ut ſit mutua relatio legis & noſtrorum operum, in ipſo etjam Sacramentorum uſu, ideò etjam votum nominant, hoc eſt, pollicitationem certi operis, ad accipiendam juſtificationis gratiam. Quis igitur jam neget, patribus Tridentinis defuiſſe ingenium, cùm in tam paucis verbis, tam multas & varias inſidias occultare potuerint? Non poteſt autem ejus quæſtionis quæ in 1111. hoc Canone proponitur, vera explicatio tradi, niſi prius ex inſidijs illis nos evolvamus. Quando igitur de neceſsitate Sacramentorum diſputatur, non eſt quæſtio de ritibus humana autoritate inſtitutis, ſed de ijs qui verè & propriè ſunt Sacramenta. ſcilicet de Baptiſmo, & Cœna Domini. Et in illis Sacramentis nõ eſt quæſtio de magica aliqua efficacia, abſolute hærente in ipſis externis elementis: nec dignitate, aut merito noſtri alicujus operis: ſed quòd ſint media ſeu organa, per quæ Deus offert, & fides accipit gratiam & ſalutem.

Officium fidei.

Quæſtione hoc modo formata, explicatio non erit difficilis: quæ multa utiliter monebit & veram reverentiam erga Sacramenta in animis noſtris excitabit. Pendet autem ex conſideratione doctrinæ, quare Deus promiſsioni Evangelij adjecerit Sacramenta? Deus enim, qui ſatisfactionem filij ſui mediatoris ordinavit, ut eſſet meritum & acquiſitio ſalutis noſtræ: qui etjam ordinavit, ut fides eſſet quaſi manus noſtra, qua quæramus, apprehendamus & accipiamus gratiam Dei in Chriſto: idem Deus etjam certum medium ſeu organon ordinavit, per quod beneficia filij mediatoris, ad ſalutem noſtram velit offerre & exhibere, vt fides habeat & ſciat certum medium, in quo quærere & accipere poſsit gratiam & ſalutem.

Tale ergo medium ſeu inſtrumentum Dei, eſt verbum Evangelij prædicatum, auditum, cogitatum, & fide apprehenſum. Roma. 10. Fides juſtificans ex auditu, auditus per verbum Dei. Rom. 1. Evangelium eſt potentia Dei, in ſalutem omni credenti. Ioan. 5. Amen dico vobis, qui verbum meũ audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam &c. Iam verò cùm Deus per verbum offerat & exhibeat, fides etjam in verbo apprehendat & accipiat non dimidiatum & inſufficiens aliquid, ſed gratiam quæ ad ſalutem neceſſaria eſt, ita ut Evangelium ſit potentia Dei ad ſalutem omni credenti: oritur quæſtio, quis ſit Sacramentorum uſus, aut propter quas cauſas Deus externos ſacra *Sacra. uſus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentorũ ritus, sua institutione adjecerit promissioni Evangelij. Et sunt quidem non pauci homines, partim phanatici, partim prophani, qui & sentiunt & clamitant, superfluum & non necessariũ esse Sacramentorum usum. Piorum etiam animi sæpe huiusmodi cogitationibus tentantur: Cum verbo Deus omnia, quæ ad salutẽ necessaria sunt, offerat & exhibeat, cumq; fides illa in verbo invenire & apprehendere possit, quid opus sit Sacramentis? posse igitur fine salutis dispendio, usum Sacramentorum negligi.

Augustinus. Et talibus sanè, sive tentationibus, sive phanaticorum clamoribus, rectè ex verbo Dei opponitur. Sacramenta, quæ Deus ipse, ut essent salutis nostræ adminicula, instituit, nullo modo judicanda esse vel inutilia, vel superflua, quæ securè negligi & contemni possint. Rectè enim Augustinus dicit contra Faustum libro 19. cap. 11. Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum: & ideò contempta, sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas. Sed hæc ex verbo Dei diligenter explicanda sunt, ut & doctrina rectè intelligatur, & verus Sacramentorum usus ornetur, & seriò ametur. Quod igitur ad Deum attinet, verbo promissionis offert & exhibet illam suam gratiam, quæ ad salutem necessaria est: ita ut fides in illo objecto seu medio, invenire possit, quicquid ad salutem est necessarium.

Chrysostom. Et quidem (sicut Chrysostomus inquit) si Angeli essemus, nullo præterea signo nobis opus esset. Sed carnalis infirmitas fidem impedit, turbat, distrahit, & debilitat. Arduum enim & difficile est iis, quæ in verbo proponuntur, licet non appareant, tamen firma animi persuasione inhærere, Hebræ. 11. Imò contra spem in spem credere, Roma. 4. cùm quidem in hac vita, mens semper sensuum adminicula quærat. Præterea fides etiã quando statuit promissionem Dei in genere veram esse, angitur tamen de hac præcipuè quæstione: an privatim etiam ad me pertineat? Deus igitur qui dives est in misericordia, ut divitias bonitatis suæ nobis ostenderet, & commendaret, nõ uno tantùm modo, per nudum scilicet verbum, gratiam suam nobis exhibere voluit: sed infirmitatem nostram voluit certis adminiculis subleuare, institutis scilicet, & promissioni Evangelij annexis Sacramentis, hoc est, certis signis, ritibus, seu ceremonijs, in sensus incurrentibus, ut illis commoneret, erudiret, & certos nos redderet, quod foris in specie visibili geri cernimus, illud intus virtute & potentia Dei in nobis effici. Sicut enim verbum incurrit in aures, & ferit corda: ita ritus Sacramentorum incurrit in oculos, ut moveat corda, ut non dubitemus, Deum nobiscum agere, & velle juxta verbum in nobis efficacem esse ad salutem. Verbo enim, & externis à se institutis signis, solet cum hominibus agere. Præterea mens humana non tantùm per se non nouit promissionem de gratuita reconciliatione, verumetiam quando illa verbo nobis revelatur, licet pia mens eam non ausit in genere mendacij arguere, *Fides specialis.* fides tamen, in tentationibus præsertim, difficulter illam, ut privatim ad me etiam pertinentem, apprehendere & retinere potest. Deus igitur Sacramenta instituit, ut essent externa & visibilia signa & pignora gratiæ & voluntatis Dei erga nos: quibus illustri visibili testimonio testificetur, quòd promissio ad singulos illos pertineat, qui fide eam in usu Sacramentorum amplectuntur. Et hoc modo Sacramenta sunt externa visibilia testimonia applicationis, gratuitæ promissionis Evangelij. Ejus enim vox generalis est, fides verò & usus Sacramenti, applicant eam ad singulos credentes. Hoc modo Sacramenta, quò ad nos, sunt signa confirmantia fidem erga promissionem Evangelij, quò ad Deum, sunt organa seu instrumenta, per quæ Deus in verbo, sua potentia & operatione, gratiam promissionis Evangelicæ credentibus, exhibet, applicat, obsignat, confirmat, auget & conservat. Non autem alia est gratia quæ in verbo promissionis, & alia quæ in Sacramentis exhibetur: nec alia est promissio in verbo Evangelij, alia in Sacramentis. Sed eadem est gratia, unum & idem uerbum, nisi quòd in Sacramentis, per signa divinitus instituta, verbum quasi visibile redditur (sicut Augustinus loquitur) propter nostram infirmitatem. Fides igitur in Sacramentis, nõ aliam quærit gratiam quàm in verbo, nec sine promissione, præter aut extra promissionem, in Sacramentis quærit gratiam. Verbũ enim promissionis, est objectum illud quod fides in Sacramentis intuetur: & in illo apprehendit ea, quæ verbo in Sacramentis promittuntur, offeruntur, & exhibentur. Ita Ephes. 5 Paul. inquit: Mundans Ecclesiam lavacro aquæ in verbo. Hæc doctrina ornat dignitatem Sacramentorũ, & exuscitat verã reverentiam erga usum Sacramentorum, & ex his fundamentis sumitur explicatio quæstionis propositæ. Quę enim piæ aures, prophanas illas voces vel ferre, vel admittere possent, Sacramenta esse superflua, quæ securè cõtemni, & sine dispendio salutis negligi possint? cùm ex verbo Dei constet, Deũ illa ad sublevandã infirmitatem nostram instituisse: utq; divitias bonitatis suæ, ad procurandã salutem nostrã ostenderet, instituisse ipsum talia organa seu instrumenta, in quibus virtute & operatione Spiritus S. fides nostra quamvis langvida & infirma gratiã apprehendere, & obsignatam retinere posset, ad salutem & vitam æternam. Necessaria igitur sunt Sacramenta & ratione infirmitatis fidei nostræ, cui hujusmodi adminiculis opus est: & ratione institutionis divinæ, quæ enim Deus hoc consilio, & in hunc finem instituit, ut per ea credentibus exhibeat, applicet & obsignet beneficia mediatoris ad salutem: ea certè nec inutilia, nec supervacanea, sed necessaria sunt.

Et hoc sensu non inviti concedimus, Sacramenta ad salutem esse necessaria, tanquam causam instrumentalem: sed tamen addenda est hæc declaratio, non tam præcisam esse necessitatem Sacramentorum ad salutem, sicut est fidei & verbi. Sine fide enim nemo potest salvari: & sine verbo, nulla potest esse vera fides, Roma. 10. Qui igitur verbum Dei non habet, is quia non potest fidem concipere, non potest salvari. Qui verò ex auditu verbi, veram & justificantem fidem jam habet: is licet fide acceperit reconciliationem, Sacramentorum tamen usum nullo modo contemnet, propter causas jam expositas. aut si contemnit, fides non est vera, non enim retinet essentialem suam proprietatẽ, quæ consistit in mutua relatione verbi &

bi & fidei: ut scilicet fides verbum promissionis, ubicunque Deus sua institutione illud proponit, quærat & apprehendat. Sed si quis ex auditu verbi, habeat veram fidem in Christum: & non concedatur ipsi facultas, vt possit Sacramentis iuxta institutionem divinam uti: in talicertè casu, non est statuenda præcisa necessitas Sacramentorum ad salutem: ut propterea salus illis denegetur, quibus non datur facultas utendi Sacramentis, licet fide in verbo apprehendant Christum mediatorem. Latronienim in cruce, Christum in verbo promissionis fide apprehendenti, certò promittitur paradisus: licet non daretur ipsi facultas, ut posset baptismum accipere. Ita qui in deserto nati fuerant, per annos 40. non sunt circumcisi, propter continuas peregrinationis jactationes, quæ facultatem circumcisionis accipiendæ non concedebant, Iosue 5. Et tamen non est dubium, quosdã ex illis per 40. illos annos in deserto mortuos fuisse: quos nemo damnaverit, si Deo fide in promissionem de venturo Messia reconciliati fuerunt. *Augustinus.* Rectè igitur Augustinus inquit, contra Donat. lib. 4. cap. 22. Latronis exemplum etiam atq; etiam considerans, invenio non tantùm passionem pro nomine Christi id quod ex Baptismo deerat, posse supplere: sed etiam fidem, conversionem q; cordis, si fortè ad celebrandum mysteriũ Baptismi, in angustiis temporum succurri nõ potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorũ: nec quia credidit passus est: sed dum patitur, credidit. Quantum itaque valeat, etiam sine visibili Sacramento Baptismi (id quod ait Apostolus: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem) in illo latrone declaratum est: sed tunc impletur invisibiliter, cùm mysterium Baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Cap. 23. Latro ille non tamen omnino, sine sanctificatione Baptismi, quæ corporaliter adhibetur, fuit: quia non ejus accipiendæ voluntas defuit, sed non accipiendæ necessitas affuit. Cap. 24. In illo latrone quod ex Baptismi Sacramento defuerat, compleuit omnipotentis benignitas: quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat.

Cap. 25. Cum verò ex voluntate defuerit, reatu hominem involuit: neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cùm Dei Sacramentum contemnitur. Et hoc est quod *Longobardus.* Longobardus dixit gratiam Dei non esse alligatã Sacramentis.

Observet autem Lector, in autoribus non tantùm videndum esse quid dicatur, sed principaliter, ex quibus fundamentis id quod dicitur extruatur. De articulo necessitatis in latrone non baptizato, idem dicit Cyprianus quod Augustinus: sed fundamenta longè sunt diversa. Cyprianus sentit, latronis passionem, vicem Baptismi suppleviſſe: Augustinus verò rectius sentit, fidem cordis apprehendentem Christum, justificasse & salvasse latronem, cùm articulus necessitatis Baptismum excluderet. Ita vetustas de articulo necessitatis, cùm credentes priusquam baptizari possent, vel ad martyrium raperentur, vel morte præoccuparentur, veniuste distinxit Baptismum fluminis, flaminis & sanguinis. Illud verò postea ita depravârunt, quasi dignitas operis & meriti in martyrio tanta sit, quæ virtuti sangvinis Christi in Baptismo æquetur, & ejus vicem supplere possit. Item Baptismum flaminis interpretati sunt, quòd tanta possit in aliquo contrito satisfactio & caritas esse, ut dignitas ejus, vicem virtutis Baptismi supplere possit. Hæc non tantùm peregrina, sed omnino falsa & impia fundamenta sunt: nostrorum scilicet operum merita, æquare virtuti Baptismi. In hac igitur exceptione articuli necessitatis, monstrandi sunt conscientijs veri fontes consolationum: qui certè non sunt, ut nostra opera vice Baptismi Deo opponamus, sed ut fides apprehendens verbum promissionis, etiam si articulo necessitatis à Baptismo excludatur, nihilominus certò statuat, se accipere & possidere Christum, gratiam Dei, & vitam æternam. Evangelium enim Dei est potentia, ad salutem omni credenti.

An Sacramenta sint superflua, Augustinus. Porrò adscribam locum Augustini, ex eodem libro, cap. 22. qui illustrabit hanc quæstionem: An scilicet Sacramenta sint superflua? Verba hæc sunt: In Cornelio & amicis ejus, posset videri superfluum, ut aqua etiam tingerentur, in quibus jam donum erat Spiritus sancti: quod non nisi baptizatos alios accepisse, sancta Scriptura testatur. Baptizati sunt tamen: & in hoc facto Apostolica extat autoritas, usque adeò nemo debet in quolibet provectu interioris hominis, si fortè ante Baptismum, usque ad spiritualem intellectũ pio corde profecerit, contemnere Sacramentum: quod ministrorum opera corporaliter adhibetur, sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritaliter operatur. Nec ob aliud existimo munus baptizandi Iohanni fuisse attributum: nisi ut Dominus ipse qui dederat, cum servi Baptismum non sprevisset accipere, dedicaret humilitatis viam, & quãti pendendum esse suum Baptisma, quo ipse baptizaturus erat, tali facto apertissimè declararet. Videbat enim tanquam peritissimus Medicus salutis æternæ quorundam non defuturũ tumorem, qui cùm intellectu veritatis, & probabilibus moribus ita profecissent, ut multis Baptizatis, vita atque doctrina se præponere minimè dubitarent, supervacaneũ sibi esse crederent baptizari: quando ad illum mentis se habitum perveniſſe crederent, ad quem multi baptizati adhuc ascendere conarentur. Hæc Augustinus.

DE EFFICACIA ET VSV SACRAMENTORVM.

CANON V.

Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis, non continere gratiam quam significant: aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint accepta per fidem gratiæ vel iustitiæ: & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CANON VII.

Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta, semper & omnibus, quantũ est ex parte Dei, etiãsi ritè ea suscipiãt, sed aliquando & aliquibus, anathema sit.

EXAMEN.

De efficacia Sacramentorum, quomodo seu qua ratione offerant, exhibeant, applicent & obsignent gratiam inter Scholasticos Scriptores variæ fuerunt disputationes. Quidam enim, ut Alensis, Thomas, Durandus, &c. senserunt, ipsis externis Sacramentorum elementis, per verbũ conferri virtutem quandam supernaturalem, quæ nõ sit relatio seu ordinatio Dei, quòd per Sacramenta, tanquam per causas instrumentales Deus efficacia spiritus, velit conferre gratiam: sed quę sit virtus supernaturalis & spiritualis, absolutè hærens in corporalibus Sacramentorum elementis, per quam influant & agant in animã, sive effective sive dispositivè. Addunt tamen, ut ostendant, nec se nec alios quod dicunt intelligere, esse ens incõpletum, quod per se non sit in aliquo ex decem prædicamentis.

Hugo etiam dicit, Sacramenta novi Testamenti ideo prius sanctificari, consecrari, seu benedici, ut ex sanctificatione (quæ scilicet ex consecratione, in ipsis Sacramentorum elementis contenta & inclusa insit) cùm applicantur, sanctificent: scilicet, sicut quando emplastrum applicatur vulneri. In hac imaginatione etiam Cyprianus hæsit: qui baptismum ab hæreticis & malis ministris datum, ideo pronunciavit inutilem, inefficacem & irritum, quia tales suis benedictionibus & consecrationibus non possint aquæ talem virtutem conferre, quæ in animam influat & agat. Ex hac etiam imaginatione, orta fuit prava illorum opinio, qui apud Augustinum de Civi. libro 21. cap. 25. liberationem ab igne æterno promiserunt omnibus, sine vera fide habentibus Sacramentum Baptismatis & corporis Christi, quomodolibet vixerint, & in quacunque hæresi vel impietate fuerint. Illa verò opinio, quòd in ipsis Sacramentorum elementis, gratia essentialiter contineatur, sicut medicina in pixide, ita ut virtus Sacramentorum sit vel essentia, vel qualitas, sive completa, sive incompleta, hærens in corporalibus Sacramentorum elementis, etiam inter Scholasticos Scriptores, non fuit omnibus probata: ut Bonaventuræ, Richardo, &c. Fuerunt præterea, qui virtutem Sacramentorum in ipso opere, quo Sacramenta vel celebrantur, vel suscipiuntur, constituerunt: ita ut Sacramenta dicerentur conferre gratiam ex dignitate, & merito operis, quod exercet, vel ille qui celebrat, vel qui suscipit. Sed hæc opinio ex diametro pugnat cum vera ratione Sacramentorum: quæ sunt actiones, in quibus non nos nostrum aliquid offerimus, sed in quibus Deus sua beneficia nobis offert & exhibet, ut vult illa à se donata, à nobis accipi.

Nostro verò tempore quidam, dum hasce Pontificias opiniones vehementius refutare voluerunt, nimium deflexerunt in finistram partem. Disputarunt enim, Sacramenta nihil aliud esse, quàm signa, & notas Christianæ professionis, quibus à Iudæis & paganis discernamur. In quo usu, quondam apud gentes fuerunt mysteria Cereris, & similes initiationes.

Quidam censuerunt Sacramenta tantùm esse Christianæ societatis symbola, quib. ad mutuam communicationem officiorum excitemur & obstringamur: sicut quondam in fœderibus faciendis mos erat, unà vesci ex rebus sacrificatis. Alij in usu Sacramentorum nihil aliud spectari voluerũt quàm solas allegorias seu significationes Christianæ mortificationis, regenerationis, vivificationis, spiritualis alimoniæ, &c. Sunt qui videri volunt de Sacramentis honorificè sentire: & tamen docent Sacramenta tantùm esse signa gratiæ, jam antea, ante & extra usum Sacramentorum collatæ & exhibitæ, ita ut per Sacramenta Deus nihil conferat & exhibeat illis, qui fide Sacramentis vtuntur: sed quòd tantùm sint signa gratiæ, aliàs & alio modo antè collatæ.

Huic affinis est & illorum opinio, qui existimant, usum Sacramentorum tantùm per modum commonefactionis, excitare fidem, quæ alibi & alio modo, non in vero Sacramentorum usu, quærat & accipiat gratiam: sicut talis commonefactio à picturis etiam sumi potest. Has opiniones ideo recensui, ut ex antithesi vera sententia rectius intelligatur: præcipuè verò ideo, quia video Pontificios, in suis de hac quæstione disputationibus, phanaticorum opiniones insidiosè commiscere cum nostrarum Ecclesiarum confessione: cùm tamen Apologia Augustanæ confessionis sententiam suam, ex verbo Dei extructam, diserte sejungat à phanaticorum prophanis opinionibus.

Manifesta enim sunt Scripturæ testimonia: quę ut negari non possunt, ita eludi non debent. Tit. 3. Baptismus vocant lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti. Ephes. 5. Tradidit semetipsum pro Ecclesia, ut illã sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo, &c. Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Actor. 2 Baptizetur vnusquisque in remissionem peccatorum. Actor. 22. Baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine Iesu. 1. Pet. 3 loquens de aqua, per quam Noe cum suis in arca servatus fuit, inquit: o, id est, quę aqua, arcæ antitypon, nunc nos salvos facit, baptisma scilicet: non quòd sit depositio sordium carnis, sed quia est stipulatio bonæ conscientiæ erga Deũ, per resurrectionem Christi. Roma. 6. Quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ejus baptizati sumus: ut sicut complantati sumus similitudini mortis ejus, ita etiam resurrectionis simus. Galat. 3. Quotquot baptizati estis, Christum induistis. Marci 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.

Hæc manifestissima testimonia, quæ disertè Sacramentis efficaciam tribuunt, & qualis ea sit, explicant, non sunt per tropos pervertenda à simplici & genuina significatione, quam propria vocabulorum significatio præbet. Et ita veteres hæc testimonia, simpliciter sicut sonant, intellexerunt. Augustinus enim contra Faustum libro 19. cap. 11 de Sacramentis inquit: Quorũ vis inenarrabiliter valet plurimum: & ideo contempta, sacrilegos

crilegos facit, impiè quippe contemnitur, sine quà non potest perfici pietas. Cap. 13. Sacramenta novi Testamenti esse virtute majora, utilitate meliora. Cap. 16. De corporali Baptismi actione. & de sono verborum promissionis, inquit: Hæc omnia fiunt & transeunt, sonant & transeunt: virtus tamen quæ per ista operatur, jugiter manet: & donum spirituale quod per ista minuatur, æternum est. In Levit. quæstio. 84. Dominus dicit: Ego sanctifico Aaronem, & Mosi dicit: Sanctificabis eum. Quo modo ergo & Moyses sanctificat, & Dominus? Nõ enim Moyses pro Domino, sed Moyses visibilibus Sacramentis per ministerium suum: Dominus autem invisibili gratia per Spiritum sanctum: vbi est totus fructus, & omnis utilitas etiam visibiliũ Sacramentorum.

Tractatu in Iohan. 80. Quare non ait Christus, Mundi estis propter Baptismum quo loti estis: sed ait, Propter verbum quod locutus sum vobis? Nisi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum: & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Et mox: Vnde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? nisi faciente verbo: nõ quia dicitur, sed quia creditur.

Has sententias adscripsi: quia non tantùm tribuunt Sacramentis virtutem seu efficaciam, sed simul etiam explicant, quomodo seu qua ratione, Sacramenta dicantur conferre gratiam, sicut jam ostendemus: Non autem agimus de ritibus, sine expresso verbo Dei institutis: quibus humana temeritas efficaciam spiritualem, æqualem, imò majorem & præstantiorem quàm ipsis Dei institutis tribuit: sed quæ verè & propriè sunt Sacramenta, quæque promissionem gratiæ divina voce annexam habent. Et appellatione Sacramenti, intelligimus non externa tantùm elementa, & visibiles ritus: sed omnia illa quæ ad rationem Sacramenti pertinere, suprà in explicatione primi Canonis diximus, præcipuè verò promissionem de exhibitione & applicatione gratiæ. Non obscura autem, nec difficilis est explicatio, si adhibeatur necessaria illa distinctio, quomodo Deus conferat gratiam, & quomodo Sacramenta non conferant gratiam? Deus Pater reconciliat sibi mundum, acceptat credentes, non imputans ipsis peccata eorum. Hoc certè modo Sacramenta nõ conferunt gratiam, sicut ipse Deus pater. Christus est pax nostra, Ephes. 2. Mors Christi, est reconciliatio nostra. In sanguine ipsius justificati sumus, Ro. 5. Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato, 1. Iohan. 1. Resurrexit propter justitiam nostram, Rom. 4. Et illo certè modo Baptismus non purgat peccata, sicut ipse Christus.

Spiritus sancti propria est efficacia in collatione & applicatione gratiæ. Et Sacramenta certè non sunt exæquanda cum ipso Spiritu sancto, ut pari & eadem planè ratione credantur conferre gratiam, sicut ipse Spiritus sanctus. Num verò propterea nihil tribuendũ est Sacramentis? Certè quid Scripturæ sententiæ Sacramentis tribuant, paulò antè ipsis Scripturæ verbis commemoratum est. Sed accuratè & solicitè cavendum est, quando de Sacramentorum virtute & efficacia disputamus, ne ea quæ propria sunt gratiæ Patris, efficaciæ Spiritus, & meriti filij Dei, Deo adimamus, & ad Sacramenta transferamus. hoc enim esset crimen idololatriæ: nec Sacramenta adjungenda sunt merito Christi, gratiæ Patris, & efficaciæ spiritus, tanquam causæ adjuvantes, seu partiales: Idem enim hoc esset crimen. Non enim datum est aliud nomen, &c. Actor. 4. Et gloriam meam alteri non dabo, Isaiæ 48. Deus salvans non est præter me: ego sum, & non est alius, Isa. 45.

Quo igitur modo Baptisma nos salvos facit, 1. Pet. 3. Quomodo est lavacrum regenerationis, Tit. 3. Hoc verò Paulus simpliciter declarat, cùm Ephesio. cap. 5, inquit. Mundans Ecclesiam lavacro aquæ in verbo. Et Augustinus idem colligit ex illa Christi sententia: Mundi estis propter verbũ meum, quod locutus sum vobis. Rectè ergo Apologia Augustanæ confessionis dicit, eundem esse effectum, eandem virtutem, seu efficaciam, & verbi, & Sacramentorum, quæ sunt sigilla promissionum: quæ ideo etiam Augustinus vocat verba visibilia. Sicut igitur Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti: non quòd magica quædam vis characteribus, syllabis, aut sono verborũ inhæreat, sed quia est medium, organon seu instrumentum, per quod Spiritus sanctus efficax est, proponens, offerens, exhibens, distribuens & applicans meritum Christi, & gratiam Dei, ad salutem omni credenti: Ita etiam Sacramentis tribuitur virtus seu efficacia: non quòd in Sacramentis extra seu præter meritum Christi, misericordiam patris, & efficaciam Spiritus sancti, quærenda sit gratia ad salutem: sed Sacramenta sunt causæ instrumentales, ita quòd per illa media seu organa, pater vult gratiam suam exhibere, donare, applicare: filius meritum suum communicare credentibus: Spiritus sanctus efficaciam suam exercere, ad salutem omni credenti.

Hoc modo manet Deo gloria sua, ut gratia non alibi quæratur quàm apud Deum patrem: preciũ seu causa remissionis peccatorum, & vita æterna non alibi quæratur, quàm in morte & resurrectione Christi: efficacia regenerationis ad salutem, non alibi quæratur quàm in operatione Spiritus sancti. Sacramenta verò illa beneficia in verbo nobis proponunt, afferunt, & exhibent, & obsignant: atque ita ducunt nos ad Christum, ad gratiam Dei, ad efficaciam Spiritus. Quia enim Deus in iis quæ ad salutem nostram pertinent, per certa media vult nobiscum agere: & hunc usum ipse ordinavit, & instituit verbum promissionis Evangelij: quod aliquando simpliciter per se, sive nudum proponitur, aliquando verò vestitum, seu visibile factum, certis à Deo institutis ritibus seu Sacramentis. Verbum igitur & Sacramenta monstrant nobis, ubi fides debeat quærere, & ubi posit invenire Christum mediatorem, Patrem & Spiritum sanctum: ita ut nobiscum agant, exhibeant, applicent & obsignent beneficia quæ Christus promeruit, & de quibus Evangelium concionatur. Et in usu Sacramentorum, fides non quærit aut respicit essentialem aliquã virtutem seu efficaciam inhærentem ipsis externis Sacramentorum elementis: sed in promissione quæ annexa est Sacramento, quærit, apprehendit, & accipit gratiam patris, meritum filij, & efficaciam spiritus.

Hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæc est simplex, plana, & vera sententia, de efficacia Sacramentorum. Et observet Lector, quòd Scriptura vtrunq; affirmat, & Baptismum salvos facere. 1. Pet. 3. & Deum salvare per lavacrum regenerationis, Tit. 3. Item, Baptismus abluit peccata, Actor. 22. Et Christus mundat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo, Ephes. 5. Deinde observetur & hoc, quàm accuratè Scripturæ verba posita sint. Vt, Petrus dicit, Baptisma nos salvos facere, & esse stipulationem bonæ conscientiæ erga Deum: sed addit, per resurrectionem Christi. Paulus vocat lauacrū regenerationis: sed illud ita declarat: Deus secundum misericordiam suam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis. Vnde verò Baptismus habet, quòd est lavacrum regenerationis? Respondet: Est lavacrum regenerationis Spiritus sancti. Sicut & Christus dicit Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, &c. Quomodo verò? Per Iesum Christum salvatorem nostrum, ut ipsius gratia justificati, hæredes simus vitæ æternæ. Baptizamur enim in mortem CHRISTI, ut resurrectionis ejus simus participes. Roma. 6. Christum induimus, quando baptizamur. Galat. 3. Ille ipse enim qui tradidit semetipsum pro Ecclesia sua, virtutem seu efficaciam sanctificandi & mundandi eam, non tradidit alteri, sed ipse sanctificat & mundat eam. Num verò illud efficit sine ordinario aliquo medio? Paulus respondet: Sanctificat & mundat eam lavacro aquæ in verbo. Quantò hæc sunt simpliciora, planiora, certiora, & tutiora de virtute seu efficacia Sacramentorum, quàm omnium hominum disputationes & opiniones, sive Scholasticorum, sive aliorū phanaticorum.

Et planè ita etjam Augustinus sentit & loquitur in illis sententijs, quas suprà scripsimus. Tribuit enim Sacramentis vim & virtutem: sed addit declarationem, divinam virtutem per Sacramenta operari, ita ut Moyses ministerium adhibeat, Dominus verò per illud ministerium, invisibili gratia per Spiritum sanctum sanctificet. Et in illa invisibili gratia sanctificationis per Spiritum sanctum, affirmat esse totum fructum & omnem utilitatem visibilium Sacramentorum. Ad pleniorem verò declarationem, pertinet hæc etjam consideratio, quòd duplex est in hac doctrina, causa instrumentalis. Vna est quasi Dei manus: qua per verbum & Sacramenta, in verbo offert, exhibet, applicat & obsignat credentibus beneficia redemptionis. Altera est quasi nostra manus: quòd fide scilicet petimus, quærimus, apprehendimus, & accipimus ea, quæ Deus nobis per verbum & Sacramenta offert & exhibet. Neque enim talis est Sacramentorum efficacia, quasi Deus per illa infundat & imprimat gratiam, ad salutem, etjam non credentibus seu accipientibus: sicut quidam opinati fuerunt, etjam vetustis temporibus: sicut Augustinus recitat de Civitate lib. 21. cap. 25. Sed sicut de verbo Paulus dicit: Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Et Hebr. 4. Non profuit illis sermo non admixtus fidei. Ita de Sacramentis, quia sunt verba visibilia, & figilla promissionis, Christus dicit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Imò Paulus addit: Qui indignè manducat, judicium sibi manducat. Et inde intelligi potest disputatio de sententia illa, quæ olim etjam in Scholis usitata fuit: Non Sacramentum, sed fidem Sacramenti justificare. Neque enim sensus est, fidem ita justificare, ut non accipiat gratiam, quam in verbo & Sacramentis Deus offert & exhibet, vel quòd gratiam accipiat, sine medio aut organo, verbi & Sacramentorum. Objectum enim fidei est verbum & Sacramenta: imò in verbo & Sacramentis, verum fidei objectum est Christi meritum, gratia Dei, & efficacia spiritus. Et fides idem justificat, quia illa in verbo & Sacramentis apprehendit & accipit. Et hoc sensu sicut fides verbi, Ita etjam fides Sacramenti dicitur justificare.

Quando igitur fidei tribuitur justificatio, non excluditur auditus verbi & usus Sacramentorū, sed ut fides justificet, oportet eam in verbo & Sacramentis Christum apprehendere. Oppositа autem fuit hæc sententia illorum opinionibus, qui fingebant in usu Sacramentorum, ex opere operato, etjam illos accipere gratiam ad justificationem & salutem, qui sine pœnitentia & fide Sacramentis uterentur.

Tota igitur hæc doctrina, de efficacia & usu Sacramentorum, plana est. Quod enim contra hanc sententiam objicitur, quid Baptismus contulerit Cornelio, qui gratiam accepit & habuit ante Baptismum, Actor. 10. Item quæ fuerit efficacia & virtus circumcisionis in Abrahamo, qui justitiam fidei habuit ante circumcisionem, Roma. 4. est quidem talis quæstio, quæ contentiosis ingenijs præbet materiam exagitandi simplicem & veram sententiam: sed si in timore Dei, simplex veritas quæratur & ametur, explicatio hujus quæstionis non erit difficilis, sed illustrabit totam hanc doctrinam. Ab exemplis enim illis extraordinarijs, non sumenda est regula generalis de efficacia Sacramentorum: illa enim sumi debet ex institutione Sacramentorum, & ex promissione, quæ illis annexa est. Non ergo sequitur nullam aliam rationem Circumcisionis, quàm quæ in Abrahamo jam justificato fuit, esse in illis qui octavo die circumcidi jubentur, ideo vt ita in fœdus recipiantur: neque enim natura sunt filij fœderis, qui ex circumcisis parentibus nascuntur. Paulus enim Ephes. 2. pronunciat, non tantùm gentes, sed & nos qui ex circumcisis parentibus nati sumus, eramus natura filij iræ. Ita quia in Cornelio, peculiari exemplo sanctificatio spiritualis præcesserit Baptismum: non sequitur, reliquos iuxta promissionem non baptizari in remissionem peccatorum, aut Deum non salvos nos facere per lauacrum regenerationis & renovationis. Et hæc distinctio, non est recens commentum. Nam & Augustinus contra Donatistas libro quarto, capite vigesimoquarto, tale fermè discrimen constituit, inter circumcisionem Abrahæ, & quam Isaac octauo die accepit: item inter Baptismum Cornelij, & infantium. Nec tamen otiosa fuit circumcisio in Abrahamo, & baptizatio in Cornelio, quasi nuda tantum signa fuerint. Gratiam enim Deus in hac vita, non semel ita confert & exhibet, ut statim sit absoluta & consummata: ita ut dum in hac vita sumus, Deus nihil amplius velit exhibere & conferre, & homini nihil amplius opus sit à Deo accipere, sed Deus semper

per donat, & homo semper accipit, ut magis magisq; plenius & perfectius Christo cōjungamur, remissionem peccatorum, seu reconciliationem firmius teneamus: vtq; inchoata in nobis beneficia redemptionis, conserventur, confirmentur, crescant & augeantur. Illa verò Deus confert & operatur: credentes illa quærunt & accipiunt, in mediis à Deo in hunc finem institutis: in vsu scilicet verbi & Sacramentorum. Illi igitur qui Actor. 2. agnitione peccatorum compunguntur, & quærunt quid facere debeant, baptizantur in remissionem peccatorum. Ita etjam infantes, qui natura sunt filij iræ, Deus salvos facit per lavacrum regenerationis: hoc est, Deus ipsis per Baptismum offert, exhibet & applicat beneficia Evangelij. Abraham jam antè accepit & habet justitiam fidei, Cornelius acceperat jam Spiritum sanctum. Num igitur Circumcisio in Abrahamo, & Baptismus in Cornelio, supervacanea, nuda & otiosa signa fuerunt? Nequaquam. Operatio enim, seu efficacia Sacramentorum judicanda est ex promissione. Non autem otiosa vel significativa tantum est promissio, quæ Circumcisioni in veteri, & Baptismo in novo Testamento annexa est: sed est exhibitiva. Pater enim salvos facit, Christus mundat, Spiritus regenerat per lavacrum aquæ in verbo. Sed quid ipsis potuit Sacramentum conferre, cùm jam antea haberent justitiam fidei, & Spiritum sanctum? Respondeo. Deus Abrahæ per Circumcisionem, & Cornelio per Baptismum, eandem gratiam cujus antea primitias acceperant, offert, exhibet, applicat & obsignat: ut plenius eam & uberius habeant, firmius possideant & teneant, ut opus Dei in ipsis inchoatum confirmetur, crescat, augeatur & conservetur. Ita promissio Sacramentis annexa, manet semper & universaliter vera & efficax, in iis, qui fide juxta institutionem Sacramentis utuntur. Et hoc primitiva Ecclesia significare voluit, quando adultos recens baptizatos statim à Baptismo deduxit ad cōmunionem corporis & sanguinis Domini. Reconciliatio quidem Dei, & remissio peccatorum, quomodocunque confertur, eadem est & plena, quod ad Deum attinet. Quia verò magna est nostra infirmitas, & Deus dives est in misericordia: nō igitur uno tantùm modo, sed per media quæ ad hunc usum instituit vult gratiam suam exhibere, conferre, applicare & obsignare: & ad obedientiam fidei pertinet, iis medijs uti, ficut à Deo instituta & ordinata sunt. Ita firma manet sententia, quòd Sacramenta non sint otiosa vel nuda signa: sed quòd Deus per Sacramenta, credentibus gratiā suam, seu beneficia Euangelij offerat, exhibeat, cōferat, applicet & obsignet. Vniversalis enim & exhibitiva est promissio, quæ Sacramentis voce divina annexa est, si fide accipiatur.

His ita explicatis, examinabimus jam tres propositos Canones. Quintus Canon sic habet: Si quis dixerit, Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta esse, anathema sit. Lutheri propositio est, in libro de captivitate Babylonica: Omnia Sacramenta ad fidem alendam, instituta esse.

Hanc cùm damnare velint, observet quæso Lector, quàm insidiosè agant. Lutherus hoc reprehendit in doctrina Pontificia, quòd cùm multa de Sacramentorum virtute, & de opere operato disputent, nullam mentionem fidei faciant in usu Sacramentorum: imò quòd doceant, Sacramenta sine bono motu cordis, hoc est, sine fide conferre gratiam, & quidem quòd ipsam etjam fidem jubeant dubitare de gratia Sacramentorū, hoc est, de reconciliatione seu remissione peccatorum. Lutherus verò contrà ex verbo Dei docet, ut Sacramenta ad salutem prosint utentibus, omnino requiri fidem, quæ gratiam illam accipiat, quæ in promissione Sacramenti offertur. Sacramentum enim est visibile verbum: & præcipuum in Sacramento, est promissio gratiæ, quæ institutioni externi ritus, voce divina annexa est. Inter verbum verò promissionis, & inter fidem, mutua & tàm arcta est sive connexio, sive relatio, ut nec promissio sine fide, nec fides sine promissione homini prosit: imò cùm fides sit necessarium organon, ad accipiendam gratiam, quam Deus offert & exhibet: & cùm in hac infirmitate languida fides nec facilè, nec certò, nec firmiter apprehendere & tenere possit promissionem in nudo verbo propositam. Deus instituto certo ritu, illā quasi visibilem fecit: idq; in actione cum singulis utentibus, ut fides in applicatione facilius, certius & firmius apprehendat & teneat promissionem. Hoc sensu Lutherus dicit, Sacramenta instituta esse ad excitandam, alendam, confirmandam, augendam & conservandā fidem, ut in promissione sive nuda, sive Sacramentali ritu vestita, apprehendat & accipiat gratiam & salutem.

Hanc verissimam doctrinam, quæ est ipsissima Scripturæ sententia, Pontificium conciliabulū, non simpliciter vult damnare, sed anathematizare. Verentur autem ipsarum aurium in piis judicium, si apertè anathema dicunt huic doctrinæ. Ideo truncatam Lutheri propositionem insidiosè ita ponunt, quasi sentiat, Sacramenta non esse instituta, ut sint organa seu causæ instrumentales, per quas Deus gratiam offerat, exhibeat, applicet & obsignet credentibus: sed hunc solum tantùm esse usum Sacramentorum, ut tanquam picturæ & spectacula externa, commonefactione fidem excitent & nutriant: ipsa autem fides in usu Sacramentorum, nihil accipiat, sed speculatione sua alibi circumvagetur. Quam prophanam sententiam, Lutherus in Sacramentariis, ferio & semper improbavit. Sed Tridentini, dissimulata vera Lutheri sententia, quintum hunc Canonem insidiosè ita posuerunt, ut sycophantico artificio, Lutheri disputationem de mutua inter Sacramentum & fidem relatione, odiosum & invisum reddant imperitis.

Et simul hoc agunt, ut fidem ex vero & salutari Sacramentorum usu expungant, abradant & exterminent. Illud enim Lector utiliter observabit in omnibus hisce Canonibus, ne unica quidē syllaba, ad salutarem Sacramentorū usum, fidem requiri, sed omnia anathemata crepant, proscriptionem & deportationem fidei, ex salutari Sacramentorum usu & efficacia. Fateamur igitur necesse est, insignes fuisse sophistices artifices, architectos decretorum hujus Concilij.

In VI. Canone collationem gratiæ indifferenter

Universidad de Deusto
Biblioteca

rentur omnibus suis quæ numerant Sacramentis, arrogant. Et cùm variæ sint disputationes, quomodo Sacramenta gratiam conferant: ipsi simpliciter sine declaratione decernunt, Sacramenta conferre gratiam: ut ostendant se omnes Scholasticorum opiniones, liberas permittere: utq; significent, se non abhorrere ab illorum sententia, qui fingunt, gratiam essentialiter hærere in ipsis Sacramentorũ elementis, tanquàm medicinam in pixide. Dicunt Sacramenta continere gratiam. Mox verò attexunt, eos qui hanc sententiam non amplectuntur, ex Sacramentis facere nudas tantùm notas Christianæ professionis. Hoc est artificium VI. Canonis. Quod enim de obice dicunt, in VIII. Canone explicabimus. Quod ad VII. Canonem attinet, si qui sunt qui sentiunt, Deum per promissionem Sacramentis annexam, tantùm illudere hominibus, ita ut etiamsi ritè quis ea suscipiat, non tamen semper & omnibus qui fide Sacramentis ritè utuntur, exhibeat gratiam: neminem in pietate sanum esse arbitror, qui à prophana illa sententia non abhorreat.

Sed insidiæ latent in his vocibus. Si ritè ea suscipiant. Studiosè enim cavent, ne fidem nominent: sed ut humanas devotiones & dispositiones, quibus homo se dignum reddat, cui Deus Sacramenti gratiam conferat, stabiliant, dicunt: Si quis legitimè ea suscipiat. Et sanè seriò concionamur ex Paulo: Probet seipsum homo: qui enim indignè manducat, judicium sibi manducat. Requiri igitur in adultis legitimam dispositionem, vt dignè accipiantur Sacramenta, non est dubium. Illam verò verbum Dei ita describit Actor. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; in remissionem peccatorum Act. 8. Si credis, potes baptizari. Marci decimosexto. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Pontificij verò, veram interiorem pœnitentiam non admodum vel curant, vel urgent in usu Sacramentorum: sed alias dispositiones, ex hominum traditionibus proponunt, & illos promittunt collationem gratiæ. Hæ falsæ & impiæ persuasiones dum taxantur, clamitant Pontificij, nos negare gratiam Dei dari per Sacramenta, etjamsi ritè quis ea suscipiat. Sed insidiosam sophisticen Lector jam intelligit.

Apud Pontificios vera pœnitentia sepulta.

DE OPERE OPERATO.

CANON VII.

Si quis dixerit, Sacramentum novæ legis, gratiam ipsam, non ponentibus obicem, non conferre, &c. anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta, ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.

EXAMEN.

Hæc tandem est illa Helena, cujus introducendæ, ornandæ & stabiliendæ gratia, præcedentes canones omnes constituti sunt, ut scilicet commentum Scholasticorum, & quidem ipsorũ verbis, stabiliatur & retineatur: Sacramenta novi Testamenti, utentibus conferre gratiam, ex opere operato, etjamsi in suscipiente non adsit bonus interior motus, modò non ponat obicem. Dogma verò illud, novum esse & peregrinum, ipsa verborum forma satis indicat. Neque enim servat Apostolicam ὑποτύπωσιν sanorum verborum, de qua Paulus concionatur 2. Timoth. 1. ut: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Item, Baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine Iesu, &: qui indignè manducat, judicium sibi manducat.

Opinio operis operati.

Commentum igitur illud de opere operante in Sacramentis, quæ sunt actiones Dei, per quas gratiam suam quam fide vult accipi, offert & exhibet, intrudit opinionem nostri operis: & quidem operati, sine bono aliquo interiori motu suscipientis: idq; facit peregrinis verborum monstris & Scripturæ, & antiquati ignotis. Etres ipsa de qua disputatur, adeò est plana & manifesta, ut inter ipsos Pontificios, qui pœnitentiam videri volũt, vt Gropperus & alij, à dogmatis illius fœditate nimium crassa abhorreant. Fingunt enim injuriam fieri Doctoribus Scholasticis, quasi opinione operis operati docuerint, Sacramenta alicui conferre gratiam, sine fide gratiam accipiente: sed dicunt, nihil aliud ipsas disputationes de opere operato, & de opere operante voluisse, quàm Sacramentorum veritatem non esse ex ministri operantis dignitate seu merito æstimandam, sed ex DEI authoris institutione, potentia & operatione. Ipse enim est, qui per externum ministerium baptizat, ut Sacramenta dicantur valere non ex opere operantis ministri, sed ex opere operato: ita quòd ministri malitia non impediat veritatem, integritatem & effectum Sacramentorum, si modò administrentur juxta institutionem, verbum & mandatum Domini: ut idem sit quod de Consecrat. distinct. 2. cap. utrum, ex Augustino citatur: Nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur creatoris, & virtute Spiritus sancti. Alfonsus dicit, opinionem operis operati, omne meritum suscipientis, ab efficientia Sacramentorum excludi: ita ut Sacramentorum veritas non pendeat ex fide suscipientis, nec Sacramentum efficaciam suam mutuetur à fide suscipientis.

Commentum de opere operante.

Σοφὸν νη δ' ἰὰ φάρμακον νοσοῦντος ἐν λόγῳ, juxta Euripidis dictum. Si enim hoc vellent Pontificij, quando de opere operato disputant, quia sententia vera est: nulla esset controversia, neque enim de modo illo loquẽdi, odiosè vellemus dimicare: aut certè diceremus illud Augustini: Mentem teneat, linguam corrigat. Sed nec olim Scholastici omnes hoc senserunt, licet quidã fermè ita disputent: & ne nunc quidem Pontificij hoc volunt, quando pro opinione operis operati dimicant: sed longè aliud monstrum, sub exoticis illis verbis alitur, & Ecclesiæ obtruditur. Prius igitur explicandum est, quid sibi velit opinio operis operati: deinde facilis erit refutatio. Scholastici igitur communiter omnes, inter Sacramenta

menta veteris & novi Testamenti, hanc ponunt differentiam: quòd hæc conferant gratiam ex opere operato, illa verò ex opere operante. Iam si quæras, quid intelligant per opus operans, cui opus operatũ opponunt: ex Circumcisione simplicissimè hoc intelligi poterit. Illam enim affirmant gratiam contulisse non ex opere operato, sed ex opere operante. Extra omnem verò controversiam, circumcisio in veteri Testamento, etjam juxta Scholasticorum sententiam delevit peccatum originale, non ex dignitate & merito ministri circumcidentis: nam & mulieres hoc fecerunt, Exod. quarto. 2. Machab. 6. sed ex institutione, potentia & operatione Dei. Nec dici poterit, malitiam ministri impedivisse veritatem & effectum Circumcisionis: quando juxta institutionem Dei, administrabatur & suscipiebatur. Sed (ex opere operante) intelligunt, quòd in adultis requirebatur bonus motus, seu devotio interior in suscipiente: & huic opponunt opus operatum. Manifestum igitur & certum est, Scholasticos per opinionem operis operantis & operati, non intellexisse hoc, quod (sicut suprà dictum est) Gropperus & alij interpretantur. Verba enim quibus se explicant, manifesta sunt. Gabriel (qui omnium sententiariorum disputationes & opiniones in unum colligit) distinctione prima, quæstione tertia, libro quarto, his verbis Scholasticorum sententiam explicat: Sacramentum dicitur conferre gratiam ex opere operato, ita quòd ex eo ipso quod opus illud, puta Sacramentum, exhibetur, nisi impediat obex peccati mortalis, gratia confertur utentibus. Sic quòd præter exhibitionem signi, foris exhibiti, non requiritur bonus motus interior in suscipiente. Ex opere operante verò Sacramenta dicuntur conferre gratiam, per modum meriti: quòd scilicet Sacramentum foris exhibitũ, non sufficit ad gratiæ collationem: sed ultra hoc requiritur bonus motus, seu devotio interior in suscipiente, secundum cujus intentionem, confertur gratia tanquam meriti condigni vel congrui, præcisè, & non major propter exhibitionem Sacramenti. Petrus de Palude, distinct. 1. quæstio. 1. in 4. Sententiarum, Scholasticorum sententiam ibi explicat. In Sacramentis novæ legis non per se requiritur, quòd homo se disponat: ergo per ipsum Sacramentum disponitur: & sic probabile est, in omni Sacramento novæ legis, quod justificat ex opere operato. Item: Et, si dicatur opus operatum non esse à Sacramento, sed à DEO in Sacramento, vel cum Sacramento, istud non valet: quia ita Sacramentum novæ legis, non distaret à Sacramento veteris legis: quia oportebat etjam in veteri lege, dispositionem in parvulis fieri à DEO. Relinquitur ergo, quòd Sacramenta novæ legis, causent gratiam, & justificent ex ipso opere operato. (Lector observet antitheses, quibus explicat opinionem operis operati.) Et postea instituit probationem, quòd Sacramenta novæ legis habeant vim inhærentem & insitam, ad conferendam & causandam gratiam ex opere operato. Illam verò vim, seu virtutem causativam gratiæ, dicit in Baptismo esse in aqua & in verbis, in Confirmatione & ordine esse in verbis & ministro, vel charactere Episcopali: in Pœnitentia esse in ministris, & verbis absolutionis, & in Satisfactione injuncta à Sacerdote: in extrema Unctione, esse in ministro, verbis, unctione, & oleo, &c. Marsilius in 4. Sentent. quæst. 2. art. 2. Baptismum Iohannis considerare possumus dupliciter: uno modo, quoad opus operatum, quod erat exterior corporis ablutio: alio modo, quoad devotionem suscipiẽtis. Tunc est conclusio responsalis, quòd Baptismus Iohannis, quoad opus operatum, non cõtulit gratiam. Et ideo non fuit Sacramentum: quia id solum propriè dicitur Sacramentũ, quod ex opere operato, confert gratiam.

Circumcisio.

Opus operãs.

Gabriel.

Petrus de Palude.

Marsilius.

Mensingerus citat ex Alberto, super 6. caput Iohannis: Opus operans, est opus elicitum à virtute: Opus operatum, est perfectio externi operis, sine motu interno. Et Mensingerus addit: Quia sancti in veteri Testamento, fide accipiebant gratiam in usu Sacramentorum: oportet ergo novi Testamenti Sacramenta, majoris esse efficaciæ, ut conferant gratiam ex opere operato, etjamsi non accedat opus operans suscipientis: hoc est, fides seu devotio interior.

Mensingerus

Non ignoro autem, quosdam de opinione operis operati, paulò aliter disputare: sed nunc tantùm ostendere volui, nostros non falsò Scholasticis tribuere sententiã illam. Quomodo enim ipsi inter se sententiam suam, de opere operato intelligant & explicent, non meis, sed ipsorum verbis exposui. Et vulgi opiniones testantur, quomodo doctrina illa de opere operato in Papatu tradita, accepta & intellecta fuerit. Existimant enim abundè sibi de salute prospectum, externa exhibitione & susceptione Sacramentorum, quicquid fiat de pœnitentia & fide. Præcipuè verò hæc persuasio regnat in dicendis & audiendis missis, ex quibus effectum gratiæ sibi pollicentur: ex administratione & spectaculo externi operis, etjamsi non accedat bonus motus interior. Nec verò de vulgi tantùm erroribus loquimur, sed ita in Scholis traditum est de Missa. Thomas in 4. Sentent. distinctio. 12. quæstione secunda: Eucharistia in quantum est Sacramentum, habet effectum in homine vivente: sed in quantum est sacrificium habet effectum in alijs, pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia. Petrus de Palude distinctione 11. Quando Missa pro alio celebratur, etjam mortale, quod est in alterius conscientia, delet: non per modum Sacramenti, quod solùm prodest suscipienti: sed per modum Sacrificij, ex merito Christi, quo sibi venia impetretur, id est, gratia contritionis. Vnde nec majus donum potest homo homini facere, quàm sibi missam dare, aut pro eo celebrare, hoc enim est singulare in hoc Sacramento, quod pro alio potest offerri & suscipi, nõ sic autem de alijs, &c. Gabriel duodecima distinctio. Sacramentum Eucharistiæ, in ratione Sacramenti non tantùm prodest his, à quibus sumitur, sed etjam aliis, pro quibus offertur. Et addit: Nec solùm fructificat in bonis & justis, sed etjam in peccatoribus, pro quibus offertur, ut à peccatis convertantur, &c.

Missa Fonte sacrificia. Thomas.

Petrus de Palude.

Et nostri seculi Scriptores qui in regno Pontificio fulciendo, columnæ videri volunt, opinio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem operis operati hoc argumento declarare & confirmare solent, quòd Baptismus parvulis conferat gratiam, qui tamen per ætatem credere non possint. Et de pædobaptismo quidem, suo loco dicendum erit. Nunc satis est ostendisse, quòd opinionem operis operati, diserte opponunt fidei, in illis qui Sacramentum suscipiunt: quasi eadem sit ratio parvulorum & adultorum, quod Augustinus diserte negat, libro 4. capite 24. De Baptismo.

Gropperi Sophisma.

Quid igitur in regno Pontificio significet, & quomodo intelligenda sit opinio operis operati, manifestum est. Gropperus Lectorem in re manifesta turbare conatur hoc sophismate. Scholastici enim duplex statuunt opus operans: primò scilicet in ministerio celebrante, seu administrante Sacramentum. Ita Gabriel in Canonem Missæ, lect. 26. dicit: Missa valet, uno modo ex opere operante, hoc est, ex merito personali personæ celebrantis: propter quod confert Deus petita à Sacerdote, eis quibus orationem & Missæ sacrificium applicat. Alio modo ex opere operato, hoc est, ex ipsa consecratione, oblatione & sumptione: non habendo respectum ad personalem sanctitatem, aut meritum Sacerdotalis, &c. Deinde verò constituunt etiam opus operans, in illo qui Sacramento utitur: bonum scilicet motum interiorem, ut devotionem seu fidem suscipientis. Vtrique verò operi operanti opponunt opus operatum, alio atque alio respectu: Sed Gropperus hoc fortiter dissimulat, & quasi alteri tantùm, in ministro celebrante opponatur, clamitat fieri Scholasticis injuriam, quasi opinione operis operati docuerint, ad efficacem & salutarem usum Sacramenti non requiri in suscipiente bonũ motum interiorem, hoc est, fidem: cùm dogma hoc ipsorũ scriptis, sicut ostendimus, extet. & in persuasione de Missæ efficacia, opinio illa non in vulgi tantùm animis hæreat, sed in doctorum etiam scriptis tradatur.

Sed excipit Alphonsus, non statim toti Pontificiæ Ecclesiæ debere tribui, si quid unus aut item alter disputavit: cùm cõtra proferri possint, qui aliter senserint. Vt igitur extra omnem controversiam certò constet, quid Pontificia Ecclesia per opus operatum intelligi velit: nec opus sit, illud inter blattas & tineas anxiè exquirere: inspiciamus, quid cœtus Pontificij juratus, Tridenti de opere operato decreverit. Et primò cùm nõ ignorent, inter ipsos Pontificios multos quæsiviisse mitigationes Scholastici istius dogmatis, atque alios aliter opus operatum interpretari: ipsi simpliciter tantùm approbant & confirmant opinionem operis operati, nulla addita declaratione, qua explicationem operis operati sive probent, sive improbent. Omnes igitur Scholasticorum disputationes & opiniones de opere operato, qualescunque sunt, in genere probant & confirmant.

Trident. de opere operato.

2. Si Lector quærat: An Tridentina congregatio probet Gropperi, & quorundam aliorum interpretationem seu mitigationem opinionis de opere operato, quam suprà recensuimus: res nõ est obscura. Quòd enim mentione operis operati, non velint intelligi hanc sententiam, Sacramentorum veritatem & efficaciam, non pendere ex ministri sive dignitate, sive indignitate: manifestè ostendunt, de illa enim sententia, postea peculiarem Canonem, duodecimum scilicet, cõdiderunt. Aliud igitur absque omni dubitatione, in VIII. Canone intelligunt per opus operatum. 3 Quid verò intelligant per antithesin, planè & perspicuè ostendunt. Duo enim hæc inter se opponunt, opus operatum, & fidem, quæ in promissione Sacramentis annexa, accipit gratiam. Sentiunt igitur per novæ legis Sacramenta, ex opere operato ita conferri gratiam, ut non opus sit, fide oblatam illam gratiam recipere. Scholastici enim dicunt, præter exhibitionem signi foris exhibiti, non requiri bonum motum interiorem in suscipiente, hæc enim sunt verba Gabrielis. Sed iterum consideret Lector, quòd verba in posteriori parte VIII. Canonis, insidiosè ita posuerunt, quasi nostra sententia, qui opinionem operis operati impugnamus, hæc sit, solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam ita sufficere, ut nõ opus sit usu verbi & Sacramentorum, vel solam fidem ita sufficere, ut non opus sit, Deum gratiam suã per verbum & Sacramenta credentibus offerre & exhibere.

Hujusmodi sophismatis ruinosam, & verbo Dei demolitam opinionem operis operati, fulcire, aut potius incrustare coram imperitis conantur: cùm manifestæ extent nostræ explicationes diversum testificantes, sicut in explicatione VI. Canonis annotavimus. Sed id quod res est, verentur: si opinio operis operati, sicut à Scholasticis tradita est, nuda proponatur, ipsam propositionem asserre secum refutationem. Est enim demonstratio invicta, promissionem gratiæ, quæ ita annexa est Sacramentis, quòd ideò Augustinus vocat Sacramentum visibile verbum, adeò requirere fidem, ut sermo auditus non prosit, nisi fit commixtus fidei eorum qui audiunt, Hebræorum 4.

Fides nõ excludit usum & sacramentusum.

Operis operati instaurandi artificium.

Et de Sacramentis expressa sunt Scripturæ testimonia: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur: imò manducat sibi judicium, qui indignè manducat. Contra hęc manifesta testimonia Pontificij ostendunt opinionẽ operis operati: quòd scilicet per Sacramenta ita conferatur utentibus gratia, ut non requiratur bonus motus interior in suscipiente. Imò cùm docent, fidem debere dubitare de gratia, planè invertunt omnia. Incredulos sine fide fingunt per externum Sacramentorum usum accipere & habere gratiam: in credentibus verò ipsam fidem in usu Sacramentorum jubent dubitare, an accipiat & habeat gratiam. Sed hæc sunt evidentissima, vt non sit opus pluribus verbis, res enim ipsa, Ecclesiæ filijs se declarat. Et ipsi Pontificij Scriptores jam tergiversantur, nec manifestè audent suscipere defensionem hujus axiomatis, quòd usus Sacramentorum, sine fide salvet suscipientes. Præterea est hæresis jam dudum ab Augustino damnata, De Civitat. lib. 21. capite 25. eos damnari non posse, qui Sacramenta Christi perceperint, in quacunque hæresi vel impietate fuerint. Videntur autem Scholastici (ut & hoc obiter addam) occasionem disputationum de opere operato inde sumpsisse, quod Augustinus tradit cõtra Donatistas libro 3. cap. 14. Non interest cum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat & quasi fide imbutus sit ille qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum, ad salutis viam: sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem. Et postea: Manifestum est, fieri posse, ut fide non integra integrum in quoquam maneat Baptismi Sacramentum. Idem etiam disputat errorem in fide, ejus qui baptizatur, utilitatem quidem Baptismi, quod ad salutis viam attinet, excludere: Sacramentum tamen illi non deesse, nec si convertatur repeti oportere, tunc enim demum, cũ fides vera facta fuerit. Sacramentum prius susceptum vires suas exercere, libro quarto, capite decimoquinto: Et libro quinto, capite octavo dicit: Indignè quis sumens Dominicum Sacramentum non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit, Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat, etiam illis quibus dicebat Apostolus: qui manducat indignè, judicium sibi manducat. Hæc non satis considerantes Scholastici finxerunt, non tantùm ipsum Sacramentum, verùm etiam gratiam & virtutem Sacramentorum accipi & haberi sine fide, ab impœnitentibus & incredulis, cùm Augustinus ubique inculcet, aliud esse Sacramentum, aliud virtutem Sacramenti: Imò in locis jam allegatis dicit, illos qui sine vera fide, ipsum quidem Baptisma accipiant & habeant, non tamen accipere & habere remissionem peccatorum: quæ certè est gratia & virtus Baptismi. Et libro quinto, capite octavo inquit: Remissio peccatorum non consequitur Baptisma, nisi non solùm legitimum, sed etiam legitimè habeatur. Et contra Cresconium libro primo, cap. 25. cùm tractasset dictum Pauli. Qui indignè manducat, Ecce quem admodum obsunt divina & sancta malè utentibus. Et contra Epistolam Parmeniani, libro 2. cap. 6. Vnum & idem sacrificium propter nomen Domini quod invocatur, & semper sanctum est, & tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesserit, qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit: Non ait, aliis, sed sibi. Qui ergo manducat dignè, & bibit, gratiam sibi manducat & bibit. Hæc Augustinus. Nullo modo igitur Augustinus sensit, sine bono motu cordis, aut sine fide conferri, accipi & haberi gratiam Sacramentorum.

Sacramenti integritas & sanctitas.

Scholasticorum erronea opinio.

Ita quod Augustinus inquit, Epist 23. Parvulus etiamsi fidem nondũ habeat in cogitatione, non ei tamen obicem contrariæ cogitationis opponit: unde Sacramentum ejus salubriter percipit. Ex hac Augustini sententia de parvulis, Scholastici fecerunt regulam generalem: Ad accipiendam gratiam Sacramentorum ad salutem, non necessariam esse fidem, vel bonum motum cordis, interiorem, sed sufficere, ut non ponas obicem. Obicem autem vocant peccatum mortale, vel propositum ejus: quale est homicidium, libido. Incredulitatem verò seu infidelitatem, non volunt esse tale obstaculum, quod impediat, quo minus gratia Sacramentorum ad salutem accipiatur. Sed huic dogmati & Scriptura, & Augustinus ipse contradicit: sicut quædam ejus loca notavimus. De parvulorum verò Baptismo, postea suo loco dicemus. Nunc tantum obiter monstrare volui, ex quibus Augustini locis non rectè acceptis, nec satis diligenter consideratis, Scholastici occasionem sumpsisse videantur disputationis de opere operato, quod tamen vocabulũ, nec apud Augustinum, nec apud quenquam ex veteribus extat.

DE CHARACTERE.

CANON IX.

Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.

EXAMEN.

Magna & ardua res est, anathema alicui dicere, hoc est, denunciare quòd præcisus & exclusus sit ab omni gratia seu misericordia Dei in Christo Iesu, & quòd diris sit devotus ad sempiternũ exitium. Causam igitur propter quam alicui anathema dicatur, oportet esse non levem, nec dubiam, sed gravissimam & certissimam. Iam verò Tridentini, simpliciter anathema dicunt omnibus, qui non ut articulum fidei, probant & amplectuntur Scholasticorum recens & incertum commentum, de Charactere indelebili. Paucis igitur annotabimus, qualis, quàm gravis scilicet, quàm vetus, quàm certa & firma sit illa opinio. Illa enim consideratio ostendet, quanta levitate, imò quanta futilitate, Tridentina synodus ludat anathematis. Olim jactatum fuit apophthegma, Reges ludere pactis & juramentis, sicut pueri astragalis ludere solét. Nunc rectius dicitur, Pontificia conciliabula anathematis ludere, nõ secus atque pueri astragalis ludunt.

Character Pontificius.

Quia verò Gabriel disputationes Scholasticorum de charactere, in unã summam, distinctio. 6. quæst. 2. in 4. Sententiarũ, collegit: breviter quædam inde annotabo, inde enim manifestum erit, quid sit propter hanc opinionem alicui anathema dicere. Dicunt igitur, sicut hominibus certi status, datur quandoq; certus ornatus, vel signũ in corpore vel veste, quibus cognoscuntur esse illius status sive sectæ: ita etiã per Sacramenta, quibus homo ponitur in certo statu, dicunt imprimi immediatè à Deo quoddam spirituale signum in anima suscipientis Sacramentorum, quo cognoscatur suscipiens esse in tali statu. Et huic characteri, multa & varia tribuunt. Primo enim dicunt esse signum gratiæ inexistentis, vel quæ inexisteret, nisi poneretur obex.

II. signum configurativum, seu assimulatiuũ Christo, per characterem enim fingũt suscipientem ascribi familiæ Christi. 3. signum distinctivum ab alijs characterem non habentibus. 4. signum dispositivum, ad gratiam Sacramenti gratum faciẽtem. 5. signum rememorativum, per quod suscipiens reducitur in memoriam Sacra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

menti susceptí. 6. signum obligativum ad observantiam divinæ legis, sicut habitus religionis obligat portantem ad observandam legem illius ordinis. Ponunt etiam characterem esse indelebile aliquid in anima, reddens Sacramentū per quod imprimitur, initerabile. Per tria igitur Sacramenta, Baptismum scilicet, Confirmationem & Ordinem, dicunt imprimi talem characterem: sed ita, ut character Ordinis sit sextuplex specie. Atq; ita numerus characterum, superabit ipsum numerum Sacramentorum septenarium. Arduæ autem apud ipsos sunt disputationes, unde sit indelebilitas characteris: deinde etiam de quidditate characteris, an sit relatio, an verò qualitas absoluta, & in qua specie qualitatis. Dicunt autem posse esse & in prima, & in secunda, & in tertia specie qualitatis: item, posse etiam poni in prædicamenta relationis & passionis. De subjecto etiã in quo poni debeat character, variæ sunt opiniones: an ponendus sit in essentia animæ, an verò in potentia: item, an in potentia cognoscente, an verò in potentia volente. Disputatur præterea, an circumcisio impresserit characterem: item, an Baptismus sanguinis & flaminis, imprimant characterē: an etiam anima Christi in Baptismo impressus sit talis character. Et demùm descriptiones characteris tales traduntur: Character est signum spirituale, à Deo solo animæ impressum, in susceptione Sacramenti initerabilis, manens indelebiliter de lege communi: vel, est signum impressum animæ, quod est prævium gratiæ, in susceptione Sacramenti initerabilis. Item, character est quædã potestas spiritualis, ad agendum vel recipiendam aliquid in Ecclesia. Hæc fermè est sylva præcipuarum quæstionum & opinionū de charactere. Gabriel igitur & dicit & probat, vocabulum characteris, in hac quidem significatione & sententia, nec in Scriptura, nec in vetustis Ecclesiasticis scriptorib. extare: ita ut nec ipse Longobardus characteris mentionem faciat, in tali quidem significatione & sententia. Quod enim Longobardus dicit, eos qui ab hæreticis, servato charactere Christi, baptizati sunt, non esse rebaptizandos: intelligit formam verborum Baptismi, à Christo traditam. Deinde quod ad rem ipsam attinet, addit Gabriel: Nec rationem necessariam demonstrare, nec evidentem authoritatem Patrum probare, ponendum esse talem characterem, sicut dictum est. Sententias enim quæ ex Dionysio, Augustino, Damasceno & Longobardo, de charactere adducuntur, ferè & magis pertinenter ad mentem authorum, exponi de ipso Baptismi Sacramento, aut de forma Sacramentali, quàm de aliquo realiter animæ impresso, sicut de charactere dicunt. Et declaratis illis Patrum sententiis, concludit: Patet ergo quòd neque authoritate sacræ Scripturæ, neque sanctorum Patrū cogunt ponere characterem, adhunc intellectū, in quo accipitur à recentioribus Doctoribus. Rationem etiam dicit nullam esse necessariam, quæ demonstret, esse seu imprimi talem characterem. Omnia enim quæ attribuuntur characteri, æquè possunt solvi sine charactere, sicut cum charactere. Omnia enim operatur Sacramentum ipsum, sine charactere. Item illa quæ characteri tribuuntur, inveniuntur in Eucharistia, & in cæteris quæ non imprimunt characterem. Et tandem concludit, omnes rationes quæ adducuntur, esse persuasiones, non procedentes ex necessariis. Et sub finem inquit: Omnia quæ de charactere dicuntur, pro magna parte voluntaria sunt, & modica ratione fulcita. Illam etiam rationem, quæ præcipuè movit Scholasticos ad ponendum characterem, quòd scilicet Baptismus non est iterandus, ostendit Gabriel, non esse necessariam, inquit enim: Initerabilitatis Sacramentorum principalis ratio, non est characteris impressio, sed sola divina institutio. Et minus manifestum est, characterem esse, quàm Baptismū non posse iterari. hoc enim à tempore institutionis Baptismi fuit certum: illud verò, ne hodie quidem evidenter certum est. Vnam verò solam dicit authoritatē esse, quæ aliquid faciat pro charactere: quòd scilicet extra de Baptismo & ejus effectu, cap. Majores, Innocentius tertius videatur de impressione characteris in Baptismo loqui. Sed & illum ipsum locum dicit Gabriel posse aliter intelligi, cùm quidem etiam glossa ibi tale nihil dicat de charactere. Sed sit sanè hæc una prima & sola authoritas, qua opinio characteris, & Scripturæ & veterib. ignota, Ecclesiæ obtrusa est. Ex authore certè colligi potest, quale sit dogma. Ille enim Innocentius est, qui Decretales edidit: ut correctio principum in secularibus, referatur ad Papam: ut ille Imperator sit, quem Papa coronari jusserit: Hic est, qui contra Philippum Imperatorem, alium curavit creari Othonem cui adeò favit, ut nulli Archiepiscoporum pallium dare voluerit, nisi cum Papa contra Imperatorem sentiret. Et ita exitialia bella in imperio concitavit. Posteà verò ipsum Othonem, etiam fulmine excommunicationis ab imperio proturbare molitus est. Hic est qui dixit: Aut Pontifex Philippi diadema regium, aut Philippus Pontifici insigne Apostolicum adimat, Vt justo dolore Vrspergensis exclamet: Habes Roma quod fitisti, decanta Canticum: quia per malitiam, non religionem orbem vicisti. Ille igitur talis, sit sanè post natum Christum annis 1200. author novi commenti de charactere: quod & Scripturæ, & veteri Ecclesiæ ignotū fuit: Operæprecium verò est, & hoc addere, quo modo Gabriel respondeat ad hanc sententiam, quam videt posse objici: Theologus nihil debet ponere, cujus necessitas non apparet ex fide. Ita autem inquit: Credita quæcunque probantur, aut ex Scriptura, aut per determinationem Ecclesiæ, etiamsi illud determinatè non habeatur ex Scriptura: quia non potest errare Ecclesia: in his, quæ fidei sunt. Quia verò opinio de charactere ne quidē Ecclesiæ determinationem certam & expressam habet: respondet igitur Gabriel: Theologus potest aliquid ponere tanquã probabile, quod est consonum Scripturæ, & determinationi Ecclesiæ, & in nullo contrarium, licet non possit evidenter & necessariò deduci ex his quæ sunt fidei. Vnde in proposito magis videtur consonare determinationi Ecclesiæ, ponere characterem, quàm ejus oppositū, & ita communiter Schola Theologorum tenet. Et tandem inquit: Cui non placet hæc solutio, quærat aliam.

Descriptiones characteris.

Innocentius Decretales Cõcinnator.

abbas Vrspergensis.

Et

Et hæc cùm ita se habeant, Lector ex uno hoc canone colligat & æstimet, quantum fidei & authoritatis tribuendum sit Tridentinæ congregationi Romani Pontificis juratæ: quòd de recenti commento, & Scripturæ & Antiquitati ignoto, quod nec autoritate, nec ulla ratione nititur, non aliter ac de certissimo & firmissimo fidei articulo decernunt. Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet; confirmatione & Ordine, nō imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit. Nihil addā. Cùm enim unicus hic canon satis ostēdat, quid, quale & quantū, conciliabulum hoc sibi sumat, Lector admonitus, rem tantam diligentius secum considerabit & perpendet.

A recenti verò illa dubia & incerta opinione, de impressione characteris, ideo decet veram Christi Ecclesiā alieniorem esse, quia labefactat fundamentum dogmatis: cujus certitudo, propter conscientiarum cōsolationem, omnino necessaria est. In doctrina enim, quòd Baptismus legitimè juxta Christi institutionem collatus, non sit iterandus, & propter quas causas non sit iterandus, de re magna agitur: quo scilicet fundamento, qua certitudine, & quo firmamento consolatio illa nitatur quòd pactum gratiæ, quod in Baptismo Deus nobiscum inijt, perpetuum sit, quod servare velit, etiamsi ab eo discedamus, si modò in vera pœnitentia per fidem ad illud redeamus.

Baptismi iterabilitas.

Hanc tantam rem, atq; adeò necessariam, à vera & solida petra institutionis dimovent, & fluxæ arenæ superædificant: ut scilicet non sit certior consolatio, quàm certum est talem, sicut ipsi comminiscuntur, characterem animæ imprimi per Baptismum. Atqui quàm recens, incerta & infirma sit opinio de charactere, ipsis Scholasticorum verbis, jam ostendimus. Sed forsan ideò à fundatissimo consolationis hujus firmamento, quod in Scriptura extat, discesserunt, & aliud lubricum & commentitium substituerunt: quia fingunt, lapsis post Baptismum, non esse amplius utile & ratum illud fœdus gratiæ, in quod per Baptismum recepti fuerant, quia dissolutum & fractum sit: sed ad secundam tabulam, nostram scilicet contritionem & satisfactionem esse confugiendum: ut per illam ex pelago perditionis, ad portum salutis enatemus: sicut Decretum de pœnitentia ostendet, Sed vera fundamenta doctrinæ, de non iterando Baptismo, in XI. Canone de Baptismo explicanda erūt. Illud verò quod Baptismi proprium est, ut scilicet non iteretur, posteà ad Confirmationem, & ad suos Ordines transtulerunt: & de illorum præcipuè charactere, magis quàm de ipso Baptismo, digladiantur & præsumunt. In reliquis verò Sacramentis disputant de impressione ornatus cujusdam, qui similis fermè sit characteri: de quo tamen ornatu, inter ipsos nondum convenit. Forsan autem tàm pertinaciter Deus ipsos finit dimicare, pro utenda opinione characteris, in Confirmatione & Ordinibus, ut manifestum fit, apud quos sit & reperiatur character ille, cujus multa fit mentio, Apoca 13.14.15. 16.19.& 20.

DE MINISTRIS SACRAMENTORVM.

CANON X.

Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo & omnibus Sacramentis administrandi habere potestatem, anathema sit.

EXAMEN.

Verba quæ in hoc Canone damnant, excerpserunt ex Lutheri libello, de Captivitate Babylonica. Sed & verba mutilarunt, & sententiam depravarunt, vt Luthari doctrinam invisam redderent imperitis, quasi perturbatrix esset omnis divini, & humani ordinis in Ecclesia. Sed Lutherus nunquam sensit, quemvis Christianum promiscuè, sine legitima vocatione vel posse, vel debere sibi arrogare vel usurpare ministeriū verbi, & administrationem Sacramentorum in Ecclesia: imò Pontificijs vel stertentibus, vel ferro tantùm & flamma disputantibus, Lutherus contra varias Anabaptistarum sectas, ex verbo Dei monstravit, neminem debere, etiamsi sit doctissimus, ministerium verbi & Sacramentorum in Ecclesia usurpare, sine peculiari & legitima vocatione. Et Ecclesiā seriò admonuit, ne permittat illos ministerium verbi & Sacramentorum exercere, qui non habent legitimæ vocationis testimonia: quia scriptum est. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Rom. 10. Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, Ierem. 23.

Et cùm per totum mundum Lutheri scripta, sonora voce clamitent, illustratā ab ipso esse doctrinam Scripturæ de legitima vocatione ministrorum verbi & Sacramentorū mirari aliquis posset, quare in hoc Canone, mutilata & depravata Lutheri verba, dissimulata ipsius sententia, damnare voluerint. Sed urit ipsos, quòd Lutherus in illa disputatione attingit superciliū, imò verius tyrannidem, quæ in regno Pontificio arrogatur, & mitris Episcoporum, & rasuris sacrificulorum. Persuasione enim corporalis unctionis, rasuræ, vestium, &c. laicos tanquam porcos & canes præse contemnebant: imò hoc prętextu quid vis in verbo & Sacramentis, quasi pro imperio & potestate mandabant, mutabant, addebant, &c. Et quidem etiam opus operatum, hoc est, integritatem & efficaciam Sacramentorum, ex parte constituebant in charactere, quem fingebant in ordinatione imprimi: sicut suprà ex Petro de Palude notavimus. Contra has tyrannicas persuasiones Lutherus ex verbo Dei docuit, Christū claves, hoc est, ministerium verbi & Sacramentorum tradidisse & commendasse toti Ecclesiæ: non autem ita, ut quisq; suo arbitratu, & privata temeritate, sine legitima vocatione, ministerium illud arriperet & usurparet: sed quòd postquam desiit immediata vocatio, mittat Deus ministros verbi & Sacramentorū, per vocationem & electionem Ecclesiæ, si fiat juxta verbi sui præscriptū: ita ut summa potestas verbi & Sacramentorum sit penes Deum: deinde ministerū sit penes Ecclesiā, ut per quam Deus mediatè vocat, eligit, & mittit ministros: tertiò

Lutherus illustrator doctrinæ de legitima vocatione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

deinde penes illos qui à Deo per Ecclesiam legitimè electi & vocati sunt, ut penes ministros, quibus mandata est usurpatio seu administratio ministerij verbi & Sacramentorum.

Hac distinctione quæ vera & plana est, Lutherus reprimere voluit supercilia sacrificulorum: qui illa persuasione inflati erant, quasi soli potestatem meram & mixtam haberent in verbo & Sacramentis, ita ut Sacramenta valeret propter impressum ipsis, nescio quem characterem ordinis. Et ne reliqua Ecclesia vel tacito gemitu dicere auderet, Quid facitis? prætendebant Ecclesiã reliquam nullam planè habere potestatem in verbo & Sacramentis. Hoc ulcus quia Lutherus attigit, & ex verbo Dei sectionem adhibuit, illud verò est, quod Pontificios cum dolore post tot annos hodie adhuc urit, & malè habet. Et hæc est causa, quare ex illa Lutheri disputatione, verba quædam mutilata & depravata, in hoc canone citare & damnare voluerunt.

Obliquè verò, & quasi aliud agentes hoc axioma petunt: Neminem, etiamsi legitimè juxta præscriptum verbi Dei, ab Ecclesia electus & vocatus sit, nisi ab Episcopo aliquo unctus & rasus sit, habere ullam potestatem in verbi & Sacramentorum administratione: & Sacramenta ab illis administrata, non esse vera & efficacia. Has insidias Lector intelligat, occultatas in hoc Canone.

Quod verò ad ipsam sententiam decimi hujus Canonis, sicut verba posita sunt, attinet, planè & clarè respondeo: Si qui existimant cujvis Christiano promiscuè sine peculiari & legitima vocatione permissam esse potestatem usurpandi & exercendi ministerium verbi & Sacramentorum in Ecclesia: eos jure & meritò damnari. Pugnant enim contra regulam divinam: Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint? Item: Currebant, ego non mittebam eos. Item contra regulam Pauli: Vt omnia ordine & decenter fiant in Ecclesia. Casum verò necessitatis Ecclesia semper excepit: ut testatur Hieronymus adversus Luciferianos, & Augustinus ad Fortunatũ. Sed quæ sit legitima & divina vocatio ad ministerium Ecclesiæ, postea in loco de Ordine explicandum erit.

Quorsum respiciat to. Canon.

DE INTENTIONE.

CANON XI.

Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.

EXAMEN.

Hujus Canonis examen liquidò monstrabit, Pontificios in conciliabulo Tridentino congregatos, hoc sibi propositum habuisse, non ut in recentioribus Scholasticorum commentis, quæ post meliora tempora Patrum, sine Scripturæ authoritate, & sine antiquitatis testimonio, in Ecclesiam irrepserunt, aliquid ad normam verbi Dei corrigant: sed ut omnes opiniones, quæ hactenus in regno Pontificio agitatæ fuerunt qualescunque etiam sint, quoscunque habeant authores, etiamsi nec Scripturæ, nec antiquitatis idoneã habeant testimonia, simpliciter retineantur & stabiliantur: idq; ut facilius fiat, non argumentis & rationibus, sed nudis anathematis pugnatur. Multum siquidem ipsorum interest, ne vel species aliqua mutationis, in præsenti forma regni Pontificij admittatur: id quod fieri judicaretur, si usitatis Scholasticorum opinionibus correctionem aliquam ex regula Scripturæ adhiberent. Illud igitur tam solicitè cavent, ut in hoc Canone, sicut & in plerisque alijs, ipsos Scholasticorum terminos repetere & retinere voluerint. Et nisi quis nudæ asseverationi, sive Scripturæ documentis, & antiquitatis testimonijs assentiatur, statim fatua suorum anathematum crepitacula expediunt.

Et illud quod dixi, in undecimo hoc Canone manifestissimum est. Dogma enim illud, quod ad veritatem Sacramenti necessaria sit talis intentio ministri, quæ non tantùm respiciat ipsum actum conferendi Sacramenta, juxta formã institutionis, sed quæ respiciat etiam finem Sacramenti, ut scilicet intentione sua minister velit illud fieri, propter quod Sacramentum institutũ est: illud inquam dogma, in Scriptura nullum habet fundamentum: imò pugnat cum veritate Sacramentorum, quam Scriptura tradit nitì nõ moribus, fide vel intentione ministri, sed institutione Dei, si ejus forma servetur. Tota etiam vera & purior antiquitas ignorat periculosam, imò perniciosam illam opinionem Alensis, quòd Sacramentum non sit verum & efficax, si minister malitiosè subtrahat interiorem suam intentionem, etiamsi in actione seu administratione servet formam institutionis. Iucundum autem & utile fore arbitror, si proponatur considera-

Disputatio de intentione occasio.

tio, quomodo quæstio illa apud veteres disputata fuerit, & quomodo sensim inclinatio fieri cœperit, donec progressu temporis, dogma Pontificum de necessitate intentionis ministri, inde exculptum sit. Augustinus igitur de Baptismo lib. 7. cap. 53. movet has quæstiones: I. Si quis fallaciter hoc est animo simulato in Ecclesia accipiat Baptismum. II. Si quis in mimo cum fide accipiat. III. Si quis ab eo qui non est baptizatus, accipiat Baptisma. IIII. Si tradens Baptismum in Ecclesia fallaciter agat. Et de his quæstionibus Augustinus primum in utranque partem disputat. ita enim inquit: An quantum ad ipsos quidem attinet homines, plurimum distat inter eum qui fide Baptismum accipit à mimo, & qui animo simulato in Ecclesia Baptismũ accipit. ad ipsius autem Sacramenti integritatẽ, nihil interest. Si enim nihil interest ad integritatem Sacramenti, in ipsa Catholica, utrum id aliqui fallaciter an veraciter agant, cùm hoc idẽ utrique agant: quomodo extra Ecclesiam interfit, non video, quando ille qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces inter quos agitur, quàm ad frustrandũ illi fallaces à quibus agitur, & in quibus agitur: & tamen si postea prodatur, nemo repetit. Sed nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali

nali concilio cœpta, nullo plenario concilio terminata sunt, &c. Et mox subjungit: Veruntamen si quis fortè in eo me concilio constitutum, vbi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorũ sententias sequi mallem, urgeret ut dicerem quid ipse sentirem: si eo modo affectus essem quo eram cùm ista dictarem, nequaquam dubitarem, habere eos Baptismum qui ubicunque & à quibuscunque illud, verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & aliqua cum fide accepissent, &c. Item præteritis majorum statutis non dubito, etiam illos habere Baptismum, qui quamuis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur Ecclesia, ab eis, in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est: Ex nobis exierunt. Vbi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille qui acciperet ita crederet, sed totum ludicrè & mimicè & joculariter ageretur: utrum approbandus esset Baptismus qui sic daretur, divinum judicium, per alicujus revelationis Oraculo, orationi implorandum esse censerem: ita sanè, ut post me dicturos sententias, si quid jam exploratum & cognitum afferrent, humiliter expectarem. Hæc Augustinus, pro solita sua verè Christiana modestia, usque adeò autem ex institutionis veritate & certitudine, non ex hominum, sive dantium, sive accipientium, qualitate vel qualitate vel intentione, vult metiendam esse veritatem & integritatem Sacramentorum, ut ne quidem de mimica seu joculari actione pronunciare ausit.

Intentio quid.

Longobardus posteà suo tempore indicat illã quæstionem, de ludicra vel jocular Baptizatione, ut cùm aliquis in Balneum vel in flumen merguntur, in nomine Trinitatis, ita disputatũ fuisse sapientib. ut visum fuerit non esse Baptismum, quia non intentione baptizãdi illud geratur. Et addit: Nam & in hoc, & in alijs Sacramentis, sicut forma est servanda, ita & intentio illud celebrãdi, est habenda. Intelligit autem Longobardus intentionem, de ipso actu baptizandi, nõ de fine & effectu Baptismi. Mox enim subjungit illã Augustini sententiam: Illud te non moveat, quòd quidam non ea fide parvulos ad Baptismum ferunt, ut per spiritum ad vitam regenerentur æternã sed eos putant hoc remedio, temporalem accipere sanitatem, non enim propterea illi non regenerantur, quia nec ab illis hac intentione offeruntur. Et hæc quidem Longobardi sententia, de intentione celebrandi actione Baptismi, nihil aliud vult, quàm institutionem servandam esse, ut sit verum Sacramentum. Non enim hoc vult institutio Baptismi, ut fiat vulgaris aliqua lotio, vel quæ ex professo nihil aliud sit, quã vel ridiculus lusus, vel mimica subsannatio, vel prophanatio institutionis cum recitatione verborum. sed requirit, ut peculiaris instituatur actio & quidem illa actio, quam Christus instituit. Et hoc sufficit ad servandam institutionem. Quid verò in corde de illa actione sentiat is, qui administrat Baptismũ, hoc ad veritatem sive integritatem Baptismi non pertinet: neque hoc vult Longobardus. Notum etiam est judicium Episcoporum, de facto Athanalij, Qui puer ludens in littore maris, Episcopum se esse finxit, & more Episcopi pueros ludentes tinxerat in nomine Trinitatis. Quam Historiam describit Sozom. libro 2. cap. 17. & Ruffinus in 10. lib. Euseb. cap. 14.

Et illa sententia etiam post Longobardi tempora mansit. Innocentius enim (sicut allegat Angelus in Summa) sensit ad veritatem seu integritatem Baptismi, non necessariò requiri, quid minister sciat, sentiat vel credat, de Baptismi, vel substantia, vel effectu, imò si contrariũ credat, & existimet esse deceptionem Baptismum, tamen verum esse, modò juxta institutionem baptizet. Ita etiam non requiri, tanquam necessarium ad veritatem Baptismi, ut baptizans vel sciat quid sit Ecclesia, vel ut gerat in mente facere quod facit Ecclesia: imò si contrarium gereret in mente, hoc est, non faceret quod facit Ecclesia: si tamen illud faciat, hoc est, si formam institutionis servet. Disputat igitur hoc tantùm requiri, ut minister baptizans intendat, vel saltem ut appareat quòd velit seu instituat non lavare tantùm, sed baptizare. Hac verò sententia, Scholastici non cõtenti, longè ulterius in hac disputatione progressi sunt. Docuerunt enim ad veritatem Baptismi requiri non tantùm formam institutionis, verum etiam intentionem ministri, eamq; non tantùm respectu actus baptizandi, ut objecti, sed etiam respectu effectus Baptismi, qui est ejus finis & terminus. Ideò tria ponunt: Baptizationem, verba & intentionem: & illa tria sentiunt simul requiri ad veritatem seu integritatem Baptismi, ita ut neutrũ sine altero sufficiat. Quia verò animadvertunt, hac ratione omnino dubiũ & incertũ reddi Baptismũ, varias excogitarunt distinctiones, quib illis incõmoditatib. mederentur: aliã scilicet esse intentionẽ specialẽ, quæ vult & intendit illud fieri, propter quod institutus est Baptismus, aliam esse generalem, quæ vult & intendit illud fieri, quod Ecclesia in Baptismo intendit, licet baptizãs illud vel ignoret vel nõ credat. Et hanc rursus distinguunt in actualem, habitualem, & virtualem. Dicunt igitur, ad veritatem Baptismi requiri intentionem ministri, respectu effectus Baptismi generalem & virtualem, faciendi quod facit & credit Ecclesia. Si verò minister, apud se non intenderet quod Ecclesia intendit, sed quod hæresis intendit, non esset verum Baptisma. Sed hisce variis distinctionibus conscientiam cum dubitatione reluctantem, nihil relevari, ipsi fatentur. Cùm enim alterius interior intentio, mihi non possit esse nota: si illa tamen necessaria sit ad veritatem Baptismi, necesse erit baptizatum semper manere dubiũ de sui baptizatione: & ita nunquam poterit certus esse de salute sua. Respondet autem Alensis: Baptizandum committẽdum esse ministro, qui non sit suspectus, sed probatus in fide: & ita posse haberi vehementem præsumptionem, quæ salutì adulti cum propria intentione sufficiat. Nam si fortè minister subtraheret interiorem suã intentionem, non esset quidem verum Sacramentum: salvaretur tamen adultus Baptismo flaminis, hoc est sua pœnitentia & charitate, sine Baptismo. Sed si in Baptismo parvuli, minister subtraheret intentionem, & ita parvulus non esset verè baptizatus: quærunt igitur, si ante usum rationis decederet, an damnatus esset? Et respon-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dent Alexander & Thomas, in illo casu piè posse supponi, sine præjudicio tamen, quòd summus Sacerdos suppleat quod deficit Sacramento. Et Gabriel addit: Hoc est benè notandum, quia est valdè consolatorium. Sed quare non retinent vera fundamenta consolationis: ut scilicet veritas Sacramentorum æstimetur, non ex ministri incerta intentione, sed ex veritate & certitudine divinæ institutionis? Addunt tamen, si summus sacerdos non suppleat illud, non accusari posse justitiam divinam, etjamsi parvulo baptizato quidem juxta institutionem Christi, sed sine ministri intentione, non remittat peccata. Hæc fermè sunt, quæ de intentione, in administratione Sacramentorum apud Scholasticos disputãtur: quæ quo minus à nobis fingi viderentur, ipsorũ verbis ex Gabriele describere volui: ut lectores commonefacti sciant & cogitent, quibus de rebus in hisce Tridentinis Decretis & Canonibus agatur: ne quis existimet, nullam subesse veram & gravem causam, quare illis assentiri nec velimus nec possimus, nec etjam salva fide & bona conscientia debeamus. Cùm enim ex hac recitatione constet, quæ de hac quæstione sit Scripturæ, quæ veteris Ecclesiæ sententia, quæ Augustini modesta ἐπιείκεια, quæ mediæ ætatis disputationes: quæ verò recentiorum sunt opiniones, fidei certè, & salutis certitudini periculosissimæ: coit jam Tridentina congregatio, datura specimen ejus emendationis, quæ titulo Concilij per multos annos promissa, & à Christiano orbe expecta fuit. Quid autem quæso discernit de illis recentibus Scholasticorum opinionibus? an intentio ministri talis, sicut ipsi tradunt, ad veritatem sacramenti necessaria sit? Ita inquit Canon undecimus: Si quis dixerit, in ministris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit. Audis ipsas voces Scholasticorum repeti, & opiniones ipsorum non argumentis, sed anathemate confirmari. Non igitur vel Scripturam, vel antiquitatem curant: neque hoc sibi propositum habent, ut opiniones, quæ sine Scripturæ autoritate, & sine veris antiquitatis testimoniis per recentiores Scholasticorum disputationes, in Ecclesiam invectæ sunt, ad normam Scripturæ, & antiquitatis conformitatem, corrigantur: sed ut simpliciter omnia, quæcunque & qualiacunque sunt, quę quoquo modo in regno Pontificio, usitata & recepta fuerunt, unde etjã cunq; habuerint originem, sine minima vel suspicione emendationis & correctionis, retineantur & stabiliantur. Neque hoc prætereundum est, quare opinionem illam de intentione, tam diligenter & seriò defendant: ut quòd antiquitas ignoravit, de quo Augustinus asseverationẽ susp̃edit, illud jam sine documentis, sola anathematis interminatione, tanquam certissimus fidei articulus, credendum obtrudatur. Dogma verò de dubitatione, est Helena illa. In VI. enim sessione, cap. 9. sanxerunt, nemini peccata dimitti, qui in fiducia & certitudine remissionis peccatorum, juxta promissionem acquieverit. Nullum enim scire posse certitudine fidei, cui non possit subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Et hujus dogmatis Iesuitæ reddunt hanc rationem: quia promissio non loquatur de me aut de te, sed sit generalis: & fides sit generalium pronunciatorũ. Iam verò in actione Sacramentorum, promissio gratiæ non in genere proponitur, sed applicatur ad singulos, fide Sacramentis utentes: & quidem ideò instituta sunt, ut illam applicationem ad singulos obsignent, confirmẽt & certificent. Quia igitur vident verum & salutarem Sacramentorum usum, directè & adversa fronte pugnare contra dogma de dubitatione: varios cuniculos agunt, ut solidam, certã & firmam consolationem, quæ credentibus in usu Sacramentorum proponitur, quantum in ipsis est, labefactent, subruant & evertant. Et ad hunc finem tendit etjam hic Canon. Si enim veritas & efficacia Sacramentorum ex divina institutione pendẽre doceatur, animadvertunt, fidem in usu Sacramentorum habere consolationis & certitudinis portum tutum, anchoram firmam, & petram inconcussam. Vt igitur hæc enervent, infringant & subvertant, finguntad veritatem Sacramentorum, præter divinam institutionem, requiri etjã ministri intentionem, ita ut etjamsi Sacramenta juxta institutionem Christi ritu legitimo administrentur, si minister interiorem suam intentionem vel nõ adferat, vel subtrahat. Sacramenta non sint vera, nec efficacia. Cùm verò alterius cogitatio, & interior intentio, mihi nunquam nota, & certò perspecta esse possit: cõsequitur hinc, suspensum, dubium, & incertum esse & manere, quicquid fidei in Sacramentis ad consolationem proponitur.

Scopus Pontificiorum in hoc anathematismo.

Summa hujus loci & Canonis & scopus.

Baptismi efficacia.

Hanc Pontificiorum machinationem, Lector in undecimo hoc Canone diligenter expendat. Non enim de lana caprina rixæ sunt, quando de intentione disputatur, sed de re magna, & de cõsolatione, quę conscientiis necessaria est, agitur: an scilicet fides, veritatem & efficaciã Sacramentorum quærere & constituere debeat in veritate Dei instituentis, & in virtute Dei promittentis, & juxta promissionem in actione Sacramentorum operantis: an verò divina illa veritas & virtus suspendenda sit ab hominis ministri cogitatione, fide & intentione? Scriptura certè tradit, administrationem quidem Sacramentorum, ut juxta institutionem administrentur, commendatam esse ministris, tanquam causæ instrumentali: virtutem verò & operationem veritatis & efficaciæ Sacramentorum, esse actionem & munus ipsius, & quidem solius Dei. Pater enim salvat per lavacrum regenerationis, Tit. 3. Christus mundat & sanctificat Ecclesiam, per lavacrum aquæ in verbo, Ephes. 5. Baptimus est lavacrum regenerationis & renovationis, non ministri, sed Spiritus sanctus, Tit. 3. & sicut Paulus Phil. 1. tradit & affirmat, verbum Evangelij quando ita prædicatur sicut divinitus patefactum est, verũ esse & virtutem Dei esse, ad salutem omni credenti: etjamsi ille qui annunciat, vel non adferat, vel subtrahat intentionem, hoc est (sicut Paulus loquitur) si non bona voluntate, non animo puro & sincero, nec ex dilectione, sed per invidiã, ex contentione, & per prætextum prædicet. Eadem certè ratio esse debet etjam in Sacramento, quod est verbum visibile: ut fides statuat, Sacramentum verum esse, & habere veram efficaciam,

Institutio divina nõ sine damno mutatur.

etiam, quando juxta institutionem administratur, quicquid minister vel cogitet, vel credat, vel intendat, modò institutionem Christi in administratione servet. Sicut enim quando ipsa Evangelicæ prædicationis puritas vitiatur & depravatur, jam non est verum Evangelium, nec virtus Dei ad salutem credenti: ita quando in actione seu administratione Sacramentorum, ipsa institutio mutatur, mutilatur, aut depravatur, tunc certum est, non esse verum Sacramentum. Verbum enim institutionis accedens ad elementum, facit Sacramentum. Hæc sententia simplex, vera & certa est, præbens conscientiis utilem, firmam & necessariam consolationem, quam eripi nobis non patiamur: & pertinet ad gloriam Dei, ne ipsius veritas, ex hominis ministri intentione, quæ nobis nec nota nec certa esse potest, æstimetur: & ne fides hæreat in homine ministro, sed nitatur veritate & virtute Dei, instituẽtis & promittentis.

Distinctæ autem, & multum diversæ sunt duæ hæ quæstiones. 1. Quid ad veritatem & integritatem Sacramenti requiratur, & necessarium sit. 2. Quid à ministro requiratur, ut quantum ad suam personam, fidelis & bonus sit, quo animo, qua fide, intentione & devotione Sacramenta tractare debeat, ne (sicut Paulus inquit) alijs prædicans & ministrans, ipse reprobus efficiatur. Ministrum enim, qui animo prophano, irriforio, negligenti & irreverenti, Sacramenta tractat, peccare non est dubium. Sed hæc ministri vitia, si tamen Sacramenta juxta Christi institutionem administret, non possunt Dei veritatem irritam facere. Non enim ad substantiam & veritatem Sacramenti pertinet vel qualitas, vel fides, vel devotio ministri. Hanc distinctionem Longobardus libro quarto, distinctione 5. elegantissimis Augustini sententiis illustrat. Ego dico, inquit Augustinus, & nos dicimus omnes, quia justos oportet esse per quos baptizatur, justos oportet esse tanti judicis ministros. Sint ministri justi, si volunt: si autem noluerint esse justi qui sedent in cathedra Moysis, securũ me facit magister meus Christus, de quo Spiritus sanctus dicit: Hic est qui baptizat. Item: Quos baptizauit Iudas, Christus baptizavit. Si quis ergo baptizavit, ebriosus, homicida, adulter, si Christi erat Baptismus, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, nec ebriosum, nec homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est qui baptizat. Item. Baptismus talis est, qualis est ille, in cujus potestate datur: non qualis ille est, per cujus ministerium datur. Et alio loco: Habent ergo nõ modò boni, sed etjam mali, ministerium baptizandi, sed neutri potestatem Baptismi. Ministerium enim dedit Christus servis, sed potestatem sibi retinuit. Et rationem addit, quare hanc potestatem non dederit servis: Ne scilicet servus in servo spem poneret.

Ex Isidoro etjam Longobardus citat: Non hominem qui baptizat, sed spiritum Dei submistrare gratiam Baptismi, licet Paganus sit qui baptizat.

CANON XII.

Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.

De hujus Canonis sententia, nulla est inter nos controversia. Illam enim nostri ex Scripturę fundamentis contra Anabaptistas, errorem Donatistarum renovantes, strenuè defenderunt, & deliria Donatistarum solidè refutarunt. Nihil igitur hoc loco addam. Et enim potissimùm, quæ in Concilij hujus Decretis controversa sunt, examinare instituimus.

DE RITIBVS IN ADMINISTRATIONE SACRAmentorum.

CANON XIII.

Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solenni administratione Sacramentorũ adhiberi consvetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.

EXAMEN.

Principiò Lector observet, quàm callidè posita sint verba in hoc Canone. Omnes enim ritus, qui sub Papatu in administratione Sacramentorum adhiberi consveverunt, appellant receptos & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus: cùm non ignorent plerosque ex illis, nec semper à tempore Apostolorum nec ubiq; in omnibus Ecclesiis receptos & usitatos fuisse. Sciunt etjam, multos ex vetustissimis ritibus, per posteros abolitos, & in novos commutatos esse. Cumq; non ignorent, quam libertatem verbum Dei Ecclesiæ in hujusmodi ritibus concedat: infidiosè addunt, non debere hoc fieri pro lubito, per quemcunque Ecclesiarum pastorem. Et sanè ordinis & decori gratia, etjam in externis adiaphoris, non est cuivis, sine Ecclesiæ judicio & consensu permittendum, ut ex petulantia, pro libidine quidvis vel omittat, vel permutet. Sed lõgè aliud est quod Canon iste parturit: Pontificem scilicet solum, cum mitrata, infulata & cornuta sua caterva, posse pro libito veteres, & quidem Apostolicos ritus omittere, & in novos commutare: & illis deinde Ecclesiam ita obligari, ut minister etjamsi formam institutionis divinæ, legitimè servet, atrociter tamen & mortaliter peccet, si quid ex Pontificijs ritibus omittat. Econtrà verò, quando minister tantùm Pontificijs ritibus servit, etiamsi Cœnam Dominicam unà sui parte mutilet, & totam actionem Sacramenti in diversum genus sacrificij transformet, nihil quicquam peccare, sed cultũ Deo gratissimũ præstare fingitur. Et tandem summa eò redit, ut in administratione Sacramentorum, major habeatur ratio rituum, qui ab hominibus inventi & recepti sunt, quàm ceremoniarum, quæ ipsa filij Dei voce institutæ & mandatæ sunt: id quòd mutilatio Cœnæ Dominicæ tantùm

Scopus huius Canonis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tantùm non clamat. Hoc igitur est, quòd XIII. hic Canon machinatur, ut Ecclesiæ semel in universum, pars illa Christianæ libertatis tollatur, ut nisi prælatis Pontificijs ita videatur in hujusmodi ritibus, ne minimum quidem liceat vel omittere, vel mutare: etiamsi ex verbo DEI deprehendantur, vel ædificationi non servire, vel citra impietatem servari non posse. Quia verò nō tam malè audiunt, quin ad aures ipsorum totius fermè orbis justissimę querelæ pervenerint, de superstitione & abusu quorundam rituum, de moderanda & corrigenda onerosa multitudine, & præcipuè de impijs opinionibus, quæ ex humanis constitutionibus & inveterata consvetudine, postremis potissimum temporibus, in administrationem Sacramentorum irrepserunt: judicarunt in Concilio ejus rei mentionem aliquam esse faciendam. Num verò spem aliquam ostendunt moderationis, levationis & emendationis in ritibus istis Pontificijs, & annexis superstitiosis opinionibus? Nihil profectò minus. Quin execrandum anathema dicunt, nisi quis omnes illos ritus, cum opinionum illarum appendicibus, credat esse illius Catholicæ Ecclesiæ ritus, quam Nicænum Symbolum definit esse Apostolicam: & pronunciant peccatum esse, si vel minimum in istis ritibus omittatur vel mutetur. Sibi tamen solis, in hoc genere plenam potestatem, quia illa ante hac sæpe usi sunt, constituendi, omittendi, addendi & mutandi reservant.

Præcipua capita in disputatione de ritibus.

Vt autē ad rem ipsam accedamus, utq; ea, quæ in genere ad disputationem, de ritibus in administratione Sacramentorum pertinent, simpliciter & ordine explicari possint, breviter quædam de præcipuis capitibus annotabo, qui scilicet ritus mandatum & testimonium habeant in verbo Dei: qui postea à patribus, & quo consilio additi sint: quomodo à prima origine cœperint degenerare: & quæ sit regula Christianę libertatis, in usu talium rituum in Ecclesia.

Quando ergo quæritur, an administratio Sacramentorum, sine certis & peculiaribus quibusdam externis ritibus fieri debeat? Responsio plana & manifesta est. Ipsa enim appellatio & definitio Sacramenti hoc complectitur, ut adsit ibi visibile & externū aliquod elementum, ad quod verbum accedere oportet: utq; tota actio certo modo, & peculiari ceremonia divinitus instituta tractetur & administretur. Illud verò, quomodo fieri debeat, certo & manifesto verbo Dei, in Scriptura expressum, & Ecclesiæ præformatū est, ut scilicet illa signa & illa verba usurpentur, quæ in institutione cujusque Sacramenti Deus ipse instituit & præscripsit, & quidem eo modo tractentur & usurpentur, sicut institutio ordinat & præcipit. Hi ritus substantiales & necessarij sunt, in administratione Sacramentorū: sunt enim ipsius institutionis executio. Deinde ex Scriptura non obscurè colligitur, Ecclesiam Apostolicam in administratione Sacramentorum solicitè hoc servasse, ne essent muta spectacula, sed ut doctrina de substantia, usu & efficacia Sacramentorum, præsentibus, & Sacramenta suscepturis, fideliter ex verbo Dei, & lingua ipsis usitata & nota proponeretur & explicaretur, utq; illi, qui usuri erant Sacramentis, rectè instituti, diligenter admonerentur de legitima & salutari Sacramentorum susceptione. Ita Historia Actorum, & Paulus 1. Corin. 11. administrationem Baptismi & Cœnæ Dominicæ describit, ex illis fundamentis institutionis: Prædicate Evangelium. Item, Qui crediderit. Et: Hoc facite in mei commemorationem: Annunciate mortem Domini. Probet se homo, &c. Adhibitas etjam fuisse preces & gratiarum actiones, ex ipsa Sacramenti institutione sumptas, scriptura manifestè testatur. Institutio enim testatur, Christum gratias egisse, & illud Ecclesiæ faciendum mandavit: Hoc facite. Et Paulus inquit: Mortem Domini annunciate. Item Actor. 22. Baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine Iesu.

Et fundamenta quidem Scriptura ostendit, unde sumi debeant explicationes, exhortationes, preces & gratiarum actiones: ex institutione scilicet, & ex doctrina de Sacramentis, sicut in verbo Dei traditur. Non autem præscribit, conceptis verbis certam formam: sed hoc pro ratione circumstantiarum, ad ædificationem liberum permittit, modò fundamentum servetur. Hæc sunt, quæ in administratione Sacramentorū principaliter observanda & exigenda sunt: quæ scilicet in institutione præscripta sunt, quæq; habent testimonium & exemplum Scripturæ: vt omnia fiant decenter, ordine, & ad ædificationem.

Expendatur autem hoc loco, quàm iniqui exactores sint Pontificij. Pro humanis enim suis ritibus, in administratione Sacramentorum, ita pugnant, ut ne unius quidem illarum ceremoniolarum omissionem, sine peccato & sine periculo anathematis liberam permittant. Eorum verò, quæ in administratione Sacramentorum, divinitus mandata sunt, quæq; Scripturæ testimonium & exemplum habent, nullo modo tam diligentem habent rationem, imò rigidi isti humanorum rituum exactores, liberum sibi permittunt in iis, quæ Scripturæ mandatum & testimonium habent, quando libet aliquid omittere, addere, mutare, &c.

Institutio enim loquitur de usu calicis, & Paulus addit: Hoc facite donec veniat. Pontificij verò calicem ex administratione Cœnæ Dominicæ, pro sua libidine tollunt, & quando ipsis videtur, quibus etjam videtur se illum reddere posse, & verbis gloriantur, & nunc re ipsa ostendunt. In suo Canone ex verbis institutionis expungunt hæc verba: Pro vobis traditur. Econtrà verò, alia quædam superaddunt & infarciunt in ipsam institutionem: ut elevatis in cœlum oculis, item mysterium fidei, &c. Et Bonaventura libro quarto, distinctione octava, quæstione secunda, quærit, utrum sequendum sit, cùm Canon aliter habeat, quæ vel Evangelistæ, vel Paulus: scilicet, Hic est calix sangvinis mei. Respondet autem, Evangelistas & Paulum tantùm historiam narrare: formam verò consecrationis à Romana Ecclesia sumendam esse. Atque ideò potius verba Canonum quàm vel Evangelistarum vel Pauli sequenda & usurpanda esse. Et hi sunt, qui non tantùm quiritantur, sed mox anathemata sua vibrant, si in ipsorum ritibus vel minutulum aliquid sive omittatur, sive mutetur.

Noto-

Notorium & manifestum est, in regno Pontificio, in administratione Sacramentorum, vel planè negligi commonefactiones & exhortationes de vero & salutari Sacramentorum usu: vel lingva peregrina, & populo ignota, ita tractari, ut populus inde ædificari non possit. Multæ usurpantur preces, quæ institutioni & doctrinæ Sacramentorum non sunt conformes, & si quid in illis boni est, solicitè tamen cavetur, ne illud à populo vel exaudiatur, vel intelligatur. Ideò enim præter peregrinam linguam, secretam murmurationem Canonis instituerunt, ne fortè populus ad preces & gratiarum actiones possit Amen dicere, 1. Corinth. 14. Hæc opponenda sunt illis, qui de observatione & conformitate humanorum rituum, in administratione Sacramentorum: non tantùm plausibiliter concionantur, sed anathematis suis terribiliter fulgurant. Verè enim colant culicem, & camelum deglutiunt, Matthæi vigesimo tertio. Relinquentes enim mandatum Dei, tenent traditiones hominum, Marci 7. Imò propter traditiones suas, mandatum Dei transgredi non verentur, Matthæi 15.

Si juxta normam Scripturæ, ad ædificationem Ecclesiæ, legitima reformatio rituum in administratione Sacramentorum quæreretur, principaliter ratio habenda esset eorum quæ in institutione Sacramentorum, ab ipso DEO præscripta sunt, quæq; habent Scripturæ testimonium & exemplum: ut si quid peregrini illis intermixtum inveniretur, resecaretur: si quid vel omissum, vel mutatum esset, restitueretur. Hæc esset vera, pia, solida & salutaris reformatio. Sed purulentum hoc Pontificij corporis ulcus, ne attingunt quidem in hoc Canone: imò si quid horum inveterato abusu receptum sit, illud jubent pro approbato Ecclesiæ Catholicæ ritu haberi, & sub anathemate prohibēt, ne quid mutetur.

Ritus in primitiva Ecclesia.

Et hæc sunt, quæ in administratione Sacramentorum, Scripturæ testimonium & exemplū habent. Et post Apostolorum quidem tempora, in primitiva Ecclesia, aliquandiu mansit Evangelica & Apostolica illa simplicitas, quòd in administratione Sacramentorum, illi tantùm ritus adhibiti fuerunt, qui habent Scripturæ mandatum & exemplum. Posteà verò paulatim alia quædam superaddi cœperunt, consilio primùm nec malo, nec impio: ut scilicet externis ritibus, in sensus incurrentibus, fidelibus, & præsertim rudioribus in Ecclesia, dignitas Sacramentorum magis commendaretur, & à contemptu vindicaretur: utq; virtus, operatio & usus Sacramentorum, in ipsa actione luculentius explicaretur, & ob oculos proponeretur. In illis etjam additis ritibus, habita fuit ratio eorum, quæ visa fuerunt servire ad conservationem ordinis & decori, in illis conventibus, ubi celebranda erat administratio Sacramentorum. Illa verò duplicia fuerunt: constabant enim vel verbis, vel ritibus & gestibus. Verbis dico constare: ut sunt exhortationes, preces, gratiarum actiones, lectiones ex Scriptura de Sacramentis, confessio fidei, interrogationes, & concepta quædam verba, quibus doctrina vel usu & efficacia sive Baptismi, sive Cœnæ Dominicæ explicatur, & quasi sub oculos ponitur: ut exorcismus, abrenunciatio, &c. Non autem contenti fuerunt, commonefactionem doctrinæ de Sacramenti cuiusque dignitate, de usu & efficacia, in ipsa Sacramentorum administratione, verbis saltem proposuisse: sed ut cōmonefactio illa tenacius sensibus & memoriæ imprimeretur, & fortius animum moveret, verbis illis cœperunt addere certos quosdam ritus & gestus. Et quidem quæ olim verbis & doctrina proponebantur, posteà in multas figuras demutari cœperunt: ut quod olim verbis monebant & docebant, Baptismum esse φωτισμόν, ei posteà successit grandis moles Paschalis cerei. Et tamen illorum rituum principiò magna fuit parcitas, posteà verò paulatim cumulari cœperunt: ita ut tandem in theatricum fermè apparatum, ceremoniæ illæ abierint. Et ut non prorsus sanè damnetur veterum illud consilium: nimis tamen hoc rigidè & magnificè exaggerant ceremoniarum magistri & exactores, quasi sine illis nec veritas, nec dignitas, nec efficacia Sacramentorum consistat.

Observanda in hac disputatione de ritibus.

Quia verò hoc tempore, omnes etjam non vetustissimi ritus, tanquam necessarij, sub anathematis denunciatione, conscientiis imponuntur: cùm quidem manifestè constet, in quem tristem abusum pleraque talia degenerarint: valdè multa diligenter consideranda sunt in hac disputatione de ritibus, qui à veteribus, in administratione Sacramentorum instituti & usurpati feruntur. Primùm enim ritus illi non habent institutionem & mandatum Dei: ideò longè alio, & inferiori loco collocandi sunt, quàm ceremoniæ in ipsa divina institutione præscriptæ. II. Cùm ipse filius Dei, Sacramenta ita instituerit, ut ea certis à se institutis ritibus præceperit administrari: valdè ardua est quæstio, an hominibus permissum sit, alios præterea, & quidem multos & varios ritus, quocunq; consilio superaddere: quasi ceremoniæ illæ, quæ in administratione Sacramentorum divinitus institutæ sunt, nō satis sint vel idoneæ, vel sufficientes.

Certè quibus ritibus Sacramenti cuiusq; substantiam & administrationem Deus constare voluit, illos ipse verbo suo instituit & præscripsit. Et institutioni divinæ sicut nihil detrahendū, ita etjam nihil addendum est. Quod verò prætenditur, per illos ritus ab hominibus additos, multa piè & utiliter significari, moneri & doceri, ad illud responderi potest, figuras proprias esse veteris Testamenti: quæ verò in novo Testamento Christus moneri & doceri voluit, nō umbris, sed luce verbi tradi & proponi voluit. Et de verbi, nō autem de figurarū ab hominibus inventarum efficacia, habemus promissionem: quos verò ritus verbo adhiberi voluit, eos ipse instituit. III. Ritus illi ab hominibus instituti, judicantur plus decori afferre administrationi Sacramentorum, & dignitatem illorū magis commendare, quàm ceremoniæ, quæ in institutione Sacramentorū, ab ipso Deo præscriptæ sunt: ita simplicitas institutionis divinæ, existimetur non satis habere decori, nec respondere dignitati Sacramentorū. Quæ imaginatio ex superadditis illis ritibus orta, impia est, & necessariò taxanda. Decorē enim

&

Universidad de Deusto
Biblioteca

& dignitatem Sacramentorum, ex verbo Dei æstimare debemus. Et quidem utile est, ut in ipsa administratione Sacramentorum, discrimen extet inter divinas actiones, quarum decorum & dignitas in verbo cõsistit: & inter theatricas mũdi pompas, quæ suo se splendore commendant sensibus. Ideò enim tam paucos & tam simplices ritus, filius Dei in novo Testamento instituit. IIII. Multitudo, splendor & pompa humanorũ illorum rituum, obruit & obscurat ceremonias divinitùs in administratione Sacramentorũ præscriptas & mandatas. Occupat enim sensus & animos, ut vel nulla, vel exigua habeatur ratio eorum, quæ habent institutionem & mandatum Dei. V. Ritus illos superadditos paulatim, non permiserunt esse signa commonefacientia de doctrina, sed singulis attribuerunt peculiarẽ quandam efficaciam & operationem, sine verbo & promissione Dei, imò ipsam Baptismi efficaciam & operationem, cœperunt partiri & distribuere inter ritus illos ab hominibus superadditos, ita ut valdè parum relictum fuerit ipsi actioni Baptismi, quæ habet institutionem & promissionem divinam. Apud vetustissimos quidem & puriores Scriptores legimus, quòd ritus illi aliquid significarint & monuerint, de doctrina Sacramentorum in verbo Dei comprehensa. Montanistæ verò primùm cœperunt illis tribuere spiritualem efficaciam & operationem: sicut videre licet apud Tertullianum & Cyprianum. Et licet illæ opiniones in vera Ecclesia tunc reprobarentur, seminaria tamen hæserunt etjam in posterorum disputationibus. Quoties enim apud veteres occurrit, per exorcismum & exufflationem expelli spiritum immundum à baptizandis, ita ut à Satanæ captivitate liberi sint, priusquam Baptismum accipiant: item per impositionẽ manus Episcopi, & per unctionem post Baptismum, primùm dari Spiritum sanctum: quod si colligãtur, quæ posteri singulis suis ritibus non significativè, sed effectivè cœperunt tribuere: vel nihil, vel certè valdè parum remanebit ipsi Baptismi actioni, quæ habet institutionem & promissionem divinam. Et quale hoc sit, ex consecrationibus, seu potius execrationibus unguenti, salis, cerei, &c. æstimari licet. Et hæc profectò necessariò sunt taxanda, quando de vetustis ritibus disputatur. VI. Vulgi persvasio ad integritatem, veritatem & efficaciam Sacramentorum, fermè æquè necessarios facit ritus ab hominibus inventos, & qui ab ipso Deo instituti & mandati sunt. In hac opinione hæsit olim Cyprianus. Et quidem Cornelius Romanus Episcopus censuit, Baptismum licet juxta Christi institutionem administratum, in Novato tamen non habuisse veram efficaciam, propterea quòd propter morbum reliqui ritus, ante & post ipsam actionem Baptismi adhiberi consveti, ipsi defuerint. Et hæc quidem opinio, postea fuit correcta, sicut notat Longobardus: hæsit tamen, & adhuc hæret in multorũ animis. Tridentini verò, ubi sub anathematis denunciatione observationem illorum rituum, conscientiis imponunt, ne verbulo quidem hujus meminerunt. VII. Liberæ fuerunt horum rituum observationes in Ecclesia: neque enim in omnibus Ecclesiis, similes & iidem fuerunt tales ritus: sæpe etjam ex antiquissimis ritibus, quidam abrogati & omissi sunt: ut prægustatio lactis, mellis & vini, cujus meminit Tertullianus & Hieronymus. Quidam mutati sunt, & alij de novo instituti prout judicatum fuit facere ad ædificationem Ecclesiæ. Illam enim non turbulentam licentiam, sed piam & salutarem libertatem, in Ecclesiasticis hujusmodi ab hominibus institutis ritibus, Ecclesia usurpavit & servavit: quod libera desvetudine abrogavit, omisit & mutavit, etjam vetustissimos tales ritus: quãdo pro ratione circumstantiarum, non multum ad pietatem momentiamplius habere judicabantur: aut quãdo causa propter quam instituti & observari cœperant, vel sublata, vel mutata erat, & ita commutatione temporum, ad ædificationem utiles esse deserant: aut quando ab ipso fine & usu, ad quem initio constituti fuerant, defiexerant, & in abusionem uel superstitionem degenerarant. Nostri verò adversarij, svaves sunt reformatores: qui ubi ex professò disputationem de hujusmodi ritibus instituerunt, ne verbo quidem meminerunt de necessarijs illis commonefactionibus: sed tantùm anathematis suis conscientias gravare conantur, ut uel umbra saltem quorumcunque talium rituum, qui in Romana Ecclesia consuetudinis aliquam præscriptionem habere videntur, religiosè serventur, etjamsi nullam nunc veram habeant observationis causam, nullum salutarem finem & usum, ad ædificationem: sicut talia multa sunt in Canone Missæ, & in Ceremonijs Baptismi, tempore Paschæ & Pentecostes. VIII. Est & hoc considerandum, quòd in unum chaos commiscent recentiora instituta (ut de cereo Paschali) cum vetustis ritibus, & illos rursus confundunt eum divinis institutis. Nam superadditos illos ritus non relinquunt in ordine illarum ceremoniarum, quæ à viris Ecclesiasticis, ordinis, decori & ædificationis gratia instituræ sunt, sed ex supposititiis quibusdam, scriptis, conquirunt commentitia testimonia, ritus illos ab Apostolis esse traditos, & per consequens esse vel à filio Dei, vel à Spiritu sancto institutos & præceptos, ut ita in administratione Sacramentorum, par sit autoritas, & æqua efficacia eorum, quæ à Deo instituta, testimonium & mandatum habent verbi Dei, & quæ sine Scripturæ testimonio ab hominibus quomodocunq; tradita sunt.

Ceremoniarum splendor.

Baptismo sua virtus erepta.

Hæc breviter recitavi, ut Lector admonitus consideret, quàm multiplices & calumniosas insidias, generalitas hujus XIII. Canonis sub venerando antiquitatis, & Ecclesiæ Catholicæ titulo involvat & occultet. Quia verò augusta & veneranda apparet antiquitatis canicies, in ipsis etjam hujusmodi ritibus, ita ut vel petulantia, vel superbia esse videatur, vel contemnere, vel abrogare, vel mutare illa, quæ veteribus probata feruntur: invidiosis igitur verbis voluerunt Ecclesias nostras perstringere, cùm ajunt: Si quis dixerit, approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus aut contemni, aut pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, Sed quæ sit Ecclesiarum nostrarum sententia, facilis est declaratio ex his, quæ annotavimus. In administratione enim Sacramentorum, distinguimus,

De ritibus circa Sacramẽta.

guimus, & discernendos esse docemus ritus. Sunt enim primò ritus quidam, qui in institutione mandati, atque ita in administratione Sacramentorũ necessarij & substantiales sunt. In illis affirmamus nihil esse omittendum, mutandum vel abrogandum. Secundò, sunt in administratione Sacramentorum, quædam, quæ habent testimonia & exempla Scripturæ: quæ scilicet primam Apostolicam Ecclesiam in administratione Sacramentorum servasse, in Scriptura legimus: ut explicationes doctrinæ Sacramentorum, exhortationes, preces, gratiarum actiones, &c. Illa etjam & servamus & docemus diligẽter esse servanda: ita tamen, ut doctrinæ Sacramentorum sicut in Scriptura traditur, sint conformia, non enim muta & ociosa spectacula sunt Sacramenta, sed instituta sunt, ut & fidem confirment, & promissionem verbi clarius proponãt. Tertiò, sunt alij quidam ritus, qui non habent Scripturæ vel mandatum, vel testimonium, sed à viris Ecclesiasticis superadditi sunt. Et ne illos quidẽ in universum omnes vel abijciendos, vel damnandos esse censeo: sed qui in verbis & interrogationibus consistunt, quæ cum Scriptura consentiunt, & de doctrina Sacramentorum utiliter aliquid monent & explicant, liberè possunt retineri: sicut apud nos in administratione Baptismi, retinetur exorcismus, abrenunciatio, confessio fidei, &c. In iis verò, quæ consistunt in ritibus seu gestibus, servetur ea libertas, quam Scriptura concedit, & vera Ecclesia semper usurpavit in hujusmodi humanis traditionibus: ut scilicet illa retineantur & usurpentur, quæ nihil admixtum habent impietatis & superstitionis. Item, quæ nõ ociosos lusus habent: sed vel ordini, vel decori Ecclesiastico servire, vel utili & pia commonefactione, ædificationem populi promovere possunt. Postremò, quæ ipsa substantialia Sacramentorum illustrant, nõ autem obruũt vel obscurant, nec transformant in actionem planè diversam: sicut fit in sacrificio Missæ. In iis verò, quæ Ecclesiasticis ritibus retineri posse docemus, serventur illa, quæ suprà diximus: ut scilicet ea illustri discrimine discernantur ab illis, quæ habent Scripturæ vel mandatum, vel testimonium, ne illis ullo modo exæquentur, multò minus præferantur. Non tribuatur illis, spiritualis aliqua efficacia, sine promissione divina: nec quæ propria sunt Sacramentorum, ad tales ritus vel ex toto, vel ex parte transferantur. Nec sentiendum est, tales ritus ad integritatem & veritatem Sacramentorum pertinere: multò minus ad hoc necessarios esse, sed habentur pro ritibus adiaphoris: qui si ad ædificationem utiles esse desinant, & à salutari fine & usu in superstitionem & abusum degenerent, vel corrigendi, vel mutandi, vel exemplo ænei serpentis, abrogãdi & prorsus tollendi sunt. Illi etjam, qui retinentur, debent tamen sicut sunt, manere ritus adiaphori: ut scilicet non fiant laquei conscientiarũ, sed sine opinione necessitatis, liberè serventur, ita ut extra casum scandali possint omitti, vel Ecclesiæ ordinatione & consensu mutari vel abrogari. Neq; enim privatim cujusvis petulantiẽ hoc permittendum est. Si verò legitimè hoc fiat, utile est in hujusmodi adiaphoris, exemplo libertatem ostendere: ita tamen, ut omnia fiant ordine, decenter, & ad ædificationem, juxta Pauli regulam. Nec damnandæ sunt Ecclesiæ, propter dissimilitudinem in hujusmodi ritibus: aut si in illorum omissione vel mutatione, libertate sua juxta dictam Pauli regulam utantur.

Hæc sunt ut verissima, ita etjam æquissima, de ritibus in administratione Sacramentorũ: sumpta enim sunt ex doctrina Scripturæ, de rebus adiaphoris. Sed hisce quantumvis æquis conditionibus, non patiuntur sibi satisfieri Pontificij, aliàs facilè de summa rei, quod ad ritus attinet, transigi & conveniri posset. Poterit igitur hinc Lector conijcere, quid in XIII. Canone hoc agant, quærant, & moliantur Pontificij.

DE BAPTISMO.

CANON I.

De Baptismo Iohannis.

Si quis dixerit, Baptismum Iohannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.

EXAMEN.

In omnibus controversijs, ea quæ necessariũ usum habent, in exercitijs pœnitentiæ, fidei & pietatis, discernenda sunt ab alijs disputationibus, in quibus opinionum diversitas, vel etjam levis quædam hallucinatio, non infert jacturam fidei & saluti. Ita de Baptismo Christi, quo nunc Ecclesia novi Testamenti baptizat, multa quorũ necessarius usus est utiliter possunt dici, quid sit, quæ sit ejus efficacia, quomodo ritè dispensetur & suscipiatur, quis sit ejus per totam baptizati hominis vitam usus, &c. Disputatio verò de Iohannis Baptismo non æquè est necessaria, nemo enim nunc vel baptizatur, vel baptizatus est Iohannis Baptismo: sed tantùm quæstio est de ceremonia temporis, jamdudum præteriti, & quidem exigui. Iohanne enim in vincula conjecto, Baptismus eius desijt. Detentum autem fuisse in carcere ultra integrum annum, series historiæ Evangelicæ non obscurè indicat. Ergo non per totum sesquiannum duravit Baptismus Iohannis. Non igitur anathemate statim jugulandi erant, qui de hac quæstione, collatis Scripturæ sententiis, paulòaliter quàm veteres quidam disputant: si id fiat salva veritate doctrinæ, de pœnitentia, fide & pietate.

Baptismus Iohannis.

Nec sanè ignotæ nobis sunt veterum de Baptismo Iohannis disputationes. Sed nec inter se omnino consentiunt, nec diversum sentientes damnant.

Cyprianus Iohannis Baptismo tantùm exterius lavacrum tribuit, Et Longobardus inquit: Ibi Iohannis tantùm operatio visibilis erat, exterius lavantis, non invisibilis gratia Dei virtutis operãtis interius. Item dictus est Baptismus Iohannis, hoc est, hominis: quia nihil ibi gerebatur, quod nõ ageret homo. Illud Gabriel ex scho lasticorum sententia ita explicat: In Baptismo Iohannis nihil aliud fuisse factum, quàm illud, quod totũ Iohannes operabatur, exteriorẽ scilicet corporis lotionem, ita ut nec pœnitentiam nec remissionem peccatorũ contulerit. Et glossa de consecrat. distinct. 4. cap. aliud est; Et non re-

Cyprianus. Longobardus. Gabriel, de Baptismo Iohannis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

generabantur, dicit, Deum per Baptismũ Iohannis, non operatum esse vel pœnitentiam, vel remissionem peccatorum, sed appellari Baptismũ pœnitentiæ, quia prædicarit pœnitentiam. Non autem dicendum esse Baptismum remissionis peccatorũ, quia illam Iohannes nec dederit, nec docuerit. Hæc sunt Gabrielis verba, qui textum Marci ita discerpit: Iohannes erat baptizans, & prædicans Baptismum, scilicet nõ suum, sed futurum Christi, qui esset Baptismus pœnitentiæ & remissionis peccatorum. *Chrysostom.* Chrysostomus verò expendens illa verba Iohannis, Matth. 3. Ego baptizo vos aqua in pœnitentiam, dicit: Baptisma Iohannis nõ habuisse quicquam amplius, quàm ut populum ad pœnitentiam duceret, non enim dixit: In aqua remissionis: sed pœnitentiæ. Et posteà dicit: Baptisma Iohannis non habeat remissionem peccatorum, hoc enim munus illius Baptismatis erat, quod Christus instituit. Ita Chrysostomus: *Augustinus.* Et quidem Augustinus etjam sæpius ita loquitur, qui tamen diligentius expendens hoc, quod Iohannes Marc. 1. & Luc. 3. de Baptismo suo prædicavit, quòd esset Baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum: Non audet simpliciter Baptismo Iohannis derogare remissionem peccatorum. Et tamen eam non simpliciter illi tribuit. Sed cùm ex argumento Donatistarũ, Ana baptismũ suum facto Pauli, Actor. 19. defendere conantium, aliter sibi elabi posse non videretur, mediã hanc sententiam tandem amplexus est. Ita enim inquit contra Donatistas lib. 5. cap. 10. Credo Iohannem ita baptizare in aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, re ipsa verò in Domini Baptismo id fieret, sicut resurrectio, quę in fine expectatur, spe in nobis facta est: quia simul nos excitauit, & simul sedere fecit in cœlestibus. Item, spe salui facti sumus. Nam & ipse Iohannes cùm dicat: Ego quidem baptizo vos in aqua pœnitentiæ, in remissionem peccatorum: Dominum videns, ait. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et tamen hanc suam sententiam Augustinus non proponit ut necessariũ dogma, nec damnat si quis diversum sentiat. Ita enim inquit, cap. 11. Ne quisquam contendat, etjam in Baptismo Iohannis dimissa esse peccata: sed secundum aliquam ampliorem sanctificationem, eis, quos Paulus denuò jussit. Act. 19. baptizari, per Baptismũ Christi remissionem esse collatam, non ago pugnaciter. Ita etjam contra literas Petiliani, lib. 2. cap. 37. liberum permittit, si quis sententiam meliorem & certiorem afferat, ita enim inquit: Causa & ratio Baptismi Iohannis, sive ista sit quam exposui, sive alia melior certiorq; reddatur, illud tamen manifestum est alium fuisse Baptismum Iohannis, alium Christi.

Ambrosius. Et Ambrosius de Spiritu sancto, libro 1. cap. 3. disputans, quomodo duodecim illi qui negabãt se scire Spiritũ sanctum, Act. 19. baptizati fuerint Iohannis Baptismo, ita inquit: Iohannes in remissionem peccatorum, in advenientis Iesu, nõ in suo baptizauit nomine. Et ideò spiritum nesciebant, quia nec Baptismũ in Christi nomine, sicut Iohannes baptizare solebat, acceperant. Iohannes enim licet non baptizaret in Spiritu, tamen & Christum prædicabat, & Spiritum. Ergo isti, quia nec in Christi nomine, nec cum fide spiritus baptizati fuerant, nõ potuerunt Baptismatis accipere Sacramentũ. Baptizati sunt igitur in nomine Iesu, nec iteratũ in his est Baptisma, sed novatum, unum enim Baptisma. Vbi autem nõ est plenum Baptismatis Sacramentũ, ibi nec principiũ, nec species aliqua Baptismatis æstimatur: plenũ autem est, si Patrem, Filium & Spiritũ sanctum fatearis. Veterum igitur disputationes de Baptismo Iohannis, nõ idem omnes sentiunt, & teste ipso Augustino, non sunt tanquã articuli fidei: à quibus diversum sentire, piaculum sit anathemate dignum. Non potest autem obscurum esse, quid piè sentiendum sit, si sepositis paulisper veterum opinionibus, ex ipsa Ioannis Baptistæ historia res accuratius consideretur & expendatur. Regula enim certissima & firmissima est, de Sacramentis judicandum esse ex verbo, cui cere moniæ Sacramentorũ, mandato & institutione Dei, adjunctæ & annexæ sunt. *Axioma firmissimum.* Extra controversiam autẽ est, Iohannem missum fuisse & ad prædicandum, & ad baptizandum, vtrunq; enim describitur Ioh. 1. Hic venit, ut testimonium perhiberet de lumine. Ego vox clamãtis. Itẽ, Misit me baptizare. Baptismus igitur Iohannis, non fuit muta lotio: sed Deus illam ceremoniã voluit adjunctã & annexam esse verbo seu prædicationi, quã sonabat & profitebatur Baptista. Quale igitur fuit verbum, seu doctrina, talis etjam Baptismus in ministerio Iohannis. Num verò doctrina & professio ejus fuit, de deponendis per externã ablutionem corporis sordibus? Nequaquam, sed prædicavit pœnitentiã arguendo peccata, & proponendo comminationes de ira Dei, & igni inextinguibili. Num verò hæc sola & tota fuit doctrina Baptistæ? Nullo modo: Matthæus enim cap. 3. inquit: Venit Iohannes prædicans, & dicẽs: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Et Marcus cap 1. dicit, vocem illam clamantis, esse initium Evangelij Christi, filij Dei, Iohan. 1. & 3. extant dulcissimæ conciones Baptistæ, de persona & officio Christi mediatoris. Actor. 19. docuit de fide in Christum. Marc. 1 prædicat de remissione peccatorum, sicut & Lucæ 1. Zacharias ministerium Iohannis describit: Ad dandam scientiã salutis plebi ejus, in remissionem peccatorũ eorum. Iohan. 3. vox Baptistæ est: Qui credit in filium, habet vitam æternam. Docuit etjam de Patre, de Filio, & de Spiritu sancto, Iohan. 1. & 3. Posteà verò etjam de fructibus pœnitentiæ docuit, Lucæ 3. & Matthæi 3.

An Baptismus Ioannis ad solã ipsius doctrinam pertinuerit. Pergamus jam de inquisitione, an scilicet Baptismus Iohannis fuerit obligratio partis tantum doctrinæ ipsius, an verò ad totam ipsius doctrinam pertinuerit? Et hoc quidem ab omnib. conceditur, quòd Iohannes ipse dicit: Ego baptizo vos aqua, in pœnitentiam, Mat. 3. Item, Baptizauit populum Baptismo pœnitentiæ, Act. 19. &: Qui baptizabantur ab eo, confitebantur peccata sua, Marc. 1. Num verò tantummodo in pœnitentiam, sine fide Christi, & remissione peccatorum baptizavit? Certè talis pœnitentia simpliciter est res ethnica: imò est ministerium mortis, iræ Dei, & blasphemiarum. *Pœnitentia absq; fide.* Et Paulus Actor. 19. diserte

diserte affirmat, Iohannem ita baptizasse Baptismo pœnitentiæ, ut simul doceret eos, quos baptizabat credere in Christum Iesum. Marcus etjam & Lucas asseverant, Iohannem de suo Baptismo prædicasse, quòd esset Baptismus non solius & nudæ tantùm pœnitentiæ, sed pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Nec phrasis (in remissionem peccatorum) remissionem detrahit Baptismo Iohannis. Nam & in pœnitentiã scribitur baptizasse, & tamen fuit baptismus pœnitentiæ, Marci 1. Actor. 19. Et eadem phrasis usurpatur etjam de Christi Baptismo, Actor. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum. Accedit huc, quod Matthæi 3. Iohannes ipse affirmat eos, qui petebant Baptismum suum, hoc quæsivisse, vt effugerent venturam iram Dei. Ita enim excipit Pharisæos & Sadducæos, veniens ad Baptismũ suum: Quis submonstrabit vobis fugere à ventura ira? Et Lucæ 7. illi qui baptizati erant Baptismo Iohannis, dicuntur justificasse Deum: qui verò ab eo non erant baptizati, dicuntur spreviss consilium Dei contra semetipsos. Quem locum Ambrosius ita interpretatur: Iustificatur Deus per Baptismum, qui enim peccat, & confitetur Deo peccatum, justificat Deum, credens ei, ab eoq; sperans gratiam. Et libro 2. de Sacramentis pulchrè illud explicat, quòd Baptismus vocatur cõsilium Dei. Et Beda intelligit illud Consilium Dei, quòd per passionem & mortem Christi salvare decrevit.

Et hæc, cùm manifestè ita se habeant, profectò non satis circumspectè olim dictum est à quibusdam veteribus: & nunc illustrata hac disputatione, nec rectè nec verè à Pontificijs asseveratur, Baptismum Iohannis fuisse sine agnitione Trinitatis, sine fide in Christum, & sine remissione peccatorum. Nec verum est, Deum tunc per Baptismum Iohannis nihil operatum fuisse in credentibus: cùm ipsa etjam pœnitentia sit donum Dei, Actor. 5. & 10. 2. Timoth. 2. Falsum etjam est, credentes in ministerio verbi & Baptismi Iohannis, nihil spiritualium donorum accepisse. Fides enim in Christum non tantùm post passionem Christi, verumetjam antè justificavit credentes, hoc est, accepit gratiam, reconciliationem, remissionem peccatorum, & salutem. Et de verbo quidem prædicationis suæ, Baptista affirmat, Iohan. 3. Qui credit in filium habet vitam æternam. Et Iohan. 1. tribuitur Baptistæ hoc testimonium. De plenitudine ejus, omnes nos accepimus, gratiam pro gratia. Eandem verò etjam fidem in Christum Iesum, Iohannem in Baptismo suo proposuisse illis, quis baptizabat, Paulus diserte affirmat, Actor. 19. Si qui igitur baptizati Baptismo Iohannis, in illa fide vel mortui sunt, vel si mortui fuissent priusquam Iesus, per discipulos suos inciperet baptizare, nemo sanè illos rectè damnaverit, quasi sine gratia Dei, & sine remissione peccatorum decessissent.

Et hactenus quæstio illa de baptismo Iohannis, si sepositis vel veterũ vel recentiorum præjudiciis, ex verbo Dei expendatur & dijudicetur, plana & manifesta est. Difficilior verò, & obscurior est altera pars quæstionis: an scilicet Baptismus Iohannis, planè idem sit cum Baptismo Christi, qui per ministros Christi exhibiti administratur: an verò ab eo alius planè, & diversus sit?

Et quidem valdè urgentia sunt argumenta, non statuendam esse diversitatem inter Baptismum Iohannis & Christi. Vtrobique enim, sicut probavimus, eadem est doctrina, idem verbum, eadem promissio, eadem fides, eadem remissio peccatorum, & idem ritus baptizandi. Et Paulus Ephes. 4. per gradationem ostendit, in novo Testamento, ubi unum est corpus, unus spiritus, una spes vocationis, unus Dominus, unus pater, una fides: ibi etiam unum esse Baptisma. Maximè verò movet hoc argumentum, quòd svavissima est consolatio, nos qui membra sumus, Baptismum habere, unum, eundem & cõmunem cum Christo capite nostro: qui nostrum Baptismum contactu sanctissimæ suæ carnis sanctificavit, sicut Patres loquuntur: & illustri patefactione certos nos reddidit, etjam nostro Baptismo, gratia & efficacia sua adesse Patrem, filium, & Spiritum sanctum: ibi effundi Spiritum, ibi sonare vocem gratiæ & beneplaciti Patris. Hæc omnia, quæ dulcissimas præbent consolationes tolluntur & pereunt, quando Baptismus Iohannis, quo certè Christus ipse baptizatus est, toto genere diversus & alius statuitur à Baptismo Christi. Paulus dicit 1. Corinth. 12. nos omnes in unum corpus baptizatos esse. Sequeretur autem, nos non esse unum corpus cum Christo & cum Apostolis, si toto genere diversus est Baptismus Iohannis & Christi. Christus enim baptizatus est baptismo Iohannis. Et Apostolos, si non omnes, aliquos saltem, & primos illos, quorum Iohan. 1. mentio fit, baptizatos fuisse baptismo Iohannis, nullum est dubium. Iesus enim neminem manibus suis, sive externo ministerio baptizavit, sed ad hoc usus est ministerio discipulorum, Iohan. 4. quos ipsos certè baptismo caruisse, nemo affirmabit. Apocrypha verò & incerta commenta Evodii & Euthymij, in quibus Iesus ipse suis manibus dicitur Petrum & Mariam baptizasse, quia pugnant cum expresso testimonio Iohannis Evangelistæ, meritò nõ curamus. Non igitur vel potest vel debet baptismus Iohannis, à Christi baptismo, ut toto genere diversus, vel prorsus alius, separari. Rursus verò etjam Augustinũ, qui sentit aliũ fuisse baptismũ Iohannis, alium Christi, video habere aliquas non contemnendas rationes. Vt enim de loco Actor. 19. quo Augustinus præcipuè nititur, jam non dicam: certè non lève est hoc argumentum, cùm Christus per discipulos cœpisset baptizare, imò cùm post ascensionem Christi, per totũ orbem Baptismo Christi baptizaretur, semper tamen ipsa appellatione, distinctus fuit Iohannis baptismus à Christi baptismo. Neque enim nomine ministrorum, appellatus fuit baptismus Petri, Iohannis, Iudæ, Pauli, &c, sicut baptismus Iohannis constanter ubique ita appellatur. Et series historiæ Evangelicæ ostendit, baptismum Christi per suos discipulos, successisse post Iohannis baptismum. Nec dici potest, vel Petrum, vel alium Christi discipulum baptizasse baptismo Iohannis. Scriptura enim aliter loquitur.

Apostoli à quo baptizati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ipse etjam Iesus, Iohan. 4. legitur feciſſe diſcipulos, non recipiendo tamen tantùm eos, qui à Iohanne baptizati erant, ſed ipſe per diſcipulos baptizando eos, quos in numerum ſuorum recipiebat. Nec veriſimile eſt. illos tantùm Chriſto ſe adjunxiſſe, qui non fuerant prius à Iohanne baptizati: imò Iohannes ſuo Baptiſmo populum præparavit Domino, ut Chriſto ſe adjungerent: illos verò Chriſtus per diſcipulos baptizaſſe legitur, Iohan. 3. & 4. Et Iohannis Baptiſmum tunc deſijſſe, non eſt dubiũ, cùm nemo amplius baptizaretur Baptiſmo Iohannis, ſicut Auguſtinus tractat. 4. in Iohannem oſtendit. Aliquid igitur diſcriminis eſſe inter Baptiſmum Iohannis & Chriſti, tota antiquitas conſentit, & ipſa Scriptura inſinuat. Sed de ratione diſcriminis diſputatio eſt. Auguſtinus contra Donatiſtas, libro 5. cap. 10. dicit, quoſdam ita diſtinxiſſe, quòd Iohãnis baptiſmus prorſus non habuerit remiſſionem. Sed hæc opinio, Auguſtino non omnino probatur. Dicit igitur, ſe credere baptizatis à Iohanne, in ſpe, remiſſa fuiſſe peccata: in Chriſti verò Baptiſmo, re ipſa dimitti. Sed mox ſubjungit, ſe non agere pugnaciter, ſi quis diſcrimen ita conſtituat, quòd in Iohannis Baptiſmo dimiſſa quidem fuerunt peccata, ſed in Chriſti Baptiſmo, ſecundũ aliquam ampliorem ſanctificationem, collatam eſſe remiſſionem. Et lib. 2. contra literas Petiliani, cap 37. rationẽ diſcriminis eruditè ex diſcrimine patefactionis verbi de Chriſto colligit. Habuit enim vetus Teſtamentũ, Baptiſmum in Moſen, 1 Cor. 10. habuit etjam circumciſionem: quæ erant Sacramenta, prænunciantia rem futurã, hoc eſt, venturum Meſsiam. Noſtri temporis Sacramenta, ſunt annunciationes exhibiti Chriſti, qui jam venit. Inter hæc medium fuit Iohannis miniſterium, qui docendo & baptizando, Meſsiæ non à longe venturo, ſed jam venienti præibat. Ideò enim dicitur Angelus miſſus ante faciem Chriſti. Et Iohan. de Chriſto inquit: ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, qui poſt me, tanquã apparitorem ſuum, viam paratam jam ingreditur, & venit. Apoſtoli verò annunciabant Chriſtum jam veniſſe. Hoc modo juxta diſcrimen patefactionis, Auguſtinus non incommodè diſtinguit inter Baptiſmũ Moſis, imò inter ipſam etjã circumciſionẽ: inter Baptiſmum Iohannis, & inter Baptimũ Chriſti. Sed ſicut juxta Auguſtinũ, Iohannes omniũ præcedentiũ proximus Chriſti annunciator fuit, cui ſoli conceſſum fuit & prænuncare abſentem, & videre præſentem: ita propius etjam convenit, nec tam longè differt Baptiſmus Iohãnis, à Baptiſmo Chriſti, ſicut vel Moſis baptiſmus, vel circũciſio, à Baptiſmo Chriſti. Hac collatione Baptiſmi Moſis ſeu Iudaici in veteri Teſtamento, baptiſmi Ioannis & baptiſmi Chriſti, utuntur etjã Baſilius de Baptiſmo, cap. 2. Nazianzenus oratione in ſancta luminaria. Cyrillus in Iohannem libro 2. cap. 58. confert purificationes legales, Baptiſmum Iohannis & Baptiſmum Chriſti: & diſcrimen vult ſumi ex poſtrema cõcione Baptiſtæ ante captivitatem, quæ extat Iohan. 3. Et cap. 57. inquit, Iohãnis Baptiſmum fuiſſe introductorium ad perfectionem, & vim præparationis obtinuiſſe. Sicut autem non ſequitur, circumciſos nõ habuiſſe remiſſionem peccatorum, propterea quia differentia eſt inter circumciſionem & baptiſmũ Chriſti: ita multò minus baptiſmo Ioãnis, qui propius ad novum Teſtamentũ acceſſit: imò qui initium fuit novi Teſtamenti: ideò deroganda eſt remiſsio peccatorũ, vt diſcrimen aliquod ſit inter Iohannis baptiſmum & Chriſti baptiſmum. Sed quale diſcrimen eſt inter verbũ de Chriſto venturo, de veniente & de exhibito: talis etjam differentia eſt inter circumciſionem, baptiſmum Iohannis & Chriſti Baptiſmum. Doctrina autem de Chriſto, licet quo ad modum patefactionis, diſcrimen aliquod ſit, tamen quo ad ſubſtantiam fuit eadem, & effectus eoſdem habuit in credentib. omnibus temporibus, ſive tempore veteris Teſtamenti, ſive tempore Ioannis Baptiſtæ, ſive poſt Chriſtũ exhibitum, licet in gradibus differentia aliqua conſtitui poſsit. Qualis igitur verbi, talis etjam ratio eſt circumciſionis, Baptiſmi Ioannis, & Apoſtolorum. Nec nimium ſubtiliter hæc ſunt diſcernenda. Si enim ſubtilitates conſectari libeat, hac ratione etiã diſcrimen conſtitui poſſet inter Baptiſmum Apoſtolorum, quem dederunt ante paſsionem & reſurrectionem Chriſti, & inter eũ quem poſteà dederunt. Hanc ſententiam judico eſſe ſimpliciſsimam. Convenit enim dictis Scripturæ, & nihil derogat Baptiſmo, vel Iohannis, vel Chriſti: retinet etjam conſenſum veteris Eccleſiæ. Tertia verò quæſtio difficillima eſt: an ſcilicet illis, qui Ioannis baptiſmo baptizati erant, neceſſarium fuerit, poſteà etjam Chriſti baptiſmum, qui à diſcipulis ipſius adminiſtrabatur, ſuſcipere: an verò poſtquam Chriſtus jam reuelatus & exhibitus prædicabatur, ſuffecerit ipſis quòd à Iohanne baptizati fuerant? Auguſtinus ſentit, poſt Baptiſmum Iohannis, neceſſariam fuiſſe ſuſceptionem Baptiſmi Chriſti. Et hujus ſententiæ ratio non levis eſt. Illis enim qui circumciſi erant in venturum Chriſtum, licet jam habebant ſignũ circumciſionis, quod erat figillum juſticiæ fidei, hoc eſt, remiſsionis peccatorum, neceſſarium tamen fuit, Iohannis baptiſmum ſuſcipere, Luc. 7. Si enim in venturũ Chriſtum ita crederent, ut Deo per Iohannis miniſteriũ patefacienti, Meſsiam jam eſſe in via nollent credere, & conſilium eius in Baptiſmo Iohannis ſpernerent: certè fidem ſuam, inanem & falſam redderent. Eadem etjam ratione, qui à Iohanne baptizati, credebant Meſsiam jam eſſe in via, & venire, ſi poſteà nollent credere prædicationi de Chriſto jam exhibito: eorum certè fides non eſſet vera. Ex noſtris enim Iudæis quidam credunt Meſsiam adhuc venturum: quidã credunt ipſum natum eſſe, ſed nondum regnum inchoaſſe: & tamen vana & falſa eſt ipſorum fides, quia in Chriſtum exhibitũ nolunt credere. Erat autem Baptiſmus diſcipulorum Chriſti, obſignatio doctrinæ de Chriſto, qui jam nõ amplius expectandus eſſet venturus in carnem, nec tantùm credendus, quòd in via eſſet, & veniret, ſed quòd jam veniſſet, & exhibitus eſſet. Hac ratione poſt Baptiſmum Iohannis ſuſcipiendus videtur fuiſſe Chriſti Baptiſmus, qui per diſcipulos ipſius adminiſtrabatur, in obſignationem doctrinæ & fidei de Chriſto jam exhibito. Longobardus verò, ex aliorum veterum ſententia diverſum ſentit: eos

Differunt Baptiſmus Ioannis & Chriſti.

Etiam Circumciſi habuerunt Baptiſmum.

tit: eos ſcilicet, qui à Iohanne baptizati fuerant, ſi crederent Patrem, Filium & Spiritũ ſanctum, & ſpem ſalutis ponerent non in Iohanne, ſed in Chriſto, non fuiſſe iterum aqua baptizatos. Qui verò Iohãnis Baptiſma, falſa impia doctrina depravarunt (id quod velle videtur hiſtoria, Acto. 19.) illos cenſet poſteà baptizatos fuiſſe baptiſmo Chriſti. Et hanc ſententiã manifeſtè tuetur Ambroſius, de Spiritu ſancto, libro 1. cap. 3. ſicut ſententiam ejus ſuprà adſcripſimus. Et ego quidem, licet ab Auguſtini ſententia, in eo quidem quẽ explicavi ſenſu, & ea quam dixi ratione, non admodum abhorream: video tamen Scripturã nõ nimium vel curioſè, vel ſcrupuloſè illud obſervaſſe. Nam Acto. 18. Apollo ſciebat tantùm baptiſma Iohannis: & is quidem aſſumitur, & diligentius inſtituitur in via Domini: non tamen legitur denuò aqua baptizatus. Nec primi Apoſtoli, qui à Iohanne baptizati fuerunt, leguntur ſecundò aqua baptizati fuiſſe. Imò ſequeretur, ipſi Baptiſtæ neceſſariũ fuiſſe, cùm Chriſtus jam miniſterium ſuum inchoaſſet, ut à diſcipulis Chriſti aqua baptizaretur, ſi præciſè & univerſaliter neceſſarium fuiſſet, quod Auguſtinus diſputat. Rurſus verò quando Apoſtoli faciunt diſcipulos Chriſti, Iohan. 3 & 4. poſteà cùm ſemel baptizant tria millia, Actor. 2. nec diu pòſt, quinque millia, Actor. 4. non leguntur curioſè & ſcrupuloſè inquiſiviſſe, ne quis fortè in turba illa Iohannis Baptiſmo baptizatus eſſet, quem nefas eſſet denuò aqua baptizari. Relinquatur igitur hæc quæſtio in medio, ut quæ in utramque partem rationes habet: cùm quidem noſtris temporibus, ejus uſus non ſit admodum neceſſarius. Vtram enim quis ſententiã amplectatur, vera & neceſſaria fundamenta retineri poſſunt. His ita expoſitis, manifeſtum erit, quomodo ſententiæ, quæ ex Scriptura opponi ſolent, rectè & dextrè explicari poſsint. Ipſe enim Ioãnes inquit: Ego baptizo vos in aqua ad pœnitentiam: qui verò poſt me venturus eſt, baptizabit vos Spiritu ſancto & igni. Et quia utitur futuro tẽpore, βαπτίσει: videtur inſinuare, Chriſtum baptizare Spiritu: non in præſenti, per ipſius ſcilicet Iohannis baptiſmum: ſed poſt Iohannem demum baptizaturum ſpiritu, per ſuorum ſcilicet diſcipulorũ miniſterium. Sed non poteſt certior eſſe interpretatio hujus dicti, quàm quæ ab ipſo Chriſto & Apoſtolicis tradita eſt. Nam Act. 1. poſt reſurrectionem, paulò ante aſcenſionem, Chriſtus repetit illam Iohannis ſententiam, & cùm jam ultra triennium, per miniſteriũ Apoſtolorum baptizaſſet, affirmat tamen, nondum impletũ eſſe illud quod Iohannes dixerat: Ipſe baptizabit vos Spiritu ſancto. Et quidẽ ad Apoſtolos, qui certè Spiritũ regenerationis & renovationis jam acceperant, inquit: Vos baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hoſce dies. Id quod in die Pentecoſtes impletum eſt, effuſis admirandis & viſibilib. donis Spiritus ſancti. Et Petrus Act. 11. recitans quomodo in Cornelium talia dona effuſa eſſent priuſquã aqua in nomine Ieſu baptizaretur, inquit: Recordatus ſum verbi Domini, ſicut dicebat: Iohãnes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto. Manifeſtum igitur eſt ex interpretatione Chriſti & Apoſtolorum, de quo Baptiſmo Spiritus, verba illa intelligenda ſint. Et quidem ipſe Baptiſta ideò addit vocabulum ignis: ut oſtendat ſe loqui de manifeſta illa donatione Spiritus, quæ in ſpecie ignis die Pentecoſtes cœpit. Et ſi ita intelligatur, verum eſt, talem Baptiſmum Spiritus non fuiſſe in Iohannis baptiſmo. Baptiſta enim nullum ſignũ fecit, Iohan. 10. imò Baptiſmus ſpiritus non fuit ante aſcenſionẽ Chriſti, etjam cùm Chriſtus per miniſteriũ Apoſtolorũ baptizaret, Iohan. 7. Non ergo ſequitur ex illa ſententia, Matth. 3. Baptiſmũ Iohannis prorſus vacuum & deſtitutum fuiſſe gratia patris, efficacia Chriſti, & operatione Spiritus: imò quando Chriſtus à Iohanne baptizabatur, tunc certè in Iohannis baptiſmo admirabili, & manifeſta patefactione oſtenſa fuit gratia patris, & manifeſta donatio Spiritus.

Et hæc quidem quæ negari non poſſunt, contra adverſarios contentioſos ſufficere poſſunt. Non invitus tamen concedo, in illa ſententia Chriſtũ baptizare Spiritu, ampliusaliquid contineri, quàm ſolam manifeſtationem admirabilium illorum & conſpicuorum donorum Spiritus. Illa enim Symbola fuerunt, teſtificantia de interiori efficacia Chriſti, de inviſibili donatione & operatione Spiritus. Et Chriſtus nõ dicendus eſt deſiiſſe baptizare Spiritu, poſtquam viſibilia illa dona deſierunt.

Affirmo autem, illã etjam interpretationem non ſpoliare Baptiſmum Iohannis, omni Spirituali efficacia, Series enim & cõtextus hiſtoriæ, in Luca & Iohanne, oſtendit & occaſionem, & veram ſententiam illius dicti. Lucas ſcribit, populum ex admiratione autoritatis perſonæ Baptiſtæ, eveniſſe in illam opinionem, Iohannem forſan eſſe Meſsiam. ita ut baptiſmum ipſius, de quo ipſe prædicabat, eſſe baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum, exiſtimarent efficaciam illam habere ex virtute perſonæ Baptiſtæ, & propter externã actionem, quam baptizando exercebat. Id quod Ioannes Evangeliſta clarius explicat, vbi ſcribit legatos Hieroſolymitanos poſtulaſſe cum Baptiſta: Quare ergò baptizas, ſi non es Chriſtus? Hoc enim objiciebant, ipſum nec debere nec poſſe baptizare in remiſsionem peccatorum, ſi non eſſet Chriſtus. Ad refutandã igitur illam vulgi perſvaſionem, & hanc Phariſæorum objectionem, Iohannes diſcrimen facit primò inter ſuam perſonam, & Chriſti perſonam, deinde inter ſuum externum miniſteriũ, & inter ſpiritualem efficaciam Chriſti. Ille, inquit, potentior me eſt, quia ante me fuit, & è cœlo eſt, ſuper omnes, quia filius unigenitus, Ego miniſter ſum terrenus, de terra, non dignus ut calciamenta ipſi ſolvam. Ego ſum vox clamantis, & baptizo aqua: hoc eſt, externum miniſteriũ verbi & Baptiſmi habeo, exerceo, & adhibeo. Ille verò fortior eſt: hoc eſt, ipſius eſt virtus, potentia & efficacia. Ille enim per miniſterium eſt efficax, nam per eum, & propter eum datur remiſsio peccatorum, reconciliatio, Spiritus & vita æterna. Ita enim Baptiſta diſertè explicat, quomodo Chriſtus ſit πρῶτος, cũ inquit: Ex plenitudine ejus omnes nos accepimus, gratiam pro gratia, per Chriſtum enim gratia & veritas facta eſt. Hæc non efficiunt miniſtri, ſive ſit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ministerium Christi & aliorū quomodo & quatenus discernendum.

Petrus, sive Iudas, sive Iohannes Baptista aut Evangelista. Ideò necesse est discerni personam & efficaciam Christi, à ministris & externo ipsorū ministerio: ita tamen, ut externum etjam ministerium sit Christi, & per illud doceatur esse efficax. Non autem talem facit antithesim Iohannes. Ego baptizo aqua, sine remissione peccatorum, & sine Spiritu: ille verò baptizabit aqua & Spiritu. Christus enim suis manibus neminem aqua tinxit, Iohan. 4. Nec dici potest, Apostolos ipsos per se dedisse Spiritum sanctum, quando baptizabant: hoc enim solius Christi proprium est: sed qui efficax fuit per ministerium Petri & Pauli, ejus etjam fuit illa efficacia, quę in Iohannis ministerio fuit. Neque enim inefficax fuit ministerium Iohannis, quem Angelus prædicit multos conversurum ad Deum. Atque ideò Iohan. 1. vox Patris ad Iohannem Baptistam de Christo loquitur, non in futuro, sed in præsenti: Ipse est, qui baptizat spiritu. Et ne illa Christi efficacia prorsus tollatur ex ministerio Baptistæ, in ipso Iohannis baptismo Spiritus sanctus corporali specie columbæ descendit super Christum: ut ex plenitudine ejus omnes acciperent, nō tantùm qui posteà à discipulis Christi baptizandi erant: Sed Iohannes loquitur in præterito, etjam priusquam Christus inciperet per ministerium suorum discipulorum baptizare: Nos inquit, omnes ex plenitudine ejus accepimus. Baptistæ enim esse illa verba, Origenes rectè contendit. Et hoc est, quod Matthæi tertio, Baptista inquit: Ego opus habeo, ut à te baptizer. Non autē loquitur de Baptismo aquæ: ita enim Christus non baptizauit, Iohan. 4. intelligit ergo Baptismum spiritus. Atque ita Baptista fatetur, se à Christo baptizatū esse spiritu: quitamen aqua, nec à Christo, nec ab Apostolis baptizatus est. Licet non negem, efficaciam posteà ampliorem & illustriorem fuisse in externo ministerio ipsius Christi & Apostolorum. Minimum enim in regno cœlorum, Christo scilicet iam revelato, ipse pronunciat majorem esse Baptista, Matthæi 11. Nihil igitur aliud sibi vult, illa de qua disputamus Baptistæ sententia, quàm quod Paulus pluribus explicat de suo etjam ministerio, 1. Corin. 3. 4. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus. Et tamen inquit: In Christo Iesu per Evāgelium ego vos genui. Item: Ministri sumus, per quos credidistis. Et planè eodem modo de Baptista inquit Iohannes Apostolus, ut omnes crederent per ipsum. Non igitur sine efficacia spiritus fuit ministerium Baptistæ: credere enim est donum Spiritus.

Locus Actor. 19.

Alter locus, qui in hac disputatione plurimùm jactatus fuit à Donatistis, quo etjam Augustino multum negocij fecerunt, est historia Actor. 19. Quæ narrare videtur, discipulos quosdam credentes, qui confitebantur se in Iohannis Baptisma baptizatos, jussos esse à Paulo baptizari in nomine Domini Iesu. Sed nec ille locus certò, manifestè & necessariò probat, omnibus qui vero Iohannis Baptismo legitimè baptizati erant, necessarium fuisse iteratò aqua baptizari à discipulis Christi: multò minus hoc probat, Ioannis Baptismum fuisse in credentibus, sine remissione peccatorum. Ex locis enim obscuris, ambiguis & controversis, nihil potest probari. Variis autē modis locus ille ab interpretibus explicatur. Quidam ut Anabaptistas commodius refutent, contendunt, duodecim illos non fuisse bis aqua tinctos, primùm à Iohanne, & posteà à Paulo: sed semel tantùm fuisse in aqua baptizatos. Et ex illis quidā Baptismi vocabulū in priori parte sententiæ, nō pro tinctione aquæ, sed pro institutione & doctrina accipiunt: sicut totū ministerium Iohannis, appellatur Baptismus. Actо 18. Apollo tantùm sciebat & docebat Baptisma Iohannis: vt sensus sit, In quid baptizati estis, hoc est, Qua doctrina imbuti & initiati estis. Et illi sentiūt, duodecim istos fuisse quidem instit utos doctrina Iohannis, nō autem baptismo ejus baptizatos, sed posteà semel tantùm in nomine Iesu baptizatos. Alij vocabulū Baptismi in priori parte historiæ *Diversa vocabuli Baptismi usurpatio.* propriè accipiunt, in altera verò parte accipiunt vocabulū Baptismi metaphoricè, pro admirandis & conspicuis illis donis Spiritus, quæ Christus vocabulo Baptismi appellat, cùm inquit Actor. 1. Baptizabimini spiritu. Et illorum sententia est, fuisse illos Baptismo Iohānis baptizatos, nō autē posteà aqua à Paulo tinctos: sed particulā καὶ, sicut alibi sæpè, ita etjam hìc esse ἐξηγουμενικὴν. Baptizati sunt in nomine Iesu, hoc est, cùm Paulus imposuisset ipsis manus, venit spiritus super eos. Sed vtraq; explicatio habet aliquid coacti, nō vbique servans & simplicitatem & perspicuitatem textus. Quidā igitur confiderantes particulam μὲν, cujus redditio est particula δὲ illud κωλὺν, His auditis baptizati sunt in nomine Iesu, nō accipiunt, ut sint verba Lucæ historici, de duodecim illis, sed ut sit continuus contextus orationis Paulinæ, hoc sensu. Iohannes quidem baptizavit Baptismo pœnitentiæ, fide in venturum Christū: ἀκούσαντες δὲ hoc est, qui verò audiverunt (illam scilicet Baptistæ doctrinā de fide in Christum) baptizati sunt in nomen Domini Iesu: hoc est, idem fuit, ac si ab Apostolis baptizati essent. Et Græcus contextus illam explicationem facilè patitur & admittit. Sententia etjam huic valdè cognata, extat in Glossa, quæ vocatur Interlinearis, licet verba illa accipiat esse Lucæ historici: cùm scilicet duodecim illi audirent, nihil distare inter ministerium Iohannis & Apostolorum, nisi quòd Iohannes in venturum eum quem Apostoli venisse testabantur, baptizasset: statim id receperunt, non rebaptizati: sed audita hac declaratione, Baptismus Iohannis ipsis fuit baptismus in nomen Domini Iesu. Ioannes enim ita baptizauit, ut juberet credere in Christum Iesum. In ipsis igitur nomen baptizati sunt quos Iohannes baptizavit. Sumpta autem est illa glossa ex Ambrosio de Spiritu sancto, libro 1. cap. 3. cujus integram sententiam suprà adscripsimus. Disputat enim de vero & legitimo Baptismo Iohannis, non de duodecim illis, quos sentit adulterinum Baptisma, sub Ioannis nomine accepisse. Et hæc explicatio pulchrè convenit cum eo, quod sub finem 18. capitis de Apollo scribitur: quem quia tantùm Iohannis Baptisma sciebat, accuratius quidem in via Domini instituerunt: aqua autem ipsum rursus baptizasse non

non leguntur, sed plenius institutum, discipulis commendārūt. ut pro Christiano susciperetur. Hæc sententia Glossæ, valde simplex & commoda est: & Longobardus etjam disputat, eos qui spem non ponebant in ceremonia illa Iohannis sed credebant in Patrem, Filium & Spiritum sanctum, non fuisse postea iteratò aqua baptizatos à discipulis Christi. Quòd autem objici potest, sine Spiritu sancto non esse vel gratiam Dei, vel remissionem peccatorum, & illos duodecim quamvis Iohannis Baptismo baptizati dicūtur, tamen primùm per impositionem manuū, Spiritū sanctum accepisse: non difficilis est responsio. Ipse enim Lucas explicat, se appellatione spiritus intelligere conspicua illa dona ejus, sicut accipitur Iohan. 7. Aut si simpliciter accipiatur, sequetur, ne in Christi quidem Baptismo datum esse Spiritum sanctum. Nam post baptismū Christi cùm Paulus manus ipsis imponeret, scribuntur accepisse Spiritum.

Sunt tamen, quibus videtur contextus historiæ omninò hanc reddere sententiā, quòd duodecim illi primùm fuerint Iohannis Baptismo baptizati, & postea à Paulo in nomen Iesu baptizati. Et Ambrosius quidem illam sententiam ita explicat in 3. cap. ad Galat. Sentit enim duodecim illos in adultero Baptismate, sub nomine Baptismi Iohannis, fuisse non tinctos, sed sordidatos: quos ideo Paulus in Trinitatis nomine baptizari præceperit. Idem etjam disputat lib. 1. cap. 3. de Spiritu sancto. Et ad hanc interpretationem posset illud accommodari, quod nō simpliciter confitentur se baptizatos esse Iohannis Baptismo, sed εἰς Ἰωάνου βάπτισμα. Quid enim phrasis illa valeat, mox explicatur, ubi dicuntur baptizari εἰς τὸ ὄνομα Iesu. Idem enim est, quod Rom. 6. Paulus dicit: Quotquot in Christum baptizati sumus, in mortē ipsius baptizati sumus. Et 1. Cor. 1. Non estis baptizati in nomen Pauli, Ex confessione etjam ipsorū. & ex Pauli responsione colligi videtur, ita ipsos fuisse baptizatos, ut nec Spiritum sanctum sciverint, nec in Christum crediderint, sed in illa ceremonia Iohannis spem posuisse videantur: ut fuerit quædam παλιλλαλία, imò manifesta depravatio & adulteratio baptismi Iohannis. Atqui ita ambæ historiæ, non malè cohærebunt. Apollo baptizatus vero & genuino Iohannis Baptismo, non rursus tingitur aqua, sed plenius instituitur: duodecim verò illi, quia nō magis baptizati erant, quàm qui Pharisæorum Baptismo tincti erant, Mar. 7. non rebaptizati, sed verè primùm à Paulo baptizati sunt. Hanc sententiā etjam Longobardus amplectitur & sequitur. *Augustinus.* Augustinus verò sentit, duodecim illos vero Iohannis baptismo baptizatos, & tamen postea etjam à Paulo baptizatos. Censet enim aliud esse Iohannis baptismum, aliud Christi: ita ut qui Iohānis baptismum habebat, illi postea etjam necessarium esset, Baptismum Christi susscipere. Et hanc tamen suam sententiā defendit à rebaptizatione. Anabaptismus enim est unius & ejusdem Baptismi iteratio. Ad hanc sententiam videtur facere, quòd Lucas ipsis tribuit testimonium, quòd fuerint discipuli, hoc est, Christiani, sicut tunc appellabantur: & Paulus ipsis tribuit fidem, cùm inquit πιστεύσαντες. Inde ex recentioribus etjam quidam sentiunt, nihil esse incommodi, si duodecim illi accipiantur primū Iohannis baptismo baptizati, & postea à Paulo, in nomen Christi Domini baptizati. Iohannes enim sicut prædicabat, ita etjam baptizabat in Christum venturum. Actо 19. Apostoli verò docebant Christum exhibitum: & huic doctrinæ adjunctum habebant Symbolum Baptismum scilicet Christi. Sicut igitur Iohannis discipulis necessariū erat, prædicationem Apostolorum de Christo exhibito susscipere: ita si Symbolum Apostolicæ isti doctrinæ conjunctum susscepisse dicantur, nihil est incōmodi & nulla est rebaptizatio: nec damnatur prior Baptismus, Iohannis scilicet, sicut Anabaptistæ faciunt. Et quod textus dicit, Baptizatos in nomen Christi Domini: idem est ac si diceret, in nomen Christi exhibiti. Deus enim Iesum crucifixū, fecit Christum & Dominum, Act. 2.

Has varias interpretationes historiæ Actо 19. ideo recensui, ut ostenderem, non esse sufficientem causam, cur qui vnam sententiam amplectitur, diversum sentientes statim anathemate damnet: utq; Pontificiis telum hoc cui non parum fidunt, excuterem. Quomodocunque enim historia illa accipiatur, non potest inde certa, evidenti & necessaria consequentia concludi, in Baptismo Iohannis nullam fuisse efficaciam, & credentes ibi nec gratiam, nec remissionem peccatorum accepisse. Eadem enim ratione sequeretur, vel circumcisos non fuisse baptizandos, vel nullam fuisse circumcisionis efficaciam in credentibus.

CANON II.

Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi: atq; ideo verba illa, Domini nostri Iesu Christi. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæretico in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.

CANON IIII.

Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.

EXAMEN.

Quæ in tribus hisce Canonibus traduntur, partim sunt extra controversiam, partim antea sunt explicata. Ad celebrandum enim Baptismum, necessariò requiri aquam, nemo nunc (quod ego quidem sciam) in dubium vocat. Et quia Baptismus est lavacrum aquæ in verbo, Epheſ. 5. ideo & Iohannes & Apostoli, non alios liquores, sed aquam elementarem ad Baptismum acceperūt: eamq; non prius peculiaribus exorcismis consecratam, sed sine discrimine simplicē, vulgarem, & ubique obviam. Verbo enim institutionis, in ipsa actione accedente ad elementum aquæ, judicārunt verè consecrari & sanctificari Baptismū, ut sit lavacrum regenerationis Spiritus sancti. Non igitur improbatur nobis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aqua de necessitate Baptismi.

quòd secundus Canon dicit, aquâ veram & naturalem esse de necessitate Baptismi. Hoc enim modo ipsi concedunt & confirmant, benedictionem fontis (sicut vocant) sive aquam consecratam non esse de necessitate Baptismi. Et multæ ociosæ quæstiones de aquis distillatis, de humoribus mixtis, de nive, de glacie, &c. ita præcidduntur. Quod ad locum Iohan. 3. attinet, si quis in eo vocabulum aquæ, ita ad metaphoram detorquet, ut vel doctrinam de Baptismo convellat, vel sentiat, Sacramentum Baptismi possessivè aqua celebrari: is meritò improbatur. Aliàs

Basilius.

nō ignoramus, Basilium ita locum illum interpretari, ut aquæ intelligat significari in Baptismo mortificationem, spiritu verò vivificationē. Quod IIII. Canon de Baptismo, qui etiam ab hæreticis, servata forma institutionis datur, decernit: nos etiam docemus, sicut antiquitas doctrinæ hujus fundamenta contra Donatistas, in Scriptura eruditè monstravit. De intentione verò dictum est in explicatione Canonis XI. sicut & de necessitate Sacramentorum dictum est in IIII. Canone, de Sacramentis in genere. Nihil igitur addam sed ad alia in quibus explicatione aliqua opus erit, transeamus.

CANON III.

Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit.

EXAMEN.

In aliquot Canonibus sequentibus, boni patres sumpserūt sibi propositiones aliquot, truncatim excerptas ex Lutheri libello, De captivitate Babylonica: non refutandas, sed (quod facilius est) sine argumentis damnandas. Lutherus igitur qui concedit, Sacramentum Baptismi inter multas & varias humanorū rituum pompas, tamen quoad materiam & formam, etiam in Pontificia Ecclesia illibatum mansisse, valde graviter conqueritur, doctrinam de usu & virtute Baptismi, pertinente ad totam Christiani hominis vitam, in regno Pontificio partim silentio sepultam, partim depravatā esse. Cùm enim Scriptura, in doctrina de salutari usu Baptismi,

Baptismi usus in quibus cōsistat.

præcipuè duo hæc urgeat & inculcet, promissionem scilicet salutis, quæ ceremoniæ Baptismi voce divina annexa est: & fidem, quæ promissionem illam apprehendit, amplectitur, retinet & conservat: conqueritur Lutherus, in tot immensis librorum, quæstionum, & summarum plaustris de Baptismo, vix tamen alicubi hujus promissionis & fidei mentionem fieri: sed in ipsorum locum invectam esse in Ecclesiam, opinionem operis operati. Cumq; usus & virtus baptismi, per totam Christiani hominis vitam durare debeat: Pontificij docent, per peccatum post Baptismum commissum, virtutem Baptismi amitti, & quasi irritam fieri: ita ut in illis qui postea pœnitentiam agunt, nullus sit usus Baptismi: sed alia accipienda sit tabula, qua ad portum salutis vehamur, nostra scilicet contritione, confessione & satisfactione. Hanc Babylonicam Ecclesiæ captivitatem Lutherus deplorat, quòd doctrina de salutari usu & virtute Baptismi, in regno Pontificio obruta & sepulta jaceat, traditionibus & opinionibus votorum, religionum, operum, satisfactionum, peregrinationum, indulgentiarū, sectarum, &c. Monstrata verò ex verbo Dei via & ratione, optat & consulit, ut necessaria huic doctrinæ, vera & genuina sua puritas restituatur. Hæc est Lutheri querela. Et nunc quidem post tot annos, Tridentina synodus purulento huic corporis sui ulceri, gladio spiritus secto, videri vult medicas velle adhibere manus. Arrigat verò diligens Lector aures, quam nobis proponant formam emendationis. Conqueruntur pij, multas non sanas opiniones de usu & virtute Baptismi, in Romanam Ecclesiam irrepsisse: & summis votis hactenus optārunt, ut aliquando institueretur instauratio veræ & sanæ doctrinæ, ex limpidis Christi & Apostolorum fontibus, in verbo Dei patefactis. Et Tridentina quidem cōgregatio prolixè promittit, se coiisse ad eliminandos errores, & extirpandas hæreses, quæ circa Sacramenta pullulārunt. Sed postquam ad rem ipsam ventum est, dum omnium animi expectatione suspensi tenentur, ipsi præteritis vivis fontibus, partim recentes fodiunt cisternas, partim exoletas nobis monstrant lacunas: ut scilicet seposita norma & regula Scripturæ, ea sola & simpliciter censeatur vera esse de Baptismi Sacramento doctrina, quam Romana, hoc est, Pontificia Ecclesia tenet & servat. Hæc scilicet tota est reformatio. Redeas nunc Luthere, & ex verbo Dei accuses Pontificiam Ecclesiam, depravatæ doctrinæ de usu & virtute Baptismi. Didicerunt enim per compendium respondere, ex fallacia illa, quam Aristoteles petitionē principij, Scholæ nugationem vocant.

Lutherus de Babylonica Ecclesiæ captivitate.

Respondet igitur totalis Tridentina synodus, unico valde compendiario axiomate: in Ecclesia Romana veram esse de baptismi Sacramēto doctrinam. Atqui hoc ipsum est de quo quæritur, & cōtrovertitur. Quòd si ex verbo Dei ipsis ostendas vitia & corruptelas doctrinæ de usu & virtute Baptismi, ipsi gladio spiritus obvertunt umbonem suorum anathematum. Si verò quæras, quare potius ex consuetudine Pontificiæ Ecclesiæ, quàm ex norma Scripturæ dijudicari velint doctrinā de Baptismo: imò quare ea, quæ à Scriptura dissident, & cum ea pugnant, objecta sola suæ Ecclesiæ authoritate, tanquam Gorgonis capite defendere & tueri velint: rationē hanc reddunt, quòd Romana Ecclesia sit mater & magistra omnium Ecclesiarum. Quorū prius falsum, alterum verò blasphemum est. Neque enim Romana Ecclesia genuit Hierosolymitanam, Syriacas, Græcas, & Orientales Ecclesias: sed potius ab illis genita est. Magisterium verò fidei, nemini debetur, nisi uni Christo. Ad ipsos enim Apostolos dictum est Matt. 23. Vos nolite vocari Rabbi: unus enim magister vester est Christus. Modestius aliquantò esset, etiamsi falsò affirmarēt, ideo in Romana Ecclesia esse veram de Baptismi Sacramento doctrinā, quòd teneat & servet ea, quæ de baptismo à Christo & Apostolis in verbo Dei tradita sunt. Sed Patribus visa fuit magis cōpendiaria via, ut nudè & simpliciter, sub anathematis

thematis interminatione promulgarent, quæcunq; in Pontificia Ecclesia, de baptismo traduntur, ideo esse vera, quia ipsa sit omnium Ecclesiarum mater & magistra, cui uni competat præcipiendi authoritas, reliquis verò omnibus tantū incumbat obediendi necessitas. Quare igitur compendiarium & verè Pontificium hunc Canonem, nō statim in principio loci de Baptismo, quasi in acie collocârunt: ita enim compendio debellatum fuisset? Intelligat igitur Lector, tantùm pro forma (quod dicitur) factum esse, quòd à die Ianuarij 13. usque ad 3. Martij, quotidianos suos congressus instituerunt: quasi ad normam Scripturæ examinarent doctrinā de Sacramentis in genere, & de Baptismo: cùm quidem hoc ἀίτημα potius quàm dogma, sibi ab initio propositum haberent: Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit.

Sed quid, inquis, facies, si nolis huic Canoni simpliciter assentiri? Num Baptismū qui in Pontificia Ecclesia datur, dānabis? vel pronunciabis, eos non rectè & verè baptizatos esse, qui Baptismū à Pontificiis datum acceperunt? Aut certè si hoc facere nō potes, concedas necesse est, veram esse doctrinā de Baptismo, quæ in Pontificia Ecclesia traditur. Mihi sanè non est dubium, architectos hujus Canonis, eo cōsilio verba ita posuisse, ut si quis non simpliciter omnia, quæcunq; de Baptismo in Pontificia Ecclesia tradūtur, approbet, proclametur Anabaptista esse, qui cēseat neminem sub Papatu rectè & verè baptizatū esse: aut si hoc nolit, cogatur simpliciter totum Papatum probare. Sed ex cornutis illis laqueis facilè nos evoluemus. Opponimus enim huic dilemmati XII. ipsorum Canonem, de Sacramentis in genere, & 4. Canonem de Baptismo. Verum quidem est, quia principalis pars ministerij est doctrina: quod ideo quādo vera doctrina depravatur, & pravæ opiniones stabiliūtur, ipsum ministerium mutatur, & quòd illorum ministeriū, qui doctrinam corrumpunt, ideo relinquendū fit, quia scriptum est: Cavete à pseudoprophetis.

An Pontificiorum Baptismus sit efficax.

Item: Vocem alienorū non audiunt, sed fugiunt ab ea. Simul tamen & hoc verum est partem ministerij, ut Sacramenti alicujus administrationē aliquando posideri etiam ab his, qui in alijs materiis graues errores amplectuntur: imò sæpe habent, administrant, & dant vera Sacramenta illi etiam, qui ipsis Sacramentis assuunt falsas aliquas opiniones, modò substantialia, quæ ad materiam & formam juxta institutionē pertinent, servent: sicut exemplum de circumcisione Caiphæ, Scribarum & Pharisæorum, manifestè testatur. Nullo modo autem sequitur, quia vera fuit circumcisio, quæ à Pharisæis dabatur, ideò etiam veras fuisse omnes opiniones, quas præter & contra verbum Dei, non tantùm aliis articulis doctrinæ, verum ipsi etiam, circumcisioni, traditionibus suis assuebant. Hoc igitur exemplum ostendit veram explicationem argumenti illius, quod specie aliqua objici potest.

CANON VI.

Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcunq; peccet, nisi nolit credere, anathema sit.

EXAMEN.

Augustinus de Civitate Dei lib. 21. recitat & refutat phanaticas quorundam disputationes, promittentium liberationem ab igne æterno, vel omnibus hominib. vel eis tantū, qui Christi baptismate abluti, & corporis ejus sanguinisq; participes facti fuerint, quomodolibet vixerint in quacunque hæresi vel impietate fuerint: vel certè illis solis, qui post accepta Sacramenta, externam professionem catholicam retinent, licet pessimè vivant. Hasce opiniones Augustinus rectè & meritò damnat & refutat: pugnant enim cum illa Pauli sententia, fæpius repetita, 1. Corinth. 6. Gal. 5. Ephes. 5. & Colos. 3. Qui talia agūt, regnum Dei non hæreditabunt.

Et in nostris Ecclesijs ex verbo Dei duriter arguuntur, & seriò damnantur, si qui vel voce, vel vita & factis profitentur, baptizatis ita conferri & dari gratiam, hoc est, reconciliationem & salutem, ut simul accipiāt privilegium turpitudinis: hoc est, ut liberè & impunè possint & audiant se in quantiscunq; sceleribus volutare, & nihilominus in medio ipsorum scelerū proposito, habeant & retineant gratiam. Sicut enim fide accipitur & retinetur gratia: ita incredulitate, ex qua sequuntur mali fructus, hoc est, peccata vastantia cōscientiam, amittitur & excutitur. Qui enim non crediderit, condemnabitur. Et baptizatis Paulus concionatur, cùm inquit: Qui talia agunt, regnū Dei nō possidebunt. Si secundum carnem vixeritis moriemini. Et propter hæc venit ira Dei, super filios incredulitatis. Fidem verò nequaquam docemus esse propositum abjiciendi gratiā, & excutiendi Spiritum sanctum. Nec sentimus, fidem justificantem consistere in sola historica notitia, aut externa professione articulorum fidei. Multò minus docemus verā & justificantem fidem, esse Epicuream in impœnitentia & proposito scelerum persuasionem, de gratia & salute: sicut in priori parte Examinis plenius hæc sunt explicata. Nequaquam igitur agnoscimus nostrarum Ecclesiarum esse doctrinam seu sententiam, quæ eo sicut jam dixi sensu, in VI. hoc Canone rectè damnatur.

Sed inquis: Lutheri hæc propositio est, quæ totidem fermè verbis extat in libello ejus, De captivitate Babylonica. Ego verò animadverti, infidiosè Canonem hunc ita esse fabricatum, ut vel imprudentes Lutherum damnaremus: vel si defendendā susciperemus illā propositionem, coram toto orbe plausibili specie nos traducere possent, quàm profligatè flagitiosa & blasphema sit nostra doctrina. Sed benēres habet. Præclarum enim est Iureconsulti dictum, Incivile esse, lege non tota perspecta, ex aliqua ejus particula pronunciare. Et Lutherus rectè dixit, sceleratum esse, cùm noveris pium & sanum esse alicujus sensum, ex verbis incommodè dictis statuere errorem. In sensu enim, non in verbis est hæresis: ut rectè dixit Hieronymus, à suis calumniatoribus exagitatus. Norunt autem ipsi Pontificij, Lutherum in eo loco non disputare

vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel defendere Epicuream illam opinionem: quæ (ſicut in principio dixi) quia cum verbo Dei pugnat, rectè & meritò damnatur. Lutherus verò in illo ipſo loco diſertè affirmat, baptizatos per peccata cõſcientiam vaſtantia, deſerere promiſſionem gratiæ Baptiſmi, à fide & veritate ejus deficere, item excidere ex virtute & fide Baptiſmi. Longè aliud igitur Lutherum eo in loco agere non ignorant. Et tamen ex media diſputatione, mutilatam & truncatam propoſitionem excerpunt: ut quibus integra diſputatio non eſt nota, vel qui præcedentia & ſequentia non conſiderant, exiſtiment Lutheri doctrinã tàm craſſè & palpabiliter impiã & flagitioſam eſſe. Quale verò hoc artificium ſit, ſive quis ſophiſticum, ſive ſycophanticum potius appellare velit, manifeſtum eſt. Conſideret autem Lector Tridentinam technam. Lutherus enim in illo loco acriter inſectatur Pontificiorum corruptelam: qui docent, per peccata, quæ poſt Baptiſmum committuntur, ipſam Baptiſmi navim illidi, & in tabulas diſſolvi: hoc eſt, vim, virtutem ſeu gratiam Baptiſmi, prorſus amitti & irritam fieri, ita ut in vera pœnitentia, fides ad eam reverti & redire nullo modo & nullo unquam tempore poſsit: ſed jam circumſpicienda ſit alia tabula, noſtræ ſcilicet contritionis & ſatisfactionis, cujus virtute ad portum ſalutis vehamur. Hanc doctrinam, quæ gratiam & virtutem Baptiſmi, tantùm ad unicum illud momentum, quando baptizamur, reſtringit, ita ut per totam vitam poſtea
Lutherus. nullus ejus uſus ſit, Lutherus oſtendit falſam & impiam eſſe. Et ex verbo Dei veram ſententiam in his verbis explicat: Sicut ſemel ſuper nos, lata divina promiſsione Baptiſmi (Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit) vſque ad mortem veritas ejus perſeverat, ita fides in eandem nunquam debet intermitti, ſed uſq; ad mortem ali & roborari, perpetua memoria promiſsionis ejuſdem in Baptiſmo nobis factæ, Quare dum à peccatis reſurgimus, ſive pœnitemus, non facimus aliud, quàm quòd ad baptiſmi virtutem & fidem unde ecciderамus revertimur, & ad promiſsionem tunc factam redimus, quam per peccatum deſerueramus. Semper enim manet veritas promiſsionis ſemel factæ, nos extenta manu ſuſceptura reverſos. Et plenè confortabitur cor pœnitentis, & ad ſpem miſericordiæ animabitur, ſi conſideret divinam promiſsionem ſibi factam: quam impoſsibile eſt mentiri, adhuc integram & non mutatam, nec mutabilem ullis peccatis eſſe, ſicut Paulus dicit, 2. Tim. 2. Si nõ credimus, ille fidelis manet, ſeipſum negare non poteſt. Et mox ſubjicit: Gratiam & ſalutem Baptiſmi, per peccata ſequentia non ita amittit, ut in vera pœnitentia, per fidem nullus ad eam pateat reditus. Si enim redeat fides in promiſsionem divinam, baptizato factam, in momento abſorbentur peccata per eandem fidem: imò per veritatem Dei, quia ſeipſum negare non poteſt. Et tandem de ſecunda tabula contritionis & ſatisfactionis noſtræ concludit: Vanitas vanitatum, & afflictio ſpiritus, quicquid extra fidem veritatis Dei laboratur. Hæc Lutherus.

Hanc verò ſententiam propoſuerunt ſibi Tridentini Patres condemnandam. Cogitarunt autem, ſi explicatè proponerent quid vellent damnare, fore ut piæ aures, ne in ipſa quidem Pontificia Eccleſia, in tanta verbi luce, damnationem ſententiæ, quæ vera & pleniſsima eſt neceſſariæ conſolationis, ferre non poſſent. Hoc igitur artificium invenerunt, ut ſcilicet ex illa diſputatione excerptam propoſitionem, quæ truncatim propoſita, longè aliud ſonat, damnarent: & hoc modo quaſi aliud agentes, totam illam diſputationem, quæ ipſos admodum urit, anathemati ſubjicerent.

Et hoc Lector diligenter notet. Fallacia enim eſt in vocabulo amiſsionis gratiæ Baptiſmi: quã amiſsionem per peccata contra conſcientiã fieri, & niſi agatur pœnitentia, manere non eſt dubium. Sed ipſi amiſsionem ita intelligunt: quòd licet quis poſt lapſum pœnitentiam agat, tamen etjam per fidem, nullo unquam tempore, ad gratiam in Baptiſmo promiſſam redire poſsit. Ego ſanè principio, cùm Canonem illum ſemel atq; iterum perlegiſſem, ſophiſma illud nõ animadvertebam: cujus tamen conſideratio, multa in hoc Canone monet.

CANON VII.

Si quis dixerit, baptizatos per Baptiſmum ipſum ſolius tantùm debitores fidei fieri, non autem univerſæ legis Chriſti ſervandæ, anathema ſit.

EXAMEN.

Vt eò facilius quid ſibi Canon hic velit, aperiatur, primùm ſimpliciter dico, ſi qui ſentiunt vel docent, baptizatos per Baptiſmum tantùm debitores fieri ſolius fidei, hoc eſt, hiſtoricæ notitiæ articulorum fidei, & externæ profeſsionis: ita ut peculiari privilegio, prorſus exemptos ſe eſſe arbitrentur à ſubjectione & obedientia mãdatorum Dei: utq; liberum & arbitrarium ſibi eſſe exiſtiment, ſive obſequi mandatis Dei, ſive ea violare, & ſecurè peccatis indulgere poſſe: illos affirmo jure damnari. Sunt enim in ipſum Baptiſmum blaſphemi, quaſi ſit privilegiũ turpitudinis: & pugnant cum doctrina Pauli, Rom. 6. Abſit, ut in peccato maneamus. Conſepulti enim ſumus cum Chriſto, per Baptiſmũ in mortem: hoc ſentientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſerviamus peccato: ſed ſicut Chriſtus reſurrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, &c. Rom. 8. Debitores ſumus, non ut ſecundum carnem vivamus. Roman. 13. Nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis. 1. Iohan. 4. Et nos debemus mutuò nos diligere. Num verò hæc ſententia quæ vera eſt, patientur ſibi Pontificij ſatisfieri à nobis in hoc Canone? Sanè non arbitror. Aliud enim eſt quod in hoc Canone cudunt, quã prima fronte ſe offerat.

Promiſsio Baptiſmi offert & confert gratiam Dei, Tit. 3. remiſsionem peccatorum, Acto. 2. ſtipulationem bonæ conſcientiæ erga Deum, 1 Petri 3. regenerationem ſpiritus, Tit. 3. ingreſſum regni cœlorũ, Iohan. 1 ſalutem, Marc. 16. hæreditatẽ vitæ æternæ, Tit. 2. 3. per & propter mortem & reſurrectionem Chriſti, Roma. 6. 1. Pet. 3. Et hæc beneficia Deus vult fide à nobis accipi, juxta dictum Chriſti: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur: Noſtri igitur ex hoc fundamento docent, ut promiſsio & gratia illa Baptiſmi nobis ſit rata & firma, non pendere eam ex conditione legis à nobis impletæ, ſed requiri tantùm fidem, qua gratuita illa beneficia, quę nobis propter Chriſtum donantur, ad nos recipiamus. Fides enim accipit promiſsionem Baptiſmi, Marci 16. Lex verò non eſt ex fide, Galat. 3. Et fides perpetuò manere incerta, promiſsio etjam nec rata nec utilis eſſe poſſet, ſi penderet ex conditione legis à nobis impletæ. Qui enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt: Galat. 3. Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſsio. Roma. 4.

Scopus quorſum tendat hic ſeptimus Canon.

Hanc doctrinam in ſeptimo hoc Canone vellicant Pontificij: & expreſsè quidem non audent dicere, efficaciam Baptiſmi pendere ex cõditione impletæ à nobis legis: nec tamen diſsimulant quid velint. Mutuantur enim ex 5. capite ad Galatas illam phraſin: Qui circumciditur, debitor eſt univerſæ legis faciendæ. Atqui hæc Paulus non de vero & principali uſu circumciſionis dicit, quam Roma. 4. tradit fuiſſe ſigillum juſtitiæ fidei, cui opponit juſtitiam legis, & opera: ſed ex pſeudoapoſtolorum opinione de circumciſione tanquam noſtro opere dicit hoc conſequi. Addit autem qui ea opinione circumciditur, ut fiat debitor univerſæ legis ſecundæ ad promerendam gratiam & ſalutem, & Chriſtum nihil prodeſſe, evacuatum eſſe à Chriſto, & gratia excidiſſe. Hæc conferantur ad verba VII. hujus Canonis, quibus affirmatur, Baptiſmũ debitores facere univerſæ legis Chriſti ſervandæ. Obliquè igitur huc eunt, gratiam Baptiſmi non ſola fide accipi, ſed ad hoc requiri etjam obſervationem mandatorum Dei. Et ad ſtabiliendum hoc dogma, duplici ſophiſmate utuntur: quorum prius eſt. In Baptiſmo abrenunciamus Sathanę, & operib. ejus: & fit ibi obligatio ad mortificationem peccati, & ad novitatem vitæ ut liberati à peccato, ſerviamus Deo, Roman. 6. Ergo non ſolius tantùm fidei cõditio requiritur, ſed & impletionis mandatorum Dei. Nos verò illa non negamus, quæ Paulus Roman. ſexto, de Baptiſmo ſcribit, quæq; in formula abrenunciationis in actione Baptiſmi proponi ſolent: ſed reſpondemus per diſtinctionem, quam Paulus tradit Tit. tertio, ubi Baptiſmum vocat lavacrum regenerationis & renovationis. Principalia autem beneficia Baptiſmi ſunt gratia, remiſsio peccatorum, adoptatio, acceptatio ad ſalutem, & ad hæreditatem vitæ æternæ: ad quæ conditio noſtrorum operum non requiritur. dantur enim propter meritum filij mediatoris. Sed illa beneficia Chriſtus affirmat fide accipi, Marci 6. Poſt accepta verò beneficia, ſequitur donum renovationis, Tit. 3. & illa obligatio, de qua Paulus Roma. 6. concionatur. Ita enim expreſsè inquit: Liberati à peccato, ſervi facti eſtis Deo ad juſtitiam. Et Titum tertio, dicit regenerationem præcedere, & renovationem ſequi. Novitatis verò objectum, eſſe mandata Dei, nemo dubitat. Quæ igitur re ipſa differunt, neceſſariò etjam in docendo diſcernenda ſunt.

Alterum ſophiſma eſt. Quia manifeſtiſsimum eſt, nos baptizari non in Moſen, ſed in Chriſtum: hoc eſt, non in legem, ſed in Evangelium. Pro Evangelio igitur nominant, Legem Chriſti: ut eò facilius confundere poſsint promiſsionem gratuitæ reconciliationis propter Chriſtũ, quæ fide accipitur, cum doctrina de mandatis Dei, quæ noſtram obedientiam requirunt.

Ita in ſingulis Canonibus, ſingula verba referta ſunt Pontificijs technis & artificijs: quę rectè evoluiſſe, præcipua pars eſt explicationis & refutationis.

CANON VIII.

Si quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnib. ſanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta vel tradita ſunt, ita vt ea obſervare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, anathema ſit.

CANON IX.

Si quis dixerit, ita revocandos eſſe homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam, ut vota omnia quæ poſt Baptiſmum fiunt, vi promiſsionis in Baptiſmo iam factæ, irrita eſſe intelligant quaſi per ea & fidei, quam profeſsi ſunt detrahatur, & ipſi Baptiſmo, anathema ſit.

EXAMEN.

Hos duos Canones conjunxi. Vterque enim ſententiam quam damnat, ſumpſit ex Luthero, de captivitate Babylonica: & explicationis fundamenta in utroque Canone eadem ſunt. Et obſervet Lector, qui ſint progreſſus Concilij in VII. Canone, gratuitæ promiſsioni miſceri volebant mandata DEI, de noſtris operibus: & fidei miſceri volebant noſtram obſervationem mandatorum Dei. Iam in hiſce duobus Canonibus, ipſis DEI mandatis, contendunt admiſcenda eſſe hominum præcepta: & obligationi ad divina mandata, adjungi volunt vota humanarum traditionum: ut ita in Baptiſmo, nihil relinquatur ſine fermento ſincerũ & incontaminatum.

Quod autem ad VIII. Canonem attinet, Lutherus ita diſputat: Quando per Baptiſmum à Deo in filios adoptari, & in familiam ipſius recepti & aſcripti ſumus, tunc nos ad obedientiam Deo præſtandam obligari: ſed juxta ipſius mandata, non ſecundum traditiones & mandata hominũ. Poſt inſtitutionem enim Baptiſmi, Chriſtus Matthæi 28 addit: Docentes eos ſervare omnia quæcunque ego præcepi vobis. Et Paulus Rom. 8. tractans obligationem Baptiſmi ad novã obedientiam, inquit: Liberati à peccato, ſervi facti eſtis Deo. Et normam obedientiæ ibidem explicat, cùm inquit: Obediſtis ex corde, in eam in quam traditi eſtis formam doctrinæ. Illas verò ſententias Scriptura oſtendit excluſivè eſſe intelligendas, quod attinet ad conſcientiã, & ad cultum Deo præſtandum (neque enim de politicis & œconomicis conſtitutionibus jam loquimur)

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iacobi 4. Vnus est legislator, potens & salvare & perdere. Colossen. 2. Si mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc decretis mundi tenemini, juxta mandata & doctrinas hominum? Sed per Baptismum complanati, facti sumus similitudini mortis Christi. Roma. 6. Ergo Baptismus ita obligat ad mandata Dei, ut nolit nos traditionibus juxta mandata & doctrinas hominum subjici. 1. Corinth. 7. Sive servus sis, sive liber, es libertus & servus Christi: precio empti estis, nolite fieri servi hominum. Et familiæ suæ Deus insonat, Ezech. 20. In præceptis Patrum vestrorum nolite ambulare, sed in meis præceptis ambulate: ego enim sum Iehova Deus vester. Matthæi decimoquinto: Fruſtrà colūt me mandatis hominum. Ex his fundamentis Lutherus liberè & rectè concludit: Quia Deus in domo sua magna, quæ est Ecclesia, sibi soli vendicat jus & authoritatem gubernandi verbo suo conscientias familiæ suæ, imò liberorum suorū: & quia in Baptismo ad hujus patrisfamiliâs obedientiam nos obligavimus, qui etjam conscientias nostras ab omnibus humanis traditionibus, mandatis & doctrinis liberavit & absolvit, ficut Scripturæ sententiæ manifestè testantur: ideo nec Papam, neque ullum hominem habere jus unius syllabæ cōstituendæ super conscientiam Christiani hominis. Quicquid verò aliter fit, tyrannico spiritu fieri, contra libertatem Ecclesiæ. Christianorum enim conscientiis, nihil ullo jure posse imponi legum, sive ab hominibus, sive ab Angelis. Num verò hæc sententia Christianos absolvit à debita obedientia politici magistratus? Nequaquam. Expresse enim loquitur de illis, quæ conscientiæ imponuntur. Et ipsa obedientia politico Magistratui debita, verbo Dei mandata & sancita est. Num verò nulla debet esse, vel reverentia, vel authoritas ministerij Ecclesiastici? Omnibus modis. Sed non ita, ut habeant imperiū sive merum, sive mixtū in Ecclesia: sed ut habeant ministerium. Quando igitur afferunt doctrinam, vocem & verbum Dei: tunc non hominibus, sed ipsi DEO præstamus obedientiam. Quando verò conscientiis aliquid proponunt, extra, præter, aut contra verbum Dei: tunc Baptismus commonefacit nos & nostræ obligationis, ad obedientiam verbi divini: commonefacit nos etjam libertatis nostræ, à mandatis, doctrinis & traditionibus hominū. Quid verò, si Ecclesia de rebus indifferentib. aliquid statuat quod ad ordinem decorem & ædificationem faciat? Respondeo: Si constitutiones pugnant cum verbo Dei, aut quando assuuntur impiæ opiniones: tunc simpliciter interdicta est obedientia. Quando verò res sunt adiaphoræ, & sine impijs opinionibus proponuntur. tunc valet regula Pauli, 1. Corinth. 14. Omnia fiant decenter, ordine & ad ædificationem. Caritas etjā exemplo Pauli, in obsequium fratrum infirmorum, multa talia quæ sine læsione conscientiæ fieri possunt, facit. Et tamen salva conscientiæ libertate, sine opinione necesitatis, talia servanda sunt. Hæc ideo breviter repetivi, quia video insidias strui quando quæritur, An Baptizati prorsus liberi sint ab omnibus humanis constitutionibus.

Libertas Christianorum.

Lutherus igitur ex obligatione Baptismi fortissimè argumentatur cōtra humanas traditiones, contra doctrinas & mandata hominum in Ecclesia, quibus conscientias baptizatorum volunt gubernare, obstringere & illaqueare. Et admodū dolet Pontificiis vulnus illud, quod Lutherus hoc telo, omnibus ipsorum traditionibus & decretis inflixit, illum enim suum dolorem non potuerunt in VIII. hoc Canone dissimulare. Nihil verò afferunt, quo firmissima & manifestissima illa fundamenta refutare vel conentur saltem: sed tantùm anathema dicūt. Nos verò flagitamus, ut prius ostendant, fundamenta illa vana & falsa esse: interim usurpabimus illud Hieronymi dictum: Quicquid ex Scriptura canonica authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur qua probatur.

Lutherus.

Eadem ratio est IX. Canonis. Nam & illa sententia quæ ibi damnatur, sumpta est ex Babylonica captivitate Lutheri: & continet fundamentum valde evidens & forte, contra Pontificia vota. In veteri enim Testamento, verbum Dei disponebat rationem votorum, de quibus rebus & quomodo fieri possent: in novo verò Testamento, Christus & Apostoli nihil nobis præscripserunt de peculiaribus votis. Sed in Baptismo, ex præscripto verbi Dei, fit generalis professio, votum seu promissio, qua nos Deo subjicimus, & obligamus ad obedientiam. Ad professionem igitur Baptismi, rectè & meritò exigenda sunt omnia Christianorum vota quæ legitima censeri debent. Regula autem & norma voti, quod in professione Baptismi emittimus, est sententia illa Christi Matthæi 28. Docentes eos servare, quæcunque ego præcepi vobis, Et Roma. 6. Liberati à peccato, servi facti estis Deo, traditi in formam doctrinæ Apostolicæ. Colossen. 2. Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc decretis mūdi tenemini, juxta mandata & doctrinas hominum? Et hæc cùm ita se habeant, conqueritur Lutherus, baptizatorum conscientias onerari, implicari infinitis alijs votorum legibus, ab hominibus constitutis, quædam enim sunt vota religionum, quædam peregrinationum, quædam aliorum operum, & illis legibus & opinionibus votorum, quæritur & fidei & Baptismo detrahi. Quasi enim ipsum Baptismi votum non satis sit vel præstans, vel sufficiens, conquiruntur & cumulantur alia: quibus conscientiæ ita occupantur, ut & memoria Baptismi obruatur, & dignitas ejus extenuetur. Disputatur enim & statuitur, opus intra tale votum factum, esse præstātius, & infinitis præmiis præferendum, quàm si extra tale votum simpliciter ex divino mandato fieret. Adduntalij ingressum religionis esse velut novum Baptismū: quod deinceps liceat toties renovari, quoties ab integro propositum religionis renovatur. Et inter hos strepitus opinionum de votis, vix quisquam Baptismum suum recordatione dignatur. Leges etjam, vincula & laquei votorū, pugnant cum libertate à mandatis & doctrinis hominū, in quam per Baptismum collocantur, Colos. 2. Et quia in Baptismo abundè, & plus quàm possimus implere vovimus, sat etjam negotij habituri, si per totam vitam huic uni intenderemus:

Vota varia in Papatu eaq; pernitiosa.

censet

censet igitur Lutherus, satis esse, ut sublatis & omissis aliis votis, quæ nec Dei mandatum, nec Scripturę exemplum habent, omnes Christiani revocentur ad Baptismi vota. Hæc est Lutheri disputatio. Quid verò simplicius, quid clarius, quid verius, quid utilius dici posset? Sed seriò malè habet Pontificios, ex simplici fundamento Baptismi, tàm evidenter, tàm solidè, & tàm potenter enervari & everti omnia vota Pontificia. Et quia in examine votorum, tantoperè sibi timent à regula & norma professionis Baptismi, ut qua animadvertunt omnia sua vota jugulari: prolixum igitur IX. hunc Canonem opposuerūt, in quo tamen solicitè cavent, ne ex Scriptura vel suam sententiam confirment, vel contraria argumenta refutent: sed quod ipsos urit, simpliciter tantū unico anathematis vocabulo repellunt. Agnoscit autem Lector, fundamenta ex professione Baptismi firmiora & evidentiora esse, quàm quæ piis animis, quorum pedibus lucerna est verbū Dei, tàm leviter excuti possint. Satis igitur est monuisse, quid sit, quòd clementes istos Dei miseratione patres, tantopere in duobus hisce Canonibus commoverit.

CANON X.

Si quis dixerit, peccata omnia quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.

EXAMEN.

Principiò considerandum est, quæ & qualis sit sententia illa, quam in X. hoc Canone damnant Pontificij: deinde nō obscurum erit videre, quo artificio illud faciant. Lutherus igitur de captivitate Babylonica, inter cætera in doctrina Pontificia reprehendit & hanc periculosam, falsam & pernicioſam opinionem, quòd finxerunt, gratiam Baptismi, valere tantùm ad remissionem peccatorum præteritorū, vel quæ Baptismi tempus in homine invenit: ita ut si post Baptismum aliquis in peccatum labatur, etjamsi pœnitentiam agat, & vera fide ad promissionem gratiæ, & reconciliationis, propter meritum Christi in Baptismo sibi oblatam, datam, communicatam, applicatam & obsignatam redeat: nihil tamen amplius ad reconciliationem sibi prosit, gratia promissionis Baptismi. Sed quia per lapsum gratia Baptismi ita sit amissa, ut fracta & illisa prorsus excidérit, & irrita facta sit, etjamsi in feria pœnitentia per veram fidem peccator ad fœdus illud revertatur, quod in baptismo Deus nobiscū pepigit: ideo in pœnitentia, de peccatis post baptismum commissis, fidem quærere debere expiationem & reconciliationem, non in gratia illius promissionis, quæ in Baptismo nobis oblata, cōmunicata & obsignata est: sed alia circumspicienda, quærenda & tentanda esse media, per quæ consequamur gratiam, reconciliationem, & remissionem peccatorum.

Occasio huius opinionis.

Huic opinioni (inquit Lutherus) præbuit occasionem, periculosum illud Hieronymi dictum, sive malè positum, sive malè intellectum, quo pœnitentiam appellat, secundum post naufragium tabulam. Hinc enim in peccatis post baptismum, de prima tabula seu nave desperantes, velut amissa, secundæ tantùm incipiunt niti & fidere tabulæ, hoc est, propriæ contritioni & satisfactioni. Hinc nata fuerunt votorum, religionum, operum, satisfactionum, peregrinationum, indulgentiarum & sectarum infinita illa onera, & de iis maria illa librorum, quæstionum, opinionum, traditionum humanarum, &c.

Hæc verò opinio falsa, periculosa & pernicioſa est: id quod ex doctrina baptismi, certò & liquidò ostendi potest. Christus enim ipse actionem baptismi affirmat nō tantùm respicere vel præteritum tempus, vel tantùm illud momentum, quādo administratur baptismus: sed utitur certè futuro tempore, cùm inquit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Et dignum est observatione, quomodo Scriptura efficaciam baptismi ad omnia tempora, præsens, præteritū & futurum extendat in credentibus. Paulus enim Tit. 3. inquit: Salvos nos fecit per lavacrū regenerationis. Petrus verò scribens illis, qui diu antè baptizati fuerāt, de suo & illorum baptismo inquit 1. Pet. 5. Baptisma nos salvos facit. Et rationē addit, Quia est bonæ conscientiæ stipulatio erga Deum, per resurrectionem Christi: Quę certè est ratio salutis omnium temporū, sive dum baptizamur, sive post baptismum, vel breui vel diu. Et Paulus Tit. 3. cùm de præterito dixisset: Saluos nos fecit, ne ad præteritum tempus tantū restringatur, addit: Per Iesum Christum salvatorē nostrum, ut ipsius gratia justificati, hæredes efficiamur, secundum spem vitæ æternæ. Et Ephes. 5. dicit, Christū Ecclesiam lavacro aquæ in verbo mundare & sanctificare, ut sistat eam sibi gloriosam, sine macula & ruga. Id quod in altera demū vita perfectè implendū, Augustinus multis in locis tradit. Virtutem igitur, efficaciam & operationem purgationis & sanctificationis baptismi, Scriptura affirmat per totā Christiani hominis vitam, durare & valere: id quod Paulus manifestius, & quidem multis verbis tradit Roma. 6. Et pactum gratiæ, seu fœdus pacis, quod in Baptismo Deus nobiscum iniit, non præteritum tantùm tempus, vel momentum illud, quo baptizamur, respicit: sed æternum est fœdus, sicut inquit Esaiæ 54. In misericordia sempiterna miserius sum tui. Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur: dixit miserator tuus Dominvs. Neque verò hac conditione initum est fœdus illud pacis, inter Deum & inter nos in Baptismo: ut si inde per peccata exciderimus, ita dissolvatur & frangatur, ut etjamsi in vera pœnitentia per fidem ad illud redeamus: Deus tamen illud amplius servare ratum & firmum esse pœnitentibus nō velit. Hominū enim incredulitas, fidem Dei evacuare non potest, Rom 3. Si non credimus, ille fidelis permanet: negare seipsum non potest. 2. Timoth. 2. Et dulcissima extat descriptio Ieremiæ 3. Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens abeo duxerit virum alterum: nunquid revertetur ad eam ultrà? Tu autem fornicata es cū amatoribus multis, tamen revertere ad

Efficacia Baptismi perpetua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

me, dicit Dominus. Ergo saltem amodò voca me, pater meus, dux virginitatis meæ tu es. Ecce locuta es, & feciſti mala. Et dixi cùm feciſſet hæc omnia, Ad me revertere: & non eſt reverſa. Et dixit Dominus ad me: Vade, & clama: & dices: Revertere averſatrix Iſrael, & aſſumam vos &c. Hãc conſolationem ad fœdus Baptiſmi rectè accommodari, oſtendit exemplum à conjugio ſumptũ, Epheſ. 5.

Et ne qua ſit dubitatio, Paulus Galatas poſt baptiſmum lapſos, revocat & reducit ad gratiã promiſſionis baptiſmi, cap. 3. ſicut etjam Corinthios, 1. Corint. 12.

Natura etjam promiſſionis gratiæ in baptiſmo, idem cõprobat. Gratia enim baptiſmi promittit ſalutem per Ieſum Chriſtum, ſalvatorem noſtrum: ut ipſius gratia juſtificati, hæredes ſimus vitæ æternæ. Tit. 3. Atqui hæc generalis eſt ratio juſtificationis, poſt quemcunq; lapſum, Ita 1. Pet. 3. Baptiſma eſt ſtipulatio bonæ conſcientiæ erga Deum, per reſurrectionem Chriſti. Et certè in pœnitentia poſt quemcunq; lapſum, fides hoc quærit, ut conſcientia Deo reconcilietur: idq; propter mortem & reſurrectionem Chriſti. Hæc verò ſubſtãtialia ſunt in promiſsione baptiſmi: quæ ſemel in baptiſmo ita nobis offertur & obſignatur, ut ſit perpetuum ſigillum & teſtimonium, nos admiſſos & receptos eſſe in communionem & participationem beneficiorum Chriſti, & gratiæ Dei, ad remiſsionem peccatorũ, ſalutem & vitam æternam, ſi promiſsionem fide apprehendamus & teneamus, juxta dictũ: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Vt nõ incommodè veteres baptiſmum vocarint primam januam in Eccleſiam, & ad regnũ Dei. Inde enim certi ſumus nos habere & aditum & reditum ad beneficia Evangelij, quia in ejus cõmunionem per baptiſmum collocati ſumus.

Hoc igitur extra controverſiã eſt, quòd agentibus pœnitentiam, patet per fidem aditus, imò reditus ad gratiam Dei, in Chriſto Ieſu. Illud verò nihil aliud eſt, quàm pœnitẽtes & poſſe & debere redire ad promiſsionem gratiæ Baptiſmi. Baptiſmus enim eſt ſolennis obſignatio, & perpetuum teſtimonium, propoſitam & donatam nobis eſſe cõmunionem & participationem beneficiorum Chriſti, ſi credamus: nam qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Eſt autem vera fides, non tantùm quando in ipſa actione Baptiſmi apprehendit promiſsionem gratiæ, verùm etjam quando poſt baptiſmũ eam retinet, imò quando poſt lapſum in pœnitentia rurſus promiſsionem illam apprehendit, vera eſt fides. Et manet quod Chriſtus inquit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.

Neq; verò ſenſus eſt, neminem per quæcunq; peccata poſſe amittere gratiam baptiſmi. Docemus enim, ſi illi qui converſi fuerant, admittant actiones contra conſcientiam, ipſos unà cum fide à ſe excutere gratiam & Spiritũ ſanctum. Sed non ideo ipſa virtus & efficacia Baptiſmi evertitur. Sicut enim aliquis poteſt navi excidere, ipſa manẽte incolumi: ita ex arca baptiſmi, multi temerè in mare perditionis proſiliunt, & pereunt: & hi ſunt, qui deſerta promiſsionis fide in peccatũ ſeſe præcipitant: navis verò ipſa permanet integra. Et ſi per gratiam Dei, is qui exciderat, ad navim reverti poteſt, non aliqua alia nova tabula, ſed ſolida ipſa nave unde exciderat, feretur ad portum ſalutis. Num verò iterum baptizandus eſt qui lapſus fuerat, ut ita ad arcam baptiſmi revertatur? Non hoc dicimus: ſed lapſus doctrina legis invitatur, & ducitur ad pœnitentiam proponitur ipſi doctrina Evangelij, de gratia Dei in Chriſto: & credenti miniſterio clavium peccata ſoluuntur ſeu remittuntur per nomen Chriſti: invitatur ad Cœnam Dominicã, ubi accipit novum Teſtamentum in ſangvine Chriſti. Hæc verò non eſt diverſa, alia & nova tabula, poſt fractã & diſſolutam arcã Baptiſmi: ſed eadem eſt promiſsio, idem meritum Chriſti, eadẽ gratia Dei, eadem fides. Vna enim eſt fides, ad Epheſ. 4. Et baptiſmus eſt perpetuum teſtimonium & ſigillum, nos ad illa beneficia habere aditum & reditum, per fidem, poſt quemcunque lapſum, non ſepties, ſed ſeptuagies ſepties.

Lapſi anteriorum baptizandi.

Prædicatio igitur pœnitentiæ, annunciatio Evangelij, miniſterium clavium, & uſus Cœnæ Dominicæ, non proponunt nobis, poſt lapſum etjam, aliam & novam tabulam, ad reconciliationem cum Deo & ad ſalutem, diverſam ab ea quæ in baptiſmo nobis per promiſsionem Dei oblata, donata & obſignata fuit: ſed tantùm ſunt media, per quæ vel in gratia baptiſmi confirmamur, vel ad eam poſt lapſum revertimur. Hæc ſimplicia, vera, utilia, & manifeſta ſunt. Et ita Auguſtinus etjam docet, De nuptijs & concupiſcentia libro primo, capite 33. Quod Paulus ait Epheſ. 5. Mundans eam lavacro aquæ, in verbo, &c. ſic accipiendum eſt, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo ſanctificationis, omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundentur atque ſanentur: nõ ſolùm præterita peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptiſmo, ſed etjam quæ poſterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur. Non ut Baptiſmus quoties peccatur, toties repetatur: ſed quia ipſo quod ſemel datum ſit, ut non ſolùm antea, verùm etjam poſtea, quorumlibet peccatorum, venia fidelibus impetretur.

Et hæc eſt illa doctrina, quã Tridentini patres obliquis, ſeu potius malignis oculis & torvo ſupercilio aſpexerunt, quando decimum hunc Canonem condiderunt. Obſervet autẽ Lector, cùm ex Pontificiis ſcriptoribus multi expreſsè totam hanc doctrinam damnent, & cõtrariam ſententiam defendant: quod tamen Tridentina cõgregatio non auſit diſertè & expreſsè hoc facere: verita forſan, ſi non propriæ conſcientiæ, at ſaltem piarum aurium in hac Evangelii luce judicium. Tanta eſt vis veritatis. Nec tamen viſum ipſis fuit, doctrinam illã vel approbare, vel ſine atro calculo dimittere. Inventum igitur fuit hoc artificiũ, ut per calumniam aliter quàm à noſtris traditur, ſententiam illam recitarent: ut ita ſub illo operculo doctrinã quam impugnant, damnare poſſent, & vetera ſua commenta ſtabilire. Dicunt igitur anathema illis, qui docent peccata quæ poſt Baptiſmum committuntur, ſola recordatione ſuſcepti Baptiſmi dimitti: hoc eſt, qui ſine pœnitentia in ſceleribus perſeverant & pergunt,

Tridentinorũ calliditas.

pergunt, illis ſi tantùm perfunctoriè & hiſtoricè recordentur, ſe aliquãdo baptizatos eſſe, tali recordatione, peccata dimitti, & quidem ſola recordatione, ut non opus ſit pœnitentia, & miniſterio clavium. Item, omnia peccata quantumcunque atrocia, ſola epicurea recordatione ſuſcepti Baptiſmi, fieri venialia: hoc eſt, ut in illis ſecurè & impunè perſeverare poſsint baptizati. Ita Tridentini. Sed noſtri has ſentẽtias nõ agnoſcunt, Et ne cavillentur, nos aliquid occultare: Epicureas & flagitioſas illas opiniones, ſi quis ita vel ſentit, vel docet, ſonora voce damnamus. Nõ igitur hoc, ſed longè aliud eſt quod ipſos urit: quod quia apertè non audent, ſophiſtica hac perverſione ſtatus damnare voluerunt. Et hoc Lector diligenter ſecum expendat.

CANON XI.

Si quis dixerit, verè & ritè collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fidem Chriſti negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur, anathema ſit.

EXAMEN.

In illa ſententia conſentimus: Neminem verè, ritè, & legitimè baptizatum, poſt quemcunque lapſum, aut etjam poſt abnegatam in perſecutione veritatem, iteratò eſſe baptizandum, quando ad pœnitentiam convertitur, & Deo cupit reconciliari. Sed quando quæritur, quæ ſint cauſæ & rationes, quare legitimum Baptiſma non ſit iterandum, ibi diverſæ reperiũtur ſententiæ. Quidam enim qui ſentiunt, Baptiſmi navem ſeu arcam peccatis illiſam, ita frangi, ut baptizato nulli poſtea ejus ſit uſus, etjam ſi rurſus convertatur: judicarunt aliquoties poſſe repeti & iterari Baptiſmum. Marcion enim ex contortis quibuſdam Evangelij locis, finxit tertio poſſe uni & eidem Baptiſmũ iterari. Secuti ſunt poſtea alij, qui cenſuerunt, quia quotidie peccamus, quotidie etjam iterandum eſſe baptiſmum: qui inde dicti fuerunt ἡμεροβαπτίσται. Iudicarunt enim, pœnitentiã agentes nõ eſſe prohibendos à remedio ſalutis, quod Chriſtus inſtituit. Et quia prior baptiſmus, per peccatum factus ſit irritus: ideo iterandum eſſe, ne peccator pœnitens careat illa promiſsione: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Et Pontificij quidem ab illa opinione, quòd arca baptiſmi per peccatũ frangatur, & prorſus diſſoluatur, non ſunt alieni: ſed tamen non cenſent iterandum eſſe Baptiſmum, Si quæras rationem proferunt recens & incertũ commentum, de impreſsione characteris: & pœnitenti, quia irritus factus ſit Baptiſmus, proponunt non hanc viam ad reconciliationem cum Deo, ut in pœnitẽtia per fidem redeat ad fœdus pacis, & pactũ gratiæ, quod propter Chriſti meritum, in Baptiſmo Deus nobiſcum iniit: ſed alia ipſi proponunt remedia, ad recuperandam gratiam Dei. Vtraque igitur explicatio, in examine hujus Canonis neceſſaria eſt.

1. Baptiſmum non eſſe iterandum, ſive poſt lapſum, ſive poſt abnegationem, quando peccator ad pœnitentiam convertitur.

2. Oſtendantur etjam ex verbo Dei, veræ & graves cauſæ, quare in peccatore baptizato, agẽte poſt lapſum pœnitentiam, Baptiſmum iterare nec liceat, nec neceſſe ſit. Cauſæ autem ſeu rationes præcipuæ hæ ſunt. 1. Pactũ gratiæ & fœdus pacis, quod in Baptiſmo initur & obſignatur, non eſt momentaneum, nec fundatum eſt ſuper arenam vulgaris regulæ:

Cur Baptiſmi iteratio non ſit licita.

Frangenti fidem, fides frangatur eidem: ſed eſt perpetuum, ita ut per pœnitentiam ad illud redire poſsimus: ſicut in præcedentis Canonis examine oſtendimus. Non igitur opus eſt, Baptiſmum iterare. Deus enim perpetuò fidelis manet in ſuo illo pacto. Et ſi iteraretur Baptiſmus, fieret injuria fidei ipſius Dei: quaſi noſtra infidelitas, Dei fidem evacuare poſſet. 2. In inſtitutione Euchariſtiæ, Chriſtus addit: Quotieſcunq; hoc feceritis. De pœnitentia etjam inquit: Non dico ſepties, ſed ſeptuagieſies ſepties. De Baptiſmo verò Scriptura non tradit, ut quoties lapſi fuerimus, toties iterato Baptizemur. Et de Sacramentis judicandum eſt ex verbo Dei. 3. Nullum habemus in ſcriptura exemplum, ſemel verè baptizatos, quando poſt lapſum ad pœnitentiam converſi fuerunt, iteratò fuiſſe baptizatos. Sed Corinthiis & Galatis lapſis, Paulus proponit promiſsionẽ & cõſolationem Baptiſmi prius ſuſcepti, 1. Corinth. 6. & 12. Galat. 3. Sicut igitur in veteri Teſtamento, poſt circumciſionem lapſos, quando pœnitentiam egerũt, non legimus iterum circumciſos fuiſſe, ſed quòd per pœnitentiã redierint ad fœdus circumciſionis, quod perpetuum erat. Eadem ratio eſt baptiſmi in novo Teſtamento, qui in locum circumciſionis ſucceſsit. 4. Auguſtinus in Iohan. tractatu 11. & 12. hanc urget rationem. Sicut generatio carnalis una eſt, ita etjam regeneratio ſpiritualis una eſt. Sicut uterus nõ poteſt repeti, ſic nec baptiſmus: ſemel naſcimur, ſemel renaſcimur, qui verò peccatis vel infirmantur, vel moriuntur, illi vel ſanantur, vel reſuſcitantur. Hæ rationes certæ, firmæ & perſpicuæ ſunt. Præter has quædam etjam aliæ in diſputationibus veterum recitantur, ut quod Auguſtinus alibi inquit: Sicut ſemel Chriſtus crucifixus eſt, ſic Baptiſmus iterandus non eſt. Vna enim morte ſua omnes redemit, ut amplius mori non oporteat. Quod videns Eccleſia, intellexit non iterandum Baptiſmum. Solet etjam huc accommodari, quod Chriſtus inquit: Iohan. 13. Qui lotus eſt, nõ indiget lavari niſi pedes, ſed eſt mundus totus. Quidam etjam locum Hebr. 6. interpretantur de non iterando Baptiſmo, cùm inquit: Impoſsibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, rurſus renovari, &c. Baptiſma enim vocat Paulus renovationem: & veteres vocârunt φώτισμα illuminationem. Accommodatur etjam huc locus, Ephe. 4. Vnũ Baptiſma. Sed una eſt etjam fides. quæ tamen poſt lapſum repetitur. Euchariſtia vocatur unus panis: & tamen ſcriptum eſt, Quotieſcunq;, &c. Priora igitur fundamenta certiora & firmiora ſunt. Doctrina enim hæc, de non iterando Baptiſmo, ita tradenda eſt, ut non tantùm diſputetur, non eſſe iterandum, ſed monſtrentur fontes conſolationum: quod etjam poſt lapſum, quando rurſus convertimur, licet non iterum baptizemur, ta-

Axioma.

Auguſtinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

men reditum & receptum habeamus ad fœdus pacis, & pactum gratiæ, quod in baptismo nobiscum initum & obsignatum est. Et propterea volui hæc de explicatione XI. Canonis, hoc loco addere.

CANON XII.

Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo, anathema sit.

De hac sententia olim antiquis temporibus varia fuerunt disputata: sed nulla nunc hac de re est controversia. Breviter itaque respondeo, nos huic Canoni non invitos subscribere. atque utinam omnes tales essent.

CANON XIII.

Si quis dixerit, parvulos eò quòd actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos nõ esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse baptizandos, aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes, baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.

EXAMEN.

Pædobaptismus.

Multis & magnis contentionibus & turbis, agitata est ab Anabaptistis quæstio de Baptismo infantiũ: & utile est monstrari, explicari, sæpius repeti & inculcari vera, certa, firma & illustria fundamenta ex verbo Dei, quòd & quare infantes sint baptizandi. Et in nostris Ecclesiis Pædobaptismus diligenter & erudite, refutatis Anabaptistarum opinionibus, defensus & confirmatus est. Faciunt autem & Tridentini patres, hujus certaminis mentionem: sed cùm explicare deberent fundamenta, quare in parvulis nõ differendum sit baptisma, donec ad annos discretionis pervenerunt, & quare postea non sint rebaptizandi, qui in infantia baptizati sunt: ipsi præterita necessaria hæc declaratione, litem movent, quam tamen non explicant, de fide infantium baptizatorum, cùm fundamentum, quòd & quare Baptismus etiã ad parvulos pertineat, non sit difficilis & obscura illa disputatio, an & quomodo infantes credant. Alia sunt magis illustria & firma fundamenta, ex quibus veteres Baptismum parvulorum probârunt. Allegârũt sanè traditionem, hoc est, testimoniũ primæ & purioris Ecclesiæ, quòd inde ab Apostolorũ temporibus, uniuersalis & perpetua fuerit cõsuetudo in Ecclesia, etiam parvulis dare baptismum. Sed non sola vel traditione, vel universali consuetudine ita nituntur veteres, quasi propter titulũ traditionis, recipiendus sit baptismus parvulorum, licet nullo Scripturæ testimonio probari & confirmari possit: sed traditionem & cõsuetudinem illam ostendunt niti certis, firmis, aptis & cõsentaneis Scripturæ testimoniis: Christus enim disertis verbis de infantibus (Lucas enim vocat τὰ βρέφη, quæ in ulnis adhuc ferebantur) pronunciat: Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere illos: talium enim est regnum cœlorum.

Non autem ita infantium est regnum cœlorum, sicut Angelorum, qui sine peccato sunt: in peccatis enim concipimur & nascimur? Psal. 51. Quod natum est ex carne, caro est, Iohan. 3. Caro verò regnum Dei non potest possidere, 1. Corin. 15. Eramus natura filij iræ, ad Ephes. 2. Roman. 5. Per unius delictum in omnes homines in condemnationem. Ergò necesse est ut infantes à peccato, ira Dei, & damnatione liberentur, si debent hæredes fieri regni cœlorum. Nemo autem à malis illis liberari potest, & ad regnum cœlorũ pervenire, nisi per gratiam Dei, propter meritũ Christi mediatoris. Iam Christus parvulos disertè vocat, & vult admitti ad communionem suorum meritorum. inquit enim: Sinite eos venire ad me. Et de patris etiam voluntate affirmat, Non est voluntas coram patre vestro in cœlis, ut pereat unus de pusillis istis. Illam autem suam gratiam, Deus non sine mediis offert, exhibet, donat & applicat: sed in hunc usum, certa instituit & ordinavit media seu organa. Et ministerium in Ecclesia ideo instituit, ut media illa seu organa offerant & applicent omnibus illis ad quos pertinet promissio Evangelij, de gratia Dei, & salute æterna. His axiomatis, quæ certa, firma & manifesta sunt, ita cõstitutis, facilè erit de quæstione proposita constituere. Quia enim vult infantes nõ perire, sed affirmat, ad illos etiã pertinere regnum cœlorum & illorum beneficiorum donationem & applicationem, vult per certa à se instituta media seu organa, verbi scilicet & Sacramentorum fieri. Necesse igitur est, ut ex mediis illis divinitus institutis, aliquod sit quod ad infantes etiam pertineat. Neque enim in novo Testamento angustior, parcior & maligner est gratia Dei, quàm in veteri fuit, vbi circumcisio etiam ad infantes pertinebat. Ordine igitur considerentur media applicationis in novo Testamento. *Circumcisionis & baptismi eadem ratio.*

Et nuda quidẽ, aut sola prædicatione pœnitẽtiæ & remissionis peccatorũ cum infantibus agi nõ posse, manifestũ est. Illa enim requirit auditũ, Rom. 10. cogitationem, meditationẽ, Psal. 119. intellectum. Matth. 13. quæ in infantibus nõ inveniũtur. De cœna Domini, Paulus inquit: Probet seipsum homo. Item: Dijudicet corpus Domini, id quod infantibus tribui non potest. Et cœnam suam Christus instituit pro illis, qui jam facti sunt ipsius discipuli. In veteri etiam Testamento infantes 8. die circũcidebantur, ad esum verò agni tunc admittebantur, quando interrogare poterant: Quæ est ista religio? Exod. 12. Superest igitur ex mediis applicationis in novo Testamento, Sacramentum Baptismi.

Et quæstio est, an per Baptismum infantibus regnũ cœlorum applicari & obsignari possit & debeat, cùm per prædicationẽ verbi & Eucharistiã illud fieri nõ possit. Recitabo autẽ ex scriptura argumenta, quæ non obscurè hoc cõfirmant. *Quòd per baptismum infantibus regnũ cœlorũ applicetur, probationis ex scriptura.*

1. Christus de infantibus inquit Matth. 19. Talium est regnũ cœlorum. Sed nemo potest intrare in regnum cœlorum, nisi renatus fuerit, Ioh. 3. Baptismus verò est lavacrum regenerationis. Tit. 3. Oportet igitur infantes baptizari, ut renascantur, & ita in regnũ cœlorum, juxta Christi promissionem introire possint. imo Christus inquit:

inquit: Nisi quis acceperit regnum Dei, velut parvulus, non intrabit in illud, Marc. 10. Adultis verò nemo negat, quò minus renascantvr ex aqua & spiritu, ut introeant in regnum cœlorũ, Iohan. 3. Ergo nec infantibus negandũ est. Adulti enim accipiunt regnum Dei, sicut infantes, juxta Christi sententiam.

2. Non est voluntas patris cœlestis, ut infantes pereant, Matt. 18. Ergo vult eos salvare. Deus verò salvat non sine mediis, sed per lavacrum regenerationis, Tit. 3. Sunt igitur baptizandi infantes.

3. Qui habet peccata, ei ne pereat, necessaria est remissio peccatorum. Illa autem confertur, per media divinitus ad hoc ordinata. Iam Act. 2. Petrus inquit: Baptizetur unusquisq; in remissionem peccatorum. Ergo infantib. ne pereant, dandus est baptismus in remissionẽ peccatorũ.

4. Christus vult & jubet infantes sibi offerri, & ad se adduci, Matthæi 18. Non autem possumus corporaliter & visibiliter Christo in ulnas infantes ponere. De baptismo verò Paulus inquit: Quotquot baptizantur, Christũ induũt, Galat. 3. Et Roma. 6. Qui in Christum baptizantur, in mortem ejus baptizantur: consepeliuntur cum ipso, & insititij fiunt ipsi, Roma. 6. Quia igitur non est dubium infantes esse ad Christum adducendos (hoc enim ipse fieri & vult & jubet) & tantum quæstio est, quomodo hoc fieri possit: Scriptura verò monstrat certam rationem, quomodo possimus infantes eò adducere, ut Christum induant, per Baptismum scilicet: Sequitur ergo, voluntatem & mandatum Christi esse, ut baptizentur infantes, hoc est, sibi adducantur: & pronunciat talium qui ad se adducuntur, esse regnum cœlorum.

5 Christus vult infantibus benedicere, Mar. 10. hoc est, ipsis communicare sua merita, ad salutem. hæc enim vera est benedictio. Gen. 22. Galat. 3. Ephe. 1. Baptismus verò est medium, seu organon, per quod fit communicatio beneficiorũ Christi. Nam per baptismum Christus mundat & sanctificat. Ephes. 5. Baptizamur in mortem ejus. Roma. 6. Baptisma salvat per resurrectionẽ Christi, 1. Pet. 3. Infantes igitur sunt baptizandi, ut ipsis communicetur benedictio, hoc est, participatio meritorum Christi.

6. Christus cùm inquit: Sinite eos venire ad me: vult infantes fieri sua membra, hoc est, Ecclesiæ membra, cujus ipse caput est. Illi enim qui ad Christum veniunt, sunt vera membra Ecclesiæ. Ioan. 6. Sed baptizamur in unum corpus, 1. Corinth. 12. Et Christus Ecclesiam suam sanctificat, & mundat lavacro aquæ in verbo, Ephe. 5. Sunt ergo infantes baptizandi, ut fiant membra Ecclesiæ, ubi caput est Christus.

7. Pro quibus Christus se tradit, ut eos glorificet, illos sanctificat, & mundat lavacro aquæ in verbo, Ephe. 5. Sed pro infantibus et jam mortuus est: quia pro omnibus mortuus est, 2. Corinth 5. Hebr. 7. Et talium est regnum cœlorum, Matth. 10. Ergo & infantes sanctificat, & mundat lavacro aquæ, in verbo.

Argument. Augustini.

8. Bonum est Augustini argumentum, qui ex circumcisione colligit, infantes in novo Testamento baptizandos esse. Baptismus enim successit in locum circumcisionis, Colos. 2. Et idem est fœdus pacis & pactum gratiæ utrobique. Et quia illius fœderis ratio, quoad infantes attinet, Apostolis ex ratione Circumcisionis jam nota erat: ideò Christus cõtentus fuit generali mandato de Baptismo: nec opus judicavit, de infantibus peculiariter aliquid præcipere. Nam nec fœmellarum peculiaris fit mentio, sed sententiæ Matth. 28. Marc. 16 utuntur genere Masculino: & tamen ex causa, ratione & fine institutionis, rectè judicatur etiam fœminas baptizandas.

9. Vniversale mandatum est, de baptizandis omnibus qui nõ sunt condemnandi, sed salvandi, Matth. 28. Marc. 16. Sed inter eos quos Deus non vult perire, sed salvari, sunt etiam infantes. Matth. 18. Ergo mandatum baptizandi, pertinet etiam ad infantes.

10. De tempore novi Testamenti, vaticinatur Isaias cap. 49. non adultos tantùm fore membra Ecclesiæ, sed inquit: Ad populos exaltabo signũ meum, & afferẽt filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et Actor. 2. Cùm Petrus dixisset: Baptizetur unusquisq; in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti: addit, Vobis est promissio illa, & liberis vestris. Ita Act. 16. & 1. Cor. 1. leguntur baptizatæ totæ domus, hoc est, integræ familiæ: ad quas certè infantes etiam pertinent.

Hæ demonstrationes ex Scriptura, sunt certæ & firmæ, infantes non esse prohibendos à baptismo. Deinde accedit uniuersalis consuetudo Ecclesiæ catholicæ, quæ jam inde ab Apostolorum temporibus, semper etiam infantibus Baptismũ communicavit. Fundamentum igitur pædobaptismi nõ est difficilis, & obscura illa disputatio de fide infantiũ. Sed inter argumenta, quæ post constitutam veram sententiam opponi & objici solent, illa sunt præcipua, quòd scilicet in institutione Baptismi, bina illa conjunguntur. 1. docere & baptizare. 2. credere & baptizari. Neutrũ autem, vel doceri vel credere, videtur infantib. convenire. Et ad prius quidem respondetur: verum & certum est, Christum conjungere doctrinam seu verbum, & Baptismum. Non enim vel vulgaris vel muta est lotio, Baptismus: sed est lavacrum aquæ in verbo, Ephe. 5. Et est obsignatio promissionis Evangelij. Baptismus igitur esse nec potest, nec debet sine verbo, sicut Augustinus inquit: Tolle verbum ex baptismo, & quid erit aqua, nisi aqua? Vbi igitur verbum Evangelij nec prædicatum nec susceptum est, ibi non debet Baptismus administrari sive adultis, sive infantibus. Baptismus enim est obsignatio doctrinæ Evangelii. Non autem sequitur inde, infantibus denegandum esse Baptismũ. Est enim pars doctrinæ Evangelij, quòd etiam infantes pertineant ad promissionem novi Testamenti, Acto. 2. ad Ecclesiam, Isa. 49. & ad regnum cœlorum, Matth. 19. Igitur & illa pars doctrinæ per baptismum obsignanda est in infantibus. *Anabaptistarum obiectiones earumq; refutatio.*

Et pædobaptismus non est balneum sine verbo, sed est lavacrum aquæ in verbo, scilicet promissionis de gratia patris, de mũdatione filij, & sanctificatione spiritus, per & propter meritum Christi mediatoris. Connexio igitur verbi & baptismi est, servatur & manet etiam in pædobaptismo:

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptiſmo: & ita ſatisfit inſtitutioni. Si verò quis inſter, Baptiſmum non tantùm debere eſſe lavacrũ aquæ in verbo, ſed etjam docendos eſſe eos qui baptizantur: reſpondeo. Idem etjam in inſtitutione circuncifionis fuit, unde ſimpliciſsimè poteſt hæc objectio explicari. Deus enim Geneſ. 17. prius docet Abrahamum, priuſquam circumcidatur. Et non eſt dubium, ipſum Abrahamum præmiſiſſe doctrinam, priuſquam Iſmaelem & reliquos domeſt: cos circumcideret, ſicut inquit Deus Geneſ. 18. Scio quòd præcepturus ſit filijs ſuis & domi ſuæ, vt cuſtodiant viam Domini. Et utrunq; præceptũ erat in veteri Teſtamento, ut filios ſuos & docerent, Deut. 4. 6. & 12. & circumciderent, Gene. 17. Et in adultis quidem doctrina præcedebat, & circumciſio ſequebatur. Gen. 17. Parvuli verò iubentur circumcidi octavo die, Gene. 17. doceri verò jubentur, quando poſſunt interrogare: Quid ſibi volunt teſtimonia hæc? Deu. 6 Et tamen fuit circumciſio in verbo, etjam quando parvuli octavo die circumcidebantur, licet poſtea primùm pueri facti docerentur. Et Deus ipſe judicavit inſtitutioni ſuæ ſatisfieri, etjamſi in parvulis non poſſet præcedere inſtitutio: modò circumciſio fieret in verbo, & inſtitutio ſuo tempore ſequeretur.

Baptiſmus in novo Teſtamento idem, quod in veteri Teſtamento circumciſio.

Hæc explicatio valde evidens eſt, non tantùm propter ſimilitudinem circumciſionis & baptiſmi, ſed præcipuè quia in novo Teſtamento, eo loco eſt Baptiſmus, quo in veteri fuit circumciſio, Col. 2. Et quia illud ex ratione circumciſionis, Apoſtolis tunc notiſsimum erat: ideo Chriſtus de Baptiſmo parvulorum nihil peculiariter tradidit, ſed contentus fuit generali mandato, de baptizandis omnibus, qui ſaluandi eſſent. Ex Apoſtolorũ etjam ſcriptis illud colligi videtur. Paulus Ephe. 6. ſcribens Chriſtianis parentibus, quomodo educare debeant liberos ſuos, qui eo ætatis jam pervenerunt, ut poſsint parentibus obedire, præcipit de inſtitutione Domini: non autem addit: poſtea primùm eſſe baptizandos. Ita etjam Iohan. cap. 2. prioris Epiſtolæ, Chriſtiana inſtitutionem diſtribuit. 1. pro patribus. 2. pro juvenibus. 3. pro pueris. 4. pro parvulis, quos vocat παιδία, quãdo ſcilicet primùm poſſunt doceri, non autem addit, tunc primùm & poſtea eſſe baptizãdos. Parvulos igitur ſuos primùm in ulnis adduxerunt Chriſto, ut fierent filij Eccleſiæ, juxta vaticiniũ Iſa. 49. Luc. 18. & poſtea ſuo tempore ſecuta eſt inſtitutio Chriſtiana. Atq; ita judicarunt ſatisfieri inſtitutioni Chriſti, de docendo & baptizando.

Alterum verò argumentum propriè pertinet ad explicationem hujus XIII. Canonis, quem nunc tractamus: Quia ſcilicet Chriſtus conjungit, credere & baptizari: an & quomodo infantes qui baptizantur, credant. Et ego ſanè, qui ſimplicitatem amo, etjamſi nec intelligam, nec explicare poſsim, quomodo infantes qui baptizantur, credant: judico tamen ſufficere firmiſſima illa teſtimonia ſuprà explicata, infantes eſſe baptizandos. Neq; enim ab illis propterea diſcedendum eſt, ſi non poſsim vel intelligere, vel explicare, quomodo credãt infantes: exigit tamen explicatio hujus Canonis, ut de diſputatione illa quædã dicãtur. Sunt igitur Scripturæ ſententiæ: Qui non crediderit, condemnabitur. Qui nõ credit, jam judicatus eſt. Qui incredulus eſt filio, ira Dei manet ſuper illum, omnis autem qui credit in eum, non perit, ſed habet vitam æternam. Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit. Sine fide impoſsibile eſt placere Deo, &c. Iam quia infantes qui baptizantur, non pereunt, ſed illorum eſt regnum cœlorum: quæſtio eſt, an infantes qui baptizantur, dicendi ſint credere vel non credere, habere fidem vel non habere, an inter fideles vel infideles numerandi ſint. Et quidam ſimpliciter diſputãt, omnes illas & ſimiles Scripturæ ſententias, tantùm ad adultos pertinere, non autem ad infantes, quos ſentiunt gratia quidem Dei ſalvari, ſed ſine fide: nec tamen volunt, infantes baptizatos inter credulos numerari. Coguntur itaq; ſine Scripturæ authoritate, fingere medium aliquod inter fidem & incredulitatem, inter fideles & incredulos. Huic verò opinioni aſſentiri non poſſunt. Scripturæ enim ſententiæ de fide, uniuerſales ſunt. Et immediatè contraria ſunt, fides & incredulitas, fideles & infideles. Nec ad illum locum, ubi baptiſmus gentibus communicandus inſtituitur, convenit talis interpretatio: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur, hoc eſt, qui adulti fuerint, infantes verò, quæ maxima pars eſt eorum qui nunc baptizantur, non credunt: & tamen cùm ſine fide baptizantur, non condemnantur, ſed ſalvantur.

Simplicior igitur, verior & ſanior eſt Auguſtini ſententia, quia de verbis Apoſtoli, Sermone 14. poſt allegatam Chriſti ſententiam. Qui non crediderit, condemnabitur: interrogat Pelagianum: ubi ponis parvulos baptizatos? Profectò in numero credentium. Nam ideò & conſuetudine Eccleſiæ antiqua, canonica, fundatiſsima, parvuli baptizati fideles vocantur. Inter credentes igitur parvulos baptizatos numerabis: nec judicare ullo modo aliter audebis, ſi non vis eſſe apertè hæreticus. Et hanc ſententiam Auguſtinus alibi ſæpe repetit. *Auguſtinus.*

Quæſtio de fide infantũ.

Sed jam oritur quæſtio multò difficilior & obſcurior, quomodo infantes credãt: ſive qualis ſit fides parvulorũ. De adultorum enim fide, res eſt nõ obſcura. Eſt enim & oritur ex auditu, cogitatione, meditatione & apprehenſione verbi prædicati. eſt aſſenſio in mente, fiducia in voluntate, qua cor erigitur & quietatur. Credens ſcit ſe credere: vult, & conatur fidem retinere, & ſubinde creſcere: luctatur cũ dubitatione, diffidentia & trepidatione: exerit efficaciã ſuã ſignis, & teſtimoniis externis, &c. Sic ergo quæritur, an infantes qui baptizantur, hoc omnino modo credãt: an hæc prorſus ſit ratio fidei in parvulis baptizatis? Auguſtinus reſpondet negativè, inquit enim Epiſto. 23. parvulũ, etſi nondum fides illa quæ in credentiũ voluntate conſiſtit, jam tamen ipſius fidei Sacramentum fidelem facit. Ibidem fidelis vocatur, non ad rem ipſam mente annuendo, ſed ipſius rei Sacramentum percipiendo.

Tractatu in Ioh. 80. Et contra Donatiſtas lib. 4. capit. 24. dicit: parvulos baptizatos nondum poſſe corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem. Epiſtola 57. ad Dardanum inquit: Scire

Scire divina parvulos, qui nec humana adhuc noverint, ſi verbis velimus oſtendere, vereor ne ipſis ſenſibus noſtris facere videamur injuriam, quando id loquendo ſvademus, ubi omnes vires officiumq; ſermonis, ſuperat evidentia veritatis, &c.

De peccator. meritis lib. 1. ca. 19. dicit parvulos baptizatos nondum habere ſenſum fidei. Et hoc eſt, quod invſitata quæſtione dicitur: An parvuli actu credant. Quæ quæſtio ſi hoc modo ut Auguſtinus explicat, intelligatur, manifeſtũ eſt, quid ſit reſpondendum. Nec tamen ideò dicendum eſt, parvulos baptizatos, quia nõ poſſunt eo modo actu credere, ſicut adulti, propterea ipſos nullo modo credere, aut nulla ratione illis poſſe fidem dari à Deo. Sic enim neſciunt Spiritũ ſanctum, quamvis ſit in eis (inquit Auguſtinus) ſicut neſciunt & mentem ſuam, imò vitam ſuam, nec tamen ideò dicendum eſt, ipſos nec mentem nec vitam habere. Laborat igitur Auguſtinus, ut aliquo modo oſtendat, quomodo parvuli dum baptizantur, credant, ne luſus ſit, quando qui infantem ad Baptiſmum offerunt, rogati reſpondent: Credit. Et in multis ſanè locis diſputat, parvulos baptizari aliena fide, vel parentum, vel geſtantium & offerentium, vel totius Eccleſiæ. Sermone 14. de verbis Apoſtoli, epiſt. 23. 57. 105. Contra Donatiſtas lib. 4. cap. 24. &c. *Auguſtinus.*

Et hoc quidam ita interpretantur, quaſi nulla planè ſit Dei actio, nulla fiat operatio ſpiritus ſancti in parvulo dum baptizatur, ſed alius baptizetur, alius verò credat, & aliena illa fides parvulo, in quo Spiritus ſanctus nihil planè operetur, imputetur ad juſtitiam & ſalutem. Sed hæc ſententia, Scripturæ non eſt conſentanea. Hoc quidem verum eſt, aliena fide impetrari ſæpè aliis corporalia beneficia, ut in hiſtoria Cananeæ. Poteſt & hoc aliena fides oratione aliquando impetrare, ut impius per gratiam Dei convertatur, illuminetur, & propria fide donetur. Nemo autem ipſe carens & deſtitutus fide, poteſt juſtificari & ſalvari alterius fide, Roman 1. Iuſtus enim ſua fide vivet, Roma. 4. Nuſquam autem Scriptura tradit, alterius fidem, ſi ego ſim ſine fide, mihi imputari ad juſtitiam.

Et exiſtimo Auguſtinum nõ hoc ſenſiſſe, quòd Spiritus ſanctus in parvulis, dum baptizantur, planè nihil operetur. His enim verbis ſententiã ſuam explicat Epiſt. 57. Dicimus ergo, in baptizatis parvulis, quamvis id neſciant, habitare Spiritum ſanctum. Sic enim eum neſciunt, quamvis ſit in eis, quemadmodũ neſciunt & mentem ſuam, cujus in eis ratio, qua uti nondũ poſſunt, veluti quædam ſcintilla ſopita eſt, excitanda ætatis acceſſu. Et cùm oſtendiſſet, in quibuſdã etjam adultis, hoc neſcientibus habitare Spiritũ ſanctum, addit: Habitare autem ideo & in talibus dicitur, quia in eis occultè agit, ut ſint templum ejus, id quod poſteà perficit in proficientibus, & proficiendo perſeverantibus. *Auguſtinus.*

Et de peccat. meritis lib. 1. cap. 33. Vbi ergo parvulos ponimus baptizatos, niſi inter fideles? ſicut univerſæ vbique Eccleſiæ clamat autoritas. Ergo inter eos qui crediderunt, hoc enim eis acquiritur per virtutem Sacramenti, & offerentium reſponſionem.

Ibidem cap. 25. Parvuli per Sacramentum, quod ad hoc divinitus inſtitutum eſt, in credentium numerum tranſeunt.

Et cap. 19. inquit: Totum hoc in ſpe fit, vi Sacramenti & divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Eccleſiæ.

Et Epiſtola 23. quomodo parvulus, qui baptizandus offertur per officium alienæ voluntatis, regenerari poſsit, ita explicat: Non eſt ſcriptum: Niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel miniſtrantium fide: ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Aliena igitur fides offert parvulum ad Baptiſmum, & ibi aqua forinſecus exhibet Sacramentũ gratiæ: ſpiritus verò intrinſecus operatur beneficiũ gratiæ. Regeneratus ergo ſpiritus in majoribus offerentibus, & parvulo oblato renatos q; communis eſt. Et per hanc ſocietatẽ unius ejuſdemq; ſpiritus, prodeſt offerentium voluntas parvulo oblato. Hæc ſententia manifeſtè oſtendit, Auguſtinum nõ cenſiſſe, paruulos baptizatos regenerari aliena fide, vel parentum, vel offerentium, vel Eccleſiæ: ſed quòd aliena fides, quæ ſtatuit, promiſsionem Evangelij etiam ad parvulos pertinere, offerat parvulum ad Baptiſmum, in quo donetur parvulo Spiritus ſanctus, operans intrinſecus, & occultè, in parvulo.

Sicut in alia quadam ſententia, quam Alenſis citat, Auguſtinus inquit: Fides datur & nutritur in baptiſmo. Hanc ſimpliciſsimè judico eſſe Auguſtini ſententiã: & ita Lutherus etjam eam explicat. Nam de captivitate Babylonica diſputãs, an parvuli poſsint habere fidem? reſpondet: Hic dico, quod omnes dicunt, fide aliena eorum qui offerunt eos, parvulis ſuccurri. Et hoc mox declarat: Sicut verbum Dei potens eſt, dum ſonat, etjam impij cor immutare, quod non minus eſt ſurdum & incapax, quam ullus parvulus: ita per orationem Eccleſiæ offerentis & credentis, parvulum exiſtimat in Baptiſmo, fide infuſa mutari, mundari, & renovari, &c.

Et quomodo hoc ſimpliciſsimè intelligi poſſit, explicatur in formula concordiæ, inter Theologos Saxoniæ & ſuperioris Germaniæ: anno Domini 1536. conſtituta, quòd ſcilicet, quando dicimus infantes credere, aut fidem habere, non ſit imaginandum, infantes intelligere aut ſentire motus fidei: ſed rejicitur error illorum qui imaginantur, infantes baptizatos placere Deo, & ſalvos fieri, ſine actione aliqua Spiritus ſancti in eis: cùm Chriſtus clarè dicat, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Et ſemper cum remiſſione peccatorum dãtur Spiritus ſanctus. Nec quis poteſt Deo placere ſine Spiritu ſancto, Roman. 8. Cùm ergo certum ſit, infantes baptizatos eſſe membra Eccleſiæ, & placere Deo: certum & hoc eſt, Spiritum ſanctum in eis efficacem eſſe: & quidem ita efficacem, ut regnũ cœlorum, hoc eſt gratiam Dei, & remiſsionem peccatorũ accipere poſsint. Chriſtus enim expreſsè hoc affirmat, Mar. 10. Amen dico vobis, niſi quis acceperit regnum Dei ſicut parvulus, nõ intrabit in illud. Parvulis igitur, qui Chriſto offeruntur, nõ tantùm offerri & donari regnũ Dei, verum etjam eos accipere illud, ex hac Chriſti ſententia certũ eſt. Animalis autem homo non accipit illa, quæ *Formula concordiæ inter Theologos Saxo. & ſuperio. Germ.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Spiritus S. etiam in infantibus efficax.

sunt spiritus, 1. Corint. 2. Ergo oportet Spiritum sanctum in infantibus qui baptizantur, efficacē esse, & operari, ut regnum Dei quod in Baptismo offertur & donatur, accipere possint, suo quodā modo, nobis nec satis cognito, nec explicabili. Effunditur autem spiritus regenerationis & renovationis, in eos qui baptizātur, Tit. 3. Ergò & in infantes effunditur. Et licet nec satis intelligamus, nec verbis explicare possimus, qualis sit illa Spiritus sancti actio & operatio in infantib qui baptizātur: esse tamen, & fieri ex verbo Dei, certum est. Illam autem actionem seu operationem Spiritus sancti: in infantibus vocamus fidē, & dicimus parvulos credere. Illud enim mediū seu organon, quo regnum Dei, quod in verbo & Sacramentis offertur, accipitur, Scriptura vocat fidem: & credentes dicit accipere regnum Dei. Et quidem Marc. 10. Christus affirmat, adultos ita accipere regnum Dei, sicut parvuli illud accipiunt. Et Matth. 18. inquit: Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis qui in me credunt. Et inter pusillos istos, etjam παιδίον puerulū numerat. Prætereà circumcisio in genere vocatur signaculum iustitiæ fidei, Rom. 4. Quòd si infantibus circumcisis tribuitur justitia fidei. ergo etjam ipsa fides illis tribuitur. Hanc judico esse simplicissimam sententiam, de difficillima & obscurissima illa quæstione, quòd scilicet infantes in Baptismo non fiant sancti & salvi, sine actione & operatione aliqua Spiritus sancti in ipsis. Accipere enim ipsos regnum Dei, ipse filius Dei affirmat, id quod sine operatione Spiritus sancti, fieri non potest. Et Spiritum sanctum in infantibus, nondum ratione utentibus, hoc efficere posse, licet modus & ratio à nobis nec comprehendi, nec explicari possit, non est dubium, sicut manifesto exemplo in Iohanne Baptista, ostendit. De ejus enim exultatione Angelus inquit: Replebitur Spiritu sancto, adhuc in utero matris. Singulare sanè illud exemplum, non facit regulam communem, ostendit tamen Spiritum sanctū etjam in infantibus operari posse.

Scholasticorum variæ de hac quæstione disputationes.

Scholastici verò & Pontificij Scriptores, quæstionem hanc per se obscuram & difficilem, variis suis disputationibus magis adhuc intricatā reddiderūt. Quidam enim disputant, in Baptismo, in pueris nondum ratione utentibus, nullas infundi virtutes, nec secundum actum, nec secundum habitum, nec secundum radicem, sed in adulta demum ætate, quam infra 30. annum constituunt, eas conferri, vel si in infantia moriantur & baptizati sint, in separatione animæ à corpore, virtutes illis conferri. Alij disputant, in Baptismo conferri, nec habitus, nec actus virtutum, sed radicem earum, quæ sit gratia. Alij radicem illam faciunt characterem Baptismi: & ejus radicis ramos progressu ætatis fieri habitus virtutum, ex quibus sequantur suo tempore actus. Tertij opinātur, in parvulis baptizatis infundi habitus virtutum, non autem actus, seu quo ad usum. Relinquuntur autem illæ opiniones in medio, in constitutione Innocentij de Baptismo, cap. Majores. Clemens verò posteà, in Concilio Viennensi, postremā opinionem probabiliorem judicavit. Quid verò Tridentini nostri? Primùm anathematedamnant, si quis dixerit parvulos qui baptizantur, habere actum credendi. Quòd si intelligant actum credendi, sicut suprà in Augustini sententia explicavimus, non pugno.

Si verò hac particula simpliciter negare volunt, in parvulis qui baptizantur, omnem actionem & operationem Spiritus sancti: certè contradicendum est. De habitu fidei, nullam faciūt mentionem. Opinio igitur illa, quæ in Viennensi concilio probabilior judicata fuit, Tridentinis patribus ita sordet, ut nullam ejus mentionem facere dignentur, cùm quidem ex professo, de infantibus tractatio instituta sit in hoc XIII. Canone. Et tamen non sentiunt, parvulos sine fide baptizari, sed dicunt, ipsos in sola fide Ecclesiæ, baptizari. Quod si ita intelligunt, sicut verba sonant, quòd in Baptismo, in parvulis nulla prorsus fiat divina actio seu operatio Spiritus sancti: falsum esse ostendimus. Sed video, totum hunc Canonem studiosè quodam ambiguè & prolixè esse positum. Volui igitur totam disputationem simpliciter explicare. Videntur enim doctrinam nostrarum Ecclesiarum, de fide infantium obliquè voluisse perstringere, ut scilicet axioma illud obtineant: Sacramenta conferre gratiam sine fide utentis. Si verò Canonem illū, tantùm Anabaptistarum opinionibus oppositum esse. sciunt, nos ab Anabaptistarum secta alienissimos esse.

CANON XIIII.

Si quis dixerit, huiusmodi parvulos baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec aliā interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ab Eucharistiæ, aliorumq; Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.

Sententia quæ in hoc Canone taxatur, Erasmo tribuitur, & quidem, si tantùm exigeret ab adultis publicam & liberam confessionem ejus fidei, in quam parvuli baptizati sunt, nihil haberet incommodi: formula etjam interrogationis excusari posset, extat enim, & quidem fermè durioribus verbis, Iosuę 24. Optio vobis datur, eligite hodie quod placet, &c. Sed tamen sicut in hoc Canone sententia illa recitatur, nolim eam defendere. Illis enim, qui in infantia baptizati sunt, cùm adoleverint, non libera proponenda est optio, utrum ratū habere velint quod in Baptismo ipsorū actum fuit, quasi pactum gratiæ, & fœdus pacis, quod parvulis Baptismo offertur, & obsignatur, tunc primùm incipiat ratum fieri, quando consensus voluntatis adultæ accesserit. Ex hoc enim pravo fundamento. Anabaptistæ simpliciter sustulerunt & damnaverunt pædobaptismum. Sed cōmonefaciendi sunt tales parvuli baptizati, cū adoleverint, quale pactū gratiæ, & fœdus pacis, Deus in Baptismo cum ipsis inierit, & qua promissione gratitudinis, ad obedientiam se vicissim Deo cum abrenunciatione Satanæ obligaverint, & seriò exhortandi sunt, ut pro illo ingenti beneficio, Deo gratias agant, in fœdere illo pacis maneant, & obligationi illi, mortificatione peccati & inchoatione novæ vitæ satisfacere studeant: idq; voluntariè & ex animo faciant, aut si ex ingratitudine, à fœdere illo, & obligatione illa discesserunt, ut pœnitentiam agant, & ad fœdus redeant, stipulatæq; obedientiæ se rursus subjiciant. Secus verò facientibus proponendę & exaggerandę sunt severissimæ comminationes iræ & indignationis divinæ: quibus clavis ligans, retinendo & alligando peccata, excommunicationem addere debet. Hæc enim sunt arma militiæ nostræ, 2. Corinth. 10.

An quis per externā vim ad fidem cogendus.

Coactionem verò ad fidem, quæ per externam vim, & corporales pœnas fiat, Ecclesia Christi ignorat: quæ tantùm habet gladium spiritus. Politico verò magistratui aliter, corporalis scilicet gladius à Deo commendatus est, quo, si pius est, uti potest & debet, sicut ad reliqua scelera, ita etjam ad publicas, externas & notorias blasphemias, præcipuè si seditio accesserit, puniendas: sicut Deus, lata peculiari lege, Magistratui populi Israel hoc præscripsit & mandavit, Deutero. 13. Sed Tridentini mitissimi patres, ideo forsan non sunt contenti gladio spiritus, sed alia prætereà pœna cogere volunt discedentes à pacto Baptismi, ut semper in promptu habeant paratas faces, quibus accendere possint & rogos & funesta bella, si quis non in omnia ipsorum placita jurare velit.

DE CONFIRMATIONE.

CANON I.

Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorū ociosam ceremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quàm catechesin quandam, qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, iniurios esse Spiritui sancto, eos qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, sanctæ confirmationis ordinarium ministrum, non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.

EXAMEN.

Capita in disputatione de confirmatione.

Vt tota disputatio de Confirmatione, breui & commodiori ordine explicari possit, primò recitabimus, quæ sit Pontificiorum doctrina, & sententia de Confirmatione. 2. Ostendemus quomodo illa Pontificiorum doctrina, & sententia, Scripturæ vel cōsentiat, vel repugnet. 3. Dicemus quædam de sententiis, quę ex veterum scriptis pro Confirmatione allegantur. Postremò Canones examinabimus, & repetemus, quomodo Ecclesię nostræ judicent ritum Confirmationis piè, & cum fructu ad ædificationem posse in Ecclesia observari & usurpari. Primùm igitur quæ sit Pontificiæ Ecclesiæ de sua Confirmatione doctrina & sententia, ex ipsorum veteribus & recentioribus Scriptoribus, in vnā summā, quàm fieri poterit breuissimè colligam: & quidem ipsorum verbis, ut majorem fidem habeat narratio, recitabo. Sicut ergo vera Sacramenta, qualia sunt Baptismus & cœna Domini, habent certam materiā & peculiarem formā (ita enim verbum cuiusq; Sacramenti propriū appellāt:) ita etjam Confirmationi suæ certam deputant materiam, scilicet oleum, & illud non simplex, nec vulgare, neque quale est oleum sanctificatum, quod vocant catechumenorū & infirmorum: sed chrisma, hoc est, oleum oliuæ cum balsamo, certa proportione seu δόσει mixtum. Nec verò simpliciter tantùm requirunt mixturam olei & balsami, sed oportet chrisma illud recens esse: hoc est, singulis annis, certo anni die ab Episcopo, pro certis & præscriptis exorcismis & benedicendi formulis consecratum esse, alias enim non puratur esse Sacramentum. Formam verò confirmationis, tradunt esse hæc verba: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et ipsam Confirmationem definiunt esse inunctionem sive illinitionem chrismatis consecrati, quæ fiat ab Episcopi pollice, in fronte hominis baptizati: non in ipsa actione Baptismi, sed posteà in peculiari Sacramento, per modū seu figuram crucis, cum pronunciatione illorum verborum: Signo te signo crucis. &c. In ipsa verò actione, adduntur conceptis verbis aliæ etiam orationes: & dicitur: Pax tecum. Et post illam delibationem, Episcopus pollice primùm chrismatum, tota deinde manu, alapam in faciem cedit. Frons verò vngvento delibuta, panno albo qui septimo pòst die deponitur, circumcingitur, ne recens unctio vel defluat, vel deleatur. Et tandem commendatur susceptoribus. Hæc est actio confirmationis.

Materia confirmationis.

Præcipuum verò caput hujus controversiæ illud est, quomodo de efficacia hujus suæ Confirmationis loquantur. Et non potest breviori compendio, tota illa disputatio proponi, nec rectius intelligi, quàm si hoc consideretur, quòd in hac illorum doctrina, perpetua est antithesis Baptismi & Confirmationis: ita ut quicunque effectus tribuuntur Confirmationi, eo ipso denegentur & detrahantur Baptismo. Quomodo enim, & quare Sacramentum Confirmationis fingant excellentius, dignius, & majus esse, quod majori reverentia venerandum & tenendum sit (hæc enim sunt ipsorum verba) quàm ipse Baptismus: partim sumunt ex ratione ministri, per quem perficitur & administratur, quem oportet Episcopum esse, præcipuè verò sumunt illud ex effectibus, qui sunt præstantiores quàm ipsius Baptismi. Recitant igitur ex Apocryphis, & commentitiis vetustissimorum Romanorum Pontificum scriptis, tales sententias. Vrbanus dicit: Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut plenī Christiani inveniantur. Et pergit Confirmationi tribuere has orationes spiritus: ut scilicet efficiamur spirituales. Animalis enim homo non percipit ea quæ

Confirmatio cur secundū Pontif. dignior Baptismo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ea quæ sunt spiritus Dei, ut cor dilatatur ad prudentiam & constantiam: ut sapiamus bonum malumq; discernere, maliciæ repugnare, pravis cupiditatib. resistere, ut amore vitæ æternæ succensi, mentem à terrenis ad superna & divina erigere valeamus. Hæc Vrbanus. Et meminerit lector, statum disputationis hunc esse, quid Confirmatio conferat, quod Baptismus non habeat. Clemens ipsorum dicit, baptizatum per Confirmationem demum percipere septiformem gratiam Spiritus sancti, & aliter perfectũ Christianum esse nequaquã posse, nec sedem habere inter perfectos, etjamsi baptizatus fuerit, nisi sit chrismate ab Episcopo consignatus. Hæc Clemens. Septiformem autem gratiam spiritus intelligunt, sicut solent numerare septem dona spiritus. In Confirmatione enim, sic inter alia orat Episcopus super confirmãdum: immitte in eum Spiritum sanctum tuum, septiformis gratiæ tuæ paracletum, de cœlis: spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis: & imple eum spiritu timoris tui: & signa eum signaculo crucis sanctæ, propiciatus, & spiritum sanctum non amittat, in vitam æternam.

Et ex Cypriani quodam suppositicio sermone de chrismate hęc verba transsumunt: Et hoc humore constat descendere omnes gratiarum divisiones, quas Spiritus sanctus, pro ut vult, singulis distribuit & largitur. Ex hujus actionis beneficio, & sapientia nobis, & intellectus divinitus datur, consilium & fortitudo cœlitus illabitur, scientia & pietas, & timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo uncti, cum spiritualibus nequitijs colluctamur: ne fœtoribus spuriis imbui possimus, qui balsami spiritualis odore fragramus.

Accommodant etjam ad suam confirmationem, quòd Cyprianus habet Epist. 12. lib. 1. Vngi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, esset unctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit. Et libro secundo, Epist. 1. Tunc demum planè sanctificari, & esse filij Dei possunt, si utroq; Sacramento, Baptismi scilicet & impositionis manuum nascantur. Semper autem meminerit Lector, fieri antithesin inter efficaciam Baptismi, & inter virtutem Confirmationis, ut ea, quæ Confirmationi tribuuntur, in Baptismo dari & accipi negentur. Ita Concilium Laodiceum Canone 48. inquit: Oportet baptizatos post baptismum, sacratissimũ chrisma percipere, & cœlestis regni participes fieri. Cornelius apud Eusebium libro sexto, cap. 46. dicit: Novatum licet baptizatus fuerit, tamen quia signaculo chrismatis postmodum consumatus non fuerit, ideò non potuisse unquam Spiritum sanctum cõsequi. Melchiades de Consecra. distinc. 5. Spiritus sanctus in Baptismo pulchritudinem tribuit ad innocentiã, in cõfirmatione augmentum præstat ad gratiam: in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, in confirmatione roboramur. Hoc Gropperus in provinciali concilio Colonienfi ita explicat: In baptismo filij Dei renascimur, & cœlestis hæreditatis promissionem accipimus: sed ut hanc retineamus, pupillaris tutore opus est. Quare non satis est, in baptismo accipere Spiritum innovantem, nisi & per confirmationis Sacramentum, accipiamus Spiritum tuentem ac defendentem. Nam quatenus Spiritus sanctus in confirmatione datur, paracletus est, qui regenerati in Christõ, & custos & consolator & tutor est. Rabanus de Consecra. dist. 5. In Baptismo Spiritus sanctus descendit ad habitationem Deo consecrandam: in unctione verò cõfirmationis, Spiritus sanctus cum septiformi sua gratia, & omni plenitudine sanctitatis & scientiæ & virtutis, venit in hominem, hoc est, in domum ipsam, quæ per baptismum consecrata est, inquit Durandus. Qui etjam addit, per baptismum animam Christo desponsari, per confirmationem verò ditari & dotari. Iteꝝ, per Baptismum vulnera sanari, per confirmationem verò plenitudinem gratiarum conferri. Addit etjam: Post confirmationem ad confirmatum dici, pax tecum. Et hoc ita explicat: Novus homo, qui secundum Deum creatus est, dignus est salutari: interim verò cùm erat vetus: nõ erat salutandus, sed tantùm erat pro eo orandum. Semper autem meminerit Lector, antithesin esse inter Baptismum & Confirmationem. Concilium Aurelianense, de Consecrat. distinctio. 5. Nunquam erit Christianus, nisi in confirmatione Episcopali fuerit chrismatus. Et glossa dicit: paruulum baptizatum, & non chrismatum, habiturum minorem gloriam, quàm qui etjam confirmatus fuerit, & addit, hoc tunc saltem cõcedendum esse, si ponatur, parvulo in Baptismo conferri gratiam. Et hoc Lector benè observet, posse scilicet gratiam in universo detrahi baptismo, & referri ad chrisma. Concilium Turonense præcipit, sacrum chrisma circumspectè esse custodiendum. Et addit rationem: Ne, inquit, illud vnde Christo incorporamur, & unde omnes fideles sanctificamur, aliquis infidelis tangat. Cõpendium Theologiæ inquit: Confirmatio animam & corpus armat. Animam quidem, per impressionem characteris, contra pusillanimitatis vitium: corpus verò per clypeum crucis, contra insultus dæmonum, contra timorem in confessione nominis Christi audaciam præstat, pugnãtem coronat, quod notatur vitta, quæ circa caput confirmati ligatur.

Concilium Aurelianense.

Gerson ex Hugone.

Gerson citat ex Hugone: Quid prodest, si per Baptismum à lapsu erigeris, nisi etjam per confirmationem ad standũ confirmeris? Et jam colligat se Lector, expendatq; secum. Si hæc omnia, quæ hactenus ipsis Pontificiorum verbis recitauimus, Baptismo detrahuntur, quam egenum, nudum, & miserũ relinquatur Baptismi Sacramentum. Sed paulisper sustine bone Lector, audies enim juxta Danielis vaticinium, os loquens adhuc grandiora & magis horrenda. Ita enim in Põtificali inter cætera Episcopus orat, super balsamum: Clementiam tuam deposcimus, ut huic ungvento spiritualem gratiam largiendo plenitudinem sanctificationis infundas: ut quicunq; baptismate renati isto fuerint liquore perunctí, corporum atq; animarum benedictionem plenissimam consequantur.

Gropperus.

Et quando balsamo oleum miscetur, Pontifex inter cætera ita orat: Sanctæ Trinitatis perfectio te

te benedicat, & benedicendo sanctificet, concedatq;, ut qui exterius inde perunctus fuerit, ita interius liniatur, quòd omnibus sordibus corporalis materiæ carens, se participem regni cœlorum effici gratuletur. Item, ut fiat omnibus qui ex te ungendi sunt, in adoptionem filiorum per S. S. Et in præfatione Pontifex ita inter reliqua canit: Creaturæ hujus pingvedinem sanctificare tua benedictione digneris, & sancti Spiritus ei admiscere virtutem, cooperante Christi filij tui potentia: ut sit his qui renati fuerint ex aqua & spiritu, Chrisma salutis eosq; vitæ æternæ participes, & cœlestis regni faciat esse consortes. Item. Hæc commixtio liquorum, fiat omnibus ex ea perunctis, propiciatio, & custodia salutaris in secula seculorum. Item, ut fiat in adoptionem carnis & spiritus, his qui ex te ungendi sunt, in remissionem peccatorum: ut efficiantur eorum corpora, ad omnem gratiam spiritualem accipiendam sanctificata.

Carmen post consecrationem Chrismatis.

Post consecrationem chrismatis, cantores canunt inter cætera hunc versum: Corde natus ex parentis, alvum implens virginis, pande vitam, claude mortem, consecrato chrismate. Semper autem repetenda est illa cõmone factio, esse antithesin inter Baptismum & confirmationem: ut quod Confirmationi tribuitur, illud eo ipso Baptismus vel habere, vel conferre negetur.

Hæc fermè sunt mysteria traditionũ de Confirmatione apud Pontificios, quæ ipsorum verbis recitavi, ne quis vel fingi arbitrẽtur, vel invidiosius ad prægravandam adversariam partem, exaggerari clamitet. Animadvertit autem hinc Lector, non de re vel levi vel nihili, certamen esse, quando de Confirmatione cum Pontificijs disputatur.

Plenius etjam ex hac narratione intelligetur, quid duo primi Canones de Confirmatione, cõplexu suo involvant & occultent. Et cognito vero disputationis statu, diligentius cõsiderabuntur fundamenta, de quibus vel in confirmatione, vel in refutatione disputatur.

Secundò videndum jam est, quæ & qualia hujus suæ sententiæ habeant & afferant fundamenta. Multa enim, & revera magna sunt, quæ confirmationi suæ tribuunt. Et Andradius meus prolixè rhetoricatur. Cùm tanta sit humanæ naturæ infirmitas, ut præsentis mortis metus nos facilè de fide dejicere atq; deturbare possit: quid si igitur Christus hoc Sacramentum instituit, illi sanguinis sui vim & potentiam impresit, ut fidem nobis in sacro lavacro collatam firmaret, perficeret, atque veluti altissimis radicibus defigeret, quo mentes, tanta hac Spiritus sancti virtute, confirmatas & roboratas, neque periculi tempestas, neque honoris aura posset à fidei cursu vel spe vel metu dimovere? Nos igitur qui sumus, qui divinæ sapientiæ leges imponere, infinitam ejus bonitatem, abditissimaq; ipsius consilia, nostro judicio, tanquam norma quadã metiri volumus, ut ea solùm Christo beneficia accepta referamus, quæ nobis necessaria arbitramur, quæ verò comprehendere non possumus, illa nefariè abjiciamus, aspernemur, conculcemus. Ita Andradius.

Andradius.

Gropperus.

Gropperus etjam declamitat, post Baptismũ, tanquam post transitum mare rubrum, ingrediendum esse vastum hujus mundi desertum: in quo cum hostibus, & internis & externis, carne scilicet, mundo & diabolo priusquam in terram repromissionis perveniamus, sine intermissione dimicare oporteat: quorum hostium impetus tantus est, ut meritò quis hanc inturus luctam terreatur, & abjectis Baptismi thesauris desperet: nisi interim agnoscat, Christum redemptorem adversus hosce insultus, alia parasse remedia, quibus luctantibus nobis subveniret: cumq; inter hæc principem locum obtineat Sacramentum Confirmationis, magnæ esse & temeritatis & arrogantiæ, remedium illud tam utile & tam necessarium, repudiare velle. Ita ille.

Nos verò ô boni, nequaquam ij sumus, qui pericula ab hostibus illis, carne scilicet, mundo & diabolo nobis imminentia, vel ignoremus, vel contemnamus. Nec sanè nostris viribus, ipsorum insultus nos excipere & declinare, atque ita in fide persistere & perseverare posse confidimus. Sed scimus & fatemur necessariam nobis esse gratiam & confirmationem Spiritus sancti, qui indesinenter & indeclinabiliter (ficut Augustinus loquitur) nos ducat, regat, confirmet, roboret, confortet & conservet. Scimus etjam, & fatemur, Spiritum sanctum efficacem esse in credentibus, non ἀμέσως, sed per certa media vel organa divinitùs ad hoc instituta. Et hujusmodi medijs reverenter atq; peculiari cum animi gratitudine utendum esse, sedulo docemus & monemus: Scimus verò & hoc, non privato arbitrio nobis fingenda, vel humana autoritate instituenda esse talia media, quibus Spiritus sancti efficaciã tribuamus & alligemus. In hac igitur quæstione, quæ sint illa media, per quæ credendum sit, Spiritum sanctum velle efficacem esse; ante omnia petimus ex verbo Dei nobis monstrari, expressum mandatum & promissionem divinam. Quando enim illa habemus, tunc scimus mediis illis, utpote divinitus institutis, reverenter esse utendum: scimus etjam, quid illis tribuendum sit.

Responsio ad Andradij & Gropperi declamatiões.

Ad rhetoricas igitur declamationes Andradij & Gropperi, simpliciter respondeo. Fateor baptizatos, in hac vita in magnis versari periculis spiritualibus, in quibus omnino ipsis necessaria sit gratia, gubernatio & cõfirmatio Spiritus sancti. Fateor etjam, Spiritum sanctum hæc efficere & operari per certa media, tanquam per organa divinitùs ad hoc instituta. Quare omninò hujusmodi mediis reverenter utendum esse affirmo. Sed addo: non humano, vel nostro, vel aliorũ judicio metiendũ, sed ex verbo Dei petendum, dicendum & monstrandum esse, quæ sint illa media. Quòd si qua nobis proponuntur talia media, quæ ex certis, firmis & perspicuis Scripturæ testimoniis non habent nec divinũ mandatum institutionis, nec promissionem efficaciæ: opponimus dictum Christi: Oves meæ vocem meam audient, alienam vero fugient, & scriptũ est: Nõ assumes nomen Domini Dei tui invanũ. Nõ autem nulla Christus instituit media, ad conservationẽ & cõfirmationẽ gratiæ in Baptismo collatæ, Invenimus enim in Scriptura Spiritũ sanctũ

in

Universidad de Deusto
Biblioteca

jn Baptismo in nos opulentè effundi: ut non in illo tantùm momento quando tingimur, in nobis operetur, sed ut in gratia Baptismi perpetuo nos conservet, gubernet, cõfirmet, roboret, donecaliquando Deo, in altera vita, sistamur sine macula, Ephes. 5. Discimus etjam ex Scriptura, verbo confirmari animos discipulorum, Actor. 14.15.& 18. Et in hunc usum institutum esse scimus Sacramentum Eucharistiæ, ut spiritualis vita, in quam per Baptismum renati sumus, in nobis conservetur, confirmetur & roboretur, juxta dictum: Qui manducat me, vivet ipse propter me. Hisce mediis, quæ habent Scripturæ testimonium, docemus, in lucta adversus spirituales hostes, ad confirmationem utendum esse, auditu, meditatione, fide, lucta & oratione. Sed quid, inquiunt, si præterea Christus etjam Sacramentum Chrismatis ad confirmationem instituisset? Respondeo. Si necessarium judicasset, sine dubio instituisset. Et si de institutione, hoc est, de mandato Christi & promissione, ex verbo Dei certi redderemur, grato animo illud amplecti vellemus. Sed hæc ipsa est quæstio, quæ in cõtroversia posita est, quam nisi liquidò ex certis, firmis & perspicuis Scripturæ testimonijs nobis probaverint, non patiemur nos à promissione Baptismi, à verbo & Eucharistia, à fide & oratione, quæ media testimoniũ habent verbi Dei, abduci ad humanas adinventiones, quamcunque speciem habeant, sive antiquitatis, sive autoritatis. Ille enim solus potest Sacramentum instituere, qui potest Sacramento spiritualem efficaciã tribuere: sicut Scholastici rectè dicunt. Auscultemus igitur, quæ & qualia pro suo Chrismate ex verbo Dei fundamenta & argumenta nobis proferant Pontificij. Ante trecentos autem annos, Alexander Alensis parte 4. quæst. 24. membro 1. publicè disputavit, Sacramentum confirmationis Pontificiæ nec institutum, nec dispensatum fuisse, vel à Christo, vel ab Apostolis, quia in Scriptura non legatur: & quia nec Christus, nec Apostoli, usi sint illa materia & illa forma: dicit igitur, post mortem Apostolorum, Sacramentum illud ab Ecclesia in concilio Meldensi institutum. Et hanc sententiam sequitur etjam Bonaventura, qui addit lib. 4. dist. 7. quæst. 2. ideò materiam Confirmationis necessariò prius debere esse consecratam, quia Christus illã non instituerit, atque propterea nullam & vim dederit, sicut aquis Baptismi. Alij disputarunt, Sacramentum illud Chrismatis non quidem à Christo, sed ab Apostolis esse institutum. Thomas verò cum suis, quia videt quantũ sit ineommodi, obtrudere aliquid Ecclesiæ titulo Sacramenti, quod nec jnstitutionem, nec mandatũ, nec promissionem Christi habeat: fingit igitur Christũ instituisse & materiam illam, & formam confirmationis: addidisse etjam mandatum & promissionem de efficacia, planè ita sicut suprà illa descripta est. Quia verò fateri cogitur, nec Christũ nec Apostolos illam sive materiam sive formam usurpasse, ulterius fingit. Christum ita instituisse, ut nec ipse nec Apostoli illa materia & forma uterentur, sed ut cessantibus sensibilibus Spiritus sancti signis, tunc demum in Ecclesia usurpatur linitio Chrismatis, & forma illa verborũ: & indubitato tunc adfuturum effectum illum, sicut tradunt, & credi volũt Pontificij. Sed cum eo Thomas venit, ut illa quæ tanta cum assevera tione dicit, probet, fateturnullâin Scriptura literã extare, quòd, quãdo, ubi, & quomodo Chrismationem illam Christus instituerit. Sed quia Iohannes cap. 20 inquit, Christũ multa signa fecisse, quæ non sint omnia scripta: ideò etjam credendum esse, Chrismationem planè eo modo sicut Pontificij fabulantur, à Christo institutã esse, licet probari non possit. Egregia verò fundamenta. Agnoscit Thomas, necessariam esse divinam institutionem ad hoc, ut aliquid sit verè & propriè Sacramentum, atq; ideò necessariũ esse, si confirmatio debet Sacramentum esse, ut habeat institutionem Christi. Sed quia illam nec ostendere, nec probare potest, fingit, & tanquam ἔιτημα postulat, quod in primis probandũ erat: cùm potius invertere debuisset argumentum, quia institutio Chrismatis non potest ex verbo Dei ostendi & probari, ideò non esse verè & propriè Sacramentum. Sicut Gabriel quærit, quare unctio quæ fit in ipsa actione baptismi, & ante & post tinctionem, non sit peculiare Sacramentũ. Et reddit hanc rationem, quia non habeat institutionem divinam.

Argumenta Pontificiorũ pro confirmatione sui Chrismatis.

Bonaventura.

Thomas.

Hanc igitur infirmitatem & frigiditatem Thomisticæ probationis, animadvertentes Pontificij, quòd ita judicari possent habere Sacramentum Confirmationis, sine verbi Dei confirmatione, sparserunt, & Ecclesiæ obtruserũt apocrypha, incerta, vetustati ignota, supposititia, fictitia, & commentitia aliquot scripta, quæ vetustissimis quibusdam Romanæ Ecclesiæ Episcopis, qui pietatis constantia, partim etjam martyrio celebres fuerũt, tribuerent. In illis Clemens fabulatur, se doctrinam illam de Chrismate, à beato Petro accepisse: & exteros etjam Apostolos, præcipiente Domino ita docuisse. Sed Eusebius scribit, Clementis scripta, excepta unica ad Corinthios epistola, suo jam tempore adulterata fuisse. atque ideò Gelasius, distinctione 15. illa inter apocrypha rejicit. Indè ne igitur divina institutio Chrismationis probabitur? Sed inquiunt: Fabianus martyr ille Christi, in Epistola, quæ ipsi nunc tribuitur, affirmat prædecessores suos à sanctis Apostolis accepisse, qui idem etjam tradiderint in Romana, Antiochena, Hierosolymitana & Ephesina Ecclesia, quòd Christus in vltima cœna cùm discipulis pedes laviss set, Chrismatis consecrationem tradiderit & docuerit, sicut in Pontificali ea describitur. Sed nõ tantùm incertum est testimonium illud, utpote ex apocrypho & adulterino scripto: sed mendacium est (neque enim possum aliter appellare) & quidẽ toti vetustati etjam, quæ admiratrix fuit vnctionis, ignotum.

Futilitas Thomisticæ probationis.

Eusebius.

Tertullianus enim de Baptismo dicit, vnctionem non ex Christi institutione, sed ex pristina disciplina veteris Testamenti sumptam esse. Sermo de ablutione pedum, qui Cypriano tribuitur, Chrisma numerat inter ea, quæ nõ Christus ipse, sed Apostoli per spiritum sanctum instituisse existimentur. Et in sermone de Chrismate, affirmat, unctionem Chrismatis ex ceremoniis veteris Testamenti reliquam mansisse.

Basilius

Basilius. Basilius etjam dicit, nullum extare λόγον γεγραμμένον de unctione chrismatis. Ignoravit igitur illam Fabiani Epistolam.

Audit igitur Lector, quòd etjã diligenter expendet, quæ, qualia, quàm certa & firma argumenta & fundamenta divinæ institutionis, habeat Pontificiorum confirmatio. Considerabit & hoc lector, quomodo præsumptæ suæ opinionis, undecunq; cõquirant qualiacunq; suffragia. Primò enim ostendimus, quomodo Scholastici disputarint. Secundò recensuimus, quomodo ex apocryphis & suppositiis scriptis conati sint confirmationem suam confirmare, & quàm feliciter. Quia verò adulterinis hisce & suppositiis præsidiis, luce verbi Dei, hoc est gladio spiritus, dejectos se intelligunt: Tertiò igitur tandem ex Scriptura emendicare incipiunt suffragia quædã, quæ vel in speciem præsumptæ opinioni, aliquo modo obducere possint. Audiamus verò & illa, qualia sint, & quid efficiãt. Christus (inquiunt) Apostolis per Baptismum promisit virtutem spiritus: Lucæ 24. Actor. 1. & illam promissionem die Pentecostes, misso in specie linguarum ignearum Spiritu sancto implevit. Apostoli etjam baptizatis manus imposuerunt, qui ita acceperunt Spiritum sanctum, Actorum 8. & 19. Ergo nunc in Ecclesia Chrismate, sicut in Pontificali describitur consecrato, linienda est frons baptizatorum, cum forma illa verborum, quæ suprà descripta est, & sequentur effectus suprà recitati. Immane verò, quanto plus est in hac forti conclusione, quàm in præmissis. Audio & lego quòd scriptum est Actor. 1. 8. & 19. Invenio autem visibilia dona spiritus: ut miraculum linguarum, & alia, in prima Ecclesia baptizatis collata fuisse per impositionem manuum. Habuerunt igitur de his donis promissionem. Et cùm Ananias, Actor. 9. Paulo manus imponeret, ut repleretur Spiritu sancto, dicit, se ad hoc à Deo missum esse. Habuerunt igitur Apostoli ejus quod faciebant & mandatum, & promissionem. Et si effusio illorũ sensibilium donorum adhuc in Ecclesia duraret, rectè adhiberetur etjam impositio manuum, quæ & ad orationes adhiberi solebat: & præcipuè quando per manus Apostolorum fiebant miracula, Actor. 5. Sed miracula illa jamdudum defiisse in Ecclesia, extra controversiam est. Temporarium igitur non universale & perpetuum fuit illud, quod de Apostolis scribitur, Act. 1. 8. & 19. De illis enim Sacramentis, quæ perpetuò in Ecclesia durare debent, & quorum usus universalis est, Scriptura addit has notationes, usq; ad consummationẽ seculi, Matt. 28. Item, Donec veniat, 1. Corinth. 11. Baptizate omnes, Matt. 28. In unum spiritũ omnes potati sumus, 1. Corinth. 12. Legimus autem ipsis Apostolorum temporibus, non omnibus baptizatis manus ab Apostolis impositas fuisse, nec omnes accepisse visibilia illa dona spiritus: quibus tamen necessaria dona confirmationis, incrementi, & perseverantiæ nõ deferunt. Nam Acto. 11. ad Antiochenos mittitur Barnabas, qui sine impositione manuũ, verbo Dei ipsos adhortatur ad constantiam & perseverantiam in accepta gratia. Et huic exhortationi Deus sua benedictione adfuit. Ita verbo Dei confirmant animas discipulorum, ut in acceptâ gratia perseverent & crescant: Acto. 14. 15. & 18.

Incumbit igitur Pontificijs hæc probatio, ut ostendant mandatum Dei, quòd illud Apostolorum factum, Acto. 8. & 19. usq; ad consummationem seculi, donec Christus ad judicium veniat, in Ecclesia imitandum, usurpandum & frequentandũ sit. Nulla enim sanctorum exempla imitanda sunt, de quibus non extat verbum & mandatum Dei, ad nos etjam pertinens. Monstranda etiã est promissio de efficacia, si illud quod Apostoli tunc fecerunt, imitati fuerimus. Neutrum verò ostendi & probari potest. Qualis igitur sit consequentia, à facto illo Apostolorum, ad Pontificiam confirmationem, manifestum est, vel ex hoc exẽplo. Balthasar primus fermè inter Anabaptistas, ita argumentabatur: Christus infantibus qui sibi adducebãtur, benedictionem cõferebat, non Baptismo, sed impositione manuum, Mar. 10. Ergo & nos nõ debemus infantes baptizare, sed tantùm manus ipsis imponere: & ita cõferetur ipsis benedictio. Sed nos de Baptismo habemus mandatum & promissionem. Nõ igitur sine mandato & promissione, illud quod Christus quidẽ fecit, nobis verò faciendũ nõ mandavit, imitari debemus, & relinquere illud, de quo habemus manifestũ verbum Dei, complectens universam Ecclesiam omnium temporum. Ita Christus Apostolis baptizatis insufflando dedit Spiritum sanctum, Iohan. 20. Quare igitur ex nostro flatu non facimus peculiare Sacramentum? Si dixeris, quia non habemus mandatũ & promissionem Dei: idem & nos ad Apostolorum exemplum respondemus. Quòd enim Pontifex in halando in Chrismatis pingvedinem, fingit se imitari illud, cùm Christus insufflãdo dixit: Accipite S. S. non tantùm ridiculũ, sed magicum, superstitiosum & blasphemum est. Operę preciũ tamen est considerare, quàm liquidò, quàm certò, & quàm acutè, Pontificii Chrismationẽ suam ex historiis illis, Acto. 1. 8. & 19. probare satagant. Si enim in confirmatione sua vel ignem adhiberent, vel impositionem manus retinerẽt, aliqua esset externa species cõvenientiæ, licet conjuncta cum κακοζηλίᾳ, quia destitueretur mandato Dei, Nunc verò Chrismationem suã ex historiis illis confirmare volunt. Arbitror autem divinitùs factum esse, quòd non est retenta impositio manuum, in Pontificia cõfirmatione, sed substituta est Chrismatio: ut Ecclesia, animadversa palpabili differẽtia, inter impositionem manuũ & Chrismationem in fronte, non tam facilè seduci posset allegatione illarũ historiarum. Acto. 1. 8. & 19. Sed jam arrige aures optimè lector: magnum enim & insigne audies acumen. Act. 1. externum elementũ est ignis, in specie dissectarum lingvarũ. Acto. 8. & 19. est impositio manuũ. Vsq; adeò verò idem est elementum, seu eadem materia, etjam in Pontificiorum confirmatione, ut in illis historiis, dicatur fundamentũ institutionis habere. Quomodo verò illud? Miraberis scio, ubi audieris, Ignii in Pentecoste, respõdet in Pontificia confirmatione, oleum. Qua ratione? Quia oleum nutrit ignem. Sed idem facit etjam bacu Jus quercinus, fumo benè induratus. Speciei lingvarum respondet balsamum, quia est odorife-

Balthasaris Anabaptistæ argumentatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum. Sed quid lingvę seu gustui cõmune est cum odoribus? Num lingva odoramur? Sed hæc forsitan dictata sunt inter homines, qui quatuor tantùm sensus agnoscunt: quibus scilicet gustus & odoratus in idem recidunt. Sed mane bone lector, nondum habes omnia. Desideras enim forsan impositionem manuum, cujus sit mentio Actorum octavo, & decimo nono. Ea tibi illam. Quia enim in Pontificia Ecclesia sequi idem est quod præcedere, ideò Episcopus percutiens confirmatum in maxillam post confirmationem, repræsentat impositionem manuum in Actis, quæ tunc præcessit donationem spiritus. Quid verò audio? Est ne igitur manus imponere, alapis aliquem in faciem cædere? Quando igitur Christus dicit, super ægrotos manus imponent: sensus erit: Decumbentes alapis benè cædent, & tunc pejus habebunt. Quid verò sunt, si hæc non sunt professa verbi Dei ludibria? Non autem finxi hæc, sed ex Durando descripsi, quæ nostra etjam tempestate, Fridericum Nauseam publicè repetere & confirmare nõ puduit. Et talis quidem est materiæ confirmationis probatio ex Scriptura. Consecrationem verò, seu potius excantationem Chrismatis, qualis in Põtificali describitur, ne ulla quidem syllaba ex Scriptura probare conantur, quia ne in speciem quidem illud facere possunt. Quid verò de forma Confirmationis. Signo te, &c. Nunquid ex Scriptura probari potest, vel Christum instituisse, vel Apostolos usurpasse illam formam verborum? Certè ne fingi quidem hoc potest: imò nec in vetustis Scriptoribus, nec in canonibus, forma illa verborum expressa est, nisi quòd posteri videntur eam fabricasse, imò adulterasse ex Ambrosij sententia, De his qui initiantur, capit. 7. Quod enim Sacerdos post Baptismum ibi dicit: Signavit te Deus pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo, illud postea Pontificius delibator, ad suũ Chrisma transtulit: Signo te, confirmo te Chrismate salutis, &c. Et inde fit, quòd in ipsis Pontificialib. non eadem est illa forma. Gabriel enim recitat, quosdam pro Chrismate salutis, dicere Chrisma sanctificationis. Gerson habet hanc formam: Firmo te signo crucis, & chrismate. &c. Tam scilicet certa sunt omnia.

Forma confirmationis.

Materia.

Materia igitur & forma Confirmationis, nulla in Scriptura habet, vel apparentia saltem fundamenta seu testimonia. Liberalius igitur & prudentius illi fecerũt, qui simpliciter quod res est fassi sunt: Pontificiam Ecclesiam non ex Scriptura, sed extra & prꝛeter Scripturam habere confirmationis suæ & materiã & formam. Magis enim ludibrio exponitur, quàm probatur Papistica confirmatio, quando ejus probatio hoc modo vel tentatur saltem ex Scriptura.

Superest igitur quæstio de promissione efficaciæ. Hic verò fucum facere conantur imperitis. Dicũt enim, licet sensibilia & miraculosa illa dona Spiritus, Act. 1, 8. & 19. jam desierunt. Vniversales tamen & perpetuæ sunt promissiones, de gratia cõfirmationis, de dono perseverantiæ, de conservatione & augmento donorum spiritualiũ, de corroboratione per spiritum adversus carnem, mundum, & diabolum, &c. Et his recensitis statim attexunt: Quicunque cum Pontificali non exclamaverit: Ave sanctum Chrisma: illum omnes illas promissiones convellere, & proculcare. Nos verò dulcissimas illas promissiones, de necessariis donis & subsidiis spiritus, post baptismum, toto pectore amplectimur, & earum fiducia cum hostibus spiritualibus luctamur, & Deũ invocamus. Hoc verò loco quæstio est, non de ipsis promissionibus, quas in verbo Dei extare certum est: sed quæstio est, an illas promissiones Deus velit, ad delibutionem Pontificij chrismatis alligatas esse, ita ut tunc & per illud mediũ efficacia illa Spiritus detur, quando Episcopus chrismate Pontificaliter excantato, frontem, additis certis verbis, & una bona alapa inungit. Hoc est quod quæritur, quodq; ex Scriptura, ne una quidem litera probari potest. Non enim sequitur: In Scriptura extat promissio, Ergo fabricandum est humano arbitrio Sacramentum, per quod promissio illa applicetur. Quæ enim talia Sacramenta, per quæ promissionum applicatio fieri deberet, Christus in novo Testamento haberi voluit: ea ipse sua voce instituit, & in Scriptura Ecclesiæ promulgavit. Sed inquiunt: Apostoli tamen habuerũt peculiare externũ signum, impositionem scilicet manuum, per quam conferebatur Spiritus sanctus, Actorum 8. & 19. Et nemo dicere audebit, Apostolos hoc fecisse sine mandato & promissione divina. Est ergo in novo Testamento peculiare Sacramentũ institutũ, & ordinatũ ad conferenda dona cõfirmationis. Efficax enim signum gratię, est definitio Sacramenti. Respondeo: ut aliquid sit Sacramentum Ecclesiæ, requiritur universalitas (ut sic loquar) mandati & promissionis divinæ, complectens omnes ministros, & omnes fideles omnium temporum in novo Testamento. Christus enim insufflando dedit Spiritum sanctum, Iohannis 20. Sudaria & umbræ Apostolorum sanarunt infirmos. Quare verò inde non facimus Sacramenta uniuersalia, nisi quia nos non habemus mandatum de imitatione: nec si imitari vo luerimus, promissionem de efficacia habemus? Idem ergo & hoc loco requirimus, ut ostendatur nobis mandatum generale, omnibus temporibus, ab omnibus ministris in Ecclesia illud faciendum esse, quod Apostoli Actorum octavo & decimo nono fecerunt. Apostoli enim multa habuerunt peculiaria privilegia, reliquis Ecclesiæ ministris non imitanda. Nec ipsi Apostoli, impositionem manuum voluerunt esse ordinarium & generale medium, sine quo gratia confirmationis non conferretur à Deo: multi enim gratiam confirmationis acceperunt, sine impositione manuum, ut Antiocheni, Act. 11. Sed Apostoli illo ritu visibilia dona spiritus, ut donũ linguarum, contulerunt: quæ miracula jam in Ecclesia defiisse, manifestum est. Et si maximè ritus ille Apostolorum esset (quod tamen non est) Sacramentum universale: qua autoritate Pontificij, abolita Apostolica impositione manuũ, delibutionem incantati Chrismatis substituere potuerũt, & ad illam alligare promissiones? Chrismatis enim institutio in novo Testamento, ex Scriptura ostendi & probari nõ potest. Num verò nulla planè sunt media, per quę Deus cõferre velit

Obiectio.

Responsio.

Per quæ media Deus conferat dona confirmationis & perseverantiæ.

dona cõfirmationis & perseverantiæ? Sunt omnino divinitus ordinata, certa sive organa, sive media, per quæ Spiritus sanctus dona illa vult conferre, confirmare, augere & conservare verbum, scilicet Eucharistia, fides, oratio, lucta, exercitium acceptorum donorum mentis. Inter hæc verò, crucifactionem Pontificij chrismatis non legimus.

Planissimum igitur factum est, nec materiã, nec consecrationem materiæ, nec formam, nec effectus Pontificiæ confirmationis, ullum certum, firmum, perspicuum & idoneum habere Scripturæ testimonium. Verissimè itaq; dicitur, Pontificios totum Sacramentum suæ confirmationis, habere sine Scripturæ testimoniis & fundamentis. Relegat autem jam lector ea, quæ Pontificij suæ confirmationi tribuunt: sicut illa suprà ipsorum verbis recitavimus, & cogitet quãta sit audacia, & quanta temeritas, ne durius nũc appellem, talia, tot & tanta tribuere materiali pingvedini sine mandato, sine testimonio & promissione verbi Dei.

Accedit verò præterea, quòd non tantùm est sine verbo Dei, verumetjam contra verbum Dei pugnat illa Chrismatica Pontificiorum confirmatio. Quãdo enim alicui vel materiæ vel actioni tribuitur efficacia aliqua, sive corporalis sive spiritualis, quam non habet vel ratione Physica, vel ex mandato, institutione & promissione divina, hoc revera est vel superstitiosum, vel magicum: & si absq; mandato Dei adhibeatur nomen divinum, peccatum est contra secundum præceptum, & eò gravius peccatum est, quo excellentiores effectus illi rei, sine mãdato & promissione Dei tribuuntur. Ad hoc axioma conferatur consecratio chrismatis, quæ in Pontificali extat, & exhorrescet Lector. Neq; enim quicquam relevatur illa Pauli sententia, 1. Timoth. 4. Sanctificatur creatura per verbum Dei, & orationem. Non enim loquitur ibi de quavis creaturarum transmutatione, per verbum & orationem tentanda. Si enim totum Evangelium Iohannis legeretur, & totum Psalterium recitaretur super urticam ne ureret, aut super ovum ut fieret globus bombardacius, nihil efficeretur, sed excepto dono miraculorũ, quæ per verbũ & orationem fiunt, duplex est sanctificatio creaturarum, per verbum prior, de qua Paulus in illo loco loquitur, quòd usus earũ redditur sanctus, ut nihil sit rejiciendum, sed cum gratiarum actione, bona cõscientia, in eo usu, ad quem creatæ sunt, usurpari possint à credentibus & agnoscentibus veritatem, hæc enim sunt Pauli verba. Alter est, quando virtute verborum institutionis divinæ, aqua sanctificatur ut sit Baptismus, panis & vinum sanctificantur, ut sint in Eucharistia corporis & sangvinis Domini. Neutro verò modo fit consecratio Chrismatis, destituitur enim divina institutione: nec natura ad hos effectus creatum est, vel oleum, vel balsamum.

Confirmatio Pont. è diametro pugnat cum Baptismo.

Illud verò præcipuè in hac disputatione consideretur, quod in priori membro ostendi, quòd plerag; omnia, quæ Pontificij suæ confirmationi tribuunt, manifestè derogant dignitati & virtuti ipsius baptismi. Quæ enim chrismati tribuũtur, ea ex antithesi baptismo detrahuntur. Si enim Baptismus illa conferre crederetur, quorsum opus esset illinitione Chrismatis, ut sine injuria & contumelia Sacrosancti Baptismi, Pontificia doctrina de Chrismate, recipi & approbari non possit. Colligantur itaque hæc in brevem tabellã, quæ suprà fusius sunt explicata. Baptismus non efficit nec Christianos, nec plenè Christianos: sed hoc perficit cõfirmatio. In baptismo non datur Spiritus sapientiæ, intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis, timoris, &c. sed hoc fit in Confirmatione. Spiritus sanctus, quo resistamus cupiditatibus, mundo & Diabolo, non datur in Baptismo, sed in Confirmatione. Baptizati non possunt in se gratiam Christi habere, nisi ungantur, non sunt plenè filij Dei, qui baptizati sunt, si non ungantur. Baptismus non facit regni Dei participes, sed hoc facit Confirmatio. In baptismo non accipimus Spiritum tuentem, defendentem, gubernantem, roborantem. In baptismo tantùm præparatur habitatio Deo, nõ autem venit vel Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus in domum suam, sed hoc primùm fit per Confirmationem. Baptismus non confert plenitudinem gratiarũ, sed hoc facit Confirmatio, per Chrisma Christo incorporamur, & inde sanctificamur, &c. Hæc sunt Pontificiorum verba. Integræ enim sententiæ in primo membro sunt recitatæ. Ex altera verò parte scribãtur Scripturæ sententiæ de Baptismo. Marc. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Rom. 6. In mortem ejus baptizati sumus, cõsepulti cũ illo, per Baptismum in mortem. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus, scientes quòd vetus noster homo, simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati. 1. Cor. 12. In vnum corpus baptizati sumus. Gala. 3. Quotquot baptizati estis, Christum induistis. Iohan. 3. Qui renatus fuerit ex aqua & spiritu, intrabit in regnum cœlorum. Ephes. 5. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illã sanctificaret, mundans eã lavacro aquæ in verbo, ut exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam sine macula, &c. Tit. 3. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulenter per Iesum Christum, ut ipsius gratia justificati, hæredes simus vitæ æternæ. 1. Pet. 3. Baptisma nos salvos facit, quo fit, ut conscientia benè respondeat apud Deũ, per resurrectionẽ Christi.

Hæc inter se conferantur: & manifestum erit, Pontificiam doctrinam de Confirmatione, cum insigni injuria & contumelia Baptismi conjunctam esse. Et quis non speraſſet fore, ut in Concilio, si non omnia talia, aliqua saltem, si non corrigerentur, saltẽ mitigarentur? Sed quæ sit mens Tridentina, tres illi Canones de Confirmatione, involuentes & approbantes omnes & Scholasticorũ & monachorum opiniones de Confirmatione, abundè testantur. Consideretur verò & hoc, quòd ipsa actio baptismi pugnat cum Pontificiorum opinionibus de Confirmatione. Dicunt enim, in baptismo non dari Spiritum sanctum, ad pugnam contra diabolum: Sed in actione Baptismi, multis verbis & exigitur & fit abrenunciatio Satanæ. Dicunt in Baptismo non dari Spiritum tuentem & defendentem. Atqui Ba-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptista in ipsa actione orat: Qui te regeneravit, custodiat te in vitam æternam, &c.

Sicut igitur in primo membro explicavimus, qualem Confirmationem Pontificij in sua Ecclesia habeant, agnoscant & intelligant: ita jam liquidò ostendimus, quale illud Sacramentum sit, si ad Scripturæ normam exigatur: quod omnino fieri necesse est. Nam sicut inquit sententia Bedæ, quæ citatur 8. quæst. 1. cap. Nec sufficere: Nobis sacris literis unica est credendi pariter & vivendi regula præscripta.

Tertiò, quædã etjam de illis sententiis dicenda sunt, quæ ex veterũ scriptis ad stabiliendam Pontificiam Chrismationem cumulari solent. Hæc verò disputatio nihil præjudicare vel debet vel potest illis fundamentis, quæ ex perspicuis & solidis Scripturæ testimoniis, in secundo membro ostendimus. Rectè enim & verè dicit Augustinus cõtra literas Petiliani, lib. 3. cap. 6. Si quis de quacunque re, quæ pertinet ad fidem, vobis annunciaverit, præterquam quod in Scripturis legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit: sive sit Episcopus, sive Apostolus, sive etjam Angelus de cœlo. Sacra enim Scriptura doctrinæ nostræ regulam figit, inquit de bono viduitatis, cap. 1. Ideò concludit cap. 3. de unitate Ecclesiæ: Quicquid attulerint, & vndecunque attulerint, audiamus potius, si oves ejus sumus vocem Pastoris nostri. Non ergo audiamus: Hæc ego dico, hæc tu dicis: sed hæc dicit Dominus. *Augustinus.*

Ne tamen in universum contemnere & conculcare videamur veteris Ecclesiæ judicia, reverenter enim veneramur antiquitatis canicies: sed ea moderatione, qua ipsi hoc fieri voluerunt, sicut in priori parte hujus examinis, ipsorũ Patrũ verbis hoc ostendimus. Quædam igitur dicemus de illis sententijs, in quibus veteres mentionem faciunt Chrismatis: quas omnes Pontificii ad suam illam confirmationem, sicut eam in primo membro descripsimus, detorquent.

Quia verò dissimiles sunt illæ veterum sententiæ, ut explicatio eò fit planior & expeditior, ad cumulum illum sententiarum adhibebimus distinctionem, quæ ex ipsa rei natura sumpta, manifesta erit.

Sententiæ quæ ad probationem Chrismatis allegãtur unde sumptæ.

Primò enim præcipuæ sentẽtiæ, quę de Chrismatione allegãtur, sumptæ sunt ex scriptis, quæ partim ab ipsa Ecclesia Romana, inter apocrypha relata sunt: partim verę antiquitati prorsus sunt ignota, supposititia igitur & commentitia esse non est dubium, ut sunt Decretales veterũ quorundã Romanorum Pontificũ, de quibus quid etiã Cusanus Cardinalis judicet, in priori Examinis parte notavimus. Ita etjam magnificè solent in hac disputatiõe citare sermonem Cypriani de Chrismate, quem tamen constat esse ψευδεπίγραφον. De illis igitur sententiis multum disputare, nihil attinet. Commonefaciendus tamen obiter est Lector, qualis sit illa causa, ad cujus probationem tot apocrypha, supposititia & cõmentitia suffragia emendicari necesse sit, &c.

2. Quædam sententiæ de unctione Chrismatis, ex schola Montanici paracleti prodierũt. Ex professo enim Montanicum est, quòd Tertullianus de Baptismo inquit, eos qui baptizantur in aquis, non consequi Spiritum sanctum, sed in aqua mundatos, sub Angelis tantùm præparari Spiritui sancto: qui demũ postquam egressi sint de lavacro, per benedictam unctionem & impositionem manus advocetur & invitetur. Hanc sententiam Hieronymus multis verbis ex Scriptura refutat, in Dialogo adversus Lucifer ianos. Scriptura enim manifestè affirmat, Spiritum sanctum effundi, & quidem opulentè effundi, per lavacrum regenerationis & renovationis. Tit. 3. Renascimur enim ex aqua & spiritu, Johan. 3. Christus lavacro aquæ in verbo sanctificat & mundat Ecclesiam, Ephes. 5. Ex Tertulliano verò magistro suo Cyprianus hausit, quod lib. 2. Epist. 1. ita discerpit sententiam Christi, Johan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, quòd baptismo tantùm aquâ tribuit: Spiritum sanctum verò tribuit unctioni & impositioni manuum. Et addit, non posse esse filios Dei, si non utroque Sacramento nascantur, lavacro scilicet aquæ in verbo, & unctione chrismatis. Nõ igitur multũ nos movebit altera Cypriani sententia, lib. 1. Epist. 12. vbi asseverat, necesse esse vngi eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, habere in se Christi gratiam possit, &c. Constat enim, ex qua schola, Montani scilicet sententiæ illæ prodierint. Et profectò falsum est, baptizatũ nõ habere in se gratiam Christi, sed eam demum accepto externo chrismate donari. Illæ enim & Tertulliani & Cypriani sententiæ, ne illam quidem distinctionem agnoscunt: qui baptismo tribuũt Spiritum regenerationis, & gratiam remissionis, Chrismati verò spiritũ & gratiã cõfirmationis: sed simpliciter, & in genere, gratiam Christi & Spiritum sanctum Baptismo detrahunt, & ad unctionem Chrismatis referunt. Ideò etjam posteritas coacta fuit, sententias illas mitigare. Quę igitur præterea aliæ, inter sententias de Chrismate, in primo membro recitatas, Montani schola jam resipiant, ex hac commonefactione judicari potest. Non ergo sine judicio patiamur nos à Scripturæ sententia dimoveri, quando inveteratis abusibus & erroribus, antiquitatis titulus obducitur & prætenditur. Quale enim illud sit, ex hoc loco æstimari potest. *Hieronymus.*

3. Sed tamen quidã etjam probati Scriptores ex Patribus, in suis libris, unctionis mentionem faciunt: nempe sicut alias multas ceremonias, quæ suo tempore in actione Baptismi, sine mandato divino, ex Ecclesiastica traditione, usitatæ fuerunt, recensent & describunt. Non autem efficaciam illã quam Scriptura Baptismo tribuit, ei vel detrahunt, vel partiuntur inter tales ceremonias & ipsum Baptismum, sicut Pontificia confirmatio facit: sed dicunt, istis superadditis signis significari & declamari, ipsam Baptismi efficaciã. Vnctionem verò adhibuerunt, quia in Orientalibus præsertim locis, multus & varius erat usus olei, ungventi, & unctionis: sicut etjam usus ibi fuit osculi, quod ad declarationem fraternæ charitatis translatum fuit in Ecclesiam, pro circumstantiis illorum locorum. Ineptè autem faceret, qui ideò ex osculo facere vellet vniversale & necessarium Sacramentum. Ita de vnctione Augustinus libro 15. de Trin. cap 26. dicit: Invisibile donum gratiæ, significatur visibili vnguento, quo Baptizatos ungit Ecclesia. *Vnctio.* *Augustinus.*

Ita

Ita contra literas Petiliani, libro 2. cap. 104. disputans de Psalmo 132. dicit: Vetus Sacerdotiũ in figura corporis Christi, quod unitatis compage fit, salvam habeat unctionem. Et illam explicat significare sanctificationem spiritualem, & fragrantiam amoris spiritalis. Posteà de chrisma te addit: Et in hoc ungvento Sacramentũ Chrismatis vult interpretari, & interpretationem illam non rejicit. Et de singulis hujusmodi ceremoniis, ex veteribus ostendi posset, quid de usu, operatione & efficacia ipsius Baptismi, per ceremonias illas significare voluerint. Nec obstat, quòd Augustinus illã unctionem olei seu chrismatis, aliquando Sacramentum vocat. Nam & catechisationem, & exorcisationem, & ignem in actione Baptismi vocat Sacramenta in Psal. 65. Et de symbolo ad Catechumenos libro quarto, capite primo. Omnia Sacramenta quæ aguntur in vobis exorcismis, orationibus, canticis, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum humilitate pedum, &c. Quicquid enim sacræ alicujus rei signum est, Augustinus solet Sacramentum appellare: sicut in examine primi Canonis de Sacramentis ostendimus.

Hæc verò de vnctionis & reliquarũ ceremoniarum significationibus, longissimè absunt ab illa sententia, de qua Pontificij in sua confirmatione dimicant. Observet igitur Lector, non statim probari Pontificiam cõfirmationem, quãdo in aliqua veterum sententia, mentio fit Chrismatis. Non enim de vocabulo, nec de significatione seu commonefactione potissimùm, sed de re ipsa, seu de efficacia, quam Pontificia confirmatio Chrismati, eo modo sicut in primo membro explicatum est, tribuit, disputatio est. Et hęc observatio ostendet, pleraque veterum testimonia, licet mentionem faciant Chrismatis, nihil tamen patrocinari pontificiæ confirmationi. Aliud enim est loqui de significatione ceremoniarum, aliud de efficacia & operatione.

Cyrillus Hierosolymitanus.

Hieronymus.

Ruffinus.

Obiectio.

4. Sed objiciunt, veteres tamen Chrismati sæpè plus aliquid tribuere, quàm solam significationem. *Responsio.* Respondeo: Apocrypha, supposititia & commentitia scripta, quæ falsò veteribus quibusdam tribuuntur, jure, & meritò non recipimus. Nec Tertulliani & Cypriani, qui hac in parte non obscurè montanizant, autoritate premi volumus. Nec recentiorum opinionibus, ut Rabani, Durandi, Gersonis, &c. Scriptura præscribi æquum est. De vera igitur & puriori antiquitate restat inquisitio. Et licet non ignorem, alios aliter loqui: hoc tamen affirmare non dubito, in vera & puriori antiquitate non posse ostendi, Pontificiam illam antithesin, inter Baptismum & Chrismationem, quæ præcipuos effectus Baptismo adimit & derogat, & Chrismationi tribuit: sicut suprà ipsis Pontificiorum verbis antithesis illa explicata est. Hic verò est status hujus disputationis, ut ex veris probatæ antiquitatis Scriptoribus ostendant, non quòd mentionem faciant olei, Chrismatis, unctionis, &c. hoc enim nõ ignoramus: sed quòd baptismo detrahenda, Oleo verò, Chrismati & unctioni, talia, tot & tanta tribuenda esse docuerint, & ex verbo Dei probarint: sicut Pontificij suæ Chrismationi tribuũt, & tribuit volunt: quorum verba propterea subscripsi. Et hoc est quod dico, & scio, ex veris probatorum Patrum scriptis ostendi & probari non posse. Extrà, De sacra unctione, cap. Vngitur. Ostendit Innocentius, fuisse antiquitus quosdã, qui unctiones illas reprehenderent, ita enim inquit: Nec judaizat Ecclesia, cùm unctionis celebrat Sacramentũ: sicut antiqui mentiuntur, qui neque Scripturas, neq; Dei novere virturem. De Cyrillo verò Hierosolymitano, cujus catecheses nuper editæ sunt, quædam breviter dicenda sunt, ille enim præcipuus jam cogitur esse Pontificij Chrismatis patronus. Et non inquè sanè volumus de Cyrillo Hierosolymitano, cujus historia nobis nõ est ignota judicare: si tamen κατηχήσεις illæ, quæ recẽs editæ sunt ipsius γνήσιαι & incorruptæ sunt. Illã tamen libertatẽ nobis Pontificij nõ eripient, quàm in examinandis & dijudicãdis omnium Patrum scriptis, Augustinus sæpius inculcat, Ecclesiæ datum esse, ut scilicet ad normã Scripturæ exigantur. Et Hieronymus dicit, Cyrillũ hunc in adolescentia cõscripsisse κατηχήσεις. Ruffinus addit, ipsum aliquãdo in fide, læpius in cõfessione variasse. Non igitur Canonica est scriptoris hujus authoritas. Sed videamus quid de unctione dicat. In secunda igitur catechesi dicit. Exorcisatũ hoc oleum tantam virtutem consequitur, ut non modò ardentia peccatorũ vestigia expurget, verumetjã omnes visibiles dæmones repellat. Atqui hoc oleo Cyrillus ungit baptizãdos ante Baptismũ. Si igitur ante baptismum & peccata, & ipsa peccatorum vestigia per oleũ jam expurgata sunt: quomodo mox dicit, Baptismum esse peccatorum ablutionem, conciliare adoptionem, & donum Spiritus sancti? Sed explicat se, cùm inquit: Illud oleum, symbolum est pingvedinis Christi nobis communicatæ, & quòd diabolica operatio in nobis deleta sit, scilicet in Baptismo & per baptismum: cujus efficaciæ baptismi, symbolũ & significatio est, oleum. Quòd si quis hanc explicationem ex ipsius autoris verbis sumptam, recipere nolit: is faciet Cyrillum pugnantem, & secum, & cum ipsa Scriptura, quòd expurgationem peccatorum detrahat Baptismo, & tribuat oleo ante Baptismum. In tert. catechesi, in principio dicit, eos, qui in Christum baptizati, Christum induerunt, participes & consortes factos esse Chriſti. Et Chrisma gerere imaginem Spiritus, quo Christus corporaliter unctus fuit: hæc tanquam symbola, admonentia de efficacia Baptismi, tolerari possunt. Sed mox attexit Cyrillus iste, sive sit γνήσιος, sive suppositius: Sicut panis Eucharistię, post spiritus sancti invocationẽ, non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: sic & hoc ungventũ, postquã jam consecratum est, non amplius est nudum ungventũ, sed est charisma Christi, quod adventu Spiritus sancti, per ipsius divinitatem energiam habet, ut corpus quidem eo perungatur, anima verò vivifico spiritu sanctificetur. Et mox: Hujus sancti chrismatis dono accepto, meritò appellamini Christiani. Antequam enim hęc gratia vobis donata esset, non eratis propriè digni eo nomine, &c. Sed ipse Cyrillus ex Scriptura cõfirmat: Baptismum non tantùm esse ablutionem peccatorum, verumetiam adoptionem filiorum, & do-

Status huius disputationis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

num spiritus sancti conciliare. Et quia baptizati Christum induerunt, affirmat ipsos per Baptismum participes & consortes factos esse Christi. Quomodo igitur ea quæ ipse, etiam teste Scriptura affirmat, Baptismi propria esse, purgationem scilicet peccatorum, sanctificationem spiritus, & participationē Christi, Cyrillus ille mox Chrismati tribuit? Ego simpliciter ita interpretor, quòd intelligat chrisma esse Symbolum, significans & admonens, quæ sit Baptismi virtus & efficacia: non quòd illam virtutem velit vel baptismo detrahere, vel eā partiri inter Baptisma & inter Chrisma. Quòd si hanc explicationem nolint recipere Pontificij, facient Cyrillū adversa fronte pugnantem cum ipsa Scriptura. Christiani enim efficimur & sumus, non ab externa aliqua pingvedinis delibutione, sed à Christo Domino nostro: quem in baptismo induimus, quem in verbo apprehendimus, ut fide in cordibus nostris habiter. Neq; enim Antiochiæ primum appellati fuerūt Christiani, inde quòd externa aliqua oleæ pingvedine deliniti & delibuti fuerint. Si igitur extra & contra Scripturam, Cyrilli huius autoritas urgeatur: respondemus verbis Augustini, Epist. 19. Non ideò putandum esse, aliquid verum esse, quia Patres ipsi senserint: sed si per autores Canonicos, quòd à veritate non abhorreat, persvadere possint. Ex literis igitur Canonicis, omniū aliorū scripta considerare debemus: & quod in illis cum divinarū Scripturarum autoritate non congruit, cum pace eorum & salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, respuere & improbare possumus: licet incomparabiliter inferiores sumus ipsis Patribus. Epist. 111. & contra Cresconium lib. 2. cap. 32. idq; fit sine ulla contumelia Patrū, justo judicio, & nulla temeritate, inquit Augustinus contra Donatistas, lib. 7. cap. 10. Et ad Victorem lib. 2. Expendamus igitur paucis, an Cyrillus illam suam sententiam ex Scriptura canonica nobis persuadere possit: conatur enim illud, ita autem inquit: Moses summum Sacerdotem primū lavit aqua, posteà unxit ungvento: & ita dictus fuit Christus Domini. Ergo qui in novo Testamento volunt Christiani fieri, eos oportet habere veritatem ejus, quod antiquis in figura contigit. Veritatem autem dicit hanc esse, de qua Ioannes cōcionatur, 1. Ioan. 2. Vos unctionem habetis à sancto, & nostis omnia, unctio quā accepistis ab eo, maneat in vobis. Item, unctio ejus docet vos de omnibus. Et hactenus quidem non malè colligit Cyrillus: sed quòd inde suum externum exorcisatum Chrisma stabilire conatur, nulla planè cōsequentia cohæret. Certissimum enim est, Ioannem loqui non de externa aliqua pingvedinis delibatione, sed de spirituali, interiori & invisibili unctione spiritus. Et quia in novo Testamēto, ipsam veritatem habemus, nō est redeundum ad figuras veteris Testamenti, sine mandato Christi. Ex illis igitur Scripturæ locis, Chrisma Cyrillium nequaquam probatur,

Argumentū Cyrilli.

Altera probatio Cyrilli.

Altera verò probatio quam affert, hæc est. Isaiæ 25. Græci textum ita reddiderunt: Et faciet Dominus Sebaoth omnibus gentibus in hoc monte: vinum bibent, lętitiam bibent, ungvento ungentur. Et addit: Trade hæc omnia gentibus, vo-

luntas enim Domini super omnes gentes. Et inde Cyrillus vult confirmare: mandatum & voluntatem Dei esse, ut in Ecclesia novi Testamenti, omnes gentes chrismate ungantur. Sed oro Lectorem, ut tantùm expēdat, qualis sit hęc probatio. Primùm enim Isaias in sua lingva, sententiam illam ita non habet, sed inquit: Dominus Zebaoth faciet omnibus populis in monte isto convivium pingvium, convivium fecium, de pingvedinibus medullatis, & fecibus defecatis. Et tollet Dominus in monte isto faciem involucri, quod expānsum est super omnes gentes. Isaias igitur planè nihil dicit de unctione tradenda gentibus. Deinde textus ipse explicat, quòd hæc sint allegorica: & quomodo intelligenda sit illa allegoria, ostendit: inquit enim: Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra. Quomodo igitur ex allegorica sententia, probari potest externa delibutio materialis chrismatis? Postremò, si corporaliter sententia illa accipienda esset, eadem ratione sequeretur etjam, fecibus (forsan ut in lupercalibus) & pingvedine medullarum liniendos esse baptizatos. Videt igitur Lector, quales, quàm frigidę, quàm coactæ, contortæ & peregrinæ sint illæ probationes. Et Augustini regula est: Non majorem debere esse autoritatem in sententiis Patrū, quàm quales earum probationes ex Scripturis canonicis proferunt.

Tripliciter differunt chrisma, cius apud veteres fit mentio, & cōfirmatio Pontificia.

5. Magna est dissimilitudo & diversitas, inter chrisma de quo veteres loquuntur, & inter confirmationem, sicut illa apud Pōtificios servatur. Et tres differentias quæ maximè illustres sunt, breviter annotabo: ut & hoc manifestū fiat, ne ex Patrum quidem probatorum veris scriptis, probari aut stabiliri Pontificiam, sicut illa nunc servatur confirmationem. Primò enim quod ad materiam (sicut loquuntur) vel ad externum signum attinet, veteribus usurpata fuit impositio manuum, quæ adhuc Hieronymi & Augustini ætate in usu fuit. Iam verò apud Pontificios, impositio manuū in Cōfirmatione prorsus abolita est. Quomodo igitur idem potest Sacramentum esse: nisi forsan rusticis persvasuri sunt, inflictionē alapæ idem esse quod impositionē manuum. Tertullianus meminit tantū olei. Clemēs etjam Alexandrinus, & Basilius tantùm olei meminerunt. Sed Pontificij contendunt, si oleum non sit balsamo mixtum, nō esse verum Sacramentum. Et licet ex Scholasticis quidam disputent, solum oleum esse de necessitate: concilium tamen Florentinum decernit, materiā confirmationis debere esse chrisma, ex oleo & balsamo cōfectum. Ideò ne hanc quidem materiam à veteribus habent. Et nescio, an ex probatis veterum scriptis, de mixtione balsami aliquid possint proferre. Nativum certè balsamū unà cū ipsis arboribus jam defecisse constat. Periit igitur ex rerum natura, ipsa materia confirmationis, quam Pontificij requirunt. Neq; enim factitium balsamum, locū ejus implere potest, sicut nec aqua factitia, materia esse potest Baptismi, nec vinū factitiū, materia Eucharistiæ. Cyrillus baptizatos post baptismū Chrismate inungit, primùm in fronte, secūdò in auribus, tertiò, in naribus, quartò,

Concilium Florentinū.

Cyrillus.

in

Ambrosius.

Pontificij.

in pectore. Ambrosius de his qui initiātur, cap. 6. baptizato post Baptismū inungit caput ut inde defluat ungventum. Pontificii verò tradunt, chrismationem in sola fronte debere fieri: & si fiat in vertice, in pectore, in auribus, in naribus, &c. etjam si eadem adhibeatur materia & forma non esse Sacramentum confirmationis. Videt igitur Lector, quanta sit dissimilitudo & diversitas inter veterū sententias, & inter Pontificiam confirmationem, quod ipsam materiam attinet. Et quando multas cumulant sententias ex veteribus, opponenda ipsis est hæc diversitas. Quicquid enim de chrismate ex veteribus declamitārint, tamen nō habent illud Sacramentum, de quo antiquitas loquitur. Non enim eadem est materia, sed variis mutationibus alia & diuersa. Secundò, apud veteres inunctio chrismatis non fuit peculiare Sacramentum, aliud diversum & distinctum à Sacramento Baptismi. Sed sicut varias habuerunt ceremonias, antecedentes intinctionem Baptismi ita etjam varias habuerūt ceremonias post tinctionem, connexas tamen & conjunctas ipsi actioni baptismi. Et administrationem Baptismi definierunt, non tantùm mersione sive tinctione, sed & ceremoniis antecedentibus, & quæ mox continuò actu in tinctionem sequi solebant: ita ut actio baptismi illis subsequentibus ritibus absolveretur & perficeretur. Et hoc manifestum est in omnibus veterum locis, ubi ritus illi describuntur. Ipse etjam Dionysius & Damascenus unctionem non separant à Baptismo, sed habēt unctionem & ante Baptismum & mox post Baptismum.

Tertullianus.

Tertullianus dicit: Ex ea die qua baptizati sumus lavacro quotidiano, per totā hebdomadam abstinemus illud hodie Pontificij docent servandum esse, non post Baptismū, sed post confirmationem. Fuisse igitur olim unam, eandem & continuam actionem, quæ nunc in duo Sacramenta discerpta est, vel hinc manifestum est.

Antitidagma Colonienſium.

Antididagma Colonienſiū quærit, quare presbyter baptizatū ungat chrismate, cùm posteà in Confirmatione eo liniendus sit? Et ex gestis Pontificum recitat, Sylvestrū constituisse, ut propter periculū mortis inexpectatæ, presbyter baptizatum chrismaret: ne propter absentiam Episcopi, sine confirmatione de hac vita migraret. Si autē præsens esset Episcopus, ungeretur ab ipso.

Ostendit & hæc narratio Chrismationē olim fuisse conjunctam & connexam ipsi actioni Baptismi. Postea ut numerus Sacramentorū augeretur, avulserunt eam ab actione Baptismi: atq; ut fieret inde peculiare Sacramentū, voluerunt inter baptismū & delibutionē, intercedere spacium aliquod temporis, annos scilicet 12. vel 25. sicut tradit glossa de Consecrat. dist. 5 c. ut Iejun. Durandus ex Rabano censet, baptizatū confirmari non posse, nisi ad minimū post septem dies, post baptismū, propter septem scilicet dona spiritus. Lōgè igitur aliud & diversum fuit unctio veterum post baptismū, & chrismatio Pontificia in Confirmatione. Alterum igitur ex altero nec confirmatur, nec stabilitur. Et jam judicet Lector, quantum ponderis habeant suffragia illa, quæ ex veteribus pro sua confirmatione Pontificii conquirunt. De diversis enim non est idem judiciū. Si igitur probatio valere deberet, oporteret planè idem esse & veterū unctionem, & Pōtificiam confirmationem. Tertiò, effectus quos Pontificij hodie suæ confirmationi tribuunt, illos veteres ipsi Baptismo adscribunt. Clemens enim lib 1. pædag. cap. 6. dicit: Baptismum vocari. 1. gratiam qua remittuntur peccata. 2. illuminationem, per quam id quod divinum est, perspicimus. 3. perfectionem cui nihil desit. Et addit: Absurdum est, Dei vocari gratiam quæ nō sit perfecta, & undiquaque plena. Tincti igitur, inquit, illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur. Et hæc omnia Clemens tribuit efficaciæ Baptismi. Cyprianus lib. 4. epist. 7. Diabolus in Baptismo fide credentis excluditur & opprimitur. Hilarius contra Arrianos: Sacramento baptismi, verè filius Dei unusquisque perficitur. Basilius: In Baptismo homo hæres constituitur cœlestium bonorum. Idem: In Baptismo professi sumus, quòd mortui simus peccato & mundo. Gregorius Nissenus: Baptismus docet, ne vitiorū reliquias sequenti post fidē vitæ immisceamus. Chrysostomus in 6 ad Rom. Non ad hoc tantùm valet Baptismus, quòd priora delicta delet, sed quòd & ad futura cavenda munit. Augustinus lib. 1. de moribus Manichæorum, cap. 35. In illo sacrosancto lavacro inchoatur renovatio hominis, ut proficiendo perficiatur. Hesychius dicit, Baptismum conterere diabolum: & huc accommodat illud Psalmi: Tu cōtribulasti capita draconum. Hæc testimonia Lector cōferat ad ea, quæ Pontificij Baptismo detrahunt, & suæ confirmationi tribuunt. Inde enim manifestum erit, quàm bene consentiat Pontificia confirmatio cum veteri Ecclesia. Fruſtrà igitur vetustatis suffragiis illam ornare conantur, cùm tanta sit dissimilitudo & diversitas. Hæc de veterum sententiis, prolixius aliquantò annotavi, ut fucum illum, quem confirmationi suæ ex veterum testimoniis faciunt, detraherem: utq; clarè ostenderem, Pontificiam illam chrismationē non tantùm Scripturæ fundamentis, verùm etjam veræ antiquitatis idoneis testimoniis destitui. Neq; enim statim Pontificia confirmatio probatur & stabilitur, ubi in veterum scriptis mentio fit olei, chrismatis & unctionis. Atq; ideo ostendenda fuit diversitas: Video enim Pontificios sibi mirè placere, cumulandis hujusmodi sententiis. 6. Adjiciam & hanc observationem: Cùm olim una, continua, & conjuncta actio fuerit Baptismi, unctionis & impositionis manuum: qua occasione & ratione primùm cœperit divelli & disjungi, donec tandem peculiare, distinctum & separatum Sacramentum, quod sua antithesi Baptismum longè superaret, ex chrismatione factum est? Deprehendi autem triplicem potissimum fuisse occasionem. 1. Quando ab hæreticis vel in schismate vero baptismo baptizati ad Ecclesiā redibant, tunc non rebaptizabantur: sed vel impositione manuum, vel unctione Chrismatis recipiebantur. Hujus rei frequens est mentio in disputationibus veterum de controversia Cypriani. Ita etjam sancit concilium Laodicense. Can. 7. Qui à Novatianis redeunt, doceantur Symbolum fidei: & uncti sacro chrismate, sic misteriis com-

Hilarius. Basilius.

Gregorius Nissenus.

Chrysost.

Augustinus.

Hesychius.

Concilium Laodicense.

Universidad de Deusto
Biblioteca

municent. Arelatense Can. 8. Si ad Ecclesiam aliqui de hæresi Arriana venerint, interrogent eos nostræ fidei Sacerdotes Symbolum. Et si prævid-erint, in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum eos baptizatos, manus eis tantùm imponant, ut accipiãt Spiritum sanctum. Ita Leo epist. 77. Qui apud hæreticos baptizatus est, non rebaptizetur: sed Spiritus sancti invocatione, per manuũ impositionem confirmetur, quia Baptismi tantùm formam, sine sanctificatione accepit. Hæc Leo. Non autem idem ritus fuit ubiq;, id quod etjam Gregorius testatur de Consecra. 4. cap. Ab antiqua. Narrat enim, Occidentem per manus impositionem, Orientem per chrismatis unctionem recipere eos qui apud hæresin rectè baptizati ad Ecclesiam redibant. Num verò ideo hoc factum fuit, quasi Baptismus per se sit sine sanctificatione, & Spiritu sancto? Certè Ephe. 5. sanctificatio expressè tribuitur Baptismo. Et opulenta effusio Spiritus, Tit. 3. Sed qui baptizatus fuit, non habens veram fidem, non potuit accipere Spiritum sanctum, & sanctificationem Baptismi: illa enim fide accipimus. Sed quando postea ad verã fidem convertebatur, tunc demum rectè & salutariter apprehendebat promissionẽ Baptismi: atq; ita sanctificationem Baptismi, antea oblatam quidem, sed non acceptã, tunc primùm fide vera accipiebat: idq; ut fieret, invocabatur super eum Spiritus sanctus: cui invocationi adhibebatur Symbolum impositionis manuũ, sicut Augustinus inquit, nihil aliud esse manuum impositionem, quàm orationem super hominem, lib. 3 contra Donatistas cap. 16. Et cap. 1. q. 1. c. Paulianistæ, extat hæc sententia: Dum ab eis baptizantur, qui in hæresi vel schismate eis communicant, Sacramentum quidem Baptismi ab eis accipiunt, virtutem verò non consequuntur. quam sine fide nullus consequi potest, sicut Dominus in patria sua, nõ poterat facere ullum *Augustinus.* signum, propter incredulitatem ipsorum. Augustinus contra Donatistas 5. cap. 23. Manus impositio si non adhiberetur, ab hæresi venienti, tanquam extra omnem culpã esse judicaretur: propter caritatis autem copulationem, manus hæreticis correctis imponitur.

2. Occasio fuit, quando in necessitate aliquis, vel à catechumeno, vel à laico baptizatus erat: tunc ut Baptismus ille tanquam verus & legitimus approbaretur & cõfirmaretur: ductus fuit baptizatus ad Episcopum. Ita concilium Elibertanum inquit, Can. 18. fidelem, & in necessitate catechumenum, posse baptizare, ita ut si ille qui sic baptizatus fuit supervixerit ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit. Ita historia de Novato apud Eusebiũ lib. 6. cap. 33. ostendit, illis qui decumbentes in lecto baptizabantur, non adhiberi potuisse reliquos tunc usitatos ritus: quos tamen ne quid omitteretur, postea recuperata valetudine subsequi volebant, sicut & Athanasij historia recitatur. 1. quæst. 1. c. Spiritus sanctus. 3. ratio & oc- *Hieronymus.* casio illa fuit, quã Hieronymus describit in Dialogo adversus Luciferianos. Narrat enim, suo tempore Ecclesiarum consuetudinem fuisse, ut ad eos qui in minoribus urbibus, per presbyteros & diaconos baptizati erant, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti, manum impositurus excurreret. Et fuit absque dubio bona & utilis consuetudo, ad retinendam & conservandam doctrinæ & fidei puritatem, quòd Episcopus eos qui ab alijs baptizati erant, ipse de doctrina & fide interrogabat, & examinabat: & quando intelligebat eos rectè credere, & legitimè baptizatos esse, verbo eos confirmabat: & impositis super ipsos manibus, Spiritum sanctum ipsis invocabat, ut in fide illa perseverarent. Sed & ex hac consuetudine, & ex more recipiendi eos qui ab hæresi ad Ecclesiam revertebãtur, jam tum Hieronymi tempore, imò longè antè, non vulgus tantùm, sed & Episcopi quidam finxerant hanc opinionem, quasi Baptisma ipsum esset sine Spiritu sancto: qui tunc primùm daretur & acciperetur, quando Episcopus ad invocationem Spiritus sancti, manus baptizatis imponeret. Hanc verò opinionem, quę tamen est Tertulliani presbyteri, Cornelii Papæ, & Cypriani Episcopi, Hieronym. seriò & graviter refutat. Et probat Baptisma non esse sine Spiritu sancto, quia nulli hominum sine Spiritu sancto peccata dimittantur: anima etjam in Baptismo nõ purgetur sordibus, sine Spiritu sancto.

Quæritautem Hieronymus, cùm Spiritus sanctus in vero baptismate tribuatur, quare in Ecclesia baptizatus, per manus Episcopi dicatur accipere Spiritum sanctum. Et ibi quidem locus fuisset dicendi, sicut Pontificij jam dicunt in baptismo tantùm dari Spiritum sanctum ad regenerationẽ, ad reliqua verò necessaria dona, Spiritum sanctũ non dari vel accipi in baptismo, sed illud demum fieri in Episcopali confirmatione. Sed Hieron. hoc non dicit: simpliciter autem respondet, hanc observationem descendere ex ea authoritate, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Mox verò quomodo hoc intelligi velit, subjungit, cùm inquit: Et multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotij, quàm ad legis necessitatem: alioqui si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt, qui in vinculis aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros & diaconos baptizati, antè dormierunt, quàm ab Episcopis inviserentur. Hæc Hieronymi explicatio diligenter observanda est: præbet enim lucem ad intelligendas multas historias & sententias veterum, de accipiendo Spiritu sancto, per impositionem manuum Episcopi. Et hinc etjam intelligi potest, quomodo Ecclesiastica illa consuetudo postea magis magisq; degenerarit, assutis subinde novis ritibus & opinionibus. Tandem enim extincta luce doctrinæ, ex illo quod ad honorem Episcopatus, non ad legis necessitatem factum, quodq; in illis qui ab hæresi revertebantur servatum fuerat, fabricatũ est peculiare & universale Sacramentum pro omnibus baptizatis: & additæ sunt opiniones manifestè derogantes dignitati & virtuti Baptismi, quæ suprà recitatæ sunt. Et hæc sunt, quæ dixi ex veteribus probari non posse. Nam & Augustinus contra Donati- *Augustinus.* stas lib. 3. cap. 16. quærit, quare Spiritus sanctus in sola catholica, per manus impositionem dari dicatur? Et respondet, non de illis quæ Pontificij

suæ confirmationi tribuunt, sed inquit: Hoc intelligi majores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: Caritas diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctum. Ipsa enim est caritas, quam non habent qui ab Ecclesiæ catholicæ communione præcisi sunt. Item: Quis nunc hoc expectet, ut his quibus manus ad accipiendum Spiritũ sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter & latenter per vinculũ pacis, eorum cordib. divina caritas inspirari intelligitur, &c.

Expressè autem loquitur de hæreticis & schismaticis revertentibus, Quomodo verò per manus impositionem caritas inspiratur, respondet Augustinus: Manus impositio quid aliud est, quàm oratio super hominem: ergo non sicut baptismus, repeti non potest. Et Gratianus de illa Augustini sententia 1. q. 1. c. Arrianos, inquit: Ex eo quòd manus impositio iterari præcipitur, Sacramentum non esse ostenditur. Quæcunq; igitur ex veteribus citantur, longè alia & diversa sunt, quàm Pontificia confirmatio, sicut illa suprà descripta est.

His ita explicatis, facile & planũ erit examen Canonũ de Confirmatione. Quòd enim primus Canon damnat talem cõfirmationem, quæ consistat in catechesi, & professione fidei puerorũ, *Quis posset ef se legitimus usus ritus cõ firmationis.* hanc habet sententiam & rationem. Nostri sæpè ostenderũt, ritum Confirmationis, remotis inutilibus, superstitiosis, & cũ scriptura pugnantibus traditionibus, piè & ad Ecclesiæ ædificationem, juxta Scripturæ cõsensum, hoc modo posse usurpari, ut scilicet illi qui in infantia baptizatisunt (talis enim nunc est Ecclesiæ status) cum ad annos discretionis perveniissent, diligenter in certa & simplici catechesi doctrinæ Ecclesiæ instituerentur. Et cùm initia mediocriter percepisse viderentur, postea Episcopo & Ecclesiæ offerrentur: atque ibi puer in infantia baptizatus, Primo brevi & simplici commonefactione admoneretur de suo Baptismo: quo scilicet sit baptizatus, quomodo, quare, & in quid sit baptizatus, quid in illo Baptismo tota Trinitas ipsi contulerit & obsignãrit, fœdus scilicet pacis, & pactum gratię: quomodo ibi facta sit abrenũciatio Sathanæ, professio fidei, & promissio obedientiæ. Secundò, puer ipse coram Ecclesia ederet propriam & publicam professionem hujus doctrinæ & fidei. Tertiò, interrogaretur de præcipuis Christianæ religionis capitibus, ad singula responderet: aut, si quid minus intelligeret, rectius erudiretur. Quartò, admoneretur, & hac professione ostenderet se dissentire ab omnibus ethnicis, hæreticis, phanaticis & prophanis opinionibus. Quintò, adderetur gravis & seria exhortatio ex verbo Dei, ut in pacto Baptismi, & in illa doctrina & fide perseveraret, & proficiendo subinde cõfirmaretur. Sextò, fieret publica precatio pro illis pueris, ut Deus Spiritu suo sancto illos in hac professione gubernare, conservare & confirmare dignaretur. Ad quam precationẽ, sine superstitione adhiberi posset impositio manuum. Nec inanis esset ea precatio: nititur enim promissionibus de dono perseverantiæ, & gratia confirmationis.

Talis ritus cõfirmationis, valde multum utilitatis ad ædificationem juventutis & totius Ecclesiæ conferret: esset etjam consentaneus & Scripturæ, & puriori antiquitati. In Apostolica enim impositione manuum, factam fuisse exploprationem doctrinæ & professionem fidei, manifestè testatur historia, Acto. 19. De exhortatione etjam ad perseverantiam, & de confirmatione per verbum, in semel susceptа doctrina & fide, extant Apostolicæ Ecclesiæ exempla, Acto. 14. 15. & 18. Et adhibitam fuisse publicã precationem, testatur historia, Actor. 8. Ita de exploratione & professione doctrinæ & fidei in confirmatione, loquuntur Canon Laodicenus 7. Arelatensis 8, sicut suprà notavimus. Atq; ideo canon Aurelianensis perfectam ætatem requirit in confirmando. Nec malè huc convenit, quod Dionysius in fine Ecclesiasticæ hierarchiæ scribit de magistro catecheseon, cui pueri in infantia baptizati tradebantur instituendi: ut ad professionem fidei, abrenunciationem Sathanæ, & pollicitationem obedientiæ Dei, in Baptismo factam præstandã & servandam, doctrina & exhortationibus inducerentur.

Hæc in colloquio Ratisponensi, Anno 1541. *Colloquium Ratisponense. Eccius.* proposita fuerunt. Sed Eccius nomine Pontificiorum, simpliciter & superbè omnia illa rejecit, affirmans in confirmatione non expectandũ esse usum rationis. Sentit igitur, tunc esse adhibendam, quando nec commonefactio de susceptо Baptismo, nec exploratio doctrinæ, nec professio fidei, nec exhortatio ad perseverantiam, in pueris locum potest habere. Et ita dictum est à nostris, si hæc ex ritu confirmationis tollantur, etjamsi nihil contineret superstitionis, esse tamen tantùm ociosam ceremoniam. Et ex hac narratione Lector intelligit, quid primus hic Canon de Confirmatione sibi velit, unde sit sumptus, & quò respiciat, quando meminit ociosæ ceremoniæ catecheseos, & professionis fidei. Multi cogitãrunt, etjamsi reliqua usitata in sua confirmatione Pontificij retinere vellent, fore tamen ut catechesin, exhortationem doctrinæ, professionem fidei, commonefactionem de susceptо Baptismo, & exhortationem de perseverantia adjungerent, ut ita speciem aliquã pietatis haberet. Sed hæc omnia manifestissimę utilitatis, & anathemate primi Canonis obliquè jugulantur. Volunt enim esse tale Sacramentum, *Effectus chrismatis secundum Pontificios.* quod ex opere operato, propter Chrismatis virtutem, conferat gratiam majorem quàm quæ sit Baptismi.

Miretur autem aliquis, quare Pontificij in sua confirmatione illa tolerare nolint. Sed ratio est, quia hoc modo cõfirmatio nihil aliud esset, quã cõmonefactio de susceptо baptismo. & esset corroboratio in gratia, quæ in Baptismo collata est. Illud verò Pontificij nolũt, sicut suprà ostensum est: atq; propterea hæc quæ diximus, ex sua confirmatione exterminãt, licet valde infidiosè posita sint verba Canonis (Non tantùm esse catechesin & professionem fidei) cùm tamen plerumq; talem ætatem in confirmatione deligant, ubi planè nullus potest locus esse catechesi, explorationi, professioni & exhortationi. Vsq; adeò nullã, vel manifestissimè utilem emendationem homines isti vel tolerare possunt, vel admittere cogitant. Quia igitur nihil quod æquum est, ab illis

Universidad de Deusto
Biblioteca

illis obtineri potest, dicimus quod res est: Confirmationem sicut illa in regno Pontificio usurpatur, & suprà descripta est, non tantùm ociosam esse ceremoniam, sed multis vanis, superstitiosis & impiis opinionibus & traditionib. contaminatam id quod hactenus satis demonstratum est. Quod secundū Canonem attinet: Qualem & quantam virtutem suo chrismati, sine vllo mandato & promissione divina tribuant, & quanta sit injuria & contumelia Baptismi, illam virtutem Baptismo detrahere, & ad Chrisma, quod nullum omnino habet verbum Dei, transferre, hactenus multis ostensum est. Sed ad hæc omnia, solo anathematis strepitu respondent.

Chrismati planè divina virtus adscribitur.

Notet autem Lector, quod Chrismati non tantùm significationem & commonefactionem aliquam de efficacia Baptismi, sed virtutem spiritualem & divinam, peculiarem & distinctam à Baptismo tribui velint: ita ut sicut in Eucharistia aliquis judicium sibi potest manducare & bibere, ita sentiunt, attrectatione Chrismatis minus reverenti, supremam indignationem Dei, & plus quàm gehennam incurri. Sicut Viennæ quondam Faber Episcopus clamitavit, fundamenta orbis tantùm non collapsura, cùm ministèr deferens ampullā Chrismatis, calceos æstu in itinere torrefactos, pingvedine ex ampullæ orificio exundante & superfluente, ex simplicitate quadam perunxisset.

Illinitio chrismatis est solorum Episcoporum.

Tertius Canon illinitionem Chrismatis in Confirmatione, solis Episcopis sub anathematis interminatione vendicat. Respondeo autem id quod Lutherus dicit, de captivitate Babylonica: Quales sunt Episcopi, tale etiam volunt habere ministerium. Quia enim prædicationem verbi, & administrationem verorum Sacramentorum à se & ad alios inferiores rejecerunt: ne tamen ipsi nihil quod agerent, haberent, delibutionem Chrismatis, ut minimè laboriosam & molestam invenerunt: cùm ad legitimum Episcopi munus obeundum, plerique sint, sicut illustris quondam adolescens, in collegio ipsorum, cùm recitanda essent Pauli verba (Sicut testis azymi) cecinit, Sicut testis asini. Consideret autem Lector, quanta sit hominum istorum levitas & prodigalitas in profusione anathematum. Scriptura ignorat discrimen Episcopi & Presbyteri. Hieronymus dicit: Quicquid hujus sit, magis ad honorem sacerdotij, quàm ad legis necessitatem fieri. Notum etiam est, quòd Concilium Toletanum primum, Cano. 20. statuit, absente Episcopo, presbyterum posse chrismare. Et addit, ad illud usq; tempus, quibusdam in locis presbyteros chrisma confecisse. Notum est etiam, quòd Gregorius distin. 95. cap. pervenit. presbyteris concedit, ut in frontibus Chrismate tangere debeant baptizatos. Nec ignorant, quomodo Canonistæ, quomodo Alexander, Thomas, Richardus, hanc quæstionem ex illo Canone disputent. Et tamen anathema dicunt, si quis simplicem Sacerdotem dixerit posse ministrum esse cōfirmationis. Anathema igitur erit etiam omnis Episcopus, qui oves suas nō ipse Chrismate confirmārit. Canones enim volunt, neminem alium, sed Episcopū ipsum debere chrismare. Extra de sacra unctione. Atqui quæ ætas proximorum annorum in

Hyeronymus.

Episcopatibus pingviusculis meminit, Episcopum ipsum singulas suas oves chrismasse? Excogitatum enim est ludibrium suffraganeorum. Coemit siquidem aliquis Episcopatum, in Turcia puta Sidonium, Tripolitanum, Bethlehemiticum: & juramento se obstringit, se gentes illas ad fidem conversurum. Cumq; vix iter ingressus est, mox reversus conqueritur de difficultate & impossibilitate: ibi Pontifex absolvit illum à juramento: Quia verò tamen habet titulum Episcopi, sed sine Ecclesia, per talē larvā, nostri Episcopi postea in suis diœcesibus confirmationem, ordinationes, consecrationes, & hujus farinæ alia perficiunt. Atq; sic egregiè scilicet satisfit Canonibus, quando fictitius & larvatus suffraganeus, alienas oves signat, ipso Episcopo interim juxta morem suum, sua agente. Et tamen nō verentur in tali etiam casu, anathemata crepare. Quid igitur est, si hoc non est universam religionem ludibrio habere?

SESSIONES CONCILII TRIdentini sub Julio III.

Non opus esse judico, repetere historiam, quo modo Concilium Tridentinum sub Paulo III. consilio funesto in Germania bello primùm Bononiam translatum, postea morte Pauli III. interceptum: & quomodo mox sub Julio III. cùm viderentur sibi de tota Germania triumphasse, continuandum & prosequendum rursus indictum fuerit. Illa enim Sleidanus in sua historia copiosè & fideliter annotavit: ubi etiam Lector inveniet, quæ interea in armatis Imperij comitijs, de Concilio acta & decreta fuerunt, quæq; postea insecuta sunt.

His igitur ad suos authores, unde peti & possunt & debent, rejectis: nos eorum quæ sub Iulio III. decreta sunt, examen ea ratione quā in præcedentibus servavimus, prosequemur.

DECRETVM DE SANCTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENto, publicatum in tertia Sessione Tridentina, sub Iulio Papa III. die 11. Octobris, 1551.

Sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea, eisdem sanctæ sedis Apostolicæ legato & nuncijs, etsi in eum finem, non absque peculiari scilicet ductu & gubernatione convenerit, ut veram & antiquam de fide & Sacramentis doctrinam exponeret, & ut hæresibus omnibus & aliis gravissimis incommodis, quibus Dei Ecclesia misere nunc exagitatur, & in multas & varias partes scinditur, remedium afferret, hoc præsertim iam inde à principio invotis habuit, ut stirpitus convelleret zizaniam execrabilium errorum & schismatum, quam vis inimicus homo his nostris calamitosis temporib. in doctrina fidei, usu & cultu sacrosanctæ Eucharistiæ superseminavit: quam alioqui Salvator noster in Ecclesia sua tanquam Symbolum reliquit, eius unitatis & caritatis, qua Christianos omnes inter se coniunctos & copulatos esse voluit. Itaq; eadem sacrosancta Synodus, sanam & synceram illam de venerabili hoc & divino Eucha-

Eucharistiæ Sacramento doctrinam tradens, quam semper catholica Ecclesia ab ipso Iesu Christo, Domino nostro, & eius Apostolis erudita atque à Spiritu sancto, illi omnem veritatem indies suggerente, edocta retinuit, & ad finem usq; sæculi conservabit: omnibus Christi fidelibus interdicit, ne posthac de sanctissima Eucharistia aliter credere, docere aut prædicare audeant, quàm ut est hoc præsenti decreto explicatum atque definitum.

DE REALI PRAESENTIA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI in Eucharistiæ Sacramento, & de Consecratione.

CAPVT I.

Primùm ipsò docet sancta synodus, & apertè ac simpliciter profitetur, in almo sancta Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, D. N. Iesum Christū, verum Deum atq; hominem, verè, realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibiliū contineri. Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, iuxta modum existendi naturalem: & ut multis nihilominus alijs in locis, Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamē esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, & constantissime credere debemus. Ita enim maiores nostri omnes, quot quot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt, hoc tam mirabile Sacramentum, in ultima cœna redemptorem nostrum instituisse, cùm post panis viniq; benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem dixerit ac perspicuis verbis testatus est. Quæ verba à sancto Evangelistis commemorata, & à divo Paulo postea repetita, cùm propriam illam & apertissimam significationem præ se ferant, secundum quam à Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea à quibusdam contentiosis & pravis hominibus, ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri, quæ tanquam columna & firmamentum veritatis, hæc ab impijs hominibus excogitata commenta, velut satanica detestata est, grato semper & memore animo, præstantissimū hoc Christi beneficium agnoscens.

CANON I.

Si quis negaverit, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri, verè, realiter & substantialiter corpus & sanguinem, una cum anima & divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit, tantummodo esse eum, ut in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.

De præsentia corporis Christi.

De præsentia corporis & sangvinis Domini nostri Iesu Christi, in sacrosancta sua Cœna: sive de vero & genuino sensu verborum cœnæ, Hoc est corpus meum. Hic est sangvis meus: vehemēs & verè tristis est hoc tempore controversia in Ecclesia: quibusdam contendentibus, verba illa nō esse accipienda in eo sensu, quem simplex, propria, genuina, & in Scriptura usitata ipsorum significatio præbet: sed per tropos eò esse detorquenda, vt vera & realis præsentia substantiæ corporis & sangvinis Christi, ex cœna ipsius tollatur & submoveatur longius, quàm cœlū distat à terra. Et in cœna Dominica, apud nos in terris, relinquatur tantùm vel signum & figura procul absentis, & longè à nobis remoti corporis & sangvinis Christi: vel Christus dicatur in cœna sua præsens esse, tantùm secundum divinam suam naturam, præbens & exhibens communicantibus, non ipsam substantiam, sed virtutem tantùm & vigorem corporis & sangvinis sui, non præsentis, sed procul absentis, & à Cœna longius remoti, quàm aspectabile hoc cœlum distat à terra. Ego vero ab illorum opinionibus fateor, me dissentire: simpliciter verò & apertè profiteor, me amplecti & probare illarū Ecclesiarum sententiam, quæ agnoscunt & docent veram & substantialem præsentiam corporis & sangvinis Christi in Cœna, in eo sensu quem verba Cœnæ, simplici, propria, usitata & genuina sua significatione præbent. Et in hac sententia, utriusque partis argumentis diligenter consideratis, acquiesco. Neque enim sine periculo animæ fieri potest, si quis ludat fingendis opinionibus in expositione verborum Cœnæ. Scriptum enim est, eos qui non dijudicant illud corpus Domini, quod verba cœnæ ibi affirmant exhiberi & & accipi, manducare sibi judiciū. Dijudicatio autem ritè fieri nō potest, si à vero & genuino sensu verborum (Hoc est corpus meum) aberretur. Non igitur quævis opiniones, de expositione horum vocabulorum tenerè sunt amplectendæ, sed diligenter inquirenda & consideranda sunt fundamenta: ut non præsumptas nostras opiniones in verba illa ingeramus, sed ut ipsa verba & repetitiones cœnæ, quæ in Scriptura extāt, ostendant & præbeant nobis veram & genuinam interpretationem & sententiam: idq; non obscuris & ambiguis cōjecturis, sed perspicuis, certis & firmis indicijs & testimoniis, ut gloriari possimus, nos mentem Christi tenere. 1. Corinth. 2. Quia verò Scriptura non est privatæ interpretationis, 2. Petr. 1. simplex illa regula omniū est certissima, tutissima & firmissima: quòd scilicet eadem doctrina & sententia in diversis Scripturæ locis, ideo repetita est, ut ipsius Spiritus sancti interpretatio, ex illa collatione locorum inquiri & deprehendi possit. Et quando Spiritus sanctus in Scriptura sententiāaliquam, aliter quàm sicut verba simpliciter & propriè sonant, intelligi voluit, illud vel in eodem, vel in alio loco non obscurè explicavit & ostendit. Iam verò descriptio cœnæ, à diversis Scriptoribus, & quidem diversis temporibus repetita extat in Scriptura. Nulla autem reperiuntur indicia, simplicem, propriam, usitatam & genuinam significationem illorum verborum (Hoc est corpus meum) esse deserendam. Offerunt se autem multæ manifestæ ostensiones, eam sententiam esse retinendam, quam simplex, propria, & Scripturæ usitata verborum significatio præbet: sicut in peculiari libello, plenius hoc à nobis demonstratū est. Et hæc sententia in nullum fidei articulum impingit. Certum enim est, quia in humana natura Christi, tota plenitudo divinitatis habitat corporaliter: & per ascensionē humana natura in Christo exaltata est, super

Dijudicatio corporis Christi.

omnes

Universidad de Deusto
Biblioteca

omne nomen, quod nominatur, sive in hoc, sive in futuro seculo: ideo Christũ corpore suo posse adesse ubicunque voluerit, & facere quodcunque voluerit. Præsentia igitur corporis Christi in Cœna, non pugnat cum articulis fidei, vel de veritate humanæ naturæ, vel de ascensione Christi. Habet etjam hæc sententia perpetuum consensum veteris, veræ & purioris Ecclesiæ: & plena est dulcissimarum consolationum: quæ omnes, stabilita absentia corporis & sangvinis Christi, conscientiæ eripiuntur. Sed hæc in repetitione sanæ doctrinæ de præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna, justa tractatione explicavimus. Non igitur opus esse judico, ut integra cõtroversiæ hujus tractatio hoc loco repetatur. Hæc pauca verò ideo hoc loco annotare volui, ut ostenderem, meam confessionem conjunctam esse cum illis Ecclesiis, quę à Sacramentariorum opinionibus alienæ sunt, & sententiam de vera & substantiali præsentia corporis & sangvinis Christi in cœna juxta simplicem & genuinã verborum institutionis proprietatem amplectuntur & profitentur. De primo igitur capitulo, & primo Canone, quod attinet ad præsentiã substantiæ corporis & sangvinis Christi in cœna, nihil amplius jam disputabo, ne rationem examinis prætergrediar. Duo tamen adhuc in explicatione hujus capituli expendenda sunt. Primùm quòd verbo continendi, videtur definire velle modum præsentiæ corporis & sangvinis Christi in cœna. Nos verò præsentiã ipsam quia testimonium habet verbi Dei, simpliciter credimus: de modo verò præsentiæ, quia verbo Dei revelatus non est, judicamus non esse disputandum. Non igitur definimus certum modum illius præsentiæ, sed eum humiliter commendamus sapientiæ & omnipotentiæ Dei. Non statuimus Physicam seu Geometricam, crassam & carnalem rationem præsentiæ. Non disputamus de localii inclusione: nec de descensione, vel ascensione corporis Christi. Et breviter, nõ sentimus corpus Christi in cœna adesse modo aliquo, seu ratione naturali hujus seculi.

De modo præsentiæ corporis Christi.

Fundamentum etjam præsentiæ corporis Christi in cœna, Lutherus monuit, non esse collocandum in disputatione de ubiquitate, sed in veritate verborum institutionis. Nec Transsubstantiationem pro articulo fidei recipimus, de qua postea dicendum erit. Sed sicut verba cœnæ docent, simpliciter credimus illam præsentiam: modum verò & rationem non definimus, sed sapientiæ Christi veracis & omnipotentis commendamus.

Alterum quod observandum dixi, est illud quod mentionem faciunt consecrationis panis & vini, & tamen, quæ & qualis illa fit, non explicant: cùm tamen constet, à multis petitum fuisse à Patribus Concilii, ut inter tàm varias disputationes & opiniones, certam formam consecrationis Eucharistiæ definirent & determinarent.

Consecratio panis & vini.

Quidam enim disputant, in tacita murmuratione quatuor horum verborum super panem (Hoc est corpus meum) consistere consecrationem: ita ut nec ea quæ in iustitutione præcedũt, nec quæ sequuntur, ad consecrationem vel pertineant, vel requirantur: sed in syllabis & literis quatuor illorum verborũ, ea sit vis & ἐνέργεια, ut, si à Sacerdote super panem pronuncientur, possint substantiam panis convertere in corpus Christi.

Quidam, ut Thomas, alia etjam quædam ex verbis institutionis, ad consecrationem requiri & pertinere contendunt. Extat libellus Bessarionis, in quo prolixè disputat hanc quæstioné: An consecratio fiat per verba institutionis, an verò per verba Canonis: vel an utraque simul ad consecrationem necessaria sint. Et Colonienses in suo antidid agmate, seriò & multis contendunt, eos vehementer insanire, qui existimant panem & vinum consecrari in corpus & sangvinem Christi per verba institutionis, si non adhibeantur etjam verba & preces Canonis. Et inter Pontificios multi publicè scribunt, illas Ecclesias, quæ non adhibito Papistico Canone, verbis institutionis Christi in Cœna utuntur, non habere verũ corpus & sanguinem Christi, sed tantùm panarium Sacramentum, sicut Lindanus inquit.

Colonienses.

Augustinus.

Disputatur etjam, an ad consecrationem Eucharistiæ necessaria sit, altaris, sacerdotis, vasorum, vestium, & reliquæ missalis panopliæ Pontificialis consecratio.

Inter hastàm diversas opiniones, Tridentini Patres à multis requisiti, noluerunt se interponere: sed simpliciter sine declaratione, nominãt consecrationem panis & vini. Et quo consilio illud fiat, Lector expendat. Res autem per se plana est: Quidam enim Papisticam consecrationem ita rejecerunt, ut fingerent, etjam sine verbis institutionis, posse celebrari cœnam Dominicam. Quod manifestè falsum est. Certissimum enim est, Sacramentũ non esse sine verbo, sicut Baptismum Paulus vocat lavacrũ aquæ in verbo, Eph. 5. Et Augustini sententia rectè habet: Accedat verbũ ad elementũ, & fit Sacramentum. Item: Tolle verbum ex Baptismo: & quid erit aqua nisi aqua? Nullo modo igitur Eucharistia esse potest, sine adhibitione verbi. Si enim ex Eucharistia tollatur verbũ, nihil aliud erit panis quàm panis. Et inde Augustinus contra Faustum, lib. 20. cap. 13. inquit: Noster panis & calix, certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamvis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non Sacramentũ religionis. Hoc fundamentum firmissimum est, ex definitione Sacramenti. Illa verò adhibitio verbi ad elementũ in Sacramentis, vocatur veteribus sanctificatio: vulgus vocat consecrationem. Paulus ex descriptione Marci, nominat benedictionem, cùm inquit: Poculum benedictionis cui benedicimus, 1. Corinth. 10. Quod si jam quæritur, quodnam sit verbum illud benedictionis, quo accedente ad panem & vinum, fiat Sacramentum corporis & sanguinis Domini. Certè hoc extra controversiam est, sicut unumquodq; Sacramentum habet certũ aliquod verbum Dei, sibi proprium & peculiare: ita etiam Eucharistiam habere certum, proprium & peculiare verbum, ipsam scilicet divinam institutionem. Existimo verò, apud illos qui non censent humana divinis esse vel æquanda, vel præferenda: &

da: & hoc extra dubitationem esse, impiè eum facere, quicunque benedictionem, sanctificationem, sive consecrationem Eucharistiæ, verbis divinæ institutionis derogat, & ad preces Canonis, qui ab hominibus ex corrupto & integro, imò ex quàmplurimis corruptis, consarcinatus est, transfert. Nec sanè partienda est illa sive benedictio, sive consecratio inter Dei verbum, & inter verba ab hominibus tradita. Non enim quodvis verbum, sed Dei verbum requiritur ad Sacramentum. Et verbo Dei, ut fit igne probatum, nihil est addendum: Proverb. 30. Præcipuè Testamento Filij Dei, nihil est superaddendum: Galat. 3. Et breviter, Christus jussit nos in actione Eucharistiæ, facere quod ipse fecit. Non autem mutam ipse actionem exercuit, sed dixit. Et quid dixerit, in scriptura, quantum spiritus sanctus nobis necessarium esse judicavit, traditum est. Vetus igitur Ecclesia, licet aliis etjam exhortationibus & precationibus in administratione Eucharistiæ usa est: simpliciter tamen, & rectè sensit, sermone Christi, hoc est, verbis institutionis divinæ, fieri benedictionem, seu consecrationem Eucharistiæ.

Ambrosius. Ambrosium de Sacramento, libro 4. cap. 4. Cùm enim dixisset, panem esse corpus Christi consecratione: mox quærit, quibus verbis & cujus sermone benedictio illa fiat. Respondet autem, verbis & sermone Domini Iesu: & addit differentiam esse inter reliqua, quæ in illa actione dicuntur, quæ vel sunt precationes, vel Eucharistiæ: illa verò dicit, non pertinere ad cõsecrationem seu benedictionem Eucharistiæ. Sed quando jam consecrandum & conficiendum est Sacramentum, tunc dicit, Sacerdotem jam nõ suis amplius, sed Christi verbis uti. Quæ verò illa Christi verba sint, cap. 5. disertè explicat, recitãs verba institutionis. Et nota est Gregorij sententia, qua affirmat morem Apostolorum fuisse, ut ad Dominicam solummodò orationem hostiam

Lindanus. consecrarent. Falsum igitur est, quod Lindanus Basilio tribuit, consecrationem Eucharistiæ fieri

Basilius. verbis non scriptis. Nam cap. 27. de Spiritu sancto, Basilius loquitur non de verbis consecrationis, sed de verbis, quando panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, hoc est, facta jam benedictione ostenditur.

Iustinus. Iustinus etjã dicit, sacerdotem diu multum; precari & gratias agere: sed non in hunc finem, ut ita fiat consecratio Eucharistiæ. Addit enim, præpositum gratias agere ὑπὲρ τοῦ καταξιῶσθαι τοῦτων παρ' αὐτοῦ: hoc est, quòd mysteria illa nobis à Christo instituta & tradita sint. De ipsa verò consecratione inquit, cibũ Eucharistiæ, gratiarũ actione sacrari, δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ: hoc est, per precationem verbi, quod ab ipso Christo traditum est. Quale autem illud verbum sit, Paulus à Christo se accepisse affirmat, 1. Corinth. 11. Et Iustinus ipse se explicat. dicit enim, illud esse verbum, quod Evangelistæ in Commentariis suis de institutione Cœnæ, literis consignârunt.

Irenæus. Irenæus dicit: Quando mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sangvinis Domini. Et quod verbum institutionis intelligat, explicat cùm inquit, panem terrenũ accipere vocationem Dei, scilicet, quando de pane Christus pronunciat: Hoc est corpus meum. Ita Ambrosius de his, qui initiantur mysteriis, cap. 9. dicit, Sacramentum illud non hominis benedictione, sed sermone Christi confici.

Et Chrysostomus in Homilia de proditione *Chrysostom.* Iudæ, quæstionem illam pulcherrimè explicat: non hominem scilicet esse, qui nobis res in mensa Dominica propositas sanctificet, ut fint corpus & sangvis Domini: sed eundem Christum, qui primam suam cœnam sanctificavit, etjam nunc nostram cœnam Dominicam sanctificare, Licet enim verba per os sacerdotis proferantur, Sacramenta tamen, gratia & virtute Dei sanctificari. Christi enim, non Sacerdotis verbum est: Hoc est corpus meum. Et per illud proposita sanctificantur.

Deinde instituit collationem inter hoc verbũ Christi, & inter verbũ illud, Crescite & multiplicamini: quod semel dictum, perpetuã in articulo creationis habeat efficaciam. De consecrat. dist. 2. cap. Vtrum in figura, Augustinus di- *Augustinus.* cit: Reliqua omnia, quę sacerdos dicit, aut clerus chori canit, nihil aliud esse, quàm laudes & gratiarum actiones, aut certè obsecrationes, & fidelium petitiones. Sacerdotem verò consecraturũ assumere verba Evangelistarum. Et Thomas 2. *Thomas.* quæst. 83. artic. 4. multis disputat, consecrationẽ solùm in verbis Christi confici: reliqua verò in Canone, pertinere ad preparationem sumentiũ. Vera igitur benedictio seu consecratio Eucharistiæ, consistit in verbis institutionis ipsius filij Dei, per quæ ipse nobis hodie, & usque ad finem seculi consecrat & sanctificat panem & vinum: ut illam nominationem quam natura non habent, ex gratia & virtute divina percipiãt, ut scilicet sint corpus & sanguis ipsius.

Obseruet autem Lector, quòd inter Pontifi- *Verba institutionis à Pontificijs mutilata.* cios pleriq;, cùm non possent in universum verba institutionis, ex consecratione Eucharistiæ proscribere, magnam tamen ejus partem resecarunt: ita ut exceptis quatuor illis verbis, Hoc est corpus meũ: reliqua in institutione nihil ad consecrationem vel pertineant, vel faciant. Et hoc ideo disputant, ut ex consecratione, exterminatis verbis illis: Dedit illis dicens: Accipite, comedite, &c. possent extra usum habere Sacramentum. Sed Paulus traditurus Corinthijs, quo modo possent non vulgarem, sed Dominicam cœnam celebrare, totam & integram institutionem recitat & præscribit. Iustinus faciens mentionem verbi à Christo traditi, quo Eucharistia consecretur, refert se ad descriptionem institutionis, quæ apud Evangelistas extat. Emissenus De consecrat. distinct. cap. Quia corpus, dicit Sacerdotem in sanctificatione ita dicere: Accipite, hoc est corpus meum: & bibite, hic est sanguis meus. Ita etjam Ambrosius de Sacramẽtis, *Ambrosius.* lib. 4. cap. 5. Et breviter in omnibus vetustis liturgiis, nõ tantùm verba, sed tota & integra institutio in sanctificãdis mysteriis recitatur. Duo igitur jam monstrata sunt. I. non prece hominis, sed verbo institutionis sanctificari sive consecrari Eucharistiam. II. non mutilandam esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

institutionem, sed totam esse adhibendam ad benedictionem Eucharistiæ, & ejus administrationem. III. Est & hoc explicandum, recitationem illorum verborum non ita adhiberi, sicut magi sua carmina conceptis verbis recitant: puta de Iove Elicio, aut de luna cœlo deducenda: viscilicet, & virtute literarum & syllabarum, si certo modo recitentur & pronuncientur: sed sicut in prædicatione Evangelij Paulus affirmat Christũ ipsum per os ministrorum loqui, Rom. 15. 2. Corinth. 13. & Deum exhortari per nos, 2. Corint. 5. Ita in actione Eucharistiæ, minister loco Christi legatione fungitur, qui ipse ibi adest: & per ministros, verba hæc sonat: Hoc est, corpus meum, hoc facite, &c. & per illud suum verbum efficax est. Non igitur minister homo, sua consecratione & benedictione, panem & vinum facit corpus & sangvinem Christi: sed ipse Christus, verbo suo in hoc actione adest: & institutionis suæ verbo quod per os ministri pronunciatur, efficit ut panis sit corpus suum, & poculum sangvis suus: planè eo modo, sicut ipse est, qui baptizat, licet per ministrum, & verbo suo efficit, vt baptismus sit lavacrum regenerationis & renovationis. Adhibemus igitur recitationem verborum institutionis, tanquam ordinationem, mandatũ, promissionem, & priuilegium mediatoris nostri Christi Domini: ut admoneamur, & certi reddamur, quid in Cœna Dominica sit faciendũ & credendũ. Conuenimus enim ut accipiamus, edamus & bibamus, non panem cibarium, aut vulgare poculum: sed illum panem, qui est corpus Domini, & illud poculum quod est sangvis novi Testamenti. Sed natura panis, non est corpus Christi, nec vinũ sangvis ejus: nec ulla creatura, sed solus filius Dei, virtute & omnipotentia sua efficere potest, ut panis sit ipsius corpus, & vinum sangvis ipsius. Illud autem in prima cœna effecit per verbum, dicens: Hoc est corpus meum. Recitantur igitur in nostra Dominica cœna, verba institutionis, non tantum historicè: sed ut Ecclesiæ ostendatur, Christum ipsum per verbum, juxta suum mandatum & promissionem, in actione cœnæ adesse, & potentia illius verbi, exhibere vescentibus suum corpus, & suũ sangvinem. Ipse enim est qui distribuit, licet per ministrũ: ipse est, qui dicit Hoc est corpus meũ: ipse est qui per hoc suum verbum efficax est, ut panis sit corpus, & vinũ sangvis ipsius. Hoc modo & inde certi sumus & credimus, nos in cœna Domini vesci non vulgari pane & poculo, sed corpore & sangvine Christi.

Ita Dionysij Sacerdos inchoaturus administrationem Eucharistiæ, præmittit tanquam privilegium, hæc verba: Tu dixisti, Hoc facite in mei commemorationem.

Ambrosius. Ambrosius de Sacramentis lib. 4. cap. 5. pulchrè distingvit verba institutionis. Quædam enim sunt Evangelistarum verba, quæ tamen nõ ut historica tantùm recitantur, sed sunt tanquã privilegium, quid nos in actione cœnæ Dominicæ facere debeamus, ut. Accepit panem, benedixit, fregit, dedit discipulis &c. alia verò sunt Christi verba, quorum virtute panis est corpus Christi, & vinum sangvis eius. ut: Accipite, comedite, bibite: Hoc est corpus meum, hic est sangvis meus. Hoc autem interest inter cõsecrationem, & historicam recitationem verborum. Quando enim institutio recitatur, & non facimus quod Christus in cœna & fecit, & faciendum jussit: tunc non est cõsecratio, sed tantùm historica recitatio. Quando verò verba recitamus, & facimus quod jussit: tunc verbis illis benedicimus pani & poculo. Non ignoro, quæstionem hanc à multis variè disputari: quibusdã ad ipsum opus consecrantis, hoc est, ad externam tantùm recitationem verborum, sicut illa fit à ministro respicientibus, vt ex consecratione fermè magicum quiddam faciant: quibusdam verò ipsum verbum planè tollentibus ex Eucharistia, aliis tantùm historicam narrationem institutionis, sine accõmodatione ad præsentem in nostra Dominica Cœna actionem retinentibus. Sed hanc quam exposui, judico esse simplicissimam & veram sententiam de benedictione, seu consecratione Eucharistiæ: quæ rectè tradita, utilis est & ad erudiendam & ad cõfirmandam fidem. Pontificiorum verò sententiam, de cõsecratione Eucharistiæ, nõ possumus simpliciter recipere. Disputantes enim de verbo, per quod fiat benedictio seu consecratio Eucharistiæ, vel ipsam institutionem maximam sui parte mutilant, sicut suprà dictum est, quasi exceptis quatuor verbis, reliqua in institutione nihil vel pertineant vel faciant ad sanctificationem: vel traditiones humanas assiuunt verbo Dei, quasi per verba institutionis non possit fieri consecratio, nisi adhibeãtur etjam ea, quæ in Canone Missæ consarcinata sunt. Atque ita totum Sacramentum Eucharistiæ, quantum in ipsis est, reddunt incertum. Petrus enim Comestor dicit, verba institutionis non esse verba benedictionis: quia ignotum sit, quibus verbis Christus in benedictione Eucharistiæ usus sit. Sed contrarium affirmant Ambrosius & Chrysostomus. Proclus quidam fingit, Apostolos intra diem Ascensionis & Pentecostes, composuisse Canonem, ut esset forma cõsecrationis. Sed Gregorius asserit, Apostolos nõ usos Canonica illa prece, sed ad Dominicam solummodò orationem hostiam consecrasse. Ita omnino dubia & incerta est Canonica illa benedictio. Incertum igitur etjam erit Sacramentũ, quòd Canonica illa prece consecrari dicũt. Nos verò quando verbis Christi in institutionem tribuimus benedictionem, habemus certum & firmum fundamentum. Præterea ipsam consecrationem seu sanctificationem, Pontificij tribuunt partim etjam operi Sacerdotis: & quidem non tantùm externæ recitationi verborũ, sed & aliis sacrificuli gestibus, ut expansioni, complicationi, elevationi & gesticulationi manuum, inclinationi cervicis, conversioni corporis, transpositioni libri, cruciformationibus, & aliis similibus: & præcipuè verò consecrationi sacerdotis, altaris, vasorum, vestium, &c.

Petrus Comestor. *Proclus.* *Canonica benedictio omnino incerta.*

Hæc meritò & necessariò taxantur, ut ostendi possint vera fundamenta, quib. maximum hoc mysteriũ nititur: quòd scilicet credimus, in cœna Dominica non vulgarem panem, & communem vinum, sed corpus & sangvinem Domini adesse, exhiberi, & accipi.

DE

DE RATIONE INSTITVTIONIS HVIVS SANCTISSIMI Sacramenti.

CAPVT II.

Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriã faciens mirabilium suorum: & in illius sumptione, colere nos sui memoriam præcepit, suamq; annunciare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritalem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis: adeoq; Symbolũ unius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuiq; nos tanquã membra, arctissima fidei, spei & caritatis connexione astrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, neq; essent in nobis schismata.

CANON V.

Si quis dixerit, vel præcipuum fructuum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.

EXAMEN.

De usu & fructu cœnæ Dominicæ.

Vtilissima est, simplex & vera ex verbo Dei explicatio doctrinæ, de fine, usu & fructu, sive de virtute & efficacia Eucharistiæ. Hæc enim doctrina, animi excitantur ad crebriorem usum hujus Sacramenti: accenditur in ipso usu fides, invocatio & gratiarũ actio: cõscientia denique credentis, ex hac doctrina dulcissima consolatione confirmatur, ad se etjam, in hac tanta carnis infirmitate pertinere, sibi certò communicari, firmiter donari & obsignari totum thesaurum omnium beneficiorum, quæ Christus mediator traditione sui corporis, & effusione sui sangvinis nobis acquisivit. Ostendit etjam hæc doctrina, quia variis in hujus vitæ calamitatib. subjectis sumus, quale pignus habeamus futuræ aliquando nostræ liberationis, immortalitatis & gloriæ. De re magna igitur disputatio est: & omnino necessariũ est, doctrinæ hujus synceritatem, sicut ea in verbo Dei tradita est, ita conservare, ne vel additionibus vel detractionibus adulteretur.

Iterum verò commonefaciendus est Lector, quod sit *κρινόμενον*, seu quis sit verus status controversiæ inter Pontificios & inter nos de hac doctrina. Tridentini enim dogmatistæ, non satis explicatè declarant id, quod in controversia positum est: cùm tamen non ignotum sit, quid hoc loco damnare velint. Quintum siquidem Canonem ita constituerunt, quasi hic sit status controversiæ, quòd nos remissionem peccatorũ ita tribuamus fideli sumptioni Eucharistiæ, ut negemus alios etjam effectus ex illa sumptione provenire ad credentes: cùm longè aliud sit, quod damnare volunt. Vt igitur explicatis illis, quibus Pontificij sperant se judicium Lectoris vel turbare, vel saltem remorari posse: planè & perspicuè ostendatur, quid illud sit, quod in doctrina nostra, de fine & fructu Eucharistiæ sugillare & damnare volunt. Breuiter Patrũ verbis & sententiis recitabo aliquos illos Eucharistiæ effectus, de quibus Canon iste loqui videtur: quos Eucharistiæ nos nullo modo detrahimus, sed docemus, fidem in sumptione debere reverenter considerare, & cum gratiarum actione amplecti omnes divitias, & totum thesaurum beneficiorum, quæ Christus Mediator traditione sui corporis, & effusione sui sangvinis, Ecclesiæ suæ acquisivit. Quia enim in Eucharistia accipimus illud Christi corpus, quod pro nobis traditum est, & sangvinem novi Testamenti, qui in remissionem peccatorum effusus est, quis neget, credentes ibi percipere thesaurum omnium beneficiorum Christi? Accipiunt enim illud, in quo peccata remittuntur, in quo mors aboletur, in quo vita nobis cõmunicatur, quo nos sibi Christus, tanquam membra adjungit, ut ipse in nobis, & nos in ipso simus. Pulchrè enim dixit Hilarius: Hæc accepta & hausta, faciunt ut & Christus in nobis, & nos in Christo simus. Cyrillus inquit: Quando carnem Christi in mystica benedictione, fide manducamus, hinc vitam habemus in nobis, illi carni conjuncti, quæ vita effecta est. ut non solùm anima per Spiritũ sanctum in beatam vitam ascendat, verumetjam terrestre hoc corpus, cibo illo ad immortalitatem reducatur, resuscitandum in novissimo die. In Eucharistia igitur accipimus pignus certissimũ & præstantissimum reconciliationis nostræ cum Deo, remissionis peccatorum, immortalitatis, & futuræ glorificationis. Et revera divitias divitii sui erga homines amoris, in hoc Sacramento Christus opulenter effundit. Illud enim corpus, quod pro nobis in mortem tradidit, dat nobis in Cœna sua in cibum: ut ex eo tanquam solido, divino & vivico cibo vivamus, alamur, grãdescamus, confortemur, atque adeò in ipsum convertamur, ab eo nunquam separandi: sicut Augustinus piè dicit, in persona Christi: Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. Et sacrum convivium, in quo Christus sumitur, memoria passionis eius recolitur, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Et elegans est Ignatij sententia, quæ extat in Epistola ad Ephesios: ubi Eucharistiam vocat *φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καθαρτήριον ἀλεξίφαρμον.* Hoc est: Pharmacum immortalitatis, antidotum ne moriamur, sed vivamus in Deo, per Iesum Christum, remedium per averuncationem, & depulsionem malorum purgans.

Hilarij dictum.

Nec incommoda est Bernhardi sententia, in qua dicit: Corpus Christi est ægris medicina, peregrinantibus via: debiles confortat, valentes delectat, langvorem sanat, sanitatem conseruat: per hoc fit homo mansuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiã promptior, ad gratiarum actionem deuotior. *Bernhardus.*

Cyprianus dicit: eos quos exhortamur ad prælium, non inermes & nudos esse relinquendos, *Cyprianus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed protectione sanguinis & corporis Christi muniendos. Ad hoc enim fit Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela. Idoneus ergo esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non accepta Eucharistia erigit & accendit.

Chrysostom. Chrysostomus inquit: Si qui fimbriam vestimenti ejus tetigerunt, rectè convaluerũt: quantò magis corroborabimur, si totum illum in nobis habeamus? Sedabit ille in nobis sævientem membrorum nostrorum legem, perturbationes animi extinguet, morbos omnes depellet, ab omni casu nos eriget, & inimici potestate devicta, ad verã pietatem concitabit, atque adeo in seipsum confirmabit. Idem inquit, in priorem ad Corinthios: Ipsa mensa, animæ nostræ vis est, nervimentis, fiduciæ vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra. Si hinc hoc sacrificio muniti migrabimus, maxima cum fiducia sanctum ascendemus vestibulum.

Ambrosius. Ambrosius de his, qui initiantur mysteriis, cap. 8. Ista esca, quam accipis, vitæ æternæ substãtiam submINISTRAT.

Et in Lucam inquit: Corpus Christi edimus, ut vitæ æternæ possimus esse participes.

Basilius. Basilius in Asceticis dicit, propriũ esse eorum, qui sumunt Eucharistiam, ut memoriam continuam servent ejus qui pro nobis mortuus est, & resurrexit. In usu igitur cœnæ Dominicæ beneficia traditione corporis Christi & effusione sanguinis ipsius nobis præstita & acquisita, memori mente sunt cogitanda, publica voce prædicanda & annuncianda, gratiarum actione publicè & privatim commemoranda & celebranda. Nec tantùm historica cõmonefactio de morte Christi, & beneficiis ejus in Eucharistia est: sed ipse habitans jam in nobis, illam sui ἀνάμνησιν efficacia corporis & sanguinis sui per Spiritum excitat, accendit, confirmat, auget & conservat in nobis: ne obliuio illa, de qua Scriptura loquitur 2. Pet. 1. nobis obrepat: aut si obrepsit, ut excutiatur. Præterea etiam, sicut Augustinus inquit, mysterium pacis & unitatis nostræ, Christus in mensa sua consecravit: & per hunc cibum & potum, societatem sui corporis & membrorum suorum intelligi voluit, quæ est Ecclesiæ unitas.

Chrysostom. Chrysostomus inquit: Vna mensa omnibus est proposita, idem cibus porrigitur omnibus, idq; in propatulo fit: ut scilicet nos unum corpus agnoscamus, & mutua charitate complectamur. Ideo enim (sicut Augustinus inquit) hoc Sacramentum in ejusce modi rebus conficitur, quę ex multis, puta ex granis, & multis botris seu racemis ad unum aliquid rediguntur: ut admoneamur participatione hujus Sacramenti, ut & nos unum simus nos diligendo, unam fidem, unam spem, & individuam caritatem. Et sicut Cyprianus inquit: Quibus unus est panis, unum est corpus, & omniũ unum cor, & anima una, uni Christo adhærens.

Hæc ex Patrum sententiis breviter repetere volui: ut Lectori ostenderem, non hunc esse statum controversiæ, de quo hoc loco Pontificij nobiscum dimicant, quasi ipsi magnificentius sentiant & loquantur de fine, fructu, virtute & efficacia sumptionis Eucharistiæ: aut quasi nos de remissione peccatorũ, in sumptione Eucharistiæ ita loquamur, ut alios effectus Eucharistię denegemus & detrahamus. Ideo enim nostrã confessionẽ adjunxi sententiis veterum, ex verbo Dei sumptis & extructis: ut corã tota Ecclesia palàm fiat, nos dignitati, virtuti & efficaciæ Eucharistię nihil quicquã detrahere. Et mirũ est, Pontificios hoc modo insidiosè voluisse transponere statũ: cùm aliàs irasci & indignari soleãt, nos dignitatẽ & efficaciã Eucharistiæ, ex verbo Dei magis extollere & ornare, quàm ipsorũ Missæ, satisfactionibus, indulgentiis, & similibus veniarũ nundinationibus commodum & utile sit. Cum igitur hæc enumerata diligentius in nostris Ecclesijs, quàm apud Põtificios doceãtur: num in hac parte doctrinę cõsensus est, ita ut nihil habeãt quod in nostra doctrina damnent? Certè nõ sine causa, anathemata sua in V. Canone expediũt. Quid verò illud sit, obliquè notant cùm damnant: Si quis dixerit, vel præcipuũ fructum sanctissimæ Eucharistiæ, esse remissionem peccatorum. Sed inquis: Forsan eos notãt, qui de remissione peccatorũ, in sumptione Eucharistiæ ita disputant, ut reliquos ejus effectus omnes prorsus negent & tollant. Illos igitur nominent, nobis cum tali opinione nihil est cõmune, qui sentimus in usu Eucharistiæ, fieri in credentibus applicationem & obsignationem omnium beneficiorum Christi mediatoris. Sed aliud est, de quo boni illi Patres dimicant, quod in secundo capitulo ita explicant, Eucharistiam esse antidotũ, quo liberemur à culpis quotidianis, hoc est, à peccatis venialibus: à mortalibus verò non liberemur per antidotum Eucharistiæ, sed tantùm præservemur. Et est illud quod Colonienses Iesuitæ ex Scholasticis clarius explicãt, cùm dicunt: Levia quidem & minora peccata Eucharistiam delere, aliquando etiã gravia quædam: illa scilicet, quorum memoria confitentibus nobis exciderit, tunc enim Sacramenti virtutem supplere, quod ignorantia desiderabat. Mortalia autem peccata, vero usu Eucharistiæ non deleri. Hoc igitur est caput illud, quod in doctrina nostra reprehendunt & damnant: quòd scilicet docemus, filium Dei in Eucharistia, dato suo corpore & sanguine, tanquam pignore seu sigillo certissimo & præstantissimo, testari, se singulis fide hoc Sacramento utentibus, cõmunicare, applicare, & obsignare beneficia sua, quæ traditione sui corporis, & effusione sui sanguinis Ecclesiæ acquisivit. Et inter illa beneficia, dicimus præcipuũ & primarium locum obtinere remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, receptionẽ in gratiam, & acceptationem ad salutem & vitam æternam: non quòd reliqua Christi beneficia, ab Eucharistiæ fructu excludamus: sed quia hæc sunt quasi fundamenta omniũ reliquorũ Christi beneficiorum, quæ nobis conferenda sunt. Neque hoc facimus privata aliqua speculatione aut temeritate, sed ipse filius Dei, Eucharistiam nominat novum Testamentum. Et Ieremias affirmat, in novo Testamento comprehendi hoc pactum: Propitius ero iniquitati eorum, & peccatorũ non memorabor amplius. Et quidem in ipsa institutione, Christus expressis verbis nominat remissionẽ peccatorũ. Cogitet autem

Iesuitæ Colonienses.

Lector

Lector, quid sit, remissionem illam in novo Testamento, de quo verba Cœnæ loquuntur, cum Iesuitis restringere tantùm ad levia & minora peccata: quasi sangvis Christi, in Eucharistia acceptus, nõ habeat vim delendi peccata mortalia & graviora: sed illa dignitas & virtus tribuenda sit nostris satisfactionibus, indulgentiis, missæ sacrificio, & reliquis veniarũ negociationibus. Operæ precium enim est, expendere, quare Pontificij contra hoc caput doctrinę nostræ tàm pertinaciter dimicent. Hæc enim cõsideratio, multa monebit: & ostendet causas gravissimas, quare contradicendum sit.

Primùm igitur, remissionem peccatorũ graviorum & mortalium, quæ post Baptismũ commissa sunt, docent quærendã & impetrandã esse nostra contritione, confessione, satisfactione, sacrificio Missæ, & aliis modis. Vident autem, totã illam veniarum structuram collapsuram, si remissio illa, & reconciliatio quæratur in corpore & sangvine Christi. Ne tamen nihil tribuant Eucharistiæ, loquuntur de venialibus: hoc est (sicut Iesuitæ interpretantur) de levioribus & minutioribus peccatis. Vt igitur satisfactiones suas & reliquas veniarũ nundinationes retineant, acerbè dimicant, in vero usu Eucharistiæ, nõ fieri applicationem remissionis peccatorum. Secundò, ut dogma de dubitatione remissionis peccatorum retineant, damnant ipsam etiam obsignationem remissionis peccatorum in Eucharistia: Iesuitæ enim Colonienses manifestè ostendunt, se dogma illud improbare, quòd credentes, qui fide hoc Sacramento utuntur, ejus sumptione confirmentur, & certi reddantur de reconciliatione cum Deo, de remissione peccatorum, &c. Et rationem assignant, quia illud pugnet cum doctrina Pontificia, de dubitatione. Quia igitur vident verum & salutarem Eucharistiæ usum, quasi adversa fronte expugnare Pontificium dogma de dubitatione: ne conscientijs ullam certam & firmam consolationem, de fiducia & certitudine remissionis peccatorum relinquãt, contendunt, in usu Eucharistiæ, nec applicationem, nec obsignationem reconciliationis, seu remissionis peccatorum, in singulis fide hoc Sacramẽto utentibus fieri.

Pontificiorũ doctrina de effectu Eucharistiæ.

Tertiò docent, multos quidem præstantes & insignes esse effectus Eucharistiæ: eos verò in usu Eucharistiæ illis tantùm contingere, qui ab omnibus gravioribus peccatis antè liberi, immunes, puri & sancti sunt: secus verò dispositos, judicium sibi manducare, & grauissimam offensionem Dei incurrere, eò quòd non pro dignitate, hæc sacrosancta mysteria contingant. Ita fermè Andradius etiam loquitur. Econtrà verò docent, Missam esse sacrificium propiciatorium, ad delenda quævis peccata mortalia & gravissima: idq; ex opere operato, sine aliquo peccatoris vel negocio, vel periculo. Hoc modo & hac via experti sunt, homines à crebriori usu Eucharistiæ abstèrreri, & ad quotidianas Missarum nundinationes cupidius invitari. Hoc aucupium nollent amittere: ideò talem fecerunt partitionem, quòd sacrificio Missę tribuant remissionem omnium peccatorum: in vero autem Eucharistiæ usu, leviora tantùm & minutiora delicta tradũt deleri: idq; tamen non fieri sine magno periculo, nisi quis ab omnibus grauioribus peccatis antè immunis, purus & sanctus sit. Hæc consideratio verum est examen secundi capituli, & V. Canonis.

An impœnitentibus proficiat usus Eucharistiæ.

Num verò nostra sententia est, in vero usu Eucharistiæ, remissionẽ peccatorũ accipere etiam eos, qui gravissimorũ scelerum sibi conscij sunt, si non deponant, sed retineant propositum malefaciendi, si non afferant timorem Dei, sive pœnitentiam & fidem, sed scientes perseverent in delictis contra conscientiam? Nullo sanè modo ita docemus. Seriò enim monentur apud nos homines eos, qui non agunt pœnitentiam, sed perseverant in delictis contra conscientiã, manducare & bibere sibi judicium, ita ut rei fiant corporis & sangvinis Domini. Simulatur enim offensio Dei inde, quòd in impœnitentia Eucharistiam sumunt, contumelia afficiunt corpus & sangvinem Domini. In his igitur quibus manducatio illa prodesse debet, necessaria est pœnitentia seu timor Dei, expavescens cogitatione peccati & iræ Dei adversus peccata, & deponens propositũ malefaciendi: necessaria etiam est fides, petens & accipiens remissionem peccatorũ in promissione. Inde verò Andradius texit tale argumentum, quod existimat esse insolubile. Qui agit pœnitentiam, & credit Evangelio, accipit & habet remissionem peccatorum. Sed utiliter accessurum ad communionem, oportet afferre pœnitentiam & fidem. Habet igitur remissionem peccatorum, ante communionem. Nemo verò illud vel quærit, vel accipit, quod jam antè habet. Ergò in usu Eucharistiæ nec quæritur, nec accipitur remissio peccatorum. Sed tota hæc imaginatio, oritur ex ignorantia doctrinæ, de vero & salutari usu Sacramẽtorum. Vnicum enim est fundamentum reconciliationis cum Deo, & remissionis peccatorum: Christus scilicet mediator, cum sua obedientia & merito. Illum verò pater proponit fide apprehendendum & accipiendum ad remissionem peccatorum, & in verbo & in Sacramentis. Est autem reconciliatio cum Deo, & remissio peccatorũ, non sicut color seu qualitas, hærens immobiliter, indivulsè & inseparabiliter in subjecto: ut semel accepta, non opus sit amplius, de ea cogitare. Sed fidei perpetua actio, & quotidianum exercitiũ in hac vita est, Christũ magis magisq; & firmius apprehendere, in eo manere & perseverare, ne remissio peccatorum amittatur, sed ut firmius & certius retineatur: imò in hac carnis nostræ depravatione, inter tàm varias diaboli insidias, & mundi scandala, nullum momentũ est, in quo non opus sit nobis quærere, apprehendere & complecti gratiam Dei, reconciliationem & remissionem peccatorum.

Præterea in tentationibus, mens de hac quæstione præcipuè angitur. Cùm promissio loquatur in genere, an etiam ego, qui credo, habeam remissionem peccatorũ? an verè, certò & firmiter eam habeam? Solicita etiam est pia mens, ne sibi eripiatur vel excutiatur. In hũc igitur usum Deus, qui dives est in misericordia, quam opulentè super credentes effundit, præter verbum instituit etiam vsum Sacramentorũ. Relinqui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus autem & tribuimus & verbo, & cuiꝰ Sacramento, quod cujusꝰ proprium est. Per Baptismum in Christo renascimur: renati, verbo & Eucharistia alimur: lapsi, per pœnitentiam & fidem ad promissionem gratiæ revertimur, & ejus fide propter mediatorem Deo rursus reconciliamur. Et tamen ab hoc etjam usu Eucharistiæ, quæ continet fundamentum remissionis peccatorũ, corpus scilicet & sangvinem Christi, non excludimur. Filius Dei enim in Eucharistia, præstantissimo & certissimo pignore, exhibitione scilicet corporis & sangvinis sui, testatur se singulis, fide hoc Sacramento utentibus, certò communicare, applicare & obsignare remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, & reliqua sua beneficia, quæ traditione sui corporis, & effusione sangvinis sui, Ecclesiæ ita acquisiuit, ut verbo & Sacramentis offerrentur, & fide acciperentur. Atque ita fides, in usu Eucharistiæ, habet de remissione peccatorum, firmam consolationis, fiduciæ & certitudinis suæ ancoram: habet etjam efficax antidotum, ad erigẽdam & sustentandam langvidam fidem in luctu & tentationibus, contra diffidentiam, dubitationem, pusillanimitatem & desperationem. In vero etjã usu Eucharistiæ, filius Dei testatur, se credentes sibi ut membra inserere, ut gestet, sustentet, gubernet & vivicet eos: ut magis magisꝰ ipsi conjungantur, & firmius in ipso perseverare possint, & accepta beneficia retinere. Hanc dulcem, utilem & necessariam consolationem & confirmationem fidei, conantur Pontificij Ecclesiæ eripere, quando ex fructibus & effectibus Eucharistiæ, expunguntur applicationem, & obsignationem remissionis peccatorum. Nec verò novi aliquid nostra hæc sententia adfert. In omnibus enim veterum liturgiis, extant precationes, ut sumptio corporis, & sangvinis Domini fiat in remissionem omnium peccatorum. Res igitur de qua in secundo capitulo, & V. Canone controversia est, valde magni momenti est, propter conscientiarum consolationem. Nam & reliquos Eucharistiæ effectus, quos recitant, tradunt illis tantũ contingere, qui suis præparationibus à peccatis gravioribus immunes, liberos, puros & sanctos se reddiderunt. Sed hæc septimo capitulo de præparatione plenius explicanda erunt.

DE EXCELLENTIA SANCTISSIMÆ EVCHARISTIÆ SVPER reliqua Sacramenta, hoc est: An vera sit regula illa, Sacramenta extra usum divinitùs institutum, non habere rationem Sacramenti.

CAPVT III.

Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cũ cæteris Sacramentis, Symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem. Verum illud in ea excellens & singulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur. At in Eucharistia ipsa, sanctitatis auctor ante usum est. nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbeat. Et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verũ Domini nostri corpus, verumq; eius sangvinem, sub panis & vini specie, una cum ipsius anima & divinitate existeret sed corpus quidem sub specie panis, & sangvinem sub vini specie, ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini & sangvinem sub specie panis, animãq; sub utraq; vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porrò, propter admirabilem illam, eius cum corpore & anima hypostaticam vnionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub altera specie, atque sub utraq; contineri totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.

CANON III.

Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ, sub unaquaq; specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.

CANON IIII.

Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus & sangvinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur: non autem ante vel post & in hostijs seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, nõ remanere verum corpus Domini, anathema sit.

EXAMEN.

Titulus pollicetur explicationem, quæ sit excellentia Eucharistiæ super reliqua Sacramenta. Et quidẽ quòd Eucharistia dignior & excellentior sit matrimonio, & reliquis quę Pontificij Sacramentis annumerant, non opus est disputare. Inter illa enim, quæ nõ sunt ejusdem generis, ne collatio quidẽ instituenda est. Hoc verò utiliter explicaretur, cùm ad distributionem, applicationem & obsignationem beneficiorũ Christi mediatoris, divinitùs instituta & ordinata sint hæc organa seu media vox Evangelij, & usus Sacramentorum, ut sunt Baptismus & cœna Dominica: cumꝙ thesaurus, qui in prædicatione Evangelij, in Baptismo, in Eucharistia fide accipiẽdus offertur & proponitur, sit Christus mediator, cum omnibus suis beneficiis: quæ sit vel differentia, vel qui gradus, inter hæc organa seu media? Sed de his utilibus explicationibus nõ sunt soliciti Tridentini Patres. Pro Scholasticorum verò traditionib. stabiliendis & retinendis, acriter dimicant. Tradunt autem isti, Eucharistiam excellere reliqua Sacramenta. 1. in significando: II. in significato. III. in continendo. Et hæc ita explicant, quòd in reliquis Sacramentis, tantùm sit gratia accidẽtalis & creata: in Eucharistia verò sit Christus ipse autor, sanctificatio, & fons omnis gratiæ. IIII. in modo continendi: quòd scilicet reliqua non sint Sacramenta, nisi in usu: & sanctificandi vim habeant, nõ nisi in ipso usu. Eucharistia verò sit Sacramentũ, & cõtineat corpus & sanguinẽ Christi, durabiliter & permanẽter, *Pontificij de Eucharistia.*

ter, etjam extra usum. Et de prioribus quidẽ tribus gradibus Tridentini nihil disputant, ideò forsan, quia animadvertũt quàm absurdum sit, Christũ ipsum, omnis gratiæ & sanctificationis fontem & autorem, ex baptismo præscribere, & ejus loco accidentalẽ & creatã gratiã in aqua hærentem substituere: cùm scriptura manifestè testetur, Christum ipsum lauacro aquę in verbo mundare Ecclesiam, Ephe. 5. Et Paulus affirmat, Gal. 3. Quotquot baptizati estis, Iesum induistis. Pro illa verò opinione quòd Eucharistia sit Sacramentũ, & contineat Christũ, etjam extra usum illum, ad quem divinitùs instituta est, tanquam pro aris & focis dimicant. Et monendus est Lector, quas hujus sui certaminis causas habeant. Cœnam Dominicã, ab aliquot jam annis, in regno Pontificio transformarunt in actiones planè diversas ab eo usu, ad quẽ Christus illam instituit. In Missã enim, recitatis super panem & vinũ verbis cõsecrationis (quæ ita vocant) Sacramentum circumstantibus non distribuitur, à populo non accipitur, non manducatur, non bibitur: sed Deo Patri, pro delendis & vivorum & mortuorũ peccatis, certis sacrificuli gestibus & precationculis offerri fingitur. Panis super quem verba illa pronunciata sunt, nõ ad manducationem distribuitur: sed asservatur, reponitur, includitur, circumgestatur, & homines persuadẽtur, se ibi accensis luminaribus, genuflexione, & aliis venerationis & adorationis ritibus & gestibus, peculiarem & eximium cultum Christo præstare, & quidem excellentiorem, quàm si panis ille benedictus, juxta institutionem acciperetur & manducaretur. Ostensio Eucharistiæ usurpatur contra tempestates, incendia, morbos, & quævis pericula. item pro omnis generis benedictione impetranda. Hos posteriores usus à Christo in verbis institutionis non esse præscriptos & mandatos, ipsi Pontificij negare non possunt. Priorem etjam non habere fundamentũ in verbis institutionis, posteà de Missã demonstrabimus. Hæc omnia, & his similia refutantur & evertuntur unica illa, & verissima & firmissima regula: Sacramenta extra usum divinitùs institutũ, non habere rationem Sacramenti. Et propterea huic regulæ adeò sunt infesti: propter illam enim damnandam, III. caput, & IIII. Canonem posuerunt. Vident enim omnia illa, quæ extra usum divinitùs institutum, Eucharistiæ affingunt, nõ posse retineri, defendi & stabiliri, nisi damnata verissima illa regula, dogma Scholasticorum pro articulo fidei Ecclesiæ obtrudatur: quòd scilicet recitatis verbis consecrationis super panem, etjamsi usus ille, quem Christus instituit, nec adsit, nec accedat, existimetur tamen Christus Deus & Homo, in illo pane, quacunq; ratione tractetur, adesse, contineri, & durabili conjunctione permanere, nõ minus & nõ aliter, quàm in ipsa exhibitione & manducatione divinitùs instituta. Hac enim opinione posita, humana cogitatio mox affingit alios usus, & instituit alias Eucharistiæ actiones, quàm sicut Christus in verbis institutionis præscripsit. Et judicantur tunc, illa nõ tantùm bona conscientia fieri posse, sed omnino fieri debere. Siquidẽ etjam extra usum in verbo institutum, Christus cum corpore & sanguine suo sibi adesse docetur, nec minus nec aliter quàm in ipso usu. Habent igitur Pontificij causas ad stabiliendũ regnũ suum, satis magnas & graves, quare pro dogmate isto, tanquã pro aris & focis strenuè dimicandũ sibi proposuerint: sublato enim hoc fulcro, non minima pars regni ipsorũ, sponte collapsura esset. Animadvertunt autem, se in hac causa similitudine reliquorum Sacramentorum, vehementur premi & angi. Si enim verba institutionis Baptismi, super aquam pronuncientur, & non fit vel fiat actio baptizationis, nec adsit qui tingatur: non esse Sacramentum Baptismi ipsi fateri coguntur. Nec si aqua illa includatur, circumgestetur, vel ostentetur, dicendũ est, ibi Christum, Patrem & Spiritum sanctum ita adesse, sicut in actione Baptismi tota Trinitas adest. Hoc ipsi etjam Pontificij fater ur. Ne verò idem in Sacramento Eucharistię, cum irreparabili regni sui detrimento concedere cogantur, commiscuntur hãc esse excellentiam Eucharistiæ, super reliqua Sacramenta, quòd etjam extra usum ibi adsit, & contineatur Christus Deus & Homo, eo planè modo, sicut in ipso usu adest. Et hæc quidẽ est cõmunis & pertinax ipsorum asseveratio. Cumꝙ hactenus tantùm repetitiones Scholasticæ Theologiæ, sola anathematum adjectione amplificatas & firmatas, in his decretis audierimus: nunc, quod Dij ipsorũ bene vortant, axioma illud, nõ verbis tantùm repetere, sed & probare, & quidẽ ex verbis institutionis conantur. Arrigat igitur Lector aures, ne perpetuò dicant homines, Tridentinũ Conciliũ sine fundamentis & probationibus, solis asseverationibus & anathematis agere. Ita autem ajunt: Nondũ Eucharistiã de manu Domini Apostoli susceperãt, cùm verè tamen ipse affirmaret, corpus suũ esse quod præbebat. Nos verò conditionem illã accipimus, ex verbis institutionis totam hanc controversiam dijudicandã esse, & quomodo dijudicatio illa fieri debeat, ipsi Pontificij nobis viam monstrãt: quando ex verbis Baptismi probant, aquã baptismi extra usum divinitùs institutum, nõ habere rationem Sacramenti. Vocatur enim baptismus, lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, Tit. 3. Ipse Christus cum virtute mortis & resurrectionis suæ ibi adesse scribitur, Galat. 3. Ephes. 5. Roma. 6. 1. Petr. 3. Sed quia institutio utitur verbo significante actionem, Baptizate eos: Item, Quotquot baptizati estis, Galat. 3. Baptizemini, Actor. 2. ideò extra usum illũ, & extra illam actionem, etjamsi verba institutionis millies super aquam, quavis intentione pronuncientur, tamen non est Sacramentum baptismi: nec dicendus est Christus in aqua illa adesse, sicut in baptismo adest. Et posit forsan quis objicere: sicut aquæ thermarum habent & retinent peculiarem suam virtutem, etjamsi nemo ibi lavet: neq; enim ab usu lotionis, thermæ virtutem accipiunt, sed illum antè habent: ita etjam lavacrũ aquæ in verbo, esse lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, etjamsi nemo fit qui baptizetur: cùm virtutem illam accipiat & habeat à virtute verbi, nõ ab illis qui baptizãtur. Sed rectè respondetur ex institutione, Baptismum sanè virtutem suam non mutuari

Missa Pontificia.

Axioma firmissimum.

Responsio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nutuari ab usu eorum qui baptizantur, sed ab efficacia verbi divini: esse tamen ordinationem Dei, in institutione ita patefactam, ut baptismus ita actio: & quòd in illa actione, seu in illo usu, fit ale Sacramentum, sicut mandatum & promissio divina, in institutione illud describit. Extra verò illum usum, aut si Baptismus transformetur in actionem aliam & diversam ab ea, quæ institutione præscripta est, non erit Baptismus. Institutio enim inquit: Baptizate eos. Quod si extra illum usum, verba institutionis super aquam pronuncientur, non faciunt Sacramentum: sed magis est prophanatio nominis divini, si aqua verbis institutionis sanctificata, non accommodetur ad eum usum, quem institutio præscribit, aut si trãsferatur ad aliam actionem, quàm quæ in institutione mandata est. Hæc de baptismo ut certa sunt, ita à Pontificiis, ut arbitror, non negantur. Hoc verò κειτήριον, ex verbis institutionis Sacramentorũ sumptum, ad hanc etjam controversiam de Eucharistia accommodabimus: ut manifestum evadat, an verum sit quòd Pontificij contendunt, Eucharistiam hoc proprium & peculiare habere, quòd extra usum, & extra illã actionem, quæ institutione præscripta & mandata est, habeat rationem Sacramenti, non minus atque in ipso vero usu. Si itaque in institutione Eucharistiæ, tantùm hæc verba extarent: Accepit panem, gratias egit, & dixit: Hoc est corpus meum, tu nec aliquid dicerent Pontificij. Sed institutio inquit: fregit, hoc est, distribuit, dedit discipulis, & jussit ut acciperent, ut comederent & biberent. Hæc verba certè extra omnem controversiam, actionem significant, & quidem expressè utitur verbo faciendi, inquit enim: Hoc facite, quod scilicet in prima hac mea cœna factum est. Si igitur juxta institutionem judicandum est, erit Sacramentum Eucharistiæ, certa quædam actio: & consistet in usu, non minus quàm Baptismus. Imò consideret hoc Lector: In institutione Baptismi, unicum tantùm est verbum, significans actionem (Baptizate eos) & tamen quàm fortiter demõstret & convincat, Baptismum extra illum vsum divinitùs institutũ, non esse Sacramentum, jam ostensum est. In Eucharistiæ verò institutione, non unum aliquod tale verbũ est, sed aliquot ordine ponũtur, quæ manifestissimè actionẽ significant: Accepit, gratias egit, fregit, dedit discipulis, dixit: Accipite, comedite, bibite, hoc facite. Iam quærimus, si super panem & vinum pronuncientur hæc verba: Hoc est corpus meum, Hic est sangvis meus: & non fiat distributio, nemini detur, nõ sit qui accipiat, comedat & bibat: quærimus inquam, an ibi servetur institutio Christi? Et manifestum est, quòd non. Secundò quærimus, An ibi sit verum Sacramentum Eucharistiæ, ubi non servatur institutio Christi? Certè quia institutione sanctificantur Sacramenta novi Testamenti, manifestum & certum est, ubi non servatur institutio, ibi non esse Sacramentum. Iam autem intelligit Lector, id quod suprà annotavimus, quare Pontificij tam solicitè disputent: Non totam institutionem, sed tantùm particulam illam: Hoc est corpus meũ, Hic est sanguis meus: pertinere ad sanctificationem Eucharistiæ. Ita enim sperant se posse obtinere, quòd extra usum divinitùs institutum, panis sit & maneat corpus Christi. Sed Christus cùm inquit: Hoc facite: totam institutionem, non tantùm particulam aliquam intelligit, Paulus etjam cùm mentionem fecisset benedictionis Eucharistiæ, prima ad Corinth. 10. mox capite undecimo monstraturus, quomodo liceat non vulgarem, nec privatam, sed Dominicã Cœnam celebrare, totam institutionem cœnæ recitat & describit. Veteres etjam in sanctificatione Eucharistiæ, non particulam aliquam, sed totam institutionem adhibuerunt. Et illud est verbum, quo accedente ad elementũ, judicarunt fieri Sacramentum. Quando igitur verba institutionis pronunciãtur super panem & vinum, & non adest vel accedit usus ille, sive actio illa, quæ in institutione non tantùm præscripta, sed mandata est: omninò veritas cogit, ut sentiamus & dicamus, ibi non adesse Christũ cum suo corpore & sangvine, eo modo sicut in vero usu Cœnæ juxta verbum suum adest. Illa enim differentia inter Baptismum & Eucharistiã, de qua Pontificij laborant, quòd scilicet Baptismus in usu, Eucharistia verò etjam extra usum sit Sacramentum, ex verbo Dei nec ostendi, nec probari potest. Sicut enim in institutione baptismi, sunt verba, significantia usum & actionem: ita etjam in institutione Eucharistiæ, talia sunt verba: imò quia plura talia verba sunt in institutione Eucharistiæ, argumenta multo fortius & firmius concludunt de Eucharistia, quàm de Baptismo, quòd extra usum divinitus institutum non sint vera Sacramenta. Est igitur cœna Dominica, actio quædam, habens certum usum, in institutione præscriptum & huic actioni, quã filius Dei per ministerium exercet, annexa est promissio illa, de qua verba institutionis loquuntur. Quando verò extra illum usum, transformatur in aliam & diversam actionem ab ea, quæ in institutione præscripta & mandata est, licet verba super panẽ & vinum pronuncientur, non magis erit Sacramentum, quàm sicut de baptismo suprà dictum est: imò est prophanatio, verba institutionis super panem & vinum pronunciare, & interim usum de quo institutio loquitur, ut scilicet distribuatur, edatur & bibatur, hoc est, ipsum sensum institutionis expungere, aut in aliud genus pervertere.

Futilitas differentiæ Pontificiæ inter Baptismũ & Eucharistiã.

Hæc certè sunt manifestissima. Observabit autem Lector, quòd Tridentini nõ audent dicere, quod tamen & sentiunt & intelligunt, Eucharistiã extra usum divinitùs institutum, esse Sacramentum, in quo sit corpus & sangvis Domini: sed dicunt, ante usum & post usum, quæ quia aliquid ambiguitatis habere videtur, judicarũt se sub illis involucris, omnia ea quæ extra usum divinitùs institutum, in tractationem sanctissimæ Eucharistiæ irrepserunt, stabilire, defendere & retinere posse. Quid enim (inquiunt) num Christus nõ prius pronunciavit hæc verba (Hoc est corpus meũ) quàm solicitè observasset, Apostolos omnes, & singulos benedictum, exhibitũ & acceptum panem, dentibus jam premere & manducare? Aut si de pane illo, super quo gratias egerat, tunc cùm illum exhibeat, priusquam Apostoli eum manducarent, diyit: Hoc est corpus

Obiectio Pontificiorum.

pus meum: num nam diu falsa fuit propositio illa, donec Apostoli inciperent manducare: ut tunc primum manducatio Apostolorum, propositioni illi tribueret veritatem? Et notato in margine cap. Luc. 22. affirmant Apostolos nondum susceptisse de manu Domini Eucharistiam, cùm verè ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbebat. Lucas enim non addit hæc verba: Accipite, manducate, & bibite: sed dedit panem, &

Responsio.

dixit: Hoc est corpus meum. Ad posterius autem argumentum primò respondebo, institutionem scilicet Cœnæ Dominicæ, dijudicandam esse ex collatione descriptionum, quæ in quatuor locis Scripturæ extant. Perperam igitur faciunt, qui ex descriptione Lucæ colligere volunt, Christũ ita dedisse discipulis panem, ut eo sive planè non uterentur, sive quomodolibet uterentur, tamen additam esse & manere veritatem illam: Hoc est corpus meum. Matthæus enim, Marcus & Paulus describunt, Christum disertis verbis prius mandasse, ut pane illo quem dabat, uterentur: & quidem præscripsisse modum, quo pane illo uti deberent: Accipite scilicet, & manducate, & tunc addidisse illa verba: Hoc est corpus meum. Et Marcus in descriptione alterius partis, dicit. Et biberunt ex eo Calice omnes, & dixit in eis: Hic est sangvis meus. Nec tamen sententia est, panem benedictum qui distribuitur, qui exhiberur, & quem Apostoli de manu Christi susceperunt, nõ esse corpus Christi, sed tunc primum fieri corpus Christi, quando incipit manducari. Tota enim actio institutionis connexa est, & ad totam illam actionem pertinent hæc verba: Hoc est corpus meum. De illo igitur pane qui benedicitur, qui frangitur seu distribuitur, qui exhibetur, qui accipitur & manducatur, de illo inquam pane Christus dicit: Hoc est corpus meũ. Et Paulus fracto pani hoc tribuit, quòd sit communicatio corporis Christi, prima Corinth. 10. In verbis etjam institutionis inquit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, hoc est, quod distribuitur in Cœna, est corpus Christi. Christus igitur Deus & homo, in tota illa actione cœnæ à se instituta, præsens adest, & exhibet vescentibus corpus & sanguinẽ suum. Ipse enim

Chrysostom.

est, qui per ministeriũ benedicit, qui distribuit, qui exhibet, qui dicit: Accipite, manducate, Hoc est corpus meum. Sicut Chrysostomus inquit in 26. Matthæi. Non sunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa Cœna confecit, ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, ministrorum ordinem nos tenemus, qui verò hæc sanctificat, & transmutat, ipse est. Hæc sunt simplicia, vera, & ex verbis institutionis manifesta. Vsus enim in hac disputatione rectissimè definitur tota seu integra illa actione, quę in verbis institutionis præscribitur & mandatur. Quando igitur panis iuxta institutionem accipitur, benedicitur, distribuitur, exhibetur & accipitur: illa actio non rectè dicitur esse vel ante, vel extra usum cœnæ, qui integra actione institutionis definitur. Sed Tridentini de sola manducatione loquuntur, & quia ante illam manducationem, Christus Deus & homo, in actione cœnæ, quando panis benedicitur, distribuitur, exhibetur & accipitur, adest, præbens vescentibus cum pane & vino corpus & sanguinem suum: unde Tridentini conantur hoc extruere, Christum Deũ & hominem in Eucharistia etjam ante usum cum suo corpore & sangvine ita adesse, ut recitatis verbis institutionis super panem & vinum, etjamsi reliqua actio quæ in institutione præscripta & mandata est, ut scilicet distribuatur, exhibeatur, accipiatur & mãducetur, per aliquot dies, imò per aliquot vel menses vel annos non sequatur, cogatur tamen Christus interea cum suo corpore & sangvine, in pane & vino illo, durabili conjunctione permanere: & quidem ita, ut interea sacrificio Missæ, repositione & circumgestatione, ostensione, adoratione, & quæ his conjuncta sunt, tractetur.

Tridentinorum falsissima cõclusio.

Hæc verò sunt, quæ institutioni nõ sunt consentanea, imò quæ cum illa pugnant. Actionem enim Cœnæ institutio ita præscribit: Accipere panem & vinum, benedicere, distribuere, exhibere, accipere, manducare, & addere illud verbũ Christi: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, & hæc facere in ipsius cõmemorationem. Non autem vel jussit, vel permisit, ut actionem illam discerpamus aut divellamus in aliquot vel dies, vel menses, vel annos, sed istud nos facere jussit, quod & verbo & exemplo suo nobis præscripsit. Non autem panem ita benedixit, ut promiserit, si post aliquot menses vel annos primũ distribuatur & manducetur, interea tamen corpus suum perpetuò pani affixum fore: sed accepit panem, benedixit, fregit, dedit discipulis, & dixit: Accipite, manducate, Hoc est corpus meũ, &c. Et suo exemplo monstravit distributionem, exhibitionem, sumptionem & manducationem non differendam esse in aliquot dies, menses vel annos. Descriptio enim institutionis narrat, statim factam fuisse exhibitionem, sumptionem & manducationem.

Hæc tam sunt manifesta ac certa, quæ nullo artificio eludi possunt, modò firmiter retineamus illud fundamentum, institutum esse normam & regulam, ex qua & secundum quam omnes tales quæstiones & disputationes dijudicandæ sunt. Vtrumque igitur ex hoc fundamento, clarissimè demonstratur. 1. Benedictionem Eucharistiæ, & promissionem præsentiæ corporis & sanguinis Christi, non debere divelli & distrahi ab usu illo, quì in institutione præscriptus & mandatus est. De benedicto enim pane qui distribuitur, accipitur & manducatur, Christus affirmat. Hoc est corpus meum. 2. Non esse quocunque prætextu instituendum, addendum, amplectendum alium usum Eucharistiæ, quam quì in verbis institutionis præscriptus & mandatus est. Quomodo enim Christus Ecclesiam suam, usque ad finem seculi Eucharistia uti voluit: illud & in ultima cœna Apostolis tradidit, & post ascensionem ad Paulum repetivit. Illa verò & traditio & repetitio, descripta extat. Et ne hominis quidem testamento aliquid super ordinatur, Galatas 3. Multò minus igitur hoc faciendum est, in Testamento filij Dei. Hæc simplicissima & manifestissima fundamenta convellunt, diruunt & subvertunt duas non postremas regni Pontificij columnas: quòd scilicet recitatis verbis institutionis super panem, etjam extra vsum divinitùs in institutione ordinatum

&

Universidad de Deusto
Biblioteca

& mandatum, Christus Deus & homo, durabili conjunctione sit & permaneat in pane, non aliter atq; ibi adest in vero usu, & quòd præter seu extra illum usum, qui habet testimoniũ & mandatum institutionis, liceat alio modo & alio usu tractare Eucharistiam, utpote per modum sacrificij, repositionis, circumgestationis, ostentionis, & quæ his conjuncta sunt. Ambrosius verò 1. Corinth. 11. indignos dicit illos intelligi à Paulo, qui Sacramentum hoc vel aliter celebrant, quàm à Christo institutum est, vel aliter illud accipiunt, quàm ab ipso traditum est. Ideò vetustas, licet hoc non judicabat necessarium, ut semper in omni synaxi, tota communitas, vel omnes præsentes simul communicarent: hoc tamen judicabat, Missam nõ esse legitimam & perfectam, nisi essent aliqui qui simul cum Sacerdote communicarent: Hoc est, ut Sacramentum Eucharistiæ, non tractaretur extra usum distributionis & sumptionis. De Consecratione distinctione secunda, cap. peracta. Canon Apostolorum 10. Antichenus 2. Chrysostomus in primo capite ad Ephes. sermo 3. Durandus in rationali libro 4. cap. primo inquit. Illa est legitima Missa, in qua sunt Sacerdos, respondens, atq; communicans: sicut ipsa precum compositio evidenti ratione demonstrat.

Ambrosius. *Chrysostom.* *Durandus.*

Gabriel Biel in Canonem lectu. vigesimum sextum, Christus postquam corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione: neque dedit discipulis, ut ipsum honorificè conservarent: sed dedit in sui usum, dicens: Accipite, & manducate. Et Lect. 38. dicit, ideò patres formæ consecrationis addere hæc verba: Accipite & edite. Cassander citat ex Humberto Episcopo, non esse perfectam vel Missam, vel commemorationem Christi, quam esse discipulis suis tradiderit, nisi panis benedictus mox frangatur, & statim distribuatur.

Gabriel Biel.

Quòd verò apud Iustinum, peracta in cœtu Ecclesiæ communione, Diaconus partes aliquas defert ad absentes, & ad ægrotos: Item quòd apud Eusebium ad Episcopos hospites Eucharistia mittitur: nihil patrocinatur Pontificiis. Ibi enim Sacramentũ manet in usu: defertur enim & mittitur, ut distribuatur, exhibeatur, accipiatur & manducetur. Quòd verò quidam distributam, exhibitam, & acceptam Eucharistiam leguntur non statim manducasse, sed in cistulis, orariis, &c. asservasse, & nescio quid asservato huic pani tribuisse: nihil nos movere debet. Non enim quæstio est, quid aliquis ante nos (ut ex Cypriano verba mutuemur) fecerit, sed quid ille qui ante omnes est, & prior fecerit, & faciendũ nobis mandarit. Nam & illa consuetudo, privatim asseruandi Eucharistiam extra usum, publicis conciliorum constitutionibus posteà abrogata & prohibita est.

Cypriani eleg. dictum.

Addit autem IIII. Canon, etjam post usum in Eucharistia, hoc est, in pane & vino, esse corpus & sanguinem Domini. Quid autem hoc sit, expendendum est. Christus instituit, ut panis & vinum in cœna Dominica sint media, seu organa, per quæ vult vescentibus præbere & communicare corpus & sangvinem suum: ut non tantùm per fidem & spiritum, sed & naturali seu substãtiali participatione, sicut veteres loquuntur, sit & maneat in credentibus, illisq; subinde magis magisq; uniatur. Post usum igitur benedicti panis & vini in cœna Dominica, non disputandum est de unione panis & corporis Christi: sed tradenda ex verbo Dei dulcissima consolatio, de conjunctione Christi, Dei & hominis, non cum pane jam manducato, sed cum anima & corpore credentium, ut nos sibi insertos tanquã surculos gestet, servet, vivificet & gubernet, Sed oppressa & sepulta utilissima hac doctrina, glossa de Consecratio. distinctio. secund. olim tradidit: Quàm citò species dentibus teritur, tam citò in cœlum rapitur corpus Christi: ne scilicet qua cõsolatio, credentib. inde relinquatur. Tridentini verò patres, nunc suavem illam glossæ cantilenam non repetunt: & tamen de conjunctione Christi, Dei & hominis, cum credentibus post usum cœnæ nihil dicunt, sed disputant, corpus Christi esse in pane, etjam post usum. Et forsan respexerunt, ad pudendas illas Pontificias cautelas, quæ in ipsa etjam excrementa instituunt inquisitionem, si enim species aliquo modo dignosci possunt, insaniunt ibi adhuc affixum hærere corpus Christi. Et ego sanè arbitrarer, ipsos (post usum) intelligere illud, quod in IIII. Canone sequitur, in particulis consecratis, quę post communionem supersunt & reservantur, remanere corpus Christi, Sed quomodo (post usum) dici potest de illis particulis, ad quas usus nondum accessit, hoc est, quæ non sunt distributæ, acceptæ & manducatæ? Ipsa etjam coniunctio, qua utuntur IIII. Canone, significat duo distincta & diversa ab ipsis intelligi, quando dicunt, 1. in pane Eucharistiæ etjam post usum esse corpus Christi. 2. in particulis post communionem residuis, remanere corpus Christi. Sed hæc posterior controversia pertinet ad VI. capitulum, & ad VII. Canonem. Porrò tractatur etjam in tertio hoc capitulo, & in III. Canone, quæstio de concomitantia, qua totus & integer Christus sit sub quavis specie, ita ut tantundum contineatur & accipiatur sub altera specie, atque sub utraq. Sed hæc pertinent ad disputationem, quæ peculiari loco posteà explicanda erit, de communione sub una specie. Ideò hanc partem ad illum locum rejiciemus.

Disputatio de concomitantia.

DE TRANSSVBSTANTIATIONE.

CAPVT IIII.

Quoniam autem Christus redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idq; nunc denuò sancta hæc synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius, quæ conversio, convenienter & propriè à sancta catholica Ecclesia, Transsubstantiatio est appellata.

CANON II.

Si quis dixerit, in sacrosancta Eucharistiæ Sacramento, remanere substantiam panis & vini, una cum corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritq;, mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sangvinem, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem, catholica Ecclesia aptissimè Transsubstantiationem appellat, anathema sit.

EXAMEN.

Est & Transsubstantiatio, una ex columnis regni Pontificij: pro qua fulcienda & stabilienda, cur tantopere laborent, Lectori in primis considerandum est. Non autem hæc est causa, quasi vera & substantialis præsentia, exhibitio & sumptio corporis & sanguinis Christi, in Dominica cœna non possit aliter doceri, retineri, credi, & confessione exprimi, hoc enim fieri posse, ipsi in II. Canone concedunt: sed ut sacrificium Missæ, asservatio, circumgestatio, adoratio panis, & quę his extra usum divinitùs institutum conjuncta sunt, retineantur & stabiliantur, ideò tam pertinaciter de Transsubstantiatione dimicant. Inter cæteras enim causas Transsubstantiationis expressè has recitant, nè alia substãtia quàm Christi, in Eucharistia vel adoretur, vel Deo patri offeratur: utq; durabilis sit præsentia corporis Christi in Eucharistia, etjam extra usum.

Sicut autem ipsum vocabulum Transsubstãtiationis, & novitatẽ & peregrinitatem dogmatis satis ostendit: ita utile est observare, quando potissimum disputari cœperit opinio transsubstantiationis: quæ nunc pro articulo fidei, sub anathematis denunciatione, Ecclesiæ obtruditur. Veteres igitur simpliciter mentionem faciunt mutationis & conversionis elementorum, in Cœna Dominica: quam ita intelligunt & explicant, ut post sanctificationem, jam non sit communis panis, & vulgare poculum, sed sit Eucharistia: quæ duabus rebus constet, terrena & cœlesti, visibili & invisibili: sicut Irenæus & Augustinus loquuntur. Damascenus postea, Theophylactus, & alij, cœperunt magis hyperbolicè de transformatione elementorum in cœna Domini concionari. Longobardi verò primùm tempore, unà cum Scholastica Theologia, in Gallia cœptum fuit disputari de modo illius conversionis, an sit formalis, an substantialis, an verò alterius generis. Et fuisse varias & diuersas de hac quæstione illo tempore opiniones, Longobardus recitat libro quarto, distinct. 11. & 12. Et quidem nihil certi tunc de hac quæstione in Ecclesia definitum & determinatum fuisse, Longobardus manifestè indicat, cùm inquit: Definire non sufficio. Et sui quidem seculi varias opiniones ita describit: Quibusdam videtur, quidã concedunt, alij dicunt, alij tradunt. Ante sua verò tempora quæ fuerit multorum sententia, ita describit. Alij putaverunt, ibi substantiam panis & vini remanere, & ibidem corpus Christi esse & sangvinem.

Damascenus *Innocentius.*

Hoc igitur modo sparsis seminariis, cùm omnes scholæ disputatione illa ferverent, Innocentius III. circa annum Domini 1200. in Lateranensi Concilio, modum conversionis, antea in Ecclesia non definitum, primus determinavit, & dogmati novo, novam etjam indidit & accommodavit appellationem: corpus scilicet & sangvinem CHRISTI in Sacramento altaris, sub speciebus panis & vini veraciter contineri, trãssubstantiatis pane in corpus, & vino in sangvinem, potestate divina. Hæc enim sunt verba Concilij Lateranensis libro primo Decretalium, capit. firmiter. Illam verò sententiam Innocentius repetit De celebratio. Missarum cap. cum Martha. Et in libro de officio altaris, fusius eam explicat: panem scilicet ita fieri carnem ut desinat esse panis, qui materia panis & vini mutetur in substantiam carnis & sangvinis, non quòd ex pane vel vino materialiter formetur caro & sangvis, nec quòd aliquid adjiciatur corpori Christi, sed quia panis transsubstantietur in corpus. Ibidem verò Innocentius dicit: Fuerunt qui docerent, quòd sicut post consecrationem vera panis remaneant accidentia, & sic vera panis substantia: quia sicut subjectum non potest subsistere sine accidentibus, sic accidentia non possunt existere sine subjecto: quia accidentis esse, non est aliud quàm inesse. Sic panis & vini substantiis permanentibus, ad probationem illorum verborum corpus & sanguis Christi veraciter incipiant esse sub illis, ita quòd sub eisdem accidentibus, utrumque verè suspicatur, panis & caro, vinum & sanguis: quorum alterũ probat sensus, reliquum credit fides. His verbis Innocentius recitat sententiam, quæ multorum fuit, ante Lateranense suum Concilium. Dicit enim: Fuerunt, &c. Et licet ipse diversum & sentiat & statuat, transeunte scilicet substantia, remanere accidentia, & esse sine subjecto: non tamen sicut Tridentini faciunt, anathemate alteram illam sententiam damnat, quod Lector diligenter observabit. Idem etjam inquit: An totum in totum, an totale transeat in totale, novit ille qui facit. Tridentini verò patres, simpliciter diversum sentientibus anathemata denunciant. Hæc igitur Tridentina anathemata, adeò sunt recentia, ut ne Innocentij quidem ætate, in rerum natura fuerint.

Innocentius.

Post Lateranense verò Concilium, Scholastici cupidè arripuerunt idoneam hanc materiam, ad acuenda & exercenda spinosa ingenia. Disputant enim: An accidentia, quæ post annihilatam panis & vini substantiam, eadem numero remanent, innitantur vel corpori Christi, vel aëri circumstanti: an verò per se stent, nulli subjecto inhærentia, ita ut sine subjecto cohæreant? Quidã disputarunt, transeunte forma panis, remanere materiam, sicut materia alimenti fit sub forma nutriti. Alij, transeunte materia, remanere formam panis. Communiter verò senserunt, totam substantiam panis, transire in corpus Christi. Quæsitum etjam fuit, an materia panis convertatur in materiam corporis Christi, & forma in formã: an verò juxta Anaxagoræ chaos, quodlibet convertatur in quodlibet. Item, an substantia panis, resolvatur in præjacentem materiam: an verò in nihilum redigatur. Innocentius quærit: An aqua quæ vino miscetur, simul cum vino trãssubstantietur: an verò maneat circumfusa corpori Christi. Prolixæ sunt disputationes, quomodo accidentia illa, quibus nulla subest

Scholastici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est subsṫãtia, posſint agere & pati, ut nutrire, corrumpi: & quomodo ex eis posſit aliquid generari. Item, An annihilata subſtantia panis, iterum posſit eadem numero redire. Quid mus rodens panem, comedat. Has & similes portentosas disputationes, qui nervi & fructus ſunt dogmatis de Transubſtantiatione veteri Eccleſiæ prorsus ignotas fuiſſe certiſsimum eſt. Et tamen nunc pro articulis fidei, ſub anathematis interminatione proponuntur.

Scotus, Cameracenſis, &c.

Scotus, Cameracenſis, & alij, diſertè fatentur, nec verbis Scripturæ, nec ſymbolis fidei, nec veterum ſententiis cogi nos ad dogma Tranſubſtantionis: & ſine tranſubſtantiatione poſſe doceri, retineri & credi, & veram præſentiam, & efficaciam corporis & ſangvinis CHRISTI in Euchariſtia: minus etjam abſurdarum quæſtionum habituram doctrinam de Euchariſtia, ſi abſque tranſubſtantiatione remanere ponatur ſubſtantia panis & vini, unà cum corpore & ſangvine Chriſti, niſi Concilium Lateranenſe diverſum ſtatuiſſet. Fundamentum igitur primum & principale dogmatis de Tranſubſtantiatione, collocant in ſolo Lateranenſis concilij Decreto. Poſteà verò ad ornandum illud Concilij Decretum fucos quoſdam ex Scriptura & Patribus conquirunt. Durandus non vult improbari aut damnari illam ſententiam, quòd remanente ſubſtantia panis, verè & ſubſtantialiter adſit in Euchariſtia corpus Chriſti. Tridentini verò fabricantes nunc novos fidei articulos decernere non verentur: Si quis dixerit, in Euchariſtia remanere ſubſtantiam panis & vini, unà cum corpore & ſangvine CHRISTI, anathema ſit. Hæc de initiis & progreſſu diſputationis de tranſubſtantiatione obſervare, utile eſt, ſed ad rem ipſam accedamus. Noſtri nunc igitur Pontificij in tanta luce Evangelij non audent illud dicere, quod Scotus Cameracenſis, & alij quidam Scholaſtici non obſcurè ſignificarunt: Tranſubſtantiationem Lateranenſis Concilij autoritate potiſsimum niti. Sed duo ponunt valdè ſpecioſa fundamenta. 1. ajunt verba inſtitutionis Tranſubſtantiationem panis & vini & ſtabilire, & omnino flagitare: deinde affirmant, ſemper in Eccleſia Dei perſuaſum fuiſſe, fieri talem tranſubſtantiationem. Et quidem ſi hæc duo quæ magna aſſeveratione affirmant, rectè, perſpicuè & firmiter probarent, æquum, juſtũ, & omnino neceſſarium eſſet, ut ipſis adſentiremus, & noſtra ſententia cederemus. Videbimus igitur, quomodo Tranſubſtantiationem ſuam primùm ex ſcriptura probent, deinde de veteris etjam Eccleſiæ conſenſu dicemus. Tria autem præcipua ſunt argumenta, quæ ad probandam Tranſubſtantiationem ex Scripturæ verbis nectant. Andradius meus texit tale argumentum. Scriptura affirmat, apud Deum non eſſe impoſſibile omne verbum. Ergo credenda eſt Tranſubſtantiatio, etſi naturæ vires ac modum, humanumq; captum longo intervallo ſuperet, elegans enim & vera eſt Auguſtini ſententia: Cùm Deus aliquid facit, quod nos inveſtigare non poſſumus, ratio facti, eſt potentia facientis. Sed plana eſt ad hoc argumentum reſponſio. Non enim quia Deus omnipotens eſt, ideò quicquid nobis viſum fuerit, ſine verbi ipſius teſtimonio ipſi tribuere debemus. Tertullianus inquit: Potuiſſet Deus hominem volatilem facere, ſed non quia potuit, ideò & fecit. Scriptura igitur tradit hanc regulam: Omnia quæcunque voluit, fecit, Voluntas autem Dei, in rebus fidei ex verbo ipſius diſcenda & judicanda eſt. Et quando de voluntate DEI, ex verbo certo conſtat, tunc valet argumentum ab omnipotentia. Ideò ſignificanter Angelus loquitur, cùm affirmat omne verbum, hoc eſt, quicquid in verbo patefecit, apud Deum non eſſe impoſsibile. Tranſubſtantiatio igitur ex verbis CHRISTI clarè probanda & oſtendenda eſt: & tunc intellectum noſtrum libenter Spiritu ſancto adjuvante, captivabimus in obſequium CHRISTI. Sed illam probationem, ut jam oſtendemus, præſtare nõ poſſunt. Fruſtra igitur de omnipotentia Dei concionantur. Secundò, alij propius ad rem ipſam accedunt, & ita argumentantur, vulgaris panis, & commune genimen vitis fuit, quod Chriſtus accepit, quando Cœnam ſuam voluit inſtituere. Sed poſt benedictionem, de pane & vino illo pronunciat: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſangvis meus. Illa de vulgari pane, & de communi vino, nec poſſunt dici, nec debent credi. Ergo neceſſe eſt, per benedictionem factam eſſe mutationem aliquam: & quidem talem, ut corpus verè prædicari poſsit de pane, & ſanguis de vino. Neceſſe igitur eſt, ponere tranſubſtantiationem. Reſpondeo. Concedimus cum Irenæo, panem poſt benedictionem in Euchariſtia, non amplius eſſe communem panem, ſed Euchariſtiam corporis Chriſti: quę duabus jam rebus conſtet, terrena, hoc eſt, pane & vino, & cœleſti, hoc eſt, corpore & ſangvine Chriſti. Hæc certè magna, miraculoſa, & verè divina eſt mutatio, cùm anteà ſimpliciter tantùm eſſet vulgaris panis & commune poculum: quod jam poſt benedictionẽ, cum pane & vino illo, verè & ſubſtantialiter adeſt, exhibetur & accipitur corpus & ſangvis Chriſti. Concedimus igitur fieri mutationem aliquam: & quidem talem, ut de pane verè prædicari poſsit corpus Chriſti. Sed conſequentiam negamus, quòd ideò ponenda ſit talis tranſubſtantiatio, qualem Pontificij docent. Nam ſicut in Scholis loquuntur, à non diſtributo ad diſtributum, non valet conſequentia. Aliqua ſit mutatio in pane Euchariſtico, ergo ſit Tranſubſtantiatio. Talis enim tantùm mutatio neceſſaria eſt, ut Euchariſtia, juxta Irenæi dictũ, duabus rebus conſtet, terrena ſcilicet & cœleſti: id quod ſine tranſubſtantiatione fieri poteſt. Illud enim quod Chriſtus in inſtitutione cœnæ ſuæ ſpectavit, præſentia ſcilicet, exhibitio & ſumptio corporis & ſanguinis ſui, poteſt doceri, credi & retineri, etjam ſi portentum Tranſubſtantiationis, ſine Scripturæ teſtimonio, & ſine antiquitatis conſenſu, Eccleſia non obtrudatur, quod etjam IIII. hic Canon quem tractamus, non obſcurè concedit. Nec noſtrum eſt, Chriſto præſcribere certum modum præſentiæ corporis ſui in cœna, quem ipſe verbo ſuo expreſsè certò & manifeſtè non patefecerit, ſed ſufficit credere, adeſſe ibi, exhiberi & accipi corpus & ſangvinem CHRISTI: modum verò præſentiæ ipſius ſapientiæ & omnipotentiæ commendemus. Tertium argumentum eſt, quo niſi certò & clarè probetur Tranſubſtantiatio, probari eam ex Scriptura non poſſe, ipſi fatentur. Eſt autem tale. Si in Euchariſtia remaneret ſubſtantia panis & vini, unà cum corpore & ſangvine CHRISTI, dixiſſet: Hic eſt panis, hoc eſt vinum, & cum iſtis, in iſtis, vel ſub iſtis eſt corpus & ſangvis meus. Iam verò dicit: Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſangvis meus. Et ſi particula demonſtrativa denotet ſubſtantiam panis & vini, cùm duo diſparata ſint, panis & corpus Chriſti, vinum & ſanguis: alterum de altero prædicari non poteſt. Vt igitur vera ſit prædicatio, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus: conſtituenda eſt in verbis illis propoſitio identica, quam ita vocant, quando ſubjectum & prædicatum de una & eadem re loquuntur: ut particula demonſtrativa denotet non ſubſtantiam panis, ſed ſolam ſubſtantiam corporis CHRISTI. Sed hoc conſtituere, conſiſtere non poteſt, niſi ſubſtantia panis, quam Chriſtus in manus ſuas accepit, per benedictionem annihilata deſierit, & tranſubſtantiata ſit, ut nihil aliud ibi, per particulam Hoc, notetur & deſignetur, quàm ſola ſubſtantia corporis CHRISTI. Propoſitio igitur illa: Hoc eſt corpus meum: omnino ſtabilit & flagitat tranſubſtantiationem. Hæc eſt tota & ſatis longa tela illius argumenti, quod aliquam pro ſtabilienda tranſubſtantiatione ſpeciem habere videtur. Sed telam illam, gladio ſpiritus feliciter diſſoluemus, aut potius præcidemus. Principio autem hoc notandũ eſt, quòd de propoſitione illa. Hoc eſt corpus meum, juxta regulas prædicabilium non aliter diſputant, ac ſi Euchariſtia eſſet phyſicum aliquid, cujus ratio juxta communem curſum ac modum naturæ ſe haberet. Sed quia Sacramentum eſt ſuper naturale, cœleſte & divinum: ideò non rectè fit, quòd fides ejus à Pontificiis in hac diſputatione, exigitur ad regulam Ariſtotelis ſexto Metaphyſicorum, de compoſitione extremorum in propoſitione affirmativa, quod ipſi de propoſitione identica interpretantur. Ideò enim comminiſcuntur annihilationem ſeu tranſubſtantiationem panis, ut propoſitio illa: Hoc eſt corpus meum, quadrare poſsit ad regulam illam Ariſtotelis. Quale verò in tanta hac controverſia fundamentum hoc ſit, per ſe manifeſtum eſt. In ſcriptura enim, quando duæ res ſeu ſubſtantiæ, divina ordinatione peculiari modo uniuntur, & præſertim quãdo res cœleſtis & inviſibilis cum re terrena & viſibili adeſt & exhibetur. vſitatum eſt inquam in Scriptura, quòd tunc altera prædicatur de altera. Et ad veritatem talis prædicationis, non requiritur vel annihilatio vel tranſubſtantiatio alterius rei: ſed tantùm ſignificatur duarum illarum rerum, quæ ſubjecto & prædicato notantur, unio & præſentia. Ita Scriptura, explicatura unionem divinæ & humanæ naturæ in perſona Chriſti, non dicit, In hoc homine eſt Deus: ſed Deus eſt homo: & filius hominis eſt filius Dei vivi. Nec neceſſe eſt alteram naturam, vel humanam, vel divinam, quia diſparatæ ſunt, vel annihilari vel ſubſtantiari, ut propoſitioni, quæ aliàs ad regulas prædicabiliũ non congruit, ſua conſtet veritas, ſed tantùm ſignificatur unio duarum naturarum, prædicatio autem eſt nõ vulgaris, ſed inuſitata: quia ipſa vnio non fit ratione aliqua naturali hujus ſeculi, ſed eſt ſupernaturalis, cœleſtis & divina. Nec ſanè perſonalem ſtatuimus unionem panis & corporis, vel talem, qualis eſt divinæ & humanæ naturæ in perſona Chriſti: ſed ſimilitudine illa, qua tota antiquitas de Euchariſtia uſa eſt, declaramus hanc propoſitionem, de qua hoc loco controverſia eſt. Et hoc exemplum manifeſtè oſtendit, tertium illud Pontificiorum argumentum ex verbis inſtitutionis, nequaquam ſatis certò, perſpicuè & firmiter probare aut ſtabilire tranſubſtantiationem. Aliàs enim eadem conſequentia, etjam in perſona Chriſti ponẽda eſſet tranſubſtantiatio alterius naturæ. Ita Ioan. 20. Chriſtus inſufflans in diſcipulos inquit: Accipite Spiritum ſanctum. Num verò, quia non dicit, cum vel ſub hoc flatu accipite Spiritũ ſanctum, ideò ponenda erit tranſubſtantiatio corporalis flatus? Imò cum illo flatu ſimul adfuit, datus fuit à Chriſto, & acceptus ab Apoſtolis Spiritus ſanctus, nec opus fuit tranſubſtantiare columbam, ut vera eſſet propoſitio, quòd Baptiſta affirmat ſe vidiſſe Spiritũ ſanctũ deſcendere ſuper Chriſtum. Sicut de viſibilibus illis ſpeciebus, quibus vel ipſa divina majeſtas, vel Angeli, præſentiam ſuam manifeſtarunt, diſputatum quidem fuit apud veteres: nemo tamen auſus fuit, inde facere articulum fidei, quòd ſpecies illæ ſint tantùm accidentia, quæ ſine ſubſtantia aut ſubjecto aliquo, ſubſiſtant & cohæreant. Progrediente arca dicebat Moſes. Exurge Jehova: nec tamen opus fuit tranſubſtantiatione ligni vel auri in arca. Sed Scriptura ita loquitur, quia ibi de peculiari modo præſentiæ divinæ majeſtatis, ex verbo & promiſsione ipſius conſtabat. Imò in vulgari lingva uſitatæ ſunt tales prædicationes. Quando enim loquimur de dolio & vino, de marſupio & pecunia, de faſciis & infante, dicimus, Illud eſt vinum, quod amicus tibi mittit. Accipe pecuniam quam tibi debeo: Affer infantem veteri mei. Et nemo ita deſipit, vt fingat vel annihilationem vel tranſubſtantiationem dolij, marſupij, faſcium, & ſimilium. Sed quando ſignificare volumus, duas res cõjunctas ſimul adeſſe, ſimul exhiberi & accipi, tunc ita etjam in vulgari ſermone loquimur. Manifeſtum igitur eſt, longam illam tertii hujus argumenti telam, nequaquam probare, ſtabilire, aut flagitare tranſubſtantiationem illam, de qua Pontificij dimicant: imò argumentum illud, juxta ipſorum etjam placita, ſatis conſiſtere non poteſt. Si enim volunt, particulam demonſtrativam Hoc, ita denotare ſolum corpus, ut nequaquam ſenſus ſit, Cum hoc aut ſub hoc eſt corpus meum, nec dicere poterunt, ſub ſpeciebus panis eſſe corpus Chriſti. Aut ſi propoſitio illa, Hoc eſt corpus meum, poteſt hanc ipſorũ interpretationem ferre, ſub ſpeciebus panis cõtinetur corpus Chriſti: ergo nihil concludit argumentum illud, ideò ponendã eſſe Tranſubſtantiationem, quia Chriſtus non dixit: Sub hoc eſt corpus meum, eadem enim ratione, ponẽda eſſet etjam Tranſaccidentatio,

Obiectio alia pro trãſſubſtantiatione.

Reſponſio.

Alia obiectio.

Regula Ariſtotelis.

Exemplum perſonæ Chriſti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficut Lutherus inquit: ne diceretur, sub specie panis. Et adhuc fortius urgebo adversarios. Tradunt enim per verba illa: Hoc est corpus meum, fieri transsubstantiationem, ita ut ad primum nō esse illius propositionis (utor enim ipsorum verbis) subſtantia panis annihiletur, & desinat incipiat ibi esse corpus Christi. Et ego quādo sacerdos dicit: Hoc, nondū est transsubstantiatus panis, nondū etjam adest corpus Christi, falsum igitur erit, juxta ipsam Pontificiorū doctrinam, particulam Hoc denotare solam subſtantiā corporis Christi: ita ut cùm dicitur: Hoc, jam annihilata subſtantia panis esse desierit. Bonaventura in 4. Sententiarū, dist. 8. quæst. 1. quærit quid demonstret pronomen Hoc? Et recitat quosdam dixisse, verba illa teneri materialiter: atque ideò non esse quærendum, quid significent. Alij dixerunt: Hoc, id est, significatum per hoc, quod est convertendū in corpus meū, est corpus meum. Ipse verò Bonaventura inquit: Quia verbum accedit ad elementum, ideò per particulam Hoc, non demonstrari corpus Christi, sed subſtantiā panis sub accidentibus: atq; esse orationem singularem, quæ nō significet identitatem, sed conversionem operativam: Hoc est corpus, id est, hoc totum ad prolationem verbi, transit in corpus. Richardus de sancto Victore, dicit esse demonstrationem mixtā: Hoc, id est, illud in quod transsubstantiabitur, hoc est corpus meum, ut si ego de cibo quē sumpturus essem, dicerem: Hoc, id est, illud in quod iste cibus est transmutādus, est corpus meum. Talia portenta interpretationum, gignit dogma transsubstantiationis. Vsque adeò perspicuè & certè scilicet, ex verbis institutionis illud probatur, ut ad ea ne accommodari quidem possit, nisi mirabilibus modis illa torqueantur & crucifigantur. Sed ne ipsi quidem Pontificij, hisce argumentis ex Scripturæ verbis sumptis, transsubstantiationem satis confirmatam, munitā & tutam esse animadvertunt. Andradius enim post mediocrem velitationem. Transsubstantiationem collocat inter illas res, quæ nullis Scripturæ sacræ testimoniis apertè definitæ & explicatæ sunt. Nos igitur ad totam hanc disputationem, rectè accommodamus verissimum illud axioma: Nihil pro articulo fidei Ecclesiæ proponendum esse, quod non ex manifestis, certis & firmis scripturę testimoniis, apertè ostendi & probari potest.

Bonaventura.

Richardus.

Andradius.

Axioma.

Præter hoc verò, quòd ex verbo Dei, transsubstantiatio manifestè & certò probari & ostendi non potest, habemus etjam simplicem & manifestam Scripturę, de hac quæstione sententiam. Accepit enim Iesus panem, benedixit, fregit, dedit discipulis. Et de illo quod accepit, quod benedixit, quod fregit, quod discipulis dedit, de illo inquam dixit: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Et ne dubiū sit, an particula demonstrativa denotet illud, quod Iesus acceperat, panem scilicet & poculū. Lucas & Paulus, in descriptione alterius partis, manifesta adjectione disertè hoc expresserunt, Accepit poculum, benedixit, dedit illis, & addit: τοῦτο τὸ ποτήριον, Hoc poculum. Et Paulus 1 Cor. 10. sicut de altera parte inquit: Poculum cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi, ita etjam de priori parte inquit: Panis quem frangimus, est communicatio corporis Christi. Disertè igitur declarat & exprimit, quid particula Hoc in utraque parte denotet, panem scilicet & poculum. Et cùm hasce Scripturæ explicationes habeamus, quare non inhæremus simplicitati veritatis? ut quid libet nobis, eam labyrinthis disputationum de transsubstantiatione exagitare?

Præterea, post benedictionem seu consecrationem, in ipso usu Paulus appellat panem: idq; non semel, ne incogitanter excidisse existimes: sed quater vel quinquies, 1. Cor. 10. Panis quem frangimus: De uno pane participamus 1. Cor. 11. Quoties manducabitis hunc panem. Qui manducaverit hunc panem indignè. Probet seipsum, & sic de pane illo edat. Hæc argumenta sunt perspicua, firma, & valdè urgentia. Ideò Pontificij variis modis conantur ostendere specimen artificii illius sophistæ, de quo antiquitas olim proverbium: κεῖται ὃ κεῖται, hoc est, cùm in terram prostratus jam jacēret, tamen circumstantibus persvadere conabatur, se non jacēre, sed erectum fortiter stare. Ita cùm Paulus in ipso usu, & post consecrationem, quinquies nominet panem: ipsi tamen Ecclesiæ præstigias transsubstantiationis objicere conantur, quòd non remaneat, nec adsit ibi subſtantia panis. Sed ajunt, in Scriptura extare exēpla, ubi subſtantiis mutatis, & in aliud conversis, prior tamen appellatio retinetur, designans non quid jam sint, sed quid ante conversionem fuerint. Ita Exod. 7. virga Aaronis conversa in colubrum, etjam post cōversionem vocatur virga. Homo vocatur terra, quia ex terra formatus est. Mulier vocatur os, ex ossibus viri. De aqua quæ in vinum conversa erat, dicit Evangelista: Cùm gustasset aquam vinū factam. Ergo hoc modo etjā pani Eucharistico, etjamsi transsubstātiatus esset, tribui posset appellatio panis: nō quòd panis esset, sed quòd fuisset. Responsio autem simplex & plana est. In allegatis exemplis virgæ, terræ, ossis, aquæ, Scriptura disertis verbis apertè testatur, res illas in aliud mutatas & conversas esse, ita ut nec subſtantia nec forma prior remāserit sed speciē illarū rerum, in quas mutatæ scribuntur, retulerint. Ita Ioannis 2. nō simpliciter nominatur aqua, sed quæ jam facta erat vinum. Si idem de Transsubstantiatione panis in Eucharistia, tam apertè ex scriptura ostendi & probari posset, tropum illum quem res ipsa flagitaret, non inviti concederemus. Cùm verò nulla extet perspicua, certa & firma probatio trāssubstantiationis in Scriptura, quæ dementia esset à proprietate verborum discedere? & quādo Paulus quinquies panem nominat, spectrum seu præstigias panis, accidentia scilicet sine subjecto cohærentia credere? cùm Baptismo sine transsubstantiatione aquæ, ea tribuamus, quæ Scriptura de illo tradit. Eccius intelligit appellatione panis apud Paulum, non subſtantiam panis, sed accidentia sive subſtantia: hoc est, non panem sed inane spectrū panis. Sed ne ipsis quidem Pontificiis φάντασμα illud satisfacit: ideò aliam rimam quærunt, qua ex claritate verborū Pauli elabātur. Quia enim לחם omne genus alimenti significat, dicunt Paulum Eucharistiam appellare panem: non quòd ibi subſtantia panis remaneat unà cum corpore Christi, sed quia corpus Christi sit spirituale alimentum interioris hominis. Sed hęc omnia locum haberent, si perspicuè, certò & firmiter jam demonstrata esset transsubstantiatio panis: tunc enim rectè ad metaphoram confugeremus, sicut Ioan. 6. ubi Christus expresse dicit, se non loqui de pane externo seu materiali, & tamen appellat se panem. Econtrà verò, institutio expresse describit panem materialem, ante benedictionem. Cumq; sine aperta testificatione transsubstantiationis, Paulus etjā post sanctificationē, retineat appellationem panis: meritò in una & eadē significatione, propria scilicet & genuina, vocabulum illud retinemus, Si enim tropis in descriptione cœnę Dominicæ ita lubeat ludere, ut in eadem oratione panem mox proprie, mox cùm lubuerit metaphoricè interpretemur: quid ni eandem etjam licentiam concedamus Sacramentariis, in vocabulo corporis & sanguinis? Aut eadem ratione, cùm Christus scribitur accepisse panem, quia facta jam vulgari cœna illud fecit, dicemus ipsum nō panem materialem accepisse, sed spirituale alimentum, hoc est seipsum: atque ita panem prorsus à tota actione cœnæ exterminabimus. Tutissimum igitur est, propriam significationem vocabuli panis retinere, & ante & post consecrationem: cùm nulla evidens Scripturæ ratio, metaphoram in illo loco vel flagitet, vel confirmet.

Obiectio.

Responsio.

Reliqua enim omnia quæ adferunt, infirma & incerta sunt: id quòd etjam Lanfrancus fatetur. Disputās enim, quare etjam post benedictionem appelletur panis? adfert quidem usitata illa, vel quia ex pane conficitur, & accidentia panis retinet, vel quia animam satiat. Agnoscens autem, illa infirma & incerta esse, addit: vel alio aliquo modo, qui à doctoribus comprehendi potest, à nobis non potest. Quanto verò simplicius est: Scriptura etjam post benedictionem appellat panem. Quare verò panis appelletur, Patres ex analogia similitudinis Sacramēti declarant: scilicet quia satiat, alit, sustentat, confirmat: quæ sunt proprietates non accedentiū, sed ipsius subſtantiæ panis. Item, quia est massa ex multis granis confecta, ita unum efficimur corpus, quia ex uno pane participamus, 1. Cor. 10. & una massa efficimur cum Christo, inquit Chrysostо. Hæc certè non accidentibus, sed subſtantiæ panis conveniunt. Sed dicat quis: Quare ita contendamus an subſtantia panis in Eucharistia vel remaneat, vel nō remaneat: cùm thesaurus Eucharistiæ sit non panis materialis, & vinum vulgare, sed vera & subſtantialis præsentia, exhibitio & sumptio corporis & sanguinis Christi? Neq; enim ideò testamenti nomine celebratur Eucharistia, ut frustulum panis, & hauſtum vini ibi accipiamus: illa enim in nostris ædibus commodius & abundantius accipere possemus, 1. Cor. 11. sed quia ibi est communicatio corporis & sanguinis Christi. Quid igitur de subſtantia panis soliciti sumus, an maneat, an verò desinat? Respondeo: Nullo modo pari momēto censemus panem & corpus Christi. Et Lutherus semper dixit, se in tota hac disputatione magis spectare præsentiam corporis & sanguinis Christi in cœna, quàm præsentiā panis & vini. Sed quia transsubstantiatio pro articulo fidei, sub pœna anathematis proponitur, necessariò contradicendū est. De singulis enim, quæ ad Sacramentorum rationem pertinent, nō aliter docendum & credendum est, quàm verbum Dei nobis præscribit. Nec recipiendum aliquid est pro articulo fidei, quod ex certis, perspicuis & firmis Scripturæ testimoniis ostendi & probari non potest. Præterea, quia filius Dei certa quædam externa media instituit & ordinavit, per quæ & se & sua beneficia credentibus vult communicare: illa media agnoscere, retinere, & ita usurpare debemus, sicut à filio Dei instituta sunt, ita enim, & non aliter Deus ordinario modo vult nobiscum agere. Cumq; in Eucharistia instituerit, ut panis & vinum essent talia media, per quæ nobis corpus suum & sanguinē, & cùm illis omnia beneficia novi Testamenti, in cœna sua vult communicare: illa igitur media nō sunt abjicienda ex usu cœnæ Dominicæ, neque enim ἀμέσως voluit corpus & sangvinem suum in cœna nobis communicare. Opinio etjam transsubstantiationis, simplicitatem fidei, portentosis & non necessariis labyrinthis quæstionum turbat: & ab eo quod in cœna Dominica præcipuum est, homines abducuntur, ut hæreant in cogitatione & admiratione transsubstantiationis.

Lanfrancus.

Responsio.

Ecclesia igitur per nullum Scripturæ locum perspicuè, certò & firmiter vel persvadetur, vel cogitur ad ponendam & credendam transsubstantiationem: sed magis consentaneum est simplicitati verbi Dei, in Eucharistia remānere subſtantiam panis & vini, unà cum corpore & sangvine Christi.

Et hac simplicitate, multæ ociosæ & portentosæ quæstiones præcidūtur. Servatur etjam ita in Eucharistia, id quod ad subſtantiam omnium Sacramentorū pertinet: ut scilicet duabus rebus constent, materia & forma, re terrena & cœlesti. Verbum enim accedens ad elementum, non annihilat elementū, sed facit Sacramentum. Et si in Eucharistia, in ea re, quæ externa & visibilis est, ludificamur, ita ut videntes, tangentes & gustantes panem, imò quòd Scriptura affirmat esse panem, tamen non panem, sed sola accidentia sine subjecto, hoc est, spectrum & præstigias panis accipiamus: qualis erit fidei confirmatio, tam certò nos, invisibili & cœlesti modo, juxta verbum accipere corpus & sangvinem Christi, quàm certò panem & vinum accipimus? Perit etjam per transsubstantiationem, analogia signi & rei, quæ est in Sacramētis, sicut Augustinus inquit. Si Sacramenta earū rerū quarum Sacramenta sunt, similitudinem non haberent, Sacramenta non essent. Vt in Baptismo, sicut aqua exterius mundat: ita Christus lavacro aquæ in verbo mundat Ecclesiam. In Eucharistia, sicut panis materialis alit, sustentat, confirmat: ita corpus Christi, est alimentum spirituale novi seu interni hominis. Sicut panis est subſtantia, ex multis granis coacta: ita unum corpus efficiuntur, qui de uno illo pane Eucharistiæ participant. Hæ significationes omnes intercedunt, si subſtantia panis in Eucharistia annihiletur, & in ejus locum præstigiæ accidentium, sine subjecto cohærentium substituantur. Et hæc de Scripturæ sententiis.

Augustinus.

Porrò valdè superbè gloriantur Pontificij se

Universidad de Deusto
Biblioteca

Transſubſtantiationis traditæ antiquitas.

pro opinione ſuæ tranſſubſtantiationis habere conſenſum totius antiquitatis, & teſtimonia Eccleſiæ omniũ temporum. Tridentina enim congregatio capite quarto affirmat, ſemper hoc in Eccleſia Dei perſvaſum fuiſſe. Andradius verò tragicè declamitat, hunc eſſe conſenſum totius Eccleſiæ, omnium ætatum, omnium gentium & populorum, qui unquam Chriſtianum nomen profeſsi ſunt, ita ut nullum aliud fuerit unquã Eccleſiæ judicium. Satis pol gloriosa & audax eſt aſſeveratio: qua profectò non uterentur, niſi vel frontem perfricuiſſent, vel nos omnes haberent pro truncis & ſtipitibus, ſeu (ut ipſi loqui ſolent) pro beſtiis, quibus prorſus ignota ſit totius antiquitatis hiſtoria. Sunt igitur quædam dicenda de ſententia veteris Eccleſiæ, quod ad hanc de tranſſubſtantiatione quęſtionem attinet, ut impudentia perfrictæ frontis retegatur. Cumulant autem multas veterum ſententias, in quibus illi dicunt, panem appellari, credi & eſſe corpus Chriſti: de pane fieri corpus Chriſti: panem mutari, commutari ſeu tranſmutari in corpus Chriſti, ſeu ut fiat & ſit corpus Chriſti: creaturas converti in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti: panem & vinum tranſire in divinam ſubſtantiam. Et ſingulis illis ſententiis ſua addunt epiphonemata, Eccleſiam omnibus temporibus, ſine ambiguitate ſemper docuiſſe & credidiſſe tranſſubſtantiationem panis & vini, ſicut illa à Pontificiis traditur.

Sed reſpondebimus, id quod æquiſsimũ eſt: ut ſcilicet ipſi veteres ſint verborum ſuorum optimi & certiſsimi interpretes. Veteres dicunt in Euchariſtia fieri mutationem ſeu converſionem panis & vini. Hoc Pontificij interpretantur de annihilatione & tranſſubſtãtiatione elementorum, nos mutationem Sacramentalem intelligimus, cùm ſcilicet antea tantùm eſſet communis panis, & vulgare vinum, quod accedente verbo Chriſti, non ſolùm panis & vinum, ſed ſimul etjam ibi in Euchariſtia corpus & ſangvis Chriſti adſit, exhibeatur, & ſumatur. Sed nec noſtra ſanè, nec Pontificiorum interpretatio ſit authentica. Audiamus potius ipſos veteres, quomodo illa & ſua & veteris Eccleſiæ verba interpretentur, & intelligi velint. Monſtrabimus autem aliquot argumentis, veteres licet nominent mutationem & converſionem, tamen non intellexiſſe tranſſubſtantiationem illam, de qua Pontificij dimicant.

Primò enim Longobardus expreſsè affirmat, lib. 4. diſt. 11. ne ſuo quidem tempore definitum extitiſſe in Eccleſia, qualis ſit illa mutatio ſeu cõverſio, de qua veteres loquuntur, an ſit formalis an ſubſtantialis, an verò alterius generis. Falſum igitur eſt, vel ipſo Longobardo teſte, quòd Pontificij affirmant, eſſe dogma Catholicum, panem Euchariſtiæ per annihilationem & tranſſubſtantiationem mutari & converti.

Secundò, habemus teſtimonium, quod apud ipſos etjam Pontificios, omni exceptione majus
Gelaſius. eſſe debet. Gelaſius enim, Romanus Põtifex, annis poſt Chriſtũ natũ plus minus quingentis, in libro de duabus naturis in Chriſto, adverſus Eutychen & Neſtorium dicit, panem & vinum Euchariſtiæ, in divinam trãſire, ſancto Spiritu perficiente ſubſtantiam, corporis ſcilicet & ſangvinis Chriſti. Et certè hæc verba videntur fortiter ſonare pro ſtabilienda trãſſubſtantiatione, quod enim tranſit in aliam ſubſtantiam, & quidem Spiritu ſancto operante, certè videtur non manere in priori ſua ſubſtantia. Sed Gelaſius ipſe, ſuam & veteris Eccleſiæ ſententiam diſertè & apertè explicat, quomodo mutationem ſeu converſionem panis & vini in Euchariſtia intelligi velint: idq; tribus modis. I. Ita tranſeunt in ſubſtantiam corporis & ſangvinis Chriſti, ut tamen eſſe non deſinat ſubſtãtia vel natura panis & vini. Secundò, tranſeunt in divinam ſubſtantiam permanente tamen pane & vino in ſua proprietate naturæ. Tertiò, Sicut in Chriſto, duæ naturæ ex quibus conſtat, propriè permanent. IIII. Ideò verò dicuntur tranſire in divinam ſubſtantiam, quòd per ea divinæ efficiamur conſortes naturæ, communicato nobis & corpore & ſangvine Chriſti. Hęc eſt interpretatio Gelaſij, quomodo vetus Eccleſia intellexerit panem & vinũ in Euchariſtia mutari ſeu converti in corpus & ſangvinem Chriſti. Et Contarenus in colloquio Ratiſponenſi, 1541. obſtupuit, cùm videret tam aperto & perſpicuo teſtimonio, quod luce meridiana clarius eſt, Pontificiam tranſſubſtantiationem, ex Romani Pontificis ſententia refutari. Et tamen non verentur nunc gloriari de perpetuo conſenſu Eccleſiæ omnium temporum, quod ad dogma tranſſubſtantiationis attinet.

Ambroſius. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis, dicit per cõſecrationem de pane & ex pane fieri corpus Chriſti. Sed mox explicat ſe, quòd non intelligat annihilationem & tranſſubſtantiationem panis. inquit enim: Si tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, ut inciperent eſſe, quæ non erant: quantò magis operatorius eſt, ut ſint quę erãt, & in aliud convertantur? Lanfrancus hoc teſtimonium non potuit aliter eludere, quàm quòd dixit, verba illa non reperiri in libris Ambroſij. Sed quia hoc non conſiſtit, Petrus Scotus dicit Ambroſij ſenſum eſſe quòd maneant, in aliud ſcilicet mutata, ut ſi aqua mutata in vinum, dicatur manere. Sed Ambroſius duo diſtinctè dicit. Vt ſint quæ erant, & in aliud convertantur. Ipſe igitur ſui interpres eſt, quòd intelligat talem converſionem panis & vini, ut ſint quæ ante converſionem erant, & adjiciatur illa gratia, ut ſimul etjã ibi adſit corpus & ſangvis Chriſti: ſicut Theodoretus & Heſychius loquuntur.

Theodoretus, qui & Epheſinæ ſynodo interfuit, & in Chalcedonenſi laudatus fuit in primo dialogo, cujus titulus eſt ἄτρεπτος, ſumit illa principia, quæ in cõfeſſo tunc erãt in Eccleſia, & apud Catholicos & apud Eutychynos. Dicit igitur, Chriſtum ideò pani tribuere appellationem corporis, ut qui communicant myſteriis, nõ attendant ad naturam eorum, quæ in Euchariſtia viſibilia ſunt, ſed credãt illi tranſmutationi quæ ex gratia facta eſt. Audis Theodoretum dicere, non eſſe attendendum ad naturam viſibilium, ſed credendã tranſmutationem: nominat enim μετασκευὴν. Ne verò tranſmutationem illam interpretaretur quis de tranſſubſtantiatione, mox diſertè explicat ſe, qualem tranſmutationem intelligat, dicit enim: Chriſtus viſibilia ſymbola, appellatione corporis & ſangvinis honoravit, ὑτλὼ φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προσθεὶς: Hoc eſt, non tranſmutans ſymbolorum naturam, ſed naturæ ſymbolorũ adjiciens gratiam: ut ſcilicet ſimul ſint etjam corpus & ſangvis Chriſti. Habes interpretationem, quid vetuſtas in Græca Eccleſia intellexerit per tranſmutationem panis & vini in Euchariſtia: quòd ſcilicet non ipſa natura panis & vini mutetur, ſed quia illi adjiciatur gratia. Et in ſecundo dialogo qui dicitur ἀσύγχυτος, clarius adhuc explicat veteris Eccleſiæ ſententiam. Eutychianus enim ita argumẽtatur: Sicut panis & vinũ aliud ſunt ante conſecrationem, poſt conſecrationem verò tranſmutantur, & aliud fiunt: ita etjam corpus Chriſti poſt aſſumptionem, tranſmutatum eſſe in divinam eſſentiam. Reſpondet autem Orthodoxus: Illis ipſis retibus quæ tetenderas, captus es. Myſtica enim ſymbola poſt ſanctificationem, οὐκ τῆς οἰκείας ἐξίστανται φύσεως: hoc eſt, non immutantur ut propriam ſuam naturam amittant. Vocabulo enim valde ſignificanti ἐξιστάμενα vocantur, quæ naturam ſuam non ſervant, ſed immutantur, corrumpuntur, intereunt, & in aliud degenerant. Ita vocatur οἶνος ἐξεστηκὼς, vinum corruptum. Addit præterea Theodoretus: μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τὸ σχῆμα, καὶ τὸ εἶδος, hoc eſt, Symbola illa poſt ſanctificationem, manent in priori ſua ſubſtãtia, forma & ſpecie. Adeoq; & videntur & palpãtur, ſicut & antea: intelliguntur autem quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur.

Habemus igitur certam & perſpicuã interpretationem, quomodo veteres ſuam & totius antiquitatis ſententiam explicent, quid intelligi velint, quando loquuntur de tranſmutatione & converſione panis & vini in Euchariſtia: quòd ſcilicet ipſa ſubſtãtia & natura panis & vini, nec mutetur, nec definat: ſed quòd permaneat in Euchariſtia, non tantùm forma & ſpecies panis & vini, ſed ipſa prior ſubſtantia & proprietas naturæ, hæc enim ſunt veterum verba. Mutationem autem intelligunt, cùm antea eſſet tantùm communis panis, & vulgare vinũ, quod nunc ſimul ibi etjam adeſt, exhibetur & accipitur corpus & ſangvis Chriſti. Quando igitur Pontificij cumulant veterum ſententias de tranſmutatione & converſione: opponatur ipſis hæc veterum interpretatio, quæ fuerit ſententia & Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ.

Et quia illam non ignorant, cogitet Lector, quàm ingenuè agant, quòd contra mentem veterum, ipſorum phraſes ad commentum ſuæ tranſſubſtantiationis detorquent. Tridentinũ concilium affirmat, dogma Pontificiæ tranſſubſtantiationis ſemper in Eccleſia Dei perſvaſum fuiſſe. Sed hoc falſiſsimum eſſe, & Latinæ & Græcæ Eccleſiæ teſtimoniis manifeſtiſsimis jam oſtendimus.

Tertiò, vetuſtas duas res diverſorũ generum
Irenæus. agnoſcit & confitetur in Euchariſtia. Ita Irenęus dicit, panem fractum, & calicem mixtum, poſtquam percepit vocationem Dei, non ampliùs eſſe communem panem, ſed Euchariſtiam corporis & ſangvinis Chriſti. Num verò ita, ut annihilata panis ſubſtantia prorſus defierit? Non utemur conjecturis, ſed audiamus ipſum Irenæum explicantem ſe, mox enim ſubjicit, Euchariſtiã conſtare duabus rebus: terrena, pane ſcilicet & vino: & cœleſti, corpore ſcilicet & ſangvine Chriſti. Panem igitur Euchariſtiæ non eſſe communem panem, Irenæus ita interpretatur: Cùm antea tantùm eſſet una res, terrena ſcilicet, jam ſit Euchariſtia, cõſtãs duabus rebus, pane & corpore Chriſti, vino & ſangvine Chriſti. Et hæc Irenæi interpretatio oſtendit, quomodo Eccleſia intellexerit id, quod poſtea Auguſtinus dixit, De verbis Domini, ſerm. 28. Ante Chriſti verba, quod offertur panis dicitur: ubi Chriſti verba deprompta fuerint, jam nõ panis dicitur, ſed corpus Chriſti appellatur. Sed ut minus relinquatur dubitationis, audiamus ipſum Auguſtinum verba ſua interpretantem. In libro enim Sententiarum Proſperi, de Conſecr. 2. dicit: Hoc eſt quod dicimus, quod modis omnibus probare contendimus, ſacrificium Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Chriſti carne & ſangvine. Et obſervet Lector, Pontificij appellationem ſpeciei opponunt naturę, ſubſtantiæ & veritati elementorum panis & vini. Et ubicunq; in veteribus legunt ſpeciem panis & vini, mox tranſſubſtantiationem ſuam affingunt. Sed quid Eccleſia intel-
lexerit, quãdo nominat ſpecies panis & vini Au- *Auguſtinus.*
guſtinus nobis explicabit. Subjungit enim in illa ſententia, cùm nominaſſet ſpeciem elementorum, & corpus Chriſti: Sicut Chriſti perſona cõſtat ex Deo & homine, cùm ipſe verus ſit Deus, & verus homo: Quia omnis res illarum rerum naturã & veritatẽ in ſe continet, ex quibus conſicitur. Conficitur autem ſacrificiũ Eccleſiæ duobus, Sacramento & re Sacramenti: id eſt corpore Chriſti. Manifeſta eſt explicatio, quòd Auguſtinus duas res in Euchariſtia agnoſcat. Et per ſpeciem intelligit non accidentia ſine ſubſtantia, ſed naturã & veritatem rerum, hoc eſt, elementorũ, ex quibus cõficitur Euchariſtia, Hæc enim ſunt ejus verba. Delectata autem fuit antiquitas, appellatione ſpeciei, propterea quòd Baptiſta Lucæ 3. narratur vidiſſe Spiritum, corporali ſpecie columbæ, deſcendere ſuper Chriſtum. Et hanc interpretationem ſpeciei, ex Auguſtino in hac materia, lector diligenter obſervet.

Heſychius etjam duas ſubſtantias ſimul agno- *Heſychius.*
ſcit in Euchariſtia, quam definit ſimul eſſe panẽ & carnem, vinum & ſangvinem. Ita enim inquit lib. 20. in Levit. cap. 8. Propterea carnes cum panibus comedi præcipiẽs, ut nos intelligeremus, illud ab eo myſterium dici, quod ſimul panis & caro eſt.

Quartò uſitatiſsima eſt vetuſtis Scriptoribus ſimilitudo, qua interſe cõferunt Euchariſtiam, quæ duabus rebus conſtat, & unionem duarum naturarũ in perſona Chriſti. Et quidem in certamine contra Apollinarem & Eutychen, Chryſoſtomus, Theodoretus & Gelaſius, ex Sacramẽto Euchariſtiæ probant humanam naturam in Chriſto per unionem nõ eſſe abſorptã vel tranſmutatam in divinam, ſed duas veras, diſtinctas & integras eſſe naturas in Chriſto, ſicut Euchariſtia duabus rebus cõſtat, & duabus conficitur. Illa verò argumentatio Eutychen magis confir-

Universidad de Deusto
Biblioteca

masset, quàm refutasset, si tunc dogma transsubstantiationis in Ecclesia notum & receptũ fuisset. Et hoc argumentum vel solum firmissimè probare posset, transsubstantiationem ignotam esse veræ & puriori antiquitati, nec video, quid Pontificij vel fingere possint ad eludendam argumenti hujus claritatem. Ita ergo & Iustinus in descriptione cœnę Dominicæ, nominat μεταβολὴν: sed mox subjicit similitudinem duarum naturarum, in persona Christi. Gloriosè solent Pontificij jactare Cypriani sententiam, ex sermone de cœna Domini: qui tamen an Cypriani sit, non satis certò constat. Ita autem habet sententia: Panis iste quem Dominus discipulis suis porrigebat non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro. Et Pontificij statim volunt, ne dubitandum quidem esse Cyprianum fuisse transsubstãtiatorem. Sed ipse verborũ suorũ optimus est interpres. Mox enim subjungit, quomodo mutationem illam intelligi velit, inquiens: Sicut in persona Christi, humanitas videbatur, & latebat divinitas: ita Sacramento visibili ineffabiliter divina se infundit substãtia, ut esset religioni circa Sacramenta devotio. Sicut ergo in Christo duæ integræ sunt & manent naturæ, ita mutatio panis de qua Cyprianus loquitur, nõ abolet substantiam panis.

Quintò: Irenæus, Emissenus, & Ambrosius mutationem panis Eucharistici, conferunt cum renovatione renatorum, & cum mutatione credentiũ in Christum, ut cum ipso fiant una massa. Atqui renovatio non facit annihilationem & transsubstantiationem naturæ humanæ: nec absorbetur nostra substantia, quãdo Christus apud Augustinum inquit: Sed tu mutaberis in me.

Ita Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, capit. 4. cùm multa de mutatione panis disseruisset, subjicit: Tu ipse eras, sed eras vetus creatura: postquam consecratus es, nova creatura esse cœpisti. Emissenus verò de Consecra. dist. 2. ca. Quia corpus, apertius similitudinem hanc explicat. Cùm enim dixisset, Christũ visibiles creaturas, verbo in substantiam corporis & sangvinis sui convertere: Pontificij statim exclamant, esse ipsissimam transsubstãtiationem. Emissenus verò interpretatur seipsum: Ostensurus enim nõ esse novum aut impossibile, quòd in Christi substantiã, terrena & mortalia convertuntur, inquit: Teipsum qui in Christo es regeneratus interroga. Dudũ alienus à vita, peregrinus à misericordia intrinsecus mortuus exulabas. subitò salutaribus mysteriis initiatus, in corpus Ecclesiæ non videndo, sed credendo transisti, & de filio perditionis adoptivus Dei filius factus es. Num verò per transsubstãtiationem illa fiunt? Audi quid subjiciat Emissenus: Cùm idem atq; ipse esses, multò alter fidei processionibus extitisti? in exteriori nihil additum est, & totum in interiori mutatũ est. Sicut igitur credentes transeunt in corpus Christi, & efficiuntur una massa cum ipso, sine transsubstãtiatione, ita etiam veteres intelligũt conversionem panis & vini in cœna Dominica, ut non opus sit transsubstantiatione.

Irenæus. Irenæus inquit: Sicut Eucharistia cõstat duabus rebus, ita corpora nostra, percipientia Eucharistiam, nõ sunt corruptibilia, spem immortalitatis habentia. Et tamen nondum facta est transfiguratio corporis nostri, Philip. 3. sed spem habeamus. Non igitur probatur hinc transformatio panis.

Sextò. Ne Florentini quidem concilij temporibus, ante annos centum & amplius, universalis Ecclesię, omnium gentium & populorũ consensu approbatum & receptum fuit dogma de transsubstãtiatione. In ultima enim sessione, inter articulos, in quibus Græca Ecclesia à Romana dissentiebat, 4. loco ponitur de divina trãsmutatione panis in Eucharistia. Et cùm conficiendæ essent literæ unionis, disertè & expressè exceptus fuit, etjam concedente Romano Pontifice, articulus ille de divina transmutatione panis in Eucharistia, quam Latini tunc docebant. Falsa igitur est gloriatio de universali consensu Ecclesiæ omnium ætatum, omnium gentium & populorũ, quod ad dogma de transsubstantiatione attinet. Nam & ante centum annos, sicut hęc historia indicat, nondum subjecti fuerunt anathemati, qui transsubstantiationis opinionem non receperunt vel approbarunt. Planè novum igitur & recens est anathema 11. Canonis, in 3. hac sessione. Atque ita satis perspicuè, ut arbitror, monstratũ est, veterem & puriorem Ecclesiam, nihil quicquam suffragari Pontificio dogmati de Transsubstantiatione.

De recentioribus enim, quorum ætate, magna jam doctrinæ inclinatio fieri cœperat, ut de Damasceno, Theophylacto, Richardo, Hugone, Longobardo, & similibus, nihil disputamus, quando de antiquitatis sententia quæstio est. Hoc igitur exemplum ostendit, quàm vana sit Pontificiorũ gloriatio, quando in omnibus suis disputationibus, plenis buccis subinde jactitãt, universalem consensum totius Ecclesiæ omniũ ætatum, omnium gentium & populorum à suis partibus stare.

Nec verò opus est, singulas veterum sententias excutere, quomodo enim verba sua, de hac materia intelligi velint, ex ipsorum interpretatione jam didicimus.

Ambrosius. Ambrosius de Sacram. lib. 4. cap. 5. dicit, post consecrationem nihil aliud quàm carnem & sangvinem Christi, credendum esse. Nec malè hoc dicit. Quia enim fides est eorum, quæ non apparent & videntur: non igitur opus est fide, ut intelligamus, quòd panis, quem oculi vident, adsit ibi: Sed corpus Christi, ibi adesse, fides sola ex verbo discit. Hanc distributionem, cùm scilicet duæ res sint in Euchari stia, alteram sensibus, alteram fide apprehendi, Augustini sententia clarè docet: Quod videtis, inquit, in altari, panis est & calix, quod etjam oculi vestri nobis renunciant: quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus, calix est sangvis.

Sæpè etjam veteres eò respiciunt, quòd cœna Dominica sit actio, non terrestris, sed cœlestis, pertinens ad regnum cœlorum, de quo Evangelium concionatur in qua quærimus non cibum periturum, sed alimentum spirituale novi hominis. Sæpè igitur de altera tantũ parte, de corpore scilicet & sangvine Christi, magnificè concionantur: & volunt corda sursum esse elevanda, nec attendendum ad terrena elementa panis &

& vini, sed ad Christum Deum & hominem, qui in cœna illa adest, & præbet vescentibus corpus & sangvinem suum: sicut econtrà sæpe de elementis Eucharistiæ disputantes, de signis, figuris & symbolis loquuntur. Sicut autem Sacramentarij non rectè faciunt, qui propter posteriores has veterum sententias, substantiam corporis & sangvinis Christi ex cœna Dominica proturbant: ita neque Pontificij, priores sententias rectè detorquent ad annihilationem & trãssubstantiationem elementorum. Alibi enim veteres distinctè loquuntur, de duabus illis rebus, ex quibus Eucharistia constat, ut Origenes in 15. Matth. disputans, panem Domini non ex natura sui hoc habere ut sanctificet, inquit: Quod materiale est in secessum ejicitur: q. verò est per obsecrationem & verbum Domini, animæ prodest, juxta fidei portionem. Non itaque materia utilis est, sed verbum quod adjicitur, animo prodest. Hæc Origenes.

Chrysostom. Chrysostomus verò ad illud respiciens, quòd cœna Dominica est mysterium supernaturale, cœleste & divinum, inquit: Num vides panem? num in secessum vadit? Absit. Item: Non de manu hominis, sed Seraphim accipis corpus Christi. His verbis Chrysostomus, sicut nec externũ ministerium, ita nec elementa ex actione cœnæ Dominicæ vult abjicere: sed vult nos non hærere, vel in manu ministri, vel in elementis panis & vini, sed mentem elevare ad ea, de quibus verbum loquitur. Sicut igitur ex hac Chrysostomi sententia non sequitur, externum ministerium sacerdotis exhibentis Eucharistiam, tollendum esse, & expectãdum adventum Seraphin: ita nec Transsubstantiatio inde concludi potest. Videri enim in in Eucharistia panem & vinum, & sensus ipsi, & tota antiquitas testantur.

DE CVLTV ET VENERATIONE, HVIC SANCTISSIMO Sacramento adhibenda.

CAPVT V.

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, cùm omnes Christi fideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione adhibeant. Neque enim minus est adorandum, quod fuerit à Domino, ut sumatur institutum. Nam illum eundem Deum, præsentem in eo adesse credimus, quem pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei: quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptvra testatur.

Declarat præterea sancta synodus, piè & religiosè admodum in Dei Ecclesia inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam & festo die, præcelsum hoc & venerabile Sacramentum, singulari veneratione ac solennitate celebraretur: ut ó, in processionibus, reverenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. Aequissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cùm Christiani omnes singulari ac vera quadam significatione gratos & memores testentur animos, erga communem Dominum & redemptorem, pro tam ineffabili, & planè divino beneficio quo mortis eius victoria & triumphus repræsentatur. Ac siquidem oportuit victricem veritatem de mendacio hæresi triumphum agere, ut eius aduersary, in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ letitia positi, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti & confusi aliquando resipiscant.

CANON VI.

Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei filium, non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem, & solenniter circumgestandum, vel non publicè ut adoretur, populo proponendum, & eius adoratores esse idololatras, anathema sit.

EXAMEN.

Principiò ostendendum est, quid sit quod in V. hoc capite, & VI. Canone in controversiam positum est. Quædam enim extra controversiã sunt, quæ non invitus concedo. Nam Christum Deum & hominem esse adorandum, nemo nisi Arrianus negat. Et quidem humanã etiam ejus naturam, propter unionem cum divinitate, esse adorandam, & nemo nisi Nestorianus in dubiũ vocat. Cùm enim Pater æternus primogenitum introduceret in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli. Sicut & Matthæus manifestè testatur, ca. 28. Apostolos in Galilæa Christum adorasse. Constat etjam, adorationem Dei non esse alligatam vel loco vel tempori, Iohan. quarto, & 1. Timoth. 2. Semper igitur & ubique adorandus est Christus. Si ergo credimus, Christum Deum & hominem, in actione cœnæ suæ, peculiari modo præsentiæ & gratiæ adesse, ita quòd ibi verè & substantialiter exhibeat vescentibus corpus & sangvinem suum: quibus vult se ita nobiscum conjungere, ut singulis fide sumentibus, hoc preciosissimo pignore applicet & obsignet dona novi Testamenti, quæ traditione sui corporis, & effusione sui sangvinis Ecclesiæ acqvisivit: si hæc, inquam, verè & ex animo credimus, fieri nec potest, nec debet, quin fides Christum in illa actione præsentem, veneretur & adoret. Ita Iacob Genesis 28. Moses Exodi 34. Elias 3. Regum 19. non habebant sanè peculiare mandatum, ut in illis locis Deum adorarent: sed quia habebant generale mandatum, ut Deum ubique adorarent: & certi erant, Deum sub externis & visibilibus illis symbolis, verè adesse, & peculiari modo gratiæ se ibi patefacere: certè Deum ipsum, quem ibi præsentem esse credebant, adorabant: nec vera fuisset fides, si non secuta fuisset invocatio seu adoratio, hoc est, honor Deo debitus. Servus Abrahæ, Genes. 24. cùm ex Rebeccæ responso intelligeret, Deũ in illa legatione, gratia & benedictione sibi adesse, inclinat se, & adorat Dominum, Exod. 4. cùm filij Israel audirent, Deum respexisse afflictionem populi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& jam instituisse visitationem gratiæ, inclinata cervice adoraverunt. Exod. 12. cùm audirent de transitu Angeli percussoris, & de institutione Phasę, incurvatus populus adoravit. 1. Corint. 14. Si omnes prophetent, intret autem quis idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quòd verè Deus in vobis sit. Nec verò Deum illi, procul in cœlo empyræo à se remotum & absentem: sed verè prę sentem, & quidem peculiari modo gratiæ præsentem adorâ-
Augustinus. runt. Rectè igitur Augustinus in Psalm. 98. disputans, cùm terra sit scabellum pedum Domini, quomodo Psalmus dicat: Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est, inquit: Converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, scabellum pedum Domini: Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est: & de carne Mariæ, carnem accepit. Et quia in ipsa carne hîc ambulavit, & ipsum carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini: & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Ita Ambrosius in eundem Psalmi versum inquit: Scabellum, terra intelligatur: per terram autem, caro Christi: quam hodie quoque in mysteriis adoramus, quam & Apostoli in Domino Iesu adoraverunt.

Nazianzenus. Nazianzenus in Epitaphio sororis suæ τὸν ἐπὶ θυσιαστηρίῳ τιμώμενον ἀνακαλούμενα, hoc est, invocabat Christum, qui in altari, quando scilicet mysteria cœnæ celebrantur, honoratur. Et sententia Eusebij Emisseni dicit: Cùm reverendum altare, cibis spiritualibus satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus & sangvinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & maximè toto haustu interioris hominis assume. Lutherus etjam contra Lovanienses arti. 16. vocat Eucharistiam Sacramentum venerabile & adorabile. Et in 47. cap. Genes. Nos non tantum orantes, sed & baptizantes, absolventes & absoluti, & accedētes ad sacram synaxin, quin etjam ad recitationem promissionis aut textus Evangelij, genua flectere, vel saltem stare debemus, in signum adorationis, sive reverentiæ & gratitudinis. Et si in cœna Dominica nihil aliud porrigeretur præter panem & vinum, sicut Sacramentarij blasphemant, tamen est ibi promissio, & vox divina, & Spiritus sanctus per verbum in cœna. Ideoq; decebat nos cum reverentia accedere. Quantò verò magis id fieri par est, quando credimus adesse verum corpus & verum sangvinem cum verbo? Hæc Lutherus.

Lutherus.

Christum igitur Deum & hominem, in divina & humana natura, in actione Cœnæ Dominicæ verè & subst antialiter præsentem, in spiritu & veritate adorandum, nemo negat, nisi qui cum Sacramentariis vel negat, vel dubitat de præsentia Christi in cœna. Neque enim ἀνάμνησις & annunciatio mortis Christi in cœna ritè fieri potest, sine adoratione illa, quæ fit in spiritu & veritate. Hæc dicenda fuerunt, ne quis suspicetur, nos in dubium vocare, an Christus Deus & homo, qui in actione cœnæ præsens adoretur: subtilitatia verò vel species elementorum panis & vini, non adorentur, ne præter creatorem, etjam creaturam colamus, Roman. 1. Non igitur ita adorandum est Sacramentum Eucharistiæ, sicut in persona Christi, propter hypostaticā unionem, una adoratione humanitatem & divinitatem colimus & veneramur: nō enim personalis est unio panis & corporis Christi in cœna: sed quia Eucharistia constat duabus rebus, terrena & cœlesti, adoratio & veneratio nō est dirigenda ad terrena elementa, panem & vinū, sed ad Christum Deum & hominem, qui in illa actione præsentiā suam peculiari modo gratiæ instituit & promisit: sicut Israelitæ, non lignum, non aurum, non Cherubin arcæ fœderis, sed Deum ipsum tantùm, qui præsentiam suam ibi promiserat, adorabant. Nec alligan da aut affigenda est adoratio Christi, ad elementa panis & vini: neque enim in illis localiter inclusus continetur: sed panem cœnæ reverentur sumamus: ipsum verò Christum, in cœlesti majestate sua, supernaturaliter in cœna præsentem, in adorando intueamur.

Secundò. Quando Pontificij de cultu, adoratione & veneratione disputant, non principaliter huc respiciunt, ut in actione cœnæ dominicæ, sive in usu ejus divinitùs instituto, Christus Deus & homo, in spiritu & veritate adoretur: sed ficut Canon VI. disertè ostēdit, laborāt instituere & stabilire adorationem panis extra usum seu extra illam actionem, quam Christus in institutione ordinavit & mandavit: quando scilicet panis in processionibus circumgestatur & in repositione includitur, ut tunc populo adorandus Deus & homo, qui in actione cœnæ præsens adoretur: subtilitatia verò vel species elementorum panis & vini, non adorentur, ne præter creatorem, etjam creaturam colamus, Roman. 1. Non igitur ita adorandum est Sacramentum Eucharistiæ, sicut in persona Christi, propter hypostaticā unionem, una adoratione humanitatem & divinitatem colimus & veneramur: nō enim personalis est unio panis & corporis Christi in cœna: sed quia Eucharistia constat duabus rebus, terrena & cœlesti, adoratio & veneratio nō est dirigenda ad terrena elementa, panem & vinū, sed ad Christum Deum & hominem, qui in illa actione præsentiā suam peculiari modo gratiæ instituit & promisit: sicut Israelitæ, non lignum, non aurum, non Cherubin arcæ fœderis, sed Deum ipsum tantùm, qui præsentiam suam ibi promiserat, adorabant. Nec alligan da aut affigenda est adoratio Christi, ad elementa panis & vini: neque enim in illis localiter inclusus continetur: sed panem cœnæ reverentur sumamus: ipsum verò Christum, in cœlesti majestate sua, supernaturaliter in cœna præsentem, in adorando intueamur.

Quòd si hæc cōceduntur: quid igitur, inquies, in hac quæstione, de cultu & veneratione Eucharistiæ, in controversia positum est, inter nos & inter Pontificios? Respondeo: Tria potissimum sunt hujus controversiæ capita.

Primò, dicunt ipsum Sacramentum Eucharistiæ, seu totum illud, quod à Domino ut sumatur institutum est, esse cultu latriæ adorandum. Atqui Eucharistia, juxta dictum Irenæi, constat duabus rebus, terrena & cœlesti. Essent igitur etjam terrena elementa panis & vini in Eucharistia, cultu latriæ adoranda: quòd à manifesto idololatriæ, seu ἀρτολατρείας crimine excusari & defendi nullo modo posset. Ipsi quidem ideo transsubstantiationem suam comminiscuntur, ne panis substantia simul adoretur. Sed quia incerta est opinio transsubstantiationis, imò Paulus affirmat esse panem etjam post benedictionem: Theodoretus dicit, naturam elementorū *Theodoretus.* in Eucharistia non mutari: Gelasius tradit, illa *Gelasius.* permanere in proprietate suæ naturæ. Quando ergo docetur, totum illud quod in Eucharistia adest, exhibetur & sumitur, cultu latriæ adorandum: simul comprehenduntur etjam elementa panis & vini, quæ sine idololatria adorari nec possunt, nec debent. Neq; enim si Christus adorādus est, sequitur creaturas etjam illas, ubi adest, simul esse adorandas. Ad cavendam igitur idololatriam, disertè distingvendum est. Christus Deus & homo, in divina & humana natura, in actione cœnæ præsens adoretur: subst ātia verò vel species elementorum panis & vini, non adorentur, ne præter creatorem, etjam creaturam colamus, Roman. 1. Non igitur ita adorandum est Sacramentum Eucharistiæ, sicut in persona Christi, propter hypostaticā unionem, una adoratione humanitatem & divinitatem colimus & veneramur: nō enim personalis est unio panis & corporis Christi in cœna: sed quia Eucharistia constat duabus rebus, terrena & cœlesti, adoratio & veneratio nō est dirigenda ad terrena elementa, panem & vinū, sed ad Christum Deum & hominem, qui in illa actione præsentiā suam peculiari modo gratiæ instituit & promisit: sicut Israelitæ, non lignum, non aurum, non Cherubin arcæ fœderis, sed Deum ipsum tantùm, qui præsentiam suam ibi promiserat, adorabant. Nec alligan da aut affigenda est adoratio Christi, ad elementa panis & vini: neque enim in illis localiter inclusus continetur: sed panem cœnæ reverentur sumamus: ipsum verò Christum, in cœlesti majestate sua, supernaturaliter in cœna præsentem, in adorando intueamur.

Secundò. Quando Pontificij de cultu, adoratione & veneratione disputant, non principaliter huc respiciunt, ut in actione cœnæ dominicæ, sive in usu ejus divinitùs instituto, Christus Deus & homo, in spiritu & veritate adoretur: sed ficut Canon VI. disertè ostēdit, laborāt instituere & stabilire adorationem panis extra usum seu extra illam actionem, quam Christus in institutione ordinavit & mandavit: quando scilicet panis in processionibus circumgestatur & in repositione includitur, ut tunc populo adorandus

dus proponatur. Suprà verò ostēdimus, illa verba: Hoc est corpus meum, Hic est sangvis meus, esse divina institutione, præceptione & promissione, alligata ad illam actionem, quæ in verbis institutionis præscripta est: quando scilicet panis accipitur, benedicitur, distribuitur, accipitur & manducatur. Quando verò verba quidem super panem recitantur, actio verò illa in institutione præscripta & mandata vel non servatur, vel in alium usum transformatur: nō habemus promissionem de præsentia ibi corporis & sangvinis Christi, sicut in cœna sua adest. Quid igitur & quale sit, panem illum extra usum, de quo non habemus verbū Dei, quod sit corpus Christi, tamen ut adoretur proponere, diligenter in timore Dei expendatur. Certè enim solicitè cavenda sunt pericula idololatriæ, ne honorem soli Deo debitum, ad ullam aliam rem transferamus. Non autem sequitur, si in ipso vero usu cœnæ Dominicæ, Christus rectè adoratur, ideo extra usum, instituendum esse peculiarē cultum aut adorationem ad panem vel circumgestatū, vel repositum. Sine fide enim, nemo potest rectè adorare: fides autem non est sine verbo. Et nullum extat verbum Dei, de pane Eucharistiæ repositō, vel circumgestato: imò pugnat cum verbis institutionis, quando panis benedictus non distribuitur, non accipitur, non manducatur. Quid igitur aliud possumus, iuxta normam verbi Dei judicare, quàm talem cultum nō esse χριτολατρείαν, sed ἀρτολατρείαν?

De adoratione Christi in cœna.

Tertiò, de ipsa etjam adoratione, cultu & veneratione Christi in Eucharistia, quid sit, aut in quo consistat, controversia est inter Pontificios & nos. Tridentini enim in VI. Canone non obscurè ostendunt, se de externo potissimum Eucharistiæ cultu laborare & solicitos esse: ut scilicet splendida repositione, & sumptuosa circumgestatione, auro, argento, serico, inclinatione, genuflexione, prostratione corporis, elevatione manuum, tunsione pectoris, luminaribus, instrumentis muficis, bombardarum strepitu, & similibus externis pompis honoretur. Et huic externo cultui, etjam sine vera pœnitentia & fide, tribuunt nescio quæ merita. Vt autem de iis qui extra usum divinitùs institutum in Eucharistia sunt, nil amplius dicamus, Scriptura tradit duas regulas: quæ monstrabunt fundamenta dijudicationis, de definitione adorationis seu cultus. Primò externam simulationem cultus, sine interioribus spiritualibus motibus, Deo non placere, sicut inquit: Hic populus labiis appropinquat mihi, cor autem eorum longè est à me. Sed veri adoratores adorabunt in Spiritu & veritate. Secundò, Cultus ab hominibus vel institutos, vel electos, Deo non probari. inquit enim: Fruſtrà colunt me doctrinis & mandatis hominum. Et Colossenses secundo, Paulus expressè damnat ἐθελοθρησκείας. Eo verò modo Deus vult coli, quem ipse verbo suo præscripsit, aliàs dicit: Quis requisivit hæc de manibus vestris, Esaiæ 1. Docendi igitur primùm sunt homines ex verbo Dei, quomodo in vero usu Eucharistiæ, Christum Deum & hominem, vero, interiori & spirituali cultu venerari & adorare debeant. Deinde veræ externæ significationes interioris reverentiæ, ultrò & ritè sequentur. Externos verò qualescunque reverentiæ gestus, sine vera interiori cordis adoratione, Deus nō moratur, imò ut hypocrisin odit & abominatur. Ideo doctrina de veneratiōe & adoratione Christi in cœna Dominica, nō est inchoanda ab externis gestibus. Ita enim multi Christum adorant, quia ipsum ritè nec colūt, nec venerantur. Sicut Augustinus de talibus adorationibus inquit Epistola 120. super versum Psal 21. Manducaverunt omnes pingues terræ. Et divites quidem adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sangvine ejus: sed adorant tantùm, non etjam saturantur, quia non imitantur. Item: Et ipsi veniunt ad mensam, & manducant & adorant: non tamen satiantur, quia non esuriunt & sitiunt justitiā. Ab interiori igitur & spirituali adoratione primùm inchoandum est. Comprehenditur autem vera, interior & spiritualis veneratio & adoratio Christi, in illis verbis institutionis: Hoc facite in mei ἀνάμνησιν. Itē: Mortem Domini annunciate. Quando igitur? Primò cum cor juxta verbum rectè, piè & reverenter credit & sentit de substantia, & de usu hujus Sacramenti. Secundò, quādo grata mente, devotè cogitamus & consideramus, corde & ore celebramus immensa illa beneficia filij Dei mediatoris: quòd propter nos homines, & propter nostram salutem, descendens de cœlis, massam nostræ substantiæ assumpsit, & illam pro nostri redemptione patri in cruce obtulit, acerbissima morte sangvinem suum effudit: & quòd prætrea illud suum corpus manducandum, & illum sangvinem bibendū, in hac sua cœna nobis communicat: ut ita certissimo & pretiosissimo pignore, beneficia novi Testamenti credentibus applicet & obsignet: utiq; cum hac misera & polluta nostra massa, arctissimo fœdere se copulet, animam ad sanitatem, corpus nostrū ad immortalitatē reformet & præparet, &c. Tertiò, quando consideratis nostris & sordibus & miseriis, ardentibus votis Christum Deum & hominem, quem verè & substantialiter in illa actione præsentem esse credimus, invocamus, ut sit noster mediator, propiciator, advocatus, intercessor, iustificator & salvator: ut propter ipsius mortē, recipiamur & conservemur in illo fœdere novi Testamenti, quo pater propter filium credentibus vult placatus esse: quando item fides in oratione, hanc victimā Christi mediatoris interponit, inter peccata nostra & inter irā patris, sicut Anshelmus loquitur, quādo cōsiderata mysterij magnitudine, & nostra indignitate petimus, ne indignè manducando rei efficiamur corporis & sangvinis Christi: sed ut illa manducatione, corpori & sangvini Christi inserti, vitā inde trahamus, sicut palmites ex vite: ut manducatio illa nobis profit ad cōfirmationem fidei, incrementum caritatis, mortificationem carnis, &c. Atq; ideo petimus donari, cōservari, cōfirmari & augeri in nobis dona pœnitentiæ, fidei & caritatis.

Augustinus.

Vera Christi adoratio in cœna, in quibus rebus consistat.

Regulæ Scripturæ.

Hæc est vera interior & spiritualis venerario & adoratio Christi, in usu cœnę Dominicę. Adora- *Regulæ seu forma adorationis tria hæc complectitur:* 1. Deum quem *rationis.* invocamus, rectè agnoscamus, rectè de eo sentiamus, & ita eum cōpellemus, sicut essentiā & voluntatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

luntatem suam in verbo patefecit. 2. ut ab eo petamus, quæ daturum se promisit. 3. ut pro præstitis beneficiis gratias agamus. Quomodo autem illa in usu Cœnæ Dominicæ fieri debeant, hoc est, quem & quomodo compellare, quid petere, & pro quo gratias agere debeamus: verba institutionis, reliquæ item Scripturæ sententiæ de Eucharistia, & præcipuè hæc dicta docent & ostendunt: Hoc facite in mei commemorationem. Item: Mortem Domini annunciabitis. Et hæc est vita & certa regula veræ adorationis Christi, in usu Eucharistiæ. Talis certè adoratio animadvertitur in veterum liturgiis, & precando, & gratias agendo. Iustinus vocat panem & vinũ εὐχαριστηθέντα: quod Irenæi interpres reddidit, panis, in quo gratiæ actæ sunt. Dionisij communio incipit à prece, & definit in sacram gratiarum actionem. Chrysostomi & Basilij liturgia celebrat totam œconomiam redemptionis nostræ, & orat pro digna participatione. Quando verò interior & spiritualis hæc devotio, veneratio & adoratio in corde excitata adest, tunc externæ significationes in reverentia & veneratione hujus Sacramenti, spontè & rectè sequentur. Nam ad veram confessionẽ pertinet, ut fidem, devotionem & celebrationem, de quibus jam diximus, publicè etjam testemur, & voce & aliis externis significationibus: quib. ostendamus, quid de hujus cœnæ & substãtia & fructu sentiamus, qua animi reverentia & devotione accedamus, qualem cibum credamus nos ibi accipere. Tali externa confessione, sejungimus nos à Sacramentariis, & Epicureis contemptoribus horum mysteriorum: excitamus alios ad veram reverentiam, ne occasio detur vel simplicioribus ad prophanas cogitationes, vel porcis ad conculcãda hæc mysteria. Externa enim irreverentia, signum est prophanæ mentis: sicut Paulus dicit, Corinthios nõ dijudicare corpus Domini, quia illud in cœna Dominica, non majori reverentia tractabant, quàm vulgares concœnationes. In illis verò externis reverentiæ significationibus simplicissima & tutissima regula est, ut sint testimonia fidei interioris de Eucharistia, juxta verbum, & illi fidei respondeant. Nec instituamus humano arbitrio, alios electitios externos cultus: sed cogitemus, illum honorem honorato gratissimum esse, quem ex verbo agnoscimus ipsum velle. Hæc igitur est vera adoratio & veneratio Christi, in usu cœnæ Dominicæ, de qua Pontificij non admodum pugnant: tantùm de externis cultibus ab hominibus institutis, extra verum Eucharistiæ usum soliciti sunt: quos tamen communes faciunt toti Eucharistiæ, hoc est & Christo & elementis, seu speciebus elementorum. Quid igitur in hac Pontificiorum doctrida desideremus, & reprehendamus, & quibus ex causis: breviter quidem, sed non obscurè, ut arbitror, ostensum est.

DE FESTO CORPORIS Christi.

Vel aliquando tandem rectè faciunt, quòd fatentur, hoc festum non habere testimonium vel Scripturæ, vel traditionis Apostolicæ, vel veræ antiquitatis in veteri & puriori Ecclesia. Sed dicunt, hunc morem inductum esse in Ecclesiam Dei. Intelligunt autem, quòd Vrbanus IIII. circa annũ Domini 1260. festum illud primus excogitavit: idq; (ut ipse in bulla fatetur) inde quod quibusdam personis revelatum fuerat, festũ illud & instituendum, & generaliter celebrandũ. Fuit autem mulier quædam, Eva reclusa, à qua Vrbanus, in minoribus adhuc constitutus, revelationem illam accepisse tribitur. Et Vrbanus quidem Pontifex factus, novum illud festum, ex revelatione mulierculæ, statim instituit, & vbiq; celebrandum districtè mandando præcepit: Sed sicut glossa dicit, De reliquiis & veneratione sanctorum, illa constitutio Vrbani de novo festo, non fuit accepta ab omnibus: sed post annos 50. Clemens V. Anno 1311. in Viennensi Concilio, cõstitutionem illam præcepit ab omnibus servari. Et tamen Græcæ ecclesiæ, ne hodie quidem pompam & morem illius festi servant. Vnde igitur novo huic & tali festo tanta authoritas, ut anathematis jam fulminet, in Tridentina congregatione? ubi aliàs tantùm Apostolicas traditiones, & Catholicum consensum Ecclesiæ omnium ætatum, gentium & populorum, quæ omnia huic festo desunt, crepare solent.

Vrbanus 4. institutor festi corporis Christi.

Clemens confirmat festũ.

Et ne semper antiquitatis velamento se occultent, utile est, in ordine historiarum, & in seria temporum observare, quomodo post meliora antiquitatis tempora, sensim & paulatim, facta subinde longiori inclinatione, ad spectacula illa regni Pontificij deventum sit.

Apud Eusebium lib. 5 cap. 24. Romani Episcopi hospitibus simpliciter mittunt Eucharistiam. Irenæus enim tantùm habet verbum ἔπεμπον.

Libro sexto Eusebij, capite 34. presbyter puero tradit Eucharistiam, ad Serapionem perferendam.

Exuperius in canistro vimineo & in vitro portat corpus & sangvinem Domini. Mulierculis data fuit Eucharistia domum deferenda, apud Tertullianum & Cyprianum. Nec de præferendis luminaribus, campanis, & de reliqua pompa quæ apud Pontificios usitata est, ulla vel testimonia, vel exempla extant in veræ antiquitatis historia. Et quidem notabile est, in Gratiani decreto, nihil tale extat.

Sed tempore Lateranensis concilij, circa annũ Domini 1200, Innocentius cœpit constituere, ut Eucharistia sub fidei custodia, clavibus & seris adhibitis, conservetur, capitulo, statuimus. De custodia Eucharistiæ.

Mox circa annum Domini 1220. Honorius III. districtè præcipiendo mandavit, ut à sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo & signato, semper honorificè collocata, devotè ac fideliter conservetur. Sacerdos verò frequenter doceat plebem suã, ut cùm in celebratione Missarum elevatur hostia, se reverenter inclinet: idem facient, cùm eam presbyter defert ad infirmum, quãm in decenti habitu, superposito mundo velamine, ferat & referat manifestè ac honorificè, ante pectus, cum omni reverentia ac timore, semper lumine præcedente, cùm sit candor lucis æternæ: ut ex hoc, apud omnes fides & devotio augeatur.

Honorius III.

Et hæc

Et hæc quidem recentia sunt, in veris enim veræ antiquitatis historiis, tale nihil legitur. Adhuc tamen aliquo respectu ad usum, illa constituta sunt: quando scilicet panis consecratur, & quando ad infirmum defertur, ut exhibeatur & sumatur.

Posteà verò paulatim ab usu Eucharistiæ, qui à Christo institutus est, longius discessum est, instituto festo Corporis Christi ab Vrbano, & à Clemente confirmato. Et velim Lectorem diligenter considerare Bullam istius institutionis, quæ extat in Clementinis libro 3. titulo 16. Nulla enim prorsus in illa Bulla mentio fit circumgestationis & ostentationis: nec ulla syllaba ibi extat, de pane consecrato per octiduum in monstrantiam includendo, circumgestando & ostentando. Neque etjam mentio ibi fit de tali spectaculo, pompa & externa adoratione circumgestati & ostentati panis: sed finis institutionis illius festi ita ibi explicatur, ut studeant se taliter præparare quòd hujus preciosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintq; ipsum suscipere reverenter, ac ejus virtute augmentum consequi gratiarum. Hæc sunt verba Bullæ: in quibus manifestè dicitur, propter usum, participationem seu communionem solenniorem, institutum primò fuisse illud festum: & in illo usu, in quo debita reverentia & devotio requiritur, gratias agendas esse Christo, pro immenso hoc beneficio, quòd corpus suum in cibum, & sangvinem in potum nobis tribuit. Et hoc diligenter notandum est, ea quæ hodie in festo corporis Christi in regno Pontificio factitantur, ne Vrbani quidem & Clementis seculo nota fuisse: sicut est inclusio, circumgestatio, ostentatio, spectatio & adoratio panis, extra usum distributionis & sumptionis. Longè igitur post annos Domini 1311. illa excogitata & introducta sunt. Adeò recens est spectaculum istius festi, sicut in Papatu usurpatur: de quo tamen retinendo, tanta contentione Tridentini laborant, ut ad profusionem anathematis progredi non vereantur. Non igitur, vel Scripturam, vel Apostolorum traditiones, vel antiquitatis suffragia curant: sed unum hoc sibi propositum habent, ut nervi regni Pontificij, quoquo modo salvi maneant & stabiliantur. Ipsa etjam appellatio mutilata est. Vrbanus etjam & Clemens, vocant festivitatem corporis & sangvinis Christi. Et in responsorio illius festi canitur: omnes qui de vno pane, & de uno calice participamus. Hodie verò appellatur festum corporis Christi.

Bulla institutionis.

Verba Bullæ.

Pomerius.

Pomerius dicit, indulgentias hujus festi auctas per Martinum V. & sequentem Eugenium. Circa Constantiensis igitur concilij tempus, lata nova lege de mutilatione Eucharistiæ, videntur recentia illa cumulata fuisse. Admissa verò semel circumgestatione, ostentatione & adoratione panis, in festo illo extra usum, nullus postea finis fuit. In majoribus enim Basilicis, non tantùm per octavas hujus festi, sed quotidie cũ lampadibus inclusum proponunt adorandum, efferunt ad incendia restringuenda, & ad similes casus averruncandas. Et sicut fieri solet, quando semel à regia via deflexum est, nisi ad verã viam redeatur, nullus aberrandi nec finis, nec modus est: ita circumgestatio extra usum à Christo institutum, eò tandem deducta est, quòd sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Romani Pontificis, verè Pontificiæ, seu potius Ethnicæ plus certè quàm regali & Imperatoriæ pompæ servire jam cogitur. Romæ enim in pompa Pontificis, non aliter tractatur panis Eucharistiæ, quàm sicut olim in pompa Persicorum regum, sacrum suum ignem, quem orimasda appellabant, equo vectum regi præferebant. In medio enim Pontificalis pompæ, non longè ante Pontificem, ducitur equus albus, mansvetus & phaleratus, portans Sacramentum, quod ipsi in pulvino ornato, capsa inclusum sacrista imposuit. Equus habet ad collum, tintinnabulum benè tinniens. Suprà portatur baldachinum, cum insignibus Papæ. Equum præcedunt duodecim familiares Papæ pedites, rubra veste induti, portantes duodecim intorticia ante Sacramentum. Inde duo familiares sacristæ equestres, etjam rubro induti, portantes laternas argenteas cum lumine, ante Sacramentum. Extant tres libri ceremoniarum Romanæ ecclesiæ, Leoni X. inscripti, in quibus aliquoties repetitur hæc descriptio. Lib. 1. sectione 2. De processione coronati Pontificis ad Lateranum. Sectione 5. De processione Pontificis, & coronati Cæsaris per urbem. Sectione 12. De ordine, quomodo Papa in urbe, de loco ad locum in solenni pompa, vel in Pontificalibus equitat. Et lib. 3. De officio sacristæ. Hæc recentia monstra, ignota sunt non tantùm veteri, verumetjam mediæ antiquitati. Hanc recitationem propter duas potissimum causas institui: 1. ut considerandum proponerem, quæ, qualia & quanta sint, quæ in V. cap. & VI. Canone, de festo quod vocant corporis Christi, involvant. 2. ut ostenderem, quàm procul & quàm longè à forma veteris Ecclesiæ, etjam in media antiquitate, recessum nunc fit in illo festo: item quàm recentia, nupera & novitia sint, quæ nunc in regno Pontificio, in festo illo, & in reliquis circumgestationibus usurpantur. Sed ostensis initiis, & progressu istius festi, de re ipsa etjam pauca quædã dicamus. Sicut igitur ordinis gratia, totus annus distributus est in certa quædam festa, quæ utiliter ad ædificationem populi apud nos servantur: ut scilicet præcipui articuli fidei, ordine aliquo, populo per annum proponi, repeti, & contra quasvis corruptelas retineri possint: utq; fideles moneantur, & excitentur ad considerandã beneficia Dei, de quibus articuli illi fidei concionantur, & Deo pro illis beneficiis in Ecclesia magnæ gratiæ agantur: ita nulli piorum improbaretur, si præterquã quod semper omnibus diebus illud fieri debet, ordinis gratia, certo anni tempore, Ecclesia frequentius conveniret: & in illo cõventu, doctrina de cœna Domini, justa tractatiõe, simpliciter & clarè proponeretur: omnes corruptelæ, puritatem illius doctrinæ cõtaminantes, refutarentur: admonerentur homines, quantum thesaurum Christus Ecclesiæ in testamento suo legârit: pro beneficiis illis, quæ cœna Dominica exhibet & cõfert, Christo salvatori gratiæ in Ecclesia magna agerentur: taxata negligentia, invitarẽtur homines

Circumgestatio Eucharistiæ.

Pompa Pontificalis.

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad celebriorem Eucharistiæ usum, per totum annum, &c.

Hoc modò verè, Ecclesia tanquam victrix, de mendacio & hæresi, publicũ quasi triumphum ageret. Et si hæc esset ratio hujus festi, petulantia quædam esset, celebrationem ejus odiosè exagitare.

Cur Pontificij de festo illo dimicent.

Sed longè aliud est, propter quod Pontificij de festo illo dimicant. Necnostri festũ illud abrogárunt ideo, quasi hostes & inimici sint omnis boni ordinis: Sed longè aliæ sunt causæ, quæ controversiam de hoc festo movent. Illas verò, quia ex præcedenti historica commonefactione manifestæ sunt, breviter tantùm recitabo.

Quæ complectatur festũ corp. Christi.

1. Celebratio illius festi, qualis est in Papatu proponit, confirmat & stabilit mutilationẽ Eucharistiæ: altera enim tantùm species contra institutionem proponitur. Et illo tempore, novis accessionibus deformatũ fuit hoc festum, cùm mutilatio illa Ecclesiis ubique obtruderetur, & non deessent qui contradicerent, sicut de Monachis Alexander Alensis testatur.

2. Celebratio illius festi, Sacramentũ ex usu divinitùs instituto transfert in aliam actionem, & diversum usum, qui non habet testimonium verbi Dei: nõ enim distribuitur, non accipitur, non manducatur: sed circumgestatur, & ostentatur. Et ad retinendũ præcipuum nervum regni Pontificij, quòd scilicet Eucharistia habeat veram rationem Sacramenti, etjam extra usum divinitùs institutum, etjamsi transformetur in aliam actionem & diversum usum: ideo tanta contentione & de hoc festo retinendo pugnant.

3. Persvadentur homines, Christum in pane illo quando circumgestatur, non minus nec aliter adesse, quàm in vero usu cœnæ divinitùs instituto adest. Et quidem volunt, Christum ibi adorandum esse: cùm tamen nullum extet verbum, quòd Christus in tali usu panis velit corpore & sangvine ibi adesse, sicut in usu cœnæ ad futurum se promisit.

4. Prætextus quem adferunt, de recolenda & celebranda memoria Christi in Eucharistia, tantum est persvasio pugnans cõtra institutionem. Christus enim in Eucharistia, memoriam sui instituit, non quomodolibet, sed certa ratione celebrandam. Illa verò ratio non est, ut panis circumgestetur, populo proponatur & ostentetur: sed accepit panem, benedixit, fregit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum: hoc facite in mei commemorationem. Et Paulus interpretans hanc commemorationem, disertè dicit: Quotiescunque manducaveritis & biberitis, &c. In festo verò isto, ea quæ Christus instituit & mandavit, distributio scilicet & sumptio prætermittitur: & alius usus, recens ab hominibus institutus, imò à mulierculis profectus supponitur. Et qualiscunque sit prætextus bonæ intentionis, de honoranda Eucharistia, semper cogitandum est. Frustrà me colunt mandatis hominum. Et illustre exemplum est, convenientissimum ad hanc disputationem quod describitur, 1. Regum 4. ubi arca Domini, præter verbum institutum & mãdatum, intentione non mala, & cõsequentia admodum probabili, in castra adducitur, ut subsidiũ sit adversus hostium impetus. Hoc exemplum rectè consideratum, totum prætextum intentionis extra verbum, de Circumgestatione evertit.

5. Celebratio istius festi proponit Christũ in Eucharistia colendum, alia ratione & aliis modis, quàm ipse in verbo suo præscripsit: idq; extra usum divinitùs institutum. Et persvadentur homines, cultum illum ab hominibus excogitatum, multò esse præstantiorem & Deo gratiorem, quàm si Eucharistia distribueretur, acciperetur, manducaretur & biberetur in commemorationem Christi.

6. Per istud festũ abducuntur homines à crebriori & vero usu cœnæ Dominicæ: persvadentur enim, sumptionem cum magno periculo esse conjunctam: cultum verò hujus festi, sine periculo multò magis esse meritorium.

7. Eucharistiã Christus ideo instituit, ut ipse nobis offerat, donet, applicet, & obsignet beneficia & merita mortis suæ. De hoc verò festo, Vrbanus in bulla sua dicit, servari illud in remissionem peccantiũ. Atque illud Pomerius in suis sermonibus ita explicat: Quando homo contritus, in illo festo interest Missæ & processioni, & exhibet solennem reverentiam Sacramento circumgestato: tunc illo cultu & opere meretur & consequitur plurima bona, scilicet acceptationem Dei, benedictionem, conversionem à peccato, defensationem ab omnibus periculis & malis, fructificationem meritorum, & exauditionem: quòd tunc magis exauditur oratio, quando Sacramentum præsens circumgestatur, ut in incendiis. Et citat ex Richardo: Quòd si etjam quis est in peccato mortali, quamvis non consequatur remissionem peccatorum: tamen prudenter agit, si facit in illo festo, quod continetur in forma indulgentiæ: eò quòd bona facta in peccato mortali, disponunt de congruo ad pœnitentiam, & mediante ea, ad remissionem peccatorum.

Pomerius.

8 Pontifices multas, varias & largas indulgentias promittũt & largiuntur illis, qui hoc festo solennem, qualem ipsi describũt, reverentiã exhibent pani Eucharistiæ extra usum. Et Vrbanus quidem certum numerum illarum indulgentiarum præscripsit, in bulla hujus festi. Postea mensura illarum indulgentiarum, per Martinum V. & Eugenium multiplicata & aucta est, ut esset conferta & concussa. Summam verò Pomerius ita colligit: Qui ipso die festo intersunt primis vel secundis vesperis, vel Missæ, vel matutino, pro singulis indulgentias 400. dierũ. Summa igitur diei festi assurgit ad 16000. indulgentias: infra octavam pro singulis 400. dierum in simul. Summa summarum igitur erit, per festum & totam octavam ejus, 44000. dierum indulgentiæ. Qui verò illo die communicant, illis 400. dierum indulgentias largiuntur. Et notet Lector, quòd tantundem indulgentiarum promittitur spectatori, quantum ei qui communicat, 400 scilicet dierum. Si verò tota summa colligatur in quadrupla proportione, veneratio Sacramenti extra usum à Christo præscriptũ, excederet ipsam communionem, hoc est, usum divinitùs institutum. Et Pomerius addit: Eum qui vult indulgentias illas assequi, oportere firmum esse

esse in fide: ut scilicet credat, tantam potestatem esse apud Ecclesiam, quòd possit dare tot & tales indulgentias, hæretici enim qui potestatem indulgentiarum negant, non consequuntur eas. Glossa verò de reliquiis & veneratione Sanctorum, de indulgentiis istis ita inquit: Remissiones illas quibus pauci participant, interpretari velle, nec decet, nec expedit. Hæc igitur sunt, quæ festum corporis Christi in Pontificia Ecclesia complectitur, quæq; controversiam de hoc festo movent. Quòd si illa conferantur ad institutionem cœnæ Dominicæ, videbit Lector, festum illud revera nihil esse aliud, quàm publicam & solennem ipso facto protestationem, contra institutionem filij Dei. Ad illa enim quæ in institutione præscripta & mandata sunt, obscuranda, postponenda & sepelienda: utq; in eorum locum alij & diversi usus, de quibus in institutione nihil vel præscriptum vel mandatum est, substituantur, & populo persvadeantur opinione cultus præstantioris: ideo & institutum olim fuit illud festum, ideo hodie retinetur & celebratur, sicut ex illis quæ notavimus, manifestum est.

DE ASSERVANDO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO, ET ad infirmos deferendo.

CAPVT VI.

Consvetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam seculum etiam Niceni Concilij agnoverit. Porrò deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, & in hunc usum in Ecclesiis conservari, præterquam quòd cum summa æquitate & ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetustissimo catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Quare sancta hæc synodus retinendum omnino salutarem hunc & necessarium morem statuit.

CANON VII.

Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessariò distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorificè deferatur, anathema sit.

EXAMEN.

Consvetudo asservandi.

Status huius loci.

Principalis quæstio hoc loco est: An panis Eucharistiæ, quando recitatione verborum institutionis benedictus, sanctificatus aut consecratus est, statim sit distribuendus, sumendus & manducandus, in commemorationem Christi: an verò post benedictionẽ, omissa distributione, sumptione & manducatione, sit reponendus, includendus, asservandus, circumgestandus, ostentandus, & ad alios usus accommodandus, ita ut post aliquot, vel dies, septimanas, menses vel annos, demum sequatur ejus sumptio & manducatio. Et Tridentinum quidem decretum, sanciens & stabiliens talem asservationem, fatetur eam nec verbo Dei præscriptam, nec traditione vel exemplo Apostolorum in Ecclesiam inductã: sed dicit esse antiquam consvetudinem, & morem vetustissimũ. De consvetudine verò, quantumvis antiqva, præbet nobis ex Patrum sententiis responsionem Gratianus distinct. 8. Cyprianus enim dicit, consvetudinem sine veritate, esse vetustatem erroris. Et Gregorius ex Cypriano: Dominus in Evangelio, Ego sum, inquit, veritas: non dixit, Ego sum consvetudo, quælibet igitur consvetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda: & usus qui veritati est contrarius, abolendus est. Augustinus inquit: Hoc planè verũ est, quia ratio & veritas consvetudini præponenda sunt: sed si consvetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri. Et Cypriani sententia est, ubi de Eucharistia disputat: Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendũ putaverit, sed quid prius qui ante omnes est Christus, prior fecerit: neq; enim hominis consvetudinem sequi oportet, sed Dei veritatẽ. Quia igitur in hac disputatione, de asservatione Eucharistiæ, Tridentini antiquam consvetudinem, & vetustum morem allegant: videndum est ante omnia, an huic consvetudini veritas verbi divini suffragetur: Hoc est, quid Christus qui ante omnes est, prior fecerit. Et res in descriptione institutionis manifestissima est. Accepit enim Iesus panem, & gratias egit, seu benedixit: non autem panem illius post benedictionem asservandum reposuit: sed fregit, & dedit discipulis suis, nec jussit ut benedictum illum panem reponerent, asservarent, circumgestarent, vel aliis ostẽtarent: sed dixit, Accipite manducate: nec inter benedictionem, distributionem, sumptionem & manducationem, interposita fuit mora, seu intervallum aliquot horarum, dierum, hebdomadarum, mensium vel annorum: sed cùm benedixisset, statim distribuit: & quòd discipuli ea quæ exhibebantur, statim sumpserint: nec sumpta ad alium usum accommodârint, sed sicut jussi erant, manducârint & biberint. Marcus in descriptione alterius ostendit, cùm in media descriptione interponit hæc verba: Et biberunt ex eo omnes. Ipsa etjam annotatio temporis ostendit, nullam interpositam fuisse talem moram, quæ asservationi Eucharistiæ consecratæ extra usum aliquid suffragari possit. Intra duas enim vesperas juxta legem, intra solis scilicet occasum & tempus tenebrarum, manducavit Christus pascha: postea distribuit, & peracta illa communi cœna, demum instituit Eucharistiam: & post illam institutionem, habuit prolixam illam concionem in Iohanne descriptam: inde exiit in hortum, oravit ibi in agonia, captus est, & ductus primùm ad Hannam, postea ad Caiphan: in cujus palatio multa acta sunt, priusquã prima negatio Petri fieret: & tunc fuit tempus primi gallicinij. Hæc supputatio evidenter ostendit, non longam moram fuisse in actione primæ cœnæ Dominicæ. Christus autem cùm inquit: Hoc facite: jubet ut quotiescunque fecerimus illud, quod in prima Dominica cœna factum est, sequamur & faciamus. Nec ullum vestigium extat in Apostolica historia, quòd aliud vel diversum fecerint, distrahendo scilicet, & divellendo à benedictione distributionem & sumptionem:

Consvetudo quã Tridentini allegant repugnat scripturæ.

Tridentini asseverationem Sacramenti stabientes nitun

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptionem: nec ullum Apostolicum exemplum asservationis Eucharistiæ proferri potest. Veritas igitur verbi divini, consvetudini asservationis Eucharistiæ nihil quicquam suffragatur. Et si *Cyprianus.* juxta Cypriani sententiam, in actione cœnæ Dominicæ non attendere debemus, quid aliqui ante nos faciendum putaverint, sed quid ille qui ante omnes est, & prior fecerit, & faciendum docuerit, non ad judicium veniat, mandaverit: panem & vinum, verbis cœnæ benedictum non reponemus, includemus, asservabimus, circumgestabimus, ostentui habebimus: sed distribuemus, accipiemus, manducabimus & bibemus, & mortem Domini annunciabimus. Atque ita fidei nostræ obedientia faciet illud quod Christus prior fecit, & faciendum mandavit. Et hanc regulam sequentes, nõ declinabimus, vel ad dextram, vel ad sinistram. Sed tristis & deploranda est humani ingenij sive curiositas, sive petulantia, quòd deserta simplici, manifesta & plana via doctrinæ præscripti & mandati Christi, & exempli Apostolici, privata audacia, prætextu cõsvetudinis, in Testamento filij Dei aliquid audet vel mutare, vel superordinare: omissa scilicet distributione & sumptione, quæ habent mandatum Christi: & horum loco excogitare asservationem, repositionem, inclusionem, circumgestationem, ostentationem, &c. panis benedicti, quæ in verbis Christi, nec ullam quidem vel syllabam, vel literam suffragantem habent.

Obiectio. Sed ajunt, consvetudinem asservandi Eucharistiam esse antiquam, & vetustissimo catholicæ Ecclesiæ more observatam: ita ut asservatio quæ in Pontificia Ecclesia usitata est, reprehẽdi & damnari non possit, nisi simul etjã universa Christi Ecclesia damnetur. Synodus igitur Tridentina statuit, morem illũ, ut salutarem & necessarium *Responsio.* omninò retinendum. Respondeo autem, non ideo statim omnes veteres Ecclesias damnari, quando Pontificia repositio, inclusio, ostentatio, circumgestatio, &c. taxatur. Primò enim dici- *Cyprianus.* mus, quod Cyprianus lib. 2. epist. 3. dicit: Si quis de antecessoribus vel ignoranter vel simpliciter non hoc observavit, quod nos Dominus facere, exemplo & magisterio suo docuit, potest simplicitate ejus de indulgentia Domini venia concedi: nobis verò nõ poterit ignosci, qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus, ut ubique lex Evangelica, & traditio Dominica servetur, & ab eo quod Christus & docuit & fecit, non recedatur. Et addit sententiam illam, quæ distin. 8. citatur: Ignosci potest simpliciter erranti: post inspirationem verò & revelationem veritatis factam, qui in eo quo erraverat perseverat prudens & sciens, jam non in venia ignorantiæ peccat: præsumptione enim atq; obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur.

Secundò considerabimus & expendemus: An testimonia antiquitatis, quæ de vetusto illo more & antiqua consvetudine allegantur, probent morem asservandi Sacramentũ Eucharistiæ necessarium esse, sicut Tridentinum decretum statuit: item, an testimonia illa antiquitatis, probent & stabiliant repositionem, inclusionem, ostentationem & circumgestationem panis consecrati, sicut in Pontificia Ecclesia illa servantur & usurpantur. Sed priusquam ad ipsam exemplorum explicationem accedamus, paucis expediemus: An mos reservationis dici possit aut debeat necessarius & catholicus, sicut Tridentinum decretum affirmat.

Quicquid igitur in Ecclesia Christi necessarium esse statuitur, necesse est ut habeat præscriptum & mandatum verbi Dei, & Scripturæ exempla. Suprà autem ostendimus, Christum nec magisterio, nec exemplo suo (ut Cypriani verbis utar) asservationem Eucharistiæ vel præscripsisse vel mandasse. Nullã igitur alia exempla possunt cõscientiis necessitatem imponere, servandi hunc morem. Et tyrannus est, tentans dominari fidei Ecclesiæ, & pugnans cum libertate Christiana, statuere, morem asservandi Eucharistiam necessarium esse: cùm ejus nec præscriptum, nec mandatum, nec exemplum ullum in verbo Dei ostendi possit. Catholicum autem es- *Catholicum quid secundum Vincentium Lirinensem.* se, Vincentius Lirinensis rectè definit, quod semper, quod ubique & ab omnibus similiter observatum fuit. Ad illud igitur quod affirmatur universæ Ecclesiæ Christi catholicum, atq; ideo necessarium esse omnino requiritur vel verbũ, vel exemplum Christi & Apostolorum. Neque enim caput à membris, hoc est, Christum ab Ecclesia: & principalia membra, hoc est, Apostolos cum sua doctrina & exemplis: à reliquo corpore Ecclesiæ resecare debemus, quando de catholica seu universa Christi Ecclesia loquimur. Sed illud verè est universæ Ecclesiæ catholicũ, quod à capite Christi præscriptum seu mandatum, & ab Apostolis observatum esse, ostendi & probari potest. Quando verò hoc fundamentum deest, ne totius quidem orbis consensus sufficit ad probandum τὸ καθολικὸν Ecclesiæ Christi. Christi autem institutionem, nec magisterio nec exemplo, juxta Cyprianum, præscribere vel mandare asservationem Eucharistiæ, extra usum distributionis & sumptionis, manifestissimum est, sicut ostendimus. Nec ullum Apostolorum exemplum ostendi potest: neque enim satis est, si absq; probatione & documentis, fingatur esse Apostolica traditio. Falsum igitur est, asservationem Eucharistiæ extra distributionem & sumptionem, esse universæ Ecclesiæ morem catholicum, & quidem ut necessarium retinendum. Illud enim quod in eo quod catholicũ & necessarium esse debet, caput est, in hoc more desideratur. Atq; ideo forsan Tridentinum decretum non voluit vocare catholicum morem, sed Ecclesiæ catholicæ morem. Atqui symbolum, catholicam Ecclesiam definit esse eam, quæ est Apostolica, cui Christus hoc emblema inscripsit: Docentes eos servare ea quæ ego præcepi vobis, Matth. 28. Item: Oves meæ meam vocem audiunt, Ioh. 10. Sed excipient, se intelligere morẽ & consvetudinem universæ Ecclesiæ, post Apostolorum tempora. Videamus igitur & hoc: An asservatio Eucharistiæ semper, an ubiq;, an ab omnibus, in universa Ecclesia, omnium ætatũ, omnium gentium & populorũ, pro dogmate catholico & necessario, recepta, approbata & observata fuerit. Ipsum autem Ius Canonicum, de Consec. dist. 2. *Ius Canonicum.* cap. Tribus gradibus, ex Clemẽte Romano Pontifice describit sententiã, quomodo presbyter, diaconus & minister, reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debeant: non autem per custodiam illam, intelligit recusationem, sed addit apertam declarationem his verbis: Tanta in altario certè holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quod si remanserint, non reserventur in crastinum, sed cum timore & tremore, clericorum diligentia consumãtur. Ne verò de oblationibus populi hoc intelligatur, mox addit: Clericos illos residua corporis Domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumere. Et glossa quidem conatur hoc eludere, quasi tantum prohibeatur ibi reservatio ad opus consecrantium: sed textus disertè loquitur de communione populi. Extat liber, continens explicationem Levitici: quem quidam Origeni, alii Cyrillo ascribunt: Ibi in explicatione 7. cap. de carnibus sacrificii eodem die comedendis, ita ut non remaneat ex eis quicquam usque mane, legitur descriptio moris Ecclesiastici, ex verbis institutionis cœnæ sumpta. Nam & Dominus panem quem discipulis dabat, dicebat eis: Accipite, manducate: non distulit, nec servare jussit in crastinum.

Hesychius. Hesychius Nazianzeni discipulus, explicans illud Levitici 8. Quicquid reliquũ fuerit de carne & panibus, ignis absumet: indicat sui seculi morem fuisse, ut si quid omnibus communitatis reliquum esset, incenderetur & cremaretur.

Nicephorus. Nicephorus lib. 17. cap. 25. describens historiã de Iudæi cujusdam vitrarij puero, temporibus Iustiniani, circa annum Domini 250. narrat à multo tempore consvetudinem fuisse in Constantinopolitana Ecclesia, ut cùm post communionem plusculum de partibus immaculati divinique corporis reliquum esset, nõ reservaretur, sed ex ludo literario dilecti quidam pueri accerserentur, qui reliquias illas ederent. Hæc consvetudo ex Clemente intelligi potest, qui dicit, reliquias illas eodem die esse consumendas à clericis: quando verò plusculũ supererat reliquiarum, quibus consumendis clerici non sufficiebant, adhibebantur in Constantinopolitana etjã Scholastici. Illius consvetudinis non multò post inclinatio quædam facta est. Conciliũ enim Matisconense II. dicit, reliquias quæ post peractam communionem superarent. 4. vel. 6. feria à pueris illis percipiendas esse. Postea verò per integrũ fermè annum asservari cœperunt. Apud Græcos nõ vetustissimos est liturgia προηγιασμένων, id est, præsanctificatorum, in quadragesima enim reliquis quinque diebus, excepto sabbatho & Dominico, non fit consecratio, sed sola ex præsanctificatis distributio & sumptio: hoc est, ex illis quæ Dominico die consecrata sunt. *Humbertus Episcopus.* Sed Humbertus Episcopus Sylvæ candidæ, contra libellum Nicetæ monachi, citante Georgio Cassandro, illum Græcorum ritum graviter reprehendit ex verbis institutionis, & inter cætera inquit: Legimus Dominum non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse, pane benedicto & mox fracto atq; distributo. Non enim benedixit tantùm, & reservavit frangendum in crastinum: nec fregit tantùm, & reposuit: sed fractum statim distribuit. Vnde Alexander martyr, & Papa V. ab Apostolo Petro, passionem Domini inferens Canoni Missæ, ait: Hoc quotiescunque feceritis, id est, benedixeritis, fregeritis & distribueritis, in mei memoriã facietis. Quia quodlibet horum trium sine reliquis fiat, scilicet aut benedictio sine fractione & distributione, aut fractio sine benedictione & distributione, perfectam memoriam Christi non repræsentat: sicut distributio nulla sine benedictione & fractione. Hæc Humbertus ille. Gabriel Biel in Canonem Lectu. 26. allegans Paschasii sententiã, inquit: Christus volens discipulos suos fructus hujus Sacramenti participes fieri, postquam corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione: neque dedit discipulis, ut ipsum honorificè conservarent, sed dedit in sui usum, dicens: Accipite, manducate. Et quia per usum manducatio transit & consumitur, dedit eis quoties vellent consecrandi potestatem, dum addit: Hoc facite in mei commemorationem. Asservatio igitur Eucharistiæ consecratę, sine distributione & sumptione, nec semper, nec ubique, nec ab omnibus, pro catholico dogmate & necessario more recepta, approbata & observata fuit: imò fuerunt, qui morem illũ non tantùm non servârunt, sed ex verbis institutionis graviter reprehenderunt. Atq; ita tria jam ostendimus. 1. Christum, nec magisterio, nec exemplo docuisse asservationem: imò illam nõ esse consentaneam verbis institutionis Christi. 2. Nec ostendi potest Apostolorum vel traditio, vel exemplum de reservatione. 3. Nec in veteri Ecclesia ubiq; & ab omnibus reservatio vel probata, vel usurpata fuit: imò non defuerunt, qui morem reservationis reprehenderunt: idq; ex verbo Dei. Et hæc cùm ita se habeãt, verè Pontificia audacia, & Antichristi tyrannis est, quod VI. cap. de reservatione sancit: Synodus salutarem & necessarium hunc morem retinendum omninò statuit. Imponere enim conscientiis necessitatem sine testimonio verbi Dei, sine exemplo Apostolorum & sine universali antiquitatis cõsensu, nemo tentat, nisi ille qui in templo Dei sedens, ostentat se quasi esset Deus, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, 2. Thessal. 2. Manifestũ verò est & hoc, ex illis quæ hactenus demonstrata sunt, nostras Ecclesias injustè accusari & damnari, propter nõ observatã reservationẽ Eucharistiæ. Sed habent tamen etjam Pontificij exẽpla quædã veteris Ecclesiæ, de reservata Eucharistia. De illis igitur ordine quodam & distinctè respondebimus. Et primò operæ preciũ est audire, ex quàm certis, firmis, & authenticis testimoniis, Tridentini νομοθέται cõsvetudinem asservandi Eucharistiam, probent. Dicunt enim, adeo illam esse antiquam, ut eam seculum etjam Niceni Concilij agnoverit. Et magna quidem est Nicenæ synodi autoritas, propterea quod cõtroversias de fide, juxta normam & regulã Scripturæ dijudicavit & definivit. Sed fuit circiter annũ Domini trecentesimum. Seculũ igitur Nicenæ synodi, non est vetustissimum tempus Ecclesiæ Christi. Sed auscultemus, quo testimonio ex Nicena synodo reservationem probent. Citant ex Canone quodam concilii Niceni, de Diaconis, ut communionem accipiant ab Episcopo vel presbytero. Quòd si non fuerit in præsenti vel Episcopus

Probatio reservationis Sacramenti ex Concilio Niceno.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scopus vel presbyter, tunc ipsi diaconi proferãt, & edant. Idem verò Canon dicit, diaconos non habere potestatẽ offerendi sacrificij. Ergo oportuit Eucharistiam antea fuisse vel ab Episcopo, vel presbytero consecratam & reservatam, ut in ipsorũ absentia posset à diacono proferri & edi. Hoc est testimonium illud quod ex seculo Niceni proferunt. Et patres quidem Niceni Concilii, præter expositionem fidei, etjam Canones quosdam condidisse, non est dubium. Sed qui & quot illi Canones sint, valdæ ambiguæ sunt opiniones. Gratianus dist. 16. numerat 70. Canones: ex quibus tantùm 20. postea in Romana Ecclesia relicti sunt. Concilio Lateranensi additũ est opusculum tripartitum. In ejus parte 3. cap. 10. dicitur: Concilia antigua, & etjam posteriora, vix inveniuntur. Et addit: Mirandum est, quòd hoc ita neglexerit Ecclesia Romana. Ita magna est incertitudo Canonum, qui titulum Niceni Concilii præferunt.

De isto verò Canone, ex quo reservationem probare conantur, res non tantùm dubia, sed omninò suspecta est. Posterior enim sententia, alludens ad reservationem, ut scilicet ipsi diaconi proferant & edant: in Canone illo nec Græcè legitur, nec in decretis, dist. 93. cap. pervenit. nec in priori editione Conciliorum. Sed secunda editio, sicut ex Canone 14. facit 18. ita etjam assuit sententiam illã, de qua nunc disputamus. Apud Ruffinum lib. 1. cap. 6. legitur in illo Canone talis quædam additio: sed non eo modo, sicut in Tomis Conciliorum, Nihil enim habet de proferendo, quasi reseruatum fuerit, sed simpliciter dicit: Diaconi præsentibus presbyteris Eucharistiam non dividant: si verò presbyter nullus sit in præsenti, tunc demum etjam ipsis licere dividere. Cùm igitur de sententia illa Niceni canonis alludente ad reservationem, res ita se habeat: & in VI. Carthaginensi synodo convicti fuerint Romani de falsatis Nicenis canonibus: manifestum est, qualis sit probatio capituli Tridentini, quòd ex assultitia & dubia illa additione Canonis Niceni, conatur defendere & stabilire Põtificiam repositionem, circumgestationem, & ostentationem: cùm etiam assumentum illud non loquatur de circumgestatione & ostentatione ad cultum & adorationem, sed inquit: Proferant & edant, seu distribuant. Si igitur seriò hoc agerent Tridentini, ut conscientiis, in articulis hoc tempore controversis, monstrarent certa, firma & solida fundamenta, profectò fundamentũ reservationis, non colloçarent in dubia illa Niceni canonis sententia. Sed quia nomine sui Pontificis, ad se etjam referunt istas Canonistarum sententias, quòd Papa habeat voluntatem pro ratione in his, quæ vult: item, quòd supra jus & extra jus omnia possit. Ideo pro forma tantùm aliquid dicunt, quasecũq; sit: & mox addunt suum illud Omnino statuimus necessariũ: aut, Anathema sit.

Secundò. Habent verò ex historia antiquitatis alia quædam certiora testimonia, ex quibus existimant se reservationem suam posse probare. Et illa non possunt rectius explicari, quàm si in memoriam revocetur, quòd cum Pontificiis certamen nobis est, de ipsorum repositione panis consecrati, inclusione, circumgestatione, & ostentatione ad cultum & adorationem, extra distributionem & sumptionem: cum tali Pontificia reseruatione, dico nihil commune habere antiquitatis testimonia: idq; ex collatione exemplorum antiquitatis, cum Pontificia reservatione, liquidò monstrari & ostendi potest. Apud Iustinum diaconi panem & vinum, quæ cum gratiarum actione sacrata sunt, dant unicuiq; eorũ qui adsunt participanda: & eadem dantur diaconis, perferenda ad eos qui absunt. Audis Eucharistiam dari diaconis, non ut eam reponant, includãt, & reservent per aliquot vel dies vel menses, extra distributionem & sumptionem: sed ex cœtu Ecclesiastico perferũt eam ad illos qui absunt, ut communicent. Ita servatur ibi tota actio divinitùs instituta, benedictio scilicet, distributio & sumptio. Sed inquis: Si Iustini seculo Eucharistia per diaconos, ad eos, qui aberant, perferebatur. ergo circumgestatio & ostentatio Pontificia inde probatur. Ego verò hoc nego. Pontificia enim circumgestatio, non habet adjunctam in illo actu, distributionem & sumptionem: nec circumgestatur ideo, ut distribuatur & sumatur sed ut ostẽtetur, spectetur, atq; ita peculiaris cultus, externa adoratione instituatur: quod totũ veræ antiquitati prorsus ignotum est. Irenæus *Irenæus.* apud Eusebium lib. 5. cap 24. in Epistola ad Victorem narrat, omnes Episcopos Romanos ante Victorem cum Asiaticis etjamsi in observatione Paschatis dissentirent, tamen pacem coluisse. Et quia communio mensæ Dominicæ, testimoniũ est consensus, concordiæ & unitatis in doctrina & fide, sicut Paulus inquit: unum corpus multi sumus, quia omnes de uno pane cõmunicamus: narrat igitur Irenæus, consvetudinẽ fuisse, quòd episcopis seu presbyteris, sive ex Asiaticis, sive ex aliis Ecclesiis Romam venientibus, Romani episcopi solíti fuerint Eucharistiam transmittere, testificandæ concordiæ & pacis gratia. Hoc exemplum ut Pontificij facilius ad suam reservationem & circumgestationem torquere possint, abutuntur Ruffini versione, quæ habet, solennitèr transmissam fuisse Eucharistiam. Et dignum est observatione Andradii artificium, qui ex hac historia fingit: Eucharistiam olim per maxima locorum intervalla circumgestatã fuisse, ex Roma scilicet in Asiam usq;. Sed Eusebius recitans *Eusebius.* Irenæi verba, simpliciter habet ἐπέμπετο mittebant, & expresè dicit, hospites illos ex Asia Romam venisse. Non igitur per aliquot dies, menses vel annos repositia & reservata tunc fuit Eucharistia, ut ex Europa in Asiam circumgestaretur usq;: ut hospitibus peregrè adventantibus, cum campanis, luminaribus, & reliqua Pontificiis usitata pompa transmitteretur: sed quia plerunq; quotidiana tunc in Ecclesiis celebrabatur communio: sicut ex historiis antiquitatis notissimum est, non aliter apud Irenæum quàm apud Iustinum, peracta cõmunione præsentium, missa & delata fuit Eucharistia ex conventu Ecclesiastico ad absentes, ut ab illis participaretur. Quod enim pro peregrinis Eucharistia non fuerit vel asservata vel reposita, sed adventantibus peregrinis, illo die quando cõmunicaturi erant, celebrata: Ambrosius manifestissimè indicat, scribens

scribens in 2, capit. 2. ad Timoth. Omni, inquit, hebdomada offerendum est, etjamsi non quotidie peregrinis, incolis, tamen vel bis in hebdomada. Exempla igitur de peregrina communione, quam ita vocant, nec probant nec stabiliunt Pontificiam repositionem, & theatricã circumgestationem panis Eucharistici, extra distributionem & sumptionem. Antiquitas enim peregrinos fideles, quorum perspecta erat fides, testandæ conjunctionis gratia, ad communionem Eucharistiæ admisit, communicans ipsis Eucharistiã, vel in ipso cœtu Ecclesiastico, vel missã ad ipsos Eucharistia ex cœtu Ecclesiastico. Irenæus *Aliud exemplum Irenæi.* in Epistola illa, aliud etjam exemplum commemorat: Anicetum scilicet & Polycarpum invicem communicasse, licet de festo Paschatis dissentirent: & Anicetum Romæ concessisse Polycarpo Eucharistiam, reverentiæ causã, quod non ita simpliciter intelligendum est, quasi Anicetus Polycarpo præbuerit aut porrexerit Eucharistiam: sed quòd concesserit Polycarpo, ut in Romana Ecclesia celebraret & administraret Eucharistiam. Irenæus enim his verbis utitur: παρεχώρησε τῷ Πολυκάρπῳ τὴν εὐχαριστίαν. In hisce exemplis omnib. servatur adhuc usus sive actio, à Christo instituta. Eucharistia enim benedicta, statim ex cœtu Ecclesiastico defertur, nõ ad circumgestationem, ostentationem & adorationẽ extra usum, sed ad distributionem & sumptionem. Et delata fuit in veteri Ecclesia, non cum tali theatrica Pompa, sicut in Papatu fit. Data enim fuit deferenda pueris, apud Dionysium A- *Hieronymus.* lexandrinum: mulierculis, apud Cyprianum in cistulis: Satyro in orario. Et Hieronymus laudat Exuperium Tolosanum Episcopum, quòd thesauris Ecclesiæ in pauperes erogatis, corpus Domini in canistro vimineo, & sangvinem portarit in vitro. Portavit autem non ad circumgestationem, nec ad ostentationem: sed vel in Ecclesiastico cœtu ad communionem circumtulit Eucharistiam (sicut Cypriani seculo fiebat) vel peracta communione, portavit Eucharistiam ad distributionem & sumptionem pro absentibus, juxta Iustini ritum.

Chrysostom. Sed ex Chrysostomi prima Epistola ad Innocentium, sperant se & repositionem Eucharistiæ, & domũculas seu ædiculas suas Sacramentarias probare posse Põtificij. Sed & hoc frustrà. Chrysostomus enim dicit, milites ingressos in sacrarium. Ergo non talis repositoria ædicula fuit sacrarium veterum, sed locus ille in quo celebrabatur consecratio non administratio Eucharistiæ, ita vocabatur. Sed inquiunt, historiam illã Chrysostomi narrare, milites ad vesperam diei ingressos fuisse sacrarium, & in illo tumultu sangvinem Christi in militum vestes effusum. Non autem fuit tunc cõmunionis tempus, erat enim vespera diei: & tamen fuit in sacrario sangvis Christi. Ergo necesse est, repositam & reservatam fuisse Eucharistiã, extra usum seu actionem di- *Falsum testimonium ex Chrysostom.* stributionis & sumptionis. Respondeo. Conclusio hæc nullo modo est necessaria, sed falsò huic Chrysostomi historiæ affingitur: sicut circumstantiæ liquidò ostendunt. Chrysostomus enim narrat, fuisse in magno sabbatho illud tempus, cum mulieres ut baptizarẽtur, jam se exuerant.

Visitatum autem fuit in tota antiquitate, quando adulti baptizabãtur, quòd statim à Baptismo ducebantur ad synaxin, ut mysteriis Eucharistiæ communicarent. Atq; ideo Chrysostomus narrat, se cum omni clero in sacrario tunc adfuisse: ut scilicet baptizatis administrarent Eucharistiam. Nec obstat quod historia dicit, fuisse vesperam diei, quasi ideo tunc non fuerit tempus cõmunionis. Post administratum enim Baptismum, antiquitùs sequebatur administratio Eucharistiæ. Et Missas solitas celebrari, non tantùm ante meridiem, sed & circa nonam horam, aliquando etjam ad vesperam, præcipuè verò in sabbathis Paschæ & Pentecostes, Cassander probat multis veterum testimoniis. Ergo ex illa etjã Chrysostomi Historia, non probatur Pontificia inclusio, circumgestatio & ostentatio. Milites enim ingressi sacrarium, viderunt mysteria. Ergo non fuerunt recluſa: & seruata fuit actio illa, quam filius Dei institutione præscripsit. Dum enim mulieres baptizabantur, Episcopus cum suo clero interim præparat Eucharistiam: ut baptizatis, sicut tunc usitatũ erat, distribueretur, & ab illis sumeretur.

Ad hanc explicationem exemplorum veteris Ecclesiæ, conferatur antithesis Pontificiæ assservationis: & manifestum erit, res esse diversissimas. 1. Pontificij propter reservationem, Eucharistiam mutilant altera specie. Et quidem ex veterum exemplis de reservatione, volunt probare, cõmunionem unius tantùm speciei usitatam fuisse in veteri Ecclesia: quia vini specié censent, reservari non posse sine periculo. Sed hoc falsum esse, Exuperij & Chrysostomi historia manifestè ostendit. 2. Pontificij panem consecratum reponunt, includunt, & per aliquot dies, septimanas & menses asservant, & ibi ad peculiarem cultum proponunt: quod veteres nõ factitasse, ipsa exempla ostendunt. 3. Apud Pontificios panem circumgestatũ, tandem ille qui consecrârat, non aliis distribuit, sed ipse sumit: cujus exemplum in vera antiquitate ostendi non potest. 4. Apud Pontificios panis circumgesta- *Finis circumgestationis Sacra.* tur, non ad distributionem & sumptionem, sed ut ostentetur, & proponatur ad adorationem, extra usum à Christo institutum, defertur & ostentatur ad incendia, & alia mala averruncanda, sine distributione & sumptione. De pompa Pontificia, seu potius de Perfico Orismasda, quãdo panis equo ante Pontificem circumgestãdus imponitur, suprà diximus. Hæc sunt, de quibus Pontificij dimicant: cum quibus antiquitatis exempla, planè nihil commune habent. Et ad responsionem sufficit, ex antithesi monstrasse diversitatem, inter repositionem, circumgestationem, ostentationemq; Pontificiam, & inter antiquitatis exempla.

Tertiò. Sed tamen negari non potest, ad com- *Obiectio.* munionem infirmorum, alicubi & à quibusdã reservatam fuisse Eucharistiam: sicut exemplũ Serapionis, apud Eusebium lib. 6. cap. 14. ostendit. Respondeo: Etjam illa reservatio nõ est uni- *Responsio.* versalis seu perpetua, antea enim ostendimus, aliquando alicubi & à multis talem reservationem non fuisse vel observatam, vel usurpatem: sicut etjam ea non fuit opus, cùm quotidiè illis

Universidad de Deusto
Biblioteca

temporibus celebraretur communio, hora diei 3. 9. ad vesperam, & noctu etiam postulante necessitate: sicut Cassander ex veteribus probat. Et quando diversæ allegantur consvetudines, semper considerandum est, quid simplicius, rectius & propius accedat ad institutionem divinam, eiq; magis consentaneum sit: & quid pro ratione circumstantiarum, magis serviat ad ædificationem. Hanc enim normam seu regulam, Ecclesia in hac ipsa materia de reservatione Eucharistiæ, secuta est. Vetustissima enim, & latissimè patens fuit consvetudo domesticæ seu privatæ communionis: quando scilicet in cœtu Ecclesiastico celebrabatur communio, tunc divisio pane Eucharistiæ pars ejus vel in manus dabatur communicantibus: vel (sicut Clemens Alexandrinus inquit) permittebatur unicuiq; ex populo, partem ejus sumere, quam vel in Ecclesia manducabant, vel domum secum asportabant, asservantes illam vel in illa cistula (ut apud Augustinum, sermone 252. de tempore) & eam domi vel ante cibum, vel in periculis, vel inchoaturi aliquid sumebant. Atq; ita (sicut Ruardus Tapperus, decanus Lovanienſis, ex sermone Cypriani de lapsis colligit) in Ecclesia calix Domini præsentibus offerebatur, ex quo communicantes bibebant: panis verò Dominicus, in manus communicantium dabatur, ut vel statim sumerent, vel secum portarent domum, ibiq; sumerent: ut per temporum intervalla, prius biberent ex calice in Ecclesia, corpus verò Domini, postea domi manducarent. Ita Ruardus.

Ruardus Tapperus.

Gorgonia verò Nazianzeni soror, utrumq; & corporis & sanguinis Domini antitypon, secum domum asportavit ex cœtu Ecclesiæ. Huius consvetudinis de privata reservatione Eucharistiæ, testes sunt Tertullianus lib. 2. ad uxorem. Cyprianus sermone 5. de lapsis. Ambrosius de obitu fratris Satyri. Hieronymus in Apologia pro libris adversus Iovinianū. Basilius ad Cæsarem Patriciam scribit, Eremitas quibus in deserto sacerdotis copia non erat, Eucharistiā ex Ecclesiæ conventu, in eremum solitos secum deferre, & domi servare, ut à seipsis cùm opus fuerit, communicentur: & addit, in Alexandria & Aegypto, illud à populo etiam ut plurimum fieri. Notum etiam est, quantum ex veteribus quidam, privatam hanc reservationem commendârint: ut Nazianzenus in Epitaphio sororis suæ, Ambrosius de obitu fratris Satyri. Et profectò si antiquitas consvetudinis latè patentis & diu propagatæ, posset vel necessitati imponere, vel veritati præscribere: nulla ratione debuisset privata illa reservatio vel mutari, vel abrogari. Sed postea mutata, abrogata, & severè prohibita fuit cōsvetudo illa quantumvis antiqua. Concilium Toletanum primum, cap. 14. inquit: Si quis acceptā à sacerdote Eucharistiam non sumpserit, veluti sacrilegus propellatur. Cæsar Augustanum cap. 3. inquit: Eucharistiæ gratiā, si quis probatur non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum. Causas verò abrogationis, sine dubio habuerunt. 1. Quòd talis asservatio non est à Christo vel instituta, vel mandata. 2. Verbis institutionis non satis est consentanea illa divisio manducationis & bibitionis in cœna Dominica: ut scilicet prius bibatur de calice, & post aliquot temporum intervalla, demum manducetur panis diu antè acceptus. 3. Privata illa reservatio, multos peperit abusus, & varias superstitiones: & propterea sub denunciatione perpetui anathematis prohibita, & res ad præscriptum institutionis Christi revocata fuit. 4. Cùm causæ propter quas privata illa reservatio cœperat, defiissent, liberè mutata fuit. Causa autem potissima videtur hæc fuisse, quòd tempore persecutionis non potuerunt quoties vellent, ad celebrandam cœnam Dominicam convenire. Cùm igitur nec vbique nec semper copiam communionis habere possent: ne tamen incidentes periculo aliquo, penitùs privarentur communione, particulas quasdam in cœtu Ecclesiastico acceptas, domi reservârunt. Sed postea judicatum fuit, rectissimum esse, præscriptum institutionis Christi servare & sequi.

Tertullianus Cyprianus.

Ambrosius.

Consvetudo etiam antiquissima non imponit obſervationis necessitatē.

Hæc ideo recitavi, vt planum fieret, Ecclesiam semper judicasse, etiam in hac ipsa materia, consvetudinem quantumvis antiquam non imponere observationis necessitatem: nec veritati ita præscribere, ut habita ratione, quid vel ædificet vel destruat, non liceat potius præscriptum institutionis Christi, quàm consvetudinem sequi. Et hęc commonefactio monstrabit, quid judicandum sit de exemplis reservatæ à Sacerdotibus Eucharistiæ, pro cōmunione infirmorum. Et quidem ex cœtu Ecclesiastico, peracta præsentium communione, delatam fuisse Eucharistiam ad eos, qui vel propter infirmitatem, vel propter alias graves causas aberant, Iustini descriptio ostendit: & idem docet Exuperii exemplum. De reservata verò Eucharistia, si ea opus esset ad cōmunionem infirmorum, unicum illud Serapionis exemplū, in vera & veteri antiquitate (quod ego sciam, & viderim allegari) extat. Nostem enim fuisse quando presbyter in ædibus suis infirmus decumbens, puero Eucharistiam ad Serapionem deferendam tradidit, historia narrat apud Eusebium, lib. 6. cap. 34. Exemplum igitur hujus reservationis, in vera antiquitate (de recentioribus enim jam non loquimur) vnū hoc est: & quidem illud non vetustissimum: factum enim est tempore Novatiani schismatis. Et quia Dionysius Alexandrinus, in epistola illa fatetur à se hoc præceptum fuisse presbyteris: non igitur est vel Apostolica traditio, vel universalis & antiquissima consvetudo: autor enim ejus, & tempus nominantur. Cumq; privata reservatio, de qua diximus, sit & antiquior, & plura habeat antiquitatis exempla ut quæ latius usurpata fuerit: & tamen non judicata fuerit necessaria, sed liberè sit mutata & abrogata: qua igitur autoritate, Tridentini alteram reservationem, de qua nunc agimus, quæ nec tàm antiqua est, nec tot exempla veræ antiquitatis habet, decernunt esse morem necessarium, qui omninò retinendus sit? Non damnamus veteres illos, qui morem hunc observârunt: habuerūt enim graves, pro ratione illorum temporum, causas. Et illa cōsideratio monstrabit dijudicationem. Nō enim morem illū introduxerunt & servârunt, tanquam necessarium, quasi aliter fieri non liceret:

Novatiani.

ret: sed ratio temporum illorum, præbuit ipsis occasionem ad hunc morem. Novatiani enim contendebant, lapsos, & præcipuè in persecutione, non esse rursus recipiendos, & ad cōmunionem Ecclesiæ admittendos, etiamsi pœnitentiā agerent. Ecclesia verò pœnitentibus non negabat reconciliationem & communionem: sed tamen ut in lapsis statueretur exemplum, deterrens reliquos à simili peccato: utq; exploraretur, an vera esset pœnitentia disciplina severiori usi sunt. Non enim statim ad communionem admiserunt pœnitentes: sed prius per certū temporis intervallum, certa disciplina probabatur ipsorum pœnitentia. Ne tamen quisquam pœnitentiam tempore illo Canonico nondum expleto, sine reconciliatione & communione decederet, statutum fuit, ut in periculo mortis, privata absolutione & communione reconciliarentur, & in communionem Ecclesiæ reciperentur, utq; receptio illa & communio, licet fieret privatim, non coram tota Ecclesia, tamen testimonium esset publicæ receptionis, & admissionis ad communionem totius veræ Ecclesiæ. De illo ipso pane, qui in cœtu Ecclesiæ benedictus erat, ex quo reliqui credentes participarant, particulā dandam esse censuerunt: ut eò minus dubitarent lapsi, se recipi in communionem mystici corporis Christi. Vnus enim panis, unum corpus multi sumus, quia omnes ex uno pane participamus, 1. Corinth. 10. Cumq; (sicut Cyprianus quæritur lib. 3. epist. 14.) sacerdotes quidam lapsos, privatim sine Episcopi & Ecclesiæ consensu absolverent & communicarent: magis placuit hic mos, ut ad communionem pœnitentium, in periculo mortis usurparentur particulæ illæ, ex quibus anteà Ecclesia in cœtu communicarat, ut ita infirmus, licet in loco privato, à solo presbytero tamen quasi publicè, communi testimonio, à tota Ecclesia ad communionem recipi judicaretur. Item, cùm hæreses & schismata variè turbarent Ecclesiam, ita ut peculiares suos cœtus cogerēt, ubi communionem suam celebrabant hæretici: sicut ostendit historia Tripartita, lib. 3. cap. 11. ne igitur infirmi, hæretica communione maculārentur, utq; morituri disiungerent se ab omnibus hæreticis, & testarentur se esse & perseverare velle in cōmunione veræ Ecclesiæ: placuit, ex illo ipso pane & vino, cujus partem Ecclesia in publico cœtu sumpserat, cōmunionem præbere ægrotantibus, utq; illis diebus & horis, quando publicè in Ecclesia non celebrabatur ministerium Eucharistiæ, succurri posset illis, qui in periculo mortis versārentur, aliquid reservari placuit, ab uno die publicæ celebrationis Eucharistiæ, usque ad proximè sequentem. Celebrabatur autem publica Synaxis, vel singulis diebus, vel die Dominica, feria 4. & 6. fuit autem talis illa reservatio, simpliciter sine aliqua superstitione, & sine peculiari cultu extra usum. Et memorabile est, quòd Innocentius de divinis officiis, citante Cassandro dicit, Sacerdotem solitum Dominicum corpus consecratum in tres partes dividere: quarum unam calici immittat, aliam diaconus communicet, tertiam ad viaticum si opus fuerit, in patina usque ad finem Missæ reservet, si autem opus non fuerit, eam sacerdos, aut unus ministrorum in communionem accipiat. Observet Lector, quando nulli fuerint ægroti communicandi, nihil fuisse reservatum vel repositū. Hæc, quantum ex historiis illorum temporum colligere possum, fuit causa & ratio reservationis illius, cujus mentio fit in historia Serapionis. Et tamen mos ille nec ante ea tempora, nec illis ipsis temporibus, nec post illa tempora, ubiq; & ab omnibus observatus fuit, sicut suprà contrariis testimoniis veterum ostendimus. Causæ enim hujus reservationis, quas habuisse ipsos diximus, ut non sunt prorsus damnandæ, ita non sunt necessariæ, nec necessariq; judicatæ fuerunt illis ipsis temporibus. Nam & alia ratione potest per communionem institutioni Christi satis fieri & morituris succurri. Omnes enim credentes, in diversissimis locis totius mundi, sunt unū corpus, & de uno pane participant. 1. Corinth. 10. non quòd una quædam triticea massa extensa sit per omnia mundi loca: sed quia idem Christi corpus in pane, in omnibus locis, ubi institutio celebratur, accipitur. Posteris verò tēporibus, facta doctrinæ & rituū inclinatione, cùm causas & rationes illas amplius non haberent, tanquam peculiaris cultus, & necessariū quiddam, retenta & habita fuit talis reservatio. Et utilè est, cōsiderare antithesin. I. Causas quas veteres habuisse diximus, Pontificij in sua reservatione pro infirmis, nō habent. II. Exemplum Serapionis loquitur de communione in periculo mortis: Pontificii omnes infirmos ex reservatis communicant. III. Veterum reservatio, tantùm fuit pro illis diebus & horis, quando publicè in Ecclesia nō celebrabatur Eucharistia: Pontificii verò cùm quotidiè Missas celebrēt, tamen pro infirmis ex Paschali, vel alia solenni communione, per totum fermè annum particulas reservant. IIII. Veterum reservatio simpliciter sine superstitione, & sine peculiari cultu extra usum, usurpata fuit. Presbyter enim apud Eusebium decumbens, apud se domi, habet Eucharistiam, dat illam puero deferendam ad infirmū, Apud Pontificios verò Innocentius III. prius mandavit, ut Eucharistia in Ecclesia, sub custodia, clavibus & seris adhibitis, coservetur. Mox posteà Honorius III. statuit, ut quando reservata Eucharistia defertur ad infirmū, plebs se reverenter inclinet: voluit etiam luminaria semper præferri. Sequentes Pontifices certum numerum indulgentiarum addiderunt, ducentorum scilicet dierum, pro reverentia quādo ad infirmum cum luminaribus portatur: centum verò, quando sine luminaribus portatur. Hæc verò tot antiquitati sunt ignota. V. Variæ & mirabiles quæstiones & disputationes, fidem plus destruentes, quàm ædificantes, motæ & sparsæ sunt de particulis illis reservatis. Sicut Legenda de Basilio fingit, ipsum panem cōsecratum divisisse in tres partes: quarum unam communicarit, alteram in columba aurea, quę super altare pendit, reposuerit, tertiam reservaverit consepeliendam secum. Hæc verè esset insignis prophanatio cœnæ Dominicæ. Fuisse autem tale quid ortum ex reservatione, inde colligitur, quod posteà interdicendum fuit, ne defunctis daretur Eucharistia. VI. Statuitur jam, morem illū esse necessarium.

Innocentius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sarium. VII. In papatu sola panis species reservatur, cùm de utraque specie exempla extent, & in Serapionis, & in Exuperii hjstoria. VIII. Fingitur & defenditur opinio benedictionem verborum Christi non valere: nec verum esse Sacramentum, etjamsi verbum Christi accedat ad elementa panis & vini, nisi consecratio fiat in templo seu altari, Pontificaliter consecrato. Atque ita veritas Eucharistiæ, nõ tam à verbis Christi, quàm à loco dependere judicatur. IX. Additur & hoc, Eucharistiam ad communionem non rectè consecrari, extra actum sacrificij Missæ Pontificiæ. X. Quia Pontificia circũgestatio, & ostentatio panis extra usum, nullum habet veræ antiquitatis testimoniũ: ideò de reservatione Eucharistiæ, ad usum communionis infirmorum dimicant, ut aliquam speciem prætendere possent suæ reservationis ad circumgestationem. Quia igitur vetus Ecclesia morem suæ reservationis, non judicavit esse necessarium, & jam causas illas non habeamus, quæ veteribus quibusdã occasionem dederunt ad reservationem: cumq; in Papatu ab antiquitatis exemplo longè recessum sit in reservatione, & accesserint multi abusus, variæ superstitiones, falsæ & periculosæ opiniones, simplicissimum, rectissimum & tutissimum est, ut tota hæc res ad normam institutionis Christi exigatur, & cõsideretur quid propius accedat ad præscriptum institutionis, eiq; magis consentaneũ sit, & ad ædificationẽ Ecclesiæ faciat. Illud enim fit exemplo veteris Ecclesiæ, quæ idẽ fecit in disputatione, de privata seu domestica reservatione. Res autem nõ est obscura, si descriptionẽ institutionis, tanquã normam & regulam nobis proponamus. Primò enim Christus verbis suis, quæ voluit ad elementum accedere, ut fieret Sacramentum, usus est illo loco & illo tempore, ubi & quando distributurus erat cõmunionem, & in præsentia eorum, quibus volebat communicare corpus & sangvinem suum. Magis igitur consentaneũ est descriptioni institutionis, & exemplo Christi, verba cœnæ recitare, & illis benedicere Eucharistiam, in loco communionis, & tempore cõmunionis, in præsentia communicandorũ: quàm alio & loco & tempore, absentibus illis, quibus exhibẽda est. II. Verba illa cœnæ, Dixit: Accipite, comedite, Hoc facite, &c. dirigũtur nõ ad elementa, sed ad cõmunicaturos. Non igitur consentaneũ est institutioni, verba illa tantùm ad panem & vinum dirigere: & quidem in absentia communicandorum. III. Christus communionem non voluit mutam esse actionem, sicut medicus pharmacum, alio loco & tempore præparatũ, propinat & applicat: sed quando panem fractum, & poculum benedictum, discipulis dabat: Dixit. Et quidem addidit mandatum: Hoc facite in mei commemorationem. Quod Paulus interpretatur: ut fiat annunciatio mortis Christi. Illam verò aunnunciationem dicit fieri debere, non tantùm in benedictione, ut posteà insumptiõe sit muta actio, sed: Quotiescunque panem hunc manducabitis, & poculum hoc bibetis, mortem Domini annunciabitis. Idq; non tantùm Apostolorum tempore fieri voluit, sed donec Dominus ad judicium veniat. Hæc certè sunt manifestissima. IIII. Consolatio de usu & fructu Eucharistiæ, in primis necessaria est ægrotis. Illam verò verbis Christi, quibus Sacramentum hoc cõficitur, comprehendi & proponi non est dubium. Et fides eam in verbo quærit, & apprehendit, sicut de Baptismo Paulus inquit: Mvndans Ecclesiam lavacro aquæ in verbo. Rectè igitur & utiliter fit, quòd verba cœnæ, quibus panis & vinum Eucharistiæ benedicitur, recitantur præsente & auscultante ægroto. V. Illa ratione multæ quæstiones & disputatiões, de particulis extra usum reservatis, turbantes simplicitatem doctrinæ & fidei de Eucharistia, præcaventur & præciduntur. Postremò, quia morem reservationis omnino necessarium faciunt, exemplo ostendenda est libertas Christiana: præcipuè ne veritas Eucharistiæ, ex loco ubi benedicitur, pendere existimetur: aut quasi actio sacrificii Papistici, necessaria sit ad veritatem Eucharistiæ.

Propter has causas nostri in communione infirmorum, verba cœnæ, quæ sunt ipsa consecratio, in præsentia ægroti recitant. Nec jure quis nos propter hunc morem vel reprehendere vel damnare potest: sequimur enim & præscriptum & exemplum Christi, de quo pater è cœlo clamavit: Hunc audite. Hunc enim morem consentaneum esse institutioni Christi, manifestum est. Et juxta Augustinum, In causis fidei non valet: Hæc ego dico, Hæc tu dicis, Hæc ille dicit: sed, Hæc dicit Dominus. Et de negotio cœnæ, Cyprianus dicit: Non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putarit: sed quid ille, qui ante omnes est, prior fecerit. Et hic est verè vetustissimus mos, cùm quo vetus Ecclesia non pugnat: in qua mos reservationis, nec vniversalis, nec necessarius habitus fuit. Cùm enim haberent exempla seu parochias, in quibus legitimi & ordinarij habebãtur cõventus, in quibus etjã ordinaria administratio Sacramentorũ celebrabatur: nõ tamen locis illis consecrationem Eucharistiæ alligatam esse voluerunt. Nam & Canon, Sicut non alii, De Consecra. dist. 1. casum necessitatis excipit, & addit: Quoniam necessitas legem non habet. Quodq; sequitur, Ne in domibus Eucharistia celebretur: Glossa exponit, nisi necessitas cogat. Et Concilium Agathense, 1. Can. 21. Si quis extra Parrochias, in quibus legitimus est, ordinariusq; conventus, oratorium in agro habere voluerit aliis festivitatibus, ut ibi Missas teneat, permittimus: exceptis festis majoribus. Et Canon Aurelianensis quidem dicit: Vnicuiq; fidetium in domo sua Oratoriũ habere licet, Missas autem ibi celebrare non licet. Sed Canon sextæ Synodi, De Consecrat. distin. 1. cap. Clericos, dicit, cum consensu episcopi hoc fieri posse. Imò in domo rustica, ubi nullum erat peculiare oratorium, presbyter celebrat Eucharistiam: apud Augustinum de Civitate Dei, lib. 22. cap. 8. Et quid opus est solicitè conquirere talia testimonia & exempla, an ad veritatem Eucharistiæ requiratur peculiaris qualitas loci: cùm nobis Christi & Apostolorum exempla, pro omnibus sufficiant, & satisfacere debeant? In mensa enim vulgari, & quidem in domo hospitis, Christus primam suam Dominicam cœnam celebravit. Nec Apostoli peculiares habuerunt basilicas: sed

Augustinus.

sed sicut perseverabant in doctrina Apostolorũ, & oratione, quando in privatis domibus colligebantur, ita etjam per domos frangebant panem. Ordinis igitur gratia, utile est esse certa & publica loca ad administrationem Sacramentorum. Sed eam ita alligare peculiarib. illis & publicis locis, ut fingatur Sacramentis veritatem suam non constare, si urgente necessitate, & servata Christi institutione, in loco aliquo vel vulgari vel privato celebrentur & administrentur, quasi veritas & efficacia Sacramentorum, nõ ex verbis Christi, sed ex qualitate locorũ pendeat, hoc certè falsissimum est, sicut de administratione Baptismi, in vulgaribus sive privatis locis, si res & necessitas ita ferat, manifestum est. Ad substantiam enim Sacramentorum, sicut non pertinet circumstãtia temporis, ita nec loci circumstantia tanquam necessaria requiritur.

DE PRAEPARATIONE, QVAE ADHIBENDA EST, VT DIGNE QVIS sanctam Eucharistiam percipiat.

CAPVT VII.

Si non decet, ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sanctè, certè quo magis sanctitas & divinitas cœlestis hujus Sacramenti, viro Christiano comperta est, eò diligentius cavere ille debet, ne absq; magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cùm illa plena formidinis verba, apud Apostolum legamus: Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non judicans corpus Domini. Quare communicare volenti, revocandũ est in memoriam eius præceptum. Probet autem seipsum homo. Ecclesiastica autem consvetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus etiam ab eis sacerdotib. quibus ex officio incubuerit celebrare, hac sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modò non defit illa copia confessoris. Quod si necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur.

CANON XI.

Si quis dixerit, solã fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, anathema sit. Et ne tantũ Sacramentum indignè, atq; ideo in mortẽ & condemnationem sumatur, statuit atq; declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunq; etiam se contritos existiment, habita copia Confessorij, necessario præmittendam esse confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

EXAMEN.

Exponã prius paucis, quæ sit nostrarũ Ecclesiarũ de hac præparatione, ex verbo Dei doctrina & & sententia: posteà nõ obscurum erit, quid illud sit, quod Pontificij in hac nostra doctrina damnare volunt. Ipsa enim antithesis ostendet vitia doctrinæ Pontificiæ, de hac præparatione.

Primò igitur de quæstione, An sit, nulla planè est vel dubitatio, vel controversia. Paulus enim manifestè affirmat, non omnes dignè, sed multos indignè percipere Eucharistiam.

Nec vult indignam sumptionem non esse curandam, quasi vel nihil referat, vel sit infirmitas quædam, quæ planè nihil saluti noceat, etiamsi indignè quis manducet & bibat in cœna Domini: sed magna vehementia, contra levitatem & securitatem illam intonat, & affirmat, eos qui indignè manducant, manducare sibi judicium, ita ut rei efficiantur violati corporis & sangvinis Christi. Et quidem addit, Deum judicium illud, contra indignè manducantes, etjam externis pœnis, in hac vita sæpe ostendere. Requirit igitur, ut accessurus ad illam mensam, seipsum prius probet: & sic de pano illo edat, & de calice illo bibat. Paulus igitur non obiter nec frigidè: sed seriò & verè Apostolica vehementia concionatur de probatione seu præparatione, ne indignè quis Eucharistiam percipiat. Nec dubiũ est, omnibus Ecclesiæ ministris hoc incumbere, ut diligenter & seriò suos moneant, & quidem propositis graviss imis illis, reatus & judicij divini comminationibus, ne sine præmissa & adhibita illa probatione seu præparatione, de qua Paulus loquitur, cœnam Dominicam accedant. Et si illi peccant, qui ex ignorantia seu incogitantia indignè manducant: multò gravius erit illorum peccatum, qui cum ratione officij deberent, homines arguendo, monendo, exhortãdo & docendo non instruunt, quod & quomodo se probare, seu quam præparationẽ adhibere debeant, ne indignè manducent & bibant, ad judicium: sed ut Eucharistiam dignè cum suis fructibus & effectibus percipiant. Hæc diligenter & seriò apud nos docentur & traduntur: quæ paucis indicare volui, ne quis suspicetur, in hoc capitulo hanc esse controversiam, quasi nos sentiamus & doceamus, nullam planè seu probationem seu præparationem adhibendam esse, ut dignè quis Eucharistiam percipiat.

Illud verò potissimum quæritur, quæ & qualis adhibenda sit præparatio, seu: quid sit, & in quibus consistat Paulina illa probatio, ut in cœna Dominica posimus dignè manducare & bibere, ita ut participes simus omnium bonorum seu beneficiorum, quæ in cœna illa proponuntur. Ardua sanè, & maximi momenti est hæc quæstio: ideò non est definienda vel privatis nostris cogitationibus, vel aliorum hominũ quorumcunque opinionibus, sed ex doctrina verbi Dei explicanda est. Intelligitur autem hoc loco dignitas, non meritum, nec etjam comparatio seu proportio præstantiæ sumentis, ad præstantiam cibi, corporis scilicet & sangvinis Christi. Ita enim veteres piè usurparunt Centurionis vocem: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, & quòd Iacob dicit: Minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua, quam exhibuisti servo tuo. David etjam dicit: Quis sum ego, & quę est domus patris mei? Itẽ: Quid est homo, quòd memores ejus? Sed dignè manducare, est Eucharistia uti, eo modo, & in eum finem, sicut ab ipso filio Dei instituta est. Ita enim Abrosius rectè intelligit & explicat hanc digni-

Cuiusmodi adhibenda præparatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dignitatem. Paulus verò totam hanc doctrinam complectitur unico vocabulo, δοκιμάζειν: quod significat cogitare, considerare, & explorare, quale illud sit quod probamus. Ita Roman. 12. pij in instituenda nova obedientia, debent probare, quæ sit voluntas Dei bona. Ephes. 5. probant, quid Deo placet. 1. Iohan. 4. Spiritus probare jubemur, an sint ex Deo. 1. Thessa. 5. Omnia probate, quod bonum est tenete. Et Romano. 1. νὸς ἀδόκιμος, mens reproba est, quæ vitam ita instituit, ut nec cõsideret, nec curet etjamsi Deo, hominibus & propriæ conscientiæ improbentur quæ agit.

Ille igitur in cœna Dominica seipsum δοκιμάζει, qui certo modo, & ad certam regulam, seipsum considerat, examinat & explorat, an tali corde & affectu accedat, sicut institutio cœnæ Dominicæ præscribit & exigit. Ita enim 2. Corinth. 13. Paulus dicit: Probate vos ipsos, an in fide sitis. Et mox explicat verbum δοκιμάσειν: scilicet, ut agnoscatis vos ipsos, quòd Christus in vobis sit. Interpretatio igitur vocabuli δοκιμάσειν, ostendit, accessurum ad cœnam Dominicam debere considerare, explorare & examinare mentem, cor, conscientiam, & seipsum totum, an ita sit dispositus & affectus, ut non ad judicium, sed dignè cum fructu, cœna Domini uti possit.

Hujus verò δοκιμασίας consiserationis examinis & explorationis, oportet certam aliquam normam & regulã esse à qua si dissentiat, & cum ea pugnet, is judicetur indignè manducare. Si verò animus ad illam regulam informetur & componatur: tunc certi simus, nos non indignè ad judiciũ, sed dignè & cum fructu, in cœna Dominica manducare & bibere. Norma autem seu regula simplicissima, certissima & tutissima, est ipsa institutio cœnæ Dominicæ. Nam & Paulus 1. Corin. 11. ex regula institutionis ostendit, apud Corinthios quosdam indignè manducare. Et monstraturus rationem, quomodo possint Dominicam cœnam dignè, & cum fructu manducare, proponit ipsam institutionem, sicut eam à Domino acceperat.

Docendi igitur gratia, doctrina illa de manducatione indignorũ, & de probatione seu præparatione dignorũ, potest in tria mẽbra distribui, I. Vt mens ex verbis institutionis intelligat, firmo assensu credat, & in ipso usu cœnæ Dominicæ reverenter cogitet, quid sit hoc Sacramentũ, quis sit ejus usus, & qualis sit tota illa actio: quòd scilicet ibi verè adsit ipse filius Dei, Deus & homo, præbens & exhibens per ministerium, cum pane & vino, vescentibus, corpus & sangvinem suum: ut hoc pretiosissimo testimonio & pignore, nobiscum se conjungat, & nobis applicet, obsignet & confirmet novi Testamenti pactionem gratiæ: & hæc fides, nitens verbis institutionis, excitet & informet reverentiam & devotionem animi, in usu hujus Sacramenti. Hoc pertinere & requiri ad dignam manducationem, cùm ipsa institutio ostendit, tum ex Paulo colligitur: qui pronunciat illos apud Corinthios indignè manducare, qui de cœna Dominica nõ augustius sentiebant, quàm de vulgari aliqua concœnatione, nec majori animi reverẽtia & devotione ad eam accedebant, atq; ita nõ dijudicabant corpus Domini, hoc est, non cogitabant quàm immenso discrimine pretiosior & dignior sit cibus cœnæ Dominicæ, quàm in reliquis vulgaribus cœnis, ubi etjam sunt dona Dei. Indignè igitur manducant, qui ad cœnam Dominicam accedunt, imbuti pravis, impiis aut prophanis opinionib. de hoc Sacramento. Item, qui vel crassa & affectata ignorantia, vel irreligiosa incogitantia doctrinę & fidei de Eucharistia accedunt, ut vel plànè non intelligant, vel prorsus non cogitent, qualis ibi instituta sit actio ab ipso filio Dei: atq; ita nullam animi devotionem vel reverentiam, erga actionem illam filij Dei adferunt. Ambrosius vocat inconsideratè & negligenter corpus Domini accipere. Huc etjam pertinẽt, qui ipsam actionem institutionis vel depravant, vel alios ipsi usus & fines, præter, extra aut contra institutionem, affingunt. *Qui indignè manducent.*

II. Indignè manducãt, qui accedunt sine pœnitentia, hoc est, qui de peccatis suis nõ cogitant, ita ut de illis doleant, nõ expavescunt cogitatione iræ Dei, sed perseverant in delictis cõtra conscientiã indulgent pravis cupiditatibus, nec deponunt propositũ malefaciendi. Christus enim inquit: Hoc facite in mei commemorationem, quod Paulus interpretatur de annunciãda morte Christi. Consideratio verò mortis Christi, simul etjam commonefactio est de abominatione peccati, & de ingenti ira Dei adversus nostra peccata, quã cùm nullorum hominum aut Angelorũ virtutes aut merita placare potuerint, ipsius filii morte placari oportuit. Nec verò ideò filius Dei hanc suam cœnam instituit, ut discamus leviter de peccato sentire, & ejus usu, in proposito peccandi confirmemur, quasi accepto ibi privilegio turpitudinis, sine timore Dei, sine contritione & conversione, securè possimus in peccatis cõtra conscientiã perseverare & pergere, seu ad ea redire. Qui igitur tali proposito, & hac opinione ad cœnã Domini accedit, is eo ipso contumelia afficit corpus Domini: atq; priora peccata, nova hac tristiori offensione cumulat. Dignè itaque manducaturus in cœna Domini, probare seipsum debet, ut afferat pœnitentiã seu timorẽ Dei. Et pœnitentia simul etjam complectitur bonum propositum. Ita Paulus dicit Corinthios illos indignè manducare, qui non in melius, sed in pejus conveniebant, qui dissensiones alebant, pauperes pudefaciebant, Ecclesiam Dei contemnebant, in ipsa actione cœnæ Dominicæ. *Dignè manducaturi officium.*

III. Ad dignã seu salutarẽ mãducationem in cœna Dominica, præcipuè necessaria est fides. In actione enim cœnæ, filius Dei exhibitione corporis & sangvinis sui, offert, applicat, & obsignat remissionem peccatorũ, & totũ beneficium novi Testamẽti. Illa verò promissio requirit fidem, non tantùm ut in genere statuas, vera esse quæ Deus de gratia sua, propter meritum mediatoris promittit: sed quia in cœna, filius Dei speciali actione testatur, se singulos vescẽtes velle in communionẽ corporis & sangvinis sui recipere, singulis se velle exhibitione corporis & sangvinis sui, cõmunicare, donare, applicare & obsignare novi Testamẽti beneficia, ideò requiritur fides, petens, & cum gratiarum actione accipiens beneficia *Ad dignam manducationem fides necessaria.*

neficia illa, quæ ibi offeruntur & donantur, ita ut singuli statuant, ad se quoq; promissionem illam pertinere, illã sibi communicari, applicari & obsignari, & quidem exhibito pretiosissimo pignore, corpore scilicet & sangvine Christi. Imò ideò ad cœnam Domini accedamus, ut fides hæc in nobis accendatur & confirmetur. Illa enim vera est Christi ἀνάμνησις. Et in verbis institutionis, ad singulos vescẽtes Christus inquit: Accipe, hoc est corpus meum, quod pro te traditum est: accipe, Hoc est novum Testamentum in meo sangvine, qui pro te effusus est in remissionem peccatorum. His enim verbis, olim in Ecclesia traditam fuisse Eucharistiam, Ambrosius testatur: quibus singuli vescentes, cõfessionem fidei suæ addebant, respondentes, Amen. Et hæc formula, quia ipsa verba institutionis, ad singulos vescentes juxta veram Sacramenti rationem accommodat, mihi maximè probatur. Non igitur rectè faciunt, qui in vera pœnitentia propter priores lapsus, propter sensum peccati, & propter fidei imbecillitatẽ, Sacramenti hujus usum fugiunt. Ideò enim hoc tantùm pignus propositum est, ut Deo reconciliati, in pactum gratiæ novi Testamenti, unde excideramus, restituamur, in eo confirmemur, utq; fides in illo vsu accendatur & confirmetur. *Qui dignè vel indignè manducent.*

Ipsa verò antithesis ostendit qui sint, qui indignè manducant, eò quòd non afferant veram fidem: qui scilicet fingũt, sumptionem prodesse ex operatu, sine bono motu utentis, qui in sumptione, ut sit salutaris, nituntur propria dignitate & puritate, quasi digni sint cœlesti hoc cibo, aut qui ipso opere sumptionis fingunt, se mereri remissionem peccatorum. Christus enim in sua cœna, non vult nostrorum operum, merita, & præmia distribuere, sed sua merita, sicut gratis ibi offert, ita fide vult accipi. Item qui docent, homines nec debere nec posse statuere, sibi in usu cœnę certò donari & applicari beneficia novi Testamẽti, etjamsi obsignatio fiat, exhibitione corporis & sangvinis Christi, sed in incerta dubitatione semper fluctuandum esse: illi certè ipsum filium Dei mendacem faciunt, in institutione suæ cœnæ. Indignè etjam illi manducant, qui sine fide ita accedunt, ut non cogitent, quid ibi vel quærant, vel accipiant: item qui Epicurea persvasione accedunt, quasi ibi detur privilegium turpitudinis, ut porrò liberè & impune possint in sceleribus perseverare, pergere, vel ad ea redire. Vera enim fides non petit & quærit, ut peccata maneant & cumulentur, sed petit & quærit remissionem peccatorũ, & liberationem à peccatis. Et hæc fides postea genitrix est boni propositi, cavendi in posterum peccata, & Deo juxta ipsius mandata obediendi.

Hanc esse verã probationem seu præparationem non est dubium: cõvenit enim ad normam seu regulã institutionis cœnæ Dominicæ. Et piũ institutũ in nostris Ecclesiis servatur, ut singuli qui ad cõmunionem cœnæ accessuri sunt, prius explorentur, quid de hoc Sacramẽto intelligant: monentur ut se ita, sicut jam dictũ est, probent, ne indignè manducent: rudiores docentur, quomodo debeant & possint se probare. Et quia cœna Dominica instituta est, ut usu ejus, fides reconciliationis cum Deo confirmetur & obsignetur: pia igitur mens nõ negliget, sed cum gratiarum actione utetur omnibus illis mediis, in quibus Deus fidei proposuit, ut quærat & accipiat gratiam seu reconciliationem: ut est annunciatio & auditus promissionis Evangelij, sive in publica prædicatione, sive in privata absolutione. Et posteà sequitur cõfirmatio, & obsignatio hujus applicationis, in communione cœnæ Dominicæ. Propter has causas, & hoc modo institutum confessionis, piè in nostris Ecclesiis servatur ante communionem.

Hæc verò probatio & præparatio, non ita præscribitur, & exigitur, ut sit omnibus numeris perfecta, sine omni infirmitate & imbecillitate, cui nihil prorsus desit. Ideò enim Christus instituit suam cœnam, ut commemoratione mortis suæ, pœnitentia in nobis accendatur & augeatur, ut traditione & obsignatione novi Testamẽti, in usu cœnæ, fides confirmetur & corroboretur. Novit figmentum nostrũ, quia caro sumus, ideò exhibitione sanctissimi sui corporis & sangvinis, se nobis cõjungit, ut corpus peccati mortificetur, vetus fermentũ magis magisq; expurgetur, novitas inchoata crescat & augeatur. Non itaque exigitur præparatio, vt nostra dignitate & puritate nos dignos reddamus hoc cibo: ut ideò salutaris nobis sit, quia propter mundiciem nostram eo digni simus. Hæc enim persvasio verè facit indignos. Sed ideò Paulus requirit probationem, ut verè reddamur esurientes & sitientes ejus cibi & potus: qui ad salutem nostrã in cœna illa proponitur, utq; infirmitatem nostram agnoscentes, pharmaco & antidoto illius medici, qui cœnam hanc nobis instruit, sciamus opus nobis esse: & quomodo salutariter illud sit, ad nostram sanationem, accipiendum & usurpandum.

Hæc est simplex & vera doctrina, ex fundamentis verborũ institutionis sumpta & extructa, de probatione seu præparatione, quæ adhibenda est, ut dignè quis Eucharistiã accipiat. Ex hoc enim fundamento, Paulus Corinthiis conciouatur de manducatione indignorũ Et ita etjã veteres de præparatione loquuntur. Hesychius dicit, eum per ignorantiam indignè percipere Eucharistiam, qui virtutem ejus & dignitatem ignorat. Augustinus inquit: Sacramentum hoc interioris hominis esuriem quærit: ideò ad participandũ hoc Sacramentũ, ineptus est, qui peccatum & infirmitatem suam nõ sentit. Chrysostomi sententia est. Quia benè habentibus, non opus est medico, sed malè habentibus, ideò ab hujus Sacramenti virtute excluditur, qui de se præsumens resolutus cum nausea accedit. Idem inquit: Nullus communicet, nisi ex discipulis Christi sit: alioqui judicium sibi manducat & bibit. Augustinus sæpius hoc disputat: Qui credit in Christũ, manducat ipsum, ut & in Christo maneat, & Christũ manentem in se habeat, qui verò hac fide vacuus accedit, foris quidem manducat, nõ intus, premit dente non capit mente. Et sicut Gregorius dicit: Accipit corpus & sangvinẽ Christi, essentia, nõ salubri efficientia: Sacramẽtum accipit, sed vitã Christi nõ accipit. Et dulcissima est Augustini sentẽtia, ubi de matre sua Monica *Hesychius.* *Augustinus.* *Gregorius.* *Augustinus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nica inquit, quòd ad victimam illam, quæ in cœna Dominica dispensatur, animam suam vinculo fidei alligarit, ne vel Leo, vel Draco eam inde divellat. His ita expositis, non difficilis nec obscura erit ratio examinis, in 7. hoc cap. & XI. Canone. Primùm enim dicunt, se illos damnare, qui sentiunt solam fidem esse sufficientem præparationem, ad sumendam Eucharistiam. Verba autem ita posita sunt, ut videantur nobis tribuere hanc sententiam: Etiamsi quis sine pœnitentia in sceleribus perseveret & pergat, & retineat propositũ malefaciendi, modò tantùm historicã fidem de substantia Sacramenti habeat, vel concipiat Epicuream persvasionem de impunitate impœnitentię, satis paratum esse ad dignã manducationem in cœna Dominica. Sed falsò hoc nostris Ecclesiis tribui, ex iis, quæ de vera probatione diximus, manifestum est.

II. Consideretur, quare hoc artificio utantur, Deprehendet autem lector, in toto isto capitulo, ubi ex professo explicationem doctrinæ de præparatione, ad sumendam Eucharistiam instituerunt, ne unica quidem syllaba mentionem fieri fidei, quæ petat, apprehendat & accipiat promissionem novi Testamenti, quam filius Dei, singulis vescentibus, exhibitione corporis & sangvinis sui, in usu cœnæ suæ offert, communicat & obsignat. Hæc enim fides, applicans singulis remissionem peccatorum, cùm quidem in usu cœnæ obsignetur & confirmetur, cõmunione corporis & sangvinis Christi, adversa fronte pugnat cum dogmate Pontificiorum de dubitatione. Atq; propter hancipsam causam, huic fidei nullũ volunt locum concedere, in præparatione ad salutarem Eucharistiæ sumptionem. Nec tamen ausi fuerunt, fidem simpliciter & manifestè ex præparatione illa proscribere. Ideò pœnitentiæ seu contritioni opponunt solam fidem, & damnant, si quis dixerit, solã fidem esse sufficientem præparationem. Quòd si intelligatur de persvasione, quam sine pœnitentia, in proposito malefaciendi, impij sibi fingunt, nõ invitus hoc concedo. Sed aliud est, ut jam dicam, quòd in hoc Canone damnandum sibi sumpserunt.

Lutherus de præparatione.

III. Observandũ est, quo sensu Lutherus de captivitate Babylonica dixerit, dignam præparationẽ non esse, nisi fidem qua creditur divinæ promissioni, quę in cœna Dominica proponitur & offertur. Inde enim Tridentini XI. Canonem excerpserunt. Non autem excludit Lutherus agnitionem peccatorũ nostrorũ, contritionem seu pœnitentiam: sed pugnat contra Pontificios, qui & ipsi habent, & aliis proponũt multa & varia præparatoria opera: quibus expletis, existimant se satis dignè paratos, ad celebrandam vel audiendam Missam, & ad ipsam etjam communionem, ita ut de fide petente, quærente, apprehendente & accipiente promissionem novi Testamenti in cœna, nihil soliciti sint. Ipsam etjam pœnitentiam, hac ratione requirũt, ut ejus operibus & merito tribuant dignã præparationem: ita ut salutaris manducatio nostra dignitate & puritate, nostris operibus præparatoriis & meritis nitatur. Contra istas opiniones Lutherus docet, cœnam Dominicã à Christo institutã esse, non ut ibi nos aliquid Deo conferamus, atq; ita nostris operibus in cœna Dominica salutem nobis procuremus: sed quæ filius Dei traditione sui corporis, & effusione sui sangvinis promeruit, illa gratuita misericordia nos præveniens, offert nobis in promissione Evangelij, cui exhibitionem corporis & sangvinis sui sub pane & vino, tanquam pignus & obsignationem addit. Gratuita verò promissio Evangelij, non operibus & meritis nostris, sed fide apprehenditur & accipitur, Roman. 4 & 11. Et hoc solius fidei officium est, sine qua inutilis est nobis promissio: sicut in prima parte examinis de fide ostensum est. Accedit, quòd antithesis inter nostram indignitatem, & inter divinam præstantiam cibi & potus in Eucharistia, turbat & terret conscientiam, ex qua tentatione eluctari non possumus, si nitamur fiducia contritionis, confessionis & satisfactionis nostræ, operum præparatoriorũ, dignitatis, puritatis, & capacitatis nostræ. Respicienda igitur est promissio novi Testamenti, quę in cœna Dominica nobis proponitur, & gratuitò nobis offert corpus & sangvinem Christi, & in illis totum beneficium novi Testamenti. Nec ad accipiendum requirit nostra merita, & dignitatem nostram, sed tantùm ut agnoscentes indigentiam, infirmitatem & indignitatem nostram, esuriamus & sitiamus gratiam illam: atq; ita quæ gratuitò, propter meritum Christi, nobis in cœna Dominica offeruntur, fide accipiamus. Hæc certè ex natura gratuitæ promissionis Evangelii, & ex mutua relatione inter promissionem & fidẽ, certissima & verissima sunt. Et hoc sensu Lutherus dicit, solam fidem esse veram & sufficientem præparationem ad sumendam Eucharistiam. Et diserté addit. Ad hanc fidem mox sequetur sua sponte, dulcissimus affectus cordis, hoc est, charitas. Illã etjam fidem in pœnitentia existere tradit.

Sola fides sufficiens præparatio.

Et hæc est sententia illa, quam undecimus Canon damnat: ut scilicet contrarium dogma stabiliat de fiducia nostræ contritionis, confessionis, satisfactionis, dignitatis & puritatis per opera præparatoria, ut illis salutaris manducatio, in cœna Domini niti doceatur. Sed hac ratione, fructus cœnæ Dominicæ redditur nobis vel inutilis, vel inanis, vel certè dubius & incertus. Scholasticienim tradũt, præparationẽ quandam esse sufficientiæ & veritatis: quam Bonaventura dicit consistere in peccati omnis expulsione, in reverentia & dilectione. Et qui ita præparati accedunt, illos dicunt consequi fructum Eucharistiæ. Aliam verò dicunt esse prę parationem probabilitatis, quando homo faciendo quod in se est, judicio propriæ conscientiæ existimat se paratum esse. Sed talis præparatio, sæpe secundum veritatem non est sufficiens. Et ibi consentiunt, qui ita accedit, eum non consequi effectus hujus Sacramenti, disputant autem, an talis indignè manducet, & novo peccato mortali, ita communicando se involvat, cumq; incertum sit, quando habeamus prę parationem sufficientię veritatis, quando probabilitatis: semper incerta hærebit conscientia, an dignè vel indignè manducet. Atque ita convulsa erit necessaria consolatio, quæ in usu cœnæ Dominicæ à Christo nobis proponitur. Hæc verò est cõpendiaria illa via, qua homines à crebriori usu cœnæ Dominicæ deterrẽt: ut nundinationé privatarũ Missarum, avidius sectentur & amplectãtur, & quæ sine periculo meritoria sit, ad delenda quævis peccata mortalia.

Scholastici de præparatione.

Intentio XI. Canonis.

Hæc omnia sciat Lector involuta esse in XI. hoc Canone: quæ primo aspectu non facilè animadvertuntur, nisi disputationes, ex quibus Canon ille excerptus est, inspiciantur & considerentur. IIII. Est & illud expendendum, quòd VII. capitulũ dicit, non absq; magna sanctitate, accedendũ esse ad Eucharistiã, ne judiciũ manducemus. Vsitatissima autẽ est Apostolica illa phrasis, quæ omnes credentes, seu discipulos Christi, vocat sanctos, quib. etjam Deus ipse dicit: Sancti estote, quoniã ego sanctus sum. Sicut autem verbũ: קדש significat, quod à cõmuni & prophano usu, in usum sacrũ segregatum, & ad divinũ seu ministerium seu cultum accommodatũ est: ita sancti vocantur, non qui ita perfectè, omnib. sordibus expurgatis, puri & mũdi sunt, ut illa sua puritate corã Deo niti & confidere, vel possint vel debeãt, sed qui per pœnitentiã à peccato aversi, & fide Christo, qui sanctificatio nostra est, insiti sunt, & per Spiritũ sanctũ renovari cœperũt, vocantur sancti, & imputativè & inchoatiuè: licet cum Paulo Roma. 7. & Isaia cap. 64. agnoscant & fateantur, se multis adhuc malis & sordibus cõtaminatos esse. Vocantur enim sancti in Christo Iesu. Ita ergo vetus Ecclesia rectè proclamavit ante cõmunionem: Sancta sanctis. Non enim datur cõmunio, nisi baptizatis: quos Christus sanctificavit, mundans lavacro aquæ in verbo, Eph. 5. Et certè, sicut dictũ est, digne accessuri ad communionem, afferre debent pœnitentiam, quæ est Hebraica phrasi, sanctificatio, hoc est, aversio à peccato seu immundicie. Debent etjã afferre fidem in promissionẽ Evangelii. Verbũ verò est veritas, in qua sanctificãtur credentes, Ioan. 17. fide enim purificantur corda, Acto. 15. Tali sanctitate accedendum esse ad Eucharistiam, ne judicium manducemus, non negamus. Qui enim sine pœnitentia in peccatis perseverat, & retinet propositũ malefaciendi, verè immundus & indignus est. Et in hanc sententiã Augustinus in Ioannem homilia 88, dicit: Accedens debet esse plenus sanctimonia, & immaculatus. Ita etjam Hesychius lib. 6. in 22 caput Levitici dicit, pollutos non esse admittendos, nec mundatos prohibendos. Et addit explicationem: Qui semetipsum probat, si peccati sibi conscius est, & pollutionem animæ se habere sentit, pœnitet sine dubio, & post pœnitentiam, de pane comedere, & de calice sancto & impolluto bibere potest. Et lib. 7. in 26. caput dicit, hãc esse probationem, ut in mundo corde & cõscientia, ad pœnitentiam eorum, quæ olim deliquit, intendenti, participetur sanctis ad ablutionem peccatorum suorum. Atq; idem vult Augustini sententia: Mutet vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad judiciũ accipit vitã: & magis ex ipsã corrumpitur quàm sanatur, magis occiditur quàm vivificatur. De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. Habentem adhuc volnntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quàm purificari.

Hesychius.

Augustinus.

Idem etjam vult veteris Ecclesiæ consvetudo, quæ Catechumenos, & illos quibus propter notoria scelera, publica pœnitentia imposita erat, ex Ecclesia dimittebat, quando ad communionem mysteriorum peventum erat. Et tunc sacerdos, porrecturus populo Eucharistiam, magna voce dicebat: Sancta sanctis, ut scilicet quisq; seipsum probaret. Si hoc modo accipiatur quòd VII. cap. dicit, magna reverentia & sanctitate ad percipiendam Eucharistiam, accedendum esse, non repugno, idem enim & nos docemus. Sed video Pontificios sanctitatem ita interpretari, ut ante communionem, nostris operibus & satisfactionibus, summam quandam animi mundiciem & innocentiam (ita enim Andradius loquitur) nobis acquiramus: ut non opus sit, in communione Eucharistiæ quærere & accipere remissionis peccatorum vel applicationem, vel obsignationem, sed quòd nostra puritas digna jam fit, cui Christus cum suo corpore, & omnibus beneficiis suis, se conjungat & communicet. Hoc enim unico argumento Andradius probat, in usu cœnæ Dominicæ non accipi remissionem peccatorum. Hæc verò præsumptio pugnat cum ipsa institutione cœnæ Dominicæ, & efficit vel superbos Pharisæos, vel territas conscientias absterret ab usu cœnæ Dominicæ.

Andradius.

V. Dicunt probationem hanc necessariã esse, ut ante communionem necessariò præmittatur Sacramentalis confessio. Et quidem quo institu to & usu, in nostris Ecclesiis confessio, tanquam vtilis ad verã probationem servetur, paucis suprà indicavi. Sed Tridentini præparationem cõstituunt in ipso opere confessionis, in enumeratione omnium delictorum, & præcipuè in operibus satisfactionis, quæ in confessione injunguntur. Et hanc probationem volunt esse necessariam. Sed de Sacramentali confessione, posteà in loco de pœnitentia, dicendum erit. Nunc tantùm indicare volui, qualis sit præparatio, de qua Pontificii, sepulta fide, disputant.

DE VSV ADMIRABILIS HVIVS SACRAMENTI.

CAPVT VIII.

Quo ad usum autem, rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctũ Sacramentũ accipiendi distinxerunt. Quosdã enim docuerunt Sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores. Alios tantùm spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur fructum eius & utilitatem sentiunt. Tertios porrò, sacramentaliter simul & spiritualiter, ij autem sunt, qui ita se prius probant & instruunt, ut vestem nuptialem induti, ad divinam hanc mensam accedant. In Sacramentali autem sumptione, semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes, seipsos communicarent, qui mos tanquam ex traditione Apostolica descendens, iure ac meritò retineri debet, &c.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantùm manducari, & non etiam Sacramentaliter ac realiter, anathema sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CANON X.

Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare, anathema sit.

EXAMEN.

Illam veterum distinctionem, ut veram commodam & utilem probo, corpus scilicet & sangvinem Christi, tribus modis mãducari & bibi.

Primò spiritualiter tantùm, ab illis qui etjam extra usum cœnæ Dominicæ, vera fide in promissione Evangelii, meritum traditi corporis Christi, & effusi ipsius sangvinis, apprehendunt, & sibi applicant, de qua manducatione, Christus præcipuè concionatur, Ioan. 6.

Secundò, Sacramentaliter tantùm, ab illis scilicet, qui indignè mãducant de illo pane, de quo Christus affirmat: Hoc est corpus meum.

Tertiò, Sacramentaliter & spiritualiter, ab illis, qui in usu cœnæ Dominicæ, ore suo, cum pane & vino accipiunt corpus & sangvinem Christi, ita ut simul fides, juxta promissionẽ statuat, Christum illa sumptione sibi applicare & obsignare beneficia sua, quæ traditione sui corporis & effusione sangvinis promeruit: & beneficia illa, quæ in usu cœnæ vescentibus offeruntur, grata mente, & læta fiducia amplectatur & accipiat. Non enim probo illorum sententiam, qui aliter sentiunt, quàm verba institutionis tradunt, corpus scilicet & sangvinem Christi, in usu cœnæ Dominicæ tantùm spiritualiter per fidem manducari, ita ut os nostrũ tantùm elementa panis & vini accipiat, non autem simul cum pane & vino accipiat etiam corpus & sangvinem Christi, licet modo supernaturali & cœlesti. De eo enim quod in cœna Dominica nobis exhibetur, quod os nostrum accipit, filius Dei pronunciat: Hoc est corpus meum, Hic est sangvis meus. Et quia in peculiari libello fundamenta hujus sententiæ plenius explicavi, hoc loco nihil addam.

Eram VIII. cap. Et quidem nihil amplius inquirerem in 8. hoc capitulum, nisi in prioribus aliquoties animadvertissem insidias, ubi nihil minus primo aspectu apparebat. Duo igitur, quantum animaduertere possum, in hoc capitulo insidiosè posita sunt quæ judico expendenda esse.

Primùm, quòd non dicunt, ipsam carnem & sangvinem Christi spiritualiter manducari & bibi à credentibus, etjam extra actionem & usum cœnæ Dominicæ, sed dicunt, ipsum Sacramentum Eucharistiæ, spiritualiter tantùm sumi à quibusdam qui scilicet id, quod in cœna Dominica exhibetur, ore suo non accipiunt. Et fanè quia dicunt, voto edi Eucharistiam, posset intelligi de illis, qui non possunt habere copiam communionis Sacramentalis, vel de illis, qui in cœtu Ecclesiastico, etjam quando non Sacramẽtaliter communicant, tamen vera fide inhærentes Christo, spiritualiter carnem ipsius manducant, & sangvinem bibunt. Sed arbitror Tridentinos hoc non velle. Sed quia in privatis ipsorũ Missis, Sacramentum ex circumstantibus nemini exhibetur, nemo est qui illud accipiat, manducet & bibat: ne tamen ex professo nimis manifestè in ipsam Christi institutionem prævaricari videantur, fingunt, mandato Christi, ubi usum cœnæ ita describit: Dedit illis, dicens: Accipite, manducate, bibite, hoc facite in mei commemorationem, &c. satisfieri, etjamsi Missa ita celebretur, ut Sacramentum nemini distribuatur, nemo illud accipiat & manducet, modò fide viva spiritualiter aliqui carnem Christi manducent. Atqui alium modum manducandi carnem suam, extra actionem & usum cœnæ suæ, Christus describit Ioan. 6. Alium verò instituit & describit, qualis debeat esse in actione & usu cœnæ suæ, ut scilicet cum pane & vino exhibeatur, ore sumatur, manducetur & bibatur corpus & sangvis ipsius: idq; in ipsius commemorationem, hoc est, ut ad Sacramentalem accedat spiritualis manducatio. Actioni igitur cœnæ Dominicæ nõ satisfit, sola spirituali manducatione: Si nemini scilicet Sacramentum exhibeatur, nemo illud accipiat, manducet & bibat.

Alterum quod expedendum judico, est, quòd disputant de more, quo Sacerdos celebrans, seipsum communicat. Et quidem non judico pugnare contra ipsam substantiam institutionis cœnæ Dominicæ, si minister qui alios communicat, ipse etjam de pane illo edat, & de poculo illo bibat, præsertim cùm veteris Ecclesiæ exempla suffragentur. Atque illud simpliciter sine superstitione fit in nostris Ecclesiis. Sed morem illum, tanquam ex Apostolica traditione descendentem, necessariò semper observandum esse, probari non potest. Et non sunt conscientiis, tanquam necessaria imponenda, quæ non habent in Scriptura mandatum Dei. Et Nicolaus Cusanus ad clerum Bohem. dicit Sacerdotem celebrantem solere de manu diaconi, calicem accipere. *De more, quo Sacerdos seipsum communicat.*

Aliud verò præterea est, quòd X. Canon insidiosè agit, ut scilicet vera sit communio, consentiens institutioni Christi, etjam si solus Sacerdos, in privata Missa, seipsum tantùm communicet. Sed hoc cum descriptione Pauli 1. Corinth. 11. non convenit, dicit enim, non posse celebrare cœnam Dominicam, si quisque ἴδιον δεῖπνον, privatam, propriam seu peculiarem cœnam, quæ cum nemine ipsi communis sit, præoccupet. Christus etjam aliis dedit, quibus dixit: Accipite, manducate. Vt igitur non sit illicitum, si Sacerdos celebrans, seipsum unà cum aliis communicet, non tamen est vera communio cœnæ Dominicæ, si sacrificulus in privata Missa, privatam cœnam, quæ cùm nemine sibi communis sit, instituat.

Et hæc sunt, quæ in hoc capitulo judico insidiosè posita esse, quæ aliqua cõsideratione opus habent.

CANON IX.

Si quis negaverit, omnes & singulos Christi fideles utriusq; sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.

EXAMEN.

Inter cæteras querelas de collapsa synceritate doctrinæ

doctrinę & disciplinę in Ecclesia, una hæc nõ postrema est, quòd Pontificii, homines à crebriori Eucharistiæ usu partim persvasione de spectãdis priuatis Missis abduxerunt, partim doctrina sua de præparatione deterruerũt. Et persvasum fuit vulgo, satis superq; esse, si semel in anno communione uterentur. Idq; præstantius opus esse, si statuto tempore, in Paschate scilicet fieret, non ex propria devotione, propter mandatũ Christi, sed ex præcepto Ecclesiæ. Et ego sanè cogitassem, si quid hac de re Tridentina synodus statueret, etjamsi consvetudinem communionis in Pascha te retinere vellent, fore tamẽ, ut ad crebriorem & frequentiorem communionis usum, per totũ annum homines exhortarentur, nec eos præcepti, vel legis necessitate, ad cõmunionem in Paschate adigerent. Sed sicut in tota synodo propositum ipsis fuit, non aliquid vel minimum ex iis, quæ in Papatu recepta & usitata sunt, ad normã verbi corrigere, vel saltẽ mitigare, sed omnia & singula, qualiacunq; sint, simpliciter tantùm repetere, cõfirmare & stabilire: ita per totam hanc sessionem, nullam literam de crebriori Eucharistiæ usu voluerunt ponere, sed in fine repetunt capitulum: Omnis utriusq; sexus, de unica communione in anno: idq; statuto tẽpore, & ex præcepto Ecclesiæ. Obiter tamen & valdè leviter additur particula (saltem) ne prorsus prohibuisse videãtur, si quis crebrius velit cõmunicare. Interim manet persvasio, satis esse si quis in anno semel utatur cõmunione. Quod si quis crebrius utatur, mox affingitur opinio meriti, operis supererogationis, quia non ex præcepto fiat. Pauca igitur quædam, de tempore communionis annotabimus. Et Christus quidem diligenter & solicitè in institutione cavit, ne existimaretur cõmunionem ad certum & statutum tempus alligasse: propterea quia illo tempore, quãdo Iudæi juxta legem Pascha manducabant, cœnam suam instituit. Erat enim statutus dies in certo mense anni, mãducationi Paschatis in lege præfinitus. Dicit igitur: Hoc facite, quotiescunque manducaveritis & biberitis, in mei cõmemorationem. Et particulam illam à reliquis Evangelistis omissam, Paulus peculiari solicitudine bis repetit. Ad utrumq; autem particula illa (Quotiescunq;) respicit: primò, ne celebratio seu cõmunio cœnæ Dominicæ, existimetur sicut Pascha Iudæorum, ad certum & statutum tempus alligata esse. Secundo, ne existimetur, illud de quo Christus dixit: Hoc facite, semel tantùm in anno faciendum esse: sicut in lege sufficiebat, Pascha semel tantũ in anno mãducare: imò non licebat illud vel sæpius, vel alio tempore anni manducare, quàm in lege præfinitum erat, sive pro mundis, sive pro immundis. Valdè significanter autem loquitur Paulus in modo potẽtiali, ὁσάκις ἂν ἐσθίητε καὶ πίνητε, quotiescunq; hoc manducaveritis & biberitis. Certissimũ igitur & manifestissimũ est ex institutione Christi, sicut communio cœnæ Dominicæ non est alligata ad certum seu statutum tempus anni, ita etiam non semel tantùm in anno usurpandũ esse. Iudaico enim Paschati, quod & semel in anno, & statuto tempore anni celebrabatur, Christus particulam illam opponit: Quotiescunque biberitis, &c. Nec tamen arbitrariũ voluit cõmunionis usum credentibus permittere, ut idẽ esset, sive ea aliquãdo uterentur, sive prorsus nõ uterentur, aut quando libitum esset: sicut sit in rebus adiaphoris. Nõ enim dicit, quãdo libitũ fuerit, ut in actionibus adiaphoris: sed inquit: Quotiescunq; feceritis. Nec sicut semel tantùm baptizamur, ita semel sufficit cœna Dominica uti, dicit enim, Quotiescunque: ut scilicet de pane illo manducemus, & de calice illo bibamus, quotiescunq; utile & necessarium nobis agnoscimus & sentimus pharmacum & antidotũ illud, quod in Eucharistia Samaritanus noster vulneribus nostris infundit: modò nos ipsos probemus, ne ad judiciũ illud accipiamus. Regula enim, quando & quoties communione utendũ sit, sumenda est. I. ex doctrina de fructu & efficacia Eucharistię, quãdo scilicet, & quoties efficacia illa nobis opus esse agnoscimus. II. ex doctrina de probatione, ne scilicet indignè accipiamus. Et ex his fundamẽtis homines docendi, monendi & exhortãdi sunt ad crebriorẽ & frequentiorem usum Eucharistiæ. Christus enim quia inquit: Quotiescũq; hoc feceritis: omnino vult, ut qui discipuli ipsius sunt, crebrò hoc faciant. Nec veri vel fideles Christi ministri sunt, qui quacunq; ratione populũ à crebriori usu cõmunionis Eucharistiæ abducũt, vel absterrent. *Eucharistiæ usus, an arbitrarius.*

De tempore communionis.

Et pulcherrima sunt veræ antiquitatis exempla, de crebro Eucharistiæ usu. Apud quosdam enim usitata fuit quotidiana Eucharistiæ cõmunio: apud quosdã bis in hebdomada: apud quosdam die Dominica feria 4. & 6. & sabbatho: apud quosdã Dominicis saltem diebus. Hujus rei testimonia sunt apud Hieronymũ, in Epist. ad Lucinium: apud Ambrosiũ in 2. cap. prioris ad Timoth. apud Augustinum, Epist. 118. De fide ad Petrum cap. 19. De Ecclesiasticis dogmatib. cap. 53. apud Socratem lib. 5. cap. 22. Et quod maximè ad explicationem hujus Canonis pertinet, consvetudo fuit in veteri Ecclesia, quòd in festis solennioribus tota multitudo ad majores basilicas conveniebat, & ibi solennis quædã communio celebrabatur: ut quisq; publica professione ostenderet, se esse membrũ Ecclesiæ. Ita Conciliũ Agathense I. Canone 21. concedit in privatis Oratoriis usum cõmunionis, sed in majoribus festivitatibus, vult omnes convenire ad parochias, ubi legitimus est, ordinariusq; conventus. Et de Cõsecra. dist. 2. cap. Seculares, Natalis Domini, Pascha & Pentecoste nominatur, Chrysostomus indicat, in sua Ecclesia, in Paschate talem solennem communionem celebratam fuisse, Homilia 11. ad populum Antiochenum: Et ad Heb. 10. nominat unũ in anno perceptionẽ. Inde Leo ad Dioscurum Alexandrinum scribit: Si solennior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, quem recipere simul una Basilica non posset, sacrificii oblatio indubitanter iteretur, &c. Inde collapsa hac consuetudine, plures Missæ eodem die in eodem templo manserunt, extra primum & verũ usum. Rhenanus existimat ex frequentioribus illis conventibus ad solennem hanc cõmunionem, reliquum adhuc esse post collapsam illam consvetudinem hoc vestigium, quòd nundinæ in urbibus Germaniæ celebrioribus retinent appellationem Missarum. Et talis solennis com- *Exempla antiquitatis.* *Concilium Agathense.* *Missarum multitudo unde profecta.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

communio, non malo consilio primùm institu-
ta fuit: ut scilicet omnes publica professione o-
stenderent, se esse membra veræ Ecclesiæ: ut sicut
unus est panis, ita multos se unũ corpus esse ad-
monerentur: utq; ostenderent, se dissentire ab
omnibus hæreticis. Atq; hoc modo unitas & cõ-
sensus in doctrina & fide cõservaretur. Sicut di-
Canon Aga- cit Canon Agathensis: Seculares qui in natali Do
thensis. mini, Paschate & Pentecoste non communica-
verint, inter catholicos non habeantur. Sed con
suetudo illa per se non mala, mox in abusum de-
generavit. Multi enim putabant satis esse, si sal-
tem illis solennioribus temporibus, communi-
carent, aliis verò temporibus, cõmunionem nec
curabant, nec quærebant, maximè cùm videret
eremitas tantùm semel in anno, vel post biennii
exeremo progredi ad Ecclesias, ad communio-
nem, sicut indicat Chrysostomus in 10. cap. ad
Heb. Illã verò pravam persvasionem Patres gra-
vissimè reprehenderunt: & populum ad cre-
briorem communionis usum gravissimè exhor
Chrysostom. tati sunt. Chrysostomus in 1. cap. ad Ephesios
inquit: Frustra habetur quotidiana oblatio, fru-
stra stamus ad altare: nemo est, qui simul parti-
cipet. Et in 10. cap. ad Hebræos inquit: Hæc di-
cens, non ab una in anno perceptione vos veto,
sed volo semper vos accedere. Ambrosius de Sa-
cramentis, libro 6. cap. 4. inquit: Si quotidianus
est cibus: cur post annum illum sumitis, quem-
admodum Græci in Oriente facere consveverũt.
Et Chrysostomus homilia 11. increpat populum
Antiochenum, quòd in Quadragesima litigaret,
& tamen in Paschate, sine vera probatione, ex
consvetudine ad solennem communionem ac-
cederent. Et in 1. caput ad Ephesios: Aliis tempo
ribus sæpe cùm mundi estis, nõ accedit is, in Pas-
chate verò, etiamsi quid temerarium sit commis
sum, nihilominus accediti s: O consvetudinem,
ô præsumptionem. Has gravissimas reprehen-
siones Lector diligenter hoc loco observet. Hæc
enim recitavi, ut ostenderem, longè aliud esse ve
terem solennem communionem in Paschate,
quàm sicut nunc apud Pontificios servatur. Illi
enim simul docendo, monendo hortando & ar-
guendo urgebant frequentem & crebriorem u-
Pontificij de sum communionis: Pontificij verò censent, ex
tempore cõ- præcepto neminem obligari, nisi ut semel tan-
munionis. tùm in anno communicet, modo interim priva-
tarum Missarum spectaculum liberaliter coe-
mat. Hæc profectò longissimè absunt à veteris
Ecclesiæ forma. Canon Apostolorum nonus de
communione eorum, qui in Synaxi præsentes
erãt, disertè statuit: πάντας τοὺς ἀσιωπήτους πιστοὺς,
καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ
τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀτάκτους
ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀφορίζεσθαι χρή. Quæ
sententia etiam in 2. Canone Antiocheni Conci-
lij repetitur. Cùm verò quotidiana commu-
nio postea à populo intermitteretur, religiosi ta-
men seu clerici, quotidie ad communionem cõ-
veniebant, sicut ex Micrologo Cassander citat.
Et de illa communione intelligi volunt, quod
Anacleti Canon, de Consecratio. distinct. 2. dicit:
Para a consecratione, omnes communicent, qui
noluerint Ecclesiasticis carere luminibus. Adeò
nullam voluerunt Missam esse sine communi-
cantibus. Diebus verò Dominicis, & aliis festi-
vitatibus, populus ad communionem conveniebat. Deinde cùm & hoc intermitteretur, statutũ
fuit, ut si non frequentius, saltem ter in anno o-
mnes communicent. De Consecrat. distinct. 2.
cap. Et si non frequentius. Tandem Lateranen-
se Concilium Laicis semel in anno judicavit sa-
tis esse, uti communione. Quotidiana etiam cle-
ricorum communio sensim intercidit. Atq; ita
collapsos crebrioris communionis usu privatæ
Misse sine communicantibus, seu clericis seu lai-
cis, per totum annum invaluerunt, & accesit
persvasio, idem esse spectare Missam, atque uti *Falsa persva-*
communione, imò minori cum periculo, & ma- *sio Pontifici-*
jori cum fructu, spectaculum Missæ conjunctum *rum.*
esse, quàm ipsam communionem. Ita tandem
populus à crebriori communionis usu prorsus
abductus est, transformarique cœpit cœna Domi-
nica in spectaculum, ut ubi Christus dicit: Accipite, manducate, bibite: Pontificij substituere
non vereantur, Accedite & spectate, & idem erit
ac si manducaretis & biberetis.

Et hæ pravæ persvasiones cùm ab aliquot jam
annis, tristissima animarum jactura, in Ecclesia
hæreant, quid quæso remedii Tridentini Patres
afferunt? Num conantur restituere crebriorem
communionis usum, juxta mandatum Christi?
num volunt homines ad illũ exhortandos? Profectò ne unum quidem verbum, in tota illa Sessione animadvertitur, quod hoc vel leviter significet: sed simpliciter dicunt, omnes fideles teneri
ex præcepto, ut semel singulis annis communi-
cent. Addunt autem particulam, Saltem, ne pro-
hibuisse videantur, cùm seriò & graviter adhor-
tandi essent homines, ad crebriorem commu-
nionis usum. Iliam igitur cõsuetudinem & per-
svasionem Pontificiæ Ecclesiæ, ostendi, nec cum
Scriptura, nec cum exemplis veteris Ecclesiæ cõ-
sentire. Et profectò insignis est impudẽtia, quòd
ne verbo quidem mentionem faciunt crebrio-
ris communionis, sed tantùm de unica in anno
communione, usitatam suam cantilenam repe-
tunt. Modestius aliquanto agit Coloniense an-
tidogma, quod licet defendat consvetudinem
illam, tamen addit, diligenter admonendos esse
homines, ut se frequentius ad Eucharistiæ per-
ceptionem præparent. Sed ne talis quidem mo-
destiæ significatio judicata fuit decere illos, qui
locum Romani Pontificis in Tridentino Conci-
lio repræsentarunt.

DOCTRINA DE COMMVNIONE SVB VTRAQVE SPECIE, ET parvulorum, publicata in Sessione quinta sacri œcumenici Concilii Tridentini: Sub S. D. N. Pio IIII. Pont. Max. die 16. Iulij, Anno Domini 1562.

PROOEMIVM.

Sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea ejusdem Apostolicæ sedis legatis, cum de tremendo & sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, varia diversis

versis in locis errorum monstra, nequissimi demonis artibus circumferantur, ob quæ in nonnullis provincijs multi à catholica Ecclesiæ fide atque obedientia videantur discessisse censuit, ea quæ ad communionem sub utraque specie, & parvulorum pertinent, hoc loco exponẽda esse. Quapropter cunctis Christi fidelibus interdicit, ne posthac de iis aliter vel credere, vel docere, vel prædicare audeant, quàm est iis decretis explicatum atq; definitum.

LAICOS ET CLERICOS NON conficientes, non astringi jure divino ad communionem sub utraque specie.

CAPVT I.

Itaq; sancta ipsa Synodus, à Spiritu sancto, (qui Spiritus est sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & pietatis) edocta, atq; ipsius Ecclesiæ iudicium & consvetudinem sequuta, declarat ac docet, nullo divino præcepto laicos & clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ Sacramentum, sub utraq; specie sumendum, neque ullo pacto (salva fide) dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. Nam etsi Christus Dominus in ultima cœna, venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit, non tamen illa institutio & traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini, ad utramq; speciem accipiendam astringantur. Sed neque ex sermone illo apud Ioannem sexto, rectè colligitur utriusq; speciei communionem à Domino præceptam esse, utcunq; iuxta varias sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur. Namq; qui dixit: Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam: Panis quem ego dabo, caro est pro mundi vita. Et denique, qui dixit: Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

ECCLESIAE POTESTAS CIRca dispensationem Sacramenti Eucharistiæ.

CAPVT II.

Præterea declarat, hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum veneration, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire iudicaret. Id autem Apostolus non obscurè visus est innuisse, cum ait: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa eius usum. Cætera inquit, cùm venero, disponam. Quare agnoscens sancta mater Ecclesia, hanc suã in administratione Sacramentorũ autoritatem, licet ab initio Christianæ religionis, nõ infrequẽs utriusq; speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissimè iam mutata illa consvetudine, gravibus & iustis causis adducta, hanc consvetudinẽ sub alterâ specie cõmunicandi approbavit, pro lege habendã decrevit, quã reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ autoritate pro libito mutare non licet.

TOTVM ET INTEGRVM Christum, ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumi.

CAPVT III.

Insuper declarat, quamvis redemptor noster (ut antea dictum est) in suprema illa cœna, hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera tantùm specie, totum atque integrum Christum, verumq; Sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

CANON I.

Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam catholicam non iustis causis & rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.

CANON III.

Si quis negaverit, totum & integrum Christum, omnium gratiarum fontem & autorem, sub vna panis specie sumi, quia (ut quidam falsò asserunt) non secundum ipsius Christi institutionem, sub utraque specie sumatur, anathema sit.

EXAMEN.

Non turbabitur, ut opinor Lector, quòd hoc
loco in examine nõ procedimus juxta ordinem
Sessionum Concilii, in quo abrupta tractatione
de Eucharistia, interponitur doctrina de pœni-
tentia, & extrema unctione. Commodissimum
enim esse judicavi, ut ea quæ de Sacramento Eu-
charistiæ inter nos & adversarios controversa
sunt, uno ordine & continua tractatione exami-
nentur & explicentur. Accedit ergo tandem *Communio*
Tridentina Synodus, ad celebrem & vulgatam *sub utraque*
illam controversiam, de communione sub utra- *specie.*
que specie. De qua per multos jam annos, totius
Christiani orbis non taciti tantùm gemitus, non
obscura suspiria, nec privatæ tantùm disputa-
tiones, sub cõmunes querelæ, & publicæ flagi-
tationes sonora voce omnes Ecclesias, atq; adeò,
(quod dubium non est) ipsum etjam cœlũ im-
pleverunt. Ipsas certè, quantũvis crassas, Pontifi-
ciorum aures, tantùm non obtulerunt. Neque
enim nostri tantũ, ostensis evidentissimis & fir-
missimis ex verbo Dei fundamentis & rationi-
bus, strenuè & magno zelo, cùm voce tùm scri-
ptis hoc egerunt, verumetjã inter illos, qui Pon-
tificiis partibus adhuc addicti sunt, ipsa rei evi-
dentia hoc effectum est, quod per varias natio-
nes & regna, publicis votis & quotidianis effla-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gitationibus, restitutio calicis Dominici, petita & postulata fuit: idq; sępius, etjam in solennibus regnorum & nationum conventibus. Necverò promiscuæ & indoctæ tantùm multitudinis hæ flagitationes fuerunt, sed extant hac de re gravissimorum virorum, qui sub ipso Pontificis regno, eruditione & dignitate celebres sunt, querelæ, vota, consilia & monita: imò publicis regũ & principum etjam illorum, qui à doctrina Pontificia non prorsus alieni sunt, legationibus cum aliàs sæpè, tum verò potissimum in congregatione Tridentinæ synodi, solenniter inter cætera postulatum fuit: ut sublata injusta prohibitione usus Dominici calicis, Ecclesiæ Dei juxta Christi institutionem, & primitivæ Ecclesiæ morem restitueretur.

Illæ verò communes & publicæ flagitationes, non ex cœco aliquo impetu, non ex levitate aliqua vel petulantia, non ex stulta novitatis affectatione vel pertinaci dissentiendi libidine, profectæ fuerunt, sed habent rationes profectò gravissimas, firmissimas & evidentissimas, quas in pauca & in summaria capita redactas, non alienum ab instituti nostri ratione erit hoc loco recensere, ut eo commodius ad examen Tridentinorũ decretorum perveniamus. Ipsa enim antithesis rationum utriusq; partis, multum lucis explicationi hujus controversiæ adferet.

ARGVMENTA EX SCRIPTVRA, pro communione sub utraque specie.

Prima ratio sumpta ab ipsa institutione.

Prima igitur ratio ab ipsa institutione Eucharistiæ sumitur. Quia enim de Sacramentis, ex ipsorum institutionibus judicandum est, nulli piorum dubium esse vel potest, vel debet, unicã & solam illam rationem administrandi, dispensandi & usurpandi Sacramenta, quod ad substãtiam ipsorum attinet, optimam, rectissimam & tutissimam esse, quæ in institutione ipsorum, ab ipso filio Dei tradita est. Sacramenta enim non natura creantur, vel humano artificio formantur: sed institutio filii Dei, accedens ad elementa ab ipso ordinata, facit Sacramenta. Si verò institutio filii Dei, vel tollatur, vel adulteretur, vel mutiletur & mutetur, nulla ratione vel confici, vel haberi põssunt vera Sacramenta. Hoc axioma, ne ab ipsis quidem inferorum portis labefactari potest. Extra cõtroversiam autem est, Christum in ea nocte qua tradebatur, cœnam suã instituisse: Accepit panem, gratias egit, fregit, & dedit discipulis suis, dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Accepit verò etjam calicem: & cùm gratias egisset, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, &c. Et Lucas (quod diligenter observandũ est) ostendit, Christum voluisse, parem esse rationem in dispensatione & usurpatione utriusque partis. Absoluta enim descriptione, de dispensatione prioris partis, addit ὡσάντως similiter accepit, & dedit etjam calicem.

Et Matthæus tradit, institutionis hanc esse sententiam, ut omnes illi ex calice Eucharistiæ bibant, qui de uno pane participant. Illis enim qui benedictũ panem jam acceperant, dicit: Bibite ex hoc omnes. Sicut igitur institutio tradit: panem benedictum esse dispensandum: Similiter etjam tradit, calicem esse dispensandum, & quidem illis ipsis, imò omnibus illis, quibus cũ pane exhibetur corpus Christi, ut illud accipiãt & manducent.

Hæc certè ratio non potest non vehementer movere pias mentes, quãdo vident facta discessione ab ipsa institutione filii Dei, illud humana autoritate mutilari, mutari & divelli, quod verbum Dei affirmat, Christum similiter, eodem modo & cõjunctim instituisse, cùm quidem immotum sit fundamentũ, institutionem servandam esse, ut certi simus nos habere verum Sacramentum. Nulla autem alia extat institutio Eucharistiæ, quàm hæc, quæ tradit similiter institutam esse dispensationem & usurpationem utriusque partis.

Secunda à mandato Christi.

Secunda ratio sumitur à mandato Christi. Nõ enim dogmaticè tantũ tradita est institutio cœnæ Dominicæ, sed usurpantur in illa aliquot verba, quæ expresè significant præceptum & mandatum Christi: Accipite, comedite, Bibite ex hoc omnes, Hoc facite. Sicut autem non pro solis duodecim Apostolis, qui tunc interfuerunt, cœnam suam instituit: ita etjam verba mandantia, non tantùm complectuntur tempus & actũ primæ illius cœnæ, sed addicum est mãdatum perpetuum & universale, ut scilicet illud, quod in prima illa cœna factum est, porrò usque ad consummationẽ seculi in Ecclesia fiat. Inquit enim: Hoc (quod scilicet jam in hac prima Dominica cœna factum est) facite in mei commemorationem. Non obscurum autem est, quid in prima cœna factum sit, Christus accepit panem & calicem, gratiarum actione benedixit, distribuit, dedit discipulis, & dixit, &c. Discipuli sumpserunt, manducaverunt, & biberunt.

Et utrinq; addita fuit commemoratio Christi, hoc est, annunciatio mortis ipsius. Mandatũ igitur (Hoc facite) utrumq; complectitur: tum quid ministri Ecclesiæ, in administratione & dispensatione Eucharistiæ: tum quid fidelis populus, in sumptione seu usurpatione facere debeant, hoc scilicet, quod in prima Dominica cœna factum esse, in descriptione institutionis legimus. Illa verò tradit, utrumque & panem & poculum Domini, seorsim & dispensatum & sumptum fuisse. Vtq; omnia essent clarissima, Paulus tradit, se à Domino Iesu, sedẽte jam in gloria sua, accepisse, quod mandatũ illud (Hoc facite) non ad vnã tantùm, sed ad utramq; Eucharistiæ partem pertineat. Distinctè enim & separatim, & ad panem & ad poculum Domini, affirmat additum esse mandatum Christi. Hoc facite. Et ne quis existimet, huic mandato Christi satisfieri, si alterutrum fiat: Paulus in descriptione calicis, utitur particula (ὡσάντως, similiter) ut ostendat, mandatum illud similiter eodem modo, & pari ratione, nec minus pertinere ad calicem quàm ad panem. Paulus enim, quando vult significare, Diaconos non minus quàm Episcopos debere irreprehensibiles esse, utitur particula ὡσάντως. 1. Timoth. 3. Nec verò ad illos tantùm, quibus ministerium administrandi, & dispensandi Eucharistiam à Christo commendatũ est, pertinet particula, Hoc facite. Paulus enim

lus enim in descriptione calicis, verba Christi ita recitat, ut manifestè ostendat, mandatum illud pertinere ad illos etjam quibus Eucharistia dispensatur, datur seu exhibetur. Inquit enim: Hoc facite, quotiescunque biberitis. Mandatũ ergo Christi, quòd cœnam suam in Ecclesia, usque ad judicium, velit administrari, dispensari, sumi & usurpari, in pane scilicet & poculo benedictionis edendo & bibendo, certum & manifestum est. Et piorum conscientias hoc argumento vehementer moveri, non est mirum. Vniversalis enim est sententia, quæ in Scriptura sæpius repetita est: Mandatis Domini nihil esse addendum, nihil detrahendum: non esse ab iis declinandum, sive ad dexteram, sive ad sinistram. Et gravissima est Cypriani sententia, lib. 2. Epist. 3. Si ne unum quidem ex minimis mandatis legis solvere debet: multò minus ex his magnis mandatis, pertinentibus ad ipsum Dominicę passionis & nostræ redemptionis Sacramentum fas est ullum infringere, vel humana traditione mutare. Et Ambrosius 1. Corinth. 11. disputans de illis qui indignè hoc Sacramentum tractant, ita ut judicium sibi acquirant, ita inquit: Indignus est Domino, qui aliter celebrat hoc mysterium, quàm ab eo traditum est. Non enim potest devotus esse, qui aliter præsumit quàm datum est ab autore.

Tertia à jure Testamentorum.

Tercia ratio sumitur à jure testamentorum. Nota enim est Pauli sententia, Galat. 3. ne in hominis quidem testamento, quando confirmatum est, licere aliquid, sine sacrilegii crimine vel abrogare vel superordinare. Est autem tota cœna Dominica, proprium novi Testamenti Sacramentum. De calice verò Christus propriè & peculiariter inquit: Hic calix novum Testamentum est in meo sangvine, Illud Testamentum filius Dei mediator, in ea nocte qua tradebatur, condidit, illud Testamentum effusione preciosissimi sui sangvinis obsignavit. In illo Testamento non terrena & caduca, sed cœlestia & æterna bona Ecclesiæ suæ legavit. Cumq; hujus sui Testamenti calicem in cœna Dominica dispensandum & bibendum omnibus illis pro quibus sangvinem suum effudit, instituerit: horrenda profectò audacia est, usum testamentarii hujus calicis, majori parti Ecclesiæ eripere & prohibere. Quis igitur nisi Antichristus indignetur, Ecclesiam sponsam petere & flagitare, sponsi sui Testamentum, intemeratum & integrum sibi restitui?

Quarta ab exemplo Apostolorum.

Quarta ratio sumitur, ab exemplo Apostolorum. Cùm enim Apostoli viderent sangvinem à corpore Christi, tunc cùm calicem ipsis præberet, non esse separatum, nec effusum: non tamen judicãrunt, ideo usum calicis vel esse arbitrariũ, vel prorsus posse intermitti, cùm jam in pane accepissent corpus Christi nõ exangue, sed vivum & integrum, sed sicut jussi erant, Bibite ex hoc omnes: ita simplici obedientia huic mandato, sine disquisitione rationum, & sine prætextu periculi obtemperârunt. Marcus enim inquit: Et biberunt ex eo omnes. Suo igitur exemplo Apostoli nos instruxerunt, in mysterio cœnæ, simplici obedientia in hærẽdũ esse institutioni & mandato filii Dei: & contra expressa verba institutionis, nullas admittendas esse vel rationes, vel argumentationes.

Quinta à traditione Apostolica.

Quinta ratio sumitur à traditione Apostolica, quæ literis comprehensa, & indubitata est. Pontificii disputant, mandatum institutionis de calice, pertinere non ad omnes fideles, sed tantùm ad Apostolos, & ad illos qui ipsis in ministerio succedunt. Sed quomodo Christus mandatum illud intelligi voluerit, & in quo sensu Apostoli illud Ecclesiæ proposuerint, nõ potest certius quàm ex Paulo colligi. Is enim manifestissimè testatur 1. Corinth. 11. se Ecclesiæ Corinthiorum tradidisse dispensationem & usum utriusq; speciei, sicut vulgò nunc loquimur. In uno enim illo capite, de corpore & sangvine Christi, de edendo & bibendo, seorsim & copulativè, ad minimum sexties repetit: idq; ita, ut affirmet se à Domino sedente jam ad dexteram patris, ita accepisse, sicut Corinthiis tradidit. Tradidit autem ipsis dispensationem & usum utriusque speciei: id quod extra omnem controversiam certum & manifestum est. Num verò solis Sacerdotibus apud Corinthios hoc tradidit? Certè inscriptio Epistolæ habet: Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis. Nec tantùm Corinthiis Epistolam illam inscribit, sed addit: Cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsorum & nostro. Hoc testimonio valde illustre est. Quia enim Christus in prima cœna, solos duodecim Apostolos mensæ adhibuit: Pontificii disputant, ad solos Apostolos, & qui ipsis in ministerio succedunt, mandatum institutionis de utriusque speciei pertinere, ita ut laici præcepto divino non obligentur ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie, sed sufficiat ipsis alterius tantùm speciei communio. Sed Paulus manifestè testatur, se in Ecclesia Corinthiaca, omnibus vocatis & sanctificatis in Christo, tradidisse usum utriusque speciei: & affirmat, se illud quod Corinthiis tradidit, ab ipso Domino accepisse. Atque ita mandatum Christi, de usu utriusque speciei, accommodat ad totam Ecclesiam. Falsum enim est, quod quidam fingunt, Paulum ibi nudam tantùm historiam institutionis cœnæ Dominicæ, & quidem historicè tantùm recitare: cùm totus contextus tantùm non clamitet, ideo Paulum repetere & abducere verba institutionis, ut ex illa norma & regula, errores & abusus qui in Ecclesiam Corinthiacam, circa administrationem & usum Sacramenti hujus irrepserant, corrigat: ut q; veram rationem in administratione & usu cœnæ Dominicæ, ex fonte & fundamento institutionis ipsis monstret. Et accommodatio ad Ecclesiam Corinthiacam, manifesta est in illis verbis: Quotiescunque manducabitis panem hunc, & poculum hoc bibetis. Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, &c.

Illam verò doctrinam, & illud mandatum de edendo pane, & bibendo poculo Domini, sumit & extruxit ex verbis institutionis. Atq; ita mandatum Christi de calice, ad totam Ecclesiam accommodat: & confirmat se, & verba institutionis, & illorum accommodationem, sicut eam Ecclesiæ Corinthiorum tradidit, à Domino accepisse,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cepisse. Atque ita corruit sophisma Iesuitarum, qui dicunt, Paulum tradidisse quidem omnibus sanctificatis in Ecclesia Corinthiaca usum poculi Dominici, non autem præcepisse: quia tradere non idem sit quod præcipere, non autem dicit, Præcepi vobis: sed, Tradidi vobis. Ego verò Paulum studiosè ita locutum esse video, ut potestatem præcipiendi & prohibendi aliquid in substantialibus cœnæ Dominicæ, omni cuicunque humani autoritati adimeret, & soli Christo assignaret. Ideò ipse licet præcipuvs Apostolus, non tamen hoc sibi sumere vel voluit, vel ausus fuit, ut in administratione & usu hujus tanti Sacramenti, quod Testamenti appellationem habet, sua autoritate aliquid vel præciperet, vel prohiberet: sed Domini præceptum & mandatum allegat: Accipite, edite, bibite. Et illud sua accommodatione, quam à Domino accepit, ostendit pertinere non tantùm ad duodecim Apostolos, nec tantùm ad Sacerdotes: sed ad omnes vocatos & sanctificatos in Christo Iesu, non tantum in Ecclesia Corinthiaca, sed in omni loco. Quòd ergo Paulus non dicit, Ego præcepi vobis: sed Præceptum & mandatum quod ab ipso Domino accepi, ejus jussu vobis vocatis & sanctificatis in Christo tradidi: multò fortius obligat, quàm si dixisset: Ego præcepi vobis. Sicut pulcherrimè hoc intelligi & illustrari potest, ex eo quod 1. Corinth. 7. dicit: Non ego præcipio, sed Dominus. Quòd igitur Paulus 1. Corinth. 11. dicit. Tradidi vobis: idem est, ac si diceret: Quod ad administrationem & usum cœnæ Dominicæ attinet, non consilium do, sed præceptũ Domini habeo. Hoc argumentum pulcherrimũ non animadvertissem in verbis Pauli, nisi Iesuitarum cavillatio, quòd Paulus non præceperit, sed tradiderit Corinthiis usum utriusque speciei, ad hanc observationẽ me deduxisset. Quòd verò dicunt, Paulum verba institutionis tantùm historicè, sine accommodatione vocatos & sanctificatos in Christo, in omni loco recitare, falsum est. Ita enim historiam institutionis recitat, ut mox eam accommodet ad Corinthios, & ad omnes quibus Epistolam inscripsit. Et quidem mandatum Domini, de communione utriusque speciei in prima cœna, Apostolis datum, Paulus sicut à Domino accepit, ad omnem hominem vocatũ & sanctificatum in Christo Iesu, accommodat cùm inquit: Quotiescunque manducaveritis & biberitis, &c. Ne verò quis existimet, Paulum hoc arbitrarium facere: mox per modum Imperativum, in forma mandati repetit: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Operæ precium verò est considerare, quomodo clarissimam illã Pauli sententiam, Andradius & Colonienſis Horstius eludere conentur. Dicunt enim, mandatum illud Pauli pertinere tantùm ad probationem, non verò etjam ad manducationem & bibitionem in cœna Dominica: ut sensus sit, inquit Horstius: Modò homo probatus sit, tunc sive unam, sive utramque speciem sumat, perinde est. Sed sophistica, imò sycophantica potius, non tam elusio quàm depravatio est manifestissimæ sententiæ. Verum est, Paulus præcipit, ut homo usurus cœna Dominica, prius se probet. Sed quando homo se probavit, tunc Paulus affirmat mandatum Dei esse, & quidem copulativum mandatum, ut homo probatus de pane illo edat, & de poculo bibat. Non minus enim imperativa verba sunt, & ejusdem formationis per copulam cõnexa, ἐσθιέτω καὶ πινέτω, quàm est διοκιμαζέτω. Nec verò pro circumstantia loci, & conditione Ecclesiæ Corinthiacæ, usum utriusque speciei Paulus tradidit, ut sit traditio non universalis, sed particularis. Titulus enim Epistolæ ostendit, ea quæ ibi traduntur, pertinere non tantùm ad Corinthiacos, sed ad omnes qui invocant nomen Domini, in omni loco. Et in tractatione de cœna Dominica, utitur generali vocabulo: Homo seipsum probet, & sic edat & bibat. Vniversalis igitur est Pauli in accommodatio mandati Christi, de edendo pane, & bibendo poculo cœnæ, ad homines omnes vocatos & sanctificatos, in omni loco. Et idẽ servatum fuisse in praxi Apostolicæ Ecclesiæ, certum est. Sicut enim inquit, prima Corinthios decimo: Vnum corpus sumus, quia omnes de uno pane participamus, ita 1. Corinth. 10. inquit: Omnes in unum spiritum potati sumus. Nec verò ad tempus tantùm Paulus illa ita ordinavit, ut traditio sit temporaria: sicut Sophistæ fingunt, Paulum cum inquit, Reliqua quando venero, disponam: voluisse postea abrogare usum utriusque speciei: cùm non de illis quæ à Domino accepta tradiderat, loquatur, sed τὰ λοιπὰ inquit. Et habemus clarissima verba Pauli. Præcipit enim mortem Domini annunciari, quando de pane Domini edimus, & de poculo ejus in cœna bibimus, donec Christus redeat ad judicium: hoc est, mandatum Domini de manducando & bibendo in cœna Dominica, durare debet usque ad consummationem seculi, & extremum judicium. Nec tantùm ut Sacerdotes edant & bibant in cœna Domini. Ideo enim Paulus non in prima persona loquitur, Nos edimus & bibimus: sed dirigens sermonem juxta inscriptionem Epistolæ, ad vocatos & sanctificatos in Christo, omnesq; qui invocant nomen Domini in omni loco, inquit: Quotiescunque panem hunc comederitis, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciate donec veniat. Non erant autem Corinthii illi permansuri in hac vita, usque ad consummationem seculi. Tradit ergo Paulus doctrinam de usu utriusque speciei Eucharistiæ, pervenientem ad omnes qui invocant nomen Domini, in omni loco, non tantùm tempore Apostolorum, sed & futuris temporibus. Et durare debet hæc Apostolica traditio, ab ipso Domino accepta, usque ad consummationem seculi, donec Dominus redeat ad judicium.

Elusio Paulinæ sententiæ per Andradiũ & Horstiũ.

Hæc adeò sunt manifesta, ut rectè usurpetur illud Augustini: Valeat ad sui demonstrationem ipsa rei evidentia. *Augustinus.*

Nec diversa fuit reliquorum Apostolorũ doctrina & traditio. De traditionibus enim, in epistola ad Corinthios comprehensis, docet 1. Cor. 15. Sive ego, sive reliqui Apostoli, ita docemus, & ita credidistis. Et 1. Cor. 14. Ita in omnibus Ecclesiis doceo. Eccius cùm reliquis argumentis non satis fidat, tandem eò decurrit, ut fingat esse tacitam

etjam Apostolorũ traditionem, communionem sub una specie. Rectè ergo & verè dixi contra Iesuitas, licet ringatur Andradius, Pontificios ab illis quæ Apostolos tradidisse, ex scriptis ipsorũ certò constat, liberè discedere, arbitraria illa facere, imò prohibere, sicut de usu calicis constat. Figmenta verò quæ præexcu tacitarum traditionum Ecclesiæ obtrudũt, sicut Eccius de communione sub una specie, etjam sine supposititio aliquo antiquitatis testimonio fingit: adeò facium necessaria, ut propterea ferro & flamma persequantur pios. Nos verò rectè opponimus illud Pauli. Galat. 1. Si quis evangelizaverit præter quod accepistis, anathema sit: etjamsi vel Apostolus, vel Angelus de cœlo esset. Accepit autem Ecclesia ex Apostolorum traditione, usum utriusque speciei. Anathema igitur sit, quicunq; aliud docet.

Argumen. 6. à fructu consolationis.

Sexta ratio sumitur à fructu consolationis, quam verba Christi annexa communioni calicis præbent. Verum quidem est, etjam extra usum cœnæ Dominicæ, voce Evangelij in credentibus fieri applicationem beneficiorum Christi mediatoris. In cœna etjam, exhibitione corporis sui, Christus donat, applicat & obsignat credentibus beneficia, quæ traditione sui corporis promeruit, attamen Sacramentorum vis & efficacia, æstimanda est ex verbo, quod voce divina cuique Sacramento proprium & peculiare est annexum. Dulcissima igitur est promissio, quæ communioni calicis, voce filii Dei annexa est. Bibite ex hoc omnes: hic calix novum Testamentum est in meo sangvine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Novum Testamentum complectitur gratiam Dei, & reconciliationem, remissionem peccatorum, adoptionem, &c. juxta dictum Ieremiæ, cap. 31. Iam de hac quæstione pia mens valde angitur, An fœdus gratiæ Dei in Christo, privatim ad me etjam pertineat. Opto & suspiro, ut in illud fœdus novi Testamenti verè & certò recipiar, sim, inveniar, & maneam semper in illo fœdere, ut sit illud mihi perpetuò firmum & ratum. Filius Dei verò communioni calicis addidit svavissima verba, quibus testatur se poculum cœnæ suæ instituisse, ut sit medium seu organum, per quod peculiariter & efficaciter novum illud Testamentũ singulis fide sumentibus vult applicare, obsignare & confirmare: utq; fides nostra certa sit, nos verè & certò in fœdus illud recipi, esse, inveniri, & confirmari nos in illo fœdere, ut ratũ & firmum nobis sit, affirmat se præbere & exhibere nobis in hoc poculo, illum ipsum suum sangvinem, cujus effusione acquisitum, stabilitum & confirmatum est novum Testamentum. Hoc fructu dulcissimæ & necessariæ consolationis, qua filius Dei clementer Ecclesiæ suæ prospexit, piæ conscientiæ nolunt privari: sed cum vera animi gratitudine, hoc Testamento filii Dei utuntur ad fidei cõfirmationem. Quicquid enim fit, quod de voce Euangelii, & de communione corporis Christi contra hanc sententiam objicitur, certum est filium Dei non frustrà nec ociosè, præter prædicationem Evangelij, & communionem corporis sui, etjam calicem sangvinis sui Ecclesiæ instituisse: & quidem additis illustrioribus verbis de applicatione, obsignatione & confirmatione novi Testamenti, singulis fidesumentibus. Sicut enim Deus dives est in misericordia, variis mediis à se institutis offerens, applicans & obsignans nobis gratiam suam: ita nos variis modis opus habemus medicatione & confirmatione. Quæ igitur talia media à filio Dei instituta esse constat, illis reverenter utamur: nec admittamus prophanas argumentationes, quasi nulla necessaria gratia defraudemur, etjamsi unam speciem solam accipiamus, licet Christus utramque instituerit. Non enim de vini vel specie vel substantia potissimum agitur, sed de dulcissimis verbis, quæ filius Dei sua voce annexa esse voluit cõmunioni calicis. Agitur de necessaria consolatione, & confirmatione fidei, quæ verbis illis continetur, deq; preciosissima obsignatione hujus promissionis, per exhibitionem sangvinis in remissionem peccatorũ nostrorum fusi. Non enim pani, sed calici Christus hæc verba peculiariter annexa esse voluit: Bibite ex hoc omnes: Hic calix novum Testamentum est, &c. Hunc thesaurum Ecclesiæ eripiunt, qui usum calicis ei adimunt & prohibent. Nec satis est quòd dicunt, nos cùm corpus Christi edimus, simul etjam sangvinem ejus accipere. Filius enim Dei instituit ut communione calicis peculiariter fiat exhibitio sangvinis sui, & obsignatio hujus promissionis. Hoc est novum Testamentum in meo sangvine, &c. Nec ulli creaturæ licet, verba illa à calice divellere, & alio transferre. Sacramentorum enim vis & efficacia, judicatur ex verbo Christi: quod sua voce singulis annexum esse voluit.

TESTIMONIA ANTIQVITATIS de communione sub utraque specie.

Postremò à testimoniis & exemplis primæ, veræ, & purioris Ecclesiæ, multæ illustres sumũtur rationes. Inde enim contra omnes recentes cavillationes rectè colligitur, primitivam Ecclesiam verba institutionis cœnæ, de communione calicis ex Apostolorum traditione intellexisse, non ad solos sacerdotes, sed ad totam Ecclesiam pertinere. Extant autem à multis annotata testimonia & exempla, juxta seriem temporum, ex omnibus vetustis Scriptoribus: quòd in legitima & solenni celebratione cœnæ Dominicæ, in conventu Ecclesiæ, Sacramentum Eucharistiæ non aliter quàm sub utraque specie, panescilicet & vino administratum & dispensatum fuerit: in Orientali quidem Ecclesia, in hunc usque diem: In Occidentali verò Ecclesia, mille annis continuis, & amplius. Illa igitur annotatione exemplorum, quia vulgata & notata est, omissa, judico hoc argumentum de testimoniis antiquitatis, utiliter posse illustrari: si non tantùm exempla notentur, sed si præcipuè observentur rationes, quibus adducta vera & purior antiquitas, usum & communionis sub utraq; specie, cõstanter servandum esse censuit. Ita enim habebimus testimonia antiquitatis, non tantùm de facto, sed quod magis confirmat pios de jure communionis sub utraque specie. Non enim exempla tan-

Orientalis Ecclesia.

Occidentalis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pla tantùm obſervanda ſunt in hiſtoria antiquitatis, ſed præcipua ratio habenda eſt dogmatũ, & quæ habuerint fundamenta dogmatum. Illa etjam obſervario ſimul oſtendet, ex ipſa hiſtoria antiquitatis ſumi poſſe ſolutiones & refutationes ſophiſmatum, quibus Pontificii mutilationem cœnæ Dominicæ, contra manifeſta inſtitutionis verba, defendere conantur.

Prima autem obſervatio de rationibus veterum, hæc eſt: quòd non tantùm de facto utramq; ſpeciem diſpenſarunt toti Eccleſiæ, ſed quod dogma fuit in veteri & puriori Eccleſia, verba cœnæ de cõmunione calicis, ex inſtitutione & mandato Chriſti, pertinere non tantùm ad ſolos ſacerdotes, ſed ad totã Eccleſiã. Chryſoſtomus homilia 18. in 2. ad Corinth. Eſt ubi nihil differt ſacerdos à ſubdito, ut quando fruendum eſt myſteriis. Similiter enim omnes ut illa participemus, digni habemur. καὶ ὁ καθάπερ ἐπὶ τῆς παλαιᾶς, τὰ μὲν ὅ ἱερεὺς ἴσθι, τὰ δὲ ὁ ἀρχομένῳ, καὶ βέμις ὃν ἦν τῷ λαῷ μετέρχεσθαι, ὧν μετέρχεται ὁ ἱερεύς, ἀλλὰ πᾶσιν ἓν σῶμα πρόκειται, καὶ ποτήριον ἓν. hoc eſt, Non ſicut tempore veteris Teſtamenti, quædã ſacerdos, quædã verò populus comedebat: nec fas erat, populum participare illis, quorum ſacerdos particeps erat: ſed (nunc ſcilicet, tempore novi Teſtamenti) omnibus unum corpus proponitur, & unum poculum.

Chryſoſtom.

Ignatius.

Ignatius ſcribens ad univerſam Eccleſiã Philadelphienſem, meminit Epiſcopi, presbyteri, Diaconorum & populi, inquit autem: Adhortor vos, ut una fide, una prædicatione, & una Euchariſtia utamini. Vna enim eſt caro Domini Ieſu, & unus ejus ſangvis, pro nobis effuſus: unus etjã panis omnibus confractus, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διανεμήθη. hoc eſt, unum poculum univerſis diſtributum.

Theophylactus.

Theophylactus in 1. ad Corinth. 11. dicit, tremendum calicem Domini, cunctis pari conditione traditum eſſe.

Autor ſermonis de cœna Domini, qui Cypriano tribuitur: Lex eſum ſangvinis prohibet: Evangelium præcipit ut bibatur, Bibimus autem de ſangvine Chriſti ipſo jubente, vitæ æternæ cum ipſo & per ipſum participes: & fatentes nos per peccati guſtum beatitudine privatos & damnatos, niſi nos Chriſti clementia ad ſocietatem vitæ æternæ ſuo ſangvine reduxiſſet, Nobis itaq; pro quibus ſangvis Chriſti oblatus eſt in cruce, quos ſacrificiũ hoc reconciliavit Deo, ipſe Chriſtus pincerna porrexit hoc poculum.

Hieronymus.

Hieronymus 1. ad Corinth. 11. Dominica cœna omnibus debet eſſe communis: quia ille omnibus diſcipulis ſuis qui aderant æqualiter tradidit Sacramenta. Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Leviticum, cap. 57. Quid ſibi vult, quòd à ſangvine ſacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantoperè populus prohibetur, ſi illis ſacrificiis unum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vera fit remiſsio peccatorum? A cujus tamen ſacrificij ſangvine in alimentum ſumendo, non ſolùm nemo prohibetur, ſed ad bibendum potius omnes exhortentur, qui volunt habere vitam.

Paſchaſius.

Paſchaſius colligens expoſitionem Patrum de cœna Domini, cap. 15. inquit: Chriſtus eſt qui frangit hunc panem, & per manus miniſtrorum tribuit credentibus. Similiter & calicem porrigit eis, dicens: Accipite, & bibite ex hoc omnes, tàm miniſtri, quàm reliqui credentes.

Nicephorus. *Damaſcenus*

Nicephorus lib. 1. cap. 28. recitata inſtitutione cœnæ de utraque ſpecie, addidit, Chriſtum illud deinde ad eundem modum, in futurum deinceps fidelibus faciendum, ad ſynceram & evidentem memoriam per manus tradidiſſe.

Diſcrimen verò inter miniſtros & populum hoc notant veteres, quòd per illos populo diſpenſetur idem quod ab ipſis ſumitur, panis ſcilicet, & poculum Domini.

Ita Damaſcenus de Orthodoxa fide lib. 4. cap. 14. Chriſtus novum Teſtamentum diſpoſuit ſanctis diſcipulis, & per ipſos aliis in ipſum credentibus.

Liturgia Baſilij & Chryſoſtomi.

In Liturgia Baſilii & Chryſoſtomi, orat ſacerdos: Dignare Domine dare nobis corpus & ſangvinem tuum, & per nos populo.

Hymnus feſti corp. Chriſti.

Et in Hymno feſti Corporis Chriſti, ipſi Pontificij ita canunt: Dedit fragilibus Corporis ferculum, dedit & triſtibus ſalutis poculum, dicens: Accipite quod trado vaſculum, omnes ex eo bibite. Sic ſacrificiũ iſtud inſtituit, cujus officiũ committi voluit ſolis presbyteris, quibus ſic convenit ut ſumant, & dent cæteris.

Secundò, quando in communione calicis plebi miniſtranda, aliquid aliud quàm verba inſtitutionis habent, tentabatur, Patres graviſsimas oppoſuerunt rationes ab exemplo, magiſterio, traditione, præcepto & mandato Domini. Quæ rationes expoſitæ extant apud Cyprianum, lib. 2. Epiſtola 3. Cùm enim tunc temporis quidem prætextu ſobrietatis, ſola aqua ſine vino, in calice Domini plebi miniſtrãdo uterentur: Cyprianus opponit rationes ex inſtitutione cœnæ: quæ non tantùm de illo caſu loquuntur, ſed ſunt generales & univerſales, & expreſsè in genere hanc theſin tractant, quid faciendum ſit in calice Dominico ſanctificando, & plebi adminiſtrando: atq; ideo ad hanc noſtram controverſiam, quæ eſt de calice Domini plebi miniſtrando, rectiſsimè accommodantur. Sunt autem hæ præcipuæ Cypriani rationes. In calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando, tenendum eſſe Evangelicæ veritatis, ac Dominicæ traditionis rationem: nec ab eo quod Chriſtus magiſter & præcepit & geſsit, humana & novella inſtitutione eſſe decedendum. Et pronunciat eos errare, qui in calice Dominico ſanctificando, & plebi adminiſtrando, non hoc faciunt quod Chriſtus, ſacrificij hujus autor & Doctor, fecit & docuit. Et in illo errore dicit revertendum eſſe ad indicem atque originem Dominicæ traditionis, ut non aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit. Item: Quòd ſi à Domino præcipitur: & ab Apoſtolo ejus hoc idem confirmatur & traditur, ut quotieſcunq; in commemorationem Domini biberemus, hoc faciamus quod fecit & Dominus: invenimur non obſervari à nobis quod mandatum eſt, niſi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus. Item, quòd Chriſtus ſolus debeat audiri pater, de cœlo conteſtatur: Hunc audite. Quòd ſi ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere quid aliquis

quis ante nos faciendum putaverit, ſed quid ille qui ante omnes eſt. Chriſtus prior fecerit. Neq; enim hominis cõſvetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem cùm per Iſaiam Deus dicat: Fruſtrà colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Item: Si in ſacrificio quod Chriſtus eſt, non niſi Chriſtus ſequendus eſt: ille utique Sacerdos Chriſti vice fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur. Et ideo ſi quis de anteceſſoribus noſtris vel ignoranter, vel ſimpliciter non hoc obſervavit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magiſterio ſuo docuit, poteſt ſimplicitati ejus de indulgentia Domini, venia concedi: nobis verò non poterit ignoſci, qui nũc à Domino admoniti & inſtructi ſumus. Et tandem diſputationem illam ita concludit: De hoc quoque ad collegas noſtros literas dirigamus, ut ubique lex Evangelica & traditio Dominica ſeruetur, & ab eo quod Chriſtus docuit & fecit, non recedatur. Hæc ſunt ſolidæ rationes, & quidem verbis graviſsimis, quaſi de induſtria ad præſentem hanc controverſiam formatæ, & Pontificiorum ſophiſmatis oppoſitæ. Scio autem, Cyprianum in illa Epiſtola diſputare contra aquarios, non contra communionem ſub una tantùm ſpecie, quæ ignota tunc fuit Eccleſiæ. Sed rationes ſunt generales, & expreſsè loquuntur, quid in calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando faciendum ſit, ut traditio Domini ſervetur. Rectè etjam illæ

Cyprianus.

Cypriani rationes ad præſentem controverſiam à minore ad majus accõmodantur. Si enim tàm acriter graviſsimis rationibus pugnat contra aquarios, qui ipſum calicem & verba calicis populo relinquebant, tantùm verò in elemento aliquid mutabant: quantò acrius putas ipſum inſurrecturum fuiſſe ex iiſdem fundamentis, ſi quis tunc totum calicem Dominicum, & verba calicis, fideli populo eripere & prohibere voluiſſet? Ita cùm circa annum Domini 340. quidam intinctam Euchariſtiam populis pro complemento communionis porrigerent, Iulius pronunciat, hoc Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ eſſe contrarium. Et dicit, hoc ab ipſo fonte veritatis probari, à quo ordinata ipſa Sacramentorum myſteria proceſſerunt. Et mox dicit, probationem illam eſſe teſtimonium Evangelii, ubi ſeorſim panis, ſeorſim calicis commendatio memorantur. Calicem igitur ſeorſim populis eſſe porrigendum. Iulius Papa ex inſtitutione cœnæ in Evangelio deſcripta, probat: & intinctionem Euchariſtiæ, quia inſtitutioni non eſt conſentanea, improbat. Tertia veterum ratio fuit: Quia Chriſtus in inſtitutione Sacramẽti Euchariſtiæ, duas ſpecies adhibuit, panem ſcilicet & vinum, & ſingulis addidit mandatum, Hoc facite. 1. Corinth. 11. Ex hoc igitur fundamento patres docuerunt, ad integritatem, complementũ & conſummationem hujus ſacræ communionis, pertinere uſum utriuſque ſpeciei: & quidem uſum calicis vocarunt complementum communionis, & conſummationem myſteriorum. Ita Paſchaſius & Algerus, diſputantes quare Chriſtus ſub duabus ſpecieb. ſeorſim & diviſim (ita enim veteres loquuntur) inſtituerit Euchariſtiam: allegant hanc Auguſtini ſententiam: nec caro ſine ſangvine, nec ſangvis ſine carne jure communicatur.

Gelaſius.

Gelaſius de illis qui à calice ſacrati cruoris abſtinebant, ita decernit, de conſecrat. diſtinct. 2. cap. comperimus. Aut integra Sacramẽta percipiant, aut ab integris arceantur, eò, quòd divi-ſio unius ejuſdemq; myſterii, ſine grandi ſacrilegio nequeat provenire. Iulius diſt. 2. cap. Cùm omne vocat complementum communionis, quod in Evangelij teſtimonio ſeorſim calicis cõmendatio commemoratur.

Ambroſius.

Apud Ambroſium lib. 1. Officiorum cap. 41. Laurentius Diaconus dicit, ſibi à Sixto Epiſcopo commiſſam fuiſſe Dominici ſangvinis diſpenſationem: & hanc vocat conſummandorũ conſortium Sacramentorum. Diſpenſatio igitur calicis eſt conſummatio Sacramentorum.

Caſſander.

Caſſander citat ex ordine Romano, de celebratione Miſſarum diſpenſationem calicis vocari confirmationem communionis. Verba hæc ſunt: Archidiaconus recepto calice de manu Epiſcopi, confirmat omnes ſangvine Dominico, quos communicaverat Pontifex corpore Dominico.

Leo.

Leo primus Sermone 4. Quadrageſimali, de Manichæis dicit: Ore indigno corpus Chriſti accipiunt: ſangvinem verò redemptionis noſtræ, haurire omnino declinant.

Ignotum igitur tunc fuit Leoni, Sophiſtarum commentum, eos qui ſub una ſpecie corpus Domini accipiunt, ſimul etjam in pane ſangvinem ejus haurire, licet à calice ſacrati cruoris abſtineant.

Quarta veterum ratio fuit, quòd ex verbis inſtitutionis, quæ voce filii Dei, communioni calicis addita ſunt, intellexerunt uſum calicis habere peculiarem fructum, vim & efficaciam, facien te hoc verbo quod calici annexum eſt.

Ambroſius.

Ita Ambroſius de Sacramentis lib. 4. cap. 6. Si quotieſcunque effunditur ſangvis, in remiſsionem peccatorum effunditur: debeo illum ſemper accipere, ut ſemper mihi peccata dimittantur: qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.

Lib. 5. cap. 3. Quotieſcunque bibis, remiſsionem accipis peccatorum, & inebriaris in ſpiritu.

Cyprianus.

Cyprianus lib. 1. Epiſto. 2. Quos exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus. Nam quomodo provocamus eos in confeſsione ſangvinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſangvinẽ denegamus? Aut quo modo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos ad bibendum prius in Eccleſia poculũ Domini, jure communicationis admittimus? Et obſervet Lector, quod Cyprianus dicit, populum jure communicationis ad poculum Domini in Eccleſia eſſe admittendum. Hilarius lib. 8. de Trinitate loquens de corpore & ſangvine Chriſti. Hęc accepta & hauſta, efficiunt, ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Remigius, citante Caſſando, calici hos verſus à ſe compoſitos inſculpi curavit.

Remigius.

Hauriat hinc populus vitam de ſangvine ſacro,
Inflicto æternus quem fudit vulnere Chriſtus.

Quintò. Quia Paulus dicit: Quotieſcunque man-

Universidad de Deusto
Biblioteca

manducabitis panem hunc,& poculum Domini bibetis,mortem Domini annunciabitis. Senserunt igitur veteres: sicut passio seu mors Christi confistit in traditione corporis & effusione sangvinis,ita etjam commemorationem mortis Christi, in cœna repræsentandam & celebrandam esse manducatione mystici panis,& portione sacrati calicis: idq; non sola consecratione & sumptione sacerdotis,sed etjam distributione& participatione fidelis populi. Ita Augustinus inquit contra Faustum lib.20. cap.18. Christiani peractis hujus sacrificij memoriam celebrant sacrasancta oblatione, & participatione corporis & sangvinis Domini.

Ambrosius. Ambrosius in 1. Corinth.11. Quia morte Domini liberati sumus,hujus rei memores in edendo & portando corpus & sangvinem,quę pro nobis oblata sunt,significamus,novum Testamentum in his consecuti.

Augustinus. Augustinus in sententiis Prosperi: cùm frangitur hostia,dum sangvis de calice in ora fidelium funditur,quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio,eiusq; sangvinis de latere effusio designatur?

Longobardus. Sextò. Longobardus quærit: Quare sub duplici specie sumatur,cùm sub alterutra sit totus Christus. Respondet autem ex Ambrosio: ut animæ & carnis susceptio in Christo,& utriusq; liberatio in nobis significetur. Valet enim ad tuitionem corporis & animæ quod percipimus: quia caro Christi pro salute corporis, sangvis verò pro anima nostra affertur. Sed si in altera tantùm sumeretur,ad alterius tantùm,id est,animæ vel corporis, non utriusque pariter tuitionem valere significaretur.

Hugo. Hugo de sancto Victore. In utraque sumitur, ad significandum quod duplex est effectus hujus Sacramenti. Est enim redemptio corporis & animæ: quòd non significaretur, si in una tantùm specie sumeretur. Item: Sumptio in utraq; specie,simul redemptionem corporis & animæ sumentis significat.

Augustinus. Augustinus utitur hac ratione: Sicut in hac vita,integra & perfecta refectio seu nutritio, cõstat cibo & potu: ita etjam in Eucharistia proponi corpus Domini in pane edendum, & sangvinem in calice bibendum. Tractatu in Iohan. 26. Cum cibo & potu id appetant homines, ut non esuriant neq; sitiant: hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus & potus, quieos à quibus sumitur,immortales & incorruptibiles facit.

Paschasius. Paschasius ex Augustino ita loquitur: nec caro sine sangvine, nec sangvis sine carne jure communicatur. Totus enim homo ex duabus constans substantiis, redimitur, & ideo carne simul & sangvine saginatur.

Septimò. Patres dicunt, figuras veteris Testamenti de manna,& aqua ex petra, item de agno Paschali,& de sangvine ejus, in novo Testamento impleri in eo, quod communiter universo Christi populo mysticus panis edendus,& poculum Domini potandum proponitur, Ita Chrysostomus homil.23.in priorem ad Corin. Quem admodum tu corpus Domini manducas, ita & illi manna manducaverunt: & sicut tu sangvinem bibis, ita & illi aquam de petra biberunt. Item: Illis mannam & aquam, tibi corpus & sangvinem dedit. Ambrosius de his qui initiantur mysteriis,cap.9. Illis aqua de petra, tibi sangvis è Christo: illos ad horam satiavit aqua, te sangvis diluit in æternum.

Augustinus. Augustinus tracta.26. in Iohannem: Omnes eundem potum spiritualem biberunt: aliud illi, aliud nos: sed specie visibili, quod tamen idem est virtute spirituali.

Ita agnus Paschalis comedebatur, sangvis verò ejus super utrumque postem ponebatur. Illud mysterium ita explicat Gregorius. Quid sit sangvis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis: qui sangvis super utrumque postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed & ore cordis hauritur.

Ad has veterum rationes, de cõmunione sub utraq; specie, diligentius considerandas, occasionem mihi præbuit,& non parum me juvit liber Iustus Cassandri. Vtilior autem & illustrior est hæc observatio rationũ antiquitatis, quàm prolixa & nuda coacervatio exemplorũ: ita enim monstrantur fundamenta causæ, quomodo scilicet, ex quibus fundamentis & rationibus, dogma de communione sub utraq; specie tractatuum, confirmatum & explicatum fuerit. Et hæc observatio manifestè monstrat,pleraq; sophisticas adversariorum rationes priusquam nascerentur, jam dudum à veteribus fuisse explosas & refutatas: sicut postea ostendemus.

Testimonia igitur & exépla antiquitatis, præbent multas firmissimas rationes, contra Pontificiam mutilationem cœnæ Dominicæ. Nam 1. in tota antiquitate, non extat illa Pontificiorum sententia, institutionem calicis pertinere nõ ad laicos, sed ad solos sacerdotes: imò differtè refutatur hæc sententia à veteribus. 2. Veræ antiquitati ignota est illa Pontificia disputatio: Cùm Christus integer & totus sit sub utraque specie, ideò non necessariam esse communionem sub utraq;, sed sufficere sub alterutra specie: imò contrarium extat in Hugone & Lombardo. 3. Reliqua etjam Pontificiorum argumenta, pro defensione unius speciei, prorsus ignota sunt antiquitati: imò pleraq; refutata sunt à veteribus. 4. In tota vera antiquitate non extat dogma illud dogmaticè disputatum & tractatum, cœnam Dominicam in legitimo & ordinario Ecclesiæ conventu, vel debere, vel posse ita administrari, ut populo tantũ una ejus pars dispensetur. 5. Cùm aliquoties tentaretur avulsio calicis à sacra communione fidelis populi, purior antiquitas acriter restitit,& ex verbo Dei defendit usum mystici panis,& sacrati calicis in communione Ecclesiæ. Quæ exempla postea explicanda erunt.

Hæ igitur rationes,& hæc fundamẽta ex Scriptura, & ex testimoniis veræ antiquitatis, quia certa, firma, manifesta & illustria sunt sua veritate & gravitate, non nostris tantùm perfvaserunt usum utriusque speciei, verumetjam illorũ animos, qui adhuc in Babylonica captivitate regni Pontificij detinentur, permoverunt, quòd judicant ademptionem & prohibitionem calicis nõ esse justam: sed petunt & flagitant, ut vetus mos priscæ cõmunionis, juxta Scripturæ sententiam, & antiquitatis testimonia, Ecclesiæ restituatur.

Mira

Pontificiorũ pertinacia. Mira autem, & verè horrenda est Pontificiorum hac in parte pertinacia, quòd nec clarissima veritatis luce, nec justissimis totius Christiani orbis querelis & flagitionib, hactenus quicquam moti fuerunt: sed obstinatè & pertinaciter, injustam istam prohibitionem, & impiã mutilationem, non tàm argumentis quàm ferro, flamma & exiliis piorum, juxta clausulam decreti Constantiensis de invocando brachio secvlari, defenderũt. Et nunc in Tridentino concilio, cùm post multas varias & longas tergiversationes, tandẽ de controversia illa aliquid decernendũ sit: cùm res ipsa ostendat, amplius nõ posse teneri hominũ vota, quin aliquid hac in parte sit concedendum: hoc tamen artificio utuntur, quòd justissimas petitiones de restitutione calicis Dominici damnant, & Pontificiam mutilationem justificant, priusquam aggrediantur quæstionem: An, quid, quantum, & quomodo sit concedendum. Miretur autem quis, cùm simulãt se sangvinem Christi non invidere populo Christiano, ut quẽ cum corpore in pane ipsis tradant, cumq; fingãt, in calice esse accidentia sine subjecto: cur tàm pertinaciter dimicent, ne usus calicis ita sicut petitur, scilicet juxta Scripturæ sententiam, & antiquitatis testimonia, Ecclesiæ Dei restituatur. Sed non est dubium, subesse valde magnas causas, quòd judicant sine dispendio & detrimento regni Pontificij, non posse restitutionem illam, ita sicut petitur, fieri. Et utile est de causis illis cogitare: ita enim rectius intelligi poterit consiliũ, mens, scopus, finis, & novum artificium decretorum Tridentinorum.

Et ipsi quidem cùm longè alia prætexant, veras causas strenuè dissimulant, non tamen adeò vel occultæ vel obscuræ sunt, quin ex ipsorũ dictis & factis intelligi possint, ut non opus sit vel forensibus conjecturis, vel mathematicis divinationibus. Et quia etjam hæc consideratio, aliquid lucis examini Decretorum afferre potest:

Rationes ob quas Pontificij tantoperè propugnent mutilationẽ cœnæ Dominicæ.

breviter notabimus præcipuas causas, quas Pontificii habere videntur, quare tàm obstinatè & pertinaciter, contra manifestissimã veritatis lucem, mutilationem cœnæ Dominicæ, conquisitis rationibus qualibuscunq; propugnent.

1. Prima autem causa est, quòd ipsi scribũt se veneri, si sublata tot annorũ prohibitione, usus calicis ita sicut petitur juxta scripturæ scilicet sententiam, & antiquitatis testimonia, Ecclesiæ restituatur: fore ut in reliqua coagmẽtatione structuræ regni Pontificij, multa alia labefactentur & concidant. Quia enim mutilatio illa cœnæ Dominicæ aliquot conciliis, Constantiensi scilicet & Basilien si, decreta à multis Pontificib. stabilita, & per patronos regni Pontificij, per multos jam annos ut pia, justa, & omnib. modis retinenda, cõprobata, & nõ tàm argumentis quàm multorum piorũ exiliis & martyriis confirmata hactenus fuit: si jam admittatur mutatio & correctio juxta normam scripturę, præsagiunt fore, ut non possint amplius tenere homines, quin in reliquis etjam quæ in regno Pontificio, præter & contra Scripturæ sententiam decreta, & longi tẽporis usura inveterata sunt, mutationem vel flagitaturi vel facturi sint: ut ita restitutio Dominici calicis, quasi confessio erroris futura sit,

& apertura paulatim fenestram, ad ruinam totius Papatus: fore enim ut non amplius patiantur homines, in illis, quæ præter & contra Scripturam in Papatu recepta & usitata sunt, sibi verba dari titulis Conciliorum, Ecclesiæ, consvetudinis, &c. si una aliqua in re admissa fuerit labefactatio. Nota enim ipsis est Philonis similitudo, de legatione ad Cajum: Sicut in ædificiis, exempto uno cemento, reliqua licet firma videantur, laxatim tamen fidunt, & ad ruinam paulatim inclinãt. Hanc causam Osius differtè explicat. hæc enim sunt ejus verba: Toto cœlo (quod ajunt) errant qui dicunt: Si calix laicis, uxores sacerdotibus permittantur, inter Papistas & Lutheranos facilè concordiam esse coituram. Egregia verò concordia: per quam non vitia Papatus, quod ferri tamen posset, verũ ipse Papatus universus evertitur. Hæc sunt Osii verba.

II. Secunda causa est, quòd hactenus Pontifex sibi & suis arrogavit authoritatem & potestatem quidvis super conscientias constituendi, etjam si ex Scriptura illud ostendi & probari non possit, & rursus mutandi, mutilandi & abrogandi ea etjam, quæ Scripturæ institutionem & testimonium habent.

Hinc enim natæ sunt prodigiosæ Canonistarum voces, Papam contra jus, supra jus, & extra jus omnia posse: & quòd possit dispensare contra quatuor Concilia: imò contra verba Evangelii, licet non contra mentem. Contra Pauli verò Epistolas posse Papam non tantùm dispensare, verumetiam statuere. Prævident autem periculosum & pernicio sum præjudicium generatum iri huic Pontificiæ tyrannidi, si usus calicis, juxta Scripturæ mandatum, Ecclesiæ restituatur. Ideo sentiunt, in petitione de restitutione calicis vel nihil concedendum, vel cõcessionem ita moderandam, ut Pontificium illud, merum & mixtum imperium in Ecclesiam, salvum, sartum & tectũ maneat. Hanc causam obscurè ipsi Tridentini patres indicant in 2. capitulo hujus Sessionis.

III. Tertia causa concernit focos & aras Pontificiorũ. Erepto enim laicis usu Dominici calicis, verba promissionis de applicatione novi Testamenti, & remissionis peccatorũ, ad sacrificium Missæ transtulerunt: & magnificè cœperunt concionari de propitiatione, expiatiõe, & aliis multis divinis beneficiis: quomodo per sacrificium Missæ acquirerentur, & à sacerdote quibus ipse vellet applicarentur. De mutilata verò communione, tantùm exaggerabatur periculum manducationis judicij: idq; sine necessaria declaratione veræ præparationis. Ita homines à communione absterrebãtur, & ad redimendas Missas catervatim, propositis & collatis universis fermè mundi thesauris, confluebant. Volebant enim singuli sub calice Domini, propter annexã dulcissimã promissionem cõprehendi: sicut vetus Germanicum dicterium ostendit. Plericq; satius putabant, per opus operatum sacerdotum sacerdotis in Missa, data pecunia comparare sibi propitiationẽ, & expiationem peccatorũ, quàm in communione subire periculum judicii: cùm quidẽ digna præparatio in nostra mundicię constitueretur, & tamen adderetur, remissionẽ pec-

Universidad de Deusto
Biblioteca

catorum non accipi in communione, etjam à dignè sumentibus. Hæc perversio in infinitum auxit opes & potentiam regni Pontificij. Huic igitur tàm fortunatæ nundinationi Missarum timent, ne quid detrimenti accipiat, si usus Dominici calicis, addita doctrina de appellatione & obligatione novi Testamenti, Ecclesiæ restituatur. Et hæc causa valde prægnans est in regno Pontificio. Ipsam etjam non obscuris verbis explicant, quando dicunt, inter causas adempti calicis, hanc non postremam esse: ut scilicet discrimen sit inter communionem sacerdotum & laicorum: Quartam causam judico esse dogma de dubitatione reconciliationis & remissionis peccatorum. In usu enim calicis, filius Dei testatur, se beneficia novi Testamenti, sanguine suo acquisita, applicare, & exhibito præstantissimo pignore pretiosi sui sanguinis obligare singulis, fide calicem illum accipientibus. Cum hæc verò doctrina, dogma: de dubitatione consistere non potest. Et sublata opinione dubitationis, concident vota, peregrinationes, redemptiones Missarum, fraternitatum, indulgentiarum, & quæ præterea ad publicanatum regni Pontificij pertinent. Hinc illæ lachrymæ.

IIII.

Hæc consideratio causarū inter cætera etjam hoc ostendet, quo consilio & artificio Tridentini patres justificationem adempti calicis, in quinta hac Sessione præmittūt, cum undiq; sintad Concilium postulationes de restituendo usu poculi Dominici: ut scilicet quicquid posthea futurum sit de concessione calicis, non sit syncerum, juxta Scripturæ scilicet sententiam, & antiquitatis testimonia, sed cogatur etjam illud ipsum, confirmandæ & stabiliendæ Antichristi tyrannidi servire: sicut postea suo loco ostendemus.

Examen Decretorum & Canonum quintæ sessionis.

Sed accedamus jam, Deo bene juvante, ad examen Decretorum & Canonum quintæ hujus Sessionis. Et tota summa huc redit, communionem sub utraq; specie, Christi fidelibus laicis & clericis non conficientibus, statuto Christi non esse mandatam: atque ideo illis non esse necessariam, sed communionem alterius speciei, ipsis ad salutem sufficere. Nulla enim gratia, ad salutem necessaria, eos defraudari, etjamsi unā specie solam, posthabita altera accipiant. Finis verò illorum decretorum, hic est: Pontificiam Ecclesiam in prohibitione & ereptione calicis Dominici non errasse, sed feciisse hoc, adductam gravibus & justis causis & rationibus. Et hęc omnia eò tendunt, ut obliquè notent & sugillent postulata Regum & Principum, oblata Concilio, de restitutione calicis. Si enim gravibus & justis causis, communio calicis adempta & prohibita est laicis: injusta igitur est, nec levitate caret petitio de ejus restitutione.

Habebimus autem jam antithesin: hoc est, audiemus causas & rationes mutatæ & mutilatæ communionis, quas affirmant esse graves & justas, oppositas illis quas suprà de servanda integra communione, sicut ea à filio Dei instituta, & a Paulo tradita & confirmata est, ex Scripturæ fundamentis & ex testimoniis antiquitatis annotavimus. Et non injucundum erit, facta collatione considerare, quàm inæquali pondere pugnent sophisticæ tenebræ & humanæ præsumptiones cum clarissima luce verbi Dei. Non omnes autem causæ & rationes, quas hactenus Pontificii mutilationi suæ prætexuerunt, in Tridentinis decretis reperuntur: sed tamen in 11. capitulo, & in 11. Canone omnes illæ, quales etjam cumq; sunt, pronunciantur graves & justæ esse.

Vt igitur plenior fit antithesis, præcipuas rationes quæ hactenus à Pontificiis, pro defendenda & justificanda mutilatione cœnæ Dominicæ, magno conatu agitatæ fuerunt, quàm fieri poterit brevissimè annotabimus, monstratis tantùm fontibus & fundamentis refutationum: ut appareat, quæ sint causæ & rationes illæ, quæ tàm graues & justæ censentur in regno Pontificio, ut propterea abrogandum & prohibendum sit illud, quod filius Dei in testamento suo instituit & mandavit. Argumenta verò Tridentini Concilii post ea plenius & diligentius excutiemus.

ARGVMENTA TEMPORE CONstantiensis Concilii agitata, pro communione sub una specie.

Constantiense igitur concilium, communionem sub utraq; panis & vini specie, laicis & clericis non conficientibus, sub pœna excommunicationis, invocato etjam auxilio brachii secularis prohibens & interdicens, hasce suæ prohibitionis reddit rationes. *Concilium Constantiense.*

1. Licet Christus suis discipulis administraverit sub utraq; panis & vini specie, venerabile hoc Sacramentum: tamen hoc non obstante, cōsvetudo cōmunionis sub una tantum specie nunc pro lege est habenda. Videt Lector, institutioni Christi opponi diversam consvetudinem: & ita opponunt consvetudini cogatur cedere testamentaria institutio, non hominis aut alicujus creaturæ, sed ipsius filii Dei: & quidem ita cogatur cedere, ut si quis malit testamentariam filii Dei institutionem, quàm hominum diversam consvetudinem sequi, puniatur tanquam hæreticus excommunicatione, invocato etjam auxilio brachii secularis.

Non opus autem est prolixa & operosa refutatione, ipsa enim antithesis piis mentibus satis ostendit, quale sit argumentum, quod plus defert recenti hominum consvetudini, quàm testamentariæ ordinationi filii Dei. Et adeo flagitiosa est illa clausula (licet Christus instituerit sub utraq; specie, tamen hoc non obstante, &c.) ut ejus nunc ipsos etjam Pontificios pudeat. Aliter enim nunc argumentum illud formāt, sicut postea ostendemus.

Hoc igitur tantum addā, quòd apud Cyprianum lib 2. epistola 3. extat illustris refutatio hujus argumenti, quę quasi ex professo opposita est huic decreto. Disputans enim de calice Domini sanctificando, & plebi ministrando, ita inquit: Si solus Christus, de quo pater de cœlo cōtestatur: Hunc audite, audiendus est: nō debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid ille qui ante omnes est Christus prior fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem: cùm per Iesaiam Deus dicat, Fruſtrà colūt me mandata & doctrinas hominum docentes. Et notæ sunt veterum sententiæ, quas de antithesi consvetudinis & veritatis, Gratianus citat distinctione octava. Observabit autem Lector, in Constantiensi concilio nondum notum fuisse argumentum illud, quod nunc apud Pontificios præcipuū judicatur: verba scilicet Christi de institutione calicis, nō pertinere ad laicos, sed ad solos sacerdotes. Aliàs enim in Constantiensi ratione non opus fuisset institutioni Christi solam consvetudinem opponere. Hujus observationis postea usus erit. *Cyprianus.*

Augustinus.

2. Licet in primitiva Ecclesia, hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie: tamen hoc non obstante, consvetudo introducta, &c, Iterū monendus est Lector, ut observet quomodo fundamenta hujus mutilationis subinde mutārint Pontificii. Nunc enim contendunt, cōsvetudinem communicandi laicos, sub una tantùm specie fuisse semper, etjā in primitiva Ecclesia, atq; adeo ipsis etjam Apostolorum temporibus. Sed Constantiense concilium simpliciter & disertè quod res est, fatetur: communionem scilicet sub una tantùm specie, ignotam fuisse primitivæ Ecclesiæ. Argumentum autem Constantiense, antithesin facit inter duas consvetudines, quarum una, ut scilicet Eucharistia à fidelibus recipiatur sub utraque specie, est cōsentanea institutioni Christi, hoc est veritati: & est antiquissima, primitivę scilicet & purioris Ecclesiæ, altera verò, de una specie, postremis tēporib. cùm in multis jam à puritate primitivæ Ecclesię discessum esset, in senescentem Ecclesiā introducta est. Quæstio jam est, vera consvetudo cui cedere debeat? Augustinus ex Cypriano allegat elegantissimam sententiam: Si consvetudini veritas suffragetur, nihil oportere firmius retineri: aliàs verò consvetudini veritatem esse præponendam. Iulius Pontifex de Consecrat. dist. 2. consvetudinem porrigendi poculis intinctā Eucharistiam, refutat ex consvetudine Ecclesiastica antiquiore, quæ cum Evangelica & Apostolica doctrina convenit, ubi seorsim panis, & seorsim calicis commendatio memoratur.

Sed Constantiense concilium decernit antiquissimam primitivæ Ecclesiæ consvetudinem, quæ institutioni Christi consentanea est, debere cedere diversæ recentiori & posteriori consvetudini, quæ cum institutione & mandato Christi pugnat. Atque hujus argumenti maxima, sicut Dialectici vocant, est clausula illa: Hoc non obstante. Quantum igitur hoc argumentū valeat, sola & nuda antithesis satis ostendit.

3. Christus Apostolis dedit Eucharistiam inter cœnandū, post cibos, seu cœnatis: & tamen sacrorum Canonum authoritas, & laudabilis Ecclesiæ cōsvetudo servavit, & adhuc servat, quòd jejunis jam porrigitur. Ergo eadē ratione, licet Christus utramq; speciem dederit discipulis, potest tamē consvetudo introduci, ut laici sub una solummodò specie communicentur. Respondeo: Ingens est discrimen, inter ea quæ ad substantiā Sacramentorum pertinent, quæ habent institutionem, præscriptum & mandatum Dei: & inter externas circūstantias, quæ non habent præscriptum & mandatum Dei, sed liberas habent observationes, pro ratione ædificationis. Et talis circumstantia est: an post cibos, an verò à jejunis sit accipiendū hoc Sacramentum. Christus enim, quia voluit tunc figuris veteris Testamenti finem imponere, & earū loco Sacramentum novi Testamenti instituere: ideo prius Pascha cum discipulis comedit, & postea Eucharistiam instituit. Nobis verò nō mandavit, ut ante communionem Pascha mactemus & edamus: imò vetus Pascha tunc abrogatum est. Et Paulus disertè declarat, nos non esse obligatos ad circumstantiam illam temporis, ut non nisi illo anni tempore, illo mense, die & hora celebremus cœnam Dominicam, dicit enim: Quotiescunq;, &c. Calicis verò communio pertinet ad ipsam substantiam Eucharistiæ. Extra controversiam enim est, substantiam Sacramentorum constare materia & forma, hoc est, verbo Dei, & externo elemento divinitùs ad hoc instituto. Et ita Irenęus dicit, Eucharistiam cōstare duabus rebus, terrena & cœlesti. Iam verò Christus pro elemēto Eucharistiæ, ordinavit duas distinctas species, seorsim seu divisim (sicut veteres loquuntur) sanctificandas, dispensandas, & accipiendas, panem scilicet & vinum: & singulis addidit mandatum: Edite, Bibite, Hoc facite. Et Paulus addit, hanc filii Dei ordinationem durare debere usq; ad consummationem seculi. Nullo modo igitur Constantiensis cōsequentia valet: Christus Eucharistiam dedit cœnatis, nos eam damus jejunis: ergo Ecclesia potest communionem calicis abrogare, interdicere & prohibere.

Sunt, qui non verentur Constantiensem hanc argumentationem & consequentiam, ipsi Augustino tribuere, quem dictitant in Epistola 118. consvetudini Ecclesiæ in celebratione Eucharistiæ tantū tribuere, ut svadeat propterea ab institutione Christi discedendum esse. Sed manifestam & luculentam injuriam faciunt Augustino. Disputaturus enim de ritibus Ecclesiasticis, statim in principio Epistolæ, celebrationem Sacramentorum quæ in Scripturis canonicis commendatur, excipit. Et postea explicaturus hanc quæstionem, an à jejunis, an verò post alios cibos accipienda sit Eucharistia: triplici utitur distinctione. 1. Quid horum sit faciendum, si divinæ Scripturæ præscribit autoritas, non est dubitandum, quin ita facere debeamus ut legimus. 2. Si quid horum scilicet ritibus, quæ divinæ Scripturæ autoritas non præscribit, tota per orbem frequentat Ecclesia: hoc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est. 3. Quæ verò per loca & regiones variantur, liberas habent observationes. Iam verò nostra quæstio de communione calicis, manifestissimè est inter illa quæ divina præscribit autoritas: sicut suprà ex Evangelistis & ex Paulo demonstravimus. Et ipse Augustinus in principio Epistolæ, ad primū hoc genus expresè refert communicationem corporis & sangvinis Domini. Valeat igitur quod hoc loco Augustinus pronunciat, non esse dubitandum, quin ita facere debeamus ut legimus. Alteram verò quæstionem de jejunis seu cœnatis, Augustinus refert ad tertium genus, quod liberas habet observationes. Et hoc ita probat: Christus ideo post ultimam cœnam instituit Eucharistiam. Voluit enim ultimum hoc infigere cordibus, & memoriæ discipulorū. Non

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem præcepit, quo deinceps ordine (scilicet temporis) sumeretur. Et addit Augustinus. Nam si hoc Christus monuisset, ut post cibos alios sem per acciperetur: credo quòd eum morem nemo variasset. Ex Paulo verò diversum ostendit. Ille enim arguit & emendat eos, qui suis mensis & cibis Dominicam cœnam miscebant. Immensum igitur discrimen est inter illa duo, Eucharistiam non post alios cibos, sed jejunis dare: & cõmunionẽ calicis, prorsus eripere fidelib laicis.

4. Constantiensis decreti ratio, est consvetudo: ut Eucharistia à laicis tantummodò sub specie panis suscipiatur, ad evitandum aliqua pericula & scandala, rationabiliter est introducta. Periculum autem intelligunt, ne quid ex calice effundatur. Vnde judicant, tanta scandala sacrilegii (sicut vocant) nasci, ut propter evitanda pericula & scandala illa, in universum laicis prohibeant usum calicis. Sed respondemus: Si pericula & scandala illa tanta sunt, & usque adeo necessariò & absolutè annexa sunt cõmunioni calicis, ut his malis nulla alia cautiõe provideri possit, nisi usus Dominici calicis, fidelib. laicis prorsus eripiatur, interdicatur & prohibeatur, tota primitiva & vetus Ecclesia, sacrilegii insimulanda erit. Et redundabit hæc contumelia in ipsum autorẽ Sacramenti, qui tale quid instituit, quod fine periculo scandali & sacrilegii in Ecclesia servari non possit. Si verò hæc pericula non absolutè & necessariò cõmunioni calicis annexa sunt: alia igitur ratione, & aliis cautionibus occurri licebit periculis illis, ut non opus sit propterea prorsus abrogare usum calicis. Nam & sacratũ panem in terram posse excidere, Augustinus testatur 1. quæst. 1. cap. Interrogo. Num verò ideò altera etjam species, atq; adeò totum Sacramentum eripiendũ erit laicis? Certè præpostera illa solicitudo & prudentia, quòd ideo prorsus prohibetur usus calicis, ignota fuit veteri Ecclesiæ, ubi pericula talia, multò magis metuenda fuissent quàm nunc. Singulis enim aut certè Dominicis diebus, tota communitas communicabat: & quidem sæpe in tanta frequentia, quam totam amplissimæ Basilicæ semel capere non poterant, ut eodem die sæpe opus fuerit reiteratione celebrationis cœnæ Dominicæ: sicut ostendit Leo Papa epist. 81. Dabatur alicubi etjam infantibus Eucharistia: imò sangvinem Christi aliquando communicantes, domum secum deferebant, sicut de sorore sua Gorgonia, Naziãzenus refert. Serapionis puero apud Eusebiũ Eucharistia infusa datur ad ægrotum deferenda. Et quidem etjam ægrotis difficulter deglutientibus, sanguis Christi dabatur, in Canone 76. quarti Carthaginensis concilii, & 11. Toletano canone.

πρόφασις igitur, nõ αἰτία est, quod de periculo prætexerunt Pontifici: imò tale quid nõ rarò in veteri Ecclesia accidit. Apud Cyprianũ enim sermone 5. de lapsis, diaconus puellæ infanti reluctanti, & os labiis obturanti, de calice infundit, quod tamen mox de pollutis visceribus erupisse legitur. Apud Chrysostomum in vestes militum in sacrarium irrumpentium, sangvis Christi effunditur. Et graviter quidem Patres tulerunt, quando tale quid accidit, sicut Augustinus testatur capit. Interrogo vos, nõ tamen tàm immane sacrilegium esse judicârunt, ut propterea prorsus abrogandus esset usus calicis. sed adhibuerunt solicitudinem & cautiones, quantum quidem fieri potuit, ne tale quid per negligentiam accideret: Nunc verò in hac langvida Ecclesiæ senecta, elapsis florentibus Ecclesiæ temporibus, prudentiores hac in parte esse volumus patribus, martyribus, confessoribus, ipsisq; adeò Apostolis: imò ipsa Dei sapientia, à filiis suis justificatur. Quid igitur prætextus, aut potius simulatio illa de periculo possit & valeat, contra tàm illustria, solida & urgentia Scripturæ fundamenta, & antiquitatis testimonia, illi etjam qui à Pontificis partibus nõ prorsus alieni sunt, non dissimulant.

Quinta ratio est, Cùm firmissimè credendum sit, integrum Christum, corpus & sangvinem, tàm sub specie panis quàm sub specie vini veraciter contineri: ideò à laicis tantummodò sub specie panis, suscipienda est Eucharistia, Hoc argumentum repetitur in 3. Tridentino capitulo, eò usque igitur ejus explicationem differemus.

Sexta: Consvetudo hæc diu est observata, ergo habenda est pro lege. Hoc igitur pro confesso sumemus, totis mille & quadringentis annis post Christum natum, nullam fuisse in Ecclesia legem, nullam synodalem aut dogmaticam constitutionem, Sacramentum Eucharistiæ à laicis tantummodò sub specie panis esse suscipiendũ: sed postremis illis temporibus, consvetudinem talem, sicut alia multa, paulatim in ecclesiam invectam. Quale enim sit quòd dicunt: consvetudinem illam diu esse observatam, explicabimus in 2. Tridentino capitulo. Quod verò ad argumentum attinet, scio in politicis hoc valere: sed in Ecclesia, verbo institutione, præscripto & mãdato Dei, nulla consvetudo vel debet, vel potest præscribere aut præjudicare. Et in hac ipsa materia, de calice scilicet Dominico sanctificando, & plebi ministrando, Cyprianus argumentum illud planè invertit. Cum enim Aquarii, consvetudinem quorundã, qui ante Cyprianum fuissent, pro se allegarent: Cyprianus nequaquam vult concedere, consvetudinem illam pro lege esse habendam: sed consuetudini opponit legem Evangelicam, de calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando, inquit enim, legem Evangelicam, & traditionem Dominicam ubique ita esse servandam, ut ab eo quod Christus docuit & fecit, non recedatur. *Cyprianus.*

Hæ sunt rationes, & hæc fundamenta decreti Constantiensis: quibus superstructa primũ fuit lex abrogati, erepti, prohibiti & interdicti Dominici calicis. Illas verò rationes ordine in nuda forma recensere volui: ut appareat, quàm scilicet graves & justæ sint, sicut eas Tridentinum capitulum appellat. Deinde ut facta collatione disputationum, quę de eadem materia post Concilium illud secutæ sunt, consideretur, quomodo subinde alia quęsita sint fundamenta, & quomodo langventib. argumentis, nova subinde pharmaca adhiberi curarint Pontificii: ut scilicet forma & specie plausibiliori proponi possent.

Ad plenioré autem Constantiensis decreti declarationẽ, pertinet tractatus Gersonis de communione

Tract. Gersonis de communione laicorum.

munione laicorum. Memorabile enim est, quòd post promulgatum interdictum calicis, cùm animadverterent multis non satisfieri illis rationibus, quibus tanquam fundamentis interdictam prohibitionem suam superstruit: seniores Concilii Constantiensis petierunt à Iohanne Gersone, ut is conquireret alias graviores & firmiores rationes, persvasiones & allegationes, quibus expugnari possint illi qui ægrè ferebant, cõmunionem sub utraque specie à Christo institutã, ab Apostolo confirmatam, & à primitiva Ecclesia observatam, sibi tàm frigidis & jejunis rationibus, sicut in decreto Constantiensi ponuntur, eripi. Factum fuit hoc, biennio post promulgatum decretum. Promulgatio enim facta est, anno Domini 1415. die Iunii 15. Gerson verò tractatum suum edidit Constantiæ, anno 1417. die Augusti 20. Et dignũ est perpetua memoria ad omnem posteritatem, quòd ex illa Gersonis annotatione habemus, quæ dictæ fuerint sententiæ à Theologis in Constantiensi Concilio, cùm institura esset deliberatio de rationibus prohibiti & erepti calicis. Ita enim inquit Gerson: Præsentes sunt in hoc Concilio de præclaris Vniversitatibus, tàm numero quàm merito præcellentes Theologi: unde dicunt eorum plurimi, qui super hoc fuerunt simul congregati, quòd consvetudo de non communicando laicos sub utraque specie ili citè & rationabiliter fuerit introducta, præsertim post multiplicationẽ fidelium: & hoc propter evitationẽ multiplicis periculi, irreverentiæ & scandali circa susceptionem hujus benedicti Sacramenti. Pericula autem hæc, & ita enumerant. 1. In effusione. 2. In deportatione, de loco ad locum. 3. In vasorum sordidatione, quæ deberent esse sacrata, nec passim tractata & tacta à laicis. 4. In barbis longis virorũ. 5. In conservatione pro infirmis, posset enim acetum in vase generari, addito quòd in æstate bibiones aut muscę generarentur, quandoq; etjam putresceret. 6. fieret multis quasi abominabile ad bibendum, quando multi alii præbibissent. 7. In quo vase fieret consecratio tanti vini, quantum requireretur in Paschate pro aliquot millibus personarum. 8. Damnum esset in sumptuositate vini: alibi enim vinum vix invenitur, alibi carè comparatur. 9. Esset periculum in congelatione. 10. Induceretur inde periculum falsæ credulitatis, quasi tanta esset dignitas laicorum circa sumptionem corporis Christi, sicut & Sacerdotum. 11. Existimaretur semper fuisse & esse necessaria communio calicis. Et ita peccassent omnes clerici, Doctores & Prælati, qui diversæ consvetudini se non opposuerunt voce & scriptis. 12. Putaretur virtus & efficacia hujus Sacramenti, esse magis in sumptione quam in consecratione. 13. Sequeretur, Ecclesiam Romanam non ritè sentire de Sacramentis, nec esse in hoc imitandam. 14. Sequeretur, Constantiense Concilium in fide & bonis moribus errasse. 15. Esset occasio schismatum in Christianitate.

Verba Gersonis.

Enumeratio periculorum ob quæ usus calicis Laicis sit interdictus.

Has fuisse rationes Theologorũ in Concilio Constantiensi, ex Gersone discimus. Nec verò opus est singulis addere peculiares refutationes? plæręque enim tales sunt, quarũ nunc ipsos Pontificios pudet. De periculo effusionis, suprà diximus. De periculo deportationis, reservationis, item de vasorũ contrectatione, facilis est responsio. Christus enim sicut Origenes rectè inquit, panem sacratũ & poculum benedictionis non jussit servari in crastinum, sed dixit: Accipite, edite & bibite. Humanæ igitur traditiones sunt. Et quia propter servandas illas traditiones, usus calicis, qui habet institutionem & mandatum Christi, laicis prohibetur & eripitur: rectè igitur huc accommodatur responsum Christi, Marci septimo: Relinquentes mandatum Dei, tenetis traditiones hominum. Item: Irritum facitis mandatum Dei, ut traditionem vestrã servetis. Et sapiens antiquitas, quæ & panem, & poculum sacratum ad infirmos & absentes deportavit, & in hunc usum alicubi & aliquando per tempus non longum reservavit, de periculis illis non ita fuit solicita, ut propterea usum calicis abrogaret. Nova igitur & sera est hæc Pontificiorum prudentia, orta demum post annos mille quadringentos. Et nihil horum periculorũ timendum esset, si relictis hominum traditionibus, poculum benedictionis non reponeretur, sed juxta Christi institutionem statim dispensaretur. De vasis capacitate, apud veteres nulla ne nata quidẽ fuit quæstio: cùm tamen sepius communicantium tanta esset frequentia, ut eam ne amplissimæ quidem basilicæ capere possent: sicut ostendit Leo ad Dioscorum, Epistо. 81. Porrò quàm ridicula est ratio, de longis barbis virorum? Certè in primitiva Ecclesia, non omnes fideles fuerunt imberbes. Et inter ipsos Apostolos (si vera est Nicephori descriptio) Petrus habuit crispam & densam barbam. Quòd si omnino alterum faciendum esset: nonne potius longæ virorum barbæ resecandæ essent, quàm usus Dominici calicis prohibendus? Quid verò de barbis in fœmellis fingunt, cùm & illis poculum Domini denegent? Et hæc scilicet una est ex justis & gravibus illis causis, quas Tridentinũ Concilium celebrat. Ejusdem gravitatis & justitiæ est ratio de sumptuositate vini: & quòd abominabile quiddam sit, si ex uno poculo multi bibant. Valde delicata igitur jam facta est Ecclesia, cùm antiquitas sæpe repetat, signum & tesseram esse Ecclesiasticæ unitatis, quòd omnibus unum poculum proponitur, sicut Chrysostomus inquit. Illa verò ratio, non tantùm levis & ridicula, sed prorsus falsa est, quòd dicunt, ideo laicis ereptum esse usum calicis, ut in sumptione corporis Eucharistiæ, major sit dignitas sacerdotũ quàm laicorum. Paulus enim docet, in Christo Iesu credentes omnes esse unum: Galat. 3. Et hæc ratio jamdudum, quasi ex professo est explosa à Chrysostomo, Homil. 18. in 2. Corinth. *Origenes.* *IIII. Ratio prorsus ridicula.* *Chrysost.*

In postremis verò rationibus ingenuè fatentur Theologi Constantiensis Concilii, quæ præcipua & principalis causa sit, quòd tam pertinaciter digladiẽtur de illa prohibitione calicis: ne scilicet errasse videantur clerici, Doctores, Prælati, Romana Ecclesia, & Concilium Constantiense. Et hanc rationem Lector benè observet.

Profectò nisi idoneus testis esset Gerson, vix crederet aliquis tàm leves, tàm frigidas, tàm futiles & ridiculas rationes à Theologis, ex præcipuis Vniversitatibus totius Christiani orbis

Universidad de Deusto
Biblioteca

congregatis, in re tàm gravi & seria propositas fuisse.

Quando igitur Pontificij in hac disputatione titulum universalis Concilii, tanquam caput Gorgonis objiciunt, opponatur ipsis denudata turpitudo rationum & fundamentorũ, ex quibus extructum est decretum illud Constantiensis prohibitionis. Et quidem ipse Gerson rationibus illis, indignis appellatione Theologica, nõ satis fidit: ideò aliàs ipse, à senioribus Concilii rogatus conquisiuit, quæ, quales in tali causa esse possint, nudè & simpliciter tanquam in tabella spectandas proponam: hoc potissimum cõsilio, ut ex collatione Lector conflideret, quid ex Gersonis schola Tridentini mutuati sint: & quomodo easdem rationes, alia specie, rectius scilicet & callidiori artificio proponant. Hæc collatio aliquem postea habebit usum.

Sequuntur rationes Gersonis.

I. Prima igitur Gersonis ratio hæc est: Circa institutionem & ministrationem Sacramentorũ, quædam sunt de necessitate Sacramenti, & de jure divino: ut scilicet consecratio fiat per talem verborũ formam, & in tali materia panis. Quædam verò tantummodò sunt de necessitate præcepti Ecclesiæ, & de jure humano seu positivo: ut scilicet consecratio fiat in azymo, in templo seu altari sacrato, cum talibus vestibus, cum lumine, cum Epistola & Evangelio: item jejuno stomacho. Talia enim sunt invariabilia, & ab Ecclesia possunt immutari. Et inter hæc ponit etjam usum calicis, hoc est, usum calicis, qui habet verbum, institutionem, præscriptũ & mandatum filii Dei, in eodem loco & gradu ponit, cum Pontificio vestitu missificatorum, cum accensis cereis, cum lampadibus certo ritu excantatis, &c.

II. Secunda: Sumptio Eucharistiæ sub utraque specie à laicis, nunquam fuit præcepti juris divini: attamen dum fiebat præcipiente vel permittente, vel consulente Ecclesia, bene fiebat. Nunc verò dum certa ratione inolevit opposita consvetudo, per Ecclesiam laudata & jussa: sumptio talis est temeraria, præsumptuosa, scandalosa, seditiosa, & ex consequenti, æternæ damnationis inductiva. Iucundum erit postea videre, quomodo eadem argumenta à Tridentinis, non in tàm aperta & crassa forma, sed subtiliori artificio limitata proponantur.

III. Tertia: Christus Iohannis 6. dicit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis sangvinem ejus, non habebitis vitam in vobis. Sed ibidem mox dicit: Si quis manducaverit ex hoc pane, viuet in æternum. Ergo communio sub utraque specie nõ est necessaria. sed sufficit, si tantummodò sub specie panis sumatur. Idem argumentum in primo Tridentino capitulo repetitur.

IIII. Quarta: Spiritualis manducatio & bibitio semper est necessaria. In parvulis verò, & in casu necessitatis, tota communio Sacramentalis non cadit sub necessitate salutis. Ergo pars ejus, scilicet usus calicis, potest etjam extra necessitatem adultis laicis prohiberi & eripi. Hoc argumentum primus Tridentinus canon rectè notat: cũ inquit: Ex necessitate salutis, &c.

V. Quinta: Gerson agnoscit, quàm malè sonet in piorum auribus, quod decretum Constantiense, cùm concedat Christi institutionem præscribere usum utriusque speciei, tantùm illam clausulam opponat: Hoc non obstante, &c. ideo varia quærit pharmaca, ut langventi huic argumento, prudens aliquod pharmacum juxta Euripidem adhibeat. Summa verò huc redit: Scripturam sacram non esse ita recipiendam nudè & insolidum, contemptis aliis traditionibus hominum, quin debeat ad veram intelligentiam habendam, juribus humanis, & canonibus, & decretis, & glosis Doctorum frequenter & humiliter uti. Imò expositionem Scripturæ à veteribus traditam, recipere interpretationem recentiorum. Et tandem concludit, Scripturam in sui expositione finaliter resolvi in autoritatem & consvetudinem universalis Ecclesiæ.

Hanc Gersonis sententiam, postea Nicolaus Cusanus apertius & crasius explicavit, Epist. 2. ad Boemos, inquit enim: Scripturas ad tempus adaptari, & variè intelligi, ita ut uno tempore, secundum currentem universalem ritum exponantur: mutato verò ritu, iterum sententia mutetur. *Nicolaus Cusanus.*

Hujus argumenti nervos retinent quidem Pontificii: sed in tanta luce Evangelii, nõ audent illud in tali forma proponere, sed aliis artificiis institutionem Christi eludunt, sicut postea ostendemus.

VI. Sexta: Videt Gerson, & hoc non parum habere incommodi, quòd decretum Constantiense videatur simpliciter concedere, in primitiva Ecclesia, in conventibus Ecclesiasticis, fuisse communem & universalem usum communionis sub utraque specie. Et quamvis hoc Gerson negare, & contrarium sive testimoniis sive exemplis docere non potest. addit tamen, probabilius videri, quòd hæc observatio nunquam à tempore Doctorum communius apud omnes extiterit. Et hæc Gersonis commonefactio, excitavit Pontificios procuratores nostri temporis, quòd aliqua talia exempla, quibus hoc probare in speciem conantur, conquisierunt: ne scilicet opus amplius sit, fœda illa clausula: Hoc nõ obstante.

VII. Septima: Quando antiquitatis testimonia & exempla testantur, populum fidelem debere bibere sangvinem Christi: dicit Gerson, hæc exponenda esse de sacerdotibus, qui celebrant pro toto populo: ut populus dicatur sangvinem Christi bibere, quia ministrantes pro eis illum bibant: quia scilicet (ficut Gabriel Biel dicit) sacerdos est os Ecclesiæ. Hæc ratio talis est, quòd ex Pontificiis jam apertè & in tali forma, illa uti audet.

VIII. Octava: Augustinus licet de communicatione laicorum sub utraq; specie, sæpius tanquam necessaria loquatur: invenitur tamen dixisse: Crede, & mãducasti. Et eodem modo dicere potuit: Crede & bibisti. Ergo communio laici sub vini specie, non est necessaria: sed prohibito usu calicis, potest lex cõstitui ut Eucharistia à laicis tantummodò sub specie panis suscipiatur. Sed multò plus est in hac conclusione, quã in præmissis. Augustinus enim in illo dicto nihil quicquã vel somniavit, de mutilanda & mutanda testamentaria *Augustinus.*

ria filii Dei institutione. Sed disputant, Christum in concione Ioan. 6. nõ loqui de Capernaitica laniena corporis sui, sed de spirituali manducatione, quæ fit per fidem, inquit enim: ut quid paras dentes, & ventrem? Crede, & manducasti. 2. Dictum illud rectè accommodatur, ad salutarem sumptionem Eucharistiæ, ad quam fide accedere oportet. 3. Vsurpatur etjam de casu necessitatis, quando scilicet non potest haberi copia Sacramentalis communionis, tunc enim valet illud Augustini: Crede & manducasti. Inde verò nulla ratione sequitur Constantiensis conclusio. Et si tale quid inde sequeretur, nõ Dominici calicis, sed panis Eucharistici usus abrogandus & prohibendus esset: nec laicis tantùm, sed universaliter omnibus, generaliter enim Augustinus dicit: Crede & manducasti.

Prima verò & ultima Gersonis ratio hæc est: Invocandum potius esse auxilium brachii secularis, quàm per ratiocinationes agendum, cùm determinatio Concilii jam transierit in rem judicatam. Item, in expugnatione diversum sentientium, proficere videretur, si Imperator acciperet factum illud prosequendum & terminandum, cum potentia etjam brachii secularis. Ita Gerson. Et notetur, hanc esse primã & ultimam Constantiensem probationem, quia videtur valdè esse compendiaria. Disertè etiam se declarat Gerson, contra quos disputet. Dicit enim, asserentes sumptionem Eucharistiæ esse licitam & utilem laicis, tantum errare, quantum illos qui dicunt eam esse necessariam, de necessitate præcepti divini & juris indispensabilis.

Et hæ sunt rationes, tempore Constantiensis Concilii disputatæ & propositæ, quando primum nata est injusta & impia illa lex interdicẽs, prohibens & eripiens laicis usum Dominici calicis, contra institutionem Christi, contra traditionem Apostolorum, & observationem primitivæ Ecclesiæ.

ARGVMENTA BASILIENSIS Concilii.

Mox verò post 20. fermè annos, in Basilienfi Concilio, eadem prohibitio repetita & confirmata fuit, Et operæpreciũ est observare, quomodo tunc statim quædam rationes Constantiensis Concilii, ut nimis apertè & crassè expositæ, cœperint alia forma proponi.

Primò enim, quia sentiebant pias aures, Constantiensi illa clausula nõ immeritò offendi. Licet Christus instituit sub utraque specie, hoc tamen non obstante, consvetudo, &c. rationem illam paululum immutatã, ita proponunt: Laicos & clericos non conficientes, non astringi ex præcepto Domini, ad sumptionem utriusq; speciei, illam verò correctionem, ex Gersonis commonefactione sumpserunt: quam ejam Tridentinum Concilium imitatur, sicut suo loco explicabimus.

2. Nec illa forma Constantiensis argumenti placuit Basilienfibus: Licet in primitiva Ecclesia Eucharistia à fidelibus sub utraque specie susciperetur: hoc tamen non obstante, &c. Basiliense igitur Conciliũ argumentum illud ita format: Ecclesia ordinare habet, quomodo ministretur hoc Sacramentum, prout pro reverentia ipsius Sacramenti, & salute fidelium viderit expedire. Et hoc argumentum quomodo in secundo Tridentino capitulo repetatur, postea videbimus.

3. Modo juxtà ordinationem seu observationem Ecclesiæ communicarint, sive sub una, sive sub utraque specie, proficit dignè communicantibus ad salutem. Quare verò non potius juxtà ordinationem Christi, & traditionem Apostolorum, quam primitiva Ecclesia religiosè secuta est? Cogitetur autem, quæso, quid sit salutè promittere illis, qui relinquentes mandatum Dei, tenẽt traditiones hominum: imò qui abrogant mandatum Dei, propter suas traditiones, Marc. 10. Ad dignam certè communicationem omnino requiritur fides. Sed fides ex auditu, auditus verò per verbum Dei. Ergò ubi à verbo Dei discreditur, non potest esse vera fides. Et Cyprianus disputans de calice Domini sanctificando, & plebi ministrando, ad illos qui ab eo quid Christus magister fecit, docuit & præcepit, humana institutione decedũt, accommodat illud Esaiæ. Frustra colunt me mandata & doctrinas hominum docentes. Memorabile verò est, quomodo illam Basilienfem rationem, Iacobus Zieglerus contra Vualdenses amplificarit & illustrarit, hæc enim sunt ejus verba, de communione sub una specie: Hunc panem sub obedientia Romanæ Ecclesiæ manducamus, certi quia ob hoc obsequium fidei, vivemus in æternum. *Cyprianus.* *Iacobus Zieglerus.*

4. Sub una specie, integrè est totus Christus: ergo altera potest vel omitti, vel abrogari & prohiberi.

5. Consvetudinem non vetustissimam unius speciei, Basilienses censent pro lege habendam propter has causas. 1. Quia est rationabiliter introducta. Rationes verò sunt tales, sicut illas ex descriptione Gersonis suprà recẽsuimus. 2. Quia diutissimè est observata. Hoc verò ostendemus falsum esse, in explicatione secundi Tridentini capituli. 3. Quia est à Doctoribus commendata. Intelliguntur autem non Doctores veteris & purioris Ecclesiæ, sed qui tunc in scholis regnabant, quàm graves verò fuerint ipsorum commentationes, ex Gersonis annotatione jam didicimus.

ARGVMENTA NOSTRO TEMpore disputata, pro mutilatione communionis.

Veniamus jam ad nostrorũ temporum disputationes: ubi accensa rursus, singulari Dei beneficio, luce verbi Dei, necessitas imposita fuit Pontificiis, ut ex Scriptura quærerent prætextũ aliquem hujus mutilationis. Et quia videbant, in hac luce verbi Dei, non amplius locum habere clausulam illam, Hoc non obstante, novo igitur & subtiliori artificio, formandæ fuerunt rationes. Non autem integras illas disputationes retexemus, sed tantùm monstrabimus, ex collatione, quomodo subinde requisita sint alia & nova fundamenta, cum priora, ne ipsis quidem Pontificiis satisfacerent: & quomodo veteres ra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiones novo artificio limatæ, alia subinde specie reformatæ sint. Id quod evidens indiciũ est, causam quam Pontificii procuratores in hac disputatione sustinent, esse malam, dubiam, infirmam, langventem & ruinosam. Quæ enim nova nunc comminiscuntur fundamenta, non sunt illa, ex quibus extructum primum fuit decretũ huius mutilationis: sed conductitii rhetores, sophistico artificio talia post factum excogitant, ut illi parti, cui operam suam elocarunt, liberaliter inserviant, & quoquomodo satisfaciant. Illa igitur tantùm, quæ nostris temporibus à procuratoribus regni Pontificii, seu nova, seu renovata, in hac disputatione proposita sunt, breviter notabimus.

Et primò hoc observetur. Quia in Scriptura extat manifesta, & certa descriptio testamentariæ institutionis filii Dei, viderunt illam lucem, non posse hoc quidem tempore animis hominũ eripi, si cum Constantiensi Cõcilio dicatur: Hoc non obstante, vel, si cum Basiliensi Concilio sine probatione fingatur, nõ omnes fideles illo mandato Christi constringi. Quærendus igitur fuit prætextus ex detortis quibusdam Scripturæ sententiis, an hoc forsan artificio, tenebræ possent simpliciorum oculis obduci. Vel certè ut illud assequerentur, quod Augustinus contra literas Petiliani inquit: Ambigua & peregrina testimonia, malam causam vel moras faciendo sustentant. *Augustinus.*

Et quidem cùm tempore Concilii Constantiensis & Basiliensis, in Scriptura nulla potuerint argumenta invenire, excepto 6. cap. Ioannis, recentibus Pontificiæ turpicudinis patronis, tanta suppetit argumentorũ copia, ut etiam ex veteri testamẽto probare (si Dis placet) possint, fidelibus laicis eripiendum esse usum Dominici calicis. Osius enim in cõfessione Perricouiensi, ita argumentatur: Sicut in veteri Testamento discrimen inter Sacerdotes & laicos tale erat, quòd populus de sacrificiis quæ erant in materia solida, simul edebat, de libaminibus verò, quæ liquoribus constabant, non populo, sed solis sacerdotibus fas erat bibere, Levit. 4. 6. & 16. ita in novo Testamẽto laicis prohibendus est usus Dominici calicis, ut sit idem discrimen inter Sacerdotes & laicos, quod fuit in veteri Testamento. Atqui in veteri Testamento, non Sacerdotes ad propugnandam & illustrandam ordinis sui dignitatem hoc cõstituerant, sed Dei erat ordinatio. In novo verò Testamento, filius Dei cœnam instituit communem omnib. fidelibus, hoc est, discipulis suis, in qua calix Domini, pari conditione cunctis traditus est, sicut Theophylactus inquit. Et de universa Ecclesia Paulus inquit: Omnes in unum spiritum potati sumus. Non ergo sequitur. In veteri Testamento fuit ex Dei ordinatione, in participatione sacrificiorum, tale discrimen inter sacerdotes & populum. Ergo licet communionem Eucharistiæ Christus instituerit, Apostoli tradiderint, primitiva Ecclesia servarit sub utraq; specie, tamen ut discrimen illud veteris Testamenti eodem modo extet etiam in novo Testamento, mutanda potius per homines, & mutilanda erit testamentaria institutio filii Dei. Quasi verò nullum deberet discrimen esse, inter tẽpora veteris & novi Testamenti. Quid igitur est abrogatio veteris Testamenti, si ideò mutanda est institutio Christi, ut nullum sit discrimen inter vetus & novum Testamentũ? Et quid opus est prolixa refutatione, cum argumentum illud, in illa ipsa planè forma, quasi ex professo rejectum atque explosum fuerit, in vera & puriori antiquitate, præcipuè verò à Chrysostomo Homelia 18. in 2. Epistola ad Corinth. cujus verba suprà annotavimus. Veteres etiam ex usu Mannæ, & aquæ ex petra, probarũt usum utriusque speciei communem esse omnibus fidelibus, in novo Testamento. Illud verò egregium est, quòd Eccius in locis communibus sacrilegium erepti calicis justificat inde, quòd Dominus prædixerit de posteris Heli: ut quicunq; venerit ad Sacerdotem, ei dicat: Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellã panis. Bella me herclè consequentia, maledictum & suppliciũ, quòd propter atrocia scelera Deus posteris Heli minatur, trahere ad universum fidelem populum in Ecclesia, & quidem ita, ut propterea fidelibus laicis beneficium & privilegium Dominici calicis, à Christo ipsis indultum, & ab Apostolis traditum, prohibeatur & eripiatur. Digna profectò est Ecciana hæc ratio, quæ referatur inter argumenta Theologorum Constantiensis Concilij, quæ suprà recitata sunt. Qualis enim causa est quam defendunt, tales etiam sunt rationes. *Eccius pro mutilatione cõmunionis.*

Sed audiamus porrò, quas ex novo Testamento rationes proferant, quibus clarissima verba institutionis eludere conantur. Eccius inter cætera argumenta, allegat etiam sententiam Pauli, 1. Corinth. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus. Epulemur itaq; in azymis synceritatis & veritatis. Quia ibi mentio fit epulationis, & nõ bibitionis: item azymorum, & non vini, fingit igitur se probasse Paulum tradidisse Corinthiis, in communione Eucharistiæ usum unius tantùm modo speciei. Singulari verò Dei judicio factum esse interpretor, quòd tales patronos, & tales rationes sortita est impia mutilatio cœnæ Dominicæ. Certè si aliàs non constaret, ipsa rationum & argumentorũ qualitas ostendere posset, qualis sit causa illa quam defendunt Pontificii. Quod enim Paulus Corinthiis tradiderit usum utriusque speciei, manifestissimum est, 1. Corinth. 11. Et tamen tam perfricta frons est in procuratoribus regni Pontificii, ut non vereantur contrariũ de Paulo fingere: idq; testimonio, planè nihil ad rem faciẽte. Vt enim Eccio hoc largiamur, quòd juxta suum morem verbum ὑποτύπωσιν, pro crapulatione interpretatur: certè de cœnæ Dominicæ vel una vel utraque specie sumenda, in illa sententia Paulus planè nihil loquitur: imò disertè se declarat, quòd non loquatur de azymis triticeis vel materialibus, dicit enim, In azymis synceritatis & veritatis. Imò ipsos fideles vocat azymos. Quin igitur ex illo loco Eccius usum etiam sacrati panis ex cœna Dominica auferet, ut Christiani seipsos devorent, quia sunt azymi. Et tamen propter tales rationes volunt nos abiicere clarissima verba institutionis cœnæ. *Alia argumenta Eccij.*

Ejusdem dexteritatis est hæc Eccii ratio. Quotidie oramus: panem nostrum supersubstantialem

Iem da nobis hodie. Miretur forsan Lector, quo artificio petitio illa Dominicæ orationis accommodari possit ad defensionem mutilationis cœnæ Dominicæ. Sed dicam tibi: Inquisitor quidam hæreticæ pravitatis, scripsit contra Valdenses. Is argumentum hoc ita format. Veteres testantur, Apostolos in celebratione cœnæ Dominicæ adhibuisse recitationem orationis Dominicæ. Sed in illa tantùm fit mentio panis, non etiam vini. Apostolicum igitur est, laicis prohibere & eripere usum Dominici calicis. Et per cõsequens: licet Christus cœnam suam instituit, sub panis & vini specie: Ecclesia tamen inde usq; ab Apostolorum temporibus, orationem Dominicam direxit contra illam Christi institutionem, petens abrogationem & prohibitionem Dominici calicis, ut tantùm sub una specie communicaretur. Petit enim panem tantùm. Illam verò precationem Ecclesiæ, Deus usque ad Constantiense Concilium, hoc est, per annos mille & quadringentos non exaudivit. Ita ergo Christus in oratione Dominica docuit orare, contra communionem sub utraque specie: & quidem biennio antè, priusquam cœnam Dominicam institueret. Quomodo igitur Romanus Pontifex jam quibusdam nationibus concedit usum utriusq; speciei, si pugnat cum oratione Dominica, qua panem tantùm petimus? Num verò oratio Dominica laicis tantùm præscripta est? Quid si Sacerdotes dum celebrant, etiam orãt, Panem nostrum, &c. Ergo & illis eripiendus erit usus calicis.

Et hæc cùm tam absurda sint, non veretur tamen Concilium Tridentinum, omnes illas rationes ex una fidelia dealbare, quòd scilicet sint graves & justæ: cùm certissimum sit, petitionem illam Dominicæ orationis, non loqui de cœna Dominica. Et licet veteres quidam, allegoriam inde extruant: nota tamen est regula, ex allegoriis non facienda esse dogmata, quæ non sunt in aliis certis & manifestis Scripturæ locis fundata. Multò minus igitur admittenda erit allegorica probatio, contra manifesta verba testamentariæ institutionis filii Dei. Et allegoria illa, si obstinatè urgeatur, simpliciter tollet utramque speciem Eucharistiæ. Sicut enim non facit mentionem vini, ita nec de substantia, nec de specie panis materialis petitionem illam allegoria vult intelligi. Et veteres qui allegoria illa usi sunt, nihil minus cogitarunt, quàm de prohibendo, abrogando & eripiendo usu Dominici calicis. Et in veteri Ecclesia, ne septem quidem illi dormientes, de argumentatione ista ex oratione Dominica contra verba institutionis quicquam somniarunt.

Sed propius pedem conferunt Pontificii, demonstraturi ex Scriptura cõmunionem sub una specie, Paulo & reliquis Apostolis imò ipsi Christo & usurpatam & probatam fuisse.

Hoc verò artificium illud, quod Constantiensi & Basiliensi Conciliis prorsus ignotum fuit.

Argumentũ Colonienſ. Ieſuitarum.

Ex Paulo igitur Colonienses Iesuitæ ita argumentãtur, prima Corinthiorum decimo, ubi fit mentio frangendi panis, & benedicendi calicis, ponitur utraque species. Mox verò postea, ubi ad participationem seu sumptionem ventum est, dicit: Omnes ex eodem pane participamus. Sacerdotibus igitur consecrantibus, utraq; species debetur, laicis verò una tantum modo sufficit. Hoc verò Ecclesiæ ignorum fuit, tempore veteris interpretis, qui habet: Omnes de vno pane & de vno calice participamus. Et Tridentinum Decretum edicit, veterem & vulgatam illam editionem esse habendã pro authentica, quam nemo rejicere, quovis prætextu audeat vel præsumat. Qui fit igitur, quòd hoc in loco vetus editio à Pontificiis nõ habetur pro authentica: sed rejicitur hoc prætextu, quòd Græcus textus ibi nõ facit mentionem calicis? Sed intelligat Lector, Decretum hoc velle: Quando vetus editio suffragari videtur erroribus, & abusibus regni Pontificii, ut tunc habeatur pro Authentica, quando verò illis repugnare judicatur, tunc liberè posse eam rejici.

Sed ad rem ipsam respondeamus. Paulus describens morem communionis in Ecclesia Corinthiaca (Dicit enim, tanquam intelligentibus loquor) meminit & panis & calicis Domini. Formaturus verò argumentũ ex communione Eucharistiæ, quod accommodet ad disputatione m de idolorum thytis, satis habet ex una parte id sumpsisse. Non quòd unius tantùm partis sumptio usitata fuerit apud Corinthios, mox enim illis, quos dehortatur ab idolothytis, inquit: Nõ potestis poculum Domini bibere, & poculũ dæmoniorum, &c. Non autem ad solos ministros Ecclesiæ pertinet hæc disputatio Pauli, de idolothytis. Et capite duodecimo, inquit: Omnes in unum Spiritum potati sumus. Clarissimè verò capite undecimo, describitur, quòd Corinthiis Paulus tradiderit usum utriusque speciei. Nihil igitur Pontificiorum mutilationi patrocinatur sententia illa Pauli, sicut Græcè legitur. Quidã ex particula distinctiva, apud Paulum prima Corinthiorum undecimo, argumentum formant contra usum utriusque speciei. Paulus enim dicit: Qui comederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indignè. Sed in disiunctivis satis est, alteram partem poni. Paulum ergo liberum facere fingunt, sive sub una sive sub utraq; specie Eucharistia sumatur. Sed facilis & plana est responsio. Si in verbis institutionis, & in illis locis ubi disponitur & describitur forma cœnæ Dominicæ, Scriptura uteretur particulis disiũctis, nõ parũ certè roboris haberet argumentũ. Iam verò Paulus recitans institutionem Christi, utitur particula copulativa, inquit enim: Similiter & poculum, &c. 2. Repetens suam traditionem, quomodo Christi institutionem ad universam Ecclesiam accommodarit, & quomodo præscripserit formam celebrandæ cœnæ Dominicæ, utitur aliquoties particulis copulativis. Tertiò, Describens usum communionis in Ecclesia Corinthiaca, utitur etiã copulativa particula. Hæc adeò sunt manifesta, ut argumentum illud de particula disiunctiva in altera sententia, valde paucis inter ipsos Pontificios probetur. Neque enim Paulus in illa sententia præscribit, disponit aut præcipit de modo cõmunionis, id quod in aliis sententiis, per particulam copulativam facit: sed loquens de digna & indigna sumptione, utitur disiunctiva particula, ut ostendat,

Refutatio argumenti.

parem

Universidad de Deusto
Biblioteca

parem reverentiam utrique parti deberi, & pluribus modis posse reatum incurri in sumptione Eucharistiæ, utram enim partem quis contumelia affecerit, reus erit. Et rectè retorquetur hoc argumentum in ipsos adversarios. Quia enim, juxta Ambrosij sententiam, indignum est Domino, qui aliter celebrat hoc mysterium quàm à Christo traditum est, qui ergo in vna parte servant institutionem Christi, in altera verò eam violant, mutant & mutilant, non relevantur ullo prætextu. Disiunctiva enim particula ostendit, eos incurrere reatum, qui sive in usu panis, sive in vsu calicis, præter & contra institutionem agunt. Distinctiva igitur illa particula apud Paulum, non probat aut confirmat Pontificiam mutilationem, sed acriter eam taxat & damnat, & monstrat fontes refutationis præcipui Pontificii argumenti, quòd scilicet satisfiat institutioni Christi, si una species dignè sumatur, cùm Christus integer & totus, sub una etiam specie adsit. Paulus verò pronunciat incurri reatum, quãdo aliquid contra institutionem committitur, sive in panem, sive in poculum Domini.

Roffensis. Sed quicquid sit de traditione Pauli, & de consuetudine Paulinarum Ecclesiarum: dicunt ab aliis Apostolis communionem sub una specie, & traditam & servatam fuisse. Sed quibus quæso documentis hoc probant? Roffensus ex apocrypho Evangelio secundum Hebræos citat, Christum post suã resurrectionem Iacobo Iusto porrexisse Eucharistiam, sub panis tantũmodo specie. Et ex Legenda citat, Christum Dionysio Sacramentũ hoc ministrasse sub sola panis specie. Et inde habere originem communionem sub una specie. Sed quia non apocryphorũ commenta, nec fabularum figmenta quærimus, sed Scripturam flagitamus: ideò alius quærendus fuit prætextus. Osius igitur affirmat, quicquid Paulus vel tradiderit vel fecerit de vtraq; specie, Iacobum certè in Hierosolymitana Ecclesia, & tradidisse & servasse communionem sub vna tantùm specie. Quia Actorum secundo, in descriptione exercitiorum Hierosolymitanæ Ecclesiæ recitatur fractio panis, & nulla ibi fit mentio vini. Quia verò animadvertit Osius, quantum incommodi habeat, si ponantur cõtraria docuisse Paulus & reliqui Apostoli: cùm quidem inter illos qui Paulo dextras consensionis, ante conscriptam Epistolam ad Corinthios dederant, Iacobus etiam fuerit, Galatas secundo, ideò fingit Iacobum hoc fecisse in Hierosolymitana Ecclesia, nõ quòd contrarius esset Paulo, sed ut ostenderet, liberum esse cõmunicare sive sub utraq;, sive sub una specie. Sed expendamus, an tantùm sit argumenti hujus robur, quo institutionem cœnæ mutilare possint Pontificij. Quia enim verba institutionis Christi, & Paulinæ traditionis clarissima sunt: si ab illis nos dimovere volunt necesse est, ut argumenta, quibus illud efficere volũt, longè sint clariora, certiora & firmiora, quàm ipsa institutio. Sed descriptio Actorũ secundo, non satis apertè, certò & firmiter ostendit, an de vulgarib. epulis, an verò de cœna Dominica, locus iste intelligendus sit. Chrysostomus enim fractionem panis, Act. 2. & 20. non interpretatur de administratione cœnæ Dominicæ, sed de vulgari & quotidiano cibo. Et Oecumenius colligens Græcorum interpretationes, de vulgaribus cibis locum illum interpretatur: quòd scilicet significetur vilis & parabilis victus sine delitiis, eo quòd Lucas dicit, ipsos frangentes panem sumpsisse cibum. Et quidem Græcus textus non obscurè ostendit, mentionem fieri de tali fractione panis, quę ad cibum seu alimentum pertineat. Dicit enim, per diem in templo congregatos fuisse fideles ad auditũ verbi: postea in domibus fregisse panem ad alimentum. Ita enim loquitur: κλῶντες ἄρτον μετελάμβανον τροφῆς, hoc est, Frangentes panẽ sumebant alimentum. Quis igitur sanæ mentis, propter locũ ambiguum & obscurum, à clarissima luce verborũ Christi & Pauli se dimoveri patietur? Certè si tempore Constantiensis & Basiliensis conciliorum judicatum fuisset, usum unius tantùm speciei ex illo loco vel specie aliqua posse probari, non intermissum fuisset hoc argumentum: nec opus fuisset vel frigidis aliis rationibus, vel flagitiosa illa clausula: Hoc non obstante. Nulla igitur firma & manifesta est certitudo argumenti, quod contra communionem sub utraq; specie, ex loco Actor. 2. sumitur.

Non ignoro autem, veteres quosdam fractionem illam panis, Actorum 2. intelligere de celebratione Eucharistiæ. Quam interpretationem non rejicio, maximè quia Actorum 20. una Sabbathi, cùm Paulus concionaturus esset, dicitur Ecclesia convenisse ad frangendũ panem, quod Beda ex Augustino interpretatur de celebratione mysteriorum. Sed ne hoc quidem modo, illa fractio panis patrocinabitur Pontificiæ mutilationi, id quod tribus firmissimis argumentis probabo. 1. Nullus ex omnib. veteribus fractionem illam panis, ita interpretatus est, quòd Apostoli unam tantum Eucharistiæ speciem, altera prætermissa vel abrogata, fidelibus in Ecclesia dispensarint, multò minus hoc dogma inde extruxerunt, verba institutionis de calice, non pertinere ad laicos, sed illis vel posse vel debere usum Dominici calicis prorsus interdici, prohiberi & eripi. Certus sum, ex tota vera antiquitate, tale nihil posse proferri. Status igitur quæstionis nõ propriè hic est: An veteres quidã fractionem panis, Actorum 2. de celebratione Eucharistiæ intellexerint: sed, an docuerint Apostolos unam tantum partem Eucharistiæ laicis præbuisse, abrogata & erepta altera. Et quidem, an inde extruxerint dogma Pontificiorum, de mutilanda institutione. 2. Pontificiorum axioma est, Sacrilegium esse, si Sacerdos celebrans consecret non utramq; speciem, sed panem tantùm. Si igitur Actor. 2. quia tantùm panis exprimitur, ideò simpliciter excludendum est poculum Domini, sequetur, Apostolos cœnam Dominicam panis tantummodo, non etiam calicis consecratione celebrasse. Quod Pontificij admittere non possunt. Si igitur dixerint, sicut aliter dicere non possunt, ex institutione per synechdochen supplendum esse de consecratione alterius etiam speciei, licet nominatim non exprimatur: jam manifestè admittunt synechdochen, & concedunt, brevem illam historiæ notationem intelligendam & interpretandam esse juxta descriptionem

Osius.

Argumentũ ex loco Actorum 2.

Chrysostom.

Infirmitas argumenti ex loco Actorum 2.

Obiectio de fractione panis, Actor. 2. tribus argumentis refutatur.

Pontificiorũ axioma.

ptionem institutionis cœnæ Dominicæ. Nec patebit ipsis hoc effugium si dicere voluerint, Lucam non describere, quid Apostoli vel consecrarint, vel ipsi sumpserint, sed tantùm, quid populo dispensarint. Nam Actor. 20. Paulus Apostolus scribitur fregisse panem, & ipse gustasse. Nec juxta sua axiomata dicere possunt: Paulũ ibi unam tantùm speciem sumpsisse: fuit enim tunc conficiens (ficut Pontificij loquuntur) quia fregit panem. Nolint igitur velint, coguntur in illis locis concedere & admittere synecdochen, quæ nõ aliunde quàm ex verbis institutionis, supplenda est. Rectè igitur & nos dicimus, Apostolos in fractione illa panis, dispensasse Eucharistiam, nõ præter vel contra, sed juxta institutionem Christi, qui & panem & poculum prębuit. Institutio enim Apostolica est, Docete eos servare, quæ ego præcepi vobis.

3. Fractio illa panis non tantùm cæteris Apostolis, sed ipsi etiam Paulo tribuitur, Actorum 20. Paulum verò celebrationem, dispensationem & usum cœnæ Dominicæ tradidisse sub utraque specie, non Corinthiis tantùm, sed omnibus qui invocant nomen Domini, in omni loco, manifestè ipse testatur, 1. Corinthior. 11. Sed Lucas historicus nominat fractionem panis, phrasi Hebræis usitatissima, quæ convivium, cœnam aut refectionem, quæ cibo & potu constat, describitur, simpliciter nominat fractionem, aut manducationem panis. Insaniret autem, qui legens in historiis (manducare panem) contendere vellet, homines illos sine potu vixisse. Nec verò ex so la phrasi de synechdoche disputamus. Sed hanc synecdochen, & quidem in hoc sensu Apostolis usitatam fuisse, Paulus manifestè ostendit. Nam prima ad Corinthios 11. ubi expressè tradit usum utriusque speciei, tamen ita loquitur: Non licet Dominicam cœnam manducare. Item, Quando convenitis ad manducandum. Ibidem dicit, Nõ dijudicans corpus Domini, ubi tamen in eadem periodo bis copulativè conjungit edere & bibere.

Porrò obiter & hoc adjiciam, quòd Roffensis, & post eum Iesuitæ Colonienses ex opere imperfecto, in Matthæum, quod Chrysostomo, sed falsò adscribitur, probare nituntur, Paulum in navi, Actor. 27. sub una tantùm specie dispensasse Eucharistiam Lucæ, & reliquis discipulis.

Si Sophistæ in prophanis materiis, ut in laudanda quartana febri, tyrannide Busiridis, & similibus ita luderent, aliquo modo ferendum esset. Sed in re seria, pertinente ad cõscientias piorum, ita ludere sacrosanctę Scripturæ sententiis, & quidem ad evertenda clarissima verba testamentariæ institutionis filij Dei, nefarium profectò & sceleratum est. Lucas enim Acto. 27. non breviter, non obscurè, nec ambiguè, sed clarissimè multis repetitionibus diserte declarat, non agi in illa historia de celebratione cœnæ Dominicæ, sed de sumptione vulgaris cibi, post multam & longam inediam.

Et quidem de Eucharistia historiam illam interpretari, si fiat sine injuria & depravatione institutionis Christi, catachresis est, non admodũ sanè probanda, nec imitanda, fit enim præter veritatem historiæ, alĩquo modo tamen tolerada. Autor enim operis imperfecti, nihil inde statuit, quod ab institutione Christi dissentiat. Sed detorquere illam historiam ad mutationem, violationem & mutilationem cœnæ Dominicæ, cum de Eucharistiæ dispensatione prorsus nihil ibi dicatur, nefarium profectò & sceleratum est. Et vel hinc æstimari potest, qua conscientia causam istam agant conductitii procuratores regni Pontificii. Ecclus enim, cùm in omnibus illis argumentis, ex Apostolorum scriptis contortis, videat non satis esse præsidii, postremò dicit, communionem laicorum sub una specie, esse unum, quod veniat ex tacita traditione Apostolorum. Et ne unum quidem scriptorem nominare potest, qui inter Apostolicas traditiones dogma illud referat. Sed unum axioma habet Pontificia Ecclesia, quod Petrus Asotus his verbis explicat: Quicquid Romana Ecclesia credit & servat, quod ex Scriptura probari non potest, ut illud simpliciter credatur ex traditione Apostolorum venire.

Ecclus.

Axioma Pontificia Ecclesia.

Nec verò solis Apostolis maculã illam inurũt, quasi à testamentaria institutione Christi discesserint. sed ipsum filium Dei, fingunt post resurrectionem exemplo & facto destruxisse, quod in ultima cœna, institutione & præcepto ędificarat. Dicitant enim, Christũ post resurrectionẽ duobus discipulis in Emaus, Eucharistiã sub unica solius panis specie tantummodò præbuisse, atq; ita ipsum, tanquam certissimũ sui ipsius interpretem, facto ostendisse, quomodo institutionẽ cœnæ intelligi velit: quòd scilicet mandatum de utriusque speciei sumptione, pertineat non ad laicos, sed ad solos Sacerdotes, laicis verò unius speciei communionem sufficere. Et non parum sanè roboris haberet hoc argumentum, si certò, manifestè & firmiter demonstrari posset, Christum facto & exemplo docuisse, ad laicos pertinere non totam institutionem, sed tantùm partem ejus, de panis scilicet specie. Sed quoniam verba institutionis manifesta sunt, & clarissimũ est Pauli testimonium, institutionem cœnæ pertinere ad totam Ecclesiam, id quod à Domino se accepisse testatur, omnino necesse erit, testimonium quod diversum doceat, longè esse clarius, certius & firmius, ut evidentiæ & certitudinis robore nos dimoveat à verbis institutionis, & à traditione Pauli, à Domino accepta. Quæstio igitur est: An ex illa historia evidẽter, certò & firmiter demonstrari possint tria hæc capita. 1. Quòd Christus in Emaus, duobus illis discipulis dederit Eucharistiam. 2. idq; sub unica solius tantùm specie. 3. & quidem ita, quod hoc facto voluerit docere, laicis tantùm unã speciem esse dandam, non habita ratione institutionis. Multis autem argumentis convincitur & demonstratur, tria illa capita non posse certò, evidenter & firmiter in historia illa ostendi. Quòd enim fractio illa panis in Emaus, fuerit Eucharistiæ dispensatio, ex Lucæ descriptione, nec clarũ, nec certum est. Nam & vulgares cõcœnationes seu refectiones, vocãtur in Scriptura fractio panis. Isaiæ 58. Thr. 4. Matth. 14. Nec verba illa (quòd acceptum panem legitur benedixisse, & confractum dedisse duobus illis) convincunt fuisse Eucharistiæ dispensationem. Nam & Matth. 14. & 15. de panibus

Aliud argumentum ex historia Luc. 24.

Refutatio.

&

Universidad de Deusto
Biblioteca

& piscibus in deserto eadem verba usurpantur, ubi nemo vel fingere audet, fuisse Eucharistiæ dispensationem. Formalia verò verba, quæ oportet ad elementum accedere, ut fiat Sacramentũ: scilicet, Accipite, manducate, Hoc est corpus meũ. non legimus in historia illa fractioni panis addita fuisse à Christo. Nec virtuti panis illius, tribuitur apertio oculorum, sed historia simpliciter narrat, dum Christus panem frangeret, & distribueret, apertos ipsis fuisse oculos, sicut postea Apostolis recitant, agnitum sibi fuisse Christum in fractione panis, non vi & virtute panis. Non igitur evidenter & certò probari potest, fractionem illam panis, fuisse dispensationem Eucharistiæ. Circumstantiæ verò textus, nõ obscurè de vulgari cœna loquuntur. Erat enim tempus cœnæ, & in diversorio ad mensam hospitis, epulis instructam recumbebant. More verò qui etjamnum apud Iudæos usitatus est, Christus panem benedixit, & fractum distribuit. Et quia discipulis noti erant ritus Christi, in benedictione & fractione panis, inde ipsum agnoverũt. Adeò verò non est certum, an historia illa loquatur de dispensatione Eucharistiæ, ut nec olim Constantiense & Basiliense, neq; nunc Tridentinum concilium ausum fuerit, pro defensione unius speciei testimonium illud allegare: quod tamẽ fortissimum esset, si certò & evidenter de illis constaret, quę procuratores Pontificii, audacter historiæ huic affingunt. Nicolaus Lyranus: qui cẽtum fermè annis ante Constantiense concilium scripsit, historiam illam interpretatur non de Eucharistia, sed de vulgari fractione panis.

Nicolaus Lyranus.

Vuilhelmus Vuideford.

Et Vuilhelmus Vuideford, qui contra articulos Viclesi scripsit, anno 1396. expresè dicit: nec ex textu, nec ex glossa, nec ex antiquis doctoribus posse probari, fractionem panis, Lucæ 24. fuisse panis consecrati.

Alphonsus de Castro.

Et Alphonsus de Castro, in opere adversus hæreses lib. 6. cùm diu multumq; de historia illa disputasset, tandem concludit, se hac de re nihil definire velle.

Cùm igitur certò non constet, historiam illam Lucæ 24. pertinere ad dispensationem Eucharistiæ: stulti certè essemus, si pateremur nos à manifesto, certo & firmo præscripto & mandato institutionis abduci per dubium, incertum & ambiguum testimonium. Hue enim rectè accommodatur, quod Augustinus habet contra Petilianum Epistolã cap. 16. Non ea colligant & commemorent, quæ obscurè, vel ambiguè, vel figuratè dicta sunt, quæ quisq; sicut voluerit interpretatur, secundum sensum suum. Talia enim rectè intelligi, exponiq; non possunt, nisi prius ea, quæ apertissimè dicta sunt, firma fide teneantur. Sed proferre aliquid, quod non egeat interprete, nec vnde convincamini, quod de aliare dictum sit, & vos illud ad vestrum sensum detorquere conemini. Hæc Augustinus.

Augustinus.

Nos verò habemus clarissimũ testimonium, quomodo Christus non tantùm in ultima cœna instituerit Eucharistiam, verumetjam quomodo post ascensionem suã tradiderit Paulo, quòd institutionem de utraque specie, velit accommodari ad universam Ecclesiam, sicut suprà hoc ostendimus.

Nec fingendum est, Christum ea, quæ & in vltima cœna instituit, & post ascensionem repetita ad Paulum traditione confirmavit, facto illo in Emaus voluisse infringere & evertere, cùm Paulus dicat de illa manducatione & bibitione, donec veniat ad judicium.

Quicquid igitur de Historia illa disputetur, hoc certum est, formam celebrandi & administrandi Eucharistiam, non esse Ecclesiæ in historia illa præscriptam. Non enim additum est mandatum, ut factum illud Christi imitemur: additum verò est tale mandatum, & præscripta forma administrationis cœnæ Dominicæ in verbis institutionis, & in Paulina traditione. Hoc fundamentum tenentes, aberrare non possumus. Aliàs enim omnia facta Christi, sine certo verbo ad nos pertinente, imitari non debemus. Nec ipsi Pontificii, qui historiam illam de consecratione, administratione, & dispensatione Eucharistiæ interpretantur, possunt nudè & simpliciter eam ita tueri, quin cogãtur multa, quorum in hac historia, expressa mentio non fit, ex institutione Christi addere & supplere. Et hoc ita probabo, ut nullus tergiversandi locus sit Pontificiis. Quæro enim, an Sacerdoti contra formam & præscriptum institutionis, liceat solo pane consecrato, & calice in totum prætermisso, mysteria Eucharistiæ celebrare? Certè ipsi docent, ingens hoc sacrilegium esse. Atqui illud sequitur ex hac historia, si præterita institutione, ea tantùm facienda sunt in celebratione Eucharistiæ, quę expressis verbis Lucas scribit facta esse in fractione panis in Emaus. Quæro item, an Eucharistia confici vel possit, vel debeat fine verbis illis formalibus: Accipite, manducate, hoc est corpus meum, &c. Atqui sequetur hoc omnino, si non juxta præscriptum institutionis, sed juxta ea tantùm, quæ in Emauntica fractione panis facta esse scribuntur, cœna Dominica celebranda est.

Historia Luc. ca 24. nil quicquã pertinet ad dispensationẽ Eucharistiæ.

Hæc duo Pontificii admittere & concedere nõ possunt. In quascunque igitur partes se vertant, coguntur in dvobus illis ad formam institutionis recurrere, si historiam Emauniticam simpliciter de administratione Eucharistiæ interpretandam esse contendant. Et nobis sufficit illud, quòd per has duas quæstiones Pontificiis velint, nolint, necessariò extorquetur, formam celebrandæ Eucharistiæ non posse simpliciter & totam sumi ex Emauntica historia, sed sumendam esse ex præscripto institutionis. Atq; ita incilus est nervus hujus argumẽti. Quòd igitur Emauniticam historiam, si omnino intelligenda esset de celebratione Eucharistiæ, malumus ex verbis institutionis interpretari, quàm præscriptum & mandatum institutionis mutare & mutilare, propter obscuram illam historiam, hoc est, quòd malumus formam celebrandæ & administrandæ Eucharistiæ, ex institutione, quàm ex historia illa sumere: ejus rei habemus graves rationes. Ad illud enim quod in institutione Christus fecit, additum est in singulis partibus mandatũ: Hoc facite. Quod Paulus affirmat durare debere usq; ad consummationem seculi. De facto verò Emauntico, non extat ullum mandatum Dei, ut illud imitemur.

Pontificii

Pontificii verò illa, quæ de Historia Emauntica disputant, non tam in contextu Lucæ fundant, quàm in Patrum quibusdam sententiis, qui fractionem illam panis, per allegoriam ad doctrinam de Eucharistia accommodant. Ad quas sententias multa possent responderi. Neque enim omnes illi loci, de Eucharistiæ celebratione loquuntur, quos Patres eò accommodant: sicut manifestum est de sexto capite Iohannis, & 27. Actorum. Sed quicquid sit de allegoricis illis Patrum interpretationibus: hoc in quo status hujus disputationis consistit, constat, apud Patres non tantùm non dogma, sed ne disputationem quidem talem extare, Christum illo facto in Emaus voluisse ostendere, non totam institutionem cœnæ, sed tantùm dimidiam ejus partem pertinere ad laicos, & vel oportere, vel licere unam tantùm speciem Eucharistiæ, altera prætermissa & subtracta laicis dispensare. Hoc non tantùm non dogmatizata, sed ne disputata quidem in Patrum scriptis ostendi possunt. Imò Græci non tantùm usum utriusque speciei, pro universa Ecclesia retinuerunt, sed & tradiderunt, & sæpè repetiverunt dogma illud, usum utriusque speciei ex institutione Christi, pertinere ad universam Ecclesiam, & ad Sacerdotes & ad laicos, sicut suprà testimoniis ipsorum demonstratum est.

Verba Augustini.

Apud Augustinum verò locus extat manifestissimus, tractatu 2. in Canonicam Ioan. ubi in illa ipsa allegoria de fractione panis in Emaus, diserte & expressis verbis meminit manducationis & bibitionis in Eucharistia, loquens de universa Ecclesia, hæc enim sunt ejus verba: Discipuli eum non agnoverunt, nisi in fractione panis. Et verè, qui non sibi judicium manducat & bibit, in fractione panis Christum agnoscit. Hæc sententia manifestissimè ostendit, Augustini allegoriam, sicut & reliquorum Patrum de fractione illa panis, nihil patrocinari mutilationi cœnæ Dominicæ, quæ à Pontificiis in Ecclesiam invecta est.

Et hæ fermè sunt Scripturæ sententiæ, quas Pontificii procuratores in disputationibus nostrorum temporum, ad justificandam mutilationem cœnæ Dominicæ contorquent. Quæ enim præterea ex 6. cap. Iohannis argumenta nectunt, & quæ disputant de præscripto & mandato institutionis, quod non ad universam Ecclesiam, sed ad solos Sacerdotes pertineat: illa locũ suum habebunt in explicatione primi Tridentini capituli.

Argumenta sumpta ab autoritate Ecclesiæ.

Hoc igitur est unum genus argumentorum, quibus Pontificii in hac causa utuntur, ex Scripturæ scilicet testimoniis. Alterum genus argumentorum, quibus vel maximè & præcipuè nituntur, sumunt ab autoritate & potestate Ecclesiæ. Operæ precium autem est observare, quomodo inter Pontificios apertius alii, alii rectius, alii subtilius & circumspectius, alii crassius & impudentius locum illum communem de autoritate & potestate Ecclesiæ, accõmodent ad defendendam mutilationem Testamentariæ institutionis Christi. Pighius disputans de communione sub una specie, simpliciter dicit: Romano Pontifici, Petri vicario, dictũ esse à Christo, ut quodcunq; in universo suo regno hic super terram figeret, refigeret, obligaret aut solveret, hoc ipsum ita fixum, refixum, obligatũ, solutumq; coram Deo habitum iri in cœlis. Et ad decretum Constantiense, sententiam Deuteronomii 17. expunctis clausulis conditionalibus (indicabunt ibi judicii veritatem. Item, Facies quodcunque docuerint te, juxta legem Domini) tanquam ad merũ & mixtum Conciliorum imperium, sine ulla limitatione vel exceptione ita accommodat: Facies quodcunque dixerint tibi, qui præsunt Ecclesiæ, sequereq; sententiam eorum, non declinabis nec ad dexteram, nec ad sinistram. Qui verò superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, ex decreto Iudicis morietur homo, cunctusq; populus timebit. Osius verò ad legem illam Constantiensem accommodat Platonis sententiam, 1. de Legibus. Vobis una certè lex erit præclarissima, quæ jubeat, ne quis juvenum quærere audeat, recténe an contra leges se habeant, sed uno omnium ore, unáq; voce rectè, tanquam à Diis posita concedi præcipiat, nec ullo modo aliter pati quicquam à juvenibus cogitari. Latomus ad Bucerum scribens, inquit: Cùm rudis adhuc esset prima Ecclesia, ritum à Christo acceptum religiosè tenuit, donec docta à Patribus intellexit, utramque speciem convenire Sacerdotibus, laicos solo pane contentos esse posse. Crassum hoc apophthegma, ne ipsis quidem Pontificiis probatur. Iicet declaret se, quòd talem ruditatem primitivæ Ecclesiæ tribuerit, sicut Ovid. scribens, inquit:

Osius.

Latomus.

Rudis indigestaq; moles.

Et hi quidem ingenuè & apertè explicant, quę sit Pontificiorum sententia in loco communi, de autoritate & potestate Ecclesiæ. Alii verò illam quidem sententiã, sed paulò rectius & subtilius proponunt. Dicunt enim, Evangelium concedere Ecclesiæ libertatem in externis ritibus seu ceremoniis, quas pro ratione ædificationis possit variare & mutare. Et hoc loco multis declamitant, propter externos ritus non esse turbandas Ecclesias, nec unitatem ejus scindendam. Adducunt etjam exemplum Vrbi, quem Augustinus Epist. 86. acriter reprehendit, quòd propter jejuniũ Sabbathi totas Ecclesias turbaret & damnaret. Sed hoc argumentum, quacunq; specie amplificatum, facilè ipsis eripitur & excutitur. In ritibus enim adiaphoris, habet Ecclesia potestatẽ, non ad destructionem, sed ad ædificationem. Non autem habet libertatem & potestatem docendi aut statuendi aliquid contra mãdata Dei, seu abrogandi & prohibendi ullã partem mandati divini, quod pertinet ad Ecclesiam, ad ministerium, & ad novum Testamentum. Ipsis enim Pontificiis notæ sunt veterum sententiæ: Nullo modo quod Dominus jubet, bonus servus mutat. Et 25. quæst. 1. Sciendũ summopere est, quòd inde novas leges condere potest Pontifex, unde Evangelistæ aliquid & Prophetæ nihil dixerunt. Vbi verò apertè Dominus, vel Apostoli ejus, & eos sequẽtes sancti Patres, sententialiter aliquid definierunt: ibi non novã legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatũ est, usque ad animam & sangvinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Prophetæ & Apostoli destruere, quod abfit, niteretur, non sententiã da-

Pighius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

re,sed magis errare cõvinceretur. Et quid opus est,plures veterum sententias conquirere, cùm habeamus manifestamPauli sententiam: Si quis præter id quod accepistis,vobis evangelizaverit, si fuerit,vel Apostolus,vel Angelus de cœlo,anathema sit. Quid verò Ecclesiæ à Paulo de administratione cœnæ Dominicæ acceperint,certum & manifestũ est,1.Cor.11. Sed propius pedem conferentes dicũt,in ipsa celebratione Eucharistiæ, sicut ea à Domino usurpata est,multa esse variata,mutata & abrogata,in quibus nemo Ecclesiã possit damnare,quasi in Christi mandatũ commiserit. Christus enim vesperi post cœnam,prœmissa prius ablutione pedum, & manducatione agni Paschalis,dedit Eucharistiam. Hęc verò Ecclesia non servat,nec quisquam ut necessarium exigit,ut tantùm duodecim, & quidem accumbentes ad mensam, sicut in prima cœna factum est,ad communionem admittantur.

Sed & hoc argumentum facile solvitur per usitatam regulam: De dissimilibus non est idem judiciũ. In institutione enim cœnæ Dominicæ, quædam pertinent ad substantiam cœnæ Dominicæ, quibus addirum est mandatũ Christi: Hoc facite,accipere scilicet panem,benedicere,frangere,distribuere,manducare. Similiter & calicẽ accipere,benedicere,distribuere,bibere, & hoc facere ad commemorationem Christi. De reliquis verò circumstantiis, quas pro ratione temporis tunc Christus servavit nullum tradidit,vel præscriptum,vel mandatum. Dicit enim: Hoc facite. Non autem addit,ut illud fiat tali tempore, & servatis reliquis circumstantiis, non mandatis. Et modestissima est Augustini sententia, Epist.118. Si hoc Dominus nõ præcepisset,sed tantùm monuisset,ut semper post cœnam dispensaretur & acciperetur Eucharistia,credo,quòd nemo illum morem mutasset. Non igitur valet consequentia à circumstantiis liberis & non mandatis,ad substantialia cœnæ Dominicæ, quæ habent præscriptum & mandatum divinum,quod Paulus dicit durare debere usque ad gloriosum adventum Christi,1.Cor.11.

Axioma.

Tandem igitur Colonienſe antididagma, petit jugulũ causæ. Conatur enim probare, etjam in ipsis Sacramentorũ substantialibus,ut in materia & forma,quę habent præscriptum & mandatum divinũ,Ecclesiam, & quidem etjam Apostolorum tempore ostendisse suã libertatem & potestatem,quædam mutandi,variandi & abrogandi,idq; in Baptismi Sacramento,cujus major sit necessitas,cùm scriptum sit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu,nõ intrabit in regnum cœlorum. Documenta verò probationis sunt: Christus iussit baptizare in nomine Patris,Filii, & Spiritus sancti. Et hæc est forma Baptismi,ab ipso filio Dei instituta,præscripta & mãdata. Sed Apostoli formam illam mutarunt,variarunt,& ad tempus abrogarunt, leguntur enim tantùm in nomine Christi baptizasse,Act.2.& 19. Et hoc argumentum ad præsentem controversiam speciosè potest accommodari Licet Christus in forma Baptismi expressè & distinctè recitet nomen Patris,Filii,& Spiritus sancti,tamen Apostoli judicarunt hoc non esse simpliciter necessariũ,sed posse mutari, eò quòd in Christi nomine,propter essentiæ unitatem,etjam Patris & Spiritus sancti nomen comprehendatur. Eodem ergo etjam modo,licet Christus utramque speciem Eucharistiæ,seorsim & divisim (sicut veteres loquuntur) instituerit,tamen quia Christus integer & totus,cum corpore,sangvine,anima & spiritu adest,in altera etjam specie. Ecclesia igitur rectè judicavit,utramque speciem non esse necessariam laicis, sed posse ipsis sufficere alteram tantum: Sicut enim Apostoli, ex argumentatione de unitate essentiæ mutarunt institutionem Baptismi,ita Ecclesia ex argumentatione de concomitantia, rectè potuit mutare institutionem cœnæ,de utraque specie. Sed respondeo: Scriptura non dicit, Apostolos ita baptizasse in Christi nomine,ut mutata & abrogata forma Baptismi, à filio Dei præscripta & mandata,nomen Patris & Spiritus sancti prorsus præteritum, omissum & exclusum fuerit in actione & administratione Baptismi: hoc est, quòd in Baptismo nulla ab Apostolis expressa & distincta mentio facta fuerit nominis Patris & Spiritus sancti, sed tantùm nominis Christi. Sicut memini monachũ quendam opponere locum, Actorum 8. Tantùm in Christi nomine baptizati erant: cùm textus ibi simpliciter dicat. Samaritanos nondum accepisse visibilia dona Spiritus,sed tantùm baptizatos fuisse in nomine Christi, sicut in Græco textu hoc manifestum est. Petrus igitur, qui Acto.2. dicit,Baptizemini in nomine Christi, expressè nominat Deum Patrem,cùm inquit 1.Pet.2. Baptisma esse stipulationem bonæ conscientiæ erga Deũ, propter resurrectionem Christi,qui est in dextera Patris. Et actorum secundo,ubi nominat Baptismum in nomine Christi,diserte & expressè dicit: Accipietis donum Spiritus sancti. Item: Vobis est promissio, & liberis vestris, & omnibus qui adhuc procul sunt,quos Dominus Deus vester advocabit. Ita Paulus,qui Roma.6. dicit,nos in Christum baptizatos. Et Ephes.5. Christum mundare Ecclesiam lavacro aquæ in verbo. Is Tit.3. diserte & expressè, in doctrina Baptismi mentionem facit nominis Patris,Filii, & Spiritus sancti. Dicit enim, Deus nos salvos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti,per Iesum Christum salvatorem nostrum. Imò Actorum 19. Paulus pronunciat illos nec rectè,nec in nomine Christi baptizatos,qui ignorabant, an esset Spiritus sanctus. Et de illo loco Ambrosius disputans lib.1.de Spiritu sancto,capite 3. dicit,nõ esse plenum Baptisma,nisi in nomine & confessione Patris,Filii, & Spiritus sancti.

Refutatio.

Planum igitur est Apostolos nequaquam mutasse vel varias se formam Baptismi,à Christo traditam & præscriptã,ita ut sine mentione & nomine Patris & Spiritus sancti,in solius Christi nomine baptizarint. Sciebant enim, institutioni Baptismi, Matth.28. annexam esse hanc clausulam: Docentes eos servare, quæ præcepi vobis. Quia verò Lucæ historici propositum non erat describere quomodo & qua forma Apostoli baptizarint: illud enim ex institutione constabat, cùm igitur Baptismum illum novi Testamenti, à Christo institutum historica brevitate notare & nominare vellet, non necesse habuit

buit semper repetere totã institutionem de materia,forma,usu & fructu Baptismi, sed ut peculiari appellatione, Baptismum illum distingveret à Iohannis Baptismo, & à legalibus Iudæorum Baptismis, nominavit baptismum in nomine Christi,sumpta appellatione, 1. ab effectu, in Baptismo enim Pater, Filius & Spiritus sanctus dispensant,applicant & obsignant communionem meritorum, mortis & resurrectionis Christi. sicut Roman.6. Galat.3. Tit.3. 1.Petri 3. Scriptura tradit. 2. sumpta est appellatio ab authore, qui Baptismum instituit, ut in nomine Christi baptizare, idem sit quòd jussu, mandato & auspiciis Christi baptizare. Quomodo verò ipse baptizari mandarit, constat ex institutione. Baptismus igitur in nomine Christi non rectè administratur, nisi juxta institutionem in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti detur. Non igitur verum est,Apostolos formam Baptismi à Christo præscriptam, mutasse, mutilasse & abrogasse.

Altera antidagmatis probatio hæc est,Christus præcepit baptizare,cum immersione totius corporis in aquam, id enim affirmant, verbum βαπτίζειν significare. Sed Ecclesia hoc indicat nõ esse necessarium, sed sufficere, si baptizatio fiat vel perfusione, vel aspersione aquæ. Et tamen hoc pertinet ad substantialia Baptismi. Respondeo: Si verbum βαπτίζειν simpliciter significaret,totum corpus in aquam immergere: nemo morem immersionis vel potuisset vel debuisset mutare. Sed Paulus certissimus interpres, dicit baptizare esse mundare seu purgare per lavacrũ aquæ in verbo. Sive igitur per ablutionem quæ fiat adhibita aqua,Ephes.5. Tit.3. Acto.2. sive adhibitio aquæ fiat mergendo, tingendo, perfundendo seu aspergendo, est baptizatio: est enim purgatio seu ablutio per lavacrum aquæ. Nec ad lavacrum necessariò requiritur, immersio sub aquam. Et ablutio etjam manuum, lectulorum, æramentorum,& poculorum, quę fit adhibitione aquæ, sive mergendo, sive tingendo, sive perfundendo, Mar.7. vocatur Baptismus. Nec in baptismo Christi talem fieri necesse est confricationem corporis cum aqua, sicut fit, quando sordes corporis deterendæ sunt, 1.Pet.3. Christi igitur mandatum est, ut in baptismo fiat purificatio seu ablutio per lavacrum aquæ. Quo verò modo ablutio illa fieri debeat, sive mergendo, tingendo, perfundendo, sive aspergendo, Christus non præscripsit. Nulla igitur hac in re, mutatio fit in substantialibus Baptismi.

Trina tinctio in Baptismo non necessaria.

Disputãt enim de trina tinctione, quæ mutata sit. Sed certum est, Christum non præscripsisse & mandasse, sive unicam, sive binam, sive trinam tinctionem: nec prohibuisse si pluries fiat, in unico Baptismo. Satis fit enim institutioni, quando fit ablutio, adhibita aqua.

Quòd verò dicunt, Christi præscriptũ & præceptum esse, ut infantes non prius baptizentur, quàm doceri possint, illud verò Ecclesiam privata autoritate, contra præscriptum & mandatũ Christi mutasse: Anabaptisticum, & falsum est, sicut ostẽdimus in loco de baptismo. Nullo modo igitur verum est (probari enim non potest) Ecclesiam habere potestatem mutandi, variandi, mutilandi, abrogandi & prohibendi aliquid eorum, quæ de substantialibus Sacramentorum à filio Dei tradita, præscripta & mandata sunt. Vera enim Ecclesia non dominatur fidei, 2. Corinth.1. sed sedens ad pedes unici magistri Christi, reverenter & obedienter verbum ejus audit. Matth.23. Luc.19. ædificata enim est super fundamentum Prophetarũ & Apostolorum, Ephes.2. semper sibi proponens illud: Docete eos servare, quæ ego præcepi vobis, Matth 28. Si igitur oves Christi sumus, audiamus vocem pastoris nostri, inquit Augustinus contra literas Petiliani. Et hoc est secundum genus argumentorum, à libertate, autoritate & potestate Ecclesiæ.

Tertium verò genus argumentorũ est, quòd testimoniis antiquitatis conantur probare, nec semper nec ubiq; in veteri Ecclesia usum utriusque speciei observatum fuisse, sed semper etjam in primitiva Ecclesia, in usu fuisse communionem laicorum, sub una tantummodo specie. Sed hæc commodiorem locum habebunt in explicatione secundi Tridentini capituli, video enim præter opinionem & instituti rationem, materiam hanc excrevisse. Non inutilem tamen judico hanc annotationem, ostẽdit enim, qualia fundamenta causæ suæ habeant Pontificii. Non inutilis etjam est collatio, quomodo subinde vel nova excogitata sint fundamenta, vel vetera novis coloribus reformata. Et hac etiam collatione argumentorum, multa quæ in Tridentinis decretis brevius & rectius attinguntur intelligi poterunt.

ARGVMENTA TRIDENTINÆ Synodi, de communione sub una specie.

Accedamus igitur tandem ad examen Decretorum quintæ Sessionis. Principiò autem Lector observabit, quòd Tridentina congregatio noluerit omnes rationes, quæ in hac disputatione à Pontificiis Scriptoribus hucusque agitatæ fuerunt, per repetitionem suas facere. Sed valdè multas quasi habito delectu præterierunt: sine dubio ideò, quòd incertæ, infirmæ, ineptæ & absurdæ pleræque visæ sunt. Retinuerunt autem, & selegerunt paucas quasdam: sine dubio, quæ ex toto illo cumulo optimæ & fortissimæ judicatæ fuerunt. Ne tamen studium & operam procuratorũ regni sui prorsus improbasse vel damnasse videantur, decernunt in II. capitulo, & II. Canone, omnes tales rationes & causas graves & justas esse.

Quinque autem video rationes esse, quas Tridentinum Concilium, tanquam ex omnibus copiis præcipuas & fortissimas, in hoc certamine in aciem producit, ad propugnandam Pontificiã mutilationem cœnæ Dominicæ. Illas igitur ordine examinabimus.

Prima autem ratio hæc est. Etsi Christus, Sacramentum hoc in panis & vini speciebus instituit, & Apostolos tradidit: laici tamen, & clerici nõ conficientes, nullo divino præcepto ad sumptionẽ utriusq; speciei obligantur. Alterius igitur speciei communio illis ad salutem sufficit.

In hoc argumento conclusio est κρινόμενον, de

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo controversia est. Iam verò in omni argumẽtatione requiritur ἀίτιον, quod sit ratio & causa, cur positis & concessis quibusdam, conclusio vera & necessaria ratione inde sequatur, & ita certò se habere probetur. In hujus verò argumenti antecedente, ponitur & conceditur, Christum instituisse usum utriusq; speciei. Quomodo verò quæso inde cõcluditur & probatur, ad laicos nõ pertinere mandatum Christi, de sumptione utriusque speciei? nisi forsan ex veteri illa topica sumptum est, cujus artificium extat Gen. 3. licet Deus præceperit, ut non comederetis ex omni ligno, tamen potestis illud facere.

Certè de magna & ardua re hoc loco disputatio est, de testamentaria scilicet institutione filii Dei, illa verò non est vel ambigua, vel obscura: sed tanta est ejus lux, quæ omnium oculis, etjam quando concepta est præsumptio discedendi à verbis institutionis, se ingerit. Ante omnia igitur operam dandam esse, Tridentini patres judicarunt, ut institutionis molem, qua se valdè premi sentiunt, quoquo modo amoliantur.

Tridentinorum artificium.

Et Constantiense quidem concilium, aliquâ voluit reddere rationem mutilationis, quamvis valdè crassim & violentam. Decernit enim, non obstante institutione Dominica, recentem consvetudinem pro lege esse habendam. Sed illam Maximam, nostra tempora luce verbi illustrata, non ferunt. Ideò Tridentini ex Basilienſi Concilio aliud mutuantur artificium, ut scilicet nulla prorsus monstrata, reddita & explicata ratione, nudè & simpliciter, pro imperio, & plus quã prætoria autoritate asseverent & promulgent, licet Christus instituerit usum utriusq; speciei, tamen laicos nullo divino præcepto obligari ad sumptionẽ utriusq; speciei. Atqui hoc ipsum est, quod in controversia positum, certa, evidenti & necessaria ostensione probandum & confirmandum erat. Legimus enim in institutione verba disponentia, præscribentia, mandantia, & præcipientia, non tantùm in una, sed in utraq; parte: Accipite, edite, bibite. Et utrique parti, similiter additũ est mandatum: Hoc facite. Ergo ad quos prior pars pertinet, ad eos etjam altera pars referenda videtur. Dum verò Tridentini Patres decernunt, verba mandantia in prima quidem parte institutionis, pertinere ad omnes Christi fideles, sacerdotes & laicos, in altera verò parte, verba præcipientia obligare tantùm sacerdotes, & non laicos.

A Tridentina ratio mutilationis cœnæ Dominicæ reddi non potest.

Hujus verò divulsionis & diversitatis, nullam prorsus in institutione monstrant rationem: cùm tamen altera illa pars primæ annectatur, nõ tantùm per particulam copulativam, sed & per particulam (similiter.) Et quidem cùm in altera parte universalis particula disertè exprimatur, quod in prima parte non sit, Bibite ex hoc omnes, & addicur: Hoc facite. Diligenter autem expendi singula verba in primo Tridentino capitulo: non tamen potui deprehendere, quòd ullam vel minimam rationem ex verbo Dei assignent, qua laicorũ conscientias erudire & tranquillas reddere conentur: ut certò statuere possint, cùm in utraque parte institutionis sint verba mandantia quod illis, quæ in prima parte sunt, ipsi etjam laici obligentur: quæ verò in altera parte sunt præcepta, ea nihil pertinere ad laicos.

Duas verò alias invenio rationes, in primo hoc capitulo expositas: sed ita, non quòd per illas velint monstrare causas, & reddere rationes hujus sui decreti: sed ut in principio protestentur, nullam ab se requirendam esse aliam rationem, quàm ἀυτὸς ἔφα. Iuxta Canonistas enim sicut Papa, ita etjam Concilium voluntatem habet pro ratione, in his quæ vult. Et Parisienses adversus Lutherum dicunt, legem definiendi in Pontificia Ecclesia hanc esse, ut quid sentiãt, pauci explicent, rationes verò cur ita definiant, nullas scripto mandent.

Prima igitur ratio hæc est. Tridentina Synodus à Spiritu sancto edocta, declarat ac docet: Licet Christus instituerit, &c. Vbi verò Synodus edocta est à Spiritu sancto, de hac declaratione? Num ex aliquo Scripturæ loco? Moris enim est Scripturæ sicut Hieronymus rectè dicit, ut quæ in uno loco brevius & obscurius dicta sunt, in alio loco explicet & declaret. Nullũ certè scripturæ locũ, ex quo declarationem illã sumpserint, indicant, sed Christo opponunt Spiritũ sanctũ, ita ut Christus quidem olim in ultima cœna præceptivè instituerit utramq; speciem, Spiritus verò Sanctus nunc in Tridentina Synodo diversam declarationem Patribus inspiraverit.

Memorabilis verò ratio est, licet sine verbi Dei testimonio, imò cõtra manifesta Christi verba hanc declarationem proferant, quare tamen pro certissimo fidei articulo amplectenda sit, quia scilicet Spiritus sanctus est Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & pietatis. Valet autem consequentia, à baculo ad angulum.

Secunda ratio est: Tridentina Synodus, secuta judicium & cõsvetudinem Ecclesiæ, declarat ac docet, &c. Cujus verò Ecclesiæ? Non Apostolicæ, nec primitivæ: quale enim illius judicium fuerit, suprà monstravimus: sed eius qvæ circa Cõstantiense Concilium, consvetudinem illam cõtra Scripturam & morem primitivæ Ecclesiæ invexit, & quæ postea illam consvetudinem in Constantiensi Concilio judicavit pro lege habendam.

Egregiæ sanè rationes. Passim conqueruntur piæ conscientiæ, etjam in Babylonica regni Pontificii captivitate, se moveri clarissima luce verborum institutionis, quæ forma Testamenti, ab ipso filio Dei tradita, & Ecclesiæ cõmendata est, non per modum Concilii, sed in forma præcepti & mandati. Sed Tridentinum Concilium simpliciter repetit & confirmat veterẽ cantilenam: præceptum scilicet institutionis de sumptione utriusq; speciei, non obligare laicos. Dum verò quæruntur rationes, quibus pia mens erudiri, confirmari, & certa reddi possit, pro thesauro ostendunt carbones, scilicet quia Tridentina Synodus ita declarat & docet. Et quia Ecclesia in Constantiensi Concilio ita judicavit: ergo licet Christus instituerit &c.

Hactenus Pontificii procuratores laborarũt, aliquo modo & quacunq; specie, ex verbis institutionis ostendere, mandatum de bibendo calice, non pertinere ad laicos, ut non prorsus sine omni ratione, ex mera tyrannide viderentur populo

eripuisse usum Dominici calicis. Sed Tridentina Synodus nõ vult copias suas, in illas angustias redigi, vt non certior & firmior sit hæc declaratio, quàm certò & firmiter illa ex verbis institutionis probari & demõstrari potest: ideò sine ratione decretum tantùm proponitur. Videntur tamen, quanquam valdè obscurè, ad disputationes illas alludere.

Argumentũ ad quod alludit I. Canon.

Primus enim Canon dicit, non omnes fideles ex necessitate salutis, ad sumptionem utriusque speciei obligari. Et argumentum ad quod Canon ille alludit, hoc est, In casu necessitatis fideles salvantur, etjamsi prorsus non possint habere copiã Sacramentalis communionis. Ergo citra dispendium salutis, etjam extra casum necessitatis, usus unius partis potest abrogari. Idem enim juris quod de toto, etjam de partibus est. Et quod ad antecedens attinet, suprà de Sacramentis in genere, in IIII. Canone explicavimus, quomodo Sacramenta sint ad salutem necessaria. De casu enim necessitatis, vera est Augustini sententia, etjam à Longobardo citata: Non est dubitandum, unumquemq; fidelium corporis & sangvinis Domini tunc esse participem, quando in Baptismate membrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab illius panis, calicisq; consortio, nec privari Sacramenti illius participatione & beneficio, etjamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, in unitate corporis Christi constitutus, de hoc seculo migravit. In casu igitur necessitatis, ubi copia Sacramentalis communionis haberi non potest, valent hæ regulæ: Deum salutem fidelium, non alligasse Sacramentis. Item: Crede & manducasti. Consideretur autem, qualis sit consequentia: In casu necessitatis fideles salvantur, sine Sacramentali cõmunione. Ergo extra casum necessitatis, licet mutare & mutilare testamentariam institutionem filii Dei. Certè si à casu necessitatis, argumentandum est ad abrogationem & prohibitionem extra casum necessitatis: sequetur non alteram tantùm partem, sed totam Eucharistiæ communionem abrogari, prohiberi, & Ecclesiæ eripi posse. Latro enim in cruce salvatur, etjamsi neutram Eucharistiæ speciem acceperit. Sed de casu necessitatis, plura ad argumenti hujus explicationem pertinentia, ex Augustino annotavimus, in explicatione IIII. Canonis, de Sacramentis in genere.

Augustinus de casu necessitatis.

Illud autem vehementer mihi mirum fuit visum: cùm magnis contentionibus, ab omnibus nostri seculi Pontificiis scriptoribus laboratũ & sudatum sit, ut ex ipsa descriptione institutionis cœnæ Dominicæ, vel specie aliqua ostendi posset mandatum Christi, de sumptione calicis, ex præcepto obligare nõ laicos, sed sacerdotes tantùm (hæc enim unica ratione, si illud ostẽdi & probari posset, videnti solidè respõderi posse ad omnia argumenta, quę Pontificię mutilationi ex institutione opponũtur) valde inquã principiò mirabar, quare Tridentina Synodus disertè & expressis verbis decretũ suum in illis Pontificiorũ disputationibus fundare noluisset. Sed postea animadverti, gravi illud consilio factũ esse: quia scilicet senserunt, quàm parum firma sit illa, non tam contortio, quàm ludificatio testamentariæ institutionis filii Dei. Et hæc etjã causa est, quod nec in Constantiensi, nec in Basiliensi Concilio ratio illa reperitur: cùm tamen multæ & variæ rationes ibi excogitarentur. Obscurè tamen in 1. cap. Tridentini Patres ad commentum illud alludunt, ubi dicunt: Etsi Christus Apostolis tradidit Eucharistiam sub utraq; specie, non tamen ideò omnes Christi fideles, statuto Domini ad utramq; speciem accipiendam astringuntur. Ratio enim consequentiæ in hac argumentatione, alia esse non potest, quàm quod ea, quæ Christus in institutione cœnæ ad Apostolos dixit, nõ pertineant ad uniuersam Ecclesiam ideò, quia tantùm ad Apostolos illa dicta fuerunt. Quia igitur ad disputationem illam, quam manifesta repetitione Tridentini suam facere nolunt, obscurè tamen alludunt, videndum est, quale sit novum illud commentum, quod tempore Constantiensis & Basiliensis Conciliorum adhuc ignotum fuit. Ita enim manifestum fiet, nullis sophisticis tenebris obscurari posse clarissimam lucem institutionis Christi. Quo enim acrius impugnatur, eò clarius elucescit veritas.

Pighius. Andradius.

Pighius verò & Andradius, præ cæteris magna contentione hanc fabulam agunt: & paucis argumenta ipsorum notabo. Vtile enim est, commonefactionis gratia, proponi talia exempla, quæ ostendãt, quàm audacter & imprudenter, quàm miserè & impiè Pontificii, propter tuendam suã mutilationem ludificent, depravent, torqueant & excarnificent sacratissima verba testamentariæ institutionis filii Dei. Pighius sumit verba institutionis, sicut illa à Luca & Paulo descripta sunt, prorsus præteritis Matthæi & Marci descriptionibus. Et hoc artificio testamentariam institutionem Christi ludificat. In prima, inquit, parte institutionis, Christus Apostolis duo mandat: I. Accipite, manducate. II. Hoc (quod scilicet jam me facientem vidistis) facite, in mei commemorationem, hoc est. Præcipit ut in posterum accepto pane, gratias agant seu benedicant, & illum distribuant accipiendum & mãducandum aliis, additis verbis illis: Hoc est corpus meum, &c. In altera verò institutionis parte de calice, Lucæ & Pauli descriptio non habet, Christum Apostolis dedisse calicem: nec præceptivè & imperativè dixisse: Bibite ex hoc omnes. Ergo cùm addit, Hoc facite, non præcipit, ut Apostoli & Sacerdotes poculum benedictionis bibendum dispensent. Hoc enim tantùm ipsis præcepit in posterum faciendum, quod viderãt Christum in prima cœna facientem. Iam verò Christus, juxta Lucæ & Pauli descriptionem, in prima cœna ne Apostolis quidem, poculum benedictionis dispensavit, addito præcepto: Bibite ex hoc omnes. Hæc enim verba Lucas & Paulus non habent: Dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Sed quia in Pauli descriptione Christus dicit: Hoc facite: quotiescunq; biberitis: significare voluit, tunc tantum sacerdotes debere de poculo Domini bibere, quãdo faciunt, hoc est, quando sacrificant: ipsos verò etjam Sacerdotes quando non faciunt, hoc est, sacrificant, nõ habere mandatum bibendi de poculo Domini. Hæc est Pighiana tela, quæ simpliciter ponit Christum in institutione poculum consecratum, nõ dedisse Apostolis,

Pighianum artificium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec præcipisse ipsis, Bibite ex hoc omnes. Falsúmne igitur & mendaciũ erit, quòd Matthæus & Marcus scribũt, Christum in institutione cœnæ, poculum benedictionis dedisse discipulis, & dixisse: Bibite ex hoc omnes. Pighius respondet, Christum post ascensionem verba institutionis plenius revelasse Paulo. Num verò ita, ut falsitatis & mendacij argueret ea, quæ à Matthæo & Marco descripta sunt? Operæ precium verò est audire, quomodo Matthæi descriptionem, quæ de calice & præceptivè, & per notam universalem loquitur, eludat. Dicit enim non incõgruenter intelligi posse, ea quæ Matthæus de calice scribit, pertinere non ad normam præfixam celebrando in futurum hoc mysterio, sed tantùm ad illum actum cum duodecim Apostolis pertinuisse. Quare verò hoc? Quia scilicet in Matthæi descriptione, non additur mandatũ: Hoc facite. Ita Pighius. Sed quia nimium crassa est violenta hæc institutionis divulsio, ut nulla prorsus admittatur collatio descriptionum institutionis, sicut in quatuor locis Scripturæ extãt: nec quod in unius descriptione præteritũ est, ex aliorum repetitionibus liceat supplere: ut scilicet quando Matthæi descriptio urgetur, simpliciter dicamus, Christũ non dixisse. Hoc facite in mei commemorationem: ũ Lucæ & Pauli descriptio tractatur, ut simpliciter negemus, Christum in institutione calicem dedisse discipulis, nec dixisse: Bibite ex hoc omnes: quia scilicet Lucæ & Pauli descriptio, verba illa non habet. Hæc quia nimis impudenter impia sunt, non probantur ab omnibus Pontificiis. Vna enim & eadem institutio est, quę quatuor in locis describitur: & sacri scriptores ita mutuas operas tradiderunt, ut quòd priores Matthæus & Marcus prætermiserũt, posteriores Lucas & Paulus suppleverint. Quæ verò in priorum descriptionibus satis luculenter explicata erant, ea posteriores non judicarunt omnia repetenda esse, cùm quidem omnes descriptiones conferri vellent.

Voluit tamen Pighianum illud artificium notare, ut extet illustre exemplum, ad quas impudentes & crassas ludificationes Scripturæ, susceptæ defensio Pontificiæ mutilationis, humana ingenia abripiat.

Andradij elusio. Andradius verò novus artifex, concedit in institutione extare mandatum de sumptione calicis. Sed alia via, quam Pighius ingreditur, probaturus, verba institutionis de calice, non pertinere ad laicos, sed ad solos sacerdotes. Et observabit Lector, non de vini tantùm specie laicis eripienda Pontificios laborare, sed hoc pugnãt, laicos ad dulcissima verba Christi, quæ cõmunionis calicis addita sunt, nullum planè jus habere, quia scilicet verba illa ad solos sacerdotes pertineant. Sumpsi autem potissimum Andradii disputationem expendendam, quæ enim mens sit Tridentini Concilii in primo argumento, quia non plenè se explicant, ex Andradio opinor, qui & Concilio interfuit, & in ipso Concilio scripsit, omnium rectissimè intelligemus. Dicit igitur: Licet præceptum de bibendo calice, cum nota universali, a Christo in institutione traditum sit: non tamen sequi, omnes Christi fideles sub illo universali signo comprehendi, & præcepto illo obligari. Audis eadem verba, & eandem sententiam, sicut in primo Tridentino Capitulo legis. Sed causam & rationem hujus sententiæ, quam Concilium studiosè celavit, Andradius Concilii interpres nobis prodit: Christum scilicet præcepto illo, universali nota tradito (Bibite ex hoc omnes) non alios quàm præsentes Apostolos cõpellasse. Cùm enim nõ pauci ex 70. discipulis, & ex piis matronis, tunc adessent Hierosolymis, Evangelistæ tamen expresè memorant, Christum tantùm duodecim Apostolos, mensæ illi adhibuisse. Et Marcus, explicaturus quos Christus universali illa nota intelligi voluerit, dicit, omnes illos quos tunc compellarat, cùm diceret, Bibite ex hoc omnes, statim in prima illa cœna bibisse ex calice: qui certè non alii fuerunt, quàm duodecim Apostoli, qui tunc in cœna præsentes fuerũt. Hæc est prima συγχύσις Andradii. Sed quæro, an semel tantùm, in prima scilicet illa cœna, Christus illud quod tunc præcipiebat, fieri voluerit? Negabit hoc Andradius. Christus enim addit mandatum, Hoc facite: ut scilicet, in posterum seu in futurum, usq; ad consummationem seculi (sicut Paulus interpretatur) illud fiat, quod in prima cœna factum fuerat. Et nisi traditum esset à Christo hoc mandatum, nemo factum illud primæ cœnæ ausus fuisset vel debuisset imitari. Altera verò quęstio est, an tantùm duodecim illæ personæ, ex mandato Christi debuerint postea illud facere, ita ut præter & post duodecim illos, ad nullum omnino fidelium, ea quæ in institutione cœnæ præscripta & mandata sunt, pertineant. Negant & hoc Andradius: facit enim illa cõmunio reliquis etjam Sacerdotibus. Ipse igitur in sequentibus fatetur, & ostendit, falsum esse quod prius contendebat, Christum universali nota, cùm dicit, Bibite ex hoc omnes, non alios voluisse intelligi, quàm duodecim illos qui tunc præsentes erant. Tertia demum quæstio est: Qui sint illi, ad quos in Ecclesia, præter & post Apostolos, mandata institutionis Christus pertinere voluerit? Et hic est status quæstionis valdè arduæ & gravissimæ: in cuius definitione, non nudis utendum est asseverationibus, sed argumentis certis, probationibus firmis, & documentis evidentissimis. Andradius, sicut forsan in concilio didicit, audacter affirmat, mandata totius institutionis cœnæ, pertinere ad solos Sacerdotes. Quomodo verò illud probet, audiamus. Tria, inquit, mandata sunt in institutione: Edite, Bibite, hoc facite. Et hæc copulativè ita connexa sunt, ut ad quos pertineat mandatum, Hoc facite, ad illos etjam præcedentia pertineant. Sed Christus potestatem in posterum consecrandi, celebrandi, administrandi, & dispensandi Eucharistiam instituit, cùm diceret: Hoc facite. Illa verò potestas, non ex æquo omnibus fidelibus, sed ministris Ecclesiæ competit. Ergo & præcedentia mandata, scilicet: Edite, Bibite, ad solos Sacerdotes pertinent. Non autem ita, ut sacerdotibus quando non conficiunt, utraq; species dispensetur. nam & hoc negat, sed tantùm ut sacerdotes quando celebrant, utramque speciem sumant. Violenta profectò est Lusitana hæc argumentatio, qua à jure totius communionis Eucharistiæ prorsus

prorsus removentur non laici tantùm, sed & Sacerdotes non conficientes. Dicit enim utrumq; mandatum, Manducate & bibite, ad solos Sacerdotes pertinere: ad quos scilicet pertinet mandatum, Hoc facite. Respondebo verò ad objectionem: Quo igitur jure laicis altera species dispensetur, si tota institutio ad solos Sacerdotes pertinet? hæret tanquam mus in pice. Vult quidem dicere, Apostolos sumpsisse unam speciem, cùm adhuc laici essent, priusquam scilicet in Sacerdotes consecrarentur, per verba, Hoc facite. Sed paulò antè dixerat, ad eosdem copulativè pertinere, Manducate, & hoc facite. Ideo arbitratur ex 6. cap. Iohannis, laicos ad communionem unius speciei admitti, vel certè ex generali Sacramentorũ ratione. Tandem verò dicit, Christum quidem in genere præcepisse, ut fideles Eucharistia uterentur: quam verò earum specierũ consultius foret plebi porrigere, Ecclesiæ judicio relictum esse. Sed ubi hoc scriptum est, ô bone vir? Ego enim non in genere, sed in specie, de utraq; parte Eucharistiæ sumenda, lego mandatum Christi. Sed quam putas esse causam quod disputent, ne unam quidem speciem laicis ex mandato Christi dari? Absque dubio hæc est: ut Pontificis potius liberalitati & autoritati, quàm institutioni & mandato Christi, communionem suam acceptam ferant laici.

De mandato Christi, Hoc facite. Sed expendenda est paulisper hæc Andradij argumentatio. Tota verò vis argumenti, sita est in mandato, Hoc facite. De quo distinctè dicendum est: quatenus scilicet pertinet ad ministros Ecclesiæ, & quarenus pertinet ad reliquam Ecclesiam. Et planum faciemus, quocunque referatur mandatum illud Christi, Hoc facite, sive ad Sacerdotes, sive ad reliquam Ecclesiam, confirmari & stabiliri nostram sententiam: quòd scilicet communio sub utraque specie, sit juris & præcepti divini. Quia enim quod Christus in ultima cœna fecit, in futurũ etjam in Ecclesia fieri mandavit: acceptum scilicet panem & poculum gratiarũ actione benedicere, & sacrata dispensare, quod ad ministerium propriè pertinet: Non ergo negamus, mandatum Christi, Hoc facite: eatenus pertinere ad ministros Ecclesiæ. Quia verò totum illud, quod in prima cœna non tantùm à Christo benedictione & dispensatione, verùm etjam à discipulis sumptione, manducatione, & bibitione factum est, cõprehenditur in mandato illo, Hoc facite, refertur enim ad totam actionem præcedentem: non igitur tantùm ad Sacerdotes celebrantes Eucharistiam, sed & ad illos, quibus Eucharistia dispensatur, ut eam edant & bibant, mandatũ illud, Hoc facite, certa ratione pertinet: sicut postea clarissimè ex Paulo demonstrabimus. Non enim tantùm particula quædam, sed totum illud, in institutione cœnæ factum est, comprehenditur in mandato illo, Hoc facite. Primum autem in ipsa institutionis luce videbimus, quid verba illa, Hoc facite, velint, possint & efficiant, si referãtur ad sacerdotes seu ministros Ecclesiæ. Sine dubio enim Christus quando dixit, Hoc facite, ministris Ecclesiæ præscripsit, mandavit & præcepit, quomodo in posterum seu in futurum celebrare & administrare & dispensare debeant cœnam Domnicam, usque ad consummationem seculi: nempe ut ea faciãt, quæ Christus in prima cœna fecit. Et quidem si Christus panem & calicem benedixisset, & solus sumpsisset, & addidisset mandatum, Hoc facite: tunc forsan illud quod Pontificij volunt, sequeretur: ut scilicet solus sacerdos celebrans, utramque speciem sumeret. Iam verò non lego, Christum benedictum illum panem & calicem Eucharistiæ, ipsum manducasse & bibisse: licet Chrysostomus, sine certo & manifesto Scripturæ testimonio illud affirmet. Manifestissimè autem lego, Christum benedictum panem & calicem aliis dispensasse, addito mandato: Edite, bibite. Quatenus igitur mandatum Christi: Hoc facite, solos ministros Ecclesiæ, ad quos administratio Eucharistiæ pertinet, complectitur: non tantùm requirit, ut Eucharistiam consecrent, & ipsi sumant: sed ex præcepto & mandato divino requirit, ut sacratam Eucharistiam dispensent; & distribuant aliis. Hoc enim Christus in prima cœna fecit, & quod tunc fecit, ut illud in futurũ fieret, seriò mandavit, cùm diceret: Hoc (quod scilicet me vidistis facientem) facite. Quid verò Sacerdotes in administratione Eucharistiæ distribuere & dispensare debeant, manifestum est ex institutione: quòd scilicet Christus dispensavit, & distribuit. Dicit enim: Hoc quod me vidistis facere, facite. Christus verò benedictum panem distribuit, dicens: Accipite, comedite, &c. Et huic parti actionis, addit mandatum: Hoc facite. Similiter verò etjam poculum benedictionis distribuit, dicens: Bibite, &c.

Et huic etjam parti actionis: similiter ut primæ addit mandatũ, Hoc facite. Sacerdos igitur celebrans Eucharistiã, si solus eam sumat, & nemini alteri eã dispenset, non facit hoc quod Christus fecit. Quod si alteram tantum partem dispenset, iterũ non facit hoc, quod Christus fecit. Is enim sicut utramque speciem consecravit, ita etjam utramque distribuit. Et illud quod tunc fecit, faciendum in posterum mandavit, cùm diceret: Hoc facite. Manifestissima igitur demonstratio est, ipsa luce meridiana clarior, mandatũ Christi, Hoc facite, quatenus ad solos sacerdotes pertinet, nequaquã eripere reliquæ Ecclesiæ cõmunionem utriusq; speciei. Non enim hoc vult mandatum illud, ut sacerdos celebrans Eucharistiam, solus eam sumat, sed ex præcepto divino injungit & imponit sacerdoti celebranti, ut dispenset & distribuat Eucharistiam, & quidem ita sicut Christus eam dispensavit. Is verò & panem & poculũ benedictum dispensavit, & utriq; parti expresè & distinctè addidit mandatum: Hoc, quod scilicet ego jam feci, in futurum usque ad consummationem seculi facite.

Restat igitur postrema quæstio: Qui sint illi, quibus sacerdos celebrans, Eucharistiã dispensare & distribuere ex præcepto divino teneatur? Christus dispensavit eam Apostolis: quos Pontificii dicunt, tunc retulisse personam sacerdotũ. Sed Apostoli tunc nõ erant cõficientes, sicut Pontificii loquuntur. Ad minimũ igitur clericis non cõficientibus, dispẽsanda esset utraq; species Eucharistiæ, etjamsi ad solos sacerdotes pertineret. Christus enim Apostolis, qui tunc non erant cõficientes, dedit utramq; speciẽ. Et hoc quod tunc

Argumentũ firmissimum contra Pontificios.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fecit, sub præcepto in posterum fieri mandavit. Et tamen Pontificia Ecclesia, ipsis etjam Sacerdotibus, quando non conficiunt, non dispensat utramq; speciem. Hunc modum antea Iesuitis proposueram. Sed advocatus ipsorũ Andradius, noluit eam tangere. Impossibile enim est, quòd ulla ratione verè possit solvi. Sed omissis illis

Paulus verus interpres cœnæ Dominicæ.

ἀσυνάρτοις, quærendus est certus mãdati Christi interpres: quibus scilicet dispensanda sit Eucharistia, ita sicut Christus eam dispensavit discipulis suis, sub panis scilicet & vini specie. Is verò Paulus erit, qui Evangelium suum non ab homine, sed ex revelatione filii Dei accepit, Galat. 1. Et doctrinam de cœna Dominica, fatetur se ita tradidisse, sicut eam à Domino accepit. Tradidit autem non ut nudam historiam sine explicatione, accommodatione & applicatione ad praxim (ut ita loquar) Ecclesiæ: sed ita proponit institutionem, ut sit regula & norma administrandæ, dispensandæ & sumendæ Eucharistiæ. Recitatis autem verbis & mandatis institutionis Christi, mox subjungit accommodationem de dispensatione & usu utriusq; speciei. Num verò ad solos sacerdotes illa pertinent, quæ Paulus ibi de communione sub utraq; specie scribit? Certè titulus Epistolæ, universam Ecclesiã Dei, quæ est Corinthi, alloquitur: imò addit, inscriptam esse omnibus, qui invocant nomen Domini, idq; in omni loco. Sicut igitur ex verbis institutionis habemus, in celebratione cœnæ Dominicæ debere ex præcepto divino fieri dispensationem, seu distributionem utriusq; speciei, panis scilicet & poculi Dominici: hoc enim Christus fecit, & idem faciendum in posterum mandavit: ita ex Pauli interpretatione habemus, dispensationem illã panis & poculi Dominici, ex præcepto Domini debere fieri omni homini probanti se, item omnibus qui invocãt nomen Domini. Hæc enim sunt Pauli verba. Breviter igitur, sed certò & manifestè demonstravimus, sacerdotes seu ministros Ecclesiæ, quando celebrant & administrant cœnã Dominicam, ex præcepto divino astringi & obligari, non tantùm ut Eucharistiam consecrent, & ipsi sumant, sed ut consecratam dispensent & distribuant, nõ dimidiam, sed integram, panem scilicet & poculum Domini, sicut Christus fecit: & utramq; illã speciem dispensent & distribuãt, non solis tantùm Sacerdotibus, sed omni homini probanti se, & omnibus qui invocant nomen Domini, in omni loco. Et forsan non sine peculiari artificio, Tridentinum decretum noluit

Tridentinorum astutia.

loqui de præcepto dispensationis, sed de præcepto sumptiõis. Etsi verò posterius illud ex priori manifestum est, ex natura correlativorum: tamen & hoc de præcepto scilicet sumptionis, manifestè ex scriptura ostẽdi potest. In prima enim cœna non tantùm hoc factum est, quòd Christus panem & poculum benedixit & dispensavit: sed & hoc ibi factum fuit, quòd Apostoli panem & poculum Domini acceperunt, manducãrunt & biberunt: idq; non ut arbitrarium quiddam, sed ex præcepto & mandato Domini. Dixerat enim: Accipite, manducate, bibite. Ad totam verò illã actionem primę cœnæ, Christus addidit mandatum, ut in futurũ usq; ad consummationẽ seculi ita fieret: Hoc inquiens, quod scilicet in hac prima cœna factum est, facite. Sicut igitur in prima cœna Apostoli ex præcepto divino utramq; speciem sumpserunt, manducãrunt & biberunt: ita præscriptũ & mandatũ Christi est, ut idem in futurũ usq; ad consummationem seculi in celebratione cœnæ Dominicæ fiat. Et Paulus locuples testis est, Christum ipsum institutione mandatum illud, Hoc facite, non tantùm ad consecrationem & dispensationem, sed expresè etjam ad sumptionẽ retulisse: & quidem expresè in altera parte, de calice. Ita enim recitat Christi verba: Hoc facite, quotiescunq; biberitis. Et ipse Paulus mox subjiciens, quæ sit interpretatio verborum Christi, Hoc facite in mei commemorationem, inquit, Quotiescunq; manducaveritis hunc panem, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec veniat. Paulus igitur mandatũ Christi, Edite, bibite, hoc facite: accommodat ad ipsos sumentes. Et sicut sumptio panis sacrati, est juris & præcepti diuini: ita etjam sumptio poculi Dominici, est juris & præcepti divini. Et Paulus hæc scribit ad omnes qui invocant nomen Domini in omni loco.

Sive igitur ad sacerdotes sive ad sumentes referatur mandatum Christi, Hoc facite: planum factum est, communionem sub utraq; specie esse juris, præcepti & mandati divini duplici ratione. I. Quia ministri Ecclesiæ, in administratione cœnæ Dominicæ, ex præcepto Domini obligati sunt, & astringuntur ad dispensandam Eucharistiam: ita sicut Christus eam in prima cœna dispensavit, sub panis scilicet & vini specie: idq; nõ sacerdotibus tantùm, sed omnibus qui invocãt nomen Domini, in omni loco. II. Sumpturi Eucharistiam, habent mandatum Christi, ut in sumptione illud faciant, quod in prima cœna factum esse scribitur: ut scilicet panem benedictum edant, & poculum Domini bibant. Et ad hoc faciendum, duplici vinculo mandati divini obligantur & astringuntur. I. Quòd Paulus sua interpretatione ostendit mandatum, Edite, bibite, pertinere ad omnes sumentes. II. Quòd Christus utriq; parti addit peculiare mandatũ: Hoc facite, ut non tantùm in dispensatione, sed etjam in sumptione hoc fiat, quod in prima cœna factum est.

Ex hoc jure institutionis, præscripti, mandati & præcepti divini, primitiva Ecclesia in legitimis & ordinariis Ecclesiæ conventibus, utramq; Eucharistiæ speciem dispensavit & sacerdotibus & laicis. Et diserte docuit, in usu & participatione horum mysteriorum, nullum esse discrimen inter sacerdotem & laicum: sicut suprà hæc demonstrata sunt. Nec unquam vel sensit vel docuit vetus Ecclesia, arbitrariam esse communionem sub utraque specie. Sed quia de sumptione sub utraque specie, & Christus & Paulus præceptivè seu imperativè loquuntur, veteres similiter etjam docuerũt, eam esse juris & præcepti divini. Cyprianus de cœna Domini inquit: Lex esum sangvinis prohibet: Evangelium, ut bibatur, præcipit. Bibimus autem de sangvine Christo ipso jubente, pro quibus sangvis ille oblatus est. Et lib. 2. epist. 3. disputans de calice Domini sanctificando, & plebi ministrando, aliquoties meminit præcepti divini: ut cùm dicit, ab eo

Exemplum primitivæ Ecclesiæ.

quod

quod Christus magister & præcepit & gessit, nõ esse humana institutione decedendum. Item à Domino præcipitur, & ab Apostolo ejus confirmatur, ut quotiescunq; in commemorationem Domini biberimus, hoc faciamus quod Dominus fecit. Et in fine, institutionem Christi vocat legem Evangelicam.

Bernhardus.

Bernhardus Sermone 3. de Ramis palmarum dicit, alimoniam corporis & sangvinis Christi, eo die primùm exhibitam, eo die commendatã & mandatam, deinceps frequentari. Cyprianus lib. 1. Epist. 2. Quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculũ Domini, jure communicationis admittimus? Et Iustinus, scriptor vetustissimus, cùm descripsisset ritum sui seculi in Ecclesia, de communione sub utraq; specie, mox subjungit, Apostoli in Evangeliis ita sibi Christum ἐντετάλθαι, præcepisse tradiderunt. Ostendimus igitur ex institutione Christi, ex interpretatione Pauli, & ex traditione veteris Ecclesiæ, dispensationem & sumptionem Eucharistiæ sub utraque specie, esse juris & præcepti divini.

Tridentinorũ argumentum ex concione, Ioh. 6.

Secundum argumentum contra verba institutionis, Tridentina synodus texit ex concione, Ioan. 6. Illud verò à Pontificiis scriptoribus in duplici forma solet proponi. I. Christus Ioan. 6. loquens de sumptione & participatione carnis & sangvinis sui, aliquando concionatur de manducanda carne, & bibendo sangvine, aliquando verò reducit illa ad solam manducationem: ut, Qui manducat me, vivet propter me. Ergò communio utriusq; speciei, non est tanquam necessaria præcepta, sed potest sufficere sola manducatio. II. Osius in confessione Polonica, argu-

Argumentũ Osij in Confessione Polonica.

mentũ illud ita format. Christus Ioh. 6. loquens de manducanda sua carne, & bibendo sangvine, nõ facit mentionem vini, sed tantùm panis. Ergo usus Dominici calicis potest abrogari & prohiberi. Sed facilis & plana est responsio: Cœnam Dominicam Christũ instituisse in ea nocte, qua tradebatur, & Evangelistæ testantur, & Paulus clarissimè affirmat. Concio verò Ioan. 6. habita est à Christo, annò integro & amplius ante institutionem cœnæ. Et tamen tàm boni viri sunt Tridentini Patres, ut non vereantur prætextu ex cõcione Iohan. 6. sumpto, reformare, mutare & mutilare testamentariam institutionem filii Dei. Eadem enim ratione posset quis argumentum nectere ex concione Ioan. 4. tantùm bibendum esse in cœna Dominica, & quidem non vinum, sed aquã in calice adhibendam: quia Christus ibi dicit: Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum. Deinde manifestũ est, Christum Ioan. 6. non agere de manducatione & bibitione, quæ ore corporis fiat: nec de pane materiali. Iudæis enim urgentibus illud signũ, Patres nostri in deserto manna manducaverunt: Christus opponit: Iam verò Pater cœlestis non corporalem cibum, sed alium panem, scilicet filium suum incarnatum, vobis misit: Ego, inquit, sum panis ille vitę. Ita cum turbæ quæ ex quinq; illis panibus mãducãrant, ad ipsum reverterentur, ut iterum corporali manducatione saturarentur, Christus pani materiali & manducatio-

Veterum sententia de 6. cap. Iohan.

ni corporali opponit aliũ spiritualem cibum, & spiritualem manducationem, quæ fide fit: sicut aliquoties repetit: Qui credit in me habet vitam æternam. Si igitur ex sexto capitulo Iohannis, de substantia cœnæ Dominicæ, contra verba institutionis judicandum esset: sequeretur, etjam elementum panis non esse adhibendum ad Eucharistiam, nec opus esse, ut in cœna Dominica ore corporis aliquid acciperetur: imò posset inde concludi, usum & panis & poculi Dominici, sicut institutio cœnæ de illis loquitur, posse simpliciter abrogari & prohiberi. Tàm egregium scilicet argumentũ est, quod ex concione Ioan. 6. contra institutionem cœnæ, à Pontificiis opponitur. Et tamen unicum hoc argumentũ præcipuum fuit, quod tempore Constantiensis Concilii, ex Scriptura contra usum utriusque speciei oppositum fuit. Veteres quidem in explicatione 6. capitis, plerumq; solent tractare doctrinam de cœna Dominica, non quod ibi sit instituta, vel quod ex 6. capit. Iohannis discendum sit, quæ sit materia, quæ forma, hoc est, quod elementum, & quod verbum Sacramenti Eucharistiæ. Sed quia ad salutarem cœnæ Dominicæ usum non sufficit Sacramentalis manducatio, nisi accedat spiritualis: qualis verò illa sit & esse debeat, describitur Iohan. 6. Hactenus & hoc modo veteres 6. cap. Iohannis rectè accomodãrunt ad doctrinam de Eucharistia. Non potest autem in ullo veterum ostendi, quod in 6. cap. Iohannis vel disputãrint saltem, in legitima & ordinaria celebratione cœnæ Dominicæ, usum calicis posse vel abrogari, vel prohiberi. Doctrina igitur de materia & forma, de elemento & verbo Eucharistiæ, de norma administrationis & dispensationis cœnæ Dominicæ, & de modo Sacramentalis communionis, sedem suam habet non Iohan. 6. tunc enim Eucharistia nondum erat instituta: sed in verbis institutionis, in quibus dispensationem & communionem utriusq; speciei præceptivè institutam esse manifestum est. Illud verò Pontificii prorsus invertunt. Et hinc æstimetur, qualis causa sit, quæ hujusmodi argumentis & fundamentis nititur.

Tridentini argumentantur ab auctoritate Ecclesiæ.

Tertium argumentum Tridentinæ Synodi, sumitur ab autoritate & potestate Ecclesiæ. Con fidereturautem status disputationis. Manifesta & certa sunt verba institutionis, de utraque specie. Ab illis Pontificia Ecclesia discessit. Iam cùm quæritur, quas hujus discessionis rationes habeant? opponitur authoritas & potestas Ecclesiæ. Necesse igitur erit, esse aliquam potestatem & autoritatem Ecclesiæ contra expressa verba Dei, & quidem ad destructionem testamentariæ institutionis filii Dei: ad quam tamen duplici mandato, in singulis Eucharistiæ partibus Ecclesiam usque ad consummationem seculi, donec ad judicium redeat alligatã esse voluit: Manducate, hoc facite: Bibite, hoc facite. Elegãs certè, & vera est Augustini sententia contra Cresconium lib. 2. cap. 21. Paulus dicit: Ecclesia subdita est Christo. Non igitur debet Ecclesia se Christo proponere: cùm ille semper veraciter judicet, Ecclesiastici verò iudices, ut homines plerũque faliantur. Sed pleraque ad hoc argumentũ pertinentia, in præcedentibus sunt explicata:

ideo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ideo tantùm verba secundi Tridentini capituli examinabimus. Infidiosè autem ludunt æquivocatione vocabuli dispensationis. Nam & Gerson disputat, esse quidem præceptum de bibendo calice, sed tale, quod dispensabile sit autoritate Ecclesiæ. Dispensationem verò definiunt relaxationem juris communis, factam cum causæ cognitione, ab eo qui jus & potestatem habet dispensandi: ut scilicet sit licentia vel mutandi aliquid in lege, vel faciendi aliquid contra legem. Tridentinum igitur capitulum declarat, Ecclesiam habere potestatem in dispensatione Sacramentorum. Et ex illa potestate, licet Christus utramque speciem præceptivè instituit, Ecclesiam tamen communionem calicis potuisse abrogare & prohibere. Audi verò quomodo illud ex Scriptura probent. Paulus enim dicit: Sumus dispensatores mysteriorum Dei. Mysteria sunt Sacramenta: & dispensare, est jus commune relaxare. Ergo quæ Christus in dispensatione & usu Eucharistiæ instituit, Ecclesia potest abrogare: quæ præcepit, potest prohibere: usum scilicet calicis Domini, pro laicis.

Canonistæ.

Canonistarum quidem sententia est, Papam posse dispensare contra 4. prima Concilia: item contra verba Evangelii, licet non contra mentẽ. Sed si quis tunc, regnãte barbarie & inscitia linguarum, potuisset Papalem illam potestatem dispensandi, ex dicto illo Pauli probare: Sumus dispensatores mysteriorum Dei: ne verè magistralis illa allegatio habita fuisset. Nunc verò in tanta luce ludere vocabulis, in re tàm seria, nemo ut arbitror sanus auderet. Audet autem hoc & quidem jure suo, præfricta frons Thaidis Babylonicæ. Et qua conscientia causam hanc agant, quantumq; fidei illis sit tribuendũ, hinc æstimetur. Mysteria ibi Paulus intelligit revelationem totius doctrinæ Evangelicæ, & Apostolos vocat ministros οἰκονόμους: hanc ipsam innuens antithesin, quòd non sint domini horum mysteriorum, qui potestatem habeant mutandi & abrogandi: sed quòd tantùm sint œconomi, in quibus hæc fidelitas requiritur, ut juxta institutionem, præscriptum & mandatum Domini, ea dispensent, quæ ipsis commissa sunt. In hac sententia vetus interpres usus est vocabulo dispẽsationis. Illius verò æquivocatio cõmoda visa fuit Tridentinis Patribus, qua mutilationem cœnæ Dominicæ justificarent. Non abs re igitur factum est, quod veterem editionem decreto suo authenticam fecerũt, ita ut nemo eam in disputationibus, quovis prætextu rejicere auderet: etjamsi scilicet, ut in hoc loco, οἰκονομίας non significet potestatẽ mutandi & statuendi aliquid, cõtra id, quod Dominus expresso mandato præscripsit. Sed huic dispensationi videntur ne ipsi quidem Tridentini satis fidere. Ita enim orationem moderantur, quasi velint dicere: In dispensatione, hoc est, in administratione Sacramentorum, Ecclesiam in externis circumstantiis posse statuere & ordinare, quæ ædificationi serviunt: & in hujusmodi quidem ordinationibus, si fiant in circumstantiis, de quibus non extat mandatũ Dei, ad hunc finem, ut ea quæ in administratione Sacramentorũ à Domino instituta, præscripta & mandata sunt, eò rectius & diligentius ad ædificationem serventur. Non negamus inquam, in huiusmodi ordinationibus Ecclesiam habere potestatem: ut omnia scilicet fiant ordine, decenter & ad ædificationem. Hanc verò potestatem, Pontificij extra suos terminos eò trahunt, quasi Ecclesia simili potestate posit etjam ea, quæ in institutione cœnæ, filius Dei instituit, ordinavit, præscripsit, mandavit & præcepit, mutare, mutilare, prohibere & eripere. Hoc verò quia probari non potest, negamus. Et observetur Tridentina argumentatio, à dispensatione in circumstantiis adiaphoris, ad abrogationem, mutilationem & prohibitionem eorum, quæ habent verbum & mandatum Dei. Falsum verò est quod dicunt, Paulũ tali potestate usum in hoc ipso Sacramento, quando Corinthiis scribit: Cætera cùm venero, disponam. Disertè enim prius ponit ea quæ habent institutionem, ordinationem, præscriptum & mandatum Christi: & ab iis postea disjungit ea, quæ pollicetur se ordinaturum, cùm venerit. Intelligit igitur ea, quæ non habent præscriptum & mandatum Christi.

Explicatio Paulinæ sententiæ.

Tridentinorum argumentatio.

Et quidem ipsum Concilium non potest simpliciter hanc distinctionem negare: ideo addunt salva Sacramentorum substantia, fieri posse dispensationem. Hoc verò mirabile est, Eucharistiam posse una sui parte mutilari, salva tamen ipsius substantia. Longobardus certè, & Scholastici, substantialia Sacramentorum affirmant esse materiam & formam: hoc est, elementum divinitus institutum, & verbum voce divina elemento annexum. Iam Christus pro elemento, in cœna sua nõ panis tantùm, sed & poculi usum instituit. Quomodo igitur salva manet substantia cœnæ Dominicæ, si altera ejus pars abrogetur, mutiletur, & prohibeatur? Sed forsan substantiam Eucharistiæ, volunt esse spiritualẽ participationẽ corporis & sangvinis Christi. Cumq; illa fiat etjam sub una specie, ubi totus & integer Christus adest: judicant salvam manere Eucharistiæ substantiam, etjamsi poculum Domini inde tollatur. Sed quia etjam sine pane & vino fieri potest spiritualis participatio carnis & sangvinis Christi, in verbo Evangelii, sola fide, Iohan. 6. eadem ergo cõsequentia manebit etjam salva substantia Eucharistiæ, etjamsi utraq; species, & panis & vini, inde tollatur. Sed quæ ad substantiã cœnæ Dominicæ pertineant & requirantur, non ex humanis argumẽtationibus, sed ex testamentaria institutione filii Dei discendum & dijudicandum est. Quartum argumentum Tridentinæ Synodi, sumptum est ab exemplis veteris Ecclesiæ: quòd scilicet usus utriusq; speciei in primitiva Ecclesia, non infrequens quidem, non tamen universalis fuit: sed semper etjam simul in usu fuerit cõmunio sub una tantummodò specie. Cui libertati communicandi, sive sub utraq; sive sub una tantummodò specie, postea successerit mutatio consvetudinis, de communione sub utraque specie: quam subsecuta demum sit lex de una tantùm specie.

Argumentũ ab exemplis veteris Ecclesiæ.

Observabit autem Lector, quòd Pontificii in hac causa, usu rerũ multa edocti sunt, quæ principiò non satis considerata fuerunt. Constantiense enim concilium cùm primùm ferret legem de mutilatione cœnæ Dominicæ, simpliciter concesserit, consvetudinem fuisse primitivæ Ecclesiæ, quod à fidelibus, Eucharistia sub utraque specie reciperetur. Sed mox biennio post, Gerson animadvertit, quantum hęc confessio haberet incommodi. Et licet diversum probare & ostendere non posset: tamen inquit probabilius videri, hoc non communiter apud omnes servatum fuisse. Ex hac commonefactione, Tridentina Synodus habet hoc artificium, quod non dicit, initiò Christianæ religionis universalẽ fuisse usum utriusq; speciei: imò ne quidem dicit, frequentem fuisse: sed per figuram μείωσιν inquit, non infrequentem fuisse. Respiciunt autem ad disputationes Pontificiorũ, quibus probare conantur, etjam in primitiva & veteri Ecclesia, ubi usitata erat communio sub utraq; specie, semper tamen simul etjam usum fuisse cõmunionis sub una tantummodò specie. De illis igitur disputationibus quædã qua fieri poterit brevitate, annotanda erunt. Nam & hæc annotatio ostendet, Pontificios, cùm destituantur & Scripturæ & antiquitatis veris testimoniis, simili artificio depravare veterum testimonia, sicut Scripturæ sententias ludificant. Quando verò de veteris Ecclesiæ testimoniis & exemplis disputatio est, non quæritur de casibus necessitatis, & extraordinariis, sed de legitima, ordinaria, publica & solenni celebratione, administratione & dispensatione Eucharistiæ. A multis autem ostensum est, ex antiquis formis liturgiarum, ex descriptionibus celebrationis Cœnæ Dominicæ, quæ extant apud veteres, præcipuè verò apud Iustinum & Chrysostomum: ex aliis multis veterum testimoniis & exemplis: quod in veteri Ecclesia, in legitima & ordinaria administratione cœnæ Dominicæ, semper & ubique apud omnes usitata fuerit communio sub utraq; specie, juxta Christi institutionem. Neque ullum antiquitatis exemplum proferri potest, quod in legitima & solenni administratione cœnæ Dominicæ, una solummodò species, subtracta altera, fideli populo dispensata fuerit. Et hæc cùm ita se habeant, operæ preciũ est videre, quo artificio antiquitatis etjã testimonia depravent Pontificii: quæ plurima & manifestissima sunt.

QVOMODO EX ANTIQVITATIS testimoniis, mutilationem suam probare conentur Pontificii.

I. Eccius & plerique alii, multum tribuunt huic testimonio, quòd in veterum scriptis, & in antiquis Canonibus, mentio fit laicæ communionis: ad quam remittebantur illi, qui ex clero ejecti erant. Ergo, ajunt, in veteri Ecclesia alia fuit communio cleri, scilicet sub utraque specie: & alia laicorum, scilicet sub una specie. Sed hoc falsum esse, animadvertunt & fatentur nunc ipsi etjam Pontificii: vt Vicelius, Tapperus, Lindanus, & multi alii. Manifestissimum enim est, illis temporibus, quibus mentio fit laicæ communionis, datam fuisse laicis utramq; speciem. Et Chrysostomus expresè affirmat, in participatione mysteriorum, nullum esse discrimen inter Sacerdotes & fidelem populum. Sed laica communio veteribus vocabatur, quando clericus propter crimen aliquod, ab officio ministerii vel suspendebatur, vel prorsus removebatur: tunc enim ipse non administrabat Eucharistiã, sed eam tantùm accipiebat: idq; non inter clericos, sed post clericos cum laicis, & in loco ubi laici communicabantur. Agnoscunt igitur, & fatentur ipsi Potificii, laicã communionem apud veteres non esse intelligendam de alio communionis genere, sed de gradu, ordine, & loco communionis.

Laica cõmunio quid.

II. Quidam, quos etjam Osius in Polonica confessione imitatur, fingunt in Ephesina Synodo decretum fuisse, ut laicis tantùm una species Eucharistiæ traderetur, eò quòd Nestorius docuerit, sub pane esse cadaver exangve. Sed merum figmentum hoc est. Nullus enim ex veteribus hanc opinionem Nestorio tribuit. Et in historia, item in actis Ephesini Concilii, ne vestigia quidem talis vel disputationis vel decreti apparent. Sed talis causa talibus digna est probationibus.

Osius.

III. Est & hoc unum ex artificiis Pontificiis, ubi in veteribus mentio fit Eucharistiæ, quòd illam tantùm de una specie intelligunt: ut quando apud Eusebium lib. 5. cap. 24. Episcopis ejusdem communionis, peregrè adventantibus transmittitur Eucharistia: Pontificii contendunt, hoc simpliciter de panis tantummodò specie esse intelligendum. Sed appellatio Eucharistiæ, complectitur utramque speciem. Iustinus enim describens ritum communionis sub utraq; specie, dicit: Hoc alimentum apud nos Eucharistia vocatur. Irenæus libro quinto, Quando mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sangvinis Christi. Cyprianus libro primo, Epistola secunda. Protectione corporis & sangvinis Christi, eos muniamus: cùm ad hoc fiat Eucharistia, ut posit esse tutela credentibus. Sermone quinto, de lapsis, ubi expresè calicis tantùm mentio fit, Cyprianus vocat Eucharistiam.

Iustinus. *Hieronymus*

IIII. Ex deportatione Eucharistiæ ad infirmos, conantur probare usum unius tantùm speciei, eò quòd vinum sine periculo deferri non posit. Sed Iustinus Apologo secundo, & Hieronymus ad Rusticum Monachum de Exuperio, expresè testatur, in veteri Ecclesia utramq; speciem solitam deferri ad absentes & infirmos. In Serapionis historia, apud Eusebiũ lib. 6. cap. 44. valde laborat Andradius, ut ad unam speciem illam referat, quia verbum ἀπαβρέχειν, perfundere seu madefacere, in solam panis speciem quadret. Sed quæro ab Andradio, ad quam speciem referatur quod historia habet: ἐπιστάξαι & ἐνέχεσ: infundere, & in os instillare. Hîc Iesuitæ dicunt, fuisse vinum non cõsecratum, in quo jussus fuerit puer madefacere panem. Sed hoc Eusebius non dicit. Imò Nicephorus lib. 6. cap. 6. affirmat Eucharistiam fuisse, quod seni puer in os instillavit. Ita enim inquit: instillavit ei Eucharistiã. Visitatum autem fuisse, in casu necessitatis, panem Eucharistiæ in vinum sacratum intinctum ægrotis dare, ex veterum historiis notum est: ficut postea ostendemus.

Andradius. *Iesuitæ.*

V. Ex reservatione Eucharistiæ, cujus alicubi apud veteres mentio fit, usum unius solummodò spe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dò ſpeciei probare moliuntur. Sed & hoc vanũ eſt. Apud Chryſoſtomum enim Epiſt. 1. ad Innocentium, etiam ſangvis Domini in ſacrario ſervatur. Et Gorgonia, Nazianzeni ſoror, & corporis & ſangvinis Domini antitypa reſervarat, ſicut Nazianzenus teſtatur.

VI. Vbi in veterum ſcriptis expreſſe tantùm, mentio fit panis ſeu corporis Chriſti, ſeu manducationis: ibi Pontificii ſtatim affingunt præſumptam ſuam opinionem, de una tantummodò ſpecie. Sed quod ſophiſticè depravent veterũ ſententiã, aliquot manifeſtiſſimis exemplis demonſtrabo. Eccius citat ex Epiſtola Ignatii ad Epheſios: Frangentes unum panem, qui eſt medicamentũ immortalitatis, &c. Et quia ibi Ignatius non expreſsè meminit alterius ſpeciei: clamitat igitur Eccius, uſum cõmunionis ſub una ſpecie, ab ipſis Apoſtolis traditum, & à diſcipulis ipſorum ſervatum fuiſſe. Sed Ignatius proteſtatur, luculentam ſibi fieri injuriam. Nam in Epiſtola ad Philadelphienſes, inquit: Vnus eſt panis, omnibus confractus: & unum poculũ, univerſis diſtributum.

Pontificiorũ artificiũ in citandis veterum ſententiis.

Cyprianus.

Horſtius.

Cyprianus ſermone 5. de lapſis, recitat miracula quædam quæ in altera ſpecie, pane ſcilicet conſecrato acciderũt. Inde Horſtius Colonienſis contra doctiſsimum virum Hamelmannum, probare conatur, tempore Cypriani uſitatam in Eccleſia fuiſſe communionem ſub una tantùm ſpecie: & addit, communionem illam à Deo tunc miraculis comprobatam fuiſſe. Sed impudens figmentũ eſt. Cyprianus enim nullo modo ſcribit, miracula illa facta fuiſſe ad comprobandam cõmunionem ſub una tantummodò ſpecie: ſed longè alias cauſas illorum miraculorum recitat. Non autem ſequitur: In ſpecie panis factum fuit miraculum: ergo poculũ Domini tunc non fuit diſtributum in Eccleſia. Nam in illo ipſo ſermone, ritũ communionis ſui temporis deſcribens Cyprianus, inquit: ubi ſolennibus adimpletis, calicem diaconus præſentibus offerret.

Cyprianus.

Magno verò ſtrepitu in ſcenam producunt ipſum etiam Nicenum Concilium: & nõ verentur affirmare, ibi communionem ſub una tantũ ſpecie, ſi non decretam, attamen comprobatam & confirmatam fuiſſe. Quia ſcilicet Canon 14. dicit: Si non fuerint in præſenti Epiſcopus vel presbyter, tunc diaconi ipſi proferant & edant. Sed Canon iſte nec Græcè, nec in Decretis, nec apud Ruffinum ita legitur. Et licet ibi expreſsè tantùm nominetur corpus Chriſti, non tamen rectè inde concluditur communio ſub una tantummodò ſpecie. Nam in concilio Neocæſarienſi, cap. 15. & diſtin. 95. cap. presbyteri, ubi eadem planè materia de diaconis repetitur, expreſsè dicitur de dando pane, & porrigendo calice. Manifeſtiſsimè igitur antiquitas ſe explicat, quod per Synecdochen ſæpe loquatur. Nam & Paulus ipſe ad Corinthios, ubi expreſsiſsimè de cõmunione ſub utraq; ſpecie tractat, illam tamen aliquoties per ſynecdochen notat, ut cùm inquit: Manducare cœnam Domini: Convenitis ad manducandum: Dijudicatis corpus Domini. Item: In unũ ſpiritũ potati ſumus. Si quis verò inde vellet concludere, Paulũ tradidiſſe & ſervaſſe communionẽ ſub una tantummodò ſpecie, ſceleratè

Veterum ſynecdochica locutio.

faceret contra manifeſtiſsimã Pauli ſententiam. Ita Auguſtinus de ſymbolo lib. 3. cap. 5. Item de feria quarta, cap. 4. Hieronymus etiam ad Euſtachium, expreſsè tantùm ſangvinis Chriſti meminerunt. Num verò rectè quis inde inferret, Auguſtini & Hieronymi temporibus non panem, ſed tantùm poculum Domini diſpenſatum fuiſſe laicis, in adminiſtratione cœnæ Dominicæ.

Auguſtinus.

VII. Magno apparatu, pro mutilatione cœnæ Dominicę, producuntur exempla de domeſtica communione: quando ſcilicet acceptam in Eccleſia Euchariſtiam, domum ſecum detulerunt. Tertullianus enim lib. 2. ad uxorem, tantùm panis mentionem facit. Et Hieronymus in Apologia pro libris adverſus Iovinianũ, corporis tantùm mentionem facit. Quamvis autem domeſtica ſeu privata illa communio, aliquid extraordinarium fuerit: non difficilè tamen eſt reſpondere. Quia enim illi in Eccleſia Euchariſtiam acceperunt: quæſtio ergo eſt, non quid domi ſumpſerint, ſed quid in Eccleſia ipſis diſpenſatum fuerit. Et ne longius eam afferam explicationem Ruardi Tapperi, decani Lovanienſis, qui maximæ autoritatis eſt inter Pontificios. Is igitur tractans exemplum Satyri, fratris Ambroſij, inquit: Videtur ex ſermone 5. de lapſis apud Cyprianum, quòd illis temporibus ſangvinem Domini ex calice omnes bibebant, & quòd corpus Domini iis in manus dabatur, ut vel ſtatim ſumerent, vel ſecum portarent domum, ibiq; ſumerent, ita ut per temporum intervalla biberent ex calice Domini, & corpus Domini manducarent. Hæc ille. Quia verò hæc divulſio partium cœnæ Dominicæ, non eſt conſentanea inſtitutioni: ideo domeſtica ſeu privata illa communio, poſtea abrogata, & ſeverè prohibita eſt in Toletano & Cæſarauguſtano Conciliis. Nequãigitur ex domeſtica illa communione probari poteſt, uſitatam tunc in Eccleſiis fuiſſe diſpenſationem unius tantùm partis Euchariſtiæ. Nam & Tertullianus in eodem libro, ubi in domeſtica communione, in uno loco tantùm panis meminit, mox in alio loco loquitur etiã de participatione poculi: & tandem utrunq; cõjungit, cibum & poculum Domini. Nazianzenus autẽ de ſorore ſua Gorgonica ſcribit, quòd & corporis & ſangvinis Domini antitypa, ex Eccleſiaſtico cœtu ſecum domũ delata ſervârit. Et Ambroſius in hiſtoria Satyri fratris ſui, deſcribens ſumptionem, meminit hauſtionis & fuſionis in viſcera. Ergo nec ex illa hiſtoria ſatis certò & evidenter probatur diſpenſatio & ſumptio Euchariſtiæ ſub una tantùm ſpecie. Et ut maximè in exemplis iſtius domeſticæ cõmunionis, aliquid oſtenderetur (quod tamen nondum video factũ eſſe) pugnans cum inſtitutione Chriſti, & ſolenni conſvetudine primitivæ Eccleſię: quid tamen inde efficeretur, cùm ſint privata & extraordinaria exempla, & quidem quæ poſtea gravi conſilio abrogata ſunt? Noſtra verò quæſtio eſt, non quid unus, aut item alter privatim fecerint: ſed quæ fuerit publica, legitima, ordinaria & ſolennis cõſvetudo veteris Eccleſiæ in adminiſtratione & diſpenſatione cœnæ Dominicæ. Hic eſt ſta-

Ruardus Tapperus.

Tertullianus.

Status controverſiæ.

tus controverſiæ, de quo flagitamus teſtimonia & exempla antiquitatis. Et nondũ vidi, tale ulIum

lum certum & evidens vel teſtimonium vel exemplum veræ antiquitatis, à Pontificiis proferri. Quæ enim præterea ex incertis autoribus, ut ex vita Hieronymi & Ambroſij, de quibus autoribus dubitatur, item ex Legendis Sanctorum proferunt, indigna ſunt quæ refutentur.

Hæc igitur ſunt præcipua capita probationũ, quibus conantur Pontificiam mutilationem exemplis antiquitatis palliare & confirmare: quæ profectò nihil probant, de eo quod in cõtroverſia poſitum eſt: de publica ſcilicet, legitima, ordinaria & ſolenni conſvetudine veteris Eccleſiæ, in adminiſtratione & diſpenſatione cœnæ Dominicæ. Pleraque verò vel ſunt mera figmenta, vel manifeſtæ depravationes ſententiæ veterũ: ſicut evidenter oſtendimus. Et tamen Tridentinum Concilium non veretur, omnia illa, tanquã non Apollinis, ſed ipſius Spiritus ſancti oraculo exoſculari & approbare: quaſi certum jam & demonſtratũ ſit in primitiva Eccleſia, licet non infrequens fuerit communio ſub utraque ſpecie, non tamen catholica, ſeu univerſalis fuerit: ſed ſimul etiam ſemper in uſu fuiſſe communionem ſub vna tantummodò ſpecie.

HISTORICA OBSERVATIO, QVOties & quot modis mutilatio illa tentata fuerit, donec tandem introducta eſt.

Porrò quia Tridentinum capitulum, ex mutatione conſvetudinis communicandi ſub utraque ſpecie, & ex introductione contrariæ conſvetudinis, vult Pontificiam mutilationem juſtificare: judico utiliter quædam annotari poſſe, de hiſtoria introductæ hujus conſvetudinis. Iactitant enim, conſvetudinem illam adeò eſſe vetuſtam, ut ejus initiũ ne monſtrari quidem poſſit in hiſtoriis. Sed nos ex veris hiſtoriis oſtendemus, quomodo in veteri Eccleſia aliquoties, & aliquot modis tentata fuerit mutatio communionis ſub utraque ſpecie: & quàm acriter mutationi huic reſtiterint præpoſiti Eccleſiarũ, melioribus & purioribus Eccleſiæ temporibus, donec tandem poſterioribus temporibus, poſt annos ſcilicet Domini 1200. unà cum aliis erroribus & abuſibus, mutatio illa particulariter, non tamen ſine contradictione, in quaſdam Eccleſias invecta, deinde latius progreſſa, demũ lege Conſtantienſi confirmata eſt.

I. Mutatio cõmunionis.

Tentata autem primùm fuit mutatio quædã communionis ſub utraq; ſpecie, juxta formam à Chriſto præſcriptam, per illos qui bibentes in Eccleſia de poculo Domini, panem ſacratum ſecum domum deferebant: quem poſtea ſumebant, aliquando per ſatis longum intervallum temporis: ſicut de Eremitis Baſilius ſcribit. Sed illa conſvetudo abrogata & prohibita fuit in Concilio Toletano primo, circiter annum Domini 390. & poſtea circa annum 500. in Cæſarauguſtano. Reducta autem fuit communio ad formam inſtitutionis: ut ſcilicet in Eccleſia, ubi tũc utraque ſpecies diſpenſabatur, Euchariſtia conſumeretur.

II. Mutatio facta circa annũ Domini 440.

Secundò. Tempore Leonis I. circa annũ Domini 440. Manichæi, quia vinum tanquam abominabile quiddam deteſtabantur, & fingebant Chriſti corpus, utpote phantaſticũ, non habuiſſe verũ ſangvinem, moliebantur ſumptionem unius tantùm ſpeciei introducere. Sed Leo Pontifex, ſermone Quadrageſimali 4. appellat ſacrilegium, ſi quis calicem ſangvinis redemptionis noſtræ haurire declinet. Et huc accommodat illud Pauli, Rom. 16. Obſervate eos, qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam quam didiciſtis faciunt.

Lindanus fingit, ante Leonem in uſu fuiſſe in Eccleſia communionem ſub una ſpecie: ſed Leonem tunc propter Manichæos, rurſus mandaſſe ad tempus communionem ſub utraq; ſpecie, ut ita deprehendi poſſent Manichæi. Sed Andradius rectè dicit, eſſe inſignem hallucinationem. Adeò enim uſitata tunc fuit cõmunio ſub utraque ſpecie, ut his indiciis Leo deprehenderet Manichæos. Leo igitur circa annũ Domini 449. pronunciat eſſe ſacrilegium, diſſenſionem & offendiculum, præter doctrinam ab Apoſtolis acceptam, ore corpus Domini accipere, calicem verò redemptionis noſtræ haurire, declinare.

Lindanus.

Andradius.

Tertiò. Tempore Gelaſii, circa annum Domini 490. iterum tentata fuit mutatio communionis ſub utraque ſpecie: non ab hæreticis, ſicut tempore Leonis: ſed ab hominibus ſuperſtitioſis. Ita enim Gelaſius loquitur. Sed acriter repulſa, & ab Eccleſia explоſa fuit ſuperſtitio illa: ſicut teſtatur Canon. Comperimus: de Conſecrat. diſtinct. 2. Comperimus, quòd quidam ſumpta tantummodò corporis ſacri portione à calice ſacrati cruoris abſtineant: qui quia neſcio qua ſuperſtitione docentur aſtringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: qui diviſio unius ejuſdemq; myſterii, ſine grandi ſacrilegio nequit provenire. Audis, unam ſpeciem non eſſe integrum Sacramentum, ſed ad unum idemq; myſterium pertinere utramque ſpeciem: item eſſe grande ſacrilegium, ſi una tantùm ſpecies ſumatur. Et in Canone illo notandũ eſt vocabulum ſuperſtitionis. Inde enim colligi poteſt, ſub quo prætextu quidam tempore Gelaſii, voluerint conſvetudinem communicandi ſub una tantummodò ſpecie introducere. Eſt enim ſuperſtitio, juxta Scholaſticos, velle colere Deum, ſed modo indebito, hoc eſt, aliter & contra quàm ipſe præſcripſit & mandavit. Prætextum igitur religionis, cultus divini, & reverentiæ erga Sacramentum, habuerunt & prætenderunt illi, qui tempore Gelaſii, præter & contra formam communionis à Chriſto traditam & præſcriptam à calice Dominico abſtinebant. Et quia Canonis verba ſunt, Docentur ſuperſtitione aſtringi: poſſet ita etiam intelligi, fuiſſe tunc quoſdam, qui ita docuerint. Et hoc benè notetur. Quicquid enim prætenditur de religione & reverentia Sacramenti, in communione ſub una ſpecie, quia aliter & contra fit, quàm Chriſtus, inſtituit, ſuperſtitio eſt. Gelaſius verò pronunciat, eos eſſe à communione arcendos: hoc eſt, excommunicandos, qui ex ſuperſtitione, à participatione poculi Dominici abſtinent. Quod verò Gratianus cum Gloſſatoribus, ad ſolos Sacerdotes conficientes, Canonem illum reſtringit: cum Eccleſiaſtica hiſtoria illorum temporum, & cum ipſo textu pugnat.

III. Circa annum Domini 490.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Loquitur enim de illis, qui ad sumptionem Sacramentorum vel admittũtur, vel ab illis arcentur. Et ab ipsis Põtificiis, ut Lindano & aliis Gratiani illud commentum nunc exploditur.

IIII. Mutatio.

Quartò, propter metum periculi effusionis quidam maturè meditati sunt discessionẽ à forma institutionis Christi: ne tamen omninò tollerent vel abrogarent cõmunionem sub utraq; specie, panem consecratũ in poculũ benedictionis intinctum, dederunt communicantibus pro complemento cõmunionis, hoc est, judicârunt non plenam esse cõmunionem, si tantummodò sub specie panis, sine vino cõsecrato daretur Eucharistia. Dignum verò est observatione, unde illud in Ecclesiam irrepserit. Cùm enim in casu necessitatis, in communione parvulorum & infirmorũ, apud veteres intincta & infusa aliquando Eucharistia, data legeretur: sicut ex historia Serapionis, ex Cypriani sermone 4. de lapsis, & ex Prospero de promissionibus ca. 6. & 26. quæst. 6. cap. Is in decretis: ex illis casibus extraordinariis, quidam postea voluerunt consvetudinem intinctæ Eucharistiæ, invehere in legitimã & ordinariam communionem Ecclesiæ, contra institutionem Christi, & morẽ veteris Ecclesiæ: idq; prætextu periculi effusionis, & reverentiæ erga Eucharistiam. Sed Iulius Pontifex circa annum Domini 340. in epistola ad Episcopos Ægypti, & citatur de Consecrat. dist. 2. cap. Cùm omne, acriter consvetudinem illam reprehendit. Et quibus ex fundamentis eam refutet, operę precium est considerare. Dicit esse contra divinum ordinem, contra Apostolicas institutiones: item esse contrarium Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, & cõsvetudini Ecclesiasticæ adversum. Et (quod præcipuè notandum est) ostendit, unde petendæ & sumendę sint probationes in hac causa. Inquit enim: Non difficile hoc ab ipso fonte veritatis probabitur, in quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria processerunt. Agnoscit Lector, Romanam Ecclesiam longè aliis tunc usam fundamentis, in controversiis de communione cœnæ Dominicæ, quàm nunc utitur. Nominantur enim ordo divinus, Apostolicæ institutiones, Evangelica & Apostolica doctrina, vetus consvetudo Ecclesiastica. Ad illa fundamenta & nos nunc provocamus: sed opponuntur nobis potestas Ecclesiæ, posterior consvetudo, & argumenta rationis. Tandem verò cõcludit Iulius: Quod pro complemento communionis, intinctã tradunt Eucharistiam populis, nec hoc probatum ex Evangelio testimonium receperunt, ubi Apostolis corpus suum commendavit, & sangvinem: seorsim enim panis, & seorsim calicis commendatio memoratur. Et hoc modo tunc repressa fuit consvetudo intinctæ Eucharistiæ. Postea tamen rursus pullulavit, circa annũ Domini 580. Ideò enim in 3. Bracarensi Concilio, repetitum fuit Decretum Iulij. Adeò crebrò humana ingenia meditata sunt discessionem à forma communionis, ab ipso filio Dei præscripta. Sed melioribus Ecclesiæ temporibus fuerunt, qui contra omnes consvetudines & prætextus, testamentariam institutionem filij Dei retinuerunt, & acriter defenderunt.

Occasio intinctionis panu consecrati.

V. Mutatio.

Quintò. Cùm subinde major fieret inclinatio doctrinæ & rituum, à puritate veteris Ecclesiæ, circa annũ Domini 920. Cluniacensis ordo rursus instituit intinctionem: sed contra morem & usum reliquarum Ecclesiarum, ita enim Cassander citat ex institutis Cluniacensium lib. 2. cap. 35. Quantis ipsum corpus sacerdos dederit, singulis sangvini intingit, quanquam sit contra usum aliarum Ecclesiarum: quia quidam, maximè novitii nostri, adeò sunt rudes, ut si sangvinem ita separatim accipiant, quandam negligentiam incurrerent. Vides licet tunc disputaretur de metu periculi effusionis & irreverentiæ: non tamen ausi fuerunt judicare, ideo intermittendum aut abrogandum esse usum calicis.

Concilium Turonense.

In Turonensi postea concilio, pro infirmis, etiam in aliis Ecclesiis, concessus est usus intinctæ Eucharistiæ. Et ratio additur: Oblatio intincta debet esse sangvine Christi, vt veraciter presbyter dicere possit, Corpus & sangvis Domini nostri Iesu Christi, proficiat tibi in remissionem peccatorum, & vitam æternam. Notabit autem Lector, quanquam aliquantulum tunc discederetur à forma institutionis Christi: tamen adeò necessariam judicârunt utramq; speciem, ut potius intinctam Eucharistiam dare consulerent: præcipuè verò notetur, non veraciter dici posse, corpus & sangvinem Christi dari & accipi, sub una tantummodò specie panis.

Tandem tempore Ivonis, circa annum Domini 1120. permissum fuit alicubi populum cõmunicare, intincto pane: idq; non autoritate, sed summa necessitate timoris sangvinis Christi effusionis. Ita enim Cassander allegat Ivonem, de divinis officiis. Hæc ideo recito, ut ostendam, cùm motæ jam essent & exaggerarentur disputationes de metu periculi effusionis & irreverentiæ: non tamen judicatum fuit, ideo vel posse vel debere alteram speciem prorsus tolli & omitti ex communione: sed potius intinctione usi fuerunt, ut tamen daretur utraq; species. Non tamen universalis fuit tempore Ivonis consvetudo intinctæ Eucharistiæ: alibi enim data tunc fuit utraque species seorsim: sicut ex illis, qui circa ea tempora vixerunt, præcipuè verò ex Bernardo & Longobardo colligitur.

VI. Mutatio.

Sextò. Post Longobardum tempore Scholasticorum scriptorum, circa annum Domini 1250. primùm manifestè incepit mentio fieri invectæ alicubi particularis consvetudinis, communicandi populum sub una specie, propter metum periculi effusionis. Et tamen in historia illorum etiam temporum, multa ad hanc disputationem pertinentia observari possunt. Non enim ab omnibus tunc Ecclesiis, recepta fuit illa consvetudo: nec omnes passi sunt sibi eripi usum Dominici calicis. Thomas enim in 3. parte summæ, quæst. 80. articu. 12. dicit, in quibusdam Ecclesiis providè hoc servari, ne sangvis Christi detur populo. Et in 4. Sententiarum, dist. 11. artic. 2. quæst. 1. inquit: In quibusdam locis, de consvetudine datur participatio sangvinis clericis: hoc est, ministris altaris, de quibus præsumitur, quòd magis sint cauti. Richardus de media Villa, & Petrus de Tarantasia, postea Innocentius IIII. nominatus, testantur sua tempestate non tantùm ministris altaris, sed & majoribus è populo, à quibus pericula

Thomas.

pericula illa non timebantur, Eucharistiam sub utraq; specie datam fuisse. Petrus verò de Palude in 4. Sententiarum, distinct. 11. quæst. 1. autor est, sua ætate in quibusdã Ecclesiis consvetudinem fuisse, communicandi in genere sub utraq; specie: idq; ita cautè, ut nihil effunderetur. Ex Vvilhelmo de Monte Lauduno, Cassander citat: Recipiendo corpus Christi, totam veritatem ejus recipit, sed non totum Sacramentum. Et ideo in multis locis communicatur cum pane & vino, id est, cum toto Sacramento.

Durandus.

Durandus circa annum Domini 1280. in rationali divinorum lib. 4. cap. 42. narrat sua ætate in quibusdam locis consvetudinem fuisse, quòd post communionem Sacerdotis, aliquid de sangvine in calice reservatum fuit, & super infusum vinum purum, ut communicantes inde aliquid possent de sangvine Christi sumere. Et rationem reddit in præcedentibus, ex Innocentio III. Quamvis sub specie panis, sangvis sumatur cum corpore: non tamen sangvis sub specie panis bibitur. Particulariter igitur tunc in quasdam Ecclesias invecta fuit consvetudo communionis, sub una specie.

Mutilatio cœnæ Dominicæ a multis sugillata & improbata.

Deinde observatio historiarum illius temporis, & hoc ostendit, quod recenti consvetudini communionis sub una specie, à multis tunc contradictum fuit. Alexander enim Halensis refert, religiosos quosdam ægrè tulisse, eripi sibi poculum Domini, & flagitasse restitutionem cõmunionis sub utraq; specie. Sed illorũ petitionem dicit repressam fuisse commento miraculi, quod ex hostia sacra sangvis emanasset. Et ipsi Scholastici scriptores, licet cedant cõsvetudini, recens à quibusdã receptæ propter unicam rationem de periculo effusionis: tamen multis & palã disputant, communionem in utraq; specie convenientiorem, congruentiorẽ, perfectiorem, completiorem, & majoris efficaciæ esse. Ex quibus

Alexander Alensis.

antiquissimus Alexander Alensis inquit, quæst. 32. membro. 1. articu. 2. Sumpto hoc Sacramento dignè in utraque specie, major est effectus unius corporis mystici cum capite, quàm sumpta sub altera. Quæst. 53. Licet illa sumptio quæ est in accipiendo sub una specie, sufficiat: illa tamen quę sub duabus est, majoris meriti, tum ratione augmentationis, devotionis, tùm ratione fidei, dilatationis actualis, tùm ratione sumptionis complectioris. Item: Sumptio sub utraq; specie, quẽ modum sumendi tradidit Dominus, est majoris efficaciæ & complementi. Quæst. 31. dicit, eum qui accipit Sacramentum sub specie panis, non accipere perfectè Sacramentũ, quantum ad Sacramentalem sumptionem.

Albertus Magnus.

Post Alensem proximè sequitur Albertus Magnus, qui in 4. Sentent. distinct. 8. artic. 13. inquit, duplicem esse in hoc Sacramento perfectionem: Christi videlicet ipsius, & Sacramenti, secundum quod venit in usum fidelium. Priore modo dicit verum esse, Christum esse perfectum sub utraque specie. Secundo modo videri sibi falsum, quia non perfectè signetur & caussetur usus fidelium, & unitas, corporis mystici, nisi duplici signo: & ideo virtute Sacramenti, oportere utrunque habere.

Thomas.

Post hunc Thomas 3. summæ, quæst. 66. articulo secundo. Quamvis totus Christus sit sub utraq; specie, non tamen frustrà. Nam primò hoc valet ad repræsentandam passionem Christi, in qua seorsim fuit sangvis à corpore separatus. Secundò hoc est conveniens usui hujus Sacramenti, ut seorsim exhibeatur fidelibus corpus Christi in cibum, & sangvis in potum. Idem contra Gentiles libro 4. cap. 61. Quia, inquit, complementum nostræ salutis factũ est per passionem Christi & mortem per quàm ejus sangvis à carne separatus est, separatim nobis traditur Sacramentum corporis ejus sub pane, & sangvis ejus sub specie vini: ut sic in hoc Sacramento passionis Dominicæ, memoria & repræsentatio habeatur, & secundum hoc impleatur, quod Dominus dixit: Caro mea verè est cibus, & sangvis meus verè potus. Hæc testimonia non possunt referri ad solam sacrificulorum sumptionem: expressè enim loquitur de exhibitione & traditione Sacramenti, quæ fit fidelibus. Petrus de Palude distinct. 11. artic. 1. dicit, duplicem debere esse materiam hujus Sacramenti, scilicet materiam cibi & potus: qui effectus Sacramenti debet perfectè repræsentari per materiam: Sacramenta enim efficiunt quod figurant. Sed hujus Sacramenti effectus, est perfecta animi refectio: ergo materia repræsentans, debet esse per perfectam corporis refectionem, quæ non est nisi per cibum & potum. Bonaventura distinct. 8. quæst. 2. tradit, in hoc Sacramento ex duobus signis unum & perfectum resultare Sacramentum: cujus integritatis ratio dispositivè veniat à natura, quia nec panis est per se planè reficiens, nec vinum, sed utrumq; est una plena refectio. Completivè verò veniat ab institutione divina, quæ institutio hęc duo signa ordinavit, ad significandum unam perfectam refectionem.

Petrus de Palude.

Hæc ex Scholasticis scriptoribus, antiquitatis studiosissimus Georgius Cassander collegit.

Durandus in rationali lib. 4. cap. 54. dicit: Qui solam hostiam recepit, non plenum Sacramentaliter recipit Sacramentum. Etsi enim in hostia consecrata, Christi sangvis sit: non tamen est ibi Sacramentaliter, eò quòd panis corpus, non sangvinem, & vinum sangvinem significat, & non corpus. Ergo sub altera tantùm specie, non est completum Sacramentũ, quoad Sacramentum. Et licet Durandus principaliter ibi loquatur de sumptione presbyteri, ratio tamen generalis est.

Durandus.

Hæc historica observatio valde utilis est. Ostenditenim, cùm primùm cœpisset Ecclesias invadere consvetudo communionis sub una tantùm specie, quod factum est post annos Domini 1200. quòd non ab omnibus Ecclesiis recepta fuerit, sed quòd multi ei contradixerint.

Et quidem quod doctrina veteris Ecclesiæ de Sacramentali communione, non statim immutata & inflexa fuit ad consvetudinem illam: sed quòd Scholastici, licet cõsvetudini illi cesserint, oppositum tamen doctrinam ex institutione Christi: quòd scilicet communio sub utraq; specie, quia à Christo instituta, sit convenientior, congruentior, completior, perfectior, majoris efficaciæ & illustrioris repræsentationis. Et tota materia hujus controversiæ, ne Scholasticorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidem tempore ita disputata fuit, ficut nunc à Pontificiis tractatur.

Poſtea conſvetudine illa magis magisq; invaleſcente, major etjam doctrinæ inclinatio ſecuta eſt, ut Lyra in 11. cap. 1. ad Corinth. fatetur, Chriſtum, Sacramentum hoc inſtituiſſe in utraque ſpecie. Et in 9. cap. Proverbiorum, teſtatur in primitiva Eccleſia fideles hoc Sacramentum in utraque ſpecie accepiſſe. Addit tamen propter periculum effuſionis ordinatum eſſe, ut laicis tantùm ſub una ſpecie daretur.

Thomas Vvaldenſis.

Et tamen ante Conſtantienſe Concilium, non ſimpliciter omnibus ubiq; laicis erepta fuit cõmunio ſub utraque ſpecie. Thomas enim Vvaldenſis, qui ſub tempus Conſtantienſis Concilii contra Viclefum ſcripſit, licet defendat communionem ſub una ſpecie, tamen Tomo 2. cap. 88. & 94 teſtatur, presbyteris, diaconis, miniſtris altaris, majoribus è populo, rectoribus inſignium locorum & monaſteriorum, & aliis dignitatem præſtantibus, fide fortibus, & diſcretis fidelibus ut doctoribus, regibus, aliisq; qui tanta re digni judicabantur, hoc donatum fuiſſe, ut ad ſacrificium & ejus libamentum ſcilicet ad communicandum in utraque ſpecie, aſſumerentur.

Concilium Conſtantienſe.

Imò ipſa petitio procuratorũ Concilii Conſtantienſis teſtatur, uſitatam tunc adhuc in multis locis fuiſſe communionem laicorum, ſub utraque ſpecie. Duæ enim cauſæ in actis Conſtantienſis Concilii recitantur, propter quas factum fit interdictum calicis. Prima explicatur in petitione procuratorum Concilii, his verbis: Quia in nonnullis mundi partibus, ſacerdotes laicos ſub utraque ſpecie, panis ſcilicet & vini, communicare non ceſſant, contra Romanæ Eccleſiæ conſvetudinem: petimus nos procuratores ſynodi, provideri ſalubriter Eccleſiæ, &c. Secundam cauſam ipſum Decretum explicat: quia ſcilicet in nonnullis mundi partibus quidam docuerint populum Chriſtianum communicandum eſſe ſub utraque ſpecie: & populum debere Sacramentum Euchariſtiæ, ſub utraque ſpecie ſuſcipere. Hoc verò Æneas Sylvius in Bohemica hiſtoria ita declarat: quòd ſcilicet Iacobellus qui dam Miſnenſis, concionator Eccleſiæ Pragenſis, admonitus à Petro quodam Dreſenſi ludimagiſtro, cum perquiſitis vetuſtis ſanctorum doctorum codicibus, Dionyſij præſertim & Cypriani, communionem calicis laudatam inveniſſet, hortari cœpit populum, ne deinceps communionẽ calicis quoquo pacto negligerent. Vera igitur cauſa fabricatæ Pontificiæ legis de mutilatione cœnæ Dominicæ hæc fuit: ne ſcilicet à conſvetudine Romanæ Eccleſiæ, aliquid diverſum vel fieret vel doceretur in ulla Eccleſia. Illud verò apud omnes obtineri non potuit, niſi ex prava conſvetudine lex impia fabricaretur, Et tamen legem illam, Græca Eccleſia nunquam recepit.

Æneas Sylvius.

Ex hac hiſtorica commemoratione rectiſsimè examinari & dijudicari poteſt, quantum fidei & authoritatis tribuendum ſit illis, quæ in fine ſecundi Tridentini capituli dicuntur, de latiſsima conſvetudine communionis ſub una tantummodo ſpecie: quam poſtea Pontificij gravibus & juſtis de cauſis, pro lege decreverint habendam.

Argumẽtũ Tridentinæ Synodi.

Poſtremum argumentum Tridentinæ ſynodi, illud eſt, quod præcipuũ fuit & in Conſtantienſi & in Baſilienſi Concilio: quia ſcilicet cauſa, finis, effectus & fructus cõmunionis Euchariſtiæ, eſt participatio corporis & ſangvinis, imò totius Chriſti. Illa vera ſit ſub una etjam ſpecie. Totus enim & integer Chriſtus, eſt ſub unaquaq; ſpecie: quia ſangvis à corpore jã nõ eſt ſeparatus in Chriſto. Ergo qui unã ſpeciẽ ſolã accipiunt, nulla gratia ad ſalutem neceſſaria defraudantur. Et ſanè, ſi cœna Dominica eſſet opus phyſicũ, aut ſi noſtra ratione liceret ſapientiã filii Dei juſtificare, aliquid valeret hoc argumentum. Peccatũ enim eſſe, vulgò dicitur, fieri per plura quod fieri poteſt per pauciora. Sed in quem peccatũ illud redundabit, niſi in ipſum filiũ Dei, qui cœnã inſtituit ſub duabus ſpeciebus panis & vini, tũc cùm nondũ ſeparatus eſſet ſangvis à corpore ipſius, cumq; ſciret, poſt reſurrectionem nõ fore ullam ſeparationem? Certè ſi ſemel permiſſum fuerit, tali argumentatione contra manifeſtam Chriſti inſtitutionem uti, in univerſum abrogari poterit cœna Dominica, fide enim in verbo participes efficimur Chriſti, Hebr. 3. Chriſtus per fidem habitat in cordibus, Epheſ. 2. ita ut totus & integer ipſe maneat in credẽtibus, & credẽtes in ipſo, Ioan. 6. Præterea in Baptiſmo Chriſtũ induimus, Galat. 3. Quorſum igitur opus erit communione cœnæ Dominicæ. Item, cur bis ſumunt ſangvinem Chriſti ſacrificuli, ſemel ſub ſpecie panis, & iterum ſub ſpecie vini? Si reſpondeatur, Chriſtum non fruſtrà ita inſtituiſſe: hoc & nos volumus. Suprà autem oſtendimus: Chriſtum non pro ſacerdotibus tantùm, ſed pro univerſa Eccleſia cœnam ſuam inſtituiſſe. Reſpondeo igitur, quia Sacramentum hoc non eſt opus naturæ, vel actio rationis & ſenſuum: ſed eſt myſteriũ fidei, quæ ex verbo Dei concipitur, & eo nititur: ideo inſtitutio ejus, certo & manifeſto verbo Dei tradita, non eſt reformanda, mutanda aut mutilanda, ex argumentis rationis de naturali concomitantia: ſed ad obedientiam fidei pertinet, ut verbo Dei inhæreat, & ejus præſcriptum ſimpliciter ſine diſquiſitione ſequatur. Ita ergo in hoc Sacramento, ea quæ Chriſtus dixit credamus, & quæ juſſit faciamus. Ratio enim captivanda eſt in obſequium Chriſti, 2. Cor. 10.

Refutatio argumenti Tridentini.

Quòd ſi voluerimus ſapientiores eſſe Chriſto, accidet nobis quod ſcriptum eſt, Roman. 1. Vani facti ſunt in rationibus ſuis, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Sed ajunt: Quid majus eſt in Euchariſtia, an Chriſtus, an verò ſpecies vini? Cùm igitur Chriſtum integrum & totũ accipiamus ſub ſpecie panis: quid de elemento vini litigamus: aut cur de accidentibus ſine ſubjecto cohærentibus tàm ſoliciti ſumus?

Alia obiectio.

Refutatio.

Reſpondeo: Non de ſubſtantia vel accidentibus vini, quatenus eſt in prædicamento ſubſtantiæ, pugnamus: ſed quia ſcimus Chriſtũ nobis ſe & beneficia ſua cõmunicare velle, non ἀμέσως, ſed per certa media divinitùs ad hoc inſtituta. Spretis autem & abjectis mediis illis, nec poſſumus, nec debemus nobis, ſicut Enthuſiaſtæ faciunt, polliceri participationem Chriſti: ſed mediis illis & utendum, & ita utendum eſt, ſicut ab ipſo Deo inſtituta præſcripta & ordinata ſunt. Propter

pter hanc cauſam meritò in hac controverſia pugnamus, ne medium divinitùs ad participationem, ſangvinis Chriſti, & novi Teſtamenti in ſangvine ab ipſo filio Dei in teſtamentaria inſtitutione ordinatum, nobis humana præſumptione eripiatur. Sacramentorũ enim efficacia, ex verbo Chriſti pendet. Non autem de pane, ſed de calice dixit: Hoc eſt novum Teſtamentum in meo ſangvine. Et quando poculum Domini, vera fide accipio, tunc certus ſum ex verbo, mihi donari, applicari & obſignari novum Teſtamentum in ſangvine Chriſti. Pontificii dicunt, idem fieri in ſumptione panis. Sed de efficacia Sacramentorum, ſcimus ex verbo judicandum eſſe.

Vtilis verò eſt & hæc conſideratio. Notum fuit antiquitati, Chriſtum ubicunque adeſt, totum & integrum adeſſe: corpus ejus non eſſe exangve, nec ſangvinem extra corpus ipſius. Nemo tamen in veteri Eccleſia vel diſputavit ſaltem, propterea mutari & mutilari poſſe teſtamentariam inſtitutionem Chriſti de diſpenſatione & ſumptione utriuſq; ſpeciei. Longobardus libro quarto, diſtinctione undecima, proponit quidem hoc argumentum, non autem excludit inde dogma de abrogatione alterius ſpeciei: Sed ex Ambroſio repetit, quare ſub duabus ſpeciebus Chriſtus voluerit Sacramentum hoc accipi, cùm ſub alterutra totus ſit. Eodem modo argumentum illud & proponitur & ſolvitur ab Hugone & Haymone. Imò ipſi Scholaſtici, quorum tempore jam cœperat Eccleſias invadere conſvetudo communicandi ſub una ſpecie, non judicarunt hoc argumentum ſatis eſſe ad ſtabiliendam ſumptionem ſub una ſola ſpecie. Reſpondent enim, Chriſtum quidem perfectum, integrum & totum eſſe, etjam ſub una ſpecie: ſed Sacramentum tamen non eſſe completũ, perfectum, integrum & totum, ſi ſub una tantùm ſpecie ſumatur. Sententiæ Longobardi, Hugonis, Haymonis, & Scholaſticorum, in præcedentibus ſunt aſcriptæ. Durandus citat ex Innocentio III. Licet ſub pane non ſit corpus ſine ſangvine, nec ſub vino ſangvis ſeparatus à copore: non tamen ſub pane ſangvis Chriſti bibitur, nec in vino corpus Chriſti editur. Recenſigitur eſt hoc Pontificiorum commentum, ideo poſſe laicis abrogari, prohiberi & eripi poculũ Domini, quia Chriſtus integer & totus ſit etjam ſub panis ſpecie. Obiter verò & hoc monendũ arbitror, ubi Conſtantienſe & Baſilienſe Decretũ habet, Chriſtum integrum veraciter eſſe contineri ſub ſpecie panis: ibi Tridentini dicunt integrũ ſumi. Cumq; non auſint contra Scholaſticos dicere, perfectũ Sacramentum ſumi ſub una ſpecie: dicunt tamen, verum Sacramentum ſumi, ſi una ſpecies ſola ſumatur, etjam ſi ſicilicet nõ ſervetur inſtitutio Chriſti. Sed hæc in tanta verbi Dei luce facilè dijudicari poſſunt. Hæc ſunt quinque illa argumenta, quæ ex innumeris illis quæ per annos jam 150. à tempore Conſtantienſis Concilij, ſingulari artificio anxiè conquiſita fuerunt. Tridentina ſynodus habito delectu, judicavit talia eſſe, quibus hiſce temporibus in tanta verbi Dei luce, Pontificia mutatio, mutilatio, abrogatio & prohibitio teſtamentariæ inſtitutionis filii Dei, juſtificari & defendi poſſe videretur. Quavis verò ſint, quid efficiant, & quantum valeant: ſatis, quantum in hac brevitate fieri potuit, oſtenſum eſt.

Vetus Eccleſia.

Longobard.

Scholaſtici.

DECRETVM SVPER PETITIONE CONCESSIONIS calicis, publicatum in Seſſione VI.

Inſuper cum eadem ſancta ſynodus, ſuperiori Seſſione duos articulos, alias propoſitos & nondum diſcuſſos: videlicet, an rationes quibus ſancta Catholica Eccleſia adducta fuit, ut communicaret laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, ſub una tantùm panis ſpecie, ita ſint retinendæ, ut nulla ratione calicu uſus cuiquam ſit permittendus: & an ſi honeſtis & Chriſtianæ charitati conſentaneis rationibus cõcedendus alicui, vel nationi, vel regno, calicis uſus videatur, ſub aliquibus conditionibus ſit concedendus, & quænam ſint illæ: in aliud tempus, oblata ſibi occaſione, examinandos atque definiendos reſervarit: nunc eorum pro quibus petitur, ſaluti optimè conſultum volens decernit, integrũ negocium ad S. D. N. non eſſe referendum, prout præſenti Decreto refert: qui pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod utile reipub. Chriſtianæ, & ſalutare petentibus uſum calicis, fore iudicaverit.

EXAMEN.

Reſtitutio calicis efflagitata in Cõcilio Tridentino.

Inter poſtulata Regum & Principum, Concilio Tridentino propoſita fuit & hæc petitio: ut uſus Dominici calicis, juxta inſtitutionẽ Chriſti, & morem primitivæ Eccleſiæ, ſublata injuſta ejus prohibitione, Eccleſiæ reſtitueretur. Patres verò Concilii, priuſquam de petitione illa deliberent, probant, confirmant & ſtabiliunt impiam legem abrogati & prohibiti Dominici calicis, non ſecus ac ſi petita ab ipſis fuiſſet repetitio, confirmatio, & ratificatio decreti Conſtantienſis. Illa verò hoc Concilio ita inſtructa ſunt. 1. Vt petitionem illam regum & principũ, obliq; ſugillent & damnent: ut qui hoc petant, quod nullo vel jure, vel præcepto divino ad laicos pertinet: quodq; Eccleſia gravibus & juſtis cauſis adducta, olim non tantùm abrogavit, ſed lege ſynodica, tanquam temerariam præſumptionem, imò tanquam hæreſin ſub pœna excommunicationis, ſeverè prohibuit. Ita enim loquitur Conſtantienſe decretum. 2. Vt quicquid de conceſſione futurum ſit, fiat illud ſine detrimento regni Pontificij, & ſine imminutione plenariæ poteſtatis Romanæ Eccleſiæ: imò ut hæc ipſa, ſi qua futura eſſet conceſsio, eſſet confirmatio, & impetratio petitionis eſſet recognitio immanis iſtius privilegij: quod juxta Pighium, Romanæ ſedi ita indultum eſt, ut quicquid illa in cauſis fidei hic ſuper terram figeret, refigeret, obligaret, aut ſolveret, hoc ipſum ita fixum, refixum, obligatum ſolutumq; haberetur & maneret. 3. Vt qui ex conceſsione ſive ſynodi, ſive Romani Pontificis, uſuri eſſent communione ſub utraq; ſpecie, ipſo tamen vero fructu privarentur. Nam juxta decretum 5. Seſsionis Tridentini Concilii, non ex inſtitutione, traditione, jure & præcepto Chriſti, ſed

Universidad de Deusto
Biblioteca

sti, sed ex misericordia, benignitate & liberalitate Romani Pontificis, calicem ad se nō pertinentem sumerent. Verba igitur calici addita, frustrà laici sibi applicarent, cùm ad solos Sacerdotes pertineant: nec ex illa communione, ullam gratiam ad salutem necessariam acciperent. Hæc enim sunt verba 3. Capituli.

Et illis ita præmunitis, tamen petitio concessionis calicis, ex una Sessione in aliā rejecta, donec tandem prorsus à synodo ad sedem Pontificiam abjecta est. Et valde utile esset scire, quæ in deliberationibus illis consultationes tales inciderint, quòd ipsa Synodus noluerit aliquid de hac petitione definire, sed negocium integrum ad Romanum Pontificem retulerit. Sed quia illa forsan inter mysteria Concilii celata servantur, brevem tantùm annotationem ex ipso sinu Pontificiorū profectam annotabo, ex qua multa poterunt colligi.

Consultatio de cōmunione sub utraque specie Coloniæ edita.

Coloniæ anno 1564. edita est consultatio, de communione Christiani populi sub utraq; specie: erudita sanè, utpote ab autore Cassandro profecta. In ejus præfatione, sub typographi persona narratur, Tridentinam synodum per totā ætatem anni 62. occupatam fuisse disputationibus super petitione concessionis calicis. Quis verò disputationum illarum exitus fuerit, his verbis ibi describitur: Dum major eruditiorum Episcoporum, eaq; potior pars, in eam sententiā concors pedibus iret, ut laicis calicem esse concedendum judicaret: alii verò magna contentione resisterent, ne quid incommoditantus dissertationum ardor, cœptis de morum & opinionū reformatione rebus adferret: eam controversiam, Pii IIII. Pontificis arbitrio dirimendam reliquerunt Hæc ibi: ex quibus Lector multa huc pertinentia potest colligere.

Rejectum autem fuit illud negociū ad Romanum Pontificem, notatis certis conditionibus, quibus usus calicis concedi posse videretur. illæ publicatæ quidem sunt, sed editioni Decretorū non sunt insertæ. Adjiciam igitur illas: & nihil præterea addam, nisi ut Lector ex illis conditionibus discat, quanti Romanus Pontifex vendat concessionem calicis. Hactenus questa fuit Germania de explicationibus, quòd nimis magna pecuniæ summa indulgentias & dispensationes suas Romā venderet. Nunc verò Pontifex concessionem calicis, non auro nec argento vendit, sed quod multò carius est, abnegatione veræ doctrinæ, approbatione omnium abominationum regni Pontificii, & defectione à capite Christo, ad hominem peccati, & filium perditionis, 2. Thessal. 2. Videant igitur piæ conscientiæ, ne tanti emant quod Christus gratis acceptū, gratis Ecclesiæ dari mandavit. Et perlectis hisce conditionibus, Lector rectius intelliget, quare Lutherus dixerit: Quando Papa ut Papa, ex plenitudine suæ potestatis, concessurus esset communionem sub utraque specie: tunc se ea non usurum. Dictum illud Lutheri odiosè sæpius exagitatum fuit à Pontificiis scriptoribus: sed res & experientia ipsa, in hisce conditionibus adfert jam veram interpretationem. Audiamus igitur, quid de conditionibus in concessione calicis, Concilium suggerat Pontifici.

CONDITIONES QVIBVS VSVS CALICIS CONCEDI posse videtur.

Primò. Vt sub utraque specie communicare volentes, in reliquis omnibus, tam quoad Sacramentum hoc quàm cætera Sacramenta, item in quacunque materia, quo ad fidem, doctrinam, ritumq; conveniant corde & oris confessione, cum iis omnibus quæ à S. Romana Ecclesia sunt recepta: nec non Decreta omnia huius S. Synodi, tam promulgata quam promulganda, religiosè admittant & observent.

Secundò. Vt Pastores dictarum nationum, & concionatores, credant & doceant, consvetudinem ab Ecclesia probatam, & diu observatam, videlicet communicandi sub altera tantùm specie, non esse alienam à divino jure: imò laudabiliter, & tanquam legem observandam, nisi ab Ecclesia aliter statuatur: quodq; aliter pertinaciter sentientes, hæretici sint censendi: nec alius dent hanc communionem sub utraque specie, nisi qui crediderint hanc veritatem, & confessi fuerint.

Tertiò. Quod sanctissimo Domino nostro Papæ, ut legitimo universali Ecclesiæ Episcopo & Pastori, debeant fideli & syncero animo, ut reverentes filij, omnem reverentiam exhibere.

Quartò. Quod Archiepiscopi, Episcopi, & alij Prælatus (uis, similiter debitam obedientiam ac reverentiam præstent.

Quintò. Vt hic usu calicis, eis tantùm permittatur, qui confessi & contriti fuerint, iuxta Catholica Ecclesiæ consuetudinem: item ut ordinarij quàm diligentissimè omnibus cautionibus provideant, ne in administratione sanguinis, aliquod sacrilegium aut prophanatio admittatur, super quibus omnibus præditus, eorum conscientia oneretur.

SESSIONIS V.

CAPVT IIII.

PARVVLOS NON OBLIGARI AD COMMVNIONEM SAcramentalem.

Denique eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad Sacramētalem Eucharistiæ communionem: siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiam, in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Vt enim sanctissimi illi patres, sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione, habuerunt, ita certè eos, nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.

CANON IIII.

Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.

De hac quæstione nulla controversia est inter nos & Pontificios. Non judico igitur opus esse, totam illam disputationem retexere: cùm de iis quæ controversa sunt, potissimum instituta sit hæc tractatio.

SEXTA SESSIO.

VERA ET CATHOLICA DOCTRINA, QVOD IN MISSA verum sacrificium, & propitiatorium offeratur.

PROOEMIVM.

Sacrosancta Synodus, &c. Vt vetus absoluta, atq; omni ex parte perfecta, de magno Eucharistiæ mysterio, in sancta Catholica Ecclesia fides atque doctrina retineatur, & in sua puritate (propulsatis erroribus atque hæresibus) conservetur: de ea, quatenus verum & singulare sacrificium est, Spiritus sancti illustratione edocta, & hæc quæ sequuntur docet, declarat, & fidelibus populis prædicanda decernit.

CAPVT I.

Quoniam sub priori testamento (teste Apostolo Paulo) propter Levitici Sacerdotij imbecillitatem consummatio non erat: oportuit (Deo patre misericordiarum ita ordinante) sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes quotquot sanctificandi essent, consummare & ad perfectum adducere. Is igitur Deus & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium eius extingvendum non erat, in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ suæ sponsæ Ecclesiæ, visibile (sicut hominum natura exigit) relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum repræsentaretur, eiusq; memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorū applicaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub specie bus panis & vini, Deo patri obtulit. Ac sub earundem rerum Symbolis, Apostolis (quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat) ut sumerent tradidit: & eisdem, eorumq; in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit, per hæc verba: Hoc facite in mei commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit. Nam celebrato veteri Pascha (quod in memoriam exitus de Aegypto, multitudo filiorum Israel immolabat) novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes, sub signis visibilibus immolandum, in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem: quando per sui sanguinis effusionem, nos redemit, atque eripuit de potestate tenebrarum, & in regnū suum transtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest. Quam etiam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco, mundam offerendam prædixit. Et quam non obscurè innuit Apostolus Paulus, Corinthios scribens, cùm dicit, non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri: per mensam altare utrobique intelligens. Hac denique illa est, quæ per varias sacrificiorum naturas & legis tempore similitudo figurabatur, ut pote quæ bona omnia, per illa significata velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur.

CAPVT II.

Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit, docet sancta Synodus, sacrificium illud verè propitiatorium esse, per ipsumq; fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia contriti ac pœnitentes, ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens crimina & peccata, etiam ingentia dimittit. Vna enim, eademq; est hostia, idemq; nunc offerens Sacerdotem ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cuius quidem oblationis, (cruenta inquam) fructus, per hanc incruentam uberrimè percipiuntur, tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur.

CANON I.

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium: aut quòd offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in mei commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliiq; Sacerdotes offerrent corpus & sangvinem, anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.

CANON IIII.

Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.

EXAMEN.

Accedimus jam ad Pontificium sacrificium Missæ, quam Daniel. ri vocat Deum מעזים propterea quòd sit præsidium, monumentū, robur, firmamentum & arx regni Antichristi. De qua ipsi Pontificii sæpius in publicis Imperii conventibus contestati sunt, se quidvis potius posse pati, quàm Missæ sacrificium sibi eripi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non autem singula, quæ ad hanc disputationem pertinêt, copiosè persequemur, illud enim ab aliis, integris & justis tractationibus egregiè præstitum est, & video, hanc scriptionem præter institutum & opinionem excrescere. Sed ea quæ ad examen & explicationem Decretorum Tridentini Concilii pertinere videbuntur, qua fieri poterit brevitate annotabimus.

Status disputationis de Missa.

Ante omnia autem constituendum est: Quis sit verus status disputationis de sacrificio Missæ. Quia enim vocabulum sacrificii, πολύσημον est, & actio Missæ, multas & varias habet partes, omnino igitur per viam divisionis constituendum est, quid in actione Missæ illud sit, de quo propriè & principaliter Pontificii disputant, quod sit sacrificium pro vivis & mortuis, & quale illud sit sacrificium, cùm multæ sint sacrificiorũ species? Hæc diligentia ideò necessaria est, quia video totam hanc disputationem, hoc præcipuè artificio turbari, obscurari & involvi, quòd status controversiæ non explicatè constituitur. Cùm enim & Scripturę & veterum sententiæ, de variis sacrificiorum generibus loquantur: Pontificii Scriptores, omnes illas sententias, in quibus mentio fit sacrificii, ad probandum & stabiliendum Missæ sacrificium detorquent: & cumulatis hujusmodi multis sententiis, coram imperitis & incautis gloriantur. Propitiatorium Missæ suæ sacrificium, habere suffragia Prophetarum, Christi, Apostolorum, & Ecclesiæ omniũ temporum.

Vicelius.

Ita Vicelius, patrocinaturus missæ Pontificię, collegit multas veterum sententias, in quibus administrationi seu celebrationi cœnæ Dominicæ, tribuitur appellatio sacrificii. Item, operosè probat, in synaxi veteris Ecclesiæ semper usitatum fuisse, ut aliquid recitare ex scriptis prohibiticis, præcipuè ex Psalmis, ex Euangelicis, & Apostolicis scriptis, usitatas fuisse preces communes, & gratiarum actiones, decantatas fuisse laudes Dei, &c. Et quia illarum observationum vestigia quædam apud Pontificios in Missa reliqua sunt (licet, sicut ipse Vicelius fatetur, in plerisq; vix umbra antiquitatis supersit) statim attexit conclusionem, multis parasangis ampliorem quàm est præmissa probatio: Propitiatorium scilicet Missæ Pontificiæ sacrificium, pro vivis & pro mortuis, habere testimonia & suffragia Apostolicæ primæ & veteris Ecclesiæ, & totius purioris antiquitatis. Hujusmodi verò insidiæ simplicissimè deteguntur, monstrato verò controversiæ statu: quo posito, facilior erit explicatio argumentorum, quæ pro defensione Pontificiæ Missæ allegantur. Illustriora etjam erunt contraria argumenta, quibus Pontificiæ Missæ abominatio ostenditur. Multa etjam ex capitulis & Canonibus Tridentinis rectius intelligentur, constituto primùm statu disputationis de Missa.

DE VOCABVLO SACRIFICII.

Dicemus igitur primò de vocabulo Sacrificii, quàm latè illud pateat: deinde ad singulas partes Missæ illud applicabimus, ut ita tandem verum statũ de sacrificio missæ Pontificiæ invenire & cõstituere possimus. Et in veteri quidem Testamento, erant ceremonialia externa & visibilia sacrificia, quorũ variæ erant species. Differentia autẽ sumitur, primò à casu materiali, fiebant enim sacrificia, vel de certi generis animalibus, hęc sacrificia, propriè dicebantur victimę: vel de materia terrestri arida, ut panis, similia, granum, thus, sal, &c. hæc propriè vocantur immolationes: vel de materia liquida, ut vinũ, oleum, hæc propriè vocantur libamenta. Secundò sumitur differentia veterũ sacrificiorum, à modo & causa oblationis. Ita quædam erant holocausta vel quotidiana, vel sabbathi: quædam erãt sacrificia propitiatoria pro peccato: quędam pacifica, pro beneficiis, vel impetrandis, vel impetratis: quædam erãt sacrificia professionis, ut decimæ, primitiæ, &c. Illa verò externa ceremonialia sacrifi cia, Augustinus rectè dicit duo significasse. 1. sacrificium Christi in cruce. 2. vera interiora, invisibilia & spiritualia sacrificia fidelium. de Civit. lib. 10. cap. 5. Et inde factum est, quòd antiquitatis jam ceremonialibus illis sacrificiis, Apostoli tamen in novo Testamento retinuerunt appellationem sacrificii. Ita enim appellarunt primò, passionem Christi, Ephes. 5. & ad Hebræos. Secundò, ministerium Evangelij, Roma. 15. Tertiò, conversionem gentium, & fidem amplectentiũ Evangelium, Rom. 15. & Philip. 2. Quartò, orationes, Heb. 5. Apoc. 5. & 8. Quintò, sacrificium laudis, seu gratiarum actionis, Heb. 13. Sextò, beneficentiam in pauperes, & pro sustentatione ministerii, Heb. 13. & Philip. 4. Septimò, mortificationem veteris hominis, imò totũ hominem, quando Deo consecratur & devouetur, ut mundo moriatur, & Deo vivat, vocant sacrificium, Rom. 12. Octavò, totum cultum Christianorũ in annunciatione beneficiorum Dei, in abstinentia à peccatis, & studio novæ obedientiæ, Petrus vocat spirituales hostias. Atq; ita etiam veteris Testamenti sententiæ loquuntur de spiritualibus sacrificiis. Psal. 4. Sacrificium justitiæ est, sperare in Domino. Psal. 50. Immola Deo sacrificium laudis, & invoca me. Psal. 51. Sacrificium Domino, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum. Psal. 145. Elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum, Oseæ 14. Reddemus vitulos labiorum nostrorum. Mich. 6. Non holocausta, non vitulos, nõ arietes, &c. sed facere judicium, diligere misericordiã, & solicitũ ambulare cum Deo. Propter hanc tam latè patentem significationem appellationis sacrificii, Augustinus tradit generalem definitionem de Civitate Dei, lib. 10. cap. 5. & 6. Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, & ad eundem finem proximo consulamus. Et cap. 5. dicit, vera illa sacrificia consistere in dilectione Dei & proximi.

Sacrificia in veteri Testamento, eorumq; differentiæ.

QVO SENSV ACTIO LITVRGIÆ, juxta Scripturam rectè possit sacrificium appellari.

His ita de vocabulo sacrificii constitutis, accommodabimus illud ordine ad singulas partes Missę. Ita enim remotis & sepositis illis, de quib. non est certamen, tandem verus status controversiæ emerget. Illud verò posteà explicabimus, qua ratione veteres celebrationi cœnæ Dominicæ attribuerint appellationem sacrificii. In quinto etjam Capitulo notandũ erit, quomodo Pontificij omnes & singulas partes Missæ depravarint. Nunc tantùm per viam divisionis statum causæ investigabimus.

Et 1. Quia in Synaxi leguntur & explicantur Scripta Prophetica & Apostolica, annunciatur ibi mors Christi, proposita ex verbo Dei consideratione causarum & beneficiorum passionis Christi, hac ratione Missa posset vocari sacrificiũ, juxta Scripturam Rom. 15. Phil 2. & 1. Petr. 2. Sed hoc non est sacrificium illud, de quo Pontificii dimicant. Talia enim apud ipsos peraguntur, vel de secreto murmure, vel boatu inarticulato, vel lingva peregrina.

2. In administratione cœnæ Dominicæ celebrantur, dicuntur & decantantur laudes Dei. Et sacrificium laudis, testimonium habet Scripturæ, Hebræ. 13. Psalm. 50. Sed nec hoc esse sacrificium, de quo Pontificii in Missa sua pugnant, manifestè explicat tertius Tridentinus Canon.

3. Propter publicas preces, & communes gratiarum actiones, posset Missæ, juxta Scripturæ sententiam, tribui appellatio sacrificij. Sed Tridentinũ Concilium, Canone tertio hoc non vult.

4. Quia in celebratione cœnæ Dominicæ, semper usitata fuit contributio eleemosynarum pro pauperibus, posset & inde, juxta scripturam toti actioni tribui appellatio sacrificij. Sed neq; hoc est sacrificium illud, de quo controversia est in Missa Pontificia.

5. In synaxi totus homo se consecrat Deo, & hoc agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo. Est ibi, in vero cœnæ Dominicæ usu, exercitium pœnitentiæ & fidei, accenditur ibi dilectio Dei & proximi. Si quis hac ratione Missam appellaret sacrificium, & res ipsas rectè explicaret, nihil à Scriptura, sicut ostensum est, alieni faceret. Sed neque hoc est Pontificiorum illud, de quo in Missa dimicant sacrificium.

6. Benedictio seu consecratio Eucharistiæ, quia est actus ministerii Evangelici, hactenus & addita hac declaratione, posset admittere & ferre appellationem sacrificii: sicut Rom. 15. totum ministerium Evangelii, Paulus vocat sacrificiũ. Sed Pontificii distingvunt consecrationem ab oblatione, ea enim quæ consecrata sunt, dicunt offerri.

7. Dispensatio & participatio, seu communio Eucharistiæ, qui fit in commemorationem unici sacrificii Christi, & quia ibi dispensatur & sumitur victima, quæ pro peccatis nostris semel in cruce oblata est, posset hac ratione, & addita hac explicatione, vocari sacrificium, licet Scriptura ita non appellet. Sed Pontificii expressè distinguunt sacrificium suum, à dispensatione & participatione Eucharistiæ. Et Gropperus in Concilio malè acceptus fuit, eo quòd assereret, communionem esse de substãtia sacrificii Missæ.

QVID ILLVD SIT IN MISSA, QVOD Pontificii propriè intelligunt sacrificium.

His ita remotis & sepositis, manifestum jam evadet, quid illud sit in actione Missę, de quo propriè & principaliter Pontificii dimicãt, quod sit sacrificium Missæ. Illud verò omnium clarissimè explicat & declarat Eccius, in primo lib. de Missa, cap. 10: Dicitur igitur ipsam celebrationẽ, dispensationem, & sumptionem Eucharistiæ, posse dici sacrificium: quia sit imago quędam repræsentativa passionis Christi, quę fuit vera immolatio, ficut Augustinus inquit: Solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt, Sed quia inde sequeretur, Missam non esse verè & propriè sacrificium, sicut homo pictus, non est verus homo, item non alia ratione Missa esset sacrificium, quàm figuræ veteris Testamenti, ideò Eccius dicit, Missam alio peculiari modo esse sacrificium: quia scilicet Ecclesia, non modo Eucharistia, in memoriam passionis utatur: sed quia tota actione gestuum, verborum, rituum & vestium in Missa repręsentet oblationem passionis Christi, & hac repræsentatione ipsum Christum denuo offerat, in odorem svavitatis Deo patri.

Eccius de Missa.

Et hanc sententiam Eccius declarat hac simi- *Similitudo Eccij.*
litudine. Si alicujus regis triumphus esset insculptus monetæ, pictus in pariete aut in statua, placeret quidem regi (& ita est celebratio Eucharistiæ.) At si ageretur corã eo totius historiæ procursus, & ita repręsentaretur ei per singulas partes, ac si realem ipsum exhiberent triumphum: quantum putas complacentiæ rex esset habiturus in illa repręsentatione, plus quàm in altera picta aut sculpta. Et talem vividam & solennem repræsentationẽ passionis Christi, dicit esse coram Deo sacrificium Missæ, in actione gestuum, verborum, rituum, vestium, &c. Missa enim, juxta Innocentium & Durandum in 4. consistit, in personis operibus, verbis & rebus. Personę, sunt celebrantes, ministrantes, & circumstantes. Opera, sunt gestus, actus & motus. Verba, sunt orationes, modulationes & lectiones. Res, sunt ornamenta, instrumenta & elementa. Sacrificium igitur missæ, de quo Pontificij dimicant, in eo consistit; quòd sacrificulus certis ornamentis & instrumentis, super panem & vinũ Eucharistiæ, variis utitur gestibus, moribus & actibus, ut sæpius geniculari, inclinari, strictis manibus modo distendere, modo reducere brachia, subinde se convertere, nunc esse clamosum, nunc magno silentio quædam demurmurare, suspicere in altum, esse pronum, consistere nõ uno loco, nunc in dextram, nunc in lævam partem altaris commigrare, micare digitis, inhalare in panem & calicem, ea tollere in sublime, postea reponere, panem frangere, & in calicem immittere, pectus ferire pugno, suspirare, clausis oculis repræsentare somnũ, rursus expergisci, patellam deauratam aversum extenso brachio demonstrare populo, admovere eam fronti atq; pectori, deosculari nunc altare, nunc imagunculam metallo inclusam, &c. Ita Sleidanus totum drama sacrificii missæ eleganti hypotyposi descripsit. His verò actibus,

Missa in quibus consistat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

actibus, moribus, gestibus & ritibus, additis conceptis verbis, de sacrificio, oblatione seu hostia, fingunt se corpus & sangvinem Christi, imò Christum ipsum filium Dei, denuò sacrificare & offerre Deo patri, per talem histrionicam sive comicam sive tragicam repræsentationem passionis Christi.

QVALE SACRIFICIVM PONTIFICII Missam intelligant.

Porrò monstrato eo, quòd in officio Missæ pro illo sacrificio habetur, de quo Pontificii tanquã pro aris & focis suis dimicant, videndũ jam est, pro quali sacrificio illud venditent, ita enim integrum statum hujus controversiæ habebimus. Memorabile autem est, & dignum observatione, quomodo nostro tempore quidam ex Pontificiis, sacrificium illud novis coloribus cœperint pingere. Vt Gropperus in institutione, & in antididagmate Colonien si, clamitat Papistis fieri infignem injuriam à nostris, quasi doceant, Missam esse propitiatorium sacrificium pro peccatis. Agnoscit enim & fatetur, clarissima verbi Dei luce convictus, unicum tantùm esse verum propitiatorium sacrificium pro peccatis: quod scilicet ipse filius Dei, traditione sui corporis, & effusione sui sangvinis, in ara crucis, semel in odorem svavitatis patri obtulit: Missæ verò sacrificium, esse repræsentativum, commemorativũ, & applicatorium sacrificium. Hoc artificium imitati sunt Vicelius, Sidonius, & architecti formulæ interreligionis. Ita autem illud explicant: Quia in Missa totius Evangelii summam, præcipuè verò de passione Christi, verbis, signis, ritibus, gestibus, ornamentis, vasis, vestibus, &c. proponatur, & sensibus quasi ingeratur: ideò Missam esse visibilem repræsentationem sacrificii Christi, per quam fidelibus memoria passionis Christi renovetur, ut excitentur ad fidem, devotionem, gratiarũ actionem, timorem Dei, dilectionem, &c. Ita enim Vicelius Missam definit, quòd sit sacrificium rememorationum, item laudis & gratiarum actionis. Et in examine Ordinandorum inquit: Missa est recordatio passionis Christi, in publico Christianorum cõventu, ubi à multis aguntur gratiæ ob precium redemptionis. Illud verò sacrificium, Gropperus dicit ita offerri Deo, & sisti in conspectum patris, quãdo fides de nostris meritis diffidens, precium redemptionis nostræ, corpus scilicet Christi pro nobis traditum, & sangvinem ejus pro nobis effusum, apprehendit, & Deo proponit, hoc est, inter iram ipsius, & peccata nostra interponit, ad consequendam remissionem peccatorũ, quam Christus in cruce promeruit & impetravit.

Missæ quale sit sacrificiũ secũdũ Gropperum.

Vicelius.

Applicatoriũ sacrificium quid.

Applicatorium sacrificium Missæ, ita declarat Gropperus, quòd in Missa totius propemodum Evangelii, præcipuè de passione Christi, summa ita proponatur, ut quisque propria fide sibi applicet, & particeps fiat remissionis peccatorum, incruento Christi sacrificio promeritæ. Et quia in Missa etjam orationis sacrificium offeratur, ut Deus omnes homines participes faciat redemptionis Christi, rectè etjam absentibus, & non communicantibus Missam applicari, σοφα νηδ'ιὰ φάρμακα. Senserũt enim, quàm crassæ abominationes hæreant in sacrificio Põtificiæ missæ: quia tamen illas taxare & damnare palã non audent, novis coloribus Missam palliatam in theatrum produxerunt, qualem nec docti, nec vulgus in regno Pontificio hactenus agnoverant. Et multa quidem de coloribus istis dici possent; sed ideò tantùm hæc recitavi, ut eò commodius ad constitutionem status perveniremus. Isti enim Pontificiæ Missæ incrustatores, de quibus jam diximus, obliquè & per indirectũ significare voluerunt, non pauca in Pontificia doctrina de Missa desiderari, quę ex verbo Dei reformanda essent: & viam aliquam monstrarunt. Quid verò Tridentina Synodus, quæ in sexta hac Sessione præfatur, de propulsandis erroribus atque haeresibus? Num consilium illud arripit, ut vel latrem de crassis abominationibus sacrificij Missæ, aliquid præcidatur? Nihil certè minus. Sed articuli qui de sacrificio Missæ, Theologis examinandi propositi sunt, ita conscripti fuerunt, ut quasi ex professo illis qualibuscunq; mitigationibus oppositi videantur. Primus enim articulus fuit: An Missa sit sola commemoratio sacrificii in cruce peracti, non autem verum sacrificium. 13. articulus: An Missa sit tantum sacrificium laudis & gratiarum actionis, non etjam sacrificium propitiatorium, tam pro vivis quàm pro defunctis. Et ipsa Synodus postea decernit cap. 2. sacrificium Missæ esse verè propitiatorium. Et 3. Canon inquit: Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis & gratiarũ actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, pro peccatis & vivorum & defunctorum offerendum, anathema sit. Manifestum est ex iis, quæ paulò ante diximus, quæ & quorum sententiæ in illo capitulo & canone damnentur. Gropperus in Colonien si antididagmate dixerat, Missam fortè appellari posse propitiatorium sacrificium, non quòd verè sit tale, sed quòd sit imago unici propitiatorii sacrificii, semel in cruce oblati: sicut veteris Testamẽti quædam sacrificia appellabantur propitiatoria, propter eà quòd unicum verum propitiatorium sacrificium Christi futurum figurabant. Sed huic mitigationi Tridentinum capitulũ opponit decretum, sacrificium Missæ esse verè propitiatorium. Adeò scilicet tenera & delicata est missa Pontificia, ut ferre non possit, si quis vel leviter attingat, vel mollissimè mitiget, etjam crassissimas abominationes.

Articuli de Missa Theologis examinãdi propositi.

Porrò non nudãtantùm appellationem propitiatorii sacrificii, Missæ attribuit synodus, sed addit prolixam explicationem illam scilicet missæ actionem, quæ panem & vinum Eucharistiæ, certis illis verbis, ritibus & gestib. tractat, sicut suprà diximus, esse tale propitiatorium sacrificiũ, quod offeratur pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, non tantùm fidelium vivorum, sed & pro defunctis. Item, per illud propitiatorium Missæ sacrificiũ fieri, ut si in pœnitentia cũ vera fide ad Deum accedamus, misericordiam cõsequamur, & gratiam invenia mus in auxilio opportuno: item oblationis sacrificii Missæ, placatus Dominus gratiã & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etjã ingentia

ingentia dimittit. Primum capitulum dicit, sacrificio Missæ repræsentari cruentum sacrificiũ Christi, semel in cruce peractũ, intelligit autem repræsentationẽ, sicut Eccius describit. Et talem mox dicit primũ capitulum, salutarem virtutẽ sacrificii crucis, applicari per propitiatoriũ sacrificium Missæ, in remissionem eorum peccatorũ, quæ à nobis quotidie committuntur. Et secundum capitulum dicit, fructus cruentæ oblationis Christi, uberrimè percipi, per propitiatoriũ Missæ sacrificium. Non igitur propositum fuit Tridentinæ Synodo, quicquam vel minimum, in receptis Missæ abominationibus vel mitigare, vel ad normã verbi Dei reformare. Sed damnatis illorum sententiis, qui in ipso Pontificiorũ finu, aliquid in perfvasione de sacrificio Missæ, sibi displicere mollissimè significarũt, simpliciter repetunt, cõfirmant & stabiliũt, quæcunque unquam à Pontificiis de sacrificio Missæ scripta & tradita fuerunt. Vt igitur Tridentina decreta de Missa plenius intelligantur, & status controversiæ clarissimè constituatur, traditiones quasdã Pontificiorum, de Missæ sacrificio annotabimus. Aliàs enim clamitant, multa in hac disputatione sibi tribui, quæ ipsi non agnoscant.

Canon Missæ.

Canon igitur dicit: Offerimus tibi hoc sacrificium pro redemptione animarum, pro spe salutis & incolumitatis: Hanc oblationem placatus accipias, diesq; nostros in pace tua disponas, atq; ab æterna nos damnatione eripi, & in electorum tuorum jubeas gregenumerari. Et tandem Canon ita concluditur: Hoc sacrificium quod obtuli, sit tibi acceptabile: mihiq; & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserãte propitiabile.

Cricio Polono illa secreta maximè probãtur: Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, & præsta, ut in conspectu tuo placens ascendat, & meã ac omnium fidelium salutem operetur æternam per eundem Christum Dominum nostrũ. Innocentius de officio Missæ, explicans illa verba Canonis, Pro redemptione animæ, pro spe salutis & incolumitatis: dicit sacrificium missæ offerri. 1. Pro bonis corporalibus, ut pro incolumitate. 2. Pro bonis spiritualibus, ut pro redemptione animę, quam interpretatur remissionem peccatorum. 3. Pro æternis bonis, ut pro salute.

Innocentius.

Item oblationem missæ, quæ in canone vocatur adscripta, rata & acceptabilis, Innocẽtius ita interpretatur: Adscripta, per quam nos Deus inter electos ascribat: rata, per quam ratum fit nostræ salutis promissum: acceptabilis, per quam nos Deus sibi reddat acceptos. Semper autem in animum revocandus est status controversiæ: Non communioni hæc tribui, sed sacrificio missæ. sicut illud ex Eccio suprà describimus.

Idem Innocentius, disputans de trina ablutione Sacerdotis in missa, dicit sacrificiũ missæ offerri ad purgationem & mundationem peccati originalis, criminalis & venialis. Item cogitationis, locutionis & actionis, vel peccati ignorantiæ, negligentiæ & contumaciæ. Et explicans particulam: Ite, missa est, inquit: Sacrificium illud vocatur missa, quasi hostia transmissa à nobis patri, ut intercedat pro nobis ad ipsum. Hæc enim sola sufficiens & idonea missio seu legatio est, ad solvendum inter Dominum & homines, inimicitias & offensas.

Thomas in opusculo de venerabili Sacramento altaris. Secunda, inquit, causa institutionis, est sacrificium altaris, contra quandam quotidianã delictorum nostrorum rapinam, ut sicut corpus Domini semel oblatum est in cruce, pro debito originali, sic offeratur jugiter, pro nostris quotidianis delictis in altari, & habeat in hoc Ecclesia munus ad placandum sibi Deum, super omnia legis sacrificia, precio sum & acceptum. *Thomas.*

Gabriel Biel dicit, sacrificium missæ à sacrificio Christi in cruce, tantùm differre modo oblationis incruento. Idem verò esse substantia & similium effectuum operativum, seu eundem esse finem sacrificii Christi in cruce, & in altari, placationem scilicet offensæ patris, & impetrationem salutis æternæ. Et addit: Quicquid salvator noster meruit, se offerens in cruce, pro omnibus generaliter, tàm in remotione mali, quàm in collatione boni, viatoribus, purgandis & beatis: hoc sacrificio missæ applicatur particulariter singulis. Tradit etjam, sacrificulũ per missam posse applicare virtutem passionis Christi, quibus velit, generalissimè Ecclesiæ catholicæ, specialissimè sacrificulo, specialiter fundatori, & cujus nomine missa peragitur. Et in Epitome sua dicit, sacerdotem in missa coram Christo supremo Iudice, tanquam mediatorem causam nostram inter sponsum & sponsam, hoc est, inter Christum & Ecclesiam agere: & impetrare Ecclesię, oratione & sacrificio suo, multa dona corporalia, spiritualia & æterna. *Gabriel Biel.*

Eccius de missa libro primo, cap. 16. In missa offerimus Deo patri Eucharistiam, non tantùm sicut donum Dominicæ passionis memoriale, sed etjam sicut munus Deo acceptissimum, quo & Deum valeamus placare super offensis, & gratiam ejus cum spiritualibus bonis reportare. Item, Ex missæ sacrificio, fideles Ecclesiæ fiunt participes multiplicium fructuum Dominicæ passionis. Nam sicut gratiæ & merita Salvatoris applicantur fidelibus per applicationem Sacramentorum, ita merita & fructus oblationis Dominicæ, applicantur fidelibus, per hujusmodi actionem repræsentationis in sacrificio missæ. Item: Per sacrificium missæ, effectus passionis Christi ad fideles influunt, perveniunt, & in eos descendunt. Et in fine 3. libri dicit: Per sacrificiũ missæ, & vivis & mortuis in variis necessitatibus subvenitur. *Eccius.*

Doctor quidã Sorbonicus, recens edidit prolixum commentum de missa, ubi in principio statum disputationis ita format, in missa sacrificandum esse Deo, non tantùm actu interiori, sed & exteriori: nec tantùm sacrificio Eucharistico, sed & propitiatorio. Et ponit definitionem: Sacrificium propitiatorium, seu expiatorium, est oblatio Deo facta, pro peccatorum expiatione, & Dei gratia, seu remissione peccatorum consequenda. *Doctor quidam Sorbonicus de Missa.*

Lindanus libro quarto Panopliæ, capite 46. ait: Missam esse proprii nominis sacrificium, non modo Eucharisticum aut commemorativum, sed etjam propitiatorium: & hoc tàm pro mortuorum quàm pro vivorum delendis peccatis, imò *Lindanus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

imò pro qualibet adeò Christiani populi necessitate. Et cap. 50. dicit, Missam esse sacrificiū propitiatorium, tam pro mortuis, quàm pro vivis, veramq; pro peccatis hostiam, pro impetrandis denicq; cujusq; generis à Deo beneficiis, tàm corporalibus quàm spiritualibus.

Et capite quinquagesimo primo inquit, sacrificium Missæ esse applicationem effusi in cruce sangvinis, & illam applicationem per sacrificium Missæ, facere nos participes redemptionis Christi.

Cap. 52. Ecclesia per quotidianum sacrificium Missę, haurit ex fonte Dominicę passionis, Christi merita, & ipsam tandem propitiationem. Et cap. 53. hoc ita explicat: Si scilicet quis propria fide expetat, desideret & procuret pro se celebrari sacrificium Missæ.

Hic igitur est verus status controversiæ de sacrificio Missæ, quem non meis, sed ipsorum pontificiorum verbis exposui, ne quis existimet talia ad prægravandos aduersarios, à nobis fingi, & invidiosis verbis exaggerari.

Iam verò statu disputationis constituto & explicato, multò facilior erit ratio examinis: qualia sint, quantum valeant, & quid efficiant argumenta illa, quæ ad extruendum, confirmandum & stabiliendum sacrificium Missæ, à Pontificiis produci solent. Et cùm illa argumenta multa & varia sint, operæ precium observare, quomodo Tridentinum Concilium habito quasi inter militares copias delectu, plerisque rejectis, pauca quædam, quæ fortissima & firmissima judicata fuerunt, retinuerit. ut res missaria verè ad Trianios jam rediisse videri possit. Quia verò non parum utilitatis habet illa collatio, priusquam ad Tridentina argumenta accedamus paucis annotabo, quàm infirma inepta & peregrina sint pleraque argumenta, quibus hactenus Pontificii Scriptores, tanquam validissimis fundamentis & columnis, structuram sacrificij Missæ Pontificiæ impositam commiserunt. Id quod ipsum Concilium Tridentinum, suo delectu non dissimulat. Sed brevitatis gratia, argumenta illa non prolixè explicabimus, sed ordine recensebimus tantùm.

ARGVMENTA SCRIPTORVM Pontificiorum, pro Missa.

Schatzgeyer. 1. Schatzgeyer, hoc est, Thesauravidus, fatali nomine exprimens ingeniū patronorum Pontificiæ Missæ, hoc argumento usus fuit, Isaiæ 53. de Christo dicitur: Oblatus est, quia ipse voluit. Hoc non potest intelligi de Iudæis crucifigentibus Christum. Illi enim habuerunt non offerendi, sed perdendi intentionem. Nec intelligi potest de ipso Christo, offerente se in arca crucis, dicitur enim ab Isaia, Oblatus est, scilicet non per seipsum, sed per alios. Ergo de sacrificio Missæ, ubi Christus per Sacerdotem offeratur patri, intelligenda est illa sententia, quæ simul affirmat Christum velle talem oblationem, inquit enim: Oblatus est, quia voluit, Sed hoc argumentum ipsi etjam Eccio improbatur. Nam Hebræ. 9. de oblatione Christi in cruce, etjā passivè dicitur, Semel oblatus est. Et Isaias in sua lingva sententiam illam, Oblatus est, quia voluit, planè non habet, sed inquit: Mulctatus & afflictus est. Et forsan fato quodam locus ille Isaiæ, ad sacrificiū Missæ accōmodatus fuit, ut ostenderetur, quòd Pontificia Missa sit mulctatio & afflictio Christi, quantum quidem in sacrificulis.

2. Inter principia hujus controversiæ, non postremum fuit & hoc argumentum, Hebr. 10. Voluntariè peccantibus non relinquitur amplius hostia pro peccato. Ergo pro quotidianis delictis amplius, hoc est, post sacrificium crucis, reliqua est hostia pro peccato. Illa verò nulla alia esse potest, quàm sacrificium Missæ. Sed & hoc argumentum tale est, quod ab ipso Eccio repudiatur.

Monachus Augustanus. 3. Monachus Augustanus sacrificium Missæ probat ex 7. Danielis: Angeli in nubibus cœli, filium hominis obtulerunt in conspectum antiqui dierum. Ergo quando Christus in Missa à Sacerdote sacrificatur, tunc simul etjam in nubibus cœli, ab ipsis Angelis sacrificatur. Et ideò Ca non dicit: Iube hæc perferri per manum sancti Angeli, in conspectum majestatis tuæ. Sed quia manifesta est depravatio sententiæ Danielis, ne ipsis quidem Pontificiis argumentum hoc probatur. Daniel enim ibi loquitur, quomodo pater filio mediatori, omnia dederit in manum, Ioannis 3. dederit nomen super omne nomen, Phil. secundo, potestatem Iudicium facere, Ioan. 5. Regnum David, Luc. 1. &c. Verbum verò quo Daniel ibi utitur, aliquando sanè de sacrificiis usurpatur, sed plerunq; significat appropinquare, deferre, adducere. Et sacrificandi significatio, prorsus non convenit illi loco Danielis.

Eccius. 4. Eccius inter cætera etjam hoc argumento uticur. Psalm. 71. Hieronymus ita reddidit: Erit memorabile triticum in terra, in capite montiū elevabitur. Et Rabi Solomon explicat illum versum Psalmi, de genere placentarū in diebus Messiæ. Ergo David vaticinatur ibi de sacrificio Missæ Pontificiæ, ubi super rasos sacrificulorum vertices, panis azymus elevetur. Risum quæso teneatis amici, quòd tam arduis fundamentis Pontificia Missa niti ostendatur.

5. Hebr. 13. dicit Apostolus, nos in novo Testamēto habere altare, quod vocat θυσιαστήριον, à sacrificiis, quasi dicas, sacrificatorium. Ergo oportet in novo Testamento esse aliquod externum & ceremoniale sacrificium. Et nullum aliud inveniri potest, quàm sacrificium Missæ. Huic argumento Eccius valdè multum tribuit. Sed eadem ratione cōsequentiæ, idem sacrificium etjam in cœlo instituendum esset. Nam & ibi Apocalypsis in multis locis narrat esse θυσιαστήριον, cap. 6. 8. 9. 11. 14. 16. &c. Ipse verò textus Hebr. 13. disertè postea explicat, quæ sacrificia intelligat, scilicet laudis, gratiarum actionis, & beneficentiæ. Et altare interpretatur, quòd per Christum tales hostias Deo placentes offeramus. Quale igitur artificium est, contra manifestam ipsius textus declarationem, peregrinam & falsam sententiā, verbis Apostoli affingere?

6. Danielis capite octavo & undecimo, dicitur de Antichristo, quòd aufert juge sacrificium. Illud verò non potest intelligi de orationibus, & aliis spiritualibus sacrificiis, quæ per externam vim

vim piis auferri non possunt, imò ardentiores fiunt orationes in persecutione. Ergo de Missæ sacrificio intelligendum est, quod in novo Testamento Antichristus inveniet. Et qui abrogant sacrificium Missæ, illos Daniel pronunciat esse ministros Antichristi.

Valdè sanè ampla, liberalis & larga est hæc cōsequentia. Certum est, Danielem ibi propriè loqui de impia & scelerata tyrannide Antiochi. Et Chrysostomus oratione secunda adversus Iudæos, refert vaticinium illud ad tempora Antiochi: & hujus rei testem citat Iosephum. Antiochus verò non tantùm illud juge sacrificium abstulit, quod describitur Exod. 29. & Num. 28. sed totum cultum Leviticum in Ethnicas superstitiones commutavit: sicut Machabæorum historia ostendit. Illud verò totum Daniel per synecdochen jugis sacrificii complectitur. Quando igitur locus ille Danielis, de Antichristo explicatur, illud fit per allegoriam. Et notum est, ex allegoriis non esse facienda dogmata, quæ non habent certa, firma, & perspicua testimonia in aliis Scripturæ locis. Nihil aliud igitur ex illo loco Danielis confici potest, quàm in novo Testamento futurū sacrificiū, quod ablaturus sit Antichristus. Et scripturam aliquot genera sacrificiorum novi Testamenti expresè enumerare, suprà ostensum est. Quæ verò audacia est, præteritis illis novi Testamenti sacrificiis, quę Scriptura diserte exprimit, locum Danielis, qui in genere de sacrificio loqnitur, de Missa exponere, quā Scriptura nec ponit, nec exprimit, quando sacrificia novi Testamenti enumerat. Multò verò certior explicatio, quæ sacrificia, & quomodo ablaturus sit Antichristus, ex ipsa scriptura novi Testamenti sumi potest, secunda Thessalonicens. secundo, 1. Timoth. 4. 1. Iohannis 2. & in Apocalypsi. Per falsam enim doctrinam, per peregrinos, electitios & impios cultus obscurabit, depravabit, & auferet puritatem ministerii verbi, Sacramentorum, & cultus divini. Hæc verò propriè per Antichristum Romanæ sedis impleta sunt, sicut à multis perspicuè ostensum est. Nobis hoc loco sufficit monstrasse, locum illum Danielis, nihil quicquam patrocinari sacrificio Pontificio missæ. Nam primò propriè loquitur de Antiocho, per allegoriam verò transfertur ad Antichristum. 2. In genere loquitur de sacrificio, rectè igitur intelligitur de sacrificiis, quæ expresè in novo Testamento nominantur. 3. Et ne quid relinquatur dubii, ipsa Scriptura novi Testamenti explicat, quæ sacrificia, & quomodo Antichristus in Ecclesia sit ablaturus. Et propter hāc causam concilium Tridentinum, patrocinio illius loci apud Danielem, noluit uti. Nec quòd Daniel. 12. ablatio jugis sacrificii, cùm posita abominatione desolationis conjungitur, quicquā pro Missæ sacrificio facit. Intelligitur enim de abrogatione cultus Levitici.

7. Eccius ostentaturus cognitionē Hebrææ lingvæ, philosophatur de cognatione vocabuli Missa, & מנחה. Et ubicunq; in veteri Testamento nominatur Mincha, fingit stabiliri sacrificium Missæ Pontificiæ. Et ubi Levit. 21. & Num. 28. dicitur de sacrificio panis Dei: Eccius לחם interpretatur carnem Dei. Et ex Rabinis testimonia multa allegat, de sacrificio panis & vini, tempore Messiæ. Sed hæc non tantùm ridentur ab Hebraicæ peritis, sed & ipsi Pontificii argumentis illis uti verentur.

8. In Tridentino Concilio, in disputationibus Theologorum, quarum aliquas scripto notatas vidi, crebrò à multis repetitum fuit hoc argumentū. Christus in institutione cœnæ, verba quæ extra controversiam de sacrificio loquuntur, ponit non in futuro tempore, Tradetur, effundetur: sed in præsenti: Pro vobis traditur & effunditur. Ergo Christus non tantùm in cruce, verumetjam in cœna Dominica sacrificavit corpus & sangvinem suum. Arrisit primò hoc argumentum multis. Ita enim non ex peregrinis Scripturæ sententiis, sed ex ipsa institutione cœnæ, tanquam ex propria sede, videretur probari posse sacrificium Missæ, hoc enim quod Christus in cœna illa fecit, postmodum faciendum mandavit. Sed cum argumentum hoc aliquanto diligentius examinaretur, deprehensum tandem est illud nō tantùm non posse Pontificiam Missam, gladio spiritus quassatam & dejectam, vel sublevare, vel stabilire, sed ne per se quidem consistere posse: idq; propter multas rationes. Primò, quia si illa essent substantialia verba sacrificij Missæ, magnum scelus impingeretur ipsi Canoni, qui in prima parte institutiōis, prorsus omittit illa verba: Quod pro vobis traditur. In altera verò parte, Canon habet non præsens, sed futurum tempus, Effundetur. Nervus igitur hujus argumenti, cui quidam multum tribuerunt, nō tātùm incisus, sed prorsus excisus est, per ipsum Canonem Missæ. Secundò, Quomodo sacrificium Missæ potest incruentum dici, si in ejus oblatione in prima cœna, in præsenti facta sit effusio sangvinis. Tertiò, vbi & quando corpus Christi pro nobis ad redemptionem sit traditum, & sangvis ipsius in remissionem peccatorum effusus, Christianæ fidei non est ignotum. Scriptura enim in valdè multis sententiis declarat in passione & morte Christi hoc esse factum. Quartò, Nec præsentis temporis usurpatio, hoc quod isti volunt efficit. Vsitata enim & nota est enallage temporum in Scriptura, non tantùm præsentis, sed & præteriti pro futuro, propter certitudinem: Puer natus est nobis: Agnus occisus est ab origine mundi: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: Ego pono animam meam pro ovibus meis. Et in cœna Christus per præsens tempus locutus est, erat enim tunc in ipso actu passionis, quæ consummata postea est in cruce. Ita die palmarum, inquit Ioannis capite duodecimo: Veni in hanc horā, nunc judicium est mundi. Post cœnam dicit, Ioannis decimoquarto: Venit princeps mundi. Sicut mandatū dedit mihi pater, ita facio. Ioannis cap. 17. Iam non sum in mundo, nunc ad te venio. Sanctifico me pro eis,

9. Monachus Augustanus inquit: Christus in cœna sumens panem in manus, elevatis oculis in cœlum ad patrem, gratias egit. Ergò sacrificavit ibi corpus & sangvinem suum patri. Ratio consequentiæ est, quia תרומה in lege vocabatur oblatio, quæ inter offerendum in altum elevabatur. Sed nullibi legitur, Christum acceptum

Universidad de Deusto
Biblioteca

panem & calicem, in altum elevasse: Imò de sublatis in cœlum oculis, nec Evangelistæ, nec Paulus quicquã meminerunt, sed Canonis hæc additio est. Et ut maximè hoc concedatur, non statim ideò sacrificiũ inde excudetur. Nam & Christus quinque illos panes, & duos pisces benedicens, aspexit in cœlum. Idem fecit in resuscitatione Lazari, & cùm sanaret mutum & surdũ. Quin igitur & inde fabricemus sacrificia, si tantùm valet sublatio oculorum in cœlum.

ARGVMENTA TRIDENTINÆ Synodi pro Missa.

Talia pro defensione sacrificii Pontificiæ Missæ, à multis seriò & magno conatu disputata, è Pontificia Ecclesia singulari applausu excepta, nostris opposita, & rudioribus tanquam indubitata & immota fundamenta proposita hactenus fuerunt. Sed Tridentinum Concilium, vel invitum agnoscens qualia sint, ne verbo quidem eorum mentionem facit. Illis igitur tanquam inter lixas & calones rejectis, propugnationem Missæ ad triarios reducunt, selectis & in aciem productis, certis quibusdam argumentis, quę sine dubio judicarunt esse validissima & firmissima. Illa igitur argumenta quæ Tridentinũ Concilium ad probandũ, confirmandũ & stabiliendum sacrificium Missæ producit, primò evolvemus: sæpè enim juxta artificium rhetorum, uno atq; altero verbo integrum argumentũ complectuntur, deinde evoluta examinabimus, quid efficiant, & quantũ valeant. Compendiaria autem simplex & certissima erit ratio explicationis, si omnia argumenta ad statum controversiæ referantur & applicentur. Hoc enim est, quod singula argumenta, certò, firmiter & perspicuè probare & efficere debent. 1. Corpus & sangvinem Christi in cœna Dominica, tractandum esse histrionica illa repræsentatione verbis, ritibus gestibus, actibus, sicut Missa Pontificia facit. 2. Talem repræsentationem esse sacrificium à Christo institutum, & Deo patri acceptissimum. 3. Esse sacrificium propitiatorium, ad expianda delenda peccata, ad consequendã remissionem peccatorũ, ad impetranda omnis generis à Deo beneficia, & tandem pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus vivorũ & mortuorum. 4. Per illud sacrificium applicari merita passionis Christi, si quis curet pro se celebrari Missam, imò præsentibus, absentibus, vivis & mortuis quibuscunq; sacrificulus illud voluerit applicationes sua communicare. Hæc debet in singulis argumentis conclusio esse, ex bona certa, firma & manifesta ratione consequentiæ.

Argum. Tridentin. pro Missa.

Quòd si omnib. & singulis illis argumentis hoc non conficiatur, judiciũ facilè erit, quid de Tridentina Pontificiæ Missæ meditatione sentiendum & statuendum sit, ordine igitur argumenta recensebimus.

I. Argumentum eiusq; refutatio.

1. Sacerdotium requirit sacrificium, Christi verò Sacerdotium morte ipsius non erat extingvendum. est enim perpetuum, Psal. 110. Ergo non tantùm semel in cruce se debuit offerre, sed instituere sacrificium Missæ, ubi sæpius & quotidie pro vivis & pro mortuis offertur Deo Patri, ut hoc modo sit Sacerdos in æternum.

Respondeo: Si absque Scripturæ luce, ex consequentiis juxta nostram rationem judicandum esset, aliquid valeret & efficeret hoc argumentum. Sed Scriptura hujus argumenti perspicuã explicationem, quasi ex professo tradit in Epistola ad Hebræos, quæ scilicet sit hostia Sacerdotii Christi, quomodo, quando, quoties & à quo oblata sit. Et quidem perpetuitatem Sacerdotii Christi, data opera & disertè describit: idq; negativè & affirmativè. Disertè enim dicit, Christum non ideò esse Sacerdotem in æternum, ut sæpius seipsum offerat: semel enim & unica oblatione, vt Pontifex ingressus est in sancta, Hebr. 9. item cap. 7. Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, qui non haberet necessitatem, quotidie pro peccatis populi offerre: hoc enim fecit semel se offerendo. Et quidem fundamentum ibi ponitur, oblationem Christi repeti non posse, nisi negetur id, quod semel factum est, fuisse perfectum & consummatum, quia repetitio sacrificij sit signum imbecillitatis & sacerdotis, & sacerdotii sacrificii. Sed quomodo sacerdotium Christi potest perpetuum esse, si semel tantùm, unica oblatione, ut Pontifex, sacerdotij sui sacrificium perfecit & consummavit.

Epist. ad Hebræos de Sacerdotio Christi.

Hoc verò Epistola ad Hebræos dilucidè explicat monstratis multis rationibus, ut cap. 7. Eo quòd in æternum maneat, sempiternum habet Sacerdotium: quia filius est in æternum perfectus. Sed quæ sunt sacerdotalia munera quæ exercet, post cõsummatam unicam crucis oblationem? Num verò, ut sæpius & quotidie se offerat pro peccatis populi? Nequaquã inquit, sed quia salvare in perpetuũ potest accedentes per ipsum ad Deum, semper vivens ad hoc, ut interpellet pro nobis Et capite nono: Christus Pontifex futurorum bonorum, per proprium sangvinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa: Item, Introivit in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, non ut sæpius offerat seipsum, cap. 10. Pontifex Leviticus eadem hostias sæpius & indesinenter offert, sed Christus, una pro peccatis oblata hostia, in sempiternum sedet ad dexteram Dei, de cætero expectans, donec ponuntur inimici scabellum pedum ejus. Vnica enim oblatione consummavit in sempiternum, eos, qui sanctificantur. Habentes igitur sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, asperti corda, &c.

Hæc manifesta sunt, ut non opus sit pleniori vel explicatione, vel refutatione hujus primi argumẽti. Neq; enim, quia Christi sacerdotiũ sempiternũ est, inde efficitur, Christum ideò sæpius & quotidie sacrificandum esse patri, pro vivis & mortuis. Spiritus sanctus enim, propter rationes longè alias tradit sacerdotiũ Christi perpetuum esse, quia scilicet, 1. sacerdos in æternum vivat. 2. quia virtus unicæ oblationis ipsius in sempiternum duret, & efficax sit. 3. quia semper vivat, ad hoc ut apparens vultui Dei pro nobis, intercedat pro nobis. 4. quia per ipsum, ut Sacerdotem magnũ, habeamus accessum ad patrem. 5. quia in perpetuum salvare potest, & salvat, qui per ipsum ad Deũ accedunt. Ex ipsa igitur Scriptura

ptura perspicuè ostenditur, nullam prorsus esse rationem consequentiæ in primo hoc Tridentino argumento, imò si referatur ad statum controversiæ, de sacrificio propitiatorio, manifestũ erit, conclusionem argumenti, ut scilicet Christus in Missa quotidie offeratur, pro peccatis vivorum & mortuorum, ex diametro pugnare cũ expressa, & sæpius repetita verbi Dei sententia, ad Hebr. 7. & 10. Et hæc forsan causa est, quòd argumentum illud in 1. cap. non integrum in sua forma proponitur, sed breviter tantùm attingitur, & cumulatis aliis rationibus sophistico artificio involvitur.

II. Argum. Pontificiorũ.

2. Hominum natura exigit visibile sacrificium. Ergo Christus instituit histrionicam illam repræsentationẽ passionis suæ in Missa. Hoc argumentum alii Põtificij Scriptores, clarius hoc modo formant & proponunt: omnibus scilicet gentibus à natura hoc dictari, ut in religionibus suis visibili aliquo sacrificio utantur, ad impetrandam & promerendam Dei gratiam, pro donis hujus vitæ, & pro salute æterna. Christum igitur à lege naturæ admonitum, instituisse Missæ sacrificium. Sed facilima est hujus argumenti refutatio. In causis enim religionis & fidei, non est judicandum aut aliquid statuendum ex eo, quod natura peccato excæcata & depravata dictat, hic enim fons, & hæc origo est omniũ superstitionum, & totius idolatrici cultus. Sed lucerna pedibus meis, est verbum tuum, Psalm. 119. Et Canon seu regula fidei est, non dictamen corruptæ naturæ, sed sonus Apostolorum. Psalmo decimo nono, & quidem ratio captivanda est, in obsequium verbi, secunda Corinthiorum decimo. Quòd si Tridentinum capitulum dixerit, se hoc tantùm velle, imbecillitatem naturæ nostræ non posse aliter ad Deum sublevari, nisi visibile aliquod sacrificium habeat: respõdeo simplicissimè: Quid utile & necessarium sit ad sublevandam & restaurandam infirmam & corruptam nostram naturam, nõ aliunde quàm ex Medici nostri præscripto & ordinatione judicandum.

Refutatio.

III. Argum.

3. Certum est, Christum in ultima cœna instituisse memoriam cruenti sui sacrificii, quæ in finem usque seculi permaneret. Item, non est dubium Christum cœnam suam instituisse, ut virtus passionis suæ in remissionem peccatorũ fidelibus applicaretur. Iam Pontificii dicunt, sacrificium Missæ suæ esse repræsentativum & applicatorium. Ergo Christus in ultima cœna instituit sacrificium Pontificiæ Missæ.

Respondeo: Referatur hoc argumentum ad statum controversiæ, an scilicet Christus in ultima cœna instituerit memoriam suę passionis debere in Ecclesia fieri, per histrionicam illam repræsentationem rituum, gestuum, & actionum in Missa Pontificia. Item: an Christus ordinaverit & promiserit, si quis procuret pro se fieri talẽ Pontificiã repræsentationem, quòd tunc & per hoc opus ipsi applicetur virtus passionis Christi, ad remissionem peccatorum. Nihil certè horum, in institutione cœnæ Dominicæ ostendi aut deprehendi potest: imò Christus in cœna sua non tantùm in genere instituit memoriã & applicationem passionis suæ, ita ut humanis constitutionibus cõmiserit, quomodo & qua ratione fieri debeat illa commemoratio: sed expressit & præscripsit, ut memoria passionis suæ in cœna Dominica celebretur gratiarum actione, dispensatione, manducatione & potatione corporis & sangvinis, item annunciatione mortis suæ. Ita etiam modum applicationis in cœna definivit & præscripsit, quod scilicet ipse Christus in cœna sua, per ministerium, verbo & dispensatione corporis sui & sangvinis sui, sub pane & vino credentibus velit applicare virtutem passionis suę: utiq; fideles in usu cœnæ, sumptione corporis & sangvinis Christi, vera fide sibi applicent merita & beneficia passionis. Quia igitur institutio cœnæ Dominicæ, nihil habet de repræsentatione & applicatione Pontificiæ Missæ, eo modo, sicut in constitutione status hujus disputationis dictum est: definit autem, & præscribit alium certum modum & commemorationis, & applicationis: tertium igitur Tridentinum argumentum, nihil prorsus efficit ad stabiliendum sacrificium Pontificiæ missæ. Imò quia institutio illa Christi, forma testamẽti tradita est: & scelus est, vel hominis testamento aliquid superordinare: manifestum igitur est, conclusionem tertii hujus argumenti, in ipsam testamentariam filii Dei institutionem impingere: eò quòd fingat & instituat aliam commemorationem & applicationem, quàm quæ in verbis institutionis à Christo tradita & præscripta est.

IIII. Argum.

4. Quartum argumentum tale est, in quo cardo totius Pontificiæ missæ ita vertitur, ut nisi hoc argumento probetur & stabiliatur, actum & conclamatum sit: An scilicet Christus in ultima cœna, corpus & sangvinem suum, non tantùm discipulis dederit, verumetiam sub speciebus panis & vini, Deo patri obtulerit. Agnoscũt enim, si Christus in cœna non obtulit corpus & sangvinem suum Deo patri, missæ Pontificiæ sacrificium non posse aliud esse, quàm figmentum & abominationem. Si verò monstrari posset, Christum in cœna se obtulisse patri, ultro sequeretur, ex mandato Christi illud porrò usque ad consummationem seculi, in Ecclesia fieri debere.

Variis igitur artificiis tentatum fuit, ut hoc probaretur, vel ex elevatione oculorum Christi in cœlum, vel ex præsenti tempore, Traditur, effunditur: vel ex verbo: Facite, quia scilicet Virgilius dicat: Cùm faciam vitulam.
Sed Tridentinum Concilium deprehendit, illas probationes nõ posse hoc, quod in controversia positum est, certò, perspicuè & firmiter demonstrare: quòd scilicet Christus in ultima cœna, corpus & sangvinem suum obtulerit Deo patri. Ad extremum igitur decurrunt præsidium, & unicam hujus quæstionis demonstrationem proferunt: cui tantùm etjam tribuunt, quòd bis eam repetunt. Si ergo Tridentina hæc demonstratio non satis evidenter, certò & firmiter probaverit, quòd Christus in cœna se obtulerit patri: vacillabit, nutabit & concidet totum sacrificiũ Pontificiæ missæ. Ita autem se habet Tridentina demonstratio. Figuram Melchisedech oportuit in veritate impleri, in Sacerdotio Christi: est enim Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Melchisedech obtulit Deo patri panem & vinũ. Ergo oportuit & Christũ offerre Deo patri, non tantùm panem & vinum, sed ut veritas figuram impleret, sub speciebus panis & vini, corpus & sangvinem suum. Illud verò non alibi, quàm in cœna fieri potuit.

Ardua, & de re magna quæstio est. Illa enim quæ in novo Testamento legimus Christum in cœna sua fecisse, prorsus nihil ad sacrificij rationem, vel speciem aliqua alludunt. Accepit siquidem panem, gratias egit, fregit, dedit discipulis, iussit accipere, manducare, dixit: Hoc est corpus meum. Item: Accepit calicem, dedit illis, iussit ut biberent, dixit: Hic est sangvis meus. Et hoc mãdavit fieri in sui commemorationem. Nihil ibi vel legimus vel audimus, quòd Christus in ultima cœna corpus & sangvinem suum sacrificaverit Deo patri, pro vivis & mortuis. Valdè fortem igitur oportet esse demonstrationem, quæ persvadeat, Christum in cœna sua hoc fecisse, cujus nullum vestigium in descriptione cœnæ Dominicæ in novo Testamento apparet. Sed inquis, Nonne omni demonstratione certius est, Christum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Est omnino: Scriptura enim hoc affirmat, Psalm. 110. Hebræorũ 9. & 10. Sed controversia est, non de hac propositione, sed de illis, quæ attexuntur. 1. An Melchisedech sacrificaverit Deo patri panem & vinum in illa historia, quæ Genesis 14. describitur. 2. An sacerdotium Christi, secundum ordinem Melchisedech, in eo consistat, quòd in cœna corpus & sangvinem suum, sub speciebus panis & vini sacrificarit patri. Vetus quidem translatio habet, Melchisedech obtulit panem & vinum, erat enim Sacerdos altissimi, sed Moses ita non scripsit. Vtitur enim non verbo sacrificatorio, sed inquit הוֹצִיא, quod simpliciter significat depromere, producere. Ita educitur gladius, Ezechiel. 21. educuntur venti, Psalm. 135. producuntur pediculi. Exodi 8. educitur aqua de Petra, Nume. 30. coquitur farina quam ex Ægypto exportarant, &c. Accedit, quod nec Chaldæus paraphrastes, nec Græci interpretes sententiam illam reddiderunt per verbũ sacrificandi, sed per simplex verbum educere, seu proferre, Iosephus interpretatur Melchisedechum ad refectionem exercitus Abrahæ protulisse panem & vinum. Chrysostomus explicat istum locum de prolato, non de oblato pane & vino, Veteres etjam Latini patres, in textu illius loci non legunt, Obtulit: sed, Protulit panem & vinum, sicut ex Cypriano constat. Neq; hoc habet Moses. Erat enim Sacerdos, ideò obtulit panem & vinum: sed bis repetit copulam: Et erat Sacerdos, & benedixit. Græci etjam interpretes nõ habent particulam γὰρ: sed δέ. Erat verò Sacerdos, & benedixit, ut sententia ita distribuatur: Quia Rex erat, ideò protulit panem & vinũ, quia Sacerdos erat, ideò benedixit. Iam consideretur Tridentinũ argumentum. Volunt probare, quod Scriptura novi Testamenti non habet, Christum scilicet in cœna se obtulisse Deo patri. Quomodo verò illud probant? Quia Melchisedech, ajunt, obtulit Deo panem & vinum. Atqui hoc Scriptura non dicit, sicut ostensum est. Qualis igitur in re tam ardua & seria, argumentatio est? Sed excipiunt: Licet verba Mosis hoc non exprimant, fieri tamen potuit, quòd sacrificarit panem & vinum. Veteres enim plerunque, non nisi facta re divina, ad solennas epulas accedebãt. Vicelius dicit: Quia Moses nõ exprimit, cui Melchisedech protulerit panem & vinum, potest igitur intelligi, quòd non Abrahæ ad refectionem, sed Deo ad rem divinam faciendam protulerit. Nos verò non disputamus, quomodo vel hic vel ille locũ Mosis interpretari, vel quid de sententia suspicari aut fingere, sive velit sive possit, sed quæstio est, quid Moses scribat, quid Scriptura dicat. Illud enim universaliter valet, cùm in tota Scriptura, tum verò præcipuè in historia Melchisedechi, quatenus est typus Christi. Quis enim tacente Mose, non colligeret, Melchisedechum, quia non Deus, nec Angelus, sed homo fuit, habuisse patrem, matrem, principium dierum, & finem vitæ? Atqui in historia Melchisedech, quatenus est typus Sacerdotii Christi, ea tantùm quæ expressè in Scriptura ponuntur, consectanda esse, Scriptura ostendit, ita ut in typo Sacerdotii Christi, affirmat Melchisedechum fuisse sine patre, matre, principio dierum, & fine vitæ, propterea quòd Moses illa expressè non ponat, qui ideò hæc omisit, ut ipsa omissio serviret typo Sacerdotii Christi, juxta ordinem Melchisedech. Hæc contra omnes cavillationes sunt firmissima. Deinde etjam concederetur, Melchisedechum obtulisse panem & vinũ, scimus tamen, ex figuris non esse fabricanda dogmata, sine certa & manifesta Scripturæ explicatione. Psalmus igitur 110. affirmat, Christum esse Sacerdotem, secundum ordinem Melchisedech. Quomodo verò, & qua in re conveniant Sacerdotiũ Christi & Melchisedech, non explicat. Illud verò Epistola ad Hebræos ex professo sumit declarandum, prolixa & justa explicatione. Sed cũ multas partes collationis Sacerdotii Melchisedech & Christi recitet & explicet, nullam prorsus mentionem facit oblationis panis & vini, aut quòd illam Christus impleverit in cœna, offerendo corpus & sangvinem suum patri. Nec valet quod Osius dicit, Apostolum illam partem collationis omisisse, propterea quòd mysteria Sacramentorum rudibus & nondum initiatis, quibus Epistolam illam scripserit, noluerit pandere. Nam capit. sexto dicit: Intermittentes sermonem inchoationis, ad perfectionem feramur. Postremò typus Sacerdotii Melchisedech, consistit in iis, quæ non communia habet cum Sacerdotio Aaronico, sed in quibus discernũtur Melchisedech & Aaron. Sed sacrificium panis & vini quotidianum fuit in sacerdotio Aaronico, Exod. 29. Numer. vicesimo octavo. Quomodo igitur consisteret, Christi sacerdotium esse, non secundum ordinem Aaron, sed Melchisedech, si sacrificiũ panis & vini, præcipuum, atq; adeò totum esset in sacerdotio Christi?

Disputatio de vero intellectu loci, Genes. 14.

Chrysostomi explicatio.

Vicelius.

Epist. ad Hebræos nõ meminit, Christum in cœna panem & vinũ obtulisse.

Certò igitur, firmiter & evidenter demonstratum est, figuram Melchisedech, quatenus illa in Scriptura ponitur & explicatur, nequaquã efficere & probare, quòd Christus in cœna corpus & sangvinem suum Deo patri obtulerit. Quòd verò Patres alicubi tali allegoria utuntur, scimus

scimus Patres suis sive allegoriis, sive interpretationibus, sive Scripturę testimoniis, nec debere nec posse articulos fidei condere. Nec tale sacrificium Patres intelligunt, quomodocunq; de oblatione panis & vini loquantur, quale Pontificii in sua Missa habent: sicut in constitutione status descriptum est. Sed de patribus postea dicemus. Nunc satis est ostendisse, nec ex veteri nec ex novo Testamento probari posse, quòd Christus in cœna se obtulerit patri. Et si ipse non fecit, nemo illud facere debebit, quod enim ipse in cœna fecit, Apostolis postmodum faciendum mandavit.

V. Argum. 5. Christus dixit: Hoc facite. Ergo præcepit, ut Sacerdotes in Eucharistia offerrent corpus & sangvinem Christi. Rationem consequentiæ Tridentini hanc esse tradunt: quia scilicet Christus ipse in prima Dominica cœna corpus & sangvinem suum patri obtulerit, sicut Melchisedech. Sed jam ostendimus, falsò hoc affirmari. Non itaque sequitur inde conclusio illa, quam Pontificii fingunt.

Sed excipiunt, verbũ עָשָׂה sæpe usurpari pro sacrificare, ut Exod. 29. facere agnum juvencum. Iudith 6. facere hœdũ. Psal. 66. facere boves cum hircis. Numer. 16. facere holocaustũ. Respondeo: Sicut apud Latinos verbum facere, ex adjunctis varios sortitur modos significandi: ita Hebræis non absolutè significat sacrificare, sed ubi textus manifestè loquitur de sacrificio. Considerentur itaque verba cœnæ: Hoc facite. Contendunt autem, τοῦτο referre non ad totum complexum, sed ad antecedens vocabulũ, corpus & calicem: ut sensus sit, Facite corpus & calicem, hoc est, sacrificate. Sed etjam si hoc concederetur, prius certò demonstrandum esset, in prima illa cœna fuisse actionem sacrificii. Iam verò Paulus certissimus est interpres, relativum τοῦτο, in mandato Christi, Hoc facite, referri ad totam actionem præcedentem, hoc scilicet, quòd in prima hac cœna factum est, vos in posterũ facite. Mandatum igitur Christi, Hoc facite, nihil aliud efficit, quàm ministros Ecclesiæ, in administratione cœnæ Dominicæ hoc debere facere, quod constat & certum est, Christum in institutione cœnę fecisse. Non autem legitur ibi, sacrificasse aut obtulisse patri corpus & sangvinem suum. Ergo nec sacerdotes hoc facere debent, si nolunt παραπροσβεύειν à Christo judice accusari. Vide autem ingenium Thaidis Babylonicæ. Quæ Christum in cœna sua fecisse certò constat, illa Pontificii vel negligunt vel prohibent: ut publicã annunciationem mortis Dominicæ, ut dispensationem utriusq; speciei. Quæ verò Christus in cœna sua fecisse non legitur, de illis solis Pontificii faciendis dimicant. Atqui testamentaria est institutio. Et in Testamento, non sine scelere aliquid vel mutatur vel superordinatur.

VI. Argum. 6. Christus Apostolos constituit novi Testamenti Sacerdotes, ergo præcepit ipsis, ut offerrent corpus & sangvinem ipsius. Hoc argumentum multis rationibus amplificatur à Põtificiis Scriptoribus, quia scilicet scriptura vaticinatur, abrogationi Levitici Sacerdotii successurum sacerdotium novi Testamenti, ita ut vetus sacerdotium figura fuerit novi. Esaiæ 66. Ieremiæ 33. Malachiæ 3. Sed definitio Sacerdotis ita traditur, Hebræorum 5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Ergo sacrificulorum officium est, in Missa offerre Deo patri corpus & sangvinẽ Christi, pro peccatis vivorum & mortuorum, quia soli presbyteri, sunt novi Testamenti Sacerdotes. Hoc argumentum multa complectitur membra, quæ ordine paucis explicanda sunt, ita enim clarissimè apparebit, quàm crassùs paralogismus sit in hoc argumento. Nam ut primo dicamus de sententia Hebræorum 5. certum est, textum ibi non loqui in genere, quod sit officiũ ministrorum verbi & Sacramentorum in novo Testamento, sed de Sacerdotio veteris Testamenti, expressè verò & solùm de summo Pontifice loquitur, qui figura fuit Christi. Illam verò figuram postea tradit impletam esse in sacerdotio & sacrificio Christi, non ita, ut in novo Testamento per plures Sacerdotes sibi succedentes, unica & eadem illa hostia pro peccatis, sępius & quotidie repeteretur & offerretur, hoc enim expressis verbis Apostolus negat, Hebræor. 7. 9. & 10. Sed figura illa, in unica oblatione Christi semel in cruce facta, impleta est, Hebræor. 9. & 10. & quidem ita, ut in novo Testamento, inventa æterna redemptione, & acquisita consummata remissione peccatorum, per unicam oblationẽ, semel in cruce factam, non sit amplius oblatio pro peccato. Si verò præter unicam illam, semel in cruce factam, alia vel eadem repetita oblatio pro peccato in novo Testamento ponatur, sequetur sacrificium Christi in cruce non fuisse consummatum, nec promeruisse remissionem peccatorum, & æternam redemptionem, hæc enim sunt verba, & hæc est sententia Epistolæ ad Hebræos. Falsissimè igitur ad stabiliendum sacrificium Pontificiæ Missæ pro peccatis vivorum & mortuorum detorquetur sententia illa Hebr. 5. Porrò Leviticum Sacerdotium fuisse figuram Sacerdotii novi Testamenti, nullus dubitat. Sed quòd sit illud sacerdotiũ novi Testamenti, quod abrogato veteri successerit, non possumus rectius & certius, quàm ex ipsâ novi Testamẽti explicatione statuere. primò igitur Epist. ad Hebręos à 5. cap. usq; ad 10. prolixè explicat, quòd Leviticũ Sacerdotiũ præfigurarit Sacerdotium Christi, quodq; figura illa impleta sit unica oblatione Christi, semel pro peccato in cruce facta: atq; ita per impletionem antiquitatum & abrogatũ sit Leviticum illud sacerdotium. Præterea verò Scriptura novi Testamenti, mentionem facit etjam regalis & sancti Sacerdotij. 1. Petr. 2. & Apoc. 1. 5. & 20. Christus fecit nos reges & sacerdotes, in solis enim illis quatuor locis, præter unicum Christi sacerdotiũ, mentio fit Sacerdotii regalis in novo Testamento. Illi verò loci non de solis presbyteris, sed in genere de omnibus fidelibus loquuntur, quibus certè Pontificii, missificationes suas nullo modo cõmunes facient. Et hostias quæ in illo novi Testamenti sacerdotio offeruntur Scriptura disertè describit, quod sint Spirituales, & quales sint, expressè & nommatim enumerat, sicut in principio hujus disputationis, testimonia illa Scripturæ annotavimus,

Explicatio partiũ huius argumenti.

Falsa detorsio sententiæ. Hebr. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rom.12.& 15.Philip.2.& 4.Hebr.5.& 12.1.Pet.2. Nulla autem ibi mentio fit sacrificii Missę. Vides igitur, quàm ἀσυλλόγιστον, imò quam sophisticũ fit, in conclusione Sacerdotium restringere ad solos sacrificos: cùm in præmissis Scriptura loquatur, vel de unico Christi Sacerdotio, vel de spirituali Sacerdotio novi Testamenti, quod cõmune est omnibus fidelibus. Cumq; Scriptura hostias Sacerdotii novi Testamenti, expressè & nominatim enumeret: conclusio hujus argumenti, omissis illis, affingit propitiatorium sacrificiũ Pontificiæ Missæ, de quo Scriptura nullam mentionem facit in descriptione Sacerdotii novi Testamenti: imò quod Epistola ad Hebręos ostendit, pugnare cum unica oblatione Christi, pro peccatis semel facta.

Sed excipiunt: Num igitur nullum vel constituitis vel servatis discrimen, inter ministros Ecclesiæ, & inter reliquos fideles? Omnino constituimus & servamus discrimen, quod ad ministerium attinet. Sed inde non sequitur, ea quæ de sacerdotibus novi Testamenti Scriptura tradit, ad solos Ecclesiæ ministros pertinere. Nam quod memorabile est, cùm Scriptura novi Testamenti varias appellationes tribuat ministerio, in nulla tamen novi Testamenti loco, ministri verbi & Sacramentorũ Sacerdotes appellãtur. Omnino tamen verum est, ratione ministerii quædam ad ministros Ecclesiæ pertinere, quæ reliquis fidelibus peragenda non sunt mandata. Sed quæstio est, quæ & qualia illa sint, nec sufficit si dicatur, in veteri Testamento, actus sacrificii fecit discrimen inter Sacerdotes & laicos, ergo idem etiam in novo Testamento esse debet. Primò enim, nota est doctrina de abrogato Levitico Sacerdotio veteris Testamenti. Secundò appellatio Sacerdotum in nullo loco novi Testamenti tribuitur ministris verbi & Sacramentorum.

Tertiò, sicut in veteri Testamento Sacerdotes non propria autoritate sibi finxerunt, quæ ad ministerium suum pertinere vellent, sed habuerunt verbum præscriptum & mandatum Dei, quod in actionibus ministerii sui secuti sunt. Vt ergo de appellatione Sacerdotum, an ministris novi Testamenti tribui possit, non contendamus: hoc certè fundamentum firmum & immotum est, de officiis ministrorum novi Testamenti, judicandum & statuendum esse ex verbo præscripto & mandato, quod in Scriptura novi Testamenti, de ministerio traditum est. Loci autem illi extant Matthæi decimo vigesimo sexto, & vigesimo octavo. Marci 16. Actor. 1. & 6. 1. Corin. 4. & 12. Item 14. 2. Corint. 5. Ephes. 4. Actorum 20. 1. Timoth 3. Tit. 1 Sed in illis locis nec oratio, nec dictio, nec syllaba, nec litera ulla extat, ministros novi Testamenti debere histrionica repræsentatione in Missa, offerre Deo patri corpus & sangvinem Christi in sacrificium propitiatorium, pro peccatis viuorum & mortuorum, imò illud pugnaccum sententia verbi Dei, in Epistola ad Hebræos. Manifestum igitur est, quid efficiat, & quantum valeat sextum Tridentini capituli argumentum: Christus Apostolos constituit novi Testamenti Sacerdotes: ergo ipsis, & eorum in sacerdotio successoribus mandavit, ut offerrent in Missa, &c.

7. Agnus Paschalis fuit figura Christi. Sed Pascha in veteri Testamento, non tantùm manducabatur, sed simul etiã immolabatur. Ergo Eucharistia non tantùm dispensanda & sumenda, sed & in Missa immolanda est, in sacrificium propitiatorium pro peccatis vivorũ & mortuorũ. Animadvertit Lector, Pontificios in controversia de re magna & ardua, non certis & perspicuis Scripturæ testimoniis, sed umbris & figuris agere: cùm maximè in hac disputatione locum habere deberet, quod Augustinus inquit contra Epistolam Petiliani, cap. 16. Non ea colligant & commemorent, quæ obscurè, ambiguè, vel figuratè dicta sunt, quæ quisque sicut voluerit, interpretetur secundum sensum suum: talia enim rectè intelligi exponiq; nõ possunt, nisi prius ea, quæ apertissimè posita sunt, firma fide teneantur. Sed aliquid proferte, quod non egeat interprete: nec unde convincamini, quòd de alia re dictum sit, & vos aliud ad vestrum sensum detorquere conemini. Et cap. 19. inquit: Hæc mystica sunt, operta sunt, figurata sunt, aliquid manifestum quod interprete nõ egeat, flagitamus. Item quid si ambiguè posita, & pro nobis & pro vobis possunt interpretari: nihil utique adjuvant causam vestram, sed planè talia malam causam vel moras faciendo sustentant. Ita Augustinus. Et ex figura Agni Paschalis multa possent extrui, ne ipsi quidem Pontificiæ Missæ tolerabilia. Sicut enim Agnus Paschalis non simpliciter oblatus, sed mactatus est: ita oportet Missam esse sacrificium valdè cruentum, verbum enim שחט significat mactare cum effusione sangvinis, Nec à Sacerdotibus, sed à multitudine immolabatur Agnus Paschalis, idq; nõ in sacrificium propitiatorium pro peccato, sed in memoriam liberationis Ægyptiacæ. Hæc certè non patientur Pontificii, ita ad suam Missam accommodari. Possemus igitur totum illud argumentum de umbra & figura hoc modo declinare, sed de re ipsa respondebimus. Non negamus, mactationem agni Paschalis fuisse figuram immolationis Christi. Paulus enim inquit: Pascha nostrum immolatus est Christus. Quæstio verò est, ubi & quando figura illa mactationis Agni Paschalis à Christo impleta sit. Pontificii dicunt, non in cruce, sed in cœna hoc factum esse, Sed Scriptura novi Testamenti contrarium affirmat. Nam Baptista Ioannis primo, vocat Christum Agnum Dei, tollentem peccata mundi. Petrus verò diserte affirmat: Christum tuliſſe peccata nostra in corpore suo, super lignum, 1. Petri 2. Apocalyp. 5. Dignus est Agnus qui occisus est, & redemit nos Deo in sangvine suo, &c. 1. Petri 1. Redempti estis, non corruptibilibus, sed precioso sangvine, quasi agni immaculati. Et quod testimonium omniũ clarissimum est. Iohannis decimo nono, expressè scriptũ est, figuram immolati agni Paschalis, in Christo in cruce impletam esse, Os non cõminuetis ex eo. Et ita canit Ecclesia: Cùm Pascha nostrum immolatus est Christus, ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi, qui mortẽ nostram moriendo destruxit, &c. Vtrum igitur in Christo impletum esse, & immolationem & manducationem agni Paschalis, certũ est. Quomodo verò, quando & ubi, nõ ex nostris allegoriis, sed

VII. Argum.

Augustinus.

Quando figura mactationis Agni Paschalis à Christo completa sit.

riis, sed ex declaratione Scripturæ novi Testamenti discendum est, quæ affirmat, Christũ Pascha nostrum immolatũ esse in cruce semel: dari verò ad manducandum in cœna, quoties sęcunq; juxta institutionem hoc fecerimus, quod in prima cœna Christus fecit, Paulus 1. Corin. 5. manducationem quidem azymorum, per allegoriã transfert ad novam vitam: immolationem verò non alibi, quàm in mactatione Christi impletam esse dicit.

VIII. 8. Malachias vaticinatur cap. 1. In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus. Illud sacrificium non potest intelligi de Leviticis, de illorum enim abrogatione ibi dicit: Non suscipiam munus de manu vestra. Nec de sacrificio crucis quod Hierosolymis factum est, intelligi potest, dicit enim: In omni loco sacrificatur. Nec de interioribus & spiritualibus sacrificiis fidelium intelligi potest: illa enim etiam tempore veteris Testamenti fuerunt. Propheta verò ibi vaticinatur de planè novo sacrificio, quod antea non fuerit. Itẽ de justitiis fideliũ dicit Esaias, quòd per se corã Deo sint tanquã pannus menstruatæ. Hanc verò oblationem vocat mundam. Reliquum igitur est, ut de sacrificio Missæ Pontificiæ intelligitur. ibi enim hostia, Christus scilicet, per se munda est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest. Respondeo, in memoriam revocetur, quis sit status controversiæ: An scilicet Malachias affirmet, sacrificulum in Missa, debere certis illis mimicis gestibus, ritibus & actibus, sicut apud Pontificios fit, repræsentare panem & vinum, Deo patri passionem filii sui: & illam actionem repræsentationis, esse sacrificium Deo gratum, & quidem propitiatorium, ad expianda & delenda peccata vivorum & mortuorum: & quæ præterea Pontificiæ Missæ tribui, suprà ostendimus. Horum certè nihil Malachias, vel unico verbo meminit. Quantum igitur ad probandum & stabiliendũ Missæ Pontificiæ sacrificium, hoc Malachiæ vaticinium cõferat, ex sola collatione status controversiæ ad sententiam Prophetæ, manifestum est.

Locus Malachiæ intelligendus est de spiritualibus sacrificiis novi Testamenti.

Sed inquiunt: Tamen vaticinatur de oblatione quę inter gentes in omni loco, hoc est, tempore novi Testamenti sacrificetur & offeratur. Lego hoc quidem in verbis Prophetæ: sed generaliter, sine declaratione, quodnam futurum sit illud sacrificium. In Scriptura verò novi Testamenti, lego explicationem, quæ sint sacrificia fidelium in novo Testamento, spiritualia scilicet, sicut suprà loca Scripturæ notata sunt. Nec verum est quod Pontificii dicunt, Prophetam vaticinari de novo sacrificio, cujus nullus prorsus usus fuerit apud fideles, tempore veteris Testamenti. Non enim loquitur de novo, sed de mundo sacrificio: & antithesin facit, non inter spiritualia veterum sacrificia, & inter mundam illam oblationem inter gentes: sed nominat Levitica sacrificia, quæ in uno saltem loco Iudææ offerebantur, & stomachatur, quòd illa pravè offerebantur: illis verò opponit mundam oblationem inter gentes. Et non obscurè declarat, quid per illã intelligi velit, inquit enim: Nomen meum magnũ est in gentibus. Quia igitur publica celebratio nominis divini, quæ hactenus angustiis Palestinę circumscripta fuerat, propaganda erat inter gentes, ut in omni loco nomẽ Domini magnificaretur prædicando, credendo, invocando, gratias agendo, celebrando, &c. hanc magnificationem nominis Dei, vocat oblationem & sacrificium: sicut Prophetis usitatum est, cultum novi Testamenti describere phrasibus ceremoniarum veteris Testamenti: ut ascendere in montem Domini, imponere vitulos super altare, &c. Ita cap. 3. idem Propheta dicit: Erunt offerentes sacrificia in justitia. Psalmus verò tertius dicit, sperare in Domino, esse sacrificium justitiæ.

Prophetæ in descriptione cultus novi Testamenti utũtur phrasibus veteris Testam.

Habemus igitur ipsius Prophetæ interpretationem cui accedit, quòd novum Testamentum inter spiritualia sua sacrificia, numerat, 1. Petri 2. annunciare virtutes eius, qui nos de tenebris vocavit in lucem, Roman. 15. sacrificare Evãgelium, Philip. 2. sacrificium fidei. Hebræor. 12. Vituli labiorum sunt confiteri nomini Domini. Item, sacrificium invocationis, gratiarum actionis, &c.

Explicatio loci Malachiæ ex Scriptura.

Et collatio ostendit, Scripturam usurpatione eorundem verborũ monstrare, quæ sit vera sententia loci Malachiæ. Prophetam enim ibi loqui de vocatione gentium, certum est. De illa verò etiam Paulus loquitur, Roman. 15. & Philippenses 2. Malachias vocat sacrificium & oblationem. Et iisdem planè verbis Paulus Roman. 15. describit vocationem gentium. Philippen. 2. vocat sacrificium fidei. David Psalm. 140. ubi elevationem manuum vocat sacrificium, planè illo vocabulo utitur, quod extat in sententia Malachiæ, & 1. Timoth 2. Paulus dicit. Elevari mundas manus. Quæ igitur sit munda oblatio in Malachia, Scriptura non obscurè indicat. Et quando talem interpretationem, ex ipsa Scriptura desumptum habemus, errare non possumus. De Pontificio verò sacrificio Missæ pro vivis & mortuis, nihil habet Scriptura vel veteris vel novi Testamenti, imò cum ea ex diametro pugnat: sicut ostendit Epistola ad Hebræos. Quæ igitur dementia est, à simplici sententia, quæ habet certa & manifesta Scripturæ testimonia, discedere: & cõminisci peregrinam explicationem de sacrificio Missæ, quæ nullis Scripturæ testimoniis nititur, imò quę cum Scriptura, adversa fronte pugnat? Quòd verò Malachias vocat oblationem mundam, cùm tamen justitiæ piorum in hac vita sint sicut pannus menstruatæ: non efficit: quo minus rectè de spiritualibus Ecclesiæ sacrificiis locus ille intelligatur. Petrus enim dicit: Offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Inde fideles in oratione dicuntur elevare puras manus, 1. Tim. 2. Mundis enim omnia munda sunt, Tit 1.

Veterum sententia de loco illo Malachiæ.

Et veteres etiam Ecclesiæ scriptores, de spiritualibus novi Testamenti sacrificiis, sententiam illam Malachiæ intelligunt & interpretantur, ut Tertullianus in libro contra Iudæos: Malachias ita vaticinatur, indubitatè ideo, quod in omni terra exire habebat prædicatio Apostolorum. Nam quod non terrenis sacrificiis, sed spiritualibus Deo litandum sit, legimus: Cor contribulatum, hostia est Dei. Et de spiritualibus addit, dicens: In omni loco sacrificia munda offerẽtur

Universidad de Deusto
Biblioteca

nomini meo. Hæc ibi. Et contra Marionem libro tertio, intelligit per hoc vaticinium, gloriæ relationem, benedictionem, laudem & hymnũ. Libr. 4. intelligit simplicem orationem de conscientia pura.

Chrysostom. Chrysostomus Oratione 2. adversus Iudæos exponit de cultu spirituali. Ita & Hieronymus in Commentariis, exponit de orationibus, & de cultu spirituali.

Eusebius. Eusebius de demonstratione Evangelica lib. 1. cap. 6. dicit, Malachiam nihil aliud significare, quàm quòd non definitè vel Hierosolymis, vel alio loco, sed in omni regione gentes orationis incensum & sacrificium, quod mundũ dictum est, non per cruores, sed pias actiones summo Deo essent oblaturæ.

Iustinus. Iustinus in Triphone, interpretatur quidem locum illum Malachiæ, de pane & poculo Eucharistiæ: non quòd sentiat, corpus & sangvinem Christi in cœna offerri Deo pro vivis & pro mortuis: sed ipse se explicat his verbis: Præcepit panem facere Eucharistiam, in memoriam passionis, ut gratias agamus: & quòd mundum cum omnibus, hominis causa condidit: & quòd nos à peccatis liberavit, & potestates delevit per passionem. Propter spiritualia igitur sacrificia, locum illum Malachiæ accommodat ad actionem cœnæ Dominicæ.

Irenæus. Irenæus etjam libro 4. sententiam illam Malachiæ, de celebratione Eucharistiæ interpretatur: non verò ita, quòd ibi histrionica repræsentatione corpus & sangvis Christi, patri offeratur pro vivis & mortuis: sed ideò & inde (sicut ipse se explicat) quòd tunc in celebratione Eucharistiæ moris erat, Deo qui alimenta nobis præstat, primitias munerum suorum seu creaturæ suæ offerre: non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi ejus, sicut Solomon inquit: Qui miseretur pauperis, fœneratur Domino. Item: Esurivi, & dedistis mihi manducare. Hæc sunt Irenæi verba: ex quibus planum fit, ipsum intelligere contributionem eleemosynarũ pro pauperibus, quæ fiebat in actione Eucharistiæ. Et illam vocat sacrificium, ideo (sicut ipse inquit) quia per munus erga regem honos & affectio ostenditur: item, quia in omni simplicitate & innocentia in sententia pura, & fide sine hypocrysi, & spe firma, in dilectione ferventi, cũ gratiarum actione, primitias creaturarum ejus offerre debemus, in illum usum, sicut Scriptura inquit: Qui miseretur pauperis. Item: Esurivi, & dedistis, &c.

Irenæus igitur nõ de Pontificio sacrificio, sed de spiritualibus sacrificiis, quæ cùm aliàs semper, tùm verò præcipuè in administratione & usu Eucharistiæ fieri debent, interpretatur locum Malachiæ. Et in fine 33. capitis subjungit: Altare est in cœlis: illuc preces nostræ & oblationes nostræ diriguntur.

Augustinus. Ita Augustinus contra adversarium legis, lib. 1. cap. 20. vaticinium illud Malachiæ, interpretatur de sacrificio secundum ordinem Melchisedech, & mentionem facit Eucharistiæ. Non autem de mimica repræsentatione Pontificiorum loquitur, sed inquit: Immolat Deo in corpore Christi, hostiam laudis. Psalm. 50. Et addit: Incensum de quo Malachias loquitur, Ioan. Apoca. 5. interpretatur esse orationes sanctorum.

Hæc loca, Iustini, Irenæi & Augustini, ideo observentur, ut artificium Pontificiorum intelligatur. Quia enim veteres illi, locũ Malachiæ ad actionem Eucharistiæ accommodãt, licet clarissimè se explicent, quomodo hoc intelligi velint: Pontificii tamen illis omnibus dissimulatis, ubi mentionem Eucharistiæ audierint, mox veteribus affingunt Missam suam. Nec Scripturæ igitur, nec veterum interpretationes permittunt, locum Malachiæ, de histrionico Pontificiæ Missæ sacrificio intelligere.

9. Argumen. Pontificiorũ pro Missa.

9. Paulus prima Corinth. 10. confert mensam Domini & mensam dæmoniorum: & per mensam utrobiq; altare intelligit. Sicut ergo Ethnici habuerunt altaria, in quibus primùm sacrificabant, & postea de sacrificatis comedebant: ita & in Missa altare esse debet, ubi corpus & sangvis Christi primùm sacrificentur, & postea participentur.

Principiò consideret Lector, qualia suffragia & patrocinia habeat Missa Pontificia. Ex umbris & figuris veteris Testamenti anxiè, quæcunque possunt conquirũt, & huc detorquent. Cùm verò illis non satis fidant, ex Ethnicorũ sacrificiis quæ dæmoniis offeruntur, deploratæ Missæ suæ subsidium accersere non verentur: non dissimiliratione, sicut ille apud Virgilium inquit:

—Vos mihi manes
Este boni, quoniam superis aversa voluntas.

Explicatio loci Paulini.

Quod autem ad illam Pauli collationem attinet, si res ipsa de qua Paulus loquitur, quomodo se habeat, consideretur: manifestum erit, quàm falsò ille locus Pauli, ad stabiliendum Pontificiæ Missæ sacrificium detorqueatur. Mos erat apud Iudæos, post peractum in altari sacrificium, de partibus seu reliquiis sacrificii instruere mensas, seu solemnes epulas: sicut exempla testantur, 1. Reg. 1. & 16. Ita etjam gentes, post peracta in aris sua sacrificia, instruebant mensas seu solennes epulas, ad quas amicos invitabant, sicut 8. Æneid. Evander post sacrificium Herculis, Æneam invitat ad epulas. Iam apud Corinthios disputabatur, non hæc quæstio, An Christianis liceret apud aras gentilium interesse ipsorum sacrificiis, & simul sacrificare dæmoniis, hoc enim ut manifestam idololatriam, non licere manifestum est: sed hæc erat quæstio: Cùm Ethnici post peracta in templis & in aris sacrificia, postea domi mensas seu epulas de idolothytis instruerẽt, & ad illas mensas, amicos & vicinos, etjam qui jam Christiani facti fuerant, invitarent: quæstio inquam erat, an Christiani bona conscientia, illis mensis seu epulis interesse possent: hoc est, quæstio erat non de aris ubi sacrificabatur, sed de mensis ubi sacrificata comedebantur. Et hinc patet Tridentina fallacia, per mensam intelligendum esse altare sacrificiorũ: cùm nec Iudæi, nec gentes in aris, sed in mensis, ea quæ sacrificata erant, comederint.

Ad illam igitur propositam quæstionem, Paulus primò cap. 8. ita respondet: Quia & idolum & idolothytum nihil sit, ideo extra casum scandali, si quis libertatem Christianam rectè intelligat, sine lesione propriæ conscientiæ comedi atqua

que etjam emi posse idolothyta: habendã tamen esse rationem infirmiorum. Deinde cap. 10. addit hanc commonefactionem: Quamvis liberũ sit, non tamen convenire, ut simul quis & mensæ Domini & mensæ dæmoniorum particeps sit. Et rationem addit: Quia, inquit, qui in Israel hostias sacrificatas comedunt, illa manducatione participes redduntur altaris, hoc est, sacrificii, quod in altari oblatum est. Et gentes quia quæ immolant, dæmoniis immolant: ergo participatio mensæ idolothytorum, ostendit convivas cupere participes fieri sacrificii idololatrici: imò gratiæ & auxilii dæmoniorum, propter quæ sacrificium illud dæmoniis oblatum est. Christiani verò in mensa Domini, ejus sacrificii quod à Christo in cruce oblatum est, participes redduntur. Ergo non decet, ut simul etjam mensæ dæmoniorum participes sint.

Hæc est simplex, vera, & genuina sentẽtia Paulinæ collationis, inter mensam Domini & mensam Israelitarum, item dæmoniorũ. Et hæc collatio pulcherrimè illustrat doctrinam de cœna Domini. Sicut enim Israelitæ, sacrificii in altari oblati participes reddebantur, communione non alterius cibi, sed partium seu reliquiarũ de illo ipso, quod in sacrificio oblatũ erat: ita filius Dei sacrificii sui in cruce peracti participes nos facit, non cõmunione fructuli panis, sed dispensatione & manducatione illius corporis, quod pro nobis in cruce traditum est. Et sicut Moses Exodi 24. populo applicaturus & obsignaturus vetus Testamentum, hoc facit aspersione nõ alterius, sed ipsius sangvinis, qui pro confirmatione fœderis sacrificatus erat: ita Christus illum ipsum sangvinem in cœna bibendum nobis tradit, cujus effusione novum Testamentum confirmatum est. Hæc collatio & confirmat doctrinam de vera & substantiali præsentia corporis & sangvinis Domini in cœna, & svavissimam consolationem ex ejus usu ostendit.

His ita declaratis, facilè jam erit videre, an ex illa Paulina collatione confirmetur & stabiliatur sacrificium Pontificiæ Missæ. Hactenus enim convenit collatio, sicut Iudæi & gentes ea quæ sacrificata erant, in mensa illis de quibus jam loquimur, comedebant: ita etjam oportet ea quæ in mensa Domini sumimus, sacrificata esse. Sed ubi, & quãdo? Num necesse erat, ut in ipsis mensis illorum convivium fieret sacrificium? Minimè. ita enim Paulus non dixisset, Christianos posse interesse mensis seu conviviis illis Ethnicorum. Nec necesse erat, si post unum atq; alterum sacrificii diem, mensa illa instrueretur, ut rursus in mensa repeteretur actio sacrificii: sed sufficiebat, id quod in illo convivio sumebatur, antea fuisse in altari sacrificatũ. Ita cùm Christus unica oblatione semel corpus & sangvinem suum in cruce patri pro peccatis nostris obtulerit: non necesse est, ut illa in mensa Domini iterum sacrificentur, quotiescunque ea sumpturi sumus: sed sufficit illa nos sumere quæ antea oblata sunt, in cruce scilicet. Vtq; liberum fit, sacrificia Levitica & Ethnica repetere: certè sacrificiũ Christi repeti nec posse nec debere, Scriptura expressè sæpius contestatur, Hebræ. 9. & 10. Illa igitur Pauli collatio, inter mensam Domini, mensam Iudaicam, & mensam dæmoniorum, nihil prorsus patrocinatur sacrificio Pontificiæ Missæ.

X. Argum.

10. Veteris Testamenti figuras oportet in novo compleri. Ergo sacrificium Missæ, per varias sacrificiorum veteris Testamenti similitudines præfiguratum, oportet in novo Testamento servari.

Respondeo. Antecedens cõcedimus: sed quod inde infertur, dicimus simpliciter falsum esse & probari non posse. Neque enim quia verum est, novum Testamentum habere impletionem figurarum veteris Testamenti: ideo nostris vel allegoriis vel consequentiis liberum relictum est, quomodo & quibus in rebus figuras illas impletas esse quisq; fingere velit: sed impletionem illã, quomodo fit facta, & in quib. rebus fita fit Scriptura novi Testamẽti tradit & explicat: nec prẽter illam explicationem, alia quæ ex Scriptura demonstrari non possunt, fingenda sunt. Tradit autem Scriptura novi Testamenti, figuras sacrificiorum veteris Testamenti, impletas esse dupliciter 1. in unico propitiatorio sacrificio Christi, in cruce. 2. in spiritualibus sacrificiis fideliũ, quæ nominatim in novo Testamento enumerãtur & explicantur. Atq; hoc modo Augustinus etjam de Civi. lib. 10. cap. 5. & 6. tradit & explicat significationem & impletionem sacrificiorũ veteris Testamenti. Nulla autem in scriptura novi Testamenti mentio fit theatricæ repræsentationis, & propitiatorii sacrificii Pontificiæ Missę. Falsum igitur est, propter impletionem figurarum veteris Testamenti, instituendum & servandum esse Pontificium sacrificium histrionicæ Missæ.

Augustinus.

XI. Argum

11. Corpus & sangvinem Christi esse propitiatorii sacrificii pro peccatis, non est dubium. Sed in cœna Dominica adest Christus cum suo corpore & sangvine. Ergo Missa est sacrificium verè propitiatorium, ejusdem virtutis cum sacrificio crucis: eadem enim ubiq; est hostia.

Respondeo. Multiplex est fallacia in hoc argumento: quæ si detecta fuerit, facilis erit explicatio. Vt enim corpus & sangvis Christi sint propitiatorium sacrificium, non sufficit existere & adesse substantiam illam. nam adfuit in utero matris, in præsepi, in fasciis, &c. Num verò ideò sacrificiũ propitiatoriũ pro peccatis fuit, quòd Maria abiit per montana, quòd primogenitum suum fasciis involvit, & in præsepe reclinavit, sedet ad dextram patris, habitat in credentibus? Num ideo sessio & inhabitatio est propitiatoriũ illud, de quo Scriptura loquitur, sacrificiũ pro peccatis? Ovis certè in stabulo & in pascuis, erat ovis: non tamen statim erat sacrificium. Ad sacrificium enim requiritur, non tantùm ut substantia sacrificii existat & adsit, sed requiritur actio aliqua certa, qua substantia illa offeratur. Num verò quævis & qualiscunq; actio facit sacrificium? Minimè gentium. neq; enim si ovis tondeatur, ideo illa actione sacrificatur. Sed ad verum, & Deo gratũ sacrificium requiritur. 1. ipsa substantia sacrificii. 2. certa offerendi actio, non ab hominibus excogitata, sed ab ipso Deo præscripta. 3. requiritur ut illa actio fiat à persona ad hoc à Deo constituta & ordinata. 4. ut fiat ea intentione & ad illum finem, sicut à Deo in verbo præscriptum est. Distinctio enim Leviticorum sacri-

Quæ ad verũ sacrificium requirãtur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacrificiorum, quæ à causa finali sumitur, ut alia sacrificia sint pro peccato, vel hoc vel illo, alia sint pacifica: pendet simpliciter ex præscripto verbi Dei.

His fundamentis, quæ simplicia, plana & firma sunt, ad propositum argumentum adhibitis, facilis erit explicatio. Corpus enim & sangvis Christi, sunt sacrificium propitiatoriũ pro peccatis: non hac simpliciter ratione, quia exiſtunt: sed quia filius Dei, ut verus Pontifex, ipse ad hoc à patre constitutus, se obtulit Deo patri, ita faciens, sicut mandatum acceperat à patre, Ioan. 14. tradendo scilicet corpus, & effundendo sangvinem. Et Deus virtutem, dignitatem & efficaciam illius oblationis, ipse in verbo declarauit. Si hoc modo ponatur prima propositio argumenti, manifestum erit, quomodo attexatur altera propositio. In cœna enim Dominica adest quidem juxta Christi verbum, corpus & sangvis ipsius: sed desiderantur ibi, quæ ad rationem veri sacrificii requiri jam diximus. Actio enim cœnæ Dominicæ, sicut à Christo instituta & mandata est, non est actio sacrificii, sed Sacramenti. Adest ibi Christus, non ut sacrificetur, sed ut dispensetur & sumatur.

Sed excipiunt Pontificii, se actione suæ repræsentationis habere intentionem offerendi Deo, corpus & sangvinem Christi: idq; in eum finem, ut fit sacrificiũ propitiatorium pro vivis & mortuis. Ego verò non ignoro, Pontificios hoc facere. Sed quæstio in hoc argumento est. 1. An Deus instituerit, præscripserit & mandârit talem repræsentationem, per tales ritus, gestus & actus, sicut fit in Pontificia Missa. 2. An voluntatem suam declararit, quòd talem repræsentationem velit acceptare pro sacrificio gratissimo. 3. An extet promissio divina, quòd talis actio repræsentationis, sit propitiatorium sacrificium pro peccatis. Quia verò ex verbo Dei hæc demonstrari non possunt: non itaque conficitur hoc argumento, Missam esse tale sacrificium, & ejusdem virtutis cum sacrificio crucis, etiamsi concedatur adesse ibi corpus & sangvinem Christi. Ambrosius enim rectè pronunciat, eos qui Euchariſtiam aliter tractant & celebrant, quàm à Domino traditum est, subjectos esse sententiæ Pauli de judicio Dei: imò quia Christus in sacrificio Missæ, per plures Sacerdotes, tanquã oblatio pro peccato sæpius offertur, contra sententiã verbi Dei in Epistola ad Hebræos. Horrenda igitur abominatio est.

12. Argum. 12. Ecclesia catholica semper ita intellexit & docuit: ergo à tempore Apostolorum semper in Ecclesia fuit talis ritus, & talis doctrina de sacrificio Missæ, sicut nunc est in Ecclesia Pontificia. Hujus argumẽti mentio fit in medio primi Tridentini capituli: sed ordinis gratia ita distribui, ut explicatis prius iis, quæ ex Scriptura adducũtur, postremum locum haberent testimonia Patrum. Notum autem est, bonas mentes plurimũ moveri cõsensu & testimoniis antiquitatis, ejus præsertim, quæ fuit purioribus, optimis & florentissimis Ecclesiæ temporibus. Ideo in hac disputatione, Pontificij potissimam præsidiorum suorum partem collocant in cumulandis multis Patrum sententiis, ut fucum faciant simplicioribus: quasi & ritus & doctrina de sacrificio Missæ, pro vivis & mortuis, sicut nunc usurpatur & traditur à Põtificiis, sit vetustissimæ traditionis, omnium scriptorum totius antiquitatis, & catholicæ observationis in Ecclesia omniũ temporum, inde usq; ab Apostolorum temporibus.

Sed & illæ nebulæ non difficulter discutiuntur, si tota disputatio de veterum testimoniis, referatur ad statũ controversiæ. Quando igitur multæ & variæ veterum sententiæ cumulantur, *Axioma.* semper observandũ est, an hoc quod in controversia positũ est, certò, perspicuè & firmiter indeprobetur: veteres scilicet omnes, cõsentientibus suffragiis hæc dog. nata tanquam catholica semper tradidisse, & ex verbo Dei defendisse: 1. Esse à Christo institutum, ab Apostolis traditum, & in primitiva Ecclesia observatum, ut corpus & sangvis Christi in cœna, hujusmodi verbis, ritibus, gestibus, actibus & ornamẽtis, theatrica repræsentatione Deo patri sistatur & offeratur, sicut nunc fit in missa Pontificia. 2. Quòd illa sacerdotis actio & repræsentatio corporis & sangvinis Christi sit sacrificium propitiatoriũ, ad expianda & delenda peccata, ad placandam offensam Dei, ad impetrandam gratiam Dei, remissionem peccatorum, & quævis à Deo beneficia. 3. Sacrificulum per illam repræsentationem, spectatoribus non communicantibus, sed tantùm curãtibus, vel pro se vel pro aliis fieri talem repræsentationis actionẽ, imò absentibus mortuis, & quibuscunq; velit, applicare omnia merita & fructus passionis Dominicæ. 4. Per illam actionem repræsentationis, accedendum esse ad Deum, si velimus invenire gratiam & auxilium. Et quæ præterea missæ Pontificiæ tribui, suprà ostendimus. Hæc sunt quæ patroni Pontificiæ missæ, in vero & catholico consensu purioris antiquitatis, ex scriptis nõ suppositiis, perspicuè demonstrare debebant. Quòd enim progressu temporis, quidam veterũ ad singulares opiniones declinare cœperunt, non facit catholicum consensum totius antiquitatis. Sed illa hoc modo ex antiquitate probari nõ posse, certæ & manifestæ rationes ostendunt. Primò extant descriptiones rituum veteris Ecclesiæ, in celebratione cœnę Dominicæ, apud Iustinũ apologia 2. apud Dionysium in Ecclesiastica hierarchia, apud Augustinum Epist. 59. & apud Chrysostomum homil. 18. in 2. ad Corin. sed nihil ibi deprehenditur de histrionica repræsentatione rituum, gestuũ, actuum, verborum, &c. Pontificiæ Missæ.

Secundò, ipsi Pontificii scriptores testantur, illam panopliam verborum, rituum, gestuum, actuum, ornamentorum, vestiũ, qui nervi sunt, atque adeò ipsa substantia Pontificiæ Missæ, non fuisse tempore Apostolorum. dicunt enim, Apostolos ad sola verba Domini addita solummodò Dominica oratione consecrasse. Gregorius in Regiſtro lib. 7. cap. 65. Plantina in vita Sixti 1. Rupertus de divinis officiis libro 2. cap. 21. Valafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 22. Durandus lib. 4. cap. 1. & alii. Et quidem disertè annotant, quibus temporibus post Christum & Apostolos, & à quibus autorib. singulæ partes theatricæ istius repræsentationis inventæ & institutæ sint: ita ut post annos fermè sexcentos post Christum

Missam Pontificiam non fuisse in usu Apostolorum temporibus, ipsi Pontificij scriptores probant.

Christum natum, vix absolutum fit totum illud drama repræsentationis, quale nunc usitatum est in Pontificia Ecclesia.

Quia igitur illud, quod juxta Eccii descriptionem propriè Missa est, in vetustissima Ecclesia nondum fuit in rerum natura: postea enim primùm institutum fuisse, ipsi Pontificii scriptores testantur: ergo nec opiniones illæ, quæ Missæ nunc affinguntur, potuerunt esse in primitiva Ecclesia.

Tertiò, vetustissimi scriptores sacrificium expiatorium, propitiatorium & satisfactoriũ pro peccatis, juxta scripturam, tribuunt unicæ & soli oblationi Christi, in cruce factæ: fidelium verò *Lactantius.* sacrificia in novo Testamento, omnes uno ore affirmant esse spiritualia. Et quidem Lactantius expresè dicit, in epitome divinarum institutionum, illa quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem fiunt, non esse vera sacrificia. Ignota etiam est veteribus illa disputatio: Quòd abrogationi Leviticorum sacrificiorum, præter sacrificium Christi in cruce, aliud successit ceremoniale sacrificium, in novo Testamento.

Quartò. Ea quæ Pontificii nunc sacrificio Missæ suæ arrogant, ea veteres tribuunt dispensationi & sumptioni corporis & sangvinis Domini in cœna. Sed adversarii nostri sunt svaves, & quidem artificiosi rhetores. Cùm de re ipsa eo modo, sicut de statu controversiæ suprà dictum est, deberent testimonia ex vetustissimis scriptoribus proferre: quia vident illud cum commodo Missæ suæ fieri non posse, vocabula quædam ex veterum scriptis arripiunt, & quando illa in aliquot antiquorum sententiis ostenderint, existimant satis probatam & munitam esse Pontificiã Missam, testimoniis & consensu antiquitatis. Duo autem talia sunt vocabula, Missa scilicet, & Sacrificium. Et ubicunq; illa vocabula apud veteres reperiũtur, statim additur annotatio: Hoc est testimoniũ pro Missa. Et imperitiores quando audiunt talia allegata: Missa fuit in usu, tempore Ignatii, & reliquorum vetustissimorum: Tota antiquitas sensit & docuit, Missam esse sacrificium: nihil aliud cogitant vel intelligunt, quàm talem Missam, & tale sacrificiũ, sicut apud Pontificios nunc usurpatur.

De duobus igitur illis vocabulis, in quibus consistit tota congeries sententiarum, quas pro Missa sua Pontificii ex veteribus corradunt, pauca quædam dicenda sunt. Illis enim duobus vocabulis rectè explicatis, discussæ erunt nebulæ quas imperitioribus offundunt, strepitu testimoniorum ex veteribus. Faciemus autem illud quàm brevissimè: ab aliis enim copiosè illa sunt demonstrata & explicata.

DE VOCABVLO MISSÆ.

Primi igitur patroni Missæ Pontificiæ, cùm ex verbo Dei impugnari cœpisset, ut Eccius, & post ipsum alii, soliciti inquisiverũt vocabulũ Missæ: & ubicunq; in Græcorum scriptorum interpretibus illud invenerũt, statim exclamarũt. Adeò antiqua est Pontificia Missa, quòd temporis Ignatii, Dionysii, & reliquorum vetustissimorum patrum, celebratæ fuerint Missæ. Ignatius enim ad Smirnenses dicit: Celebrare Missam. Et Missam appellat Dionysius capite 3. Eccles. Hierarchiæ. In historia Tripartita sæpissimè repetitur, veteres Ecclesiæ patres Missas celebrasse, lib. 3. cap. 11. Missas fecisse, libro 4. cap 13. Missarum celebrasse solennia, lib. 7. cap. 31. lib. 9. cap. 9. Populus congregabatur ad Missas. His testimoniis seriò triũphant. Sed certissimum est, vocabulum Missæ apud nullum ex Græcis autoribus extare. sed interpretum illa sunt verba, ut interpres Dionysij, ἱερουργίαν reddidit nunc Missam, nunc salutis hostiæ oblationem: cùm vocabulũ significet sacræ actionis administrationem. Quòd Ignatius scripsit, δόχῃ ἐπιτελεῖν, convivium scilicet Dominicum celebrare: Hoc interpres reddidit, Missas celebrare. Ita ubi Sozomenus habet ἐκκλησιάζειν, & Socrates συνάγειν: quæ verba publicas congregationes, & solennes Ecclesiæ conventus significant: Epiphanius Scholasticus reddidit, Missas facere, Missas celebrare. Et hæc cùm ita se habeant, tamen si diis placet, præcipua hæc probatio fvit antiquitatis Pontificiæ Missæ: cùm ne vocabulum quidem Missæ, veteri Græcæ Ecclesiæ notũ fuerit. Non enim quid interpres reddiderit, sed quid autores scripserint, quæstio est: Apud Latinos scriptores, non tamen vetustissimos, extat quidem vocabulũ Missæ, ut apud Ambrosium, lib. 5. Epist. 33. & apud Leonem in Epistola ad Dioscorum Alexandrinum. Sed Missas illi appellabant, idem quod Hilarius in Psal. 65. vocat officia divinorum Sacramentorũ, quando scilicet in Ecclesiasticis conventibus, vel Sacramenta administrabantur, dispensabantur & participabantur: sicut ex Epistola Leonis manifestum est: vel quando ad orationes conveniebatur. Ita apud Cassianum lib. 2. de modo Psalmorum, cap. 13. post Missam nocturnam non esse dormiendum, cap. 15. Post orationum Missam unusquisque ad cellulam suam redeat. lib. 2 cap. 8. Post vigiliæ Missam, somnus usque ad lucis adventum indulgetur. Cassander ex regula Benedicti, & ex Honorio ostendit, orationes quæ vulgò collectæ dicuntur, appellari solitas Missas.

Missæ vocabulum veteri Græcæ Ecclesiæ incognitum.

Ex Missæ igitur vocabulo, sive apud interpretes Græcorum scriptorum, sive apud Latinos scriptores legatur, nihil planè vel patrocinii, vel subsidii accedit Pontificiæ repræsentationi. Animadvertunt & sentiunt hoc, qui nunc eruditiores esse volunt in regno Pontificio. Ideo satius esse judicant, hoc argumento de vocabulo Missæ prorsus supersedere, quod tamen principio hujus controversiæ, pro firmissima columna habebatur. Adeo scilicet certa & immota sunt fundamenta Missæ Pontificiæ.

QVO SENSV VETERES LITVRgiam appellarint sacrificium.

Alterum verò genus testimoniorum ex vocabulo sacrificii multò speciosius est. Negari enim non potest, veteres quando loquuntur de celebratione cœnæ Dominicæ, usurpare vocabula sacrificii, immolationis, oblationis, hostiæ, victimæ: item uti verbis offerre, sacrificare, immolare. Nonne igitur totius antiquitatis universalis consen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

consensus est, Missam esse sacrificium? Ego verò simpliciſsimè respondeo, ſi de vocabulis, ſive de appellationibus tantũ certamen esset, elabi nulla ratione possemus, quin concedere cogeremur veteres celebrationi cœnæ Dominicæ frequenter attribuisse appellationes sacrificii. Sed quia de re ipsa controversia est: respondeo, non esse consequens, ſi veteres cœnam Dominicam appellarunt sacrificium, quòd ideo docuerint & senserint esse tale sacrificium, sicut Pontificios fingere, suprà in constitutione status ostendimus. Vocabulum enim sacrificii latè patet, & juxta Scripturæ & veterum consvetudinem variis rebus, exercitiis & actionibus tribuitur: sicut suprà exemplis & Scripturæ & antiquitatis, planũ fecimus.

Simplex igitur & compendiaria ratio explicandi veterum testimonia, quæ de sacrificio Missæ ab adversariis allegantur, hæc est: ut ob oculos ponatur status hujus controversię, quale ſcilicet sacrificiũ Pontificii intelligant, quando de Missa disputant, sicut suprà ipsorum verbis explicatum est: & ex antithesi ostendatur, quòd veteres, quando celebrationem cœnæ Dominicæ appellãt sacrificiũ, non intelligant illud de quo Pontificii dimicant: sed quòd appellationem illã tribuant aliis multis & variis veræ pietatis exercitiis, quæ in actione cœnæ Dominicæ concurrunt, & apud veteres usitata fuerunt. Ita enim manifestum evadet, insignem esse fallaciã, quòd ubicunq; apud veteres, celebrationi cœnæ Dominicæ tribuitur appellatio sacrificij, quòd Pontificii statim commentũ de suæ Missæ sacrificio affingunt. Ordine igitur & breviſsimè, genera sacrificiorum quæ veteres in actione cœnæ Dominicæ, appellatione sacrificii notare & intelligi voluerunt, annotabimus.

Primò, in veteri Ecclesia usitatum fuit, quando celebrãda erat cœna Dominica, quòd pro sustentatione ministrorum & pauperum, panis, vinum, & alia munera in mensa Domini, sive in altari offerebantur: & ex illis oblatis muneribus panis & vini, sumebantur partes, quæ consecrabantur in Eucharistiam. Hæc consvetudo videtur sumpta fuisse ex 1. Corinth. 11. Hujus consvetudinis meminit Pontius Paulinus de gazophylacio: Irenæus libro 4. Iustinus Apologia 2. & in Decretis de Consecra. dist. 1. capite: Omnis Christianus. Et 12. quæst. 2. cap. Vulturanæ, & sequentibus. Quia verò in Scriptura, contributio eleemosynarũ vocatur sacrificium, Phil. 4. & Hebræ. 13. inde veteres hoc exercitium pietatis in cœna Dominica, vocarunt sacrificium & oblationes.

Cyprianus. Cyprianus sermone de eleemosyna: Locuples matrona in Dominicum sine sacrificio venis, & partem de sacrificio quod pauper obtulit, sumis. Irenæus libro 4. cap. 32. Offerimus Deo primitias creaturarum ejus, cum gratiarum actione. Atque illud dicit fieri juxta Scripturę dicta: Qui miseretur pauperis, fœneratur Domino. Esurivi, & dedistis mihi, &c. Et ex illis primitiis creaturæ Dei, ostendit sumptum fuisse quod cõsecrabatur in corpus & sangvinem Christi. Atque inter cæteras rationes, etjam inde totam

Augustinus. actionem vocat oblationem. Augustinus Epistola 122. dicit, mulieres offerre sacrificia ad altare Domini, ut per Sacerdotem Deo offerrentur. Nomina enim eorum qui aliquid obtulerunt ad aram, recitabantur, & oratione Deo cõmendabantur: sicut Canon Gregorii testatur. Et mulæ secretæ idem testantur, ut quæ dicitur Dominica 5. 6. 7. post Pentecoste.

2. Publicæ illæ communes & solennes preces pro omnibus, quarum forma 1. Timo. 2. præscribitur, usitatè apud veteres fiebant in actione cœnæ Dominicæ: sicut testatur Augustinus Epistola 59. ad Paulinum. Et quia fidelium orationes, in scriptura vocãtur sacrificia, Psal. 141. Hebræo. 5. Apoc. 5. & 8. hinc Irenæus de oblatione novi Testamenti, in actione Eucharistiæ loquens, inter cætera inquit libro 4. cap. 33. Vult nos quoque sine intermissione offerre munus ad altare. Est ergo altare in cœlis, illuc enim preces & oblationes nostræ diriguntur. Chrysostomus homilia *Chrysostom.* 18. in 2. ad Corinth. Quia & in precibus viderit quis populum simul offerre, cùm pro energumenis, tùm pro pœnitentibus: communes enim preces sunt, & omnes unam dicunt orationem. Tertullianus ad Scapulam: Sacrificamus Deo pro salute Imperatoris: sed sicut ipse mandavit, præceptura. Et in Apologetico cap. 30. Ego offero Domino sacrificium pingve, quod mihi mandavit, orationem scilicet.

3. Cœna Dominica à vetustiſsimis, Ignatio, Iustino, Irenęo, &c. vocatur Eucharistia, ideo sicut Chrysostomus explicat homil. 16. in Matth. quia in ejus celebratione proponitur consideratio de multis & variis beneficiis Dei, principaliter verò de præcipuo opere dilectionis Dei erga nos, quòd filium miserit, qui traditione corporis & effusione sangvinis sui, perditos nos redemit, ut ita invitemur ad gratiarum actionem. Sacrificium verò laudis & gratiarum actionis, in Scriptura crebrò celebratur, Psal. 50. 69. Syrach. 35. Heb. 13. Et patres etjam hymnos, laudes, & gratiarum actiones vocant sacrificia: ut Augustinus epistola 120. Eusebius de demonstr. lib. 1. cap. 10. Tertullianus contra Marcionem lib. 4. Et Græcus canon expresè mentionem facit hymni, glorificationis, &c.

4 Quia commemorationem Christi, Paulus interpretatur de annuncianda in cœna morte Domini: apud veteres igitur in celebratione cœnæ Dominicę, ſemper servata fuit publica prędicatio, & ſolennis annunciatio passionis mortis, resurrectionis & ascensionis Christi. Et Cyrillus *Cyrillus.* in epistola synodica ad Nestorium: annunciãtes secundum carnem, mortem, resurrectionem & ascensionem unigeniti filii Dei celebramus incruentum sacrificiũ seu ἀναίμακτον λατρείαν. Nam Paulus Rom. 15. totum ministerium Evangelii, vocat sacrificium.

5. Multa veræ pietatis exercitia cõcurrunt in celebratione & usu cœnæ Dominicæ, quæ 1. Pet. 2. vocantur ſpirituales hostiæ: ut pœnitentia, fides, ſpes, patientia, dilectio, bonum propositũ, &c. Et fides, quæ principaliter objectũ suum habet in usu cœnæ Dominicæ, vocatur sacrificium, *Irenæus.* Philip. 2. Ita Irenæus lib. 4. cap. 32. disputans de oblatione novi Testamenti in celebratione Eucharistiæ, enumerat sententiam puram, fidem ſine hypocriſi, ſpem firmã, dilectionem ferventem,

tem, misericordiam, obedientiam & justitiam, bonas operationes cum gratiarum actione.

6. Ecclesia, & ſinguli fideles, in vero usu Eucharistiæ, totos ſe corpore & anima vovent, consecrant, & dedicant Domino, & propter Dominum proximo. Item orationibus Ecclesia offertur, hoc est, commendatur Deo. Paulus verò Romano. 12. dicit, corpora nostra exhiberi Deo hostiam viventem, ſanctam, Deo placentem, cultum ſcilicet rationalem. Inde Augustinus de Ci- *Augustinus.* vitate, libro decimo, capite sexto: Hoc est sacrificium Christianorum, multi unum corpus ſumus in Christo: quod etjam Sacramento altaris, fidelibus noto, frequẽtat Ecclesia: ubi ei demonſtratur, quòd in ea oblatione quam offert, ipsa offeratur. Et Epistola 59. Voventur omnia quæ offeruntur Deo, maximè ſancti altaris oblatio: quo Sacramento prædicatur nostrum illud votum maximum, quo nos vovimus, in Christo esse manſuros, utique in compage corporis Christi: cujus rei Sacramentum est, quòd unus panis, & unum corpus multi ſumus. Item: Cùm populo benedicitur, & fiunt interpellationes, tunc antiſtites velut advocati, ſuſceptos ſuos misericordiſsimæ offerunt potestati.

Vides quàm variis actionibus, & pictetis exercitiis, quæ apud veteres in celebratione cœnæ Dominicæ usitata fuerunt, attributa ſit applicatio sacrificii ſeu oblationis: Et inde tota actio nomen apud veteres accepit. Hæc verò cùm Pontificiis non ſint ignota, judicet Lector, quale ſit artificium, quòd omnes ueterum ſententias de sacrificio, promiſcuè detorquent ad theatricum ſacrificium Pontificiæ Missæ: cùm veteres de longè aliis rebus, actionibus & exercitiis loquantur, quando celebrationem cœnæ Dominicæ vocant ſacrificium. Sed excipiunt: Non illa tantùm pietatis exercitia, quæ veteris Ecclesiæ more, in actione cœnæ Dominicę usurpata fuerunt, à patribus vocari ſacrificia: ſed ipſam actionem cœnæ Dominicæ, & quidem ipſum corpus & ſangvinem Christi in cœna, à veteribus vocari ſacrificium, oblationem, hostiam, victimam, &c. Ego verò non nego hoc: conſtat enim veteres appellationem ſacrificii, oblationis, victimæ, hostiæ, &c. transtuliſſe ad ipſam actionem cœnæ Dominicæ, imò ad ipſum corpus & ſangvinem Christi in cœna.

Sed hoc nego, veteres appellatione ſacrificii, intelleXiſſe theatricam illam repręſentationem, qua Pontificii Missæ ſuæ ſacrificium definiunt: & quod hiſtrionica illa actio ſacerdotis, certis geſtibus & actibus tractans corpus & ſangvinem Chęiſti ſit ſacrificium propitiatorium, ad expianda & delenda peccata, ad placandam offenſam Dei, & ad impetranda quævis à Deo beneficia. Extant enim veterum declarationes, quomodo intelligi voluerint, quòd & actionem cœnæ Dominicæ, & ipſum corpus Christi in cœna, vocant ſacrificium & victimam. Et ſicut antea oſtendimus, quomodo patres aliis pietatis exercitiis, quæ circa celebrationem cœnæ Dominicæ concurrunt, tribuerint appellationem ſacrificiorũ: ita etjam diſtinctè annotabimus, quo ſenſu veteres vocabula ſacrificiorum tribuerint ipſi actioni cœnæ Dominicæ, & corpori Christi in cœna. Et hæc ſimul referantur ad ſtatum controverſiæ: An ſcilicet Patres tale ſacrificium intellexerint, ſicut à Pontificiis in Missa fingitur, juxta declarationem, ſuprà ipſorum verbis expoſitam.

Primò igitur ipſam adminiſtrationem ſeu celebrationem cœnæ Dominicæ, ut ſanctificationem, conſecrationem, & diſpenſationem, Patres vocant ſacrificium. Dionyſius vocant ἱερουργίαν, quia est ſacra actio, aut ſacræ actionis adminiſtratio: & dicit, ſacerdotẽ tunc ἱερουργεῖν, quando id facit, quod Chriſtus in prima cœna fecit. Et ne qua ſit dubitatio, quid per hierurgiam intelligat, Pontifex orans ut idoneus reddatur ad hanc ἱερουργίαν, per partes enumerat quid complectatur. 1. ad imitationem Chriſti, divina illa dona cõficere, ſanctificare, aut conſecrare. 2. ſanctificata ſanctè diſtribuere. 3. ut communicaturi ſanctè participent illis myſteriis. Et ſtatim explicans, quomodo Pontifex ſanctiſſimam ἱερουργίαν perficiat, inquit: Panem indiviſum dividit, & unum poculum omnibus diſtribuit. Dionyſii igitur ἱερουργία, non eſt Pontificiorum hiſtrionica repræſentatio, ſed nihil aliud eſt quàm præparatio, ſanctificatio, conſecratio, diſpenſatio & diſtributio Eucharistiæ: quam vocat θεομιμητὸν ἱερουργίαν, adminiſtrationẽ ſacræ actionis, quæ fiat ad imitationẽ ejus quod Chriſtus Deus fecit. Illam verò ἱερουργίαν, hoc eſt, ſacram actionem, pertinentem ad miniſterium Evangelii, Latini vocant ſacrificium: & ἱερουργεῖν, reddunt ſacrificare ſeu offerre. Nam & Paulus Romano. 15. actiones quæ ad miniſterium Evangelii pertinent, cujus non poſtrema pars eſt adminiſtratio Sacramentorum, deſcribit per vocabula ſacrificii & oblationis. Ita Auguſtinus ad Paulinũ Epiſtola 5. 9. vocat ſancti altaris oblationem, quæ Deo offeratur: quando ſcilicet id quod in menſa Domini eſt, benedicitur, ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur & præparatur. Hæc enim ſunt ejus verba.

Cyprianus lib. 7. 1. Epiſt. 3. ubi in principio totius Epiſtolæ argumentum ponit, de calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando, ſubinde ingeminat vocabula ſacrificii & oblatiõis: & quòd Chriſtus ſumpſit calicem, non ſola aqua, ſed vino & aqua mixtum, illum benedixit, diſtribuit diſcipulis. Hoc Cyprianus ita effert: Chri- *Cyprianus.* ſtus obtulit Deo patri, non aquam ſolam, ſed vinum aqua mixtum in calice, quod Tranſſubſtãtiatores, de ſua oblatione admittere non poſſunt. Nec rectè intellectum offendit, quod dicit, Deo Patri offerri. Nam & Actor. 13. de miniſterio Evangelii, quòd Chryſoſtomus interpretatur de prædicatione: Lucas dicit, cùm miniſtrarent Domino. Et alibi Patres clariſsimè ſe explicant, cùm dicunt, Chriſtum in cœna immolari populis. Auguſtinus Epiſt. 23. immolari nobis. Auguſtinus in Pſal. 79. immolari fidelibus Hieronym. ad Damaſum. Ita Paulus 2. Cor. 2. de prædicatione Evangelii dicit: Chriſti bonus odor ſumus Deo, ad vitã illis qui ſalvantur. Cyrillus in Epiſt. *Cyrillus.* ad Neſtorium vocat incruentum ſacrificium ſeu λατρείαν, quando id quod confectum eſt, nominamus corpus & ſangvinem Chriſti: quando accedimus ad myſticas benedictiones, & ſanctifica-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mur, participes effecti corporis & sangvinis omnium redemptoris Christi. Secundò, Actio cœnę Dominicę veteribus vocatur sacrificiū, oblatio, immolatio, &c. quia cœna Dominica celebratur & usurpatur, in memoriam seu cōmemorationē unici sacrificii Christi, in cruce semel peracti. *Augustinus.* Ita Augustin. in lib. sententiarum Prosperi. Cùm frangitur hostia, dum sangvis de calice in ora fideliū funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, ejusq; sangvinis de latere effusio designatur. De fide ad Petrū, cap. 18. Et contra Faustum lib. 20. cap. 18. hæc tria inter se confert, sacrificia Levitica, sacrificium Christi in cruce, & immolationem corporis ejus in Cœna, & inter hæc talem ostendit differentiam: in cruce redditum fuisse in veritate, sacrificiū corporis & sangvinis Christi: in veterum sacrificiis, fuisse figuras & similitudines, promittentes futurum Christi sacrificium: in cœna Domini, per Sacramentum memoriæ, celebrari memoriam seu commemorationem & gratiarum actionem perfecti & consummati sacrificii Christi in cruce. Et ad Bonifacium Epist 23. Item Epist. 120. ad Honoratum tractat exempla, quòd illud quod alicujus memoriale est, propter similitudinem sæpe ejus rei, cujus memoriale est, nomen accipiat, ut appropinquante Paschate, dicimus: Cras aut perendie est passio Christi: cùm semel tantū ante multos annos fit passus. Et die Dominica dicimus: Hodie Christus resurrexit: propter similitudinem enim dies ille id esse dicitur, quod tamen non est. Et posteà subjungit: Nonne Christus semel oblatus est, & tamē in Sacramēto quotidie populis immolatur? Nec mentitur qui dicit, Christum immolari. Si enim Sacramenta nō haberent similitudinem earum rerum quarum sunt Sacramenta, nullo modo essent Sacramenta: sed ex similitudine, sæpe nomina earum accipiunt. Eadem etiam similitudine, sicut dies Paschę vocatur resurrectio Domini, eò quod sit memoria resurrectionis Domini. Ambrosius in Epistolam ad Hebræos declarat, quale sacrificium sit cœna Domini: Quod nos, inquit, agimus recor- *Chrysostom.* datio est sacrificii. Ita Chrysostomus homil. 17. ad Hebræos, disputans de quotidiana oblatione in cœna Dominica tandem inquit: Quod nos facimus, fit ad commemorationem ejus quod semel factum est, scilicet in cruce: non aliud sacrificium, sed idipsum semper facimus: magis autem recordationem sacrificii operamur, quia ipse dicit: Hoc facite in mei commemorationem. Ita Cyprianus dicit. Passio Domini, est sacrificiū *Theophylactus.* quod offerimus. Theophylactus in 10. ad Hebræos. Quæret aliquis, num & ipsi sine sangvine immolamus, ita quidē: sed Christi mortis tunc reminiscimur, eundem semper offerimus: quin potius oblationis illius memoriam facimus, *Augustinus.* perinde ac esse hoc tempore immolatus. Augustinus in Psalmo 79. Ecce innovavit nos Christus, donavit nobis omnia peccata, & conversi sumus. Si obliviscamur quid nobis donatum est, & à quo donatum est, obliviscimur munus Salvatoris: cùm autem non obliviscimur munus Salvatoris, nonne quotidie nobis Christus immolatur? Et semel pro nobis Christus immolatus est, cùm credidimus tunc fuit nobis cogitatio: modò autem reliquiæ cogitationis sunt, qua meminimus, quis ad nos venerit, & quid nobis donaverit ex ipsis reliquiis cogitationis: hoc est, ex ipsa memoria quotidie nobis sic immolatur, quasi quotidie nos innovet, qui prima gratia sua nos innovavit. Observet Lector quod Augustinus dicit, Christum immolari nobis, quando per vocem Evangelii ad fidem convertimur, quando gratia Dei innovamur, in Baptismo scilicet. Nam & de circumcisione Origenes in 2. ad Rom. dicit, sangvinem circumcisionis offerre: imò ex ipsa memoria beneficiorū Christi dicit Augustinus, Christum nobis immolari: hoc est, sicut alibi dicit: Tunc etiq; Christus occiditur, cùm credit occisum.

Hæ veterū declarationes considerentur. Expressè dicunt, Christum semel tantùm verè, sive in veritate oblatum esse in cruce scilicet: actionem verò cœnæ Dominicæ, propter similitudinem vocari sacrificium, oblationem & immolationem: non quòd verè ibi fiat immolatio Christi, sed quia instituta sit & usurpetur in memoriam seu ad commemorationem immolationis Christi, semel in cruce factæ. Et ne hæc commemoratio ad commentitiam Pontificiorū repræsentationem detorqueatur, ipsi veteres se explicant: immolationem Christi designari, cùm hostia frangitur, dum sangvis Domini de calice in ora fidelium funditur. De consecrat. dist. 2. cap. Cùm frangitur. Et de Trinitate inquit Augustinus: Qui Domini morte liberati sumus, hujus rei memoriam edendo & potando, quæ oblata sunt significamus. Item: Corpus Christi dicimus illud, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mysteria consecratum sumimus, in memoriam Domin cæ passionis.

Longobardus lib. 4. dist. 12. Quæritur, si quod *Longobard.* gerit sacerdos, propriè dicatur sacrificiū vel immolatio: & si Christus quotidie immoletur, vel semel tantùm immolatus sit. Ad hoc breviter dici potest. Illud quod offertur & consecratur à sacerdote, vocari sacrificium & oblationem: quia memoria est, & repræsentatio veri sacrificii, & sanctæ immolationis, factæ in ara crucis. Et semel Christus mortuus est in cruce: ibiq; immolatus est in semetipso: quotidie autem immolatur in Sacramento: quia in Sacramento, recordatio fit illius, quod factum est semel.

Observabit autem Lector, huic Longobardi sententiæ, quam ex Patrū testimoniis probat & confirmat: sacrificium scilicet crucis, esse verum sacrificium, actionem verò sacerdotis, non propriè dici sacrificium: directè oppositum esse primum Canonem Tridentinum: Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, anathema sit. Vides Pontificiam Missam non posse consistere, nisi declarationes antiquitatis, quibus etiam Longobardi adhuc tempore Ecclesia usa est, anathemate damnentur. Nam & Augustinus de Civitate Dei libro 10. inquit: Quod hominibus vocatur sacrificium, signum est veri sacrificii.

Tertiò. Patres corpus & sangvinem Domini in cœna præsentia, vocant victimam salutarem, hostiam puram, precium nostrum, precium redemptionis nostræ, precium pro peccatis totius mundi,

mundi, sacrificium propitiatorium, & propitiationem: non quòd actione Sacerdotis, corpus & sangvis Christi in Missa offerantur, ut fiant precium & propitiatio pro peccatis totius mundi, sed quia victima illa, quæ in cruce semel pro redemptione nostra, & pro peccatis totius mundi oblata est, corpus scilicet & sangvis Domini, in cœna Dominica adest, dispensatur, exhibetur & sumitur, ita ut virtus & efficacia illius oblationis, semel in cruce factæ, applicetur & obsignetur privatim singulis fide sumentibus. Ita *Cyprianus de cœna Domini.* Cyprianus de cœna Domini inquit: Panis iste supersubstantialis, & calix benedictionis, solenni benedictione sacratus, ad totius hominis vitam proficit, simul medicamentum & holocaustum, ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens. Mox verò addit explicationem de communione, poculum quod Christus nobis porrexit, tantæ virtutis esse. Et svavissima extat sententia apud Augustinum, libro 9. *Augustinus.* cap. 13. de Monica matre sua: Tantummodò memoriam sui, ad altare tuum fieri desideravit. unde sciebat dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis, quia triumphatus est hostis, computans delicta nostra, & quærens quid objiciat, & nihil inveniens in illo, in quo vincimus. Ad cujus precii nostri Sacramentum, ligavit ancilla animam suam vinculo fidei. Nemo à protectione tua dirumpat eam. Non se interponat nec vi, nec infidiis, nec Leo, nec Draco, &c. Illa enim, quæ in cœna Christus exhibet, fides accepta interponit inter peccata nostra & iram Dei, tanquam satisfactionem & propitiationem. Ita Bernhardus inquit, sermone 22. in Cantica: Cùm defecit virtus mea, non conturbor, nō diffido: sciam quid faciam, calicem Domini accipiam? Et sermone 1. de Epiphania: Totum quod dare possum, miserum corpus istud est. Id si minus est, addo & corpus ipsius. Nam illud de meo est, & meum est: parvulus enim natus est nobis, & filius datus est mihi. De te Domine suppleo, quod minus habeo in me. O dulcissima reconciliatio, *Emissenus.* ac satisfactio svavissima. Emissenus de Cōsecra. 2. cap. Quia corpus: Consecravit nobis Sacramētum corporis & sangvinis, ut coleretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in precium: ut quia quotidiana & indefessa currebat pro omniū salute redemptio, perpetua esset redemptionis oblatio: & perennis victima illa viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia, verè unica & perfecta hostia. Cùm igitur reverendum altare, cibis spiritualibus satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus & sangvinem fide respice, cordis manu accipe, & totum Christum interioris hominis assume, &c. Quòd verò Emissenus oblationem vocat perpetuā, hunc *Cyprianus.* habet sensum, sicut Cyprianus de Baptismo Christi inquit: Oblatio Christi in cruce facta, nō minus hodie in conspectu Dei efficax est, quàm eo die, quo de saucio latere sangvis & aqua exivit. Semper enim reservatæ in corpore plagæ, salutis humanæ exigunt precium, & obedientiæ donativuum requirunt, Hæ veterum sententiæ de sacrificio corporis & sangvinis in cœna, ut sunt analogæ fidei, ita nihil patrocinantur histrionico Pontificiorum sacrificio. Sed tamen simul in veterum lectione, etiam hoc observandum est, quomodo phrases illæ de sacrificando & immolando corpore & sangvine Domini in cœna, progressu temporis, verum usum cœnæ Dominicæ paulatim cœperint obscurare & peregrinas opiniones de merito actionis Sacerdotis invehere: Anniversaria die in memoriam fidelium defunctorum, munera seu eleemosynæ ad altare offerebantur, ut esset confessio, qua fide obdormiissent. Postea verò inde factæ sunt propitiationes pro peccatis, etiam mortuorum. Horum vestigia in quibusdam veteribus reperiuntur: quod liberè fatemur. Neque enim veterum qualescunque sententiæ, sed Scriptura Canonica, regula est & norma fidei & judicii in hac controversia.

Et hæc consideratio de nævis quorundam veterum, ostendit quare malimus cœnam Dominicam, Sacramentum potius quàm sacrificium appellari. Primò enim Scriptura, quæ omnium rectissimas & commodissimas appellationes potest rebus ipsis tribuere, nullibi cœnam Dominicam vocat sacrificium. 2. Ipsa appellatio sacrificii, non parùm obscurat veram doctrinam & usum cœnę Dominicæ. Sacrificiū enim est actio, qua nos Deo aliquid reddimus & offerimus. Cœnam Dominicam verò Christus instituit, ut in illa (quod proprium est Sacramentorum) nobiscum ageret, præbens, exhibens, applicans & obsignans pignore corporis & sangvinis sui, merita passionis suæ: & vult, ut ea quæ ibi nobis offert & donat, fide accipiamus. Appellatio verò sacrificii ab illis nos deducit ad ea, quæ nos in actione cœnæ Dominicæ Deo offerimus & reddimus. Rectius igitur & commodius vocatur Sacramentum, quàm sacrificium. 3. Quid incommodi catachreses appellationum sacrificii, si ad cœnam Dominicam accommodentur, afferant, theatricum Pontificiæ Missæ sacrificium, quod ex phrasibus illis nō dextrè intellectis extructum est, satis ostendit.

Et hæc sunt argumenta illa, quæ Tridentinū Concilium pro retinendo, confirmando & stabiliendo sacrificio Pontificiæ Missæ, in aciē producit: quæ simplici explicatione non difficulter refutantur, si tantùm instituatur collatio inter argumenta illa & inter statū controversię, quem ideo in principio plurib. exposuimus. Illa enim accommodatio manifestè ostendit, nihil veri, firmi & solidi, sive subsidii, sive patrocinii, ex omnibus illis argumentis Pontificiæ Missæ accedere.

ARGVMENTA, OSTENDENTIA abominationem Missæ Pontificiæ.

Nec verò hoc tantùm in sacrificio Missæ Pontificiæ desideramus, quòd scilicet destituatur veris, firmis & solidis Scripturæ fundamentis: sed hoc est quod præcipuè querimur, quòd sit abominatio, pugnans cum doctrina de verbo, Sacramentis & fide: imò quòd contumeliosa in unicum Christi sacrificium, & in perpetuum ipsius sacerdotium: sicut hæc prolixè à nostris, justis & integris scriptis sunt demonstrata. Ergo, ne ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

Argumenta contra Missam.

I. Argumentum.

instituti examinis ratione longius digrediar, præcipua tantùm argumenta contra Pontificiã Missam, in pauca generalia capita conferam, & breviter annotabo.

I. Instituere cultum extra verbum, & sine verbo Dei, & quidem talem cui tribuatur propitiatio pro peccatis, placatio offensæ Dei, & impetratio gratiæ, & aliorum beneficiorum à Deo: vanum est, Deo placere non potest, imò idololatria est. Fruſtrà enim colunt me, doctrinis & mandatis hominum. Item: Sine fide impossibile est aliquid placere Deo. Fides autem est ex auditu, & auditus per verbum Dei revelatum. Imò Prophetæ pronunciant, idololatriam esse omnia sacrificia, non tantùm gentium, verumetjam Iudæorum, quæ extra verbum, & sine mandato Dei instituebantur in lucis, in excelsis, &c.

Sed theatrica repræsentatio per verba, ornamenta, ritus, gestus, actus, &c. sicut in Pontificia Missa fit, nullum habet verbi testimoniũ. Christus enim in institutione cœnæ Dominicæ, ne ulla quidem syllaba ejus meminit. Fabulantur sanè quidam, Pontificiam missificationem Iacobũ habere autorem. Sed ipsi Pontificii scriptores fatentur, Apostolis illa fuisse ignota: ut quos scribunt, solummodò Dominica oratione ad verba cœnæ usos in celebratione cœnæ Dominicæ: sicut paulò ante loca autorum notavimus. Et quidem ipsi Pontificii scriptores annotant, qui Romani Pontifices, & quorum tempore singulos actus & scenas Missifici dramatis invenerint & instituerint, unde postea tota illa repræsentatio composita est. Quia ergo Pontificia Missa, sine verbo Dei, sine traditione & exemplo Apostolorum, humanum inventum est: cultus igitur vanus est, qui Deo placere non potest: imò abominatio & idololatria est, humano commento tribuere propitiationem pro peccatis, &c.

Pontificia Missa falso Iacobo asscribitur.

II.

II. Sacramenta extra usum à Christo institutum, in aliam actionem toto genere diuersam transferre, ingens est piaculũ. Ambrosius enim tractans doctrinam de cœna Domini, inter indignos reponit illos, qui aliter hoc mysterium celebrant, quàm à Domino institutum est. Christus autem Sacramenti, & nõ sacrificii actionem, in verbis institutionis præscripsit & mandavit: quod manifestissimum est. Et ipsi Pontificij tradunt, diversas esse actiones Sacramenti & sacrificii. Contumelia igitur cœnæ Dominicæ est Missa Pontificia.

Ambrosius.

III.

III. Administrationem & usum cœnæ Dominicæ, Christus moriturus testamenti forma instituit. Magnum autem scelus est, vel hominis testamento, quando ratum & confirmatum est, aliquid superordinare. Manifestũ igitur est, quid sit Pontificia Missa, quæ testamento filii Dei aliquid superordinat, quod in illo non continetur, non instituitur, non præscribitur.

IIII.

IIII. Missa Pontificia, sicut eam in principio descripsimus, multis modis cum unico propitiatorio sacrificio Christi in cruce pugnat, & in illud contumelioſa est. Vnicum enim solum est sacrificium propitiatorium, expiatorium & satisfactorium pro peccatis: oblatio scilicet Christi, semel in cruce facta, Hebræo. 7. 9. & 10. Semel se obtulit pro peccatis, ad tollenda multorum peccata, æterna redemptione inventa. Vnica enim oblatione consummavit in æternum eos, qui sanctificantur. Ergo fingere aliud propitiatorium sacrificiũ pro peccatis, abominanda contumelia est in sacrificium Christi. Nec relevat Pontificios, quòd dicunt se non aliam, sed eandem hostiam, quæ in cruce oblata est, iteratò sæpius, & quidem quotidie pro peccatis offerre. Nam Epistο. ad Hebræos diserte & expresse hoc agit, & sæpius repetit, Christum se ita semel pro peccatis obtulisse, ut non necesse habeat quotidie pro peccatis offerre, nec ut sæpius semetipsum offerat: sicut Leviticus Pontifex, per singulos annos intrabat in sancta. *Pighius.* Pighius dicit, Christum quidem seipsum non offerre sæpius: sed hoc non obstare, quò minus per sacerdotes sæpius offeratur. Sed Hebr. 9. non tantùm dicitur, Christum semetipsum semel tantùm & non sæpius obtulisse, sed ibidem etjam scriptum est: Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Item Hebræorum 10. in genere dicitur: ubi est peccatorum remissio, ibi nõ amplius oblatio pro peccato. Imò Apostolus affirmat, esse testimonium infirmitatis, imbecillitatis & imperfectionis, quando eadem hostia sæpius & per plures sacerdotes pro peccatis offertur. Et hanc ponit antithesin, inter sacerdotium Leviticum & Christi. Ibi fuerunt plures Sacerdotes, & iteratæ repetitiones ejusdem sacrificii: quod signũ fuit, illis sacrificiis non auferri peccata. Christus verò, unicus & sempiternus est novi Testamenti sacerdos, qui unica pro peccatis hostia oblata, æternam redemptionem, & consummatam remissionem peccatorum invenit. Qualis igitur abominatio sit Pontificia Missa, & quàm contumelioſa in sacrificium Christi, Scriptura clarissimè, sæpius repetita eadem sententia monstrat. Sed inquiunt: Licet Christus unica oblatione consummatè meruit redemptionem, & remissionem peccatorum: tamen ut per illam salvemur, necesse est ut applicetur & accipiatur. Concedit hoc: sed Scriptura non dicit, applicationem unicę oblationis Christi, fieri per novam & iteratam oblationem pro peccatis, sed alia ostendit media ab ipso filio Dei esse instituta: ut scilicet verbo & Sacramentis applicetur, & fide accipiatur. Pleriq; conantur claritatem testimoniorum Epistolæ ad Hebræos eludere hac distinctione, quòd unica cruenta oblatione semel Christus se obtulerit: & hoc modo ipsum non posse vel debere sæpius offerri, incruenta verò oblatione, sæpius & quotidie per sacrificulos pro peccatis esse offerendum. Sed epistola ad Hebræos, sine omni distinctione & exceptione, generaliter loquitur: Semel pro peccatis oblatus est. Non necesse habet quotidie pro peccatis offerri. Vbi est peccatorũ remissio, ibi non est amplius oblatio pro peccato. Et textus Hebr. 9. manifestè tria hæc ponit de oblatione pro peccatis. 1. Sine sangvinis effusione non fit remissio. 2. Si sæpius offeratur Christus, oporteret ipsum sæpius pati. 3. Oportet mortem intercedere, ut per oblationem pro peccatis, promissionem æternæ hæreditatis accipiant qui vocati sunt. Scriptura igitur non admittit. Christum sæpius pro peccatis

Quomodo Pontificij testimonium Epist. ad Hebræos eludere conentur.

offerendũ esse, sive fiat cruenta, sive incruenta oblatione. Patres verò quando nominant incruentam oblationem, intelligunt Spiritualia sacrificia. Fiat autem accommodatio harum sententiarum ad sacrificium Pontificiæ Missæ. Oblatio Christi pro peccato, non fit sine effusione sangvinis: sed oportet morte intercedente ipsum pati, quando fit hostia pro peccato, Hebr. 9. Ergo Pontificii, qui fingunt in Missa Christum iteratò offerri pro peccatis, iteratò ipsum crucifigunt & occidunt, quantum quidem in ipsis est. Christus enim amplius non moritur, mors amplius ipsi dominari non potest. Sed sunt, qui rursus sibi ipsis crucifigunt filium Dei, ostentui ipsum habentes, Hebræorum sexto, Talis igitur & tàm horrenda est abominatio sacrificii Pontificiæ Missæ.

V.

V. Missa Pontificia pugnat cum perpetuo sacerdotio Christi. Nemo enim potest Christum pro peccatis offerre, nisi ipse Christus semetipsum. Hebræ. 5. Nemo sumit sibi honorem, &c. Hebræ. 9. Per Spiritum sanctum semetipsum obtulit Deo. Et quidem oblationem pro peccato, in novo Testamento, affirmat Apostolus pertinere ad unicũ sacerdotiũ Christi: non ita ut per plures Sacerdotes sibi succedentes sæpius offeratur, sed quia semel semetipsum obtulit Deo. Pugnat verò & alia ratione Pontificia Missa, cum perpetuo sacerdotio Christi. Christus enim est Pontifex & Salvator noster, non tantùm merito, verumetjã efficacia. Et Hebræ. 7. perpetuum ipsius Sacerdotium ita describitur: Salvare in perpetuum potest, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro nobis. Hebr. 9. Introivit in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Item: Mediator novi Testamenti est, ut morte intercedente promissionem hæreditatis accipiant qui vocati sunt. Hebræ. 10. Eos, qui sanctificantur, Christus consummat in sempiternum, unica sua oblatione. Item: Habentes sacerdotem magnum super domum Dei, habemus fiduciam ad introitum in sancta: accedamus ergo cum vero corde, &c. Hebræ. 4. Habentes Pontificem qui penetravit cœlos, adeamus cum fiducia thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam in auxilium, &c. Colligantur hæc in unam summam, quæ Scriptura testatur pertinere ad perpetuum Sacerdotium Christi: & ex opposito consideretur, quòd omnia hæc Pontificia Missa, Sacerdotio Christi detrahat, & ad se transferat. Vt enim Christus appareat vultui Dei pro nobis, vt per ipsum ad Deũ accedentes salvemur, ut sanctificemur, ut promissionem hæreditatis accipiamus, ut habeamus accessum ad Deum, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus: Pontificii dicunt sacrificulum, ut mediatorem inter Deum & nos se interponere, cum theatrica sua repræsentatione, & per illam Christum sisti vultui patris: ut ita per hanc sacrificuli actionem accedentes ad Deum, inveniamus gratiam, & consequamur misericordiam.

Scriptura verò docet, hæc quæ réda esse in perpetuo Sacerdotio Christi, ad dexteram Patris, per illa media, verbi scilicet, Sacramentorum & fidei, quæ ad hoc ab ipso filio instituta sunt. Manifestum igitur est, quòd Pontificia Missa Christum ex sempiterno suo Sacerdotio proturbet, & in ejus locum surroget sævissimos sacrificulos: ut per ipsorum repræsentationem, ea confidamus nos imperaturos, quæ solius Sacerdotii Christi sunt.

VI.

VI. Pontificia Missa obscurat & tevertit media illa, quæ ipse filius Dei instituit & ordinavit: ut per illa applicaretur & acciperetur meritum, virtus, & efficacia mortis & passionis suæ, ad remissionem peccatorum, & salutem æternam. Sicut enim certum & sufficiens meritum salutis, à Deo ordinatum est, sacrificium scilicet Christi: ita quia oportet ejus meriti applicationem fieri, filius Dei in hunc usum instituit & ordinavit certa media, verbi scilicet, & Sacramentorũ. Et illa ita ordinavit, quòd per ea in ministerio ipse, ut perpetuus sacerdos, vult efficax esse, proponere, offerre, distribuere, donare, applicare & obsignare merita sua ad vitam, & salutem æternam. Et illa vult fide à nobis accipi: quam & ipsam efficacia sua in nobis operatur & confirmat, per verbum & Sacramenta, ut ita laus & gloria nostræ reconciliationis & salutis, in solidum tribuatur unico Pontifici nostro Christo. Sed illam gloriam Pontificia Missa Christo detrahit, & ad actionem sacrificuli transfert, quem fingunt merita passionis Christi posse applicare, quibuscunque velit. Ita cùm Christus merita sua in verbo & Sacramento nobis oblata & exhibita, velit à nobis fide, utpote gratuita dona accipi, Pontificia Missa ex Sacramento facit sacrificium: hoc est, ex actione Dei facit nostrum opus, ex gratuita acceptatione facit opus meritorium & impetratorium. Sacrificium enim, juxta Augustinum libro primo contra adversarium legis, & de Civit. libro 10. est opus quod Deo nuncupamus, reddimus & dedicamus, hoc fine, ut sancta societate ipsi inhæreamus. Sacramentum verò est sacrosanctum signum, per quod Deus gratuita sua beneficia, gratis nobis offert, exhibet, applicat & obsignat. Insignis igitur est perversio cœnæ Dominicæ, ex Sacramento facere sacrificium, eo modo sicut Pontificii de Missæ suæ sacrificio loquuntur: quod scilicet repræsentatoria illa sacrificuli actio, impetret nobis applicationem beneficiorum Christi: & qui curet pro se celebrari Missam, illum hoc opere impetrare gratiã, & quæ præterea Missæ tribuuntur. Paulus Roman. 3. inquit: Pater Filium nobis proponit (scilicet in verbo & Sacramentis) propitiatorium per fidem in sangvine ejus. Hebræo. 9. Ipse Christus fistit se vultui Dei pro nobis. Hæc omnia, Pontificia Missa ad opus sacrificuli transfert.

Sacrificium & Sacramentum Augustino quid.

Accedit & hæc perversio, quod cùm Christus usum cœnæ suæ instituerit, pro singulis sumentibus qui accipiunt, manducant & bibunt, Missa Pontificia usum & fructum præsentis celebrationis cœnæ Dominicæ, transfert ad spectatores qui non communicant: imò ad absentes, atque adeò ad ipsos mortuos.

Breviter capita tantùm argumentorum, ab aliis latius explicata annoto: ex quibus judicari potest, quàm horrenda sit abominatio & idolomania Missæ Pontificiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE MISSIS IN HONOREM SANCTORVM.

CAPVT III.

Et quamvis in honorem & memoriam Sanctorum, nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit: non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit: unde nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi sacrificium Petre vel Paule: sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

CANON V.

Si quis dixerit, impostruram esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.

EXAMEN.

Nec difficile, nec obscurum est hujus Capituli & hujus Canonis examen. Decimus enim articulus, qui de sacrificio Missæ Theologis in Tridentino concilio examinandus propositus fuit, sic habet: An abusus sit, certas Missas certis sanctis attribuere? Et 3 caput dicit, ideo Missas in honorem sanctorũ celebrari, ut ita patrocinia eorum imploremus. Quod Canon Missæ interpretatur, ut Deus meritis & precibus sanctorũ concedat, ut in omnibus divinæ protectionis auxilio muniamur. *Quæstio.* Quæstio igitur est: An sacro sancta cœna Dominica ideo sit instituta, ut ejus celebratione, administratione & usurpatione, implorentur & comparentur patrocinia sanctorũ, ita ut in omnibus, in quibus indigemus divinæ protectionis auxilio, Deus illud concedat propter merita & preces sanctorum. Hæc certè impia prophanatio cœnæ Dominicæ, adversa fronte repugnat institutioni ejus: idq; non tàm apertè, quàm palpabiliter, Christus enim dicit: Hoc facite, non in sanctorum: sed, in mei commemorationem. Et quidem in usu cœnæ Dominicæ ideo præbet nobis corpus & sangvinem suum, ut adituri thronum gratiæ, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno, apprehendamus, & Deo fide proponamus merita unicę oblationis Christi, & intercessionem ipsius, quòd vultui Dei apparet pro nobis, semper vivens ad hoc ut interpellet pro nobis, ut in perpetuum salvet, qui per ipsum accedunt ad Deum, Hebræ. 7. & 9.

His meritis & hac intercessione nitamur, propter hæc merita & hanc intercessionẽ, petamus & confidamus in omnibus divinæ protectionis auxilio muniri. Vtiq; de exauditione & impetratione certi simus, ipse filius Dei in usu cœnæ se nobis conjungit, communicatione corporis & sangvinis sui. Hęc certè ex doctrina verbi Dei, de usu cœnę Dominicę, sunt manifestissima, & plenissima dulcis & necessariæ consolationis. Pontificii verò non tantùm extra Missam, invocationem sanctorũ usurpant & defendunt: sed & ipsam sacrosanctam cœnam Domini, huic impietati servire cogunt: ut scilicet ipsa actione cœnæ Dominicę hoc quæratur, ut sancti sua merita & preces interponant inter nostram dignitatem & inter Deum, ita ut ipsorum meritis & precibus concedatur, quo in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio. Et Missis illis de sanctis, quas Votivas nominant, adscribunt singulares effectus, & multò majores prærogativas quàm aliis simplicibus Missis. Hoc certè non tantùm est, Christo adjungere alios mediatores, per quorũ merita & preces accedamus ad Deũ, ut inveniamus misericordiam & gratiam ad auxilium: sed simpliciter est, Christum deturbare à dextera Dei. Ibi enim ipsum Scriptura affirmat in sempiternum sedere, vt apparens vultui Dei pro nobis, interpellet pro nobis, & merito suo & intercessione: ut per ipsius merita & intercessionem accedentes ad Deum, consequamur misericordiam, & inveniamus gratiam in auxilium oportunum, & salvemur. Hæc verò Pontificii sanctis ita tribuunt, ut fingant se ideo Missas celebrare in honorem sanctorum, ut ipsa actione cœnæ Dominicæ, patrocinia sanctorum implorentur & obtineantur: ita ut propter ipsorum merita & intercessiones Deus concedat, ut consequamur misericordiam, & inveniamus gratiam ad auxilium. Hæc certè impia & horrenda prophanatio est cœnæ Dominicæ. Et quis non putasset fore, ut palpabilis hæc impietas, in Tridentino Concilio si non penitus corrigeretur, aliqua tamen specie palliaretur? id quod alii patroni regni Pontificii facere tentarunt. Vt *Augustinus.* Augustini sententiam de Civit. libro 22. cap. 10. qua affirmat, in administratione cœnæ Dominicæ, à sacerdote sanctos quidem nominari, nullo modo autem à sacerdote invocari: Colonienſe antididagma ita conatur eludere, quòd extra Missam quidem liceat sanctos invocare, non autem in ipsa actione cœnæ Dominicæ. Sed Concilium Tridentinum, cogitans quod scriptum est Apocalyp. 17. Thaidem Babylonicam circundatam (in Missa scilicet) purpura & coccino, auro & margaritis, debere in fronte gestare titulum, quòd sit mater fornicationum & abominationum terræ: ideò sine dissimulatione, perfricta fronte palàm profitetur, ideo celebrari Missas de sanctis, ut ipsa actione cœnæ Dominicæ, patrocinia sanctorum implorentur. Et Canon 5. dicit, Missas celebrari in honorem sanctorũ, pro illorum intercessione apud Deum obtinenda: eo scilicet modo, sicut Canon Missæ & Collectæ de Sanctis restantur.

Et ad defensionem impiæ hujus prophanationis, ex doctrina Scripturæ de cœna Dominica, ne in speciem quidem aliquid proferri potest. Tantùm veterum quorundam exemplis, impietatem illam excusare & defendere conantur. Sed insignem & luculentam injuriã faciunt veræ & puriori antiquitati: quod paucis monstrabimus.

Hoc constat ex historia antiquitatis, cùm in magnis illis primitivæ Ecclesiæ persecutionib. pro confessione Christianæ fidei, multi quotidie martyres fierent, quòd Ecclesia annuas illorum martyrum memorias, solenniter celebravit: & quidem in ipsis locis, ubi martyrum corpora *Historia antiquitatis de memoriis martyrum.*

pora sepulta erant, publicos celebrabant Ecclesiæ conventus, tractabatur ibi verbum Dei, celebrabatur ibi administratio cœnæ, sicut Paulus 1. Corinth. 15. dicit, super mortuos celebratam fuisse administrationem Baptismi. Et quidem in ipsa synaxi, ante consecrationem panis & vini suo loco & ordine nomina & certamina martyrum publicè recitabantur. Progressu temporis, etiam martyrum corpora, sub ipsis mensis seu aris, in quibus celebrabatur cœna Dominica, repositа fuerunt, maximè Ambrosii & Augustini ætate, ut testatur Ambrosius lib. 10. Epistol. 85. De his ex historia antiquitatis constat. Mox verò Pontificii affingunt: Ergo antiquitas Missas celebravit de sanctis, ut ipsa actione cœnæ Dominicæ, implorarent patrocinia sanctorum, ut propter ipsorum merita & preces consequerentur misericordiam, & invenirent gratiam ad auxilium. Sed ipsi veteres nõ tantùm expressè se declarant, quomodo, quare, quo fine, qua opinione, & intentione hoc facerent, verùmetiã cùm à multis illa, quæ in memoriis martyrum fiebant, finistrè acciperentur, diserte negarunt illa ipsa, quæ nunc Pontificii Missis de Sanctis tribuunt. Extat apud Eusebium libro quarto, capite decimoquinto, Epistola Ecclesiæ Smirnensis, ubi narratur, in illo loco, ubi ossa Polycarpi humata erant, pios solitos *συνάγεσθαι*, hoc est, publicos Ecclesiæ conventus celebrare, maximè in die passionis ejus. Audi verò, quomodo hoc quod tunc usitatum erat in Ecclesia, adversarii interpretati sint. Narrat enim Epistola Smirnensis, & Iudæos suggessisse præfecto, ne corpus Polycarpi traderet humandum Christianis, foreenim, ut relicto crucifixo, martyrem illum colere inciperent. Quomodo verò Christiani Christum crucifixum colunt? Certè ita, sicut Epistola ad Hebræos perpetuum Christi Sacerdotium describit: quòd scilicet pro peccatis nostris crucifixus, jam in dextera patris, merito unicæ oblationis suæ, & intercessione sua apparés vultui Dei pro nobis, interpellet pro nobis apud Deum, ut per ipsum accedentes ad Deum, consequamur misericordiam, inveniamus gratiam ad auxilium, & salvemur, ad Hebræos septimo & nono. Talem vero honorem & cultum, hac intentione, & in hunc finem arbitrabantur Iudæi, Christianos exhibere martyribus, quando super monumenta ipsorum synaxes celebrabant. Sed Christiani respondent: Ignorant miseri, nos non posse unquam Christum, qui pro totius mundi salute mortem sustinuit relinquere, neque alium quenquam colere. Qua verò intentione, & in quem finem, synaxes celebrarunt super monumenta martyrum: Respondet Epistola Smirnensis: Ad memoriam eorum, qui prius pro Christo certarunt, *καὶ εἰς τῶν μελλόντων ἄσκησιν καὶ ἑτοιμασίαν*. Quod Ruffinus non incommodè reddidit: Vt sequentium animi, ad præcessorum viam insignibus exemplis suscitentur. *Epistola Ecclesiæ Smirnensis.*

Sed in orationibus Ecclesię, etiam martyrum mentio facta fuit. Audi vero, quomodo & illud Smirnensis Ecclesia explicet: Martyres, inquit, propter insuperabilių erga regem & præceptorem suum benevolentiam diligimus, tanquam discipulos Domini, & imitatores: & optamus, nos illorum consortes fieri. Græcè valdè significãter hoc dicitur: *ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνοὺς γενέσθαι*. Ita enim Paulus dicit, Philippenses esse consortes suos in gratia. Ruffinus relativum *ὧν*, interpretatur de fide, charitate, & perseverantia martyrum. Oravit igitur Ecclesia, ut in vita æterna consors & socia aliquando fieret martyrum, utiq; in hac vita illarum virtutum, quas in martyribus celebrabat, consors redderetur, acceptis ex munificentia Dei similibus virtutibus. Hoc testimonium veteris Ecclesiæ, de memoriis & veneratione martyrum, circa annum Domini 160. diligenter observetur. Vtrunque enim ostendit, & explicationem veræ sententiæ, & refutationem eorũ, quæ falsò ipsis tribuebantur de cultu martyrum. Apud Dionysium, ex tabulis recitantur nomina eorum, qui in Christo dormierunt. Sed Dionysius rationem reddit, illud fieri non vel ob implorandum ipsorum patrocinium, vel ob purgatorium: sed ut præsentes ad ipsorum imitationem vocẽtur: utiq; prædicentur jam verè vivere, ut qui ex morte in vitam verè divinam jam translati sint: & ita significetur, mortuos in Christo, adscriptos esse in memoria Dei. *Ruffinus.*

Iulianus Christianis apud Cyrillum, libro 6. objicit: Colitis homines miseros, usos lege dura quadam, & aspera. Cyrillus respondet: Martyres neque Deos esse dicimus, neque adorare consuevimus: sed laudamus eos summis honoribus, quòd pro veritate certarint, & fidei sinceritatem servarint. Et postea dicit simile esse, sicut apud Græcorum vetustissimos, ij qui in Marathone ceciderant, anniversariis laudibus coronabantur, cùm apud eorum sepulchra conveniretur. Hoc Lector observet, unde consvetudo de anniversaria martyrum memoria, quæ nullum expressum in specie, Scripturę vel testimonium vel exemplum habet, originem traxerit. *Iulianus.*

Faustus Manichæus Augustino objicit lib. 20. cap 21. Idola vertistis in martyres, quos votis similibus colitis: defunctorum umbras vino placatis, & dapibus. Atqui vota gentilium ad idola, qualia fuerint, non ignotũ est. Augustinus enim opiniones illas ita describit, de Civitate Dei, lib. 8. cap. 20. dæmones medios inter Deos & homines agere: & illa mediate hominibus apud Deos necessarios esse, cap. 23. Atque ideò donis invitari, honoribus mulceri, religione coli, cap. 17. ut preces hominum ad Deos perferant, & inde ad homines concessa & impetrata quæ poscunt referant & apportent, cap. 18. Quibus igitur persvaderi non potuit, esse Deos, ipsis persvasum fuit, esse inter Deos & homines internuncios, ac beneficiorum impetratores, atq; ideò nõ omnino indignos honore divino. Hæc ideò ex Augustino ascripsi, ut proposita disputatio eò rectius intelligi, utiq; eo facilius commentum illud Apulei, ad Pontificiorum figmenta de patrociniis Sanctorum conferri possit. Num igitur Augustinus in memoriis martyrum, illa quæ Faustus objicit, agnoscit, quòd scilicet similibus votis à Christianis colantur martyres, sicut idola à gentibus? Nihil verò minus. Nam capite vigesimo septimo, libro octavo, de Civitate dicit: Nos *Faustus Manichæus adversus Augustinum.* *Augustinus ad objectionem Fausti.*

Memoria Martyrum in veteri Ecclesia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

martyribus non constituimus templa, sacerdotia, sacra & sacrificia. Atqui hoc in Papatu & factum est, & adhuc defenditur. Sed quare, qua intentione, & quo fine veteres, apud memorias martyrum celebrabunt actionem cœnæ Dominicæ? Respondet Augustinus: Vt ea celebritate, & Deo vero de ipsorũ victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atq; palmarum, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur. Num verò ad hæc consequenda, sancti invocabantur? Nequaqam inquit Augustinus: sed invocato in auxilium eodem Deo vero, qui ipsos & homines & martyres fecit, & sanctis Angelis cœlesti honore sociavit. Sed tamen nomina martyrum in synaxi recitabãtur: ergo fuit tunc invocatio? Respondet Augustinus libro 22. cap. 10. Martyres ad sacrificium cœnæ, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote qui sacrificat, invocantur. Contra Faustum libr. 20. cap. 21. Offertur Deo apud memorias martyrum, ut ex ipsorum locorũ admonitione, major affectus exurgat, ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari possumus, & in illum, quo adjuvante possumus. Hactenus Augustinus antiquitatis sententiam, Scripturæ consentaneam rectè recitat. Non tamen nego, progressu temporis, Augustini præsertim ætate, peregrinas & vitiosas opiniones cœpisse memoriis martyrum affingi. Quia enim ad memorias martyrum, quædam miracula edebantur, quæ sine dubio Deus ipse edebat, non alio Consilio, quàm 4. Regum 13. ut scilicet testaretur, doctrinam illam, in cujus confessione martyres vitam profudissent, veram & divinam esse, utq; miraculis illis, homines ad amplectandam & confitendam doctrinam illam invitarentur & confirmarentur. Homines hæc non considerantes, cœperunt de singularibus martyrum, pro suis cultoribus, intercessionibus, demeritis & operationibus martyrum disputare. Vt de Civit. lib. 8. cap. 27. Quidam epulas ad monumenta martyrum deferebant, & credebant eos ibi sanctificari per merita martyrum. Sed hoc Augustinus dicit à melioribus Christianis non fieri, & in infirmioribus tolerari.

Cœptum verò etiam fuit Augustini tempore disputari, de orationibus, meritis, operationib. & adjumentis martyrum mortuorum, propter miracula, quæ fiebant ad memorias martyrum. Sed illa relicta tunc fuerunt in medio, tanquam opinio nec vetus, nec certa. Vt lib. 22. de Civit. cap. 10. inquit: Faciunt hæc martyres, vel potius Deus, vel orantibus vel cooperantibus illis, ut fides cõfirmetur, qua eos non Deos esse nostros, sed unum Deum habere nobiscũ credamus. Et cap. 19. Sive Deus ipse per seipsum hoc operetur, sive per suos ministros, sive quædã faciat etjam per martyrum spiritus, sive omnia ista per Angelos operetur, ut quæ per martyres fieri dicũtur, eis orantibus tantùm & impetrantibus, non etjã operantibus fiãt: sive alia fiant istis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus possunt, &c. Idem de cura pro mortuis, cap. 16. An Martyres ipsi præsentes sint, quando ad memorias ipsorum miracula fiunt: an verò Deus per ministeria Angelorum opituletur, & martyres generaliter orantes audiat: res hæc altior est, quàm ut à me possit attingi, & abstrusior, quàm ut à me valeat perscrutari. Ita Origenes in 2. ad Roman. An sancti qui cum Christo sunt, aliquid pro nobis agant & laborent, ad similitudinem Angelorum, qui salutis nostræ ministeria procurant: habeatur hoc quoque inter occulta Dei, nec chartulæ committenda mysteria. Ita primùm sine asseverationibus disputare cœperunt illæ opiniones.

Augustinus de martyrib.

Hieronymus verò in contentione adversus Vigilantium, audacius aliquid de hac quæstione, sed sine Scripturæ & antiquitatis veris testimoniis asseveravit. Basilius & Nazianzenus declamatoriis suis apostrophis, non exiguã fecerunt inclinationem. Augustinus etjam opinionibus illis, licet eas in dubio relinqueret, aliquid tamen cœpit tribuere: ut de Civit. libro 22. cap. 9. dicit, martyres talia à Domino impetrare posse, & propatientia etjam habere potentiam. Item contra Faustum, lib. 20. capite 21. Populus Christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandã imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur. Quod de imitatione dicit, illud ex sententia veterum dicit. Alterum de consociatione meritorum, non est illud quod Pontificii tradunt, sanctorum merita applicari aliis, sed merita Patres vocant ipsa bona opera, & virtutes Sanctorum, quibus Deus reddit præmia. Vtigitur in similibus virtutibus, & in virtutum coronis, socii Sanctorum efficiamur, ad hoc dicit prodesse celebrationem certaminum, & victoriarum martyrum, sed invocato in auxilium, & adjuvante vero Deo, qui ipsos fecit martyres. Hæc enim sunt Augustini verba. Et qualem consociationem intelligat, inde colligi potest, quòd 8. de Civitate dicit, Deum martyres Angelis cœlesti honore sociasse. Et hoc loco dicit, nos martyrũ meritis, hoc est, virtutibus consociandos esse. Et hæc phrasis de consociatione, planè reddit illam sententiam, quæ extat in Epistola Ecclesiæ Smirnensis, ut scilicet optemus nos fieri συγκοινωνους, martyrum consortes & socios.

Hieronymus.

Basilius.

Nazianzenus.

Augustinus.

Postremus verò apud Augustinum de adjumento orationum, ortum est ex illa opinione, quam Augustinus in dubio reliquit, sicut jam dictum est.

Postremis verò temporibus, fabricatus est inde articulus fidei de patrociniis, meritis, intercessionibus, auxiliis, adjumẽtis & beneficiis sanctorũ, de quo si quis vel parum ambigat saltem, statim anathemati subjicitur: sicut V. Canon ostendit Et quidem (quod horrendum est) ipsa actio cœnæ Dominicæ eò detorquetur. Sed ex Scriptura ostendi non potest, cœnam Dominicam in hunc usum à Christo esse institutam, imò prophanatio est, pugnans cum institutione cœnæ, sicut suprà demonstratum est. Quod ad antiquitatis exempla & testimonia attinet, ostendimus quæ fuerit sententia vetustissimæ & purioris antiquitatis, & quomodo posteà progressu temporis irrepserint aliæ opiniones, quæ in medio tamen, seu potius in dubio relictæ fuerunt, donec

donec tandem sub regno Pontificio stabilitæ, in eam prophanationẽ cœnæ Dominicæ & cultus divini exierunt, quæ omnium piorum querelis jam deploratur. Cumq; æquum esset, ut ad ipsos primos fontes, juxta Cypriani consilium hæc reducerentur, sicut Augustinus inquit: Tridentini Patres, simpliciter præcisa omni spe emendationis, Missas de sanctis, cum annexis ipsis nervis superstitionum, sub anathematis interminatione stabiliunt. Sed de invocatione Sanctorum, peculiaris postea locus erit. Nunc de memoriis martyrum, qua illas ratione vetus Ecclesia celebrarit, quædam annotanda fuerunt. Ad illa enim exempla non obscurè alluditꝫ. hoc capitulum, cum tamen Pontificia memoria sanctorum, nihil commune habeat cum veterum memoriis. Illi enim publica prædicatione proponebant & celebrabant certamina & victorias martyrum, ad imitationem. Pontificii verò tacito murmure somniant verius quàm celebrant memoriam sanctorũ, & tamen huic dormiturienti speculationi, tribuunt ea, quæ suprà diximus. Hæc verò prorsus ignota sunt antiquitati.

Memoria Martyrum in Pontificia Ecclesia.

DE CANONE MISSAE.

CAPVT IIII.

Et cum sancta sanctè administrari conveniat, sitq; hoc omnium sanctissimum sacrificium: Ecclesia catholica ut dignè reverenterq; offerretur ac perciperetur, sacrum Canonem multis antè seculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem & pietatem quandam redoleat, mentesq; offerentium in Deum erigat. Is enim constat, cum ex ipsis Domini verbis, tum & Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum pys institutionibus.

CANON VI.

Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoq; abrogandum, anathema sit.

EXAMEN.

Nervus, imò substantia, & quasi anima Pontificij sacrificii, est Canon Missæ, ideò de eo retinendo multò magis laborant, quàm de ipso sacræ Scripturæ Canone, quem intermixtis aliis non Canonicis libris, vitiare non verentur. Vt autem major esset apud omnes Canonis istius autoritas, sparsa fuit per Pontificios persvasio, esse traditionem Christi & Apostolorum: licet ex Scriptura hoc ostendi non possit. Ita respondet Innocentius de celebratione Missarum, cap. Cum Marthæ. Eccius ex Isiodoro citat ordinem Missæ, sicut nunc in Ecclesia Pontificia celebratur, primùm à sancto Petro ita esse constitutum. Decretum de Consecratione distinct. 1. fingit Iacobum fratrem Domini, edidisse celebrationem illam Missæ, sicut nunc usitata est apud Pontificios. Et hæc persvasio quosdam inter Scholasticos Scriptores ita dementavit, ut

Pontificiorũ commentum de Canone Missæ.

verba institutionis contenderent potius ita esse legenda, sicut in Canone Missæ posita sunt, quàm sicut apud Evangelistas & Paulum descripta extant.

Tempore Bessarionis, acris fuit disputatio: Ad Consecrationem Eucharistiæ, æquè necessaria esse verba Canonis, ac verba institutionis. Cumq; in Canone illo multa sint, in quorũ commoda interpretatione, multi scriptores nequiquam laborarint. Circius Pelusius dicit, omnes expositiones Canonis esse ineptas, nõ enim quærendam esse interpretationem Canonis, sed quia sit mysterium, à Christo & Apostolis traditum, ideò non intelligendum, sed adorandum esse. Sed primò ex Scriptura doceri, nulla vel ratione vel specie potest, Canonicã illam precem, quæ Pontificiis usitata est, vel à Christo usurpatam, vel ab Apostolis traditã. Deinde ipsi scriptores Pontificii, sicut suprà ostendimus, apertè tradunt, sine Canone illo, ad solam tantummodo Dominicam orationem, Apostolos per verba institutionis, consecrasse oblationis hostiam.

Circius Pelusius de Canone.

Et extant multa Scriptorum testimonia, quòd Canon ille à Romanis Pontificibus frustulatim, seu per partes compositus, & intra sexcentos à Christo nato annos, vix absolutus sit. Quartum igitur hoc Tridentinum Capitulum non audet simpliciter asserere, Canonem Missæ à Christo & Apostolis compositum, sed ait: Ecclesiam Catholicam Canonem illum instituisse. Ne tamen existimetur prorsus humana esse traditio, mox addunt, Canonem constare ex ipsis Domini verbis, ex Apostolorum traditionibus, & ex Pontificum institutionibus. Secernantur itaque illa, quæ in Canone sunt Christi & Apostolorum, ut agnosci possit, quæ sint Pontificum institutiones.

Verba autem institutionis Cœnæ, sunt Christi. Et juxta Gregorium, Apostolica traditio est, orationem Dominicam in celebratione Cœnæ recitare. Exceptis igitur verbis institutionis Cœnæ, & oratione Dominica, Canon Missæ totus quantus est, humanum inventum, & humana compositio est (sive ut Tridentini loquũtur) Canon Missæ Romanorum Pontificum institutio est.

Sed addunt, Canonem illum multis ante seculis ab Ecclesia institutum esse, illa autem tàm multa secula non numerant. Constat enim, sicut postea ostendemus, compositionem illam Canonis, quæ nunc apud Pontificios usitata est, quingentis annis & amplius post Christũ, nondum extitisse in Ecclesia.

De autore etjam, seu consarcinatore potius, non satis constat. Quidam compositionem illam Canonis, Damaso tribuunt, circa annum Domini 370. alii Leoni, circa annum Domini 450. plerique Gelasio, circa annum 490. ut à Romanensi sede aliquid mutuetur authoritatis. Sed Gregorius libro 7. Epistola 63. loquens de compositore Canonis, sine dubio non omisisset, si is Romanus aliquis Pontifex fuisset, sed inquit: Precem illam Scholasticus cõposuit. Scholastici verò hujus, nec Eusebius, nec Hieronymus, nec Sophronius meminerunt, imò ne Gimodius quidem, qui circa annum Domini quingentesi-

De autore Canonis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gentesimo catalogum scriptorum Ecclesiasticorum pertexuit.

Gregorii igitur ætate, circa annum Domini 590. vel paulò antè, vixit consarcinator ille Canonis. Nam Gregorii tempore, appellatio Scholastici, multis fuit proprium nomen, sicut Grammatici loquuntur. Ita Iudex quidam in Campania, libro secundo, Epistola 54. Et defensor Ecclesiæ, libro nono, Epist. 14. habent nomen Scholastici. Et tamen ne illa quidem Scholastici compositio, in Pontificia Ecclesia prorsus servatur. Gregorium enim postea particulas quasdam, quæ nunc in Canone leguntur, addidisse, ex historiis notum est.

Innocentius de compilatore Canonis.

Innocentius igitur disputans de authore Canonis, nunc Gelasio, nunc Scholastico, tandem inquit: nec ab uno autore, nec uno tempore, sed particulatim à multis authoribus & variis temporibus compositum esse Canonem. Ita centonum instar, à multis autoribus, & variis temporibus consutum est infelix illud corpus Pontificii Canonis. Alexander primus circa annum Domini 110. addidit in Canone: Qui pridie quàm pateretur. Siritius circa annum Domini 380. ordinavit in Canone: Communicantes, & memoriam venerantes. Leo primus circa annum Domini 450. instituit illam partem Canonis: Hanc igitur oblationem. Gregorius Magnus circa annum 590. addidit: Dies nostros in pace, &c. Item: quam oblationem, &c.

Obiectio.

Fumi igitur & nugæ sunt, quòd de antiquitate instituti & compositi Canonis, Tridentini Patres fabulantur. Sed opponunt: Non hoc potissimum quæri, à quo autore & quo tempore Canonica illa precatio in unum corpus, & in formâ illam, quæ nunc vulgata & usitata est, compacta fit: cùm ostendi possit, eam sumptam & collectâ esse ex Iustino, Dionysio, Basilio, Chrysostomo, Augustino & Ambrosio, apud quos & sententiæ, & verba Canonis legantur. Sed & hæc gloriatio vana & falsa est. Et utile est, scire antiquitatis historiam de precibus, quæ usitatę fuerunt in liturgiis, sive in celebratione cœnæ Dominicæ. Inde enim multa judicari possunt ex collatione, & de Pontificio Canone, & qua libertate, ratio talium precũ ad analogiam fidei, in nostris Ecclesiis rectè instituta fit. Iustinus igitur Apologia 2. dicit, post lectionem & interpretationem Scripturæ, omnes consurgere ad orationem, & finitis illis precibus, afferri præpositio panem & vinum, ut actionem cœnæ Dominicæ inchoet. Et in illa actione meminit laudis, glorificationis, precum & gratiarum actionis, quibus perfectis, populus ἐπευφημεῖ, dicens, Amen. Post communionem, inquit, commonefacimus nos invicem de dilectione, & coniunctione fraterna, & contribuimus eleemosynas, quibus egentibus subveniatur. Et super illis, quæ ita offeruntur, benedicimus patrem factorem omnium, per filium & Spiritum sanctum.

Irenæus.

Apud Irenæum lib. 4. illæ oblationes pro paupertibus, cum gratiarum actione super illa dona, præcedunt actionem cœnæ Dominicæ: ex illis enim muneribus, de primitiis frugum sumitur, quod per verba Christi accipit vocationem, ut fit corpus & sangvis Christi.

Dionysius.

Apud Dionysium fiunt precationes & lectiones sacrorum librorum, & egredi jubentur catechumeni, energumeni, & pœnitentes. Posteà proponitur panis & calix, & perficitur ἱερὰ εὐχή, sacra precatio: postquam sequitur communio, quæ desinit in gratiarum actionem.

Augustinus.

Augustinus Epist. 59. ad Paulinum, explicans illud Pauli 1. Timoth. 2. de precationibus, orationibus, interpellationibus, & gratiarum actionibus, dicit, in celebratione Sacramentorum fieri precationes, antequam illud quod est in mensâ Domini, incipiat benedici: deinde fieri orationes cùm illud benedicitur, sanctificatur, & ad distribuendũ cõminuitur & præparatur: Interpellationes verò fieri, cùm ante communionem populo benedicitur, & post cõmunionem, dicit omnia concludi gratiarum actione. Chrysostomus homilia 18. in 2. ad Corinth. Primùm fiunt communes preces à Sacerdote & populo. 2. post excusos illos, qui non possunt interesse mysteriis, alia facienda est oratio. 3. pax communicandis dicitur. 4. concluditur gratiarum actione.

Consuetudo in veterum Liturgiis.

In veterum igitur liturgiis, 1. factæ fuerunt preces, priusquam illud quod in mensâ Domini est, inciperet benedici. 2. In ipsa benedictione, sanctificatione, & præparatione panis & calicis Dominici, habuerunt preces quasdam. 3. & post sanctificationem, ante communionem data fuit benedictio seu pax populo communicaturo. 4. post communionem tota actio concluſa fuit gratiarum actione.

Sed jam quæstio est, quod fuerit argumentum, & quæ materia illarum precum, hæc enim observatio propriè pertinet ad hanc controversiam. Illud verò ex veterum scriptis non obscurè colligi potest.

Argumentum enim precationum, quæ post interpretationem Scripturæ, ante benedictionẽ Eucharistiæ fiebant, Chrysostomus luculenter explicat, 1. Timoth. 2. ubi dicit, in obsequio quotidiano oblationis Sacramentorum, fieri ab Ecclesia obsecrationes & gratiarum actiones, non pro fidelibus solùm, sed etjam infidelib. pro regibus, & omnib. qui in sublimitate positi sunt, ut illarum præsidio defensi, tranquillam vitam agamus in pietate & castitate, ipsosq; facit ad agnitionẽ veritatis venire. Item, Referimus Deo gratias, pro felicibus omniũ successibus, quod solem suum oriri faciat, & pluat super justos & injustos. Item, Præcipuè egimus gratias pro his, qui nobis junguntur, & pro beneficiis Dei, quæ nobis & illis contigerunt, & quotidie contingunt, sive clam, sive manifestè proveniant, sive lætæ sint, sive tristia. Idem homilia 26. in Matth. Altari sacerdos assistens, jubet nos Deo offerre gratias, pro universo terrarum orbe, pro absentibus atq; præsentibus, pro iis, qui ante nos fuerunt, & qui posteà futuri sint.

Chrysostom.

Homilia 18. in 2. ad Corinth. In precibus viderit quis populum simul cum sacerdote offerre, pro energumenis & pro pœnitentibus. Et idem confirmat Tertullianus in Apologetico: Oramus pro Imperatoribus, pro ministris eorum, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis, &c. Ita Ambrosius de Consecrat. 2. cap. Paniest, per reliqua omnia, quæ in superioribus ante

ante consecrationem dicuntur, laus Deo refertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Et Augustini sententia, cap. Vtrum, dicit: Reliqua omnia quæ ante consecrationem Sacerdos dicit, nihil aliud quàm laudes & gratiarum actiones sunt, aut certè obsecrationes & petitiones fidelium.

Hoc igitur fuit argumentum, & hæc materia precationum, ante sanctificationem Eucharistiæ. Et huc pertinent etjam illæ preces, quibus super munera à fidelibus oblata benedicebatur pater, per Filium & Spiritum sanctum, sicut Iustinus, inquit, & orabatur, ut Deus veller munera illa populi sui accepta habere, sanctificare, & benedicere, sicut multæ secretæ, quæ ita vocantur, hoc testantur.

Iustinus de precibus in benedictione Eucharistiæ.

Quod verò argumentum fuerit sacræ precis, sicut Dionysius illam vocat, in ipsa benedictione & præparatione Eucharistiæ, Iustinus ita notat. Præpositus accipiens panem & vinum, laudem & gloriam Patri in nomine Filii & Spiritus sancti tribuit: & diu gratias agit, quòd Christus dignos nos judicarit & fecerit, quibus institueret hæc mysteria. Hoc enim volunt Iustini verba: πατρὰ τὸ καταξιῶσθαι τούτου παρ' αὐτοῦ.

Dionysius argumentum sacræ precis, in ipsa sanctificatione Sacramenti ita describit: Sacerdos stans ad altare, celebrat divinas operationes Iesu, pro salute generis humani, quas beneplacito patris in Spiritu sancto, juxta Scripturas perfecit. Deinde procedit ad symbolicam administrationem: ubi prius per apologiam excusans, se, quod ausit sacram illarum administrationem aggredi, exclamat: Tu dixisti, Hoc facite in mei commemorationem. Posteà petit, ut idoneus fiat ad sacram hanc administrationem, qua Christum Deũ imitari debet, perficiendam, hoc enim vocat ἱεροργίαν θεομίμητον, utq; sanctè possit distribuere, & ut illi, qui participaturi sunt, ut sanctos decet, participent. Ibi verò Patres, multa de usu & fructu communionis cœnæ Dominicæ concionati sunt, quòd ibi dispensetur sumentibus victima, quæ est satisfactio pro peccatis nostris, & precium redemptionis. Cyrillus dicit fieri annunciationem incarnationis, mortis, resurrectionis, & ascẽsionis Christi, cujus pulcherrima extat formula in Liturgia Basilii. Et qualis ibi gratiarum actio de mysterio redemptionis celebrata fuerit, ostendit Chrysostomus homilia 16. in Matthæum. In hac verò sacra prece, præcipua fuit recitatio verborum institutionis, sicut testatur Ambrosius de Sacramentis lib. 4. Et hanc orationem dicit Augustinus ad Paulinũ, omnem fermè Ecclesiam concludere oratione Dominica.

Cyrillus.

Chrysostom.

Porrò in illa sacra prece oblatum erjam Deo fuit, sicut Augustinus inquit, votũ nostrum, quo nos vovemus in Christo esse mansuros, utiq; in compage corporis Christi: multi enim unum corpus sumus in Christo: Atque hoc modo tunc ad significandam communionem sanctorum, recitabantur nomina Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrũ, Sanctorum, & eorum, qui piè in Christo obdormierant, sicut in præcedenti capitulo explicavimus.

Ad hanc precem pertinet etjam benedictio & pax data communicaturis, ut scilicet apti sint sacris mysterii Christi, & dignè cõmunicare possint Augustinus dicit: Antistites tunc velut advocati, susceptos suos misericordissimę offerunt potestati.

Hoc fuisse argumentum, & hanc materiam sacræ precis, cùm illud quod in mensâ Domini est benedicitur, sanctificatur, & ad distribuendum præparatur & comminuitur, ex descriptionibus quæ apud veteres extant, certum est. Illas verò preces fuisse populo cum sacerdote communes, testatur Chrysostomus homilia 18. in 2. ad Corinth. His verò peractis, inquit Augustinus, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit. Ejus verò argumentum fuit, sicut Thomas notavit, quòd populus exultavit pro sumptione mysterii, & sacerdos per orationem gratias Deo obtulit. Et hoc inde sumptum est, quia & Christus hymnum cecinit, post datam discipulis communionem, sicut annotat Chrysostomus homil. 83. in Matth.

Hactenus monstravimus, quis ordo fuerit, quod argumentum, & quæ materia sacrarũ precum, apud veteres in liturgiis. Quæ observatio posteà proderit ad examen Pontificii Canonis. Non autem conceptis verbis præscripta fuit una quędam certa formâ harum precum, ad quam sub peccati mortalis periculo omnes Ecclesiæ alligatæ essent, sed liberum fuit, uti quacunq; forma, modo analoga esset fidei. Ita tempore Augustini, in Concilio Aphricano, capite 70. & in Milevitano, capite duodecimo, de precibus seu orationibus Missæ statuitur, ut prius cum prudentioribus conferantur, ne aliæ dicãtur, quàm quæ à prudentioribus tractatæ, vel in Synodo comprobatæ sint, ne fortè aliquid contra fidem fit compositum. Ita Græci aliam formam hujusmodi precum habuerunt in Ecclesia Dionysii, aliam in Basilii, aliam in Chrysostomi. Apud Latinos aliam formam habuit Ambrosius, aliã Isidorus, aliam Gregorius. Et tamen cùm Augustinus Gregorio proponeret quæstionem, quod alia consvetudo Missarum in Romana Ecclesia, alia in Gallicanis Ecclesiis teneretur. Gregorius non vult ad illam suam formam precum, omnes Ecclesias alligatas esse, sed respondet: In quacunque Ecclesia inveneris, quod plus possit Deo placere, solicitè eligas. Fit itaque præter & contra antiquitatis sententiam, quòd ad recitationem Pontificii Canonis, tanquam necessariam, Ecclesias ita volunt cogere, quasi sine illo Canone non possit fieri consecratio, & communio Eucharistiæ. Et injustè damnantur nostræ Ecclesiæ, quòd in celebratione cœnæ Dominicæ, liberè sicut veteres fecerunt, utuntur formulis precationum, quæ & sunt analogæ fidei, & pro ratione nostrorum temporum, ad ædificationem Ecclesiæ faciunt: in quibus tamen substantialia, quę in veterum precationibus usitata fuerunt, comprehenduntur.

Concilium Aphricanum & Milevitanum, de precibus Missæ.

Vt autem ad Pontificiũ Canonem redeamus, falsum est quod dicũt, ejus verba & sententiam extare in Iustino, Dionysio, & Augustino ad Paulinum. Sed inquiunt: In Basilii & Chrysostomi Missa, pleraque quæ in Latino Canone sunt, inveniun-

Gloriatio Pontificiorũ de antiquitate Canonis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

veniuntur. Ego verò, ut non negarim, Basilium & Chrysostomum suis Ecclesiis composuisse formam aliquam talium precum: ita affirmo probari non posse, Missas illas, quæ Basilii & Chrysostomi titulo circumferuntur, ab illis autoribus eo modo, ficut nunc habentur, conscriptas esse: magna enim, & valdè dissentiens est exemplarium varietas. Vtin Basilii Missa, vetus translatio cum Græco exemplari, & nova versione, non convenit: & liturgia qua Syri titulo Basilii utuntur, nec cum veteri, nec cum nova translatione convenit. Ita in Chrysostomi Missa, magna diversitas est exemplarium, Leonis Tusci, Erasmi & Pelargi, qui affirmat suum exemplar, nec cum Tusci, nec cum Erasmi exemplari per omnia convenisse: & addit, se Romæ in Rota vidisse aliud exemplar, quod adhuc ab omnibus variet. Non igitur genuina, syncera & certa sunt omnia, quæ titulo Basilii & Chrysostomi, in liturgiis ipsorũ nunc legimus, sed multa in illis sunt variata, trãsformata & assuta, quod vel inde colligitur, quòd ibi in commemoratione Sanctorum, etjam Basilii & Chrysostomi nomen legitur, quod sine dubio ab ipsis authoribus ita non est scriptum. Ex iis igitur, quæ dubia & incerta sunt, res tanta, de qua in hac controversia agitur, definiri nec potest, nec debet. Ambrosius 1. Tim. 2. vocat regulã Ecclesiasticam, qua inquit Sacerdotes nostri utuntur, ut pro omnibus supplicent. Quale verò illud sit, jam ex Augustino & Chrysostomo ostendimus. In libro de Sacramentis 4. cap. 5. & 6. extant quædã verba, quæ in Latino Canone nunc legimus. Sed nec de illis libris certò constat, quòd sint Ambrosij, & alia ratione ibi ponuntur verba, quàm Pontificius Canon ea accommodat ad suum propitiatorium sacrificium, sicut mox ostendemus.

Hæc ideò commemoravi, ut ostenderem vanam esse gloriationem de antiquitate, autoritate & certitudine Pontificii Canonis. Non enim sequitur: Veteribus usitatæ fuerunt singulares quædam preces in liturgiis: ergo illa ipsa planè forma precum fuit, quæ nunc extat in Pontificio Canone, vel: Quædam verba Canonis reperiuntur apud veteres, ergo totus Pontificius Canon ita sicut nunc extat, vetustissimos Patres autores habet. Et quid opus est pluribus? Ipsi Pontificii scriptores annotant, quæ sententiæ Canonis nõ ex quibus Patribus sumptæ, sed à quibus Romanis Pontificibus inventæ & institutæ sint. Tridentinum etjam capitulum dicit, Canonem exceptis verbis institutionis & oratione Dominica, constare ex Pontificum institutionibus. Et judico hoc ideò positum esse in Tridentino decreto, ut ostenderent se non probare disputationes, qui contendunt Canonem Missæ, non à Romanis Pontificibus, sed ex scriptis Patrum scriptum & collectum esse.

Sed largiamur sanè hoc, particulas quasdam Pontificii Canonis, habere cognationem cum Canone, vel Basilii, vel Chrysostomi, vel Ambrosii, vel Augustini: non enim statim inde conficietur, totum systema Pontificii Canonis, propterea pium & salutare esse. Nam & alia multa assuta sunt, & quæ cum veterũ precibus cognationem habent, in alium planè sensum & usum transformata sunt, sicut mox ostendemus: ut ita infelix compositio Pontificii Canonis, consuta sit ex integro corrupto, & ex multis corruptis. Quando igitur audieris Pontificium aliquem vociferantem: Quid ni pius & salutaris sit totus noster Canon, cùm ejus sententiæ quædam, totidem fermè verbis in Patribus quibusdam legãtur? Opponito elegantissimam similitudinem Irenæi, qua lib. 1. cap. 1. adversus illos utitur, qui scripturæ quasdã sententias excerpebant, & commentis suis, ne sine teste esse viderentur, accommodabãt. Idem enim dicit esse, ac si quis imaginem regis, ex gemmis preciosis à sapiente artifice fabricatam solvat, & materiam aliter componat, ut fiat inde imago canis vel vulpis, & postea gloriaretur, esse pulchram imaginem regis, quia illa ipsa materia sit. Vel qui ex variis Homeri versibus, centones consuunt, si illi gloriari vellent, esse divinum Homeri poema.

Elegans similitudo Irenæi.

Quia verò Tridentinum capitulum decernit, Canonem Missæ ab omni prorsus errore ita esse purum, ut anathema denuncient, si quis dixerit, ipsum errores continere, non sanè prolixam instituemus tractationem, sed breviter & ordine per capita tantùm recitabimus, & tanquam in tabella spectandum proponemus, quos errores & quæ vitia Pontificius Canon contineat, monstrata antitheſi, quomodo ea, quæ in precationibus veterum piè usurpata fuerunt, impiè nunc in Canone transformentur, ad iteratum sacrificium Christi pro peccatis.

Explicatio errorum, qui continentur in Canone.

I. Olim super munera fidelium, quæ ad aram pro pauperibus offerebantur, sicut suprà ostensum est, dicebatur talis oratio: Supplices petimus, ut accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sacrificia. Jam verò collapsa & abolita illa consvetudine, accommodantur hæc verba ad histrionicum Pontificiæ Missæ sacrificium, cujus descriptio ex Eccio suprà posita est. Et illud etjam ante consecrationem Canon dicit, se offerre Deo, pro Ecclesia: & per illud spondet fore, ut Deus Ecclesiam suam regat, pacificet, custodiat. Hæc omnia verò tribuuntur repræsentationi nudi & simplicis panis, quia longè ante consecrationem hæc dicuntur. Tam multa monstra abominationum, ipsum principium Canonis, sicut nunc à Pontificiis usurpatur, complectitur.

II. Quod in Canone sequitur: Offerimus tibi hoc sacrificium laudis, pro redemptione animarum, pro spe salutis, manifestum est ex ipsis verbis, quòd de spirituali sacrificio laudis, glorificationis, & gratiarum actionis, olim hæc verba dicta fuerint. Nam sicut antea ex Dionysio & Chrysostomo ostendimus, celebrabatur in Liturgia gratiarum actio, pro beneficio redemptionis à Christo nobis præstito, unde habemus spem salutis. Et talis celebratio juxta Scripturam rectè vocari potest sacrificium laudis, pro redemptione animarum, facta scilicet per Christum in cruce. Pontificii verò hoc sacrificio laudis, per linguam peregrinam, & per silentiarium murmur sepulto, verba illa ad histrionicam sacrificuli repræsentationem accommodant: quam dicunt fieri pro redemptione animarum, non quæ in cruce facta sit, sed quæ per repræsentationem illam

An Canon Missæ sit orthodoxus.

lam sit impetranda & consequenda. Et observet Lector, quàm scelerate verba pervertantur. Sacrificium laudis pro redemptione animarum. acquisita scilicet & inventa per crucem Christi, detorquetur ad repræsentationem sacrificuli, pro impetranda & promerẽda redemptione animarum.

III. Psalmus 116. dicit: Quia pro beneficiis non possumus Deo gratias referre, beneficiis ipsius, gratiarum actione esse celebranda: & hæc esse vera vota, quę Deo reddenda sint coram omni populo.

Hæc igitur sententia de reddendis votis, olim non malè accommodata fuit ad publicam & solennem, quæ in liturgiis usitata erat, celebrationem beneficiorum redemptionis Christi. Sed sublata publica illa celebratione, Canon reddit ionem votorum, ad Missas votivas refert: quando scilicet aliquis per nundinationem data certa pecunia, curat pro se & suis celebrari talem theatricam repræsentationem, tunc impleri illud Psalmi: Vota mea reddam Domino in conspectu populi.

IIII. Quomodo apud veteres publica prędicatione celebrata sit memoria martyrum, de certaminibus & victoriis ipsorum, in quem finem & usum, in præcedenti capitulo ostendimus. Pontificii verò per silentium in Canone, non celebrant, sed venerantur memoriã: & huic silentiariæ memoriæ & nominationi, tribuunt ea, quæ in Canone sequuntur.

V. Nominationi sanctorũ, in vetustissima Ecclesia nulla cõjuncta fuit invocatio: sicut ex Dionysio, & ex epistola Ecclesiæ Smirnensis manifestum est. Postea circa Augustini tempora, disputari cœpit opinio, nos martyrum orationibus adjuvari. Sed illæ privatæ cogitationes, tunc nõdum insertæ fuerũt publicis liturgiæ precibus. Augustinus enim disertè dicit de illis precibus, de Civit. libro vigesimo secundo, capite decimo. Ad quod sacrificium, ut homines Dei, suo quidem loco & ordine nominantur martyres: nõ tamen à sacerdote qui sacrificat, invocantur. Pontificius verò Canon, in ipsa actione cœnæ Dominicæ, quærens Dei gratiam, opponit Deo & merita & preces Sanctorum, & quidem ita, ut spem faciat, Deum meritis & precibus Sanctorum hoc concedere, ut in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio. Et honoris (quod dicitur) gratia, additur, per Christum, &c. quasi verò credentes per Christum non possint apud Deum auxilium invenire, nisi hoc Deus concedat meritis & precibus sanctorum. Hoc certè directè pugnat cum sententia Scripturæ, Heb. 4. 7. & 10. ubi per Christũ docemur accedere ad Deũ, & ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & inveniamus gratiam ad auxilium. Augustinus etjam dicit: Sancti Dei nominantur quidem ad altare, sed à Sacerdote non invocantur. Pugnat igitur in hac parte Pontificius Canon, & cum Scriptura & cum antiquitatis sententia. Quamvis enim oratio illa Canonis non dirigatur ad sanctos, sed ad Deũ, est tamen ipsissima invocatio sanctorum. Nam orare Patrem in nomine Christi, proposito scilicet ipsius merito & intercessione, est invocare Christum: ergo

Canon pugnat cum vera invocatio ne Dei.

invocatio sanctorum, quando oro, ut Deus sanctorum meritis & precibus concedat, ut in omnibus protectionis ipsius muniamur auxilio. Quàm horrenda verò abominatio sit in ipsa celebratione cœnæ Dominicæ, Deo proponere merita & preces sanctorum, ut propterea inveniamus gratiam ad auxilum, in examine tertii Capituli diximus.

Et observet lector, ex quàm dissimilibus centonibus consarcinatus sit Pontificius Canon, & quomodo progressu temporis, impiæ opiniones veterum precibus assutæ sint. In altera enim cõmemoratione sanctorum, in Canone verba sunt pulcherrima: Nobis quoq; peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarũ sperantibus, partem aliquã & societatem dare digneris cum sanctis tuis, intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte, per Christum Dominũ nostrum. Hæc absq; dubio fuit formula veteris commemorationis sanctorum, & pulchrè congruit ad ea, quæ Smirnensis Epistola de memoria martyrum recitat. Sed postea assutum fuit contrarium commentum: Quorum meritis & precibus concedas, &c. Et illud recens assumentum, positum fuit in priori parte Canonis. Vetus verò commemoratio sanctorum, post principia rejecta est in posteriorem partem. Hęc consideratio multa monet & illustrat.

VI. Vetus Ecclesia obtulit Deo in celebratione Eucharistiæ, preces pro impetrãdis per Christum beneficiis temporalibus & æternis. Ad hoc sacrificiũ precum, commodè potuerunt referri hæc verba: Hanc oblationem placatus accipias, diesq; nostros in tua pace disponas, atq; ab æterna damnatione nos jubeas eripi. Pontificius verò Canon, hæc transfert ad mimicam sacrificuli repræsentationem panis nondum consecrati: & orat, ut Deus illam ita accipiat, ut propter illam dies nostros in pace disponat, & à damnatione nos eripiat,

VII. Quam oblationem benedictã, ascriptã, ratam, rationabilem, acceptabilemq; facere digneris. De hac particula Canonis, præcipuè triũphant Pontificii: extat enim in libro Ambros. 4. cap. 5. de Sacramentis. Et de Consecrat. distinct. 2. cap. Vtrum tribuitur Augustino. Sed institua tur collatio, quem sensum verba illa habeant apud Patres, & quorsum ea torqueant sacrificuli Pontificii. Augustinus dicit, Sacerdotem petere, ut verbo creatoris, & virtute Spiritus sancti, ex pane & vino fiat corpus & sangvis Christi.

Quis sit sensus eorũ verborum apud pontificios.

Et manifestè interpretatur de sumptione, cùm inquit: Quia in Baptismo similitudinem mortis Christi accepimus, similitudinem quoq; carnis & sangvinis ejus sumamus. Corpus igitur Christi crucifixum, & sangvinem effusum, quando in Sacramento sumuntur, vocat hostiam benedictam, per quã benedicimur: ascriptam, per quam in cœlo ascribimur: ratam, per quã de visceribus Christi esse censeamur: acceptabilẽ, ut qui nobis ipsis displicemus, per hanc acceptabiles Deo simus. In hanc sententiam veteres nõ malè orarunt: quia panis & vinũ hæc præstare non possunt, ut fiat nobis corpus & sangvis Christi, illa enim hostia sumpta, est nobis benedicta, rata,

Universidad de Deusto
Biblioteca

acceptabilis. Et hoc ipse contextus Canonis videtur velle, addit enim interpretationem: ut nobis fiat corpus & sangvis Christi. Et vocabulum oblationis, non pro actione ibi accipitur, sed pro pane & vino, quæ à populo oblata erãt. Ita enim præparatoria oratio, quæ Ambrosij titulum habet, inquit: Spiritus sanctus hanc nostram oblationem efficiat corpus & sangvinẽ Christi. Pontificii verò sacrificuli, hæc omnia ad gesticulatoriam suam repræsentationem accommodant: & illam interpretantur esse oblationem ascriptã, per quam in cœlos ascribamur: acceptabilem, per quam Deo accepti simus: ratam, per quam rata sit nostri cum Deo reconciliatio. Hæc quantum distent à veterum sententia, & qualia sint, manifestum est.

VIII. De verbis institutionis cœnæ, quomodo illa in Canone mutentur, antea dictũ est, ubi de consecratione egimus. Quòd verò post verba institutionis sequitur: Vnde memores passionis, resurrectionis, &c. hoc sine dubio sumptum est ex vetteribus. Sed vide degenerationem. Cyrillus dicit, fuisse annunciationem: Dionysius utitur verbo ὑμνῶν. Sed Pontificius Canon legecavet, ut ita murmuretur, ne quis exaudiat.

IX. Antiquitus de oblatis à populo donis & datis, sumebatur quod sanctificabatur verbo Christi, ut fieret Eucharistia corporis & sangvinis Domini: & hæc sumptio & sanctificatio vocabatur oblatio. Nunc cùm mos ille non servetur, verba transferuntur ad repræsentationem sacrificuli.

Oratio sacrificuli post consecrationem.

X. Post consecrationem super corpus & sangvinem Christi, orat sacrificulus, ut Deus pater accepta illa habere dignetur, sicut Abelis brutũ pecus, & Melchisedech cibarium panem & vinum. Indigna profecto, & horrenda est comparatio. Torquent se igitur expositores Canonis, ut absurditatem illam aliquo modo mitigent & amoliantur. Sed centones sunt in Canone transpositi. In Liturgia enim Basilii, quando munera populi collecta sunt, & composita à presbyteris, tunc Pontifex orat, ut Dominus hoc incruentũ sacrificium, acceptum habeat, sicut susceperit munera Abel, sacrificium Noe, holocaustum Abrahæ, &c. Secreta etiam, quæ Dominica septima post Pentecosten legitur, ita orat: Super munera populi, pari benedictione sicut munera Abel sanctifica. Hæc particula jam in Centonibus Canonis, post consecrationem posita, oratur super ipsum corpus & sangvinem Christi. Et tamen nihil vel erroris vel absurditatis Canon continere decernitur.

XI. Post consecrationem super corpus & sangvinem Christi, sacrificulus orat: Iube hæc perferri per manus sancti Angeli, in sublime altare tuum, in conspectu majestatis tuæ. Apostolus ad Hebræos dicit, Christum introivisse in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Et sacrificulus (quod horrendũ est) orat, ut per manus Angeli primùm eo deferatur. Sed quem sensum illa antiquitus habuerint, ex Irenæo colligi potest, qui de oblatione munerum, quibus misereмur pauperum, & de precibus inquit lib. 4. cap. 14. Est ergo altare in cœlis: illuc preces nostræ, & oblationes nostræ diriguntur. Et mini-

sterium Angelorum in orationibus describitur, Apoc. 5. & Tob. 12. Hæc verò particula in centonibus Canonis, non suo loco posita, peperit absurdam & impiam hanc sententiam. De Consec. 2. cap. Vtrum, Augustini sententia ostendit, hæc verba ante cõsecrationem solita fuisse dici: quæ ipse interpretatur, de sanctificatione panis, ut fiat corpus Christi.

XII. De memoria defunctorũ in Christo, extant alicubi quædã veterum exempla. Sed Dionysius dicit, illam memoriam propter imitationem celebratam fuisse, utq; esset testimonium, quòd mortui apud Deum vivant. Postea ex illa memoria, factæ sunt preces & orationes, quibus animæ defunctorũ Deo cõmendabantur. Pontificius verò Canon fingit, opus illud repræsentationis Missificæ, esse sacrificiũ propitiatorium pro peccatis, pœnis & satisfactionibus, quod defunctis in purgatorio applicetur ad liberationẽ. Ita sensim degenerarunt veterum instituta, donec tandem usus cœnæ Dominicæ, qui provivis institutus est ut manducent, bibent, & mortem Domini annuncient, ad mortuos translatus est, per modum sacrificij. Sed de purgatorio, & quæ huc pertinent, peculiaris posteà locus erit.

Vsus cœnæ Dominicæ ad mortuos translatus.

XIII. Olim super munera fidelium, inter cæteras precationes etiam hæc dicta fuit: Per quem Christum, hæc omnia nobis semper bona creas, sanctificas, benedicis, & præstas nobis, per ipsum est Deo patri, in unitate Spiritus sancti, omnis honor & gloria. Hæc rectè conveniunt ad illud Iustini, super eleemosynas fidelium, Deum benedici in nomine filii & Spiritus sancti, & quòd Paulus dicit, creaturas per verbũ Dei, & orationem sanctificari: Postea rapsodia Canonis post consecrationem, verba illa ad corpus Christi transtulit, quasi illud in cœna Dominica semper de novo crearetur.

XIIII. Tempore Gregorii, circa annum Domini sexcentesimum, alia & nova adhuc invocatio sanctorum, Canoni assuta fuit, ut scilicet intercedentibus sanctis, Deus propitius det pacem in diebus nostris, utq; à peccato simus liberi, & ab omni perturbatione securi. Et hæc invocatio sanctorum ita posita est in Canone, ut postquam dictum est in oratione Dominica, Libera nos à malo, & priusquam canterur, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem, inseratur invocatio sanctorum, ut & liberatio à malis, & donatio pacis, sanctorum intercessioni accepta feratur, ne scilicet soli Christo hæc tribuantur, sicut oratio Dominica, & invocatio agni Dei sonant, sed ut per Christum quidem, non tamen nisi intercedentibus sanctis, hæc nobis donari persvadeamur.

XV. Intinctio Eucharistiæ pronunciata est à Iulio Pontifice, non esse consentanea institutioni Christi, traditioni Apostolorum, & Ecclesiasticæ consvetudini. De Consecra. 2 cap. Cùm omne. Et tamen in Canone, Sacerdos non tantùm partem hostiæ consecratæ in calicem mittit, sed addit: Hanc commixtionem fieri sumentibus salutem mentis & corporis ad vitam æternam. Adeò Canoni Missæ, nec cum Scriptura, nec cum patribus, nec cum ipsis veteribus Romanis pontificibus convenit.

Intinctio Eucharistiæ.

XVI. Con-

16. Conclusio Canonis, id quod nullæ veterum preces faciunt, proponit Deo repræsentationem illam Sacerdotis, pro sacrificio propitiatorio. Et fingit Sacerdos, se illud applicare quibvelit, inquit enim: Hoc sacrificium quod obtuli sit mihi & omnibus, pro quibus illud obtuli, propitiabile. Quantum verò abominationum, commentum illud de propitiatorio sacrificio contineat, supra explicatum est.

17. Cùm in privatis Missis, contra morem veteris Ecclesiæ solus sacrificulus sumat, manducet & bibat, tamen per ludibriũ in Canone subinde ingeminat illas voces: Quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus, fiat nobis omnibus sumentibus salus. Habete vinculum pacis, ut apti fitis sacrosanctis misteriis Christi. Item. Quæ ore sumpsimus. Cumq; unam tantùm speciem communicantibus dispensẽt, tamen orat: Quotquot ex hac altaris participatione corpus & sangvinem Christi sumpserimus, &c. Nolui hæc copiosa oratione amplificare & exaggerare, sed tantùm capita errorũ brevi annotatione signare, & consideranda proponere volui: idq; ex illa antithesi, quomodo quæ in veterum precationibus nõ malè usurpata fuerũt, impiè nunc ad Pontificium sacrificium Missæ accommodentur & detorqueantur. Illam enim judico simplicissimam rationem esse declarandi Canonem Missæ.

DE CEREMONIIS MISSÆ.

CAPVT V.

Cumq; natura hominum ea sit, ut non facile queat sine ipsis adminiculis exterioribus, ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia verò elatiore, in Missa pronunciarentur, instituit: ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaq; id genus multa, ex Apostolica disciplina & traditione, quo & maiestas tanti sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa, ad rerum altissimarum quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

CANON VII.

Si quis dixerit, ceremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quàm officia pietatis, anathema sit.

EXAMEN.

Ceremoniæ Missæ quadruplices.

Ceremoniæ Missæ, non omnes unius sunt generis. Quædam enim habent mandatum divinum, & exempla Scripturæ, ut fiant in celebratione cœnæ Dominicæ, quæ quasi substantialia sunt, ut in publico conventu accipere panem & calicem, benedicere, distribuere, manducare, bibere, mortem Domini annunciare. Quædam verò non habent quidem expressum mandatum Dei, ut necessariò ita fiant, in celebratione cœnæ Dominicæ: sunt tamen sua natura res bonæ & piæ, si rectè ad ædificationem usurpentur: ut Psalmi, lectiones Scripturæ, piæ preces, & gratiarum actiones, confessio Symboli, &c. Quædam per se sunt superstitiosa & impia: ut sacrificium Missæ pro vivis & mortuis, invocatio Sanctorum, satisfactio pro animabus in purgatorio, privata Missa, consecratio salis, benedictio aquæ, &c. Quædam verò ceremoniæ sunt adiaphoræ: ut vestitus, vasa, ornamenta, verba, ritus, quæq; verbo Dei non repugnant. Et quæ primi sunt generis, necessariò observanda sunt: pertinent enim ad substantiã cœnæ Dominicæ. Ex iis verò, quæ secundi & quarti generis sunt, in Ecclesiis nostris pleraque quę ad ædificationem fidelis populi faciunt, salva Christiana libertate servantur.

Tertium verò genus superstitiosum & impium, meritò, rectè & necessariò abrogatum & explosum est. Sed examinemus quintum hoc capitulum. Primùm autem hæc consideratio se offert, quod sine distinctione de ceremoniis Missæ loquuntur, & ex una fidelia omnes dealbant, Hæc enim sophistice ipsis usitata est, quòd ea quæ per se pia & bona sunt in Missa, exaggerare solent, dissimulatis interea aliis, ut quia quædam pia & bona sunt, existimentur reliqua omnia unius & ejusdem esse generis. Aut si quis reprehendat manifestè superstitiosa & impia in Missa, statim clamitant, omnia salubria pietatis exercitia, & quæcunque decoro & ordini serviunt, labefactari & tolli. Omnino igitur in hac disputatione, adhibenda est distinctio illa, quam in principio exposui.

Quomodo Christus, quo modo itidem Apostoli cœnam Dominicã celebrarint.

2. Dicunt, omnes illas ceremonias, quas in celebratione Missarum adhibent, esse ex traditione & disciplina Apostolica, quod manifestè falsum est. Quomodo enim Christus celebrarit cœnam Dominicã, Evangelistæ describunt: Apostolicam verò synaxin Paulus describit, 1. Cor. 11. Nec satis est quòd dicunt, verisimile esse, ab Apostolis ceremonias traditas & institutas esse, quia Paulus dicat: Cætera cùm venero, disponam: ostendendum enim esset certis documentis, quæ illa sint, quæ D. Paulus tunc voluerit disponere, & postea disposuerit: quodq; voluerit illa esse Catholicæ & necessariæ observationis. Sed non opus est hujusmodi conjecturis. Ipsi enim Pontificij Scriptores prolixè testantur, Apostolos nudè & simpliciter celebrasse cœnam Dominicam, recitata solummodò ad verba cœnæ, oratione Dominica, & addita commemoratione mortis Christi. Atque ideò Apostolicam missam, propter nudam simplicitatem, accommodant illud Prudentij:

Prudentius.

Agresti turbida vultu,
Nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos.

Annotant autem iidem Pontificii scriptores, quo tempore, & à quibus Pontificibus singulæ ceremoniæ Missę, institutæ sint, falsum igitur est, totam panopliam, & integrum apparatum Pontificiæ Missæ, esse traditionis & disciplinæ Apostolicæ.

3. Quo consilio, in quẽ finem & usum, Patres tales aliquas ceremonias adjecerint celebrationi Sacra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ni Sacramentorum, suprà in loco de Sacramentis, in genere in explicatione 13. Canonis annotavimus. In celebratione verò cœnæ Dominicæ tales servarunt ceremonias, quæ annunciationem mortis Domini, quæ publica prædicatione verbi fiebat, adjuvarent & illustrarent: quæ & unà cum verbo, de doctrina & usu Sacramenti, utiliter aliquid monerent & excitarent homines, ut attentius ad doctrinam verbi, & ad ea, quæ de substãtia sunt cœnæ Dominicæ, animadverterent. Et tales ritus liberæ fuerunt observationis, nõ enim ubiq; fuerũt iidem & similes, nec alii alios ad suorum rituum observationem cogebant. Tali verò libertate, bonos & utiles ritus, non inviti probamus & servamus. Sed Pontificii veterum ceremonias, admixtis multis ociosis, ineptis & superstitiosis ritibus cumularunt, ita ut doctrina & verus usus cœnæ Dominicæ multitudine talium rituum paulatim obscurari & obrui cœperit, donec tandem in aliud planè genus, sacrificii scilicet, transformata est actio cœnæ Dominicæ: Nec ad illustrationem doctrinæ, Pontificii utuntur suis illis ceremoniis: sed verba coram plebe vel peregrina lingva, vel ita secretè pronunciant, ut nemo exaudiri possit. Interea verò foris, externis signis gesticulantur: & illis humanis ritibus, sepulto usu verbi, tribuunt hanc virtutem & efficaciam, quòd spectatores excitent & sublevent ad contemplationem, meditationem, & fidem rerum divinarum. Atqui verbum & Sacramenta divinitùs instituta, sunt organon illud, per quod spiritus vult efficax esse, mentes illuminare, fidem & pietatem in illis excitare, fovere, confirmare, augere & conservare. Ingens igitur discrimen est, & inter ceremonias & inter usum earum, qualis fuit in veteri Ecclesia, & qualis nunc est in Missa Pontificia.

Ceremoniæ Patrum in cœna Domini.

Vanitas ceremoniarũ in Missa.

4. Observationem illarum ceremoniarum ita faciunt necessariam, ut pronuncient mortaliter peccare eum, qui aliquid in illis neglexerit, & vix credunt rectè celebrari cœnam Dominicam, si non adhibeatur totus ille ceremoniarũ apparatus. Et quod diligenter considerandum est, quæ in celebratione cœnæ Dominicæ sunt juris & mandati divini, ut scilicet ea, quæ consecrata sunt, aliis dispensentur, & quidem sub utraque specie, ut mors Domini publicè annuncietur, lingva, quæ ab idiotis intelligi possit, 1. Corinth. 14. ea liberè negligunt, mutant, & sæpeliũt. Pro humanis verò ritibus retinendis, ferro & flamma pugnant. Ita relinquentes mandatum Dei, tenent traditiones hominum, imò irritum faciunt mandatum Dei, ut hominum traditiones servent, Marci 7.

5. Ceremoniis illis & ritibus per se absolutis, tribuunt peculiaria merita. Et pleræque ceremoniæ in Pontificia Missa eò referuntur, ut homines abducãt à vero usu cœnæ Dominicæ: utq; stabiliant superstitiosas & impias opiniones, de opere operato sacrificii Missæ, pro vivis & mortuis, Propter hanc verò causam, & propter hunc abusum, de Papisticis Missæ ceremoniis, non malè dictum est, esse magis irritabula impietatis, quàm officia pietatis. Plura verò ad hanc disputationem pertinentia annotavimus in 13. Canone de Sacramentis in genere, & de submissa voce, dicemus in 8. capit.

DE PRIVATIS MISSIS.

CAPVT VI.

Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos hujus sanctissimi sacrificij fructus uberior proveniret, nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, & privatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeò commendat. Siquidem illæ quoque Missæ, verè communes censeri debent, partim quòd in eis populus spiritualiter communicet, partim verò quòd à publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.

CANON VIII.

Si qvis dixerit, Missas in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoq; abrogandas, anathema sit.

EXAMEN.

Vtile est, originem privatæ Missæ, qualis jam apud Pontificios est, ubi solus Sacerdos celebrans communicat, nosse, & rectè considerare, hæc enim observatio totam hanc disputationem illustrabit. Principio igitur fervente populi devotione, quæ persecutionum procellis magis inflammabatur, quotidie cœtus Ecclesiasticus conveniebat ad celebrationem & communicationem cœnæ Dominicæ: sicut hoc exemplis ostendimus in examine 13. Canonis, de Eucharistia. Postea refrigescente populi ardore, generalis populi conventus, propter secularium occupationes, non potuit nisi Dominicis festis, & solennioribus diebus celebrari. Ibi verò clerici & religiosi, quotidie tamen frequentabant sacra officia: Non quòd Missas celebrarent sine communicantibus, sed ipsi clerici inter se retinebãt quotidianam communionem, Ita enim ex Vualafrido citat Cassander: Cùm maximè clericis omnes dies in ferias deputentur, videtur ratione plenissimum, ut per singulos dies sacris occupemur officiis, panem ac sanguinem Dominicũ, sine quibus vivere non possumus, jugiter ambiamus. Tunc igitur cœpit distinctio Missarũ publicarum & privatarum, quas Gregorius vocat peculiares, Odo Cameracensis solitarias. Quando enim in generali & solenni fidelis populi cõventu, communio cœnæ Dominicæ celebrabatur: quod fiebat Dominicis festis & solennioribus diebus, in publico Ecclesiæ loco: appellabatur publica & solennis Missa. Quando verò privatis diebus (ita enim Cassander notat ex libro Exordii Cistercien sis cœnobii) soli clerici & religiosi ad communionem congregabantur, appellabatur non publica, sed privata Missa.

Origo privata Missæ.

Missa peculiaris seu solitaria.

Missa publica & solennis.

Ita

Gregorius. Ita Gregorius ad Castorium Episcopum Arimenensem inquit: Missas publicas in cœnobiis fieri, omnino prohibemus: ne in Dei servorum recessibus, & eorũ receptaculis, ulla popularis præbeatur occasio conventus. Odo Cameracensis in Canonem: Cùm primitus Missæ sine cœtu populi non fierent, posteà mos inolevit Ecclesiæ, solitarias, maximè in cœnobiis, fieri Missas. Ita quando vel pro ægrotis, vel pro peregrinis, vel aliis extra publicã & solennem populi congregationem communio cœnæ Dominicæ celebrabatur, vel quando illud fiebat in loco privato, appellabantur Missæ privatæ. Ita de Consecrat. distin. 1. cap. Et hoc attendendum, Gregorius dicit: Omnes qui in urbe, vel in circuitu sunt, sive sacerdotes, sive populi, in unam ad publicã Missarum celebrationem conveniant. Peculiares verò Missæ non per altaria, nec in publico, nec tempore publici conventus fiant, ne populus à publicis solennibus abstrahatur. Ita Nazianzenus in parvo oratorio sacra celebrabat. Tripart. 9. cap. 8. Et Victor de persecutione Vandalica, lib. 3. narrat, pios propter Arrianorum ævitiã, in privatis domibus & conventus habuisse, & Sacramentis legitimè fuisse usos. De consecrat. 1. cap. Clericos, permittitur sacerdotibus, ut in oratoriis, quæ intra privatas domos sunt, celebrare possint. Hæ verò privatæ Missæ non fuerunt sine communicantibus. Nam Gregorius homil. 37 in Evang. inquit: Tunc ille compulsus, in Episcopi oratorio Missas fecit, & manu sua corpus Dominicum, pacemq; omnibus dedit.

Cùm verò & illa, de qua jam dixi, quotidiana clericorum & religiosorum communio nõ amplius frequentaretur: sacerdotes tamen quotidie, pro more veteri aras instruebant. Ibi tunc alicubi, quando non aderant communicantes, preces, lectiones, & cæteri ritus ad synaxin pertinentes, excepta consecratione & communicatione celebrabantur: sicut Socrates, lib. 5. cap. 22. de Alexandrina Ecclesia scribit. Et hæc Missa dicebatur ficca. Alicubi verò sacerdotes celebrantes, quando neminem aliũ habebant, soli cõmunicare cœperũt: ne populi oblationibus, si tantũ siccam Missam celebrarent, fraudarentur. Vtautem populum ad oblationes, quæ quæstui ipsis erant, invitarent, cœperũt modũ præparationis, & periculũ indignæ manducationis, ultra veritatem exaggerare, & ecõtrà paulatim multa comminisci de utilitate & efficacia, quę ex privato illo opere & actione Sacerdotis, ad illos etiam, qui non cõmunicarent, modò oblationes afferrent, rediret: donec tandem ex illa Sacerdotis actione sine communicantibus, fabricatũ est sacrificiũ propitiatorium, pro peccatis applicatorium omnium meritorũ Christi, & imperatorium omnium, quæ à Deo postulamus. His verò opinionibus instillatis in hominum animis, cumulatæ sunt sine modo nundinationes & emptiones talium privatarum Missarum. Nam judicatã fuit via esse valdè compendiaria, sine magna præparatione, & sine periculo indignæ manducationis, ex opere operato privatæ Missæ Sacerdotis, posse consequi illa omnia, imò multò plura & præstantiora, quàm quæ ipsa communio cœnæ Dominicæ pollicetur. Hæc vera est origo privatæ Pontificiæ Missæ: quã Tridentina Synodus nõ damnat, sed probat, atque adeò commendat, nec injuria. Vna enim, & potissima quæstura regni Pontificii, est cauponatio & nundinatio privatarum Missarum. Res ipsa autem non est obscura: an scilicet vera & legitima sit celebratio cœnę Dominicæ sine communicantibus, ubi ille qui celebrat, nemini Sacramentum dispensat, sed solus tantùm illud sumit: reliqui verò tãtùm sunt spectatores. Christus enim, cùm Sacramentum hoc institueret, non solus ipse, discipulis tantùm vel spectantibus, vel auscultantibus, illud sumpsit, nec ex illo opere, discipulis si non communicarent, sed tantùm cum devotione astarent, spectarent, & auscultarent, promisit impetrationem gratiæ Dei, imò ne legitur quidem ipse Sacramentum hoc sumpsisse, sed dispensasse, dedisse discipulis, & jussisse, ut illud manducarent & biberent in sui commemorationem. Hoc verò quod ipse in prima cœna fecit, mandavit in futurum fieri, donec veniat ad judicium. Contra omnes igitur cavillationes, certissimum & manifestissimũ est, Christum celebrationem cœnæ suæ non ita instituisse, ut ille qui benedicit, solus sumat, reliquis tantùm spectantibus, & quòd ex illa unius actione, fructus Eucharistiæ propter spectaculum redundet ad alios, qui communicant. Sed institutio Christi, quãdo hoc quod in prima cœna factũ est, ritè & legitimè facere volumus, requirit, ut in celebratione cœnæ Dominicæ, sit qui gratias agat & dispenset, adsit etjam quibus detur, qui accipiant, manducent & bibant. Hoc enim in prima cœna factum est, & ut in futurum fieret, mandatum est. Ita quando Apostolorum synaxis, per fractionem panis describitur, satis ostenditur fuisse dispensationem & distributionem. Omnium verò clarissimè Paulus describit, qualis fuerit celebratio cœnæ Dominicæ, in Apostolica Ecclesia. Non tantùm enim repetit verba institutionis sed 1. ad Corin. 10. dicit, corpus Christi in cœna Dominica, cum omnibus illis, quæ traditione sui corporis promeruit & acquisivit communicari, non spectando quomodo unus sumat, sed panis inquit, quem frangimus, hoc est, dispensamus, & manducandũ distribuimus, est communicatio corporis Christi. Item, dicit, fideles participes esse mensæ Domini, non spectando, sed manducando: unum, inquit, corpus multi sumus: non quia spectamus unũ manducantem, sed quia omnes ex uno illo pane qui frangitur, hoc est, dispensatur & distribuitur, participamus. Imò 1. ad Corinth. 11. opponit interse Dominicam cœnam, & privatam cœnam, & quidem ita ut confirmet, ubi privata cœna agitur, ibi non posse Dominicam cœnam celebrari. Et privatam cœnam definit, ubi quis privatim quod cœnæ Dominicæ est manducat, & præoccupat non simul participantibus aliis, & dicit non dissimile esse, ac si instrueretur talis cœna, ubi unus saturetur, alter verò cogeretur esurire. Conjunctim autem loquitur & de sumptione cœnæ Dominicæ, & de cõviviis, quæ morte tunc usitato subsequebantur. Hic certè locus, tanquã fulmen prosternit privatas Pontificiorum Missas, in quibus solus Sacerdos celebrans, sacramentaliter communicat.

Missa ficca.

Paulus.

Missa unica quæstura Põtificiorum.

An legitimæ cœnæ Dominicæ celebratio censenda sit, quæ fit absq; cõmunicantibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Chrysostom. Et clarissima est Chrysostomi sententia, in illum Pauli locum: Quod Dominicũ est privatum fecerant. Cœna enim Domini debet esse communis. Nam quæ Domini sunt, non hujus sunt servi, non alterius, sed omnib. communia. Quod enim Dominicũ est, idem & commune est. Nam si Domini est, non debes tanquam proprium tibi assumere, sed tanquam res Domini, communiter omnibus proponere: siquidem hoc est Dominicum. Nunc autem non finis esse commune, sed tibi comedis.

Institutum veteru Ecclesiæ. Vetus etiam Ecclesia Christi institutionem, Apostolorum traditionem, & Apostolicæ Ecclesiæ exemplum secuta, semper in celebratione cœnæ Dominicæ, servavit dispensationem & distributionem Sacramenti: id quod testantur omnes descriptiones liturgiarum, quæ apud Patres extant. In veteri & puriori antiquitate, prorsus ignota fuit talis privata Missa, ubi Sacerdos id, quod consecravit, nemini communicat, sed solus sumit. Commentum verò, quòd celebratio cœnæ Dominicæ prosit illis, qui non communicant, sed tantùm intersunt, audiunt, & cum devotione spectant, quod solus Sacerdos agit, non tantùm ignotum est antiquitati, sed seriò & graviter reprehensum & damnatum fuit priscis Ecclesiæ temporibus. Chrysostomus homilia tertia, in primũ caput ad Ephesios: Frustra, inquit, habetur oblatio quotidiana, cùm nemo sit, qui simul participet. Communicabat sine dubio *Chrysostom.* Chrysostomus cũ Sacerdotibus & Diaconis suis, sicut forma liturgiæ ipsius ostendit. Cùm autem ex populo nemo esset qui simul participet, non dicit, prodest vobis quod ego facio, modò cum devotione interfitis actioni, auicultetis, & spectetis, sed inquit: Frustra habetur quotidiana oblatio. Et illud mox clarius explicat, quisquis mysteriorum consors non est, imprudens & improbus astat. Item: Si quis ad convivium vocatus, manus quidem laverit, & accubuerit, & tamen nihil ciborum gustaverit, nonne infert contumeliam convivatori, à quo fuerat vocatus? an non satius fuerit, eum qui talis est, prorsus non comparuisse? Audis non verba, sed fulmina, contra Ponificiam persvasionem de spectaculo privatarum Missarum. In 2. ad Corinthios homil. 18. dicit, in celebratione Eucharistiæ, non esse sicut in veteri Testamento, ubi solus Sacerdos quædam comedebat.

Et persvasio privatarum Missarum, qualis est apud Pontificios Ecclesiasticis Canonibus severiter repressa fuit priscis Ecclesiæ temporibus.

Inter Canones qui Apostolici vocantur, decimus ita habet. Omnes fideles, qui conveniunt in solennibus sacris ad Ecclesiã, Scripturas audiãt. Qui verò non permanserint in oratione, usque dum Missa peragitur, nec sanctam communionem percipiunt, velut ἀταξίας Ecclesiæ moventes, convenit communione privari. Et ille Canon, in Antiocheno Concilio capite secundo repetitur & confirmatur, De Consecrat. distinct. 2. cap. Peracta consecratione omnes cõmunicent, qui noluerunt Ecclesiasticis carere limimibus. Sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.

Imò cùm jam irrepsissent privatæ Missæ, multi tamen persvasionem illam reprehenderunt. *Humbertus.* Humbertus contra Nicetam Monachum, dicit esse imperfectam Missam, in qua non simul fit consecratio, fractio, seu distributio & communicatio.

Vvalafridus. Vualafridus de rebus Ecclesiasticis capite 22. Quamvis cum soli Sacerdotes Missas celebrant, intelligi possit, illos ejusdem actionis cooperatores esse, pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, & quorum personam in quibusdam responsionibus Sacerdos exequitur, tamen fatendum est illam esse legitimam Missam, cui intersunt Sacerdos, respondentes, offerentes, atque communicantes: sicut ipsa compositio precum, evidenti ratione demonstrat.

Regino citat ex Concilio Nannetensi, ridiculosum esse, muris aut parietib. insusurrare, quæ ad populum pertinent. Et verè ludibria sunt, quòd in privatis Missis, ubi nemini dispensatur Eucharistia, sacrificulus tamen in Canone ingeminat: Quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus, fiat nobis omnibus sumentibus salus. Sacramenta quæ sumpsimus, &c.

Fractio hostiæ in privatis Missis. Impudentius verò ludibrium est, quòd in privatis Missis, ubi nulla fit distributio, hostia tamen frangitur: hoc est, sicut Augustinus inquit, ad distribuendam comminuitur. Et loco distributionis, à Christo institutæ & mandatæ, prodigiosa finguntur de fractis particulis in privata Missa: quæ legi possunt apud Durandum in Rationali, libro 4 capite 51. Tres partes fractæ de Christi corpore signant: Prima, suam carnem, sanctosq; secunda, sepultos, tertia, viventes, &c. vel prima pars significat sanctos in cœlo, secunda Ecclesiam militantem in terra, tertia, defunctos in purgatorio. Item, una pars offertur pro illis, qui non sanctè vivunt in terra, sed in peccatis volvuntur, secunda, pro sanctis in cœlo, tertia, pro animabus in purgatorio. Hi scilicet sunt fructus privatę Missę, & ex hujusmodi fructibus figmentorum cognoscitur, qualis arbor sit privata Missa.

Missa privata cõtra quã pugnet. Hæc verò cùm ita se habeant, cumq; manifestum sit privatam Pontificiam Missam pugnare cum testamentaria institutione filii Dei, cum Apostolorum scriptis, traditionibus, cũ exemplo Apostolicæ ecclesiæ, cum testimoniis veteris Ecclesiæ, & cum canonib. Ecclesiasticis, quid quæso Tridentinum Concilium de privatis Missis statuit? Audi verò. Optaret ajunt Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, Sacramentali etjam perceptione communicarent. Quare verò hoc optãt? Sine dubio, quia vel inviti agnoscere & fateri coguntur, non esse consentaneum vel Scripturæ, vel antiquitati, quòd in privata Missa solus sacerdos cõmunicat. Sed si seriò hoc optãt, deberent hominibus eximere falsam persvasionem, de virtute & efficacia spectaculi privatæ Missæ, & ex veris fundamentis, deberent homines hortari ad crebriorem cõmunionem: quòd scilicet fructũ Cœnæ Dominicæ, hac sola ratione, & non alia, quàm quæ à Christo instituta & præscripta est, consequi possint: utq; ad regulam institutionis Christi, & ad formam primitivæ Ecclesiæ cõmodius rediretur abrogandæ essent privatæ Missæ: ut scilicet nulla Missa celebraretur,

retur, si non adessent, quibus dispensaretur Sacramentum. Sed meminerunt patres, se congregatos esse, ut prospiciant ne quid detrimenti capiat respublica Pontificia, præsertim quod ad quæsturam, & ad officium publicanorum pertinet. Ideo votum, quod ipsa rei evidẽtia ipsis expressit, mox intervertunt: se scilicet, hoc nõ obstante, probare, atque adeo hominibus commendare illas Missas, in quibus solus sacerdos Sacramentaliter communicat. Ne igitur optandum quidem esset, ut in singulis Missis essent qui simul communicarent. Audiamus verò rationes: Non sunt, inquiunt, privatæ Missæ, sed communes, etjam ubi solus sacerdos tantùm cõmunicat. Atqui ipsi per multas annorũ centurias, eas ita nominarunt. Apud Gregorium in registro, crebra est appellatio privatæ Missæ. Glossa de Consecra. dist. 1. cap. & hoc attendendum, nominat eas privatas: & omnino vulgata est illa appellatio. Gratias verò agimus Concilio, quòd concedit & fatetur, Missam non debere esse privatam, sed communem. Nec de appellatione, sed de reipsa certamen est: Qualis scilicet communio fit, Cœna Dominica. Illa verò ita describitur 1. Corint. 10. Quia omnes ex uno pane participamus. Quando igitur unus ad se hoc rapit, & nemini communicat: certè non cõmunis, sed privata est Missa, juxta Chrysostomi sententiã. Nec verò sentimus, nunquam celebrandam esse Cœnam Dominicam, nisi totus Ecclesiæ cœtus in unum collectus fuerit: Aut omnes fideles necessario semper in singulis Missis, singulos teneri ad communicandum. Christus enim duodecim tantùm adhibuit, ad primam cœnam, & inquit: Quotiescũq; biberitis. Sed hoc est quod agimus, nunquã celebrandam esse cœnam Dominicam, nisi adsint quibus dispensetur Sacramentum.

Duo autem argumenta habent, quibus mundo persvadere conantur, quod privatũ est, commune esse. Primũ est, de spirituali communione: utq; eo rectius intelligatur, conferemus illud in justam formam. Celebratio cœnæ Dominicæ, requirit cõmunicationem corporis & sangvinis Domini: & quando ea fit, tunc satisfit institutiõi Christi. Sed qui audit & spectat Missam si doctrinam de passione & resurrectione Christi meditetur, & fide apprehendat, spiritualiter communicat corpori & sangvini Christi, Iohannis 6. Ergo in privata Missa satisfit institutioni Christi, etjam si nullus ex populo, sed tantùm solus sacerdos Sacramentaliter cõmunicet. Quid si igitur etjam Sacerdos celebrans, spiritualiter tantùm communicet: certè eadem consequentia, egregiè scilicet satisfieret institutioni Christi, etjam si nec ipse sumat, nec aliis dispenset quæ consecrata sunt. Hoc verò artificium ut illo modo satisfieret institutioni cœnæ Dominicæ, ignotum fuit antiquitati, neque enim opus fuisset, Canones illos quos suprà nominavimus, de Sacramentali communione, tanta severitate condere, cũ verum esset quod argumentum hoc conatur efficere. Meritò igitur in exilium ejectus esset Chrysostomus, qui tàm duriter reprehendit eos qui adstant, & nõ simul participant: cùm juxta Pontificios, spirituali cõmunione potuerint institutioni Christi satisfacere.

Sed de re ipsa dicemus. Certum est, extra celebrationem & usum cœnæ Dominicæ, fidem apprehendentem in verbo Christũ pro nobis crucifixum, spiritualiter communicare, seu manducare carnem Christi, & bibere ipsius sangvinem, Iohan. 6. Et quando haberi non potest usus cœnæ Dominicæ juxta institutionem Christi, sufficit ad salutem spiritualis communicatio, juxta vulgatum Augustini dictum: Crede & manducasti. Nec nego, eum qui adsistat, & non paratus est ad communionem, ex auditu & consideratione verborum institutionis cœnæ, & totius actionis, & posse & debere deduci in meditationem mysterii redemptionis & justificationis. Constaret etjam hoc, in ipso usu cœnæ Dominicæ, accedere debere spiritualem communicationem, sine illa enim Sacramentalis communicatio judicium sibi manducat. Sed quæstio est, qualem communicationem Christus in cœna instituerit, præscripserit & mandarit. ea enim satisfieri institutioni, notum est. Inquit autem: Accipite, manducate, bibite: & Hoc facite in mei commemorationem, hoc est, Christi mandatum est, in cœna Dominica debere fieri simul & Sacramentalem & spiritualem communionem. Paulus dicit, in cœna fieri communicationem corporis Christi. Quomodo verò? Quando, inquit, ex uno pane participamus. In celebratione igitur cœnæ Dominicæ, non satisfit institutioni, sola spirituali communione, sine sumptione Sacramenti. Et perversio est Testamenti Christi, loco Sacramentalis sumptionis, proponere spectaculũ: & spectaculo illud tribuere, quod filius Dei, sua institutione tribuit Sacramentali manducationi & bibitioni.

Augustinus de casu necessitatis. *Christi mandatum tàm pertinet ad Sacramentalem communionẽ quàm spiritualem.*

Alterum argumentum est: Sacerdos est publicus Ecclesiæ minister, & liturgia est publicũ ministerium. Ergo non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus celebrat cœnam Dominicam. Quomodo verò? Num ut solus ea utatur, & hoc proficiat Ecclesiæ ad remissionem peccatorum? Certè prædicatio Evangelii, etjam est publicum ministerium: & concionator est publicus Ecclesiæ minister, prædicans Evangelium, non pro se tantùm, sed pro tota Ecclesia. Num verò ita, ut ipse solus audiat & credat, & Ecclesiæ hoc proficiat ad vitam æternam, etjam si ipsa nec audiat, nec credat? Certè, justus ex sua fide vivet, & qui non crediderit, condemnabitur. Sicut igitur publicus Ecclesiæ minister, doctrinã Evangelii totã Ecclesiæ proponit, ut eam audiat & accipiat: ità etjam cœnam Dominicam, pro tota Ecclesia celebrat, non ut solus ea utatur, sed ut per ejus ministeriũ reliqui accipiant, manducent & bibant, juxta Christi institutionem. Actionem baptismi, publicus Ecclesiæ minister celebrat, non pro se, sed pro Ecclesia. Num verò, ut ipse se baptizet: & hoc opus illis qui non baptizantur, proficiat ad salutem? Nihil certè minus. Manifestum igitur est, quale sit hoc argumentum. Sed bene intelligo, quid sacrosancta synodus velit: sacrificulum scilicet sua privata actione facere sacrificiũ propitiatorium, applicatorium & impetratorium, pro vivis & mortuis: sicut suprà hæc explicata sunt. Et hæc est illa Helena, de qua Tridentina synodus dimicat: ut scilicet juxta Gabrielem, sacri

Universidad de Deusto
Biblioteca

ficulus sit os Ecclesiæ: & quod ille sumit, id proficiat Ecclesiæ non sumenti, ad remissionem peccatorum, & vitam æternam. Hæc verò est emendatio illa abusuum, quam multi sibi promiserũt futuram in Concilio.

DE AQVA MISCENDA IN CALICE.

CAPVT VIII.

Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent: tum quòd Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia è latere eius aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur & cùm aquæ in Apocalypsi beati Ioannis, populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo, unio repræsentatur.

CANON IX.

Si quis dixerit, aquam non miscendam vino, in calice offerendo, quòd sit contra Christi institutionem, anathema sit.

EXAMEN.

Vide quæso præposteram istorum hominum religionem: Ecclesia, ajunt, præcepit Sacerdotibus, aquam vino in calice offerendo miscendam esse. Huic præcepto tantùm tribuunt, ut eos qui illud non strictè servant, non vereantur anathemate damnare. Vsum verò calicis Dominici, totum & in universum adimunt, interdicunt & prohibent laicis: cùm tamen de calice extent Christi verba præceptiva: Bibite ex hoc omnes, hoc facite, quotiescunque biberitis. Iam verò de mixtione calicis, ideo dicunt se pugnare, ut unio fidelis populi, cum capite Christo repræsentetur. Nova hæc religio est, quòd de unione populi cum Christo soliciti sunt. Sed quomodo? Christus usum integri Sacramenti ideo instituit, ut hæc accepta & hausta, efficiant ut nos in Christo, & Christus in nobis sit. De calice Paulus dicit, 1. Corin. 12. Omnes in unum spiritum potati sumus. Et Christus inquit: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, qui pro multis effunditur, in remissionem peccatorum. Quare igitur usum integri Sacramenti non concedunt populo? Quare calicem novi Testamenti, cujus mediator Christus est, fideli populo denegant? Quare prohibent, ne in unum spiritum potentur? si de unione fidelis populi cum Christo soliciti sunt. Sed non ignorandum est mysterium hujus capituli. Aqua mixta vino in calice, repræsentat unionem populi cum Christo. Quando igitur hunc mixtũ calicem sacrificulus Deo Patri, in propitiatoriũ sacrificium offert, populus simul cum Christo patri fisitur. Ita scilicet actio sacrificuli populo fideli multò utilior est, quàm ipsa cõmunio Dominici calicis. Primò enim Sacerdos mixtione aquæ cum vino in calice offerendo, populum unit cum Christo: secundò utrunque, & Christum & populum, in calice fisitit Deo patri. Hoc revera est mysterium illud, propter quod Pontificii de mixto calice pugnant.

Mysterium huius capituli.

Quod autem ad rem ipsam attinet, disputatio facilè & paucis potest expediri: neque enim fidei aliquem articulum attingit. In regionibus Orientalibus, ubi fortia vina sunt, usitatũ fuit, quòd homines temperantes & sobrii nõ merum biberunt, sed vinum aqua temperatum, adeò ut infundere seu proponere vinum, vocetur miscere vinum, Proverb. 9. מסכו quod vocabulum inter merum & vinum temperatum, discrimen facit, Isa. 5. & Proverb. 23.

Græcis etjam infundere vinũ, verbo miscendi describitur, κιρνὰς ἄκρατα οἶνον. Vnde Latinis etjam pincerna, ἀπὸ τῦ κιρνᾶν τὸ πίνειν dicitur. Verisimile igitur est, Christum vinum non merum, sed temperatũ bibisse. Et quia in primitiva Ecclesia, post cõmunionem convivia quæ ἀγάπας appellabant, magna sobrietate de pane & vino, quæ ad mensam Domini oblata fuerant, celebrabantur. non merum, sed mixtum seu temperatum vinum obtulerunt. Et ne gentes calumniarentur, Christianos cœnam Dominicam celebrare, crapulæ aut ebrietatis gratia: veteres sumpserunt vinum mixtum, seu temperatum: imò quidam prætextu illo sobrietatis, nudam & solam aquam sumpserunt, quos Cyprianus rectè reprehendit. Hæc de consvetudine veteris Ecclesiæ, ex Patrum scriptis nota sunt, quanquã nec apud veteres universalis fuerit ea consvetudo. Durandus enim lib. 4. cap. 42. dicit, in Græca Ecclesia universaliter hoc non fieri. Postea verò paulatim disputari cœpit, esse traditionem quæ à Christo ipso profecta sit. licet in Scriptura non extet. Ita Cyprianus, cui valde placet hæc allegoria: illa scilicet mixtione significari & ostendi, quòd in usu cœnæ Dominicæ, fiat adunatio populi tanquam membrorum, cum Christo capite. Emissenus postea conatus fuit traditionem illam ex Scriptura probare: quia scilicet ex latere Christi crucifixi, profluxerit aqua & sangvis. Romani verò Pontifices fecerunt inde legẽ prorsus necessariam: ut Canon Alexandri. de Consecrat. distinct. 1. sancit, Deberi non vinũ solum, sed cum aqua mixtum offerri. Iulius ca. cum omne. dicit iuxta præcepta Canonum hoc fieri debere, ita ut si vinum solum sit in calice, etjamsi consecretur, nõ posit esse calix Domini, & si secus fiat, vocat errorem perversorum. Addit etjam, quando in calice aqua vino miscetur, tunc populum Christo adunari, & credentiũ plebem ei in quem credit, copulari & jungi: item, si solum vinum offeratur seu consecretur, sangvinem Christi esse sine nobis. Varias etjam disputationes, mixtura illa peperit: an scilicet aqua illa simul cum vino, mutetur in sangvinem Christi: an verò vinum in sangvinem, aqua in phlegma mutetur. Quidã disputarunt, aquam sine mutatione accedentibus vini circumfusam, in aere pendere. Illæ disputationes extant Extra, de celebrat. Missarum, cap. Cum Marthæ.

Vini mixti usus in primitiva Ecclesia.

Durandus.

Cyprianus.

Emissenus.

Disputationes ex mixtura.

Hæc recitavi, ut candidus Lector intelligat, quid hoc loco in controversia positũ sit. Si enim Pontificii mixtionem illam, ut consvetudinem adiaphoram, quæ verbo Dei nec mandata, nec prohibita sit, sed rationem habeat vero non dissimilem, servarent & proponerent: nulla, ut de re indifferenti, esset controversia. Falsò enim IX. Canon nostros insimulat, quasi omnes illos damnemus, ut pugnantes contra Christi institutionem, qui vinum aqua temperatum in celebratione cœnæ Dominicæ usurpant. Ita enim damnaremus totam fermè antiquitatem. Mixti enim calicis, antiquissimi scriptores, Iustinus & Irenæus meminerunt.

Sed quia Pontificij urgent, 1. esse de necessitate præcepti, ut in ipsa actione cœnæ Dominicæ, mixtio illa fiat. 2. Non posse calicem Domini esse, si vinum solum sumatur, & verbis Christi benedicatur. 3. Quia ea quæ sunt sumptionis Eucharistiæ, tribuunt huic mixtioni, quòd scilicet tunc populus Christo adunetur, quando in calice aqua vino miscetur. Nostri igitur, ut hæ falsæ opiniones taxarentur, & animis hominum eximerentur, exemplo & facto, rectè ostenderunt. Christianam libertatem in illis quæ non sunt juris & præcepti divini, non debere jugo servitutis subjectam esse: cùm præsertim tales, sicut jam dictum est, opiniones huic observationi affingantur. De vino enim, sive de genimine vitis, quod in Dominico calice fuerit, Evangelistæ expresse scribunt: nullam verò aquæ mentionem faciũt. Et etjamsi concedatur, verisimile esse, vinum illud antea fuisse temperatum: nullæ tamen circumstantiæ institutionis, speciem aliquam præbent, quòd in ipsa actione cœnæ Dominicę, Christus tunc cùm calicem benedicendum accepiret, aquam in ipso calice vino miscuerit. Ineptũ enim est, quod ex hospitis hydria quidam illud probare voluerunt: cùm ex pelvi unde Christus, pedes discipulorum lavit, propior fuisset probatio. Vinum igitur, sive genimem vitis, est de substantia Dominici calicis, quod ad externum elementum attinet: an verò debeat esse vel merum vel mixtum, rubrum vel album, non est de necessitate. Et tota hæc disputatio ex altera specie, omniũ rectissimè dijudicare potest. Panẽ enim esse de substantia cœnæ Dominicæ certum est. An verò debeat esse triticeus, an fermentatus, an azymus, magna quondam contentione disputatum fuit: collectis etjam ex Scriptura argumentis, & grano tritici, & de die cœnę Dominicę. Sed Ecclesia rectè judicavit, hæc esse libera, & non de necessitate Sacramẽti. Et eadem planè est ratio, an vinum sit merum, an verò mixtum, rubrum ne an albũ, præcipuum enim argumentum non necessariò, sed probabiliter tantùm concludit: temperatum scilicet, seu mixtum vinum fuisse, quo Christus in postrema cœna cum discipulis usus est. Et tamen neque inde conficitur, in ipsa actione cœnæ Dominicæ, Christum tunc quando calicem benedicturus sumebat, aquam miscuisse vino: nihil enim tale apud Evangelistas animadvertitur.

Evangelistæ falsus vini nõ aquæ meminisse.

Refutatio 2. argumenti.

Alterum argumentum, quòd ex latere Christi sangvis & aqua profluxit, non probat, in calice Dominico necessariò debere aquam vino misceri. Quæ enim ad substantiam cœnæ Dominicæ pertinent, quæcũ in ejus celebratione facienda sunt, ex iis, quæ Christus in institutione, in ea nocte qua tradebatur, fecit, sumenda & ostendenda sunt. Et vetusti patres omnes, quando interpretantur & tractant historiam illam, de sangvine & aqua profluentibus ex latere crucifixi Christi, accommodant eam ad gemina Ecclesiæ Sacramenta: & per aquam, Baptismum, per sangvinem, Eucharistiam intelligũt, quæ interpretatio, nõ malè convenit ad illud quod 1. Iohan. 5. scriptũ est, de Christo veniente ad nos per aquã & sangvinem. Manifestũ igitur est, necessitatem mixtionis aquę cum vino, in Dominico calice, ex illa historia nõ demonstrari. Romani enim quidam Pontifices, & posteriores quidã Scriptores, ut Emissenus, cœperunt illam historiam torquere ad mixtionem aquæ cum vino, in calice Domini. Possem verò multa absurda, Pontificiæ transsubstantiationi non ferenda ostendere, quę ex illa interpretatione sequantur. Sed contentus ero, fundamenta rerum monstrasse.

Illa verò allegoria, quòd aquæ in Apocalypsi populos significãt, oppidò quàm infirma probatio est. Certum est, Christum in usu cœnæ se conjungere membris suis: sed ut illud fiat, non opus est mixtione aquæ & vini. Facit enim hoc Christus, exhibitione corporis & sangvinis sui: ad quam exhibitionem, pane & vino, juxta institutionem suam utitur. Nec verò humanæ constitutioni, de mixtura calicis cum aqua, hoc tribuendum est, quod proprium est conjunctionis corporis & sangvinis Christi. Et si allegoria illa urgeatur, quia aquæ multæ sunt populi multi, plus sumendum esse de aqua quàm de vino. Vnũ enim est caput, membra verò multa sunt: & pacum aquæ, valde parũ de populo adunaret Christo: imò si allegoriis libẽret ludere mixtio aquæ tum vino, de adulteratione cœnæ Dominicæ exponi posset. Notum enim est, quid Isaias intelligat, quando inquit: vinum tuum mixtum est aqua. Simplicissimum igitur & certissimum est, inhærere manifestis verbis institutionis cœnæ: & ea quæ necessaria & substãtialia sunt in Sacramentis, distingvere ab aliis vel accidentibus, vel circumstantiis.

DE SACRIS LINGVA PEREGRINA PERAGENDIS.

CAPVT VIII.

Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari lingva passim celebraretur. Quamobrem retento ubique cuiusque Ecclesiæ antiquo, & à sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre & magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis: mandat sancta synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa legunt, aliquid exponant: atque inter cætera, sanctissimi huius sacrificij mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & festis.

CANON IX.

Si quis dixerit: Ecclesiæ Romanæ, ritum, quo submissa voce

Universidad de Deusto
Biblioteca

voce pars Canonis. & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse : aut lingva tantùm vulgari Missam celebrari debere: aut aquam non miscendam vino in calice offerendo, quòd sit contra Christi institutionem, anathema sit.

EXAMEN.

Si qua spes reformationis de Tridentino concilio esse potuisset, ipsa rei æquitas & evidentia hoc impetrare debuisset: ut quod in Ecclesiasticis conventibus, lingva, fideli populo, peregrina & ignota agitur, in lectionibus Scripturæ, in precationibus, gratiarũ actionibus, benedictionibus, & præcipuè in administratione Sacramentorum corrigeretur. Lectiones enim ideo recitantur, ut populus erudiatur: Psalmi & Hymni canuntur, ut per verbum devotio populi excitetur. Publicæ preces & Eucharistiæ, debent sacerdoti cõmunes esse non tantùm cum clericis, sed cum omni fideli populo: sicut ostendit Chrysostomus homilia decimaoctava in secundum, ad Corinthios ita, ut sacerdote verba præeunte, verè respondere possint, Amen. Et celebrationem Cœnæ, Christus expressè fieri mandavit in sui commemorationem, ita ut mortem Domini simul annuncient, qui de pane Domini edunt, & de poculo bibũt: juxta Pauli interpretationem. Iam verò Christus ea lingva usus est, quæ tunc erat popularis, & ab omnibus intelligi poterat. Et quidem in Pentecoste, ideò Apostolis datum est donum lingvarum, ut omnibus sub cœlo populis, doctrinam Evangelii proponere, & Sacramenta administrare possent, ea lingva quæ singulis populis nota esset, & ab omnibus intelligeretur. Et locus extat manifestissimus apud Paulum, prima Corinthiorum decimoquarto, ubi ex professo & multis quæstionem illã in utramq; partem tractat: qua scilicet lingva Ecclesiæ proponendæ sint Scripturæ lectiones & explanationes, publicæ preces, gratiarum actiones Hymni seu Psalmi, & benedictiones seu Sacramentorũ administrationes. Vbi enim Paulus εὐλογίαν nominat, εὐχαριστίαν, veteres rectè intelligũt administrationem Cœnæ Dominicæ: illam enim veteres Eucharistiam vocarunt: & 1. Corinth. 10. Paulus inquit: Poculum benedictionis quod benedicimus. Ostendit autem Paulus, fuisse suo tempore, qui donum lingvarum coram Ecclesia ostentare voluerunt, ita ut lectiones Scripturæ, publicas preces, Psalmos, gratiarum actiones, & Sacramentorũ administrationem, lingva idiotis peregrina & ignota tractarent. Et memorabile est quod Ambrosius annotavit, illos quos Paulus perstringit, fuisse præcipuè ex Hebræis: qui apud homines Græcos, & alios, in tractatibus aut oblationibus, aliquãdo Syra lingva, plerunque Hebraica usi sint, ad cõmendationem: quia scilicet lingva sancta sit, qua primitus ipse Deus, Patriarchæ & Prophetæ usi sint. Et certè magnificus hic fuit prætextus, de lingva sancta. Sed Paulus simpliciter pronunciat: Quia in conventibus Ecclesiasticis, omnia debent fieri ad ædificationem Ecclesiæ: ideo utendum esse ea lingva quæ intelligi possit, ab illis etjam qui locũ idiotarum implent. populum enim non posse ædificari, nec rectè Amen dicere, nisi intelligat quid dicatur. Et illam sententiam multis argumentis probat: diversum verò sentientes & facientes taxat, reprehendit: utq; inutilia illa quæ Ecclesiam non ædificant, sed in aerem funduntur, emendentur flagitat. Et hoc modo confirmat, omnia in Ecclesia fieri ordine, cum decoro, & ad ædificationem. Nihil igitur est quod Pontificij prætendũt, ex usu Latinæ lingvæ apud eos quibus ignota illa est, conciliari & addi sacris ornatum, decorum & majestatem. Illud enim de lingva sancta, plausibiliori specie Apostolorũ tempore dici potuit. Sed Paulus affirmat, ideo in sacris conventibus utendum esse lingva idiotis nota: ut omnia in Ecclesia fiant cum decoro, ordine, & ad ædificationem. Et in conclusione Paulus de illa sua disputatione, duo ponit. 1. ita in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo. 2. Si quis spiritualis est, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini mandata sunt. Habemus igitur, quæ sit de hac quæstione Domini sententia, quæ Apostolorum doctrina, & quæ fuerit Apostolicæ Ecclesiæ observatio. Et de diversum sentientibus, Paulus magna vehementia addit: Si quis ignorat, ignoret.

Christus usus lingva populari.

Pauli præceptum de usu eiusmodi lingvæ, quæ in publicis conventibus intelligi possit.

Purioris antiquitatis exemplum.

Hanc Pauli doctrinam, tota antiquitas magno consensu diligenter observavit, utens in sacris ea lingva quæ singulis in locis, si non popularis erat, tamen ab Ecclesia intelligebatur, qualis ratio fuit Latinæ lingvæ in Aphrica Augustini tempore. Et si qui diversum tentabant, ferò reprehendebantur. Sicut Ambrosius in 14. caput 1. ad Corinth. reprehendit, quòd quidam Latini homines soliti fuerint suo tempore Græcè cantare, oblectati sono verborum, cum quæ dicerent, nec ipsi, nec alii intelligerent. Ita usus peregrinæ lingvæ in sacris, juxta Ambrosium, primùm tentatus fuit apud Græcos in Hebræa lingva: postea apud Latinos, in Græca lingva. Sed fuerunt tunc qui illud institutum ex verbo Dei reprehenderunt & represserũt. Postea verò cùm nemo esset qui ex verbo Dei resisteret, usus Latinæ lingvæ in sacris, apud illos quibus lingva illa non est nota, paulatim invaluit, quod tamen non est vetustissimum. In Pontificali enim, Lectoribus in ordinatione dicitur: Studete, lectiones sacras distinctè & apertè, ad intelligentiam & ædificationem fidelium proferre. Et circa annum Domini 1200, Innocentius III. in Concilio generali ita decrevit: Quoniam in plerisq; partibus permixti sunt populi diversarum lingvarum, habentes sub una fide varios ritus & mores: districtè præcipimus, ut Pontifices hujusmodi civitatum sive diœcesium, provideant viros idoneos, qui secundum diversitatem rituum & lingvarum, divina illis officia celebrẽt, & Ecclesiastica Sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter, & exemplo.

Quæ occasione usus Latinæ lingvæ in Ecclesias irrepserit.

Et de Cyrillo, Moravorum præsule, qui fuit circa annum Domini 900. Æneas Sylvius in historia Bohemica cap. 13. scribit: Ferunt Cyrillum cùm Romæ ageret, Pontifici supplicasse, ut Sclavorum lingva ejus gentis hominibus quam baptizaverat, rem divinam faciens uti posset. De qua re dum in sacro senatu disputaretur, essentq; non pauci contradictores, auditam vocem tandem mysteriis Canonis. Paulus verò dicit: Qui lingva loquitur, si non sit qui interpretetur, taceat in Ecclesia: sibiipsi verò privatim loquatur, & Deo. Et Ambrosius inquit: Si utiq; ad ædificandã Ecclesiam convenitis, ea debent dici, quæ intelligant audientes. Nam quid prodest, ut quis lingua loquatur quam solus scit? ut qui audit, nihil proficiat: ideo tacere debet in Ecclesia, ut ij loquantur, qui prosint audientibus. Huc etjam pertinet illud, cujus mentionem faciunt in 5. capitulo, & quod in 9. Canone, anathematis fulmine defendunt, rectè fieri, quòd scilicet pars Canonis, & verba consecrationis, summissa voce proferũtur, ut illi etjam qui intelligere possent, non exaudiant. Christus certè in celebratione cœnæ suæ mandavit fieri sui commemorationem: non per silentium, aut tacito modo: sed, sicut Paulus explicat, per annunciationem. Neq; enim Christus ita instituit Sacramenta, ut actio quidem esset visibilis & publica, verbum verò, quæ est præcipua pars Sacramentorum, occultetur, & silentio sepeliatur. Et Paulus 1. Corinth. 14. diserte distingvit hæc duo: in Ecclesia loqui, de iis scilicet, quæ ad publicum ministeriũ pertinent: & privatim sibiipsi, & Deo loqui. Ideo tota antiquitas, exclusis illis qui non poterant interesse mysteriis, voce quæ à circumstantibus & exaudiri & intelligi poterat, preces, gratiarum actiones, præcipuè verò verba cœnæ pronunciavit, ad quæ populus respondit, Amen.

Quomodo Pontificij defendat usum peregrinæ lingvæ in Ecclesia.

Quid verò Tridentinum Concilium de hac quæstione decernit? Concedit, Missam cõtinere magnam fidelis populi eruditionem, non tamen visum fuisse Concilio, expedire ut vulgari lingva passim celebraretur. Atqui juxta Ambrosii dictum, docere & erudire nemo potest, nisi intelligatur: intelligi autem lingva non potest, nisi nota sit. Contraria igitur sunt, Missa debet servire populi eruditioni: & tamen celebranda est lingua, populo peregrina & ignota, nisi hoc forsan velint, Missam quidem continere eruditionem, sed eam non esse populo communicandam, sed per ignotam lingvam occultandã. Sed quas rationes afferunt? Ritus, inquiunt, antiquus est. Atqui antiquior & antiquissimus est diversus ritus, de lingva vulgari & nota, sicut ostendimus. Sed trecentorum annorum præscriptio, Pontificiis (ut video) tota antiquitas est: ita ut ad antiquitatem non pertineat, quòd à Domino mandatum, ab Apostolis traditum, & in Ecclesia à mille quingentis annis observatum fuit. Quid verò opponunt manifestissimis Pauli sententiis, 1. Corinth. 14. Hoc sanè operæ preciũ est audire. Romana, inquiunt, Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater & magistra, ritum peregrinę & populo ignotæ lingvæ probavit. Hoc igitur magisterium Romana Ecclesia sibi sumit, ut contra ea, quæ Dominus mandavit, quæ Apostoli tradiderunt, quæ Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ servarunt, possit diversum statuere, & contrariũ approbare: ut scilicet impleat quod scriptum est 2. Thessalo. 2. In templo Dei, tanquam Deus sedet, extollens se super omne quod dicitur Deus.

Aliquam tamen libertatem synodus ostendit: ut scilicet aliquandò aliquid ex iis quæ in Missa leguntur, exponatur. Quod si ita intelligerent, ut lectionibus & precibus, Latinè primùm pro iis qui intelligunt, recitatis, statim subjungeretur interpretatio in vulgari lingva, ut etjam populus posset Amen dicere: aliqua esset species reformationis, & aliqua cõgruentia ad illud quod 1. Corinth. 14. Paulus dicit: Si lingva quis loquitur, fiat hoc κατὰ μέρος, hoc est, per vicissitudinẽ, ut sit unus qui interpretetur: ut ita tota Ecclesia, quæ & ex doctis & ex idiotis constat, ædificetur. Et hanc consvetudinem, Johannes Billet dicit fuisse in quibusdam Ecclesiis, ut pronunciato Latinè Evangelio, statim in vulgari populo exponeretur.

Hæc certè vicissitudo Latinæ & vulgaris lingvæ, in nostris Ecclesiis ubi scholæ frequentiores sunt, servatur, & ut docti & idiotæ ædificentur. Sed hæc non est Tridentina mens, ut ipsæ lectiones, conciones & orationes, vulgari lingua recitentur: sed illis simpliciter deputant Latinã lingvã. Aliàs verò non prorsus prohibent, quin aliquando aliquid quantum libuerit declaretur: quid scilicet fiat & agatur in Latinis illis lectionibus, concionibus & orationibus, exceptis

Æneas Sylvius de Cyrillo Moravorum præsule.

Ita Dionysius apud Eusebium libro 7. capit. 9. scribit de quodam ab hæreticis baptizato, cùm & gratiarum actionem in Ecclesia audiisset, & ad illam unà cum aliis Amen accinuisset, τὸν εὐχαριστίας ἐπακούσαντα, συνεπιφθεγξαμένοντε τὸ ἀμήν.

Dionysius apud Eusebiũ.

Bessarion de Sacramento Eucharistiæ dicit, sacerdotem in Orientali Ecclesia, alta voce verba illa pronunciare: Hoc est corpus meum, hic est sangvis meus.

Bessarion.

Augustinus ad Orosium quæstio. 49. Qualem clamorem faciat universa Ecclesia, dum potatur sangvine Christi, & dicit Amen, tu ipse si potes considera. Et breviter, omnes descriptiones liturgiarũ, quæ extant apud veteres, idem testantur. In Liturgia quidem, quæ Chrysostomi titulum præfert, aliquoties occurrit: Sacerdos erat μυστικῶς, secretò: & concludit ἐκφώνως alta seu sublata voce. Sed mystica illa recitatio precum non facta fuit sub silentio, ut nemo exaudire posset, sed quia opponitur τῷ ἐκφώνως, significat quòd quædam preces, non tàm alta & sublata voce decantatæ fuerint. Nam homilia 18. in 2. ad Corinth. dicit, & preces & gratiarum actiones in celebratione Eucharistiæ, populo cũ sacerdote communes fuisse. Expressè igitur & apertè, ita ut audiri & intelligi possent, etiã quæ nõ alta voce cantabantur, pronunciata fuerunt tempore Chrysostomi. Non enim sibi & Deo, sed Ecclesiæ, juxta Pauli dictum, in precibus illis sacerdos loquitur. Extat hac de re constitutio Iustiniani, quæ in Novellis est 123. in hæc verba: Iubemus ut omnes, Episcopi pariter & presbyteri, μὴ κατὰ τὸ σεσιωπημένον, ἀλλὰ μετὰ φωνῆς τῷ πιστοτάτῳ λαῷ ἐξακουομένης. hoc est, non sub silentio, vel tacito modo, sed clara voce, quæ à populo exaudiri

Augustinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

audiri possit, sacrâ oblationem & preces in sancto Baptismate adhibitas celebrent: quo majore exinde devotione, in depromendis Domini Dei laudibus, audientium animi efferâtur. Ita enim Apostolus docet 1. Corinth. 14. &c. His igitur de causis cõvenit, ut inter cæteras preces, & ea quæ in sancta oblatione dicũtur, clara voce Deo proferantur: sciturisacerdotibus, quòd si quid horum neglexerint, & in horrendo judicio magni Dei, de his rationem reddent. Neq; nos cùm hæc cognoscemus, conquiescemus, relinquemusq; inulta. Hæc Iustinianus.

Tridentini verò Patres capit. 5. contra totius antiquitatis sententiam decernunt, mentes fidelium, ad rerum divinarum meditationem & contemplationem excitari & sustolli, si tacita voce verba consecrationis proferantur: cùm Paulus fidem pronunciet esse, non ex silentio, sed ex auditu verbi Dei. Et operæ precium est observare, quòd ipsi Pontificii scriptores fatentur, non vetus esse illud secretæ institutum: cujus rationem hanc fuisse recitant. Dicunt, olim publicè & alta voce precem Canonicam recitatam. Sed cùm verba illa per usum etjam à laicis scirentur, pastores quosdam in agro super panem & vinũ illa recitasse, & repentè carnem & sangvinem ante se invenisse: atque ita divinitus percussos, interiisse. Inde verò sub anathemate præceptum est, de cæterò sub silentio dicendum Canonem. Ita Honoratus & Billet: quasi verò magica esset illorum verborum ratio. Innocentius causam hanc assignat: Ne sacrosancta verba vilescerent, si omnibus etjam laicis nota essent. Hoc certè periculum Spiritus sanctus non prævidit, cùm Paulus commemorationem Christi interpretaretur annunciationem. Sed & hoc Pontificiorũ institutum, Deus electis in bonum vertit: ne scilicet aures ipsorum, abominatione Canonis contaminarentur.

Trident. contra ipsum Iustinianum. Quia verò Iustinianus damnat eos qui verba consecrationis, & preces Eucharistiæ tacita voce, quæ à populo non exaudiatur, proferũt: Tridentina igitur synodus illam Iustiniani constitutionem anathemate jugulat, in 9. Canone: Si quis dixerit, ritum quo submissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, anathema sit. Ita scilicet compendio se expediunt, ubi vident sibi & Scripturæ antiquitatis sententiam obstare.

DE POENITENTIA, EX SESSIONE IIII. SUB Iulio tertio.

CAPVT I.

De necessitate & institutione Sacramenti pœnitentiæ.

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam in Baptismo, ipsius beneficio & gratia susceptam, constanter tenerentur: non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo Sacramentum, ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum: illis etiã vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, & dæmonis potestatem tradidissent: Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent: ut perversitate abiecta & eliminata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Vnde Propheta ait: Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et princeps Apostolorum Petrus, peccatoribus Baptismo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Porrò nec ante adventum Christi pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem Sacramentũ tunc præcipuè instituit, cùm a mortuis excitatus insufflavit discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Quo tàm insigni facto, & verbis tàm perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata, reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrũ consensus semper intellexit: & Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica, tanquam hæreticos exposit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum, sancta hæc Synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Evangelium annunciandi, contra huiusmodi Sacramenti iustitutionem falsò detorquent.

CANON I.

Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam, non esse verè & propriè Sacramentũ, pro fidelibus, quoties post Baptismũ in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi in Sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem contra institutionem huius Sacramenti, ad autoritatẽ prædicandi Evangelium, anathema sit.

EXAMEN.

Doctrina de pœnitentia, præbet illustre testimonium bonitatis & misericordiæ Dei, erga miseram & corruptam hanc nostram naturã. Quia enim propter naturę corruptionem, in hac vita, in multis sæpe labimur omnes. imò septies in die cadit etjam justus. Propter Diaboli enim insidias, & mundi scandala, etjam qui renati fuerãt, aliquan-

aliquando ex carnis infirmitate lapsibus præoccupantur: sæpe etjam ex malitia carnis, in atrocia scelera se præcipitant. Deus igitur usq; adeò ostendit se nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, ut etjam lapsis post Baptismũ, si convertantur, voluerit reditum patêre in gratiam. Et quidem ipse instituit, ordinavit & præscripsit certum modum & rationem, quomodo post lapsus conversio ita fieri, & pœnitentia ita agi debeat, ut certi simus, ex divina promissione non rursus reconciliari Deo, & consequi remissionem peccatorũ: imò ipse spiritu suo per verbum inchoat, efficit & operatur in nobis ea quæ ad pœnitentiam seu conversionem pertinent. Omnino igitur in Ecclesia, necessaria est explicatio veræ & sanæ doctrinæ, ex verbo Dei, de salutari pœnitentia. Illa verò à nostris, Dei beneficio, ex fontibus Propheticis & Apostolicis, à confusionibus & corruptelis Scholasticæ doctrinæ, feliciter repurgata, & justis tractationibus explicata est. Et quia instituti nostri non est, justa methodo & integra tractatione, totũ locum de pœnitentia repetere & retexere: cùm quidem videam, præter opinionem scriptionem hanc excrescere: ea tantùm annotabimus, quæ ratio examinis Tridentinorum Decretorum, requirere videbitur.

In primo igitur capitulo ostendendum est, quid propriè illud sit, quod hoc loco in controversia positum est, quando disputatur, an pœnitentia sit verè & propriè Sacramentum. Et quia Pontificij verum statum hujus controversiæ, solent turbare mixtione & confusione aliarũ quæstionum, quæab Anabaptistis & aliis phanaticis disputantur: principiò igitur quæstiones illas, monstrata Ecclesiarum nostrarum sententia, removebimus & sejungemus: ut eò commodius ad illud, quod propriè in controversia positum est, perveniamus.

Opiniones quæ ut impiæ damnari soleant ab Ecclesiis Augustanæ confessioni additis.

Primò igitur nostri expressè docent, baptizatos in hac vita, si admittant actiones contra conscientiam, non retinere, sed excutere fidem & Spiritum sanctum, amittere gratiam justificationis, & vitam æternam: ac reos fieri iræ Dei, & æternæ damnationis, nisi rursus convertantur, & agant pœnitentiam. Et quæ illa peccata sint ex Scriptura declarant: ut Romano. 8. 1. Corinth. 6. Galat. 1. & 5. Ephes. 5. Colossen. 3. & ex aliis locis. Duodecimus itaque articulus Augustanæ confessionis, damnat illos, qui vel fingunt, quibusdam tantam perfectionem in hac vita contingere, ut peccare non possint: vel qui blasphemant, semel justificatos non posse amittere Spiritum sanctum, in quantiscunq; sceleribus se volutent.

Secundò. Nequaquã sumus Novatiani, qui semel justificatis, si post Baptismũ lapsi essent, omnem spem veniæ & reconciliationis cum Deo, vel prorsus negabant, vel in dubium revocabãt, etjamsi rursus converterentur, & pœnitentiam agerent. Summa enim gratitudine celebramus immensum illud beneficium misericordiæ Dei, quod promisit, lapsos post Baptismum, se rursus in gratiam velle recipere, quocunque tempore, & quotiescunque convertuntur.

Tertiò. Et & hoc extra controversiam apud nos, neminem posse Deo reconciliari, & remissionem peccatorum consequi, nisi agat pœnitentiam. Nam cor impœnitens, cumulat sibi iram Dei, Roman. 2. & Luc. 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.

Quartò. Nec quisque sibi fingere debet peculiarem modum agendæ pœnitentiæ, ut Deo reconcilietur: sed illa est unica & vera ratio salutaris pœnitẽtiæ, quæ in verbo Dei traditur & præscribitur.

Quintò. Hoc etjam apud nos extra dubitationem est, Deũ in Scriptura instituisse & ordinasse certa media, per quæ lapsis post Baptismũ si convertantur, beneficium mortis Christi vult applicare & obsignare, ad reconciliationem & remissionem peccatorum. Damnantur itaque Enthusiastæ & Epicurei, qui fingunt Deum ἀμέσως, sine usu ministerii, sine pœnitentia & fide, donare lapsis reconciliationem & remissionem peccatorum. Et illud ordinarium medium seu organon, per quod Deus in hac vita nobiscum agit, in iis quæ ad salutem nostram pertinent, nostri docent esse ministerium verbi & Sacramentorum. Ministerio enim legis peccata arguuntur, conscientiæ timore iræ & judicii divini terrentur. Deinde sic territis & contritis, Deus gratiam & remissionem peccatorũ, per ministerium Evangelii offert & proponit: ac vult, ut apud Deum, per & propter Christum, fide in verbo & Sacramentis, reconciliationem quæramus, apprehendamus & accipiamus.

Constantinus adversus Novatianos.

Meritò itaque improbatur Acesij Novatiani dictum, qui in Tripart. lib. 1. cap. 13. ad Constantinũ Imperatorem inquit: Invitandos quidem lapsos ad pœnitentiam: spem verò remissionis, nõ à sacerdotibus, sed à Deo solummodò expectandam, qui solus potestatem habeat remittendi peccata. Prudenter enim, & piè respõdit Constantinus: Scalam igitur admove Acesi, & in cœlos ascende, quia ministerii usum tollis. Ambrosius Novatianorum opinionem ita describit: Pœnitentibus post lapsum, nõ simpliciter sanè præcidendam esse omnem spem veniæ: sed Sacerdotes nec posse nec debere illis, ministerio Evangelii remissionem peccatorum annunciare, vel absolutionem impertiri: ne Dei, sicut simulabant, partes audaci temeritate sibi usurparent. Illos igitur qui extra & præter ministerium verbi & Sacramentorum, vel quærunt, vel quærendam docent reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum, seriò improbat Augustana confessio.

Status controversiæ.

Hæc principiò recitanda fuerũt, ut status controversiæ quæ de pœnitentia est, inter Pontificios & inter Augustanam confessionem, clarè & distinctè, remotis & sepositis aliis quæstionibus, constitui & monstrari posset: ne quis vel existimet vel cavilletur, nos phanaticas illas opiniones, quas jam ostendi à nostris damnari, fovere & tueri, quando cum Pontificiis disputamus, an pœnitentia sit verè & propriè Sacramentũ. Nam in eo quidem controversia posita est, quòd Pontificii asseverant, pœnitentiam qua lapsi Deo reconciliantur, esse peculiare Sacramentum, quo lapsis post baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Sed addẽda est declaratio, quis sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quo respectu confessio Augustana pœnitentiã vocet Sacramentum.

sensus, & quæ sit causa hujus certaminis. Apologia igitur Augustanæ confessionis, ne videatur præter necessitatem, de verbis potius quàm de rebus ipsis contendere, aliquoties disertè declarat: Cũ voce & ministerio absolutionis, id quod proprium est Sacramentorum, singulis credentibus applicetur generalis promissio Evangelii, de reconciliatione cum Deo, & remissione peccatorum, propter meritum Christi: se non pugnare, quô minus hac ratione, hoc respectu, propter hanc causam & in hunc sensum, pœnitentia appellatur Sacramentum.

Et licet ex divina institutione, non habeat tale externũ & materiale elementum, quale est in Baptismo & in Eucharistia, quod ad integrã definitionem, & genuinam proprietatem Sacramenti requiritur: tamen quia appellatio Sacramenti est ἄγραφος, & valde latè patet, si res ipsæ salvæ essent, de vocabulis facilè posse cõsensionem constitui, inter illos qui non amant λογομαχίας.

Sed hac declaratione, Pontificii in hac disputatione nõ patiuntur sibi satisfieri. Aliud igitur est, propter quod tàm pertinaciter dimicant, pœnitentiam esse verè & propriè Sacramentum. Et hæc observatio monstrabit verum statum hujus controversiæ: & simul etjam ostendet, non esse contentionem de vocabulis, sed certamen de re longè gravissima, quando Pontificii disputant, pœnitentiam esse verè & propriè Sacramentum. Quia enim Sacramentum, juxta ipsorum definitionem, est invisibilis gratiæ visibilis forma, ita ut ejus & similitudinem gerat, & causa existat: quæruntigitur, quodnam sit materiale elementum in pœnitentia, quod accedente verbo absolutionis fiat Sacramentum, non tantùm significans, sed causans (sicut ipsi loquuntur) gratiam pœnitentiæ, hoc est, reconciliationem cum Deo & remissionem peccatorum. Respondet autem compendium Theologiæ, materiam seu elementum, hoc loco largè accipiendum esse, pro omnire, sive sit substantia externa, sive actio humana. Atque ita in pœnitentiæ Sacramento, dicit elementum esse exteriores actiones seu operationes hominis pœnitentis: cordis scilicet contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem. Et si verbum absolutionis, à Sacerdote prolatum, ad illud elementum, hoc est, ad operationes humanas accedat, tunc fieri inde Sacramentũ, quod sit causa efficiens & conferens gratiam, hoc est, reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum. Peccatorem igitur post Baptismum lapsum, quando quærit & ambit reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum, Pontificii per Sacramentum suum pœnitentiæ, deducunt ad humana seu propria opera: ut illa, accedente verbo absolutionis, fiant & sint Sacramentum, hoc est, causa efficiens & conferens gratiam reconciliationis cum Deo, & remissionis peccatorum. Ideo in compendio Theologiæ, talis traditur differentia: Baptismus & Eucharistia, consistunt in passione ejus qui sanctificatur, & nõ in actione, nisi per accidens, hoc est, sunt Dei actiones, offerentis & exhibentis beneficia Mediatoris. Et nos tantùm ea ad nos recipimus, quæ Deus sua actione in illis Sacramentis exhibet. Pœnitentiæ verò Sacramentum, consistit essentialiter in actu ejus, qui sanctificatur. Atque ideo ipse actus noster, est materia Sacramenti. In aliis, ut Baptismo & Eucharistia, quæ sine actu nostrò operantur, requiritur exterior materia. Hæc ibi.

Vt autem manifestius evadat, de re necessaria, & longè gravissima certamen esse, quando disputatur, an pœnitentia tale sit Sacramentũ, sicut Pontificii contendunt: opponamus recitatæ jam Pontificiorum sententiæ, de Sacramento pœnitentiæ, antithesin: quam viam & rationem reconciliationis cum Deo, Scriptura, & doctrina & exemplis peccatori pòst lapsum monstret & proponat. Scriptura igitur duo genera doctrinæ proponit, legem scilicet, & Evangeliũ. Et lex quidem arguens peccata, & proponens gravissimas comminationes Dei, est malleus ille Jeremiæ 23. per quem Deus conterit petras, hoc est, spiritum contribulat, cor conterit & humiliat, ut vera & seria agnitione multitudinis & magnitudinis peccati, & iræ Dei adversus peccatũ, animus incipiat peccatũ odisse & detestari, iram & judiciũ Dei timere, ita ut nollet in æternũ sub illis perire, sed gemitu suspirat & luctatur, ut ab illis liberetur. Ibi lex habet quidem, & proponit promissiones vitæ: sed sub conditione perfectæ impletionis. Sed Scriptura addit declarationem: Quia lex spiritualis est, & de ejus impletione, hæc est Dei sententia: Qui non in omnibus permanserit, maledictus esto, ideo coram Deo, ex operibus legis, nulla caro justificatur, Romano. tertio. Sed qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, Galat. 3. Ita per legem agnitio peccati, Romanorum tertio, & lex iram operatur, Romanorum 4. Scriptura igitur omnia concludit sub peccatum, Galat. tertio, Evangelium verò docet, id quod legi propter carnem nostram impossibile erat, Deum præstitisse misso filio, Roma. 8. Monstrat igitur Christum agnum Dei, factum pro nobis sub lege, ut obedientia & passione sua pro nobis, judicio Dei in lege patefacto satisfaceret. Et illum mediatorem pater in Evangelio proponit propitiationem, fide in sangvine ipsius per remissionem peccatorum, Roman. 3. Hæc enim est voluntas patris, ut omnis qui credit in filium, non pereat, sed habeat vitam æternam, Iohan. 6. Atque ita Evangelium, contritis & territis cõscientiis annunciat, offert & proponit gratiam Dei, reconciliationem, & remissionem peccatorum, gratis, propter meritum Christi: & vult, ut illud beneficium Mediatoris, fide quisque apprehendat, & sibi applicet. Ministerium verò privatæ absolutionis, generalem illam Evangelii promissionem, ad singulos petentes applicat: Vt fides eò firmius statuere possit, sibi certò à Deo donari & applicari beneficia passionis Christi. Et in usu cœnæ Dominicæ, novum Testamentum, quòd scilicet Deus propitius vult esse peccatis nostris, & iniquitatum nostrarũ oblivisci, singulis fide sumentibus Christus exhibet applicat & obsignat precioso pigno re corporis & sangvinis sui. Et tũc rectè dicitur: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Omnes enim Prophetæ testimonium perhibent, per Christũ remissionem peccatorum accipere, omnes qui credunt in nomen ejus. Et hæc est illa ratio reconciliationis cum Deo: cui obscurandæ, labefactandæ & evertendæ, opposita est Pontificiorum disputatio de Sacramento pœnitentiæ, eo modo sicut dictum est: ut scilicet peccatorem, post lapsum quærentem reconciliationem cum Deo, & remissionem, abducant à fide obedientiæ passionis, & satisfactionis Christi, ad fiduciam actionis, proprię contritionis, confessionis, & satisfactionis: ut si ad illa nostra opera accedat verbum absolutionis, tunc habeamus causam efficientem & conferentem reconciliationem, & remissionem peccatorum. Et hic est verus status controversiæ, quando disputatur, an pœnitentia tale sit Sacramentum, sicut Pontificii volunt.

Operæ precium autem est observare, quomodo & unde probent & confirmant suam illâ pœnitentiam esse tale Sacramentum. Et primò antè adventum Christi in carnem, hoc est, tempore veteris Testamenti, fuit pœnitentia, per quam lapsi post circumcisionem, Deo rursus reconciliati fuerunt. Sed illam pœnitentiam, Tridentinum capitulum negat fuisse Sacramentum: tale scilicet, sicut ipsi de sua pœnitentia loquuntur. Atqui valde hoc mirabile est. In pœnitẽtia enim veteris Testamenti, fuerunt illustria externa signa contritionis, leguntur exempla publicæ confessionis peccatorum. Sorori Mosis, & Davidi, post reconciliationem impositæ fuerunt à Deo castigationes.

Et ex illis exemplis, Pontificii suã satisfactionem probare conantur. Potestas etjam remittendi peccata fuit in veteri Testamento: ejus enim illustre exemplum, extat in historia Davidis. Et hæc est tota definitio Sacramenti pœnitentiæ: contritio scilicet, confessio, satisfactio & absolutio. Et tamen negant, pœnitentiam tempore veteris Testamenti fuisse Sacramentũ: ideo forsan, quia ibi confessio etjam quæ coram Ecclesiæ fiebat, non sacerdoti in aurem, sed Deo facta fuit. Et castigationes post reconciliationem, non à Sacerdote, sed ab ipso Deo impositæ fuerunt. Nathan etjam Dauidem absolvit, non sua judiciaria aliqua potestate, sed ministerio, ita quod Deus per Prophetæ ministerium, remitteret Davidi peccata. Et sicut Petrus inquit Actorum 10. Prophetæ docuerunt, remissionem peccatorum in conversione accipi, nec propter nec per pœnitentium opera, sed propter promissum benedictum semen, per fidem in ipsum. Quia igitur Patriarcharum & Prophetarum pœnitentia, in multis cum Pontificia non convenit: ideo meritò negant, pœnitentiam tempore veteris Testamenti, fuisse tale Sacramentum, sicut ipsi de sua pœnitentia disputant.

Nos verò illam adversariorum confessionem libenter accipimus, quòd scilicet per annos quater mille à condito mundo, pœnitentia non fuerit tale Sacramentum, sicut Pontificii disputant: & quòd toto tempore veteris Testamenti, non fuerit talis ratio, & talis modus reconciliationis cum Deo post lapsum, qualem Pontificii in Sacramento suæ pœnitentiæ præscribunt. Apostoli verò, & Petrus Actorum 10. & Paulus Actor. 26. affirmat se de pœnitentia in Deum, & de accipienda remissione peccatorum non aliter docuisse quàm Prophetas. Hæc observatio postea habebit usum. Quando enim Pontificii ad Sacramentum suæ pœnitentiæ comprobandum, afferunt testimonia & exempla ex veteri Testamento: rectè possumus respondere, nihil inde probari, quia Tridentinũ capitulum pronunciat pœnitentiam in veteri Testamento non fuisse Sacramentum.

Secundò. Baptista prædicavit pœnitentiam in remissionem peccatorum. Summa etjam prædicationis Christi, ita describitur: Pœnitentiam agite: & credite Evangelio: appropinquavit enim regnum cœlorum. Sed Tridentinum capitulum pronunciat, ante resurrectionem Christi, pœnitentiam non fuisse Sacramentum, nec pœnitentiam ante Baptismum esse Sacramentũ. Docuit autem & Baptista & Christus, de cõtritione. Baptistæ auditores confessi sunt peccata sua, Matt. 3. ubi etjam de faciendis fructibus dignis pœnitentia graviter concionatur. Christus etjam privatam absolutionem impertiit, Matthæi cap. 9. & Luc. cap. 7.

Quare igitur juxta definitionem, pœnitentia illa Pontificiis non est Sacramentũ? Respondeo: Quia contritio fuit interior & confessio non habuit enumerationem singulorum delictorum. Christus etjã absolutionem impertiit, non præmisso processu judiciali, & imposita mulcta: sed gratis, iis qui peccata agnoscebant, iram Dei timebant, & fide propter ipsum petebant & quærebant reconciliationem. Et summa, quia in illa pœnitentia, gratis, sine operibus, fide propter Christum remittebantur peccata: quia etjãtàm Baptista quàm Christus, fidem in filium mediatorem, partem conversionis, necessariam ad cõsequendam remissionem prædicârunt. Propter has causas, talis pœnitentia Pontificiis nõ est Sacramentũ, id quod diligenter expendatur. Concedit itaq; & fatetur Tridentinum Concilium, Sacramentũ suæ pœnitentiæ non habere fundamentum, testimonium vel exemplum, sicut non in veteri Testamento, ita nec in concionibus Baptistæ & Christi ante resurrectionem.

Tertiò. Vnicum monstrant in Scriptura fundamentum. Tridentinum enim capitulum dicit, Sacramentum pœnitentiæ, sicut illud Pontificii describunt, à Christo institutum post resurrectionem, cùm insufflans in discipulos, diceret: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, &c. Expendendũ igitur est, an illa Christi sententia, hoc quod Pontificii volunt efficiat: ad remissionem scilicet peccatorũ, necessariam esse contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem: ita ut externæ illæ operationes pœnitentium, sint materia: ad quas, si verbũ absolutionis accedat, fiat inde Sacramentũ, quod sit causa efficiens, & cõferens reconciliationem & remissionem peccatorum. hic enim est status controversiæ. Novatianos igitur, qui extra ministerium Evangelii, docebant quærendã & expectandã esse reconciliationem & remissionem peccatorum, jure damnatos esse fatemur. Et ministris Ecclesiæ, datam esse à Christo potestatem, remittendi & retinendi peccata, si dextrè intelligatur, nemo nostrum negat. Nam Matthæi 10. Marci 3. & 6. Lucæ 10. Christus eligens & emittens

Universidad de Deusto
Biblioteca

tens Apostolos ad prædicandum, dat ipsis ἐξουσίαν καὶ δύναμιν, potestatem & virtutem. Et Paulus 1. Corinth. 10. & decimo tertio dicit, sibi à Domino datam potestatem, non ad destructionem, sed ad ædificationem.

Illa verò potestas remittendi peccata, non ita intelligẽda est data Sacerdotibus, quasi Deus ea se abdicârit, & eam prorsus transtulerit in Sacerdotes, ita ut in absolutione non Deus ipse, sed Sacerdos remittat peccata. Paulus enim disertè distingvit, inter potestatem & efficaciam reconciliationis quæ Dei propria est, & inter ministerium quod Apostolis datum est: ita quòd Deus est, qui mundum sibi reconciliat, 2. Corinth. 5. & peccata remittit, Esaiæ 43, non autem sine medio, sed in ministerio, & per ministerium verbi & Sacramentorum. Ministri verò dicuntur solvere & remittere peccata propter claues: hoc est, quia habent ministeriũ, per quod Deus mundum sibi reconciliat, & peccata remittit. Ita 2. Corinthio. 1. Paulus dicit, se qui potestatem habeat, non tamen dominari fidei, sed esse tantùm ministrum & œconomum mysteriorũ Christi, 1. Corinth. 4. ita ut qui plantat, & qui rigat, non sit aliquid, sed qui incrementum dat, Deus, 1. Corinth. 3. Et tamen ministerii usum utilem & necessarium ostendit: Dei, inquit, sumus συνεργοι, hoc est, administri, quorum opera Deus utitur in eo, ubi tamen omnis efficacia ipsius est. Ministri, inquit, sumus, per quos credidistis. Item, ego per Evangelium vos genui Christo 1. ad Corinthios 14. Omnium verò clarissimè distinctionem hanc Paulus tradit, 2. Corint. 5. Deus est qui reconciliat nos sibi per Christum, non imputans nobis peccata. Apostolis verò dedit διακονιαν, ministerium reconciliationis. Quomodo verò hoc? Posuit, inquit, in nobis verbum reconciliationis. Nos igitur pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo: Reconciliamini Deo. Ita hæc distinctio Deo servat & tribuit illam gloriam, quæ ipsius propria est: ministerio etjam asserit eam, quam secundum verbum Dei habet, dignitatem & autoritatem. Sicut enim Christus est, qui per ministerium baptizat, corpus etjam & sangvinem suum exhibet: ita Christus est, qui per ministerium absolvit, & peccata remittit. Et huc pertinet Augustini sententia, De consecrat. distinct. 4. Aliud est baptizare per ministerium aliud baptizare per potestatem. item: Per hanc potestatem, quam Christus solus tenuit sibi, & in neminem ministrorum transfudit, quanquam per ministros baptizare dignatus sit, per hanc inquam potestatem, stat unitas Ecclesiæ. Si enim à Domino trãsferretur ad ministros tot Baptismi essent, quot ministri. Hæc Augustinus. Per Christum igitur & propter Christum, apud Deum quærimus, & à Deo accipimus remissionem peccatorum: sed in ministerio, & per ministerium. Hæc necessaria distinctio, quare in Tridentino capitulo prætereatur, mox ostendemus. prius enim pertexemus reliqua, quomodo scilicet ministeriũ Evangelii, remittat peccata: seu potius, quomodo Deus per ministerium remittat peccata. In eo enim caput controversiæ consistit. Non aliunde autem, sed ex ipso contextu, sumenda est declaratio. Christus enim declaraturus remissionem & retentionem peccatorum, hæc verba præmittit: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et hoc dicens, insufflavit, &c. Quomodo verò Christus missus fuerit, ut esset minister circumcisionis, ipse explicat, Lucæ 4. ex Propheta Esaia capit. 61. Misit me Evangelizare pauperibus, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & clausis apertionem, consolari lugentes, prædicare annum placationis, & diem ultionis Deo nostro. Clarior autem, & adhuc certior est hæc declaratio, quòd Lucas describens eandem historiam pro eo, quod Iohannes habet, Quorum remiseritis, &c.

Lucas narrat, Christum locutum de prædicanda pœnitentia, & remissione peccatorum, in nomine suo. Remissio igitur & retentio peccatorũ, per ministeriũ, Iohan. vigesimo, fit annunciatione verbi, Lucæ vigesimoquarto. Et alterum declaratur per alterum. Non enim historicè tantùm recitanda est doctrina legis de peccato, & doctrina Evangelii de remissione peccatorum propter Christum: sed facienda est accommodatio seu applicatio, & Legis & Evangelii, ad auditores: ut scilicet ex lege, monstratis peccato & ira Dei adversus peccatum, denuncietur peccatoribus judicium damnationis, nisi cum Deo reconcilientur. Ex Evangelio verò formetur Paulina illa exhortatio: Reconciliemini Deo, & quod Ezechiel habet: Quare moriemini domus Israel. Et ostendatur, voluntatem Dei esse, ut beneficia passionis Christi, quæ voce Evangelii proponũtur & offeruntur quisque fide accipiat, & sibi applicet. Et qui ita credunt eos Evangelium pronunciat Deo reconciliari & accipere remissionem peccatorum. Vt verò hæc annunciatio sit efficax ad remissionem peccatorum, ideò Christus ministerio per insufflationem Ioan. 20. addit Spiritum sanctum. Evangelium enim est potentia Dei, ad salutem credenti Romanorum primo, hoc est, arma ministerii, per efficaciam spiritus, sunt valida & potentia, 2. Corinth. 10. Qui verò non credunt, hoc est, qui applicationem reconciliationis, quę fide fit propter Christum, apprehensa voce Evangelii, vel Epicurea securitate, vel Pharisaica pervasione contemnunt, illis denunciatur ira Dei, & æterna damnatio. Atque hoc modo publica & generali annunciatione pœnitentiæ & remissionis peccatorum, ministerium, imò Deus ipse per ministerium & in ministerio solvit & ligat, remittit & retinet peccata.

Porrò sicut doctrina arguens peccata, & denuncians iram Dei impœnitentibus, nõ tantùm in genere proponenda est, sed sicut exigit cura pastoralis, Ezechielis trigesimoquarto, singulis privatim, ubi necessitas flagitârit, retinenda & liganda sunt peccata, denunciationis iudicii Dei, ex verbo: ita etjam promissio Evãgelii, non tantùm efficax est, quando in genere annunciatur, & quando in generali prædicatione fide apprehenditur, sed pastoralis est, si quam ovem cognoverit ægrotam seu confractam, ut illam alliget & sanet, applicato privatim ministerio verbi & Sacramentorum. Privatâ igitur absolutio contritis, &

tis, & fide petentibus cõsolationem, remittit peccata, non aliter quàm quòd privatim seu singulis, voce Evangelii, annunciat remissionem peccatorum: id quod ipse Christus suo exemplo ostendit, Matth. 9. Luc. 7. Illa verò annunciatio, sive peculiaris, singularis, specialis, sive privata nominetur, efficax est ad remissionem peccatorũ, quia est ministerium spiritus, per quod Deus fidem confirmat, & peccata remittit. Idem enim Evangelium, & ejusdem efficaciæ est, sive in genere multis, sive privatim, vel uni vel paucis annuncietur. Et propter fidei infirmitatem, ad pleniorem & firmiorem consolationem, Deus vult promissionem gratiæ non tantũ in genere proponi, sed privatim etjam ad singulos petentes applicari: nõ Sacramentis tantùm, verùmetjam per annunciationem Evangelii, sicut Christus ostendit Matthæi 9. Lucæ 7. Vt fides mea eò firmius statuere possit, promissionem Evangelii generalem privatim ad me etjam pertinere: Deũ me etjam in illum comprehendere, & mihi in specie donare & applicare beneficia passionis Christi. Ita sententia Christi, Iohannis 20. de remittendis peccatis, sive intelligatur de publica seu generali annunciatione Evangelii, sive de privata absolutione, nihil aliud habet quàm ministerium remittere & retinere peccata, voce seu annunciatione verbi Dei.

Errant autem illi, qui simpliciter tollunt & damnant usum privatæ absolutionis. Errant verò & illi, qui contendunt generali annunciatione Evangelii, nulli credentium remitti peccata, sed remissionem tantùm in privata absolutione fieri.

Posita igitur vera declaratione sententiæ Christi Ioan. 20, videamus jam, quam feliciter Pontificii inde Sacramentum suæ pœnitentiæ extruunt.

Principiò autem hoc consideretur, quod Tridentinum capitulum dicit, sententiam illam Christi, non esse intelligendam de potestate seu autoritate annunciandi Evangelium Christi. Et quidem si eos taxarent, qui vel historicè tantùm, sine accommodatione & applicatione (sicut dictum est) Evangelium prædicant, vel qui prorsus ex Ecclesia tollunt usum privatæ absolutionis: rectè dicerent. Sed ipsi intelligunt in dicto Christi, talem potestatem remittendi peccata, quæ non consistat in annunciatione Evangelii Christi: sive fiat in genere, sive privatim. Andradius enim in Concilio Tridentino scribens, dicit valde distincta & diversa esse in ministerio Apostolorum, annunciare Evangelium, & remittere peccata. Sed jam ex verbis Christi ostendimus, potestatem remittendi peccata, quam Christus discipulis dedit, consistere in ipso ministerio annunciandi Evangelium.

Sim. magus, Acto. 8. Forsan igitur talem potestatem remittendi peccata fingunt, sicut Simon magus, Actorum 8. petiit sibi vendi hanc potestatem, ut cuicunq; manus imponat, ei statim detur Spiritus sanctus. Nam & Pontificii docent, potestatem illâ remittendi peccata, non in annunciatione vocis Evangelii, sed in charactere sacerdotali fundatam es-

Iesuitæ Colo. se. Qualem verò potestatem Tridentinum Concilium intelligat, Colonienses Iesuitæ ita explicant: Christum illa sententia, Iohannis 20. Sacerdotes constituisse Christianorũ judices, ut causis explicatis & discussis, vel remittant peccata, vel retineant, atque ideo idem requiri in Sacramento pœnitentiæ, quod forum politicum requiritin reo: ut scilicet primò externis signis ostendat, se duci peccatorum pœnitudine: secundò, ut peccata illa quæ vult remitti, per enumerationem confiteatur: tertiò, ut injunctam sibi à sacerdote, tanquam à judice mulctam, æquo animo sustineat. Quòd si ad has operationes peccatoris & Sacerdotis, accedat verbum absolutionis: tunc confici inde Sacramentum, quo lapsi Deo reconciliantur, & remissionem accipiunt. Et in hoc sacerdotum judicium, Iesuitæ dicunt Christum promisisse, Iohannis vigesimo, ubi dixit: Quorum remiseritis peccata. Idem dicit secundum Tridentinum capitulum: Sacramentum pœnitentiæ in eo consistere, ut lapsi pœnitentes, ad Sacerdotum tribunal sistantur, & per ipsorum sententiam, ab admissis peccatis liberentur. Ita illi.

Sed Christus certè horum nihil dicit in sententia illa, Iohan. 20. de tali enim judiciario processu, nulla syllaba ibi extat. Extat autem in illa historia, Lucæ 24. expressa declaratio de prædicanda remissione peccatorum. Nulla fit Iohan. 20. mentio enumerationis peccatorum, nec injungendæ mulctæ: imò jubentur Apostoli prædicare, non per solutionem peccatorum, quæ per nostra opera fiat, sed remissionem peccatorum, propter Christi satisfactionem. Non igitur ex illa Christi sententia, Iohan. 20. deducitur & sumitur Sacramentum Pontificiæ pœnitentiæ: sed contra simplicitatem verborum, & contra manifestam Christi interpretationem, peregrinum commentum in illam Christi sententiam ingeritur & intruditur, quod vel inde intelligi potest. Generalis enim est sententia illa, Iohan. 20. de ministerio Apostolorum: quæ complectitur, etjam pœnitentiam, & remissionem ante Baptismũ, sicut Lucæ 24. in eadem historia Christus de prædicanda inter omnes gentes non baptizatas pœnitentia: & expresiè de remissione peccatorum loquitur.

Arg. Pontif. ex loco Ioan. 20.

Sed juxta Concilium, ante Baptismum, pœnitentia non est Sacramentum, nec requirit processum judiciarium: Qua igitur certitudine, ex sententia Ioan. 20. Sacramentum Pontificiæ pœnitentiæ probari poterit? Quòd si potestas remittendi peccata, necessariò faceret Sacramentũ pœnitentiæ: sequeretur etjam, quod Pontificij negant, in veteri Testamento pœnitentiã fuisse Sacramentũ, fuit enim ibi potestas remittendi peccata, qua usus est Nathan, in absolutione Davidis. Sacramentum igitur pœnitentiæ, sicut à Pontificiis traditur, non habet fundamentum certum, firmum & solidum, in sententia Christi, Ioan. 20. Quartò. Nec ex Apostolorum doctrina & exemplis, Sacramentum Pontificiæ pœnitentiæ probari potest. Paulus enim, Act. 26. recitans summam doctrinæ suæ de pœnitentia, affirmat se nihil docuisse extra ea quæ Prophetæ loquuti sunt. Petrus etjam Act. 10. affirmat se illam rationem consequendæ remissionis peccatorum tradere, quæ à Prophetis testimonium habet. Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tridentinum capitulum negat, pœnitentiâ veteris Testamenti, fuisse Sacramentum. Et in tota Scriptura, Apostoli nusquam leguntur exegisse enumerationem peccatorum, ad remissionem necessariam: nec leguntur imposuisse mulctam, quibus peccata remittebant: sed reconciliatos hortabantur, ut post acceptam remissionem, facerent fructus dignos pœnitentia. Vanum etjâ & falsum est, Apostolos aliam docuisse pœnitentiam, quod ad substâtialia attinet, qua impii ante Baptismum ad Deum convertuntur: & aliam diversam, qua lapsi post Baptismum, cum Deo in gratiam redeant. Non enim aliam legem, non aliud Evangelium, non alium Christũ, nec aliam fidem, lapsis post Baptismum proposuerũt. Sed contritio quam Apostoli docent, sive ante Baptismum, sive in lapsis post Baptismum, est agnitio, odium & detestatio peccati, timor iræ & judicij Dei, terrores cõscientiæ, cum desiderio effugiendi iram Dei. Reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorũ, docuerunt Apostoli non in nostris operibus, sed in obedientia, satisfactione & merito Christi mediatoris, fide quærendã & apprehendendam esse, sive ante Baptismum, sive in peccatis post Baptismum.

Contritio.

Apostoli de reconciliatione.

Et in his quæ substantialia sunt pœnitentiæ, Apostoli nullam faciunt differentiã, sive ante baptismum, sive in peccatis post Baptismum, agenda sit pœnitentia, sed quãdo tradunt doctrinam de pœnitentia, in genere loquuntur de pœnitentia. Extant verò in scriptis Apostolorũ exempla conversionis eorũ qui post baptismũ lapsi fuerant: ut Galatarũ. illos verò Paulus non ad aliam novam & diversam rationem reconciliationis cum Deo deducit: sed vehementissimè, contra persvasionem de justificatione operum concionatur cõcludens omnia sub peccato: & propter solius Christi meritũ, fide apprehensum, docet ipsos coram Deo justificari, quæ pœnitentia seu conversio, in substantialibus eadem est cum illa, qua primum ab idolis ad Deum converti fuerant. In incestuoso Corinthiaco, quem Paulus excommunicârat, est exemplum publicæ pœnitentiæ, in qua requirũtur publica externa signa tristitiæ & pœnitẽtiæ. Sed illas operationes, Paulus non docet causam esse remissionis peccatorum, sed utitur verbo χαρίζεσθαι. 2. Corinth. 2. Et perpetua est Pauli sententia: Si ex operibus, jam non ex gratia: sed exinanita est fides, & abolita promissio. Quintò. Dicunt quidem Tridentini, universorum Patrum consensum, & Ecclesiam catholicam ab initio, intellexisse tale Sacramentum pœnitentiæ quale ipsi docent. Sed toti antiquitati ignota est illa disputatio: Sicut in baptismo & Eucharistia, est externum elementũ, quod accedente verbo fit Sacramentum: ita etjã in pœnitentia, requiri externam materiam sive elementum, unde accedente verbo absolutionis, fiat Sacramentum pœnitentiæ. Ignotum est & hoc veteribus actiones esse elementum seu materiam. Illud verò utile est in antiquitatis historia observare, unde, & ex qua origine, facta paulatim inclinatione, tandem deventum sit ad Pontificias disputationes, & opiniones de Sacramento pœnitentiæ. Extra omnem autem dubitationem, prima origo fuit ex spectaculis publicæ pœnitentiæ, quam magna severitate vetus Ecclesia, in manifestis & atrocibus criminibus servabat. In illa enim requirebantur externa signa cõtritionis, requirebatur exomologesis, seu confessio criminum: & priusquam rursus reciperentur in communionem Ecclesiæ, imponebantur certæ quædã externæ castigationes, cùm exempli causa propter alios, tùm verò explorationis gratia, an seria esset pœnitentia. Duæ verò commonefactiones additæ leguntur à veteribus. 1. illos ritus non esse universaliter necessarios, omnibus qui post Baptismũ, agnoscentes peccata & lapsus suos per pœnitentiam cuperent eum Deo reconciliari, gratiam & remissionem peccatorũ obtinere. Fuit enim distinctio inter publicã pœnitentiam, & inter privatam. 2. Monuerunt & hoc veteres, externos illos pœnitentiæ ritus non mereri remissionem peccatorũ, sed tantùm esse externa signa & testimonia: sicut mulctæ sententiæ veterum, de pœnitentia, distin. 1. hoc testantur. Paulatim verò à quibusdam assui cœperunt superstitiosæ opiniones, ritus illos promereri & impetrare veniam. Cœperunt etjam ex Patribus quidam, ut Origenes & alii, populum hortari, ut etjam alia peccata, etjam quæ non essent notoria crimina, seu excommunicationi subjecta, sacerdoti per confessionem aperire, consilii & medicinæ gratia, quomodo scilicet curanda essent peccata. Quidam etjam pro occultis peccatis, patiebantur publicas sibi irrogari Ecclesiasticas castigationes, seu mulctas, quas satisfactiones vocabant. Inde verò cœpit regula & doctrina generalis fieri: Ad pœnitentiam, qua lapsi in qualiacunque peccata, post Baptismum Deo reconcilientur, pertinere præter cordis contritionem, & fidem amplectentem Christum, etjam oris confessionem, sacerdoti faciendam, & operis satisfactionem. Dissimiles verò extiterunt disputationes, quibusdam asserentibus, confessionem & satisfactionem pertinere, non ad impetrationem veniæ, sed ad ostensionem pœnitentiæ: aliis contrà disputantibus, ad impetrandam remissionem peccatorum, hæc facere. Dissimiles illas veterum sententias Gratianus collegit in Decreto de pœnitentia. Postea tempore Gratiani, circa annum Domini 1150. fortiter disputatum fuit de necessitate confessionis & satisfactionis. Sed tamen Gratianus distinctio. 1. de pœnit. cap. Quamvis plenitudo, expositis diversis sententiis, ita concludit: Cui autem harum potius adhærendum sit Lectoris judicio reservatur. Vtraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros. Et glossa de pœnitentia distin. 5. recitat, varia quæsita fuisse argumenta, quibus probaretur, confessionem Sacramentalem esse juris divini, ut cùm Deus ad Adamum dicit, Adã ubi es? Item ad Cain: Vbi est Abel, frater tuus? vel Iosue 7. ubi Achan confitetur delictũ suum: vel Iacobi 5. Confitemini alterutrum. Sed quia glossa infirmitatem illorum argumentorum agnoscit, tandem concludit: Melius dicitur, confessionem institutam fuisse à quadam universalis Ecclesiæ traditione, potius quàm ex novi vel veteris Testamenti autoritate. Et addit: Apud Græcos confessio non est necessaria, quia non emanavit ad illos traditio talis.

Exempla pœnitentiæ.

Bona-

Bonaventura etjam dicit, per interiorem pœnitentiam, quæ consistat in agnitione culpæ & obligationis ad pœnam, deinde in cognitione misericordiæ divinæ, remitti culpam, illam verò pœnitentiam, quæ consistit in confessione & satisfactione, esse institutionẽ Ecclesiæ. Tandem verò ex dissimilibus & incertis illis disputationibus & opinionibus, fabricatus est articulus fidei, confessionem scilicet, & satisfactionem, tanquam de jure divino, ad consequendam remissionem peccatorum necessariam esse. Quod dogma, Tridentinum Concilium sola anathematis interminatione confirmat. Tale igitur nunc est Sacramentum pœnitentiæ, de quo Pontificii dimicant. Vnde verò, & ex quàm dissimilibus & incertis disputationibus, ante Gratiani tempora inchoatum, & post Gratiani tempora conflatum sit, utile est considerare. Ita enim rectissimè refutatur, quòd gloriantur de universorum Patrum consensu.

DE DISCRIMINE SACRAMENTI POENITENTIÆ ET Baptismi.

CAPVT II.

Ceterum hoc Sacramentum multis rationibus à Baptismo differre dignoscitur. Nam præterquàm quòd materia & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissimè dissident, constat certè, Baptismi ministrũ, judicem esse non oportere, cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de his qui foris sunt, judicare? Secus est de domesticis, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non iam repetito Baptismo ablui, cùm id in Ecclesia catholica, nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal, tanquam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissu peccatis, ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari. Alius est præterea Baptismi, & alius pœnitentiæ fructus. Per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes, ad quam tamen novitatem & integritatem, per Sacramentum pœnitentiæ, sine nostris magnis fletibus & laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus, ut meritò pœnitentia, laboriosus quidam Baptismus à sanctis patribus dictus fuerit. Est autem hoc Sacramentum pœnitentiæ, lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis, ipse Baptismus.

CANON II.

Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum, Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta, distincta non sint, atque ideò pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.

EXAMEN.

Si hoc tantùm dicere voluissent Tridentini Patres, pœnitentiã aliquid aliud esse, quàm Baptismum, & eos, qui post Baptismum lapsi sunt, si convertantur, non repetito Baptismo abluendos, sed per pœnitentiam Deo reconciliandos esse, non sanè opus fuisset tam prolixo capitulo, nec tam operoso anathemate. Sed longè aliud est, quòd ipsis prolixum hoc capitulum expressit. Sentiunt enim, ac docent, per peccata, quæ post Baptismum committuntur, ipsam virtutem, efficaciam ac gratiam fœderis illius, quod in Baptismo Deus nobiscum init, prorsus amitti, & irritum fieri, ita ut in vera pœnitentia, fides ad gratiam Baptismi reverti nullo modo, & nullo unquam tempore possit: sed jam circumspicienda sit alia tabula, nostræ scilicet operationis, in contritione, confessione, & satisfactione, cujus virtute, ex peccatorum undis enatemus, & ad portum salutis vehamur. Quia igitur hoc modo efficacia & usus Baptismi, tantùm ad unicum illud momentum, quando baptizamur, restringitur: & alia ratio reconciliationis cum Deo, & remissionis peccatorum proponitur, diversa ab ea, quæ fidei, in gratuita promissione Evangelii, propter meritum Christi offertur, & in Baptismo obsignatur, nostri falsam hanc opinionem reprehenderunt, & ex verbo Dei ostenderunt, nos per Baptismum, in participationem promissionis Evangelii, & in communionem meritorum Christi, fœdere perpetuo ita assumi, ut in eo vel perseveremus, vel si per peccata inde exciderimus, ut per pœnitentiam, fide ad fœdus illud, in Baptismo nobis obsignatum redeamus, ut ita pœnitentia, non sit nova ratio promerendæ remissionis peccatorum, per nostra opera, sed tantùm sit reditus ad gratuitam promissionem remissionis peccatorum, propter satisfactionem Christi mediatoris quæ in Baptismo nobis donata & obsignata est, ita ut ad eam reditũ habeamus, post quemcunq; lapsum, non septies, sed septuagies septies. Pro- *Effectus Baptismi.* missio enim Baptismi, salvos nos facit per Iesum Christum, ut ipsius gratia justificati, hæredes simus vitæ æternæ, Tit. 3. facit stipulationem bonę conscientiæ erga Deum, per resurrectionẽ Christi, 1. Pet. 3. Iam verò in vera pœnitentia, post quãcunque lapsum, fides hoc quærit, ut conscientia Deo reconcilietur, per mortem & resurrectionem Christi, ut ipsius gratia justificati, hæredes simus vitæ æternæ. Ita pœnitentia nihil aliud est, quàm reditus ad promissionem gratiæ Baptismi, non ut iterum baptizemur, sed ut ad illam gratiam, ex qua per peccata excideramus, per fidem in pœnitentia redeamus.

Qualem intelligant pœnitentiam Pontificij.

Hæc verò est sententia illa, quam hoc loco Tridentini damnare voluerunt. Et observetur quæ sit antithesis, de qua Pontificii dimicant. In Baptismo donatur gratuita reconciliatio, & remissio peccatorum, sine nostris operibus, propter meritũ & satisfactionẽ Christi, iis qui pœnitentiam agunt, & credunt Evangelio. Qui verò post baptismũ lapsi sunt, iis, (ficut Osius inquit) non tam facilis, tam liberalis & gratuita via patet ad remissionem peccatorum, sed, ficut Tridenti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mum capitulum inquit, per Sacramentum pœnitentiæ, ad reconciliationem cum Deo, sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus. Et quidem gravius peccatum est, post Baptismū Spiritum sanctum contristare, & templum ejus prophanare, posteriora enim redduntur pejora prioribus, 2. Pet. 2. Majorem itaque dolorem habet contritio, & gravior lucta est conscientiæ, quærentis reconciliationem in lapsibus post Baptismum: Sed aliud est quod Tridentinum Capitulum quærit, in Baptismo scilicet, remissionē peccatorū gratis sine nostris operibus, propter meritum Christi donari, & fide accipi, in lapsib. verò post Baptismum, pœnitentiam impetrare veniam, non fide gratis, & sine operibus, sed per & propter opera pœnitentiæ. Atque ideò absolutionem in pœnitentia, non esse administrationem & exhibitionem gratuiti beneficii reconciliationis, propter meritum Christi, sicut in Baptismo, sed esse judicium, in quo facta collatione peccatorum, & laboris pœnitentiæ, impositæ etjam insuper certa mulcta ad recompensationem, hoc respectu pœnitenti, promittatur reconciliatio cum Deo. Hæc est summa sententiæ secundi hujus Capituli. Et idem est quod alibi dicunt, duplicem esse justificationem: quarū prior fit gratis fide, sine operibus, propter Christum, altera non gratis, sed per & propter opera fiat. Sed hęc & explicata & refutata sunt in prima parte examinis, in loco de Iustificatione, & in secunda parte, in 6. & 9. Canone, de Baptismo. De tribunali verò judicii pœnitentialis, tunc commodius dicemus, ubi ad confessionem ventū fuerit. Sufficit igitur hoc loco ostendisse, quòd Tridentinum Concilium velit, quòd de differentia Sacramenti pœnitentiæ & Baptismi tam operosè disputat. Pertinet autem hoc ad pleniorem declarationem, qualis sit pœnitentia illa, ex qua Pontificii Sacramentū faciunt: quæ scilicet quęrat & impetret recōciliationem & remissionem peccatorum, non fide gratis, sine meritis nostrorum operū, propter Christi merita, sicut in Baptismo fit, sed per & propter labores & opera nostræ pœnitentiæ. Qui verò sint illi labores, & quę opera, mox sequens Capitulum explicat.

Summa huius capituli.

DE PARTIBVS ET FRVCTV SACRAMENTI POEnitentiæ.

CAPVT III.

Docet præterea sancta Synodus, Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c. Quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more, preces quædam laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Sunt autem quasi materia huius Sacramenti, ipsius pœnitentiū actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq; & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione parte pœnitentia dicuntur. Sanè verò res & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris pijs, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax ac serenitas, cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Hæc de partibus & effectu huius Sacramenti, sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt.

CANON IIII.

Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, aut dixerit, duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.

EXAMEN.

Summa est.

Duo in hoc capitulo tractantur, quæ examinanda sunt. Primùm, quæ sit materia, & quæ forma in pœnitentia, unde fiat Sacramentū, cuius effectus, vis & efficacia, sit recōciliatio cum Deo, & perfecta peccatorum remissio. Secundò, quæ sint partes pœnitentiæ, quæ in pœnitente, ad plenam, perfectamq; peccatorum remissionem requiruntur. De re autem gravissima agitur, Quomodo scilicet, & unde in vera pœnitentia, illi qui lapsi sunt, cum Deo rursus reconcilientur, & remissionem peccatorum accipiant, unde pœnitentia vim & efficaciam illam habeat, remissionis scilicet peccatorum, quid illud sit, quo conscientia in pœnitentia niti debeat, ut nō dubitet, se rursus à Deo in gratiam recipi. Quia igitur Longobardus primum, ex pœnitentia Sacramentum fecerat, cœperunt postea Scholastici quærere, quæ sit materia, & quæ forma, unde pœnitentia rationem Sacramenti habere, & definitionem tueri posset. Vt enim aliquid sit Sacramentū, requiritur, ut habeat ex divina institutione, elementū externum, tanquam signum, & verbum divina ordinatione elemento annexum, cum promissione de vi & efficacia. Irenęus vocat rem terrenam & cœlestem: Augustinus vocat elementum, seu visibilem speciem, verbum vel visibilem gratiam. Prorsus autem, sicut anteà etjam dixi, antiquitati ignota est hæc disputatio, an in pœnitentia sit materia & forma Sacramentalis. Augustinus de fide ad Petrum, Baptismum appellat Sacramentum fidei & pœnitentiæ. Impositionem etjam manuum, qua publicè pœnitentes Ecclesiæ reconciliabantur, alicubi inter Sacramenta numerat. Ipsam verò pœnitentiam, qua homini peccata remittuntur, in vera antiquitate Sacramentum appellatam fuisse, ostendi non potest. Ideò etjam, ut in re nova, cùm nullæ apud Patres sententiæ extarent, de hac quæstione variè disputatum fuit à Scholasticis, quæ in pœnitentia esset talis materia, quæ accedente verbo, pœnitentiam faceret Sacramentum. Quidam ut

Quæstio de materia & forma Sacramenti pœnitentiæ variè disputata.

dam ut proprietatem materiæ retinerent, ipsa peccata finxerunt esse materiā hujus Sacramenti. Alii dixerunt, ipsum peccatorem confitentem esse materiam. Postea facta metamorphosi, elementū seu materiam, ex prędicamento substantiæ transtulerunt in prædicamentum actionis, disputantes, actus pœnitentiæ posse materiam Sacramenti esse. Et ad speciem seu formam visibilem, quam Augustinus in Sacramentis requiri dicit, finxerunt sufficere, modò sit aliquid sensibile, sive visu sive auditu, forsan etjam sive gustu sive odoratu percipiatur. Nec tamen consentiunt, quæ actio in pœnitentia sit materia Sacramenti pœnitentię: an actio sacerdotis, proferentis certis ritibus absolutionem, an verò actiones pœnitentis, & quænam. Quidam contritionem, confessionem & satisfactionem, ponunt partes materiales Sacramenti pœnitentiæ. Sed quia cōtritio nō est visibilis, & satisfactio in opere sequitur susceptionem ipsius Sacramenti: ideò solam confessionem quidam ponunt pro materia. Formam verò Sacramenti pœnitentiæ, quidam ponunt verba absolutionis. Sed quia non est in verbo Dei, determinata forma verborū absolutionis, ut in Baptismo & Eucharistia: ideò alii, nec certitudo efficacię Sacramenti fluctuet, si forma esset incerta, dixerunt ipsos actus sacerdotis absolventis pro forma, & sufficere si actus ille exprimatur, etjamsi nō fiat per limitata & determinata verba: sicut Iudex politicus, in sententia sive absolutoria sive damnatoria, non est alligatus ad certam formam verborū. Ita actus in pœnitente est materia: in sacerdote verò, est forma, Quid verò est, unde non Sacramentum fabricari poterit, si hoc modo de materia & forma ludere libeat? In oratione, adhibentur sæpe externi gestus: prædicatio Evāgelii, est actio quædam: quin igitur & inde fiant Sacramenta.

Sed de re ipsa dicamus. Magnum & arduum quiddā est, aliquid proponere & habere pro Sacramento. Sunt enim Sacramenta quasi divina quædam vascula, in quæ merita Christi, gratia Dei, remissio peccatorum, &c. divina ordinatione, quasi deposita sunt, ut per hæc quasi organa, Deus beneficia illa distribuat credentibus, applicet & obsignet. Ideò necesse est, ut materia Sacramentorum ab ipso Deo, in verbo sit instituta, ordinata & præscripta. Requiritur certū verbum, ab ipso Deo traditum: quoad materiam illam seu elementum accedente, fiat Sacramentū, quod habeat promissionem divinam, de spirituali gratia & efficacia. In disputatione autem de pœnitentia, de re magna agitur, de reconciliatione scilicet cum Deo, & remissione peccatorū. Illa gratia, vis & efficacia, tribuitur humanis operibus seu actibus, in pœnitētia. Sed ubi in verbo Dei traditum & institutum est, actus illos pœnitentis, esse materiam, ex qua accedente verbo fiat Sacramentum, cujus effectus sit recōciliatio & remissio peccatorū? ubi præscriptum est certum verbum? ubi tradita extat promissio, si materia illa & forma conjungantur, adesse vim & efficaciam remissionis peccatorum? Et profectò audax impietas, & impia audacia est, fingere Sacramentum, cujus nec materia, nec forma, nec promissio in verbo Dei extet. Consideretur autem mysterium iniquitatis, quod sub commenticia illa materia Sacramenti pœnitentiæ occultatur, & absconditum est. Antiquissimum est Satanæ artificium, homines quando quærunt reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum, deducere ad propria opera, ut illa opponant judicio Dei, ad consequendā remissionem peccatorum. Illa verò Pharisaica persvasio, Paulino fulmine gravissimè repressa, & ex Ecclesia Dei proturbata est. Variis verò modis, ille qui mille artifex est, postea tentavit, fiduciam operum, ad justitiam coram Deo, Ecclesiæ obtrudere. Et aliquando hoc ipsi succesit, sæpè verò gladio spiritus repressus fuit. Tandem verò, ulciscente Deo veritatis contemptum, & mundi ingratitudinem, 2. Thessalon. 2. humana opera in pœnitentia, non tantùm ut merita, sed quod majus est, ut Sacramentum, proposita fuerunt, ad consequendam reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum. Sacramenta autem sunt divinæ actiones. Ergo quando ex humanis operibus contritionis, confessionis, & satisfactionis, Sacramentum fabricatur, jam humanis operibus divinitas quædam arrogatur: ut scilicet solium ipsorum juxta astra Dei exaltetur, sicut de Rege Babylonico Isaias inquit. Thomas enim disputat in 4. distin. 16. artic. 1. ideò in Sacramento pœnitentiæ, loco materiæ esse actum humanum, quia per quandam recompensationem tollat offensam culpæ præcedentis.

Impostura Satanæ.

Animadvertit hoc Gropperus, ideo institutione Colonienſi, quærit talem mitigationem: pœnitentiam vocari Sacramentum ratione absolutionis, quia illa explicet promissionem generalem, ad singulos petentes: & materiam vocari posse externā illā actionem sacerdotis, qua impertit absolutionem: quia sit signum externū, quomodo Deus interius animam à peccati nexibus absolvat. Sed de externis ritibus & gestibus in absolutione, nullum in verbo Dei extat mandatum, nullum institutum, nulla promissio. Nec statim divinum Sacramentum est, quicquid spirituale aliquid significare potest. Quod ad ipsam autem absolutionem attinet, notæ sunt declarationes Augustanæ confessionis & Apologiæ.

Gropperus.

Tridentinum verò Conciliū, ne hanc quidem mitigationem, nec illam quæ in Augustana formula inter religionis proposita fuit, admittit & recipit, sed simpliciter decernit, ex humanis pœnitentium operibus, & ex verbo absolutionis, constari Sacramentū pœnitentiæ, cujus effectus, vis & efficacia, sit recōciliatio cum Deo, & remissio peccatorū. Addit autem, ex Dei institutione hoc fieri. Sed falsum est, de enumeratione singulorum peccatorum, & de Pontificia satisfactione, nullum in verbo Dei extare mandatum. Antiquitati etjam prorsus ignotum est, illas pœnitentium actiones, esse materiā Sacramentalem. Et tempore Scholasticorum Doctorum, imò tempore Gabrielis Bielis, ante centum adhuc annos, dubium & incertum fuit, quæ esset vera materia Sacramenti pœnitentiæ. Quæ igitur potest certitudo esse de effectu Sacramenti, cùm materia & forma sit incerta, & promissio sit nulla? Atq; ideò forsan Tridentinum capitulum dicit, actus pœnitentiū esse materiam Sacramenti pœniten-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cur de Sacramento pœnitentiæ dimicent Papistæ.

pœnitentiæ, vel quasi. Erit igitur etjã Sacramentum, vel quasi: erit etjam ejus effectus, remissio peccatorum, vel quasi. Et hæc ipsa causa est, quare de Sacramento pœnitentiæ dimicent, ut reconciliationem & remissionem peccatorũ, dubiam & incertam reddant. Non quidem dubiũ est, privatam absolutionem efficacem esse: quia est vox Evangelii, quod est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Atque ideò probatur mihi Gersonis sententia, absolutionem non in optativo modo, forma imprecationis impertiendam, sed ita ut qui absolvitur, audiat & intelligat, Deũ per illud ministerium annunciationis Evangelii, sibi privatim applicare meritum ac beneficia Christi ad remissionem peccatorum. Sed & ipsa absolutio in Pontificio hoc Sacramento pervertitur: non enim permittitur Evangelica esse, sed redditur merè legalis. Non enim gratis, fide, fine nostris operibus, propter Christi meritũ impertitur, sed sub conditione actuum, contritionis, confessionis, & satisfactionis, quæ Tridentinum Concilium, tanquam materiam Sacramenti, ad perfectam peccatorum remissionem, in pœnitente requirit. Quia verò nemo certus esse potest, an actiões illas in debito gradu habeat: semper conscientia dubia & incerta manet de reconciliatione. Imò si ex operibus est justificatio, hoc est, remissio peccatorum: exinanita est fides, & abolita promissio, Rom. 4. Et qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, Galat. 3. Verè igitur carnificina conscientiarum est, Sacramentum Pontificiæ pœnitentiæ.

De partibus pœnitentiæ.

Altera quæstio tertii hujus capituli, est de partibus pœnitentiæ. Vtq; planior fit disquisitio, Tridentinũ capitulum inquit, partes pœnitentiæ intelligi, quæ in pœnitente ad plenam, perfectamq; remissionem peccatorum consequendam requiruntur. Iterum de re magna, complectente salutem omnium nostrum, disputatio est. Certum enim est, Deũ velle lapsos recipere: sed si pœnitentiam agant. Ardua igitur quæstio est, quomodo pœnitentia ita agi possit, ut certi simus, nos consequi reconciliationem & remissionem peccatorum. Sienim pœnitentia non rectè agitur, peccator licet quærat, non tamen assequitur remissionem peccatorum. Hic verò Scriptura, & testimoniis & exemplis viam nobis monstrat, propositis duobus generibus doctrinæ legis scilicet, & Evangelii. Et lex quidem arguit peccata, & proponit comminationes Dei: atque ita agnito peccato, incutit conscientiæ terrores, ut incipiat iram Dei timere, atq; ita peccatũ detestari. Atque hic est primus gradus pœnitentiæ: non quidem promerens remissionem peccatorum, sed quia hic ordo à Deo est institutus, ut juxta Bernardi dictum, oleum misericordiæ, non infundat, nisi in vas cõtritum, & contribulatũ. Lex verò est pædagogus ad Christũ. Quia enim vera pœnitentia, habet desiderium effugiendi iram Dei, & damnationem, lex verò pronũciat, ex operibus nullam carnem coram Deo justificari: eo ipso igitur peccatorem territum, & quærentem reconciliationem cum Deo, lex à se ablegat. Ibi verò Evangelium monstrat nobis, obedientiam & satisfactionem Christi mediatoris, pro nobis præstitam, & propter hoc meritum Christi, offert nobis gratiam & remissionem peccatorum. A nobis verò hoc requirit, ut illud beneficium Christi, fide accipiamus, & nobis applicemus: & pronunciat, eos qui credunt in Christum, remissionem accipere per nomen ejus. Reconciliatos verò, qui beneficium remissionis acceperunt, hortatur ut postea faciant fructus dignos pœnitentia. Ita juxta Scripturam, ut in pœnitentia consequamur reconciliationem, requiritur in pœnitente contritio, & fides apprehendens meritum Christi: fructus verò post reconciliationem sequuntur. Hæc ratio agendæ pœnitentiæ, plana & certa est, in Scriptura enim tradita est, & habet promissionem remissionis peccatorum.

Sed Tridentinum Concilium, sine dissimulatione ostendens, qualem hactenus promiserit emendationem, sonora voce profitetur: se damnare illorũ sententiam, qui pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores, & fidem esse contendunt. Et terrores quidem à Deo, voce legis conscientiæ incussos, ideò nolunt esse partem pœnitentiæ: quia contritionem volunt esse dolorem voluntariè pro peccatis, tanquam vindictam assumptum, qui hoc opere, promereatur misericordiam Dei, sicut proximum capitulum explicabit. Fidem verò operæ precium est observare, quare & quo sensu ex pœnitentia, quærente remissionem peccatorum, excludant & proscribant: cùm tamen Scholastici doceant, fidem esse radicem & fundamentum, unde oriatur pœnitentia. Et in 4. capitulo, Tridentinum Concilium dicit, contritionem debere cum fiducia divinæ misericordiæ conjunctam esse. Num igitur in eo tantùm controversia consistit, quòd Pontificii dicunt, fidem esse fundamentum pœnitentiæ: nostri verò docent, esse partem? Certè si utrinque consensio esset, fidem in pœnitentia esse necessariã, ad consequendam remissionem peccatorum, nõ esset ideò turbanda Ecclesia, si alius fidem fundamentum, alius partem pœnitentiæ appellaret, cùm quidem majus sit, aliquid esse fundamentum, quàm partem. Animum verò quæso bone Lector adverte. Tertiũ Capitulum simpliciter nominat fidem, quàm à partibus pœnitentiæ excludit. Quartus verò Canon explicat & declarat, qualẽ fidem Pontificii in sua pœnitentia nolunt ferre, quæ scilicet ex voce Evangelii seu absolutionis concipitur, & qua pœnitens credit, sibi per & propter Christum remitti, & remissa esse peccata. Quãdo igitur dicũt, fidem fundamentum esse pœnitentiæ, intelligunt talem persvasionem, si actiones illas pœnitentiæ, à Pontificiis præscriptas, quis susceperit & præstiterit, quòd illis actionibus impetret veniam peccatorum, & reconcilietur Deo. Hac enim persvasione dicunt suscipiendas esse actiones pœnitentiæ, & hoc est quòd dicunt, fidem esse fundamentum pœnitentiæ. Quando igitur 4. Canon anathemate damnat eos, qui dicunt, fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christũ remissa esse peccata, necessariam partem esse pœnitentiæ, ad consequendam remissionem peccatorũ: quid aliud facit, quàm quòd totum Evangelium ex pœnitentia tollit, & ipsam vocem Evangelii propriam, sicut à prophetis,

Cur Pontificii fidem ex pœnitentia excludant.

Qualẽ fidem Pontificii intelligant in loco pœnitentiæ.

phetis, Christo & Apostolis tradita est, damnat? De prophetarum enim doctrina inquit Petrus, Act. 10. Christo omnes prophetæ testimoniũ perhibent, quòd remissionem peccatorum per nomen ejus accipiant, quotquot credunt in ipsum. Summam doctrinæ ministerii Christi. Mar. cap. 1. ita explicat: Pœnitentiã agite, & credite Evangelio. Et post resurrectionem, jubet Apostolos prædicare pœnitentiam, & remissionem peccatorum, in suo nomine, Lucæ 24. Post ascensionem Paulo legationem Evangelicam ita injungit, ut convertantur à tenebris ad lucem, & accipiant remissionem peccatorum per fidem, quæ est in me, Acto. 26. Ipse etjam Paulus, Act. 20. cùm sciret captivitatem sibi imminere, summam prædicationis suæ inter Iudæos & gentes, in hæc capita colligit, testificans pœnitentiam in Deũ, & fidem in Christum. Reconciliatis verò proponit doctrinam, ut digna pœnitentiæ opera faciant, Actor. 26. Audis ubique fidem, & illam fidem, quæ per nomen Christi remissionem peccatorũ accipit, conjungi pœnitentiæ. Et ne plura testimonia coacervemus, quid reliquum erit Evangelio, si tollas inde Christum, fidem in Christũ, & remissionem peccatorum, quæ fide per Christum accipitur? Et tamen Tridentinum Concilium non veretur anathemate damnare, si quis dixerit, partem pœnitentiæ esse fidem, ex Evangelio conceptam, qua quis credit sibi per Christum peccata remissa. Hoc quidem ante cogitare potui, Tridentinum Concilium in doctrina de pœnitentia, non rectè aut explicatè traditurum fidem, quærentem & accipientem in voce Evangelii, per & propter Christum, remissionem peccatorum. Nunquam verò persvaderi mihi passus fuissem, fore ut in tanta verbi Dei luce, publico anathemate damnarent, si quis dixerit, partem salutaris pœnitentiæ esse fidem, conceptam ex Evangelio, qua quis credit sibi per Christum remissa peccata. Sed his notis & indiciis, Dei judicio, coram toto mundo revelatur, qualis Ecclesia sit cœtus Pontificius. Ad perpetuam igitur rei memoriam, notum sit veræ Ecclesiæ Dei, Concilium Tridentinum promittere pœnitentiæ reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum, sine fide, quæ quidem ex Evangelio concepta sit, & qua quis credat, per Christum sibi peccata remissa. Ita enim sonora voce decernit 4. Canon. Audiamus verò, quas ipsi partes pœnitentiæ assignent, quæ ad remissionem peccatorum, sine fide illa, necessariæ & sufficientes sint. Contritionem numerant, confessionem, & satisfactionem. Et quia illas pœnitentiæ partes, etjam materiam Sacramenti faciunt, quã oportet externam & visibilem, seu sensibilem esse, nõ igitur de contritione interiori, nec de confessione quæ Deo fit, nec de proposito interiori emendationis, partes illæ intelligi debent, sed de externis actibus contritionis, de externa cõfessione, quæ per enumerationem omnium delictorũ proprio sacerdoti fit, & de externis operibus satisfactionis, injunctæ à Confessionario. Atqui externa signa contritionis, Scriptura nullibi docet, ad remissionem peccatorum esse necessaria. Enumeratio specialis omnium delictorũ, sacerdoti facienda, in verbo Dei nec mandatum, nec exemplum habet. Satisfactionis verò opera, ipsi Pontificii definiunt esse indebita, hoc est, verbo Dei non mandata. Habent igitur partes pœnitẽtiæ, sine Scriptura, & quidem tales, quales hypocritæ etjam simulare & præstare possunt. Et tamen illis tribuunt remissionem peccatorũ, cùm interea fidem ex Evangelio conceptam, qua quis credit sibi per Christum peccata remissa, sub anathemate in pœnitentia damnent. Iudas verò fide illa destitutus, cùm partes Pontificiæ pœnitentiæ haberet, contritionem scilicet, confessionem & satisfactionem, laqueo tamen se suspendit. Tanta scilicet in illis partibus pœnitentiæ, est consolatio, exclusa fide in Christum.

Partes pœnitentiæ Pontificarum.

Enumeratio singulorum peccatorum.

Trina verò illa enumeratio partium pœnitentiæ, ex publicæ pœnitentiæ ritibus sumpta, postea ritibus illis partim abrogatis, partim mutatis, indoctè ad generalem pœnitentiæ doctrinam accommodata est.

Accessit, quòd veteres in multis sententiis loquuntur de pœnitentia, non quatenus quærit & accipit remissionem peccatorum, sed quatenus est vitæ mutatio & emendatio. Et tunc Augustinus & Chrysostomus solent ita loqui: Sicut tres sunt peccatorum differentiæ, & tribus modis Deum offendimus, corde scilicet, ore, & opere: ita veram emendationem, per contrarium instituendam esse, in animo, in verbo, & opere. Hæc non attendentes Monachi, fecerunt inde tres partes pœnitentiæ quibus acquiratur remissio peccatorum, & quidem exclusa fide, qui ex Evãgelio concepta credat, per Christum peccata remitti. Et ubi Chrysostomus ponit operis humilitatem, Augustinus operis sanctificationem, substituerunt postea operis satisfactionem. Et tamen anathema sit oportet, nisi quis omnia illa, undecunque orta, tanquam oracula Spiritus sancti adoret.

Augustinus. Chrysostom.

DE CONTRITIONE.

CAPVT IIII.

Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, iuxta illud: Projcite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis: & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Et certe, qui illos sanctorum clamores consideraverit: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum. Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ, & alios huiusmodi generis facilè intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorũ detestatione manasse. Docet præterea, etsi contritione hanc aliquando charitate

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritate perfectam esse contingat, hominemq; Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solùm non facere hominem hypocritam, verumetiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat, & quamvis sine Sacramento pœnitentiæ, per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam, in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Ionæ prædicationem, plenam terroribus, pœnitentiam egerunt: & misericordiam à Domino impetraverunt. Quamobrem falsò calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit, sed & falsò docent, contritionem esse exortam & coactam, nõ liberam & voluntariam.

CANON V.

Si quis dixerit, eam contritionem quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitet annos suos, in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, demum illam esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, anathema sit.

EXAMEN.

Omnino iniis, qui veram & seriam agunt pœnitentiam, necessaria est contritio. Neque enim vera pœnitentia esse potest, in iis, qui persvasione sanctitatis, somniant se esse sine peccato, vel qui peccata contemnunt, extenuant, excusant, palliant & defendunt, item, qui comminationes divinas vel contemnunt, vel irridenț, iram Dei non curant, iudicio & indignatione eius non moventur: atque ideò in peccatis contra conscientiam perseverant & pergunt, peccatis delectantur, quæ runt & arripiunt occasiones peccatorum, atque ea, quæ sine timore Dei, ex proposito cumulant: in iis inquam, nulla vera potest esse pœnitentia, nec seriò aut rectè quæret remissionem peccatorum, qui iram & iudicium Dei adversus peccata, vel non intelligit, vel non considerat, vel non curat. Nequaquam igitur docemus pœnitentiam sine contritione. Pertinet autem ad contritionem, 1. ut mens peccatoris, ex iudicio legis intelligat, agnoscat, & seriò consideret multiplicem immunditiem, magnitudinem & abominationem peccati coram Deo. 2. Ex doctrina de ira, indignatione & iudicio Dei adversus peccata, conscientia intelligens quàm seriò & horribiliter Deus peccatis irascatur, & ea punire velit, agnoscit se propter peccata irretitam teneri nexibus iræ & iudicij Dei, ad æternam condemnationem. 3. Inde oritur in conscientia timor, terror & pavor iræ & iudicij Dei adversus peccata. 4. Hinc sequitur dolor conscientiæ, graviter dolentis se peccasse, & peccatis offendisse Deum: incipit igitur peccatũ odisse, & detestari, atque ejus propositum abijcere. 5. Hæc verò agnitio, hic pavor & dolor, excitat & vrget conscientiam, ut cogitet & quærat, an & quomodo effugere possit iram Dei, & iudicium damnationis, sicut Baptista inquit: Quis submonstravit vobis fugere à ventura ira? 6. Ad hos terrores necesse est accedere consolationem, fidem scilicet, quæ statuat nobis remitti peccata propter filium Dei, & tantæ misericordiæ agnitione, rursus erigat nos, ne oppressi desperatione, ruamus in æternum exitium. Nisi enim hæc fides accedat, contritio est fuga Dei, & fremitus adversus Deum, quibus tandem ruitur in æternum exitium. Et hic gradus discrimen facit inter contritionem Petri & Iudæ.

Contritio ex nostra voluntate præficiatur.

Est autem vera contritio, non opus liberi arbitrii, seu virium humanarum, sed Spiritus sanctus per verbum prædicatum, auditum & cogitatum, illam in nobis excitat, inchoat, operatur & efficit. Atque ideò pœnitentiam acturi, proponant sibi legem Dei, monstrantem agnitionem peccatorum, iram Dei, pœnæ præsentes & futuras, spirituales & corporales, temporales & æternas, publicas & privatas, & exempla pœnarum, & qui post Baptismum lapsi sunt, immensa beneficia Dei, considerent, ut agnoscant, quàm fœda & horrenda ingratitudine, Deum offenderint. Sunt autem multiplicia testimonia bonitatis Dei erga nos, in creatione & sustentatione mundi, in nutritione & defensione corporis & animæ, in gubernatione politica, œconomica & privata, præcipuè verò in spiritualibus beneficiis, consideretur patefactio verbi, donatio Evangelii, missio filii, donatio Spiritus sancti, depulsio diaboli, promissio vitæ æternæ, &c.

Inter hæc tanta Dei beneficia, Spiritum sanctum lapsibus contristare, & Deum offendere, horrendum profectò scelus est. Per verbum igitur Dei prædicatum, auditum & cogitatum, Spiritus sanctus efficax est excitans, inchoans & efficiens veram contritionem, quæ in seriis pœnitentiæ exercitiis crescere quidem debet, nunquam tamen in hac vita sufficiens & perfecta esse potest. Delicta enim quis intelligit? Psalm. 19. Quis novit potestatem iræ Dei? quis metuit furorem eius? Psalm. 90. Ad dolorem igitur contritionis, pertinet etiam hoc dolere, quòd non possumus de peccatis satis dolere. Remissio verò peccatorum, non pendet ex magnitudine, sufficientia & merito contritionis, sed ex obedientia & satisfactione Christi, fide apprehensa.

An nostra contritione impetremus remissionem peccatorum.

Necessaria igitur est contritio, non autem meritum est, impetrans remissionem peccatorum. Illa enim propter solum Christum datur, & fide accipitur, Actor. 10. Contritio verò nihil aliud est, quàm quòd agnoscimus, sentimus & fatemur, nos propter peccata irretitos teneri nexibus judicii divini, ad æternam damnationem. Et nisi ex

ex illis pavoribus & doloribus, animus agnitione & fiducia misericordiæ, propter Christum mediatorem eluctetur, ruit in desperationem, & in æternum exitium. Vsque adeò contritio non est meritum remissionis peccatorum. Quæ igitur necessaria est? Respondeo. Sicut illi qui morbum nec agnoscunt, nec sentiunt, medicinam nec curant, nec quærunt, nec applicant, ita gratiam & misericordiam Dei, quæ in Christo proponitur, nemo satis curat, nemo seriò & rectè quærit & amplectitur, nisi qui agnitione, sensu & pavore peccatorum, & iræ Dei adversus peccata, cõtritus & perterrefactus est. Lex enim pœdagogus est, urgens & impellens ad quærendam gratiã Dei, in Christo. Et ordo divinus est, quòd vult quidem Evãgelizare, sed pauperibus, vult sanare, sed contritos, vult prædicare dimissionem, sed captivis, vult educere & liberare, sed vinctos, hoc est, sub peccatis conclusos, vult consolari, sed contristatos & lugentes, vult respicere, sed ad contritum spiritu, beneplacitũ est Domino, sed super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus, vult reficere, sed laborantes & oneratos, vult coronare misericordia & miserationibus, sed caput humiliatum non turgidum, vult infundere oleum misericordiæ, sed vulneratis, &c.

Hanc de contritione sententiã, quæ à nostris ex Scripturæ fundamentis extructa, & justis tractatibus explicata est, ideò breviter hoc loco repetere volui, ne quis existimet, nos contritionem prorsus vel negare, vel ex pœnitentia tollere: ut quantithesis seu collatio clarius ostendat, quæ sint potissima capita controversiæ de contritione, in hoc Tridentino capitulo, quæ ordine nunc, & breviter examinabimus.

Et primò, quòd ad descriptionem contritionis attinet, nemo pugnat, quin contritio continere doceatur, non tantùm cessationem à peccato, & novæ vitæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium, & peccatorum detestationem. Nec de definitione certamen esset, nisi insidiæ laterent sub vocabulis. Contritio, inquiunt, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cùm proposito non peccandi de cætero. Hæc verba ego simpliciter & candidè accipere, in eam sententiam, sicut jam de contritione dixi, sed insidiæ, ut monui, latent in vocabulis. Scholastici enim docent, contritionem, ut habeat vigorem & valorem ad deletionem & remissionem peccati, debere esse talem detestationem peccati, quæ ad punitionem commissi peccati, voluntariè susciptur aut assumatur. Voluntariam enim pœnam remittere & delere peccatum, sicut in humanis pœna voluntariè assumpta, magis placat offensum. Ita Gabriel. Thomas verò dicit: Sicut peccatum per consensum voluntatis consummatur, ita per dissensum deletur & remittitur. Et addit, Baptismum in virtute meriti Christi, habere virtutem ad delenda peccata. In contritione verò, ad remissionem peccatorum cum Christi merito requiri etiam nostrum actum displicentiæ peccati, qui sit meritorius: quia cadat sub libero arbitrio. Et sicut offensa committitur in Deum, vel externis membris, vel concupiscentia, vel voluntate, ita contritionem inferre dolorem corpori, parti sensitivæ, & voluntati, ad reconciliandam offensam, quæ in Deum commissa est, membris, concupiscentia & voluntate. Hæc Thomas.

Scholastici de contritione.

Et ex hac consideratione intelligi potest, quæ sit causa, quòd tertium Tridentinum capitulum nolit, contritionem esse terrores, à Deo conscientiæ, voce legis incussos, ita enim contritio non posset esse meritoria reconciliationis, & remissionis peccatorum. Scholastici verò, ut contritionem meritoriam faciant, ita eam definiunt, quòd sit dolor assumptus, & voluntariè assumptus, & quidem pro peccatis assumptus. Et quia ad illas Scholasticorum disputationes, Tridentinum Concilium sua definitione respexit, brevem hanc commonefactionem addere volui.

Scholastici definitio.

Secundò. In hoc capitulo principaliter observandum est, quid & quantum contritioni tribuant. Hic motus, inquiunt, præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia misericordiæ divinæ conjunctus sit. Possent hæc verba commodè intelligi, contritionem scilicet ita præparare ad remissionem peccatorũ, quia agnitione & sensu iræ Dei adversus peccatum, hominem excitet & impellat, ut de suis operibus & meritis desperans, in Evangelio, fide gratis propter meritum Christi, quærat & accipiat remissionem peccatorum: sed hoc Tridentina congregatio nullo modo vult. Et ne videantur verbis ipsorum peregrinum sensum affingere, audiamus quomodo hoc ipsum Capitulum, præparationem illam per contritionem ad remissionem peccatorum, interpretetur & declaret. Motus inquiunt, contritionis necessarius est, ad impetrandam veniam peccatorum. Et postea dicunt, contritionem charitate perfectam, hominem Deo reconciliare, etjam ante absolutionem, modò adsit votum confessionis & satisfactionis. Impetrationem igitur veniæ, & reconciliationem cum Deo, manifestè tribuunt actui seu operi cõtritionis nostræ, & quidem ante absolutionem, quæ est vox Evangelii, gratis propter meritum Christi annuncians, & impertiens fidei reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorũ. Quid verò aliud hoc est, quàm reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum, adimere Evangelio & fidei: imò gratuitæ misericordiæ, Dei, & merito Christi, & transferre illam in merita nostrorum operum Sed inquis: Tamen Tridentinum capitulum, contritioni conjungit fiduciam divinæ misericordiæ, & votum absolutionis, & Scholastici addunt meritum Christi. Verba sanè audio, sed video, quomodo illa Pontificii intelligant: Pœnitentiam scilicet debere de divina misericordia concipere talem fiduciã, si voluntariè ex dilectione Dei, assumat dolorem pro peccatis, & habeat propositum, se velle Sacerdoti enumerare omnia peccata, & obedienter exequi satisfactiones, quas sacerdos injunctu rus sit, fore ut his motibus & actibus, impetret veniam peccatorum, & reconcilietur Deo. Et illa pœnitentium opera, dicunt ex merito Christi habere talem virtutem, remissionis scilicet peccatorum.

Talis fides est Pontificiæ pœnitentiæ, in nostra

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fides Pontificiæ pœnitentiæ.

scilicet opera, non in Christum, talem misericordiam Dei volunt, non quæ sit gratuita, & gratis propter Christi meritum peccata remittat, sed quæ operibus nostris tribuat mercedem, reconciliationem scilicet cum Deo, & remissioné peccatorum Hæc quia simpliciter evertunt doctrinam Evangelij, miris tergiversationibus involuta, & variis pigmentis fucata hactenus sunt, à multis nostri temporis Pontificiis scriptoribus. Sed Tridentinum Concilium, sine tergiversatione & dissimulatione, manifestè quid velit & sentiat, declarat. Simpliciter enim repetit & confirmat, quæ à Scholasticis Doctoribus de contritione tradita sunt: quòd scilicet virtute contritionis, juxta distributionem Thomę, remittatur & deleatur culpa, auferatur pœna, & cõferatur gloria. Vtq; ea, quæ in hoc capitulo de contritione decernuntur, rectius examinari & planius intelligi possint, paucis notabo dogma Scholasticorũ, quod Concilium hoc decreto repetere & confirmare voluit. Scotus igitur dicit, peccatorem ex suis naturalibus cum communi seu generali influentia Dei, posse considerare peccatũ à se commissum, ut contra legem Dei, ut offensam Dei, ut iræ inductivum, & æterni supplicij, & voluntatem sub his rationibus, posse detestari peccatum. Et hunc motum vocant attritionem, quæ sit insufficiens & remota dispositio ad remissionem peccatorum. Si verò peccator consideret summã & infinitam Dei dignitatem, bonitatem, & misericordiam, & quod dictante ratione, super omnia bona finita & creata diligendus sit, posse voluntatem huic dictamini rationis se conformare, & ex naturalibus elicere actũ dilectionis Dei super omnia: atque ita posse peccatum detestari, quatenus est offensivũ summi boni, sic à se super omnia dilecti. Et hanc dispositionem ex naturalibus, esse sufficientem immediatam & ultimatã, ad infusionem & susceptionem gratiæ, quæ sit charitas Dei. Deum enim nemini sufficienter disposito, subtrahere suam gratiam. Et quando hoc modo, charitate diligente Deum super omnia, cõtritio perfecta fuerit: quia charitas sit gratia illa, qua peccata remittuntur, ita & hac ratione, contritionem delere peccata, impetrare veniam peccatorum & reconciliationem cum Deo, quia vel ex charitate diligente Deum super omnia, oriatur vel charitas motui illi contritionis coexistat, consistat, & concomitetur. Et hoc est dogma illud Scholasticorum, ad quod stabiliendum, factum est hoc decretum, quod ex hac collatione Scholastici dogmatis, rectius intelligetur, ut scilicet doceamur, in pœnitentia, propter nostrã dilectionem, non fide propter meritum Christi, impetrare veniam peccatorum, & reconciliationem cũ Deo. Impietas autem huius dogmatis, & per se, & ex iis, quæ in prima parte Examinis annotata sunt, adeò manifesta est, ut ad refutationem satis sit monstrasse, quale mysterium iniquitatis, in hoc capitulo contineatur.

Contritio quãdo iuxta Põtificios impetret delictorũ veniã.

Tertiò, est & hoc observandum, quòd quartum hoc capitulum dicit, cõtritionem tunc impetrare delictorum veniam, & reconciliationem cum Deo, si charitate perfecta fuerit. Scholastici vocant sufficientem contritionem. Et Scotus dicit, ad hanc sufficientiam & perfectionem requiri certam intentionem detestationis peccati, quæ per certũ tempus à Deo determinatum, continuetur, in cuius temporis termino, & non ante, deleatur peccatum. Alii disputant, ad sufficientiam & perfectionem contritionis, requiri tantùm, ut formata sit charitate: sicut in præcedentibus dictum est. Sed illa charitas debet diligere Deum super omnia, ad quam perfectionem nullus sanctorum in hac vita pervenire potest. Et de ipsa contritione, Scriptura testatur. Delicta quis intelligit? Item, Quis novit potentiã iræ tuæ? Impossibilis igitur est sufficientia & perfectio contritionis. Et ejus persvasio vel facit Pharisęos, vel desperabundos. Conscientia enim quia nunquam potest certa esse de sufficientia & perfectione contritionis, semper dubia & incerta manebit de remissione peccatorum, & reconciliatione cum Deo. Et hoc ipsum propositum est Tridentinæ Synodi, ut dogma dubitationis de remissione peccatorũ, confirmet & stabiliat. Ejus verò refutatio, in prima parte hujus examinis explicata est.

Quartò. Lutheri propositionem, à Leone X. damnatam, repetito anathemate damnant, attritionem scilicet facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, nec esse dolorem voluntarium, sed coactum. Facilis verò, & brevis est explicatio. Lutherus nequaquam sensit, verbum Dei quod arguit peccata, & monstrat gravitatem, multitudinem & fœditatem peccatorum, non pertinere vel requiri ad pœnitentiam, nec docuit, prędicationem, auditum, cogitationem, & meditationem illius verbi, non esse utilem ad pœnitentiam. Est enim (sicut suprà dixi) organon, per quod Spiritus sanctus, cor lapideum aufert, & dat cor carneum. Neque unquam Lutherus dixit agnitionem detestationem peccatorũ, quam Spiritus sanctus, per auditum & meditationem verbi illius operatur in homine, non esse verum contritionis dolorem Sed Scholasticas disputationes de attritione, jure & meritò, ex verbo Dei taxavit. Docent enim liberum arbitrium naturalibus suis viribus, ex solo dictamine legis naturæ, sine operatione Spiritus sancti, posse inchoare, concipere & assumere verum dolorem & detestationem peccatorum, hoc est, attritionem, & illam esse dispositionem ad gratiam: quam dispositionem vocant facere quod in se est, quod sit meritũ congrui. Hoc est dogma illud de attritione, quod Lutherus impugnavit: quia pœnitentiam, quam scriptura affirmat Dei donum esse, Actor. 5. & 11. 2. Timoth. 2. tribuit naturalibus corruptæ naturæ viribus: cùm Christus affirmet, malam arborem nõ posse bonos fructus facere. Quia verò experientia testatur, animalem hominem sæpe metu pœnarum, dolorem aliquem & detestationem peccatorum suscipere & assumere: respondet Lutherus, idem quod Augustinus disputat, de Spiritu & litera, Quando liberum arbitrium, sine Spiritu sancto, metu pœnæ, seu spe commodi, aliquid vel facit vel omittit, esse tantùm externam hypocrysin, interius verò, ipsum peccatum magis augeri. Et ad Bonifacium lib. 3. cap. 4. Qui carnali metu pœnæ, aliquid facit, proculdubio invitus facit, ac per

Explicatio sententiæ Lutheri.

per hoc in animo non facit: mavult enim omnino non facere, si permittatur impunè, atque per hoc in ipsa voluntate intus reus est, ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus.

De attritione igitur, sicut scholastici eam tradunt, Lutherus rectè dixit, quòd sit coactũ quiddam, quod non præparet ad gratiam, sed faciat hominem hypocritã, & magis peccatorem: peccator enim addens ad peccata, Pharisaicam persvasionem de naturalibus suis viribus, operibus & meritis, magis redditur peccator. Vide autem artificiũ Tridentinum. Scholasticam illam opinionem de attritione, palàm pelagianizantem, defendere non audent, ut tamen Bullæ Leonis, specie aliqua patrocinentur: dicunt, contritionem quę ex agnitione peccati, & ex gehennę metu, ex impulsu Spiritus sancti concipitur, & donum Dei est, si conjunctam habeat spem venię, & excludat propositum peccandi, viam & gradum esse ad converſionem. Sed ita pugnant sine adversario: quis enim hoc negat, nisi quòd contritionem illam causam facere videntur impetrationis gratiæ.

Scio autem, magnas & longas disputationes apud scholasticos extare, de contritione & attritione: hoc est, quando dolor in pœnitentia oriatur ex metu gehennæ, & quando ex dilectione Dei oriatur. Et utrunq; sanè fieri in iis, qui post Baptismum lapsi sunt, non est dubium. Nam & expavescunt metu iræ & judicii Dei: & dolent, se tam benignum patrem offendisse, Mediatori tam optimè de nobis merito, adeò ingratos fuisse: & Spiritum sanctum, pignus hæreditatis nostræ contristasse. Sed illæ Pontificiæ disputationes periculosæ sunt, & verè laquei conscientiarum: quòd contritio expavescens consideratione iræ & judicij Dei, si non oriatur ex dilectione Dei, etiamsi accedat fides, petens & statuens remitti nobis peccata propter Christum, tamen sit nõ salutaris, sed ludæ pœnitentia. In magnis enim, seriis & veris terroribus, qui in Psalmis & apud Prophetas describuntur, resonant querelæ de gravitate & de multitudine peccatorum, de ira & furore Dei. Et tamen accedente fide in Christum, quæ erigat conscientiam vera & salutaris est pœnitentia. Vtilius igitur est, quæstiones illas præcidere, & contritionem definire ex verbo Dei, argvente peccata, & revelante irã Dei super peccata, per quod verbũ Spiritus sanctus excitat contritionem in pœnitentibus, utiq; fides apprehendens consolationem, voce Evangelii in Christo propositam, discrimen faciat inter timorem servilem & filialem, inter dolorem Iudæ, & inter salutarem tristitiam Petri.

Hæc sunt præcipua capita controversiæ, de cõtritione, quæ quidem in hoc quarto Tridentino Capitulo tractantur, quæ notare magis quàm explicare volui. Fundamenta enim in præcedentibus monstrata sunt.

DE CONFESSIONE.

CAPVT V.

Ex institutione Sacramenti pœnitentiæ iam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis, iure divino necessariam existere. Quia Dominus noster Iesus Christus, è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles cecidérint: quo pro potestate clavium, remissionis & retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Constat enim Sacerdotes iudicium hoc incognitæ causæ, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex hu colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum grævius sauciant, & periculosiora sunt his, quæ in manifesto admittuntur. Nam venialia quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quanquam rectè & utiliter, citraq; omnem præsumptionem, in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citrà culpam, multiq; aliis remediis expiari possunt. Verùm cum universa mortalia peccata, etiam cogitationes, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda confessione à Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrant peccata, Christi fideles confiteri audent, proculdubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt. Qui verò secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendũ proponunt. Si enim erubescat egrotus, vulnus medico detegere quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quòd sine illis peccata ipsa, neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innotescant: & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Vnde alienum à ratione est, docere circumstantias has, ab hominibus ociosis excogitatas fuisse, aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Sed & impium est, confessionem quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim, nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excussérit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteamur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitandi non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine. Ipsa verò huiusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot, tantisq; commodis & consolationibus relevaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissimè conferuntur. Cæterum quo ad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, & si Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica

Universidad de Deusto
Biblioteca

blica essent confessione aperienda. Vnde cùm à sanctissimis & antiquissimis Patribus, magno unanimiq; consensu secreta confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & modò etiam utitur, fuerit semper commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis, imitium habuisse, docere nō verentur. Nec enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiteretur, quòd iure divino necessarium esse intellexerat, sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno, ab omnibus & singulis, cùm ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Vnde iam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fructu fidelium, observatur mos ille salutaris confitendi, sacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc sancta Synodus maximè probat & amplectitur, tanquam piè & meritò retinendum.

CANON VI.

Si quis negaverit, confessionem Sacramentalem vel instituram, vel ad salutem necessariam esse iure divino: aut dixerit, modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, in Sacramento pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias quæ peccati speciem mutant, sed eam confessionem tantùm esse utilem, ad erudiendum & consolandum pœnitentem, & olim observatam fuisse tantùm ad satisfactionem Canonicam imponendam, aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, à piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusque sexus Christi fideles, iuxta magni Concilij Lateranensis constitutionem, semel in anno, & ob id svadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ, anathema sit.

EXAMEN.

Longa est disputatio de confessione, quæ magna contentione agitatur, cumulatis multis Scripturæ sententiis, & coacervatis variis antiquitatis testimoniis & exemplis. Id quod eo artificio fit, ut imperitiorum mentes turbentur, & existiment illam: & prorsus talem confessionem, & quidem tali opinione, sicut Pontificiis nunc in usu est, semper fuisse in veteri Ecclesia tanquam jure divino mandatā & necessariam. Simplicissima igitur & commodissima ratio explicationis erit, si per distributionem ostendatur, quàm varia sint genera, & quàm multæ rationes confessionis, cujus & in Scriptura, & in veterum scriptis mentio fit, deinde ad singula hæc genera, instituatur antithesis, quæ & qualis sit confessio, de qua Pontificii dimicant, quæ scilicet, ut ad remissionem peccatorum necessarium exigit, ut omnia & singula delicta, quæ à Deo nobis remitti volumus, in specie & figillatim, secundum omnes circumstantias Sacerdoti patefaciamus & enumeremus, ita ut quicquid Sacerdoti non enumeretur, illud non remittatur à Deo.

Hoc modo enim perspicuè ostendi poterit, Pontificiam confessionem nec Scripturæ, nec antiquitatis vera & consentientia habere testimonia. Loquimur autem hoc loco, non de confessione laudis, in qua significatione, aliquoties vocabulū confessionis, in Scriptura usurpatur, sed de confessione fraudis: sicut Augustinus vocabuli æquivocationem eleganter distingvit, de verbis Evangelii homilia 8. hoc est, de agnitione & confessione peccati loquimur.

Primò igitur est confessio quædam, quæ soli Deo fit, qua peccata nostra agnoscentes, coram Deo cor nostrum effundimus, confitentes & deplorantes, cum vero cordis dolore, quàm multipliciter Deum offenderimus, nosq; reos fatemur iræ & damnationis æternæ, petimusq; misericordiam. Hæc confessio pertinet ad veram contritionem, ne vel fingamus nos esse sine peccato, vel ne peccata contemnamus, extenuemus, excusemus, palliemus, seu defendamus, sed ingenuè coram Deo agnoscamus & fateamur, tum culpam, tum reatum. Hæc confessio conjuncta est cum spe & fiducia veniæ, sicut Chrysostomus inquit ad Theodo. lapsum: Quid proderunt lachrymæ & confessio, si nulla adsit abolitionis fiducia? Conjuncta etjam est cum proposito emendationis, sicut Hilarius inquit in Psalmo centesimo trigesimo quinto. Quid aliud est confessio erroris, quàm confessio desinendi ab errore? De huius confessionis necessitate & utilitate, populus diligenter erat commonefaciendus, ut juxta cautionem debiti nostri, hoc est, juxta doctrinam Decalogi, inquiramus in totam naturam & vitam nostram, excutientes & examinantes eam juxta singula præcepta, ut aliquo modo agnoscamus (semper enim manet illud Psalmi: Delicta quis intelligit) multitudinem, gravitatem & fœditatem peccati, & quàm multipliciter rei simus coram Deo. Hac enim ratione, vera generatur contritio, fides excitatur & acuitur, ut seriò quærat, cum gratitudine accipiat, & in filiali timore Domini retineat misericordiam Dei, & remissionem peccatorum.

Prima species confessionis.

Chrysostom.

Frangitur etjam ita superbia humani ingenii, ne Pharisaicam persvasionem induat justiciæ, sanctitatis & innocentiæ. Cautiores etjam in posterum reddit nos illa confessio, ut majori diligentia mores gubernemus, & lapsus caveamus.

Hæc

Hæc populo ex verbo Dei erant proponenda, & diligenter inculcanda. Sed Pontificii de sua tantùm confessione dimicant, ad quam etjam ea, quæ de hac confessione, sive in Scriptura, sive in veterū scriptis dicta sunt, detorquent, & quæ propria sunt hujus confessionis, ea transferunt & tribuunt auriculari suæ enumerationi. Loquuntur autem de hac cōfessione, dicta Scripturæ. Psal. trigesimus secundus: Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea. Delictum meum cognitum tibi feci. Dixi, confitebor adversus me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Prima Epist. Ioannis cap. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est, ut remittat. Si dixerimus, quòd non peccavimus, verbum ejus non est in nobis. Proverb. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.

Hæc confessio vel interius in corde, vel publica voce, Deo peccata confitetur, ut Levit. 16. Daniel. 9. Item, vel in genere peccatorem reum fistit Deo. ut Publicanus inquit: Deus, propitius esto mihi peccatori, vel inquirit in totam vitam, atque adeò in totam hanc corruptam naturam: ut Psalm. 19. 25. 51. &c. De hac confessione Patres etjam loquuntur, ut Origenes libro 3. περὶ ἀρχῶν, cap. 1. Si quis non prius animæ suæ vitia cognoverit, ac proprii oris confessione prodiderit, purgari iis, absolviq; non poterit. Hoc dictum Pontificii ad suam confessionem detorquent. Sed in præcedentibus prolixè se explicat Origenes, & sunt hæc ejus verba: Quid à Deo consequantur, ignorant, nisi prius ad beneficia consequenda, per desiderium venerint, quod ita demum fiet, si quis antè semetipsum cognoscat, & sentiat quid sibi desit: & quod sibi deest, à quo quærere vel debeat vel possit, intelligat, qui enim non intellexerit prius ægritudinem suam, medicum quærere nescit, vel sanatus non aget gratias. Ne igitur ignoret sibi per gratiam concessum, agnoscenda & confitenda sunt peccata. Idem in Psal. 37. Homil. 1. dicit: Convenit post peccatum confiteri peccatum. Id verò declarat exemplo Publicani, Lucæ 18. & Davidis. Quæ, inquit, deliqui, quæ concupivi, quæ commisi, omnia ante te profero, & in orationibus meis ante conspectum tuum pono: & gemitus meus non est abs te absconditus.

Verba Origenis.

Chrysostom. Chrysostomus in Psalm. 50. Quanti sunt peccatores, securè degentes, qui nolunt intelligere quòd iniquè agunt, nec agnoscere volunt superventuram sibi calamitatem: insuper fiduciali-ter, quæ mala sunt agunt, & sic nec ingemiscunt, nec lachrymam proferunt, nec confitentur, quos salvari est impossibile: quòd nec agnoscunt facinora sua, nec Dei judicium præ oculis habeant.

Et Homilia 3. in Matth. Confessio peccatorum, testimoniū est conscientiæ, timentis Deū, qui enim timet judicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri, qui autem erubescit, non timet. Illic enim turpitudo confessionis aspicitur, ubi futuri judicii pœna non creditur. Nunquid nescimus, quia confessio peccatorum habet pudorem: & quod hoc ipsum erubescere, pœna gravis est? Sed ideò magis jubet Deus confiteri peccata, ut verecundiam patiamur pro pœna.

Idem in Genes. Homil. 4. Quando in præsenti vita, per confessionem peccata abluere, & remissionem à Domino assequi poterimus: tunc abibimus hinc, à peccatis puri, & magnam fiduciam habebimus. Et Homil. 20. Qui hæc fecit, si voluerit ad confessionem facinorum festinare, & medico ostendere ulcus, qui curet & non exprobret: atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia: facilè sua peccata emundabit. Confessio enim peccatorum, abolitio est delictorū. De hoc loco Lindanus exultat, quòd ad verbum tradat secretam Pontificiorum confessionem. Sed quàm veteratoriè agat, Lector consideret. In illa ipsa enim Homilia dicit: Si Lamech non refugit, mulieribus suis peccatum confiteri: quali erimus nos venia digni, si ei qui omnia nostra novit delicta, confiteri non volumus peccata? Et subinde ingeminat, medicum illum, esse Dominum nostrum.

Tales igitur veterum sententias, Pontificii ad suā enumerationem detorquent. Sed ipse Chrysostomus se clarissimè explicat, in Epistolam ad Hebr. cap. 12. Homil. 31. inquit: Non dico tibi, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses: sed obedire te volo Prophetæ dicenti: Revela Domino viam tuam. Ante Deum ergo confitere peccata tua. In Psalm. 59. Peccata tua dicito, ut deleas illa. Si confunderis alicui dicere, quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua, non dico, ut confitearis conservo tuo, ut exprobret, dicito Deo, qui curat ea. Nec enim si nō dixeris, ignorat ea Deus. Dicito in hac vita, ut in illa requiem habeas.

Idem sermone de pœnitentia & confessione: Nunc autem neque necessarium est, præsentibus testibus confiteri: solus te Deus confitentem videat. De incomprehensibili Dei natura, Homil. 5. Rogo & oro, ut crebrius Deo immortali confiteamini, & enumeratis vestris delictis, veniam petatis. Non te in theatrum conservorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo. Repete coram Deo conscientiam tuam, te explica: ostende medico præstantissimo vulnera tua, & pete ab eo medicamentum.

De Lazaro, concione quarta, Cave homini dixeris peccata, ne tibi opprobret. Neq; enim conservo confiteris, ut in publicum proferat, sed ei qui Dominus est. De hac interiori confessione, Deo facienda, multa alia egregia sunt veterum dicta. Sed has Chrysostomi sententias, ideò hoc loco adscripsi, inde enim colligi potest, quomodo & ex quibus veterum sententiis, non rectè intellectis, posteritas fabricarit Pontificiam enumerationem & necessitatem ejus. Dicunt veteres, peccata confessione revelanda, in specie expendenda, curiosius discutienda, explicanda, detegenda, enumeranda, &c. dicunt, peccata solvi per confessionem, impossibile esse salvari citra confessionem. Sed Chrysostomus addit interpretationem, hæc intelligenda esse non de externa confessione homini facienda, sed de interiori quæ Deo fit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. Species. Secundò, est confessio fraterna, quæ proximo fit, quando scilicet is, qui offendit proximum, pœnitentia ductus fatetur se peccasse, & petit sibi ignosci. Lucæ decimoseptimo. Si septies in die peccaverit in te, & conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi. De hac cõfessione Augustinus tractatu in Iohannem 56. quod etjam Beda allegat in Paulum ad Colossen. interpretatur illud Iacobi 5. Confitemini invicem delicta vestra, & orate pro invicem. Ad hanc confessionem, seriò exhortãdi sunt homines. Christus enim dicit, Matth. 5. illum non posse munus ad altare offerre, qui non prius reconciliatus fuerit fratri suo. Et alteri parti Christus etjam graviter concionatur, Matthæi 6. Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata.

Et illam fraternam reconciliationem, Deus promittit se in cœlo ratam habiturum, Matthæi 18. In quem locum Theophylactus inquit: Si tu offensus, habes eum, qui te injuria affecit, post trinam admonitionem sicut publicanum, erit ille & in cœlo talis: si autem solveris eum, hoc est, confitenti & deprecanti ignoveris, erit ei & in cœlo condonatum. Non solùm enim quæ Sacerdotes solvunt, sunt soluta, sed quæcunque & nos injuria affecti, vel ligamus vel solvimus, & ipsa erunt ligata vel soluta. Sub hac confessione comprehenditur & hoc, quando fraterna correptione, ad agnitionem & confessionem alicujus peccati, etjamsi in nos non sit commissum, frater commovetur & adducitur. Ita enim lucratus es fratrem tuum, inquit Christus. Et propter mutuam interpellationem, Iacobus dicit utilem esse hanc confessionem: Orate pro invicem, ut salvemini.

III. Species. Tertiò, est in Scriptura cõfessio quædam peccatorum generalis, qua peccator non tantùm interius coram Deo, sed & coram ministris verbi & Sacramentorum, non quidem in specie omnia & singula peccata, secundum omnes circumstantias enumerat: sed vel in genere, sive voce, sive reipsa profitetur, se agnoscere peccata, & iram Dei adversus peccata, vel certa aliqua delicta, gravantia conscientiam, confitetur, & petit impertiri sibi remissionem. Talis confessio in veteri Testamento erat, quando aliquis ad Sacerdotem adducebat hostiam offerendam pro peccato, pro delicto, pro ignorantia, pro contumacia, &c. nec exigebatur, ut peccatum illud in specie & sigillatim cum omnibus circumstantiis sacerdoti exponeretur. Talis confessio erat Davidis, coram Propheta Nathan, qua confitetur peccatum adulterii & homicidii, sine enumeratione circumstantiarum, 2. Regum 12. Et addit generalem confessionem: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, &c. Omnes iniquitates meas dele, Psalm. 51. Vbi observetur, quòd David quidem confessionem illam coram Propheta facit, juxta titulum Psalmi: sed tamen ad Deum confessionem dirigit. Et illi generali confessioni, quæ non est integra singulorum peccatorum, secundum omnes circumstantias enumeratio, Nathan impertit absolutionem: Dominus abstulit peccatum tuum. Et ratio talis generalis confessionis, pulchrè describitur in historia Nehemiæ. Nam cap. 8. Esdras cum Levitis, prælegunt populo in volumine legis, & interpretantur. Inde populus agnoscens peccata, quibus Deum offenderat, incipit dolere & flere, capite nono, separant à se semen alienigenum, & confitentur coram Levitis & tota Ecclesia, peccata sua, & patrum suorum. Et Levitæ, repetita populi confessione, implorant Dei misericordiam: quod fit loco absolutionis, & obligant se ad emendationem, inito & quasi conscripto publicè fœdere: id quod pertinet ad fructus pœnitentiæ. Hoc exemplum ideò adscripsi, quia monstrat totum processum (ut sic loquar) confessionis. Ita peccatrix, Lucæ septimo, externis signis & gestibus in genere sine specifica enumeratione, profitetur se multorum peccatorum ream esse, præcipuè verò ejus quod notorium erat, & petit absolutionem.

Confessio in veteri Testamento.

Exempla hujus confessionis in novo Testamento.

Et Christus huic generali confessioni impertit absolutionem: Remittuntur tibi peccata tua, fides tua te salvam fecit: vade in pace. Eodem modo filius hominis potestatem remittendi peccata in terra exercet, Matthæi 9. Intelligens enim, paralyticum consideratione peccatorum territum, & videns fidem ejus, inquit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Ibi est verbum remittendi, quod extat Iohan. 20. describitur ibi expressè potestas remittendi peccata. Et tamen ad absolutionem, non requiritur integra singulorum peccatorum enumeratio. Non aliter autem Christus Apostolos misit, quàm ipse missus fuerat, Ioannis 20. Non igitur debent ministri, ab iis, qui absolutionem petunt, exigere quod Christus non exegit. Ita Matthæi 3. qui à Ioanne baptizantur, confitentur peccata sua: eo ipso enim, quòd Baptismum pœnitentiæ suscipiunt, profitentur se esse peccatores. Et ex Historia Baptistæ colligi potest processus, quo usus fuit Iohannes, prædicavit pœnitentiam, ita sicut scriptum est Isaiæ 40. arguens valles, montes & colles, quòd sint prava & aspera. Omnis caro fœnum: & omnis gloria ejus, quasi flos agri, fœnum execatur, flos cadit, spiritu Domini sufflante in eo. Quando verò accedebant turbæ, Pharisæi & Sadducæi, ut baptizarentur, concionabatur ipsis de ira Dei, & de effugienda ira Dei, Matthæi 3. Luc. 3. dicebat ipsis, ut crederent in venturum, hoc est, in Christum. Actorum 19. Illi verò ad hanc doctrinam confitebantur peccata sua, hoc est, in genere fatebantur, & significabant, se agnoscere peccata, timere iram Dei, & dolere quòd Deum offendissent, petebantq; Baptisma, in remissionem peccatorum. Et Iohannes quidem graviter ipsos monet, ne simulatam, sed veram & seriam agant pœnitentiam: Idq; dignis fructibus ostendant. Non tamen exigit specificam enumerationem singulorum delictorum, sed judicat sufficere, quòd ea exponunt, quibus præcipuè conscientiam gravatam sentiunt, petentes instructionem. Ita publicani & milites dicunt: Quid faciemus? Actorum decimonono, confitentur, & annunciant acta sua. Sed Lucas dicit, fecisse hoc illos, qui jam crediderant: sicut Paulus post conversionem, fatetur peccatum persecutionis: & sicut Augustinus suas confessiones edidit. Et non fit ibi, vel exigitur

gitur specifica enumeratio singulorum delictorum, sed agnoscunt & fatentur, actiones suas ad normam verbi Dei non congruere: præcipuè verò magicos libros exurunt, ita ipso facto promittentes emendationem. Ita Zachæus, Lucæ decimonono, fatetur se multos fraudasse, & pollicetur emendationem. Christus verò non exigit in specie & sigillatim enumerationem, per singulas circumstantias, sed contentus est generali confessione, cùm Zachæus inquit: Si quem fraudavi. Et ad hanc confessionem Christus absolutionem pronũciat. Hodie salus facta est huic domui, quoniam & ipse est filius Abraham. Venit enim filius hominis, quærere & salvare quod perierat. Filius etjam perditus, Lucæ 15. generali confessione peccati, & promissione emendationis, recipitur.

Hæc ideò annotavi, ut ostenderem, morem confessionis, quæ in nostris Ecclesiis servatur, consentaneum esse Scripturæ, quos generali confessione contenta, non exigit specificam enumerationem. Ea tamen quæ conscientiam præcipuè gravant, exponere consulit, institutionis & consolationis gratia. De hac confessione loquitur Basilius in quæstionibus compendio explicatis, 288. cùm inquit: Necessarium videtur, iis quibus dispensatio mysteriorũ Dei commissa est, cõfitenda esse peccata. addit enim: Sic & hi qui antiquitùs pœnitebant, inveniuntur apud Sanctos confessi esse peccata sua. Scriptum est enim in Evangelio: quia Baptistæ confitebantur populi peccata sua: & in Actibus confitebantur ipsis Apostolis, à quibus postea baptizabantur. Has verò & similes sententias, quàm rectè & dextrè Pontificii ad integram suã enumerationem detorqueant, hæc observatio planè ostendit.

IIII. Species. Quartò, veteri Ecclesiæ in multo & frequenti usu fuit publica confessio, quam ἐξομολόγησιν vocârunt. Illis enim qui deprehensi essent in publicis criminibus, quæ excommunicatione (sicut Augustinus loquitur) plectenda erãt, publicè erat confitendum, hoc est, rei manifestorũ criminum, coram Ecclesia, quasi in publico judicio accusabantur. Ibi crimen erat apud pastorem & Ecclesiam agnoscendum: & externis signis ostendendum erat, ipsos verè dolere, quòd Deum offendissent, & Ecclesiam polluissent: ibi usitata erat quædam recitatio criminum. Tales enim non recipiebantur, nisi coram ministris & Ecclesia professi essent, se delicta agnoscere, de iis dolere, petere veniam, & promittere emendationem. Et illis interposito judicio Ecclesiæ, imponebatur publica satisfactio: ut innotesceret omnibus, eos verè & seriò pœnitere: sicut inquit Hieronymus in 16. Matthæi. Erat autem hæc publica confessio, vel voluntaria: ut cùm criminosi se ipsos sponte apud Ecclesiæ præsides prodebant, deferebant & publicabant: ut q; illud facerent, Patres diligenter exhortationibus instabant. Si verò peccatum totam Ecclesiam offendisset, & tamẽ rei nollent illud publicè agnoscere & confiteri, Ecclesia illos compellebat ad publicã exomologesin. 1. publica correptione. 2. quando correptus recusabat, crimen agnoscere & fateri, excommunicabatur, & non reciebatur, nisi prius publica confessione crimen agnovisset. 3. quando privatam fraternam correptionẽ, frater recusabat audire, tunc per denunciationem deferebantur crimina ad Ecclesiam, quæ reos vel publica correptione, vel excommunicatione compellebat ad exomologesin. Et hæc severitas in publicis criminibus ideo adhibeatur: multa enim talia crimina, à magistratu, qui tunc nondum erat Christianus, non puniebantur. Ne igitur Ecclesia ob quosdã manifestarios peccatores, malè audiret inter gentes, & ne mala illa exempla vel infirmioribus offendiculo essent, vel contagio totum gregem inficeret. Item, ut alii spectaculis illis moniti & absterriti, caverent à similibus criminibus: utq; animus illorum qui ad Ecclesiam redibant, exploraretur, an seriò resipiscerent (multorum enim levitate & simulatione, decepta fuerat Ecclesia) ideo morem publicæ confessionis & pœnitentiæ, magna severitate servabant. Et Scripturæ exemplis hæc consentanea sunt, ut Luc. 7. peccatrix publicè externis signis crimen fatetur, reatum agnoscit, petit veniam, & pollicetur emendationem. Et 1. Corinth. 5. 2. Corin. 2. & 7. lapsus publica correptione & excommunicatione compellitur ad agnitionem & confessionem peccati. Iosue 7. cùm Achan jam deprehensus esset, Iosue tamen ab illo flagitat publicam cõfessionem criminis, & reus fatetur: Verè ergo peccavi Domino, & sic & sic feci.

Hieronymus.

De hac publica cõfessione, loquitur Irenæus libro primo, cap. 9. de mulieribus quibusdam, quæ à Marco hæretico seductæ & corruptæ, cùm convertebantur, in manifesto faciebant exomologesin, plangentes & lamentantes corruptelam. Quædam verò ad exomologesin illam non accedebant, in silentio desperantes de vita Dei. Ita Irenæus. Tertullianus exomologesin vocat actum pœnitentiæ: quando scilicet pœnitentia non sola conscientia profertur, sed actu aliquo administratur. Et omnes fermè illos actus, quos publica pœnitentia complectitur, Tertullianus tribuit exomologesi: & manifestè dicit, illam exomologesin fieri non tantùm presbyteris, verumetjam omnibus fratribus. Atq; ideo talem exomologesin, publicam scilicet, unam tantùm concedit.

Irenæus.

Ita apud Eusebium lib. 6. cap. 25. cùm Philippus Gordiani filius, vellet in Ecclesia populo precibus cõmunicare, ab Episcopo loci non est permissus, ἢ ἐξομολογήσασθαι, hoc est, nisi confiteretur. Non autem flagitavit ab ipso Episcopus, ut secretò in aurem omnia occulta peccata sibi recenseret, sed jubet, ut inter publicè pœnitentes se fistat. quos vocat ἐξεταζομένους: quod vocabulum forense est, quando scilicet causa criminis, institutа inquisitione in judicio agitatur. Atque ideo etjam dicit, διὰ πολλὰς κατ' αὐτοῦ αἰτίας, propter multas adversus ipsum accusationes: erant enim publica crimina.

Eusebius.

Ita lib. 5. cap. 28. Natalis lapsus in hæresin, cilicio se induit, cinere conspergit, ad pedes Episcopi se prosternit, vestigiis clericorum & laicorum provolutus, multis lachrymis errorẽ suum deflet. Talis publica confessio, non pro quibusvis peccatis, sed pro illis, quæ vel publica erant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel excommunicationem merebantur, sicut Augustinus inquit, imponebatur & susciebatur. Et si quando de aliis etiam peccatis fiebat, publica tamen professione, & voce, & gestibus seu signis fiebat, non tantùm coram Sacerdotibus, sed & coram laicis, & omnibus fratribus: sicut Tertullianus & Eusebius de cõfessione illa scribunt. Ex illa publica cõfessione, postea fieri cœpit secreta, de illis peccatis, quæ ad publicam pœnitentiam pertinebant. Tandem verò secreta illa confessio, ad quævis occulta peccata, in interiori pœnitentia detorta est. Id quomodo sensim & paulatim factum fuerit, ostendemus, utilis enim erit hæc observatio.

Disciplina igitur illa publicæ confessionis & pœnitentiæ, eò usque processit, ut si quis in animo propositum habuisset, patrandi publici criminis, etiamsi non subsecutum fuisset ipsum facinus, multi tamen voluntariè sacerdotibus primùm hoc indicabant, & postea publicæ confessioni ac pœnitentiæ se subjiciebant. Ita Cypria- *Cyprianus.*
nus sermo 5. de lapsis: Qui & fide majore, & timore meliore sunt, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniã tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentur, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam, parvis licet & modicis vulneribus exquirunt. Audis, non fuisse vel præceptum necessarium, vel consvetudinem univers alẽ, dicit enim, fuisse exempla quorundã, qui fide majore, & timore meliore erant. Non igitur omnes hoc fecerunt: nec damnati fuerunt illi, qui soli Deo talia confessi sunt. Sed tamen talia exempla cœperunt aliis commendari, & ad imitationem proponi. Observet autem Lector, Cyprianum ibi non loqui de omnibus, singulis & quibusvis peccatis cogitationum & voluntatis, sacerdoti confitendis: sed disertè explicat, illa se intelligere, quæ de publicis criminibus perpetrandis, voluntate concepta fuerant: ut de proposito abnegationis in persecutione. Pertinent igitur & hæ sententiæ ad publicam pœnitentiã, & ad publica crimina: nec sunt generalia dogmata de quibusvis occultis peccatis, sacerdoti confitendis, quorum renati se reos esse agnoscunt coram Deo.

V. Species. Quintò, quando admissa erant enormia crimina, ita tamen, ut non essent publicè Ecclesiæ nota & manifesta, rei non poterant compelli ad publicam confessionem & pœnitentiam: tanta tamen erat severitas disciplinæ, ut multi seipsos publicarent publica confessione. Maledicæ verò linguæ, arripiebant inde occasionem obtrectandi pœnitentibus: sicut inquit Origenes homilia secunda in Psalmum trigesimumseptimũ. Qui lapsus est procedit in medium, & exomologesin facit. Multi verò audientes vel exprobrãt, vel irridենt, vel malè loquuntur. Vt igitur talis publica confessio fieret ad ædificationem consuluerunt Patres, prius hoc sacerdoti, vel erudito medico exponendum esse, & ejus consilium exquirendum, an publica confessione sit Ecclesiæ *Origenes.* manifestandum. Ita Origenes in Psalm. 37. Circunspice cui debeas confiteri peccatum tuum, proba prius medicum. Si intellexerit & præviderit talem esse langvorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari: periti illius medici consilio hoc properandum est. Hoc modo peccata, pertinentia ad publicam pœnitentiam, quando nõ erant manifestaria, primùm sacerdoti privatim indicabantur, postea sequebatur publica confessio & pœnitentia. Quod enim Origenes in illo loco, non in genere de omnibus & singulis peccatis sacerdoti confitendis loquatur, inde manifestum. In prima enim homilia loquitur de delictis, concupiscentiis, & cõmissis quæ ante Deũ proferuntur, & in cõspectu ipsius per gemitum exponuntur. Deinde in secunda homilia loquitur in principio, de lapsibus qui olim ad publicam confessionem pertinuerunt. Quia verò inde sequebantur obtrectationes, svadet Origenes, ut tales lapsus primùm sacerdoti exponantur, ut de ejus Consilio vel suscipiatur publica confessio, vel omittatur.

Sextò, cùm ardor ille remissior factus esset, & *VI. Species confessionis.* non invenirentur qui vel spontè per seipsos, delicta sua enormia quidem, non tamen manifesta & notoria, coram Ecclesia, publica confessione manifestare, vel consilio sacerdotis ea in publico Ecclesiæ conventu exponi vellent: imò in notoriis etiam criminibus, propter cõfusionem publicæ confessionis, multi omnem potius pœnitentiam spernebant: remissa igitur tandem, & prorsus fermè abrogata fuit severitas publicæ confessionis, & commutari cœpit in privatam, ita ut talia crimina privatim & secretò confiterentur Sacerdoti: qui licet crimen illud in specie Ecclesiæ non proderet, injungebat tamen delinquenti publicam pœnitentiam: ut ipso facto, in genere coram Ecclesia confiteretur & declararet, se grave aliquid commisisse. Testatur hoc Leo, Epistola sexagesima nona. Et Sozomenus *Sozomenus.* in Tripartita historia, libro nono, capite trigesimoquinto. Ita Augustinus inquit, de Symbolo *Augustinus.* ad catechumenos, lib. 1. cap. 6. Illi quos videtis agere pœnitentiam, scelera sua commiserunt, aut adulteria, aut alia immania facta. Et utile est observare, quãdo, quomodo, & qua de causa facta sit mutatio illa publicæ cõfessionis, in privatam seu secretã. Extat autem descriptio in Epi- *Leonis Epist.* stola Leonis 78. ubi constituit, submovendam *stola 78.* esse consuetudinem, qua de singulorum peccatorum genere, libellis scripta confessio, publicè recitabatur: cùm sufficiat reatus conscientiarum solis sacerdotibus indicare, confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem, apud homines erubescere non veretur: tamen quia nõ omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removenda erat improbabilis consvetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arcerentur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta sua referare, quibus possunt legum constitutionibus percelli. Sufficit ergo illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentiũ precator accedit: quod tum demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus nõ publicetur conscientia

scientia cõfitentis. Hanc Leonis sententiam ideò adscripsi: quia manifestè ostendit, ea quę de confessione hominibus facienda, apud veteres leguntur, non esse necessaria præcepta, nec juris divini, sed disciplinam esse externam, quæ pro ratione ædificationis Ecclesiæ mutari possit. Illam enim consvetudinem, quòd crimina enormia quidem, sed vel proposito tantùm, vel facto non toti Ecclesiæ notorio commissa, publica cõfessione Ecclesiæ manifestabantur: quam Tertullianus, Cyprianus, & Origenes laudant, & imitandam proponunt: Leo pronunciat esse improbabilem, & removendam. Illis ipsis enim ferè verbis utitur, quibus genus illud confessionis Cyprianus & Tertullianus commendant. ob fidem scilicet majorem, & timorem meliorem, non fugiendam esse publicationem sui.

Est & illud observandum in Leonis sententia, quòd non loquitur de generali omnium occultorum delictorum enumeratione, quando inquit: reatus conscientiarum, sacerdotibus secreta confessione indicari, sed ostendit, se loqui de hujusmodi criminibus, quę si publicarentur, possent legum constitutionibus percelli: hoc est, quæ olim publicæ cõfessioni & pœnitentiæ subjecta fuerunt.

VII. Species. Septimò, in Græca Ecclesia longè ante Leonem facta fuerat mutatio illa publicæ confes- *Histor. Trip.* sionis, in secretam. In Historia enim Tripartita libro 9. cap. 35. dicit Sozomenus, ab initio Ecclesiæ visum fuisse Sacerdotibus, ut peccata tanquam in theatro, sub testimonio cœtus Ecclesiastici panderentur, quod de publica confessione dictum est. Socrates verò addit: Cùm post persecutionem sub Decio factam, Novatiani ab Ecclesia, propterea quòd pœnitẽtes, in persecutione lapsos recipiebat, discessionem fecissent: quod factum est circa annum Domini 260. Episcopos antiquo Canoni Ecclesiastico, de publica scilicet confessione & pœnitentia adjecisse hanc additionem (vocat enim προσθήκλω Canonis) vt presbyter bonæ conversationis, prudens & ἐχέμυθος, hoc est, servans secreti, sicut Sozomenus inquit, ad hoc ordinaretur: ut lapsi ad illum accederent, ipsi confiterentur peccata. Ille verò secundum uniuscuiusque culpam, mulctam indicebat. Et Sozomenus illud de injuncta mulcta, expressè dicit idem fuisse, quod tunc Romana Ecclesia, in publica & solenni pœnitentia servabat. Ita enim fermè morem illum recitat, sicut describitur distinct. 50. in cap. Quadragesimæ. Fuit igitur nova hæc προσθήκη, ad antiquum de publica confessione Canonem, ut lapsus suos peccatores non amplius tanquam in theatro coram toto Ecclesiæ cœtu publicarent, sed secreta & privata confessione presbytero pœnitentiario indicarent. Et quia erat ἐχέμυθος, confessionem non prodebat in publicum, nisi forsan in certis casibus: ut de stupro Diaconi. Sed tamen injungebat mulctam, seu satisfactionem publicam.

Græca Ecclesia. Observet autem Lector, id quod Origenis tempore servatum fuit, ut scilicet lapsus privatim Sacerdotibus indicati, postea in conventu totius Ecclesiæ exponerentur mox post annos 30. in Græca Ecclesia mutatum esse, ut confessio scilicet esset & servaretur secreta, satisfactio verò injungeretur publica.

Occidentalis verò, seu Latina Ecclesia, severitatem publicę confessionis, per ducentos fermè annos diutius retinuit, usq; ad Leonem scilicet, circa annum Domini 450. sicut in præcedentibus diximus. Indicat autem Socrates, solitos fuisse quosdam, apud pœnitentiarium illum presbyterum confiteri non tantùm publica & notoria crimina, sed & alia delicta post Baptismũ perpetrata. Sozomenus inquit: τὰ βεβιωμένα confitebantur. Non tamen fuisse mandatum, obligans omnes ad enumerationem omnium & singulorum delictorum, inde colligitur. Vnus enim tantùm presbyter, ad has confessiones audiendas constitutus fuit, in amplissima Constantinopolitana Ecclesia, in qua 60. presbyteri, tempore Iustiniani fuerunt. Et Socrates dicit, nobilem quandam mulierem, presbytero illi confessam peccata κατὰ μέρος, hoc est, ex parte. Et ad hanc confessionem nec integram, nec specialem, presbyterum eam absolvisse, injuncta hac satisfactione, ut unà cum confessione, ostenderet jejunio & orationibus opus dignum pœnitentiæ: illã verò progressam cœpisse & aliũ sui lapsum accusare, diaconum scilicet Ecclesiæ, secum concubuisse. Non igitur omnibus necessitas confessionis illius imposita fuit: aliàs enim nõ sufficisset unus presbyter: nec integra omnium & singulorum peccatorum enumeratio, tanquã jure divino ad remissionẽ necessaria exacta fuit, sicut confessio mulieris κατὰ μέρος facta ostendit. Sed præcipuè instituta fuerat, pro publicis & notoriis lapsibus, usurpari verò cœpit etiam ad cõfessionem aliorum peccatorum, sicut jam diximus. Nostra verò quæstio est, an confessio illa, sive publica sive privata, tanquam jure divino ad remissionem peccatorum necessaria, tunc in Ecclesia habita fuerit, Et publicam quidem confessionem, non judicatam fuisse jure divino ad remissionem peccatorum necessariam, mutatio & abrogatio ejus ostendit. Iam verò illam etiam constitutionem, privatim & secretò audiendi lapsorum confessiones, historia hæc dicit, in Constantinopolitanã Ecclesia à Nectario abrogatam & sublatam esse, propter facinus illud Diaconi, confessione publicatum, in magnum Ecclesiæ scandalum. Sed quomodo abrogatio illa per Nectarium facta est? Gropperus dicit, non ipsam *Gropperus.* secretam confessionem abrogatam, sed illum tantùm morem sublatum, quo secreto confessis, publica imponebatur pœnitentia peragenda. Sed historia simpliciter dicit, desiisse tunc morem illum, quòd scilicet certus quidam presbyter ad hoc ordinatus erat, ut audiret confessiones pœnitentium.

Lindanus fingit, Nectarium hoc tantùm ab- *Lindanus.* rogasse, quòd unus certus presbyter ad audiendas confessiones constitutus erat: manisse autem omnino necessariam privatam seu secretam confessionem, sed liberum permissum esse, cui quis vellet ex presbyteris confiteri. Sed historia manifestè ostendit, figmentum hoc esse. Sozomenus enim dicit, post Nectarii illam abrogationem, quenq; judicio propriæ cõscientiæ reflctũ. Num verò ita, ut cõfiteretur cui vellet? Hoc certè

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non dicit, sed inquit, permissum fuisse quemque μετέχειν τῶν μυστηρίων, ὡς ἂν ἑαυτῷ σωτήριόν καὶ θεάρεστον δύναιτο. hoc est, post illam abrogationē, ad communionem mysteriorum quisq; admissus est, prout sibi conscius erat, & judicare poterat, se bona conscientia, non ad judicium cōmunicare posse mysteriis. Antea igitur ad communicationem non admittebantur, nisi prius confessi fuissent peccata. Sed per Nectarij abrogationem, quisq; permissus est, τῷ ἰδίῳ συνειδότι, quod manifestè opponitur judicio, quod fiebat in confessione. Et multò manifestius argumentum est, ipsam secretam confessionem per Nectarium abrogatam: quòd Socrates cōqueritur, abrogatione illius disciplinæ, sublatam mutuā illam correptionem, de qua Paulus inquit: Nolite communicare operibus illorū infructuosis: sed magis arguite. Et quod Sozomenus clarius dicit, per illam Nectarii abrogationem, cœpisse antiquā gravitatem & severitatem, in morem arbitrarium & negligentiorem degenerasse. Et addit prius, hoc est, ante illā abrogationem, minora & pauciora peccata fuisse, præ verecundia & pudore confitendi propria peccata, & propter severitatem illorum, qui ad hanc rem, ut judices ordinati erant. Quid igitur Nectarius abrogârit, vel ex hac querela manifestum est. Sed inquis, abrogationem illam nec Socrates nec Sozomenus laudant. Respondeo: Disciplinā illam & utilitatem ejus commendant, quæ nec nobis improbatur. Sed tamen neuter illorum affirmat, confessionem juri divino, ad remissionem peccatorum necessariam esse: nec asseverāt, ejus abrogationem juri divino contrariam esse. Sed Sozomenus cōmendans antiquam illam disciplinam, inquit: ὡς οἶμαι, ut arbitror. Et Socrates dicit: Quod consilium illius abrogationis Ecclesiæ contulerit, Deus viderit.

Nobis verò illud vereris Ecclesiæ judiciū sufficit, confessionem, utut utilitas disciplinæ ejus laudetur & commendetur, non esse juris divini, nec ad remissionem peccatorum necessariam. Aliàs enim propter nullas turbas abrogari vel potuisset, vel debuisset.

Colligamus igitur in summā, quæ ex hac Nectarii Historia conficiuntur. Omnino verum est quod Sozomenus inquit, Deum mandasse peccatoribus veniam μετανοοῦσι: sed illis qui pœnitentiam agunt, peccata agnoscunt & confitentur. Qui verò recusant peccata confiteri, illos majus onus quasi auctæ peccati usurę sibi acquirere. Sed quę istio est, cui necessariò cōfitenda sint peccata. Et primū quidem in usu fuit publica confessio. Sed eam non esse necessariā, ejus abrogatione ostensum est. Deinde usurpata aliquandiu fuit confessio, quæ privatim seu secretò Sacerdoti fiebat. Sed nec illam jure divino ad remissionem esse necessariam, licet disciplina sit utilis, Ecclesia Nectarii tempore, ejus abrogatione ostendit. Sola igitur illa peccatorum confessio quæ Deo fit, jure divino ad remissionem peccatorum necessaria est: sicut Chrysostomus, Nectarii successor, multis & sæpissimè hoc ostendit. Sed contra hæc omnia Pighius objicit, quòd in una Constantinopolitana Ecclesia, ab uno Nectario, paucorū consilio, ut furori tumultuantis populi succurreretur factum est, non statim pertinere ad judicium & consensum Catholicæ Ecclesię. Sed tamen abrogationem illam nemo, etjam ex illis qui eam non satis probabant, vel ausus fuit vel potuit, ut Scripturæ seu verbo Dei repugnātem, reprehendere aut damnare. Imò Sozomenus expressè dicit: Nectarius primus abrogavit presbyterum, super pœnitentes ordinatum. ἐωυτὸν λύσησαν δὲ ἐξεδόν ὁπόσα ἐπέστησαν ἐπίσκοποι. hoc est, exemplum illius abrogationis, secuti sunt omnes fermè Episcopi. Socrates dicit in aliis hæresibus, manisse Canonem illū de audiendis confessionibus: in Ecclesia verò τῶν ὁμοσίων, antiquatum fuisse.

Et ex Chrysostomo, qui proximè post abrogationem illam, Constantinopolitanæ Ecclesię administrationem suscepit, manifestè colligitur, quòd Ecclesia illius temporis senserit confessionem peccatorum quæ Sacerdoti fit, non esse jure divino, ad remissionem peccatorū necessariam.

Et ex hac Nectarii historia intelligi potest, qua occasione, qua de causa, & in quę sensum, Chrysostomus sententias illas, quas suprà annotavimus (quòd scilicet non necessarium sit homini, confiteri peccata, sed sufficiat Deo ea confiteri) sæpissimè repetiverit. In recenti enim memoria tunc adhuc erat Nectarii abrogatio.

Lindanus contendit, Chrysostomum tantùm hoc disputare, quòd publica peccatorum cōfessio non sit necessaria, quia dicit: Non in theatrū te duco: non dico, ut prodas te in publicū. Non necesse est præsentibus testibus cōfiteri, &c. Sed idem etjam dicit: Non dico ut confitearis conservo tuo. Solus Deus te confitentem audiat. Item, Soli Domino, nullo alio conscio, cōfitearis. Nec publicam igitur, nec privatam confessionem, Chrysostomus vult in re divina, ad salutem necessariam esse. *Lindanus.*

Octavò, ut ad ordinē historicæ observationis redeamus. Hactenus ostēdimus, in veteri Ecclesia morem fuisse publicæ cōfessionis, in gravioribus seu manifestis criminibus. Quæ consvetudo postea, ut improbabilis judicata, remota fuit & mutata in secretam confessionem, quæ publicam tamen multam, seu satisfactionem injungebat. Sed & privata illa, in Græca Ecclesia sub Nectario abrogata fuit. Latina verò Ecclesia secretam illam confessionem retinuit: sed sicut antea publica confessio, in secretam erat mutata. Ita postea etjam antiquata fuit severitas injungendæ publicæ pœnitentiæ, pro gravioribus criminibus, secretò cōfessis: atq; ita etjam multa seu satisfactio publica, in privatā seu secretā commutari cœpit. inde verò posterioribus temporibus, auricularis Pontificiorū confessio generata est: quæ omniū & singulorū delictorum enumerationem, ad salutem necessariam exigit. *VIII. Species.*

Nonò. Et illa quidem quæ hactenus ex patribus annotavimus, ad ea potissimū crimina spectant, propter quæ excommunicari aliquis merebatur, sicut Augustinus inquit: sive illa essent palàm, sive clàm, sive tantùm voluntatis propositi commissa. Non dissimulandum tamen est, extare præterea apud veteres multas sententias, quibus exhortantur populū, ut alia etjam peccata Sacerdoti per confessionem exponant. Ita Cyprianus *IX. Species.*

Cyprianus lib. 5. Epist. 14. & 16. dicit, in minoribus etjam peccatis, quæ quidem non in Deum committantur, veniendum esse ad exomologesin. Sed considerandū est, qua ratione, quo sensu, & in quem finem privatam illam confessionem commendārint. Nullo modo enim senserūt, jure divino ad remissionem peccatorum necessarium esse, omnia peccata, in specie & sigillatim, sacerdoti juxta omnes circumstantias enumerare, ita ut ea quæ sacerdoti in specie nō exponuntur, remitti non possint, etjamsi verè pœnitens, Deo ea confiteatur. Alias verò habuerunt rationes, propter quas & servarunt & commendarūt privatam cōfessionem: quia scilicet utilis sit disciplina, primò ad rudiorū informationē, de vera aquitione, de gradibus, de gravitate peccatorum, item de vera & salutari ratione agendæ pœnitentiæ, 2. Ad medicinam: quomodo scilicet quælibet peccata curanda & mortificanda sint, ut in posterum caveantur & vitentur quæ vitæ emendatio, quib. peccatis opponenda sit. 3. Consilii gratia: ut in casibus dubiis, pastoris consilio oviculæ ex verbo Dei instruantur. 4. Propter cōsolationem, quando scilicet peccatum aliquod præcipuè conscientiam gravabat & perturbabat, ut ex generali prædicatione conscientia non posset consolationē concipere, tunc consulebāt pastori hoc esse exponendum, propter privatam absolutionem. 5. Quia absolutio non est impertienda, nisi qui pœnitentiam agit, impœnitens verò ligandus est, ideo sacerdotem ex aliqua pœnitentis professione oportet intelligere, an ille qui absolutionem petit, sit absolvendus, an verò ligandus. Ad illam verò discretionem non opus esse integra seu speciali enumeratione omnium delictorum, postea ostendemus. Ita Chrysostomus, qui præcæteris acriter contendit, non necessarium esse ad remissionem peccatorum, Sacerdoti peccata exponere & manifestare: tamen lib. 2. de Sacerdotio inquit: Multa arte opus est, ut qui laborāt Christiani, ultrò sibi persvadeant, Sacerdotū curationibus se submittere oportere: imò, ut curationis & medicinæ nomine, gratiam illis habeant. Et hoc est quod Sozomenus dicit, post Nectarium, confessionem sacerdotalem factā fuisse ἀδιάφορον. Ita Origenes in Psal. 37. dicit: Proba prius medicum, cui debeas languoris causas exponere: ut si quid ille dixerit, si quid consilii dederit, facias & sequaris. Idem in 2. cap. Levitici dicit, sacerdoti indicari peccatū, & quæri medicinam, secundū eum qui ait: Pronunciabo adversus me injustitiam meam Domino, & tu remisisti. Ita homilia 1. in Psal. 37. Deus sicut corpori medicamēta præparavit, ita & animæ, in his sermonibus quos per divinas Scripturas seminavit, ut quæramus medicinā. Archiatros Christus est: medici, sunt ministri verbi, quibus curandorum vulnerum disciplina commissa est. Et huc refert publicas Episcoporū correptiones. Ibidem: Si in corpore macula vel vulnus oriatur, solicitus es, & perquiris quid curæ debeas adhibere, quomodo corpori sanitas antiqua restituatur. In eandem sententiam Cyprianus sermone 5. de lapsis dicit, peccatores per confessionem animi sui pondus Sacerdotibus exponere, salutarem medelam, parvis scilicet & modicis vulneribus, exquirere. Basilius in quæstionibus compendio explicatis, 288. Quia modus conversionis debet esse οἰκεῖον τῷ ἁμαρτάνοντος accommodatus ad rationem peccati: & debet fructus ostendere, dignos pœnitentia: ad hoc aptus est modus confessionis, quæ fit illis quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Et cap. 98. dicit, confessionem peccatorum hanc habere rationem, quam vulnus habet aliquod corporis, vel passio quæ medico monstranda est, qui testimonium habet curæ & medelæ. Ita Hieronymus in 6. caput Matthæi: Sicut in veteri Testamento, Sacerdotes notitiam habebant leprosi & non leprosi, ut possent discernere, qui mundus, quive immundus esset: ita in novo Testamento, Sacerdotem non debere temerè sibi arrogare clavem potestatis, absque clave scientię & discretionis: sed pro varietate peccatorum, debere nosse qui ligandus sit, quive solvendus. In Ecclesiasten cap. 10. Si quem serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit: si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri: magister qui habet lingvam ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus suum medico cōfiteri, quod ignorat medicina, non curat. *Cyprianus. Chrysostom. Origenes.*

Idem vult aliud Hieronymi dictum: Vulnus non intellectum, tardius sanatur. *Hieronymus.*

Augustinus eleganter hoc describit, Epist. 111. ad Iulianum Comitem: Si transgredimur in aliquo peccato post Baptismum, ordinavit nobis pœnitentiam propter fragilitatem nostrā. Ideo debemus confessiones nostras veraciter confiteri, & fructus dignos facere: id est, præterita ne iteremus, secundum jusionem Deum timentis sacerdotis: qui sacerdos, ut sapiens medicus, primùm sciat curare peccata sua, & postea aliena vulnera detergere & sanare, non publicare. Nos sequamur, perquiramus, & cum talibus consilium salutis nostræ ineamus. Ita Ambrosius in historia Tripartita, lib. 9. cap. 30. Ambrosius ad Theodosium pœnitentem inquit: Quibus pharmacis curasti vulnera illa? Respondet Imperator. Tuum opus est, & ostendere & misere pharmaca: meum verò, suscipere. *Augustinus. Hist. Trip.*

Hanc tamen disciplinam non fecerunt simpliciter jure divino necessariam, ad remissionem peccatorum.

Apud Cassianū enim de fine pœnitentiæ, Pynufius abbas dicit: Si verecundia retrahente, revelare peccata coram hominibus erubescis, illi quem latère non possunt, cōfiteri ea jugi supplicatione non desinas, ac dicere: Tibi soli peccavi, &c. qui absq; ulla verecūdiæ publicatione curare, & sine improperio peccata donare consvevit.

Origenes etjam homilia 2. in Levit. ubi dicit, medicinæ gratia Sacerdoti peccata indicanda, enumerat præterea alios modos, quibus ad remissionem perveniatur.

Ad hæc novem capita, omnes veterū sententiæ commodè referri possunt. Longè aliud verò est, de quo præcipuè Pontificia cōfessio dimicat: confessionē scilicet quæ sacerdoti fit, jure divino ad remissionem peccatorū esse necessariam, *Pont. confes.*

& quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

& quidem ita, ut nullum peccatum dimittatur, quod per confessionem sacerdoti non fuerit expositum: item ad remissionem peccatorum necessariam esse omnium & singulorum peccatorum secundum omnes circumstantias enumerationem, quę Sacerdoti fiat in specie, & sigillatim: & si unum reticeatur, etiamsi Deo quis illud cõfiteatur, tamen non valere absolutionem.

Et hæc sunt, quæ nec ex Scriptura, nec ex veteribus liquidò ostendi & probari possunt. Licet enim inveniantur alicubi apud veteres sententiæ duriores, inclinantes ad necessitatem cõfessionis: possunt tamen opponi aliæ dissimiles veterum sententiæ, sicut Gratianus in utramq; partem sententias collegit. Et quæ fuerit veteris Ecclesiæ de confessione sententia, Nectarii historia, & conciones Chrysostomi liquidò ostendunt.

Pontificiorũ impostura. Et hæc cùm ita se habeant, intelligit Lector, quale sit Pontificiorum artificiũ, quòd ubicunq; in veterum scriptis, vocabulum confessionis inveniunt, statim exclamant, auriculare suam confessionem, totius antiquitatis testimonio probari & stabiliri. Hanc verò simplicem distributionem, de variis generibus confessionis veteris Ecclesiæ, ideo instituimus, ut veterum sententiæ rectius & cõmodius intelligi & explicari possint: utq; ostendatur, confessionem de qua veteres loquuntur, nõ patrocinari auricularii illi, pro qua Pontificii dimicant. Quæ verò ex suppositiciis quibusdam scriptis, quæ Augustino tribuuntur allegant, nihil nos movent: ut de vera & falsa pœnitentia, item de visitatione infirmorum, ubi dicitur, non sufficere, si soli Deo confiteamur peccata, sed sacerdotem faciendum esse penitùs participem conscientiarum nostrarum, illi aperienda penetralium nostrorum abditissima latibula, & conscientiarum penitiora revelanda repagula, &c. Talia enim à posterioribus, sub veterũ nominibus conficta sunt: ut prętextu antiquitatis rudioribus facilius imponere possent. Prodest etiam ad hoc distributio illa, ut bonis viris ostendi possit nostras Ecclesias, ea quæ in veterũ scriptis de confessione vera, utilia, & Scripturæ consentanea extant, non reijcere vel damnare, quando Pontificias superstitiones taxamus. Publicæ enim pœnitentiæ exempla quædam apud nos servantur. Et quidem optamus, posse in hoc genere plura quædam ex veteris Ecclesiæ disciplina, in usum revocari, quæ in Põtificia Ecclesia vel prorsus collapsa, vel in superstitiones & ludibria conversa sunt. Privatæ confessionis usus apud nos servatur, ut generali professione peccati, ex significatione pœnitentiæ, petatur absolutio. Cumq; non sine judicio usurpanda sit clavis, vel soluens vel ligans, in privato illo colloquio pastores explorant auditorum judicia, an rectè intelligant de peccatis exterioribus & interioribus, de gradibus peccatorum, de stipendio peccati, de fide in Christum, deducuntur ad considerationem peccatorũ: explorantur, an serió doleant de peccatis, an iram Dei timeant, & cupiant illam effugere, an habeant propositum emendationis: interrogantur etiam, si in certis quibusdam peccatis hærere existimãtur. Traditur ibi doctrina, & exhortatio de emendatione: quæritur vel consilium, vel consolatio, in gravaminibus conscientiæ. Et tali confessioni, impertitur absolutio. Hæc certè sunt substãtialia confessionis, de qua veteres loquuntur, quæ cùm à nobis, sine conscientiarum laqueis, Christiana libertate ad ædificationem retineantur & usurpentur, injustè accusamur, quasi totã antiquitatem convellamus, conculcemus & damnemus.

His ita explicatis, facilius jam & brevius expediri poterit examen Tridentini decreti, de Cõfessione. Principiò autem ex ipsis verbis Decreti ostendemus, qualem confessionem intelligant, de qua dimicant. Et hæc observatio utilis est, ad veram controversiæ explicationem. Conati autem hactenus fuerunt multi Pontificii scriptores, in Germania præsertim, acerbitatem legis Pontificiæ de confessione, variis pharmacis mitigare. Sed Concilium sine misericordia, durissimas conditiones Pontificiæ confessionis renovat, confirmat & stabilit.

Vocatur autem hæc confessio, secreta, arcana, clancularia, privata & auricularis: quam Concilium ita describit, ut peccator post Baptismũ lapsus omnia & singula peccata mortalia, etiamsi occultissima sint, non in genere duntaxat, sed in specie ac sigillatim, sacerdoti integra, aperta & verecunda confessione, explicatis singulorũ circumstantiis, quæ speciẽ peccati mutare possunt, declaret, recenseat, exponat, explicet, & detegat, excusis & explicatis omnibus conscientiæ finibus & latebris. Hæc omnia sunt verba Tridentini Decreti. Et talẽ confessionem volunt sub pœna anathematis credi, à Christo esse institutam.

Declarant etiam in VII. Canone, se non velle confessionem, quæ ad erudiendum & consolandum pœnitentem utilis sit, sed enumerationem quæ jure divino necessaria sit ad remissionem peccatorũ: ita ut qui non omnia hoc modo confessus fuerit, illi divinam bonitatem, per ministerium seu absolutionem, nihil remittere. Absolutionis enim commoda, consolationes, efficaciam & certitudinem, ex integra & specifica illa enumeratione suspendunt, sicut in speculo exemplorum, multas fabellas recitant, de iis qui Deo peccata sua revelant. Sacerdoti verò in genere confessi fuerunt peccata, multis etiam in specie enumeratis: sed quia unicum aliquod reticuerant, de quo tamen verè pœnitentiam agebant, nullam ipsis remissionem per absolutionem collatam fuisse.

Hæc verò est vetus illa carnificina conscientiarũ, quam gladio spiritus, Ecclesiæ nostræ excusserunt, propter multas gravissimas causas. *Ob quas cas sas Põtificia confessio ex orthodoxa Ecclesiæ sit explosa.*
1. quia imponitur conscientiis, cùm nec Christi, nec Apostolorum vel præceptum, vel exemplũ habeat. 2. nullam in verbo Dei habet promissionem. 3. Evangelium transformat in legem. statuit enim, remissionem pendere ex enumeratione. 4. gratuitæ cõdonationi substituit meritum enumerationis & satisfactionis. Confessionem enim meritoriã esse ad culpæ remissionem, pœnæ diminutionem, paradisi apertionem, & salutis fiduciã. Scholastici expressè tradunt. 5. conscientiam adducit in dubitationem & desperationem, scrupulosa illa enumeratione. Videns enim se non posse omnia delicta colligere, nunquam

quam acquiescit, dubitatio verò extingvit fidẽ, 6. exigit rem impossibilem. constat enim, plurima peccata, nos nec intelligere, nec meminisse, juxta illud: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Dicunt quidem, illa tantùm enumeranda esse, quorum post diligentem discussionem, memoriam & conscientiam habemus. Sed si semel admissum fuerit, remissionem pendere ex enumeratione, conscientia semper dubia erit de occultis: & semper hæsitabit, an justam adhibuerit diligentiam discussionis. Licet igitur disciplinam privatæ explorationis retineamus, nolumus tamen conscientiis laqueos injici, quasi jure divino necessaria sit enumeratio coram Sacerdote, omnium & singulorum delictorum, quæ à Deo nobis remitti volumus: ut quæ Sacerdoti non enumerentur, à Deo non remittantur.

Operæ precium verò est considerare, quibus argumentis talem confessionem, sicut eam describunt, probent & confirment. Duo autem præcipua video argumenta esse, quibus Tridentinum Capitulum confessionem illam superstruit.

1. Argum. Primum est ab antiquitate, & à testimonio universæ Ecclesiæ. Dicunt enim, universam Ecclesiam semper intellexisse, talem, sicut eam describunt, confessionem à Christo institutam, & jure divino ad remissionem peccatorum necessariam esse. Sed profectò nimis impudens hoc est mendacium. In Scriptura enim nullum extat mandatum, nullum testimonium, nullum exemplum de tali integra & specifica enumeratione. Nec veteribus talis enumeratio nota est: imò & Nectarii exemplum, & Chrysostomi conciones ostendunt, ne illam quidem confessionem, quæ in veteri Ecclesia usitata fuit, necessariam aut juris divini judicatam fuisse, sicut ostendimus. Et quidem Gratiani adhuc tempore, cùm acriter quidem disputaretur de confessionis necessitate, nondum tamen fuit articulus fidei. prolixam enim recitationem diversarum sententiarum, quarum quædam affirmant confessionem esse necessariam, quædam negant, ita concludit: Quibus autoribus, vel quibus rationum firmamentis, utraque sententia nitatur, in medium exposuimus: cui autem harum potius adhærendum sit, Lectoris judicio reservatur, utraque enim harum astipulatores habet sapientes & religiosos viros. Non itaque verũ est quod Tridentinum capitulum affirmat, universam Ecclesiam semper intellexisse, confessionem illam jure divino necessariã esse, ad remissionem peccatorum. Ante annos quadringentos, Gratiani tempore, pii & religioli viri habiti fuerũt, qui censuerunt confessionem non esse necessariam. Nunc verò anathema est, qui dixerit ad remissionem peccatorum necessariam nõ esse jure divino Pontificiam confessionem. Et tamen nõ verentur, de universæ antiquitatis testimonio gloriari. Similis impudentiæ est quòd dicunt, universam Ecclesiam semper intellexisse, talem confessionem à Christo institutam esse, ita ut ideo jure divino ad remissionem peccatorũ necessaria sit. Prætereà quam enim quod ex Scriptura illud ostendi non potest, Glossa de pœnitentia distinctione 5. cùm recitasset, multos variis modis & argumentis conatos fuisse, ut ostenderent confessionem illam habere fundamentum in Scriptura, tandem concludit: Sed melius dicitur, eam institutam fuisse à quadam universali Ecclesiæ traditione, potius quàm ex novi vel veteris Testamenti autoritate. Et traditio Ecclesiæ obligatoria est, sicut præceptum. Ergo necessaria est confessio in mortalibus, apud nos: apud Græcos non, quia non emanavit ad illos, traditio talis. Hæc Glossa.

Bonaventura. Notæ sunt etiam Scholasticorum disputationes. Bonaventura sentit, confessionem à Christo insinuatam, ab Apostolis institutam, à Iacobo promulgatam. Sed Sacramenta non possunt institui, nisi à solo Christo. Ideo Scotus dicit: Maximè conveniens esset, si præceptum confessionis posset evidenter haberi ex Evangelio. Et si aliquid in Evangelio ad hoc valeret, videretur esse illud Iohannis 20. Sed animadvertit hoc non satis firmum esse, ideo sumit dictum Iacobi: Confitemini alterutrum &c. *Scotus.*

Sed inquit: Nec per hoc videtur mihi, quòd Iacobus præceptum hoc vel dederit, vel à Christo præceptum promulgârit. Videns igitur hanc disputationem destitui veris & firmis scripturæ testimoniis, tandem concludit, præceptum confessionis à Christo promulgatum esse Apostolis, Ecclesiæ verò per Apostolos, absque omni Scriptura. Sed Hieronymus dicit: Quod de Scriptura Canonica autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

Panormitanus. Panormitanus etiam disputat, Pontificiã confessionem non esse juris divini, sed humani. Falsum igitur est quod Tridentinum Decretum affirmat, universam Ecclesiam semper intellexisse, confessionem sicut Pontificius usitata est à Christo institutam, & jure divino necessariam esse. Nam liberæ fuerunt opiniones de hac disputatione, etiam Panormitani tempore. Nunc verò factus est inde articulus fidei, ita ut anathema sit, si quis dixerit, confessionem illam non esse institutam jure divino.

II. Argum. Alterum argumentum pro stabilienda sua confessione, ex ipsa Scriptura deducunt. Et observetur, quàm variis modis tentatæ fuerint probationes Pontificiæ confessionis, ex Scriptura. Quidam ex ipso paradiso usque petierunt probationes, ut cùm Deus inquit: Adam ubi es? vel cùm ad Cain dicit: Vbi est Abel, frater tuus?

Ex novo Testamento proferunt, quòd Matthæi 3. scriptum est: Veniebant, & confitebantur peccata sua. Matthæi 16. Tibi dabo claves, &c. Matth. 8. Vade, ostende te Sacerdoti. 1. Iohan. 1. Si confiteamur peccata nostra, Iacobi 5. Confitemini alterutrum peccata. Sed Tridentinum Concilium agnoscit, injuriam fieri illis Scripturæ dictis, si ad Pontificiam confessionem intorqueantur. Ideò sumit tantùm sententiam Christi, Iohan. 20. Scotus enim monuit, si aliquid in Evangelio ad hanc probationem valeret, esset illa Christi sententia.

Suprà autem in primo capitulo, de explicatione & vera sententia illius dicti, Ioan. 20. quæ dã annotavimus: ideò nunc tantùm examinabimus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus, quomodo hoc capitulum quintum ex illis verbis demonstret, auricularem confessionem ibi esse institutam, ut jure divino ad remissionem peccatorum necessaria sit. Christus, inquiunt, his verbis Sacerdotes judices constituit, ut pro potestate clavium, pronuncient sententiam vel remissionis, vel retentionis peccatorum.

II. Arg. Pont. pro confessione ex loco, Iohan. 20.

Sed nullum judicium rectè exerceri potest incognita causa. Ideò omnia peccata Sacerdoti, ut judici, in confessione quando petitur absolutio, sigillatim enumeranda, exponenda & detegenda sunt. Dupliciter autem, actus ille judicialis in absolutione à Pontificiis intelligitur. Primò, sicut in politico judicio audita causa, fit examen & exploratio, quid & quantum voluntariæ pœnæ reus afferat: & deliberatur, quanta præterea mulcta imponenda sit, ut ita facta recompensatione delicti, reus absolvatur. Ita quidam volunt, Sacerdotem in confessione, audita explicatione omnium peccatorum, & singularum circumstantiarum, debere explorare, qualis & quanta adsit in pœnitente contritio: debere præterea deliberare, qualis pœna pro gravitate delictorum, pœnitenti injungenda & imponenda sit: ut facta recompensatione peccatorum contritionis & satisfactionis, peccator justè & meritò, tanquam in judicio absolvatur. Ad hanc sententiam non obscurè alludit Tridentinum capitulum, bis enim repetit, propter injungendas pœnas pro peccatis, necessariam esse illam enumerationem. Sed hæc sententia manifestè, & quasi ex professo pugnat cum sententia Christi. Non enim jussit annunciare per solutionem peccati, scilicet tunc & hoc respectu, pronuncient sententiam remissionis, si viderint in pœnitente recompensationem pro peccatis: sed jussit prædicari remissionem peccatorũ, in suo nomine, Lucæ vigesimoquarto, hoc est, non ex nostris operibus, sed gratis, propter meritum & satisfactionem Christi, iis qui credunt in ipsum, Romanorũ tertio & quinto. Actorum decimo. Alii verò argumentum illud subtilius & speciosius ita formant. Potestas remissionis & retentionis peccatorum non rectè potest administrari sine cognitione & judicio, an remittenda, an verò retinenda sint alicui peccata. Illud verò non potest fieri sine enumeratione peccatorũ. Ergo absolutionis processus instituendus est, ad formam judicii forensis. Sed rectè respondetur, discrimen esse inter judicium, & functionem ministerii Evangelici. In judicio enim juxta causæ cognitionem pronunciatur, prout vel bona vel mala est, vel prout reus affert compensationem pro delicto. Ministerium verò Evangelii, mandatum habet annunciandi & impertiendi alienum beneficium, Christi scilicet, ad remissionem peccatorum, illis qui laborant & onerati sunt, & petunt refocillari. Et qui petit absolutionem, duo sibi proponit. Primò, ipsum Deum, utpote à quo petit & quærit remissionem peccatorum: atque ideò coram ipso, totum cor suum effundit, deinde proponit sibi ministerium, cujus voce seu ministerio, tanquam legati, nuncii seu interpretis, Deus utitur, ad impertiendam & obsignandam absolutionẽ. Quando igitur Deo delictum meum cognitum feci, non necessaria est scrupulosa enumeratio corã ministro, qui tantùm dispensator est alieni beneficii.

Idem Argumentũ subtilius formatum.

Sed inquis: Omnino tamen ministro necessaria est clavis discretionis, quæ sine cognitione & judicio esse non potest: ne scilicet ei peccata remittat cui retinenda sunt, aut ei retineat cui solvenda sunt, nõ enim pro arbitrio, sed certo mandato ministris commissa est administratio clavium. Respondeo: Hoc concedimus, sed quæstio est, quomodo judicium illud in ministerio instituendum & exercendum sit. In generali prædicatione enim pœnitentiæ & remissionis peccatorum, multis qui pœnitentiam agunt, & fide promissionem accipiunt, virtute Dei peccata remittuntur, etjamsi de illorum sive peccatis sive pœnitentia, sive fide, ministro nihil constet. Sed de impertienda privata absolutione, alia ratio est. Si enim aliquem absolverem, de quo planè ignorarem, an ex verbo Dei esset prius institutus, de peccato, pœnitentia, fide in Christũ, gratia Dei, & remissione peccatorum: non rectè administrarem potestatẽ remittendi peccata. Item si ignorarem, an quis pœniteret, vel crederet: vel si scirem, esse quem impœnitentem & incredulum, & tamen ipsi pronunciarem sententiam remissionis: non rectè facerem. Tale igitur judicium, & talis cognitio requiritur, ut minister intelligat, eum qui absolutionem petit, doctrinam intelligere, peccata agnoscere, pœnitentiam agere, & in Christum credere. Iam quæritur, an ad hanc cognitionem opus sit specifica illa enumeratione omnium peccatorum, & circumstantiarum ejus. Certissima autem est quæstionis hujus explicatio & solutio, ex Baptistæ, Christi & Apostolorum exemplo. Nam & in Baptismo, privatim singulis, qui baptizantur, remittũtur peccata: & requiritur judicium & cognitio in ministris, quos ex adultis ad Baptismũ admittere & recipere debeant: quiscilicet pœnitentiam agunt, & credunt Evangelio. Iam verò Baptista, Christus & Apostoli, non flagitârunt integram enumerationem singulorum peccatorum, sed contenti fuerunt generali professione pœnitentiæ & fidei. Et quidem Christus, quando privatam absolutionem, Matthæi 9. & Lucæ septimo impertit, non requirit enumerationem in specie & sigillatim, omnium peccatorum. Apostoli etjam, quando potestate remittendi peccata, quam à Christo acceperant, utuntur, non leguntur exegisse talem enumerationem. Ergo ad judicium illud, & ad illam cognitionem quæ in absolutione requiritur, non necessaria est enumeratio illa, quam Pontificii flagitant. Extra omnem enim controversiam, ita rectissimè administratur potestas clavis, si fiat juxta exemplum Baptistæ, Christi & Apostolorum. Illos enim in ministerio remisisse peccata, certum est: & tamen non flagitârunt integram enumerationem omnium peccatorum, sed contenti fuerunt generali professione & significatione pœnitentiæ & fidei.

Alia obiectio pro enumeratione.

Refutatio.

Sed inquiunt: Generali confessione peccator potest ministrum fallere. Respondeo: Idem fieri potest, & sæpe factum fuit in petitione Baptismi: imò ut maximè flagitetur integra enumeratio, manet

Alia obiectio

manet tamen id quod Augustinus inquit lib. 10. Confes. cap. quinquagesimo tertio. Vnde sciunt cùm à meipso, de meipso audiunt, an verum dicam: quandoquidem nemo scit hominum, quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui est in homine. Monendi igitur sunt illi qui absolutionem petunt, non cum homine, sed cum ipso Deo sibi negocium esse, in cujus conspectu illa agantur. Et Deus qui corda scrutatur, & cogitationes intelligit, non irridetur. Ministri verò tantùm legatione funguntur, & sunt dispensatores alieni beneficii: quibus non mandatum est, ut corda scrutentur, sed ut iis qui significant se pœnitentiam agere, & Evangelio credere, annuncient remissionem peccatorũ. Ita Leo ad Theodorum Forojulienſem Episcopum scribit: decumbentibus in agone, impertiendam esse absolutionem, etjamsi non verbis, sed signis tantum petãt absolutionem, aut si amici testentur, ipsos antea hoc petiisse. Quantum igitur judicii & cognitionis ministro in absolutione opus est, ad illud nõ est necessaria Pontificia illa enumeratio. Quomodo verò utiliter in privato illo confessionis colloquio, explorari & examinari possint illi, qui absolutionem petunt, suprà dictum est. Atque ita præcipuum argumentum, quod aliquam speciem habet pro enumeratione, simpliciter & clarè explicatum & solutum est.

Chrysostom.

Et quidem Chrysostomus expresè disputat, ad remissionem peccatorum non esse opus tali forma judicii, sicut Pontificii contendunt, ut de confessione & pœnitentia inquit: Non necessarium est, præsentibus testibus confiteri, cogitatione fiat délictorum exquisitio, absque teste sit hoc judicium: solus te Deus confitentem audiat: qui non exprobat, sed salvet peccata propter confessionem.

Homilia 9. de pœnitentia: Medicinæ locus hic est, non judicii: non pœnas, sed remissionem peccatorum tribuens, &c.

Est præterea hoc in præsenti capitulo observandum, quòd tantùm mortalia peccata cõfitenda esse docent: eò quòd ad remissionem venialium, non opus sit absolutione, sed aliis remediis possint expiari. Vbi observabit Lector, Pontificios qui enumerationem omnium peccatorum flagitant, maximam partem eorum, quæ coram Deo verè sunt peccata, à confessione & absolutione excludere. Primò enim interiorem immundiciem, & malũ habitans in carne, nisi consensu & opere impleantur, non volunt comprehendi in confessione: quia malam concupiscentiam quæ in renatis reliqua est, docent non habere rationem peccati. Deinde, multa delicta actualia adeò judicant esse levia, ut ad eorum remissionem, non opus sit absolutione.

Nihil verò aliud est absolutio, quàm vox Evãgelii, annunciantis remissionem peccatorum, propter meritum Christi. Docet igitur Concilium venialia peccata, non absolutione, hoc est, nõ propter Christum remitti, sed aliis remediis posse expiari: tunsione scilicet pectoris, & aspersione aquæ benedictæ, sicut Thomas docet.

Quòd verò dicunt, publicè confessionem non esse juris & præcepti divini, suprà etjam ostendimus. Sed quòd addunt, confessionem quę secretò apud solum Sacerdotem sit, esse antiquiorem, non potest cõfiftere, sive scripturæ, sive antiquitatis exempla considerentur, imò suprà ostendimus, ex publica confessione ortam fuisse privatam seu secretam. Nec filia matre prior, seu antiquior esse potest.

Quod ad decretum Lateranense, circa annum Domini 1200. editum attinet, certum est ante illud tempus non extitisse præceptum in Ecclesia, de enumerãdis sacerdoti omnibus delictis, quorum quis remissionem à Deo quæreret. Nam & Gratiani tempore, hoc est, annis quinquaginta ante Lateranense decretũ, nihil adhuc statutum fuit de necessitate confessionis: sed fuerũt tunc multi pii & religiosi viri, qui judicarunt non necessariam esse talem confessionem, sicut Gratianus fatetur dist. 1. de pœnitentia, cap. quamvis.

Quæ occasione confessio Pontificia sit stabilita.

Et utile est observare, quomodo sensim facta sit progressio, ad Pontificiam confessionem stabiliendam. Apud Patres extant exhortationes ad confessionem, disciplinæ illius gratia, de qua in præcedentibus dictum est. Gratiani & Lombardi tempore, cœptum fuit disputari, an necessaria sit confessio. Et Gratianus quidem Lectori liberũ permittit judicium, vtram sententiã amplecti velit: Longobardus verò disputatione sua magis inclinat ad necessitatem. Et tamen tunc nondum disputatum fuit de specifica enumeratione singulorum delictorum, cum omnib. circumstantiis, ad remissionem necessaria. Annis verò quinquaginta post, Innocentius decreto mandavit, omnia peccata sacerdoti esse cõfitenda, sub pœna excommunicationis. Sicuti verò Scholastici & Summistæ, duriores adhuc superaddiderunt conditiones. Innocentii decretum dicit, sacerdotem debere inquirere circumstantias peccati: hæc inquisitio postea confitentium conscientiis imposita est. Et quod Lateranense decretum dicit, omnia peccata fideliter esse confitenda: huic postea additum est, non in genere, sed in specie, sigillatim, secundũ omnes circumstantias, nudè, integrè & disertè, omnia peccata esse Sacerdoti enumeranda. Additum etjam est, si quid in hac enumeratione omittatur, nõ tantùm illa peccata, quæ in specie & sigillatim Sacerdoti non enumerantur, non remitti, sed ne illorum quidem quæ enumerata sunt, remissionem accipi, nisi integra sit confessio, secundum omnes circumstantias. Atque inde tandem complicati sunt laquei confessionales, qui extant in Summistis.

Quando per confessionem petenda sit absolutio.

De tempore, quando per confessionem petenda sit absolutio, nostri docent, non præscribendum esse certum tempus, quia non omnes pariter eodem tempore idonei sunt: nec ordine possunt audiri & institui confitentes, si eodem tempore omnes accurrant. Sed ita tradenda est doctrina ex verbo Dei, de dignitate & utilitate absolutionis & cœnæ Dominicæ, ut homines ad crebriorem usum invitentur: non autem mandatis cogendi sunt, ut quando non sunt idonei, Sacramentis utantur.

Apud veteres disciplina confessionis & absolutionis publicè pœnitentiũ, tempore Quadragesimæ potissimum usurpata fuit, distinct. 50. in cap. Quadragesimæ. Et Chrysostomus in Gene- *Chrysostom.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sin sæpe hortatur, jeiunii tempore peccata Deo confitenda. Et quia frequentiores tempore jejunij ad communionem accedebant, præmissa fuit etjam ante communionem confessio illa apud Sacerdotem, de qua veteres loquuntur, ut inquit Origenes in Psalm. 37. & Augustinus Epist. 111. Inde verò postea facta est Lex, de confessione in Quadragesima, sub pœna excommunicationis Sacerdoti facienda. Et Tridentinum Concilium decernit, morem illum ideo esse retinendum, quia tempus illud maximè sit acceptabile: hoc est, quia ratione temporis plus valeat, & magis accepta sit coram Deo, confessio & absolutio, contra expressam doctrinam Pauli, Rom. 14. Coloss. 2. Galat. 4.

DE ABSOLVTIONE.

CAPVT VI.

Circa ministrum autem huius Sacramenti, declarat sancta Synodus, falsas esse, & a veritate Evangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos & Sacerdotes, clavium ministerium perniciosè extendunt, putantes verba illa Domini: Quæcunque alligaveritis super terram, erunt alligata & in cœlo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Et: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt: ad omnes Christi fideles indifferenter & promiscuè, contra institutionem huius Sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeant retinendi peccata: publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit: secreta verò per spontaneam confessionem, cuicunque factam.

Docet quoque, etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere: eosq; prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. Quâvis autem absolutio sacerdotis, alieni beneficij sit dispensatio: tamen non est solum nudum ministerium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut à iudice sententia pronunciatur. Atque ideo non debet pœnitens, adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi multa illi adsit contritio, aut sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem, verè & coram Deo esse absolutum. Nec enim fides sine pœnitentia, remissionem illam peccatorum præstaret: nec ea esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui sacerdotem, ioco se absolventem cognoscere, & non alium seriò agentem, sedulò inquireret.

CANON IX.

Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis, non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi, remissa esse peccata confitenti, modò tantum credat se esse absolutum: aut Sacerdos non seriò, sed ioco absolvat, aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit, anathema sit.

CAPVT X.

Si quis dixerit, Sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere: aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus & singulis Christi fidelibus esse dictum: Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Et: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quorum verborum virtute, quilibet absolvere possit peccata: publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit: secreta verò, per spontaneam confessionem, anathema sit.

EXAMEN.

Duas partes habet hoc Capitulum. Prior disputat de ministro absolutionis, ad quem pertineat ordinarium ministerium clavium: altera verò pars tractat quid sit absolutio. Quod ad priorem partem attinet, res paucis potest expediri. In Examine enim 10. Canonis, de Sacramentis in genere, ea quæ huc pertinent, explicata sunt. Licet enim claves traditæ sint ipsi Ecclesiæ, sicut veteres rectè tradunt: nullo modo tamen sentimus, quemvis Christianum promiscuè, sine legitima vocatione, debere, vel posse usurpare aut exercere ministerium verbi & Sacramentorum. Sicut verò in casu necessitatis, veteres dicunt, quemvis Christianum laicum posse Sacramentum Baptismi administrare: idem etjam de absolutione dixit Lutherus, in casu necessitatis, ubi nõ adest Sacerdos: & nihil aliud dixit, quàm quod ex veterum sententia, de casu necessitatis dicunt, Longobardus libro 4. distinct. 17. & Gratianus de pœnitentia, distinct. 5. *Summa Capituli.*

Antea etjam Theophylacti sententiam annotavimus, quòd ea quæ in correptione & reconciliatione fraterna solvuntur vel ligantur, sint soluta & ligata in ipso cœlo. Nec dubium est per vocem Evangelii annunciatam, Deum efficacem esse, à quocunque annuncietur. Quare igitur Tridentinum capitulum, tàm multis de hac quæstione tumultuatur? Respondeo: Quia integritatem, veritatem & efficaciam Sacramentorum, non simpliciter & insolidum in verbis Christi constituunt, sed ex parte etjam in charactere, quem fingũt in ordinatione sacerdotibus imprimi. Ita ergo etjam consolationem absolutionis, nõ tàm ex verbo Evangelii, quàm ex persona absolventis pendere volunt. Et hoc Lector intelligat, quando legit primam partem hujus Capituli. Qui verò usum privatæ absolutionis, quæ voce Evangelii per ministrum verbi annunciatur, ex Ecclesia prorsus tollunt, cum iis nostræ Ecclesiæ nihil commune habent. Quæ igitur contra illos dicuntur, ad nos non pertinent. Verbi etjam & Sacramentorum efficaciam non pendere ex dignitate aut sanctitate ministrorum, modò verbo & Sacramentis sua constet & maneat puritas, in XII. Canone, de Sacramentis in genere explicatum est.

Accedemus igitur ad alteram hujus capituli partem, in qua disputatur de re longè gravissima: quid scilicet sit absolutio, quæ sit ejus efficacia, quæ inde consolatio, & quomodo accipiatur: in quo cõsistat, & quo quasi fundamento nitatur efficacia & consolatio absolutionis. De his gravissimis quæstionibus, traditæ sunt à nostris ex verbo Dei, dilucidæ explicationes: cùm prius res necessariæ, Scholasticorum disputationibus obrutæ, sepultæ & depravatæ essent: absolutionem scilicet nihil esse aliud quàm ipsam vocem Evangelii, annunciantem remissionem peccatorum gratis propter Christũ, in genere omnibus qui pœnitentiam agunt, & credunt Evangelio, quæ vox Evangelii propter firmiorem & certiorem consolationem per privatam absolutionem applicatur singulis, eam petentibus, & fide accipienda est, ut singuli voci Evangelii in absolutione credãt, & certò statuant, sibi gratis propter Christum, à Deo per ministerium donari, applicari & obsignari remissionem peccatorũ, & hac fide verè se Deo reconciliari, ita pavidæ & perterrefactæ conscientiæ, ex absolutione consolationem accipiunt, ut nõ dubitent, ad se privatim quoq; pertinere, sibi privatim à Deo donari & applicari beneficia mediatoris, quę in genere omnibus credentibus in Evangelio promittuntur. Evangelium enim est potentia Dei, ad salutem omni credenti: sive in genere multis, sive privatim paucis aut uni annuncietur. fidem igitur usu absolutionis confirmari, non est dubium. Et licet necesse sit, in illis qui petunt absolutionem, adesse contritionem, & bonum propositum: efficacia tamen, & consolatio absolutionis, non nititur nostra vel contritione vel obedientia: offert enim, & annũciat remissionem peccatorum, non ex operibus, nec secundum opera nostra, sed gratis propter Christum. Nec fides in absolutione eo deducenda est, ut pro quantitate & qualitate contritionis suæ de remissione peccatorum statuat: sed ut apprehendat vocẽ promissionis, quæ gratis propter Christum offert & exhibet remissionem peccatorũ. Si enim ex operibus hæreditas, evacuata est fides, & abolita promissio. Ideo verò ex fide, ut secundum gratiam, ut sit firma promissio, Romanorum quarto. Nec solicita debet esse conscientia de ministri intentione: sed si vox Evangelii annunciatur, fidés eam apprehendens, statuat se coram Deo absolutum, quicquid sit de sacerdotis animo.

Hæc ideo recitavi, ut clarius intelligi possit, quæ sit illa sententia, quã in altera parte Tridẽtinum capitulum damnat. Absolutionem non volunt esse ministerium annunciandi Evangelii: quo scilicet privatim, voce Evangelii, peccata pronuncientur & declarentur gratis propter Christum remitti, ei qui voci Evangelii in absolutione credit. Sed fidem quærentem in absolutione remissionẽ peccatorum, volunt niti nostra contritione & pœnitentia, ita ut sententia absolutionis pronuncietur, nõ ex voce Evangelii gratis propter Christum, sed tanquam à judice: scilicet pro ratione contritionis & satisfactionis nostræ. Et hoc est illud quod dicere volunt. Sed more suo calumnias miscent, quasi nos doceamus, propter solam fidem peccatorem coram Deo absolvi, etjamsi nulla adsit cõtritio, etjamsi peccator sit sine pœnitentia, etjamsi tota actio ludo & joco suscipiatur: cùm nõ ignorent, quid Augustana cõfessio de pœnitentia, de contritione, de fide & absolutione docẽat.

Quia verò 9. Canon damnat illos, qui dicũt, absolutionem esse nudum ministeriũ, declarandi remissa esse peccata: judico addendam esse aliquam declarationem. Inter Sacramentarios enim quidam disputant, per absolutionem non remitti peccata: cùm homines non possint peccata remittere, id quod solius Dei est. Ideo disputant, in absolutione credentes nihil accipere, sed tantùm esse externam declarationem, quid jam antè habeant. Sed Deus qui solus peccata remittit, non facit hoc sine medio, sed per ministeriũ verbi & Sacramentorum. Privata verò absolutio annunciat vocem Evangelii, per quam non dubium est, Deum efficacem esse, & peccata remittere illis qui vocem Evangelii in absolutione fide apprehendunt. In absolutione igitur Deus ipse per ministerium Evangelii remittit peccata, singulis credentibus: atq; hoc modo absolutio ministri, testimonium est divinæ absolutionis, unde conscientia testimonium habet, sibi verè à Deo remissa esse peccata.

Annotandum verò & hoc est, quid sibi velit, quòd sine pleniori explicatione nudam ponunt antithesin: absolutionem scilicet non esse ministerium annunciandi privatim vocem Evangelii, illis qui petunt absolutionem: sed esse actum judicialem, quo velut à judice sententia pronuncietur. Sine dubio autẽ hac generalitate, voluerunt complecti Scholasticorum disputationes de absolutione. Vt igitur plenius hæc antithesis intelligatur, paucis notabo sententiariorũ apophthegmata, quæ Tridentinum capitulum in finu actus judicialis comprehendere voluit. Scholastici igitur qui ante Scotum fuerunt, semiunt per ipsam cõtritionem, propter dilectionem ex qua oriatur, deleri & remitti peccatum. Atque ideo dicunt potestatem clavium, seu absolutionem, non extendere se ad remissionem culpæ, aut reatus pœnæ æternæ, nec ut causam principalem, nec ut causam sine qua non, nec ut causam instrumentalem. Ne tamen nullus sit absolutionis usus, dicũt, sacerdotem cognitis rei delictis, & per confessionem examinata ejus contritione, cum voto satisfactionis: instituta deinde collatione peccati & contritionis, cum injuncta satisfactione, suo judicio per absolutionem ostendere, decernere, & pronunciare, peccatorem esse solutũ: propter suam scilicet contritionem, & susceptam satisfactionem. Atq; ideo quidam dicunt: remissionem illam in absolutione, fieri non coram Deo, sed in facie Ecclesiæ.

Thomas, & post illum alii disputant: quando contritio sufficiens est, tunc remitti peccatum per contritionem, ante absolutionem: quando verò est attritio, quæ est dispositio insufficiens, tunc per absolutionem infundi gratiam, hoc est, charitatem, per quam attritio formetur, ut fiat contritio, quæ virtute charitatis delere possit peccatum. Quidam sentiunt, pœnam æternam, virtute absolutionis mutari in temporalem. Alii disputant, quia post remissam culpam, quod per contritionem fieri sentiunt, remanet obligatio ad pœnam temporalem, quæ ob rigorem divinæ justitię, viribus nostris fit importionabilis & nostræ cognitioni ignota, pro qua tamen satisfaciendum sit Deo: datam igitur esse sacerdoti potestatem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

testatem, arbitrandi pœnam illâ, & partem ejus virtute clavium in absolutione remitti, reliquâ partem per satisfactiones expiari: ut ita ligare, fit satisfactionem imponere: solvere verò, sit de pœna temporali aliquid remittere. Et hic est actus ille judicialis in absolutione, quem Tridentinũ capitulum intelligit. Hæc igitur observatio clarissimè ostendit, quid quærant & agant Pontificii, quando contendunt, absolutionem suâ, non esse ministerium annunciandi vocem Evangelii pœnitentibus, sed esse actum judicialem. Et ne Lector illa generalitate, quam Tridentinum capitulum de industria sectatur, turbetur, volui hanc declarationem ipsis Scholasticorum verbis, huic capitulo addere: ut videant, quibus oculos videndi Deus dedit, quomodo ipsum absolutionis beneficium à Pontificiis fermentetur, adulteretur & depravetur.

DE CASVVM RESERVATIONE.

CAPVT VII.

Quoniam igitur natura & ratio iudicij illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur: perſvaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, veriſimum eſſe, Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem. Magnoperè verò ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, ſanctiſſimus patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & graviora crimina, non à quibuſvis, ſed à ſummis duntaxat ſacerdotibus abſolverentur. Vnde merito Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſervare. Neque dubitandum eſt, quando omnia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem liceat, pro illis ſubditos tradita, ſupra reliquos inferiores Sacerdotes authoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſervationem conſonum eſt divinæ authoritati, non tantum in externa politia, ſed etiam coràm Deo vim habere, veruntamen pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, quoſlibet pœnitentes, à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſint, extra quem articulum ſacerdotes, cùm nihil poſſint in caſibus reſervatis ad unum, pœnitentibus perſvadere nituntur ad ſuperiores & legitimos iudices, pro beneficio abſolutionis accedant.

CANON XI.

Si quis dixerit, Epiſcopos non habere ius reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam: atq; ideo caſuum reſervationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reſervatu vere abſolvat, anathema ſit.

EXAMEN.

Quàm impotens dominandi conſcientiis libido ſit, in Romanis Pontificibus, vel hoc ſolum Capitulum oſtendere poteſt. Ordinis & diſciplinæ gratia, olim conſtitutum fuit, ut quiſque à ſuo paſtore abſolutionem peteret & acciperet: propterea quòd paſtori notior ſit vita auditorũ ſuorum, quàm alteri. Vultum enim ſui pecoris paſtor debet noſſe. Ne igitur ſceleràti, ab aliis miniſtris quibus vita ipſorum nota non eſt, ſine vera pœnitentia abſolutionem ſuffrarentur, non inutilis, etjam ordinis gratia fuit conſtitutio de proprio paſtore. Accedit, quòd nemo in aliqua Eccleſia miniſterium verbi & Sacramentorum exercere debet, niſi legitimè ad eam vocatus ſit. Sed Pontifices Romani ulterius progreſsi ſunt, & finxerunt, ad hoc ut abſolutio valeat, & ſit efficax, non ſufficere verbum abſolutionis, nec poteſtatem ordinis: hoc eſt, ut miniſter habet legitimam vocationem: ſed præterea requiri poteſtatem juriſdictionis, ſuper aliquam plebem vel perſonam. Et illam ita deſcribunt, quòd in Papa, ut ſummo hierarcha & Principe Eccleſiæ, plenè reſideat tota poteſtas juriſdictionis, à quo ad inferiores præſidentes, vel mediatè vel immediatè, omnis Eccleſiaſtica juriſdictio, juxta ſummi illius principis arbitrium, ſine tamen ſuæ poteſtatis detrimento derivetur. Atq; ideo qui à Papa nõ habet poteſtatem juriſdictionis in aliquem, cum nec ſolvere nec ligare poſſe. Ita Gabriel lib. 4. diſtinctio. 17. quæſt. 1. Et hoc eſt quod præſens capitulum decernit, nullius momenti eſſe abſolutionem, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariâ aut ſubdelegatâ non habet juriſdictionem, hoc eſt, licet abſolutio habeat verbum Dei, & fiat à miniſtro legitimè vocato: hoc tamen non obſtante, nullius momenti eſſe abſolutionem, niſi ſacerdos habeat poteſtatem juriſdictionis ſuper illam quem abſolvit à Papa in ſe derivatam. Quid verò eſt, ſi hoc nõ eſt in templo Dei ſedere, & extollere ſe ſuper omne quod dicitur Deus? 2. Theſſal. 2. Ambroſij præclarum dictum eſt: Verbum Dei dimittit peccata: Sacerdos miniſter eſt, exhibens quidem officium ſuum, nullius verò poteſtatis jura exercens. Romanus verò Papa inquit: Etjam ſi abſolutio aliqua habeat verum Dei verbum, & miniſter abſolvens ſit à filio Dei, ſedente ad dextrã patris, per legitimam vocationem miſſus: nullius tamen momenti abſolutio illa eſſe debet, ſi non ex plenitudine poteſtatis, reſidentis in ſcrinio pectoris Papalis, derivata ſit. Et hanc manifeſtam Antichriſti notam, Tridentinum Concilium confirmare non veretur.

Eadem ratio etjam eſt de caſibus reſervatis, in veteri enim Eccleſia, enormia crimina quibus cenſura excommunicationis annexa eſt, referebantur ad Epiſcopos, ut de ipſorum conſilio, certa ratio publicæ pœnitentiæ reis ad ipſorum emendationem, & Eccleſiæ ædificationem imponeretur. Innocentii conſtitutio, cap. omnis utriuſq; dicit: Si Confeſsionarius opus habuerit, ut in enormi aliquo crimine ſe maiores & doctiores conſulat, ut illud alicui ſq; ulla expreſsione perſonæ cautè requirat. Inde poſtea facti ſunt caſus reſervati, in quibus verbum Dei, peccatorem pœnitentiam agentem, per nullum miniſtrum, quantumvis legitimè vocatum, abſolvere poſsit: niſi id faciat vel Epiſcopus, vel Romanus Pontifex: idq; non diſciplinæ vel ordinis gratia, ſed ideò, quòd plenitudo poteſtatis remittendi peccata, reſideat in Papa, juxta cujus arbitriũ illa derivetur in inferiores miniſtros. Quaſi verbum Dei non poſsit remittere peccata, niſi ubi, in quantum, & in quibus caſibus ipſi aſsiſtat poteſtas ex ſcrinio pectoris Pontificii derivata. Verbi igitur Dei vis & potentia, pro differentia eorum à quibus adminiſtratur, variabitur, ita ut per quoſdam tantùm parva peccata remittere poſsit, per Papam verò poſsit quævis & maxima. Cyprianus verò inquit & citatur 24. quæſtio. 1. Hoc utique erant cæteri Apoſtoli, quod Petrus fuit, pari conſortio prædíti, & honoris & poteſtatis. Item, Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis inſolidum pars tenetur. Et Chriſtus ex æquo omnibus Apoſtolis dixit: Quorum remiſeritis peccata, &c. Ipſum etjam Tridentinum Capitulum fatetur, in articulo mortis, quemvis ſacerdotem in caſibus reſervatis, poſſe abſolvere. Falſum igitur eſt, reſervationes illas non tantùm in politia Eccleſiaſtica, ſed & coram Deo, talem vim habere, ut in illis nullus Sacerdos, per verbum Dei, verè abſolvere poſsit, niſi ſolus Papa. Sed ad ſtabiliendam Antichriſti tyrannidem, illa conficta ſunt.

DE SATISFACTIONIS NECESSITATE ET fructu.

CAPVT VIII.

Demum quod ad ſatisfactionem (quæ ex omnibus pœnitentiæ partibus, quemadmodum à Patribus noſtris Chriſtiano populo ſunt perpetuo tempore commendata, ita una maximè noſtra ætate, ſummo pietatis prætextu impugnatur, ab his, qui ſpeciem pietatis habent, virtutẽ autem eius abnegarunt) ſancta Synodus declarat, falſum omnino eſſe, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin univerſa etiam pœna condonetur. Perſpicua enim & illuſtria in ſacris literis exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem, hic error quam manifeſtiſſimè revincitur. Sanè & divinæ iuſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam deliquerint: aliter verò, qui ſemel à peccati & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono, ſcientes templum Dei violare, & Spiritũ ſanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta, peccata leviora putantes, velut iniurij, & contumelioſi Spiritui ſancto, in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere à peccato revocant, & quaſi freno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioresq; & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus, malè vivendo comparatos contrarijs virtutum actionibus tollunt. Neque verò ſecurior illa via in Eccleſia Dei, unquã exiſtimata fuit ad amovendum imminentem à Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines, cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimamq; inde arrham habentes, quòd ſi compatimur, & conglorificabimur. Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exolvimus, ut non ſit per Chriſtum Ieſum. Nam quod ex nobis, tanquam ex nobis, nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus. Ita nõ habet homo unde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentia, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate ſalutares & convenientes ſatisfactiones iniungere, ne ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui patres & credunt, & docent. Nec propterea exiſtimarunt, Sacramentum pœnitentiæ eſſe forum iræ vel pœnarum, ſicut nemo unquam Catholicus ſenſit, ex huiuſmodi noſtris ſatisfactionibus, vim meriti & ſatisfactionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel obſcurari, vel aliqua ex parte imminui, quod dum novati res intelligere nolunt, ita aptiſſimam pœnitentiã, novam vitam eſſe docent, ut omnem ſatisfactionis vim & uſum tollant.

DE OPERIBVS SATISFACTIONIS.

CAPVT X.

Docet præterea, tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolùm pœnis, ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio, pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam (quod maximum amoris argumentum eſt) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem, per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.

CANON XII.

Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo, ſatisfactionemq; pœnitentiam non eſſe aliam, quam fidem qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe, anathema ſit.

CANON XIII.

Si quis dixerit, pro peccatis quo ad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, ut ieiuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideò optimam pœnitentiam eſſe tantùm novam vitam, anathema ſit.

CANON XIIII.

Si quis dixerit, ſatisfactiones quibus pœnitentes per Chriſtum Ieſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verũ Dei cultum, atq; ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes, anathema ſit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CANON XV.

Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse, quòd virtute clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerunque exolvenda remaneat, anathema sit.

EXAMEN.

Copiosa sanè & ampla est doctrina, quæ ad hunc locũ pertinet: sed dabo operam, ut in pauca eam contraham, idq; ut eo facilius fieri possit, prius veram sententiam in aliquot capita distributam, breviter explicabo.

Primò igitur certissimum est, Deum peccata remittere, non ex aliqua levitate, quasi sublata lege, non curet jam amplius peccata, nec irascatur illis. Ipse enim propriis digitis legem cõscripsit, ipse sua voce promulgavit comminationes de ira sua, adversus peccata, de reatu & suppliciis peccatorum. Et illa legis sententia, usq; adeò firma & immota est, ut facilius sit cœlũ & terram ruere, quàm unum legis vel minimum apicem cadere, quin impleatur vel obedientia, vel pœna, Matth. 5. Deus igitur peccata in legem suam commissa, non remittit sine intercedente satisfactione, qua legi suæ & obedientia & pœna, plenissimè & perfectissimè ita satisfiat, ut per eam & ira ejus propitietur, & suppliciũ peccatis debitum tollatur. Talem verò satisfactionem propitiatoriam & reconciliatoriam pro peccatis, meritoriam remissionis peccatorum, & abolitoriam mortis æternæ, nullus homo peccator pro se, nec ulla creatura præstare potuit. Ne igitur totum genus humanum in æternum periret, factum est mirabile illud divini consilii decretũ, de incarnatione filii Dei, ut is mediator noster, in assumpta sine peccato nostra natura, pro nobis legi subderetur, peccatum, reatum peccati, iram Dei, & supplicia peccatorum totius mundi, in se derivata portaret, & pro illis perfectissima sua obedientia, & sanctissima passione, Deo patri satisfaceret, atq; ita impetraret redemptionem, propitiationem, reconciliationem, remissionem peccatorum, liberationem ab ira Dei, à condemnatione, & morte æterna.

Hanc verò redemptionem per Christum gratia Dei proponit pœnitentiam agentibus, ut sit nostrũ propitiatorium, per applicationem seu apprehensionem fidei, ad remissionem peccatorum. Roman. 3. Et hæc sola, nulla verò alia est satisfactio pro peccatis propitiatoria, reconciliatoria mortis æternæ. 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis, non nostris tantùm, sed totius mundi. 1. Tim. 2. Vnus est mediator Dei & hominum, qui dedit semetipsum ἀντίλυτρον pro omnibus. Galat. 3. factus est sub lege, ut eos qui sub lege erant, à maledicto legis redimeret. Hebr. 7. 9. & 10 Vna pro peccatis victima semel oblata, æternam redemptionem invenit, & consummavit in æternum eos, qui sanctificantur. 1. Corinth. 15. per Christum dedit nobis victoriam, contra mortem & infernum. Ad Roma. 5. per unius obedientiam, justi constituuntur multi. Actor. 4. Non est in alio salus, nec aliud nomen datum est hominibus, in quo oportet ipsos salvari, &c. Hæc in pœnitentia, proponenda sunt hominib. ne vel Epicurea levitate, de reconciliatione cum Deo, & remissione peccatorum, ludant, vel Pharisaica persvasione, proprias suas satisfactiones iræ Dei, ad propitiationem & expiationem peccatorum, opponant. In reconciliatione igitur peccatoris cum Deo, omnino necessarium est, Deo offerre, & iræ ejus opponere satisfactionem pro peccatis, sed illa non consistit in nostris vel actionibus vel passionibus, vel ex toto, vel ex parte: sed insolidum est unica satisfactio obedientiæ & passionis filii Dei mediatoris, pro nobis præstita. Illam fides apprehendit, & ponit inter iram Dei, & inter peccata nostra, sicut Anshelmus inquit: petens, credens & statuens, propter illam satisfactionem peccata sibi remitti, Deum reconciliari, se in gratiam recipi, & ab æterna damnatione liberari. Ad hanc satisfactionem pœnitentium, animi quærentes reconciliationem cum Deo, deducendi erant. Sed regnantibus Monachis, in actu pœnitentiario, cùm multa de satisfactione disputarentur, planè sepulta erat unica hæc Christi pro peccatis satisfactio, opponenda iræ Dei, ad propitiationem & reconciliationem.

Tridentinum verò Capitulum, cùm titulum posuisset de satisfactionis necessitate & fructu, non prorsus potuit in hac verbi Dei luce, Christi satisfactionem silentio præterire, facit igitur ejus mentionem: sed ita tamen, ut ei adjungat nostras satisfactiones, quas ipsi pro peccatis exolvamus, ut nos pro peccatis patiamur, sicut Christus pro peccatis passus est. Et 12. Canon, disputans de remissione peccatorum, anathemate damnat illos, qui dicunt non esse aliam pœnitentium satisfactionem pro peccatis, quàm fidem, qua apprehendunt Christum pro ipsis satisfeciss̃e. De rebus igitur magnis & necessariis agitur, in hac de satisfactione controversia, quã scilicet satisfactionem, fides pœnitentium, ad Deum afferre, & iræ ipsius opponere debeat, ne damnentur, sed à peccatis absoluti, & à damnatione liberati, Deo reconcilientur, & accepten-
tur ad vitam æternam.

Secundò. In veteri Ecclesia, usitata fuit satisfactio Canonica seu disciplinaris. Eos enim, qui vel fidem in persecutione abnegarant, vel in manifesta & atrocia crimina prolapsi fuerant, vetus Ecclesia non leviter recepitad primam significationem pœnitentiæ, sed prius certis Ecclesiasticis mulctis castigatos explorabat. Stabant in certo loco, separato à communione seu cœtu fidelium, cum certis externis signis reatus: cibo, potu, vestitu, gestibus, gemitu, lamentis, & supplicationibus, fatentes reatum, & publicè petentes absolutionem, sicut ritus illi publicæ pœnitentiæ describuntur apud Tertullia. de pœnitentia, apud Eusebium lib. 5. cap. 28. libro 6. cap. 25. apud Zozomenum in Tripartita libro 9. cap. 35. apud Nicephorum libro sexto, capite secundo, & distinctio. 50. in cap. Quadragesimæ. Illas publicas pœnitentium castigationes, Zozomenus vocat ἐπιτιμια καὶ τιμωρίας, mulctas & pœnas. Latini suo quodam modo, vocarunt satisfactiones. Et quia vocabulum satisfactionis, propter monachorum disputationes, aliud videtur jam auribus ingerere, quàm veteribus significavit: utile est considerare, quibus Græcis vocibus respondeat. Has verò publicas castigationes, vetus Ecclesia lapsis imposuit, non hac opinione, quòd essent compensationes coram Deo pro peccatis, aut satisfactiones propitiatoriæ, & meritoriæ remissionis peccatorum, & abolitoriæ stipendii peccati, sed alios habuerunt fines, ut scilicet his ritibus pœnitentium animi explorarentur, an pœnitentiam simularent, an verò seriò agerent. 2. Vt Ecclesiæ, scandalis criminum offensæ, tali externa pœnitentiæ declaratione rursus satisfieret. 3. Vt hujusmodi spectaculis reliqui admoniti, & à levitate peccandi absterriti, majori cura, lapsus vitarent. 4. Vt ipsis lapsis hæc disciplina esset incitamentum, ad veram peccati considerationem, ad serium & nõ simulatum de peccatis dolorem, ad timorem iræ Dei, ad fidem seriò ambientem misericordiam Dei propter Christum, ad firmum & constans emendationis propositum. 5. Vt hæc spectacula publicum præberent testimonium, Ecclesiam non docere libertatem seu impunitatem peccandi, ne propter lapsos verbum Dei, malè audiret inter gentes, Roma. 2. Ita 2. Corinth. 5. Paulus dicit, Corinthiacam Ecclesiam publica increpatione incestuosi, ostendisse solicitudinem, apologiam, indignationem, timorem, desiderium, æmulationem, vindictam. Ita Augustinus inquit in Enchiridio, cap. 65. Plerunque dolor alterius occultus est alteri, cùm sit corã illo, cui dicitur: Gemitus meus à te non est absconditus. Rectè igitur constituuntur ab his, qui præsunt Ecclesiæ tempora pœnitentiæ, ut fiat etjã satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata, Hieronymus in 16. capitulo Matth. Alia est ratio de criminum pœnitentia & satisfactione, de qua Ecclesia, quando lęsionem accepit & offensa est, publicè suum judicium interponit, indicens satisfactionem publicam & graviorem, ut innotescat omnibus, verè pœnitere, qui prompto animo suscipiant, quicquid Ecclesia decreverit. Tertullianus in libro de Pœnitentia inquit: Confessio satisfactionis, consilium est. Item, Satisfactio cõfessione disponitur: inde nascitur pœnitentia, qua Deus mitigatur.

Satisfactio in veteri Ecclesia.

Augustinus.

Hieronymus.

Et quia experientia ostendebat, multos sæpè frigidè & leviter, ea quæ ad verã de peccatis pœnitentiã pertinent, curare & agere, multos etjam simulatione pœnitentiæ receptos, postea turbare Ecclesiam, magna igitur severitate usi fuerũt veteres, in injungendis Canonicis illis satisfactionibus. Certæ enim Ecclesiæ mulctæ, certo tempore exolvendę, & pro gravioribus peccatis duriores & diuturniores imponebãtur. Ita Eusebius lib. 6. cap. 34. dicit, Dionysium Corinthiacum ad Ægyptios scripsisse de lapsis, τάξεις τε καὶ χαρακτῆρας διαγράψας. Per certos etjam gradus sensim recipiebantur. Primùm constituebãtur inter audientes, quibus eruditioni verbi licebat interesse. Deinde expleto certo tempore, in ordinem pœnitentium recipiebãtur, quibus orationibus Ecclesiæ licebat interesse. Tertiò, ad communionem admittebantur, sed sine oblatione. Postremò per impositionem manus, quasi in integrum restituebantur: Sicut hæc in Canonibus Ancyranis & Nicenis describũtur. Cumulati verò, & nimium exacerbati postea fuerunt pœnitentiales illi Canones, & quod ad mulctas, & quod ad diuturnitatem temporis attinet, ita ut Episcopi, de impositis illis satisfactionibus, per indulgentiam non pauca remittere cogerentur. Inventum etjam fuit artificium redimendi impositas satisfactiones, per commutationem, ut scilicet jejuniũ redimi possit eleemosyna, aut oratione. Postea pecunia redimi cœperunt indulgentiæ satisfactionum, donec tandem exoletis prorsus, & antiquatis Canonicis satisfactionibus, pecuniariæ redemptiones indulgentiarum, ad aliud genus nundinationis transferrentur.

Hæc ideò recitavi: monstrandum enim est in hac disputatione, discrimen inter satisfactiones, de quibus veterum sententiæ loquuntur, & de quibus nunc Pontificii dimicant. Non igitur ubicunque in veterum scriptis vocabulum satisfactionis occurrit, statim probantur & stabiliuntur Pontificiæ satisfactiones. Differentia autem est, & in ipsa satisfactionum substantia, & in fine sicut collatio ostendet, ubi ad Pontificias satisfactiones pervenerimus. Et utilis est observatio, quòd Pontificii, qui veterum sententiis pro satisfactionibus pugnant, antiquas satisfactiones nec habent, nec habere curant, tantùm præstigias objiciunt hominibus, citandis veterũ de satisfactione testimoniis. Optandum sanè esset, ex ritibus illis veteris Ecclesiæ, aliquid posse in usum reduci, sine superstitione & falsis opinionibus, disciplinæ & exempli gratia. Sed tamen certum est, ritus illos conscientiæ gratiæ, ad remissionem peccatorum coram Deo non esse necessariores: quod satis ostendit & comprobat ipsa mutatio, & antiquatio, item, quòd in articulo mortis, pax per absolutionem & communionem Eucharistiæ, dari præcepta fuit, vel nondum impletis illis satisfactionibus, ut testatur exemplum apud Eusebium lib. 6. cap. 34.

Tertiò. A publico illo satisfactionum ritu, vocabulũ etjam ad emendationem vitæ pœnitentium, & ad fructus pœnitentiæ translatum est. Nam de dogmatibus Ecclesiasticis cap. 53. mentio fit secretæ satisfactionis per vitæ correctionem, jugi & perpetuo luctu, ut contraria pro his, quæ pœnitet agat. Ad ipsos verò fructus pœnitentiæ, ideò translatum videtur vocabulum satisfactionis: qui post remissionem peccatorum, remanent in carne lubrica quædam peccati vestigia, sicut Chrysostomus inquit in 50. Psalm. sive langvor quidam tanquam fomes novorum lapsuum, præsertim quando peccatum per diuturnam consvetudinem, quasi radices egit. Illæ reliquiæ contrariis remediis in pœnitentia purgandæ, curandæ, & extirpandæ sunt, ne pullulent ex illa radice nova peccatorum germina. Ita Augustini sententia habet de pœnitentia distin. 3. Satisfactio pœnitentiæ est, causas peccatorum excidere, nec eorũ suggestionibus aditum indulgere. Et Chrysostomus in capit. 3. Matthæi. Quomodo

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo poterimus fructus dignos pœnitentia facere, utique si peccatis adversa faciamus. Aliena rapuisti, incipe jam donare propria, injuriam cuipiam feciſti, refer jam benedictionis verba convitiis, &c.

Neq; enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodo spicula de corpore evellere, sed etjam remedia adhibere vulneribus. In hanc sententiam Leo rectè dicit sermone Quadragesimali: Christiana anima cordis sui interna diligenter discutiat, videat ne quid ibi discordiæ hæserit, ne quid cupiditatis insederit, incontinentiam castitas pellat, mendacii tenebras lux abigat veritatis, detumescat superbia, humilitas assumatur: Omnis denique plantatio quam non plantavit pater cœlestis, radicitus auferatur. Tunc enim virtutũ semina in nobis benè nutriuntur, quando ab agro cordis nostri omne germen externũ evellitur.

Augustinus. Augustinus in Psalm. 37. Non securus sis, cùm confessus fueris peccatum, tanquam semper paratus ad confitendum, & committendum peccatum, sic pronuncia iniquitatem tuam, ut curam geras pro peccato tuo. Quid est curam gerere pro peccato? Semper niti, semper intendere, semper studiosè & sedulò agere, ut sanes peccatum: Hæc quia vera, utilia & necessaria sunt, ex manifestis Scripturæ fundamẽtis extructa, nullo modo vel negamus, vel rejicimus: sed fatemur, illa pertinere ad opera seu fructus verę pœnitentiæ, & ad illud præceptum Pauli Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra, serva justiciæ, in sanctificationem. Talia verò opera nõ docentur in Scriptura suscipi, opinione meriti remissionis peccatorum, sed sequuntur reconciliationem, juxta dictũ Christi: Ecce jam sanus factus es, noli amplius peccare. Et Ro. 6. Liberati à peccato, servi facti estis justiciæ. Nec sunt opera indebita seu supererogationis, extant enim de mortificatione mandata in Scriptura. Quomodo verò illis etjam operibus, titulo satisfactionis, assui cœperit opinio expiationis peccatorum, postea exponemus. Nunc volui peculiari loco, illas veterum sententias recitare, quia Pontificii illas insidiosè misceant suis satisfactionibus. quasi illi qui Pontificias satisfactiones impugnãt, rejiciant etjam ea, quæ in Scriptura tradita & mandata sunt, ut conversos quasi freno quodã à peccato revocent & coerceant, reddant pœnitentes in futurum cautiores & vigilantiores, medeantur peccatorũ reliquijs, & vitiosos habitus malè vivendo cõparatos, contrarijs virtutum actionibus tollant. Et hoc artificium lector etjam in Tridentino decreto reperiet. Illa igitur quæ vera sunt, & Scripturæ testimonium habent, separanda sunt: ut eò explicatius ostendi possit, quid in controversia positum sit, in hac disputatione de satisfactionibus. Quartò, His ita distinctis & explicatis, poterimus jam ad examẽ decreti de satisfactionibus progredi, sed ut planior fit ratio explicationis, paucis prius expediemus disputationem de pœnis temporarijs, quæ post remissionem aliquando quibusdam in hac vita à Deo imponuntur. Mors igitur Christi, satisfactio est, & pro culpa & pro pœna æterna, & fide propter Christum, accipimus simul remissionem culpæ & pœnæ æternæ. Ose. 13. Ero mors tua, ô mors. 1. Cor. 15. Dedit nobis victoriam contra mortem propter Christum, Ioan. 13. Qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternã. Sed quod ad pœnas tẽporales in hac vita attinet, post acceptam remissionem peccatorum subjiciuntur in hac vita vel communibus calamitatibus, vel peculiarib. pœnis, propter certa seu privata quædam peccata. Vt Adam, Gen. 3. David 2. Reg. 12. & 24. item populus Israel, Exod. 32. Num. 12. Miriam, Num. 12. Testantur idem calamitates baptizatorum post Baptismum. De hoc igitur non est controversia, an post reconciliationem, credentes in hac vita subjecti sint communibus calamitatibus, id enim & Scriptura & experientia testatur. Ostendunt etjam Scripturæ exempla, Deum aliquando & post reconciliationem seu remissionem, quibusdam singulares pœnas ob peccata in hac vita imponere: quanquam hoc non sit universale, nec enim semper, nec omnib. Deus singulares pœnas, quibus peccata remittit, in hac vita imponit: testantur exempla paralytici, Magdalenæ, Publicani, Zachæi, Petri, de quo Ambrosius inquit: Lachrymas ejus lego, satisfactionem non lego. Sed hæc est quæstio, quare, propter quas causas, & in quem finem tales pœnæ, reconciliatis post remissionem culpæ, in hac vita à Deo imponantur. Et licet de vocabulis nolim pugnare, an afflictiones illæ reconciliatorum vocandæ sint pœnæ peccatorum, an verò paternę correptiones & castigationes. Scriptura enim etjam dicit, de reconciliatis. Corpus mortuum est propter peccatũ, Roma. 8. & 2. Reg. 12. Quia feciſti hoc, &c. omnino tamen statuendum est discrimen, inter pœnas seu afflictiones, quæ infliguntur impijs, & quæ imponuntur reconciliatis. In impijs enim sunt signa offensæ Dei, & personam illam esse sub ira Dei, & sunt testimonia secuturæ æternæ pœnæ. Hanc causam & rationem non habent in reconciliatis, quasi Deus illis nondum satis fit reconciliatus, sed aliquid offensę remanerit, etjam post datam remissionem peccatorũ. Sed illis imponuntur ad castigationem sui, & ad exemplum aliorum. Ne enim accepta reconciliatione, obliviscantur quanta sit abominatio peccati, & quæ magnitudo iræ Dei adversus peccatum, atque ita lapsus extenuent, negligant aut defendant, gratiam vel securitate amittant, vel nova petulantia excutiant, & tandem ad vomitum revertantur: ideò subjiciuntur post reconciliationem, vel communibus calamitatibus, vel peculiaribus pœnis: ut hac commonefactione subinde magis accendatur, & crescat in ipsis odiũ & detestatio peccati, timor Dei, fides solicitè curans, ut gratiã retineat, & in bonitate Dei permaneat, diligentia cavendi peccata, ut reprimantur & mortificentur pravę inclinationes. Et in summa, ut his exercitijs conservetur & confirmetur pœnitentia, quæ perpetua esse debet, fides, obedientia in cruce, spes, petitio & expectatio auxilii, liberationis seu mitigationis, utque semper circumferamus testimoniũ, nobis propter peccatum pereundum esse, nisi propter filium reciperemur, item: ne arrogemus nobis laudem propriæ justiciæ, nec efferamus nos

mus nos super cæteros peccatores, sed Deo vera & humili infirmitatis confessione nos subijciamus. Denique quando reconciliati vel communibus miseriis subjiciuntur, vel propter certa peccata, insignibus calamitatibus onerantur, Deus vult in illis, tanquam in publico spectaculo, conspici exempla, admonentia & nos & alios de judicio suo adversus peccata, ut cogitent id, quod Petrus monet. Si à domo Dei judicium incipit, quis finis eorum erit, qui nunc credunt Evangelio, 1. Petri 4. Ita Numer. 12. Moses orans pro sorore sua, cùm ob peccatum lepra fuisset percussa, & agnosceret peccatum suum, audit à Domino: Si pater ejus spuisset in faciem ejus, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi.

Tales igitur temporariæ pœnæ, quas Deus reconciliatis in hac vita imponit, nequaquam ita sunt interpretandæ quasi sint vel merita remissionis peccatorum, vel compensatjones pœnæ æternæ, sed alias habent longè gravissimas causas.

Porrò de pœnis illis temporariis, ex scriptura & hoc constat, Deum pro bona sua erga reconciliatos voluntate, qua propter filiũ mediatorem omnia ita dispensat, ut ipsis in bonum cedant, Rom. 8. nec semper, nec omnib. reconciliatis singulares pœnas pro peccatis in hac vita imponere, nec æqualiter illas omnib. imponere: impositas etjam à Deo sæpè mitigari, aut tolli: aliquando verò eas manere, & in hac vita nõ tolli. Et inde reconciliati sumunt occasioné pulcherrimorum exercitiorum, pœnitentiæ, fidei, invocationis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, spei, &c. Petunt sanè mitigationem & liberationem, sed tamen ita, ut humiliter & patienter, ex agnitione peccatorũ, se subjiciant flagellis Dei, juxta bonam ipsius voluntatem. Petunt ut sint paternæ castigationes, agnoscunt, Deum in illis pœnis nõ accendere toram iram suam, & nobis in bonum cedere castigationes illas, quia reconciliati sumus. Et summa, in tẽporarijs illis pœnis petunt, ut Deus, vel ab illis custodiat, vel mitiget, vel liberet: vel si pœnas manere velit, ut det patientiã, & tandem salvet. Ita Michæas inquit: Iram Domini portabo, quia peccavi. Et Thren. 3. Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia: sedebit solitarius, & tacebit, ponet in pulvere os suum, si fortè sit spes. Item: Misericordiæ Domini, quòd non consumpti sumus. Non accendit totam iram suam. In ira misericordiæ recordabitur. Ne in furore tuo arguas me, Corripe me Domine, inquit Ieremias: veruntamen in judicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilũ redigas me. David inquit: Libera me de sangvinibus, quia tu es Deus salutis meæ, &c.

Illas etjam temporales pœnas, Scriptura tradit reconciliatis propter filium mediatorem, sæpe vel mitigari, vel prorsus tolli, quãdo vera humilitate peccata agnoscunt, fide Deũ invocant, veterem hominem mortificant, & seriò novam vitam meditantur, hoc est, nõ in debitis humanarum traditionum operibus, sed tota pœnitentia, quæ habet mandatũ Dei, pœnæ illæ propter Christum mitigantur, 2. Paralip. 7. Si pluvia non fluxerit, si venerit locusta, pestis, &c. conversus autem populus meus deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meã, & egerit pœnitentiam à viis suis pessimis: ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis ipsorum, & sanabo terram. Ierem. 18. Repente loquar, ut destruam. Si verò pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem. Psalm. 91. Invoca me in die tribulationis, & eripiam. Ioel. 2. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, in fletu, & in planctu. Scindite, non vestimenta, sed corda vestra, &c. Observandum verò est, pœnas temporarias mitigari tota pœnitentia, non quòd opera ejus sint vel compensationes, vel merita remissionis peccatorum, sed quia castigationibus illis, Deus in reconciliatis aliud nihil quærit, quàm ut conservetur, magis accendatur, crescat & augeatur vera humilitas, agnitio, odium & detestatio peccati, exercitium fidei, mortificatio veteris hominis, patientia, spes, &c. Quando igitur in ipsis pœnis, Deus talia pœnitentiæ exercitia in reconciliatis videt: tunc habet id, quod castigationibus istis quærere solet. Atque ita pœnæ illæ vel mitigantur, vel tolluntur, propter filiũ mediatorem. Et hoc est, quod Paulus docet, 1. Cotin. 11. Si nos ipsos judicaremus, nõ utiq; judicaremur. Quando verò judicamur, à Domino castigamur ne cum mundo damnemur. Delectatus fuit in illa sententia Paulus paranomasia verborum forensiũ, κρίνειν, διακρίνειν, & καταδικάζεσθαι. Nam per verbum κρίνεσθαι, intelligit eo loco pœnas temporarias, quia mox per παιδεύεσθαι illud interpretatur, quæ à Deo propter peccata immittuntur, quibus tanquã pædagogus flagellis admonet nos de peccato, & ira sua adversus peccata, ut ita flectat, excitet & impellat nos ad pœnitentiã & emendationem. καταδικάζεσθαι complectitur ultimas & æternas pœnas damnatorũ in futura vita. Quando verò inquit: Si nos ipsos judicaremus, nõ utitur verbo κρίνειν, sicut Pontificii interpretãtur de electitiis pœnis, quæ tanquam satisfactiones aut cõpensationes pro peccatis, vel voluntariè suscipiuntur, vel à confessionario injunguntur, sed utitur verbo διακρίνειν, quod sæpè in forensi significatione usurpatur, ut 1. Corinth 16. & in Græcis interpretibus sæpissime, Exod. 18. Levit. 24. 3. Reg. 3. Psalm. 81. quando scilicet instituitur inquisitio causæ. Hoc igitur Paulus vult dicere: Si nos ipsos dijudicaremus, hoc est, si excussa securitate, perpetua pœnitentia inquireremus in naturam & vitam nostram, mortificantes radicem peccati, reprimentes pravas cupiditates, &c. tunc non opus esset Deum per flagella nos horum admonere. Quando verò securi, peccatum inhabitãs negligimus, & sensim ipsi indulgemus: tunc Deus per castigationes nos revocat ad pœnitentiam, ne cum mundo in peccatis damnemur.

Nec tamen ipsa pœnitentia cũ fructibus suis, Deo præscribere vel potest vel debet terminum aut modum, seu mitigationis seu liberationis in pœnis illis castigatoriis, sed totum hoc humilis fidei obedientia resignat, & commendat paternæ Dei erga nos voluntati, cùm quidem certi simus, diligentibus Deum omnia in bonum cooperari,

Universidad de Deusto
Biblioteca

perari, Rom. 8. ita Ioel. 2. cùm in vera pœnitentia petunt à Deo mitigationem & liberationem in pœnis temporariis addunt: Quis scit, si convertatur & relinquat benedictionem. Et primo Regum 12. Cùm Nathan dixisset: Parvulus morietur: David jejunans & pernoctans in terra, deprecatur Dominum, sed tamen moritur infans, septem diebus percussione Domini afflictus, Da uid verò non ob hoc irascitur Deo, sed surgens, depositâ lugubri veste, ingreditur domum Domini, licet pœna illa non fuisset sublata, quia, inquit, ita oravi: Quis scit, si fortè misereatur mei Dominus, ut infans vivat?

Hæc utilissima doctrina, continens pulcherrima pietatis exercitia, Pontificiis satisfactionibus miserè & fœdè obscurata & depravata est, sicut mox ostendemus. Volui autem hoc loco, priusquam ad examen Tridentini Decreti de satisfactionibus accederemus, veram Scripturæ sententiam, de castigationib. temporariis, quæ vel communibus calamitatibus, vel aliquando singularibus flagellis, post reconciliationem in hac vita credentibus à Deo imponuntur, explicare, ut expeditior, & minus intricata esset, ratio examinis. Video enim à Pontificiis, in hac de satisfactionibus disputatione, quædam misceri, quæ per se, rectè intellecta vera sunt, ut de reliquiis peccatorum mortificandis, & de pœnis temporariis: ut ita speciem aliquam veritatis, cõmentis suis circumdent, utq; nos prægravent, quasi illa etjam quæ vera & utilia sunt, negemus & abjiciamus. Iudicavi igitur prius veram sententiam de his quæstionibus exponendam esse. Ita enim ex collatione, rectius considerari & intelligi poterit, quomodo vera & utilis doctrina, commentis Pontificiarum satisfactionum obscurata & depravata sit.

Sed explicata vera sententia ostendendũ est, quomodo paulatim ritibus & operibus illis satisfactionum, quas veteres ita vocarunt, cœperint adjici peregrinæ & superstitiosæ opiniones, quæ subinde magis cumulatæ sunt. Veteres enim, ut ritus illos satisfactionum hominibus magis commendarent, sæpè cohortatorie magis quàm verè juxta Chrysostomi dictum, de ritib. illis per hyperbolem locuti sunt, peccata scilicet & pœnas, peccatis debitas, purgari, compensari, tegi, judicem placari, & reconciliari operibus illis satisfactionum. Ita Origenes opera illa vocat precium, quo peccata redimuntur, homilia 15. in Levit. Cyprianus libro 1. Epistola 3. dicit, satisfactionibus delicta redimi. Epist. 8. Dominum placari. Libro 3. Epist. 14. dicit, pœnitentes operibus suis Deo satisfacere ad misericordiam. Ambrosius ad virginem lapsam dicit, peccata satisfactione expiari. Augustinus in Enchiridio, cap. 70. dicit, Deum propitiandum esse per eleemosynas. Gregorius dicit: Qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam studeat licitis abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat. Et Cyprianus in illis hyperbolicis satisfactionũ commendationibus, eousque progreditur, ut affirmet peccatum non dimitti, nisi absolutis & cõpletis prius Canonicis illis satisfactionibus. Et in sermone de eleemosyna excidit ipsi hoc incõsideratè dictum: Delicta quæ ante Baptismum contracta fuerũt, Christi sangvine & satisfactione purgati: sordes verò postmodum contractas eleemosynis ablui. Et addit, remedia propitiando Deo, in lapsibus post Baptismum, hæc esse, operationibus justis Deo satisfacere, misericordiæ meritis delicta purgare, &c. Hæc profectò nimium transcendens veritatem est oratio. Iohannes enim illis, qui post Baptismum peccant, dicit: Hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed etsi quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris tantùm, sed pro totius mundi.

Satisfactiones ante aut post absolutionem.

Postea collapsis vetustis illis satisfactionum ritibus, quorũ impletio ante absolutionem flagitabatur, ortum fuit aliud genus satisfactionũ, operum indebitorum, seu supererogationis. Illæ verò novæ & secretæ satisfactiones, post perceptam demum absolutionem, implendæ injungebantur. Et ad illa opera indebita, cœperunt Scholastici accommodare magnificas veterum de satisfactionibus declamationes, quas novis etjam hyperbolis auxerunt. Ita Scotus definit satisfactionem, quę sit redditio æquivalentis, esse operationem exteriorem, laboriosam seu pœnalem, voluntariè assumptam, ad puniendum peccatum commissum à se, & ad placandam divinam offensam: vel esse passionem, aut pœnam voluntariè toleratam in ordine ad peccatum, vel peccati remissionem.

Thomas disputat, satisfactionem esse actum justitię, quia peccator satisfactione, ipsemet vindicat offensam divinam commissam, ut hoc modo restituatur sibi amicitia divina. Et format tale argumentum, probaturus hominẽ posse Deo pro peccato satisfacere: Quia homo potest homini satisfacere, & ei reconciliari. Deus verò incomparabiliter magis est misericors, quàm aliquis homo, ergo multò magis homini possibile est satisfacere Deo. Quia verò in satisfactione requiritur æquivalentia ad peccatum, dicit Thomas esse æquivalentiam, non quantitatis, sed proportionis: & hominem ita posse satisfacere Deo, si homo faciat quicquid potest ex sua parte, & Deus illud acceptet ex sua parte, tanquam si esset æquale, item, satisfactionem nostram habere quandam infinitatem ex charitate, qua informetur, & ex bonitate Dei qua acceptetur: atque ita fieri correspondentiã nostræ satisfactionis ad peccatum, quod infinitum est.

Idem dicit satisfactionem ideò debere fieri per opera afflictiva: quia scilicet sit recompensatio divinæ offensæ.

Bonaventura dicit, nullum opus peccatoris, vel passionem esse satisfactionem æquivalentem peccato, nisi per fidem conjungatur passioni satisfactoriæ mediatoris. Thomas verò cõtra disputat, etjamsi non interveniisset meritum Christi, tamen hominem habentem gratiam seu charitatem, posse Deo pro peccatis satisfacere. Porrò posito hoc, quòd homo possit & debeat Deo pro peccatis satisfacere, variè disputatum fuit, quid sit in peccato, pro quo homo satisfaciat.

Thomas simpliciter dicit, satisfactionẽ pœnitentis esse recõpensationem divinæ offensæ. Bonaventura distingvit, in peccato duo esse, aversionem

fionem seu offensam, deinde conversionem seu libidinem desordinatam.

Pro primo nullum hominem posse satisfacere, pro secundo posse hominem satisfacere. Gabriel dicit, reatum culpę & offensam Dei, remitti vel sola contritione, vel contritione simul & absolutione, opera verò satisfactionis, ordinari ad remissionem pœnæ. Ibi verò quidam disputant, remissa culpa, pœnam æternam virtute clavium mutari in temporalem, quòd pro ea in hac vita satisfacere possumus.

Alii sentiunt, & culpam & pœnam æternã remitti per contritionem, remanere verò obligationem ad aliquantulam pœnam temporalem, & Deum compromisisse in rectores Ecclesiæ, ut partem ejus remittant virtute clavium, pro altera parte imponant satisfactiones: opera verò per quæ fiat satisfactio, definiunt esse indebita, seu non mandata, quæ sunt supererogationis. Richardus enim dicit, Deum constituisse certam mensuram eorum, ad quæ homò de necessitate tenetur: Observantiam scilicet præceptorum, ut de reliquo, hoc est, de operibus supererogationis posset satisfacere de commisso peccato.

Hoc est totum commentũ Pontificiæ doctrinæ de satisfactionibus, quod breviter hoc loco, ipsorũ verbis recitare volui, primùm ut ex ipsa antithesi cõsideretur, quàm fœdè à Scholasticis adulterata & depravata sit doctrina illa, quam paulò antè ex Scripturæ sententia exposuimus. Secundò, ut verba Tridentini decreti rectius intelligi possint, quid velint, & quò respiciãt. Paucis igitur jam absolvi potest examen hujus capituli. Quòd enim dicunt de peccatorum reliquiis sanandis, de malis habitibus tollendis, ut cautiores & diligentiores reddantur: pœnitentes, ne in similia vel graviora labantur: quomodo doctrina illa rectè & utiliter juxta verbi Dei præscriptum, tradi & usurpari possit, suprà explicavimus. Hoc verò meritò reprehenditur, quòd Pontificii doctrinam illam transferunt ad opera indebita, seu supererogationis, quæ non sunt mandata à Deo: & tales intelligunt fructus pœnitentiæ, quos non tantùm ad novæ vitæ custodiam, & ad reliquæ infirmitatis medicamentum pertinere volunt, sed ad præteritorum peccatorum vindictam, quod quale sit, ex Scholasticis ostensum est, ut scilicet sint recompensatio divinę offensæ. Item, quod attinet ad pœnas temporarias quibus credentes in hac vita, etjam post hanc vitam subjecti sunt, quæ sit vera sententia in præcedentibus explicavimus.

Hoc verò observet lector, quàm timido & suspenso gradu, Tridentinum capitulum incedat, inter illas Scholasticorum disputationes, an per nostras satisfactiones redimatur culpa peccati, an pœna æterna, an verò tantùm temporaria pœna. Item, an temporalis pœna intelligenda sit ea, in quam commutata sit æterna pœna, an verò à remissione culpæ & pœnæ æternæ, distinguant pœnam temporariam? Multi nostri temporis Pontificii Scriptores, dissertè dicunt. culpam & pœnam æternam solius Christi satisfactione tolli. nostras verò satisfactiones pertinere tantùm ad temporarias pœnas. Sed Tridentinum Concilium singulari artificio verba ita moderari voluit, ne quid videretur in Scholasticorum disputationibus reprehendere vel damnare.

Ita verò concilium sententiam suam explicat. Eos qui ante Baptismum deliquerunt, dicit in gratiam à Deo recipi, sine propriis satisfactionibus, propter meritum & satisfactionem Christi, qui verò post Baptismum lapsi sunt, illis ait divinam clementiam non dimittere peccata, absque ulla propria ipsorum satisfactione, quam pro peccatis ipsi exolvant. Hoc Lector benè notet, Tridentinum Concilium ideò de satisfactionib. dimicare, ne lapsis post Baptismũ, si convertantur, credantur peccata dimitti, propter solius Christi meritum & satisfactionem, sed hoc contendunt, nostras etjam satisfactiones ad hoc necessarias esse, ut peccata post Baptismũ commissa nobis remittãtur, atq; ideò debere nos pro peccatis nostris satisfactiones exolvere. Hactenus inter Pontificios multi, quia animadverterunt quàm blasphemum sit, nostras satisfactiones referre ad remissionem peccatorum, ideò clamitarunt falsò sibi hoc tribui, quasi doceant, ad ipsam remissionem peccatorum satisfactiones nostras pertinere, cùm tantùm de pœnis quibusdã temporariis illas intelligi velint. Sed Tridentinum Concilium loquitur quidem etjam de pœna temporali: apertis tamen verbis dicit, peccata post Baptismum, pœnitentibus à Deo non dimitti, absque aliqua ipsorum satisfactione. Et mox addũt, nobis pro peccatis nostris exolvendam esse satisfactionem. Illud verò lector ita intelligat: Scholastici dicunt, ad perfectam remissionem peccatorum, pertinere remissionem culpæ, & uniuersæ pœnæ, sive sit æterna, sive temporaria. Quando igitur culpa & pœna æterna dimissa sunt, nondum perfecta est remissio peccatorum: restat enim adhuc pœna temporalis, & quia ad ejus remissionem necessaria sint opera satisfactoria, cùm quidem pœna æterna tradatur, commutatur in temporalem. Hoc modo nostras satisfactiones dicunt pertinere ad remissionem peccatorum, & ad eam necessarias esse. Intelligunt igitur, Deum non totam offensam remittere in remissione culpæ, sed aliquid de offensione retinere, quod effundat in pœna temporaria, quam post condonationem culpæ imponit, & pro remissione illius offensę, nostris operibus satisfaciendũ esse. Sed quæ sit ratio pœnarum temporalium, quæ post reconciliationem à Deo immittuntur, suprà diximus. Neque enim Deus credentibus peccata ita remittit, sicut homines solent: qui sæpe condonationem simulãt, & interim tamen offensam retinent, & data occasione eam effundunt.

Illud verò emblema dignum est peculiari observatione, imò perpetua memoria, quòd Tridentinum capitulum de nostris satisfactionibus ita loquitur: Sicut Christus passione sua, pro peccatis nostris satisfecit: ita & nos satisfaciendo patimur pro peccatis.

Nos miseri hactenus Paulo credidimus, solum Christum Iesum pro peccatis passum esse. Vnus, enim inquit, pro omnibus mortuus est. Vna victima consummavit omnes qui sanctificantur. Vnus mediator, qui animam suam dedit in redemptionem pro omnibus. Iam verò ex Triden-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tino concilio discimus, sicut Christus satisfecit pro peccatis, ita & nos debere satisfaciendo pati pro peccatis. Non fideliter itaque Iohannes baptizatos instituit, cùm inquit: Si peccaverimus, Christus est propitiatio nostra, 1. Ioan. 2. debuisset enim juxta Tridentinum capitulum dicere: Si post Baptismum peccaveritis, non solus Christus est propitiatio pro peccatis nostris: sed sicut Christus satisfecit pro peccatis, ita & vos debetis satisfaciendo pati pro peccatis vestris. Et vehementer miror, cùm singulari calliditate, multa in his decretis recta & involuta sint, quòd tam crassa impudētia in hoc capitulo ipsis exciderit. Sed nō dubito, singulari judicio Dei hoc factum esse, ut extaret manifestissima nota Antichristi: nō solùm scilicet Christum, passum esse pro peccatis nostris, non solùm satisfeciſſe pro peccatis nostris, sed & nos satisfaciendo pati pro peccatis nostris. Eant nunc, & protestentur, se nulla ex parte suis satisfactionibus obscurare aut imminuere vim meriti & satisfactionis Christi. Operæprecium verò est audire, quibus argumentis hoc probent: quia scilicet Paulus Roma. 8. dicit, nos passionibus conformes effici Christo. Sed nullo modo Paulus affirmat, illam conformitatem in eo consistere, ut sicut ipse passus est pro peccatis nostris, ita & nos satisfaciendo patiamur pro peccatis. Ita Petrus inquit: Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplū, sed in quo exemplum illud consistat, diserte ibi explicat. Et ne videatur satisfactoriam passionem pro peccatis dividere inter nostras & inter Christi passiones: addit, Christū tuliſſe peccata nostra, ut nos livore ejus sanati, & peccatis mortui justitiæ viveremus. Alterum Tridentini capituli argumentum, est: Omnia, inquit Paulus, possum in eo, qui cōfortat me, ergo possum etiā, satisfaciendo pro peccatis, pati. Num igitur Paulus potest mundum redimere, mortem destruere, vitam reducere? Si omnia potest, ut nullum jam amplius discrimen sit inter caput & membra: nec verum amplius sit, quod Coloss. 1. scriptum est, Christum in omnibus πρωτεύειν, quare igitur 1. Corinth. 1. dicit: Num Paulus pro vobis crucifixus est? Vides, ut arbitror, quomodo scripturæ sententiis ludat Tridentinum conciliabulum. Ejusdem generis est quòd dicunt: In Christo vivimus: ergo in Christo meremur & satisfacimus pro peccatis: quin igitur in Christo etiam creamus, & gubernamus cœlum & terrā? Ea certè, quæ ad officium redemptoris, mediatoris & salvatoris pertinent, solius Christi ita sunt propria, ut nemini communicentur. Vnus enim est mediator, unica victima pro peccatis consummati sumus. Non est aliud nomen hominibus ad salutem datum.

Illa verò plus quàm magistralis, & verè Pontificia est demonstratio: Olim in publica pœnitentia, non dabatur absolutio, nisi cōpleta prius satisfactione imposita: nunc verò Pontifices injungunt satisfactiones, post acceptam absolutionem demum cōficiendas. Audi verò, ubi in Scriptura hoc mandatum sit. Claves, inquiunt, sacerdotum, non tantùm ad solvendum, sed & ad ligandum conceſſæ sunt. Item: Apostoli jubentur, non tantùm remittere, sed & retinere peccata.

Scio hoc, sed verba illa simpliciter sicut sonāt, intelligo. Christus jubet, Apostolos peccata solvere, & remittere illis, qui pœnitentiam agunt, & credunt Evangelio, qui verò vel nolunt agere pœnitentiā, vel reconciliationem quæ in Evangelio offertur, nolūt quærere & accipere, illorū peccata jubet ligari & retineri, hoc est, jubet illis denunciari: Tu juxta cor tuū impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ. Roma. 2. Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum, Ioan. 3. Qui non crediderit, condemnabitur, Matthæi 16. Et hanc denunciationem Christus pronunciat ratā fore in cœlo. Hanc verò Christi sententiam, Tridentini satisfactores ita ludificāt: Quia potestas clavium, debet peccata & solvere & ligare, remittere & retinere: ergo in absolutione, non est propter Christum perfecta peccatorum remissio annuncianda: sed injungendum est illis qui absolvuntur, ut & ipsi satisfaciendo pro peccatis patiantur, ut ita in absolutione peccata simul & solvantur & ligentur, remittātur & retineantur: & quidem ligare & retinere peccata, significet iis, qui absolvuntur, imponere satisfactiones, quibus & ipsi pro peccatis suis aliqua ex parte satisfaciant, hoc est, peccata hac ratione nobis remittuntur, si & ipsi satisfaciendo pro peccatis patiamur. Iusserit igitur Christus ita annunciare remissionem peccatorum in suo nomine, ut voluerit illis ipsis, quibus peccata suo nomine remittuntur, ligari etiam & retineri peccata hoc modo, ut pro illis satisfaciēdo & ipsi patiantur, sicut Christus pro peccatis passus est. Remittet igitur minister credentibus peccata propter Christum, ita ut ex illis aliquid retineat, pro quo ipsi satisfaciendo patiantur. Et tales nō tam depravationes quam ludificationes scripturæ in ipso Tridentino Concilio, & qvidem cum anathemate proponuntur.

Quod dictum est, optimā & aptissimam pœnitentiam esse novam vitam, hanc habet sententiam. Post acceptam fide propter Christum remissionem peccatorum, non requiri præterea aliam satisfactionem, aut expiationem pro peccatis, cùm in Christo simus consummati, sed requiri illud quod Scriptura præscribit, Define à malo, & fac bonū. Expoliate veterem hominem, mortificate concupiscentias & actiones ejus, & induite novum, ut in novitate vitæ ambuletis, mortui peccatis, vivite justitiæ, deponite opera tenebrarum & induite arma lucis, &c. Iam verò ad talem novitatem vitæ, pertinent jejunium, eleemosyna, oratio, tolerātia afflictionum, & alia pietatis exercitia, verbo Dei præscripta. Sed Pontifices hæc non requirunt, quatenus ad novitatem vitæ pertinent, & quatenus habent mandatum Dei, sed quatenus sunt opera indebita seu supererogationis, ut hac ratione sint satisfactiones pro peccatis. Intelligunt autem certas leges jejuniorum, præscriptam formam eleemosynarum, numeratam precum recitationem, non sicut verbo Dei mandantur, sed sicut vel sponte susciptuntur, vel à sacerdote injunguntur. Quatenus enim à Deo mādata sunt, pertinent ad novitatem vitæ: quatenus verò vel sponte susciptuntur, vel à sacerdote injungūtur, fiunt satisfactiones pro peccatis. Atq; ita non tantùm amplius

plius aliquid facere poterimus, quàm lex Dei requirit, sed opera indebita, hoc est, quæ non sunt mandati divini, sed traditionum humanarum præstantiora, digniora, majoris efficaciæ & meriti erunt, quàm quæ diuinitus mandata sunt. Et hoc est quod inter se tanquam diversa opponunt, satisfactionem & novitatem vitæ, cùm antea ex Hieronymo & Augustino ostenderimus, eadem esse.

DE EXTREMA VNCTIONE.

CAPVT I.

Visum est autem sanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de pœnitentia, adiungere ea, quæ sequuntur de Sacramento extremæ unctionis, quod non modo pœnitentiæ, sed etiam totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patrib. Primum itaque circa illius institutionem declarat & docet, quòd clementissimus redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis, adversus omnia omnium hostium tela esse prospectū, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint, ita extremæ unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat, ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ prospicit. Institutа est autem sacra hæc unctio infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentum novi Testamenti, à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolū, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum. Infirmatur, inquit, quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum huius salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. Nam unctio aptissime Spiritus sancti gratiā, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat. Formam deinde esse illa verba: Per istam unctionem, &c. Res porrò, & effectus huius Sacramenti, illis verbis explicatur. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim, gratia est Spiritus sancti, cuius unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnā in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. Iam verò quod attinet ad præscriptionem eorum, qui & suscipere, & ministrare hoc Sacramentum debent, haud obscurè fuit illud etiam in verbis prædictis traditum. Nam & ostenditur illic, proprios huius Sacramenti ministros, esse Ecclesiæ presbyteros, quo nomine, eo loco non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati, per impositionē manuum presbyteri. Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur, unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius Sacramenti subsidio iuvari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Quæ re nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam & dilucidam Apostoli Iacobi sententiam, docent hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionē gratiæ habentem, & qui illam iam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum duntaxat in primitiva Ecclesia referenda esset, & qui dicunt, ritum & usum, quem sancta Romana Ecclesia in huius Sacramenti administratione observat, Iacobi Apostoli sententiæ repugnare, atq; ideo in alium commutandum esse, & denique, qui hanc externam unctionem à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Hæc enim omnia manifestissimè pugnāt cum perspicuo tanti Apostoli verbo. Nec profectò Ecclesia Romana, aliarum omnium mater & magistra, aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea, quæ huius Sacramenti substantiam perficiunt, observat, quàm quod beatus Iacobus perscripsit. Nec verò tanti Sacramenti contemptus, absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus sancti iniuria esse posset.

CANON I.

Si quis dixerit, extremam unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.

CANON II.

Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed iam cessasse, quasi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema sit.

CANON III.

Si quis dixerit, extremæ unctionis ritum & usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ beati Iacobi Apostoli, ideoq; eum mutandum, posseq; à Christianis absq; peccato contemni, anathema sit.

CANON IIII.

Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Iacobus adducendos esse ad infirmū ungendū hortatur, nō esse sacerdotes, ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idq; propriū extremæ unctionis ministrum, non esse solum sacerdotem, anathema sit.

EXAMEN.

Non dubium est, id quod decretum Tridentinum affirmat, adversarium nostrum diabolum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui per omnem vitam, occasionem devorandi animas nostras, quærit & captat, illo potissimũ tempore, cùm impendere nobis exitum vitæ prospicit, omnes versutiæ suæ nervos intendere, ad perdendos nos penitus, & à fiducia, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos. Accedunt in hac infirmitate carnis, terriculamenta & trepidationes instantis mortis ex conspectu peccatorum. Vnde oritur extrema & gravissima luctafidei, adversus peccata, carnis & Satanæ tentationes, catervatim & solito grauiores tunc ingruentes, adversus ipsam denique mortem. Et si tunc succumbente fide, adversarius noster prævaluerit, actum est de salute nostra. Neque enim post hanc vitam restat locus vel pœnitentiæ, vel reconciliationi. Certum igitur & hoc est, clementissimũ redemptorem nostrum, qui servis suis quovis tempore, de salutaribus remediis adversus omnia salutis discrimina, prospectum esse voluit, non tantùm præparasse auxilia, quibus Christiani dum vivunt & incolumes sunt, in gratia cõservẽtur: sed præcipuè, ut in extremo actu vitæ, ubi discrimen maximum & periculosissimum est, firmo præsidio, & efficaci titubantis fiduciæ fulcimento muniantur & corroborentur, ut possint resistere in die malo, & omnibus perfectis stare, Ephes. 6. Deoq; gratias agere, qui dat nobis victoriam contra mortem, & stimulũ ejus, 1. Corinth. 15.

De his duobus capitibus nulla est controversia, utrumq; enim pleno ore fatemur. Sed quæstio est, quæ sint illa remedia & auxilia, seu potius antidota. Illa enim ut sint efficacia, adversus mortẽ & stimulũ ejus, oportet esse non ab hominibus excogitata, vel præsumpta, sed ab ipso filio Dei, qui est verus medicus noster, instituta, & præparata, & quidem addita promissione, de virtute & efficacia. In ipsis igitur medica animarum officina, sicut sacram scripturam eleganter & verè vocat Basilius, inquirenda sunt remedia & antidota illa, in media morte ad vitam valitura. Falsa autem est illa distributio, quam Tridentinum decretum videtur quasi pro fundamento ponere. Alia scilicet salutis remedia & auxilia, Christũ præparasse proviventibus, alia pro morituris, quasi ea per quæ, dum in hoc seculo incolumes vivimus, Deus gratiam nobis confert, & in ea nos conservat, non amplius vel valeant, vel sufficiant, quando ad terminum hujus vitæ perventum, & jam per mortem ad aliam vitã transeundem est, sed tunc circumspicienda sint alia remedia & præsidia. Christus certè, qui est resurrectio & vita, imò mors mortis, & antidotũ contra mortẽ, sicut Irenæus inquit de verbo Evangelii, per quod vita illa nobis offertur & communicatur, & de fide, qua in verbo Christus vita nostra apprehenditur & accipitur, ita loquitur, ut non tantùm hic vivamus, vis & efficacia Evangelii & fidei, ad salutem valeat, sed disertè complectitur & ipsum articulum mortis, resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi.

Ioan. 5. Amen dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitã æternam, & in judiciũ nõ venit, sed transiet de morte ad vitã. Item, Mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, vivent. Ioan. 6. Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur, sed vivat in æternum. Ioan. 8. Amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternũ. Ioan. 11. Qui credit in me, etjam si mortuus fuerit, vivet, & omnis qui vivit, & credit in me non morietur in æternum. Audis ubiq; non aliud verbum, nec aliam fidem proponi morientibus quàm viventibus, sed illud verbũ quod fide apprehẽdimus, dum vivimus, affirmat efficaciam habere & exerere in ipsa morte ad vitam, imò ideò dum vivimus, verbũ illud fide apprehendimus, ut in hora mortis, efficacia ejus per mortem transeamus ad vitam. Si enim tantùm in hac vita in Christo spem haberemus, miserabiliores essemus omnibus hominibus, 1. Cor. 15. Ideò Paulus in epistolis suis orare solet, ut credẽtes in eo quod in hac vita apprehenderunt, conserventur & confirmentur, usq; ad diem Christi. 1. Corin. 1. & Phil. 1. Confido, quòd qui incepit in vobis communicationem in Evangelio Christi, perficiet usque ad diem Christi. Ephes. 4. Spiritu sancto signati estis in die redemptionis. Hebræor. 3. participes facti estis Christi, si tamen initium fiduciæ, usque ad finem firmum retinueritis.

Apocalypseos 2. Esto fidelis usque ad mortem. Item, Tantum quod habetis, tenete, donec veniam, 1. Corinth. 3. Si Christi estis, omnia vestra sunt, sive vita sive mors. Roma. 8. Deus justificat. Christus mortuus & resuscitatus, intercedit pro nobis, ergo nec mors nec vita separabit nos, &c. Non igitur alia vel remedia vel præsidia salutis quærenda sunt in morte, quàm quæ dum vivimus, fidei in verbo accipienda offeruntur. Vnicum enim verum & sufficiens antidotum contra mortem, est Christus, vita nostra. Ille verò in verbo Evangelii nobis se offert & communicat, cum omnibus suis bonis, & per fidem non tantùm accipitur, sed habitat in cordibus nostris, ad Ephes. 3. Est autem verbum Evangelii, non tantùm in simplici seu nuda promissione, verum etjam in Sacramentis illis, quibus voce & institutione divina, annexa est promissio gratiæ. Et in terroribus mortis, maximè opus est ad corroborationem fidei, illa applicatione & obsignatione promissionis gratiæ, quæ in usu Sacramẽtorum, singulis fidelib. exhibetur. Ita Baptismus semel susceptus, consolationem præbet in ipsa morte. Ideò enim olim quidam super mortuos baptizabantur, prima Corinth. 15. Et prima Petri 1. Regeneravit nos in spem vivam, in hæreditatem incorruptibilem, conservatam nobis in cœlis, qui in virtute Dei, per fidem custodimur ad salutem. Paulus ad Ephes. 6. describit generalem armaturam Dei, qua adversus omnes insidias Diaboli, in quovis die malo stare possimus, veritatem scilicet, justitiam, Evangelium, fidem, salutem, verbum Dei, orationem & obsecrationem. Et 1. Thessal. 5. dicit, illius armaturæ usum esse, ut sive vigilemus sive dormiamus, cũ ipso vivamus.

Philipp. 1. adjungit communes Ecclesiæ preces. Per vestram orationem, & subministrationem spiritus Christi, proveniet mihi hoc ad salutem, ut sicut semper, ita & nunc magnificetur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.

mortem. Mihi enim vivere, Christus: & mori, lucrum.

His accedit veteris etjam Ecclesiæ consvetudo, qui ægros de peccato & ira Dei admonitos, verbo Evangelii consolabatur, & pro eorum salute precabatur. Proponebat etjã & adhibebat illis absolutionem, voce Evangelii, & communicationem corporis & sangvinis Christi, his enim modis juxta Scripturæ traditionem, promissio gratiæ, remissionis peccatorum, salutis, & vitæ æternę, applicatur & obsignatur, per efficaciam filii Dei, singulis credentibus, ad fidei cõtra omnes tentationes sustentationem & corroborationem. Ita Dionysius Corinthiacus, apud Eusebium libro 6. cap. 34. dicit, se præcepisse, ut etjam lapsis in exitu vitæ, si peterent, ea adhiberentur remedia & præsidia, quibus bona cum spe, ex hac vita migrare possent. Nominat autem remissionem seu absolutionem, & communionem corporis & sangvinis Christi.

Canon Nicenus inquit: De his qui recedũt ex corpore, antiquæ legis regula observabitur, ut si fortè quis recedat ex corpore, necessario vitæ suæ non defraudetur viatico. Illud verò explicat Carhaginense Concilium 4. inquiens: Si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionẽ, & infundatur ori ejus Eucharistia. Arausicanus Canon dicit, communionem congruè nominatam fuisse viaticum, in illis qui de seculo recedunt. Vide plures hujus generis sententias, 26. quæst. 6. Ignatius Epist. ad Ephes. cœnam Dominicam dulcissimis verbis appellat φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τὸ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν θεῷ, δι' ἰησοῦ χριστοῦ. καθαρτήριον ἀλεξίκακον, hoc est, pharmacum immortalitatis, antidotum contra mortem ad vitam in Deo, per Iesum Christum, medicamentũ purgatorium, avertens & depellens mala.

Hæc remedia & subsidia in articulo mortis, habent mandatum & promissionem Dei, & non est dubium, filium Dei illis sua efficacia adesse, ut sint virtus & potentia Dei, ad salutem omni credenti. Et quia per illa media, filius Dei mediator se totum cum omnibus suis beneficiis, fidei offert & communicat, & quidem applicationem singulis credentibus obsignat, habet igitur fides, in usu illorum satis præfidii & fulcimenti, in ipsa hora mortis, habet etjam armaturam ipsius Dei qua possit in die malo, in colluctatione contra spiritualia nequitiæ, & adversus insidias diaboli resistere, & in omnibus perfectis stare, ad Ephesios sexto. Atque ita clementissimus redemptor noster, Ecclesiæ suæ quovis tempore, maximè verò ubi gravissimum ingruit periculum, circa finem vitæ, de salutaribus remediis, adversus omnia omnium hostium tela prospectum esse voluit, & finem vitæ satis firmo munivit præsidio.

Sed ajunt: Quid si Christus, melius quàm nos expendens extrema animarum nostrarum in agone mortis pericula, voluisset præter remedia illa hactenus commemorata, peculiare instituere Sacramentum: quo tanquam firmissimo præsidio, finem vitæ adversus Satanæ impetus, tum solito graviores, & adversus horrorem mortis, firmiter & efficaciter muniret. Respondeo: Si filius Dei, medicus noster, judicasset hoc utile & necessarium esse, sine dubio instituisset peculiare Sacramentum pro morituris. Quos enim diligit, eos in finem usque diligit, Iohannis 13. Ac si ex verbo Dei constaret, Christum tale Sacramentum, præscripta certa forma, dato expresso mandato, & addita peculiari promissione, generaliter omnibus fidelibus, usque ad finem seculi, in articulo mortis administrandum instituisse: omnino fidei obedientia requireret, illud fideli reverentia, & devota gratitudine recipere & usurpare.

Et Pontificii quidem asseverãt, extremam unctionem esse tale Sacramentum. Sed hæc ipsa quæstio est, de qua in hac disputatione controvertitur: an Christus instituerit illam unctionem, ut esset tale Sacramentum.

Vt autem simplicius, manifestius & certius hæc quæstio ex verbo Dei determinari & dijudicari possit, breviter repetendum est, quomodo Pontificii Sacramentum extremæ suæ unctionis describant. Ita enim planior erit inquisitio, an tale Sacramentum à Christo sit institutum, & ab Apostolis Ecclesiæ traditum.

Primò igitur dicunt, materiam hujus unctionis debere esse oleum: non commune seu vulgare, sed non prius sit consecratum: non à quovis sacerdote, sed à solo Episcopo: idq; certo anni die, feria scilicet quinta cœnæ Dominicæ, & certis exorcismis: ut scilicet ampullam olei infirmorum, ita exorcizet: Exorcizo te immundissime spiritus, omnisq; incursio Satanæ, & omne phantasma, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici unctio spiritualis, ad corroborandum templum Dei vivi, ut in eo possit Spiritus sanctus habitare, per nomen Dei Patris omnipotentis, & Filii ejus, &c. Deinde benedicat ipsum oleum his verbis: Emitte quæsumus Domine Spiritum sanctum, paracletum de cœlis, in hanc pingvedinem oliuæ, quam de virido ligno producere dignatus es, refectionem mentis & corporis, ut tua sancta benedictione sit omni, hoc ungvento cœlestis medicinæ perunctо, tutamen mentis & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemq; ægritudinem mentis & corporis, &c. Et nisi oleum hoc modo ab Episcopo, sit exorcizatum & consecratum, tunc dicunt, non posse materiam esse hujus Sacramenti. *Materia unctionis Pontificia.*

Secundò, illo oleo tradunt linienda & inungenda esse illa membra, quæ sunt organa quinq; sensuum, ut sunt oculi, aures, nares, labia, manus, pedes & renes.

Tertiò, de forma hujus Sacramenti non inter omnes convenit. Quidã enim tradunt, formam esse hæc verba: Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid oculorum vitio deliquisti, in nomine Patris, &c. Et sic de cæteris sensibus. Alii utuntur hac forma verborum: In nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, ungo te oleo sacrato, ut per hanc unctionem accipias plenam remissionem peccatorum. *Forma unctionis.*

Quartò, effectum hujus unctionis Tridentinum decretum, dicit esse gratiam spiritus, cujus *Effectus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergat, ægroti animam alleviet, & confirmet, &c. Canon 2. dicit illâ unctionem conferre gratiam, & remittere peccata.

Innocentius. Innocentius de sacra unctione dicit, unctionem illam exteriorem, si dignè suscipiatur, vel agere, vel augere gratiam Spiritus sancti: quæ est invisibilis unctio. Aureolus ponit 7. fructus hujus unctionis: quorum primus, sit deletio peccatorum venialium. 2. diminutio pœnæ peccato mortali debitæ. 3. gratiæ augmentatio, quæ vi hujus unctionis augetur, non tantùm devotione ministrantis & suscipientis, sed etjam ex virtute operis operati. Aucta verò gratia, augetur & gloria. 4. robur contra dæmonis insidias. 5. arctatio diabolicæ potestatis, quę nõ est ita potens, sumpto isto Sacramento. 6. sanatio corporis, si expedit. 7. protestatio moriẽtis, quod permanserit in fide Ecclesiæ. Thomas addit 8. effectum, deletionem, scilicet peccati mortalis, quãtum ad culpam.

Fructus unctionis.

Qui vngendi sint. Quintò, tradunt hanc unctionem illis esse adhibendam, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: quia nuncupetur Sacramentum exeuntium. Ita Tridentinum capitulum, hoc est, sicut alii dicunt: Non omnibus infirmis danda est illa unctio, sed illis tantùm, qui existunt in periculo & articulo mortis, de quibus probabiliter dubitatur de morte. Imò Florentinum Concilium decernit extremã illam unctionem non debere dari, nisi infirmo, de cujus morte timetur.

Hæ sunt præcipuæ Pontificiorũ traditiones, de extrema sua unctione, in decreto Tridentino repetitæ, de quibus controversia est. Iam videndum est, an talis unctio à filio Dei instituta fit, ut esset tale Sacramentum. Scholastici disputant, quia nullus Evangelistarum dicit, Christum instituisse extremam illam unctionem: ideò probabilius esse, ab Apostolis illam esse institutam. Et quia Apostoli materiam non potuerunt sanctificare, ideò non debere simplex elementum esse, sed oleum exorcizatũ & consecratum. Et Ecclius quidem censet, non esse absurdum, Iacobũ Apostolum, autoritate Christi, & jussu Spiritus sancti, instituisse illud Sacramentum. Sed ipsi Scholastici agnoscunt & fatentur, ejus esse Sacramenta instituere, qui potest Sacramentis dare efficaciam. Accedit, quòd Epistola Iacobi non est tantæ autoritatis, ut possit Ecclesiæ, sine aliis Scripturæ canonicæ testimoniis, novum Sacramentum instituere. Notum enim est, quod Hieronymus annotavit, veteres judicasse, Epistolam illam non esse à Iacobo Apostolo scriptam, sed ab aliquo alio sub ipsius nomine editam. Eusebius etjam de illo dicit: Sciendum, ὡς νοθεύεται. Ideò alii dixerunt, extremã illam unctionem à Iacobo tantùm esse Ecclesiæ promulgatam, institutam verò esse ab ipso Christo. Eorum verò qui ita sentiunt, quidam dicunt, in Scriptura nõ extare, ubi, quãdo, & quomodo Christus extremã illam unctionem instituerit, sed esse unam ex taciris traditionibus. Tridentinæ verò Synodo, neutra illarum opinionum probatur. Veteres enim affirmant, unã & eandem esse unctionem, apud Marcum & apud Iacobum. Dicit igitur Tridentinum Capitulum, unctionem infirmorum, tanquam verè & propriè Sacramentũ novi Testamenti, à Christo Domino nostro apud Marcum esse insinuatam. Habemus igitur sedem hujus disputationis in Scriptura: nec difficile jam erit statuere, an extrema illa unctio, sicut à Pontificiis describitur & usurpatur, sit à Christo, tanquam Sacramentũ novi Testamenti, institutum. Ad institutionem enim Sacramenti, requiritur ut verbo Dei, per modum mandati & promissionis, præscripta sit materia, forma, actio & efficacia Sacramenti, idq; ita, ut non sit aliquid vel personale, vel temporale, sed ut mandatum idem faciendi, & promissio efficaciæ, pertineat ad universam Ecclesiam novi Testamenti omniũ temporum, usq; ad consummationem seculi, donec Christus ad judiciũ veniat: talis enim est ratio Baptismi & cœnæ Dominicæ. Ita circumcisio habet quidem mandatũ & promissionem divinam, sed ad nos illa non pertinent. Apostoli habuerunt mandatum, de imponendis super ægros manibus, & promissionem restituendæ sanitatis. Christus lutum imposuit super oculos cæcorum. Paulus incubuit super mortuum. Sudaria ejus imposita fuerunt ægrotis, &c. sed illa sunt personalia & temporalia: nec sine peculiari verbo ad nos pertinente, sunt in exemplum, & ad imitationem trahenda.

An unctio à Christo sit instituta.

Locus igitur in quo fundatum debet esse Sacramentum extremæ vnctionis, extat Marci 6. & sic habet: Apostoli exeuntes prædicabãt, ut pœnitentiã agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant. Ad hunc locum ordine accommodabimus descriptionem Pontificiæ unctionis, ita enim id quod quærimus, manifestum evadet. Nam valdè magnum quiddam est, aliquid pro Sacramento novi Testamenti proponere & habere, præsertim in summo discrimine imminentis jam mortis, ita ut tunc à verbo, & à reliquis Sacramentis discedatur, & ultimum præsidium in exitu vitæ constituatur in extrema unctione. Primò igitur videbimus, an Apostoli unctionem illam contulerint morituris, in hunc finẽ & usum, ut hoc tanquam firmissimo præsidio, finis vitæ contra peccata, diabolũ & mortem munitus esset. Sed qualis fuerit illa unctio Apostolorũ, de qua Marcus scribit, certò constat ex descriptionibus Evangelistarum. Matthæus inquit: Dedit ipsis potestatem sanandi omnem morbum, & infirmitatem. Lucas dicit: Dedit ipsis virtutem & potestatem langvores curare. Ipse etjam Marcus cap. 3. inquit: Dedit ipsis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia. Et Marc. 6. nihil aliud describitur, quàm quomodo Apostoli, in prima legatione illud perfecerint, sanasse scilicet infirmos, adhibito externo symbolo unctionis olei. Marcus igitur in illo loco prorsus nõ dicit, Apostolos eos qui in agone mortis erant, unxisse, hac opinione, ut in illa unctione haberent ultimum & firmissimũm præsidium contra peccata, diabolũ & mortem, multò minus præscribit, quòd talis inunctio olei, in universa Ecclesia novi Testamenti, omnibus temporibus usq; ad consummationem seculi, fieri & servari debeat, sed describit donum sanationis, quod sicut alia etjam miraculorũ dona, temporale fuisse, & post propagatum per totum orbem Evangelium, desiisse manifestum esse.

Probatio vnctionis ex loco Marci 6.

Secũdò. Nec de illo ipso dono sanationis Marcus dicit, Christum Apostolis mandato suo præscripsisse materiam olei, in omnibus sanationibus infirmorum, necessariò adhibendam: sed hoc tantùm dicit, Christũ dedisse ipsis virtutem & potestatem sanãdi ægros: ipsos verò adhibuisse externum symbolũ unctionis olei. Testatur autem historia Apostolica, ipsos non eadem semper externa symbola in curationibus adhibuisse: aliquando enim solo verbo, aliquando impositione manuum, aliquando contactu, umbra, sudariis, semicinctiis, ad sanandos infirmos usi leguntur. Nec arbitror Marci sententiam esse, Apostolos in prima illa legatione, neminem sanasse, nisi quẽ oleo unxissent, dicit enim: Multos infirmos oleo ungebant. Ac ut maximè in prima legatione, externũ illud symbolũ doni sanationis, fuerit generale: certè post resurrectionẽ, Christus Marci 16. non dicit: Infirmos oleo ungent, & sanabuntur: sed, Super infirmos manus imponent, & melius habebunt. Non igitur generale & necessarium symbolum sanationis fuit tempore Apostolorum, unctio olei. Sed Marcus cap. 6. in prima emissione Apostolorum, cùm in solam Iudæam emittebantur, in qua legatione multa fuerunt temporalia & personalia, ponit narrationem facti, de solis duodecim Apostolis: quo scilicet externo symbolo, donũ sanationis administrârint. Sed cap. 16. cùm jubentur ire in universum mundum, & prædicare Evangelium omni creaturæ, Christus non tantùm de Apostolis, sed & de iis, qui crediderint, loquitur, cùm inquit: Super infirmos manus imponent, &c. Quare igitur nõ potius ex impositione manuũ, quę habet verbum Christi, pertinens non tantũ ad Apostolos, sed etjã ad credentes, facimus generale Sacramentum pro infirmis? Responsio in promptu est: Quia loquitur de signis, hoc est, de donis miraculorum, quæ temporalia fuerunt. Et tamen ne tunc quidem, cùm maximè vigebat donum miraculorum, Apostoli generaliter, sem per & necessariò impositionem manuum adhibuerunt in dono sanationis. Multò magis igitur hæc responsio valebit in unctione olei, quæ in prima & particulari legatione Apostolorũ, non tàm expressè à Christo mandata, quàm ab Apostolis facta legitur.

Vnctio olei tempore Apostolorum.

Tertiò. Nihil dicit Evangelista vel de mandato Christi, vel de facto Apostolorum, quòd oleum illius unctionis debeat prius esse conceptis verbis exorcizatum & consecratum.

Quartò. Apostoli non leguntur eos unxisse, de quibus probabiliter præsumebãt, quòd mox essent morituri: sed unctione sua sanabãt ægrotos, ne tunc illa infirmitate morerentur.

Quintò. De adhibita illa forma verborum, quam Pontificij præscribunt, nulla vel litera vel syllaba, in Evangelica historia legitur.

Sextò. Nec quicquam vel de Christi mandato, vel de Apostolorum facto legitur, quòd organa quinque sensuum inunxerint.

Septimò. Finem & effectum illius unctionis, Marcus non dicit fuisse, ut per eam peccata delerentur, insidiæ diaboli in morituris reprimerentur, &c. sed ut hoc externo symbolo, donum corporalis sanationis administrarent. Manifestissimum igitur est ex sola antithesi, Christum Marci 6. nec instituisse, nec insinuasse (sicut Tridentinum capitulum loquitur) talem unctionem, ut esset tale Sacramentum, pro illis qui in exitu vitæ constituti sunt: sicut Pontificiorum descriptio & praxis habet. Et quia ipsum decretum Tridentinum, refert se ad sextum caput Marci, ostensum jam est, Pontificiam unctionẽ, in illo loco nec institutionem, nec mandatum, nec promissionem, nec exemplum habere, ut posit esse novi Testamenti Sacramentum, sicut ipsorum descriptio habet. Sed cum obscurior sit descriptio apud Marcum (factum enim Apostolorum tantùm narrat, mandatum verò Christi, ex quo illud fecerunt, non recitat) dicunt pleniorem ejus explicationem sumendam esse ex Iacobo: quem non dubium est, ut Apostolum, & quidem fratrem Domini, optimè scivisse, quid Christus de unctione instituerit, quid, quomodo, & in quem finem Apostoli fecerint. Audiamus igitur, an Iacobus affirmet, Christum instituisse talem unctionem, ut esset tale universale Sacramentum pro morituris, sicut Pontificiorũ descriptio habet. Et conati quidem hoc sunt Pontificii ostendere, inde quod verbum allevare, quo vetus interpres usus fuerat à Monachis mutatum fuit in alleviare: quod postea exposuerunt de terriculamentis diaboli & mortis, in extremo actu vitæ. Item, quia Iacobus dicit: Vt salvemini, sicut interpres reddidit: Ergo non de corporali sanatione, sed de salvatione in hora mortis, contendunt Iacobum suam unctionem intellexisse. Sed veteres interpretes dicunt, & quidem etjam Tridentinum decretum illud concedit, Iacobum non de alia, sed de illa, eadem unctione loqui, quæ Marc 6. descripta est. Illam autem pertinere ad donum sanationis, Evangelistæ manifestè ostendunt. Et Grammatica ostendit, falsam esse Pontificiorum interpretationem. Iacobus enim utitur duobus verbis, quæ extra controversiam, ad corporalem sanitatem referuntur. Primũ est, ἐγείρειν: quod Christus usurpat, quando decumbentes, & lecto affixi ita restituũtur, ut surgere & incedere possint, Matth. 9. Marci 1. & 9. Iohan. 5. Hoc vetus interpres dixit allevare: unde postea fecerunt alleviare. Alterum verbum est, ἰᾶσθαι: quod de sanationibus frequentissimè usurpatur: & quidẽ donum sanationis, quod fuit in primitiva Ecclesia, hoc ipso vocabulo describitur. 1. Cor. 12. Vnde etjam intelligi potest, quòd tertium verbum σώζεσθαι, intelligendum sit, sicut sæpius usurpatur, de corporalibus sanationibus, Matt. 9. Marci 5. & 6. Lucæ 8. Loquitur itaque Iacobus, sicut & Marcus, de dono sanationis, quod erjam 1. Corinth. 12. describitur, & quidem eodem vocabulo, quo Iacobus utitur.

An ex Iacobo probari possit vnctio olei sit vnctio extremæ vnctionis.

Nec Iacobo ut Apostolo licuit, unctionẽ illam ad aliam unctionẽ, ad aliũ finem, usum & effectũ transferre, quàm à Christo, Marc. 6. insinuata, & ab Apostolis usurpata fuerat. Sed inquis: Iacobus ibi nõ præscribit aliquid Apostolis, qui donũ sanationis habebant, sed aliis Ecclesiæ presbyteris.

Obiectio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris. Et quidem expressè ibi mentionem fecit remissionis peccatorum. Respondeo: Christus loquens Marc. 16. de signis seu miraculis, consecuturis prædicationem Evangelii, dona illa non tantùm ad Apostolos refert, sed ad alios etiã credentes. Tunc igitur quando adhuc donum sanationis in Ecclesia non tantùm penes Apostolos, sed & penes alios presbyteros erat: Iacobus illis præscripsit, quomodo dono illo piè, salutariter, & ad ædificationem uti deberent tàm administrantes, quàm recipientes, quamdiu mansurũ esset in Ecclesia illud donum. Non igitur inde extruendum est præceptum universale & perpetuum, de adhibenda unctione, etjam postquam donum sanationis, cujus symbolum fuit unctio, desiit, sicut inde hoc intelligi potest, 1. Corint. 14. Quidam donis lingvarum & Prophetiæ abutebantur. Paulus igitur præscribit modum & formam, quomodo donis illis, quamdiu erant in primitiva Ecclesia, salutariter & ad ædificationẽ uti deberent. Atqui desierunt jam illa. Ita cùm in primitiva Ecclesia, dono sanationis, quod tũc extabat, multi vel abuterentur, vel nõ rectè uterentur: Iacobus præscribit modum & formam, quomodo piè, salutariter, & ad ædificationem, dono illud utendum sit: ne scilicet usurpetur tanquam chirurgicum aut medicũ aliquod artificium, sed ut mentem sublevet ad considerationem peccati & miseriæ nostræ, hoc est, ad pœnitentiam, & ad agnitionem beneficiorum spiritualium filii Dei. Hic enim usus fuit omnium miraculorum. Docet igitur Iacobus, infirmum quando unctione sanandus erat, commonefaciendũ esse de causa morbi, ut agnosceret peccata. De fide etjã vult doceri, ut per remissionem peccatorum, causa morbi, hoc est, peccatum toleretur. Adjungi etjam vult communes preces, utq; infirmus etjam ex fide simul oret: neque enim incredulo aut maledicenti, aliis pro se orãtibus peccata dimittuntur. Hoc modo significat donum sanationis, in quo externum symbolum unctionis adhibebatur, salutariter usurpari posse. Remissionem verò peccatorum, non externo symbolo unctionis, sed diserte orationi fidei tribuit: id quod etjam Lyranus intellexit. Et mox exemplo Eliæ ostendit, per orationes justorum solita miracula fieri, quale tunc etjam erat donum sanationis.

Summa sententiæ Iacobi.

Hæc est summa sententiæ Iacobi. Et si hodie adhuc in Ecclesia extaret donũ sanationis, doctrina hæc & regula Iacobi, esset utilis, & omnino servatu necessaria. Sed quia donum illud jam in Ecclesia cessasse, manifestum & notorium est, quæstio est, an externũ ejus symbolum, cui res ipsa, restitutio scilicet sanitatis per miraculum, non amplius subest, in Ecclesiæ usu retinendum & usurpandum sit: & quidem ita, ut ad aliud genus actionis, ad alium finem, usum & effectum transferatur: scilicet ut per istam unctionem, morituri consequantur remissionem peccatorum, custodiantur ab insidiis sathanæ, & à terroribus mortis, ut in Domino moriantur. Iacobus certè non dicit, unctionem illam vel institutam esse pro morituris, vel usurpandam esse in articulo mortis: ut finis vitæ, peculiari aliquo præsidio munitus sit: & quas præterea causas & effectus, unctioni suæ Pontificii tribuunt. Sed dicit eam adhiberi, ad restituendam per donum sanationis, incolumitatem. Quo igitur mandato, qua promissione, unctio illa, cui jam non amplius annexum est donum sanationis, transfertur ad alium finem, ad alium usum & effectum? Mandatũ enim, & promissio quã unctio illa habuit, pertinet & juxta Marcum, & juxta Iacobum, ad donum sanationis. Et idem est, ac si jam vellem unctionem sacerdotum ac regalem, quæ in veteri Testamento mandatum & promissionem habuit, morituris applicare. Pontificiorum igitur extrema unctio, quia postquam donum sanationis cessavit, ad alium jam usum transfertur: nec mandatũ, nec promissionem divinam, imò nec exemplum habet vel in Marco, vel Iacobo. Nec ipsa vel materia, vel forma, vel actio Pontificiæ unctionis, vel Marci vel Iacobi descriptiones, autores habet. De oleo enim per exorcismos excantato, & cõceptis verbis consecrato, nihil habet Iacobus: nihil habet de inungendis organis sensuum exteriorum. Formam etjam illam verborũ Iacobus nõ præscribit, qua Pontificia unctio utitur. Iacobus unctionem adhibet, ut infirmus per donum sanationis, restituatur bonæ valetudini. Pontificii verò eum, de quo aliqua spes vitæ est, prohibent inungere: sed cùm præsumitur jã esse in exitu vitæ & mox moriturus, tunc inungitur, nõ ut convalescat, nisi per accidens, sed ut benè moriatur. Extrema igitur Pontificiorum unctio, non est illa, de qua Marcus loquitur: nec est illa quam Iacobus describit, sive materiam, sive formã, sive actionem, sive usum, finem & effectũ spectes. Nec fidei oratio, de qua Iacobus loquitur, est in Pontificiorum unctione. Petunt enim, per istam unctionem dari plenam remissionem peccatorum, cùm nulla talis extet divina promissio. Et quia fides non est sine promissione: ergo non potest esse oratio fidei. Adhibent etjam invocationem mortuorũ: quæ quia mandato & promissione Dei caret, non potest esse fidei oratio. Rectè itaq; dicitur extremã illam unctionem humanum figmentum esse, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habens. Quæ enim ad donum sanationis pertinent, nõ sunt sine peculiari verbo, ad alios usus transferenda. Et falsum est quod Andradius dicit, in ægrotis fidem & orationem nihil valere, sine unctione olei. Nam illud ne tunc quidem, cùm donum sanationis adhuc esset in Ecclesia, verum fuit. Multos enim Apostoli oratione sanasse leguntur, sine unctione olei. Et Iacobus unctioni olei, etjam tunc quando ut externum doni sanationis symbolum adhibebatur, non vult tribui vel sanitatem vel remissionem peccatorum: sed fidei & orationi illa tribuit.

Pontificiorũ unctio nec ex Marco nec ex Iacobo probari potest.

Unctio humanum figmentum.

Et jam in promptu erit respõsio, ad argumentum illud, quod aliquã speciem habet. Ceremonia unctionis infirmorum habet verbum Dei, & promissionem gratiæ, Marc. 6. Iacob. 5. Ergo ex loco definitionis, est verè & propriè Sacramentũ novi Testamenti. Respondeo: Quatenus unctio est externũ symbolum doni sanationis, eatenus habet verbũ Dei, & promissionem. Non autem habemus mandatum verbi Dei, ut post cessationem doni sanationum, externum symbolũ unctionis

ctionis in Ecclesia vel ociosè retineatur & usurpetur, vel in alium finem & usum transferatur. Nec habemus promissionem de effectu gratię, si unctio illa in aliam actionem, & in alium usum transformetur: sicut ostendimus apud Pontificios fieri. Non igitur verè & propriè est Sacramentum novi Testamenti, extrema Pontificiorum unctio. Cessante enim re ipsa, hoc est, dono sanationis, meritò etjam externum ejus symbolum cessat, unctio scilicet olei. Interim tamen in morbis Christianorum, ea quæ verbi sunt, manent: agnitio peccatorum, fides, oratio, & remissio peccatorum: quæ nullo Dei mandato, nunc postquam donum sanationis cessavit, ad unctionem alligata sunt. imò ne ipsum quidem donum sanationis, tunc etjam temporis, ad unctionem alligatum fuit: sicut testantur omnia exempla sanationum, in actis Apostolicis, in quorum nullo legitur unctio olei adhibita. Quòd verò objicitur ministerium Apostolorum, non fuisse vel medicinale vel corporale, sed spirituale: ideo unctionem illam non pertinuisse tantùm ad donũ sanationis. Respondeo: Ideò verò adhibita fuerunt externa seu corporalia miracula, ut illis doctrina de spiritualibus beneficiis Christi confirmaretur: utq; essent ἀναγωγὴ ad agnoscenda, desideranda, quærenda & amplectanda spiritualia & æterna bona, quæ in Evangelio offerũtur. Interea verò multis exhibita fuerunt externa miracula, qui spiritualia beneficia Christi nõ acceperunt: sicut econtrà multi, in quorum corporibus nullum signũ exhibitũ fuit, gratiam Dei fide in verbo Evangelii acceperunt. Neq; enim externa miracula fuerunt organon illud, per quod offeruntur & applicantur spiritualia bona: sed tantùm viam præpararunt Evangelio, quod est ministerium spiritus, in quo fides quærit & accipit gratiam, remissionem, &c.

Pontificiorũ unctio nec ex Marco nec ex Iacobo probari potest.

Adhibuerunt ergo Apostoli, in dono sanationis, externum symbolum, unctionem olei: non quòd vel ipsum oleum, vel actio unctionis, aliquam haberet vel adferret vim & efficaciam ad sanationem, erat enim miraculosa, multò minus ad remissionem peccatorũ, quam Iacobus orationi fidei tribuit. Sed quia usitatum & notum tunc erat ex veteri Testamento, oleum habere significationem donorum supernorum & cœlestium: adhibuerunt igitur in dono sanationum, unctionem olei: ut ipsum externum symbolum homines moneret, sanationes illas non conferri, vel humana vel magica aliqua ratione, sed esse dona cœlestia, ex divina virtute & operatione. Secundò, quia oleum in Scriptura significat spiritualia beneficia Dei: adhibuerunt igitur in dono sanationis, unctionem olei, ut externo illo symbolo monerent, non debere sanatos in corporalibus illis beneficiis subsistere, sed mentem sublevare ad agnoscenda, quærenda & accipienda spiritualia beneficia mediatoris Christi, ad quæ per corporalia illa miracula invitabantur, & manu ducebantur. Tertiò, oleum in illis regionibus fuit præstantissimũ, & in quotidiano usu: non tantùm ad cibum & ad hilaritatem, 4. Reg. 4. & Psal. 103. verumetjam ad curationes, Isa. 1. Ezech. 16. Luc. 10. Sicut igitur Isaias sumpsit ficus ad curandam pestem Ezechiæ: ita Apostoli,

In quem finem Apostoli unctionẽ olei adhibuerunt.

ne viderentur magicã exercere, oleũ adhibuerũt ad sanationes, quæ tamen longè excedebant naturalem vim & efficaciã olei: erant enim miracula. Atq; ita postquã desiit donũ illud sanationum, posset locus Iacobi piè & utiliter accõmodari ad usum medicamentorũ in morbis Christianorũ: ut scilicet prius admonerentur de causa morbi, hoc est, ut peccata discerent agnoscere, fide Deo reconciliari, & oratione Deo valetudinẽ cõmendare. Deinde piè possent medicamentis uti, invocato nomine Domini, adjũctis etjam precibus communibus. Hæc utiliter considerari possunt, de causis adhibitæ unctionis olei, in miraculosis Apostolorum sanationibus.

Non igitur, quia Marcus & Iacobus dicunt, Apostolos unxisse infirmos oleo, ideo extrema Pontificiorũ unctio, ibi vel instituta vel promulgata est. Nam nec materia nec forma, nec actio Pontificię unctionis ex Apostolica unctione probari potest. Vsus verò, finis & effectus, quem Pontificii extremæ suæ unctioni tribuunt, planè diversus & alius est ab Apostolica unctione, sicut ipsa antithesis ostendit.

Accedit, quòd in vera & puriori antiquitate, de hoc Sacramento exeuntium nihil legitur. Extãt apud veteres descriptiones visitationis ægrotorum: extant historiæ, quomodo multi pii in Domino feliciter obdormierint: extant Canones antiqui, quibus præfidiis muniendi, & quo viatico instruendi sint exeuntes de hoc seculo, ἵνα ἐνέλπιδες ἀπαλλάττωνται, sicut inquit Dionysius Corinthiacus: ut bona cum spe feliciter hinc migrent. Et recensentur cõsolatio verbi, fides, oratio, absolutio, cõmunio corporis & sanguinis Domini. Nulla verò mentio fit peculiare Sacramentũ unctionis esse in Ecclesia, pro iis qui in exitu vitę constituti, per mortẽ hinc migrare debent: & illã unctionem esse firmissimũ præsidiũ in articulo & discrimine mortis, contra peccata, contra infirmitatem carnis, contra horrorem mortis, contra insidias & potentiã diaboli, ut unctione illa muniti, per mortẽ transire possimus ad vitam: hoc inquã in tota historia veræ & purioris antiquitatis, ostendi non potest. De Romanis enim Pontificibus jam non loquimur.

Vnctio ignota veteri Ecclesiæ.

Sed objiciunt: Certè Hieronymus in 6. cap. Marci, huic unctioni testimonium præbet. Quis verò est ille Hieronymus? Ipsi enim sciunt, Commentaria in Marcum non esse à Stridonensi illo, sed longè post ipsius ætatem conscripta.

Ita jactitant etjam: Nonne Augustinus diserte unctionem numerat, inter necessarias consolationes decedentium à seculo? Vbi verò hoc facit? in libro secundo, inquiunt, de visitatione infirmorũ: item, de rectitudine catholicæ conversationis. Atqui ipsi non ignorant, hos libros non esse Augustini, sed post ipsius tempora, ab aliis conscriptos, qui postea falsò Augustino inscribi cœperunt. Et vel hinc Lector æstimare potest: qualis sit causa extremæ istius unctionis, ad cujus comprobationem, ex suppositiis scriptis emendicanda sunt suffragia. Et tamen illo tempore, quando libri isti scripti sunt, unctio infirmorum nondum habuit tales appendices, quæ jam sunt substãtia, & quasi anima Pontificiæ unctionis.

Obiectio Pontificiorum.

Non

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non jubentur inungi organa quinq; sensuum, nō traduntur per illam unctionem dimitti peccata, non docetur unctionem illam esse firmissimum præsidium morientium, contra mortem & diabolum: nondū usitata tunc fuit in unctione invocatio. Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum Apostolorum, martyrum, virginum, viduarum, &c. quæ nunc præcipua pars actionis est in extrema unctione. Sed deducebantur tunc adhuc infirmi, ad mediatorem Christum. Et lib. 2. cap. 2. extant hæc dulcissima verba: Tutius & jucundius loquor ad meum Iesum, quàm ad aliquem sanctorum spirituum Dei: plus debet mihi Christus quàm alicui cœlestium spirituum. Quod ego sum, fieri dignatus est Deus: non factus est, quòd est Angelus. Ad curiam Dei sui, Dei tui, præcesit Deus tuus, homo tuus, tunica tua polymita indutus: illa assiduus interpellat pro nobis. Quem igitur habes intercessorem, habes mediatorem: cōstitue tibi propitiū adjutorem. Et si Deus pro te, quis contra te? Et libro 1. cap. 6. describitur hæc morituri oratio: Deus meus, misericordia mea, refugium meum, te desidero, ad te confugio, ad te venire festino: ne despicias me, sub tremendo discrimine positum: adesto mihi propitius in his meis magnis necessitatibus, non possum me redimere meis operationibus, sed tu redime me, & miserere mei: diffido de meis meritis, sed confido de miserationibus tuis: & plus confido de tuis miserationib. quàm diffidam de malis actibus meis. Tu es spes mea, Deus meus: tibi soli peccavi, mea culpa, Qui fui tibi charus ad redimendū, non sum vilis ad perdendum. Et nunc ad te venio, qui nulli dees: cupio dissolvi & esse tecum. In manus tuas commendo spiritum meum Domine: respice me, Domine Deus veritatis, ut in pace dormiam, ac requiescam. Hæc adscripsi, ut Lector consideret, quàm recens sit drama Pontificiorum, in extrema unctione.

Verba Augustini.

Sed Theophylactum etjam proferunt, qui ex veteribus Græcis, interpretationes suas sumpsit. Quid verò ille? Num dicit, in Græca Ecclesia unctionem fuisse peculiare Sacramentum exeuntium, ut constituti in exitu vitæ, si oleo ungerentur in organis quinq; sensuum, haberent firmissimū præsidium contra peccata, contra mortem & diabolum. Nihil certè horum dicit. Sed explicans 6. cap. Marci, dicit Apostolos oleo unxisse illos, quos per donum sanationis curabant. Et addit, idem etjam Iacobum in sua Epistola dicere. Mox verò subjungit, propter quam significationem oleum adhibitum fuerit, pro externo symbolo doni sanationis: quia scilicet significet misericordiam Dei, & gratiam spiritus, per quam à labore liberamur, lucem & hilaritatem spiritualem accipimus.

An Theophylactus unctionis patrocinetur.

Ita Oecumenius, explicans locum, Iacobi 5. nihil aliud dicit, quàm hoc etjam Apostolos fecisse, quando Dominus adhuc inter homines versabatur, dum ungerent oleo ægrotantes & sanarent.

Non ergo fuit Sacramentum exeuntium in Græca Ecclesia, Sed Chrysostomus libro 3. de sacerdotio, locum Iacobi, ad illud extremæ unctionis Sacramentum pertinere interpretatur: inquit Lindanus. Quomodo verò? Num dicit, suo tēpore in Ecclesia fuisse peculiare Sacramentum unctionis, pro morituris, illa materia, forma, & actione, ad illum finem, usum & effectum administratū, sicut Pontificiæ unctionis descriptio habet: ut discedentibus ex hac vita, fit munimentū & præfidiū contra peccata, mortem & diabolū? Nihil certè horū dicit Chrysostomus: sed recensens prærogativas Christiani sacerdotis, enumerat prædicationem Evangelii, administrationem Baptismi & cœnæ Dominicæ, & potestatem remittendi peccata, per absolutionem. Addit verò etjā, in morbos sacerdotes plus prodesse quàm naturales parentes. Et illud per distributionem explicat. 1. sæpè laborantem jam & mortivicinam animam, saluti restituerunt. 2. τοῖς μὴ προσοῦσαν πλὴ κόπους ἐργασάμενοι: hoc est, efficientes, ut flagellum morbi mitigaretur. 3. τοὺς δὲ ἐκ παρὰ πλὴ ἄρχῃ ἀφιέντες ἐμπεσεῖν: hoc est, quosdam à principio præservārunt, ne in morborum flagella, quæ sunt peccatorum pœnæ, inciderent. Ita enim reddendus est locus ille Chrysostomi, ubi interpres prorsus peregrinam reddit sententiam.

Chrysostom.

Quomodo verò sacerdotes hoc in morbis efficiunt? Respondet Chrysostomus: Quia nō tantùm quando nos regenerant, sed & postea potestatem habent remittendi peccata: quæ verò, & qualis sit illa potestas, in præcedētibus explicat: quæ scilicet Ioan. 20. descripta est. Addit etjam sacerdotes hoc quod de morbis dicit, efficere docendo, monendo, καὶ τῷ δι' εὐχῶν βοηθεῖν, auxilio orationum. Et post illa omnia subjicit locum Iacobi cap. 5. Non autem disertè dicit, solitam tunc adhiberi externam unctionem: sed doctrinæ, admonitionis, orationum, & absolutionis expressè meminit. Et etjam si exertè diceret, adhibitam externam unctionem: nihil tamen locus ille patrocinaretur Pontificiorum extremæ unctioni. Non enim de morientibus disputat, quo præsidio muniendi sint, ut in Domino obdormire possint, sed expressè agit de præservatione, mitigatione, & liberatione à morbis corporalibus. sicut ex Græco textu manifestum est. Nec materia igitur, nec forma, nec actio, nec finis, nec usus, nec effectus extremæ unctionis Pontificiorum, ex illo loco Chrysost. probari potest. Non enim satis est ad probationem Pontificiæ unctionis, ostendisse quòd veteres mentionem faciant unctionis, quæ in Marco & Iacobo describitur: sed hoc monstrandum est, veterem Ecclesiam unctionem agnovisse & usurpasse, pro peculiari Sacramento illorum, qui in exitu vitæ constituti erant, tali materia, forma, actione, tali opinione, in eum finem & usum, sicut Pontificii de sua extrema unctione tradunt. Hoc verò ex nullis fide dignis veræ antiquitatis scriptis, docere possunt.

Irenæus.

Hoc verò ostendi potest, non diu post Apostolorum tempora, Apostolicam infirmorū unctionem, extra donū sanationis in aliū usum transformatam & depravatā fuisse ab hæreticis. Irenæus enim libro 1. cap. 18. dicit, ex Valentinianis quosdam morientes suos ad finem defunctionis inungere, mittentes capitibus eorum oleum & aquam, cum invocationibus: idq; ex opinione, quòd

quòd illa unctione redimantur. Notabilis est historia, quod actio Apostolicæ unctionis, extra donum sanationis, ad morientes transferri cœpit ab hæreticis ea opinione quòd morientes in fine defunctionis, per illam unctionem redimerentur. Illud verè Irenæi tempore, inter hæreses computatum fuit. Consideret autem Lector, quantum illa Irenæi descriptio absit ab extrema Pontificiorū unctione. Dionysius cap. 7. suæ hierarchiæ, super mortuū jam sepeliendum, fundit oleum: id quod simpliciter ex Ethnicorum consvetudine sumptum fuit, sicut Vergilius inquit:

Corpus q; lavant frigentis, & ungunt.

Et notus est Ennii versiculus:

Tarquini corpus bona fœmina lavit & unxit.

Apulejus illud vocat ultimum lavacrum, de asino aureo, lib. 9. Hæc historica ideo observanda sunt, ut consideretur maturè irrepsisse in Ecclesiam superstitiones, circa unctiones morientiū & mortuorum. Sed Irenæi tempore, tales unctiones inter hæreses rejectæ fuerunt. Dionysij verò mortuorum unctionem, ex reliquiis ethnicæ superstitionis servatam Ecclesia non recepit.

Utilis est & hæc observatio, quomodo tandem deventum sit ad extremam Pontificiorum unctionem, pro exeuntibus. Quamdiu in Ecclesia extitit donum sanationis, manfit etjam usus unctionis, simplici oleo. Postea oleo sanctificato, quidam miraculosas ediderunt sanationes: ut de discipulis Antonii. Ruffinus in Ecclesiastica historia, libro 11. cap 4. scribit: Cùm illis oblatus fuisset homo, jam pridem membris omnibus, & præcipuè pedibus aridus, unxerunt eum oleo, in nomine Domini: statimq; confirmatæ sunt plantæ ejus. Sulpitius Severus cap. 21. scribit, sanctum Martinum puellam quandam, paralysis ægritudine ita correptam, ut nullo jam ad humanos usus, corporis officio fungeretur, oleo sanctificato sanitati restituisse. In Tripart. lib. 8. cap. 1. Socrates scribit Monachum Benjamin habuisse gratiam, solo tactu manus, aut oleo sanare morbos. Cùm verò ad oleum sanctificatum, nulla amplius miracula sanationis sequerentur: ne tamen nullus ejus esset usus, Felix IIII. circa annum Domini 528. instituit, infirmos ante obitū oleo esse inungendos. Postea progressu temporis, subinde alia atq; alia addita sunt: donec tandem Sacramentum illud Pontificium, cum omni sua paratura, inde extructum est: quod nunc tanquam à Christo insinuatum, à Iacobo Apostolo promulgatum, tanti ventatur, ut absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus sancti injuria, contemni non posse affirmetur.

Ruffinus.

Sulpitius Severus.

Felix IIII.

Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumq; successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi & ministrandi corpus & sanguinem, nec non & peccata dimittendi & retinendi, sacræ literæ ostendunt, & catholica Ecclesiæ traditio semper docuit.

CANON I.

Si quis dixerit, non esse in novo Testamento sacerdotium visibile & externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi & offerendi verum corpus & sanguinem Domini, & peccata remittendi & retinendi, sed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes, anathema sit.

EXAMEN.

Brevis & facilis est explicatio, si ostendatur, qua de re controversia sit. Clamitant enim eos qui Pontificium sacerdotium non probant, omnem ordinem ex Ecclesia tollere infinita confusione cuivis ex plebe ministerium profituere: ac (quod Tertullianus hæreticis tribuit) ex sacerdotibus laicos facere, & sacerdotalia munera laicis injungere, ut nulla sit ministerii vel authoritas, vel dignitas, &c. Principiò igitur hæc calumnia removenda est: Et meritò improbantur Anabaptistæ & Enthusiastæ, qui usum externi ministerii, verbi & Sacramentorum, vel prorsus ex Ecclesia tollunt, vel fingunt inutile & non necessarium esse. docent enim, potius sine usu externi ministerii, verbi & Sacramentorum, novas & peculiares revelationes & illuminationes à Deo petendas & expectandas esse: & hanc rationem vocationis, illuminationis & conversionis, multò præstantiorem & augustiorem esse, quàm si voce ministerii utamur: & Deus quidem est, cujus virtute, operatione, efficacia, instinctu & afflatu, ea quæ ad vocationem, illuminationem, conversionem, pœnitentiam, fidem, novitatem, & breviter, quæ ad negocium salutis nostræ pertinent, in hominibus inchoantur, efficiuntur, augentur & conservantur. Sed certo suo consilio Deus constituit, se velle illa dispensare, non infusis in hominum animos, novis & peculiaribus revelationibus, illuminationibus & tractatibus, sine aliquo medio, sed per externum ministerium verbi. Illud verò ministerium non Angelis commendavit, ut illorum apparitiones petendæ & expectandæ sint: sed in hominibus posuit verbum reconciliationis, & per illos vult sonare vocem Evangelii, divinitùs patefacti.

Anabaptistæ & Enthusiastæ.

Sunt quidem omnes Christiani Sacerdotes, 1. Pet. 2. Apoca. 1. eò quòd spirituales hostias Deo offerant: quisque etjam domi suæ, verbum Dei docere potest, & debet. Deut. 6. 1. Corint. 14. Non tamen quivis Christianus, publicum verbi & Sacramentorum ministerium sibi sumere & arrogare debet. Non enim omnes sunt Apostoli, non omnes Doctores, 1. Corint. 12. sed qui peculiari & legitima vocatione, à Deo ad hoc ministerium segregati sunt. Actor. 13. Ierem. 23. Roma. 10. idq; fit vel immediatè, vel mediatè. Et quæ sit legitima

DE SACRAMENTO ORDINIS, &c.

CAPVT I.

Sacrificium & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumq; in omni lege extiterit. Cum igitur in novo Testamento, sanctum Eucharistiæ Sacrificium visibile, ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit: fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tima ratio vocationis, quę fit voce Ecclesiæ, Paulus 1. Timoth. 3. & Tit. 1. præscripsit. Et quidem ipse Christus, immediatè quosdam ad hoc ministerium vocavit: ut ostenderet, se probare eorũ ministerium, qui voce Ecclesiæ, juxta regulã ab Apostolis præscriptam, eliguntur & vocantur: quod postea latius explicabitur. Addita verò est etjam promissio, Deum verè efficacem esse per hoc ipsum ministerium docentium Evangeliũ: quod ipse filius Dei, perpetua vocatione vult in Ecclesia conservare, sicut Paulus inquit, Ephe. 4. Ascendit, dedit dona hominibus: & ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Ad hujus igitur ministerii usum, quod Deus instituit, & in Ecclesia conservat, deducendi sunt homines: & docendi, per hoc ministeriũ exhiberi nobis æterna bona, & quidem hoc modo Deus nos recipiat, ac à peccato & potestate diaboli, & æterna morte nos eripiat, ac justitiam & vitam æternam nobis restituat. Hoc verò ministerium, potestatem habet divinitùs concessam, 2. Corin. 10. & 13. sed illam certis officiis & limitibus circumscriptam: prædicare scilicet verbum Dei, errantes docere, peccantes corripere, segnes hortari, anxios consolari, infirmos erigere, contradicentibus resistere, falsam doctrinam taxare & damnare, vitia morum arguere, Sacramenta divinitùs instituta dispensare, peccata remittere & retinere, esse exemplar gregis, orare pro Ecclesia, & privatim & publicas preces Ecclesiæ præire, paucum curam agere, contumaces publicè excõmunicare, & vicissim resipiscentes recipere, & Ecclesiæ reconciliare: instituere ministros Ecclesiæ, juxta Pauli præscriptum: cõstituere cum consensu Ecclesiæ ritus servientes ministerio, qui non pugnent cum verbo Dei, nec onerent conscientias, sed faciãt ad ordinem, gravitatem, decorum, tranquillitatem, ædificationem, &c. Hæc enim sunt, quæ ad duo illa capita pertinent, ad potestatem scilicet ordinis, & ad potestatem jurisdictionis.

Nec verò de vocabulis dimicamus Paulus generali appellatione vocat ministros, Doctores, Pastores. In Scriptura novi Testamenti, appellatio sacerdotum & sacerdotii, nusquam tribuitur ministerio novi Testamenti. Sed Ecclesiasticorum scriptorum usu invaluit, ministeriũ vocare sacerdotium, & ministros sacerdotes. Ita Chrysostomus ἱερατεύειν vocat, quicquid ad ministerium novi Testamenti pertinet. Augustinus de Civit. Dei, lib. 20. inquit: Episcopi & presbyteri, propriè jam in Ecclesia Sacerdotes vocantur. Si igitur hoc tantùm vellent Pontificii, in novo Testamento esse externum Sacerdotium, hoc est externũ ministerium verbi & Sacramentorum, sicut jam explicavimus: nulla esset controversia, nec propter appellationem Sacerdotii moverentur turbæ, modò res quæ verę & necessarię sunt, salvæ essent. Sed quid velint & quęrant, non obscurum est. Nam in primo hoc Canone expressè dicunt, se per sacerdotiũ, de quo dimicant, non intelligere officium & ministerium prædicandi Evangelium: sed in primo capitulo declarant, se propter sacrificium Missæ, de externo & visibili suo sacerdotio pugnare, quod definiunt, principaliter esse potestatem sacrificandi Christum in Missa. Et tale sacerdotiũ ideo fingunt necessarium esse, ut Ecclesia habeat mediatores, qui causam ejus coram summo judice Christo agant: & actione illa sacrificij, offensam Patris placent, & impetrent Ecclesiæ propitiationem, & alia cùm spiritualia dona ad salutem necessaria, tùm etjam corporalia ad hanc vitam pertinentia: imò liberationem animarum ex purgatorio. Sed hoc sacrificium non tantùm commenticium, sed contumeliosum & blasphemum esse in Christum, suprà in loco de Missa ostendimus. Non igitur opus est, peculiarem hoc loco instituere refutationem. Quale enim sacrificium est, tale etjam est sacerdotium. Hanc tantùm commonefactionem addam, quòd primus Canon sacerdotium ipsorum ita sacrificio devovet, ut à ministerio verbi liberet: id quod aliàs multò apertius profitentur: ministerium scilicet docendi, dispensationem Baptismi, & distributionem Eucharistię, quæ per diaconos fieri potest, non esse de substantia sacerdotii Pontificii. Instituatur itaque collatio. Christus dicit: Ite, docete, prædicate, baptizate, Matt. 28. Marc. 16. Paulus dicit: Episcopus tenax sit fidelis sermonis, ac potens exhortari per sanam doctrinã, & contradicentes convincere. Tit. 1. sit aptus ad docendum 1. Timoth. 3. attendat lectioni & doctrinæ, cap. 4. peccantes coram omnibus arguat, cap. 5. &c. Apostoli ideo aliis officiis se exonerãt, ut possent instare doctrinę, & orationi, Actorum 6. Paulus dicit: Non misit me Christus baptizare, sed Evãgelizare, 1 Cor. 1. Hæc verò quæ ad ministerium verbi, hoc est, ad sacerdotium pertinere, Christus & Apostoli affirmant, Pontificii à substantia sui sacerdotii removent. Dispensationem etjam Baptismi, & distributionem Eucharistiæ, non volunt propriè ad suum sacerdotium pertinere. Omnia igitur & singula, in quibus scriptura ministerium novi Testamenti consistere tradit, Pontificii à suo sacerdotio removent & separant. Ex sacrificio verò corporis & sanguinis Christi in Missa, quod præter, imò contra Scripturam in Ecclesiam invectum est, sicut in loco de Missa ostensum est, constituunt substantiã sui sacerdotii. Addunt etjam remissionem & retentionem peccatorum. Sed illam nolunt fieri voce & annunciatione Evangelii, sicut Christus eam instituit, sed actu illo judiciali, de quo in præcedenti loco dictum est. Pontificium igitur sacerdotium, non est ministerium novi Testamenti, sed verè abominatio Antichristi, stans in loco sancto. Veteres quidem aliquando dicunt, sacerdotum esse, offerre corpus & sanguinem Christi: sed quòd illud intelligant de administratione cœnæ Dominicę, juxta Christi institutionem, suprà in loco de Missa ostensum est. Nam & Paulus prædicationem Evangelii, vocat sacrificium. Multi, qui hactenus inter Pontificios aliquid moderationis præ se tulerunt, significârunt se optare talem sacerdotii reformationem, ut ministerium docendi, quod juxta Scripturæ traditionem, ad ministerium novi Testamenti pertinet, sacerdotibus rursus curandum injungeretur. Sed Tridentinum Concilium simpliciter definit sacerdotium, actione sacrificii: & Canon 1. anathema denunciat illi, qui dixerit, eos qui non exercent ministerium verbi & Sacramentorum, non esse Sacerdotes. Vnicum verò fundamentum habent, quia scilicet in veteri Testamento, fuit sacerdotium ad offerendas victimas: & in novo Testamento, est impletio umbrarum veteris. Sed inde non conficitur Pontificiorum sacerdotium. Sacrificia enim veteris Testamenti, impleta & consummata esse in novo, unica victima veri Pontificis nostri Christi, Epistola ad Hebræos prolixè docet. Sed inquiũt: Paulus tamen disputat, 2. Corinth. 3. si ministerium veteris Testamenti, fuit in gloria, multò amplior erit gloria ministerii novi Testamenti. Respondeo: Quid sit ministerium illud novi Testamenti, & quæ officia ad illud pertineant, non est constituendum ex κακοζηλίᾳ ceremoniarum veteris Testamenti: sed discendum est ex descriptionibus Christi & Apostolorum, in novo Testamento.

Pontificiorũ sacerdotiũ.

Obiectio Pontificiorum.

Chrysostom. Augustinus.

CAPITVLVM II.

Cùm autem divina res sit sancti sacerdotij ministerium, consentaneum fuit, quo dignius & majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione, plures & diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent: & ita distributi, ut qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed & de diaconis sacræ literæ apertam mentionem faciunt: & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent: & ab ipso Ecclesiæ initio, sequentium ordinum nomina atque unuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistæ, Lectoris & ostiarij, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad maiores ordines, à Patribus & sacris Concilijs refertur: in quibus & de alijs inferioribus frequentissimè legimus.

CANON II.

Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines, & maiores, & minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tenda-tur, anathema sit.

EXAMEN.

Hoc loco de septem suis ordinibus, hoc est, de umbra potius & larva inanium titulorum, quibus res ipsæ in ipsorum Ecclesia nec subsunt amplius nec adsunt, dimicant Pontificii. Illud tamen non gratis faciunt, sed propter pingves illas præbendas: quæ titulis illis, tunc cùm vera adhuc ministerii officia, ipsis conjuncta erãt, annexæ sunt. Illa præbendarum beneficia, ut collapsis & rejectis officiis, specie aliqua retinere possint, ex ociosis titulis fecerũt totidem Sacramenta: atq; ideo de hac sua Helena pugnant.

Res autem ita se habet. Quia ad ministerium Ecclesiæ, multa pertinent officia, quæ in magna credentis populi frequentia non possunt commodè, omnia & singula ab uno vel à paucis expediri: ut igitur ordine, decenter, & ad ædificationem omnia fierent, cœperunt multiplicato Ecclesię cœtu officia illa ministerii, in gradus quosdam ministrorũ distribui, quos τάξεις seu τάγματα postea appellârunt: ut quisque haberet designatam certam quasi stationem, in qua certis ministerii officiis, Ecclesiæ inserviret. Ita Apostoli principiò curârunt ministerium verbi & Sacramentorum, & simul etjam eleemosynarum contributionem & dispensationem. Posteà verò crescente numero discipulorum, partem illam ministerii, quæ ad eleemosynas pertinet, aliis quos diaconos nominabant, commendarunt. Et rationem qua illud faciunt, assignant: ut scilicet ipsi, ministerio verbi & orationi diligentius, sine avocamentis, instare possent, Actorum sexto. Et hæc prima origo graduum seu ordinum ministerii, in Ecclesia Apostolica, ostendit, quæ causa, quę ratio, quis finis & usus debeat esse hujusmodi seu graduum seu ordinũ: ut scilicet pro ratione cœtus Ecclesiastici, singula officia, quæ ad ministerium pertinent, commodius, rectius, diligentius, & ordine, cum aliqua gravitate, ad ædificationem obeantur. Et quia Apostoli, ex diaconis postea qui probati erãt, assumpserunt ad ministerium docendi, ut Stephanum & Philippum: colligitur hunc etjam usum esse horum seu graduum seu ordinum, ut in minoribus prius præparentur & probentur, ut postea graviora ministerii officia, tutius & cum utilitate ipsis commendari possint. Et hoc est quod Paulus dicit, 1. Timoth. 3. Probentur primùm, & sic ministrent. Item: Qui in diaconatu benè ministraverint, gradum bonum sibi acquirent. Ita in Liturgia Antiochenæ Ecclesiæ, Actorũ 13. fuerunt Prophetæ & Doctores: quorum illi vel de futuris vaticinabantur, vel difficiliora Scripturæ loca interpretabantur, 1. Corin. 15. hi elementa doctrinæ Christianæ populo proponebant. Hebr. 5. Paulus & Barnabas assumunt Marcum in ministrum, Actor. 13. non ut corporalia tantũ ipsis ministeria exhiberet, sed ut partes quasdam ministerii verbi, ipsi commendare possent: sicut expressè dicit Paulus Actor. 15. In Corinthiaca Ecclesia fuerunt Apostoli, Prophetæ, Doctores: quidam linguis loquebantur, quidam interpretabantur, quidam habebant Psalmos, quidam orationes, benedictiones, & gratiarum actiones, non in privatis exercitiis, sed in publicis Ecclesiæ conventibus. 1. Corinth. 12. & 14. Ad Ephesios 4. recensentur hi ministerii gradus: 1. Apostoli, qui non erant ad certam aliquam Ecclesiam, nec per homines, sed immediatè à Christo vocati: & habebant mandatum ubique docendi, & ornati erant testimonio spiritus & miraculorum, quòd in doctrina non errarent, sed quòd divina & cœlestis esset ipsorum doctrina, ad quam reliqui Doctores omnes alligati essent. 2. Prophetę, qui vel revelationes habebant de futuris, vel qui lingvas & Scripturas interpretabantur pro provectioribus: hęc enim 1. Corinth. 14. tribuuntur Prophetis novi Testamenti. 3. Evangelistæ, qui non erant Apostoli, & tamen non erant ad unam certam aliquam Ecclesiam destinati,

Origo graduum seu ordinum ministerij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nati, sed mittebantur ad diversas Ecclesias, ut ibi Evangelium docerent, præcipuè verò, ut prima fundamenta jacerent. Talis Evangelista fuit Philippus, Actor. 21. Timotheus, 2. Timoth. 4. Tychicus, Sylvanus, &c. Tales etjam Evangelistas, post Apostolorum tempora fuisse testatur Eusebius lib. 3. cap. 37. &c. 4. Pastores, qui certo gregi Ecclesiæ præfecti erant: sicut ostendit Petrus, 1. Pet. 5. & non tantùm docebant, sed & Sacramenta administrabant, & habebant inspectionem auditorum: sicut Ezechiel cap. 35. officium pastoratus describit. 5. Doctores, quibus non erat commendata præcipua Ecclesiæ gubernatio vel inspectio, sed tantùm doctrinam simpliciter populo proponebant: quales postea fuerunt κατηχοῦντες. Ita Rom. 2. Paulus vocat διδάσκαλον νηπίων. Et ita in hac significatione expressè usurpatur verbum διδάσκειν, Hebr. 5. Hos verò gradus omnes. Apostoli complectuntur appellatione Presbyterii & Episcopatus: aliquando etjam generali appellatione vocant diaconos, quibus ministerium verbi & Sacramentorum commissum est. Coloss. 1. 1. Thessal. 2. Cor. 3. & 11. Ephes. 3. Ipse etjam Paulus aliquando ministerium verbi ita curavit, ut Sacramentorũ administrationem aliis commendaret. 1. Cor. 1. Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare. & 1. Tim. 5. meminit duplicium presbyterorum: quorum alii laborabant in verbo & doctrina, alii censuris Ecclesiasticis præpositi erãt: cujus presbyterii etjã Tertul. meminit in Apologetico cap. 39. Hi fermè gradus sunt, in quos distributa leguntur officia ministerii Ecclesiastici tempore Apostolorũ. Et habet illa distributio, exempla veteris etjam Testamenti. David enim 2. Paral. 23. & sequentibus, ministerium templi in certos gradus seu ordines distribuit. Fuerunt etjam in synagoga Lectores, qui tantùm textum Scripturæ legebant. Fuerunt verò præterea Doctores, qui interpretabantur Scripturam, & accommodabant textũ ad exhortationes, Luc. 2. Act. 15. Et hæc fuit differentia inter Scribas & Pharisæos. Addenda verò est propter præsentem disputationem hæc commonefactio. 1. Non esse verbo Dei mandatũ, qui vel quot, tales gradus seu ordines esse debeant. 2. Non fuisse tempore Apostolorum, in omnibus Ecclesiis, & semper, eosdem & totidem gradus seu ordines, id quod ex epistolis Pauli, ad diversas Ecclesias scriptis manifestè colligitur. 3. Non fuit tempore Apostolorum, talis distributio gradũ illorum, quin sæpius unus & idem, omnia illa officia, quæ ad ministerium pertinent, sustineret & exequeretur: id quod ex Apostolica historia manifestũ est. Liberæ igitur fuerunt tempore Apostolorum, tales ordinationes, habita ratione ordinis, decori & ædificatiõis: nisi quod tunc peculiaria quædam dona, ut lingvarũ, Prophetiæ, Apostolatus, & miraculorum, certis quibusdam personis à Deo collata fuerunt. Illi verò gradus, de quibus hactenus diximus, non fuerunt aliquid præter & extra ministerium verbi & Sacramentorum: sed ipsa & vera officia ministerii, in gradus illos distributa fuerunt, propter causas jam expositas.

Illud Apostolorum exemplum, primitiva Ecclesia eadem ratione, & simili libertate imitata est. Gradus enim officiorum ministerii distributi fuerũt: non autem eadem planè ratione, sicut in Corinthiaca, vel in Ephesina Ecclesia, sed pro ratione circumstantiarum cujusq; Ecclesiæ. Unde colligitur, quæ fuerit in distributione illorũ graduum libertas.

Dionysius cap. 5. suæ hierarchiæ, expressè tres tantùm ordines numerat: 1. ἱεράρχας, cui tribuit summum & perfectissimum docendi officium, in declaratione omnium mysteriorum Christi, & administrationem Sacramentorũ. 2. τοὺς ἱερεῖς sacerdotum, qui in catechesi institutum, pientius eruditunt, & ad Pontificem ducunt, adjuvant in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem pertinent. 3. τοὺς λειτουργοὺς ministrorũ, quibus tribuit officiũ purgandi & præparandi initiandos, hoc est, catechizandi. Et cap. 3. Ministrorum, inquit, officio, sacrarum Scripturarum lectio suo ordine recitatur. Item: Ministrorum alii pro claudendis templi foribus astant, quãdo ejiciũtur catechumeni, pœnitentes, energumeni. alii aliud officium habent, exuunt baptizandum, &c. Vides, numerat multa ministerii officia, nec tamen singulis peculiares ordines attribuit, sed tres tãtùm ordines numerat. Canones Apostolorum nominant Episcopum, presbyterum, diaconum, lectorem, & cantorem: non autem ibi mentio fit ostiarii, exorcistæ, acoluthi. Ambrosius in 4. caput ad Ephesios, describens gradus officiorũ ministerii sui temporis; recenset Episcopos, presbyteros, diaconos, lectores, exorcistas. In libello qui Hieronymo inscribitur, de septem gradibus Ecclesiæ, non recensentur exorcistæ & acoluthi. Non igitur catholicum dogma est, de septem illis ordinibus. Quidam verò veterum plures, ultra septem illos numerant ordines. Ignatii epistola annumerat τοὺς ποιμαίνοντας, quos Epiphanius vocat ποιμαίζοντας. Hieronymi libellus vocat fossores, qui scilicet mortuorũ funera curabant, & sepeliebant. Græcis est peculiare officiũ syngelorum. Ignatius ordinibus annumerat, confessores: Clemens, catechistas. Canonistæ numerant 9. ordines. Psalmistas enim & Episcopos annumerant. Multiplicatio verò Ecclesiasticorum ordinũ, inde postea orta est. Cyprianus enim lib. 3. epist. 22. ostendit, talem fuisse disciplinam, ut nihil quod in Ecclesia & rebus Ecclesiæ, etjam si non propriè ad ministerium verbi pertineret, agendum esset, per alios exequerentur quàm per clericos. Atq; ità pedisequos seu famulos Episcoporum & presbyterorum, oportebat esse clericos. Inde postea ex clericis sumpti sunt œconomi, defensores, vicedomini majores domus. Erant igitur clerici, qui peculiari & arctiori disciplina formabantur & præparabantur ad ministerium Ecclesiæ. Atq; illi primùm ad minora quædam officia adhibebantur, ut in illis studiũ, diligentia, fides & gravitas ipsorũ probaretur, an idonei futuri essent ad majora & graviora ministerii officia. Et in frequentioribus Ecclesiis, cum præsertim undiq; ex agris, vicis & oppidulis ad metropolitanam Ecclesiam, præsertim in solennioribus festis, convenienciũ esset, sicut multi veteres Canones hoc præcipiunt, unus vel pauci, non potuerũt omnia & singula ministerii officia obire. Distincti igitur

tur fuerunt gradus seu ordines non ociosis titulis, sed certis officiis, ad ministeriũ Ecclesiæ pertinentibus. Erat Episcopus tractans verbũ Dei, & curans disciplinam Ecclesiæ. Erant presbyteri docentes & administrantes Sacramenta. Erant diaconi, præfecti thesauris Ecclesiæ, ut inde pauperum, & præcipuè ministrorũ Ecclesiæ, sustentationem curarent. Postea diaconi etjam ad sublevandam partem aliquam ministerii Episcopi & presbyterorum, adhiberi cœperunt: sicut testatur etjam Hieronymus ad Rusticũ: ut ad prælegendum aliquid ex Scriptura, ad docendum, exhortandum, &c. monere populum, ut intenti essent, corda haberent ad Dominum, pacem annunciare, parare ea, quæ pertinent ad administrationem Sacramentorum, distribuere populo Sacramenta, ordinandos deferre ad Episcopũ, de iis quæ ad disciplinã pertinent, monere Episcopos, &c. Conqueritur autem Hieronymus ad Rusticum Narbonensem, talia multa diaconis, in Romana præsertim Ecclesia impositа fuisse, præter Apostolicam disciplinam, & præter morem aliarum Ecclesiarum: ita ut primum & verum diaconorũ officium, in diaconis fermè obliteratum fuerit. Quia enim novis illis officiis diaconi occupabantur, substituti fuerunt illis subdiaconi, qui oblationes fidelium, quæ pro sustentatione pauperũ & ministrorum contribuebantur, colligebant. Erãt præterea Lectores qui ex Scriptura præsertim ex veteri Testamẽto publicè populo prælegebant: novi enim Testamenti lectio postea diaconis attributa est. Erant Psalmistæ seu cantores, qui præcinebant, quæ totus populus canere solebat: Erant ostiarii, seu janitores, qui tempore mysteriorum, post denunciationem diaconi, templo ejiciebant gentiles, catechumenos, pœnitentes, energumenos, hæreticos, & excõmunicatos. ita enim Dionysius hoc officium describit. Episcopi, presbyteri, & diaconi, habebant suos famulos, ministros, comites seu assectatores, quorum opera, si necessitas exigebat, utebantur: sicut Paulus Onesimi opera usus fuit. Illos nominarunt ἀκολούτους: unde postea insciția fecit cæroferarios, Erant præterea exorcistæ, qui donum habebant ejiciendi aut compescendi dæmonia.

Hæc distributio graduum, in frequentioribus Ecclesiis, ratione officiorum quæ ad ministeriũ pertinent, utilis fuit, ordinis gratia, ad decorum & ad ædificationem. In minoribus verò, seu rarioribus Ecclesiis, non necessaria judicata fuit talis graduum distributio: & in frequentioribus etjam, non ubique similis & eadem fuit graduũ illorum distributio. Hæc verò ratione, in hunc usum, & ea libertate, plerique illi veteris Ecclesiæ gradus, apud nos etjam servantur.

Hæc recensui, ut eò cõmodius ostendi possit, quid in hoc capitulo, de gradibus seu ordinibus Ecclesiasticis, in controversia positum sit. Neque enim distributionem illorum graduum, qualis fuit in Apostolica & in veteri Ecclesia, simpliciter rejicimus aut damnamus: sed pro ratione necessitatis & ædificationis, in nostris Ecclesiis illa utimur, eo modo, sicut dictũ est. Hoc verò justè & meritò in Pontificiis ordinibus reprehendimus: 1. quòd titulus sine re, & beneficia titulorum sine officiis, retineant & usurpent. Cùm enim Canonici officia ministerii verbi & Sacramentorum, ex suis amplissimis templis, ad angustas & humiles parrochiarum ædiculas, ubi unus vel duo omnia ministerii officia obire cogebãtur, rejecissent, retinuerũt ipsi ociosos quidem titulos, quia si ministerii officiis: nõ tamen inanes titulos, propter pingves enim præbendas titulos ordinum retinuerunt. Episcopi non amplius docebant, presbyteri non administrabant populo Sacramenta, non contribuebantur amplius oblationes, cùm Ecclesiæ satis dotatæ essent. Ad quid igitur opus fuit vel diaconis, vel subdiaconis? disciplina ejiciendi catechumenos, pœnitentes & energumenos, jamdudum collapsa est. Quis igitur usus est ostiariorum? ut enim fores templi occludantur, ut canes expellantur, ut pavimentum purgetur, ad illud non est opus peculiari ordinis Sacramento. Lectores non legunt, ut populus intelligat: Cantores nõ præcinunt, ut populus simul canat. Non igitur habent vel lectores vel Cantores: quales in veteri Ecclesia fuerunt, non habent donum expellendi dæmonia: qualis igitur apud ipsos ordo est exorcistarum? Ministri Episcoporum & presbyterorũ, equites & milites sunt: & tamen de Sacramento ordinis acoluthorum multa disputant. Prorsus nullus igitur veri ministerii Ecclesiastici gradus seu ordo in eo officio, sicut in Apostolica & veteri Ecclesia fuit, apud Pontificios reperitur, sed vacuos tantùm titulos habent. Hoc etjam in ludibrium verterunt, quod juxta veteres Canones, nemo ad superiores ordines assumi debet, nisi prius in minoribus probatus fuerit. Vel enim simul, vel exiguo intervallo, cõferunt omnes minores ordines, & in illis ipsis tamen, nullas veras ministerii functiones exercent, quibus ad verbi & Sacramentorum ministerium præparari possent. 2. Titulis illis adulterina supposuerunt officia, rejecto vero & legitimo ministerio verbi & Sacramentorum. Ex Episcopatu enim fecerunt politicã dominationem, ex presbyteris fecerũt sacrificulos, ex acoluthis fecerunt cæroferarios. quia enim veteres alicubi dicũt fuisse ministros luminarium, in nocturnis conventibus. Pontificii finxerunt acoluthũ Græcis significare, Latinis cæroferariũ, solem in media luce facibus illuminantem: interpretatione prorsus falsa, inepta & barbara. Ex ostiariis fecerunt thesaurarios. Lectores & Cantores quantũ à forma veteris Ecclesiæ degenerarint, sola collatio ostendit. Et postremò, omnes ordines, majores & minores, tandẽ transformati sunt in lectores & cantores: quid enim aliud quotidie aguntꝰ idꝰ contra ipsos Canones, dist. 92. In sancta Romana. Exorcistas trãsformarũt in magicos incãtatores. Olim enim fuit peculiare donũ, voce humana, & potestate divina flagellare, urere, torquere, & de corporibus exigere diabolũ: vel certè compescere. Fuisse donũ illud suo adhuc tempore in Ecclesia, Tertull. testatur in Apologetico. Et Cyprian. lib. 4. epist. 77. Quod hodie, inquit, etjam geritur per exorcistas. Ambrosius etjam lib. 1. cap. 44. Alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu, sollicitior. Augustini etjam tempore donũ illud adhuc fuisse, colligitur lib. 10. de Civit. cap. 12. Chrysost.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò & Prosperi ętate, obsessi in templum adducebantur, & sæpe communibus Ecclesiæ precibus liberabantur. Postea cùm donum illud desiisset, ut tamen exorcistarum ordo retineretur aliud excogitatum fuit quod ipsis tribueretur officium: ut scilicet catechumenos baptizandos, exorcismis & exufflationib. præpararent ad Baptismum: sicut testatur liber de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 51. Et Nazianzenus inquit: Ne ægrè feras exorcismi culturam longiorem, neq; ob illius prolixitatem defatigeris. Sed non fuit talis peculiaris exorcizandi actio, in Apostolica Ecclesia, nec exorcistarum veteris Ecclesiæ hoc fuit officium & nunc illud ne apud Pontificios quidem servatur. Ostendit autem hoc exemplũ, quid faciat κακοζηλίαε. Cùm donum ejiciendi dęmonia desiisset, & tamen vellent ordinem exorcistarum retinere: aliud & novum quod ipsis tribueretur, excogitatum est officium. Quidam verò recitationem exorcismorũ retinuerunt, cùm tamen donum ejiciendi dæmonia nõ haberent. Inde tandem ad superstitiosos exorcismos, & ad magicas verius incantationes, κακοζηλίαε illa transiit. Cumq; ipsi dæmones, exorcismis illis jam illudant, nihil reliqui nunc est apud Pontificios, de exorcistarum officio, præter nudum titulum: qui enim exorcismis apud ipsos utuntur, non sunt illi, qui peculiariter ad hoc ordinati sunt. Quomodo igitur functionem exorcistarum, qualis fuit in veteri Ecclesia, restituere pollicentur Tridentini Patres? cùm donũ illud ejiciendi dæmonia, nec habeant, nec conferre possint. In veteri Ecclesia fuerunt Prophetæ seu vates, fuerunt etjam Evangelistæ, sicut testatur Evsebius lib. 3. cap. 37. Quàm ineptum verò esset, cùm dona illa defierint, velle jam inde peculiares ordines in Ecclesia facere? Et idem est de Exorcistis etjam.

Tertium, quod in Pontificiorum doctrina de Ordinibus improbamus, illud est, quòd fingunt ex institutione & mandato Christi, & ex Apostolorum traditione, necessarium esse, ut tot ordines sint in singulis Ecclesiis. Antea enim diversum ostendimus, ex Apostolica historia. Et Patres, quorum ætate fuit talis graduum ministerii Ecclesiastici distributio, expresè fatentur, illam non esse vel mandati divini, vel traditionis Apostolicæ. Ambrosius enim in 4. cap. ad Ephes. cùm ordines suæ Ecclesiæ recensuisset, subjicit: olim Episcopum omnia officia Ecclesię, in ministerio fidelium impleviśe: sed postquam omnibus locis Ecclesię sunt constitutæ, & officia ordinata, aliter compositam rem fuisse, quàm cœperat. Et mox addit: Ideo non per omnia cõveniũt scripta Apostoli, ordinationi, quæ nunc est in Ecclesia: quia hęc inter ipsa primordia sunt scripta. Et Hugo dicit: Ordines istos diversis locis disponi, non solùm voluntaria ordinatione spiritualium Patrum, sed ex ipso quoq; gentilitatis usu convenienti ratione assumpta. Quàm bellũ igitur figmentum est, Christum ipsum per omnes illos ordines transiisse, fuisse ostiarium, quando ementes & vendentes templo expulit: Lectorem cùm in Isaia legeret ex libro: exorcistam, quando dæmones expulit: acoluthum, quando dixit: Ego sum lux mundi: subdiaconum, quando discipulorum pedes lavit: diaconũ, quando distribuit Eucharistiam, presbyterum, quando in ara crucis se obtulit, & Eucharistiam consecravit.

Postremò, ideo de ordinibus illis dimicant Pontificii, ut ex singulis peculiaria faciant Sacramenta, etjamsi ociosi tantùm prætendantur tituli. Atqui augustum est Sacramenti nomen in Ecclesia: nec ita prostituendum est, ut ad cæroferarios dejiciatur, vel ad illos, qui canes ex templis nunc abigunt.

CAPITVLVM III.

Cùm Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem (quæ verbis & signis exterioribus perficitur) gratiam conferri: dubitare nemo debet ordinem esse verè & propriè unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis, inquit enim Apostolus: Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis & sobrietatis.

CANON III.

Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem nõ esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum: vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis: aut esse tantùm ritum quendam eligendi ministros verbi Dei & Sacramentorum, anathema sit.

CANON IIII.

Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustrà Episcopos dicere: Accipite Spiritũ sanctum: aut per eam non imprimi characterem, vel eum qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.

CANON V.

Si quis dixerit, sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantùm non requiri, sed contemnendam & perniciosam esse, similiter & alias ordinis ceremonias, anathema sit.

EXAMEN.

Hoc loco quæstio illa disputatur, An ordinatio sit verè & propriè Sacramentum novi Testamenti? Et de re ipsa prius dicendum est, ut postea de appellatione Sacramenti facilius & rectius constitui possit. Ministerium igitur verbi & Sacramentorum, sicut suprà illud descripsimus, institutum esse à filio Dei in novo etjam Testamento, nullum est dubium. Habet etjam Ecclesia mandatum, de vocandis & constituendis ministris. Et addita est promissio, 1. Deum approbare ministerium illorum, qui voce Ecclesiæ vocati, & ad ministerium segregati sunt. Ita Actorum 20. Paulus dicit, eos qui mediatè vocati erant, à Spiritu sancto constitutos esse, ad pascendam Ecclesiam Dei. Et Ephes. 4. scribitur, filium Dei dare dona non tantùm Apostolos, verum etjam Pastores & Doctores, qui mediatè vocantur.

tur. 2. addita est promissio, Deum daturum gratiam & dona, quibus ea quę ad ministerium pertinent, rectè, fideliter & utiliter præstare & exequi possint, qui legitimè vocati sunt. Iohan. 20. Accipite Spiritum sanctum. Item: Tunc aperuit illis mentem, ut intelligerent scripturas. Matth. 18. Ecce ego sum vobiscum, &c. 1. Timoth. 4. Noli negligere donũ quod in te est, per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. 2. Tim. 1. Resuscita donum quod est in te, per impositionem manuum mearum. Lucæ 21. Dabo vobis os & sapientiam. Matthæi decimo, Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. 3. addita est & hæc promissio, Deum adesse ministerio, dare sua benedictione, plãtationi & rigationi incrementum, & verè efficacem esse per ministeriũ: vocare, illuminare, convertere, dare pœnitentiam, fidem, regenerationem, renovationem: & breviter, totum negotium salutis dispensare per ministerium. Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum. Iohan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Matt. 16. Tibi dabo claves regni cœlorũ, quæ solveris in terra, soluta erunt in cœlo. 2. Corin. 3. Est ministerium nõ literæ, sed Spiritus, qui vivificat, collit velamen à cordibus, ut convertantur & liberentur, ut revelata facie gloriam Domini contemplantes, in imaginem ejus transformemur. 2. Corinth. 5. Posuit in nobis verbum reconciliationis: legatione igitur pro Christo fungimur, Deo exhortante per nos. 1. Corinth. 13. An experimentum queritis ejus qui in me loquitur Christus? Ephes. 4. Dedit dona hominibus, Apostolos, pastores, doctores, ad coagmentationem sanctorum, in opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi: ut omnes occurramus in unitatem fidei & agnitionis Christi, ne fluctuemus & circumferamur omni vento doctrinæ, &c. 1. Corinth. 3. Deus incrementum dedit. 1. Cor. 15. Non erit labor vester inanis in Domino. Roma. 1. Dedit mihi gratiam & Apostolatum, ad obedientiam fidei. Impartiar vobis aliquid gratiæ spiritualis. Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. 1. Timoth. 4. Attende doctrinæ: hoc faciens, teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt. 1. Corint. 4. In Christo per Evangelium ego vos genui.

Hæ amplissimæ & dulcissimæ promissiones de ministerio, quasi in illustri loco positæ extare debent in Ecclesia, ut dignitas ministerii ornetur contra phanaticos: utiq; illi quibus ministerium commendatum est, majori alacritate labores obeant, & difficultates tolerent: & homines reverenter discant ministerio uti. Sine prædicatione enim & auditu verbi, non est fides, invocatio & salus, Rom. 10. Nemo autem potest prædicare, ut ex auditu fides sequatur, nisi missus sit, Roma. 10. Deinde constat & hoc, vocationem ad ministerium Evangelii, debere publicũ testimonium, & publicam testificationem Ecclesiæ habere, propter illos qui currunt, & non sunt missi, Ierem. 23. Ideo Apostolicorum vocationem, qui legitimè ad ministerium verbi & Sacramentorum electi erant publico aliquo testimonio, & publica testificatione Ecclesiæ declarabant, & quasi designabant. Nam & Paulum immediatè vocatum S. S. publica Ecclesię testificatione, renunciari & designari voluit, quòd esset gentium Apostolus. In illa verò vocationis publica approbatione, testificatione, seu renunciatione, cùm esset publica actio Apostoli externum ritum impositionis manuum, qui illo tempore, in illo populo usitatus erat, adhibuerunt, cùm propter publicam vocati designationem, tùm verò propter preces & orationes, quæ ab universa Ecclesia, super personam vocatam fiebant. Ad hanc actionem valde accommodatus fuit ritus impositionis manuum: ut persona illa Ecclesiæ publicè designaretur & renunciaretur, legitimè esse electa & vocata. Hoc enim ritu Moses Deute. 34. populo designat & renunciat vocationem Iosuę, successoris sui. 2. Vt hoc ritu ille qui vocatus erat, de legitima & divina sua vocatione confirmaretur: & simul admoneretur, se destinari, addici, & quasi devoveri ad ministerium & cultum Dei. Ita victimis imponebantur manus, Et ita Iosue confirmatur in sua vocatione. 3. Vt esset quasi publica & solennis Ecclesiæ coram Deo protestatio, in electione & vocatione servatam esse formam & regulam, à Spiritu sancto præscriptam.

Ideò Paulus inquit 1. Timoth. 5. Manus citò nemini imposueris, nec communices peccatis alienis. 4. Vt illo visibili ritu significetur, Deum approbare vocationem, quæ fit voce Ecclesiæ, sicut enim voce Ecclesiæ Deus ministros eligit, ita etjam testificatione Ecclesiæ, vocationem approbat. Ita diaconorum vocatio approbatur, Act. 6. Et inde fit, quòd Deus largitur gratiam per impositionem manuum. 5. In orationibus, quãdo super personam aliquam peculiariter invocabatur nomen Domini, adhiberi solebat impositio manuũ: quia persona illa, quasi offerretur Deo, & sisteretur in conspectum ipsius, additis supplicationibus, ut Deus gratiam & benedictionem suam, illi largiri dignaretur. Ita Iacob imponit manũ pueris quibus benedicit, Gen, 48. ita presbyteri orant super ægrotos, Iacobi quinto: ita Christus imponens manus, benedicit parvulis, Marci 10. Et quia multum valet deprecatio iusti, si fuerit ἐνεργουμένη, hoc est, actuosa seu operosa. Vt igitur in ordinatione ministrorum, considerata muneris illius utilitate & difficultate, propositis etjam impedimentis Sathanæ, mundi & carnis, significaretur, quàm necessaria sit peculiaris gratia & benedictio divina, atq; ita oratio Ecclesiæ accenderetur, & juxta Iacobum redderetur actuosa seu operosa: ideo exhibitus fuit externus ritus impositionis manuum. Additum etjam fuit jejunium orationi, Act. 13. Et hæc seria oratio in ordinatione ministrorũ, quia nititur mandato & promissione divina, non est irrita. Hoc verò est quod Paulus dicit: Donũ quod est in te, per impositionem manuum.

Si hoc modo intelligatur ordinatio, de ministerio verbi & Sacramentorum, jamdudũ Apologia Augustanæ confessionis, nostrarum Ecclesiarum sententiam declaravit: nos non gravatim ordinem vocaturos Sacramentum. Et additur ibi: Neq; impositionem manuum, vocare Sacramentũ gravabimur. Latè enim vocabulum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacramenti patere, suprà ostendimus. Ita Augustinus lib. 2. contra Parmenianum dicit, ordinationem Sacramentum esse, quia consecratione quadam homini conferatur.

Addenda verò est hæc commonefactio, ritum ordinationis, discernendũ esse à ceremonia Baptismi & cœnæ Dominicæ: non enim eadem ratione ordinatio est Sacramentum, sicut Baptismus & cœna Domini. Et discrimen manifestum est. Baptismus & cœna Domini, sunt media seu organa, per quæ Deus promissionem reconciliationis seu remissionis, applicat & obsignat singulis credentibus, qui Baptismo & cœna Dominica utuntur. Tale verò medium seu organon, non est ritus ordinationis: neque enim omnes ordinandi sunt, qui cupiũt & petunt sibi applicari & obsignari remissionem peccatorũ. Multi etiam, ut Iudas, accipiunt quidem & habent gratiam ordinationis, non autem habent gratiam reconciliationis, seu remissionis peccatorũ. Est igitur discrimen inter promissiones, quæ additæ sunt ordinationi, & quæ Baptismo & Cœnæ Dominicæ additæ sunt. Deinde etiam in ipsa ceremonia, seu ritu externo discrimen est. In Baptismo enim & cœna Dominica, ipse filius Dei instituit, præscripsit & mandavit certum externum elementum, certam ceremoniam seu ritũ. In ordinatione verò, sicut eam nunc intelligimus, Christus semel adhibuit externum symbolum, cùm die resurrectionis insufflaret in discipulos, Iohannis 20. Non autem addidit mandatum, ut Ecclesia ritum illum insufflationis, in ordinatione ministrorum imitaretur. Et Marci tertio, Matthæi decimo, Lucæ 9. & 10. dedit virtutem & potestatem Apostolis, & septuaginta discipulis, cùm ministeriũ ipsis commendaret: sed ad illam collationem, nullo externo vel symbolo vel ritu usus legitur. Ante ascensionem in Galilæa, Matth. 28. Marc. 16. cùm dicit: Ite in orbem universum, prædicate, baptizate, &c. ibi addit quidem promissionem: Ego vobiscum sum, sed nullum visibile signum, seu ritum externũ adhibet. Ita in ultima cœna, cùm dicit: Hoc facite, nullum externum ritum ordinationis adhibuisse legitur. Et dignum est consideratione, quòd Apostoli cùm vellent adhibere externũ aliquem ritum in ordinatione, non sumpserunt symbolum insufflationis, quo tamen Christus usus fuit: ne scilicet existimaretur, Christum dedisse mandatum, de usurpando ritu illo insufflationis. Sumpserunt igitur alium ritum indifferentem & liberum, impositionis scilicet manuum, neque enim necessitatẽ voluerunt Ecclesiis imponere, de qua ipsi nullũ habebant Christi mandatum. Habet igitur ministerium verbi & Sacramentorum, promissiones divinas, & illi nititur oratio in ordinatione: sed illæ promissiones nõ sunt alligandæ ritui impositionis manuum, de quo nec mandatum Christi, nec talis promissio extat, sicut de ritu Baptismi & cœnæ Dominicæ. Hæc cõmonefactio propterea addenda est: Pontificii enim contendunt, ordinationem verè & propriè esse Sacramentum novi Testamenti, sicut est Baptismus & cœna Domini.

Hanc sententiam ideo explicare volui, ut constet quid Augustana confessio, de ordinatione ministrorum verbi & Sacramentorum sentiat. Tridentina verò congregatio in 3. Canone expressè dicit, se ordinationem de qua dimicat, nõ intelligere ritum eligendi ministros verbi Dei & Sacramentorum, hoc est, Pontificii Sacramentum ordinis, non intelligunt de ministerio verbi & Sacramentorum, ita sicut jam Scripturæ sententiam exposuimus: sed intelligunt de sacrificio pro vivis & mortuis, per quod Sacerdotes impetrent vivis gratiam Dei, & omnia necessaria dona, mortuis verò liberationem ex purgatorio. Et hoc volunt quando disputant, in ordinatione conferri gratiam, & dari Spiritũ sanctum. Secundò, exterioribus signis & ritibus, de quibus nullum extat vel mandatum vel promissio Dei, ita alligant gratiam Dei, ut fingant eum cui omnes ritus Pontificiæ ordinationis adhibiti non sunt, nõ posse habere gratiam quæ ad ministerium necessaria est, nõ posse peccata remittere, non consecrare Sacramentum corporis & sanguinis Christi: eum verò qui ipsorum ritibus ordinatus est, etiamsi nunquam exerceat, vel exercere cogitet ministeriũ verbi & Sacramentorum, habere tamen propter ritus illos, perpetuò impressam ordinis gratiã, & Spiritum sanctum. Tertiò, in ipsis exterioribus ritibus ordinationis, ab exemplo Apostolorũ procul recesserunt. Diximus de Apostolorũ modestia, quòd noluerint symbolũ insufflationis, in ordinationibus usurpare, quo tamen Christus usus fuit cùm nõ haberẽt mandatũ Christi: nec sine promissione divina, voluerunt sibi hoc sumere, quasi afflatu suo possent cõferre Spiritum sanctũ. Sed suffraganeus apud Pontificios, sine pudore sibi hoc arrogat. Insufflãs enim in ordinatos, inquit: accipite Spiritũ sanctũ. Sed ubi mandatum? ubi promissio? Et blasphemia est fingere, in fœtido suffraganei anhelitu, inclusum esse Spiritũ sanctũ, ut insufflando dicere posit: Accipe Spiritũ sanctum. In Concilio Aphricano 4. describuntur ritus, quomodo externa traditione certorum instrumentorum, additis verborũ admonitionibus, soliti tunc fuerint vocatis cõmendari gradus ministerii Ecclesiastici. Et utilis fuit disciplina, ut de officio suo admonerẽtur vocati. Sed hæc ita interpretari, ut accedentibus verbis illis ad ritus istos, fiat inde sine mãdato & promissione Dei, tale Sacramentum, sicut quando in Baptismo & cœna Domini, verbum accedit ad elementum, & fit Sacramentum: hoc profectò est prophanare & nomen, & actiones Sacramentorum novi Testamenti: quorum fundamentum est mandatum & promissio Dei. Ioas 2. Paral. 23. ritu pulcherrimo additis imprecationibus, ordinatur in regem. In scholis in promotionibus adhibentur externi ritus, & certa quædam verba. Num verò ideo hæc Sacramenta erunt?

Sed unctio est, de qua præcipuè Pontificii pugnant, quãdo de Sacramento ordinis disputant, id quod nõ dissimulat 5. Canon. Manifestissimũ verò est, nec Christum, nec Apostolos externam unctionẽ exhibuisse in ordinatione ministrorũ verbi & Sacramentorum. Dionysius in sua Hierarchia dicit, Episcopũ quidem uti ungvento ad omnẽ fermè Sacerdotalis officii functionem, sed in ordinatione, nullã facit mentionẽ unctionis: adhibet autem tantùm ritum impositionis manuum, sicut manifestũ est ex 5. cap. Ambrosius de dignitate sacerdotali, non unctionis, sed tantùm impositionis manuum meminit, cap. quinto. Homo imponit manus, Deus largitur gratiam, sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera. Augustini etiã tempore in Aphricano Concilio, ubi ritus ordinationis describuntur, non unctionis sed tantùm impositionis manuum, & aliorum rituum mentio fit.

Et in tota Ecclesiastica historia, item in Tripartita, ubi multa exempla ordinationis describuntur, nusquam mentio fit adhibitæ unctionis in ordinationibus, sed tantùm impositionis manuum.

Sed Cyprianum opponũt, qui in sermone de Chrismate, dicit, reliquis ritibus veteris Testamenti antiquatis, unctionis honorem mansisse in regibus, in sacerdotibus, & in omni populo. Inde verò Lector colligat, quo candore veterum testimonia allegent Pontificii, sciunt enim, sermonem illum de Chrismate, non esse Cypriani, & tamen titulo Cypriani, conãtur simplices fallere, cùm veræ antiquitatis testimoniis destituantur, quæ enim ex supposititiis Romanorum Pontificũ Epistolis afferuntur, mendaciorũ autoribus relinquimus. Ipse verò Cyprianus, in veris suis scriptis, cùm sæpius de ordinatione scribat, unctionem fuisse adhibitam non meminit. Imò Innocentius de sacra unctione fatetur, circa annũ Domini 1200. in Græca Ecclesia nondũ fuisse morem unctionis, in ordinandis presbyteris, & consecrandis Episcopis. Et quidem addit, fuisse antiquos quosdam, qui dixerũt, Ecclesiam judaizare, cùm unctionis celebrat Sacramentum. De hac igitur unctione in ordinatione, quæ & Scripturæ & veræ antiquitatis testimoniis destituitur, Tridentinus Canon solam anathematis affert probationem: Si quis dixerit, sacram unctionem in ordinatione nõ requiri, anathema sit. Longobardus dicit, inde sumptam esse, quia in veteri Testamento, in ordinationibus Sacerdotum, adhibita legatur unctio. Quare igitur non restituimus totum cultum Leviticum? Scriptura certè manifestè tradit, de abrogatione ceremoniarum Leviticarum. Non igitur ex Leviticis ceremoniis, aliquid in Ecclesiam novi Testamenti invehendum est, de quo nullum extat vel Christi mandatum, vel Apostolorũ exemplum & traditio. Operæprecium verò est audire, quid Pighius respondeat ad illam objectionem, quod in Apostolicis literis non legitur unctio chrismatis, sed tantùm impositio manuum, in ordinatione ministrorum adhibita. Ita autem inquit. In rudi illo Christianitatis, nondũ videlicet ordinata constitutaq; hierarchia, & disciplina Ecclesiastica, plurima perfunctoriè, ex quadam spiritus dispensatione peracta fuisse ab Apostolis, quæ postea præscriptam certamq; formam receperunt. De hac verò unctione, figmentum Anacleto attributum, inquit, ideò inungendos esse qui ordinantur, quia invisibilis virtus Spiritus sancti, chrismati permixta sit. Et quæ præterea unctioni huic tribuant, cõsecratio, seu potius excãtatio chrismatis ostendit. Rectè itaq; dicitur, unctionem illam non tantùm contemnendam, sed & perniciosam esse. Nec sufficit, si fulus anathematis strepitus, sine ulla probatione opponatur: sicut Tridentinus Canon facit.

CAPVT IIII.

Quoniam verò in Sacramento ordinis, sicut & in Baptismo & Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, meritò sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt novi Testamenti Sacerdotes, temporariam tantummodo potestatem habere, ac semel ritè ordinatos, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant, Quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam hierarchiam (quæ ut castrorum acies ordinata) confundere, perinde ac si contra beati Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus Episcopos (qui in Apostolorum locum successerunt) ad hunc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & positos (sicut idem Apostolus ait) a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosq; presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia plerag; peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioru ordinis nullam habent. Docet insuper sacrosancta Synodus, in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinum, nec populi, nec cuiuvis secularis potestatis & magistratus consensum, sive vocationem, sive authoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio, quin potius decernit eos, qui tantummodo à populo aut seculari potestate ac magistratu vocati & instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures & latrones, per ostium non ingressos, habendos esse. Hæc sunt quæ generatim sacra Synodo visum est Christifideles, de sacramento Ordinis docere.

CANON VI.

Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam, divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris & ministris, anathema sit.

CANON VII.

Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem, vel ordines ab ipsos collatos, sine populi vel potestatis secularis consensu aut vocatione, irritos esse, aut eos, qui nec ab Ecclesiastica & Canonica potestate, rite ordinari, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros, anathema sit.

CANON VIII.

Si quis dixerit, Episcopos qui autoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos ac veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EXAMEN.

Quæ in prima parte hujus Capituli, de charactere, qui in Sacramento ordinis imprimatur, & de sacerdotio, quod omnibus Christianis commune est, tractantur, de iis nihil hoc loco annotabo. De charactere enim Sacramentorum, diximus in 9. Canone, de Sacramentis in genere. Quòd verò non quivis Christianus, propria temeritate, sine legitima vocatione, ministerium verbi & Sacramentorum sibi sumere debet, licet omnes sint spirituales Sacerdotes, in 10. Canone de Sacramentis in genere, & in primo Capitulo hujus Sessionis explicavimus. Restant igitur duæ quæstiones: de Episcopis scilicet, & quæ sit legitima vocatio. De illis quædam dicenda sunt.

Vt autem ea, quę de Episcopis hoc loco decernuntur, rectius intelligantur, prius quædam ex Scriptura, & ex veris antiquitatis testimoniis paucis repetenda sunt. Vocabula igitur τοῦ ἐπισκόπου καὶ τῆς ἐπισκοπῆς, in literis Apostolicis de ministerio Ecclesiastico usurpata leguntur, Actorum 1. & 20. Philip. 1. Tit. 1. 1. Timoth. 5. 1. Pet. 5. Sumpta autem sunt illa vocabula, ex usu linguæ vulgaris, & propter curam administrationis & inspectionis, ad ministerium Ecclesiæ accommodata. Suidas dicit, in Athenensi republica vocatos fuisse Episcopos & φύλακας, qui ad subditas civitates mittebantur, non ut mero cũ imperio præsiderent, sicut Lindanus interpretatur, sed ἐπισκέψασθαι τὰ παρ' ἑνάσοις, hoc est, (sicut Budæus ex Livio reddidit) ad res sociorũ inspiciendas. Plutarchus in Pericle: Phidias erat omnium operum ἐπίσκοπος, hoc est, inspector. Apud Homerum Iliados ι & ω. Hector vocatur Episcopus urbis. Apud Demosthenem in versibus Solonis, Pallas vocatur ἐπίσκοπος Athenarum. Apud Plutarchum in Numa, nominatur Vestalium ἐπίσκοπος.

Ibidem Venus est ἐπίσκοπος super mortuos. Cicero ad Atticum libro septimo. Vult me Pompeius esse, qué tota Campania, & maritima ora habeat Episcopum, ad quem delectus & negocij summa referatur. In Pandectis sunt Episcopi, præfecti rebus venalibus. Et Apostoli illa vocabula eò libentius accommodarunt ad ministerium Ecclesiasticum, quia ex Græca veteris Testamenti versione, nota tunc vulgata erant. Vocabula enim תִּפְקֻדָּה תִּפְקֹד & פְּקִדִּים quæ significant visitationem, inspectionem, munus, curam, administrationem commissam, officium demandatũ, Græci reddiderũt ἐπισκοπεῖν, ἐπισκοπὴν, & ἐπισκοπος. Numer. 13. Episcopi exercitus. Iudith nono. Abimelech habet Episcopum Zebul. 4. Regum 11. Episcopi qui sunt super exercitum. Ibidem custodiæ positæ super domum Domini. Ita à Græcis exponuntur: Constituit Episcopos super domum Domini. 2. Paral. 34. inspectores operantium vocãtur Episcopi. Num. 4. Munus seu officium Eleazar in tabernaculo Domini, vocatur ἐπισκοπὴ. Ita Psal. 109. functio Iudæ vocatur ἐπισκοπὴ. Hæc exempla quæ observavi, ideò recensui, ut consideretur, unde Apostoli vocabulum illud sumpserint, cujus etjam emphasis, ex illis locis colligi & intelligi potest. Hieronymus reddit superattendentem, Ambrosius, superinspectorem. Sed quæstio est, qualis gradus in ministerio Ecclesiastico sit Episcopatus, quæ sint officia Episcopi. Et explicatio hujus quæstionis, ideò brevius potest absolvi, est enim à Hieronymo ex professo pertractata. Ostendit autem & probat, tempore Apostolorum eosdem fuisse Episcopos & presbyteros, seu eundem fuisse presbyterum, qui & Episcopus: quorum aliud sit officii & dignitatis nomen, aliud ætatis. Paulus enim Philip. primo dicit, in una illa Ecclesia fuisse Episcopos & Diaconos, Actorũ vigesimo. Lucas dicit, evocatos fuisse presbyteros Ephesinæ Ecclesiæ. Illos verò Paulus cõpellans, vocat Episcopos. Tit. 1. Paulus loquitur de constituendis per civitates presbyteris. Et explicãs, qualis debeat presbyter ordinari, infert: Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse. 1. Pet. 5. Petrus alloquens presbyteros, vocat se compresbyterũ, & presbyterorũ officio tribuit τὸ ἐπισκοπεῖν. Ipsam etjam ordinationem, communem fuisse presbyteris, Hieronymus ostendit ex loco 1. Tim. 4. de impositione manuum presbyteri. Et illa sententia Hieronymo non obiter, aut aliud agenti, excidit, sed ex professo eam disputat, & in aliquot locis repetit, ut in Epistolam ad Titum, in epistola ad Evagrium, item ad Oceanum. Sequuntur hanc sententiam Ambrosius, Beda etjam in cap. ad Philip. item Isiodorus distinct. vigesima prima, cap. Cleros. Idem verò Hieronymus & hoc explicat, quæ sit causa & origo differentiæ, quæ postea facta est, inter Episcopũ & presbyteros, quo fine & usu, differentia illa ab Ecclesia recepta fuerit, ita autem inquit in primum caput ad Titum: Antequam Diaboli instinctu, studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, communi presbyterorum consilio, Ecclesiæ gubernabantur, Postquam verò unusquisq; eos quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesię cura pertineret, & schisma tum semina tollerentur. Item, apud veteres iidem fuerunt presbyteri, qui & Episcopi, paulatim verò ut dissensionũ plantaria evellerentur, ad unum omnis solicitudo est delata. Idem in Epistola ad Evagrium, & citatur distinct. 93. cap. legimus, inquit: Quòd autem postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Ecclesiam Christi, rumperet. Nam & Alexandriæ, à Marco Evangelista usque ad Dionysium, presbyteri semper unũ ex se eligebant, & in excelsiori gradu collocabant, quem in Episcopum vocabant, quomodo si exercitus sibi Imperatorem faciat, &c.

Porrò paulò ante Hieronymi ætatem, Aerius æqualitatem illam presbyterorum & Episcoporum, quæ tempore Apostolorum fuerat, ita cœpit urgere, ut Ecclesiæ cõsvetudinem, quæ in remedium dissensionum, ordinis & cõcordiæ gratia, Episcopum presbyteris & inspectioni totius Ecclesiæ præponebat & præficiebat, simpliciter damnaret. Cùm igitur illa Aerii opinio videretur ad

tur ad confusiones & dissensiones occasionem dare, rejecta & improbata fuit. Ibi verò Episcopi, erigentes supercilium, presbyteros præ se contemnebant, & prærogativam illam jure divino sibi deberi existimabant. Hieronymus igitur, ferventibus adhuc suo tempore illis certaminibus, sententiam suam ex Scriptura, sicut profitetur, interponit, & ostendit, tempore Apostolorum, & apud veteres, nullum fuisse discrimẽ, sed eosdem fuisse presbyteros & Episcopos, quorum communi consilio Ecclesiæ gubernatæ fuerint. Deinde exponit, propter quam causam, in quem finem & usum, unus Episcopus cæteris ministris præpositus & præfectus fuerit, ad tollenda scilicet seminaria dissensionũ & schismatum. Et hactenus Hieronymus probat illam ordinationem. Supercilium verò Episcoporum, his verbis reprimit. Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consvetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos, ita Episcopi noverint, se magis consvetudine quàm dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere. De officio verò Episcoporum, Hieronymus ad Evagrium dicit, idem facere Episcopum quod presbyter facit. Ministerium igitur verbi & Sacramentorum, & cura disciplinæ Ecclesiasticæ, commune tunc officiũ fuit Episcopi & presbyterorũ. Atq; adeò Episcopi nõ abhorruerunt à ministerio presbyterorum, ut Hieronymus ad Rusticum Narbonensem distinctio. 9. cap. 3. Diaconi, conqueratur: Solus Episcopus utitur ministerio, solus vindicat sibi omnia, solus partes invadit alienas. Ordinatio verò peculiariter attributa tunc fuit Episcopis, sicut inquit Hieronymus: Quid enim facit, excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non facit? Et Chrysostomus in priorem ad Timotheum dicit, Episcopũ sola ordinatione presbytero esse majorem. Postea plura cœperunt Episcopis peculiaria officia attribui, sicut distin. 98. Leo recitat, clericorum ordinationem, constitutionem altaris, benedictionem & unctionem, Ecclesiæ consecrationem hæreticos & pœnitentes per impositionem manuum reconciliare, chrisma conficere, frontem chrismate signare, formatas Epistolas mittere, &c. Illis igitur actionibus, remisso paulatim ministerio verbi & Sacramentorum, cœperunt totos dedere Episcopi. Tandem verò, post abjectum verbi & Sacramentorum ministerium, illa etjam officiola, ad suffraganeos rejecta sunt, & conversi sunt Episcopatus in dominationes. Et tales nunc sunt Episcopi, qui à Romano Pontifice creantur, de quibus rectè dicitur, quòd non sint veri & legitimi Episcopi, sed figmentũ humanum, quia prorsus à se rejecerunt Episcopale officium, quod fuit tempore Apostolorum, tempore Hieronymi, & Leonis etjam tempore, factiq; sunt principes gentium, qui dominantur, quia Christus Apostolis quidem dixit: Vos autem nõ sic, successoribus verò Apostolorum, hoc est, nostris Episcopis forsan, dixit: Vos autẽ sic. Cumq; in Concilio hæc essent reformanda, Tridentinus Canon hoc tantùm statuit. Si quis dixerit: Episcopos qui autoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos & veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit. Et ita Episcoporum ordo, benè scilicet reformatus est.

His explicatis, plana erunt quæ Tridentinum Conciliũ de Episcopis statuit. Quòd enim præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos numerãt, videntur definire velle controversiam illam, quæ de ordinibus seu gradibus Ecclesiasticis, est inter Scholasticos & Canonistas, his pro Episcopis peculiarem ordinem fabricantibus, illis, annumerãtibus Episcopos presbyterorum ordini. Quòd dicunt, Episcopos presbyteris superiores esse, si de veris loquerentur Episcopis, & ita intelligerent, sicut Hieronymus explicat, tolerari posset. Sed VI. Canon affirmat, hierarchiam, quæ constat ex Episcopis, presbyteris & ministris, esse divina ordinatione institutam, & qui secus sentiat, ei anathema dicunt. Sed jam recitavimus, quid Hieronymus ex Scriptura, de hac quæstione statuat, quem reliqui veteres sequuntur. Illis igitur anathema dicit Tridentinum Concilium.

Hoc verò peculiare est artificium, quòd cùm de Episcoporũ, potestate dicendum sit, nullam prorsus mentionem faciunt ministerii verbi & Sacramentorum, sed nominata chrismatione & ordinatione, generali clausula addunt: Episcopos pleraque etjam alia posse peragere, equos scilicet & canes, si non etjam scorta alere, regiam dominationem exercere, & similia Episcopalia officia. Anathema etjam dicunt, si quis sentiat, potestatem ordinandi esse Episcopis cum presbyteris communem, cum Hieronymus ad Euagrium ex Paulo probet, qui 1. Timot. 4. dicit Timotheũ ordinatũ per impositionem manuum presbyterii. Tanta est Tridentini anathematum profusio.

Postremo verò hujus Capituli quæstio est: Quæ sit legitima vocatio, ministrorum verbi & Sacramentorum. Et hac appendice, nostra ex professo Ecclesias nõ tam fugillare, quàm semel jugulare, & funditus evertere conãtur. Illorum enim clamores hac appendice stabilire voluerunt, qui contendunt, in nostris Ecclesiis nullũ esse verum & legitimũ verbi & Sacramentorum ministerium, Deum per nostrum ministerium non esse efficacem, nullam esse veram absolutionem, aut remissionem peccatorum, in nostro ministerio: nõ posse nostras Ecclesias habere verum Sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed omnes esse fures & latrones, non per verum ostium ingressos, qui in nostris Ecclesiis, ministerio verbi & Sacramentorum fungũtur. Atrox sanè comminatio. Sed ejus nullam aliam addunt rationem, quàm quòd nostrarum Ecclesiarum ministri, non sunt à Pontificiis Episcopis vocati, missi, ordinati, rasi & uncti.

Quia verò ministerium verbi & Sacramentorum, ordinariũ illud medium seu organon est, per quod Deus negocium salutis dispensat, omnino necessariũ est, Ecclesiæ ex Scriptura monstrare, certa & firma quæstionis hujus fundamenta, quæ scilicet sit vera, legitima & ordinaria, atq; adeò divina vocatio ministrorum verbi & Sacramentorum. Paucis igitur, pro ratione instituti nostri, illa perstringemus.

Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et principiò certum est, neminem esse legitimum verbi & Sacramentorum ministrum, nec posse ministerio rectè & utiliter, ad Dei gloriam, & Ecclesiæ ædificationem fungi, nisi missus sit, hoc est, nisi legitimam habeat vocationem. Ieremiæ vigesimotertio. Rom. decimo. Nec verò vocationis hujus ratio talis est, ficut quando politica & œconomica ministeria constituuntur, vel à patre familiàs, vel ab illis, penes quos Reipubl. summa est, ut eodem modo etjam illi, qui dominationem in Ecclesia sibi sumunt, suo arbitratu & autoritate, Ecclesiastica ministeria possint cõstituere. Sed Deus autor, conservator, gubernator & ἀυτοργος (ut ita loquar) ministerii Ecclesiastici jus & autoritatem vocationis & missionis, eorum quos συνέργους in hoc ministerio vult adsciscere, sibi reservavit, & ad se, tanquam ad dominum messis, uoluit pertinere. Ideò Christus inquit, Matthæi nono. Orate Dominum messis, ut ipse emittat operarios in messem suã. Ieremiæ vigesimo tertio: Currebant, & ego non mittebam eos. Ephes. quarto. Christus det Apostolos, Evangelistas, Pastores, Doctores. Actorum vigesimo. Spiritus sanctus posuit vos Episcopos, pascere Ecclesiam Dei, Actorum 13. Emissi erant à Spiritu sancto. Ad legitimam igitur ministerii Ecclesiastici vocationem requiritur, ut à Deo sit vocatus & missus, qui legitimus debet esse verbi & Sacramentorum minister, ut & minister & Ecclesia, verè possit statuere, sicut scriptũ est, Esaiæ 59. Verba mea, quæ posui in ore tuo. 2. Corinth 5. Posuit in nobis verbum reconciliationis. Loco Christi, legatione fungimur, Deo exhortante per nos. Lucæ 10. Qui vos audit, me audit. Ioannis 20. Sicut misit me pater, ita ego mitto vos.

Quid requiratur ad legitimam vocationem.

Hæc necessariò consideranda sunt, in vocatione Ecclesiastica, ut certò statuere possint, & ministri, & ipsa etjam Ecclesia, Deum huic ministerio adesse, & per illud efficacem esse, sicut inquit Matthæi vigesimooctavo. Ego vobiscum sum. Iohannis vigesimo. Accipite Spiritum sanctum. 2. Corint. 3. Idoneos non fecit, ut simus ministri non literæ, sed spiritus. 1. Corinth 3. Ecclesia est Dei agricultura, & ædificatio, nos sumus Dei adminstri. Paulus plantat, Apollo rigat, Deus dat incrementum. Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, quorum retinueritis, retenta erunt. Matthæi decimo sexto. Tibi dabo claves regni cœlorum, quicquid solveris in terra, solutũ erit in cœlo, & quicquid alligaveris in terra, alligatum erit in cœlo. Ideò Rom. 10. Paulus inquit, illos, qui non sunt à Deo missi, non posse prædicare, ita ut ex illa prædicatione fides concipiatur, quæ invocet nomen Domini, ut justificemur & salvemur. Hæc ex Scriptura certa sunt. Iam verò quando Deus ipse immediatè hominibus locutus est, & propria voce voluntatem suã patefecit: sicut sæpe fecit in veteri Testamento, & postremis temporibus in novo Testamento, per filium locutus est, Heb. 1. Tunc nullum dubium est de efficacia verbi. Non autem voluit Deus, semper Ecclesiæ sine medio, propria voce, verbũ suum proponere, sed certo consilio cõstituit, voce ministerii, tanquam ordinario medio seu organo uti. Et tamen in illo etjam medio manet, quod Prophetis familiare est. Hæc dicit Dominus: Quia posui verba mea in ore tuo. Deo exhortante per nos. 2. Corinth. 13. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? Et hæc quidem in illis vera & rata esse, qui immediatè voce divina non per homines, sed ab ipso Deo, ut Prophetæ in veteri Testamento, Baptista & Apostoli vocati sunt: nemo sanus dubitare potest. Sed paucos Deus tali immediato modo vocavit. Qui enim tempore Apostolorum fuerunt Prophetæ, Evangelistæ, Pastores, Doctores, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, non immediatè, sed voce Ecclesiæ ad ministeriũ vocati fuerunt. Num verò in mediata vocatione, dubia incerta aut falsa sunt illa, quæ de præsentia & efficacia Dei per ministeriũ, Scriptura tradit. Hæc certè maxima & dulcissima est promissio, quòd etjam illam vocationem, quæ voce Ecclesiæ fit, Scriptura affirmat esse divinam, sive à Deo. Ephes. 4. Filius Dei dat Pastores, Doctores, qui certè non erant ut Apostoli, immediatè vocati. Et Actor. 20. presbyteros qui Ephesi, vel à Paulo vel à Timotheo erãt constituti, Paul. ita alloquitur: Spiritus sanctus posuit vos Episcopos. Atque ideò Paulus in subscriptione, conjungit sibi Sosthenem, in 1. ad Corinth. Timotheum, in 2. ad Corinth, Sylvanum. 1. Thessa. Ad illos ergo etjam qui mediatè vocati erãt, Paulus accõmodat hæc dicta: Sumus συνέργοι Dei: Posuit in nobis verbum reconciliationis, Deo exhortante per nos. Item affirmat, Deũ efficacem esse, etjam per illorum ministerium, qui voce Ecclesiæ vocati sunt: Apollo rigat, Deus dat incrementum. Et 1. Tim. 4. ad Timotheum inquit: Salvum facies te, & alios, Ephes. 4. Dat Pastores, Doctores, in ædificationẽ corporis Christi, ut occurramus in unitatem fidei, & veritatẽ facientes, crescamus in Christo. Hæ promissiones svavissimæ, & maximè necessariæ sunt: quòd scilicet illorum etjam vocatio divina sit, qui voce Ecclesiæ vocati sunt: quòd illorum ministerio Deus adsit, & per illud efficax sit. Ideò Paulus dicit in Timotheo ineſſe gratiam & donum, per impositionem manuum. Nec tantùm dicit, Mearum manuum: sed addit, Etjam Presbyterii. 1. Timot. 4. ne existimetur discrimen esse, sive ab Apostolis, sive à presbyteris quis ordinetur. Vt autem mediata illa vocatio, hisce privilegiis gaudere possit, oportet eam esse legitimam, hoc est, ut fiat eo modo, & ab illis, sicut Scriptura tradit. Et de modo quidem, hoc est, quales debeant esse qui ad ministerium vocandi sunt, præscripta est certa regula, Acto. 6. Tit. 1. 1. Tim. 3. Hoc verò loco, quæritur, quorum voce & suffragiis electio & vocatio illa fieri debeat, ut statui possit esse divinam, hoc est, Deum ipsum per illa media eligere, vocare, & mittere operarios in messem suam. Et sunt hujus rei exempla in Scriptura, certa & manifesta. Actor. 1. cùm in loco Iudæ substituendus esset alius, Petrus negocium illud proponit, in medio non Apostolorum tantùm, sed & reliquorum discipulorum, ita enim tunc vocabantur credentes, quorum numerus, qui simul congregati erant, quasi 120. erat. Et ibi Petrus ex scriptura proponit, qualẽ & quomodo eligere debeant, & adjunguntur orationes. Sortes verò mittuntur, quia non debeat esse simpliciter mediata, sed

Immediata vocatio.

Scriptura de mediata vocatione.

Exempla vocationis ministrorum in Apostolicæ historia.

sed Apostolica vocatio, ideò postea in vocationib. non sunt sortibus usi, Actorum 6. cùm eligendi & vocandi essent diaconi, nolunt Apostoli soli, jus vocationis sibi arrogare, sed convocant Ecclesiam. Non autem prorsus se abdicant cura vocationis & vulgi aut multitudinis cœcæ & confusæ libidini eam permittunt, sed sunt quasi gubernatores & moderatores electionis & vocationis: proponunt enim doctrinam & regulam, quales & quomodo eligere debeant. Et electi sistuntur coram Apostolis ut illorum judicio electio probetur, an ritè facta sit, illi verò orantes, impositione manuum electionem approbant. Actor. 14. Paulus & Barnabas in singulis Ecclesiis, quibus evangelizaverãt, constituunt presbyteros. Non autem sibi solis, jus & autoritatem electionis & vocationis sumpserunt, sed Lucas utitur vocabulo χαροτονήσαντες, quod 2. Cor. 8. de electione, quæ ut voce seu suffragiis Ecclesiæ, usurpatur, sumptũ enim est à Græca consvetudine, qua suffragia porrectis manibus ferebantur, & significat, suffragiis aliquẽ creare, designare, aut consensum ostendere. Non igitur sine consensu Ecclesiæ, Paulus & Barnabas invitis obtruserunt presbyteros. Et Actorum decimo quinto, cùm eligendi essent, qui cum mãdatis ad Antiochenã Ecclesiam mitterentur, inquit Lucas, visum est Apostolis & presbyteris, cum universa Ecclesia eligere Barnabam & Silam. Illud verò in historia Apostolica utile est observare, quòd aliquando simul & ministri & reliqua Ecclesia conjunctim proponebant & eligebant, quos judicabant idoneos: ut Actorum primo. Aliquando Ecclesia proponebat & eligebat. Apostolorum verò judicio subjiciebatur electio approbanda. Actorum sexto. Sæpè verò Apostoli, qui de his rebus melius judicare poterãt, Ecclesiis proponebãt, quos judicabant ad ministerium idoneos esse, & cùm accederent suffragia & consensus Ecclesiæ, rata erat vocatio. Ita Paulus ad Ecclesias mittit Timotheum, Titum, Sylvanum &c. Ita Actorum decimo quarto, proponuntur presbyteri, in quos Ecclesia per χαροτονίαν consentit. Interdũ etjam quidam operam suam Ecclesiæ offerebant. Prima Timotheum tertio: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Semper tamen in legitima vocatione, tempore Apostolorum, aderat & requirebatur consensus Ecclesiæ, judicium & approbatio presbyterii. Ita Titus in Creta præfectus fuit gubernandæ & moderandæ electioni presbyterorum, ut ritè illa fieret, utq; ordinatione approbaret & confirmaret electionem ritè factam. Vtitur enim Paulus Tit primo, de constituendis presbyteros, eodem verbo quo extat Actorum decimoquarto, ubi simul mentio fit & χειροτονίας, & cõstitutionis presbyterorum. Et Tito præcipit, ut eos qui in doctrina non sunt sani, nec docent quæ oportet, severè arguat, hoc est, sicut clarius inquit 1. ad Timo. 5. Ne cito manus alicui imponas, ne communices peccatis alienis, approbando scilicet electionem aut vocationem, non ritè factam.

Historiæ Apostolicæ de vocatione ministrorum.

Hæc exempla Apostolicæ historiæ clarè ostendunt, electionem seu vocationem pertinere ad universam Ecclesiam, certo quodam modo, ut suæ in electione seu vocatione, sint patres & presbyterii & populi. Et hæc Apostolica forma electionis & vocationis, retenta & usurpata est, etjam postea in Ecclesia. Distinctione 24. extat Canon III. Concilii Carthaginensis: Nullus ordinetur clericus, nisi probatus vel examine Episcoporum, vel populari testimonio. Distinctio. 62. Leo dicit, nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus sunt expediti, nec à comprovincialibus Episcopis, cum metropolitani judicio consecrati. Distinctio. 67. Reliqui Sacerdotes à proprio ordinentur Episcopo, ita ut cives & alii Sacerdotes assensum præbeant. Dillinction. 24. ex Carthaginensi Concilio IIII. Episcopus sine consilio clericorum suorum, clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam & testimonium quærat. Distinct. 23, ex eodem concilio. cap. Qui Episcopus: Cùm in his omnibus examinatus, inventus fuerit plenè instructus, tunc cum omni consensu clericorum & laicorum, & conventu totius provinciæ Episcoporum, maximeq; metropolitani vel autoritate vel præsentia ordinetur Episcopus.

8. Quæst. 1. citatur ex Hieronymo, sed est Origenis, cap. licet. Requiritur ergo in ordinando Sacerdote, etjam populi præsentia, ut sciant omnes, & certi sint, quòd qui præstantior est in omni populo, ille eligitur ad sacerdotium, & hoc attestante pp̃o, ne qua postea retractatio cuiquã, ne quis scrupulus resideret. Distin. 65. cap. Plebs: Presbyteros, Diaconos, & universam turbam, vos Episcopos oportet sæpius convocare, quatenus nõ prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis, vobis admonentibus, talem quærant personam, quam nulla contrarietas à constitutis possit revocare rescriptis. Item, Episcopos per Emilion non consecres, nisi post electionem vel consensum cleri & populi. Ca. Metropolitano: Omnium clericorum atq; civium voluntate discussa, optimus ordinetur. Cap. Si in Plebibus: Archidiaconus cum clericis & populis ipsius plebis electionem faciat. Cap. Sacrorum Canonum: Carolus & Ludovicus Imperatores statuunt, ut Episcopi per electionem cleri & populi, secundum statuta Canonum eligantur. Hieronymus ad Rusticum Monachum: Ita vive in monasterio, ut clericus esse merearis. Cùm ad perfectam ætatem perveneris, & te vel populus vel Pontifex civitatis, in clerum elegerit, age quæ clerici sunt.

De populi præsentia in ordinando sacerdote.

Hieronymus.

Ambrosius lib. 10. Epist. 82. Meritò vir tantus evasit, quem omnis elegit Ecclesia, & meritò creditum, quòd divino esset electus judicio, quem omnes populi postulavissent.

Ambrosius.

Posteà cùm Imperatores & Reges Christiani religionem amplexi essent, illorum etjam voluntas, judicium & autoritas, ad electionem & vocationẽ adhiberi & requiri cœpit, quia debent esse nutricii Ecclesiæ, & exemplo Iosaphat, Ezech. & Iosiæ, inspectio ipsis mandata est, ut ministeria Ecclesiæ rectè constituantur & administrentur. Hac de re extant multi Canones dist. 63. Apud Zozomenum lib. 7. cap. 7. Imperator in Synodo dat primum Nazianzeno & suffragatur ei omnes Episcopi. Et pulcherrimum modestiæ exemplum in cap. Valentinianus, describitur:

In electione etiam principum autoritas adhiberi cœpta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur: ubi Synodus petit, ut Imperator sapiens & pius existens, eligat seu proponat aliquem. Imperator verò respondet: Super vos est talis electio. Vos enim gratia divina potiti & illi splendore fulgentes, melius poteritis eligere. Et electioni postea præbuit assensum.

Quòd verò quædã exempla veteris Ecclesiæ, videntur ab hac forma aliquantulum discedere, inde factũ fuit. Pulcherrima enim hæc symphonia Episcoporum, clericorum, Christiani magistratus, & populi, in electione & vocatione ministrorũ Ecclesiæ, sæpissimè turbata fuit. Clerici vel hæretici vel schismatici, vel aliis affectibus depravati, jure electionis sæpe abutebantur, vel illud sibi solis arrogabant. Ibi & magistratus & populus Christianus, coacti fuerunt se interponere. Ita cùm post mortem Aeluri, clerus sua autoritate Episcopum elegisset Petrum Monchum, Imperator Zenon adeò offensus est, ut quosdam etjam supplicio afficeret. Evagrius lib. 3. cap. 11. Cùm Antiochiæ in absentia populi, Porphyrius à paucis Episcopis ordinatus fuisset Episcopus, secutus fuit atrox tumultus. Niceph. lib. 13. cap. 30. Aulici etjam illo quasi jure suo, sæpius abutebantur. Et ibi clerici se opposuerunt, cujus generis aliquot statuta extant, dist. 63. Omnium verò modestissima est Caroli & Ludovici cõstitutio, quæ sic habet: Sacrorum Canonum non ignari, ut Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbemus, ut Episcopi per electionem cleri & populi, secundum statuta Canonum eligantur.

Caroli & Ludovici constitutio de electione.

Populus erjam sæpissimè jure suo ad tumultus, seditiones & varias confusiones abusus fuit. Ibi Episcopi & Christianus magistratus se opposuerunt, ut in electione Ambrosii. Et inde Canõ Laodicenus dicit: Non est permittendum turbis, electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promovendi. Apud Zozomenum lib. 7. cap. 8 cùm contraria essent Episcoporum & plebis suffragia, Imperator Nectariũ elegit, & postea electio illa, à Synodo est rata habita. Non autem ideò vel populus, vel magistratus Christianus, simpliciter ab electione & vocatione exclusi fuerunt, sed addita fuit hæc moderatio, distin. 62. Docendus est populus, non sequendus. Nos quoque si nesciant quid liceat, quidve non liceat, commonere eos, non his consensum præbere debemus. Decretum Leonis inquit: Vota civium, testimonia populorum, arbitrium honoratorum, electio clericorum, in ordinationibus sacerdotum constituantur. Item, Per pacem & quietem, sacerdotes qui futuri sunt, postulentur, teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus, & plebis. Item, Cleri plebisq; consensus & desiderium requiratur. Et cap. Nosse: Convocato clero & populo, talis ibi eligatur, cui sacri non obvenient Canones. Sacerdotum quippe est electio, & fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus est populus, non sequendus. In historia Tripart. plebs potuit eligere, & sua petitione aliquẽ offerre. Cyprianus ut Episcopus, lib. 3. Epist. & lib. 4. Saturum, Optatum & Celerinum proponit Ecclesiæ. Valerius Augustinum optans sibi coadjutorem & successorem, proponit illud populo. Et Augustinus ipse Epistola 110. Eradium se cupere successorem, proponit populo, oratione svavissima, Quia scio, inquit, post obitus Episcoporũ per ambitiosos aut contentiosos solere Ecclesias perturbari, debeo quantum ad me attinet, ne contingat, huic prospicere civitati. Et Augustini illa electio, à populo cõfirmatur, & illud insinuatur Theodosio & Valentiniano Augustis. Narrat etjam ibi Augustinus, exemplum de Severo Milevitano, qui putarat sufficere, ut successorem suum apud Clericos designaret, & apud populum exinde non locutus erat. Inde verò orta fuit postea perturbatio. Et Augustinus de hoc facto inquit: Minus tamen aliquid factũ erat. Cyprianus formã electionis, quæ suo tempore fuit, ita describit libro 1. Epistо. 4. Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deũ metuens, à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, cùm ipse maximè habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de divina autoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente sub omniũ oculis deligatur, & dignus atq; idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur. Et paulò pòst: Coram omni synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit & ostendit, non nisi sub populi assistentis conscientia, fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omniũ suffragio & judicio fuerit examinata, quod postea secundum divina magisteria observatur in actis. Ibidem: Ordinari nonnunquam videmus indignos, non secundum Dei voluntatem, sed humanam præsumptionem, & hæc Deo displicere, quæ non veniant ex legitima & justa ordinatione. Deus ipse manifestat per Oseam Prophetam, dicens: Sibimet ipsi regem constituerunt, & non per me. Propter quod diligenter de traditione divina & Apostolica observatione, servandum est, & tenendum, quod apud nos quoq; & ferè per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ, proximi quinq; conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusq; actum de ejus conversatione perspexit, &c. Idem lib. 1. Epist. 3. dicit, populi suffragium, & coepiscoporum consensum, esse divinum judicium.

Augustinus.

Cyprianus de forma electionis suæ tempore.

Quia verò nõ commodè poterat universa populi turba semper convocari, & singulorum suffragia exquiri, observatus fuit mos ille apud Christianos, annotante Lampridio in vita Alexandri, quòd eorum nomina, qui eligendi & vocandi proposiri erant, ante ordinationem publicè proponebantur, & monebatur populus, ut si quis quid haberet contra ordinandum, id proferret & proponeret. Et breviter, juxta Gregorii sententiam, semper gravis abusus judicatus fuit, si quis invitis & nõ petentibus detur. Hæc est Apostolicæ primitivæ & veteris Ecclesiæ sententia, de legitima electione & vocatione ministrorum verbi & Sacramentorum, quę sententia locum habet in illis Ecclesiis, quæ jam verbo Dei constitutæ

constitutæ sunt: ubi presbyterium est, amplectens eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, Magistratus pius, populus intelligens doctrinã, & amans pietatis. Vbi verò tempore Apostolorum sacerdotes erant idololatræ, Magistratus impius, populus ambulans in tenebris, ibi primò per talem electionem, non potuit constitui ministerium, sed eò proficiscebantur vel Apostoli, vel mittebant alios, alibi ritè electos, ut primùm fundamenta ponerent. Ita Actorum 13. Paulus & Barnabas mittuntur ad gentes. Et Actorum 11. usque ad Phœnicen & Cyprum ita propagatur Evangelium, & quidem Antiochiæ gentibus ita primùm proponitur. Ita Paulus plures circa se habuit, quos huc illuc mitteba ad Ecclesias. Vbi verò aliquantulum fundatæ erant Ecclesię, mox eo quem jam diximus, modo ministeria in Ecclesiis constituebantur, Actor. 14. Et cùm ibi Magistratus & Sacerdotes manerent in idololatria, nihilominus legitima erat vocatio, quæ fiebat à finceris doctoribus, unà cum fideli populo. Ita Iosaphat Pontificibus & Sacerdotibus partim cessantibus, partim lucos, excelsa, &c. colentibus, populo ambulante in tenebris, ipse ministeria constituit, 2. Par. 17. & 19. Hanc recitationem ideò instituì, ut ostenderem, nostras Ecclesias restituisse veram & legitimam formam electionis & vocationis, quæ usitata fuit in Apostolica, primitiva & veteri Ecclesia, utq; ex antitheſi eò clarius perspiceretur, qualis sit Pontificiæ Ecclesiæ ordinatio. Ex his enim quæ jam diximus, planũ erit examen Tridentini decreti, de legitima vocatione & missione ministrorum verbi & Sacramentorum. Statuit igitur quartum capitulum & 7. Canon, eos legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros, qui vocati, ordinati & missi sunt à solis Pontificiis Episcopis, & ipsorum suffraganeis, nec requiri vel fidelis populi, vel pii magistratus consensum, sive vocationem sive authoritatem. Imò anathema denunciant, si quis dixerit ad legitimam vocationem requiri, fidelis vel populi vel magistratus consensum. Atqui jam clarè ostendimus, illam ipsam legitimæ electionis seu vocationis formam, quæ Tridenti anathemate damnatur, esse Apostolicæ, primitivæ, & veteris Ecclesiæ. Sed meminerimus Tridentinis patribus, à Romano Pontifice commissam esse hãc curam, non ut Apostolicæ & veteris Ecclesiæ disciplinam restituant, sed ut præsentem statum regni Pontificii quoquo modo conservent & stabiliant. Hoc igitur quod hactenus factitarunt, volunt in posterum impũnè sibi licere, ut scilicet homines qualescunque, favore, prece vel precio habiles redditos, sine petitione, consensu & vocatione, vel fidelis populi, vel pii magistratus, Ecclesiis præficere, & populo incognitos obtrudere possint. Suffraganei verò, ne quidem quærere dignantur de vocatione, modò quis præbendam sibi compararit, & suffraganeo pecuniam offerat pro ordinatione. Et non pudet bonos scilicet illos patres, ea quę manifestissimè, & adversa fronte pugnant cum ipsa Scriptura, & cum vera antiquitate, verbo saltem confirmare, & mox anathema subijcere. In nostris verò Ecclesiis ministri verbi & Sacramentorum, non tantummodo à populo & seculari magistratu vocantur & instituuntur, sicut Tridentinum Capitulum fingit, sed accedit gravissimum judicium, examen & comprobatio veri presbyterii. Et hanc esse legitimam vocationem, multis jam ostendimus. Sed quare, inquiunt, non petitis ordinationem à nostris Episcopis? Respondeo. Si veri essent Episcopi, & profiterentur sanam doctrinam, rectè hoc sibi arrogarent. Iam verò sunt hostes & persecutores veræ doctrinæ. Num igitur à lupo pastor petet sibi committi curam gregis? Et neminem ordinare volunt, qui sit sanæ doctrinæ, nisi prius eam abijciat & abjuret. Nec eos, qui legitimè, juxta formam Apostolicã vocati sunt, ad ordinationem admittunt, ne inde regno ipsorum præjudicium generetur. Nec ad ministerium verbi & Sacramentorum, sed ad impium Missæ sacrificium suos ordinant. Impiis etjam obligationibus ordinatos suos illaqueãt, & blasphemum suum Chrisma adhibent. Gravissimas igitur & justissimas habemus causas, quòd ab hostibus sanæ doctrinæ non petimus ordinationem. Sed inquiunt: Fures & latrones sunt, qui non sunt ab ordinaria Ecclesiastica potestate vocati, ordinati & missi. Erunt ergo fures & latrones, Apostoli, Evangelistæ, Pastores, Doctores, Presbyteri, Diaconi Apostolicæ Ecclesiæ, qui non à Pontificibus, penes quos tunc erat ordinaria Ecclesiastica potestas, ordinati sunt. Et eadem illa quæstio est, qua Pontificii olim exagitarunt ministerium Baptistæ, Ioan. 1. & ipsius Christi, Matth. 21. Quis tibi dedit hanc potestatem?

DE MATRIMONIO, SESSIO VIII. SVB PIO IIII. 1563.

Matrimonij perpetuum indissolubilemq́, nexum primus humani generis parẽs, divini spiritus instinctu pronunciavit, cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Hoc autem vinculo, duos tantummodo copulari & coniungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tanquam a Deo prolata referens, dixit: Ita que iam non sunt duo, sed una caro, statimq́, eiusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto antè pronunciatam, his verbis confirmavit: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Gratiam verò quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesq́, sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorũ institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit. Quod Paulus Apostolus innuit, dicens: Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, mox subiungens: Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia.

Cùm igitur matrimonium in lege Evangelica, veteribus connubijs per Christum gratiam præstet, meritò inter nova legis Sacramentum annumerandum, sancti Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt. Adversus quam impij homines huius seculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili Sacramento senserunt, sed de more suo, prætextu Evangelii, libertatẽ carnis introducentes, multa ab Ec-

Universidad de Deusto
Biblioteca

clesiæ catholicæ sensu, & ab Apostolorũ temporibus probata consvetudine aliena, scripto & verbo asseruerunt, non sine magna Christi fidelium iactura. Quorum temeritati sancta & universalis synodus cupiens ocurrere, insigniores præfatorum schismaticorum hæreses & errores, ne plures ad se trahat pernitiosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos hæreticos, eorumq; errores decernens anathematismos.

CANON I.

Si quis dixerit, matrimoniũ non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutũ, sed ab hominibus in Ecclesiam invectum, neque gratiam conferre, anathema sit.

EXAMEN.

Principalis hujus decreti quæstio est, an matrimonium sit Sacramentum novi Testamenti. Omnium autem & simplicissima & rectissima est ratio explicationis, si prius de reipsa dicatur. Postea enim de appellatione, facilis erit ratio. Mirum autem est, quòd Pontificii propter appellationem Sacramenti, quam contendunt matrimonio tribuendam esse, sicut Baptismo & cœnæ Dominicæ, videri volunt dignitatem status conjugalis magis ornare quàm nos, cùm extent publicæ ipsorum querelæ & criminationes, quòd nimium magnificis encomiis matrimonium à nostris ornetur. Ipsi verò ad conjugium accommodare nõ verentur has sententias: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Atq; ideò fingunt Spiritum sanctum in ministris verbi & Sacramentorum, ferre non posse honestum matrimonium, quia scilicet scriptum sit: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Item, Mundamini, qui fertis vasa Domini. Et tamen fortiter disputant, matrimonium esse unum ex septem Sacramentis. Tales scilicet matrimonium, dignitatis suæ patronos sortitum est, qui sacerdotibus suis centum potius prostibula, successiuè tamen, sicut Colonien sis ille inquit, quàm unicam legitimam conjugem concedunt.

Quia igitur prætendunt, se Matrimonium inter Sacramenta Ecclesiæ numerare, propter asserendam & illustrandam ejus dignitatem breviter recitabo præcipua capita, de ejus dignitate & sanctitate, quæ ex verbo Dei, Ecclesiæ nostræ & discunt & docent. Fuit igitur conjugium etjam inter gentes, sicut & hodie inter infideles verum cõstat matrimonium, sed illi politicam tantùm constitutionem esse existimant, licet lex naturæ, monstrans vagos cõcubitus, stupra & adulteria esse contra naturam, ostendat, quanquam valdè obscurè, & aliquid majus quàm humanum inventum. Ecclesia verò ex verbo Dei discit & intelligit, ipsum Deũ esse autorem conjugii, quod in ipsa Paradiso, quando natura humana ante lapsum, sine peccato & miseriis, integra & beata adhuc erat, instituit. Quam institutionẽ & ejus benedictionẽ, statim post lapsum, & postea post diluvium repetivit, & naturæ etjam lapsæ confirmavit: Genes. 4. & 9. Filius etjam Dei in novo Testamento, primã illam institutionem nec ab rogat, nec mutat, sed repetit & confirmat, nec verbis tantùm, Matth. 19. sed & præsentia sua, & primo miraculo in nuptiis edito, Iohan. 2. Postea Apostoli, doctrinam illam multis sententiis & concionibus illustrarunt.

2. Deus nõ tantùm instituit matrimoniũ, ut homines ipsi, conjugali illa conjunctione se consociẽt, sed sicut Deus primus paranymphus fuit, qui Evam adduxit ad Adamum, & primos conjuges ipse copulavit. Genes. 2. ita Christus affirmat, Deũ adhuc hodie esse, qui conjuges legitimo matrimonio cõjungit & copulat, quãdo juxta verbũ ipsius conveniunt. Quod Deus, inquit, conjunxit, homo non separet. Et utitur verbo, quod propriè de conjugali cõjunctione dicitur. Ita Tobiæ 7. Raguel tradens Tobiæ filiam suam, inquit: Deus Abraham, Deus Isaac & Iacob, vobiscum sit: & ipse conjũgat vos, impleatq; benedictionem suam in vobis. Et Genes. 24. Abraham mittens servũ, ut Isaac uxorem adducat, verbis dulcissimis inquit: Dominus cœli & terræ, qui locutus est mihi, &c. ipse mittet Angelum suum ante te, & accipies inde uxorem filio meo. Et servus postea orat: Domine Deus Domini mei Abraham, occurre obsecro mihi hodie, fac misericordiam, & ostende, quam præparasti servo tuo Isaac, &c. Hæc proponenda sunt in Ecclesia, ut in timore Domini, ejus fide & invocatione, matrimonia cõtrahantur, quia Deus non tantùm autor, sed & cõciliator est matrimonii. Ita Prover. 10. Domus & divitiæ à parentibus, à Domino verò uxor prudẽs datur. Et Syra. 26. Pars bona, mulier bona, quasi pro hæreditate timentiũ Dominũ dabitur. Donũ Dei est mulier bona, &c. Eccl. 7. Inveni amariorem morte mulierẽ, qui placet Deo, effugiet illam, qui aũt peccator est, capietur ab illa. Malach. cap 2. ex hoc fundamento conjuges gravissimè admonet debitæ benevolentiæ: Non accipiã plaçabile quid de manu tua. Quam ob causam? quia Dominus testificatus est inter te & uxorẽ tuã & hæc socia tua, & uxor fœderis tui. Significat aũt יעד testificando aliquid confirmare & stabilire. Ideò nõ quævis conjunctio, sed quæ verbo Dei non repugnat, legitima est, & Deo probatur. Ita Levit. 18. Genes. 6. Esdr. 10. Nehem. 13. Luc. 17. Marc. 6. improbantur conjunctiones etjã conjugales, quæ non sunt legitimæ.

Deus copulator conjugum.

3. Ex illa divina conjunctione, conjugiũ non est ut reliquæ politicæ societates: quæ sicut mutuo consensu contrahuntur, ita mutuo dissensu rursus dissolvuntur, sed est cõjunctio individua, & nexus indissolubilis. Quod enim Deus conjunxit, homo non separet. Et quidem Scriptura affirmat, esse conjunctionem multo arctiorem, quàm sit parentũ & liberorum, dicit enim: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: ut qui duo sunt, fiant una caro. Significat autem דבק adhæsionẽ, seu conjunctionem, quæ fit per complexũ, amoris affectu ardentissimo, ut Genes. 34. de Sichem amante Dinam. 3. Regum 11. de amore Solomonis. Psalm. 63. Adhæsit anima mea post te. Dicitur autem propriè verbum illud de cõjunctione cutis, carnis, ossium. Iob. 19. Cuti meæ & carni meæ adhæsit os meũ, 29. Lingua adhæret palato. Psalm. 102. Adhæret os meum cuti meæ. Atq; ex illa verbi significatione

tione intelligi potest, quòd Deus affirmat esse talem adhæsionem: Vt qui sunt duo, fiant una caro. Et Paulus dicit: Nemo carnem suam odio habet. Ierem. 13. inquit Dominus: Sicut adhæret cingulum ad lumbos viri, ita faciam adhærere ad me omnem domum Israel. Sed Deus non ex cingulo Adæ, sed ex costa formavit vxorem, ut ostendatur cõjunctio arctissima. Solomon Proverb. 16. dicit, amicũ sæpe arctius adhærere quàm fratrem. Sed in conjugio arctior est copulatio, quàm parentum & liberorum. Relinquet enim patrem & matrem, &c. Græci reddiderunt per verbum προσκολλᾶσθαι: quod usurpatur, quando duo quædam glutino ita committuntur, ut quasi unum fiant. Ita usurpatur Isa. 41. Hinc Paulus docet, neutrum conjugum habere potestatem sui corporis, 1. Corinth. 7. item, Qui vxorem diligit, seipsum diligit.

4. Scriptura etjã explicat causas, quare Deus societatem illam conjugalem instituerit, Angelorum enim agmina simul condidit: sed certo cõ filio voluit conservationem & multiplicationẽ humani generis, fieri per propagationem generationis, ut in ea præsentiam, sapientiam & bonitatem ipsius conspiceremus. Et in pia educatione liberorum voluit esse prima Ecclesiæ plantaria: unde domesticæ Ecclesiæ apud Paulũ nominantur. Exercitia etjam fidei invocationis, charitatis, patientiæ, & totius denique pietatis, quasi in rudimentis exerceri voluit, in domestica societate, ut inde latius propagaretur. Qui enim domui suæ nõ benè præest, quomodo is Ecclesiam Dei gubernaret? 1. Tim. 3. Item: Qui domesticorum curam non habet, infideli deterior est. Et ipsa conjugii institutione ostendit, se esse mentem castam, & vagas libidines odisse. Ideò enim illis, qui donum continentiæ non habent, certas leges conjugii tradidit & præscripsit. Deinde aliam causam instituti conjugii, Deus ipse dulcissimis verbis exponit, Genes. 2. Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium, quod sit quasi coram ipso, & circa ipsum. Erant quidem omnia animalia, creata ad ministerium hominis: sed non inveniebatur adjutorium, quod esset coram ipso. Propter mutuum igitur obsequium, & mutuam sublevationem, Deus instituit conjugium, ut communia essent, sive læta, sive tristia.

Ephes. 4. Melius est esse duos quàm unum, habent enim emolumentum societatis suæ. Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se. Ecclesiast. 9. Perfruere vita cum uxore quam diligis, cunctis diebus vanitatis tuæ, hæc enim est pars in vita, & in labore tuo, quo laboras sub sole. Syrach 26. Gratia mulieris delectabit virum suum, & ossa illius impingvabit. Genes. 3. Desiderium uxoris ad virum. Ephe. 5. Maritus uxorem diligit & vovet, uxor virum reveretur.

Postremò usum cõjugii in natura lapsa, Deus voluit etjam remediũ esse contra incontinentiã. 1. Corinth. 7. Propter fornicationem, unusquisq; uxorem suam habeat, & unaquæque suum virũ. Item, Ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram. Si non continent se, nubant, melius est enim nubere quàm uri. Et hoc est, quod veteres dicunt, matrimonium ante lapsum institutum fuisse in officium, post lapsum, datum esse in remedium. Augustinus inquit: Quod sanis est ad officium, ægrotis est ad remedium.

5. Certum & notum est & hoc ex Scriptura, Deum sua benedictione, & variis donis gratiæ, sicut Paulus Roman. 12. de gratia loquitur, adesse casto & pio conjugio. Quos enim Deus conjungit, illis benedicit. Genes. 1. Nec tantùm in natura integra benedictio promissa est conjugio, verumetjam naturæ lapsæ repetita & confirmata est, Genes. 9. Complectitur autem illa benedictio, 1. fœcunditatem & generationem juxta dictum: Crescite & multiplicamini. 2. felicem statum uxoris & liberorum Psalm. 128. Vxor tua ficut vitis fructifera, filii ficut novellæ olivarum. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum: ut videas filios filiorum tuorum, & Psalm. 127. Ecce hæreditas Domini, filii, beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis, nõ confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta. 3. complectitur successum in œconomia & politia. Psalm. 128. Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, & benè tibi erit. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum, ut videas bona Ierusalem, omnibus diebus vitæ tuæ, pacem super Israel. Psalm. 127. Non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta. Et hoc est quod prima benedictio inquit, Genes. 1. Subjicite terram, & dominamini super omnia quæ in terris moventur. 4. Huic verò benedictioni, propter lapsum, admixta est quædam crucis difficultas & acerbitas. Genes. 3. sicut in remediis, quale conjugiũ post lapsum factum est, solent austera & acerba quædam misceri. Sed illa acerbitas, timentibus Deum mitigatur patientia, consolatione, auxilio, & liberatione divina. Sicut præsentia Christi in nuptiis. Ioan 2. utrũq; ostendit, & crucem & consolationem. Habet præterea conjugium ex divina institutione & hoc privilegiũ, sive hanc gratiam, quòd est genus vitæ sanctum, & Deo placens. Cumq; concubitus extra conjugium, sit abominatio coram Deo scortatores enim & adulteros judicabit Dominus: In conjugio honorabiles sunt nuptiæ in omnibus, & κοίτη ἀμίαντος Hebr. 13. Si acceperis uxorem, nõ peccasti, si nupserit virgo, nõ peccat, 1. Corin. 7. Imò in piorum conjugiis vocatur sanctificatio & honor, 1. Thessa. 4. Ita 1 Timoth. 2. tribuitur mulieribus parientibus, sanctificatio & castitas. Et Tit. 2. uxores amantes liberorum, vocantur castæ, 1. Petr. 2. mulieres subjectæ viris vocantur sanctæ, & sperantes in Deum 1. Corint. 7. cohabitatio mulieris fidelis, cum viro infideli pronunciatur sancta esse. Et ibi dicit, ipsam generationem, quæ aliàs immunda esset in conjugio, & præsertim fidelium, sanctam esse, 1. Tim. 3. affirmat mulierem salvari per generationem, si manserit in fide. Est & hæc gratia Dei in conjugio, quòd Deus conjugum animos conjungit, ut & velint & possint individuam illam vitæ societatem colere, fidem conjugalem servare, in nexu illo indissolubili manere, utq; complexus affectuum inter conjuges arctior & ardentior sit, quàm inter parentes & liberos, juxta dicta: Relinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, ut sint quasi una caro Quod ergo Deus

Universidad de Deusto
Biblioteca

conjunxit, homo non separet. Illam etiã gratiam Deus conjugibus Deũ timentibus, & in via ejus ambulantibus largitur, ut vir uxorem diligat, curet, foveat, & honorem ei, tanquam vasi infirmiori tribuat. Ephes. 5. & 1. Cor. 3. utq; mulieris desiderium sit ad virum, Genes. 3. reverenter se viro subjiciat, Ephes. 5. & sit viri adjutoriũ, Genes. 2. exhilaret cor mariti, Syr. 26. & Prover. 31. & breviter, gubernatione Spiritus Dei opus est conjugibus, ut in vera concordia suum quisque officium faciat, mutuas infirmitates tolerent, communes difficultates sublevent, liberos piè edocent, domum gubernent, operas œconomicas faciant, & crucem patienter tolerent: utq; cohabitatio sit secundum scientiam, 1. Pet. 3. & in Domino. 1. Corinth. 7. Hæc pii conjuges petunt à Deo, & Deum hanc gratiam largiri petentibus, non est dubium.

Coniugium imago Ecclesiæ.

Postremò, conjugium dulcissima imago est Christi & Ecclesiæ, sicut explicationem illã, tradit Paulus Ephes. 5. Viri diligite uxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Vxores subditæ sitis viris, sicut Ecclesia Christo subjecta est. Quòd enim ex latere dormientis Adæ, formatur Eva, ut sit os ex ossib. eius, caro de carne ejus, hoc veteres piè interpretãtur, fuisse significationem & prænunciationẽ, fore ut filius Dei, quasi relicto patre descendens de cœlis, nostrã naturã assumeret, fieret caro de carne nostra, accepta servi forma, fieret in similitudine hominum, ut ita peccatũ in carne damnaret. Et rursus ex dormitione, hoc est, ex passione & morte Christi, nascatur Ecclesia, eductis ex latere ejus Sacramentis, quibus generetur, ædificetur, & Christo fide ita uniatur, ut simus membra corporis ejus, & ex ossibus ejus. Quòd igitur Adam dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, propter hoc relinquet homo patrẽ & matrẽ, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unã, hoc Paulus pronunciat magnũ mysteriũ esse, in Christo & in Ecclesia. Dulcissima igitur imago redemptionis, est in ipso cõjugio proposita. Et quæ suavior posset pictura esse, quàm sancta & grata Deo sint mutua conjugum officia, quàm quòd Paulus affirmat, virum diligentem uxorem, assimilari Christo diligenti, redimenti & sanctificanti Ecclesiam, & uxorẽ subjicientem se viro imitari & exprimere exemplum Ecclesiæ, subjicientis se Christo?

Hæc amplissima doctrina, de dignitate & sanctitate conjugii, in nostris Ecclesiis, ex verbo Dei diligenter proponitur & inculcatur, quam ideò paucis hoc loco repetere volui, ne quis existimet, nos vel minus honorificè de cõjugio sentire, vel de ejus dignitate cupere aliquid detractũ, quando contendimus, nõ esse ita verè & propriè Sacramentum novi Testamenti, sicut est Baptismus, & Cœna Domini. Si igitur disputatio in hoc tantum cardine verteretur, matrimonio tribuendã esse appellationem Sacramenti, propter hanc causam, ut esset commone factio de tota illa doctrina, de dignitate matrimonii, de qua hactenus diximus, utq; contra omnes doctrinas dæmoniorum, appellatio Sacramenti, quasi in illustri loco collocaret conjugium, & moneret, præclarius & angustius in Ecclesia de conjugio sentiendum & loquendum esse, quàm apud ethnicos, quibus doctrina verbi Dei ignota fuit, utq; ipsos conjugatos, officii sui admoneret, & in oruce consolationem monstraret. Si hoc, inquam tantùm à Pontificiis quæreretur, & ageretur in hac disputatione, facilè posset de appellatione cõveniri. Est enim Sacramenti appellatio ἄγραφος, & latè patens: sicut suo loco ostẽdimus. Ideò Apologia cõfessionis Vuirtenbergensis inquit: Quia conjugium est sanctum vitæ genus divinitus institutũ & commendatum, libenter ei tribuimus nomen Sacramenti Sed hoc modo multo plura numeranda erunt Sacramenta, quàm septem. Habent enim reliqua etiam pia genera vitæ, mandatum Dei, & promissionem. Aliter etiam in illis vitæ generibus pii versantur, quàm ethnici. Quis verò ideò contenderet, agriculturam, pecuariam, &c. etiam numeranda esse, inter Ecclesiæ Sacramenta? Nec verò in novo primùm Testamento institutũ est matrimonium: imo Christus traditionem sua de matrimonio, disertis verbis refert ad primã illam institutionem: Non legistis, inquit, quia qui fecit hominẽ ab initio, &c. Et in quæstione de polygamia, & de Iudaicis divortiis, non novi aliquid Christus instituit, sed restituit doctrinam, ad primævam institutionem, Ab initio, inquit, non fuit ita, sicut postea in polygamiis & temerariis divortiis factum est. Certum etiam est, piis veterum conjugiis defuisse illam matrimonii gratiam, de qua diximus Scripturam loqui. Nec dubium est conjugium in Ecclesia semper fuisse mysteriũ conjunctionis Christi & Ecclesiæ, etiam tempore veteris Testamenti. Nam Oseæ 2. Dominus dicit: Sponsabo te mihi in sempiternum, in justitia, judicio, misericordia & fide. Et Solomon ex professo epithalamium scripsit, harum nuptiarum in Christo & Ecclesia. Paulus enim Ephes. 5. illud quod Adã de suo matrimonio in principio creationis, Genes. 2. dixit, pronunciat esse mysterium illud magnum in Christo & Ecclesia. Vanum igitur est, matrimoniũ esse peculiare Sacramentum novi Testamenti. Omnia enim quæ existimantur esse de ratione Sacramenti, conveniunt piorum conjugiis, etiam in veteri Testamento. Nam quæ in polygamia & in divortiis, à quibusdam facti tata sunt, Christus pronunciat præter primævam institutionem facta esse, inquit enim, Ab initio non fuit sic. Nec omnes sancti veteris Testamenti fuerunt polygami. Et tamen in ipsa etiam veterum polygamia, Augustinus quærit mysterium Christi & Ecclesiæ, De bono conjugali cap. 18. Quicquid igitur fit de generali usu appellationis Sacramenti, ut quicquid sacrum aliquid significat, & habet mandatum & promissionem Dei, Sacramentum appelletur, hoc certum & manifestum est, matrimonium non esse verè & propriè Sacramentum, ea ratione, sicut est Baptismus & cœna Domini. Et hæc distinctio omnino necessaria est in Ecclesia, ne Sacramenta quæ divinitus instituta sunt, ut sint media seu organa applicationis & obsignationis, promissionis de remissione & vita æterna, confundantur cum aliis ritibus.

Sacramenti appellatio latè patens.

Baptismus enim & cœna Domini, adjunctam habent promissionẽ de applicatione & obsignatione gratuitæ reconciliationis & remissionis peccatorum, singulis quia fide Sacramentis illis utuntur. Talem certè promissionem, conjugiũ nõ habet. Nec opus est, ut uxorem ducat, qui cupit sibi Sacramentum applicari & obsignari gratuitam reconciliationem cum Deo. Multi etiam uxores ducunt, qui Deo non sunt reconciliati. Et breviter, conjugium non est organon à Deo in hoc institutum, ut per illud offeratur, applicetur, & obsignetur promissio gratuitæ reconciliationis cum Deo. Hoc discrimen illustre est, & necessariò retinendum.

Disputatio Pont. de materia matrimonij.

Ipsa etiam Sacramenti definitio, quę requirit externum, materiale & visibile Symbolum seu elementum, non potest matrimonio convenire. Scholastici enim vix fingẽdo excogitare possunt, quam velint ponere materiã in Sacramento matrimonii. Richardus dicit, verbum primò prolatum (ut, Accipio te in meam) esse materiam, & verbũ secundò prolatũ (ut, Accipio te in meum) esse formam vel è contrà, ut scilicet verbũ viri, aliquando sit materia, aliquando forma. Quid verò ineptius fingi potest, quando de Sacramentorũ materia disputatur? Canonistæ disputant, consensum esse materiam, verba verò exprimentia consensum, esse formam. Quidam volunt, sic ut in pœnitentia actus pœnitentis sunt materia, ita etiam actus utentium matrimonio, esse materiam, & consensum, esse formam. Qualia verò hæc monstra sunt opinionum, quæ inde oriuntur: quòd propter præsumptã opinionem (matrimoniũ esse Sacramentum) conantur definitionem Sacramenti accommodare ad matrimonium? Animadvertit hoc Gropperus, ideò disputat, formam in Sacramento matrimonii, esse verbũ illud: Quos Deus conjunxit, &c. Elementum verò esse exteriores gestus & actus, quibus conjuges in nomine Domini copulantur, & quibus ipsi inter copulandum profitentur, se posthac in vna carne futuros. Minus hæc absurda sunt, quàm vel Scholasticorum vel Canonistarum disputationes. Sed ut sit aliquid Sacramentum, non sufficit ut adsint & adhibeantur externi aliqui gestus & actus. Talia enim externa Symbola adhibentur, etiam quando reges coronantur, quando principes feuda accipiunt, quando in scholis gradus conferuntur, imò quando sutores aliquem in collegiũ suum recipiunt. Num verò ex singulis, peculiaria Sacramenta fabricãda erunt? Requiritur igitur ad Sacramentum, ut materia elementum seu externum Symbolum, sit à Deo institutum, præscriptum & mandatũ, utq; usui ejus addita sit promissio. Quod Gropperus de externis copulationis ritibus ostendere non poterit. Et hæc cùm ita se habeant, ideò Tridentina Synodus fortiter quidem usque ad anathematis denunciationem asseverat, matrimonium esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, quæ verò sit Sacramenti hujus vel materia vel forma, ne verbulo quidem meminit, quòd tamen in aliis Sacramentis fecerunt. Vel igitur incerti sunt de materia & forma hujus Sacramenti, vel liberum voluerunt cuivis relinquere, ut fingat qualem velit, sive materiã sive formam, modo credat, matrimonium esse novæ legis Sacramentũ. Et hoc argumentum Lector benè consideret.

Sed Tridentinum Capitulum dicit, Paulum numerare matrimonium inter Sacramenta Ecclesiæ. Paulus enim dicit: Sacramentũ hoc magnum est in Christo & in Ecclesia, Ephes. quinto. Ego verò putassem satis esse, quòd Scholastici propter linguarum ignorantiam in illo loco Pauli hallucinati essent. Sed ut video, Tridentinos Patres nihil pudet, quod ad conservandum statum regni Pontificii facit. Ideò quia vetus interpres in illo loco habet vocabulum Sacramenti, & sequitur, In Ecclesia: mox concludunt, matrimonium esse Sacramentum Ecclesiæ seu novi Testamenti. Atqui Paulus habet μυστήριον, quam vocem interpres sæpè reliquit, aliquando verò Sacramentum reddidit. Significat autem μυστήριον vel rem ipsam spiritualem & arcanam, vel externum Symbolum, significans aliquid arcani. Num verò tot Sacramenta numerabimus, quot rebus appellatio mysterii in Scriptura tribuitur? Decretum de redemptione, vocatur mysterium, Ephes 2. de vocatione gentium, Ephes. 3. de resurrectione mortuorum, prima Corinth. decimoquinto, de conversione Iudæorum. Roma. undecimo, mysterium septem stellarum, & candelabrorum, Apocalypsis 1. imò est mysterium iniquitatis, sedens in templo Dei, 2. Thes. 2. Sacramentum meretricis Babylonicæ, Apocalyp. 18.

Arg. Triden. ex Paulo.

Paulus itaq; nihil aliud dicit, quàm conjunctionem conjugalem, quam Adam verbis descripsit, esse mysterium magnum, non in se, sed quia significationem habeat, & imaginem gerat arcanæ conjunctionis Christi & Ecclesiæ, hoc scilicet, quòd Adam dicit de conjugali conjunctione, est mysterium illud magnũ. Ego verò dico, in Christo & in Ecclesia. Duo enim dicta ibi conferuntur, & quod Adam dixit de conjugali coniunctione, & quòd Paulus dicit de arcana cõjunctione Christi & Ecclesiæ.

Ita Augustinus in 2. cap. Ioan. tract. 9. inquit: Ne quis istam magnitudinem Sacramenti in singulis quibusque hominibus, uxores habentibus intelligeret: Ego autem dico, inquit, in Christo & Ecclesia. Quod est hoc Sacramentũ magnum? Erunt duo in carne una. Sic ergo Christus adhæsit Ecclesiæ, ut essent duo in carne una.

Si verò conjugium propter hanc causam, quia mysteriũ est, numerandum est inter Sacramenta Ecclesiæ: eadem opera in numerũ Sacramentorum referenda erunt omnia, in quibus Spiritus sanctus similitudinem aliquam & imaginem proponit & celebrat, Christi & Ecclesiæ. Quàm frequens in Scriptura est imago pastoris & ovium, & quàm dulcis est ejus accommodatio ad Christum & Ecclesiam? Num igitur propterea pecuaria, sanctum quidem & innocens vitæ genus, Sacramentum erit novi Testamenti, sicut Baptismus & Cœna Domini? Regnum Davidis, imago fuit spiritualis regni Christi, nec tamen propterea numeratur inter Sacramenta. Neque enim quicquid vel mysterium vel mysticam significationem continet, statim Sacramentũ est novi Testamenti, sicut Baptismus & cœna Domini. Et veteri Ecclesiæ prorsus ignota est hæc disputatio, matrimonium esse Sacramentum novi Testamenti, sicut est baptismus & cœna Domini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augustinus defensurus coniugiũ adversus Hieronymi criminationes, disputat tria esse cõiugii bona, prolem scilicet, fidem conjugalem & Sacramentum. Intelligit autem Sacramentum mysticam significationem coniunctionis Christi & Ecclesiæ. Et propter illud Sacramentum, dicit in novo Testamento polygamiam non esse licitam, sed legitimas nuptias esse coniunctionem indissolubilem unius viri & unius fœminæ. Ita de fide & operibus, cap. 7. inquit: In Ecclesia, nuptiarum non solùm vinculum, verumetiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat uxori virum alteri tradere. Et de bono coniugali, cap. 18. inquit: In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri. Et quam modestè loquitur, cùm inquit: Quòd in Christo & in Ecclesia est magnum, in hoc singulis quibuscunq; viris & uxoribus est minimum, sed tamen cõiunctionis inseparabilis Sacramentum. Hoc verò modo & hoc sensu Augustinus pronunciat etiam polygamiam veterum, fuisse Sacramentum, de bono coniugali cap. 18. Sicut Sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis, significavit futuram multitudinem Deo subiectam in terrenis omnibus gentibus, sic Sacramentum singularium nuptiarũ nostri temporis, significat unitatem omnium nostrorum subiectam Deo futuram in una cœlesti civitate. Longè aliud igitur Augustinus intelligit, quando loquitur de Sacramento matrimonii, quàm quando Pontificii disputant matrimonium esse unum ex septem sacramentis novi Testamenti, verè & propriè, sicut est Baptismus & cœna Domini. Fumos igitur Pontificii vendunt, quando disputationes suas de sacramento matrimonii, ex Augustino cõfirmant, eò quòd ipse matrimonio tribuerit appellationem Sacramenti. Maior verò adhuc impudentia est Tridentini capituli, quòd fingit, omnes Patres semper ita docuisse, cùm ante Augustini ætatem, non facilè ostendi possit, vel generalem appellationem Sacramenti tributam matrimonio.

Augustinus de Sacramẽto matrimonij.

Et inter Scholasticos Durandus disputat, matrimoniũ non esse univoce sacramentum, sicut alia Sacramenta novæ legis, & concludit, non esse Sacramentum strictè & propriè dictum.

Eiusdem generis est, quòd Tridentinum Capitulũ dicit, Concilia semper ita docuisse. Quæ verò sunt illa Concilia?

Num Apostolicũ, num Nicenum, num Ephesinum? &c. Nullum certè ex vetustioribus Conciliis numerare possunt. Sed recentia producũt, Constantiense scilicet, & Florentinum. Vincentius Lyrinensis tradit, illud esse catholicũ, quod semper, quod ubique, & ab omnibus servatum fuit. Sed Tridentinis patribus, ut video, catholicum est, si centum saltem annorum præscriptionem habeat. Quid verò causæ esse putas, quòd tantoperè contendunt Pontificii, matrimoniũ numerandum esse inter Sacramenta novæ legis? Num tam æqui sunt coniugio? num dignitati eius tantoperè favent? Nequaquam. Suis enim sanctulis coniugium prohibent, & quidem propter hanc causam, ut mundi esse possint. De coniugio enim interpretari non verentur, quòd Paulus dixit: Qui in carne sunt, Deo placere nõ possunt. Num verò sine causa ex matrimonio Sacramentum faciunt? Imò multas habent causas, ut scilicet causæ matrimoniales Ecclesiasticis tantùm iudicibus subiectæ sint, ut prohibitiones suæ, & implementa sua, ipsis hominũ conscientiis, tanquam laqueos inicere possint, ut dispensationes eo carius vendere possint, ut parti inno centi, post divortium, iure divino permissum, ratione Sacramenti non liceat rursus aliud contrahere matrimonium, ut docere possint, secundis nuptiis non esse dandam benedictionem, eo quòd careant Sacramento, hoc est, quòd secundę nuptiæ sint in veritate fornicatio quædã & prostitutio. Ita enim Decretum loquitur 31. quæst. 1. cap. hac ratione, & quomodo.

Causæ ob quas Pontifices ex matrimonio Sacramentum faciunt.

Causæ Pontificium matrimonium esse contendant.

Hæ veræ causæ illæ sunt, quæ apud Pontificios ex matrimonio Sacramentum faciunt.

CANON II.

Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.

EXAMEN.

Quicquid sit, sive de dispensatione & permissione, sive de tolerantia Dei, in polygamia veterum, hoc certum est, coniugium ex prima sui institutione, esse unius maris & unius fœminæ cõiunctionẽ. Christus enim non nouã aliquam legem çondit, sed causas matrimoniales, quę à primæva norma apud Iudæos dicesserant, revocat ad primã institutionem. Ab initio, inquit, creationis non fuit sic. Et ex prima illa institutione eruditè ostendit, coniugiũ esse duorum, unius scilicet maris & unius fœminæ divinã coniunctionem. Deus enim in principio creavit non unum masculũ & plures fœminas, sed unũ marem & unã fœminam. Et inter duos illos instituit coniugium. Nec dixit, Adhærebit uxoribus suis, unica enim tunc tantum erat mulier, sed τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, illi scilicet uxori suæ, divinitus sibi adductæ & copulatæ. Et notabile est, cum Genesis secundo tantùm scriptum sit: Et erunt in carne una. Christus addit explicationem: Et erunt duo in carnem unam. Illam verò explicationem, tum ex ipsis circumstantiis textus. Neque enim plures tunc erant quàm duo, unus scilicet mas & una fœmina. Quòd igitur Gene. 2. sequitur: Erant autem duo illi, seu ambo illi nudi, hoc Christus refert etiam ad præcedentem sententiã: Et erunt duo in carnem unam. Et maioris emphasis gratia, addidit articulũ οἱ δύο, duo illi. Et repetit: Itaque non amplius sunt duo, sed una caro. Quod itaque sequitur: Quod Deus cõiunxit, τὸ refert duos illos, unũ scilicet marem & unã fœminam. Quicquid verò diversum à veteribus factum est, ad hoc Christus respondet: Ab initio nõ fuit sic. Et propterea Moses exponit, quòd Lamech sua polygamia, primus fuerit autor discessionis à norma illa primævæ institutionis coniugii. Quòd verò de Patrib. quibusdam veteris Testamenti leguntur exempla polygamiæ, tribuatur sanè illud vel dispensationi Dei,

Polygamię Lamech &c.

Dei, sicut Augustinus disputat de bono conjugali: propter semen benedictum quod ex illa gente nasci debebat: vel propter significationem futuræ conjunctionis Iudæorum & gentium, in Ecclesia Christi. Vel tribuatur tolerantiæ Dei. neque enim omnibus vitiis liberi fuerunt patres; & multa in sanctis suis Deus tolerat. Quicquid verò horum sit, Christus pronunciat, exempla non debere præscribere divinæ institutioni. Et apertè ostendit, quæ Deus in politia Iudaica, dissentientia à prima institutione ad tempus toleravit, ea tempore novi Testamenti abrogari: ut causæ matrimoniales, jam restituantur ad primam institutionem. Ita Paulus etjam 1. Corinth. 7. dicit: Vnusquisq; habeat suam uxorem, & unaquæque suum virum. Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter nec vir sui corporis potestatem habet, sed mulier. Non igitur licet Christianis, plures simul habere uxores: idq; non ideo, quasi Christus in novo Testamento, novum & peculiare instituerit Sacramẽtum matrimonii: sed quia ab initio creationis, in prima conjugii institutione, Deus ita constituit. Et ad illam normam primæ institutionis, abrogatis Mosaicis permissionibus, Christus revocat & restituit causas matrimoniales in novo Testamento. Rectè igitur & meritò damnantur Anabaptistæ, & quicunque sunt, qui contra normam illius institutionis, in principio creationis à Deo traditæ, & postea à Christo repetitæ & confirmatæ, polygamiam in novo Testamento vel introducere, vel defendere conantur.

CANON III.

Si quis dixerit, eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum: nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant & dirimant, anathema sit.

EXAMEN.

Prior pars hujus Canonis, loquitur de gradibus divinitùs prohibitis. Vt enim conjugium sit conjunctio legitima, seu potius divina, Deus sanxit certum ordinem personarum seu graduum, in quibus post multiplicatum genus humanũ, prohibitam voluit esse conjunctionem. In principio quidem, commixtio cum parentibus tantùm prohibita fuit juxta dictum: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Tunc enim compellente necessitate, per divinam dispensationem, fratres copulabantur sororibus. Augustinus verò rectè dicit, de Civitate libro decimoquinto, cap. 16. Quanta illud compellente necessitate antiquius est, tanta postea falsum est religione prohibente damnabilius: ut cùm nulla necessitas esset, ut fieret, nefas esset si fieret. Et prohibitionem conjunctionis inter fratres & sorores, esse juris naturæ, Augustinus inde probat, quòd humano genere multiplicato, etjam inter idololatras servetur, & addit: Etjamsi alicubi perversis legibus permittantur fraterna conjugia, melior tamen consvetudo ipsam malit horrere licentiam. Et quidem ante Mosen, ex lege naturæ, alii quidam gradus, præter patrem & matrem, illiciti habiti fuerunt: ut cùm Abrahàm dicit Saram esse sororem suam, & Isaac Rebeccam: etjam gentes existimant, propterea non posse conjugem esse. Iacob maledicit Ruben, propter commixtionem cum noverca. Iudan non vult amplius cognoscere Thamar, nurum suam, iudicavit ergo, commixtionem illam illicitam esse.

Augustinus.

Postea multiplicato genere humano, cùm jus naturæ partim obscuraretur, partim perverteretur, Deus Levit. 18. & 20. Deute. 27. ipse sua voce patefecit & confirmavit, quæ prohibitiones essent juris divini & naturalis. Et leges illas de gradibus prohibitis, Levit. 18. non esse tantùm cæremoniales, quæ solàm ad politiam Israeliticam, & ad illum tantùm populum pertineant: sed esse mandata naturalia, quæ ad omnes homines, & ad omnia tempora pertineant, tanquam normæ justitiæ in mente & voluntate divina immutabiles: Deus in ipsa promulgatione illarum legum, manifestè ostendit. Primò enim pronunciat, se gentes quæ sunt extra politiam Israeliticam, propter incestas illas coniunctiones punire. 2. dicit, commixtiones illas fuisse abominationem coram Deo, etjam in gentibus, ante promulgatam legem Mosaicam, Levit. decimooctavo & vigesimo. Et apparet apud Corinthios inter cæteras disputationes de libertate, quòd Christianis in novo Testamento, quia liberi sint à lege, omnia liceant, fuisse etjã hanc: quòd una cum cæteris Leviticis legibus, abrogata sit etjã illa lex de gradibus in Levitico prohibitis: prætextu enim illius libertatis, quidam novercam suam duxit. Paulus verò 1. Corinth. 5. cùm dicit talem commixtionem, ne inter gentes quidem nominari, ostendit leges illas de prohibitis gradibus, non esse cæremoniales, sed esse mandata legis naturæ, quæ ad omnes homines, & ad omnia tempora pertineant. Est enim maximum argumentum, leges illas in Levitico esse juris naturæ, quòd ethnici legislatores quibus ignota fuit lex divina, eodem fermè modo numerant gradus prohibitos. Baptista etiam, cuius ministerium finem imponit legi, confirmat illas prohibitiones. dicit enim Herodi: Non licet tibi uxorem fratris habere. Vt autem intelligeretur, Deum seriò commixtiones in prohibitis illis gradibus prohibuisse, addit comminationes de variis pœnis: ut, Eradicabitur de populo. Quod de pœnis divinitus inflictis intelligitur, sicut terra evomuit habitatores suos. Item: Absque liberis orbi erunt. 2. Iubentur à magistratu publico supplicio corã populo affici: ut lapidari, cõburi, occidi. 3. Manser, hoc est, qui ex prohibitis illis commixtionibus nascitur, non ingrediatur in Ecclesiam, usque in decimam generationem. Deut. 23. hoc est, non jungantur cum illis connubia, non ineantur pacta, non admittantur ad successiones, officia publica, &c. Ita enim cũ Ammonitis & Moabitis, qui simul cum incestuosis, Deut 23. iungutur, agebatur: ut ex Esdra & Nehemia patet. Et inde colligitur, quid sit non ingredi in Ecclesiã.

Leges Mosaicæ, Levit. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et forsan Paulus huc respexit, cùm 1. Corinth. 7. inquit: Aliàs liberi vestri immũdi essent. 4. eradicatio non tantùm externas corporales pœnas complectitur, verumetiam spirituales & æternas: ut in circumcisione. Atq; ideo Paulus incestuosum excommunicat, & diabolo tradit: 1. Corinth. 5. Hoc modo igitur de divinis prohibitionibus sentimus & docemus. Et quomodo personæ in Levitico ita numerentur, ut inde certi gradus prohibitionum colligi & constitui possint, alibi explicatur. Quæ igitur de hac quæstione controversia est, inter Pontificios & nostros? Respondeo: Hæc est, quod in hisce divinis & naturalibus prohibitionibus Pontificia Ecclesia sumit sibi jus, authoritatem & potestatem dispensandi: hoc est, quòd sua authoritate & potestate, possit laxare & solvere divinas prohibitiones. Atq; ideo Tridentinus Canon, anathema denunciat, si quis dixerit, Ecclesiam non posse in nonnullis illorũ graduum, qui divinitùs prohibiti sunt, dispensare. Canonistæ disputant, in matrimonio jam contracto, posse talem aliquẽ casum evenire, ut propter conscientias agendum sit de dispensatione: in contrahendo verò, nullam dispensationem valere. Sed hanc distinctionem Tridentinus Canon non addit, utrumq; enim pari potestate volunt sibi licere.

Altera hujus Canonis quæstio est, de humanis prohibitionibus: quæ additæ sunt divinis, in proximis gradibus hoc consilio, ut majore reverentia divinæ prohibitiones observentur. Hoc consilium, ut non inhonestum nec impium, ita non est prorsus improbandum & damnandum. Origo autem humanarum prohibitionum, videtur hæc fuisse, quam describit Augustinus de *Augustinus.* Civit. Dei, lib. 15. cap. 16. Experti, inquit, sumus in connubiis consobrinarũ, etjam nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quàm rarò per mores fiebat, quod fieri per leges licebat: quia id nec divina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Vertuntamen factum etjam licitum, propter vicinitatem horrebat, & c. Illiciti, & quod fiebat cum consobrina, penè cum sorore fieri videbatur. Ex illa verò spontanea abstinentia à connubiis consobrinarũ, postea propter honestas causas secuta est prohibitio. Ita enim Augustinus inquit: Antiqui patres de suo genere amabant ducere uxores, veruntamen quis dubitet honestius hoc tempore etjam consobrinarum prohibita esse conjugia: non solùm propter multiplicandas affinitates, sed etjam quia nescio quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale, atque laudabile, ut cui debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea cõtineat, quamvis generatricem, tamẽ libidinem: de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem.

Ambrosius. Et hoc est quod Ambrosius scribit Epist. 66. Theodosium consobrinarũ conjugia prohibuisse. Et tamen quod memorabile est, prohibitio illa vel non fuit universalis, vel mox postea correcta est, id quod ex lege Arcadij & Honorii, C. de nuptiis, colligitur: ubi consobrinarum conjugia permittuntur, sicut postea etjam Justinianus, Instit. de nuptiis, idem concedit. Humanas igitur prohibitiones, veteres non habuerunt tàm fixas, certas & immotas, sicut eas quæ sunt juris divini & naturalis. Apud Ambrosium lib. 8. Epist 66. Paternus volebat filio neptem ex filia copulare, Illud Ambrosius pronunciat non esse legitimum. Est enim gradus ille lege divina prohibitus. In Turonensi Synodo, circa annum Domini 560. recitantur & Scripturæ & Synodorũ præcedentium sententiæ, de gradibus prohibitis. Et ex illa recitatione colligitur, usque ad illa tempora, divinis prohibitionibus valde paucas humanas additas fuisse: ut, ne qua mulier fororis suæ maritũ, post mortem ipsius accipiat: vel, ne quis uxoris suæ sororem, post mortem ejus ducat: item, ne superstes frater, thorum defuncti fratris ascendat. Prohibitum etjam tunc fuit, consobrinæ sobrinæq; connubium: item, ne quis relictam patrui vel avunculi ducat, &c. Planè eadem reperiuntur in Parrhisiensi Synodo, circa idem tempus: nisi quod additur de amita privignæ, & de filia privignæ. *Turonensis Synodus.*

Quales igitur per annos quingentos post natum Christum, gradus fuerint prohibitionis in politia, ex Justiniano manifestum est. Ejus enim prohibitiones extenduntur usq; ad neptem seu neptem, sive ex fratre sive ex sorore: hoc est, usq; ad tertium gradum, in linea inæquali, ita tamen ut in secundo gradu in linea æquali conjugium permittatur. Summa verò Ecclesiasticarum prohibitionum, sicut ex Turonensi Concilio colligitur, progressa tunc fuit, non ulterius quàm usque ad secundum gradum in linea æquali, & ad tertium gradum in linea inæquali. ita enim illud de sobrinis intelligo: vel certè non ultra tertium gradum, in linea æquali.

Romani verò Pontifices, prohibitiones illas valde latè extenderunt: alii usq; ad quartum, alii ad quintum, alii ad sextum, pleriq; ad septimum gradum: sicut illa in Decretis recitantur, causa 35. Toletanũ 2. cap. 5. statuit, ne quis propinquã sanguinis sui, usquequò affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari. Canon Quarmacensis, causa 35. dicit, donec generatio aut recordatione cognoscitur, aut memoria retinetur. Tandem post longas intolerabiles varietates, in Lateranensi Concilio, circa annum Domini 1200. prohibitiones redactæ sunt ad 4. gradum, inclusivè.

Hæc ideò recitavi, ut considereturn, humanas prohibitiones additas divinis, nõ fuisse semper & ubiq; similes seu æquales, sed variasse, secundũ loca & tempora: & quidem prohibitiones illas, pro ratione circumstantiarũ, ad ædificationem fuisse vel extensas vel restrictas, tæpe etjam abrogatas. Imperatores etjam Christiani, ut Theodosius, Honorius, Arcadius, Justinianus, judicarũt hanc rem ad suam etjam curam pertinere, leges enim de gradibus illis ediderunt.

Hujusmodi igitur humanas prohibitiones additas divinis, si fiant honesto & pio consilio, ut scilicet divinæ prohibitiones majori reverentia serventur: etsi fiant in proximis gradibus post divinas prohibitiones, ab illis ad quos cura illa pertinet, pro ratione circumstantiarũ loci, temporis, perionarum, sine laqueis & servitute conscientiarum: judico illas non esse temerè vel simpliciter improbandas & damnandas.

Prohibitiones Pontificiæ. Habent autem Ecclesiæ in singulis rationibus cum pio magistratu, illam libertatem seu potestatem quæ fuit in veteri Ecclesia: ut pro circumstantiis hominum, locorum & temporũ, de gradibus aliquid constituant, quod verbo Dei non adversetur, & utile sit ad ædificationem, Hoc enim vetus Ecclesia factitavit.

Romanus verò Pontifex, solus sibi universalem illam potestatem, super omnes Ecclesias arrogat: & quidem ita, ut propter plenitudinem potestatis, velit conscientias Pontificiis prohibitionibus non minus teneri, quàm divinis. Sæpè etjam matrimonia quæ Deus ipse conjunxit, utpote quæ non pugnant contra divinas prohibitiones, Pontifex propter suas prohibitiones dirimit & separat: cùm tamen sit fortissimũ illud vinculum: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Graves verò sunt rationes Pontificiæ prohibitionis, quæ ipsis conscientiis laqueos injicere conantur: quia scilicet quatuor humores sunt in corpore, qui ex 4. constant elementis. Rectè igitur exemplis libertatem ostendunt, qui Pontificiam illam antichristi, in Ecclesiam & in piorum conscientias tyrannidem, nolunt agnoscere cùm quidem in ipsa Romana curia, nullæ obstent prohibitiones, ne divinæ quidem, modò regina pecunia intercedat.

CANON IIII.

Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impediment a matrimonium dirimentia, vel in ijs constituendis errasse anathema sit.

CANON VI.

Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solennem religionis professionem alterius coniugium non dirimi, anathema sit.

EXAMEN.

Prolixa est disputatio, de impedimentis, quæ dirimunt matrimonium vel contrahendum, vel jam contractum: quam integram explicare, non est nostri instituti. Quod verò ad examen IIII. hujus Canonis attinet, fundamenta quæ certa & firma sunt, paucis possunt monstrari. Omnino necesse est, ut firmum, fixum & immotum maneat Decretum filii Dei, ubi inquit: Quod Deus conjunxit, homo non separet. sed ut sit talis indissolubilis nexus, & inseparabilis conjunctio, requiritur ut sit divina conjunctio: hoc est, ut non pugnet cum doctrina verbi Dei, de substantia conjugii. Cohærent enim illa duo, homo non separet, quod scilicet Deus conjunxit. Possunt igitur incidere talia impedimenta, quæ adversa fronte repugnant institutioni coniugii. Et in talibus impedimentis, homo non separat id quod Deus conjunxit. Sed Ecclesia ostendit, talem conjunctionem, quia pugnet cum norma matrimonij divinitùs tradita, nõ esse legitimam seu divinã conjunctionem: ut, si sit impedimentum graduum, sive cõsanguinitatis, sive affinitatis, quos Deus sua voce severè prohibuit: si quis antea habeat aliam legitimam uxorem: si consensus non sit liber & expressus. si accedat talis error personæ, sicut Iacobo cum Lia accidit: si natura prorsus nõ sit idonea ad matrimonium, &c. Talia impedimenta non sunt ab Ecclesia, privata aut peculiari ipsius autoritate constituta, sed notata sunt ab ipso Deo, in institutione matrimonii: & non separant conjugium divinitus conjunctum, sed ostendunt non esse legitimã seu divinam conjunctionem. De his igitur, quia fũdamentum habent in verbo Dei, non est cõtroversia. Præter hæc verò alia sunt impedimenta, ab hominibus constituta, quæ non pugnant cum verbo Dei de matrimonio: ut commentum de cognatione spirituali. Quod enim talis cognatio dirimat matrimonium, vel contrahendum vel jam contractum, & Scripturæ & veræ antiquitati prorsus ignotũ est, aliàs enim inter Christianos, nullum posset constare matrimonium, omnes enim sumus fratres & sorores. Ignorat & hoc scriptura, quòd votum castitatis, dirimit matrimonium jam contractum. Et rectè quidem monentur homines, ne cum illis, qui diversæ & pravæ religionis sunt, contrahant matrimonium. Diversitas tamen religionis, non dirimat matrimonium, 1. Corinth. 7. Quæ igitur talia impedimenta ab hominibus constituta sunt, quæ non pugnant cum divina conjunctione, quę est in matrimonio juxta ejus institutionem: illa justè & meritò taxantur. Tunc enim homo separat quod Deus conjunxit, quando humana authoritate constituuntur impedimenta dirimentia matrimonium, licet non pugnent cum verbo Dei, de matrimonii conjunctione. Idem enim est, ac si dicerem: Licet legitima & divina sit conjunctio, homines tamen posse constituere aliqua impedimenta, quibus separetur & dirimatur. Ex hac distinctione impedimentorum, quæ vera & manifesta est, rectè explicari possunt ea quæ prolixè de impedimentis matrimonij disputantur: quæq; in hoc Canone, omnia sine distinctione in genere approbantur & confirmantur.

Impedimenta repugnantia institutioni coniugij.

Impedimenta ab hominibus constituta.

Votum castitatis.

Diversitas religionis.

CANON V.

Si quis dixerit, propter hæresin, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge, dissolvi posse matrimonij vinculum, anathema sit.

EXAMEN.

Quæstio de divortiis, omnibus temporibus magna quidem contentione, non tamen eodem semper modo disputata fuit. Magnum enim & arduum quiddam est matrimonii vinculũ, per repudium solvere, cùm videatur obstare decretum divinitatis: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Vicissim verò, si separatis secundæ nuptiæ prohibeantur: obstrepit hoc quod Paulus dicit, 1. Cor. 7. constitutiones de causis matrimonialibus ita moderandas esse, ne conscientiis laquei injiciantur. & ne ille qui donum continentiæ non habet objiciatur tentationibus Satanæ, & ustionibus, melius enim est nubere quã uri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uri. Et propter vitandas fornicationes, quisque habeat suam uxorem. Et ex harum regularum diversa consideratione factum est, quod quidam in hanc, alii magis in alteram partem inclinarunt. Sed nos ea tantùm, quæ ad explicationem horum Canonum necessaria videbuntur, annotabimus.

Explicationis autem gratia, pono discrimen inter vera impedimenta, dirimentia matrimonium vel contrahendum vel contractum, & inter divortium. Impedimenta enim vocantur, quando conjunctio quæ non est legitima, dirimitur: & præcipuè, quando matrimonium non est consummatum.

Divortium verò accidit in conjugio, quod legitimè contractum, & præcipuè quando jam consummatum est. Ita Moses Deute. 24. describpturus repudium, inquit: Si homo acceperit uxorem, & maritaverit eam. Sed Esdr. 10. separatio alienigenarum, quia contra mandatum divinũ conjunctæ erãt, fit sine libello repudii, quanquam illa differentia non ubique ab omnibus servetur. Quidam enim inter causas divortij numerant etjam gradus prohibitos, qui tamẽ proprièad impedimenta matrimonii pertinent. Prima igitur quæstio est, propter quas causas licitũ & permissum sit in novo Testamento, legitimũ divortium. Non dubium autem est, Mosen propter duritiem cordis Iudæorum, plures divortii causas concessisse. dicit enim Deut. 24. Si non invenerit gratiam in oculis ejus, eò quòd deprehenderit in ea rem fœdam. Malach. 2. Si odio habes, dimitte. Posteà verò actio divortii apud Iudæos, in eam licentiam & levitatem degeneravit, ut ex quacunque causa uxores dimitterent. Matthæus dicit, κατὰ πᾶσαν αἰτίαν: hoc est, quicquid esset, cujus poterant uxores insimulare, statim petebant divortium. Quia verò viris cordatis & gravibus, levitas illa repudii ex quavis causa displicebat: proponunt igitur Christo quæstionem, an ex quavis causa fieri possit divortium? Et simul comprehenditur quæstio, quę sint veræ causæ legitimi divortii. Christus verò unam solam causam fornicationis excipit: de reliquis verò quibusvis causis inquit: Qui dimissa una duxerit aliam, & qui ducit dimissam, adulterium committunt.

De vera causa divortij.

Non autem committi potest adulterium, nisi vel utraque, vel altera persona sit vinculo matrimonii alligata. Pronunciat ergo Christus, præter fornicationem nullam aliam esse causam, quæ possit facere tale divortium, quo vinculum matrimonii solvatur, ut conjuges verè & legitimè separari possint. Sed in omnibus aliis causis, excepta fornicatione, pronunciat manere decretum divinum: Quod Deus conjunxit, homo nõ separet. Scio fuisse qui disputârunt, non solam causam fornicationis, in Christi sententia intelligendam esse, licet sola disertè exprimatur: sed sub illa comprehendi etjam alias causas, quę sint vel æquè graves, vel etiam graviores quàm fornicatio: quia mortis sit Scripturæ, exempli loco unum aliquid proponere, & disertè exprimere, sub quo reliqua quæ sunt eiusdem generis, comprehendantur: ut exemplum de sublevando asino inimici, complectitur omnia charitatis officia, quibus damnum aliquod ab inimicis averti potest.

Ita exemplum de obvertenda altera maxilla, omnis generis contumelias complectitur: & exemplum securis è manubrio exilientis, complectitur omnia homicidia involuntaria. Sed talem explicationem, existimo sententiam Christi non admittere: propterea quia status responsionis, ex proposita quæstione dijudicandus est. Ita autem proponitur quæstio: An ex omni causa liceat dimittere uxorẽ? Ad quæstionẽ hanc Christus respondens, non dicit, ex quavis causa licere: nec etiam dicit, ex nulla causa licere: sed explicaturus ex quibus causis liceat, ex quibus non liceat, solam fornicationis causam excipit: ex reliquis verò quibusvis causis, pronunciat vinculum matrimonii non solvi, sed committi adulterium, si fiat commixtio cum alia persona. Hæc sententia conscientiis tutissima est: ex verbis enim Christi, manifesta & certa est. Cui tamen illud quod dignum est observatione, addi potest: sicut vulgò dicitur, aliud esse jus fori, aliud jus poli: aliud esse forum politicum, aliud forũ conscientiæ. Ita enim Theodosius & Valentinianus, Christiani Imperatores, sub doctissimis & vigilãtissimis Episcopis, qualis fuit Ambrosius, ediderunt constitutionem de divortiis: in qua plures causas divortii concedunt, ut sævitiam, veneficia, insidias vitę structas, &c. Politicę enim constitutiones ita moderandæ sunt, ut non tantùm boni & sanabiles ad regulã bonæ conscientiæ gubernenter, verumetjam ut impii, præfracti & contumaces, qui justis admonitionibus regi nolunt, reprimantur & coerceantur, ne reliquorum tranquillitatem turbent. Cumq; politicis legibus omnia, quæ ad exactam iustitiæ normam non conveniunt, caveri non possint: quando igitur duo imminent incommoda, ut id quod levius est eligatur, constituuntur metæ, quantum sine Reipublicæ perturbatione concedi possit, & ubi gladius civilis repressurus sit impiorum contumaciam. Ita Deus ipse in constitutione politiæ Israeliticæ, proposuit quidem normam institutionis conjugii: sed quia pleriq; propter cordis duritiem, illa norma nolebant regi: Moses igitur politicus legislator, ne œconomica tranquillitas prorsus turbaretur & vastaretur, politicam fecit constitutionem, de modo & metis divortiorum. Semper tamen conscientiis insonuit vox doctrinæ: Ab initio non fuit sic. Quod Deus conjunxit, homo non separet. Eodem modo Ambrosius, qui conscientias de divortiis, secundum Christi doctrinam erudiebat, non ignorabat politicam illam Imperatoris sui Theodosii constitutionem: sed illam hoc politico fine editam non damnavit: nec tamen docuit, in foro conscientiæ pios hoc facere posse, & debere, sicut hoc pulchrè colligitur ex illis quæ scripsit, in decimum sextum caput Lucæ: Omnis qui dimiserit uxorem suam, & alteram duxerit, mœchatur. Audi, inquit, legem Dominicui obsequuntur, etjam qui leges ferunt. Item: Dimittis ergo uxorem quasi jure, sine crimine: & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, sed prohibet divina.

Moses de modo divortium.

Non igitur omnem & quamvis causam divortii,

tii, Christus approbat: nec tamen etjam nullam concedit divortii causam: sed causam fornicationis excipit ab aliis omnibus illegitimis, illicitis & insufficientibus divortii causis. Propter adulterium igitur, fieri potest verum & legitimum divortium. Et illud divortiũ non pugnat cum divino decreto: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Ibi enim non homo, sed Deus ipse separat. quod enim verbum Dei facit, hoc Deus ipse facere judicandus est.

De casu desertionis.

An quælibet causa sufficiat ad dimittendam uxorem.

Aliud verò est loqui de casu desertionis, quem Paulus ponit 1. Corinth. 7. Si infidelis discedit, discedat. Quæstio enim de divortio, ita proponitur: Propter quas causas vir sive mulier possit à se repudiare & abjicere, sive uxorem sive maritum legitimè conjunctum. Ad hanc quæstionem rectè respõdetur verbis Christi, quòd propter solum adulterium. Neq; enim Paulus, præter unicam illam Christi exceptionẽ, fideli concedit, ut propter disparitatem religionis, infideli repudium mittat. sicut Anabaptistæ fingunt alterum conjugum statim posse repudiari, si nolit sectam illorũ amplecti. Paulus enim expresè dicit: Si infidelis consentit cohabitare, fidelis nõ dimittat illam. Si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater vel soror, in hujusmodi.

An divortiũ fiat ob diversitatem religionis.

Audis Paulum distinctè loqui. 1. Non concedit fideli, ut propter diversitatem religionis, vel petat vel faciat divortiũ, inquit enim: Fidelis non dimittat infidelem. 2. Si verò fidelis ab infideli injustè deseratur & abjiciatur, in hoc casu desertionis, si infidelis non potest adduci ut cohabitet, & fidelis non potest cõinere: pronunciat Paulus, fidelem non esse serviliter alligatam desertori, sed esse liberam. Servitus enim & libertas opposita sunt. Et phrasis Pauli δεδούλωται restitisimè intelligi potest ex illis quæ scribit Roman. 7. Mulier lege alligata est viro. Item. Libera est à lege viri, ne sit adultera, si alteri viro copuletur. Atque ita Ambrosius sententiam illam interpretatur, quòd non sit peccatum ei qui propter Deum dimittitur, si aliisse junxerit, nec accusatur, si deserta alii copuletur. Infidelis verò discedens, & in Deum & in matrimonium peccare dignoscitur. Et mox posteà: Si Esdra dimitti fecit uxores aut viros infideles, ut propitius fieret Deus, nec iratus, si aliasex genere suo acciperent (non enim ita præceptum his est, ut dimissis illis alias minimè ducerent:) quantò magis si infidelis discesserit liberũ habebit arbitriũ, si voluerit nubere legis suæ viro. Hæc Ambrosius. Phoetius ita scribit: Si infidelis divortium fecerit, non est servituti subjectus fidelis, quin & ipse divortiũ faciat. Interpretatur autem verbũ χωρίζεσθαι nõ simpliciter pro discedere, sed pro separare, seu divortium facere: sicut usurpatur in illo dicto: Homo non separet.

Aliter duæ causæ divortij.

Duos igitur casus in Scriptura habemus, quibus vinculum matrimonii dissolvitur, ut conjuges separentur, non tanquam ab hominibus sed ab ipso Deo: 1. propter adulterium, vir licitè, rectè, & sine peccato potest uxorem suam repudiare. 2. Si infidelis nolit cohabitare cum fideli, sed deserat, dimittat & repudiet eam, sine culpa adulterii, tantum propter fidem: peccat quidem infidelis, & in Deum & in jus matrimonij: sed persona innocens deserta, non est servituti subjecta, sed libera à lege viri, ut non sit adultera, si legitimè jungatur alteri viro. Et hos duos casus etjam Chrysostomus annotavit, 1. Cor 7. Infidelis, inquit, causam præbuit, & fornicatio.

CANON VII.

Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm docuit & docet (iuxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam) propter adulterium alterius coniugum, matrimonij vinculum nõ posse dissolvi: & utrumq;, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere: mœcharię, eum qui dimissa adultera aliã duxerit, & eam quæ dimisso adultero alij nupserit, anathema sit.

EXAMEN.

Repetitur hoc loco, & stabilitur lex illa Pontificia, quòd parti innocenti, quæ à conjuge vel adultero vel adultera, legitimo divortio separata est, nulla ratione liceat, parte rea adhuc vivente, aliud matrimonium contrahere. Et multi sanè sperârunt mitigationem aliquam durissimæ istius legis, eò quòd inhumana ejus asperitas, non tantùm partem innocentem, sine sua culpa, jure suo privat, quod contra regulas juris est, verumetjam periculosissimos laqueos conscientiis injicit. Innocens enim potè legitimum divortium, legitimè factum, si donũ continentiæ non habeat, & tamen non possit secundum matrimonium contrahere, cogetur vel in perpetua ustione., qua invocatio turbatur & extingvitur: vel in fornicatione, quæ à regno Dei excludit, vivere: idq; non sua, sed aliena culpa. Atque ita divortium à filio Dei propter causam adulterii indultum, parti innocenti nihil aliud erit, quàm laqueus, quæ conjiciatur in ustiones, in fornicationes, in iram denique, & judicium Dei. Melius igitur Christus Ecclesiæ consuluisset, si simpliciter nullum divortium, etjam propter adulterii causam concessisset. Ita enim pars innocens retinuisset facultatem utendi remediis, divinitùs contra fornicationem concessis. Sed Tridentinum concilium non est solicitum, quomodo conscientiis consulatur: sicut enim sacrificulis, ita forsan etjam separaris centum potius concubinas, quàm unã legitimam uxorem concedent. Septimus igitur Canon sub anathemate prohibet, innocentem qui causam adulterio non dedit, aliud matrimonium, altero conjuge vivente, contrahere: & pronunciat, eum qui post legitimum divortium legitimè factum, dimissa adultera aliam duxerit mœchari. Contendit enim per divortiũ non posse vinculum matrimonii dissolvi, etjam si propter causam adulterii legitimè fiat. Non ignoro autem, Augustinũ, & qui illum sequuntur, quæstionem hanc horridè & duriter disputare & definire. Sed si sepositis hominũ præjudiciis & præconceptis præsumptionibus, ex ipsis Christi verbis quæstio hæc dijudicetur, res profectò plana & manifesta est. Quæstio à Pharisæis proponitur Christo de divortio seu repudio: hoc

Augustini de hac quæstione disputatio.

est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, de dimissione seu separatione uxoris. Iam ante omnia cõstituendum est, quæ sit definitio divortii de quo Pharisęi quærunt. Illud verò certum & manifestum est, ex loco Deuter. 24. quem Pharisæi allegant. Ibi enim Moses dicit, per repudiũ uxorẽ dimitti, è domo mariti, & ita emitti, ut possit alteri marito nubere. Et Levitici 21. Ezech. 44. sacerdos sicut viduã, ita etjã repudiatã vetatur ducere, Ierem. 3. tanquam vulgatum & notorium allegatur, post repudium libertatem esse transeundi ad aliud conjugium. Repudium igitur seu divortium, de quo Pharisæorum quæstio loquitur, non tantùm est sejunctio à convictu domestico seu separatio quoad cohabitationem: sed est solutio vinculi matrimonialis, ita ut post legitimum divortium legitimè factum, possit contrahi aliud matrimonium: non tantùm post mortẽ prioris cõjugis, sed vivente eo. Illud enim expresè ponitur Deut. 24. Et verbum כרת unde repudium seu divortium Hebræis dicitur, significat abscindere, seu præscindere: quod ad solutionem vinculi conjugalis aptè convenit. Atq; adeò vinculum conjugale non manet post divortium inter priores conjuges, ut Deute. 24. & Hierem. 3. pronuncietur abominatio esse, si maritus repudiatã suam, post mortem alterius viri ducere voluerit. Dietenbergius objicit: Iudæis licuisse post divortium ducere aliam uxorem, nõ ratione divortii, sed quia licebat plures tunc simul uxores habere. Hanc verò rationem vanam & falsam esse inde constat. Nam & uxor repudiata, poterat alteri nubere. Deuter. 24. Levit. 21. Ezech. 44. Ierem. 3. Quid igitur Pharisæorum quæstio, nomine divortii intelligat, certum & manifestũ est. Et ipsa formula libelli repudij, quæ adhuc hodie Iudæis usitata est, idem confirmat. In ea enim ponitur hæc clausula: Concedo ei licentiam & potestatem, ut pro libito suo vadat quò voluerit: ducíq; possit ab omni viro: nec eam quisquam prohibere præsumat.

Quid Christus intelligat per divortium & repudium.

Videamus porrò quid ipse Christus in responsione sua intelligat per divortiũ seu repudium. Conjungit autem Matthæi 19. Marci 10. Lucæ 16. duo hæc: uxorem dimittere, & post divortium aliam ducere. Eadem ergo est definitio divortii, in quæstione Pharisæorum, & in responsione Christi. Hanc verò notationem diuortii, accommodabimus ad ipsam quæstionem & responsionem. Quærunt enim Pharisęi, propter quas causas tale divortium licitum sit. Hic verò liberè fateor, si Christus tantùm hoc respondisset, quod Marcus & Lucas describunt, sensus simpliciter hic esset: propter nullam prorsus causam, licitũ esse tale divortiũ: sed quæcunq; intercedat causa, non posse vinculum matrimonii dissolvi, nisi per mortem. Ita enim habent verba: Quicunq; dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, adulterium committit. Sed quia in Evangelistis, universalis & necessaria regula est, veram interpretationem & sententiam quærendam & sumendam esse ex collatione descriptionum, quæ extant apud reliquos Evangelistas: ita enim mutuas operas tradiderunt, ut quod unus brevius & obscurius posuit, illud alter suppleat, & clarius explicet. Conferenda igitur est etjã Matthęi descriptio, quæ testatur non semel, sed in duobus locis Christum diversis temporibus, quando materiam divortii tractavit, diserte addidisse exceptionem de casu fornicationis, Matth. 5. & 19. Non itaque simpliciter universales sunt sententiæ illæ Christi, in Marco & Luca: sed cum illa exceptione, quam Matthæus Apostolus, qui illis concionibus Christus interfuit, duobus in locis addit. Quia igitur verissima est regula, quòd generi derogetur per speciem: sensus igitur responsionis Christi, ex collatione Evangelistarũ hic erit: tantùm in causa fornicationis, licitum esse tale divortium, sicut suprà descripsimus: in reliquis verò omnibus causis, non esse licitum, ut vir uxorem dimittat, & aliam ducat. Et quia pronunciat adulterium committi, si alia ducatur: ostendit, in omnib. divortiis propter quascunq; causas fiant, manere vinculum matrimonii, excepto illo divortio, quod fit propter causam fornicationis. Argumenta enim à contrario sensu, sunt omnium & manifestissima & firmissima. Quia igitur Christus dicit: Qui dimiserit uxorem suã, excepta causa fornicationis, & duxerit aliam, mœchatur. Ergo à contrario sensu, qui propter causam fornicationis dimittit uxorem, & aliam ducit, non mœchatur. Hoc certè luce meridiana clarius est. Et hæc clarissima simplicitas, vel inde confirmatur, quod Augustinus diversam suam sententiam aliter tueri non potest, nisi verba Christi, de exceptione fornicationis, miserè, & contrà quàm simplicitas contextus patitur torqueat. Dicit enim hunc esse sensum exceptionis, quòd illi gravius quidem peccent, qui sine causa fornicationis divortium faciunt: sed tamen & illos adulterii reos esse, qui propter causam fornicationis uxorem dimittũt, & aliam ducunt. Sed inspiciatur tantùm textus, & manifestum erit, Christum hoc non dicere, Neque enim proposita erat quęstio, utrum ex illegitimus divortiis gravius peccatũ fit: sed quæstio erat de causis legitimis divortii. Et Pharisæi quidem existimabant quamvis causam sufficere. Christus verò respondet: Excepta causa fornicationis, nullam aliam esse causam, quæ possit matrimonii vinculum solvere. Semper autem in memoriam revocetur definitio divortii. Pharisæi enim in quæstione ponunt definitum: quęrunt enim de causis divortii. Christus verò in responsione ponit ipsam definitionem divortij: uxorem scilicet dimittere, & aliam ducere. Et hanc definitionem nulli causæ tribuit, nisi tantùm causæ fornicatiõis. Particulæ etjã παρεκτὸς & ἐὰ μή, illam Augustini contorsionem non admittunt. Græci interpretes, 1. Reg 20. reddiderunt πάρεξ: puer hoc non sciebat, nisi tantum David & Ionathas, cap. 21. Non est hic alius gladius, præter hunc. 3. Reg. 3. Nemo adfuit, nisi nos duæ. Actor. 26. Optarim omnes fieri tales, qualis ego sum, exceptis his vinculis. In his sententiis, certè ineptissima esset interpretatio de magis & minus, cùm simpliciter sint exclusivæ exceptiones: sicut & particula nisi, quæ Matth. 19. usurpatur. cujus exempla ubiq; ruunt obvia.

Sensus responsionis Christi.

Ita ergo sententia Christi plana est. Sed duo dicta ex Paulo opponuntur. de quo nõ dubium est, quin omniũ rectissimè Christi sententiam eorumq; retollere

tollere exceptionem Christi de causa fornicationis. Rom. 7. dicit mulierem lege alligatã esse viro, donec vivit: ita ut si vivente viro, alteri cõjuncta fuerit, adultera pronuncietur. Hoc Pontificij ita interpretantur, quasi Paulus voluerit docere, ne post legitimum quidem divortium, propter causam fornicationis legitimè factum, concedi posse aliud matrimonium, altero conjuge vivente. Sed Paulus in illo loco non tractat ex professo doctrinam de divortiis, sed ex institutione conjugii, quòd sit individua conjunctio, similitudinem quatenus proposito suo cõgruit, assumit. Et nullum dubium est, matrimonium per se, juxta institutionem, esse talem conjunctionem, sicut Christus inquit: Non jam sunt duo, sed una caro. Item: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Et hoc modo juxta institutionem, nexus matrimonij non nisi morte dissolvitur. Et hactenus similitudo illa serviebat Pauli propósito. Alia verò quæstio est de divortio: cujus similitudinem Paulus non attexuit, quia ad id quod in illo loco agebat, ea non erat opus. Christus verò Matth. 19. simul & legem inseparabilitatis conjugii ex institutione tradit: & adjungit exceptionem de divortio, propter causam fornicationis. Non igitur existimandus est Paulus sustulisse seu abrogasse exceptionem illã Christi; quando legem institutionis, de individua conjugii societate recitat. Et ne conjecturis opus sit, ipse Paulus certissimus sui interpres sit. Dicit enim, se loqui scientibus legem. Atqui legem concedere secundas nuptias, post legitimũ divortium, certissimum est, Deute. 24. Leuit. 21. Iere. 3. Ezech. 44. Loquitur itaque in illo loco Paulus de vinculo conjugali, quale est per se, extra casum divortij. Nam & ipse 1. ad Corint. 7. ubi sententiam illam quæ extat Rom. 7. repetit, fidelem in casu defertionis eximit servitute, & vindicat in libertatem à lege conjugis infidelis, dum adhuc vivit. Altera sententia Pauli, 1. Cor. 7. videtur fortius urgere. præfatur enim, se repetere præceptum Domini de divortiis. Dicitur autem simpliciter, sine exceptione, præceptum Domini esse, mulierem à viro non separari: si verò separetur, ut maneat innupta, aut viro reconcilietur. Et virum non dimittere uxorem. Inspiciamus igitur aliquantò propius, illã Pauli sententiã, maximè quia profitetur se repetere præceptum Domini, de divortio. Christus autem in illo suo præcepto, duo complectitur. 1. propter quas causas non sit licitum divortium, ita ut legitimè possit aliud matrimoniũ contrahi, 2. addit exceptionem de causa fornicationis. Videamus jam, an Paulus utramque partem præcepti Christi complectatur, an verò de altera tantùm parte legatur. Et non divinationibus agemus, sed ex ipsis Pauli verbis, hac de re statuemus. Primò autem sumemus illud, quod etjam adversariorum confessione certum est. Licet enim post divortium, non permittant alterum matrimonium: hoc tamẽ fatentur, cõcessum esse, ut propter causam fornicationis, vir possit uxorem dimittere, & vxor virum deserere. In aliis verò casibus, extra fornicationem, Christus pronũciat ipsam dimissionem non licere. Nam Matt. 5. non de repetitis à viro post dimissionem secundis nuptiis, sed de ipsa dimissione loquitur: Quisquis uxorẽ dimiserit, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari. Iam verò Paulus 1. Corinth. 7. inquit: Præcipio non ego, sed Dominus, mulierem à viro non discedere, & virum non dimittere uxorem. Audis Paulũ loqui de illa parte præcepti Dominici, quæ in aliis casibus extra causam fornicationis, ipsam dimissionem prohibet. Et in his casibus rectè dicit, non posse contrahi alterum matrimonium: quia nondum soluto vinculo matrimonii, est adulterium. Non autem præceptum Domini est, virum propter causam fornicationis, nec debere nec posse uxorem dimittere. Exceptio igitur causæ fornicationis, in illa Pauli sententia non comprehenditur: quia expresè declarat, se loqui de illis casibus, in quibus ipsa dimisio non est licita.

Explicatio loci Paulini.

Quòd autem addit: Si verò discedit, &c. ostendit multa fieri de facto, quæ de jure non licent.

Secundò, ipsum verbũ reconciliationis, ostendit Paulum non loqui de causa fornicationis. Quando enim in Scriptura alter dicitur alteri reconciliari, intelligitur hoc propriè non de parte innocente, sed quòd pars offendens reconcilietur alteri, ut ad Romanos cap. 5. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo. Matth. cap. 5. Si frater tuus habet aliquid adversum te, vade reconciliare fratri tuo.

Si igitur Paulus discessionem mulieris, de causa fornicationis viri intelligeret: non mulieri, ut parti innocenti, sed viro, ut parti offendenti injungeret reconciliationem. Quia verò dicit, Mulier reconciliet se viro: ergo intelligit separationem, quæ propter alias causas fit, excepto casu fornicationis. Salva igitur manet exceptio Christi.

Tertiò. Ipse Paulus mox fideli parti desertæ, non proponit præceptum, Maneat innupta: sed liberam eam pronunciat. Ergo Paulus ipse ostẽdit, priorem illam sententiam non esse intelligendam sine exceptione.

Quartò, Græci interpretes exceptionem causæ fornicationis, expresè addunt in explicatione hujus Paulinæ sententiæ. Chrysostomus dicit, uxorem à viro non discedere sine fornicatione: & addit Pauli sententiam esse: quia propter alias causas, excepta fornicatione, contingit fieri divortia: melius esse ut à principio non fiant, quod si fiant, vel maneant sine conjugio, vel reconcilientur.

Eandem explicationem repetit Theophylactus. Oecumenius ita inquit: Lex Domini est, ne excepta fornicatione fiat divortium. Item: Vir uxorem non dimittat, nisi ratione fornicationis duntaxat, hæc enim lex Christi est. *Theophyl.*

Ambrosius etjam inquit: Si discesserit propter malam conversationem viri, jam innupta maneat. *Ambrosius.*

Corinthiorum igitur quæstio non fuit de legitimo divortio, quod propter causam fornicationis fit, sed de illis divortiis, quæ Græcorum levitate, ex quibusvis causis in illis locis usitata erant. Atque ita dijudicatio hujus quæstionis, quantum ad Scripturæ sententiam attinet, plana est. Et bonæ mentes acquiescere debẽt, quando habent ipsius divinę voluntatis simplicem &

Universidad de Deusto
Biblioteca

genuinam sententiam, in Scriptura patefactam.

Apud Ecclesiasticos verò scriptores, quæstio illa non eodē modo definita fuit. Omninò enim quantū salva conscientia fieri potest, opera danda est, ut divortia etjam legitima caveantur, & nexus conjugalis vel indissolubiliter servetur, vel si interruptus fuerit, redintegretur. Seriò igitur viros monebāt & hortabātur veteres, ut adulteras, si pœnitentiā agerent, & spem emendationis præberent, paterentur sibi reconciliari: cùm præsertim nobis Christianis cogitandū sit, fœdus spiritualis conjugii inter Christum & Ecclesiam, sæpè à nobis spirituali fornicatione violari. Nolemus autem Deum tàm duriter nobiscum agere, ut propterea fine spe reconciliationis, in æternum nos à se repudiet. Sed celebramus, sicut æquum est, illā Dei misericordiam quæ pulcherrimè descripta est, Ierem. 3. Eandem igitur humanitatē & misericordiā, lapsæ etjam parti nos præstare æquum est, ne incidamus in illud judicium: Qua mensura mensi fueritis &c. cùm præsertim Christus adulteram resipiscentem clementer receperit, Iohan. 8. Quod caput, Augustinus narrat acerbos viros tāto odio persecutos, ut ex suo loco illud expunxerint.

Accedit, quòd secunda matrimonia, sua habēt incommoda propter liberos ex priori conjugio susceptos. Et pars lapsa, quando fine omni spe receptionis repudiatur, difficilius ad pœnitentiā redibit, sed ex desperatione, aliis atrocioribus flagitiis se prostituet. *Hieronymus.* Hieronymus citat quidem sententiam Solomonis ex cap. 18. Proverbiorū, quæ tamen in Hebraico textu Solomonis non extat: Qui tenet adulteram, stultus est & impius. 32. quæst. 1. citatur ex Chrysost. Fatuus est, & injustus, qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis est, qui celat crimen uxoris.

Non tamen pugnat adversus pietatem, adulteram resipiscentem recipere. Ita David conjugem suam Michol, quæ alteri coptata fuerat, rursus ad se recepit.

Hæc & alia argumenta, quibus persvaderi & molliri possit viri animus, extant apud Augustinum. Et piis omnibus probatur, ut non statim ad divortia prosiliatur, sed prius tententur omnia, quæ reconciliationi & redintegrationi servire possunt. Omnia enim mihi licent, sed non omnia expediunt & ædificant, inquit Paulus.

Veteres igitur, vt animos maritorum efficacius moverent, docuerunt, rectius, præstantius & perfectius esse, si etjam ille qui ab adultera separatus est, vel maneat sine conjugio, vel reconciliatam uxorem rursus recipiat. Et secundas nuptias post divortiū, aliqua etjā publica reprehensione notārunt: ut eò facilius animos ad reconciliationem flecterent. Non autem adeo fuerunt asperi, duri, horridi & immanes, ut maluerint conscientias separatarum, hujusmodi traditionibus, laqueis ustionis & fornicationis, in æternum exitium præcipitare, quàm alterū matrimonium concedere. Ita Origenes in 18. cap. Matth. dicit quidem talia matrimonia esse extra Scripturam, & adversus ea quæ scripta sunt Roman 7. & Matth. 18. addit tamen: Scio quosdam qui præsunt Ecclesiis, extra Scripturam permisisse aliquam nubere viro priori viventi. Et contra Scripturam quidem fecerunt. Roma. 7. non tamen omnino sine causa hoc permiserunt. forsan enim propter hujusmodi infirmitatem incontinentium hominum, pejorum comparatione quæ mala sunt, permiserunt. Et illam permissionem dicit non esse juxta exactam justitiā, sed secundum duritiam hominum carnalium. Comparat autem, quod diligenter notandū est, hanc promissionem illi quæ extat 1. Cor. 7. Bonum est mulierem non tangere, sed propter fornicationem, &c. Item: Rursus conveniant, ne tentet vos Satanas: hoc vero dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Non igitur intelligit permissionem criminis mortalis, vastantis conscientiam, & effundentis gratiam. Et si nihil aliud, talem certè promissionem seu indulgentiam, aliquando in Concilio futuram sperarunt Cajetanus, Erasmus & Catharinus: sed frustra, sicut jam apparet.

Ita doct. 7. Canonem Neocæsariensem, de hujusmodi secundis nuptiis intelligunt: & meo quidem judicio, rectè. Statuit enim presbyterū non debere interesse conviviis secundarum nuptiarum, ne convivio illis nuptiis consentire videatur. Et ratio additur: quia præceptum sit, secundis nuptiis pœnitentiam imponere. Notatæ igitur fuerunt secundæ illæ post diuortium nuptiæ: publica aliqua Ecclesiastica reprehensione: non tamen prorsus vel damnatæ, vel prohibitæ, vel rescissæ fuerunt.

Ita Hieronymus Fabiolam, quæ post legitimū *Hieronymus.* divortium, vivente priori marito, alteri nupserat: narrat quidem publicā egisse pœnitentiam, de qua scilicet loquitur Canon 7. Neocæsariensis, eò quòd esset contra rigorem Evangelii: qui uniuersam causationem nubendi, viventibus viris, fœminis amputat: tamen addit, illā hoc non ut peccatum mortale commisisse: nec tantùm Papiniani leges secutam, sed fecisse hoc juxta dicta Pauli: Melius est nubere quàm uri. Item: Volo juniores viduas nubere, ne cōvertantur post Satanam. Nec publica Fabiolæ pœnitentia efficit, peccatum esse simpliciter mortale & damnabile. nam & illis qui adulteram sine divortio retinebant, duorum atque trium etjam annorum pœnitentia tunc imponebatur, cap. 32. quæst. 1. Et duriores omnino fuerunt veteres fœminis, ne illis post divortium, alterum concederetur conjugium: sicut Ambrosius 1. Corin. 7. inquit: Non permittitur uxori ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit. De viro autē existimat, Paulum ideo nō addere, Maneat ἄγαμος: Quia, inquit, viro licet ducere aliam, si dimiserit uxorem peccantem. Et reliqua quidem divortia Ambrosius & arguit, & dānat, in 16. cap. Luc. Sed post divortium ex causa fornicationis, expresse dicit licere, ut vir aliā ducat uxorem: idq; non ex legum civilium, sicut Lindanus fingit, sed ex Pauli sententia pronunciat. Et ex illo Ambrosij loco colligitur, publicas illas reprehensiones, quæ extant apud Origenem & Hieronymum, potissimùm contra fœminarum secunda matrimonia constitutas fuisse. Viris enim illud licuisse, Ambrosius apertè affirmat.

Circa Augustini verò tempora, quæstio hæc horridius cœpit disputari: simpliciter scilicet adulterina esse conjugia, quæ post legitimum etjam divortium, propter causam fornicationis legitimè factum, sive à viris, sive à fœminis contraherentur. Non tamen catholicum fuisse, hoc dogma, inde apparet, quòd fuerūt tunc, qui Augustini sententiæ contradixerunt: ut Pollentius. Sed Augustini autoritate effectum est, quòd in *Concilium Melevitanū.* concilio Melevitano 17. Canon, hac de re ita positus est: Placuit, ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neq; dimissa à marito, altēri conjungatur: sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. Sed nec ille Canon dicit de parte innocente, quæ propter causam fornicationis partem peccantem dimittit: sed loquitur de dimissis, hoc est, de parte rea. Illud verò notabile est, quod addit Canon iste, petendā esse legem Imperialem in illa causa. Ergo usque ad illa tempora, etjam sub Christianis Imperatoribus, non fuit lex seu constitutio, prohibens talia matrimonia. Neq; verò postea etjam à Christianis Imperatoribus talem legem impetrārunt, sicut ex Codice Iustiniani manifestum est. In Ecclesia etjam post illud tempus, talia matrimonia non simpliciter ut damnabilia rescissa fuerunt. Leo enim Epist. 85. loquitur de sacerdote quodam, qui post divortium uxoris, aliam duxerat. Illum verò tantùm à ministerio removet, non autem rescindit alterum illud conjugium: nec ex communione Ecclesiæ illum ejicit.

Et licet post illa tempora, duriores semper hac de re factæ fuerunt constitutiones: tamen & constitutiones & exempla quædam, retinuerūt veteris Ecclesiæ humanitatem. Vt cap. 32. quæst. 7. citatur Canon cujusdam Concilii. Quædam cum fratre viri sui dormivit: decretum est, ut adulteri nunquam conjugio copulentur: illi verò cujus uxor stuprata est, licita conjugia nō negentur. Item ex decreto Zachariæ: Concubuisti cum sorore uxoris tuæ: sic fecisti, neutram habeas: & si illa quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino: tu autem & adultera, sine spe conjugii permaneatis. Ex concilio Triburiensi: Si quis cum noverca sua dormierit, neuter ad conjugiū pervenire potest: sed vir ejus potest, si vult aliam accipere, si se continere non potest. Et Gregorius scribit Bonifacio: Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta, non valuerit viro debitum reddere, quid ejus faciat conjugalis? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret: sed quia hoc magnum est, ille qui nō poterit se continere, nubat magis.

Hæc ideo recitavi, ut rectius expendi possit, qvale sit Tridentinum anathema in 7. hoc Canone. Præcipuè verò ut consideretur, ex quibus causis & rationibus, veteris Ecclesiæ humanitas, post divortium aliquando concesserit cōjugia. Si Magistratus exequeretur judiciū adulteri & adulteræ. Deute. 22. Ezech. 16. & 23. non opus esset quæstione illa turbatrice conscientiarum. Sed quia Magistratus cessat, consulendum igitur est conscientiis, ex verbo Dei: sicut Paulus personæ desertæ consulit ex illa regula: In pace nos vocavit Deus. Item: Ne laquei conscientiis injiciantur.

CANON VIII.

Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter coniuges, quoad thorum seu quoad cohabitationem, ad certum incertumvè tempus fieri posse decernit, anathema sit.

EXAMEN.

Hæc non est nova definitio divortii, quòd scilicet fit tantùm separatio inter conjuges, quoad thorum & quoad cohabitationem, manente interim etjam inter separatos vinculo matrimonii. Et talis quidem separatio sumpta fuit primùm ex dicto Pauli, 1. Corinth. 7. Si discedit, maneat innupta, aut viro reconcilietur, quando scilicet non aderat vera causa legitimi divortij. Incidebant verò quædam aliæ graviores dissensiones. Ibi cùm divortium fieri non posset, fiebat quædam secessio, postquam per reconciliationem cohabitatio redintegrabatur. Ex illa secessione postea facta est definitio divortii: cùm Paulus expresse contestetur, se non loqui de vero divortio, hoc est, de dimissione & separatione, quæ præcepto Domini cōceditur, inquit enim: Conjugatis præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non separari, nec virum dimittere uxorem. Quòd igitur Paulus attexit: Si discedit, aut maneat innupta, aut viro reconcielitur: nō pertinet ad verum & legitimum divortium, de quo Christus loquitur. Et tamen ex illo loco, Pontificij fabricant definitionem veri & legitimi divortii.

Secundò. Christus ipsam dimissionem conjugis, nisi fiat propter causam fornicationis, pronunciat esse illicitam & illegitimam. Matt. 5. Dictum est antiquis: Si quis dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudij. Ego verò dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari. Contra hanc verò Christi sententiam, Pontificij decernunt, præter fornicationem, multas alias esse causas, propter quas licita & legitima separatio conjugum fieri possit.

Tertiò. Separationem seu dimissionem, quæ 1. Corinth. 7. extra causam fornicationis describitur, Paulus nec svadet, nec decernit, sed docet eam pugnare cum præcepto Domini, qui præcipit non discedere. Quando verò conjuges contra illam Apostoli doctrinam & admonitionem, privata contumacia se separant, tunc Paulus svadet reconciliationem: aut si hoc nolint, pronunciat ipsos debere fine conjugio manere. Sed 8. hic Canon dicit, ipsam Ecclesiam ob multas causas, præter fornicationem, decernere posse separationem.

Quartò. Christus Matth. 5. dimissionem seu separationem conjugum, quæ sit præter causam fornicationis, ideo improbat, quia objicit periculis ustionis, fornicationis & adulterii. Facit, inquit, illā mœchari. Sed de his periculis, Pontificii non sunt soliciti. liberè enim decernunt separationem, ad certum incertumvè tempus.

Quintò. Contendunt tale debere esse divortium, in quo vinculū matrimonii nihilominus salvum maneat. Atqui in Pontificia illa separa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione, vinculum conjugii, multis & variis modis solvitur & disrumpitur.

Nam ad vinculum matrimonii, pertinent hæ sententiæ: Et adhærebit uxori suæ. Faciamus ei adjutorium, quod sit coram ipso: Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir. Iterum convenite, ne tentet vos Satan, propter incontinentiam vestram: Non sunt duo, sed una caro. Et ipsum matrimonium, definitur individua vitæ cõsvetudine. Hæc verò vincula conjugii, in Pontificia separatione, quoad thorum & cohabitationem, solvuntur & dirumpuntur. Homines igitur contra decretũ divinitatis separant, quod Deus conjunxit.

CANON XI.

Si quis dixerit, prohibitionem solennitatis nuptiarũ, certis anni temporibus, superstitionem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione profectam: aut benedictiones, & alias ceremonias quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit, anathema sit.

EXAMEN.

Olim in festo Nativitatis, Paschatis, & Pentecostes, celebrabatur frequens & solennis totius populi communio. Ne igitur nuptiarum conviviis, & reliquis pompis, turbaretur aut impediretur præparatio ad dignam communionem, bono consilio statutum fuit, ne in illis festis, & proximis diebus ante illa festa, pompæ nuptiarum celebrarentur. Postea cùm collapsa esset cõsvetudo solennis communicationis in illis festis: hoc est, cùm causa, finis & usus statuti illius desiisset, ipsum tamen statutum retentum fuit. Et assui cœpit nova opinio, quasi sanctitas illorũ temporum nõ posset ferre commixtionem carnis in copula conjugali, sicut quondam in sacris Bonæ Deæ matronæ cogebantur secubare. Hæc opinio taxatur & reprehẽditur. Scriptura enim pronunciat, thorum esse immaculatum: item, esse castitatem & sanctificationem.

CANON XII.

Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit.

EXAMEN.

Quia matrimonium in Ecclesia normam habet ipsum verbum Dei, & in causis matrimonialibus multi accidunt casus conscientiarum. Ecclesia igitur non potest prorsus & simpliciter, causas matrimoniales à se, ad politicum Magistratum rejicere: sicut fit in causis hæreditatum, successionum, & similibus. Christus enim qui causam dividendæ hæreditatis prorsus à se rejicit, Lucæ 12. quæstionem de divortiis non similiter rejicit: sed ex verbo Dei ostendit, quid cum norma institutionis consentiat, quid verò pugnet. Ita Paulus 1. Corinth. 7. de causis matrimonialibus consultus, non rejicit totum negocium ad politicum Magistratum, sed conscientias ex verbo Dei erudit. Ita Ambrosius respondet in quæstione matrimoniali, de gradibus prohibitis, libro 8. Epistola 66. Et in vetustis etjam Conciliis, quædam de causis matrimonialibus statuta leguntur. Nunquam verò vetus Ecclesia causas matrimoniales ita ad suum forum transtulit, ut prorsus excluderet politicum Magistratum, maximè si Christianus esset. ferre enim leges, ad Magistratus officium pertinet. Ita non Episcopi, sed Theodosius Imperator legem tulit, de consobrinorum conjugio. Augustinus de Civitate Dei, libro 15. cap. 16. Ambrosius Epist. 66. Ita Concilium Milevitanum judicat lege Imperiali sibi opus esse, ad statutum de divortiis. Talis tunc fuit conjunctio ministerii Ecclesiastici, & Magistratus politici, in causis matrimonialibus: quas posteà pontifex & Episcopi prorsus ad se rapuerunt, excluso simpliciter politico etjam Christiano magistratu. *Ambrosius.*

DE CLANDESTINIS MATRIMONIIS.

Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit: & proinde iure damnandi sunt illi, ut eos sancta synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant: quinẽ falsò affirmant, matrimonia à filijs familias, sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia, ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit, &c.

EXAMEN.

Inter ipsos Pontificios, si qui sunt sapiores agnoscunt & fatentur, matrimonia insciis & invitis parentibus contracta non esse legitimam aut divinam cõjunctionem. Gropperus enim in institutione Coloniẽsi, gravissimè inquit: Evaristi Canonem planè sanctissimum, cuperemus in Ecclesiam Concilio generali revocari, ob clandestina illa matrimonia tollenda: quæ nunc passim non palàm, sed furtim inter pueros & puellas, citra parentum consensum, per lenones & lenas copulantur: vel inter stultos & temulentos, sola causa libidinis, non Dei respectu, sed diaboli instinctu conjunguntur: idq; læpenumero præter destinatum consensum. Quis enim consensum rectè vocârit, cujus non consilium, vel pueritia, vel temulentia, vel insidiæ, vel libido causa sint? Quis verò nescit, quot stupris, quot perjuriis, & id genus aliis criminibus, ac innumeris malis, clàdestina illa matrimonia ansam præbeant? Et postea: Scimus Ecclesiam hæc matrimonia multo ex tempore sustinuisse, nec facilè rescidisse: ne vitiatis puellis sua simplicitas fraudi, & adolescentibus impunè foret, quòd puellis stuprum intulissent. Verùm cum experientia doceat, hanc Ecclesiæ indulgentiã, innumeris malis abutentium vitio, ansàm præbere: quis *Gropperi verba in institutione Coloniensi.*

quis non videt longè satis esse, ut clandestina illa matrimonia, quæ omnino Sacramenti rationem non habent, ab Ecclesia tollantur, seu decernatur saltem, ipsa matrimonij firmitatem apud Ecclesiam non prius habitura, nisi novi cõsensus robur accesserit, &c. Hæc ibi.

Et profectò gravissima habet hæc sententia documenta & firmamenta, ex jure divino, jure naturali, jure civili, & ex veteris Ecclesiæ constitutionibus.

Primùm enim Ecclesia sentit & fatetur, conjugium esse talem conjunctionem, cujus autor conjunctor & conciliator sit ipse Deus. Vt igitur conjuges statuere possint, se ab ipso Deo conjungi, utq; ipsum benedictione sua, cœpto conjugio ad futurum sperare & petere possint: docendi sunt, ne contra verbum & mandata Dei, conjugia ineant. Neq; enim ejus conjunctionis Deus conciliator erit, quæ cõtra ipsius verbum instituitur. Iam verò patria potestas, non tantùm juris civilis est: sed mandatum divinum liberos subjicit parentum potestati, ut illis in Domino obediãt, in omnibus. Quomodo igitur legitima & divina potest esse conjunctio, quæ instituitur violatione obedientiæ & reverentiæ, quam ex mandato divino liberi parentibus debent?

Canonistæ quidam clamitant, nos affingere hoc 4 præcepto, quòd in cõtrahendis matrimoniis, patria potestas ex jure divino habet autoritatem super liberos, cùm causæ matrimoniales videãtur exemptæ esse à 4. præcepto, per hoc dictum: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Sed hoc dictum loquitur non de sponsa, sed de vxore, hoc est, de matrimonio legitimè jam contracto. Ipsa verò Scriptura, & præceptis & exemplis liberorum matrimonia contrahenda includit in 4. præceptum. Parentibus enim mandat, ut ipsi vel filias elocent, vel filiis vxores accipiant, Deut. 7. Ierem. 29. Et Abraham, pro jure patriæ potestatis, quasi testamento cavet, quã velit uxorem filio accipere, & qualem nolit à filio duci. Et in novo Testamento, Paulus 1. Corin. 7. ubi disputat de virginibus vel servandis, vel elocandis, consilium illud præscribit parentibus. Ius igitur divinum tribuit patriæ potestati, autoritatẽ super liberos, non tantùm in civilibus contractibus, sed expressè etjã in contrahendis matrimoniis. Quartum igitur præceptum, de reverentia & obedientia liberorum erga parentes, expressè & in specie complectitur etjam contractũ matrimonii. Et quidem patriam potestatem posse matrimonia sine consensu parentum contracta, vel rata vel irrita facere, Deus expressè in lege sua ostendit. Extat enim lex divina, Deut. 22. Si quis virginẽ stupraverit, dabit patri tot siclos, & habebit eam uxorem, nec poterit eam dimittere, cunctis diebus vitæ suæ. Audis illũ de jure debere eam vxorem habere, si pater consenserit. Sed Exodi 22. Intercessione patriæ potestatis, illud potest vel ratum vel irritum fieri. Si enim pater virginis, eam stupratori dare noluerit, non potest eam habere uxorem. Imò si virgo, quæ adhuc est in patria potestate, ipsi Deo aliquid voverit, votum illud irritũ potest reddi, contradicente patre, Nume. 30. Multò magis ergò patria potestas autoritatem habebit in promissione matrimoniali, facta citra parentum consensum.

Quia igitur res ardua est, contractum matrimonii ita instituere, ut Deus ipse matrimonium conjungat, copulet & conciliet, quæritur, quomodo Deus illud faciat? Non autem sine medio illud facit, sicut Adamo Evam adduxit, sed per certa & legitima media. Illa autem quæ sint, in explicatione 4. præcepti ipse ostendit. Quando igitur hisce mediis spretis & conculcatis, instituitur contractus matrimonii, num homo pronunciabit esse legitimam & divinam cõjunctionem? Hęc certè ratio gravissima est, ex jure divino sumpta.

Secundò. Quòd hæc sententia sit non tantùm juris civilis, sed & naturalis, leges civiles ostendunt, ut in Digestis de ritu nuptiarum. Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, hoc est, qui coeunt, quacunq; in potestate sint. Et Codice de nuptiis: Observatis juris præceptis, fociare conjugio tuo quam volueris, non impedieris: ita tamen, ut contrahendis nuptiis patris tui consensus accedat. Et Institutio. de Nuptiis, Iustas nuptias inter se cives Romani contrahũt, qui secundum præcepta legum coeunt: masculi quidem puberes, & fœminæ viripotentes & consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere, & civilis & naturalis ratio svadet, in tantùm ut jussus parentis præcedere debeat. *Ius naturale.* *Ius Civile.*

Tertiò. Veteris Ecclesiæ constitutiones eandem sententiam, & quidẽ magna gravitate tuentur. Extat Evaristi constitutio, edita circa annũ Domini centesimum, quæ inquit: Aliter legitimũ non sit conjugiũ, nisi ab his qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus & propinquis sponsetur, &c. Ita peracta & legitima scitote esse connubia: aliter verò præsumpta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius quàm legitima conjugia esse non dubitatur, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima. Addit autem Evaristus: Ita à Patrib. accepimus, & à sanctis Apostolis, eorumq; successoribus traditum invenimus. Et circa annum Domini 390. quæ fuerit Ecclesiæ de hac quæstione sententia, ex Ambrosio colligitur, qui de historia Rebeccę, in libro de Patriarchis inquit. Consulitur Rebecca non de sponsalibus. Illa enim judicium expectant parentum, non est enim virginalis pudoris, eligere maritum, sed de die profectionis consulitur. Et addit Ambrosius, hanc sententiã esse legis naturæ. Plerique, inquit, Euripidion illud mirantur, ubi mulier cùm ad alias nuptias peteretur, inquit: Sponsaliorum meorũ pater meus curam sibi subjit: hoc enim non est meum. Ergo quòd & ipsi philosophi mirati sunt, servate virgines, & non solùm virgines, sed & si qua vidua vult nubere, nubat in Domino, ita ut electionem mariti, parentibus deferat, &c.

Et circa annum 436. Carthaginensis 4. synodus ostendit usitatum fuisse, ut ad rectificandum parentum consensum, sponsus & sponsa à parentibus in Ecclesia sacerdoti benedicendi offerrentur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Circa annum Domini 450. Leo Pontifex ſtatuit, ita ſecundum legem & Euangelium, publicis nuptiis in conjugium liquidè aliam ſumi, ſi ſponſa à parentibus tradatur ſponſo. Idem dicit: Paterno arbitrio fœminæ viris junctæ, carent culpa.

In Concilio Toletano 4. circa annum Domini 630. decretum eſt ne virgines extra voluntatem parentum, vel ſuam, cogantur maritos accipere.

Et circa annum Domini 865. Bulgaris recens ad fidem converſis, ita ſcribit Nicolaus de conſvetudine Romanæ Eccleſiæ: Apud noſtrates ſponſalia fœdera, quæ futurarum ſunt nuptiarum promiſsio, conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & horum quorum in poteſtate ſunt, celebrantur. Hæc extant in decretis, cauſa 30. & 32. quæ juxta ſeriem temporum diſtribui, ut eo clarius perſpiciatur, recentem eſſe Pontificiam conſtitutionem, de ratis habendis clandeſtinis matrimoniis, diſſentientem à ſententia veteris Eccleſiæ.

Convenit etjam huc, quod 36. quæſtio. 1. & 2. ſcribitur de raptoribus, qui puellam violenter à domo patris abducũt, ut corruptam in uxorem habeant. Ibi enim ſancitur, ex Aurelienſi ſynodo, etjamſi puella raptori cõſenſerit, tamen reddendam eſſe poteſtati patris. Et Gregorius dicit: Cùm rapta patriæ poteſtati reſtituta fuerit, & raptor rapinæ ſuæ pœnitentiam egerit, cùm voluntas parentum utriuſque in unum convenerit, non prohibentur ad invicem copulari.

Et hæc præcipuè intelligenda ſunt, quando res adhuc eſt integra. Quando enim matrimonio conſummato, ſecuta eſt commixtio, tunc ad vitanda majora ſcandala, & ne injuria fiat vitiatæ & deſertæ mulieri, ſervari poteſt diſpenſatio, quæ extat Deut. 22. Habeat eam in uxorem. Atq; ita Ambroſius Siſynnio patri conſulit, ſimul tamen etjam culpam filii fatetur, lib. 6. Epiſto. 43. Imò toleravit hoc Iſaac in Eſau.

Si verò parentum vel negligentia vel duricies, illa ſua poteſtate abuteretur, & non vellet liberis proſpicere de conjugio, vel conaretur impedire honeſta matrimonia, aut cogere invitos ad incommodas conjunctiones, certa juris remedia huic abuſui & oppoſita ſunt, & alia opponi poſſunt.

Audi verò, qualia ἀσύστατα Tridentina ſynodus de hac quæſtione ſtatuat. Fatetur, Eccleſiam talia clandeſtina matrimonia ſemper deteſtatã eſſe, atq; prohibuiſſe: & tamen ſimul anathemate damnat eos, qui ea vera ac rata eſſe negant. Poteſt ne igitur deteſtanda & prohibita conjunctio, facere verum matrimonium? hoc eſt, deteſtanda & prohibita conjunctio, juxta Tridentinum Concilium, eſt legitima & divina cõjunctio. Atqui Evariſtus Pontifex Romanus, ante annos 1450. pronunciavit, nõ eſſe vera matrimonia, idq; ex Apoſtolorũ traditione. Ipſos ergo Apoſtolos Tridentina ſynodus anathemate damnat. Addit autem Eccleſiam, hoc eſt, Pontificem cum ſuis prælatis, poſſe facere ut irrita ſint talia matrimonia, quamdiu verò hoc non fecerit, anathemate damnandos eſſe, quicunq; ex verbo Dei, ex jure naturæ, & ex veteris Eccleſiæ conſtitutionibus, negãt ea eſſe vera & rata. Et vel hinc judica, qualis ſint Tridentina anathemata. Manifeſtè enim oſtendunt, quare pro clandeſtinis matrimoniis dimicent, non quòd ſint vel verbo Dei, vel veteris Eccleſiæ conſtitutionibus conſentanea: ſed tantùm propter retinendã & ſtabiliendã Pontificiorum tyrannidem. Fatentur enim ſe poſſe, ſi modo vellent, facere ut irrita ſint talia matrimonia, ſed quamdiu hoc facere nolint, omnes diverſum ſentientes debere anathema eſſe. Et ſatis quidem hæc, pro imperio Pontificio.

CANON IX.

Si quis dixerit, clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolenniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumq; validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica vel voto, & oppoſitum nil aliud eſſe, quàm damnare matrimonium, poſſeq; omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis (etiamſi eam voverint) habere donum, anathema ſit, Cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus tentari.

CANON X.

Si quis dixerit, ſtatum coniugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis vel cœlibatus, & non eſſe melius ac beatius, manere in virginitate aut cœlibatu, quàm iungi matrimonio, anathema ſit.

Diſputatio de virginitate & cœlibatu clericorũ, non poteſt brevibus abſolvi. Reſtant etjam loci nonæ Seſſionis, de purgatorio, de reliquiis, imaginibus & invocatione Sanctorum, de indulgentiis, de delectu ciborum, de jejuniis, de feſtis. Sed quia ſecunda hæc pars examinis, præter opinionem excrevit, & aliis cauſis, quo minus nunc progrediar, impedior, illa igitur quæ reſtant, peculiari aliquando tractatu, ſi Deo viſum fuerit, & Eccleſiæ utilitas flagitare videbitur, explicabimus.

SECVNDÆ PARTIS EXAMINIS DECRETORVM
Tridentini Concilij, finis.

INDEX

INDEX LOCORVM SCRIPTVRAE, QVI IN HAC SECVNDA PARTE EXAMINIS OBITER *allegantur & explicantur.*

Gen. 1. benedixit eis, 255. a. Creſcite & multiplicamini, 73. b. 254. ſubjcite vobis terram. 255. b
2. Non eſt bonum homini eſſe ſolum, 255. a. faciamus ei adiutorium, 256. a. 268. a. Eva ex coſta formatur, 255. a. Deus adducit eam Adæ, 254. b. 269. a. Os ex oſſibus meis, 86. a. Caro de carne mea. 10. a. relinquet homo patrem & matrem, 255. a. 256. a. bis. 259. b. 299. a. erant duo illi nudi, 258. b
3. Num Deus præcepit ut non comederetis, 135. b. circũdederunt ſibi perizomata. 4. b. Adam vbi es, 198. b. 217. b. In dolore concipies & paries, 255. b. deſideriũ tuum ad virũ, 255. a. 256. a. In ſudore vultus, 226. b. 255. b. Terra es, 86. b
4. Eva concipit & parit, 254. a. Vbi eſt Abel frater tuus, 201. a. 217. b. Lamech duas uxores ducit, 258. b. dicit uxoribus ſuis 209. b
6. Ducebant quas volebant, 254. b
9. Benedixit eis, 255. b. creſcite & multiplicamini 73. b. 254. a
14. Melchiſedech profert panem & vinum 160. a
17. Ero Deus tuus & ſeminis tui, 14. a. Puer octo dierum circumcidatur, 52. b. 54. a. Maſculus cuius præputiũ non fuerit circumciſum, 14. a. 14. b. Abraham ſuos circumcidit 54. a
18. Scio quòd Abraham præcepturus ſit liberis & domui ſuæ 54. a
20. Verè ſoror mea eſt 259. b
22. In ſemine tuo benedicentur gentes 53. a
24. Iſthinc uxorem filio meo adducas, 269. a. Deus mittet Angelum ut ducas filio uxorem, 254. b
Domine occurre mihi hodie, 254. b
Servus inclinat ſe & adorat dominum 91. b
26. Soror mea eſt 259. b
28. Hic eſt domus Dei & porta cœli 91. b
29. Iacobo Lea adducitur 261. b
32. Minor ſum omnibus miſerationibus tuis 105. b
34. Sichem amans Dinam 254. b
38. Iuda non amplius cognovit Thamar 259. b
48. Iacob imponit manus pueris 245. b
49. Ruben maledicitur 259. b

Exod. 4. Vxor Moſis circumcidit filios, 225
Filij Iſrael inclinata ceruice adoraverunt, 91. b
7. Virga Aaronis converſa in ſerpentem 86. b
8. Pediculi producuntur 160. a
12. Sanguis agni paſchalis poſtibus illiniendus, 120. a
Nihil reliquum facietis in proximũ mane, 99. a. quæ eſt iſta religio. 52. b. populus incurvatus adorat, 92. a
20. Non aſſumes nomen, 27. a. 59. b. 62. b. 76. a. b
Honora patrem & matrem 269. a
22. Si pater virginis dare eam noluerit 269. a
23. Si videris aſinum inimici 261. a
24. Hoc eſt teſtamentum 165. a
29. Facere agnum iuvencum, 161. a. Sacrificium panis & vini 160. b. Iuge ſacrificium 157. a
30. Pontifex ungvento ungitur, 66. a
32. Populus, remiſſo peccato, punitur, 226. b
34. Deſcendens dominus per nubem ſtetit cum eo 91. b
37. Septem lucernæ in candelabro. 3. b

Leuit. 4. 6. 16. De libaminibus ſoli ſacerdotes bibunt 128. a
16. Confiteantur omnes iniquitates Filiorum Iſrael, 109. a
18. & 20. De gradibus prohibitis, 254. b. 259. b. 269. b
19. Sancti eſtote quia & ego ſanctus ſum, 129. a. 254. b
21. Repudiata nubere poterat alteri 264. a. 265. a. Sacerdos ne ducat repudiatam, 263. a. ſacrificium panis Dei 157. a

Num. 4. ἐπισκοπὴ 248. a. b
10. Cùm progrederetur arca, dixit Moſes: exurgat dominus 86. b
12. Maria ſoror Moſis affligitur. 195. a. 226. b. ſi pater eius ſpuiſſet in faciem eius 227. a
20. Educitur aqua de petra 160. a
28. Iuge ſacrificium, 157. a. Sacrificium panis Dei, 157. a. 160. b
30. Pater votum virginis irritum poteſt facere, 269. a

Deut. 4. Docebis ea filios & nepotes tuos, 54. a
6. Acues ea liberis tuis 54. a. 239. b. quid ſibi volunt teſtimonia hæc? 54. a
7. Filiam tuam ne des filio eorum 269. a
12. Nihil addes nihilq; detrahes verbo 37. b. 115. a
13. Seductores gladio magiſtratus puniendi 57. a
17. Quicquid dixerunt tibi qui præſunt facies 133. b
19. Ferrum lapſum de manubrio 262. b
22. Pœna adulterorum, 257. a. ſi quis virginem ſtupraverit 269. a. 270. a
23. Manſer non ingrediatur Eccleſiã, 259. b. Ammonites & Moabites non ingrediuntur eccleſiam 259. b
24. Si homo uxorem maritaverit, 262. a. 264. a. ſi non invenerit gratiam in oculis eius, 264. a
Repudiata nubit alteri 264. a. 265. a
27. De gradibus prohibitis 259. b
34. Moſes imponit manus Ioſuæ 245. b

Ioſ. 5. Circumciſio diu omiſſa 19. a
7. Achan confitetur delictum 198. b. 211. b
24. Eligite vobis hodie quod placet 56. b

Iudic. 6. Facere hœdum 160. a
1. Reg. 1. Elcana comedit de ſacrificio ſuo 164. b
2. Dimitte me ad unam partem ſacerdotalem 128. b
16. Vota Iſai ad ſacrificium 164. b
18. Quis ſum ego? & quæ domus patris mei 105. b
2. Reg. 3. David recepit Michol 266. a
12. Quia feciſti hoc, 226. b. Davidi irrogantur pœnæ, 195. a. 226. b. peccavi domino, 210. a. Abſtulit Deus peccatum tuum, 195. a. 216. a. David ieiunans & pernoctans in terra orat, 220. a. mortuo puero ſurgit & ingreditur domum domini, 22. a
24. Peſtis immiſſa ob peccatum Davidis. 226. b
3. Reg. 11. Amores Salomonis 254. b
19. Dominus tranſiens apparet Eliæ, 91. b
4. Reg. 4. Mulier implens vaſa oleo, 237. a. poſuit os ſuum ſuper os eius 6. b
11. Conſtituit Epiſcopos ſuper domum Domini, 248. a.
13. Mortuus oſſa Eliſei tangens reviviſcit. 176. a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Paralip. 7. Propitius ero peccatis eorum & sanabo terram. 227.b.
17. & 19. Iosaphat ministeria constituit, 252.a.253.a.
23. Ioas quomodo inauguretur in Regem, 246.b. Distributio officiorum ministerij. 242.a.
34. Inspectores operantium dicuntur Episcopi, 248.a.
Esdr. 10. Vxores alienigenæ, 254.b. 262.b. 263.a.
Nehem. 8. Populus agnoscit & deflet peccata. 210.b.
9. Separat populus à se semen alienigenum, 210.b.
13. Vxores alienigenæ, 254.b.
Iob 19. Carni meæ adhæsit os meum, 254.b.
29. Lingua adhæret palato. ibidem.
Psalm. 4. Offerte sacrificium iustitiæ, 152.b.163.b.
6. Ne in furore tuo arguas me; 227.a.
8. Quid est homo quod memor es eius. 105.b.
19. In omnem terram exivit sonus eorum, 198.a. Delicta quis intelligit, 204.b.296.b.208.b.209.a 217.b.
25. Delicta iuventutis meæ ne memineris, 209.a.
32. Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino 269.b.
37. Revela Domino viam tuam, 209.b. Desine à malo & fac bonum 230.b.
50. Immolabo Deo sacrificium laudis, 152.b.167.a. 168.b. Invoca me in die tribulationis, & eripiam te, 228. b.
51. Omnes iniquitates meas dele. 210.a. In peccatis concepit me mater mea, 52.b.209.b. 210.a. Libera me de sanguinibus, 227.b. Spiritus contribulatus, 152.b.163.b. cor contritum & humiliatum, Deus non, &c. 194.b. tunc imponent altari tuo vitulos, 165.b.
63. Adhæsit anima mea post te, 254.b.
66. Facere boves cum hircis, 161.a.
68. Qui educit vinctos 205.a.
71. In capite montium elevabitur 136.b.
78. Non accendit totam iram suam 127.a.
90. Quis novit potestatem iræ tuæ 204.b.106. b.
91. Eripiam eum & glorificabo eum, 227.b.
102. Adhæret os meum cuti meæ, 254.b.
124 Exhilarat faciem in oleo. 237.b.
109. Episcopatum eius accipiat alter, 248.a. maledicet illi, at tu benedices 3.b.
110. Tu es Sacerdos in æternum, 158.a. Secundum ordinem Melchisedech. 159.b.160.a.
115. Omnia quæcunque voluit fecit 84.b.
116. Quid retribuam Domino. 181.a.
119. Lex tua meditatio mea est. 52.b. Lucerna pedibus meis verbum tuum, 149.a.159.a.
127. Hæreditas domini sunt filij, 255.b. Non confundetur cum loquetur inimicis, 255.b.
128. Vxor tua sicut vitis. 255.b. Ecce sic benedicetur homo, ibidem. Labores manuum tuarum comedes, 255.b.
135. Educit ventos 160.a.
143. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum, 152.b.162.b.168.b.
177. Qui sanat contritos corde, 205.a. Beneplacitum est domino super timentes eum ibidem.
150. Omnis Spiritus laudet Dominum, 191.a.
Proverb. 9. Miscuit vinum suum, 188.b.
16. Amicus arctius adhæret quam frater, 255.a.
19. A Domino uxor prudens, 254. qui miseretur pauperis fœneratur Domino, 164.a.
13. Qui scrutantur ubi vinum misceatur, 188.b.
24. Septies in die cadit iustus, 192.b.
28. Qui abscondit scelera sua non dirigetur 209.b.
30. Omnis sermo Dei purgatus 73.a.
31. Ei tuto credit cor mariti 256.a.
Eccles. 4. Melius est esse duos quam unum 255.a.
7. Qui placet Deo effugiet eam 254.b.
9. Perfruere vita cum uxore. 255.a.
Esai. 1. Non oleo emollita, 237.b. quis requisivit hæc de manibus vestris, 93.a. Vinum tuum aqua mixtum est 189.b.
2. Ascendamus in montem Domini 162.b.
5. Accingunt se ut scindantur siceram 188.b.
9. Puer natus est nobis 157.b.171.a.
11. Spiritus sapientiæ & intellectus 136.b.
25. Vinum bibent & ungvento ungentur 66.a.
29. Hic populus labys me honorat 89.b.
37. Massa de ficus ulceri imposita 53.b.
53. Ego deleo iniquitates tuas 196.a.
75. Non est Deus iustus & salvans præter me 15.b. 21.b.
48. Gloriam meam alteri non dabo 21.b.
49. Afferent filios tuos in ulnis 53.b.54.a.
52. Mundamini qui fertis vasa Domini 254.a.
53. Oblatus est quia voluit 156.a.
54. In misericordia sempiterna misertus sum tui, 49.b.
58. Frange panem esurienti 132.a.
69. Verba quæ posui in ore tuo 250.a.b.
61. Misit me Evangelizare, 196.b. prædicari liberationem captivis 205.a.
67. Iustitia nostra ut pannus menstruatæ 109.a.162.a.
66. Respicio ad contritum Spiritu. 205.b. Afferent ex omnibus gentibus sacrificium Deo. 161.a.
Ierem. 2. Fodiunt sibi cisternas 44.b.
3. Si dimissa uxor nupserit alteri 264.a.265.a. 266.a.
10. Corripe me Domine veruntamen in iudicio. 227.a.
23. Sicut adhæret cingulum ad lumbos 255.a.
18. Agam & ego pœnitentiam super malo 227.b.
13. Currebam & ego non mittebam eos 29.b.30.a. 239.b. 245.a. 250.a. malleus confringens petras 194.b.
29. Date filiis vestris uxores 269.a.
13. Peccatorum eius non amplius recordabor 76.b. 117.a.194.b.
13. Qui offerat holocaustū & incendat sacrificiū 166.a.
Thren. 3. Misericordiæ domini quia non sumus consumpti, 227.a. Bonum viro cum portaverit iugum ab adolescentia 227.a.
4. Non erat qui frangeret eis panem 131.a.
Ezech. 3. Tu autem fornicata convertere ad me, 49.b.
11. Auferā ab eis cor lapideū & dabo cor carneū 206.b.
10. Vnxite oleo 237.a.
16. & 23 pœna adulterij 267.a.
18. Quare moriemini domus Israel 196.b.
20. In præceptis meis ambulate 48.a.
21. Educi gladium 160.a.
33. Nolo mortem peccatoris 193.a.
34. Officium boni pastoris 242.a.
44 Sacerdos non ducit repudiatam, 163.a. Repudiata nubit alteri 264.a.265.a.
Dan. 2. & 4. Sacramentum. 4.a.4.b.
7. Oblatus est in conspectum antiqui dierum 156.b.
os loquens grandia 58.b.
8. & 11. Auferetur iuge sacrificium 165.b.
9. Oravi dominum, & confitens dixi 209.a.
12. Mauzim cum Deo alieno 151.b.
12. Abominatio desolationis 157.a.

Osea 2. Sponsabo te mihi 256.a
13. Ero mors tua ò mors 226.a.
14. Vitulos labiorum 152.b.
Ioel. Scindite non vestimenta sed corda, 227.a. Quis scit si convertatur & relinquat post se benedictionem, 228.a.
Mich. 6. Non holocausta, non vitulos, 154.b.
7. Iram Domini portabo, quia peccavi ei, 227.a.
Habac. 2. Iustus sua fide vivet. 187.b.
3. In ira misericordiæ recordabitur 277.a.
Zachar. 3. Septem oculi super lapidem 3.b.
Malachiæ 1. Nomen meum magnum est in gentibus, 113.a. In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo, 162.a.b. Non suscipiam munus de manu vestra 162.a.
2. Dominus testificatus est inter te & uxorem tuam, 254.b. Si odio habes dimitte, 262.b.
3. Offerent sacrificia in iustitia, 163.b. Placebit Domino sacrificium Iuda & Hierusalem, 166.a.
Iudith 2. Habuit cum eis mysterium 4.b.
Sapi. 2. & 6. Sacramentum 4.b.
Tob. 7. Deus coniungat vos 254.b.
12. Sacramentum Regis occultandum est, 4.a.
Angelus detulit preces Tobiæ ad Deum 182.b.
Syrach 26. Donum Dei est mulier bona 254.b.
Gratia mulieris delectabit virum 255.256.a.
27. Amici mysteria denudare 4.b.
2. Machab. 6. Mulieres circumciduntur præputia filiorum 25.a.
Matth. 2. Magi adorant Christum 91.a.
3. Appropinquavit regnum cœlorum, 38.b. Confitebātur peccata sua, 195.b.210.b.211.a.217.b. ut effugeretis iram Dei, 39.a.195.b.198.a.210.b. ego baptizo vos aqua in pœnitentiam, 28.a.38.41.a. Fortior me est, 41.b. Baptizabit vos Spiritu & igni, 41.b. Ego opus habeo ut à te baptizer, 42.a. Christus à Iohanne baptizatur, 19.b.39.b. 41.b.
4. Pœnitentiam agite 195.b.
5. Beati lugentes, quia consolationem accipient, 205.a. Donec apex unus de Lege pereat, 224.a. Qui unum ex his minimis præceptis solverit, 115.a. Reconciliare fratri tuo, 210.b.165.b. Nisi causa fornicationis, 264.b.265.b.267.b. facit eam mœchari, 267.b. Si quis te percusserit in maxillam 262.a.
6. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie, 129.a. si nondum dimiseritis hominibus, 210.a.
7. Cavete à pseudoprophetis 45.a.
8. Vade ostende te Sacerdoti, 217.b. Non sum dignus ut intres sub tectum meum, 105.b. Dæmones ejcit Christus, 244.a.
9. Confide fili, remittuntur tibi peccata, 195.a.b.197.a. 210.b.218.b. Quis potestatem habet remittendi peccata, nisi solus Deus, 193.b. Surge, tolle lectum, 236.b. Si tetigero vestimentum eius, ero salva, 236.b. tetigit fimbriam vestimenti eius, 76.a. Orate Dominum messis 250.a.
10. Dedit eis potestatem, 195.a.b.134.b.246.a. dabitur vobis quod loquamini 245.a.
11. Pauperes evangelizantur, 205.a. Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, 40.a. Minimus in Regno cœlorum maior est illo, 42.a. Sapientia à Filijs iustificatur, 124. Ego reficiam vos 105.a.
13. Vobis datum est nosse mysteria, 4.b. audit sermonem & non intelligit 52.b.
14. Sublatis in cœlum oculis 157.b.
14. & 15. Christus accipit panes & frangit, 132.a.
15. Propter traditiones vestras transgredimini mandatum Dei, 35.a.125.b.127.b. Frustrā me colunt mandatis hominum, 48.a. 93.a. 96.a. 119.a. 127.b. 127.a. Septem panibus cibat Christus populum, 3.b.
16. Tu es Christus filius Dei viventis, 85.a. Tibi dabo claves regni cœlorum, 217.b.245.a.250.b. Quicquid solveris super terram, 9.a.133.149.b. Quicquid ligaveris 130.b.
17. Hunc audite, 118.b.122.b.
18. Non est voluntas Patris, ut pereat unus de pusillis, 52.b. In me credentibus, 56.a. Lucratus es fratrem, 210. Si non audiat, dic Ecclesiæ. 211.a. Quæcunque solveritis super terram, 210.a. Non septies sed septuagies septies, 50.b.51.b.199.b.
19. Quacunq; de causa, 262.a.b.264.a.b. non legistis? 259.b. masculum fecit & fœminam, 10.a. Relinquet patrem & matrem, 254.b.256.a.259.a. adhærebit uxori suæ, 268.a. Erunt duo in carnem unā, 254.b. 257.b.258.b. Quos Deus coniunxit, 254.a. 255.a. 256.a.257.a.261.a.262.b.264.b. propter duritiam cordis vestri, 262.b. Ab initio non fuit sic, 256.b. 258.b. Sinite eos ad me venire, 52.a.b.53.a. Talium enim est regnum cœlorum. 52.b.53.a.
21. Eiecit ementes & vendentes. 244.a. qua autoritate id facis? 253.b.
23. In cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, 33.a. Vnus magister vester Christus, 44.b.135.b. colare culicem & deglutire camelum 35.a.
25. Esurivi & dedistis mihi 164.a.
26. Vescentibus illis accepit Iesus panem. 104.b.244.a. gratias egit, 34.b.74.a. Fregit dedit eis, & dixit: Accipite, &c. 78.a. Hoc est corpus meum, 71.b.80.b. 81.a.86.a.b.93.a. bibite ex eo omnes, 114.a. 137.b. 138.b. ex hoc genimine vitis, 189.a. Cum hymnum cecinissent 179.b.
27. Iudas laqueo se suspendit 201.b.
28. Cùm vidissent adoraverunt eum, 91.b. docete omnes gentes, 53.b. 54.a.61.a.135.b.240.a.246.a. Baptizantes eos in nomine patris, &c. 53.b.134.a.b. 135.a. docentes eos servare quæ ego præcepi, 47.b. 48.b.98.b.131.134.b.135.b. Ecce ego vobiscum, 9.a. 61.b.245.a. 246.a. 250.a.
Marci 1. Vox clamantis in deserto, 38.b. prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum 38.a.b. 41.b. Confitebantur peccata sua, 38.b. Pœnitentiam agite, & credite Evangelio 201.a.
3. Vt haberent potestatem sanandi ægrotos, &c. 196.a. 234.b. 246.
6. Non poterat ibi signum facere propter incredulitatem eorum, 59.a. Dabat eis potestatem adversus spiritus immundos, 196.a 234.b.245.a. Vnctio Apostolica, 5.a.10.b.253.a.244.a. Non licet tibi uxorem fratris habere, 254.b.
7. Pharisæorum Baptismi, 43.35.a. Relinquentes mandatum Dei tenere traditiones hominum, 35.a.125.b.184.a.
10. Imponens ei manus benedixit eis 53.a. 61.b. 245.b. Nisi quis acceperit Regnum cœlorum, veluti parvulus, non intrabit illud, 53.a, 36.a.
14. Cùm benedixisset, fregit ac dedit discipulis, &c. 73.a.244.a. Et biberunt ex eo omnes, 97.b. 115.a. 138.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

16. Ite in orbem & prædicate, 34.b.162.a.240.b.246.a. qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, 20.b. 22.a.24.a.b.26.b.34.b.46.a.49.b.50.a.51.a.53.b. 54.b.63.b. qui non crediderit condemnabitur, 46.a. 54.b.96.b. super ægrotos manus imponent, 62.a. 234.b.235.a.

Luc.1. Replebitur Spiritu sancto in utero, 56.a. convertet corda patrum ad filios, 42.a. Dabit ei regnũ patris sui David, 156.b. Apud Deum non est impossibile omne verbum, 84.a.b. Et exultavit infans in utero eius, 56.a. ad dandum scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum, 38.b.

2. Sedentem in medio Doctorum 242.a.

3. Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, 38.a.40.a.41.b.195.b. omnis mons & collis humiliabitur, 210.b. facite fructus dignos pœnitentia, 38.b. Publicani & milites dicunt: quid faciemus? 210.b. putabant Iohannem forsan esse Messiam, 41.b. Spiritus sanctus corporali specie columbæ descendit 42.a.85.b.

4. Christus ex Esaia prælegit 244.a.

6. Qua mensura mensi fueritis 266.a.

7. Iustificaverunt Deum, 39.a.40.b. spreverunt consilium Dei contra semetipsos, 39.a. 40.b. Peccatrix lachrymis rigat pedes Christi, 210.b. 211.b. Remissa sunt tibi peccata tua, 195.b.197.a. 210.b.218.b.

10. Ecce do vobis potestatem, 196.a.234.b.246.a. Qui vos audit, me audit, 250.a. infundit oleum vulneri, 237.a. Maria sedet ad pedes Iesu 135.b.

12. Quis me constituit Iudicem 263.a.

13. Nisi pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis, 193.b.

15. Pater peccavi in cœlum & coram te. 211.a.

17. Si dixerit pœnitet me, dimitte illi, 210.b. uxores ducebant 234.b.

18. Deus propitius esto mihi peccatori, 209.a. afferebant infantes ad Iesum 52.a.54.a.

19. Si quem defraudavi reddo quadruplum, 211.a. hodie facta est salus huic domui ibidem.

21. Dabo vobis os & sapientiam 245.a.

22. Dedit panem & dixit: Hoc est corpus meum, 81.a. quod pro vobis traditur & effunditur, 157.b. Similiter & poculum, 114.a.b.136.a. Hoc poculum est novum Testamentum, 76.b.86.b. 115.a.117.a.148.a.165.a.188.b.194. Hoc facite, 34.b. 73.a.74.a.78.b.97.b.99.b.114.b.115.b.119.a.132.a. 136.a.137.b.138.a.139.a.b.140.a.b.161.a.246. in mei commemorationem, 76.a.92.b.93.b.94.b. 96.a.99.b.104 a.114.b.174.a.190.a.191.b. Vos autem non sic 249.a.

23. Hodie mecum eris in Paradiso 19.a.

24. Accepit panem, benedixit ac fregit, 131.a.132.b. Aperti sunt oculi eorum, 132.a. aperuit eis mentem ut intelligerent, 245.a. prædicare Pœnitentiã & remissionem peccatorum 196.b.197.b.201.a. 218.a. Donec induamini virtute ex alto 61.a.

Ioannis 1. Hic venit ut testimonium perhiberet de lumine, 38.b. ut omnes crederent per ipsum, 42.b. Ex plenitudine eius omnes accepimus, 16.a.39.a. 42.a. Ego vox clamantis, 38.b. Cur ergo baptizas si non es Christus, 41.b.253.b. qui post me venturus est prior mè est, 40.a.41.b. Agnus Dei qui tollit peccata mundi, 38.a.157.b.162.b.194.b. Vidi spiritum descendentem. 85.b. Misit me baptizare, 38.b. Super quem videris descendere Spiritum sanctum, 69. Hic est qui baptizat, 33.a.41.b.71.a. Andreas frater Simonis Petri 93.b.

2. Christus interest nuptijs, 254.b.255.b. cùm gustasset aquam vinum factam. 86.a.

3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, 20.a.22.b. 44.a.47.a.52.b.53.a.55.b.39.a.63.b.64.b. Quod natum est ex carne caro est, 52.b. ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, 54.b.226.b. qui non credit iam iudicatus est, 54.b. Ecce is baptizat, & omnes veniunt ad eum, 40.a. 41.a. Pater diligit filium, 38.b. Omnia dedit ei in manum, 156.b. qui credit filio habet vitam æternam 38.b. Qui incredulus est filio, ira Dei manet super illum 54.b.230.b.

4. Iesus etiam sibi fecit discipulos, 40.a.41.a. Ipse non baptizavit sed per discipulos 39.b.42.a. Qui biberit ex aqua quam ego dabo 141.a. Neque hic, neque Hierosolymis, sed in spiritu & veritate adorabunt, 91.b.92.a.b.

5. Ecce sanus factus es, noli amplius peccare 226.a. qui audit verbum meũ, & credit ei qui misit me, 17.b. transit de morte in vitam, 232.a. Mortui audient vocem filij Dei, & vivent 231.a. dedit ei potestatem faciendi iudicium 156.b.

6. Qui venit ad me, 53.a. Hæc est voluntas Patris, ut omnis qui credit in me, 194.b. Nisi manducaveritis carnem filij hominis, 100.a.b.126.a.133.a.141. Caro mea verè est cibus, 147.b. in me manet & ego in illo 148.b. Qui mãducat me, vivet propter me, 60.a.141.a.232.a

7. Nondum erat Spiritus sanctus 41.b.43.a.

8. Neque ego te damno, 266.a. Ego sum lux mundi, 244.a. Mortem non videbit in æternum, 232.b.

9. Illevit lutum super oculos cæci 234.b.

10. Vocem alienorum non audiunt, 45.a. Fures sunt & latrones, 249.b.253.a. Ego sum pastor bonus, 258.a. Pono animam meam pro ovibus meis, 157.b. Oves meæ vocem meam audiunt, 59.b.64.98.b. Baptista nullum signum fecit 41.b.

11. Ego sum resurrectio & vita, 232.a. etiamsi mortuus fuerit, viuet ibid.

12. Nunc iudicium est mundi 157.b.

13. Qui lotus est, non opus habet nisi ut pedes lauet, 50.b. lavit pedes discipulorum, 244.a. usque ad finem dilexit eos, 233.a.

14. Sicut mandatum accepi à Patre, ita facio 157.b.

15. Mundi estis propter verbum meum 21.a.

16. Quicquid petieritis Patrem cœlestem in nomine meo, 181.

17. Iam non sum in mundo 157.b. Sanctifica eos in veritate, quæ est verbũ tuum, 109.a. Sanctifico me pro eis 157.b.

19. Os non comminuetis ex eo, 162.b. effluxit sanguis & aqua 7.b.11.a.188.b.189.a.

20. Sicut misit me pater 196.b.210.b. insufflavit in eos, 61.b.62.b.85.b.245.a.b. Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, 9.a.195.b.196.197.b.210.a.217.b.223.a.250.b. 245.a.250.a. Deus meus, 85.a. Multa etiam alia signa fecit Iesus 60.b.

Actorum 1. Baptizabimini Spiritu sancto 41.a. 42.b.61.a. Eritis mihi testes 161.a. Episcopatum eius accipiat alter, 248.a. Matthias sorte fit Apostolus 350.b.

2. Ad lingvæ velut ignea, 62.b. missio Spiritus sancti, 61.a. Loquebantur varijs linguis, 190.a. Hunc Deus fecit Christum & Dominum, 43.b. Baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum, 20.b.23.a.24.a. 39.a.47.a.53.a.b.79.b. in nomine Iesu Christi, 134.a. 135.a. vobis est promissio illa & liberis vestris, 53.b. tria millia baptizati, 41.a. frangentes per singulas domos panem 105.a.130.a.b.

4. Factus est numerus virorum circiter quinque millia, 41.a. Non est in aliquo alio salus, 222.b.230.a. Nec est aliud nomen sub cœlo datum, 21.a.

5. Per manus discipulorum fiebant miracula, 61.a. ut Petri umbra eos adumbraret, 62.b. ad dandam pœnitentiam Israeli 39.a.206.b.

6. Non possumus vacare mensis, & negligere verbum, 162.a.240.b. Ordinavit Diaconos, 241.b.245.b.250.a.

8. Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum, 69.a. tantum in nomine Christi baptizati erant, 134.b. impositio manuum, 5.a. Manibus impositis accipiunt Spiritum sanctum, 71.a.b.62.a. Vt accipiant Spiritum sanctum, quibus ego imposuero manus 197.a. si credis ex corde potes baptizari 24.a.

9. Dominus misit me, ut implearis Spiritu sancto 61.a.

10. Huic testimonium dant omnes Prophetæ 197.b. 201.a. Remissionem peccatorũ habere in nomine eius, 195.a. 204.b.218.a. Cornelius baptizatur, 19.b.22.b.

11. Vos autem baptizabimini Spiritu sancto. 41.a. Gentibus pœnitentiam cõcessit ad vitam 39.a.206.b. usque ad Phœnicen & Cyprum, 253.a. Barnabas Antiochenos confirmat, 61.a.62.b. tunc primium dicti fuerunt Christiani 66.a.

12. Paulus & Barnabas assumunt Marcum, 241.b.

13. Antiochiæ erant Prophetæ & Doctores, 241.b. cum ministrarent Domino, 169.b. cùm ieiunassent atque orassent, 145.b. Segregate mihi paulum, 239.b. 253.a. Cùm imposuissent eis manus, 245.a.b. Emissi à Spiritu sancto 250.b.

14. Presbyteri constituuntur 251.a.258.a.

14.15.18. Verbo confirmantur animi discipulorum, 60. 61.b.69.b.

15. Cùm orta esset seditio & disceptatio 1.a. Fide purificans corda eorum, 109.b. Credimus per gratiam Iesu Christi salvari, sicut & illi, 11.b. Iudas & Silas explicant scriptum Apostolorum, 1.a.242.

16. Baptizatus ipse & omnes domestici eius, 53.b. bis.

18. Sciebat tantum baptisma Ioannis, 41.a.42.b.43.a.

19. Nescimus an sit Spiritus sanctus, 43.a.134.b. Ioannes baptizavit populum baptismo pœnitentiæ, 38.b. Docens eos credere in Iesum Christum 38.b. 39.a.43.b.210.b. Discipuli quidem baptizati, rebaptizantur, 38.39.41.42.43. In nomine Iesu, 134.a.b.135.a. Impositio manuum 5.a. cùm imposuisset illis manus, accipiunt Spiritum sanctum, 61.a.b.62.a. Venit Spiritus sanctus super eos, 43.a. Sudaria Pauli infirmis imponuntur, 62.b. 234.b. Confitebantur acta sua 210.b.211.a.

20. Convenerunt ad frangendum panem, 130.b. Paulus incubuit super puerum, 234.b. cùm fregisset panem ac degustasset, 131.a. testificans pœnitentiam in Deum, 201.a. Attendite vobis & universo gregi, 162.a.240.a. Spiritus sanctus vos constituit Episcopos 244.b.248.a.b.250.b.251.b.

21. Philippus Evangelista 242.a.

22. Baptizare & ablue peccata tua. 20.b.22.a.34.b.

26. Vt convertantur à tenebris ad lucem, 201.a. Vt pœnitentiam agerent & converterentur ad Deũ, 195.b. Nihil docens quàm quæ prædixerunt Prophetæ, 195.b.197.b. Exceptis his vinculis, 264.b.

27. Sumpto pane gratias egit, & cum fregisset, cœpit edere, 131.a.133.a.

Roman.1. Vt impertiar vobis gratiam spiritualem, 245.a. Evangelium est potentia Dei ad salutem, 9.b.14.a. 17.b.21.b.22.a.116.b.221.b. Iustus fide sua vivet, 55.a. dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, 148.b. Creaturam coluerunt præter creatorem, 92.b. In mentem reprobam 106.a.

2. Cumulas tibi iram secundum cor impœnitens, 193.b. 230.b. Doctorem insipientium, 242.a. Circumcisio cordis, circumcisio est 13.b.

3. Num incredulitas eorum fidem Dei faciet irritã, 33.a. 49.b.51.a. Ex operibus legis non iustificatur omnis caro, 194.b.218.a. Per redemptionem in sangvine eius, 22.b. Quem proposuit nobis propitiatorium, 173.b.194.b.222.a. Deus Iudæorum & Gentium 13.b.

4. Credenti non operanti iustitia imputatur 12.b. Sigillum iustitiæ fidei, 11.b.12.b.14.a.15.b.22.b.47.a. 56.a. Abraham pater omnium credentium, 12.a. Exinanita est fides & irrita facta est promissio, 198. 200.a.221.b. Ex fide gratis, 108.b. Ideo ex fide gratis, ut firma sit promissio 47.a. contra spem in spem credidit, 18.a. Imputabitur credentibus. 55.a. Resurrexit propter iustitiam nostram, 21.a.

5. Charitas diffusa est in cordibus nostris, 69.a. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo. 265.b. Vnius delictum in omnes in condemnationem, 52.b.

6. In mortem Christi baptizati sumus, 20.b. 22.a.b. 43.a.46.a.53.a.63.b.79.134.b. In novitate vitæ ambulemus, 46.b.47.a.49.b. Insitiui facti sumus per similitudinem mortis eius, 48.a.49.b.53.a. Obedivistis ex corde in eam, in quam traditi estis, formam doctrinæ, 47.b.48.b. Liberati à peccato, servi facti estis Iustitiæ, 226.a. Exhibete membra vestra serva Iustitiæ, 226.a. Liberati à peccato servi facti estis Deo 47.a.b.48.a.

7. Scientibus legem loquor 265.a.

Mulier alligata est viro per legem, 263.a.265.a. Lex Spiritualis est, 194.b. Non habitat in carne mea bonum, 109.

8. Quod Legi impossibile erat, 194.b. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, 254.a. 258.a. qui Spiritum Christi non habet, non est eius, 55.b. Corpus mortuum est propter peccatum, 226.b. Debitores sumus non ut secundum carnem vivamus, 46.b. Si secundum carnem vixeritis, moriemini, 45.b.193.a. Diligentibus Deum omnia in bonum cedunt, 228.a. Conformes nos fieri imagini Christi, 230.a. Christus mortuus & resuscitatus interpellat, 232.b. Neque mors, neque Vita, nos separabit, &c. ibid.

10. Corde creditur ad iustitiam 19.a. Quomodo prædicabunt, si non mittantur, 29.b.229.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

250.b.bis. Fides ex auditu, 17.b.18.b.52.b.172.a. 245.a.
11. Si per gratiam, non ex operibus, 108.b.
sin ex operibus, iam non ex gratia, 198.a.
Non volo vos ignorare mysterium, 4.b.257.b.
12. Hostiam viuentem, 154.b.162.a.169.a.
ut probetis quæ sit voluntas Dei, 106.a.
Habentes donа iuxta gratiam, 255.b.
13. Nemini quicquam debeatis, nisi ut vos invicem diligatis, 46.b.
Abijciamus opera tenebrarum, 230.a.
14. His quidem iudicat diem ad diem conferens, 220.a.
Omnis lingva confiteatur ei 191.a.
15. Sacrificantem Evangelium Christi, 152.b.153.a. 162.a.163.b.169.a.240.b.
ut fiat oblatio gentium acceptabilis, 154.b.
quæ effecit Christus per me verbo & facto 74.a.
16. Domestica Ecclesia, 255.a.
observate eos, qui dissensiones excitant 145.b.
1. CORinth.1. Paulus & Sosthenes, 251.a.
Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, 115.b.140.a.
Sanctificatus per Christum Iesum, 109.a.
omnibus invocantibus nomen Christi in quovis loco, 116.a.b.140.a.b. confirmabit vos vsque ad finem, 232.b. Num Paulus pro vobis crucifixus est, 230.a.
aut in nomine Pauli baptizati estis, 43.a.
non misit me baptizare, sed evangelizare, 240.b. 242.a. Baptizavi & Stephanæ familiam 53.b.
2. Animalis homo non accipit ea, quæ sunt Dei, 56.a.57.b.
nos autem mentem Christi tenemus 71.b.
3. Ego sum Pauli, 248.b. Ministri sunt per quos credidistis, 42.a.196.a.242.a. Qui dat incrementum Deus, 42.a.196.a.245.250.a.250.b.
Dei sumus cooperarij, 296.a.250.a.b.
Omnia vestra sunt, vita, mors, &c. 232.b.
4. Sic nos æstimet homo ut ministros Christi, 162.a. 219.a.
Dispensatores mysteriorum Dei, 142.a.196.a.
Per Evangelium ego vos in Christo genui, 42.a. 196.a. 245.a.
5. Stuprum quod inter gentes non nominatur, 259.b.
tradatur Satanæ ad interitum carnis, 211.b. 260.a.
Pascha nostrum immolatus est Christus, 124.b.
Epulemur itaque in azymis, 128.b.163.a.
sicut estis azymi, 70.a.
6. Dijudicate inter fratrem & fratrem 227.b.
non accipient regni Dei hæreditatem, 45.b.193.b.
abluti & sanctificati estis 50.b.
7. Propter fornicationem unusquisq; uxorem suam habeat, 255.a.259.a.266.b. Non vir habet potestatem corporis, 255.a.259.a.268.a.. Ne tentet vos Satanas propter incontinentiam, 255.a.266.b. Hæc dico secundum indulgentiam, 266.b. Melius est nubere quàm uri, 255.a.261.a.266.b. si separetur innupta maneat aut viro reconcilietur, 265.a.b.267.b.
Non ego precipio, sed Dominus, 116.a. Fidelis non dimittat infidelem, 363.a. Sanctificatur vir per mulierem, 256.a.261.a.260.a.263.a.
Alioqui liberi vestri immundi essent, 260.a.
Nolite servi hominum fieri, 48.a. si nupserit non peccat, 255.b. non ut laqueũ vobis iniiciã, 261.a.267.a.
qui elocat nuptum bene facit, 269.b.
tantùm in Domino, 256.a.269.b.
8. Scimus quòd idolum nihil sit 164.b.
9. Omnia mihi licent, sed non omnia conducunt, 266.b.
ne cum alijs prædicarim ipse reprobus fiam. 33.a.
10. In Mosen sunt baptizati, 40.a.47.b. eandem spiritualem escam manducarunt, 14.b.120.a.
tanquam intelligentibus loquor, 129.b. Panis quem frangimus est communicatio corporis Christi, 81.a. 86.a.185.b. Poculum benedictionis, 72.b.86.b.190.a.
omnes de uno pane participamus, 86.b.100.b.103.a. 112.b.116.b.128.b.185.b.187.a. participes esse mensæ Christi aut dæmoniorum 164.b.165.a.
11. Cùm convenitis ad manducandum, 144.a.168.a.
propriam cœnam occupat, 110.b.185.b. A Domino accepi quod & vobis tradidi, 73.a.80.b.82.a. 114.b. 115.b.116.a. 134.a. 145.a. similiter & poculum, 128.b.129.a.b.136.a. Hoc poculum novum Testamentum est, 92.a.115.a.117.a 148.b.165.a. 188.194.b. Quotiescunq; feceritis, 51.b.111.a.116.a.b. 132.b.186.b. Quoties panem hunc manducaveritis, 86.b. Mortem eius annunciate donec veniat, 9.a. 34.b. 61.a. 93.b. 94.a. 190.a. 104.b. 116.b. 133.a. 134.a.135.a.140.b.190.a.191.b. Qui manducat indignè, 106.a.190.a. probet seipsum homo, 34.b. 52.b.105.a.106.a.107.a. 115.a.b. Et sic de pane illo edat, & de poculo bibat, 115.b. Qui indignè manducat, iudicium sibi manducat, 22.a.24.a.b.27.a.75.
Non diudicans corpus Domini, 52.b 71.b. 94.a. 106.a.144.a. si nos ipsi iudicaremus, non iudicaremur à Domino, 227.b. Reliqua quando venero disponam, 133.a. 116.b.142.b.183.a.
12. Omnes in unum corpus baptizati sumus, 39.b. 50.a.b.53.a.61.a.64.b. Omnes in unum Spiritum potati sumus, 116.b.128.129.b.144.a.188.a.
Alios posuit Deus Apostolos 162.a.241.b.
Donum sanationis 236.b.
non omnes Apostoli, 239.b.
13. Si sciero omnia mysteria 4.b.
14. Æmulemini spiritualia, magis tamen ut prophetetis, 162.a.259.b.241.b. Lingua quæ ab Idiotis intelligatur, 184.b.190.a.b. Si benedixeris Spiritui 190.a.
Tu quidem bene gratias agis Deo, 190.a.
Quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarũ actionem, 35.a.190.a. cadens in faciem adorabit Deum, 92.a. Lingua loquatur per vicissitudinem, 191.a.
si non sit qui interpretur, taceat in Ecclesia, 192.b.
sibijpsi verò privatim loquatur & Deo 192.a.
Nam in omnibus Ecclesijs doceo 116.a.
Vt omnia ordine fierent ad ædificationem. 48.a.142.b 190.b.
15. Sive ego sive reliqui Apostoli ita docemus, si in hac vita tantùm in Christo speramus, 116.b.232.b.
Quia super mortuis baptizantur, 175.a.232.b.
Caro & sangvis Regnum Dei non possidebunt, 52.b.
Mysterium dico vobis, 4.b.257.b.
Dedit nobis Victoriam per Christum, 222.b.226.b.
non erit labor vester inanis in Domino 245.a.
2. CORinth.1. Paulus & Timotheus 251.b.
Non quòd dominemur fidei vestræ 1.a.35.b. 196.a.
2. Sufficit homini increpatio hæc 211.b.
cui condonatu & ego condono 198.a.
Christi bonus odor sumus 171.b.
3. Idoneos nos fecit, 250.a.
ministerium Spiritus, 245.
si ministerium Legis fuit in gloria 241.a.
fecit nos ministros Spiritus 9.b.
4. Eundem Spiritum fidei habemus 11.b.
5. Vnus pro omnibus mortuus est 53.a.230.a.
posuit in nobis ministerij reconciliationis, 162.a.196.a.219.

a.219.a.250.a. Deus mundum sibi reconciliat, 199.a.
Non imputans eis peccata, 21.a. loco Christi legatione fungimur, 250.a. Deus per nos exhortatur, 74.a.245.a. Reconciliemini Deo 196.a.
6. Inhabitatio in eis 15.b.
7. Genuit in vobis zelum & vindictam 211.b.225.a.
8. χειροτονηθεὶς 251.a.
10. Arma militiæ nostræ potentia Dei, 57.a. 196.a.b. 240.a. Captivam ducimus omnem cogitationem, 84.b.158.b.156.a. non ad destructionem, sed ad ædificationem 134.a.
12. Experimentũ quæritis loquentis in me Christi, 74.a. 245.a. 250.b.
Probate vos ipsos, an in fide sitis, 16.a. Potestatem mihi dedit Dominus in ædificationem, 196.a.240.a.
GAlat.1. Si quis Evangelizaverit præter quam accepistis, 117.a.134.a
non ab hominibus, sed per Iesum Christum 149.a.
2. Dederunt mihi dextras societatis 130.a.138.b.
3. Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, 47.a. 194.b.200.a. Maledictus qui non permanserit in omnibus, 194.b. Lex non est ex fide 47.a.
ut in Gentes Abraha veniret per Christum, 53.a.
Hominis testamentum nemo vetjcit, aut aliquid addit, 73.a.81.b.115.a.150.a.172.
Omnia conclusit sub peccato 194.b.
Lex Pædagogus est ad Christum 200.a.205.a.
Quotquot baptizati estis, Christum induistis, 20.b. 22.b.49.b.50.b.53.a.63.b.79.a.148.b.
Omnes vos unus estis in Christo 125.b.
4. Misit filium suum factum sub lege 194.b.
Factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, 224.b. Dies observatis & tempora 220.a.
5. Qui circumciditur, debitor est totius legis servandæ, 47.a. Evacuati estis à Christo, 47.a.
Neque Circumcisio, neque Præputium in Christo valet, 13.b. Regnum Dei non hæreditabunt, 45.b. 139.a.
6. Si quis præoccupatus fuerit 193.a.
Deus non irridetur, 219.a. Neque Circumcisio neq; præputium in Christo valet 13.b.
EPhes.1. Benedictione spirituali in Christo 53.a.
Patefacto arcano voluntatis suæ, 237.b.
Sacramentum voluntatis Dei, 4.b.
super omne nomen quod nominatur 72.a.
2. Eramus & nos filij iræ, 22.b.52.b. Deus dives in misericordia, 18.a.75.b. cum eo nos resuscitavit, 38.a.
Ipse est pax nostra, 21.a. Super fundamentũ Prophetarum & Apostolorum 135.b.
3. Notum mihi fecit mysterium 257.b.
Mysterium Christi, 4.b.5.a. Cuius factus sum ego minister, 25.a. Christus habitat per fidem in cordibus nostris, 148.b.232.b.
4. Vna fides, 50.b. unum baptisma, 39.b.50.b. Alios dedit Apostolos, alios Prophetas, 162.a.240.a.241.b. 244.b.245.a.250.a.b. Vetus homo exuendus, 230.b.
Spiritu sancto signati in diem redemptionis, 232.b.
5. Tradidit semetipsum oblationem & victimam, 20.a. 152. Propter hæc venit ira Dei in filios incredulitatis, 45.b.193.a. Probant quod Deo placeat, 106.a.
Quin potius ea arguite 214.a.
Sicut Christus dilexit Ecclesiam 63.b.246.a.
mundans eam lavacro aquæ in verbo, 18.b.21.b. 72.a.bis.32.b.43.b.49.b. 50.b. 53.a.b. 54.a.64.b. 68.a.72.b.79.a.b.104.b.134.b. Vt sine macula, 60.a.
Qui uxorem diligit, seipsum diligit, 255.a.
Nemo suam carnem odio habet, 255.a. Diligit ac fouet eam, 255.a.256.b. Mysterium hoc magnum est, 4.b.5.a.49.b.256.a.257.b.
6. Educate eos in correptione Domini, 54.a.
Induite armaturam Dei, 232.a. ut possitis resistere in die malo, 132.a. mysterium Evangelij 4.b.
PHilip.1. Cum Episcopis & Diaconis 248.b.
Perficit usque ad diem Christi 232.b.
Cùm mecum sitis consortes gratiæ, 175.b. sive per occasionem, sive per voluntatem, 32.b. per vestram orationem cedet mihi in salutem 232.b.
2. Dedit ei nomen super omne nomen 156.b.
etiamsi immolor super hostia & sacrificio fidei vestræ 152.b.161.b.163.b.169.a.
4. Omnia possum per Christum, qui me confortat, 230.a.
Odorem bonæ fragrantiæ hostiam gratam Deo, 152.b. 161.b. 168.a.
COloss.1. Vt sit in omnibus primas tenens, 230.a.
cuius factus sum ego minister 242.a.
2. Sacramentum Dei, 4.b. in eo habitat plenitudo divinitatis, 16.a.76.a.
Circumcisione non manu facta, 14.b.53.b.54.a.
Aut in parte diei festi, 220.a.
Vmbræ futurorum, corpus Christi, 16.a.241.a.
Quid adhuc decretis mundi tenemini, 48.a.b.
3. Ob hæc venit ira Dei in filios incredulitatis 45.b.
obedite parentibus in omnibus 269.a.
1. THessal.1. Paulus & Sylvanus 251.b.
3. Timotheum ministrum Dei 243.a.
4. Hæc est sanctificatio vestra 255.b.
5. Vt vigilantes & dormientes cum ipso vivamus, 232.b.
omnia probate 106.a.
2. THessal.2. Effertur super omne quod dicitur Deus, 99.b. 157.a.191.a. 222.b. ostentans seipsum esse Deum, 1.b.
iam operatur mysterium iniquitatis, 4.b.257.b.
Quia veritatis amorem non receperunt 201.b.
1. TImoth.1. Qui persecutor eram, 210.b.
Intercessiones pro omnibus fieri, 168.b.
Vnus mediator Dei & hominum 222.a.
Orare puris manibus in omni loco, 91.b.163.b.
si manserint in sanctificatione & castitate 255.b.
3. Si quis Episcopatum desiderat, 25.a. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, 162.a.240.a.248.a. 250.b. Aptum ad docendum, 240.b.
Si quis domui suæ non bene præest, 255.a.
Mysterium fidei, 4.b. Probentur primum, & sic ministrent, 241.b. similiter & Diaconi, 114.b.
Bonum gradum sibi acquirunt, 241.b.
Magnum pietatis Sacramentum, 4.b.
4. Doctrinis dæmoniorum, 157.b.
sanctificatur per verbum Dei & orationem, 93.a.
Attende Lectioni, 246.a. ne negligas donũ quod in te est, 245.a.250.b. salvum facies te & auditores, 245.a. 250.b.
5. Presbyterum ne savius obiurges, 242.a. Qui domesticorum non habet curam, 255.a. Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant, 240.b.
Manus cito ne cui imponas, 245.b.251.a.
2. TImoth.1. Vt suscites donum Dei, quod in te est, 9.b.245.a.250.b.
formam teneto sanorum verborum 24.b.
2. Si nos credimus, fidelis manet, negare seipsum non potest, 46.a. 49.b.
si quando det illis Deus pœnitentiam, 39.a.206.b.
4. Fac opus Evangelistæ 242.a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TIt. 1. Vt constituas oppidatim presbyteros, 240.a. 243.b. 251.a. 251.b. oportet Episcopum inculpatũ esse, 162.a. 248.b. 250.a. tenacem fidelis sermonis, 240.a. Argue eos severiter, 251.a. mundis omnia munda, 163.b.
2. Vt sint castæ 255.b.
3. Per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, 20.a.b.22.a.b.32.b.46.b.47.a. 49.b. 52.b. 53.a.56.a.60.a.63.b. iustificati illius gratia, 46.b. 49.b. hæredes simus vitæ æternæ, 46.b.199.b.
1. PEtri 1. Regeneravit nos in spem vivam, 232.b. sanguine agni immaculati estis redempti, 162.b.
2. Ad offerendum hostias spirituales, 153.b.161.b.239.b. Vos estis regale Sacerdotium, 162.a.239.b. annunciate uirtutes eius, 163.b. Christus passus pro nobis reliquit nobis exemplum, 230.a. tulit peccata nostra in corpore suo 162.b.
3. Sanctæ mulieres, 255.b. cohabitate eis cum scientia, 255.b. tanquam vasi infirmiori, ibid. parati ad Apologiam omni petenti rationem, 1.a. aqua nos salvos facit in Baptismo, 20.b.22.a.49.b.53.a.63.b.79.b. non sordium ablutio, 135.a. stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum, 14.b.22.a.47.a.134.b.199.b.
4. Iudicium à domo Domini incipit 227.a
5. Ego compresbyter 248.b.
pascite gregem Christi 242.a.
2. PEtri 1. Divinæ consortes naturæ, 88.b. oblitus purgationis suæ à peccatis, 76.b.
Scriptura non est privatæ interpretationis 71.b.
2. Posteriora deteriora primis 200.a.
1. IOan. 1. Sanguis Iesu Christi mundat nos à peccatis, 21.a. si confiteamur peccata nostra. fidelis est, 209.a. 217.b.
2. Propitiatio pro peccatis totius mundi, 222.a.128.b. 230.b. Scribo vobis parvulis, 54. audistis quòd Antichristus sit venturus, 157.a. E nobis egressi non erant ex nobis, 30. vos unctionem habetis à sancto 66.a.
4. Probate spiritus an ex Deo sint, 106.b. & nos debemus nos mutuo diligere 46.b.
5. Venit per aquam & sanguinem, 189.b.
tres sunt qui testimonium perhibent in terris 7.b.
HEbræor. 1. Deus per filium locutus est, 250.a. adorent eum omnes Angeli 91.a.b.
3. Christi participes facti sumus, 148.b. si tamen initiũ fidei ad finem usq; firmum retinuerimus 232.b.
4. Non profuit eis sermo non admixtus fidei, 22.a.26.b. adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, 173.a. 174.a.b.181.a.
5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, 161.b. Nemo sumit sibi honorem, 172.b. cùm precationes obtulisset, 152.b.168.b. Elementa doctrinæ Christianæ, 241.b.242.a.
6. Ad perfectionem feramur, 160.b.
Impossibile est semel illuminatos rursus renovari 50.b.
6. & 7. secundum ordinem Melchisedech, 160.a.b.
7. Sine patre & sine matre, 160.b. Novi Testamenti sponsor, 3.a. salvos facere potest qui per ipsum adeunt patrem, 53.a.159.a.173.a. qui non habet necessitatem offerendi quotidie pro peccatis populi, 158.b.161.b. 165.b.172.b. Semel se offerendo, 244.b. Quia filius est in æternum perfectus 158.b.
8. 9. & 12. Mediator novi Testamenti 2.b.
9. Vnica oblatione semel ingressus in sancta, 158.b.161.b. 165.a.172.b.222.b. æterna redemptione inventa, 158.b. Sanguis Christi purgat conscientiam, 13.b. Morte intercedente eum pati oportet, 173.a. obtulit semetipsum, 173.a. Introivit in cœlum, ut appareat vultui Dei pro nobis, 172.b.173.b.174.a.b. 181.a.182.a. per immolationem sui ipsius apparuit, 15.b. semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, 166.b.172.b.
10. Vnica oblatione consumavit sanctificandos, 158.b. 161.b.72.b.173.a.222.b. Vbi peccatorum Remissio, ibi non amplius oblatio pro peccato, 172.b. habemus fiduciam ad introitum in sancto, 173.181.a. voluntate peccantibus non relinquitur Hostia pro peccato 156.b.
11. Fides est argumentum eorum, quæ non videntur, 18.a. 90.b.
sine fide impossibile est placere Deo, 54.b.172.a.
13. Honorabile coniugium, 255.a.268.a. Christus heri & hodie & in æternum, 13.b.14.b. habemus altare, 156.b. per ipsum offerimus sacrificium laudis, 152.b.161.b.162.b. fructum labiorum confitentium nomini eius 163.b.
IAco b. 4. Vnus Legislator potens salvare & perdere, 48.a.
5. Orent super ægrotis, 245.b. ungentes eum oleo, 10.b.234.b.235.b.236.b. confitemini alterutrum, 198.a.210.a.217.b. orate pro invicem, vt salvemini 210.a.236.a. multum potest oratio energumeni 245.b.
APocal. 1. 5. & 20. Fecit nos Sacerdotes, 161.b.239.b. 1. Septem stellæ & candelabra, 3.b. Sacramentum septem stellarum 3.b.4.b.
2. Esto fidelis usque ad mortem, 232.b. quod habetis, tenete donec veniam ibidem.
5. Septem sigilla, 3.b. Phialas plenas odoramentorum, 152.b.164.a.168.b. Angeli sunt administri orationum 182.a. Dignus est agnus qui occisus est, 162.b.
6. 8. 9. 11. 14. 16. Thysiastirion 156.b.
8. Habent thuribulum aureum & incensa multa, 154.b. 168.b. septem tubæ Angelorum 3.b.
13. Agnus occisus ab origine mundi 157.b.
17. Mater Formicationum & Abominationũ terræ, 157.a. Sacramentum mulieris & bestiæ, quæ habet capita septem, 4.a.b. Aquæ populi sunt, 189.a.
18. Mysterium Meretricis Babylonicæ 257.b.

INDEX

INDEX LOCORVM
ET VERBORVM IN HAC SE-
cunda parte examinis memorabilium.

A.

ABrenunciatio in Baptismo, 35.b.37.a.47.a.57.a. 64.a. 194.a.
Absolutio an sit Sacramentum, 9.a. potestatem eius ministerio detrahentes, 193.b. singulis applicat promissionem generalem, 194.a.b.202.a.221.a. ad operа pœnitentis eam alligare, 194.a.195.a. privata Absolutionis necessitas, 197.a. de vi & temporibus eius, 219.b. Non in Optativo modo pronuncianda, 202.a. Facere eam ex Evangelica legalem, 202.a. Actus idicialis in Absolutione Papistica, 195.218.a. 221.b. Absolutionem petens, quomodo Deum & Ministrum respiciat, 218.a.b. discretio in impertienda Absolutione privata, 218.b. Aegrotis moribundis impertienda, 219.a. Dignitate & utilitate Absolutionis invitandi sunt ad eam homines, 219.b. De Ministro Absolutionis, 220.b. tollentes eam ex Ecclesia, 220.b. Absolutionis per Confessionem petendæ tempus, 215.b. Absolutio est renunciatio remissionis peccatorum, 219.a.221.a. Fide accipienda, 221.a. utilitas eius & efficacia, 196.b.197.a. 221.a.b. 222.b. Negantes per Absolutionem remitti peccata, 221.b. negantes eam se extendere ad remissionem culpæ aut reatus pœnæ æternæ, 221.a. Pontificij absolvunt propter Contritionem & susceptam Satisfactionem, 221.b. De casibus ad solius Pontificis Absolutionem reservatis, 222.a. Vnumquemque à suo Pastore debere Absolutionem petere, 222.b. denegare efficaciam Absolutioni quæ fit a Sacerdote, non habente iurisdictionem in Absolvendum, 22.b.
Acesius Novatianus 193.b.
Acolithi 243.a.b.
Actionem ponere pro materia 201.a.
Adhærere alicui 254.b.255.a.
Adiaphora non temerè à quovis mutanda & abroganda, 33.b.37.b. quatenus sint recipienda, 48.a.
Adiaphorum facere necessarium 189.a.
Adoratio Dei & Christi in omni loco 91.b.
Non ea in quibus apparet Deus aut Christus, sunt una cum ipso adoranda, 92.a.
Adorare aliquid cultu Latriæ, 92.b. Adorantium externa reverentia & gestus, 92.a.93.b.
Quæ comprehendantur sub adoratione 93.b.
Adulteræ reconciliari maritum 265.b.266.a.
Adulterium causa divortij 264.b.
Adulteri coniugio non copulantur 267.a.
Adulterorum pœna 267.a.
Aegrotantium consolatio, an sit Sacramentum 3.a.
quæ ad eam pertineant, 10.b.
Aegrotantium pericula, 232. Remedia illis necessaria & à Christo parata, 232.a. non alia sanis, alia moriturus proposita remedia malorum, 232.a.
pro eis orandum, 233.b.
Absolutio & Communio morituris danda 233.a.
Aegrotantium remedia Spiritualia in verbo Dei fundata esse, & à filio Dei Christo, præparata, 232.a. 233.a.237.
Sola enim hæc sunt salutaria 232.a. 233.a.
Aeneas Sylvius 148.a.
Ayάπαι 188.b.
Agnus Dei 8.b.
Albertus magnus 25.b.147.a.
Alexander Alensis vel Alesius 7.b. 20.a.30.b.32.a. 60.a.70.a.147.a.
Alfonsus 24.b.26.132.b.
Allegoriæ non probant 66.b. non faciunt dogmata. 157.a.
Altarium consecrationes 8.b.
Anabaptismus 42 a.43.a.45.a.52.a.56.b.61.b.
Anathematis tantùm agunt Pontificij 1.b.3.b.7.b. 30.b. ludunt etiam Anathematis 27.b.
temerè ea in alios torquent 37.b.70.b.
Anaxagoræ chaos 83.b.
Andradius 1.b.59.a.b.75.a.84.a.88.a.116.a.138.a. 145.b.236.b.
Angelorum in visibilibus speciebus apparitiones 85.b. 86.a.
Anicetus Polycarpo, à quo dissidebat, Eucharistiam permittit 101.a.
Anniversariæ oblationes, 271.b. Laudes Sanctorum 175.b.
Antiquitatem suis figmentis obtendere 7.b.8.a. 36.b.60.a.64.b.88.a.89.a.98.a.166.a.
Antichristus destructor veri cultus 157.a.
Apocryphæ scriptæ 60.b.64.a.130.a.
Apostoli 241.b.
Applicatio vide Sacramenta.
Applicationis beneficiorum Christi certa media, 13.b. 14.a.
Apuleius 259.a.
Aqua benedicta 8.b.
Aristotelis regula 85.a.
Armenorum Christianismus 7.b.

B.

Balsami consecratio, 58.b.
defeciſſe iam balsamum, 66.b.
Balthasar Anabaptista 61.b.
Βαπτίζειν 135.a.
Baptismi Sacramentum mysterium, 2.b.5.a.b.7.a. est ingressus Ecclesiæ 30.b.50.b.
ad fidem pertinet 3.b.
Baptismi veritas & integritas in quo consistat 31.a.b.
verbum Baptismatis 53.b.
Baptismus facit contra peccatum originale, 3.b. 52.b.
Baptismo consecrari, 6.b. Benedictio salis circa Baptismum 6.b.
Baptismi elementum externum, 9.a.43.b. Institutio divina & mandatum, 9.a.
Baptismus non est Sacramentum extra usum divinitus institutum, 79.b.
Novi Testamenti Sacramentum, 9.a.
Tempus durationis eius, ibidem. Promissio gratiæ ritui addita, 9.a.44.a.47.a.49.b.50.b.
Baptismo gratiam detrahere, 58.b. præferre ei Chrisma

Universidad de Deusto
Biblioteca

Chrisma per Antithesin, 16.b.57.b.58.a.59.a. velle eum tanquam imperfectum per chrisma perficere, 58.a.b.59.a.63.b.65.a. quis eum posit aut debeat administrare,16.b.sine Baptismo morientis, 19.a. Baptismus fluminis,flaminis & sanguinis, 19.a.31.b. de Baptizatu cùm antea essent conversi & fideles, 19.b.23.a. Baptismi virtus unde dependeat, 20.a. 21.25.32.b.33. efficaciam Baptismi inter ceremonias addititias & divinam institutionem partiri 36.a.Baptismus hæreticorum, 20.a.28.a.31.b.45.b. 67.b. Baptizatis etiam non vere credentibus promittere vitam æternam, 20.a.45.b. Baptismi propria virtus & efficacia,21.a. Baptismum dari his, qui antea gratiam acceperunt & habent, 19.b. 22.a. Baptismi Cornelij & infantum discrimen, 22.b. adulti baptizati statim ad communionem fuerunt deducti, 23.101.b. Baptismi Iohannis efficacia 25. Baptismi efficacia in parvulis an sine fide fiat, 26.a. Baptismus infideli datus etiam verus est, 27.a. Baptismus non repetendus ei, qui postea primum convertitur, ibidem. Baptismi virtus & gratia quæ sit, ibidem. cur non iterabilis sit & rebaptizatio, 28.a. 28.b. 29.a.b.38.b. 43.a. 50.a. 51.a.b.67.b. 67.b. post Baptismum lapsis quæ consolatio ex ipso etiam Baptismo aut alunde superfit, 29.a.44.a. 48 a. 49.a. 50.a.b.193.a.199.b. Pœnitentia est reditus ad baptismum. 46.a. vide locum de Pœnitentia. de accipientibus Baptismum in Ecclesiæ animo simulato,30.a. de accipientibus cum in minimo, cum fide, 30.b. de accipientibus a non baptizato, ibidem. de eo, qui baptismum tradens fallaciter agit, ibidem. in baptismo regeneramur, 20.b. 21.a. 21.b. 22.b.31.a. eorum, qui baptismum administrant, aut suos ad eum adducunt, aut ipsi eum accipiunt,intentio,30.b.31. a. Athanasius per pueros baptizavit,31.a. Catechisatio in actione Baptismi, 64.b.Exorcismus, 36.b.38.a. 37.a.43.b.64.b.243. abrenunciatio,35.b.37.47.a.56.b.63.b. exufflatio, 36.a. 64.b. Paschalis cereus adhibitus,35.b. Unctio post Baptismum, 36.a. 60.b. 67.a.b. prægustatio lactis,mellis & vini,36. Baptismus Iohannis & Christi quomodo in efficacia conveniant aut differãt,37.a. 38.39.40.41.42. An Baptizati Baptismo Iohannis opus habuerint etiam baptismum Christi recipere, 40.b. 41.a. Baptismus Christi à baptismo Moysis & circumcisione differt, 40.a.b. circumcisi opus habuerunt etiam baptizari,40.b. Baptismum non liberum,sed necessarium ad salutem esse, 43.b. consecratio baptismi, 43.b. sanctificari aquam baptismi in omni vita, 44.a.46.a.47.a.48.b. 49.a.b. 50.a.b.51.a.b.199.b. Fides amplectens promissionem gratiæ in Baptismo, 44.a.47.a. opus operatum in Baptismo, 44.a. Baptismo aquare aut præferre opera & satisfactiones, 19.b.29.a.29.b.44. Pontificiorũ doctrina de Baptismo,an vera sit, 44.b. 45.a. An Baptismus in Papatu acceptus, sit verus & efficax,45.a. Baptizatos amittere gratiam & Spiritum sanctum peccando, 45.b.46.a.b.50.a.193.a. An baptizati debitores sint legis servandæ, vel liberum sit eis peccare,45.b.46.b.47.b. Baptizatorum nova obedientia ad Regulam verbi Dei, 48.a. Baptismi præcipua beneficia & fructus, 46.b. Baptizari in Mosen aut Christum 47.b. Baptizatos alligare ad vota Ecclesiæ Romanæ, 47.b. 48.b. de votis post Baptismũ factis, an ligent & quatenus,47.48.b.49.a.Baptismi votum,48.b. Baptismo omnia vota Papistica evertuntur, ibidem. an peccata post baptismum admissa sola recordatione Baptismi remittantur & venialia fiant, 49 a.b. de his, qui ante tricesimum annum nolunt baptizari,51.a.52.a. Baptismus infantum quæ habeat fundamenta,52.a.b.53.a.b. Obiectionem Anabaptisticarum refutatio, 35.b.54.a.b.61.b. Baptismus non debet esse muta actio, 53.b. est obsignatio promissionis Evangelij,53.b. succesit Circumcisioni & similem rationem habet,14.a.53.b.54.a. baptizandos interrogare an credant,55.a. an infantes baptizentur aliena fide,idq; vel parentum, vel offerentiũ vel Ecclesiæ, 55.a.b. de fide infantum baptizatorum,54.b.55.b.56. cum adolescunt de accepto Baptismo commonefaciendi,56.b. Baptismi defectum per confirmationem compensare velle, 58.a.b. 59.a. Baptizatorum periculis per confirmationem occurrere velle,59.b. Baptizato precari,ut conservetur in vitam æternam,64.a. in Baptismo dari Spiritum sanctum, 64 a. 68.b. de effectu Baptismi patrum sententiæ,67.b. Baptizatus in necessitate a Laico ad Episcopum ductus fuit,ut Baptismus tanquam legitimus confirmaretur,68.a. decumbentes in lecto baptizati,ibidem. locus Baptismi,105.b. examen eorũ qui per Presbyteros & Diaconos baptizati essent, per Episcopum, 68.a. Baptizatorum,cùm ad annos discretionis pervenerint, institutio in Catechismo, & confirmatio in Ecclesiis Evangelicis, 69.a. Christum in Baptismo adesse aut excludi ab eo, 79.a.80.a. Trinitatem adesse in Baptismo, 79. b. Baptismus non est Baptismus,extra proprium suum usum, 78.b. Actio Baptismi propria nec omitti potest, nec mutari,ut Sacramentum sibi constet,79.b.a. Differentia Papistica inter Baptismũ & Cœnam Domini, 80.b. Analogia signi & rei in Baptismo, 87.b. Baptismo reverenter astandum,92.a. Adultos Baptizandos exutos fuisse, 191.b. Baptismus in nomine Christi administratus,34.a.b. Baptismus requirere totius hominis immersionem, 135.a. De trina immersione, 135.a. Christus ipse baptizat per ministerium, 196.a. Baptismi & Pœnitentiæ discrimen Papisticum.199.a.b. post Baptismũ peccatis involvi quam sit grave, 204.b. 207.a. 223.b. posse eum in necessitate à laico administrari, 220.b. Administrationem eius à Sacerdotio removere, 240.b.
Barbam calici immergere,125.b. mento, 162.a.240.a.
Beatus Rhenanus 111.b.
Benedictiones variæ 8.b.
Bessarion 74.b.177.b.191.a.
Bibliorum vetus translatio 129.b.
Billet 191.a.b.
Bonaventura 20.a.60.a.86.a.147.b.199.a.217.b. 72.b.
Bonorum operum studium invenatis, 47.a.b. Regula eorum est verbum Dei 47.b.
Brachio seculari pugnare & falsam doctrinam confirmare 127.a.
Bulla Papalis 95.

C.

Caroferarij 243.a.
Cameracensis 84.
Campanarum benedictiones 9.a.
Canon Missæ, vide Missa. Canones Conciliorum nudi aut rationibus defensi,1.a. Canonistarum voces de Papa 1.a.b.142.

Canonici 243.b
Canteres 243.a.b
Cæsander 82.a.99.a.101.b.119.b.120.b.146.b. 159.b.
Casus reservati 221.b.232.a.b
Catechizatio in Baptismo, 65.a. baptizatorum institutio & examen in Catechismo 69.a
Catholicum quid sit 98.b.258.a
Ceremoniarum res omnino retinendæ, 2.b. ea quæ mandatum Dei & promissionem habent accurate sunt ab aliis discernendæ, 2.b.16.b. itemq; ea quæ promissionem gratiæ habent ab aliis non habentibus eam discernendæ, 2.b. 16.b. promissio ritibus vestita à nudo verbo est distinguenda,2.b. Rituum qui Sacramenta esse debent proprietates, vide Sacramenta. Ritus Ecclesiæ Romanæ nec semper à tempore Apostolorum, nec ubique in omnibus Ecclesiis receptos & usitatos fuisse,33.b. Libertas Christiana in ritibus,34.a. 36.b. 37.a. Papa sibi arrogat potestatem abrogandi ritus Apostolicos & instituendi novos,quorum observatio sit necessaria ad cultum, violatio vero conscientiam coram Deo ream faciat, 33.b.34.b. Reformatio rituum,34.a. 35.b.36.b. ritibus dignitatem Sacramentorum commendare, 35.a.b. ceremoniæ aliæ verbis & oratione, aliæ gestibus perficiuntur,34.a.b. Ritus ab hominibus institutos verbo Dei ordinatis æquare aut præferre, 34. b.39.a. Multitudo & splendor eorum,36.a. Ritus pro communefactione habere,35.b.36.a. efficacium singularem eis tribuere, 36.a.37.a. ceremonias ad veritatẽ Sacramenti necessarias facere, 36.a. 37.a. ceremoniarum mutatio aut abrogatio,33.b. 56.a. cerimoniarum & rituum,an potestatem habeat Ecclesia, 133.b. ceremoniæ Missæ, vide Missa. diversitatem rituum suo modo his qui assueti sunt administrare, 190. b. quales ritus instituendi per ministerium, 240.a.
Cereus Paschalis, 35.b. 36.b. Consecratio cerei, 36.a.
Character indelebilis Pontificiorum quid sit, quomodo imprimatur, & in quo subiecto sit. 28.a.b. non est in Scriptura fundatus, & nec rationem probabilem, neque Patrum testimonia habet, 28.a.b. opus operatum & efficacium ministerij in eo ponere,29.b. character Baptismi, 56.a. in charactere ponere potestatem remittendi peccata, 197.a. 221.b.
Charitatem alit Eucharistia. 3.b
χειροτονεῖν 251.a.
Chrisma 6.a.9.b. 10.b. 16.b. Vide etiam confirmatio.
Christi meritum & veteribus & nobis applicatũ. 12. b. Beneficia Christi,quibus mediis applicentur hominibus, 13. 17.b. idem Christus & eadem gratia eius veteribus & nobis, 14.b. 15.a.b. aliter tamen nobis quam in veteribus adest, 15.b. Meritum Christi est acquisitio salutis nostræ,17.a.b. ad Christum perducimur per verbum & Sacramenta. 21.b. Baptismus Christi & Iohannis, quomodo differant, 37.b.38.39.40.41. Christum exhibitum non recipientes Christo carent, 41.a. Christus ipse baptizatus,39.b.41.a. Beneficia Christi nobis in usu cœnæ applicari & obsignari, 76.b. naturarum in Christo unio. 85.a. Christus secundum utramq; naturam adorandus.91.b.92.a.b. Non omnia facta Christi nobis sunt imitanda, 132.b. Christi sacerdotium æternum,158.a.b. Christum immolari nobis, 155.a. 170.a.b. Christum crucifixum colere, 184.b.
Circumcisio Turcarum, 10.b. circumcisione infantes liberatos fuisse a peccato originali, 12.a.14. 19.b. circumcisio omissa,19.a. quid profuerit Abrahæ iustificato,22.b. discrimen circumcisionis Abrahæ & Isaaci,22.b. differũt circumcisio & Baptismus,40.a. circumcisio a Pharisæis administrata an vera, 54.a. non fuit post lapsum repetita,51.b. infantes cum doceri non possent tamen circumcisos. 54.a.
Claves toti Ecclesiæ esse datas. 29.a.220.b. usus earum in pœnitentibus,50.a.b. in impœnitentibus, 57.a. utraque clave simul ut untur Pontificij 230.b.
Clemens 56.a.58.a.94.b.
Clerici 242.b.
Cluniacenses 146.a.
Cœmiteriorum consecrationes 5.b

Cœna Domini est Sacramentum,mysterium, 2.b.4.b. 5.a.7.a. facere eam ad resumendum vires, 3.b. ad charitatem pertinet,3.b facere contra malitiam, 4.a. Panis & vini in cœna sanctificatio vel consecratio, 63.a.65 b 72.a.b 37.a.b.74.a.b.76. 80.b. 119.a. 126.b. Locus consecrationis, 103.b.104.b. verba institutionis recitare differt à consecratione, 78.b. tempus consecrationis,99.b.104.a. panem benedictum catechumenis dari,qui tamen non sit Eucharistia, 7.a. non est in nostro arbitrio uti ea,vel non uti, 111.a. 140.a. elementum externum, 9.a. Institutio divina & mandatum, 9.a. Usus eius, 70. 71.79.80.81.82. Mutare institutionem, 122.b.127.a. 135.b.241.b. novi Testamenti Sacramentum,9.a. tempus durationis eius, 9.a. promissio gratiæ externo ritui addita, 9.a. panis & vinum sunt organa,per quæ corpus & sanguis Christi præbentur vescentibus, 82.a. 87.b. 149.a. ex propria devotione,aut ex præcepto Ecclesiæ communicare,111.a. 139.a. 150.a. In anno semel ad Pascha communicare, 112.a. non semel tantum accipiendam ut Baptismus,sed frequenter. 111.b. Solennior communio in festis, 112.b. Quando & quoties communicandum, 111.b. adulti baptizati statim ad communionem ducti fuerunt, 23.a. 101.b. De præparatione ad cœnam dignè percipiendam, 25.b.103.a. 106 107.108.109. digne manducare quid sit,106.a.b. 110.a. quim manducent indignè, 106.b. 130.a. Tentatio de indignitate communicantium, 107.a.b. 108.a.b. quomodo alijs etiam prosit 25 b. præsumptio de dignitate sua,109.a.b. cœna Domini fidelitati non derogat tractantium eam infidelitas, 27.a. Sacramentum sine fide accipi potest, virtus autem & gratia Sacramenti non item, 27.a. sine fide communicantibus perit omni fructus cœnæ, 108.b. Mutilatio Sacramenti, communio sub una specie, 35.b. 96.a. 101.b. 142. Cœnam sine fide accipientibus salutem promittere, 20.a. 46.a. An sola fides sit necessaria ad dignam communionem, 107.a.108.a.b. Cœna insantibus non danda, 52.b. 124. 126.a. 150.b. pœnitentiam agentibus danda, 50.a. 50.a.b. Sacramentariorum de præsentia & exhibitione corporis & sanguinis Christi, in cœna, 77.b. dijudicatio corporis Christi in cœna, 71.b. Quare a verbis Christi in cœna corpus suum nobis offerentibus non sit recedendum, 71.b. De modo præsentiæ corporis Christi. 72.a.10.a. de localiinclusione illud corpus contineri, 27.a. de Physica

Universidad de Deusto
Biblioteca

Physica & Geometrica, crassa & carnali præsentia, 72.a. de descensu aut ascensu corporis Christi, 72.a. de ubiquitate, 72.a. fundamenta præsentiæ corporis Christi in cœna, 71.b. 72.a.b. 74.b. 165.a. cœnam domini sine verbis institutionis aut parte eorum administrare, 73.a.b. 74.b. orationes & gratiarum actiones in administratione cœnæ, 73.a.b. præparatio sumentium cœnam, 73.a. 75.b. Christus ipse facit corpus suum in cœna adesse, & distribuit illud, 74.a. 81.a.b. 169.a. Orationis Dominicæ usus in administratione cœnæ, 73.a. 74.b. 167.b. 177.b. 183.a. incertum facere Sacramentum, 74.b. de virtute & efficacia huius Sacramenti, 74.b. 117.a. utilitates huius considerationis, 74.b. fructus eius: remissio peccatorum, & omnis thesaurus beneficiorum CHRISTI, 75.a. 76.a.b. 91.b. 106.a. 233.a. Inhabitatio Christi & unio nobiscum in nobis, 75.b. 82.b. 187.b. 189.b. confirmatio fidei, 76.a. certitudo resurrectionis & futuræ gloriæ nostræ, 75.a.b. Immortalitas, 75.b. 233.a. Vinculum charitatis, 76.a. applicari & obsignari nobis singulis beneficia Christi, 76.a.b. 78.a. 96.b. 197.a. 117.a.b. 158.a 173.a.b. 195. habere eam pro remedio contra peccata venialia tantum, & non contra mortalia, 76.b. 77.a. est testimonium consensus in doctrina. 100.b. 112.a. confirmatio gratiæ Dei in nobis, 60.a. A crebriore usu cœnæ homines deterriti in Papatu, 77.b. 96.b. 109.a. 111.a. 112.b. 121.b. 186.b. An infidelibus & impœnitentibus etiam prosit, 21.a. 77.b. An quia fideles ante usum cœnæ remissionem peccatorum habent, idcirco in cœnæ usu eam non percipiant, 77.b. precium redemptionis nostræ nos in cœna accipere, 171.a. cœnæ Dominicæ in Missa abusus & prophanatio, vide Missa. Christum etiam extra usum manducationis in pane præsentem habere & continere velle, 79.a.b. 80.a.b. 81.a.b. 82.a.b. Eucharistiæ excellentia præ reliquis Sacramentum, 78.a. 79.a. actiones cœnæ propriæ: distributio & perceptio, neque omittendæ neque discerpendæ, neque in alias commutãdæ sunt, 79.a.b. 81.a. 82.a. 93.a. 94.a. 172.a. 183.a. 185. Differentia Papistica inter cœnam Domini & Baptismum, 80.b. panis usus in cœna, 81.a. 82.a. utrum in sola manducatione vel etiam extra eam dicendum sit esse corpus Christi, 81.a.b. usus Sacramenti totam eius actionem comprehendit, 81.a. non est alius eius usus quam institutus à Christo introducendus, 82.a. Morituris data cœna 75.b. 232.a. 233.a. Aegrotis data, 82.a. 101.b. 103.a.b. 104.a.b. 124.a. 232.a. communio domestica & privata, 103.b. 144.b. 145.a. (vide Missa privata) communicantibus in manum data, 192.a. Ad alios delata, 87.b. 103.a. 143.b. causa delationis, 103.a. asservata, 82.a. 95.a. 97. 98. 99. 100. 101. 102. causæ asservationis, 102.a. circumgestatio eius, 95. 96. 97. ostentatio, 95. 96. 97. Post actionem cœnæ nõ de unione panis & Christi, sed Christi nobiscum est cogitandum, 82.b. De raptu corporis Christi in cœlum post comestum panem, 82.b. post usum panis ei corpus Christi alligare, 82.b. 95.b. in communicantium excrementa inquirere, 82.b. 91.a. Panis manet in usu cœnæ panis & non mutatur, 86. De concomitantia hoc est, toto Christo in utraque specie, 82.b. 116.a. 170. 124.b. 134.b. 142.b. 148.b. 149.a. Transsubstantiatio vide suo loco. Adoratio in cœnæ usu, 83.a. 91.b. 92. 93. 94. Artolatria, 92.b. 93.a. veneratio Sacramenti Papistica. 92. 93. 94.b. 95.a.b. 96.a.b. Duæ res in cœna dominica, terrena & cœlestis, visibilis & invisibilis, 83.a. 84.b. 89.b. 91.a. Aquam vino admisceri, 76.a. 83.b. 110.a. 188.b. 189. de propositione hoc est corpus meum, & eius prædicatione, 85.a. Vnio panis & corporis Christi, 84.b. 85.a. Collatio eius ad unionem naturarum in Christo, 89.a.b. per pronomen hoc denotari panem & vinum, 86.a.b. panis panem in tota actione cœnæ significat, 86.b. 87.a. quare id studiosè tenendum, 87.a.b. Tropis non ludendum in cœna, 87. Tam certò nos corpus Christi accipere quam certò accipiamus panem, 87.b. Analogia panis & Christi, 67.b. 88.a. Rem Sacramenti esse corpus Christi, 89.b. species elementorum, 89.b. quibus danda sit cœna, 139.b. Cœnam Domini esse rem cœlestem & ad regnum cœlorum pertinere, 90.b. Sursum corda, 90.b. commemoratio Christi in cœna, ἀνάμνησις, 76.a. 92.a. 93.b. 96.a 106.b. 159.b. 168.b. 170.a.b. 174.b. 190.a. 191.b. Abusus Eucharistiæ in pompa Pontificis Romani, 95.b. 101.b. Cœnæ Dominicæ usu omisso in alium usum illam convertere, 96.a. Quotidie administrata cœna, 184.b. 185.a. 186.a. Circa vesperam communio habita. 101.a. 102.a. 134.a. quibus diebus, 103.a. 111.a. Locus communionis, 111.b. communicare seipsum, 102.a.b. 110.b. 188.b. Novatiani lapsos non admiserunt ad communionem, 103.a. communicatio eorum in extremis, qui pœnitentiæ tempus nondum explevissent, 103.a. cum hæretico non communicandum, 103.a. 112.a. panis divisio in tres partes, 103.b. 198.b. Cum pane Eucharistiæ sepeliri, 103.b. Eucharistiam defunctis dare, 103.b. opus operatum Eucharistiæ, 107.a. Exploratio eorum qui sunt communicaturi, 107.a. 109.b. non nos Christus nobis confert bona in cœna, 108.b. Catechumeni & pœnitentes è templo dimissi ad tempus communionis, 109.a. Eucharistiam voto edere, 110.b. Corpus & sanguis Christi quot modis edatur bibaturq;, 110.a. 187.b. Ratio administrandæ cœnæ ex institutione eius sumenda, 114.b. 146.a. utrum ieiunis danda sit, an post cibum, 123.a. 123.b. de necessitate eius ad salutem, 162.a. 137.a. An Christus ipse Eucharistiam sumpserit, 139.a. communicationis sub utraque specie desiderium & flagitiones, 113.b. 116.a. argumenta è Scriptura pro communione sub utraque specie, 114.a. 141.b. consolatio ex usu calicis. 117.a. 119.b. Testimonia & exempla primitivæ Ecclesiæ, & rationes ex quibus ea ita egit, 118.a. 120.b. Intinctam hostiam pro utraq; specie dare, 119.a. 143.b. 146.a. 182.b. Cur Pontificij cum profiteantur se non inuidere Laicis sanguinem Christi, calicis tamen usum eis denegent, 121.a.b. propter quas causas communio calicis adempta sit Laicis à Papa & Concilijs. 122.a. argumenta tempore Concilij Constantiensis agitata pro communione sub utraque specie, 122.b. ob vitanda pericula calicem Laicis subtrahi, 124.a. 125.a. 146.a.b. quomodo Gerson defenderit communionem alterius speciei tantum, in Constantiensi Concilio confirmatam, 125. 126. 127. Sacerdotem qui sit os populi, nomine Ecclesiæ percipere calicem Domini, 128.b. nostri temporis Pontificiorum argumenta pro una specie, non sunt fundamenta, sed conquisiti fuci ad pingendum decreta ex alijs fundamentis extructa, 128.b. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 166. argumenta Tridentinæ Synodi de communione sub una specie, 135.a. unius etiam speciei communionem volunt non in-

non institutioni Christi, sed liberalitati pontificis tribui, 139.a. Sextum caput Iohannis non agere de cœna, 141.a. quatenus ad negotium cœnæ rectè referatur, 141.b. Testimonia antiquitatis pro communione sub una specie, 143.a. 144. 145. communicatio Laica quæ olim fuerit, 143.a. Eucharistia non alteram speciem tantum, sed utramque significat, 143.b. historia tentatæ & iam invectæ rursus abrogatæ mutilationis cœnæ, 145.a. consultatio de usu calicis permittendo, 150. conditiones quibus Concilium Laicis usum calicis esse permittendum, 150.a.b. Eleemosyna & alia munera contributa ad usum Eucharistiæ, 168.a. 180.b. 182.a. preces solenniores habitæ ad Eucharistiam, 168.b. Eucharistia dicta quia ad usum cœnæ fiebat sacrificiũ laudis, 167.b. 202.b. quare dicatur oblatio, immolatio, sacrificium, 168. 169. 170. Cœnam Domini Sacramentum potius quam sacrificium esse dicendam, 171.b. memoriæ sanctorum Martyrum ad usum cœnæ, 175.a. 181.a. 182.b. Ratio administratæ cœnæ tempore patrum, 178.a.b. Sacræ preces & gratiarum actiones ad celebrationem cœnæ habitæ, 178.b. 179.a. 181.a. diversitas formularum in orando, 179.a. Ceremoniæ in actione cœnæ: vide Missa. De his qui ante actionem cœnæ absolutam templo exeunt, 186.a. An Cœna Domini non nisi præsente tota Ecclesia debeat administrari, 187.b. an universæ Ecclesiæ simul sit semper communicandum, 187.a. spirituali manducatione sola non satis sit institutioni Christi, 187.a. loco sacramentalis sumptionis ponere Missæ spectaculum, 187.b. convivia sobria olim post communionem habita, ἀγάπαι dicebatur, 118.b. communicat non præmissa confessione ad propriæ cõscientiæ iudicium. 213.b. 214.a.b. homines non cogendi sunt ad cœnam Domini, sed dignitate & utilitate eius explicata ad eam invitandi, 219.b. administrationem eius à Sacerdotio alienam putare, 240.b.

Cœnobiorum Missæ privatæ, 185.a.

Collationes scripturæ 264.b.

Colonienses, 71.a. 72.b. 76.b. 77.a. 112.c. 129.a. 131.a. 134. 197.b.

Comparationem fieri oportet inter res eiusdem generis. 78.b.

Compendium Theologiæ. 3.b. 194.a.b.

Concilia & Synodi. Concilium Agathense. 104.b. 111.b. Ancyranum, 225.b. Antiochenũ. 112.a. 186.a. Aphricanum, 179.b. 246.b. Aurasicanum, 233.a. Arelatense, 68.a. 69.b. Aurelianense, 69.b. 104.b. Basiliense, 129.a. Bracarense, 146.a. Carthaginense, 100.a. 233. 250.a. 269.b. Chalcedonense, 1.a. Colonienſe, 58.a. 148.a. Constantiense, 119.a. 122.b. 258.a. Constantinopolitanum, 1.a. Elibertanum, 68.a. Ephesinum, 1.a. 143.b. Florentinũ, 7.b. 12.b. 66.b. 90.b. 234.a. 238.b. Laodicenum, 58.a. 68.b. 69.b. Lateranense, 83.b. 84. 94.a. 106.a. 112.b. 219.b. 260.b. Matisconense, 99.a. Meldense, 7.b. 60.a. Melevitanum, 179.b. 267.a. 268.a. Nannetense, 286.b. Neocæsariense, 144.a. 268.b. Nicænum, 1.a. 100.a. 144.a. 225.b. 233.a. Parisiense, 260.b. Quarmaciense, 260.b. Toletanum, 70.a. 102.a. 260.b. 270.a. Turiense, 267.a. Turonense, 146.b. 260.b. Vienense, 56.a. 94.b. Conciliorum canones aut nudi, aut rationibus defensi, 1.a. Concilij Tridentini historia, 70.b. Tomi conciliorum, 100.a. Concilio potestatem facere decernendi non redditis rationibus decretorum, 136.a. Concilij Constantien-

sis Procuratores 148.a.

Conciliationes in solis vocabulis 2.b.

Concordia formula 55.b.

Concupiscentiam multiplicem non habere pro peccato, 219.a.

Confessionem peccati à Christo approbatam, Pontificij non recipiunt, 194.b. Confessio per enumerationem peccatorum, 197.b 198. 199.a. 203.a. 213.b. An sit iuris divini, 199.a. 208.b. 212.a. 213.b. 214.a. 217.a.b. Qualem eam requirant. 203.a. 216.a.b. An sit necessaria ad salutem, quia peccata alias remittantur, 208.b. 214.a.b. 215.a.b. 216.a.b. 217.a. 218.a.b. 219.a.b. an habeat testimonia Patrum & antiquitatis, 224.a. 216.a. 217.a. 219.b. Confessio alia laudis alia fraudis, 208.b. Confessio quæ sit soli Deo, 208.b. cum spe & fiducia veniæ est coniuncta, 208.b. necessitas & utilitas eius, 208.b. 209.a. 214.a. Confessio fraterna, quæ sit proximo, 210.b. Confessio peccatorum generalis coram Deo simul & Ecclesiæ ministro, 210.a. in ea exigi singulorum peccatorum enumerationem, 210.a.b. 211.a. Confessio publicè ob admissa crimina pœnitentiam agentiũ. 211.a. in ea publicè recitata fuerunt crimina & imposita satisfactio pro Ecclesiæ iudicio, 211.a. spontanea hæc confessio fuit aut extorta, 211.a. Causa adhibitæ huius disciplinæ, 211.a. Quomodo remiserit, 212.c. Confessio cogitationum de criminibus perpetrandis, 212.a. 213.a. Obtrectatio eius, 212.a. Confessio spontanea criminum secretorum, 212.a. Peccatorum in Confessione indicatorum, publicatio, 213.a. Confessionis secretæ Origo & processus 212.a.4.b. 214.b. 219.b. Publica pœnitentiam Confessio mutata in secretam 212.b. 213.a. 219.b. A Nectario quare abrogata, 213.b. Quid secutum sit abrogationem eius, 214.a. privatæ confessionis retentæ causæ 215.a. 216.a.

Confessionem communioni præmittere aut eandem omittere, 213.b. 214.a.b. Confitentibus medicinum adhiberi per ministros verbi, 215.a. Substantialia confessionis, 216.b. libertas Christiana in usu confessionis, 216.b. confessionis secretæ, arcanæ & auricularis apud Pontificios descriptio, 216.b. conscientiarum carnificina ex confessione auriculari Pontificiorum, 216.b. propter quas causas sit improbanda, 219.b. 217.a. Institutio eius ad quem referenda, 217.a. Actus iudicialis in confessione Papistica. 218.a. Peccata mortalia tantũ esse cõsicienda, 219.a. tempus petendæ per confessionem absolutionis, 219.b.

Confirmationem negare esse Sacramentum, 2.b. pertinere eam ad pugnam, 3.a. spei est, 3.b. facit contra impotentiam, 3.b. à quo instituta, 7.b. 8.a. An verè sit Sacramentum, 10.a. quis eam possit administrare, 16.b. Materia seu elementum confirmationis oleum, 57.b. 60.a. 61.b. 67.a.b. quale oleũ sit chrysma, 57.b. forma & ritus confirmationis, 57.b. 60.a. 62.a. 66.b. de efficacia & virtute eius, 24.a. 57.a. 58.b. 62.b. 63.b. tantum Episcopi eam administrant, 57.b. 70.a. Sine confirmatione morientes 58.b.

Consecratio Balsami in usum confirmationis, 59.a. 62.a. 63.b.

Confirmatio Spiritus sancti nobis necessaria, 59.b. per quæ media fiat, 59.b. 60.a. 63.a. de institutione chrismatis in confirmatione, 60.a. 61.a.b. de impositione manuum in confirmatione 61.b.

Chrismatio impositioni manuum surrogata, 61.b. manu percutere confirmandũ, 57.b. 58.a. 62.a. 63.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De promissione gratiæ confirmationis addita, 62.a.b. quomodo pugnet contra verbum Dei, 63.a. derogat dignitati Baptismi & huic anteponitur, 16.b.37.b. 58.a.b.59.a.b.63.b.65.a.b. Nihil à Tridentinis in confirmatione corrigi aut mitigari, 63.b. Quomodo Patres de ea loquuti, 64.b.65.a.b. 66.a.b. Unctio olim non nisi ceremonia quædam Baptismo addita, 67.a. De tempore inter Baptismum & Confirmationem interponendo, 67.a. Alius omnino usus fuit olei chrismatis & unctionis apud veteres quàm hodie apud Pontificios, 67.a. quomodo cœperit Baptismus, Manuum impositio, olim coniuncta, divelli 67.a.

Confirmatio vera & usus eius legitimus apud Evangelicos, 69.a. Pontificij nolunt usum rationis expectare, & Catechismum adhiberi in confirmandis baptizatis, 69.b. Confirmationem ex opere operato propter Chrismatis virtutem, conferre gratiam maiorem quam quæ sit Baptismi, 70.a esse ceremoniam non tantum ociosam, sed superstitionibus etiam scatentem 69.b.70.a.

Chrisma irreverenter attrectare & profanare quantũ peccatum habeatur 70.a.

Coniugij institutio per se aut ut Sacramenti, 9.a.10.a. 254. an sit Sacramentum, 3.a.5.a.b.6.b.10.254.a. 256.a.258.a. quare contendant pontificij esse sacramentum, 258.a. habeant illud pro vita carnali, 3.b. 254.a.

Coniugium est coniunctio individua, 254.b.25.a. est genus vitæ sanctum & Deo placens, 255.a. est imago Christi & Ecclesiæ 256.a.

Causa coniugij efficiens adhuc Deus est, 254.b. materia eius, 8.b.10.a.258.a. forma, 27.a. Quare Deus hanc societatem instituerit, 255.a. facit contra concupiscentiam, 3.b. est temperantia, 3.b. per hanc novi milites in Ecclesiam introducuntur, 3.b. Coniugij dignitas, 354.a.256.a. promissio, 10.a.257.a. Benedictio, 255.b. tria bona, 258.a. Coniugium etiam inter gentes habetur, 254.a. non convenit ei cum ordine, 6.b.258.a. præ eo permittitur Sacerdotibus scortatio, 17.a.258.b. Veterũ Polygamia, 258.b. de gradibus prohibitis, 259.a 260.a.b. Impedimenta matrimonia dirimentia, 261 a.b. cognatio spiritualis, 261.b. votum castitatis, 261.b. diversitas religionis, 161.b. aliud esse impedimenta coniugij, & aliud divortium, 262.a. de divortio, 262.263.264.265. de casu desertionis, 263.a. Innocenti parti post divortium denegari coniugium, 263.b. repudiatam potuisse alteri nubere, 264. de reconciliatione cũ adultera, 264. presbyterũ secundu nuptijs non debere interesse, 266.b. nuptiæ olim non habebantur in festis primarijs, 268.a. Causas matrimoniales non prorsus à ministerio ad solum magistratum esse revocandas, 268.a. de clandestinis matrimonijs 268.b.

Conscientiarum imperium Papæ & traditionibus non concedendum, 48.a. varietas votorum Baptismo detrahentium 48.b.

Consecratio Sacramentorum, 20.a.43.b.73.74.75.

Consobrinarum nuptiæ, 260.b.

Consolationes veras intervertunt, & falsas eis surrogant Pontificij, 32.a.b.77.

Consuetudo sine verbo, 97.b.102.a.b.122.b.127.b. consuetudinem consuetudini cedere, 123.a.124.b. 127.a.
Consuetudini simplici non standum, 62.a.

Contarenus 87.b.

Contrarij sensus argumenta 264.b.

Contritionis dignitas, 46.a.49.195.a. Contritionem interiorem à Christo approbatam, non recipiunt Pontificij, 195.b. eandem contritionem esse ante & post Baptismũ, 198.a. Quid sit Contritio 198.a. 202.b.203.a.204.b. necessaria est in pœnitentibus, 204.a.205.a. Contritio sine fide, 203.b.244.b. est opus Spiritus sancti per ministerium, 204.b. 206.b. An pendeat à Contritione Remissio peccatorum, 204.b. 205.b. Scholastici eam voluntariam pœnam faciunt, 205.a.b. negare esse terrores voce Legis incussos, 205.b. Contritio cum voto Confessionis & Satisfactionis, 205.b. De Attritione & Contritione, 206.a.b.221.b. Contritio charitate perfecta, 206.a. perfectæ Contritionis persuasio facit aut Hypocritas aut desperabundos, 206.b. Ad contritionem pertinet confessio, 208.b. exploratio contritionis per Sacerdotem, 216.a. per contritionem an deleantur & remittantur peccata, 221.b.

Controversiæ status certus ponendus, 11.b.152.a. necessaria à non necessarijs distinguenda in controversijs, 37.b.

Conversio non fit sine verbo 239.b.

Corporis Christi festum 94.b.95.96.

Crucius Polonus 155.a.177.b.

Crucis signum 6.b.10.b.

Crux quare immittatur reconciliatis 226.b.

Cultus latriæ, 62.b. Simulatio in cultu externo, 93.a. cultus ab hominibus institutos Deo non probari, 93.a. esse etiam idolatriam 172.a.

Cusanus 64.a.110.b.126.b.

D.

Decalogus est cautio debiti nostri 208.b.

Decretales Pontificum Romanorum 64.a.

Definitionis locus 8.a.

Dei omnipotentia non simpliciter concludit aliquid ita esse ut dicitur, 84.a. Voluntas Dei ex verbo eius discenda, 84.b. Dei in visibilibus speciebus apparitiones, 85.b.91.b. Dei non absentia, sed apud nos præsentia, 92.a. Dei erga nos bonitatis argumẽta, 204.b. Deum super omnia diligi à nobis posse, 206.a.

Diaboli potestate alios velle liberare per ceremonias, 36.a.

Diaconi 241.b.243.a.b.

Διακονία 227.b.

Disciplina Ecclesiastica forma & causa 211.a.

Dionysius Alexandrinus 101.a.

Disparatorum unio 85.a.b.

Dispensare in rebus sacris 142.a.

Disputationum certus status ponendus, 12.a.

De necessarijs & non necessarijs non similiter disputandum 37.b.

Doctores Ecclesiæ 241.b.

Doctrinæ fundamenta ostendenda 1.a.b.

Dogmatum fundamenta ostendenda. 1.a.

Dogmata stabilire ex Canonibus synodorum præter illarum mentem, 1.a probare ex solis Anathematu, 3.b. Ex Allegorijs non facienda dogmata, 129.a. neque ex figuris 161.a.162.b.

Dona Spiritus sancti in ministerio, 9.b. Visibilis donorum effusio, 10.a. 61.a. augmentum donorum, 10.a. per quæ media angeantur & confirmentur, 10.a.63.a.

Dona alia corporalia, alia spiritualia, alia æterna, 155.a. Apostolorum peculiaria dona, quæ nunc desierunt, 235.a.

Dubitationem fidei, quomodo confirment Pontificij, 32. 77.a 122.a.201.b.206.b.

Durandus, 3.b.20.a.58.b.62.a.65.a.82.a.84.a.147.a.b. 149.a.153.b.186.b.188.a.279.a.

E.

Eccius, 69.b.128.b.143.a.153.b.155.b.156.a.b.177.b.

Ecclesiam septem genera hominum habere, 3.b. non posse eam errare, 28.b. Determinationem Ecclesiæ aquiparare scripturæ, 28.b.

Ecclesia Catholica est Apostolica, 34.a.98.b. Romana Ecclesia omnium reliquarũ vult esse mater & magistra, 44.b.191.a. Sumit sibi potestatem statuendi & mutandi quicquid sibi visum est in Sacramentis, 112.a.133.a.136.a. 144.b. Ecclesiæ Romanæ simpliciter credendum, 132.a.

Ecclesiam habere potestatem rituum, 133.b. Ecclesiarum diversæ formulæ precum & diversæ ceremoniæ, 179.a.b.

Ἐγείρειν 235.b.

Eleemosynarum nimia commendatio 228.a.

Episcopi nomen & officium, 242.b.243.a.b.248.a.b. 249.b.251.b.252.a.

Episcopi hodie officium suum negligunt, 70.a. an sit discrimen inter Episcopum & Presbyterum, 70.a.

Episcopi iure Canonico anathematizantur cùm Chrisma non ipsi administrant 70.a.

Ennius 239.a.

Ensis benedictus 8.b.

Enthusiastæ 239.b.

Erasmus 56.b.

Error ex simplicitate aut malitia 98.a.

Evangelij usus & vis ad efficiendã pœnitentiam, 194.b. 202. applicandum ad singulos, 196.b. idem Evangelium omnium 198.a.

Evangelium secundum Hebræos 130.a.

Evangelistæ 241.b.

Eugenius 96.b.

Evodius 39.b.

Euthymius 39.b.

Exempla extraordinaria non dant aut evertunt regulam generalem, 22.b.144.b. quæ Sanctorum exempla imitanda, 61.b. non tam exempla veterum, quàm rationes facti eorum attendi debent 118.a.119.b. non præiudicant institutioni divinæ 259.a.

Ἐξισάμενον 89.a.

Ἐξομολόγησις 211.a.

Exorcismus 35.b.36.b.44.a.65.a.243.b.

Exorcistæ 242.b.

Exuperius 94.b.

F.

Faber Episcopus Viennensis 79.a.

Fabianus 60.b.

Facere pro sacrificare 161.a.

Felix 239.a.

Festum corporis Christi 94.b.95.96.

Festorum institutio & usus 95.b.

Fidei fundamentum est Scriptura 1.a.

Fidei nostræ parati simus reddere rationem 1.a.b.

Fidei articulos facere sine Scripturæ solis anathematismis 3.b.

Fidem alit Baptismus 3.b.

Fide augeri dona, 10.a. eadem fides Patrum & nostra, 14.a.15.a.b. fides est organum apprehendendi beneficia Christi, 17.a.b. 108.b. Fidei iustificationem Sacramentis opponere 17.a. Specialis fides 18.b.78.a. Obiectum eius est verbum promissionis, 18.b.23.a. Obiectum eius in Sacramentis 22.b. Cur iustificet fides 22.b.

Fidei opponere opus operatum 25.b.

Fidem solam ad consequendam gratiam sufficere, 22.a. 26.b.

Fides de gratia dubitans, 26.b. Determinationem Ecclesiæ non minus quàm Scripturam pro fundamento fidei ponere 28.b.

Fidem esse generalium pronunciatorum, 32.b. Certitudini fidei semper subesse falsum 32.a.

Fides iustificans una est ante & post Christum exhibitum 39.a.

Fide accipitur & retinetur gratia, peccatis contra conscientiam amittitur, 45.b.50.b.193.a. non consistit in sola noticia historiæ aut Articulorum fidei professione, 45.b.46.b. Una fides ante & post Baptismum, 50.a.

Fides infantium, vide infantes. Quomodo fides in adultis accendatur & retineatur, 54.b. aliena fides quid possit, 55.a. De coactione ad fidem, 57.a. Articulus fidei esse nequit, quod non ex certis & manifestis Scripturæ fundamentis demonstrari potest, 86.a.b.161.a. Sine fide communicare, 106.b. Confirmatio eius per privatam absolutionem, 197.a.222.a. Pars est pœnitentiæ, 202.b. Quomodo eam faciant fundamentum pœnitentiæ 202.b.

Fides non tantum ad hanc vitam, sed etiam usq; ad mortem, resurrectionem & vitam venturi seculi se extendit 232.a.

Figuras in ritibus Ecclesiæ proponere 35.b.66.b.

Fœdus Dei perpetuum est 51.a.b.

Fortitudinem ali unctione 3.b.

Forum politia aut conscientiæ 262.b.

Fossores 242.b.

Fractio panis 131.a.

Fridericus Nausea 62.a.

G.

Gabriel Biel, 9.b.12.a.25.a.26.a.b.28.a.60.b.62.a. 82.a.99.b.126.b.155.b.201.b.205.a.222.b.229.a.

Gelasius 69.b.87.a.89.b.92.b.119.b.145.b.

Gerson 58.b. 62.a.65.a.125.a.126.a.b.143.b.

Gimodius 178.a.

Gratiam Patribus datam negare, 12.a. Quomodo confecrant eam Sacramenta, 17.a.21.b. Semper datur & accipitur, neque semel absoluta ulli confertur, 22.b. 27.a. quomodo conferatur & applicetur nobis, 23.a.32.b. quomodo accipiatur & retineatur aut amittatur, 45.b. alligare eam ritibus humanis 206.a.b.

Gratianus 94.b.143.a.198.b.217.a.219.b.

Gregorius 5.b.8.a.70.a.73.a.74.b.

Gropperus, 24.b.26.a.58.a.59.b.154.a.b.201.b.213.b. 257.a.268.b.

H.

Hæresis non est in verbis, sed in sensu 45.b.

Hamelmannus 144.a.

Haymo 149.a.

Herbarum benedictiones 8.b.

Honoratus 192.a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Honorius 94.a.
Horstius 116.a.144.a.
Hugo 3.a.b.8.a.12.a.20.a.58.b.120.a.149.a.
Humbertus 99.a.186.b.

I.

Iacobellus Misnensis 148.a.
Iacobus Zieglerus 127.b.
Ianitores 243.a.b.
Ἰάσθαι 235.b.
ἱερουργία 169.b.
Imaginum benedictiones 8.b.
Indulgentiis mederi velle peccatis 44.a.49.a.
Indulgentia festi corporis Christi 96.b.
Infantes esse peccatores, 52.b. *esse offerendos ad Christum, ut meritum eius & gratia ipsis applicetur*, 52.a. *an infantes credere possint, & quæ sit eorũ fides*, 54.b. *Baptizandos eos interrogare an credant*, 55.a. *Spiritum sanctum in illo habitare & operari*, 55.b. 56.a. *Cùm adolescunt de Baptismo suo sunt commonefaciendi*, 56.b. *quomodo illis benedicendum*, 61.b.
Innocentius, 28.b.31.b.56.a.65.b.83.a.146.b.153.b. 155.a.178.a.219.b.
In tentio conficientium Sacramenta, 30.31.32.33.79.b.
Ioannis Baptistæ doctrina quæ fuerit, 38.b. *qualem Baptismum administraverit* 39.a. *efficacia ministerij eius* 42.a.b.
Ioannes Billet 191.a.162.a.
Iram Dei non curare aut sentire 204.a.b. *Dei adversus peccata gravis ira* 224.a. *opponenda est ei satisfactio Christi* 224.b.
Isidorus 33.a.
Iudæorum Thalmud 3.b.
Iulius 119.a.123.a.126.a.
Ivo 14.b.
Iupiter Elicius 74.a.
Iuramentis ludere 27.b.
Iurisdictio Sacerdotum & Pontificum 222.b.
Ius fori & poli 262.b.
Iustificationis ratio per totam vitam 49. *alienis fide nemo iustificatur* 55.a.
Iustificatos amittere posse fidem gratiam & S. S. 193.a. *Duplicem facere iustificationem, aliam fidei, aliam operum* 200.a.
Iustitiæ fidei quomodo incipiat, augeatur & reparetur, 3.b.16.b. *obsignatio & confirmatio eius*, 11.b. *eadem patrum quæ nostra*, 13.b. *iustitiã alit pœnitentia* 3.b.

K.

κατακρίνεσθαι 227.b.
κεῖται ὁ κεῖται 86.b.
κρίνειν & κρίνεσθαι 227.b.

L.

Lanfrancus 87.a.88.b.
Lapsi post Baptismum, vide Baptismus.
Lapsi quomodo sint reducendi 50.b.
Latomus 133.a.
Lectores 242.a.
Legis usus ad accendendam pœnitentiam, 194.b.202.a. 204.a.208.b. *applicanda ad singulos*, 199.b.204.b. *eadem lex omnium hominum* 198.a.
Legis Mosaicæ abrogatio 259.a.
Liberi arbitrij vires 206.a.b.
Libertas Christiana in ritibus, 33.a.34.b.36.b.37.a. 180.a. 198.a. *a mandatis creaturarum* 48.a.b.
Libertatem sibi sumere in ritibus divinitus institutis, 37.b. 98.b.
De gradibus prohibitis 259.b.260.b.
Lindanus 6.a.9.b.73.a.b.143.a.145.b.155.b.213.b.
Lingua populari in Ecclesia utendum, 190.a. *Donum lingvarum ad quid datum*, 190.a. *Donum lingvarum ostentare*, 100.a. *Usus peregrinæ lingvæ in sacris a quibus introductus, & à quibus impugnatus*, 190.a.b. *Diversitatem rituum & lingvarum retinere & per idoneos homines fovere*, 190.b. *Lingvis per vices loquendum, ut dicta interpres explicat* 190.a.
λειτουργία 2.b.11.a.
Lombardus sive Longobardus, 3.a.b.a.12.a.19.a.28.31.b. 36.a.40.b.83.a.88.a.120.a.149.170.b.219.b.
Lunam cœlo deducere 74.a.

M.

Mandatum Dei in ritibus Ecclesiæ spectandum, 2.b. *mandata Dei præcepta humana æquare*, 47.b.
Manichæi de cœna Domini 145.b.
Manuum impositio, 9.a.10.a.b.58.a.61.a.b.62.b.97.a. 68.a.b.76.a.200.b.234.b.245.b.246.a.247.a.
Marcion de iterando Baptismo 51.b.
Marsilius 25.b.
Martinus 94.b.96.b.
Martyrium Baptismo æquare 19.b.
Martyrum memoria in usu cœnæ, 174.b.176.a.177.a. 181.a.182.b. *in orationibus Ecclesiæ* 175.a. *an idola in martyres mutata quo ad cultum*, 176.a. *miracula ad memorias martyrum facta* 176.a.
Media quibus applicantur nobis beneficia Christi, 13.b. 17.a.21.a.b.23.a.59.b.117.b.148.b.172.b.193.b.
Mediatores Christo adiungere Sanctos 174.a.b.
Mensingerus 25.b.
Merita Sanctorum dicuntur opera eorum 126.b.
Meritum condigni & congrui 23.a. *Ministerium negare esse Sacramentum*, 3.a. *vide ordo seu ordinem. Mandatum vocandi ministros*, 9.b. *promissionem habet donorum*, 9.a. *Dignitas eius extollenda*, 9.a. *ministerium infidelium efficax*, 9.a. *Efficacia & virtus ministerij unde sit*, 21.a.b.22.a.b. *non suscipiendum sine vocatione*, 29.b. *Opus operatum ministerij*, 30.a *ministerium esse penes Ecclesiã, & eos quos Ecclesia vocat*, 39.b. *efficaciam eius in charactere suo posuerunt sacrificuli*, 30.a. *ministerium ministris dedit Christus, potestatem verò sibi retinuit*, 33.a.73.a. *de ministerio mutato aut ex parte relicto, an verum sit*, 45.a. *de obedientia ministerio præstanda*, 45.a. *ministri in novo Testamento nusquam dicuntur Sacerdotes*, 162.a. *ex scriptura locis de ministerio agentibus definiendum est ministrorum officium*, 162.a.240. *ministerij curationi se committere*, 216.a. *ministerium non esse convertendum in iudicialem actum*, 218.a.b. *Ministerij ordinem, authoritatem & dignitatem conservandam esse*, 239.b.245.a. *Vocatio ad ministerium*, 239.b.249.a.250.a. *promissio ei addita*, 240.a.244.b.245.a.246.a. *appellationes ministrorum*, 240.b. *Sacerdotium Pontificiorum diversum quid est a ministerio*, 240.a. *Ministrorum certi gradus & ordines*, 240.241.a.242.243. *Mediata vocatio est etiã Deo*, 244.b.250.b. *Testimonia vocationis*, 245.a.b. *Impositio manuum*, 245.b.246.a. *Vinculum alligare ritibus externis*, 246.a. *Ministrorum qualitas*, 249.a. *Ministerium Evangelicorum a Pontificijs improbari*, 249.b.253.a. *est medium quo Deus confert nobis salutem*, 193.b.249.b.251.a. *quomodo fieri debeat mediata vocatio*, 250.a.251.272. *ordinatio vocatorum*, 251.252.

Miracula

Miracula ad sanctorum memorias facta, 186.a. *non propriè conferunt dona spiritualia*, 237.a.
Missa cur sic dicta, 155.a. *quomodo usurpatum sit vocabulum à veteribus*, 167.a.b. *missam audire & spectare*, 25.b.112.b.185.b. *offerre, offerri, oblatio, sacrificium, immolari*, 25.b.29.a.85.b.89.b.152.a.b. 168.a.b.169.a.b.170.a.b.171.b. *Sacrificium aliis prodesse*, 25.b.79.a. *quomodo & cur aliis prosit*, 26.b.
Missæ Ceremoniæ quales sint, 37.a. *ritus externi circa Missam*, 79.a. *præparatio ad Missam dignè habendã aut audiendã*, 108.b. *Panis usus in Missa*, 79.a.80.b.
Missa sine communicantibus, 82.a.112.b.184.b.135.a.b. 186.a. *Locus Missæ celebrandæ*, 104.b.112.a.
Missam post meridiem celebrare, 101.b. *Eodem etiam die multiplicatæ* 111.a.
Missarum nundinationes 122.a.185.b.
Missæ dici Germanis etiam nundinæ, 112.a. *quid vis potius pati malunt pontificij quàm Missam deserere*, 152.a. *Sacrificium Missæ verè propitiatorium dicere*, 152.a.154.a.b.155.a.b.158.a.166.a.b.170.b.172.a. 182.b. *Qua ratione Eucharistia appelletur sacrificium*, 153.a. *Quid sit in Missa quod propriè dicant sacrificium*, 153.b. *Missam constare ex personis, operibus, verbis & rebus*, 153.b. *Missam non propitiatorium, sed repræsentativum, commemoratiuum & applicatorium esse sacrificium*, 182.b.154.a.158.a. 166.a.b.187.b. *Vis & efficacia sacrificij propitiatorij in Missa*, 77.a.121.b.184.a.155.a.158.a. *Missæ sacrificiũ à sacrificio Christi in cruce quid differat*, 155.b. 170.a.b. *Incruentum sacrificium*, 157.b.170.a. 173.a. *Argumenta scriptorum Pontificiorum pro Missa*, 156.b.157.a.b. *Argumenta Tridentinæ Synodi pro Missa*, 158.a.159.b.161.b.163.164.165.166. 167. *Argumenta quibus extrema etiam abominatio Missæ ostenditur*, 172.173. *An tempore Apostolorum Missæ fuerint in vsu*, 166.b.172.a.177.b. *Canonis in Missa vis ad consecrandum*, 72.a.b. *an usi sint eo Apostoli*, 74.b.177.a.b. *est substantia & anima sacrificij pontificij*, 177.a. *Canonis fabricatio*, 177.a.b. *esse institutionem pontificum*, 177.b. *quando cœperit & quam diu duraverit*, 177.b. *authores seu compilatores eius*, 177.b.180.a. *De fœdis erroribus quos continet Canon*, 180.b.181.a. *Demurmuratio Canonis in Missa*, 181.b.191.b. *Ceremoniæ in Missa quadruplices, & quid de eis sentiendum*, 183.a.b. *omnes ex æquo ad Christum authorem & Apostolos referre*, 183.b. *Libertas patrum in Ceremoniis circa cœnã Domini & earundẽ vtilitas*, 184.a. *Trina ablutio in Missa*, 166.b. *Vanitas ceremoniarũ in Missa*, 184.a. *fecerũt eas necessarias observatu*, ibi. *Merita tribuere ceremoniis*, ibidem. *De Missis in honorem sanctorũ*, 174.a. *Missæ votiva*, ibid. *Missa sicca*, 185.a. *Legitima quæ sit*, 186.b. *Missæ priuatæ vsus*, 112.a. *origo*, 184.b.185.a. *fuisse eam ignotam antiquitati*, 186.a. *Quomodo in ea ipse sibi contradicat sacrificulus*, 183.a. *Fractio hostiæ in privatis Missis*, 103.b.186.b. *propter quas causas illæ sibi non constant*, 186.b. *Missæ privatæ abroganda*, 187.a. *Habere eas velle pro communibus*, 187.a.b.187.b. *Ludibrium Missarum*, 183.a.186.b.
Monachorum benedictio 9.a.
Montanistæ 67.b.
Morbi septem spirituales 3.b.
Morituri in magnis sunt periculis, 232.a. *De remediis quæ illis præparata sunt à Christo medico*, 232.a. 236.b. *Eadem morituris proposita quæ viventibus*, 232.a.b. *Vide Ægroti, num pro morituris peculiare Sacramentum Christus instituerit*, 233.b.
Mortis remedium in Christo habemus, 232.a.b.
Μυστήριον 4.a.b.5.a.b.257.b. *non omne mysterium est Sacramentum*, 257.b.

N.

Naturalia hominis 206.a.
Necessarium non est quod caret verbo Dei 98.a.b.
Nectarius abrogat confessionem privatam 214.a.
Nicolaus Lyranus 132.a.
Novatiani lapsis post Baptismum spem Veniæ denegarunt, 102.a.193.a. *Hæresis eorum, & dicta* 193.b.195.b.
Nundinæ Germanis dicuntur Missæ 112.a.

O.

Obedientiæ meritum, 12.b. *Nova obedientia baptizatorum*, 45.b.46.b.47.b. *Ad normã verbi instituenda*, 47.b. *Extra Deum nulli creaturæ obediendum*, 48.a. *Magistratui debita obedientia Deo præstatur*, 48.a. *Ministerio debita obedientia* 48.a.
Obsessos exorcisare 243.b.244.a.
Obsignatio, vide Sacramentum.
Occam 8.b.
Odo Cameracensis 184.b.
Οἰκονομία 142.a.
Oleum in Baptismo, 57.b. *In sacrationibus Apostolicis*, 237.a. *Apud orientales* 64.b.237.a.
Opera supererogationis, 226.a.228.b.229.a. *operibus liberationem à peccatis promittunt Pontificij lapsis post Baptismum*, 194.a.b. *non tantùm pro merito, sed etiam pro Sacramento haberi* 201.b.
Opus operans 12.a.25.b.&c.
Opus operatum, 11.b.12.a.12.b.16.b.25.b.&c. 29.b.
Oratione augeri dona Dei, 10.a. 60.a.63.a. *orationis Dominicæ usus in administratione cœnæ*, 73.a.74.b. 166.a.177.b. *Orantium gestus reverentiam ostendentes*, 92.a.93.b. *Martyrum memoriæ in oratione Ecclesiæ*, 175.a. *preces ad celebrationem cœnæ habitæ*, 178.a.b. *diversæ formulæ precum in liturgia*, 179.a. *lingva populari in Ecclesia faciendæ preces*, 190.a.
Oratorium privatum habere 104.b.
Ordinem esse ministrantium, 3.b. *prudentiæ esse*, 3.b. *Contra ignorantiam facere*, 3.b. *Ordinationis consecrari*, 6.a. *à quo institutum Sacramentũ*, 8.a. *an sit Sacramentum ordinatio*, 9.b.244.a.245.b.246. *non fert secum coniugium, sed huic anteponitur*, 15.a. *Virtus eius unde sit*, 15.b. *administrant eam suffraganei*, 70.b. *Septem ordines Papistici*, 241.a.242.a. *quid in eis reprehendatur ab Evangelicis*, 245.a. *De institutione eorum*, 244.a. *facere ex eis Sacramenta*, 244.b. *Ordinem non intelligunt pontificij de ministerio, sed de sacrificio pro vivis & mortuis*, 246.b. *Vnctio olei in ordinatione*, 246.b. *an Evangelicis perenda sit ordinatio ministrorum ab Episcopis* 253.b.
Osculi usus. 64.b.
Osius 121.b.128.a.130.a.133.b.143.b.160.a. 243.a.b.
Ostiarij

P.

Pactis ludere 27.b.
παιδεύεσθαι 227.b.
Panormitanus 217.b.
Papa, vide Pontifex
παρεκτὸς 264.b.
παρεξ ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Parisiensis 1.b.
Pascha semel in anno celebratum. 111.a. *ad Paschatantum uti Eucharistia,* 112.a.b. *esus agni Paschalis,* 120.b. *immolatio eius* 162.a.
Paschasius 6.a.119.b.120.a.
Pastores Ecclesiarum 242.a.
Patria potestas 269.a.
Patrum autoritas, 66.a. *testimonijs eorum abuti,* 89.a. *Patribus errores condonandi sunt, non autem imitandi,* 98.a. *Patres non possunt condere articulos fidei,* 161.a.
Peccati originis mortalis & venialis remedia, 4.a. 12.a. 13.b.25.a. *Peccata quomodo purgentur à Deo per Christum per Sacramenta,* 21.a.b. *remissionem peccatorum sapius dari & accipi, id est, augeri & confirmari nobis,* 22.b.77.b. *Peccatū mortale est obex gratiæ sacramentorum accipiendæ,* 27.a.b. *peccatum facere inviolatione pontificiorum rituum,* 33.b.34.a. *peccatis contra conscientiam amitti fidem & gratiam,* 45.b.193.a. *aliorum remissionem sanguinis Christi, aliorum nostris satisfactionibus tribuere,* 76.a.b. 77.a. *pro originali Christum, pro alijs Missam satisfacere,* 155.b. *tantam perfectionem sibi arrogare aliquem ut peccare non possit,* 193.b. *An per ministeriū alicui possit dari absolutio à peccatu,* 193.b.194.a. 196.a. *lapsis post baptismum liberationem à peccatis per propriæ operæ pollicitationem,* 294.a. *peccata contemnere, extenuare, excusare,* 204.a.b. *peccare post acceptum Baptismum quam sit grave,* 204.b.207.a. 223.a. *mortalia per confessionem, venialia per alia remedia tolli,* 219.a. *Deum non negligere peccata,* 224.a. *non remittere etiā sine satisfactione,* 224.a. *peccata ante baptismum per meritum Christi, baptismum verò sequentia satisfactionibus humanis tolli,* 229.b. 230.a.
Pedum ablutio 7.a.
Pelagianismus in attritione 286.b.
Peregrinationib. mederi velle peccatis, 44.b.49.b.
Perseverantiam alis unctione, 3.b. *promissio perseverantiæ,* 9.a.62.a. *media per quæ datur* 63.a.
Petro æquales habendi sunt reliqui Apostoli 223.a.
Petrus à Soto, 7.b.88.b. *Petrus Comestor,* 74.b.
Petrus de Palude 52.a.b. 47.b.
Petrus de Tarantasia 147.b.
Pighius 133.a.137.b.149.b.214.a.247.a.
Pœnas temporales etiam post remissionem culpæ pro iustis infligi, 226.b. *Differre eas à malis impiorum,* 226.b. *non esse signa iræ Dei,* 226.b.229.b. *non etiam sunt merita remissionis peccatorum aut compensationes pœnæ æternæ,* 227.b. *fines & causæ propter quas nobis immittuntur,* 226.b.227.a. *non semper tamen neque omnibus tales pœnas infligi,* 226.b. *Sæpe eas vel mitigari vel prorsus tolli,* 227.a. *idq; totā pœnitentia propter Christum,* 227.b. *de mitigatione aut aversione pœnarum Deo nil præscribendum, sed voluntas eius expectanda,* 227.b. *per satisfactiones tollere velle pœnas temporales* 229.a.
Pœnitentiam negare Sacramentum esse. 3.a.6. *eam esse resurgentium,* 3.b. *esse iustitiæ,* 3.b *facere contra peccatum mortale,* 3.b. *Virtus huius Sacramenti in quo sit,* 25.a *pœnitentia sine fide,* 38.b. *pœnitentia est donum Dei,* 39.a 207.a. *morituro pœnitentia etiam explet a permissa est communio,* 103.a. *sine pœnitentia communicare,* 106.b. *pœnitentiæ doctrina est testimonium gratiæ & bonitatis Dei erga peccatores,* 192.b. *pœnitentiam lapsis denegarunt Novatiani* 103.a.193.b. *non agentes pœnitentiam non habere spem salutis,* 193.b. *pœnitentiæ nulla alia ratio quam quæ verbo Dei docetur,* 193.b. *quatenus à Papistis dissideamus, facientibus eam Sacramentum,* 194.a.b. *materiale pœnitentiæ,* 194.a.b.195.b.200.b.201.a. *Legis & Evangelij usus ad efficiendam pœnitentiam,* 193.b.194.a. *definitio Sacramenti pœnitentiæ à partibus suis,* 195.a.195.b.197.b. *Pontificii negant pœnitentiam in veteri Testamento & ante resurrectionē Christi & ante Baptismum fuisse aut esse Sacramentum,* 195.a.b.198.a. *Pontificiam pœnitentiam carere fundamento veteris Testamenti & doctrinæ Ioannis atq; Christi,* 195.a.b. *efficiens causa Sacramenti pœnitentiæ,* 194.a.195.a.b. *an rectè fundetur Sacramentum pœnitentiæ in dicto Ioan.* 20. 196.197.198. *an fundetur in doctrina & exemplis Apostolorum,* 197.b. *non doceri duplicem pœnitentiam in Scriptura,* 198.a.b. *pœnitentia lapsorum post Baptismum* 198.a. *Substantialia pœnitentiæ,* 198.a.b. *an habeant testimonium Patrum & antiquitatis,* 188.b.200.b. *publicæ pœnitentiæ ritus & causæ,* 198.b.211.a.216. *Ortus Pontificiæ pœnitentiæ est à vitijs publicæ pœnitentiæ,* 198.b.203.a. *baptismi & pœnitentiæ discrimen,* 199.a.b.209.a. *pœnitentia interior & externa,* 199.a. 203.a. *pœnitentia est reditus ad baptismum* 46.a.49.b.50.a. 199.a. *pœnitentiam facere alterā à Baptismo tabulam,* 52.a. *forma Sacramenti pœnitentiæ,* 200.a *effectus & vis eius,* 200.a.b.201.a. *partes pœnitentiæ,* 200.a.b.202.a.203.a.b. *Contritio fides, confessio, satisfactio: quare singula suo loco. Excludendo fidem à pœnitentia totum Evangelium subverti,* 202.b.203.a. *qualem fidem seu fiduciæ pontificij in pœnitentia requirant.* 202.b. 206.a. *publicè pœnitentiam agētes quomodo habiti,* 211.a.225.a.b. *optimam pœnitentiam esse novam vitam* 230.b.
Polycarpus cum Aniceto dissidium fovens communicat, 101.a.
Polygamia 256.b.258.a.b.
Pomerius 95.a.96.b.
Pontifex decreta sua sine scripturis Ecclesiæ obtrudit, 1.a.b. *Potestas Papæ in Scripturam, animas, &c.* 1.b. 2.b *Pontificis Romani pompa,* 95.b.101.b. *Papæ dispensationes contra verbum Dei & Concilia,* 142.a. *Casus absolutioni Pontificiæ propter suam intrisdictionem reservati,* 222.a. *Papam habere plenitudinem remittendi peccata* 223.a.
Pontificale 58.b.60.b.61.a.62.a.
Pontius Paulinus 168.a.
Prædicationes Dialectica 85.a.b.
Præsentiæ Dei signa & testimonia 85.a.b.
Presbyteri 242.a.b.243.a.b.248.b.
Primatus Papæ 7.b.
Proculus 74.b.
Promissio gratiæ novi Testamenti propria ab alijs promissionibus est discernenda, 2.b. *promissio gratiæ ritibus vestita à solo & nudo verbo discernenda,* 2.b. *promissio gratiæ in sacramentis quomodo spectanda,* 9.a.b. *non est alliganda ad ritum aliquem sine mandato Dei,* 9.a.b *promissiones Patribus olim datæ,* 12.b. 13.b. *Veteris & novi Testamenti promissiones quomodo conveniant & differant,* 13.a.14.b.15.a. *promissionum generalium fides, an certa esse possit,* 32.a. *gratiæ promissio nobis applicatur in Sacramentis,* 32.a.
Prophetæ 241.a.
προσκαλάσθαι 255.a.
Psalmista 242.b.243.a.b.
Purgatorij confirmatio 7.b.

R.

Rabanus 6.a.58.a.95.b.
Rationis dictamen 206.a.
Ratisponense colloquium 69.a.88.b.
Reconciliatio cum Deo in quo sit posita, 198.a.201.a.b. 210.a.205.b. *non est res ludicra,* 224.a. *reconciliatio cum fratre post offensionem,* 210.b. *cum adultera,* 265.a.b.
Regalis unctio 8.b.
Regeneratio quomodo fiat, 21.a.b.22.a.55.b. *regeneratio una est tantum,* 51.b. *regeneratorū collatio ad mutationem panis & corporis in cœna,* 90.a.b.
Reges pactu & iuramento ludunt 27.b.
Regina 186.b.
Regnum cœlorum ad aliquem pertinere 52.b.
Remigius 119.b.
Remissio peccatorum per ministerium offertur & applicatur, 169.a.218.a.221.b.222.b.240.b. *Deum solum habere potestatem remittendi peccata,* 193.194.a. 196.a.221.a. *an remittere peccata aliud sit quam annunciare Evangelium,* 197.a. *potestatem remittendi peccata in charactere fundare,* 197.a. *qualem pontificij remissionem agnoscant in sacramento pœnitentiæ,* 197.b. *in quo posita sit remissio peccatorū,* 198.a. 236.b.221.a. *plenitudinem remittendi peccata sibi arrogat Papa,* 223.a. *Deum non remittere peccata sine satisfactione,* 224.a.b. *remissionem culpæ & pœnæ æternæ habere,* 226.b.229.a.b. *post acceptam remissionem peccatorum pœnas temporales infligi,* 226.b.
Richardus 8.b.20.a.70.a.86.a.146.b.257.a.
Ritus, vide Ceremoniæ.
Rossensis 130.a.131.a.239.a.
Romana Ecclesia omnium reliquarum mater & magistra 44.b.
Rosa benedicta 8.b.
Ruardus Tapperus 102.a.143.a.144.b.

S.

Sacerdos in usu mysteriorum quid differat à laico, 118.a. 128.a.140.b.143.a. *spirituales Sacerdotes,* 161.b. *ministri verbi nusquam dicuntur Sacerdotes in novo Testamento* 162.a.
Sacerdotium Christi æternum 158.b.159.a.
Sacerdotium Papisticum 240.b.241.a.
Sacramenti vox & appellatio, 2.b.3.a.b.5.a.b.6.a.b. 7.a.b.10.b.21.a.65.a. *numerus eorū,* 2.b.3.a.b.4.a.b. 5.a.b 6.a.7.a.b.21.a. *Institutio & mandatum debet esse divinum,* 3.a.7.b.8.a.b.9.a.10.a.b.16.a.b. 60.a.61.a.b.114.b.201.b.234.a. *necesse est mandatum eorum generaliter ad omnes ministros pertinere,* 62.b. *institutioni derogari per homines,* 122.b.127. a.136.b.141.b. *definitio sacramenti,* 4.b.8.a.b.72.b. 173.b.194.a. *Iustitiam fidei per ea incipi, augeri & reparari,* 3.b.16.a. *Ratio accipiendi,* 6.b.24.a. *causa instrumentalis duplex,* 23.a. *pauca & facilia facilia,* 7.a.15.b. *virtus & efficacia Sacramentorum, & unde ea sit, vel gratiam illa contineri & dari,* 8.a.b.12.a. 17.b.18.a.20.a.b.21.a.b.22.a.b.23.a.24.a. *Ordinata esse ad salutem & ad eandem esse necessaria omnibus,* 8.b.17.a.b.17.a.b.44.a.b. *Substantialia eorum & proprietates,* 9.a.34.a.45.a.134.142.b.234.b. *externum elementum & ritus,* 8.a.9.a.b.16.a.194.b. 198.a.200.b.201.a.257.a. *novi Testamenti Sacramenti,* 9.a.10.a. *tempus durationis Sacramentorum* 9.a.10.a.61.b.234.b. *promissio divina elemento addita, & quidem de gratia, effectu & fructu sacramentorum,* 9.a.12.b.61.b.62.b.200.b.201.a. *gratiam promissam in Sacramentis non tantum in genere figurari,* 12.b. *significari,* 9.a.13.a.88.a. *annunciari,* 9.a. *communicari,* 76.b.77.a.b. *sed in specie etiam proponi,* 21.b. *offerri,* 9.a.13.b.17.a.20.a.22.a. *conferri & exhiberi,* 9.a.12.a.13.a.b.18.b.20.a.21.a.b.21.b. 23.a.25.a.26.b *applicari,* 7.b.9.a.12.b.17.a.18.a.20. a.21.b.23.a.32.a.76.b.77.b.233.a.b. *obsignari,* 2.b. 9.a.12.b.13.b.17.a.18.b.20.a.21.b.23.a.76.b.77.b. 233.a.b. *augeri,* 17.a.18.b. *confirmari,* 13.a.17.a.18.b. *conservari,* 17.b. *Singulu qui eis utuntur,* 9.a.18.b. *non infundi eam,* 21.a. *de utentibus sine fide aut omni motu,* 9.a.11.a.12.a.13.a.b.12.b.23.b.24.a.b. 25.a.b.26.b. 59.b.77. *Abusus vocis Sacramenti quid damni dederit in doctrina,* 11.a. *Sacramenta etiam in veteri Testamento fuerunt,* 11.b. *Signorum externorum mutatio pro tempore,* 11.a.15.a. *de similitudine & convenientia Sacramentorum veteris & novi Testamenti,* 11.12.13.14.40.a.b. *de differentia utriusque Testamenti Sacramentorū,* 5.a.b.16.b.25. b.26.a. *Opus operatum Sacramenti,* 11.a.12.a.13.16. a.17.a.20.a.23.b.24.b.&c. *de efficacia Sacramentorum veteris Testamenti,* 11.a.14.a.b.15.a.b. *an iustificent Sacramenta,* 11.25.a. *non Sacramentum, sed Sacramenti fidem iustificare,* 22.b. *in onus ea imponi,* 11.a. *Opus operans seu meritum in Sacramentorum usu,* 12.a.24.b.&c. *Sacramentum Dei opus & virtus est non nostrum,* 9.a.12.b.20.b. *gratia est non meritum,* 12.a. *Signa veteris Testamenti alia significativa gratiæ, alia eam applicarunt & obsignarunt utentibus,* 12.b.13.a.b.15.a. *Signorum diversorum res eadem,* 14.a.b. *Sacramentorum inter sese ipsa dignitas par aut impar,* 16.a.b.57.b.78.b. *Opponere illis iustificationem fidei,* 17.b. *Votum in perceptione Sacramenti,* 17.b. *esse media & organa, per quæ applicantur nobis beneficia Christi,* 13.b.17.b.18.b.117. 149.a. *Quare ea Deus promissioni Evangelij adiecerit,* 17.b.18.a.b.78.a.117.b. *Supervacaneum putare Sacramentorum usum,* 18.a.b.19.b.228.a. *esse ea adminicula salutis nostræ,* 18.a.b. *pignora gratiæ & voluntatis Dei,* 18.a. *testimonia applicationis beneficiorum Christi,* 18.b.22.b. *Signa gratiæ,* 8.a.18.b.62.b. *excitant & confirmant fidem,* 18.b.23.b.60.a. *Virtute Dei esse efficacia,* 9.a.18.b.21.a.b.22.a.b. *Sacramentorum & verbi eadem promissio & gratia,* 18.b. *Sunt verbum visibile,* 18.a.b. *non ita præcisè ad salutem sunt necessaria Sacramenta ut verbum,* 18.b.19.a.126.a.137.b. *gratiam non alligatam Sacramentis dicere,* 19.a. *quomodo habeant efficaciam Sacramenta,* 20.a.21.a.21.b.24.b.29.b. *efficaciam eorum inter institutionem Christi & addititias ceremonias partiri,* 37.a. *Visus eorum pugnat contra dogma de dubitatione,* 32.b. *Pro nudis signis ea habere,* 20.a.23.b. *esse vinculum unitatis,* 6.a.75.b. *esse notas Christianæ professionis,* 20.a.24.a. *Symbola mutuæ societatis,* 20.b. *allegorias & significationes Christianismi in eis tantum spectare ut mortificationis, regenerationis, spiritualis almoniæ, &c.* 20.b. *esse signa gratiæ iam ante alio modo extra usum Sacramentis hominī collatæ,* 20.b. *excitare fidem per commonefactionem de gratia alibi & alio modo acceptā,* 20.b. 23.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Perducunt nos ad Christum, 21.b. gratiæ promissio in Sacramento est præcipuum, 21.a.23.a. Pœnitentiam requiri ad dispositionem vtentium Sacramentis, 24.a.b.77.b. illa neglecta, solo vsu externo eorum considere, 25.b. personæ administrantes Sacramenta, 20.a.24.b.25.a.b.28.a.b.29.a.33.a.57 b.70.a. 220.b. Intentio conficientium & conferentium Sacramenta, 30.31.32. Obicem ponere, 25.a.27.a. Sacramenti integritatem, & veritatem non facit aut impedit indignè administrans aut percipiens illud, 20.a.28.a.30.b.31.b.32.a.b.33.a.43.b.45.a. neq; iuvant eam cerimoniæ additiciæ, 36.a. Sacramentum sine fide integrum accipi potest: virtus & gratia Sacramenti non item, 27.a. Sacramenta initerabilia, 28.a.b.69.a. Consolatio vtentium Sacramentis ne interuertatur cauendum, 31.b.32.a.b. Sacramentorum institutio mutata aut mutilata facit ut non sit Sacramentum, 33.b.38.b.114.a.142.b. De ritibus in administratione Sacramentorum divina aut humana authoritate institutis, & obseruatis, 33.b 34.35.36.37. non debent esse mutæ spectacula, sed ratio & vis earum omnis est explicanda, 35.a.b. 35.a.37.a.51.b.73.a.b. Cõsecratio & sanctificatio Sacramentorum, 6.a.20.b.34.b.72.73.74.234.b. Lingua peregrina in tractatione eorum vti, 35.a. Sacramentorum dignitas & decorum non à Ceremoniis dependet, 35.b.36.a. de Sacramentis iudicandũ est ex verbis institutionis, 38.b.79.a.b.81.b.82.a. 103.b.114.a. Sacramentum indignè tractari, 70.a. Sacramentum incertum & dubium facere, 74.b. An aliquid maneat Sacramentũ extra usum, 79.a.b. Sacramentorum certæ sunt actiones quæ neque omittendæ sunt, neque in alias commutandæ, 79.a.b.81.b. verbum accedens ad elementum facit Sacramentũ, 34.a.b.73 74.75. Vsus Sacramenti totam actionem eius significat, 81.a. non est alius Sacramenti usus introducendus quàm quẽ institutio Christi docet, 82.a. 139.a.172.a. Omnia Sacramenta duabus rebus constare, 87.b. Materia & forma Sacramentorum, 57.b.87.b.134.a.142.b.200.b.257.b. Analogia signi & rei in Sacramento, 87.b. Reverentia in vsu Sacramentorum, 194.a. Sacramenta sunt actiones diuinæ, 201.b. Sacramentorum vsus pro ægrotis & moribundis, 232.a. Ab administratione Sacramentorum qui excluſi fuerint, 243.a.

Sacrificia veteris testamenti varia, 152.a 165.b. Significationes eorum, 157.b. quid sit sacrificare, 152.b. 173.b. de sacrificio Missæ, vide Missa. Sacrificio Christi tantùm expiatum esse peccatum originale, Missam autem pro reliquis peccatis offerri, 155.b. quid sit sacrificium propitiatorium, 155.b. Antichristus abrogat iuge sacrificium, 156.b.157.a. Sacrificia novi testamenti, 192.b.161.b.163.b. Sacrificiorum veteris testamenti umbræ impletæ in novo, 165.b. ad verum sacrificium quæ requirantur, 165.b. de vsu vocis sacrificij & oblationis in doctrina cœnæ Dominicæ, 167.b.168.a.

Salis benedictio 78.a.b.36.a.

Salus veterum per gratiam, 11.b. eadem illorum quæ nostra, 13.b. ad salutem necessarium esse, 17.a. 18.b.19.a. Salutem promittere obseruatoribus traditionum 127.b.

Sanctificat Deus & homines quoque, 21.a.

Sanctificatio creaturarum 93.a.

Sanctum esse quid sit 109.a.

Sanctorum invocationem per Missam stabiliri, 174.a. 176.b.182.b. Sanctorum memoria ad vsum cœnæ, 174.b. in orationibus Ecclesiæ, 175.b. an idolorum cultus in cultum martyrum sanctorũ mutatus, 175.b. merita eorum 176.b.

Satisfactionis dignitas, 19.b.29.a.54.b.40.a.49.b. 195.a. irrogatio satisfactionum, 198.b.211.a.213.a. 218.a. an sit iuris divini, 103.a.198.b. quid sit, 203.a. 228.b. Mulcta seu satisfactio publica in secretum mutata, 214 b. Deus absque satisfactione non remittit peccata, 224.a. Satisfactio illa est in Christo nobis proposita & fide accipitur, 224.a.b. non esse propriας satisfactiones iræ Dei opponendas, 224.b. Satisfactioni Christi humanas adiungere, 224.b. Satisfactio Canonica seu disciplinaris in Ecclesia primitiva, 124.b. de vocabulo satisfactionis, 225.a ad quid olim impositæ satisfactiones, 235.a. Indulgentiæ satisfactionũ datæ & pecunia redemptæ, 225.a.b. Satisfactiones Pontificiæ à veterum satisfactionibus substantia & fine differunt 225.b. Veterum satisfactiones quoque propter conscientiam non esse necessarias ad remissionem peccatorum, 225.b. Vocabulum satisfactionis ad fructus pœnitentiæ translatum, 225.b. Satisfactionibus quæ & quanta attributa à Pontificijs, 228.a. Satisfactiones olim ante absolutionem inquisitæ à pœnitentibus in satisfactiones operum indebitorum seu supererogationis, post absolutionem commutatæ, 228.b.229.a.230.b. Scholasticorũ sententiæ de satisfactionũ efficacia & vsu, 229.a.b. quomodo dicantur satisfactiones nostræ pertingere & necessariæ esse ad remissionem peccatorũ, 229.b. nos satisfaciendo pati pro peccatis, 229.b.

Schatzgeyer 156.a.

Scholasticus 178.a.

Scotus 8.b.84.a.260.b.228.b.

Scriptura est fundamentum fidei nostræ, 1.a. sine scripturis dogmata constituere, 1.a. Papa in scripturam potestas, 1.b. Sine scripturæ fundamentis anathemizare alios, 3.b. Scripturæ & fidei & vitæ regula nobis est, 64.a. Scripturæ sententia ex collatione plurium locorum elicienda, 71.b. facere eam dependere ab authoritate & consuetudine Ecclesiæ, 126.b. Scripturæ testimoniis ludere, 132.b. Scripturæ excerptis & mutilatis sententiis se velare, 180.b. loca Scripturæ inter se conferenda, 264.a.b.

Sidonius 154.a.

Sleidanus de Missa 154.a.

σώζεσθαι 235.a.

Spem alit confirmatio 3.b.

Spiritualem fieri ex animali 57.b.

Spiritum sanctum alijs per fictitias cerimonias velle conferre, 36.a. Comitatur eum gratia Dei, & remissio peccatorum, 43.a.56.a. de habitatione eius & operatione in infantibus, 55.a.b. 56.a. de donis eius per Chrisma homini collatis, 58.a.b. est efficax per media, 59.b. quare dicatur dari per impositionem manuum, 68.a.b. Doctrinam spiritus sancti iactare sine scriptura, 136.b. amitti eum posse 193.a.

Subdiaconi 243.a.

Suffraganeorum ludibrium 70.b.

Suffraganeorum officium 70.b.249.253.b.

Suffragijs creari 251.a.

Sulpitius Severus 239.a..

Superattendens 248.a.

Superstitio quid sit 145.b.

Superstionum fons 159.a.

Sylvester 65.a.

Syricius vide lib. 3.

T.

Tabula altera à Baptismo 30.a.44.a.49.a.b.51.a.

Temperantiam alit matrimonium 3.b.

Templorum consecrationes 8.b.

Tempus in cultu eorum obseruare 219.b.

Testamentum novum, 117.a. veteris abrogatio 128.b.

Testimonia ambigua allegare 127.130.132.a.

Theologus nil ponere debet cuius necessitas non sit ex fide 28.b.

Thesaurarij 243.b.

Thomas de Aquino, 2.a.25.b.32.a.60.a.70.a.72.b.73.b. 147.a.b.155.b.201.b.206.a.223.b.

Thomas Vvaldensis 148.a.

Traditione sola non standum, 50.a. Traditiones humanæ non ligant baptizatos, 47.b.48.a. Traditiones Apostolicas iactare, 98.b.117.a.232.a. Traditionum obseruationi salutem promittere 117.b.

Transsubstantiatio, 72.a. Causæ propter quas de ea dimicent pontificij, 83.a.92.b. quando primum de ea cœptum sit disputari, 83.a. de mutatione & conversione elementorum in cœna, 83.a.84.b.88.a.89.90. 91. Seminaria transformationis elementorũ in Damasceno & Theophylacto, 83.a. Confirmatio eius per Innocentium tertium, 83.b. de annihilatione panis, 8.a.83.b.85.a. de substantia & accidentib. panis pereuntibus aut manentib. 83.a. portentosæ disputationes ortæ, 83. nec authoritatem nec necessitatem aliquam requirere, ut statuatur trãssubstantiatio, 83.a. 84.a.86. fundamentum eius est decretum Concilij Lateranensis, 84.a. quomodo eam hodie probare conentur Pontificij è scriptura, 84.a.85.86. exempla transmutationis ubi nomen prius tamen retinetur, 86.b. Panem pro accidentibus panis tantùm interpretantur, 86.b.87.a. quare transsubstantiatio elementorum in cœna impugnetur, 87.a.b. Consensum totius antiquitatis & universæ Ecclesiæ iactare pro confirmatione transsubstantiationis, 88.a.90.a. Panem transire in substantiam aliam, 88.b. de pane fieri corpus Christi 88.b.

Turcarum Alcoranus, 3.a. Circumcisio eorum 10.b.

V.

Varro 4.a.

Vegetius 4.a.

Verbo exerceri & augeri Dei dona 10.a.

applicari nobis beneficia Christi, 17.a.b.21.b. Sacramenta non ita præcisè ut verbum ad salutem necessaria, 18.b. Perducit nos ad Christum, 21.b. summa eius potestas est penes Deum, sed ministerium eius commendatum est Ecclesiæ, 29.a. Verbi meram sumpserunt sibi Sacrificuli potestatem, & efficaciam eius in suo Charactere posuerunt, 29.b. efficacia eius nihil derogat malitia ministri, 32.b. verbo in gratia confirmamur, 59.b. efficaciam eius operatur Deus, 73.b.74.a.

cum reverentia astandum cùm legitur 92.a.

Vergilius 239.a.

Vincentius Lyrinensis 98.b.258.a.

Vinum miscere 188.a.

Virtutes spirituales septem 3.b.

Vnio duarum rerum, 85.a.b. Varia eius exempla 85.b.

Vnctionem extremam esse exeuntium ex Ecclesia, 3.b. perseverantiæ & fortitudinis esse, 3.b. contra peccatum veniale facere, 3.b. esse sacrosanctam, 6.b. an sit Sacramentum, 10.b. Virtus eius in quo posita sit, 25.b. Vnctio post Baptismum, 36.a.60.b.67.a. Patrum de unctione sententia, 64.b.65.a. ordinandorum unctio, 247.a. unctionis institutio unde sit, 80.a.60.b.233.a.234.b.236.b materiam eius oleum esse, 233.b. 235.a.236.b. quale & quomodo consecratum esse oporteat, 233.b.235.a. quæ membra illo inungenda, 233.b.235.b. forma eius, 234.b.235.a. 236.b. effectus, 234.a.235.a.236.a.b. illis tantùm adhibendũ qui sunt in articulo mortis, 234.b.235.b. de unctione illa apud Marcum, 234.b.235.a.b. quid Iacob de unctione doceat, 235.b.236.a. depravatio unctionis per hæreticos 238.b.

Vocabulorum conciliationes sine rebus 2.b.

Vocatio ad ministerium 29.b.30.a.

Votum in perceptione Sacramenti 17.b.

votis vicem Baptismi supplere 44.a.

de votis post baptismum factis, 47.b.

votum Baptismi 48.b.

Regula votorum Christianorum 48.b.

Papistica vota subvertuntur per Baptismum, 48.b. 49.a.

VV.

VValafridus 185.a.186.b.

VVicelius 143.a.152.a.154.a.160.a.

VVilhelmus VVidefort 132.a.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX LOCORVM EX SCRIPTIS PATRVM, IN HAC SECVNDA PARTE EXAMINIS ALLEGATORVM, IN QVO tamen explicationes in dicta scripturæ, cum secundum primum & proprium Indicem requiri possint, studio sunt omissæ.

A.

Ambrosius de mysteriis & Sacramentis, 5.b. de Baptismo Ioannis, 38.a.41.a.43.b. de confirmatione baptizatorum, 62.a.67.a. de consecratione cœnæ Dominicæ 73.a.b. de fructu cœnæ Dominicæ, 76.a. de indignè tractantibus cœnã, 82.a. de mutatione elementorum in cœna, 88.b. de collatione panis & corporis Christi ad hominis renovationem, 90.a. post consecrationẽ nihil nisi corpus & sangvinẽ Christi in cœna credendũ esse, 90.b. de adoratione Christi in cœna, 92.a. de cœna peregrinis data, 101.a. de indigne mãducantibus. 106.b. 119.b. de crebra cõmunicatione. 111.b. 112.a. de usu calicis, 119.b. de sacrificio cœnæ, 170.a. de celebratione ad loca sepulturæ martyrũ, 175.a. de Sacramentis, 180.a. 181.b. de lingvarũ usu in Ecclesia. 190.a. 291.a. de Novatianis. 195.b. de absolutiõe p vocẽ ministerii. 222.b. de satisfactione. 228.a. de ordinib. 242.244.a. de vocatione ministrorũ, 251.b. de cõsobrinarũ nuptiis, 260.a.

Anshelmus de satisfactione Christi inter iram Dei & peccata nostra interponenda 224.b.

Athanasius puer pueros baptizavit 31.a.

Augustinus de voce Sacramenti, 4.b.6.a. quid sit ei Sacramentũ, 6.a.8.a. de usu Sacramentorũ, 6.b. de eorũ numero, 6.b.11.a. latè utitur voce Sacramenti, 7.a. de ordinis Sacramento, 9.b. de matrimony Sacramento, 10.a. de discrimine Sacramentorũ vet. & novi Testamenti, 15.a.13. de eadem re sub signis diversis, 14.a. de contemptoribus Sacramentorũ. 18.a. de latronis morte sine baptismo, 19.a. quòd sacramenta non sint superflua, 18.b.19.b. de virtute & efficacia Sacramentorum, 21.a.22 a. de discrimine circumcisionis & baptismi infantum atq; adultorum, 22.b. de infidelibus percipientibus sacramenta, 20.a.26.b. de integritate & sanctitate Sacramenti, 27.a. de ijs qui baptismum fallaciter & ludicrè administrãt aut accipiunt, 31.a. 33. de baptismo Ioannis, 38.a.39.b.43.a. de fide infantum, 54.b. de necessitate confirmationis spiritus, 59.b. de scripturæ autoritate, 94.a.104. de unctione, 64.b. de Patrum autoritate, 66.a. de virtute baptismi, 67.b. de manuum impositione, 68.a.b.69.a. de consecratione in cœna Domini, 73.b. de fructu cœnæ Dominicæ. 75.b. de duab. rebus in cœna, 83.a. 90.b. de argumento à potentia Dei, 84.a. qui panis dicatur corpus Christi, 89.b. de adoratione Christi in cœna, 92.a.93.b. de indignè manducantib. 93.b. de consvetudine, 97.b. de asservatione Eucharistiæ, 102.a. de præparatione ad Eucharistiã, 107.b.109.a. de crebra communicatione, 111.b. de optima demonstratione, 116.b. de utraq; specie, 118.a.120.a.b. de cœna ieiunis aut post cibos aliis danda, 123.b. dictũ eius: Crede & manducasti, 127.a.187.b. de testimoniis ambiguis allegatis, 128.a. de sacrificio, 152.b. de dogmatibus exambiguè dictis non faciendis, 162.b. de administratione cœnæ Dominicæ, 166.b. de oblationib. ad Eucharistiã. 168.b.169.b.170.a. de precio redemptionis in cœna nobis dato, 171.a. de Sanctis in Missa non invocandis, 174.b.176.a. de cultu Martyrum, 175.b.176.b.181.a. de miraculis ad memorias Sanctorum factis, 176.a. de ratione cœnæ administratæ tempore ipsius, 178.b. de usu lingvarum in sacris. 191.b. de baptismo Christi & ministrorum, 196.a. de pœnitentia. 201.b. de libero arbitrio sine Spiritu sancto, 206.b. de confessione, 208.a.210.b.212.b.220.a. de excommunicatione, 211.a.b. Scripta eius supposititia 216.a.237.b. de satisfactione, 225.a.228.a. constituit sibi successorem, 252.b. de Polygamia, 256.b.257.b. de Sacramento coniugij, 258.a. de consobrinarum nuptijs, 260.a. de coniugio personæ repudiatæ, 263.a.264.b.267.a.

B.

Basilius de baptismo Ioannis & Christi, 40.a. de unctione, 61.a.66.b. de virtute Baptismi, 67.b. de consecratione cœnæ Dominicæ, 73.a. de fructu eius, 76.b. liturgia eius. 94.a. 118.b.180.a. de confessione, 211.a.215.b.

Beda de numero Sacramentorum, 11.a. de efficacia Sacramentorum veteris Testamenti, 12.14.a.

Bernhardus de Sacramentis, 7.a. de fructu cœnæ Dominicæ, 75.a. de utraque specie, 141.a. de fructu cœnæ, 171.a.

Brentius de septem Sacramentis 3.b.

C.

Cassianus de confessione 216.b.

Chrysostomus de numero Sacramentorum, 11.a. de necessitate eorum, 18.a. de baptismo Ioannis, 38. de efficacia baptismi, 67.b. de consecratione in cœna Domini, 73.b. de fructu cœnæ, 76.a.b. de Christo ipso Sacramenta sua per ministerium dispensante, 81.b. de unione naturarum in Christo, & panis cum corpore Christi in cœna, 89.b. de corpore Christi cœlitus nobis exhibito in cœna, 91.a. Liturgia eius, 94.a. 118.b. 180.a. de digna communicatione, 107.b. de eremitis rarius communicantibus, 111.b. de frequentiore usu cœnæ. 112.a. de calicis usu in cœna, 118.a. de administratione cœnæ Dominicæ, 166.b.179.a.b. de oblatione ad usum Eucharistiæ. 168.b.170.a. contra Missam seu cœnam privatam, 186.a.b. causa exilij eius, 187.b. de pœnitentia, 201.b. de confessione, 208.b.209.a.b.214.b. 219.a. de unctione 238.a.

Clemens Alexandrinus de unctione, 66.b. de baptismo, 17.b. de asservatione Eucharistiæ 102.a.

Clementis Romani scripta 60.b.

Cypriani sermo de ablutione pedũ & de Chrismate, 3.a. 6.a.7.b.58.a.60.b.64.a.247.a. de latrone non baptizato, 19.a. de baptismo hæreticorum non efficaci, 20.a. de Montanistis, 36.a. de necessitate rituum ad veritatem Sacramenti, 36.a. de Baptismo Ioannis, 38.a. de Chrismate & unctione eorum qui baptizantur, 58.a. de Spiritus sancti donatione in Baptismo, 64.67.b. de fructu cœnæ Dominicæ, 76.a.b. de verbo Dei hominum actionibus præferendo, 74.a.97.b. 98.a. Sermo eius de cœna Domini, 95.b.118.a. de delatione Eucharistiæ ad alios 94.b.101.a.144.a. de asservatione Eucharistiæ, 118.b.119.b.122.b.140.b. 144.a. de oblatione ad Eucharistiã, 168.169.b.171.a. de consuetudine, 97.b. de moribus veterum, 98.a. de fructu cœnæ, 171.a. de miscendo vino cœnæ. 188.b. de confessione secretorum peccatorum, 212.a.215.a.b. de Petri & Apostolorum æqualitate, 223.a. de Satisfactionibus. 228.a. de ordinibus ministerij, 242.b. de Electione Episcoporum 252.b.

Cyrillus anathematismorum suorum reddidit rationem, 1.b. de Baptismo Ioannis & Christi, 40.a. de fructu cœnæ Dominicæ, 72.b. de incruento sacrificio cœnæ, 169.a. de memoria martyrum 175.b.

Cyrillus Hierosolymitanus de numero Sacramentorum, 5.b. de Chrismate 65.b.

D.

Damascenus de unctione, 67.a. de transformatione elementorum in usu cœnæ, 83.a. inter antiquos non est ponendus, 99.a. de usu calicis in cœna, 118.b.

Dionysius Areopagita. de numero Sacramentorum. 5.b. de unctione, 70.b.239.a. de Catechismo baptizatorum, 73.a. de precibus in communione ,94.a. de administratione Cœnæ, 166.b.178.b. de sacrificio, 169.b. de ordinibus ministerij, 242.b.

E.

Eusebius de Armenio, 7.b. de Athanasio puero, pueros baptizante, 35.a. de scriptis Clementis, 60.b. de Eucharistia alio delata, 94.b.101.b.102.b.143.b. de conventibus ad sepulchrum Polycarpi, 175.a. de publica confessione pœnitentium, 211.b. de satisfactione, 242.b.

Emissenus de consecratione in cœna, 73.b. de collatione panis & corporis Christi ad renovationem hominis, 90.a. de adoratione Christi in cœna, 92.a. de oblatione in cœna, 171.b. de aqua calicis admiscenda, 188.b.

G.

Gregorius Nyssenus, de usu Baptismi 67.b.

H.

Hesychius de baptismo, 67.b. de materia cœnæ Dominicæ 89.a. de asservatu ex cœna Domini, 99.a. de præparatione ad Eucharistiam 107.b.109.a.

Hieronymus de ijs qui baptismum possunt administrare, 61.a. de rectè iudicanda hæresi, 40.a. de Scripturæ authoritate, 48.b. de pœnitentia quòd sit altera post baptismum tabula, 52.a. de Cyrillo Hierosolimitano 69.a. de examine eorum qui à presbyteris baptizati essent, 68.b. de delatione Eucharistiæ ad alios, 101.a. de privata eius asservatione, 102.a. de crebra communicatione, 111.b. de usu calicis in cœna, 118.a. de Sanctorum cura pro nobis, 176.b. de confessione peccatorum, 215.b. de satisfactione, 225.a. Commentaria eius in Marcum, 237.b. de ordinibus, 242.b. de nomine & officio Episcoporum, 248.a.b. de vocatione eorum 251.b.

Hilarius de intelligentia dictorum ex causis dicendi sumendis, 1.a.13.b. de Baptismo, 67.b. de fructu Cœnæ dominicæ, 75.b. de utraque specie in cœna, 119.b. de confessione 208.b.

I.

Ignatius de utraque specie in cœna, 118.a.144.a. de ordinibus 242.b.

Irenæus de Scripturæ usu, 1. de numero Sacramentorũ, 5.b. de consecratione in cœna Domini, 37.b. de duab. rebus in cœna, 83.a.84.a.89.b. Collatio eorum ad hominis renovationem, 90.a. de gratiarum actione in usu cœnæ, 94.a. de delatione Eucharistiæ ad alios, 94.b. de privata asservatione Eucharistiæ, 202.a. de oblationibus in Eucharistia, 168.a.b. de ratione administratæ cœnæ tempore illius, 178.a. de Scripturæ dictis truncatis, 103.b. de precibus & oblationibus, 182.a. de miscendo calice. 189. de confessione. 211.b. de unctione, 238.b.

Iustinus de numero Sacramentorum, 5.b. de consecratione in cœna, 63.a.b. de fructu cœnæ dominicæ, 75.b. de Eucharistia ad alios delata. 82.a.100.b.102.b. de mutatione panis in cœna. 90.a. de adoratione in usu cœnæ, 94.a. de utraq; specie, 141. de celebratione cœnæ Dominicæ, 166.b.164.a.178.a.179.a.128.b. de miscendo calice 189.a.

L.

Lactantius de sacrificijs 167.a.

Leo de Baptismo apud hæreticos accepto, 68.b. de cœna utraq; specie. 119.b.145.b. de frequenti usu cœnæ. 124.a. de confessione. 212.b. de absolutione. 219.a.

Lutherus de captivitate Babylonica, 11.b.15.a.23.a.31.a. 44.a.45.b.47.b.49.a.108.a. Contra Anabaptistas 29.b. de fide infantum, 58. de adoratione in cœna usu 92.a. de attritione & contritione. 206.b.

N.

Nazianzenus de baptismo Ioannis & Christi, 40.a. de adoratione Christi in cœna, 92.a. Soror eius Eucharistiam detulit domum 102.a.244.a.b.

Nicephorus de utraque specie in cœna, 118.a. de barba Petri, 125.b. de publica pœnitentia 224.b.

O.

Oecumenius de unctione 228.a.

Origenes de duabus rebus cœnæ Dominicæ, 91.a. de Sanctorum pro nobis cura, 176.a. de confessione, 198.b. 209.a.212.a.213.a.215.a.b. de satisfactione, 228.a.

P.

Paschasius de utraque specie in cœna 118.a.120.a.

R.

Rufinus de Athanasio puero, 31.a. de Cyrillo Hierosolymitano, 65.a. de asservata Eucharistia, 100.a. de delatione eius ad alios, 100.b. de unctione, 239.a.

S.

Socrates de crebrò communicantibus, 118.b. de confessione, 213.b. de unctione, 239.a.

Sozomenus de Athanasio puero, 31.a. de confessione, 22.b.213.a 214.a.215.a. de pœnitentia publica, 224.a. de electione Episcopi. 251.b.

T.

Tertullianus de voce Sacramenti, 5.a. de numero sacramentorum, 5.b. de Montanistis, 36.a. de Spiritu sancto in Baptismo aut unctione dato, 64.b. de chrismate seu unctione, 66.b. de argumento à potentia Dei, 84.b. de Eucharistia alio delata, 94.b.144.b. de privata asservatione eius, 102.a. de spiritualibus sacrificijs, 163.b.168.b. de precibus ad mensam Domini, 179.b. de exomologesi. 211.b de satisfactione pœnitentium 225.a

Theodoretus de transmutatione panis in cœna, 88.b. de unione panis cum corpore Christi ad unionem naturarum in Christo collata, 89.a.b. de elementis nõ mutatis in cœna 92.b.

Theophylactus de transformatione elementorum in usu cœnæ, 83.a. inter antiquos non est ponendus, 90.b. de usu calicis, 118.a. de sacrificio cœnæ, 170.a. de confessione & absolutione, 118.a. de unctione, 238.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

TERTIA PARS EXAMINIS DECRETORVM CONCILII TRIDENTINI, COMPLECTENS EXPLICATIONEM LOCORVM, DE VIRginitate, De cœlibatu Sacerdotum, De Purgatorio, & de invocatione Sanctorum.

ADIECTA EST IN SINGVLIS LOCIS historia certaminum inde usq; ab Apostolorum temporibus:

AVTHORE MARTINO CHEMNICIO, D.



FRANCOFORTI AD MOENVM, PER Petrum Fabricium. Anno 1578.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI GEORGIO, MARCHIONI BRANdeburgico, Sacri Romani Imperii Archicamerario & Electori, Prussiæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubeorum, Sclavorum, & in Silesia Crossorum Duci, Burggravio Noribergico, & Rugiæ Principi, &c. Domino suo clementissimo:

Gratiam, salutem ac pacem, à Deo Patre, per Dominum nostrum Iesum Christum.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS Elector, Domine clementissime, annus iam agitur undecimus, cùm fatali quadam occasione cum Iesuitis, nouitia Romani Pontificis creatura, in certamen incidi. Quia enim sectam illam ideò excogitatam constabat, ut inde tãquam ex equo Troiano, prodirent noui milites, literarum & linguarum armis instructi, qui patrocinium Pontificiæ religionis felicius, quàm reliquorum Monachorum ordines hactenus fecissent, susciperent & sustinerent, ab professione politioris literaturæ & linguarũ, tanquam lenociniis abutentes, incautæ iuuentutis animos allicerent, atq; à prima ætate Pontificiis opinionibus imbuerent: idq; ita insidiosè, ut publicis scriptis se non statim aperirent, unde colligi posset, quid monstri alerent: Ego certis tum rationib. adductus, præcipua capita Theologiæ, quam profiterentur, ex quadam ipsorũ censura excerpta, edidi, ut hac ratione prouocati, ipsi plenius se aperirent, unde propius agnosci possent. Cùm verò ex ipsorũ grege nemo prodiret, sed Andradius quidam Lusitanus, homo doctus sanè & eloquens, cuius in Concilio Tridentino non minima fuit autoritas, à patribus Concilij iussus, libello meo, exiguo sanè, aliquot libros Explicationũ, quas orthodoxas vocabat, opponeret, ita, ut quasi rationem Decretorum & Canonum Concilij Tridentini, cui tùm intererat, reddere videretur: Ea occasione, cùm necessariò aliquid esset respondẽdum, ut cum aliqua Lectoris utilitate illud fieret, Examen seu Explicationem Decretorũ Concilij Tridentini institui, & locos de Scriptura & traditionibus, de peccato, de libero arbitrio, de iustificatione, de fide, de bonis operibus, & de Sacramẽtis, duabus partibus, ex sacræ Scripturæ Canonicæ fundamentis, collatis ad eam normam veræ & piæ antiquitatis testimoniis, ante aliquot annos, simplici orationis filo expediui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Supererant autẽ in Decretis illis reliqui examinandi seu explicandi loci, de virginitate, & de cœlibatu sacerdotum, de purgatorio, de inuocatione, reliquijs & imaginib. Sanctorũ, de indulgentijs, de ciborum delectu, de Ieiunijs & Festis. Et sanè animus non erat, illorum etiam locorum tractationem suscipere, & ea, sicut in prioribus partibus factum fuerat, ratione pertexere: absterrebar enim magnitudine & difficultate laborũ, quos in prioribus partibus expertus eram. Cumq; præter quotidianas Ministerij mei occupationes, alijs subinde negotijs impedirer: sperabã ex nostris alium aliquem feliciori ingenio, maiori eruditione & eloquentia elegantiore instructum & ornatum, cui plus otij & excitatior ingenij alacritas suppeteret, proditurũ, qui utilem hanc & necessariam Ecclesiæ operam, maiori cum fructu, vel priuato suo, vel cõmuni Ecclesiarum nostrarũ nomine, præstaret. Multis enim de causis valdè utile esset, graui autoritate, cõmunicatis sententijs, & cõiunctis operis, publicam refutationem, decretis Concilij Tridentini, communi nomine opponere, in qua detectis insidijs, & corruptelis refutatis, vera sentẽtia in singulis locis illustraretur, ut posteritati etiam constaret, quæ fundamenta, & quas rationes iudicij sui, de Tridentini Concilij decretis, ætas hæc nostra habuisset. Hæc enim ratio, ad instruendas & cõfirmandas bonas mẽtes, plus habitura esset momẽti, quàm priuata cõmonefactiones.

Interea verò ex varijs locis, à multis eruditis & pijs viris, quibus priorum partium lectio non ingrata fuerat, & per literas & coram instigatus fui, ut reliquos etiam locos pertexerem, cùm laborem illum semel suscepissem, & facta promissione quasi ex cõdicto teneret. Cumq; ex aduersariorum etiam, Lindani, Cromeri, Tiletani, atq; aliorum Pontificiorum clamoribus animaduerterem, priores illos meos labores non absque fructu susceptos fuisse, acerbæ enim ipsorum vociferationes, acceptæ plagæ indicia & testimonia sunt: passus tandem sum, id quod supererat oneris, mihi rursus imponi: Maximè cùm viderẽ, Lindanum in exagitando Apologetico illo, in quo ordines protestantium (ut vocant) causas recusatæ Tridentinæ Synodi, grauiter exponunt, superbè nostris Ecclesijs insultare, & illos præcipuè locos, quos reliquos esse dixi, varijs sophismatum artificijs, sub specie Catholicæ Antiquitatis deprauare. Reliquorum itaq; etiam in decretis Tridentini Concilij locorum Examen seu explicationem, pio studio institui, & Deo iuuante, pro donorum meorũ mediocritate, simplici dictione, ex Scripturæ fundamentis, & huic consentientibus veræ antiquitatis testimonijs, pertexui. Et de meis laboribus nihil dicam, illos enim Christo Seruatori, vera animi humilitate, in timore Domini offero, & Ecclesiæ eius audienti & sequenti vocem pastoris sui, iudicium de illis permitto.

Hanc

Hanc verò tertiam partem Examinis Tridentini concilij, complectentem explicationem locorũ, de virginitate, de cœlibatu sacerdotum, de purgatorio, & de inuocatione sanctorũ, vestræ, Illustrissime Princeps Elector, Celsit. demissa ac debita animi reuerentia, publica hac inscriptione dedicare volui, idq; non ambitione aut leuitate aliqua: sed causis adductus honestissimis & grauissimis. Vtile enim est, & ad præsentis ætatis homines, & ad omnem posteritatem, extare illustria testimonia, quòd necessaria horũ temporum certamina, de grauissimis cõtrouersijs Religionis, contra impias & superstitiosas Romani Pontificis & coniuratorum ipsius corruptelas, non agitentur, leuium, turbulentorum, aut indoctorum quorundã hominum clamoribus, ex praua quadam dissentiendi libidine, ad dementandum rude & ignobile vulgus: Sed quòd illarum controuersiarũ explicationes, grauissimo Principum sapientissimorũ iudicio, ex firmis ac perspicuis verbi Dei fundamẽtis & veræ antiquitatis testimonijs, diligenter considerentur, expendantur & cognoscantur. Atq; utile est, causas, cur illustrissimi Germaniæ Principes & reliqui ordines, Decreta cõcilij Tridentini recipere nolint, ex Scripturæ fontibus, & ex prima Apostolicæ & Catholicæ Ecclesiæ antiquitate, repetitas extare, præsertim cum res ipsa palàm ostendat, tyrannidẽ Pontificiam, insidijs, perfidia, gladijs, flammis & restibus hoc agere, ut Decreta Concilij Tridentini, suppressa necessaria illa veritatis disquisitione, quæ Actorum XVII. describitur, executioni mandentur.

Cumq; libellum de secta Ieſuitarum & doctrina ipsorũ, qui primam occasionem præbuit ad sequentes meas de Tridentino Concilio lucubrationes, Illustrissimo Celsit. vestræ parenti, &c. felicis recordationis, inscripserim, & priores etiã partes Examinis Decretorum Concilij Tridentini, alijs illustrissimis Brandeburgicæ familiæ Principibus, dedicarim cumq; huius etiam partis scriptio in illud tẽpus inciderit, cùm Celsit. vestra unà cum politica administratione Marchiæ Brandeburgicæ prouinciæ latissimæ, Ecclesiarum etiam curã & nutricationem, Christiano principe dignã, ita susciperet, ut doctrinæ cœlestis incorruptæ vox in illis semper sonaret: existimaui me Principi patriæ meæ, faustæ gratulationis, & pij ominis loco, rectè posse, & iure debere, scriptũ hoc, in quo cœlestium dogmatum puritas & veritas à Pontificiorum corruptelis, sordibus & superstitionib. vindicatur, demissa reuerentia offerre. Scio enim Celsit. vestram, post sacræ Scripturæ cognitionem, in perlegendis D. Lutheri Scriptis, & perscrutandis antiquitatis monumentis eam posuisse operam, ut de momentis controuersiarum religionis, rectè, piè & sapienter iudicare possit. Et diligentia periculosissimis hisce temporibus profectò necessaria est ut Principes ipsi diligenter attendant, quale

Universidad de Deusto
Biblioteca

genus doctrinæ regionum suarum Ecclesiis proponatur, sicut Celsit. vestra piè & prudèter facit, quòd publica autoritate Ecclesiis suis lectionem Scriptorum D. Lutheri diligenter commendat. Non enim Pontificij solum, sed & Sacramentarij clancularij Lutheri scripta de hominum manibus excutere ideò conantur, ut suis erroribus in Ecclesia liberius grassari possint.

Quò minus autem dubitarem, Illustrissimo Celsit. vestræ nomini, meas hasce lucubrationes dedicare, animum mihi addiderunt reuerendi, clarissimi & doctissimi viri, D.D. Georgius Cœlestinus, Ecclesiæ collegiatæ apud Berlinenses præpositus, D. D. Ioannes Copus cognatus meus, Celsit. vestræ Consiliarius intimus, & D. D. Ioannes Neander Medicus, cuius fidei Celsit. vestra corporis sui curam committit. Hi enim spem mihi nõ dubiam fecerunt, significationem hanc quantulamcunq; demissi, & deuoti animi à subdito erga Principem patriæ profectam & declaratam, Celsit. vestræ non ingratam fore, cùm quidem affirmarent, libellum Ecclesiarum Prutenicarum continentem explicationem controuersiarum huius temporis, in quo cõficiendo & ego tunc aliquid operæ contuli, à Celsit. vestra antea, aliqua cum commendatione & non sine pia approbatione, perlectum fuisse.

Quod igitur diuinæ bonitati gratum, & Ecclesiæ faustum ac salutare sit, prodit Tertia hæc pars Examinis Concilij Tridentini, sub Illustrissimo Celsit. vestræ nomine, quam si Lectores intellexerint, Celsi. vestræ iudicio sapientissimo non improbatam fuisse, libentius inspicient, atq; ut opinor, aliqua cum voluptate legent in singulis locis integram, inde ab Apostolorum temporibus contextam certaminum historiam, quando scilicet, à quibus, qua specie, & quibus argumentis, corruptelarum & superstitionum seminaria sparsa, resuscitata, aucta & expolita subinde fuerint. Ac rursus, à quibus veritatis testibus, & ex quibus fundamentis, repressa & refutata fuerint: quodq; priuatæ patrum quorundam opiniones & deuotiones, tunc non fecerint legem communem, aut dogma Catholicum, cùm semper alii veritatis testes melioribus illis Ecclesiæ temporibus, pullulantibus superstitionibus, opinionibus, ex fundamentis scripturæ Canonicæ, publicè se opponerent. Illa enim historica obseruatio hisce controuersiis plus affert lucis, quàm aliæ prolixæ disputationes, & de sententiis veterum una hæc certissima dijudicandi ratio est: ostendit enim, qua fide, & quo candore, Pontificii multas veterum sententias, ad stabiliendas suas superstitiones, detorquere soleant. Et inter scribẽdum sæpius optaui, in prioribus etiam partibus similem rationem seruatam fuisse, ut singulis locis addita esset talis historica cõtrouersiarum explicatio: quod fieri tamen non incommodè poterit, si aliquando

aliquando repetẽda erit editio. Sed in singulis locis Lector ipse hæc animaduertet.

Videbitur forsan nonnullis prolixitas esse nimia. Sed quia status controuersiarum à Pontificiis insidiosè plerunque transponitur (nunc enim longè aliam speciem controuersiis induere conãtur quàm quæ ante annos quinquaginta fuit) ostendendum fuit, quid propriè in controuersia positum sit in singulis locis, & facienda antitheſis, quomodo olim illa disputarint, & quomodo nunc ea pingant. Argumenta etiam nunc longè alia cõquirunt Patroni Regni Pontificij, quàm quæ ante hos annos ipsis usitata fuerunt: conferenda igitur fuerunt & vetera ipsorum & recentia argumenta. Cumq; in explicationibus Argumẽtorum subindè noua comminiscantur sophismata, illa fuerunt detegenda & remouenda. Et cùm præcipuam victoriæ spem in eo ponant Pontificij, ut Lectorem cumulatis variis patrum sententiis turbent, conatus fuit in historia certaminum de singulis locis nebulas illas discutere, & veram rationem dijudicandi veterum sententias ex ipsis fontibus monstrare. Indè factum est, quòd scriptum longius, quàm vel institueram, vel cogitaram, excurrit, quam prolixitatem, non quidem affectatam, sed quam rerum ipsarum tractatio, non tam obtulit, quàm flagitauit, candidus Lector boni consulet. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, rigationi huic, mediocri labore ex pio studio susceptæ sua benedictione salutare addat incrementum, ut ad Nominis sui gloriam, & Ecclesiæ ædificationem, aliquid indè utilitatis redeat, Amen.

Vestram verò Illustrissime Princeps Elector Celsit. demissè oro, ut hanc inscriptionem à subdito suo clementi animo suscipiat, & me meaq; studia sibi clementer commendata habere non dedignetur, sicut Chemniciorum & Sabinorum familiæ, quæ in atauo meo coniunctæ fuerunt, honestum semper sub Marchionibus Brandeburgensibus locum habuerunt. Deum oro, ut sub Celsit. vestra literarum, pietatis & pacis studia feliciter semper floreant. Datæ Brunsuigæ XX. Ianuarij, Anno Domini M. D. LXXIII.

Celsit. vestram.

demissè & reuerenter colens,

Martinus Chemnicius, D.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EX OCTAVA SESSIONE TRIDENTINI CONCILII.

De Castitate, Cœlibatu, & Virginitate.

CANON IX.

SI quis dixerit: Clericos in sacris ordinibus cõstitutos, vel regulares, castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto, & oppositum nil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseq; omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis (etiamsi eam voverint) habere donum, Anathema sit, cũ Deus id rectè petentibus nõ deneget, nec patiatur nos, supra id, quod possumus, tentari.

CANON X.

SI quis dixerit: Statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, & non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu, quàm iungi matrimonio, Anathema sit.

EXAMEN.

QVAE in præcedentib. partibus tractata sunt, quia alicubi habẽt dogmatũ subtilitates intricatas, aliquam desiderant disputationem. Quæ verò adhuc restãt examinanda capita, (ut de Cœlibatu, de Purgatorio, de Reliquiis, Imaginibus & Invocatione Sanctorum, de Indulgentiis, de Delectu Ciborum, Jejuniis & Festis) manifestas, crassas & notorias annexas habent superstitiones & idolomanias, quas cùm totus orbis Christianus in clarissima verbi Dei luce, magno cum dolore & gemitu, dudum exhorrescens aspexerit, ita ut querelæ non tacitis jam coram Deo gemitibus effundantur, sed plena ac sonora voce in toto orbe undique perstrepant, id quod ne ipsi quidem Adversarii negare possunt. Existimârunt igitur multi, licèt tam effrenis sit Monachorum, & recentis Pontificiæ creaturæ Jesuitarum, impudentia, ut nihil tã enormiter & notoriè sit superstitiosum, cujus patrociniura & defensionem ipsi suscipere & profiteri non ausint, fore tamen ut Patres Tridentini in Concilio, tanquam in publico orbis theatro, aliquo suffunderẽtur pudore, & ea, quæ publica scandala, manifestos abusus, crassas superstitiones, & non dissimulandas Idolomanias secum trahunt, ex Ecclesia Dei, publica autoritate tollerent. Præcipuè verò in hoc capite de Cœlibatu, ubi publica, notoria, scortatoria, adulterina & Sodomitica infamia, inquinatissimi cœlibatus in regno Pontificio, multarum conscientiarum periculosi ac perniciosi laquei, & persuasiones de merito Virginitatis, cum Evãgelio pugnantes, & contumeliosæ in meritum filij Dei, multorum inter ipsos etiam Pontificios conscientius inclamant, & relaxationem legis cœlibatus efflagitãt. Nota est Gregorij Magni παλιγωδία, quam Epistola D. Vlrici Episcopi Augustensis recitat. Nota est Pii Secundi vox à Platina annotata. Noti sunt Mantuani versus, quod fuerit seculi sui iudicium de lege cœlibatus. Quid de ea inter ipsos hujus temporis Pontificios scriptores multi optent, in publicis scriptis extat. Auditæ fuerunt in ipso Concilio Tridentino Catholicorum quorundam (ut vocant) Principum legationes, idem sonora voce efflagitantes. Sed querelam illam, qua in præcedentibus sæpius me necessitas uti coëgit, hoc etjã in locò repetere cogor, quòd scilicet architecti Decretorum & Canonũ Concilii Tridentini; puncta & momenta controuersiarum non disertè & expresè ponunt, cumq; crassiora commenta Monachorum, exertis veribus in tanta Evangelii luce, qua etiam Laicorum oculi illustrati sunt, defendere non ausint, & tamen damnare nolint, mirabili artificio, verum controversiarum statum involuunt, ita, ut nihilominus nervos superstitionum retineant, ut ab imperitis harum controversiarum primo intuitu, hoc non statim animaduertatur, Pii tamen si moneantur, insidias facilè perspiciunt. Tectè enim & obliquè, si non integris sententiis, tamen vel uno atq; altero vocabulo, ad suas, quas stabilire volunt, superstitiones alludunt, ut cùm hoc loco castitatem, matrimonio opponunt, non caret Babylonico mysterio Apoc. 17. sicut ostendemus. Ita non clarè explicant, quid in controversia sit positum, quando instituitur collatio inter virginitatem & cœlibatum; obiter tamen eò alludunt, quòd de merito vitæ æternæ & beatitudinis sit disputatio, quando vocabulo paulino, suo more, utuntur (beatius esse.) Eodẽ modo legem & vota cœlibatus nominant tantùm, ut illo cooperculo totam Lernam superstitionum, quæ in ilta Pandoræ pixide latet, stabiliãt. Hæc igitur ea simplicitate, qua usi sumus, in præcedentibus, evolvemus, ut Lectori de Decretis & Canonibus illis iudicaturo, integrę disputationes in conspectu sint. Et primùm de Castitate dicemus.

Capita eorũ de quib. hoc libro agetur.

Trident. Patres contra omniũ spem impurum cœlibatum defendunt.

S. Gregorius de cœlibatu Sacerdotũ.

Pius II.

Principũ legationes & querelæ.

Malicia Tridentinorum occultãdo ne gocij statu, ut nervos superstitionum retineant.

Trid. patres castitatem matrimonio opponunt.

CAPVT I.

QVOD CASTITAS PROPRIE opponatur vagis illicitis & prohibitis libidinibus.

CAstitas, pudicitia, puritas, sanctimonia, necessariæ virtutes sunt in credentibus. Impudicitiam enim inquinamenta seu impuritatem, quæ castitati opponitur Deus aversatur, odit & abominatur. Et qui sine vera castitate impuris impudicitiæ inquinamentis polluti sunt, DEO placere non possunt, 1.

Veram castitatem Deus in pijs omnibus requirit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Thessaloni. 4. 1. Corinth. 6. Ephes. 4. & 5. Ebre. 12. Maximè igitur prodest & necessarium est, ut in Ecclesia DEI doctrina de vera castitate, pura, integra, & perspicua extet, ut ita virtus Castitatis rectè commendetur, & ad eam excolendam pii seriis exhortationibus extimulentur. Falsa autem illa persuasio animis hominum eximenda est, quasi in solo Cœlibatu sit castitas Deo placens, & quasi consuetudo conjugalis opponatur castitati, ita ut reliqua libidinum incendia & operationes extra conjugium, sint quidem aliquid quasi præter castitatem, non tamen frangant votum castitatis, quæ illa conditione in regno Pontificio vovetur (in quantùm humana fragilitas permittit.) Quando igitur in Ecclesia de castitate juxta verbum DEI loquimur, non in genere de abstinentia à conjugio declamitandum, sed integra doctrina comprehendenda est. Castitas enim DEO placens, de qua scriptura concionatur, Primò in eo consistit, ut vitentur omnes libidines, pollutiones & commixtiones extra conjugium à DEO prohibitæ. Secundò, est etiam castitas DEO placens in consuetudine conjugali, propter ordinationem, benedictionem & sanctificationem DEI. Tertiò, in illis, qui donum habent continentiæ, Castitas est puritas vitæ cœlibis, qua abstinent non tantùm à prohibitis, verùm etiam à legitimis commixtionibus. De his capitibus ordine dicemus.

Castitas vera non in solo cœlibatu est.

Castitas in quibus consistat.

Pontificii castitatē coniugio opponūt.

Pontificii igitur, quando de encomiis castitatis concionantur, orationem solummodo vel certè principaliter contra matrimonium dirigunt, de aliis incendiis & operationibus libidinum, obiter tantùm facta mentione. Et vulgus audiens illis, qui licèt omnis generis libidinibus se polluunt, ideò tamen castitatis appellationem tribui, quia legitimum conjugium non ineant, concipit inde odium conjugii, & persuasionem impunitatis in pollutissimis etjam libidinibus. Debuissent itaque Patres Tridentini, castitatem DEO placentem, non contra legitimum matrimonium distinguere, sed vagis illicitis, & prohibitis à Deo libidinibus opponere: cùm præsertim postremi hujus seculi inquinamenta seriùs de hac parte castitatis admonitiones efflagitent. Non enim à sancto conjugio, sed ab illicitis fœdis & prohibitis libidinibus, Evangelicæ castitati capitale periculum est. Nam Deus, qui casta mens est, hoc agit, ut eos, qui non continent, pudico matrimonio copulet, Matth. 19. Malignus verò ille spiritus, hostis veræ castitatis, qui propterea ἀκάθαρτος appellatur, tanquam Leo rugiens obambulat, ut animos incendiis libidinum inflammatos, in mentem reprobam conjiciat, ita ut contra propriæ conscientiæ testimonium, & contra severissimas Spiritus sancti prohibitiones, in scortationem, adulteria, & alias spurcas libidines profligat sìmè ruant. Atq; hæc etjam causa est, quando Scriptura de castitate, pudicitia, mundicie & sanctimonia loquitur, quòd toties & tam acriter doctrinam, contra vagas libidines, severissimis prohibitionibus, & durissimis comminationibus, propositis etjam horrendis exemplis pœnarum, repetit & inculcat. Et quidem ostendit, quam variis modis impurus ille spiritus pudicitiam Evangelicæ castitatis attentare & conspurcare soleat, ut docentes in Ecclesia, animos hominum seriâ inculcatione, & assiduâ meditatione huius doctrinæ diligentiùs præmuniant.

Scriptura castitatem opponit vagis libidinibus.

Primò enim quosdam flammis libidinum ita transversos rapit, ut Dei prohibitiones & comminationes, nec cogitent, nec considerent, nec curent, sed contra conscientiam, quasi beluino impetu in libidines ruant. Notum est, quid Paulus Ephs. 4. de Gentibus scribat: Dedolentes se ipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ. Vbi ἀπηλγηκότας vocat, quorum conscientiis, quasi callus quidem obductus est, ut nec Dei, nec hominum judicio, nec propriæ conscientiæ cogitationibus accusantibus afficiantur aut moveantur, sed beluino impetu in quasvis libidines ruant. Rom. 1. vocat νοῦν ἀδόκιμον mentem reprobā, quia incendia libidinum etjam mentis inditium depravant, ut non consideret τὸ καθῆκον (hoc enim Philosophico vocabulo Paulus utitur.) Nec verò inter Gentes tā tùm hoc accidit, sed in ipso etiam populo DEI. Oseæ 4 Fornicatio aufert cor. Et Prov. 7. Sequitur, non secùs, quàm bos, qui ad lanienam vadit. Et Epistola Iudæ dicit quosdam fœdissima carnis inquinamēta sectari, ἐνυπνιαζόμενοι, hoc est, in quibus iudicium mentis, quasi veterno quodā oppressum est. Causam aût Oseas explicat, quia, inquit, deseruerunt Dominum & mandata eius. Et remedium Salomon ostendit, cum inquit: Præceptum lucerna est, & Lex lumen, & vitæ via correptio & castigatio, ut custodiant te à muliere mala, &c. In tradendā igitur doctrina de vera, castitate, non contra matrimonium contumeliosa spicula sunt ejaculanda, sed eò maximè respiciendum est, ut divinæ prohibitiones, comminationes & exempla pœnarum, de confusione libidinum gravissimis commone factionibus urgeantur, & inculcentur. Hoc enim efficax remedium est per spiritum castificationis, ne cor auferatur, aut veterno opprimatur, ne mens reddatur reproba, & ne conscientia callo dedolentiæ obduretur.

Libidines gentium.

Immunditia quorundā in populo Dei.

Secundò, plerunque opinione licentiæ, & persuasione impunitatis, impuris ille spiritus, solet poculum spurcarum libidinū hominibus propinare, quasi absq; offensione Dei, & sine discrimine, salutis æternæ sit, etiamsi quis se tradat impudicitiæ ad operationem omnis immunditiei. Vt enim ex historiis Ethnicis nihil hùc asseramus, utq; hoc loco de Simone Magno non dicamus, qui, sicut Augustinus annotavit, docuit detestandam turpitudinem indifferenter utendi fœminis. Certè ex 15. capite Actorum colligitur, Gentes etiam post conversionem, scortationem opinione impunitatis, tanquam rem Adiaphoram, exercuisse. Ideò enim Apostoli in Decreto, quod ad gentes conversas mittendum erat, hoc unum tantùm ex lege morali addunt, ut abstineant à fornicatione. Et apud Corinthios (sicut in opulentis emporiis magna solet esse & licentia, & confusio libidinum) post discessum Pauli in ipsa Ecclesia, opiniones illæ spargi cœperunt, quasi fornicatio inter Adiaphora, non verò inter ea, quæ Deo nos exosos faciant, numeranda esset. Nam 1. Corinth. 6. Videntur Corinthiihis argumentis usi. Sicut in novo Testamento Mosaicum discrimen ciborum sublatum est, ita, ut promiscuus usus omnium ciborum, quòd ad cōscientiam indifferens, licitus & concessus jam sit: ita etjam promiscuam Venerem nō esse peccatum, Textus enim inquit, Esca ventri, & venter escis, sed non ita inquit Paulus, corpus scortationi: sed Domino. Item, Quia Deus spiritus est, & spiritu vult coli: Si itaque in spiritu Deum colamus, non referre quid in corpore fiat. Paulus verò opinioni indifferētiæ, magno zelo opponit gravissimas has comminationes: Eos, qui libidinibus, cū lege Dei pugnātibus, corpora sua polluunt, non posse hæredes Dei, membra Christi, & templa Spiritus sancti esse. Argumento verò de indifferenti usu corporis, cum res sit externa gravissimas rationes opponit. 1. Quia Deus creator & conservator est non animæ tantùm verum etjam corporis. 2. Non anima tantùm: sed & corpus precio sanguinis filii Dei redemptum est. 3. Spiritus sanctus non tantùm animæ conjungitur: sed & corpora nostra sunt templa Spiritus sancti. 4. Sumus membra Christi, non tantùm secundum spiritualem hominem: sed & corpora nostra sunt membra Christi. 5. Non tantùm anima habebit vitam æternam: sed & corpora nostra suscitabuntur ad vitam æternam. Et illis rationibus concludit nos esse Adiaphoron & liberum, quomodo quis corpore suo uti velit, sed glorificandum esse Deum, non tantùm in spiritu: verùm etiam in corpore nostro.

Argumenta Pauli contra libidinem.

Satan è scriptura turpitudini libidinū præ texto quæsivit.

Tertiò, Tanta est immundi istius spiritus impudētia, ut cùm libidines suas, primùm excœcatis & obduratis cordibus, obtrusisset, & secundò, illas tanquam rem indifferentem venditasset, tanquam non sit veritus longius progredi, & ex ipsa etjam Scriptura, speciem conquirere, quam turpitudini suæ, tanquam rei non vitiosæ, sed bonæ & honestæ, prætexeret. Apocalyp. 2. fit mentio doctrinæ & vitæ Nicolaitarum. Historiam autem describit Clemens, libro 3. Stromatum, & Eusebius lib. 3. cap. 29. Quod scilicet Nicolaus, unus ex septem primis Diaconis, Actor. 6. cùm pulchram haberet uxorem, & à quibusdam zelotypia uxoris ipsi objiceretur, mulierem in medium produxerit, & se eam communem velle omnibus facere dixerit. Addit autem uterque & Clemens & Eusebius, Nicolaum hoc fecisse ex simplicitate quadam, ut ita suspitionem Zelotypiæ à se removeret, & specimen præberet, se non addictum esse rebus huius Mundi, sed iis se renunciare posse, cùm scriptum sit: Qui non odit uxorem suam, non potest meus esse discipulus. Item, Nemo potest duobus dominis servire. Inde verò Nicolaitæ occasionem sumserunt fœdissimi sui dogmatis de promiscua confusione libidinum, quam non tantùm licitam, sed & bonam esse blasphemè disputārunt. Et non multò post ex Valentini schola tàm tetræ libidinum confusiones prodierunt, ut descriptiones earum apud autores nemo legere possit, quin totus cohorrescat. Extat etjam apud Clementem, lib. 3. Stromatum longa narratio, de Carpocratis schola. Quia enim Christiani tunc Vigilias, hoc est, nocturnos conventus celebrabant, ideò, quia interdictum, propter metum Tyrannorum, convenire non audebant, & ibi conviviola pro pauperibus, quæ ἀγάπας nominabantur, instruebant, Carpocratiani, hanc consuetudinem imitati, ad nocturnas concœnationes promiscuè, viri & mulieres, conveniebant, & post cœnam amoto lumine nefanda quæque exercebant. Docebant enim licitum esse coire, quando velint, & cum quibus velint, & à mulieribus, tanquam obedientiam legis, exigebant promiscuum concubitum. His enim verbis Clemens fœdas ipsorum libidines describit, atque argumenta etjam, quibus horrendas suas libidines defendere ausi fuerunt, recitat. Quia enim Scriptura commendat communionē inter fratres, quæ deducit ad regnum cœlorum, ipsi κοινωνίαν illam nō fuerunt veriti interpretari de promiscua confusione libidinum, ut mulieres sint communes, sicut aëris usus communis est. Clemens verò scitè vocat eos fratres nō Christi, sed libidinis, & dicit κοινωνίαν illam deducere nō ad regnum cœlorum, sed ad prostibula, & ad cōmunionem suum & hircorum.

Valentiniani.

Carpocrates.

Argumenta Carpocratis.

Quidam ex Carpocratianis accedens ad formosam virginem, dixit: Scriptum est, Da omni à te petenti: illa, ut quæ non intelligebat hominis petulantiam, modestè respondet: At tu matrem convenias de matrimonio. Ad dictum verò scripturæ Clemens respondit: Quædam esse communicabilia, ut est Pecunia, cibus, vestitus, officia, operæ, &c. De corpore verò scriptum esse, 1. Cor. 6. Corpus non fornicationi, sed Domino. Item, Non estis vestri juris, precio enim empti estis. Fertur dictum quoddam Matthiæ: Cum carne pugnare, & carne uti, nihil est impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam per fidem & agnitionem. Hoc verò dictum Carpocratiani ad spurcitias suas ita mutilārunt: Animam esse augendam fide & cognitione: Carne autem utendum, hoc est si modo anima castificetur. 1. Pet. 1. non referre apud Deum, quomodo corpore quis utatur, Quia scriptum sit, Rom. 2. Ira & tribulatio, non super corpus, sed super omnem animam, operantem malum.

Dictum Matthiæ.

Gnostici etjam abusi sunt hoc argumento: justo non est lex posita. Item, non sumus sub lege, sed sub gratia. Ergo prohibitiones sexti præcepti non obligant Christianos: Sed sicut domini sunt Sabathi, hoc est, tertii præcepti quod tanquam ceremoniale jam abrogatum est, ita voluerunt Christianos dominos esse etjam sexti præcepti. Abusi sunt etjam illa sententia Pauli: In Christo non est mas aut fœmina. Item, quod græca translatio habet, Mal. 3. Deo restiterunt, & salvi facti sunt.

Gnosticorum argumenta.

Clemens verò opponit has sententias, Ro. 5. Num peccabimus, quia non sumus sub lege? Et Gal. 5. Ne præbeamus libertatem in occasionem carnis. 1. Pet. 2. Libertas non sit velamen malitiæ. Nec verò post Apostolorum tantùm tempora, sed ipsis Apostolis adhuc in carne viventibus, talia à Pseudo Apostolis in Ecclesia sparsa fuisse, ex Epistolis Petri & Iudæ manifestū est, Quā verò zelo pro castitate contra turpitudines illas Apostoli pugnārint ostendit locus, Apocal. 2.

Pseudo Apostoli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Odisti opera Nicolaitarum, quæ & ego odi. Item, habes tenentes doctrinam Nicolaitarũ, quod odi. 2. Pet. 2. Dominus eos, qui post carnem in concupiscentia pollutionis ambulant, in diem judicii puniendos servat. Et Epistola Iudæ: Ignis æterni pœnam sustinebunt, qui carnem maculant. Non autem institui hoc loco, justã aut integram argumẽti hujus tractationem, sed hæc obiter adduxi, ea occasione, quia Tridentini Canones castitatem Deo placentem, non tàm fœdis libidinibus opponunt, quã contra sacrum cõjugium distinguunt. Volui igitur paucis ostendere, quòd ab initio novi Testamenti, impurus iste Spiritus, non per honestũ conjugiũ, sed per fœdas suas libidines, Evangelicæ castitati perniciosas insidias struxerit, idq; variis modis: & quam acri zelo Apostoli & primitiva Ecclesia, gladio Spiritus contra confusiones libidinum se opposuerint. Inde enim consequens est, omninò necessariũ jam esse in Ecclesia, ad tuendam verã castitatis sanctimoniã, homines non à conjugio deterrere, sed à cõfusione libidinum arcere per divinas prohibitiones, cõminationes, & exempla pœnarum. Cum quidem & mens reproba in libidinibus, & persuasio licentiæ seu indifferentiæ, non minùs perniciosè nunc grassentur, quã olim: imò cùm jam in Italia potissimùm, & quidẽ Romæ in ipsa sanctissimi (si Dis placet) Patris conspectu, lupanaria, hoc est, publicæ turpitudinũ officinæ apertè prostent, & publicis vectigalibus elocentur. Ne dicam quòd proximis annis ipsius Pontificis legatus, sicut Sleidanus scribit, edito publico scripto, horrendum illud vitium, propter quod Sodoma cum vicinis urbibus, igne iræ divinæ conflagravit, & pro se defendere, & aliis commendare in publicam contumeliam loci, 2. Pet. 2. non fuerit ullo pudore, si non Christiano, at saltẽ humano retractus. Et isti homines, de castitate contra matrimonium, decreta faciunt, scilicet non dissimiliter, sicut in antiquo proverbio dicitur: Clodius de pudicitia.

Italiæ & Romæ prostibula publica.

Impudentia legati Pontificis.

CAPVT II.

AN CASTITAS RECTE DISTINGUATUR CONTRA MATRIMONIUM, QUASI ETJAM IN CONJUGIO NON SIT DEO PLACENS CASTITAS.

IN nono Canone, castitatem matrimonio opponi manifestũ est. Hæc enim sunt verba Canonis: Si quis dixerit, regulares, castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, &c. Item, posse omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etjamsi eam voverint, habere donũ, Anathema sit. Sentiunt igitur castitatem conjugio violari, pollui & contaminari, in conjugio contra castitatẽ peccari. Conjuges castitate Deo placente destitui. Quia verò differentia est inter castitatẽ, quæ in cœlibatu servatur, & eam, quæ est in consuetudine conjugali, posset quis cogitare, Canonẽ hoc tantùm velle dicere: Conjuges non esse virgines. Sed longè aliud mysterium est, ad quod antithesi illa, inter castitatem & matrimonium, alludunt. Multa enim à veteribus, & à recentioribus disputata sunt, statũ conjugalem esse carnalem & immundum, cui illa, quæ Scriptura de castitate, pudicitia, mundicie & sanctimonia prædicat, non possint convenire, sed in solo cœlibatu esse castitatem Deo placentem, ideò solas suas Virgines vocant Sanctimoniales impollutas. Hæc Tridentini patres apertis & disertis verbis ex professo forsan defendere non audent: quia tamen fundamentum hoc est virginitatis suorum regularium & cœlibatus Sacerdotum, rectè voluerunt illa antithesi inter conjugium & castitatem seu sanctimoniam, ad veteres illos impietatis nervos alludere. Vident enim posito & concesso hoc fundamento, quòd in conjugio non sit castitas, sponte inde consequi & stabiliri ea, quæ ipsi de sanctimonialium virginitate, & de sacerdotum cœlibatu, tradunt & defendunt. Nam casta placent superis. Item, Casta Deus mens est, casta vult mente vocari. Et castas pondus jussit habere preces. Mysterium igitur iniquitatis in antithesi ista inter matrimonium & castitatem involutum, ex collatione historiarum evolvemus, ut conjugio sua castitas & sanctimonia ex scriptura asseratur, & origo falsarum persuasionum de necessitate cœlibatus sacerdotum, & de meritis virginitatis regularium monstretur. Ad sequentia enim magnum hæc habebunt usum.

Coniugii vituperationes.

Antitheses Cano. Trid. pat. fraudem detegit.

In puritate itaque vitæ cœlebis esse castitatem etjam ratio intelligit: In consuetudine verò conjugali piorum esse castitatem, pudicitiam, mundiciem, sanctimoniam, ratio videre non potest. In solam enim conjugum commixtionem oculos defigit: Sed doctrina est sacræ scripturæ propria & peculiaris, castitatẽ & sanctimoniam Deo placentem, esse etjam in consuetudine conjugali piorum propter ordinationem, conjunctionem, benedictionem, & sanctificationem Dei. Non igitur Ethnicorum dictis vel exemplis, nec ex rationis dictatis, aut externa specie: sed ex doctrina divinitùs patefacta formandum est judicium, de conjugii castitate & sanctimonia. A qua regula cùm veteres hæretici, & quidam etjam ex patribus discederent, & rationis judicium sequerentur, ac externam tantùm speciem consuetudinis conjugalis considerarent, valdè non tantùm tenuiter, sed iniquè, imò contumeliosè & blasphemè de conjugio & senserunt & locuti sunt.

Scriptura castitatem etiam coniugi tribuit.

Cur nonnulli ex patribus coniugio inquiuerit.

Cùm enim sub initium novi Testamenti, turpitudo & confusio detestandarum libidinum ex verbo Dei acriter damnarentur, & contra eas doctrina de castitate & sanctimonia ex scriptura diligenter & serio vrgeretur: videns impurus ille Spiritus, se hac ratione id, quòd contra Evangelicã castitatem machinabatur, ubique & apud omnes efficere non posse (cum & Doctores in primitiva Ecclesia gladio Spiritus se fortiter opponerẽt, & inter ipsos etjam Ethnicos honestiores, quiq; à confusione libidinum abhorrerent) in aliam se formam convertit, & excitavit multos, qui cum vagas libidines rectè abominarentur, nimis in alteram partem deflexerunt, prætextu castitatis & sanctimoniæ, damnantes etjam conjugalem consuetudinem, eò, quòd commixtio sexuum etjam in conjugio videretur res esse immunda. Puritas verò, castitas, pudicitia & sanctimonia in solo cœlibatu judicaretur esse. Et

Insidiæ Canonis Trid. de castitate.

Marcion. se. Et Marcion quidem (sicut Clemens refert) à Philosophis & Poëtis, qui semper iniquiores fuerunt conjugio, seminaria suæ opinionis accepit, sed cum illi tantùm molestias, quas hoc vitæ genus secum trahit, prætenderent, Marcion præterea addidit hanc blasphemiam: Ipsam commixtionem sexuum in conjugio esse peccatum: Imò ipsum opus generationis esse malum, & à contrario Deo profectum, ideo sicut Tertullianus scribit lib. contra Marc. Neminem ad baptismum admittebant, nisi vel cœlibem, vel matrimonio & hujus fructui renunciantem. *Secundus.* Secundus quidam posteà illam blasphemiam amplificavit, docens, mulierem totam esse opus diaboli, viri verò inferiores partes ab umbilico ejus dsdẽ diaboli creationem esse, & ideo vtentes conjugio asservìt Satanæ opus implere, ita Epiphan. Tom. 3. lib. 1. hæresi. 45.

Alii eandem blasphemiam hoc modo proponebant, sicut extat apud Clementem, cùm planè nulla sit differentia inter commixtionem in cõsuetudine conjugali & in fornicatione, diabolũ ex cogitasse discrimen, ut honesta matrimonii specie, turpitudo illa tegeretur. *Tertullian.* Et contumeliosum hoc argumentum, totidem ferè verbis etjam Tertullian. repetit, de exhortatione castitatis, ubi inquit, videtur esse matrimonii & stupri differentia, sed utrobiq; est commixtio, Ergo inquis & primas nuptias damnas? Respondet: Nec immeritò, quoniam & ipsæ ex eo constant, quòd est stuprum. *Hieronym.* Ita Hierony. etjam ex veterum hæreticorum lacunis, contumeliosam illam vocem hausit, quando dicit, hanc tantùm esse differentiam inter uxorem & scortum, quòd tolerabilius sit uni esse prostitutam, quàm pluribus.

Hæretici cõtagium in universum dãnarunt.

Tatianus.

Et illi quidem veteres hæretici, quorum multi & varii fuerunt sectatores: conjugiũ tanquam rem prorsus immundam, & opus diabolicum, in universum damnárunt, nec quenquam in cõjugio posse salvari docuerunt. Tatianus verò qui & eruditione & auctoritate (fuerat enim Iustini martyris discipulus) pollebat, primò quidem juxta Marcionis dogma, nuptias, tanquam institutionem diabolicam, prorsus damnavit, & pares eas fornicationibus & aliis corruptionibus fecit. Posteà tamen animadvertens, sive ipse sive sectatores ejus id, quod Augustinus ex Epiphanio innuere videtur, nimis crassam esse hanc blasphemiam, conversus ad hypocrisin, cœpit sub prætextu castitatis, sanctimoniæ & perfectionis, quam in cœlibatu cõstituebat, nuptias sugiliare. Libro enim de castitate, sicut recitat Clemens, inscripsit titulum (de perfectione secundum servatorem) ut hic fuerit prætextus quòd in lege, ueteri quidem populo concessum fuerit conjugium: Evangelium verò excellentiorem doceat perfectionem. Et ideo sectatores ipsius appellárũt se ἐγκρατήτας, quasi soli præcepta Evangelica de castitate & sanctimonia servarent. *Encratitæ.* Et ipsa hypocrisis de perfectione & castitate, multis cœpit arridere. *Montanus.* Montanus enim publicè docuit, in infirmis tolerari primas nuptias, licèt non careant vitio, perfectiùs autem esse, etjam illas vel caveri, vel solvi: Secundas verò nuptias simpliciter pro fornicationibus habuit.

Quia verò testimonia scripturæ & præcipuè Pauli manifestè luscæ opinionibus contradicebant: Tertullianus posteà ausus fuit fingere paracletum Montani id, quod Paulus tenellæ adhuc Ecclesiæ infantiæ indulserat, adultiori jam abstulisse, & disciplinam perfectiùs astrinxisse. Et non veretur dicere: Si Christus repudium, quod Moses concesserat, abstulit, cur non etjam paracletus id, quod Christus indulsit, tolleret? Quanquam igitur Marcionis, Tatiani, & reliquorum hæreticorum manifestæ & crassæ blasphemiæ contra conjugium, in Ecclesia non recipiebantur & probabantur: ex illa tamen hypocrisi, de qua jam dictum est, de perfectione, quodq; in cõjugio non esset vera castitas & sanctimonia, paulatim etjã in ipsam Ecclesiam zizania quædam irrepserunt, ut licet secundas nuptias cum Montano damnare non auderent, iniquiores tamen illis esse cœperunt. Clemens enim 3. Strom. dicit: Eum qui secundò contrahit matrimonium, non quidem peccare contra legem: quia Paulus ex venia concedat, non tamen implere perfectionem Evangelii. Nazian. Primæ nuptiæ legis sunt. Secundæ indulgentiæ. Tertiæ prævaricationis. Et concilium Næocesarienſe prohibet presbyterum interesse secundis nuptiis & statuit non esse benedicendas. Origenes in Lucam de secundis, tertiis & quartis nuptiis inquit: Nõ ignoramus quòd tale conjugium rejiciet nos de regno DEI. Ita licet primas nuptias non dãnarent: tamen cœlibatui adhærere cœpit persuasio perfectionis. Nam & Manichæi non prorsus damnabant nuptias. Auditoribus enim suis, ut plebeis & imperfectioribus eas concedebant: Electis verò suis (quos ita vocabant) ut perfectioribus, omnino interdicebant usum conjugii. Atq; inde demùm ipsi etjam patres, ut Origenes, Ambrosius, Hieronymus, disputare cœperunt, cœlibatum, propter castitatem & sanctimoniam, meliùs convenire ministerio Ecclesiastico, quàm conjugium. Illa enim labes, quam Hieronymus Tatiano tribuit, in ipsa Ecclesia cœpit affricari conjugio: Qui seminat in carne è carne metet corruptionem.

Tertullian.

Clemens.

Manichæi.

Quomodo verò zizania illa in regno Pontificio aucta & ad oppressionem tritici evecta sit, posteà ostendemus. Hoc loco digitũ tantùm ad fontem & originem intendisse sufficit. Et hæc historica commonefactio ostendet quid Paulus velit quando 1. Tim. 4. dicit doctrinam dæmoniorum prohibentem nubere, tunc multos inventuram applausores, quãdo in hypocrisi proponetur.

Vtilè autem esse judico illam considerationẽ, quibus argumentis contra conjugium usi sint veteres hæretici, & quomodo illa Tertullianus & Hieronymus à veteribus hæreticis mutuati sint. Hæc enim collatio posteà ostendet, ex qua Topica desumpta sint Pontificiorum argumenta contra conjugium sacerdotum: Atq; ita manifestum evadet, eandem esse doctrinam dæmoniorum, 1. Timoth 4. in hypocrisi propositam, apud veteres & recentiores contemptores & proscriptores conjugii. Collegit autem Clemens 3. Strom. longa Oratione pleraq; veterum argumenta, illa nos, ut collatio, de qua diximus, faciliùs

Argumenta hæreticorum contra matrimonium.

Fõs argumẽtorum, quib. pontificii cõiugiũ sacerdotum impugnant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

posit institui, brevitèr recensebimus. Dicunt generationem pugnare cõtra charitatem proximi. Non enim esse inducendos in mundum alios, tàm miserè infelices futuros. Item, in Ecclesia regnum mortis destructum est. Sed generatio præbet regno mortis nutrimentum, juxta dictum, Rom. 5. Mors regnavit. Citant etjam ex Evangelio secundum Aegyptios, quod Salome interroganti, quousque vigebit mors? Christus respondit, quoad usque vos mulieres paritis, Salome excepit: rectè ergo ego feci, quæ non peperi. Christus respondit, omni herba vescere, ea autem, quæ habet amaritudinem, non vescaris.

Evangelium secundum Aegyptios.

Item, Luc. 20. filii hujus seculi nubunt, post resurrectionem verò non nubent, sed similes erunt angelis Dei. Sed fideles spiritualiter jam resurrexerunt, &c. Clemens respondet per instantiam, ergo post spiritualem resurrectionem etjam non deberent edere, bibere, dormire, &c.

Christus non duxit uxorem, & ipsius actio est nostra instructio. Clemens respondet, missus erat nõ ad generationem, sed ad opus redemptionis: ipsum verò conjugium, & doctrina, & miraculis approbavit.

Matth. 24. In diebus Noe. Luc. 17. In diebus Loth erant nubentes.

Matth. 24. Væ prægnantibus & lactantibus.

Citant etjam ex Evangelio secundum Aegyptios, veni ad dissolvendum opera fœminæ. Item, scriptum est, exite, immundũ ne tangatis, mundamini, qui fertis vasa Domini.

Despondi vos viro uni, virginem castam. Qui cum mulieribus non sunt coinquinati, sed virgines sunt, hi sequuntur agnum, qui in carne sunt Deo placere non possunt. Ad quod Clemens rectè respondet, Paulum etjam de conjugatis dicere, vos non estis in carne, sed in spiritu.

Tatianus dixit: Conjugatos servire duobus Dominis, Deo & Satanæ. Nam 1. Corinth. 7. propter orationem debent abstinere, sed propter incontinentiam, ne tentet diabolus, debent rursus convenire. Consuetudinem ergo conjugalẽ solvere precationem. Ne vocaveritis patrem super terram. Ergo generatio est prohibita.

Cœlebs curat ea, quæ sunt Domini, &c. Respõdet Clemens, uxor etjam; quãdo est de domo solicita, potest hoc facere in Domino.

Luc. 14. uxorem duxi, non possum venire.

Tatianus in libro de castitate his argumentis usus est: Christus Eunuchus vocat beatos, Matt. 19. Conversatiõ vestra est in cœlo. Philip. 3. Non quæramus quæ suprà terram. Col. 2. Qui seminat in carne de carne metet corruptionem. Gal. 6. Luc. 14. Qui non odit patrem, uxorem. Esa. 56. De Eunuchis dabo illis nomẽ melius. Ad hoc postremum Clemens respondet, Meliores esse his, qui tantùm externa professione se jactant.

Item, Adam post lapsum primùm cognovit. Evam, maledictus dies, in qua natus sum. In peccatis conceptus sum. Ergo consuetudo conjugalis est peccatum. Hæc ferè sunt hæreticorum argumenta contra conjugium, quæ apud Clementem extant.

Refutationes argumẽtorũ.

Annotabo verò paucis etjam fontes refutationum, quas Clemens opponit. Inde enim intelligi poterit, quid Ecclesia tũc de conjugio senserit. Allegat illud, 1. Tim. 4. Vbi prohibitio conjugii vocatur doctrina dæmoniorum, 1. Corin. 7. Alligatus es uxori, ne quæras solutionem. Ipsius Clementis verba hæc sunt: An reprobant etjam Apostolos? Petrus enim & Philippus filios procreârunt, Philippus etjã filias viris tradidit, Paulus uxorem suam vocat σύζυγον, Philip. 4. de qua inquit, 1. Corin. 9. habemus potestatem circumducendi uxorem, ut reliqui Apostoli. Porrò affirmat Clemens etjam in matrimonio esse castitatem. Item, qui propter molestias educationis fugiunt matrimoniũ, eos dicit peccare contra charitatem. Vtitur etjam his testimoniis, 1. Corin. 7. Sancti sunt filii, sanctificatur mulier, vir, &c. 1. Tim. 5. Volo iuniores viduas nubere. 1. Tim. 4. Episcopum constituit, qui ex propria domo toti Ecclesiæ præesse meditatus sit. 1. Timoth. 2. Salvabitur mulier per generationem.

quibus usus sit hæreticis.

Item inquit. Apostoli docentes de castitate nusquam prohibent conjugium. Sunt & hæc ejus verba. Quia Paulus dicit, convenite rursus in idem, ne tentet vos Satan propter incontinentiam. Ergo consuetudo conjugalis, etjam si non propter procreationem, sed ad vitandam ustionem seu fornicationem suscipiatur, tamen non est damnanda.

Recitat etjam illorum, qui defenderunt conjugium, hæc fuisse argumenta. I. Ex naturæ constitutione. II. Quia scriptum est, crescite. III. Patriæ causa, ut successorem in suum locum, quis constituat. IIII. Propter adjutorium ut in morbis, &c. Hæc quia non inutilia fore arbitrabar brevissimè annotare volui. Possunt enim judicium in gravissima hac controversia rectè formare.

Argumenta defendentium coniugium.

Porro addemus breviter etjam Tertulliani & Hieronymi argumenta, contra conjugium.

Argumenta Tertul. contra cõiugiũ.

Tertullianus ad uxorem: Quale quæso hoc bonum est, quod mali comparatio commendat. Vt ideò melius sit nubere, quia deterius sit vri. Sic dicitur, melius est uno oculo carere, quàm duobus. Item, quod permittitur suspectam habet permissionis suæ causam. Duæ species humanæ imbecillitatis nuptias necessarias faciunt, concupiscentia carnis & seculi, sed utraq; repudianda est servis Dei.

Item, quod necessitas præstat, depreciat ipsa. Sed carnem legimus infirmam, & hinc nobis impensiùs adulamur, legimus tamen & Spiritum firmum. Si ergo Spiritus carne fortior est, nostra culpa inferiora sectamur. Idem de exhortatione castitatis: Ex indulgentia est quicquid permittitur: ea autem venit de voluntate invita, id est, non probante. Non est nunc locus istius vocis, crescite, &c. sed tempus in collecto est. De Monogamia negat locum Pauli, 1. Corinth. 9. de circumducenda uxõre, intelligendum esse de conjugio Apostolorum, cùm tamen Clemens ex antiquitatis sententia hoc affirmet. Item, non potes capere, quia non vis, posse enim te, si velis ostendit, quia tuo arbitrio utrumque proposuit. Est & hoc Tertulliani argumentum: Qui videt mulierem ad concupiscendam eam, adulterium committit coram Deo. Ergo magis qui videt ad ducendam, & maximè, qui duxit, corã Deo adulterium

terium committit. Item, in libro de velandis virginibus consuetudinem conjugalem vocat communem contumeliam, quod etjam Hieronymus repetit.

Argumenta Hieronymi.

Hieronymi argumenta hæc sunt:

Si bonum est, mulierem nõ tangere. Ergo malum est tangere: nihil enim bono contrarium, nisi malum. Si autem malum est, & ignoscitur, ideò conceditur, ne malo quid deterius fiat. Locum 1. Timoth. 2. ita depravat: Tunc salvabitur mulier, si tales genuerit filios, qui virgines permansuri sunt, si quod ipsa perdidit, recuperet in liberis, &c. Similiter etjam locum, Roman. 6. finis illorum mors, ita depravat. Puto, quod & nuptiarum finis mors sit, fructus autem sanctificationis, qui vel ad virginitatem vel ad continentiam pertinet, vita pensatur æterna. Tractans illam sententiam, ut vacetis orationi, &c. inquit: Oro te, quale illud bonũ est, quod orare prohibet, quod corpus Domini accipi non permittit. Semper orandum, igitur nunquam conjugio serviendum. Et huc torquet dictum Petri, ne impediantur orationes vestræ. Quando impleo officium mariti, non impleo Christiani. Dicit etjam Paulum secundum veniam loqui de nuptiis, sicut etjam de illo, qui incestum commiserat, inquit: Si quid donastis, & ergo, &c. De loco, Matth. 24. Væ prægnantibus, inquit: Non hic scorta damnantur, sed uteri tumescentes, infantum vagitus, fructus atq; opera nuptiarum. Item, nuptiarum finis mors est. Virginitas verò pertinet ad vitam æternam. Nuptiæ terram, virginitas cœlum implet. Omnia fermè loca Scripturæ de carne & spiritu, de sanctificatione, de renovatione, de emundatione ad cœlibatum, contra conjugium torquet. Et dicit adversus Helvidium, non negamus maritatas sanctas mulieres inveniri, sed quæ vxores esse desierint. Dicit etjam Paulum obliquè damnasse nuptias. Nam libr. 5. Coment. in Ierem. inquit: Si propter angustiam temporis habentibus usus uxorum tollitur, quantò magis non habentibus, ne accipiant, imperatur. Et contra Iovinianum illud, 1. Corinth. 7. Ego verò vobis parco, ita exponit: Tantùm recenseo tribulationem carnis: taceo autem, quæ damnatio maneat conjugatos in futura vita, ut infirmis parcam, qui jam sunt in matrimonio: quam depravationem textus Augustinus multis refutat in libro de sancta Virginitate. Possem plura & ex aliis etjam scriptoribus addere, sed non est hujus instituti integram illorum certaminũ historiam texere. Hæc enim ideo tantùm adduxi. I. Vt viam ad sequentia præstruerem, quomodo scilicet à veteribus hæreticis Montanistæ, à Montanistis ex patribus quidam, argumenta arripuerunt, quibus posteà & meritum Virginitatis, & Cœlibatum sacerdotum, in ipsa Ecclesia pro articulis fidei stabilire conati sunt. II. Vt ostenderem ipsam necessitatem flagitare, ut non de Virginitate tantùm declametur in Ecclesia, sed ut conjugio etjam asseratur & vindicetur castitas, pudicitia, mundicies & sanctimonia, quam Spiritus sanctus in Scriptura ipsi tribuit.

CAPVT III.

CASTITAS IN CONjugio.

Ethnicorum igitur sententiis, Hæreticorum blasphemiis, Patrum quorundam iniquitati, & privato rationis humanæ judicio opponendæ sunt castæ, pudicæ & sanctæ appellationes, quas Scriptura conjugio tribuit. Inde enim certò potest colligi, quo loco Spiritus sanctus consuetudinem conjugalem habeat, & quid velit nos in Ecclesia de ea sentire & loqui. Ostendunt autem testimonia Scripturæ, Deum tanti facere institutionem & ordinationem suam in conjugio, ut etjam in hac corrupta natura, consuetudinem conjugalem, in qua leges coniugii non violantur, maximè si conjuges sint credentes, pronunciet esse ἁγνείαν, castitatem, puritatem, σωφροσύνην continentiam seu pudicitiam, ἁγιασμὸν sanctimoniam, ἀμίαντον mudiciem, quę inquinationi & pollutiõi opponitur, τιμὴν, quod non fœdum ac turpe, sed honore dignum est, 1. Thessalonicen. 4. Meminerit quisque vas suum possidere in sanctificatione & honore non in passione concupiscentiæ, sicut & gentes, quæ Deum non novêrunt, 1. Corinth. 7. Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem. 1. Timoth. 2. Si manserit in fide ac dilectione & sanctimonia cum castitate. Vt enim ostendat se in illo loco loqui de consuetudine conjugali, disertè nominat generationem liberorum. Ebræ. 13. Honorabile conjugium in omnibus, & cubile impollutum. Aliud verò est cubile extra coniugium. Roman. 13. Non in cubilibus. Matth. 19. vocatur conjunctio divina. Ephes. 5. Paulus dicit: conjunctionem viri & vxoris magnum esse mysterium in Christo & Ecclesia. Tit. 2. hortatur adolescentulas, ut viros suos ament, filios diligant, sint castæ, sobriæ, &c. 1. Pet. 3. mulieres sint subditæ viris, ut considerantes castam conversationem, &c. Et memorabile est exemplum, cùm Nicæna synodus vellet novam legem statuere, ne Clerici consuetudinem haberent cum uxoribus propriis, Paphnutius confessor, qui erat expers nuptiarum, exurgens, contradixit, honorabiles confessus nuptias, & affirmans consuetudinem cum propria vxore esse σωφροσύνην pudicitiam seu castitatem. Ex illa Paphnutii oratione potest colligi, quo prætextu, & propter quas rationes, synodus voluerit conjugii usum sacerdotib. interdicere. Quia scilicet castitas requiratur in ministris. 1. Timo. 4. Et quia turpitudo consuetudinis conjugalis non deceat ministerium, his imaginationibus Paphnutius opponit suam confessionem ex verbo Dei, quod in ipso etjam conjugio sit pudicitia & castitas Deo placens. Extat etjam Athanasii exhortatio ad Heremitas circa Alexandriam, qui contendebant, tantùm in cœlibatu esse castitatem. Ostendit autem etjam in conjugio esse castitatem, ita etjam cùm Hieronymus matrimonium tam flagitiosa contumelia affecisset, Augustinus ex scriptura appellat castitatem conjugalem, & pudicas nuptias de sancta virginitate, cap. 20.

Appellatiões quibus scriptura coniugium ornat.

Paphnutius de castitate coniugii.

Athanasium.

Augustinum.

Non autem appellationes tantùm in testimo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

niis Scripturæ obſervandæ ſunt. ut 1. Corinth. 7. Conſuetudinem conjugalem piæ matronæ, etiã cum viro infideli non polluere conſcientiam. Et 1. Theſſ. 4. inquit: Voluntas Dei eſt, &c. 1. Timo. 2. dicit: Fidem, dilectionem & ſanctificationem ſimul poſſe eſſe in conſuetudine conjugali. Roma. 13. Cubilia recenſet inter opera tenebrarum, in quibus Chriſtus non inducitur. Sed Ebræor. 13. Concubitum conjugalem (ita enim κοίτην vſurpatur, Rom. 9.) dicit eſſe impollutum. Et ne quis exiſtimet coram hominibus tantùm haberi impollutum, mox in antitheſi addit: Scortatores autem & adulteros judicabit Dominus. 1. Pet. 3. Vxoribus, quæ maritis ſubditæ ſunt, tribuit timorem Dei, interiorem ſeu novum hominem, incorruptionem, ſpiritum mitem, ſpem in Deũ, & id, quod coram Deo eſt preciоſum.

Hæc rectè obſervata, monſtrant graviſſimas cauſas, quare in Eccleſia retinendum & defendendum ſit Spiritus ſancti illud dogma, quòd pudicitia & caſtitas ſit etjã in conſuetudine conjugali. Poſtea ex hiſce fundamentis etjam oſtendemus, veteres non habuiſſe veras cauſas, cur ſacerdotibus conjugium prohiberent, quaſi ſcilicet Spiritus ſanctus, timor, dilectio, fides, pura conſcientia non poſſit eſſe in conſuetudine conjugum. Illa enim omnia, ſicut oſtendimus, Scriptura tribuit ipſis nuptiis.

Sententiæ quorundam ex veterib. contra coniugiũ cum Scriptura pugnãtes.

Collatio etjam oſtendet, quàm longè à caſtimonia linguæ & ſententiæ Spiritus ſancti diſcedant & exorbitent veterum quorundam dicta, quæ citantur. 33. q. 2. Vt connubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præſentia Spiritus ſancti dabitur, etjamſi Propheta videatur eſſe, qui officio generationis obſequitur. 33. q. 4. Quicunq; uxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi, non de carnibus agni comedere debet. Item, ſi panes propoſitionis ab his, qui uxores ſuas tetigerant, comedi non poterant, quantò magis panis qui de cœlo deſcendit, non poteſt ab his, qui conjugalibus paulò antè hæsêre complexibus, violari atq; contingi. Ibidem Gregorii ſententia extat, Romanorũ ſemper ab antiquioribus uſus fuit, poſt admixtionem propriæ uxoris, lavacri purificationem quærere, & ab ingreſſu Eccleſiæ paululum temperare, &c. Idem Gregorius 1. Dialogorum ponit tale exemplum: Mulier quæ in nocte cognita erat à viro, mane veniens ad proceſſionem, à diabolo fuit arrepta. Non addam refutationes, ſi enim nudè & ſimpliciter hæc veterum dicta ad Spiritus ſancti ſententias, ſupra notatas, conferantur, res plana erit.

Diſcrimẽ caſtitatis coniugalis in natura integra et corrupta. In natura integra.

Porrò neceſſariò addenda eſt hæc commonefactio, eſſe quandã differentiam, inter caſtitatem conſuetudinis conjugalis, quę futura fuiſſet ante lapſum, & quę jam in hac corrupta natura poſt lapſum eſt. Epiphanius lib. 1. Tom. 3. hæreſi 45. dicit: Appetitiones in natura à Deo inſitas eſſe, non propter ἀκοπίαν, ſed ob uſum bonum & neceſſarię vtilitatis ordinem. Et addit: Quare & ipſam appetitionem concupiſcentiæ corporis non ἄκοπον eſſe affirmaverim. Eſt enim ad τὸ διὰ τοῦτο ὕδωρ ἐνσπερνοντας data adhoc, ut impleatur illud, Creſcite & multiplicamini, fuiſſet igitur etjam in integra natura appetitio ſexus ad ſexũ, ſed ibi ſine flammis & incendio libidinis, fuiſſet opus ſanctiſſimum & puriſſimum.

In natura corrupta.

Nunc per peccatum, nobiliſſimum illud opus generationis, quod verè eſt creatura Dei, lepra libidinis (ſicut Lutherus vocat) infectum eſt. Et quando Scriptura cõſuetudinem conjugum vocat caſtitatem & ſanctimoniam, non ita interpretemur, quaſi flammæ illæ concupiſcentiæ ſanctificentur in conjugibus, ut ſint res bona, pura, & ſancta. Nam primi parẽtes ſtatim poſt lapſum loca generationis texerunt, cùm ἀπαξίαν, inſolitam antea, ibi ſentirent: Et Deus ipſe tunicas ipſis addit. Paulus etjam 1. Cor. 12. vocat membra ἀσχήμονα, quæ tegendo honoranda ſunt. Diſtinguẽdum igitur eſt ipſum opus, quòd per ſe bona creatura Dei eſt, à vicio & ἀπαξίᾳ concupiſcentiæ, quę per peccatum acceſſit. Nam ſcriptura utrumq; tribuit conjugibus, & ἀκρασίαν 1. Cor. 7. & caſtitatem. 1. Tim. 2. Conjugii autẽ honeſtate, ſanctitate & puritate, propter Dei inſtitutionem & benedictionem, obumbratur & tegitur acceſſoria illa ἀπαξία, ita ut credentib. non imputetur, ſed conſuetudo conjugalis, licet jam non ſit tàm pura, ſicut ante lapſum futura fuiſſet. (Non enim ſit ſine incendio libidinis) tamen coram Deo, & in conſpectu ejus ſit caſtitas, ſanctificatio, puritas. Conjugium enim nunc poſt lapſum, eſt quaſi umbraculum, quo multæ, ut ſic dicam, ineptiæ maritales teguntur, ut credentibus non imputentur, ſicut Lutherus in Gen. 26. cap. pulcherrimè hoc diſputat, fol. 382. Pii igitur conjuges, ut caſtitatem in conſuetudine conjugali ſervent, primò diſcant cogitare de flammis, incendio, & ardore libidinis, nec cogitent eſſe rem per ſe bonam, & Deo placentem, ſed ſtatuant ſi intra limites conjugii contineantur, Deum credentibus ea non imputare, ſed tolerare, diſſimulare, ignoſcere, & ſicut Lutherus elegantiſsimè huc accommodat verbum illud, Actor. 13. τροποφορέμ. Secundò cogitandum eſt conjugibus etjam illud Pauli. 1. Theſſaloni. 4. Vt poſſideant vas ſuum non in πάθει ἐπιθυμίας, ſicut Gentes. Sicut enim Petrus vxorem vocat vas infirmum: ita locus iſte Pauli non ineptè de uſu conjugis exponitur, ut pii conjuges non indulgeant furori belvinæ libidinis, ſicut Gentes, ſed moderentur & frenent τὰ πάθη concupiſcentiæ, ut honorabile ſit conjugium, & cubile impollutum. Et ſi cubi excеſſerint, petent illud non imputari, ſed ignoſci.

Creaturæ Dei abusus in coniugio diſcernẽda.

Auguſtinus, ut Hieronymi ſententiam adverſus conjugium pro ſua modeſtia, diſſimulato authoris nomine, eò commodius refutaret, ponit tria bona conjugii. 1. Bonum fidei, quia neuter conjugum habet poteſtatem ſui corporis, ſed obligantur ad debitum benevolentiæ, ne alter alterum frauder. 2. Bonum prolis juxta benedictionem divinam, Creſcite. 3. Bonum Sacramenti, quia eſt copula indiſſolubilis. Et ſicut Chriſtus diligit Eccleſiam: ita maritus vxorem, &c. Et per hæc bona dicit excuſari concubitum conjugalem. Extant etiam prolixæ diſputationes apud Scholaſticos, quando conſuetudo conjugalis ſit meritoria, quando ſit peccatum venia le, quando mortale, ſcilicet, quando ſit vel cauſa pro-

Auguſtinus docet triplex bonum coniugii.

Scholaſtici de coniugali cõſuetudine.

ſa procreandorum liberorum, vel vitandæ fornicationis, vel quando quæritur delectatio, & exceditur moderatio. Clemens etjam 3. Strom. diſputat de congreſſu cum conjuge prægnante, vel lactante, priuſquam infans ablactetur. Et extant de hac quæſtione etjam veterum diſputationes, libr. 4. ſentent. diſtinct. 32. Et apud Gratianum 33. quæſtion. 4. Sed ex hujuſmodi diſputationibus, quæ ex noſtris conſequentiis ſine expreſſo verbo Dei texuntur, plerunque nectuntur laquei conſcientiarum. Rectius igitur conſcientiæ erudiuntur ex illis Scripturæ fundamentis, de quibus diximus. Nam & Clemens inquit, quia Paulus dicit: Rurſus convenite, ne tentet vos Satan, διὰ τὴν ἀκρασίαν: Ideò matrimonium finem honeſtum & licitum, etjam alium eſſe, quàm procreationem liberorum. Et Longobardus rectè dicit: Ante lapſum conjugium fuiſſe tantùm officium, nunc verò eſſe etjam remedium. Ideò Salomon Proverb. 5. & Eccleſi. 9. inquit: Lætare cum vxore adoleſcentiæ tuæ, &c. Semper tamen pii conjuges agnoſcant ἀπαξίαν illam, de qua etjam ratio erubeſcit, quæ per peccatum acceſſit, ut ſuprà diximus. Moneri itaque debent conjuges propoſitis hiſce Scripturæ dictis. 1. Theſſalon. 4. Quiſque vas ſuum poſſideat in ſanctificatione & honore, non in paſſione concupiſcentiæ ſicut Gentes. 1. Petr. 3. Cohibitate uxoribus ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, ne impediantur orationes veſtræ. Item, quòd Sara inquit: Poſtquam conſenui, & dominus meus vetulus eſt, num voluptati operam dabo? Et 1. Corinth. 7. Ne fraudetis vos invicem, niſi ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi. Sed quia Deus conjugibus ſecundum veniã, ut Paulus inquit: multa indulget, quæ tamen non excedunt limites conjugii, & indulget propterea, ſicut Paulus inquit: ne tentet vos Satan, propter intemperantiam veſtram. De quibus igitur non extat manifeſta prohibitio divina, inde diſputando ex noſtris nudis conſequentiis, non debemus conſcientiis laqueos facere. Hactenus igitur oſtendimus, caſtitatem non eſſe conjugio opponẽdam, quia Spiritus ſanctus affirmat in ipſo conjugio eſſe caſtitatem, pudicitiam & ſanctimoniam.

DE VIRGINITATE SEV cœlibatu.

Commendatione coniugii non damnatur cœlibatus & viduitas.

QVAE hactenus de caſtitate, pudicitia & ſanctimonia in conſuetudine coniugali ex verbo Dei attulimus, non eam habẽt ſententiam, quaſi neceſſarium ſit omnib. hominibus ſub periculo ſalutis in coniugio eſſe, aut quaſi genus vitæ cœlibis per ſe ſit prohibitũ impium & damnatum, ita ut nec virgo, nec vidua, etiamſi Dei dono poſſent continere, in illo vitæ genere bona conſcientia perſeverare & ſalvari poſſint. Certũ enim eſt ex verbo Dei, utrumq; genus vitę Deo probari, & conjugium & cœlibatũ, ſive in virginitate, ſive in viduitate. Sicut enim de conjugio hoc jam demonſtravimus: ita Chriſtus & Paulus affirmant, ab illo præcepto (Creſcite & multiplicamini. Item, quiſq; habeat ſuam uxorem, &c.) excipi quoſdam, qui ſcilicet donũ continentiæ à Deo habẽt. Ac ſi fideles & pii ſunt, affirmat ſcriptura, ipſos in puritate vitæ cœlibis ſanctos eſſe, curare quæ ſunt Domini, adhærere & placere Domino, ac hæredes eſſe regni cœlorum, Matth. 19. 1. Corin. 7. Recipimus igitur, probamus & repetimus Eccleſiæ Catholicæ confeſſionem, quæ extat in Cõcilio Gangrenſi, & apud Epiph. lib. 2. Tom. 1. hæreſi 48. Sancta Dei Eccleſia virginitatem cum humilitate admiratur & glorificat, viduitatem laudat, & nuptiarum caſtum vinculum honorat & ſuſcipit. Scortationem verò, adulterium, & alias libidines interdicit, abominatur & damnat, &c. Non ergo cœlibatum ipſum per ſe, ſed periculoſas ſuperſtitiones, & impias opiniones, quas hypocritæ cœlibatui præter & contra Scripturam affinxerunt, taxamus, rejicimus & damnamus. Quia verò magna & confuſa eſt colluvies errorum in cœlibatu Pontificio, de præcipuis capitib. eo ordine dicemus, quem ratio explicationis Tridentinorum Canonum nobis ſubminiſtrabit. Et collationem inter cœlibatum ac conjugium, de qua Canon decimus loquitur, primò examinabimus.

Quid in doctrina Pontificiorũ de cœlibatu, damnetur.

CAPVT I.

IN QVIBVS CASIBVS, QVO ſenſu, & propter quas cauſas, conjugium aliquando æquetur, aliquando anteponatur cœlibatui.

Inſidioſa generalitas Canonis Trid.

ANimadvertat quæſo Lector, quam inſidiosè verba decimi Canonis ſint poſita. Anathemate enim ſuo illos jugulat, qui ſtatũ conjugalem non tantùm æquant, verùm etjam anteponunt cœlibatui. Et hæc eo artificio ita nudè & in explicatè poſita ſunt, ut ii, qui certaminũ horum temporum ignari ſunt, vel non præmoniti quid in controverſia poſitum ſit, exiſtimẽt, noſtras Eccleſias non immeritò damnari, cùm talis opinio ſit Ioviniana hæreſis, ac expreſsè, directè, & adverſa, quòd dicitur, fronte pugnet cũ manifeſtis ſententiis Pauli, 1. Corinth. 7. Qui matrimonio jungit, benefacit, & qui non jungit, melius facit eam, Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium. Neceſsitas igitur efflagitat, ut involutæ illæ generalitates evolvantur, atq; ita candido & pio Lectori, in clara luce monſtretur verus diſputationis ſtatus, & quid propriè in controverſia ſit poſitum, quando noſtri contra Pontificios, locum comparatorum inter cœlibatum & conjugium, tractant.

Pontificiæ virginitatis cauſa finalis.

Pontificii igitur, quando de cauſa finali, & de merito virginitatis vel cœlibatus diſputant, quo conſilio, quo fine, quo reſpectu, & propter quam cauſam ſuſcipiendus & ſervandus ſit cœlibatus, palàm docent: ideò ſuſcipiendum & ſervandum eſſe cœlibatum, quia fit ſatisfactio pro peccatis, & meritum remiſsionis peccatorum gratiæ Dei, ſalutis & vitæ æternæ. Et ne conquerantur falsò ſibi hoc tribui, euidenter demonſtrabimus hanc eſſe Pontificiorum de cœlibatu doctrinam. In forma enim abſolutionis Monaſticæ, inter cætera hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cõfirmatio. ra hæc ponuntur verba: Rigor Religionis, meritum ordinis (cujus pars est cœlibatus) cedant tibi in remissionem peccatorum, & in præmium vitæ æternæ. Item, quando fit solennis emissio voti de paupertate, obedientia & castitate, Episcopus respondet: Et ego promitto tibi regnum cœlorum, & vitam æternam, si hæc seryaveris.

Rosarium. In Rosario allegatur hæc sententia Thomæ: Religiosus tantùm facit donum Deo in sua professione, quòd per id consequitur indulgentiam plenariam omnium suorum peccatorum à pœna & à culpa. Citatur ibi & alia sentẽtia Thomæ.

Vita patrũ. In vitis Patrum legitur, quod eandem gratiam consequantur, religionem intrantes, quam consequuntur baptizati. Et author Rosarii Bernhardinus addit: Religiosus semper, quando recordatur se fecisse professionem, & de hoc est contentus, & de novo eam faceret, si non fecisset, qualibet vice consequitur indulgentiam plenariam omnium peccatorum. Et ne Tiletanus meus excipiat, hæc vetera & jam exoleta esse, eandem cantilenam repetunt illi etjam, qui jam in hac luce Evangelii divinitus accensa, regni Pontificii patrocinium susceperunt. Albertus Pighius enim cõtroversia 14. de votis monasticis, de tribus votis substantialibus Monachatus, exertis verbis dicit: Illa eligimus & facimus ea opinione & confidentia, quia existimamus illis nos provocare Dei erga nos misericordiam, gratiam & benevolentiam promereri. Item, Monastice assumitur à professentibus, quia creditur valere ad satisfaciendum pro peccatis, iutq; per eam impetremus divinam gratiam & misericordiã. Item, castrant se propter regnum Dei assequendum, & propter divinam promerendam erga nos gratiam. Vnde versus:

Inclita virginitas cœlos quæ dote mereris,
Cum thalamis Christi, consociande places.

Petrus à Soto. Petrus à Soto, qui Tridenti in Concilio mortuus est, in confessione sua Catholica dicit: Virginitatem seu cœlibatum, coram Dei tribunali magni meriti, excellentiorem & sanctiorem esse conjugio, quia scilicet fit satisfactio peccatorum maxima, & meritum vitę æternæ, hęc enim sunt ipsius verba.

Et dignum est obsẽrvatione, cum Hieronymus in Epistola ad Paulũ, de obitu Blesillæ filiæ, dixisset. Secundò, quodammodo propositi baptismo se lavit, licet de proposito interpretetur & addat quodammodo, ac de hujusmodi suis hyperbolis ipse dicat, Rhetoricati sumus, & in modum declamatorum paululum lusimus, tamen posteri eandem gratiam professioni Monasticæ adscripserunt, quam Scriptura baptismo tribuit. Et quanquam Bernhardus, qui aliquid lucis habuit in articulo justificationis, quæ fierit mitigatiõẽ qualemcũq; impii illius σύγκριτος cùm inquit de præcepto & dispensatione, Audire vultis à me, unde inter pœnitentiæ instituta monasterialis disciplina meruerit hãc prærogativam, ut secundum baptismã nuncupetur, arbitror ob perfectam mundi renunciationem, & spiritualis vitæ excellentiam, &c. Bernhardinus tamẽ in suo Rosario, & alii Monachi, mitigationem illam non recipiunt, sed sicut verba sonant, interpretantur de consequenda plenaria remissione omnium peccatorum, per professionem Monasticẽs, quod quidem in illis, non usq; adeo mirandum est propter turbidissimas illius temporis tenebras. Hoc verò prodigiũ est, quod hoc tempore Petrus à Soto non veretur, & quidem Catholico nomine, fœdissimã illam Baptismi contumeliam probare & defendere: Vota Monasticẽs scilicet æquivalere Baptismo, ideò, quia sint magna satisfactio pro peccatis, unde quandoque & quidem frequẽtius, plena omniũ peccatorum satisfactio esse possint, quòd ad immunitatem à pœna futuri seculi pertinet, verba enim ejus recito. Et quanquam ringantur Pontificii, quando loquimur de luce Evãgelii hisce postremis temporibus divinitus accensa: verissimũ tamen esse ipsi experiuntur, quòd simplices laici, & quidem pueri etjam, in doctrina Catecheseos rectè instituti, exhorrescant, quando blasphemas hasce voces audiũt. Si enim Paulus de operibus legis, hoc est, quæ divinitus mandata sunt, pronunciat: Si ex lege justitia, Christ9 fruſtra mortuus est, Nos multò justiori dolore, non tam conqueri, quàm exclamare possumus. Si cœlibatus & reliqua monastica vota, quæ præceptum Domini non habent, sunt satisfactio pro peccatis maxima, promerentia plenariam remissionem omnium peccatorum, regnum Dei & vitam æternam, sibi igitur & fruſtra Christus mortuus est. Item, Si professio cœlibatus, & reliquorum votorum æquivalet Baptismo, quo ad plenariam remissionem peccatorum, & à culpa & à pœna, exinanita igitur est fides, & Evangelii promissio vnà cum Sacramentis abolita est. Nec necesse est addere operosam refutationem harum contumeliarum. In prima enim parte in loco de justificatione, ex clarissimis Scripturæ fundamentis fontes refutationum monstrati sunt.

Tantum igitur statum controversiæ inter Pontificios, & nostros de collatione inter virginitatem & conjugium formabimus, qui ex iis, quæ annotavimus, hic erit. An virginitas excellentior & melior sit conjugio, coram tribunali Dei, ita, ut non conjugium, sed cœlibatus fit satisfactio pro peccatis maxima, promerens gratiam Dei, plenariam remissionem peccatorum omnium, regnum Dei & vitam æternam. Ad hanc verò quæstionem non nos, sed Scriptura respondet: Nec conjugium, nec cœlibatũ, sed sanguinem filii Dei esse propiciationem & satisfactionem perfectam, solam & unicam pro peccatis nostris. 1. Iohan. 1. Nec cœlibatu, nec conjugio, sed fide in nomine Christi, qui mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justitiam nostram, credentes accipere remissionem peccatorum, salutem, & vitam æternam, Act. 4. & 10. Ioan. 20. Sicut igitur Petrus conjugatus, fide per gratiã Dei, propter solius Christi satisfactionem & meritum, coram tribunali Dei justificatur & salvatur, Actor. 15. Ita & Paulus cœlebs, non suum cœlibatum tribunali Dei opponit, sed fatetur se justificari & salvari gratis per Dei gratiam propter redemptionem Christi fide in sanguine ipsius, Rom. 3. Coram tribunali igitur Dei, in articulo justificationis & salvationis, cœlibatus non est excellentior, melior aut præstantior conjugio, sed in hoc pares seu æquales sunt, cœlebs

Status quæstionis hujus.

Pronunciatum Scripturæ.

lebs & conjugatus, quòd sicut conjugatum, ita & cœlibem, si velit, coram Deo justificari, oporter credere in eum, qui justificat impium, ut nec cœlibatus, nec conjugium, sed fides ipsi imputetur ad justitiam, & beatitudo tam cœlibis quàm conjugati in eo consistat, quando Deus justitiam imputat sine operibus. Roman. 4. Imò si judicio Dei fidelis conjugatus mortem & obedientiam Christi: Cœlebs verò suum cœlibatum, tãquam propitiationem, satisfactionem & meritum ad justitiam & salvationem opponat, hic certè fidelis conjugatus, isti Pharisaico cœlibi in hoc casu iurè & meritò longè anteponitur. Rectè enim huc accommodatur illud Pauli, Galat. 5. Evacuati estis à Christo, & gratia excidistis qui cœlibatu justificamini.

Quo sensu conjugiũ aut æquetur aut præferatur cœlibatui.

Hæc Tridentini Patres sciunt in controversia esse, quando de collatione virginitatis & conjugii disputatur. Hoc enim casu, hoc sensu, & hoc modo fidele & humile conjugiũ nostri aliquando æquant, aliquando anteponunt superbo cœlibatui. Sed si explicatè hoc proponerent, vident pium Lectorem sententiam illam improbare non posse. Nec forsan clarè profiteri audent Pighianas & Asoticas illas blasphemias, de quibus dictum est, & tamen nervos retineri cupiunt. Hanc ad rem accommodatissimum visum fuit illud artificium, ut Canõ in genere & inexplicatè damnaret eos, qui conjugium anteponunt cœlibatui. Nec verò nostri vel primi, vel soli de tali exæquatione, in hoc casu cœlibatus & conjugii, locuti sunt. Gangrense enim Concilium, Canone 10. prorsus eodem modo sancit: Si quis ex his, qui virginitatem propter Dominum seruãt, extollitur adversus conjugatos, Anathema sit. Et Canone 12. hoc explicat: Si quis virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallii utitur, quasi per hoc habere se justitiam credens, &c. Et Augustinus in libro de sancta virginitate, multa quidem disputat de præcellentia cœlibatus, de qua postea dicemus, gravissimè tamen virginum superbiam efferentium se contra conjugatos reprehendit. Et cap. 26. concludit, ipsam vitam æternam, & ipsum regnum cœlorum, cõmuniter, & ex æquo dari omnibus, & conjugibus & virginibus, qui fide gratis per redemptionem Christi justificantur, Et capit. 40. modestè, inquit: Vos genus electum, & in electis electius, virginei chori, sequentes agnum. etjam vos gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne quis extollatur. Cap. 49. dicit etjam ad virgines pertinere. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, seducimus nos: Sed si confiteamur delicta nostra, fidelis & justus est, ut dimittat nobis peccata nostra, &c. Item, Si peccaverimus advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christũ, justum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Et ca. 52. dicit ad virgines: justitiam vestram nolite statuere: sed Deo justificanti vos submittite. Falsum igitur & contumeliosum in Christũ est, fingere cœlibatum esse satisfactionem pro peccatis maximam, promerentẽ plenariam remissionem omnium peccatorum & vitam æternam. Sed reliqua etjam, quæ in hac dispositione, de collatione inter cœlibatum & conjugiũ, controver-

Sententia nostra vera justatio habet testimonia. Concilium Gangrense.

Augustinus.

Secundus error Pontificiorũ, quod cœlibatũ vocant statum perfectionis, et opus supererogationis.

Bernhardinus.

Hieronym.

tuntur, persequamur utq; eò breviùs ea perstringere possimus, in certa capita illa conferemus.

2. Ex falsa persuasione de præceptis & consiliis fingunt se per cœlibatũ plus supererogare, quàm perfecta legis obedientia requirat. Ideò conjugium vocant statum imperfectionis, cœlibatum verò statum perfectionis. Nec inani tantùm vocabulorum strepitu ludunt, sed propter illã, non tantùm perfectionis, sed supererogationis persuasionem sui merita & opera supererogationis vendunt, cõmunicant & applicant aliis, qui sunt in statu imperfectionis. Hinc Bernhardinus in suo Rosario fingit Monachos & Sanctimoniales substantialibus suis votis, non pro suis tantùm peccatis, verum etjam pro fundatorum & aliorum benefactorum peccatis satisfacere. Et Hieronymus lib. 1. adversus Iovinianũ non veretur ex turpi depravatione loci Paulini. 1. Tim. 2. asserere, Mulierem salvari per cœlibatũ liberorum, hoc est, Sanctimoniales suo cœlibatu non sibi tantùm, sed & parentibus promereri salutem, & vitam æternam, quàm illi aliàs consecuturi non essent, eò quòd in legitimo conjugio liberis operam dedissent. In hymno etjam de virginibus canunt, hujus obtentu Deus alme nostris parce jam culpis, vitia remittens, &c. Ad hanc opinionem iterum accommodetur status controversiæ: An scilicet cœlibatus conjugio præferendus sit ita, & ideo, quod possit pro aliorũ etjam peccatis satisfacere, & aliis etjam vitam æternam promereri. Hic si dicam, Solum Christum pro peccatis nostris satisfeciſſe, & sanguine suo nobis acquisivisse salutem & vitam æternam, atque ideo sicut nec conjugio, ita neq; etjam cœlibatui hoc tribuendum esse: Rectè quidem in hoc casu, & Scripturis consentaneè cœlibatũ & cõjugium exæquavero: sed minus adhuc quàm verum est, dixero. Debeo enim juxta Scripturam dicere: Si quis hac persuasione & hac confidentia cœlibatum suscipiat & servet, ut ita pro aliorum peccatis satisfaciat, & aliis promereatur vitam æternam, eum non tantum fideli conjugato longè postponendum: sed esse manifestè contumeliosum & blasphemum in mortem & obedientiam unici nostri propiciatoris & Salvatoris Iesu Christi. Quare igitur Tridentini patres non explicatè dixerunt in suo Canone, (Si quis in hoc casu & hoc modo dixerit, conjugium anteponendũ esse cœlibatui, anathema sit) si persuasiones illas probantus? Aut si non probant, quare sententiam suam non distinctè declarant? Sed hinc animadvertit lector, quid generalitatibus illis in 10. Canone involvere voluerint patres isti.

3. Multa Scripturæ dicta, quæ communiter & ex æquo ad omnes fideles pertinent, Pontificii ad solum cœlibatum detorquent, & fideles conjugatos inde excludunt, ut 2. Corint. 11. Desponsi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Ose. 2. Desponsabo te mihi in sempiternum in justitia & judicio, in misericordia & miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide, Ies. 61. Induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me quasi sponsam ornatam monilibus suis. Matth. 25. Virgines intrant cum sponso ad nuptias agni. Et quæ similia dicta de sponsa Christi in Scriptura extant, ut Iohan. 3. Ephes,

Violenta dictorum Scripturæ abusio & depravatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ephes. 5. Psal. 45. Apoc. 21. & in Cantico Canticorum. Ea Monachi ad solum cœlibatum detorquent. Num verò metu Tridentini anathematis concedemus, cœlibatum meliorem esse conjugio, ita & ideo, quòd soli cœlibes exclusis conjugatis illis Scripturæ dictis comprehendantur? Atqui si hoc fecerimus omnes fideles conjugatos excludemus ab Ecclesia, à justitia, misericordia, salute, & ab hæreditate regni Dei. Desponsatio enim illa fit inter Christum & Ecclesiam, in justitia, & misericordia, induit vestimentis justitiæ & salutis, & collocat sponsam in communionem hæreditatis filii Dei, sicut dicta illa Scripturæ ostendunt. Absit autem hoc, Petrus enim fideles conjugatos expresè vocat cohæredes gratiæ. Quicquid igitur Pontifex sævo suo tridente fulminet, nos liberè & intrepidè cum Scriptura dicimus, fideles conjugatos, cùm sint membra Christi, non minus esse Christo spiritualiter desponsatos, quàm virgines credentes. Non enim vel conjugio, vel cœlibatu, sed fide per miserationes Dei, Christo desponsamur, Osc. 2. Imò rectè addimus fidelem & humilem conjugem, quę non ex operibus, sed fide ex gratia propter Christum, justam & salvam se esse statuit, longè anteponendam esse superbæ virgini, quæ non fide ex misericordia, sed propter meritum suæ virginitatis se sponsam Christi esse statuit. Quòd si hanc sententiam Tridentini patres damnaverint, possunt eadem opera universam Scripturam damnare.

Eadem ratione, præcellentiam cœlibatus pro conjugio Pontificii explicaturi, dicta Scripturæ de sanctificatione, de emundatione ab inquinamentis, de deponendo veteri homine & induendo novo, de renovatione Spiritus, & ne conformemur huic seculo, nec secundum carnem vivamus, sed secundum Spiritum ambulemus, & similia ad solos cœlibes seu virgines accommodant. Extant hæc apud Hieronymum, libr. 1. contra Iovinianum & repetuntur in multorum Monachorum scriptis: Vnde etjam usitatè ipsis appellationes fluxerunt, quòd cœlibes vocant sanctimoniales & spirituales. Conjugium verò appellant statum secularem & carnalem. Hic certè analogia fidei non potest concedere, cœlibatum propterea anteponendum esse conjugio, quia soli cœlibes, & non conjugati, licet fideles, ad commemorata illa Scripturæ dicta pertinent. Ita Rosarium dicit, virginitatem præservare ab interitu damnationis æternæ, & in ejus figuram præcepisse Deum. Num. 31. Iud. 21. Mulieres, quæ cognoverunt viros interficite, virgines autem reservate. Marullus dicit: Mosen, quia conjunx fuit, non potuisse ingredi terram promissionis. Iosuæ verò propterea, quia cœlebs fuit, hoc datum fuisse. Et quia hæc figura fuit requiei in vita æterna. Ebre. 3. manifestum est, quid inde sequatur. Nescio verò, an patres Tridentini hoc modo, hoc sensu, & propter hanc rationem, palam ausint cœlibatum conjugio anteponere? Et tamen generalitas Canonis anathema fecit omnes, qui Monachorum opiniones de præcellentia cœlibatus, non per omnia probant.

Bernhardinus.

Marullus.

4. Apud scholasticos usitatum est illud axioma, & prolixè repetitur in Rosario. Opera quæ in religione Monastica (cujus fundamentum sunt tria illa vota, cœlibatus, paupertatis & obedientiæ,) fiunt, etjam minima, ut stare, dormire, sedere, comedere, &c. meliora & præstantiora esse coram Deo, quàm maxima opera, vel primæ vel secundæ tabulæ, quæ à conjugatis etiam in fide fiunt. Sit judicium penes pium & cordatum lectorem, cùm minima & quidem adiaphora Monachorum opera, vt comedere, & quæ comestionem sequuntur, tantopere efferant. An Monachi crepitus melior sit coram Deo, oratione fidelis cõjugati? Ego enim hæc ipsorum Monachorum verbis tantùm recito, ut Lector eo facilius de artificio 10. Canonis judicare possit.

Scholastic-rũ axioma.

5. Augustinus non audet virginitatem Baptistæ præferre conjugio Abrahæ. Sed scio quid respondeat: Cœlibes scilicet novi Testamenti non præferri conjugibus veteris Testamenti, ubi Evnuchi seu cœlibes, vix pro membris Ecclesiæ habebantur. Sed quando in novo Testamẽto, inter se comparantur cœlebs & conjugatus, tunc illum huic præferri. Quæro igitur non, an virgo Ethnica Christianæ conjugi sit postponeda, hoc enim planum est. Sed quęro, an cœlibatus crassi & prępinguis Monachi, melior & præstantior sit conjugio Petri, Lucę, Philogonii, Spiridonis, Patris Nazianzani, Hilarii, &c. qui conjugati fuerunt? Non sanè arbitror.

Augustinus de collatione coniugii & cœlibatus.

Augustinus certè modestè inquit, de virginitate, cap. 44. Quis nesciat obedientem mulierem inobedienti virgini præponendam: Sed quando ambæ sunt obedientes præceptis Dei, itane trepidabit sanctam virginitatem, etiam castis nuptiis, & continentiam præferre connubio? Imò verò non dubitet hanc rem illi rei præponere. Hic tamen vel hæc virgo obediens, & Deum timens, illi vel illi muliери obedienti, & Deum timenti, se anteferre non audeat, alioquin non erit humilis, & Deus superbis resistit. Et capit. 51. Fidenter dico, nec mihi ne irascantur timeo, quos ut mecum sibi timeant solicitus moneo, facilius sequuntur agnum, si non quocunq; ierint, certè quousq; potuerint, conjugati humiles, quàm superbientes virgines, &c. Non itaque in genere inter quosvis cœlibes & conjuges, constituenda est prærogativa seu excellentia cœlibatus. Et in collatione illa, non ad cœlibatum tantùm & conjugium, sed ad fidem & ad cæteras virtutes, quæ vel in cœlibe vel in conjuge sunt, respiciendum est.

Quorũm in collatione cœlibatus & coniugii respectus habendus.

Et hæc præcipuè in controversia sunt, quando de collatione inter cœlibatum & conjugium disputatur, quæ hoc loco per capita annotare volui, ut lector inde intelligat, quibus casibus, quo sensu, & propter quas rationes, nostri aliquando disputent & contendant, vel cœlibatũ exæquari cum conjugio, vel conjuges anteponendos virginibus. Si quis enim de controversiis, quæ inter nostros & inter Monachos, de hac materia agitantur, non sit prænonitus, & legat nudè ac in genere, esse quosdam, qui ausint conjugiũ æquare virginitati, imò qui nõ vereantur conjugium anteponere cœlibatui, vel turbabitur, vel clamabit Iloviniano peiores esse hæreticos.

Et hoc ipsum spectavit generalitas. 10. Canonis.

nis. Sed ex iis, quæ annotavimus planum & manifestum est, esse fallaciam à dicto secundũ quid ad dictum simpliciter. Et permittatur hæc quæstio cuivis pio Lectori, secundum analogiam fidei examinanda & dijudicanda, an in illis catibus, in eo sensu, & propter illas causas, sicut Monachos sentire & loqui ostendimus, cœlibatus conjugio, eo modo sicut Monachi volunt, præferendus sit coram tribunali Dei.

CAPVT. II

QVOMODO, QVO SENSV ET propter quas causas, Paulus cœlibatum præferat conjugio.

Abusus dictorum Pauli

Iovviniani cer tamen.

IN collatione conjugii & cœlibatus alterum præferri alteri manifestæ sunt Pauli sententiæ 1. Cor. 7. Qui jungit matrimonio bene facit. Qui non jungit melius facit. Item, beatior erit, si cœlebs manserit. Varias autem hæc collatio peperit disputationes omnibus temporibus. Et de Pontificiis quidem iam diximus. Ostendunt autem historiæ, temporibus Ambrosii & Hieronymi, etjam spargi cœpisse seminaria illius persuasionis, quasi virginitas ideo præferretur conjugio, quòd esset meritum remissionis peccatorũ, salutis & vitæ æternæ. Illam enim persuasionem (cùm Ambrosius & Hieronymus fermè eò alludere viderentur,) Augustinus de sancta virginitate modestè sed tamen graviter refutat. Et Iovinianus forsan voluit falsam illam persuasionem reprehendere. sed si vera sunt, quæ de ipso scribuntur, nimium deflexit in alteram partem, vel tollens prorsus illas Pauli sententias, melius facit, Item, beatior erit, vel propter externa tantùm commoda, & propter Epicuræum ocium, cœlibatum præferens conjugio, cum Paulus dicat ut sit sancta, & adhæreat Domino. Augustinus & Hieronymus scribunt, Iovinianum docuisse, virgines & maritatas si sint baptisatæ, & non discrepent cæteris operibus, ejusdem esse meriti. Augustinus verò satis ostendit, non de merito salutis & vitæ æternæ controversiam fuisse. De virgin. cap. 40. Sed quòd Iovinianus gradus cœlestium remunerationum, pro diversis bonis rectè ac piè collocatis, negârit & sustulerit. Ita enim epistola Mediolanensis Ecclesiæ apud Ambrosium Iovviniani errorem describit. Atq; hos errores Ecclesia rectè damnavit in Iovviniano, quod propterea dico: Solent enim Pontificii nostras Ecclesias (quia meritum remissionis peccatorum, & vitæ æternæ cœlibatui detrahunt, & soli Christo tribuunt) invidia Iovinianismi onerare, quam tamen nec planè nec rectè describunt. Sed Iovinianum relinquamus suo judici, ac de re ipsa dicamus. Certùm autem est, sicut in præcedentibus ostensum est, cœlibatum præferri conjugio, non ideò nec ita, quasi sit opus, quod magis mereatur remissionem peccatorum, salutem & vitam æternam, vel quod possit inter peccata nostra, & inter judicium Dei, tanquam propitiatio seu satisfactio, opponi. Hæc enim opinio contumeliosa est in filium Dei, tollit fidem, & abolet promissionem.

Quare virginitas coniugio antepona tur.

Collatio igitur virginitatis & conjugii, de qua Paulus loquitur, non pertinent ad articulum justificationis & salvationis, id quod Augustinus etjam expresè fatetur de virginitate, capite quadragesimo, quadragesimo nono, & quinquagesimo secundo. Sed tamen negare non potest, Paulum conferre cœlibatum & conjugium, non ut paria, sed ita ut cœlibatum præferat. Hoc verò quo sensu accipiendum sit simpliciter ex Scriptura explicabimus.

1. Quando status conjugalis, & status cœlibatus inter se conferuntur, tunc Paulus dicit: Qui matrimonio jungit, benè facit, qui non jungit, malè facit. Non autem ideo & ita, quasi solus cœlibatus sit status bonus, mundus, & Deo placens: Conjugium verò sit status malus, immundus, & Deo abominabilis. Vterq; enim status bonus, impollutus est, & Deo placens. Sed quia utrumq; est donum Dei, 1. Corinth. 7. Apologia Confessionis Augustanæ dicit: Sicut in reliquis donis Dei donum, dono præstat, ita virginitas donum est præstantius conjugio, Lutherus in 1. Corin. 7. dicit: Paulum statum virginum vocare beatiorem, quàm conjugum, non autem coram Deo in articulo justificationis & salvationis, sed propter alios fines, de quibus mox dicemus: Ita, quia Paulus utrumq; genus vitæ vocat vocationem divinam, & inter reliquas etiam vocationes discrimen est, rectè dicitur, vocationem divinam ad cœlibatum, esse præstantiorem vocatione ad conjugium. Augustinus de virgin. ca. 44. dicit, continentiam præferri connubio, hoc est, hanc rem illi rei præponi, ca. 46. Multa sunt dona & aliis alia clariora ac superiora, singulis singula, cap. 45. Divinæ Gratiæ multa sunt munera, & est aliud alio maius ac melius, dicente Apostolo, æmulamini dona meliora. Et hoc est, quod Ambrosius dicit: Honorabile conjugium, honorabilior virginitas. Considera autem modestiam Augustini de virgin. cap. 44. Rem quidem rei, & donum dono præfert, non tamẽ ideò vult, virginem conjugi se anteponere, alioquin non esset humilis, & Deus superbis resistit, quia omnia sunt Dei dona, quæ non nisi examine tentationis declarantur. Et cap 46. dicit: Alter donis potioribus, sed paucioribus, alter inferioribus, sed plurjbus fructuosus est.

Virginitas donum præstantius.

2. Cœlibatus à Paulo præfertur conjugio, prin cipaliter propter fines utiles & præstantes. Cœlibatus enim non est ex eorum genere, quæ per se & sua natura sunt cultus Dei, sicut est fides justificans, verus timor Dei, dilectio, &c. Sunt enim etjam inter Ethnicos & infideles virgines, sunt in Ecclesia & fatuæ virgines, quæ audiunt: Non novi vos. Et nota sunt Augustini dicta: Quid prodest integra caro, mente corrupta. Item, melius est humile conjugium, quàm superba virginitas, Et cœlibatus sine charitate nihil est. Cœlibatus igitur ex eorum genere est quæ referuntur ad aliud: Nam sicut Augustinus inquit de bono conjugali, cap. 9. Quædam bona propter se ipsa expetenda sunt, ut sapientia, salus, quædam propter aliud expetuntur, ut jejunium tunc probatur, quando eò refertur, ut carnis petulantia coerceatur & mortificetur, ne actiones Spiritus interturbet. Ita cœlibatus in Scriptura commen-

Propter utiles fines vir ginitatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

datur in personis idoneis, non quòd per se sit cultus Dei; sed laudatur propter finem utilem. Ita Hieronymus 1. contra Iovinianum: Circumcisio nihil est, & præpucium nihil est, sed observatio mandatorum Dei. Ita nihil prodest absque operibus, vel cœlibatus, vel nuptiæ, &c. Et Nazianzenus, de funere sororis in hanc sententiam disputat: Nec nuptias propter naturã propriam esse fugiendas, nec virginitatem propter naturã propriam extollendam, sed mentem esse, quæ & nuptiis & virginitate, vel benè vel malè utatur. Et quidem finis superstitiosus potest cœlibatum, non inutilem tantùm, verùm etjam damnabilem reddere. Qui enim cœlibatum eligit, propterea, quòd conjugium tanquam rem impuram detestetur, illum Paulus dicit, non tantùm non placere Deo, sed sequi doctrinam Dæmoniorum, 1. Timoth. 4. Et qui Epicuræi tantùm ocii causa præfert cœlibatum. Item, qui abstinet à conjugio, ideò tantùm, ut molestias œconomicas fugiat, illum Clemens, lib. 3. Stromatum, rectè dicit, peccare contra charitatem. Qui verò cœlibatum susçipit & servat ea opinione & fiducia, quòd sit propiciatio pro peccatis, & meritum vitæ æternæ, ille cum cœlibatu suo blasphemat meritum sanguinis filii Dei, ut suprà ostensum est, Ita Matth. 19. Christus distinguit Eunuchos, qui enim natura tales sunt, quando non veros & pios fines sibi proponunt, ipsorum cœlibatus certè per se non est cultus Dei. Qui verò ab hominibus castrati sunt, si tantùm politicum illum finem, sicut olim in custodiendis gynecęis usitatum erat, sectentur, illorum certè cœlibatus, non pertinet ad illas sententias Pauli, quibus commendat cœlibatum, 1. Corinth. 7. Ideò Christus ex fine judicandum docet de cœlibatu, cum inquit: Quidam castrant se propter regnum cœlorum, de qua sententia posteà dicemus. Esaias etjam, cap. 56. dignitatem Eunuchatus non ex se æstimat, sed inde si fœdus Domini teneant. Et Paulus, 1. Timoth. 5. dicit: Viduam si cœlibatum suum non referat ad verum finem, sed ad ocium & delitias, viventem esse mortuam. Ex his manifestum est, in doctrina de cœlibatu, non tam de ejus præcellentia declamitandum, quàm hoc agendum esse, ut veri ejus fines rectè constituantur & observentur. Præcipua igitur cura esse debet, ut cœlibatui verus finis, unde dignitas & præcellencia ejus æstimetur, constituatur. Non autem quisque sibi fingere debet peculiares causas finales, etjam si hoc fiat bona intentione: Quia scriptum est: Non faciatis singuli, quod vobis rectum videtur, Deuteron. 12. Item, frustra colunt me mandatis hominum, Matth. 15. Quis hæc requisivit de manibus vestris, Isa. 1. Et quod Paulus scribit, Col. 2. de cultibus electitiis. Ex Scriptura igitur petendæ sunt veræ causæ finales, propter quas cœlibatus commendatur, & in credẽtibus, quando personæ sunt idoneæ, Deo probatur. Itẽ, Scriptura nullibi dicit, cœlibatus hũc debere esse finem, ut fit satisfactio peccatorum maxima, & meritum vitæ æternæ coram tribunali Dei, sicut Asotus impudentissimè loquitur. Honor enim propiciationis pro peccatis, & meriti vitæ æternæ, soli obedientiæ & sanguini filii Dei redemptoris & salvatoris debetur.

Veræ causæ finales cœlibatus.

Veras autem causas finales cœlibatus Paulus 1. Cor. 7. hoc ordine recenset & explicat. I. Existimo hoc bonum esse propter instantem necessitatem. Non autẽ simpliciter dicit, bonum, ut opponatur malo, hoc est, vitio seu peccato, sed addit, καλὸν τῷ ἀνθρώπῳ quod ipse mox explicat, per συμφέρον, hoc est commodũ & utile est homini. Nec verò loquitur Paulus de ocio Epicuræo, & delitias hujus mundi sectatur, & fugit molestias, quę vel ob confessionem Evangelii, vel in secunda tabula charitati imponuntur, vel in societate vitæ communis objiciuntur, quasi ideò cœlibatus Deo placeat, & conjugio præstantior sit, sicut Augustinus & Clemens rectè disputant: Sed præsentem necessitatem intelligit, pericula persecutionum, propter Evangelium, principaliter, deinde etjam reliquas adversitates, quæ in vitæ cõmunis negotiis objiciuntur. Hebraicum enim צרר quod hostilem coarctationẽ & oppugnationem significat, Græci reddiderunt per ἀνάγκλω. Tunc igitur in tanto & Ethnicorũ & Iudæorum odio contra Evangelion, Christianorum cervicibus, singulis momentis, quasi imminebãt, ejectio, proscriptio, direptio facultatũ, vincula, infamiæ, & omnis generis persecutiones. Nec illorum tantùm temporum, talis fuit conditio: sed quia Evangelion est verbum crucis, omnibus temporibus crucem & persecutionem secũ trahit, non tantùm quòd ad Doctores, sed & omnes, qui vivere volunt, persecutionem patientur, 2. Timoth. 3. In tali igitur necessitate Paulus dicit: Cœlibatum esse expeditiorem, ad perferenda onera & calamitates exilii, vinculorum, persecutionis, &c. Sæpe enim in persecutionibus animi frangũtur conspectu & recordatione uxoris, liberorum, & integras familias in exilio circumducere, aspicere spoliatas, notatas infamia, expositas periculis, &c. sæpè in infirmiorib. animum remissiorẽ facit ad confessionem. Quidam præsentem necessitatem sic intelligunt, quia in exordio nascentis Ecclesiæ, non inveniebantur tot Christiani, cum quibus matrimoniũ contrahere possent, cogebantur sæpè infidelibus nubere, ut propter illam ejus temporis necessitatem potius suadeat cœlibatum. Sed Paulus nõ de illo tantùm tempore loquitur, sed cõplectitur totum cursum vitæ omnium piorum, omnibus temporibus in hoc mundo. Militia enim vita hominis super terrã, quia præter persecutiones piis cum variis calamitatibus & adversitatibus in hac vita conflictandum est. Et communes etjam calamitates seu tribulationes, Græci interpretes reddiderũt ἀνάγκας, Psal. 31. quas Saulus vocat ἐνεσῶσας, quod semper quasi immineant cervicibus piorum in hac vita. Quia verò in ferenda cruce sæpè plus excruciantur animi cogitatione de uxore & carissimis liberis, quam ipsa calamitate, unde patientia & obedientia in cruce sæpè languidior fit. Dicit igitur Paulus, propter talem necessitatem, cui præ cæteris hominibus pii expositi sunt, cœlibatum in personis idoneis expeditiorem & commodiorem esse. Et qui donum illud habet, & hoc fine cœlibatum eligit, rectè facit. Qui verò donum continentiæ non habet, vel jam alligatus est uxori, non debet propterea velle uxori, vel quærere solutionem ab uxore. Sed sit tanquam non habens uxorem, tanquam non flens, inquit Paulus, hoc est, nõ ita addictus sit, vel uxori vel liberis, ut propterea, vel confessionẽ in persecutione, vel patientiam in cruce abjiciat. Ac sciat etjam in conjugio sibi non defuturum auxilium Dei, ad tolerandas persecutiones & alias calamitates, cum quidem, sicut Paulus inquit, habeat vocationem Dei ad conjugium. Et quò magis arduum & difficile hoc opus est in conjugatis, eò etjam illustrior est ipsorum confessio in persecutione, & patientia in cruce, sicut multorum conjugatorum exempla hoc ostendunt.

Finales cœlibatus.

Præsens necessitas.

Secundam causam finalem cœlibatus, Paulus his verbis constituit: Conjugati tribulationem carnis habebunt, ego autem vobis parco. Item, Velim vos esse sine solicitudine. Intelligo autem hoc loco tribulationem, quod in ipso conjugio multæ objiciuntur molestiæ & difficultates in cohabitatione cum conjuge (ita enim Petrus totam conversationem vocat) in educatione liberorum, in gubernatione familiæ, &c. in re familiari, vel paranda vel conservanda, in tanta negociationum depravatione, &c. Ab his solicitudinibus liberiores sunt cœlibes. Conjugati verò si sint infirmiores, sæpè illis difficultatibus succumbunt, ita, ut lapsu aliquo prœoccupẽtur, sicut Paulus inquit. Cogitat quæ sunt mundi, ut conjugi placeat. Et cùm nõ omniũ eadem sit fortitudo & robur, dicit Paulus: Ego parco vobis, velim vos esse sine solicitudine: Non autem vult Christianos esse ita delicatos, ut communia onera hujus vitæ fugitent, vel tanquam Epicuri de grege porci, tantùm cutẽ suam, sine honesta aliqua solicitudine vocationis, curẽt, sed vocat ἀμερίμνους, qui illis difficultatibus, quæ mentem distrahunt, & multis sunt occasio ruinæ, non sunt expositi: Qui igitur habet donum continentiæ, si in eligendo cœlibatu, hunc finem sibi proponat rectè facit. Reliquis verò, qui donum à Deo habent ad coniugium & vocationem ad difficultates illas, quæ coniugium comitantur, subeundas, proposita est doctrina: Vt qui habent uxores sint tanquam non habentes, qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur. Proposita etiam est consolatio, Deum inter difficultates coniugales, suã gratia & auxilio non defuturum petentibus. Ideò enim Paulus donum Dei vocat, non tantùm continentiam in cœlibatu, verùm etiam ut coniuges maneant in fide, dilectione, & sanctificatione cũ castitate, 1. Tim. 2. Et hoc loco inquit, quisq; habet suum donum, unus sic, alius autem sic. Item, sicut cuiq; Deus distribuit, sicut quemq; vocavit Dominus, ita ambulet. Et sicut difficilior est pugna, ita victoriam etiam inter coniugii molestias illustriorem esse præ cœlibatu, Clemens pulchre disputat, lib. 7. Stromat. Verè enim coniugium schola est progymnasmatum, patientiæ, consolationis, fidei, spei, charitatis, &c. Loquitur autem Paulus principaliter de impari, moroso, & difficili coniugio. Neq; enim oblitus erat, quib. verbis scriptura dulcissimam, mediocriter commodi coniugii, cohabitationem describat, Gen. 2. Faciamus ei adiutorium, quod sit corã ipso. Pro. 12. Mulier diligẽs corona est viro. 18. Qui mulierem invenit, bonum invenit & hausit iocunditatem à Domino. Et quæ prolixè describuntur, Prov. 31. & Eccle. 9. Perfruere vita cum uxore, quam diligis cunctis diebus vanitatis tuæ, hæc enim est pars in vita & in labore tuo. Proverb. 5. Lætare cum uxore adolescentiæ tuæ, &c.

Vita ἀμερίμνους.

Tertiam causam finalem, Paulus his verbis ponit: Coniunx curat ea, quæ mundi sunt, ut viro placeat. Cœlebs verò curat ea, quæ sunt Domini, ut Deo placeat, ut sit sancta corpore & spiritu. Item, ut individuls è adhæreatis Domino &c. Conjugium enim valde multa habet avocamenta. Et sicut Lutherus inquit: In multa aliena à verbo negotia dividitur, non potest semper intendere lectioni, intereſse publicis congressibus, precibus, &c. Sæpè à cogitationibus primæ tabulæ distrahitur ad curas rei familiaris. Cœlibes verò expeditiùs & liberiùs instare possunt verbo Dei & orationi, die ac nocte. Hæc sunt Lutheri verba. Item, ad Apostolatum, cuius vocatio generalis, ad omnia loca extendebatur, expeditior erat cœlibatus, præcipuè verò de impari coniugio Paulus loquitur, Si enim contingat coniunx, vel infidelis, vel non studiosus pietatis, multa sæpè dissimulantur, omittuntur, vel designantur in gratiam conjugis, ne offensiones oriantur: vellet autem Paulus Christianos esse ἀμερίμνους, hoc est, nõ diversis cogitationibus & studiis distrahi à cultibus primæ tabulæ, vult igitur Paulus finem cœlibatus hunc constitui, ut qui habet donũ illud, omnes cogitationes, curas, studia & actiones, Domino, & exercitiis pietatis, sine avocamentis hujus seculi, addicere possit. Quos verò Deus ad coniugium vocavit, cogitent ne curis huius seculi tanquam spinis præfocentur, sed primùm quærant regnum Dei, & iustitiam eius. Deinde sciant se etiam operibus secundæ tabulæ Deo cultum præstare, quia secundum mandatum simile est primo. Nullo modo autem hæc est Pauli sententia, quasi nemo in coniugio possit curare quæ sunt Dei, Domino adhærere, & sanctitatem corporis, & spiritus habere, sed loquitur de iis, quæ pleruntq; accidunt, sepius enim & cœlibes, negotiis seculi implicantur. Quòd verò pię etiam coniuges sint sanctæ, & curent quæ sunt Domini, Scriptura manifestè tradit, 1. Petr. 3. 1. Tim. 2. Quodq; maritos lucrifacere possint Domino, 1. Cor. 7. 1. Petr. 3. Et clemens 3. Strom. dicit: Etiam nupta, & de iis quæ sunt mariti, & de iis quæ sunt Domini, solicita est in Domino ut sit sancta & corpore & spiritu. Nazianzenus de funere sororis suæ: Carni conglutinari, nequaquam separat à spiritu. Item, nupta parumper mundo ministrat & naturæ, seu illi potius, qui naturæ legem hanc tulit, Deo, &c. Et in corporis quidem sanctitate discrimen est, commixtio enim conjugum, non fit sine ardore libidinis: Sed tamen etjam vasis tribuitur sanctificatio in conjugio, 1. Thessalon. 4. Et Origenes vellet quidem locum in principio, Rom. 12. ad virginitatem solam contorquere, sed addit correctionem, quia videmus nonnullos Sanctorum, aliquos etiam Apostolorum habuisse coniugia, non usq; quaq; possumus de sola virginitate sentire. Et addit, Coniuges pios posse etiam corpora sua exhibere hostiã sanctam Deo placentem. Et econtrà, Virgines vitiis mentis maculatas, non ex sola virginitate corporis offerre hostiam sanctam, Deo placentem.

Vt sint ad pinitatis exercitia expeditio res.

Etiam coniuges curant quæ sunt Domini.

Etiam coniuges sancti sunt corpore.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc ergo modo Paulus & recenſet & deſcribit, cauſas finales cœlibatus, qui in Scriptura commendatur & Deo in perſonis idoneis probatur. Chriſtus verò hæc omnia complectitur vno ferè verbo cum inquit: Qui ſe caſtrant propter regnum cœlorum. Quia verò vocabulo regni cœlorum intelligitur in Scriptura, vel æterna beatitudo, vel miniſterium Euangelii, & exercitia fidei, pœnitentiæ, pietatis, invocationis, Matth. 13. Rom.14. Pontificii ita interpretantur illam ſententiam, quòd cœlibatus ſit meritum vitæ æternæ, quam ſententiam falſam & blaſphemam eſſe antea oſtendimus. Sed quia Scriptura non eſt privatæ interpretationis, habemus interpretem omni exceptione maiorem. Paulus enim abſq; dubio, illa Chriſti verba interpretari voluit, quando finem cœlibatus ſtatuit. 1. Cor. 7. Curare quæ ſunt Domini, & ſine diſtractione adhærere Domino. Hæc enim ad regnum cœlorum pertinent. Manifeſtum igitur eſt ex Pauli explicatione, quid in illis verbis, Matth. 19. Regnum cœlorum ſignificet. Caſtrât ſe igitur propter regnum cœlorum, ut in cœlibatu expeditiores ſint curare quæ ſunt Domini, ſive in miniſterio verbi, ſive in aliis exercitiis pietatis. Sicut autem credentes totius pietatis & omnium actionum finem non conſtituunt, in hac caduca & tranſitoria vita, ſed reſpiciunt ad futuram vitam. In hanc ſententiam, etjam in prima ſignificatione, Brentius exiſtimat, non incommodè dici: Caſtrant ſe propter regnum cœlorum, ſicut etjam Auguſtinus diſputat de virginitate, ca. 22. & 24. Modò non aſſumatur cœlibatum eſſe vel meritum vitæ æternæ, quod judicio Dei opponi poſsit (Hic enim honor ſoli Chriſto & ejus merito debetur) vel eſſe applicationem, ea enim eſt fides & eſt communis virginibus & conjugatis.

Caſtratio propter regnum cœlorum.

Auguſtin. de præmiis pii cœlibatus in vita æterna. Præmiũ ſubſtantiale. Præmia accidentialia.

Porrò Auguſtinus multa diſputat de præmiis, ſeu de remuneratione pii cœlibatus in futura vita. Ponit autem hoc fundamentum de virginitate, cap. 26. Vita æterna, ſicut regnũ cœlorũ (quod vocant præmium ſubſtantiale) commune erit omnibus beatis, & tamen ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ita in reſurrectione mortuorum, inter beatos diſtrimen erit, in præmiis accidentalibus ſeu remunerationibus, ſicut alia eſt claritas corporum cœleſtium, alia terreſtrium, 1. Corinth. 15. Ita licet per eandem fidem ſalventur & diſcipuli & Doctores. Tamen Dan. 12. ſcriptum eſt: Diſcipuli fulgebunt, quaſi ſplendor firmamenti, Doctores verò quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Sicut ergo martyres, in una & communi ſalute, præmiis ſeu remunerationib. præferentur confeſſoribus, hoc modo cenſet Auguſtinus, etjam in æterna vita, quæ gratis propter Chriſtum datur, futuram quandam remunerationis prærogativam illorum, qui ſe propter regnum Dei caſtraverunt. Reſpicit enim ad relationem inter donum præſtantius, & inter remunerationem. Diſertè autem Auguſtinus addit, capite 40. Etiam vos virgines gratia ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis extollatur. Et 49. Etiam ad virgines pertinet, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus. Item Advocatum habemus, qui eſt propiciatio propeccatis noſtris. 48. Etiam virginibus orandum eſt: Dimitte nobis debita noſtra, ut per hoc quod petunt, meminerint quid ſint. Auguſtinus igitur meritum ſalutis, & remiſsionis peccatorum: Item, ſatisfactionem pro peccatis, non tribuit virginitati, quãdo diſputat, quòd non tantùm in hac, verùm etiam in futura vita cœlibatus amplius aliquid habeat, quàm coniugium. Sed ſicut inquit, cap. 45. Divinæ gratiæ ſunt multa numera, & eſt aliud alio maius & melius. Et cap. 46. Modeſtiſsimè, inquit: Quomodo verò vel coæquentur, vel diſtinguantur in accipiendis honoribus, quis hominum audeat judicare? Monachi verò poſtea quaſi de re compertiſsima loquentes, certas aureolas virginibus in cœlo fabricârunt, & quidem formas earum deſcripſerunt. Loquitur autem Auguſtinus, non de cœlibatu nudo, aut per ſe, ſed de pio eius uſu, quando ad verum illum finem, de quo, 1. Corin. 7. refertur. Quando enim ſtatus per ſe conſiderantur, Paulus confert vocationes ſtatuum, 1. Corin. 7. Vt ſervorum & dominorum, de quo pronunciat, Epheſ. 6. Quisque quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber: non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quia verò illi, qui donum continentiæ habent, poſſunt in cœlibatu expeditiores eſſe ad miniſterium verbi, & ad exercitia pietatis, 1. Cor. 7. Si igitur talentum ſuum, rectè, diligenter & fideliter, collocent habebunt ſuam remunerationem, alii maiorem, alii minorem, Matth. 25. Et hanc exiſtimio Auguſtini ſententiam eſſe. Hæc igitur eſt ſimplex & vera declaratio, quomodo, quo ſenſu, & propter quas cauſas, Paulus cœlibatum, præferat coniugio.

Aureola Monachorũ virginibus detẽta.

CAPVT III.

EXPLICATIO ARGVMENTORUM, quibus pontificii, pro ſtabilienda ſua de cœlibatu opinione, potiſsimùm utuntur.

QVIA varii quęruntur prętextus, ut ſuperſtitioſa perſuaſio Pontificii cœlibatus per Evangeliũ patefacta, ſpecie aliqua vel ornetur, vel ſaltem tegatur: Vtile eſt præcipua ipſorum argumenta colligere, ut veræ explicationes & ſolidæ refutationes opponi poſsint. volo autem non omnes rationes, quæ variè ab ipſis nectuntur afferre, ſed tantùm præcipua teſtimonia, quæ ex Scriptura ab ipſis allegãtur recenſere, & fontes explicationum breviter monſtrare, cùm quidem ex illis, quæ hactenus diximus, ſine magno negotio refutationes peti poſsint.

Veniunium iũſtum precib. ſolennes orationes denotat, publicas vel privatas.

I. 1. Cor. 7. Ne fraudetis vos in vicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi. Ergo conſuetudo coniugalis, res eſt impura & abominanda corã Deo. Impedit enim exercitia pietatis & corporalia & ſpiritualia, ut ieiunium & orationem. Item, obſtaculo eſt, quominùs oratio à Deo exaudiatur. Ita enim depravat Hieronymus dictum. 1. Pet. 3. Ne impediantur orationes veſtrę. Et hìc infert, quia ſemper orandum: Ergo nunquam utendum eſt matrimonio;

Hieronymus.

Item,

Item. quando impleo officium mariti, non impleo Chriſtiani. Dicit etjam Hieronymus, Spiritum ſanctum non dari in conſuetudine conjugali, etjamſi Propheta quis ſit. Quia Spiritus ſanctus Vocatur Spiritus precũ. Et Cõjugium orare non permittens. Reſpondeo: Certum eſt Paulũ non loqui de illis Chriſtianorum orationibus, quas vult ſine intermiſsione quotidianas & aſsiduas eſſe, Epheſ. 6. 1. Theſ. 5. Luc. 18. Ita enim nullus in conjugio poſſet ſalvari. Cui enim invocatio adimitur, & ei fides & Spiritus ſanctus, & ſalus ipſa adimitur, Rom. 10. Quia quiſquis invocaverit nomen Domini, ſalvus erit: Qui verò nomen Domini non invocant, ſuper illos Deus effundit iram ſuã Pſal. 79. Valdè uſitatum eſt autẽ in Scriptura, quando ſimul conjunguntur jejunia & preces, quòd ſignificantur ſolẽnes orationes, quæ vel publicè in magna aliqua neceſsitate ſuſcipiebantur, vel privatim de re aliqua valdè gravi inſtituebantur. De illis ſolennibus orationibus, quæ ſæpè per aliquot dies, veterum conſuetudine durabant, Paulus dicit: Si fortè conjuges utrinq; conſenſerint, ut tunc ad tempus abſtineant à copula conjugali, ſe illud non quidem præcipere, ſed permittere & conſulere. Et cauſam ipſe oſtendit, non quòd conſuetudo conjugalis inquinet aut prophanet orationem ne exaudiatur, aut quòd contriſtet aut expellat Spiritum precum: Sed ἵνα σχολάζητε, hoc eſt, ut omnibus aliis rebus & negotiis poſt poſitis, totos vos dedatis intentioribus affectibus, qui in tali oratione requiruntur. Ergo, inquis, Omninò tamẽ uſus conjugii impedit preces? Reſpondeo: Sicut cibus, potus, ſomnus, & quotidiana negotia vocationum, impediunt tales orationes, quæ tamẽ ideò non ſunt res vitioſæ & immundæ. Veteres enim talib. temporibus, omnis generis delitias à ſe abdicabant, imò à neceſſariis etjã, ut cibo potu, ſomno, & quotidianis negotiis ſæpè abſtinebant, quæ tamen per ſe ſunt res bonæ. Eodem modo etjam de conſuetudine conjugali Paulus loquitur. Pontificii verò ita interpretãtur, quaſi propter immundiciem conjugii oratio fiat abominatio coram Deo, & Spiritus precũ nolit adeſſe, ſed hæc non tantùm falſa, ſed ſimpliciter blaſphema ſunt, in ſanctam Dei ordinationem. Et dignum eſt obſervatione, quòd Paulus, ne in hoc quidẽ cauſa graviſsimarum ſupplicationũ, præcepto audet uti, quaſi aliàs non poſſent vacare hujuſmodi orationibus, niſi abſtineant à conſuetudine conjugali, ſed inquit: niſi fortè, &c.

II. Objiciunt etjam illud, 1. Cor. 7. Nupta curat quæ ſunt mundi, cœlebs quę ſunt Domini ut ſancti ſint. Reſpondeo: Apoſtoli præſcribunt conjugatis quæ ſunt Domini, & affirmant conjugatos poſſe curare ea, quę ſunt Domini, 1. Co. 14. 1. Tim. 2. 1. Pet. 3. ſicut etjam exempla Scripturæ probãt, Abrahæ, Saræ, Eliſabeth, Zachariæ, & Lu. 8. Econtrà multas viduas Paulus dicit nimium curare ea, quæ ſunt mundi, & viventes eſſe mortuas, 1. Tim. 5. Senſus igitur Pauli non eſt, vel omnes, vel ſolos cœlibes, eſſe ſanctos. Sunt enim multæ virgines fatuæ, & in conjugio etjam eſt ſanctificatio, 1. Tim. 2. 1. Pe. 3. Nec quòd conjugium res ſit tam impia, ut nemo qui alligatus eſt uxori, poſsit curare ea quæ ſunt Domini, hoc enim manifeſtè falſum eſt. Neq; hoc dicit, illos qui non habent donum continentię meliùs poſſe Deo adhærere & curare ea, quæ ſunt Domini, ſi cœlibatum elegerint, ſicut neq; hoc vult, omnes qui cupiunt indivulsè Domino adhærere, debere cœlibes eſſe, ſed pro circumſtãtiis & diverſitate perſonarũ, donorum & vocationum, Paulus ſua accommodat conſilia. Et finem conſultationis hunc ponit: Quid cuiq; pro ratione ſui doni, & vocationis commodum & utile ſit, ad hoc, ut indivulsè Domino poſsit adhærere, curare quæ ſunt Domini, & ſanctificationem corporis ac Spiritus obtinere. Qui igitur donũ habent continentiæ, iis gratulatur expeditã eam libertatem, quam talis cœlibatus ſecum affert, nec tamen ſub præcepto audet injungere, ſed conſulendo monet, ut maneant cœlibes, ita enim ipſos poſſe expeditius & liberius, quæ Domini ſunt curare, Deo adhærere & ſanctificationem ſectari. Qui verò donum continentiæ non habent, ſed uruntur, illis certè ad hoc, ut ſancti ſint, & indivulsè Domino adhæreant, non ſuadet cœlibatum. Incendium enim & flammæ incontinentiæ curam divinorum impediunt, corpus & Spiritum inquinant, & conſcientiam à Deo avellunt, illis igitur melius eſſe dicit matrimonium contrahere, quam uri. Et qui hoc modo ad conjugium vocatur, illi Paulus tradit præcepta, quomodo etjam in conjugio poſsit curare, quæ ſunt Domini, Deo adhærere & ſanctificationem ſectari. Recẽſet autem & proponit varia avocamenta, quæ conjugibus objiciuntur, & monſtrat pericula, quòd multi conjugati per illa avocamenta ſinunt ſe à Domino, & à cura divinorum avelli, ut magis quæ mundi ſunt curent. Illis igitur tradit hanc doctrinam qui habẽt uxores, ſint tanquam nõ habentes, qui utuntur hoc mundo, ſint tanquam nõ utentes, Et addit conſolationem: Quemq; in ſua vocatione poſſe manere apud Dominum. Paulus igitur non ſugillat nuptias, ſed tradit doctrinam graviſsimam, propter diverſitate donorum, ut omnes Domino adhærent. Cœlibatum dicit expeditiorem eſſe, conjugatos præmonet de periculis, tradit præcepta, & proponit conſolationes. Hæc utile eſſet explicare, pro virginibus & conjugatis non autẽ conſcientiis laqueos injicere immodica & falſa celebratione cœlibatus, quaſi ſolus ad cultum Dei aptus & idoneus ſit, cũ libertate cœlibatus multi abutantur ad delitias & curioſitatem, 1. Tim. 5. Et inter ipſas moleſtias conjugii, mulier poſsit manere in fide, dilectione, ſanctificatione, 1. Tim. 2. Et hoc certè eſt curare quæ ſunt Domini, Deo adhærere, & ſanctificationem ſectari.

III. Vtuntur & hoc argumento, 1. Reg. 21. Abimelech interrogat Dauidem, priusquàm miniſtros ipſius ad veſcendos panes propoſitionis velit admittere, an mundi ſint à mulieribus, & David reſpondet: Si de mulieribus agitur, illæ jam per triduum à nobis ſæparatæ fuerunt. Attexunt autem Pontificii, propter ſanctitatem Davidis non eſſe veriſimile, quæſtionem fuiſſe de ſcortis, quæ in Iſrael prohibita erant, ideò ſummum ſacerdotem ſenſiſſe, uſum legitimi conjugii adferre talem quandam contaminationem, quæ à rebus divinis conjugatos arceat.

Reſpondeo. Variæ rationes cõtaminationis à

Universidad de Deusto
Biblioteca

mulieribus traduntur in lege Mosi, ut in puerperio, in mẽstruis, in fluxu sanguinis, &c. Nusquam autem Lex dicit: Vsum legitimi conjugii, reddidisse hominem immundum. Locus enim, Leui. 15. loquitur de γονορροίαις. Est igitur manifesta corruptela. Et ut maximè Moses dixisset, esse legalẽ contaminationem, quod probari nõ potest, non tamen sequeretur, rem essẽ per se impurã & peccatum. Nam & contractus mortui hominis contaminabat juxta legem. Et tamen officium curandi funera, inter sacros ordines apud Hieronymum & Epiphanium, refertur.

IIII. 1. Cor. 7. Hoc dico secundum veniam, non secundum præceptum, sed venia non conceditur nisi rei vitiosæ. Ergo, &c. Quidam ex Augustino respondent: Commixtionem conjugalem, quæ fit sola causa procreationis, non habere culpam, sed si fiat propter incontinentiam vitandę fornicationis causa, habere culpam, licèt venialem, sed expendatur contextus totius disputationis Pauli-
Clemens. næ. Nam & Clemẽs observavit, conjugii mem honestum & licitum, jam post lapsum non tantùm esse procreationem: Verum etjam sicut Paulus dicit: Vitandæ fornicationis causa. Item, Convenite rursus, ne vos tentet Satan, propter incontinentiam vestram. Et idem dicit ipse Augustinus: Ante lapsum, conjugium institutum fuisse tantùm ad officium, post lapsum verò etjam ad remedium. Iam quia Paulus dicit: Qui non continet, contrahat matrimonium, cumq; illum dicat non peccare, sed benè facere. Quis ergo audebit dicere, culpam vel peccatum esse consuetudinem conjugalem, etjam vitandæ fornicationis causa? Est enim thorus immaculatus, Ebr. 13. Sed si loquamur de incendiis libidinis, illa commixtioni conjugali adhæret, etjam quando fit sola causa procreationis. Nec tunc libido per se sanctificatur, sed non imputatur in conjugio. Ergo & tunc est peccatum veniale. Placet igitur illa
Augustinus. Augustini sententia, de merit. lib. 1. cap. 29. Bonum conjugii non est fervor concupiscentiæ seu libidinis, sed quidem licitus & honestus, illo fervore utendi, modus. Et de bono conjugali, cap. 5. & 16. dicit: Concupiscentiam, quæ per se vitiosa est, modificari in conjugio, & redigi ad legitimũ vinculum.

Sed quare Paulus tamen dicit: se loqui secundum veniã, non secundum præceptum? Respondeo ad totum complexum ejus, quod procedit, & de abstinẽdo, & de congrediendo respicit Paulus, scilicet cùm ardor libidinis in quibusdam ferventior, in quibusdam mitior sit, & Deus consuetudinem conjugalem pro remedio licito & honesto dederit, ne incontinentia in fornicationem, vel in ustionem & tentationem Satanæ naturam infirmam conjiciat. Se igitur nec illud de abstinentia sub præcepto proponere, quasi necessariò abstinendum esset à consuetudine conjugali, tempore jejunii & orationis, ita ut qui secus faceret, contra Deum peccaret. Nec hoc etjam secundum præceptum se dicere, ut statim rursus conveniant, etjamsi diutiùs possent & vellent ex consensu abstinere. Sed quia Deus in hac infirma natura, remedium consuetudinis conjugalis, contra incontinentiam ordinavit, & ἀταξίαν libidinis, quę in consuetudine conjugali admixta est, sub venia conjugii velit tegere: non igitur similem & eandem rationem sub præcepto posse præscribi omnibus conjugibus, sed quemq; pro ratione doni, à Deo sibi concessi, in hoc casu vel abstinendi, vel congrediendi, eligere debere, quod naturę suæ cõveniens esse intelligat, ad hoc, ut addicere se possit orationi & jejunio, & ne præbeat occasionem Satanæ, qui per incontinentiam insitam, mirabiles insidias piis conjugibus etjam in abstinentia struere solet. Hæc sententia quam perpetua Pauli disputatio præbet, cõtinet utilem doctrinã. Et phrasis de indulgentia seu venia eam confirmat. Deus enim verbo suo, peccata & vitia non concedit: Sed quod hoc loco Paulus vocat, συγγνώμην, hoc po- *Vox συγγνώμη.*
stea simpliciter nominat γνώμην. Vtraq; enim vox præcepto opponitur in Paulo. Et illa antithesis vocabulorum monstrat sententiam, quòd scilicet non omnes ad unam & eandem rationem, quasi per præceptum, velit alligatos esse. Sed cùm dona sint diversa, & vocationes sint diversæ, so pro circumstãtiis personarum & donorum, proponere sententiam & consilium, ut quisq; quod sibi bonum, hoc est, utile & expediens sit, eligat, hoc enim ad id dico, quod vobis conducibile est, inquit postea. Συγγνώμην igitur Paulus vocat, vel quia flammas libidinis Deus in vero conjugii usu fidelibus nõ imputat, vel quia paterna indulgentia Dei est, quòd in continentibus noluerit abstinentiam sub præcepto imponere, quodq; iis qui possunt vel breviùs, vel longiùs abstinere, si ex consensu fiat, noluerit necessitatem consuetudinis conjugalis, sub præcepto, injungere, vel quia nemo absolutè sub præcepto, vel ad conjugium, vel ad cœlibatum obligatur, sed qui uruntur ineant conjugium. Et virgo etjam si nupserit, non peccat. Συγγνώμη igitur venia seu indulgentia apud Paulum non est concessio rei prohibitæ & malæ, sed opponitur præcepto, in communi etjã græca lingua γνώμη καὶ συγγνώμη ita usurpantur, quando non rigidè, eodem modo de omnibus, sed ex æquo & bono, habita ratione circumstantiarum, in certis casibus, ἐπιεικῶς, rectè tamen judicatur. Arist. Ethicorum 6. cap. 11. Hieronymus illud. 1. Corinth. 7. Ego autem parco vobis, &c. ita interpretatur: Recenseo tantùm tribulationes carnis, quia parco vobis, nolo autem explicare, quæ pœna conjugatis in futuro sęculo debeatur. Sed hanc interpretationẽ Augu- *Hieronymi refellit Augustinus.*
stinus diserte refutat de virgin. cap. 17. & 20. elegãti in versione. Si enim Paulus ita voluisset Corinthiis parcere tacendo, non pepercisset animæ suæ mentiendo, sed incurrisset illud judiciũ Dei, quod describitur, Ezech. 3. & 33. Et manifestum est Paulum loqui de externis tribulationibus.

5. Monachi virginibus in comparatione con- *Monachi.*
jugium accommodant illud, Sap. 3. felix sterilis & incoinquinata, quæ nescíunt thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Respondeo: Veræ sunt doctrinæ Dæmoniorum, quæ sententias damnantes illegitimas commixtiones citant contra divinam ordinationem conjugii, cùm Paulus illud ipsum vocabulum ἀμίαντος, quod hoc loco usurpatur tribuat conjugio, Ebr æ, cap. 13. Et hoc testimonium anno-

annotavi, non quòd requirat operosam explicationem. Locus enim si tantùm aspiciatur, manifestus est. Nam mox postea nominat adulteros, & concubitum illegitimum, sed ut animadvertatur, quomodo sub specie castitatis, doctrinæ Dæmoniorum sparsæ sint.

Alphonsus Hispanus. Alphonsus Hispanus dicit, conjuges sanctitatem Spiritus quidem posse habere, sed ad solos cœlibes pertinere sanctitatem carnis & spiritus 1. Corinth. 7. Hinc loca de inquinamentis & operibus carnis accommodantur ab istis ad conjugium. Sed Pauli præceptum generale est, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, 2. Corinth. 7. & 1. Corint. 6. omnibus redemptis dicit: Corpus vestrum est templum Spiritus habitantis in vobis, glorificate igitur Deum in
Origenes. corpore & in spiritu vestro. Et ne Origenes quidem audet solis virginibus generalem illam sententiam accommodare, Roman. cap. 12. Exhibite corpora vestra hostiam sanctam Deo placentem. Nam & conjugalis thorus est ἀμίαντος sine inquinamento. Ebræ. 13. & in ipso conjugio est sanctificatio. 1. Timoth. 2. Quòd verò differentia quædam sit inter mundiciem conjugalem & virginalem, suprà explicatum est.

6. 1. Corinth. 7. Bonum est, si sic permanserint, &c. Qui non elocat, meliùs facit. Item, Beatior erit si sic permanserit, &c.

Bonum eo loco non opponi malo culpæ seu peccato, ipso Paulo interprete manifestum est. Dicit enim, qui matrimoniũ contrahit, non peccat, imò benè facit. Sed quòd Apostoli, Mat. 19. dicunt συμφέρει, expedit, hoc Paulus bonũ vocat, & in eodẽ capite ipse explicat per συμφέρον, conducibile. Et addit ad quid sit conducibile. Sicut igitur ierem. cap. 16. propter imminens bellum, exilium & captivitatẽ, Deus dicit, ne ducas uxorem, nec generes liberos, nõ quòd peccatum sit, sed quia calamitosis illis temporibus non erat commodum. Ita Paulus dicit: Bonum est propter præsentem necessitatem. Et suprà dictum est, quo modo & quo respectu sit beatiùs & meliùs in cœlibatu manere. Et quòd vocabulo (beatiùs) non intelligat meritum æternæ beatitudinis in
Augustinus. de manifestum est, nam & Christus, propter calamitates belli Iudaici, & destructionis Ierosolymitanæ, ita loquitur, Matth. 24. Væ prægnantibus & lactantibus in illa die. Et Luc. 23. Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, ac ubera, quę non lactaverunt. Feliciores enim sunt in publicis calamitatibus, qui suum tantùm calicem bibunt, & non simul etjam conjugum & liberorum miseriis excruciantur. Paulus igitur utrum que dicit, melius est nubere, & melius facit non elocans. Item volo omnes manere, ut ego, & volo juniores viduas nubere. Hæc non sunt contradictoria, ex quadam inconstantia & levitate, sed est pro diversitate donorum in illis, quibus consulendum est, pia & prudens consiliorum moderatio, quibus verò melius sit nubere, & quibus melius sit non nubere. Et propter quos fines cœlibatum pronunciet meliorem & beatiorem, non reliquit nostris conjecturis, sed ipse diserte explicat, sicut suprà prolixè declaratum est.

Huc pertinet etjam Augustini dictum de bono conjugali, cap. 8. Conjugium non in compa-
Augustinus.
ratione fornicationis bonũ est, alioqui duo mala essent quorum alterum peius sit, aut bonum erit, & fornicatio, quia peius est adulterium, aut bonum erit adulterium, quia peior est incestus. Non ergo duo mala sunt, connubium & fornicatio, quorum alterum est peius: Sed duo bona sunt, connubium & continentia, quorum alterũ est melius.

7. Matth. 19. Sunt Evnuchi, qui se castraverunt *Aequivocatio propter regnum cœlorum.* Hic seriò triumphãt, rio dicti re*gnũ cælorũ.*
cœlibatum esse meritum regni cœlorum, hoc est vitæ æternæ, sed cum appellatio regni cœlorum accipiatur non in una significatione in Scriptura, sed aliquando accipiatur pro regno Dei in futuro sęculo, aliquando verò pro Ecclesia in hac vita, quam Deus Spiritu sancto gubernat, & ad hoc utitur ministerio verbi & exercitiis pietatis, Matth. 13. & 22. Cumq; scriptura non sit privatæ interpretationis. 2. Petri 1. nemo vel potest, vel debet certior interpres esse illius sentẽtiæ Christi, quàm Paulus, qui materiam illam ex professo tractat. Is autem constanter docet, vitam æternam esse donum Dei, quam solus Christus sanguine suo nobis acquisierit, quodq; illam in promissione fide accipiamus: cœlibatum verò docet esse expeditiorem, in illis, qui donum continentiæ habent, non ad Epicuræas delitias, sed ad onera ministerii, & ad exercitia pietatis, hoc est, ad regnum cœlorum, sicut in præcedentibus declaratum est. Habemus igitur Apostolicam interpretationem verborum Christi, quid sit, se castrare propter regnum cœlorum.

8. Esaiæ 56. Non dicat Evnuchus, Ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Evnuchis, Qui *De Evnuchis Esaiæ.*
elegerint, quę ego volui, & tenuerint fœdus meum dabo eis in domo mea & in muris meis locũ, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Respondeo: Sensus Prophetæ ex contextu manifestus est. Dixerat de salute & justitia per Christum afferenda, & adjunxerat illud epiphonema. Beatus vir, qui apprehendet istud. Quia verò conscientiæ facilè perturbantur disputationibus de electione & particularitate, præsertim, quia in veteri testamento macerie quadã Deus Gentes separârat à populo suo, & Evnuchi habebantur quasi excluſi à benedictione Dei, Deuter. 7. Non erit infœcundus inter vos. Et Deuter. 23. Evnuchi prohibebantur intrare Ecclesiam Dei. Tradit igitur Propheta, consolationem nominatim pro advenis & Evnuchis, ne arbitrentur, se à justitia & salute Christi excluſos, propterea, quia vel ex Ethnicis parentibus nati, vel quia externa seu corporali benedictione Dei, destituti sunt, quia hæc dicit Dominus Evnuchis: Si fœdus meum tenuerint, habebunt melius nomẽ præ Israelitis carnalibus, qui fœdus meum non servant, licet propter nativitatem, externam speciem & professionem videantur magnam prærogativam habere, quòd sint filii & populus Dei. Item, præ illis, qui externa benedictione, sive seminis, sive alia affluunt, & interim fœdus Dei non tenent, & quæ ipse vult non eligunt. Est enim antithesis inter illos, qui titulum populi Dei, & domus Domini sibi arrogant, & inter illos, qui externa specie titulum illum non habent, & tamen sicut

Universidad de Deusto
Biblioteca

Propheta inquit: Cupiunt Domino adhærere, Ego verò jubeo, inquit, eos propterea nõ desperare. Si enim fœdus meum tenuerint, dabo eis in domo mea nomen melius & sempiternum, præ filiis & filiabus, fœdus meum non tenentibus. Et idem est, quòd Christus dicit, Matth. 8. Multi venient ab oriente & occidente & accumbent cum Abraham in regno cœlorum, filii verò regni ejicientur foràs. Possunt enim advenæ in Esaia intelligi proselyti, qui adhærebant Domino, sicut textus inquit: Evnuchi verò Gentes. Sicut enim hoc loco dicit esse lignum aridum: ita eadem metaphora prolixè describit gentium vocationem, capit. 54. Iubila sterilis quæ non parturis, desolata, confusa, &c. plures enim erunt nisi ejus, quàm maritatæ, &c.

Hæc doctrina præbet pulcherrimam, & maximè necessariam consolationem, quæ non est depravanda figmento supererogationis. Disertè enim dicit, nec Ethnicismum, nec Evnuchatum, per se esse meritum nominis sempiterni, sed si in illo contempto, abjecto & quasi maledicto (sicut tunc habebatur) statu, tenuerint fœdus Domini, & elegerint quæ Deus vult, &c. dabo eis nomen sempiternum. Sicut igitur manifestum est, quòd conditio advenarum non est meritum vitæ æternæ, ita nec cœlibatus. Vtrosq; enim cõjungit Prophera, advenas & Evnuchos. Augustinus nomen sempiternum ita intelligit: Sicut donum virginitatis præstantius est conjugio, ita etjam præmia in vita æterna, futura differentia, ipsam verò vitam æternam expressè dicit gratis dari propter Christum, sicut antea locum Augustini annotavimus. Hæc interpretatio, licet non reddat illam dulcissimam cõsolationem, quam Propheta illo loco tradit: tamen Pontificio cœlibatui nihil patrocinatur de merito vitæ æternæ per cœlibatum.

Virgines in Apocalypsi.

9. Apocal. 14. Cantent quasi canticum novum, quod nemo poterat discere, ii sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt, ii sequuntur agnum quocunque ierit, sine macula enim sunt ante thronum Dei. Respondeo: Si hanc sententiam ita voluerint interpretari, ut antithesis sit, conjugium esse coinquinationem cum mulieribus, & propter consuetudinem conjugalem inuri piis coniugibus maculã ante thronum Dei: Non tantùm falsum, sed & contumeliosum erit adversus institutionẽ Dei, sicut suprà, cùm de castitate & sanctimonia conjugii tractaremus, ex Scriptura ostendimus: Neque hoc potest dici, solos cœlibes signaculum patris cœlestis in fronte gerere. Est enim signaculum commune, Apoc. 7. Nec soli cœlibes, sed omnes empti sumus precio, 1. Corinth. 6. & 7. Ita reliqua, quæ Apocal. 14. Virginibus illis tribuuntur, pertinent ad omnes fideles, ut quòd facti sumus primitiæ Deo, Iacob. 1. quòd sumus immaculati ante Deum, Ephes. 1. & 5. Colo. 1. & in omnium eorum ore, quibus peccata tecta sunt, non est dolus, Psalm. 32. & omnes oves Christi sequũtur pastorem, Ioan. 10. Novum etjam canticum omnes fideles cantant in novo testamento, Psal. 40. & 96. Esaiæ 42. Apocal. 5. Non ergo de solo cœlibatu contra conjugium, sed de omnibus fidelibus contra infideles, intelligenda est illa sen-

Virgines castas Scriptu-

tentia in Apocalypsi. Quòd verò virgines castas vocat, metaphorica descriptio est Ecclesiæ credentium, in tota Scriptura usitatissima, ut Matth. 25. Regnum cœlorum comparatur virginibus, & Psalm. 44. adducentur regi virgines. Et in Prophetis crebra est illa metaphora, quòd Ecclesia vocatur virgo filia Sion. Esaiæ 37. & 47. virgo Israel, Amos 5. Ieremiæ 18. & 31. Virgo filia Iuda. Tren. 1. Et ratio metaphoræ est, quòd fideles in cõscientia non sunt maculati, vel falsa doctrina, vel impiis cultibus, vel peccatis conscientiam inquinantibus, sed fides est sana, cultus sinceri, obedientia vera, stolæ lotæ sanguine Christi, hinc Paulus de tota Ecclesia Corinthiorũ, inter quos erant conjugati & cœlibes, imò qui ex scortationibus & adulteriis. 1. Corinth. 6. conversi erant, dicit: Despondi vos virginem castam exhibere Christo, 2. Corinth. 11. Et ex oppositio, idololatria, falsa doctrina, averso à Deo, vocatur scortatio, adulterium, coinquinatio cum meretricibus, non tantùm in veteri testamento, verumetjam in novo. Christus enim Pharisæos vocat generationem adulteram. Et in illo ipso capite Apocal. coinquinatio cum mulieribus, differtè exponitur de scortatione cum meretrice Babylonica. Ex manifestis igitur circumstantiis textus, ex perpetua Scripturæ phrasi, & ex analogia fidei, certum & evidens est, locum illum, Apocal. 14. propriè non loqui, de cœlibatu carnali, sed de virginitate spirituali, quæ communis est omnibus credentibus, conjugibus, virginibus & viduis. Cum Augustino verò, qui ad prærogatiuam doni virginitatis, locum illum in Apocal. modestè tamen, referre conatur, quia illud facit sine contumelia conjugii, nec fabricat inde meritum vitæ æternæ, non contendemus modò vera sententia loci illius inde non evertatur.

Ratio huius metaphoræ.

Idololatriæ scripturæ fornicationem vocat.

10. Syrach. 26. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ. Hoc dictum Monachi accommodant ad suas lances, quibus imponuntur satisfactiones pro peccatis, & inter illas præcipuum momentum tribuunt suo cœlibatui. Sed Syrach illam opinionem non tantùm, non stabilit, sed in illo loco, ne quidem de cœlibatu loquitur, sed de conjugio, inspiciatur tantùm locus, præcedit enim: Gratia mulieris delectabit virum suum, & animam talis mulieris vocat πεπαιδευμένην & ἐγκρατῆ eruditam seu bene institutam & temperatem. Ἐγκράτεια enim, quę continentia exponitur, etjam Episcopo unius uxoris viro, qui liberos habet, tribuitur, Tit. 1. Dicit igitur Syracides, nullam commutationẽ, nullam ponderationem æqualem & correspondentem posse inveniri animæ talis moderatæ & temperantis uxoris. Et hinc videt lector, quàm anxiè & nullo judicio Monachi undiq; conquirant cœlibatus sui encomia, ad rem prorsus nihil facientia. Hæc sunt præcipua Pontificiorum argumenta, quæ ex Scripturæ sententiis malè detortis consuunt. Et si qua alia habent, ea partim in præcedentibus sunt explicata, partim in sequentibus repetenda erunt.

Ea sæpe meta phoricè vocat credentes.

CAPVT IIII.

CAPVT IIII.

DE DONO CONTINENTIAE SIVE de personis ad Cœlibatum idoneis.

MAgna sanè est veri cœlibatus cõmoditas & felicitas, non tamẽ omnibus, qui Deo placere & salvari cupiunt, sub præcepto propositus est. Imò Paulus disertè dicit, se ne de illis quidem, qui dono continentiæ prædicti sunt, præceptum Domini habere: atque ideo non audet dicere ipsos peccare, si matrimonium contrahant. Tanta est Apostoli modestia in illis, de quibus nõ extat expressum mandatum Dei. Nec verò etjam conjugium indifferenter omnibus sub discrimine æternæ salutis præcipitur. Et apparet apud Corinthios diversas fuisse disputationes, quibusdam prætextu veteris testamenti, cœlibatum quasi infamem & inutilem prorsus rejicientibus, & conjugii vinculum indifferenter omnibus injicere conantibus. Quibusdam verò vitam cœlibem ita admirantibus, ut ad eam omnes adigere, conjugia religionis gratia dissolvere, & eos qui matrimonium contraherent, peccare contenderent. Paulus verò responsionem suam ad illas quæstiones ita moderatur, ut ostendat, utrumque genus vitæ, & conjugalis & cœlibis, sanctum esse, & Deo placere. Non autem indifferenter quibusvis, vel conjugium, vel cœlibatum convenire. Esse enim quosdam, qui urantur & continere non possint, illis dicit præceptum esse, ut vitandæ fornicationis causa matrimonũ contrahant, & consuetudine conjugali utantur, ne propter incontinentiam à Satana tententur. Deinde dicit quosdam esse, qui incendiis libidinis & flammis incontinentiæ non ita urantur, sed possint continere. Illis, si jam alligati sunt conjugio, dicit: Noli quærere solutionem. Item, non fraudes alterum, non enim potestatem jam habes tui corporis, sed conjunx conjugii debitam benevolentiam reddere tenetur. Si verò liberi & soluti adhuc sint, & possint continere, dicit, se præceptum Domini non habere, ut tales vel conjugium quærant, ut cœlibes maneant. Faciat igitur, inquit, quod vult: Si conjugium inierit, non peccat. Sed quia tribulationẽ carnis tales habebunt, & per conjugii onera sæpe ab exercitiis pietatis avocantur, dicit juxta suam sententiam, tales, qui donum continentiæ habent, melius facere, si cœlibes manserint, propter illas utilitates cœlibatus, quas suprà ex Paulo recensuimus. Hanc esse seriem & sententiam Paulinæ responsionis, ex contextu manifestum est.

Corinthiorũ disputationes de virginitate & coniugio.

Paulus de nõ habentib. donũ continentiæ.

Paul. de continentia donum habẽtibus, qui continere non possunt.

De continentibus, sed solutis.

Et ex hoc fundamento pendet explicatio quæstionis de personis ad cœlibatum idoneis, neq; enim ita in medio Deus posuit conjugium & cœlibatum, ut unusquisq; liberam habeat electionem ad utrum vis. Qui enim vel natura sunt ad conjugium inhabiles, vel ab hominibus castrati sunt, illi matrimonium eligere non debent, Matth. 19. Et qui uruntur nec continere possunt, non debent cœlibatum eligere: sed si non continent, contrahant matrimonium. Qui verò donum continentiæ habent, illi etjam si conjugium elegerint, non peccant, rectiùs tamen & meliùs faciunt, si cœlibatum elegerint. Certissimum igitur est, nõ omnes esse ad cœlibatum idoneos, nec promiscuè omnes esse ad cœlibatum in vitãdos, cùm nemo etiam si idoneus sit, ad eum sit cogendus. Et tamen esse quosdam ad cœlibatum idoneos manifestè constat, Matth. 19. & 1. Corint. 7. Nec illos tantùm, qui vel natura, vel ab hominibus facti sunt Evnuchi: verùm etjam alios quosdam, qui cùm ad conjugium natura non essent inhabiles, tamen se ipsos castraverunt, hoc est, à conjugio abstinuerunt & cœlibatum elegerunt, ut ad negotia regni cœlorum essent expeditiores. Non autem naturalem esse illam veræ continentiæ facultatem, Christus eo ipso ostendit, quòd eos qui natura sunt Evnuchi, distinguit ab illis, quibus datum est, ut se castrent propter regnum cœlorum, quòd Paulus manifestiùs explicat, cum inquit: Vnumquemque habere proprium donum ex Deo. Quia enim continentia, non est tantùm abstinere à conjugio, & interea scortationi, adulteriis & aliis pollutionibus indulgere, vel mentem sordibus libidinum inquinatam gerere, sed est sanctitas corporis & spiritus, sicut Paulus eam definit. Quid enim prodest integra caro mente corrupta, inquit Augustinus. Meritò itaque continentia non naturale, sed donum, quod ex Deo sit, sicut Paulus loquitur, censetur.

Pugnantia cum continentia.

Continentia vera quid. Augustinus.

Status verò controversiæ in eo consistit, quòd Pontificii contendunt, sicut reliqua dona spiritualia non sunt naturalia, sed divinitus dantur, illis autem dantur, qui petunt, Iacobi 1. Omne datum bonum, & donum perfectum è supernis est, descendens à patre luminum. Qui igitur indiget sapientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. Ita censent continentiam tale donum esse, quod Deus nemini petenti & quærenti velit denegare. Quod verò pauci donum illud habeant, inde fieri: quod nec oratione, nec studio, nec luctu contra carnem illud petant & quærant. Et sicut de incredulis Christus dicit: Sermo meus οὐχωρεῖ non habet locum in vobis, ita existimant eodem verbo ipsum uti de cœlibatu, Matth. cap. 19. Non omnes capiunt verbum hoc, quia scilicet donum illud non omnes velint quærere & capere. Et huic persuasioni superstruunt vota cœlibatus, & id genus alia. Hoc etjam vult Canon Tridentinus, quando anathema dicit illis, qui docent, omnes posse contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis (etjam si eam voverint) donum habere, cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos suprà id quod possumus tentari.

Status huius quæstionis. Pontificiorũ dogma de dono continentiæ.

Interponat autem Scriptura suam sententiã, et an hæc ita se habeant. Et res plana erit, si exigatur ad normam hujus distinctionis, quæ manifesta & certa est. Quædam enim dona Dei sunt communia seu generalia, quæ scilicet omnibus piis necessaria sunt, & de illis loquuntur promissiones: Quicquid petieritis, dabitur vobis, &c. Alia verò sunt dona peculiaria seu privata, de quibus non extat promissio, quòd Deus ita velit omnibus & singulis credentibus dare, ut Roma. 12. Habentes dona juxta gratiam nobis datam differentia. Et 1. Corinth. 12. divisiones sunt donorum: Alii datur donum sanationum, alii donum miraculorum, alii prophetia, alii donum linguarum, &c. Hæc omnia efficit unus atq; idẽ Spiritus,

Refutatio è scriptura per distinctionem donorũ Dei. Dona Dei omnibus piis cõmunia & necessaria. Dona Dei specialia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Spiritus, dividens peculiariter sive privatim, unicuique propria dona sicut vult. Hæc distinctio donorũ certa & manifesta est. Videamus jam an Scriptura donũ continentiæ ponat inter dona generalia, an verò inter dona peculiaria. Certum autem est, donum continentiæ nõ esse omnibus necessarium. De virginibus enim præceptum domini non habeo. Item, si nupserit virgo non peccat. Et qui non continent in matrimonio salvantur, si manserint in fide, &c. Et non esse generale donum, Christus ostendit, cùm inquit: Nõ omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Qui potest capere, capiat. Et ne quis existimet Christum, vel ad infideles, vel ad remissiores Christianos respicere, ad ipsos Apostolos hæc lòquitur, & quidem tunc, cùm significarent sibi magis probari cœlibatum. Dicunt enim, si ita est causa hominis cum vxore, nõ expedit matrimonium contrahere. Christus verò ipsis Apostolis, hoc modo admirantibus cœlibatum, respondet: Nõ omnes capaces sunt hujus dicti, sed quibus datum est. Ne verò ita intelligatur, sicut inter credentes & infideles Christus distinguit, Matth. 13. Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, cæteris verò in parabolis, ut videntes non videant, &c. Paulus disertè, quando cum fidelibus & sanctificatis agit de cœlibatu, ita loquitur: Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic. Et eadem prorsus phrasi, qua 1. Corin. 12. dona privata seu peculiaria describit, et jam hoc loco de cœlibatu utitur: Sicut unicuiq; divisit Dominus, sicut unũquemque vocavit Deus, ita ambulet. Sicut igitur non promiscuè omnes credentes habent, & etjam si velint & petant, non possunt omnes habere donum miraculorum, sanationum, linguarum, prophetiæ, &c. Imò cùm Deus decreverit talia peculiaria & privata dona, non indifferenter omnibus & singulis credentibus conferre, fides non rectè potest illud petere, cujus mandato & promissione destruitur. In hoc igitur genere donorum, pii non debent temeraria præsumptione & affectatione, Deo quasi præscribere, quibus donis velint ab ipso ornari, sed quisq; suum donum quod habet debet agnoscere, & diligenter excolere, ùt talentum suum à Domino sibi concreditum, rectè, fideliter, & utiliter collocet.

A commoda vbi rei ad quæstionem.

Specialia Dei dona nequeunt ab omnibus promiscuè peti.

Cælibatq; est donum DEI speciale.

Eodem prorsus modo Scriptura de cœlibatu etjam loquitur. Quando enim recenset commoda & utilitates cœlibatus, addit: Nõ omnes sunt capaces, sed illi tantùm, quibus datum est, qui scilicet proprium, peculiare seu privatum illud donũ habent ex Deo. Quid verò si reliqui etjam, qui donum illud continentiæ non habent, peterent, quærerent, vellent, anniterentur, nonne Deus etjam ipsis donum illud daturus esset? Hìc certè Scriptura, nec mandatum tradit, nec promissionem addit. Sed Paulus dicit: Vellem quidem omnes ita esse: Non autem hortatur, ut omnes hoc affectent, nec omnibus hanc facultatem promittit, sed unusquisque, inquit, proprium donum habet ex Deo, unus quidem sic, alius verò sic. Et addit, Deum ita distribuisse vocationes, quòd quosdam sibi velit servire in conjugio, quosdam verò in cœlibatu. Et singulis donis, ad vocationem suam, sive in conjugio, sive in cœlibatu, necessariis, à Deo instrui. Monet igitur Paulus, ne Deo præscribamus, sed unusquisque dona sua, quæ ex Deo habet, consideret, & tale genus vitæ, sive conjugalis, sive cœlibis, deligat, in quo pro ratione donorum suorum possit bona conscientia Deo servire, & Domino adhærere. Et in delectu illo, expresè jubet accurata & matura deliberatione considerare & expendere, an donum continentiæ ex Deo habeat, vel non habeat, is, de cujus cœlibatu vel conjugio quæstio est. Si quis stat, inquit, firmus in corde, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, &c.

Certum igitur & manifestum est, ex verbis Christi, & ex Pauli explicatione: Non omnes credentes habere donum continentiæ, quò ad cœlibatum idonei esse possint. Et qui nõ continent, sed uruntur, illos certè Paulus non vult cœlibatum amplecti, eò, quòd multas & magnas commoditates id vitæ genus habeat. Non enim hæc de cœlibatu, inquit, ideò dico, ut laqueum vobis injiciam. Nec illis, qui donum hoc non habent, proponit mandatum, consilium seu exhortationem, ut per castigationes corporis & orationem, se idoneos reddant ad cœlibatum, multò minus addit promissionem, Deum illis, qui donũ continentiæ non habent, illud dare velle, si modò velint, conentur & cœlibatum accipere annitantur, sed dicit: Qui se non continent, contrahant matrimonium. Melius enim est nubere quàm uri. Et propter fornicationem vitandam quisq; habeat conjugem. Ac rationem addit: Ne vos tentet Satanas, propter incontinentiam vestram.

Nõ omnes fideles cœlibatui sunt idonei.

Nota est Hieronymi querela in Epistola ad Eustachium, cùm se diu maceraſſet in eremo, ut membra squalido cœno horrerent, ora jejuniis pallerent, & ipse vix ossibus hæreret, sola tamen, inquit, libidinum incẽdia bulliebant. Item, cum in eremo solis ardoribus inter feras & scorpiones repletus amaritudine sederet, sæpe tamen Romanis se delitiis interesse putabat.

Examen Concilii Trident. juxta Pauli sententiam.

Et juxta hanc normã instituatur jam examen. Paulus dicit: Satanam illis, qui donum continentiæ non habent, insidiari suis tentationibus, propter incontinentiam. Quid verò ipsos jubet facere, ne in tentationem inferantur? Vtantur, inquit, remedio conjugii divinitus ad hoc instituto & concesso. Et in ea vocatione conjugii affirmat pios non minus manere apud Dominum quàm in cœlibatu. Tridentinus verò Canon dicit, eos qui donum continentiæ non habent, sed tentantur propter incontinentiam, modò voveant cœlibatum, nõ debere remedio matrimonii divinitus instituto & cõcesso uti, sed sperare debere, Deum nõ permissurum nos supra id, quod possimus, tentari. At qui remedia divinitus ordinata negligit & abjicit, & sine mandato ac certa promissione, extra donum, & vocationem suam, fiducia divini auxilii aliquid privata sua præsumptione affectat & suscipit, is tentat Deũ. Ita ergo tales cœlibes, qui donum non habent, primò, à Satana tentantur, & deinde ipsi vicissim Deum tentant. Non itaq; mirum est, si in nefandas turpitudines, & in æternum exitium, præcipites ruant. Sed Deus, inquit Canon, rectè petentibus nihil denegat. Benè verò est, quod addunt

(Rectè

Deo, Deum rectè petentibus nihil denegare.

(Rectè petentibus.) Nemo verò rectè potest petere, sine mandato & promissione Dei. Vbi verò habes mandatum Dei? ubi promissionem? si donum cõtinentiæ tibi non sit datum, & si tentaris propter incontinentiã, ut matrimoniũ abjures, & interea petas tibi dari donum continentiæ? Imò directè pugnas contra ordinationem Dei, quæ illos, qui non continent, sed uruntur, & à Satana propter incontinentiam tentãtur, jubet uti matrimonio, tanquam remedio divinitus instituto, ad vitandas ustiones & fornicationes.

Vetustas opinio, cœlibatum esse possibilem omnibus.

Et dignũ est observatione, quòd præsumptio de generali possibilitate cœlibatus ipsis Apostolorum temporibus exorta, & ab ipsis etjam Apostolis manifesta experientia refutata fuerit. Paulus enim, 1. Timo. 5. recitat exemplum juniorum viduarum, quę cùm donum continentiæ nõ haberent, & nihilominus genus vitæ cœlibis amplexæ fuerant, absq; dubio illa persuasione, quòd & vellent & possent cœlibatum servare, tentationes Satanæ non evaserint, sed conversæ fuerint retrò post Satanam. Et Paulus hac experientia edoctus, non dicit: Volo juniores viduas conari, anniti, carnem castigare, luctari contra tentationes, & orare: Ita omnibus possibilis erit cœlibatus, sed dicit: Volo juniores viduas nubere, & rationem addit: Ne detur occasio adversario. Item, ne convertantur retrò post Satanam, à quo scilicet, si donum continentiæ non habent, tentantur, propter incontinentiam. Si itaque semel constituerimus, non nostræ rationis concinnas speculationes, vel hominum traditiones, sed expressam Spiritus sancti sententiam, in illis locis ubi ex professo materiam hanc tractat sequi, nullum amplius dubium esse debet, quàm quòd donum continentię, non sit commune omnibus fidelibus, quod q; illis, qui nõ continent sed uruntur, remedium conjugii propositum sit.

Vtrũ qui donũ continentiæ habent.

Sed tamen & hoc certum est, aliquos posse se castrare propter regnum cœlorum, sed quibus datum est, hoc est, qui proprium illud donum ex Deo habent, Matth. 19. 1. Corin. 7. Cùm igitur donum illud quidam habeant, quidam non habeant, quæstio est complectens totam hanc disputationẽ, qui illi sunt, qui habeant, & qui nõ habeãt, seu quod sit κριτήριον juxta quod examinari, inquiri, deprehendi & statui possit, an quis donum illud habeat, vel non. Hoc enim est, quod Paulus dicit: Iudicandum esse an habeas necessitatem, an verò potestatem propriæ voluntatis. Et quia Tridentinus Canon videtur nostros perstringere, quasi ex sensu donum continentiæ metiantur, cùm inquit, qui non sentiunt se donum castitatis habere, &c. explicabimus hãc quæstionem eò diligentius. Norma igitur ejus examinis seu inquisitionis traditur, Mat. 19. 1. Co. 7. Quia enim Christus tria genera Evnuchorum ponit, donũ ergo continentiæ non in illis tantùm est, qui vel corpore ad cõjugium sunt inhabiles, vel qui natura ita sunt frigidi, ut nullam appetitionem vel inclinationem ad Venerem sentiant. Sed sicut in reliquis donis divinis, quia caro concupiscit adversus Spiritum, studio, conatu, lucta, adversus carnem, & orationem dona sunt exuscitanda, excolenda & conservanda. Idem etjam in dono cõtinentiæ faciendum est. Qui enim negligentia

Vnde deprehendatur an quis continẽtię dono sit præditus.

ita torpet, ut nulla diligentia conetur & studeat continentiam colere, nulla lucta concupiscentiæ resistat, ut eam reprimat, corpus, temperantia, & honestarum occupationum exercitiis, non subigat, nec caveat & vitet occasiones provocantes libidinem, ideò ut ne quidem petat gratiam & auxilium Dei ad continentiam, sed delitiis se dedat, crapula seu saturitate ventrem distendat, ocium sectetur, & incentiva (ut dici solet) libidinis aucupetur, is donum continentiæ non accipiet, & etjamsi ipsi datum sit, non exuscitabit & excolet, sed suffocabit potiùs & extinguet. Studio igitur, conatu, lucta, abstinentia & oratione opus est, ut rectè explores, an datum tibi sit donum cœlibatus, vel an Deus illud tibi dare velit.

Et ad quam normam exigenda sit illa exploratio, hæc dicta Pauli ostendunt: Propter vitanda stupra quisq; habeat conjugem. Ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram. Melius est nubere quàm uri, ut sit sancta corpore & spiritu, ut adhæreatis Domino absq; distractione. Significat autem πύρωσις in tentationibus, impetum seu vehementiam affectuum, qui non in superficie tantùm pungunt, & leviter excuti possunt, sed qui quasi incendio quodam cor penetrant, adurunt & depopulantur. Ita Græci interpretes eo vocabulo utuntur, Psalm. 9. & 17. Et Paulus etjam ita loquitur, 2. Corin. 11. Quis scandalizatur, & ego non uror. Hoc verò loco significat flammas & incendia libidinis, quando cor æstuat, & cæco capitur igni. Rectè igitur Thomas dicit, non statim uritur, qui calorem sentit. Sed quando in vita cœlibe, titillationes concupiscentiæ aculeis suis te pungunt, & æstum aliquem sentis, non statim exclames te uri, sed diligentia, conatu, lucta, temperantia & oratione fortiter repugnes, timorem Dei & amorem veræ pudicitiæ opponas, impuras cogitationes præcidas, turpes motus reprimas, occasiones vites, & robur resistenti à Domino tibi dari petas. Quòd si hac diligentia flammæ libidinis possunt reprimi, repelli vel restingui, nondum laboras ustione, de qua Paulus loquitur. Sed hoc ipsum est donum continentiæ, quod ea diligentia in lucta à petentibus accipitur, exuscitatur, excolitur & conservatur. Si verò flammæ libidinis tam sunt ardentes, ut hac diligentia, vel reprimi, vel restingui, vel repelli non possint (juxta dictum: Quo q; magis præmitur, tantò magis æstuat ignis) sed intro penetrent, voluntatẽ occupent, cor inflamment, cogitationes abripiant, & totum corpus incendant, ut cor vel pleno assensu, vel cæco & inquieto impetu libidinis, æstuet & ardeat, tunc certum est, te non esse capacem dicti Christi, hoc est, non habere donum continentiæ ex Deo. Et hoc est ustio seu tentatio illa Satanæ per incontinentiam, quam Paulus remedio conjugii restinguendam esse docet, ne vel corpus fornicatione, vel Spiritus ustione inquinetur. Periculum enim seu præcipitium potiùs in tali ustione imminet, ne Satan naturam infirmam in fornicationem (sub qua hoc loco omnis generis illegitimas commixtiones & pollutiones Paulus complectitur) conjiciat. Ac etjamsi corpus impollutum servetur, tamen si cor ita, sicut dictum est, uratur, non

Vri seu πύρωσις.

Thomas.

In quibus sit donum continentiæ.

In quibus non sit.

reti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

retinetur vera & pura definitio cœlibatus, quam Paulus constituit in sanctitate corporis & spiritus. Et quòd interior illa ustio, etiam si non accedat externa pollutio, sit coram Deo peccatum contra præceptum. Non mœchaberis, Christus expressis verbis pronunciat, Matth. 5. Ego dico vobis, quicunque aspexerit mulierem ad concupiscendum eam, jam adulterium commisit in corde suo. Et ustiones illæ quando adeò impotentes sunt, sicuti dictum est, ipsam conscientiã sauciant, invocationem turbant, exercitia pietatis interrumpunt, impediunt & maculant, ut homo non possit absq; distractione adhærere Domino. Qui igitur tales sunt, illi, eo ipso intelligunt, se non esse capaces cœlibatus, hoc est, se non habere donum continentiæ ex Deo. Et de illis intelligenda sunt ea, quæ suprà diximus.

Interior ustio est peccatum contra textum præceptum.

Num verò illi non possunt Deo placere, & Domino adhærere, quia donum continentiæ non habent? Imò hoc ipsum Paulus agit: ut quisque pro ratione doni & vocationis suæ, tale genus vitæ sibi deligat, in quo bona cõscientia possit Deo placere, & apud Dominum manere, &c. Non autem præscribit, ut is, qui facta ea, de qua diximus, exploratione, uritur, pertinaciter ejurato conjugio quærat & affectet donum continentiæ: Nec consulit, ut in ustione maneat, sed inquit: propter vitandam fornicationem, quisq; habeat conjugem. Item, melius est nubere quàm uri. Et ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram. Affirmat conjugium esse proprium donum ac peculiarem vocationem ex Deo, in qua illi, qui in cœlibatu continere non valent, Deo bona conscientia, in justitia & sanctitate servire, ipsi placere, quæ ejus sunt curare, & ipsi dono & beneficio divino, adhærere possint. Quòd verò illi, qui donum continentiæ habent, cœlibatum eligere possint, & tamen nõ peccent, etiamsi matrimonium contraxerint, in sequenti capite explicabimus. Nunc tantùm hoc ostendendum fuit, nõ omnes esse ad cœlibatum idoneos, eo, quòd donum continentiæ non sit commune, sed peculiare, & quia norma rectè exploretur, an quis donum continentiæ habeat, an verò non.

Carentes cõtinentiæ dono, Scriptura iubet contrahere matrimonium.

Et positis his fundamentis, quæ certa, firma & manifesta sunt, non difficilis erit explicatio eorum, quæ de generali possibilitate cœlibatus à Pontificiis opponi solent, ut speciosè ita formatur argumentum: Propositum, ut Deo placeas, cures ea, quæ sunt Domini, & absque distractione Domino adhæreas, pium est, & ab omnibus suscipiendum, ad quod etiam Deus gratiam suam nemini petenti denegat. Sed cœlibatui expressis verbis Paulus hoc tribuit. Ergo cœlibatus ab omnibus est suscipiendus, & Deus donum illud nemini petenti denegabit. Et Monachi in suis Legendis multa fingunt miracula, quomodo tales miraculosè ab Angelis castrati, aliis virilia exusta, & sine sensu reddita, ex aliis sensus libidinis prorsus sublatus, &c.

Sed responsio ex Pauli disputatione vera & perspicua sumitur, in personis scilicet ad cœlibatum idoneis hæc locum habere. Neque enim soli cœlibes Deo placent, quasi in pio conjugio, nemo possit curare quæ sunt Dei & Domino adhærere, sicut hæc suprà sunt explicata. Si verò excipiatur, quia melius & expeditius hæc in cœlibatu præstari possunt, ideò ab omnibus cœlibatum eligendum. Respondet contextus Paulinæ disputationis: Deum vocationes suas ita distribuisse, quod non omnes, sed quosdã sibi velit in cœlibatu servire, quosdam verò nõ in cœlibatu, sed in matrimonio. Et addit: unusquisque proprium donum habet ex Deo, unus scilicet, ut in cœlibatu possit expeditius Deo servire, hoc est, qui donum continentiæ habet: alius verò, ut in pio conjugio rectiùs hoc præstare possit, qui scilicet uritur & non continet. Et extra controversiam est Deum omniũ optimè nosse, in quo vitæ genere quisq; ipsi commodissimè servire possit & debeat, & ad hoc gratiã & auxilium suum nemini vult denegare. Quòd si donum continentiæ non habeas, & tamen induas persuasionem, te in cœlibatu posse melius Deo servire, atq; ideò petas tibi dari donum continentiæ à Deo, jam sapientia Dei à filiis suis justificatur, & idem est, ac si Abiathar existimaret, se melius posse Deo servire in functione militari, atque ideo petere à Deo sibi dari dona Davidis. Et Paulus non in genere omnibus dicit, quòd in cœlibatu expeditius possint Deo servire, sed de iis, qui donum continentiæ habent: de aliis verò dicit: Melius est nubere. Et post recitatas commoditates cœlibatus subjicit: Hæc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum injiciam vobis. Ergo cœlibatus quibusdam, qui scilicet donum continentiæ non habent, non tantùm non confert ad hoc, ut indivulsè Deo adhæreant, & expeditius ea, quæ Domini sunt curent, sed laqueũ potius injicit, quo irretiti à Deo abstrahantur, & retrò post Satanam convertantur, 1. Timoth. 5. Paulus igitur finem monstrat ab omnibus expetendum, ut scilicet Deo placeas, & indivulsè Domino adhæreas. Illud verò vult exigi ad mensuram doni, quod quisq; ex Deo habet, an scilicet in cœlibatu, an verò in conjugio hoc commodius & expeditius, pro ratione tui doni facere possis. Sed generalis aiunt promissio est: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et Iacob. 1. Qui indiget, petat à Deo, qui dat omnibus affluenter, &c.

De eo. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.

Respondeo. 1. Ioan. 5. additur limitatio: Si quid petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. Diximus autem suprà de differentia donorum, quòd quædam sint generalia, omnibus fidelibus promissa: quædam verò sint singularia seu peculiaria, de quibus Paulus dicit: Distribuit ea non indifferenter omnibus fidelibus, sed prout vult, uni sic, alteri verò sic.

De dicto Sapientiæ 8.

Ita objiciuntur & illæ sententiæ, Phil. 3. Omnia possum in eo, qui me confortat, Christo, Marci 11. Omnia sunt possibilia credenti. 2. Corint. 3. Non sumus idonei ex nobis ipsis, sed Deus nos idoneos facit. Phil. 2. Deus operatur in nobis velle & perficere. Sed responsio plana est. Quædam enim sententiæ loquuntur de donis generalibus, quæ omnibus fidelibus necessaria sunt: quædam verò loquuntur de gratia & auxilio Dei in cujusque vocatione. Neque enim Paulus præsumit, se posse exercitum ducere, Rempub. administrare, &c. quando dicit: Omnia possum in Christo, Nec petit

Obiectio alia.

petit ut ad ea, quæ extra vocationem suam sunt, à Deo idoneus reddatur, quãdo inquit: Deus nos idoneos reddit. Sed de vocatione sua & de donis ad eam necessariis loquitur. De dono verò continentiæ, quòd Deus illud non velit generale esse, sed quod quosdam non ad cœlibatum, sed ad cõjugium vocãrit, suprà demonstratum est. Ratio igitur dissimilitudinis inter dona generalia seu vocationem communem, & inter dona singularia seu vocationem specialem, monstrat fontes explicationum, ut quando dicunt: Resistere Satanæ, vincere terrores mundi, mortificare actiones carnis, tempore persecutionis vitam & fortunas in discrimen adducere, multò est difficilius, quã à mulierculæ complexu continere. Sed hæc licet naturæ viribus impossibilia, per gratiam facta fuerunt possibilia, non viris tantùm: verùm etiam infirmis puellulis. Quidni igitur in cõtinentia multò facilius illud fieret? Respondeo: Vocatio communis est omnium piorum, ut Diabolo, mundo & carni resistant, & in persecutione Christum confiteantur. Et ad hæc Deus gratiam suam omnibus petentibus promisit. Nõ autem communis omnium piorum vocatio est ad cœlibatum, sed Deus uni vult gratiam seu donum ad cœlibatum, alteri ad conjugium dare. Ita de tentationibus generalibus rectè dicitur: Sufficit tibi gratia mea. Sed de tentatione Satanæ per incontinentiam Paulus dicit: Convenite rursus in unum, ne vos tentet Satan. Item, volo juniores viduas nubere, nullam occasionẽ dare adversario, jam enim quædam conversæ sunt retrò post Sa nam.

Quod verò dicunt alia esse remedia ad reprimendam incontinentiam, quàm solum conjugium, ut laborare, orare, corpus castigare, &c. Non igitur statim eum, qui sentit tentationes aliquas incontinentiæ, debere ad conjugium provolare. Hoc in præcedentibus cum de ustione ageremus explicatum est. Donum enim continentiæ in illis, quibus datum est, ea diligentia, de qua argumentum loquitur, excusitatur & excolitur. Reliquis verò, qui donum illud ex Deo non habent. Paulus dicit: si non continent contrahant matrimonium. Melius est enim nubere quàm uri, &c.

Frequentissima apud Augustinum, & alios est allegatio ejus sententiæ, quæ extat, Sapient. 8. Vt scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum. Adii Dominum, & deprecatus sum ipsum, &c. Et inde conantur probare, donum cœlibatus generaliter promissum esse omnibus petentibus. Sed profectò locus ille, si rectè inspiciatur, non probat hoc. Manifestum enim est, autorem ibi loqui in persona Salomonis, dicit enim: Tu elegisti me Regem populo tuo, & dixisti me ædificare Templum in monte sancto tuo, &c. Et certè Salomon non fuit cœlebs, cumq; prolixè describatur oratio illa, de qua locus allegatus inquit: Adii Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi &c. Prorsus nulla fit mentio cœlibatus, sed sapientiam petit sibi dari. Ipsa igitur luce clarius est, locum illum non loqui de cœlibatu. Historia enim Salomonis, in cuius persona illa dicuntur, hoc non admittit. Sed inquis ponitur ibi vocabulum ἐγκράτης, quòd contentiam significat? Consideretur autem totus contextus loci, quale enim donum intelligat, cujus autor sit Deus, non nobis divinandum reliquit, sed longa precatione exponit. Adii enim, inquit, Dominũ, & deprecatus sum ipsum, & dixi, &c. Nullum autem verbum de cœlibatu in tota illa precatione invenitur: Sed cùm in præcedentibus dixisset, se à puero amasse, & sectatum fuisse sapientiam, sed intellexisse, quòd non posset eam consequi, nisi ex dono Dei, ideò inquit, adii Dominum, & deprecatus sum ipsum, Da mihi sapientiam, &c. Sicut igitur in communi lingua græca, vox ἐγκράτης sæpè ita usurpatur, quando aliquis compos alicujus rei fit, sic hoc etiam in loco rectè accipi potest. Cùm viderem, me non posse compotem fieri sapientiæ, quam amabam, oravi igitur Dominum. Ita totus contextus optime cohæret. Ineptissimum autem esset, si de cœlibatu proponeret, & posteà in prolixa oratione aliud peteret, nulla prorsus mentione facta cœlibatus. Sed etiamsi in usitata significatione accipiatur, non extorquebitur inde, donum cœlibatus commune esse omnibus petentibus. Nam vocabulum ἐγκράτης, tribuitur etiam conjugibus castis, qui liberos habent, Tit. 1. Et quia Salomon, Sapient. 8. loquitur, non ergo de perpetuo cœlibatu vocabulũ ἐγκράτης ibi intelligendum est. Nam 3. Regum 3. Conjugium Salomonis ante orationem pro sapientia, describitur. Et cõsideretur quomodo cum toto contextu sententia illa cohæreat. Nam cap. 7. dixit: Spiritum sapientiæ esse sanctum & incoinquinatum ἀμόλυντο. Et cap. 8. inquit: Sapientia docet σωφροσύνλω temperantiam seu pudicitiam, quæ etiam in conjugio est, 1 Timoth. 2. Et postea dicit: cùm animam bonæ indolis nactus essem, dedi operã, ut corpus etiam esset ἀμίαντον impollutum, quia scilicet sapientiæ, cuius Spiritus impollutus est, cupiebam particeps fieri. Sed vidi esse donum Dei, corpus impollutũ servare, ideò oravi Dominum. Quomodo verò Salomon corpus suum impollutum servaverit, historia ipsius ostendit, in adolescentia siquidem illegitimas commixiones vitavit, & posteà conjugium iniit, cujus thorus, quia immaculatus est, corpus servat incontaminatum coram Deo. Et quidem non in cœlibatu, sed in conjugio posito Salomoni donum sapientiæ, cuius Spiritus impollutus est, collatum fuit. 3. Reg. 3. Quid igitur ἐγκράτεια illa fit, quam Salomon & petivit & impetravit, cuius autor & donator Deus est, ex historia Salomonis luce meridiana clarius est. Hæc de sententia illa, Sap. 8. quæ tanto cum apparatu allegari solet, hoc loco annotare volui. Illæ enim interpretationes omnium certissimæ sunt, quas ipsæ textus circumstantiæ monstrant, subministrant & confirmant.

Vox ἐγκράτης.

Sapient. 8.

Postremò non ignoro, plerosq; ex patribus ita disputare, quasi videantur sentire, omnes si modò velint & petant, posse continentiam in cœlibatu præstare. Illud enim (qui potest) ita interpretantur, quicunq; vult capere, capiat: Sed hæc explicatio manifestè pugnat cum Paulo, sicut perspicuè in præcedentibus demonstravimus.

De testimoniis Patrum

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus. Et ipsi Patres etjam cum Christo & Paulo sentiunt ac loquuntur.

Ignatius. Ignatius enim ad Smyrnenses inquit: εἴ τις δύναται ἐν ἁγνείᾳ μεῖναι ἐν ἀκαυχησίᾳ μενέτω, ἐὰν καυχήσηται, ἀπώλετο, hoc est, Si quis potest in continentia manere, maneat sine gloriatione, si verò gloriatus fuerit, periit.

Hilarius. Hilarius dicit: Dominum nos admonere ad cœlibatum, si tamen possimus.

Hieronymus. Hieronymus contra Iovinianum dicit: Si omnes virgines esse possent, nunquam & Dominus diceret. Qui potest capere capiat, & Apostolus insuadendo non trepidaret. Et in Matth. 19. scribit: Vnde infert Dominus, qui potest capere, capiat, ut unusquisq; consideret vires suas utrum possit virginalia & pudicitiæ implere præcepta. Per se enim castitas blanda est, quemlibet ad se alliciens. Sed considerandæ sunt vires, ut qui potest capere, capiat.

Augustinus. Augustinus ad Pollentium cap. 19. inquit, ad cœlibatum consilio Apostoli, quicunq; potest capere, provocatur. Idem de virginitate capite 40. Vnusquisque habet proprium donum. Quis ergo donat ista? Quis distribuit propria unicuique sicut vult? Nempè Deus, apud quem non est iniquitas. Ac per hoc, qua æquitate ille faciat alios sic, alios autem sic, homini nosse aut impossibile aut difficile est, quin tamen æquitate faciat dubitare fas non est.

Gregorius. Et Gregorius de cura pastorali parte 3. capit. 30. dicit, donum cœlibatus non esse omnium, his verbis: Veritas de hac integritate dicit: Non omnes capiunt verbum hoc, quod eo innotuit summum esse, quo denegavit omnium. Et capite præcedenti scribit: Cœlibes esse à pastoribus admonendos, ut si tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant, conjugii portum petant.

Bernhardus. Bernhardus etjam in sermone ad Clericos, de contemptu mundi: Vtinam, qui continere non valent, cœlibatui dare nomina vereantur, sumptuosa enim turris est, & verbum grande, quod non omnes capere possunt.

Hæ veterum sententiæ manifestè ostendunt, ipsos sensisse, quod non omnibus detur donum illud, ut possint continere, quia verò donum cõtinentiæ, etjam in illis, quibus datur, recipitur, excitatur, excolitur & conservatur, non sine magno studio, conatu, labore & lucta à petentibus, sicut suprà ostendimus, & multi desidia illud suffocant & extinguunt. In hanc sententiam rectè accipi possunt dicta quædam patrum, ut cum Origenes dicit: Qui vult capax esse verbi de castitate petat, credens dicenti, & accipiat, non dubitans de illo, quod dictum est, omnis qui petit, accipit. Et quod Augustinus ad Pollentium, libro secundo, cap. decimonono. Non eos terreat sarcina cõtinentiæ, leviserit, si CHRISTI erit, Christi erit si fides aderit, quæ impetrat à jubente quod jusserit. Item, quod Chrysostomus dicit: Ideò non omnes capere possunt, quia non omnes volunt, palma proposita est, qui cupit gloriam, cogitet de labore. Et Hieronymus: His datum est à Deo, qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt, &c.

Hæc veterum dicta, si accipiantur eo modo, ut dictum est, nihil habent incommodi si quis verò ea voluerit ita torquere, quòd donum continentiæ indifferenter omnibus offeratur, si modo velint, petant & conentur, is faciat patres directè pugnare contra Christum, contra Paulum, imò cõtra seipsos etjam. Et si qui ex patribus maximè ita sensissent, ipsi darent nobis veniã, quòd mallemus certam & manifestam Christi & Pauli sententiam, quàm privatas hominum cogitationes sequi.

CAPVT V.

DE VOTO COELIBATVS, ET quid Paulus de proposito suscipiendi cœlibatus doceat.

An vovendus sit cœlibatus.

CVm itaque constet, cœlibatum esse vitæ genus, Deo placens in his, qui donũ habent, quæstio jam est, à quibus, & quomodo genus illud vitæ suscipiendum & instituendum sit. Et an voto aliquis ad cœlibatum, in perpetuum abjurato cõjugio, se astringere possit aut debeat, ita ut emisso voto, nec possit nec debeat, in perpetuum, sub pœna æternæ damnationis, in quocunque etjam casu, si necessitas flagitârit, remedio conjugii divinitùs contra ustionem & vitandam fornicationem, instituto uti. Hoc enim est, quòd 9. Canon Tridentinus dicit, eos, qui castitatem voverunt, non posse sub pœna anathematis matrimonium contrahere, etjamsi sentiant se castitatis donum non habere. Pelagus autem opinionum, & carnificina conscientiarum, est hæc quæstio, quando ex hominũ præsumptis sententiis & decretis, æstimanda instituitur. Simplex verò & plana est ejus explicatio, si lucerna pedibus nostris sit verbum Domini. Ex Scripturis igitur divinitùs inspiratis (juxta Magni Constantini Consilium) sumemus quæstionis hujus solutionem, & apparebit quantùm conscientiæ intersit, an semitas Domini rectas in Scriptura prænonstratas, an verò anfractus seu labyrinthos potiùs viarum humanarum, ingrediatur.

Non præstiti dono cõtinentiæ contrahant.

Qui igitur donum continentiæ ex Deo non habet, ei cœlibatus, nec præcipitur, nec consulitur: Sed mandatum habet, si non continent, contrahant matrimonium, meliùs est nubere, quam uri, &c. Nec benè igitur, nec rectè facit, qui sine dono continentiæ cœlibatui se astringit, sicut in præcedenti capite ex Pauli sententia ostensum est. Sed quid de illis, qui donum habent, ut adhibita ea, de qua suprà dictum est, diligẽtia, flammas libidinis possint vel restringuere, vel reprimere & cohibere? Certè si non haberemus expressam Spiritus sancti determinationem de hac quæstione, nos judicaremus eum coram DEO damnabiliter peccare, qui dono cõtinentiæ non uteretur ad cœlibatum. Ac fine dubio ingeniosi essemus, colligendis multis & variis, ad confirmandam hanc sententiam, rationibus. Sed admiranda est Pauli modestia, quod conscientiis nihil vult tanquam necessarium imponere, de quo non habet expressum mandatum Domini. De virginibus igitur, inquit, præceptum Domini non habeo, non autem loquitur in genere de virginibus, hoc est, de personis solutis, quæ dono continentiæ destitutæ, ad cœlibatum non sunt idoneæ. De illis enim in principio dixerat se habere præceptum Domini, ut qui se non continent contrahant matrimonium. Hoc ergo loco de illis virginibus loquitur, quibus à Deo datum est, ut possent verbum de cœlibatu capere, dicit enim, si solutus es, ne quæras uxorem. Et de illis virginibus dicit, quòd si & uxorem duxeris non peccasti, etsi virgo nupserit, non peccavit. Afflictionem tamen in carne habebunt hujusmodi. Vbi vides, quòd Paulus hoc dicit: Eos, qui donum continentiæ habent, & tamen contrahunt matrimonium, accersere quidem sibi afflictiones carnis, conscientiam tamen in spiritu coram Deo ipsis relinquit liberam, quòd scilicet nubendo non peccent. Et posteà dicit: Etjamsi causa incontinentiæ non intercesserit, sed tantùm si pro more populi aut loci habeatur indecorum, ultra adultam ætatem aliquam servari virginem, faciat, inquit, quod vult, non peccat si nubat. Et hæc omnia sumit ex eo fundamento, quia, inquit, præceptum Domini non habeo, quòd scilicet illi, qui donum cõtinentiæ habent, necessariò debeant in cœlibatu vivere, & à conjugio abstinere. Meam autem, inquit, sententiam propono, ut qui misericordiam consecutus sum à Domino, in hoc ut sim fidelis. Arbitror itaque hoc bonum esse propter præsentem necessitatem, &c. Item vidua soluta nubat, cui vult, modò in Domino, At tamen beatior erit, si sic permanserit juxta meam sententiam. Puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam. Non autem vult Paulus verbo Dei aliquid de suo addere, aut privatas suas cogitationes verbo Dei vel æquare vel proponere, sed γνώμην vocat, non propriè consilium (ita enim βούλην nominasset) sed sententiam seu juditium, quod ex generali analogia fidei, in casu, de quo in Scriptura nihil expressum extat, colligit, ut scilicet quisque tale genus vitæ sibi deligat, quod pro ratione circumstantiarum, loci, temporis personarum & donorum judicat & animadvertit sibi utile & commodum futurum, ad hoc, ut curet, quæ sunt Domini, ut sanctus sit corpore & spiritu, & individuè Domino adhæreat. Hac verò sua sententia, nõ audet cœlibatum tanquam necessarium, etjam illis, qui donum habent injungere, nec audet peccatum dicere, etjamsi illi, qui donum continentiæ habent, contrahant matrimonium. Sed inquit, propter commoda & utilitates cælibatus, existimo (conscientia tamen manente libera) bonum esse sic manere. Item meliùs facit, & beatior erit, si habens donum, sic permanserit iuxta meam sententiam. Paulus igitur non præcipit, sed conscientiis liberum relinquit, tantùm suadet & consulit, ut propter utiles fines, illi, qui donum continentiæ habent, si voluerint, in cœlibatu maneant.

Ad cœlibatũ non sunt cogendi, etiam qui donũ continentiæ habent.

An habentib. donum continentiæ inter dictũ sit conjugium.

Paulus certis regulis docet quomodo cœlibatus suscipiendus sit.

Nec verò in genere tantùm consilium dat de cœlibatu, sed accuratè ostendit, quomodo sit suscipiendus. Tradit enim utiles aliquot regulas seu cautiones, quas in deligendo seu suscipiendo cœlibatu, diligẽter vult observari, illas, ut planior sit explicatio, ex perpetuo Pauli contextu contrahemus, & ordine recensebimus.

Prima autem regula seu cautio hæc est: Ne quis laudibus cœlibatus illectus, temerè viribus suis non satis exploratis, vitam cœlibem arripiat, sed ut diligenter consideret, quodnã donum ex Deo habeat. Normam autem explorationis ita describit, vel necessitatem quis habet, vel potestatem propriæ voluntatis. Et necessitatem vocat, quando quis sicut Hieron. explicat, videt lascivientem carnem suam in libidinem, ita ut refrænare non possit, atq; ita agnoscit se in duplici necessitate positum, ut aut uratur & scortetur, aut uxorem ducat. Et in hanc sententiam vocabulum ἀχημονεῖν, quo Paulus hoc loco utitur, usurpatur, Romano. 1. de pollutionibus contra naturam. Græci interpretes hoc vocabulo utuntur, Gen. 34. de stupratione Dinæ. Et quòd dicitur, Levit. 18. revelare turpitudinem propinquæ secundum carnem, hoc Græci reddiderunt ἀχημοσύνην, imò membra pudenda ita vocant, Exod. 20. & 28. quod Paulus imitatus est. 1. Corinth. 12. Quia igitur talem ἀχημοσύνην, animadvertit, & sic oportet fieri, inquit Paulus, scilicet ob restinguendã ustionem, & vitandam fornicationem, is sciat sibi non consuli multò minùs præcipi, ut committat se periculis vitæ cœlibis & tentationibus Satanæ, sed meminerit mandatum esse, si se non contineat, ut matrimoniũ contrahat. Qui verò donum continentiæ ex Deo habet, atque ita non necessitatem, sed potestatem habet propriæ voluntatis, ei liberum est, voluntatem applicare vel ad coniugium vel ad cœlibatum. Et si cœlibatum eligat, benè facit, imò meliùs facit, quàm si conjugium susciperet propter rationes.

quid.

1. Non vult cœlibatum, etiam ab illis, qui donum habent, diligi & suscipi, ea opinione, quasi necessitas præcepti divini eum injungeret & imponeret, aut quasi peccatum esset, si talis, qui donum continentiæ habet, matrimonium contraheret, sed libertatem conscientiæ vult conservari.

3. In hoc delectu præcipuè vult rationem haberi vocationis seu functionis cujusq; ita, ut tota deliberatio ad veros fines cœlibatus referatur, qui suprà peculiari capite expositi sunt. Hoc inquit ad id, quod vobis ipsis cõducibile est, dico, ut scilicet, si vocationis vestræ officia cõmodiùs & expeditiùs obiri possint in cœlibatu, & si donum illud habetis, deligatis vitam cœlibem in hunc finem, ut cõmodiùs & expeditiùs possitis curare, quæ sunt Domini, sanctimoniã corporis & spiritus sectari, individuè Domino adhærere, ab afflictionibus carnis & à sollicitudinibus avocantib. ab exercitiis pietatis, liberiores esse.

4. Monet Paulus ne temerè, aut leviter aliquid constituatur in suscipiendo cœlibatu, sed ut diligens, gravis & matura adhibeatur deliberatio. Ideò enim bis mentionem facit cordis, qui stat firmus, inquit, in corde suo. Item, qui judicavit hoc in corde suo, ne scilicet ipso facto cœlibatus suscipiatur, sine certo & deliberato animi proposito, neve animo ambigente seu fluctuante suscipiatur. Et ne deliberatio illa leviter, obiter, aut perfunctoriè peragatur, ut quis viribus suis non satis perpensis, & corde seu animo suo, quomodo erga cœlibatum affectus sit non, satis

Non temerè cœlibatus susc ipiendus.

Accedat deliberatio diligens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

satis explorato, aliquid constituat, cujus non multò pòst inconstanti mutabilitate ipsum pœniteat. Sed omnibus circumstantiis diligenter & rectè consideratis, perpensis & exploratis, maturo consilio, deliberato proposito, & constanti voluntate, certi aliquid constituatur. In hac autem deliberatione caput debet esse invocatio seu oratio, ut Deus spiritu suo salutaria consilia suggerat, deliberationes gubernet, animum, quo velit, inclinet, & ordinaria subjiciat media. Sicut enim in omnibus vocationib. divinis hoc observandum est, ita cùm Paulus inter vocationes Dei numeret & conjugium & cœlibatum, eadem ratio esse debet in hisce etjam deliberationib. Magnam enim emphasin habent verba, quibus Paulus utitur, ut cùm dicit hoc κέκρικε in corde suo. Significat enim κρίναν, quando re deliberata, & argumentis tanquam in judicio utrinque disceptatis, judicium fertur, sententia pronunciatur, & certi aliquid definitur, determinatur, seu statuitur. Ita Acto. 15. post factam συζήτησιν disquisitionem seu collationem sententiarum, Petrus his verbis pronunciat, ideò ego judicio, &c.

Adhibeatur invocatio Dei.

Et 1. Corinth. 5. Paulus latorus sententiam excommunicationis, hoc ipso verbo utitur. Hoc verò loco cùm addit, judicavit in corde suo, plus est, quàm quando, 1. Corinth. 11. dicit: Iudicate apud vos ipsos, an decorum sit, &c. Magnam etjam emphasin habet, quod hoc loco dicit, ἐστηκεν ἑδραῖος. Significat enim ἑστῶσαν firmiter & constanter perstare seu perseverare. Et ἑδραῖος significat firmũ ac stabilem, unde ἑδραίωμα fundamentum seu fulcimentum dicitur. Et 1. Corinth. 15. conjungit hæc duo, ἑδραῖοι & ἀμετακίνητοι, qui ita sunt obfirmati, ut non pariantur se à sententia dimoveri, ac observetur antithesis. Paulò antè cùm ageret de illis, qui licèt donum continentiæ habeant, tamen contrahunt matrimonium, utitur verbo νομίζειν. Et addit, faciat quod vult, non peccat si elocat, sed in cœlibatu suscipiendo, verbis, maturæ, diligentis & gravis deliberationis, utitur. Et ad consilia, ut salutaria sint, requiritur gubernatio Spiritus sancti, & benedictio divina, quæ pia oratione petenda & quærenda sunt. Atq; ideò etjam deliberationem illam non committit ætati juvenili, in qua consilium, prudentia, circumspectio, gravitas & constantia desideratur, sed parentibus vel aliis sapientioribus, qui rectiùs, maturiùs & diligentiùs hæc judicare possunt, eam vult deferri & communicari. Et tamen patriam potestatem ita limitat Paulus, non quasi liberi præter suam sententiam, voluntatem & habilitatem, à parentibus pro imperio vel ad cõjugium, vel ad cœlibatum, destinare possent, sed patris deliberationem statuit moderandam & dirigendam esse secundum ingenium, voluntatem, habilitatem & inclinationem, sive ut Græci interpretes loquuntur γνώμην καὶ ὁρμὴν filię. Ita enim veteres, Ambrosius, Hieronymus, Primasius & Photius, illa verba Pauli rectè interpretãtur, non habens necessitatem, sed potestatem proprię voluntatis.

Non ætatis juvenilis est hæc deliberatio.

5. Præterea in hac deliberatione Paulus vult etjam ætatis rationem haberi. Nam hoc loco vocat virginem ὑπέρακμον. Et 1. Timoth. 5. expressè nominat annum ætatis sexagesimum, insinuat ergo. I. AEtatem ante ἄκμην. II. In ipsa ἀκμῇ, hoc est, in integra seu consistente ætate. III. post ἀκμην. Et quidem ante ἀκμην, quando corpora adhuc crescunt, & qualitates caloris & humoris nondum absolutè sunt, nec ad suum incrementum pervenerunt, mediocri diligentia Deo juvante potest puritas retineri. Et ad hanc diligentiam exhortandi sunt juniores, exemplo Salomonis Sapientiæ 8. sicut in præcedentibus dictum est. In illa verò immatura ætate, & ex ejus circumstantiis, si quis de totius reliquæ vitæ statu constituere vellet, imprudenter faceret. Post ἀκμην autem in ætate provectiori circa annum sexagesimum judicat Paulus, 1. Timo. 5. non opus esse scrupulosiori examine, si enim tunc ustio vel non sentitur, vel reprimi & restringui potest, non est periculum, ne annis succedentibus, crescat & inflammetur. Ad ætatem igitur intermediam, quæ ἀκμαίαν, hoc est, consistens, florens & integra appellatur, deliberatio & exploratio illa pertinet, sicut & Hieronymus in commentariis dicit: Parentes quidem usque ad legitimam ætatem custodire debent virginem, & docere quod melius est. Si autem illa tunc noluerit, fiat quod necesse est, &c. Et adsit potestas propriæ voluntatis, ne vel corpus ægritudine languefactum, vel animus luctu, & aliis solicitudinibus dejectus sit: Ita enim falleret deliberatio, sicut exemplum viduarum, 1. Timot. 5. indicat.

6. His verò regulis omnibus, de suscipiendo cœlibatu Paulus addit utilem & necessariam hanc cautionem: Hoc autem dico ad id, quod vobis ipsis conducibile est, non ut laqueum vobis injiciam. Observanda autem est Grammatica vocabuli significatio. Βρόχον enim Varinus dicit significare foramen corrigiæ, per quod ferramentum trajicitur, ut pedem constringat. Suidas dicit significare τὸ τῆς ἀγχόνης σχοινίον illam partem laquei, quæ ita parata est, ut constrictione sua strangulet. Et citat græcam sententiam, ὁδὲ ἐμὸν ὑμεναγωνιστὴς ἀγχόνιον τὸν βρόχον ἐνδέδυμένος. Pollux dicit: Βρόχον significare in aucupum seu venatorum retibus foramina, quę quaternorum funiculorum nexibus efficiuntur, per quæ animalcula, si caput exerant, quasi elapsura, fortiùs constringuntur, & ita capiuntur. Et usitatissima in Scripturis est similitudo laquei, quando aliquis vel insidiis & dolis circumventus, vel non prævidens & animadvertens, incidit in periculum, quo conjici posset in perditionem, vel corporis, vel animæ, nisi inde extricaretur. Cùm igitur ipsa experientia Paulus in viduis, 1. Timoth. 5. didicisset, qui casus evenire possint & soleant, etjam illis, qui deliberato animi proposito cœlibatum susceperunt, non vult cœlibatum, vel susciptendum, vel susceptum, cuiquam tanquam laqueum injici, quo ita constrictus teneatur, ut etjamsi posteà tentationibus Satanæ propter incontinentiam flammis ustionis, periculo fornicationis & quæ inde consequitur, perditioni, & corporis & animæ, expositus sit, non possit inde extricari & liberari. Declarationem autem ipse addit, quibus & quãdo cœlibatus fiat laqueus, scilicet, qui bus & quando non amplius conducibilis & utilis est, πρὸς τὸ εὔκαιρον, id est (sicut antithesis, τὸ ἀκαιρουμένων, cujus significatio paulò antè explicata est, ostendit) ad hoc, ut honesta castitas, sine labe siniſtræ famæ, ac sine pollutione carnis & spiritus servetur, utq; sine avocamentis & distractione, Domino piè quis adhærere possit. Qui igitur vitam cœlibem agere instituit, si posteà experiatur, se à Satana propter incontinentiam periculosè tentari, ustionibus pollui, in periculo fornicationis versari, invocationem impediri, exercitia pietatis turbari flammis libidinum, quas lucta, oratione & diligentia reprimere & restinguere non potest, is si in hoc casu, ad servandum cœlibatum, quem suscepit, adigitur & cogitur, et profectò contra voluntatem & prohibitionem Pauli, laqueus injicitur, qui verò obstinatè in tali casu cœlebs conatur manere, is sibi ipsi contra mentem & inhibitionem Pauli, laqueum induit. Et metaphora laquei, periculum & perditionem indicat, nisi laqueus extricetur, imò abjiciatur & abrumpatur. Qui enim laqueum non vult injici, is certè injectum, non vult cum periculo corporis & animæ retineri, sed abjici. Et manifesta est Pauli sententia, licèt nec temerè nec leviter, ab eo, quod semel deliberato animi proposito, tanquam vocatio Dei susceptum est, resiliendum sit, Deum tamen nemini cœlibatum injicere, ut ipsi laqueus sit. Imò Deum non velle, ut quisquam hominum, etjam si spiritum Dei, sicut Paulus, habeat, vel alteri, vel sibi ipsi cœlibatum ita imponat, ut sit vel fiat ipsi laqueus. Ac quomodo & quando sit & fiat laqueus, ipsi sicut ostensum est declarat. Non autem dicit, si semel deliberato proposito cœlibatum susceperisti, etiam si laqueus tibi vel sit, vel postea fiat, tamen in perpetuum, sub pœna æternæ damnationis, non potes inde liberari, sed conare, luctare, precare, &c. Hoc certè non dicit, sed simpliciter pronunciat, Hoc dico ad id, quod vobis ipsis conducibile est, nõ ut laqueum vobis injiciam, ut scilicet necesse vobis sit, in cœlibatu manere, etiamsi ille vobis ad finem illum de quo suprà dictum est, non sit adjumento, sit obstaculo & impedimento, imò etiamsi exponat vos periculo pollutionum, scortationis & perditionis. Relinquit igitur conscientiæ libertatem illam integram & illæsam, ut qui non continet nubat, & si nupserit non peccet, semper enim & omnibus melius est nubere quam uri, & oppositum vel docere vel præcipere, vel facere, laqueus est contra prohibitionem Pauli.

Celibatum ad nectas laqueum conscientiarum.

Βρόχος lo quum quid.

Hanc esse Pauli sententiam de suscipiendo cœlibatu, certum & manifestum est. Nihil autem habet hæc sententia perplexi vel intricati, quod vel dubitationes parere, vel scrupulos conscientiis injicere possit, sed est simplex, plana, conscientiis utilis & salutaris. Tridentinum verò Concilium, sepulta seu sepulta potiùs plana hac Pauli sententia, ita decernit, Cano. 9. Si quis dixerit posse omnes cõtrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etjam si eam voverint, habere donum, Anathema sit. Non autem ignota mihi sunt illa, quæ ex Patrum scriptis, ex Conciliorum decretis, & ex Scholasticorum disputationibus huc afferri solent. Sed quia à modesto & salutari Consilio Pauli dissentiunt: Imò cum eo pugnant, & continent vastissimum pelagus quæstionum, disputationum & dubitationum, quibus conscientiæ, in periculosos illos laqueos, quos tantâ solicitudine Paulus præcavere voluit, conjiciuntur, certè sicut Apostoli dicunt, Actor. 4. Non est justum in conspectu Dei, homines potiùs audire quàm Deum per Paulum loquentem.

Tridẽt. Canõ repugnat Paulo.

Quibus, & quando cœlibatus sit laqueus.

CAPVT VI.

DE VOTIS VETERIS TEstamenti.

HAEc quidem simplici & piæ cõscientiæ sufficerent: Plenioris tamen explicationis gratia, de præcipuis Pontificiorum argumentis, quibus ad stabiliendum votum suum cœlibatus uti solent, quædã addemus. Et qui frequentius sententiarum Scripturæ de faciendis & reddendis votis conantur cõscientias turbare, breviter perstringemus doctrinam de votis veteris Testamenti, ac addemus sententiam novi Testamenti. Non autem integram hujus quæstionis explicationem, de votis in genere, hoc loco instituemus, sed quæ ad solvenda Pontificiorum argumenta de voto cœlibatus utilia & necessaria videbuntur, in compendium contrahemus.

Argumenta Pontificiorũ, quibus votũ cœlibatus defendunt.

Objiciuntur enim, urgentur & inculcantur generales hæ Scripturæ sententiæ. Psal. 76. Vovete & reddite Domino Deo vestro. Psalm. 67. Reddam tibi Vota, quæ distinxerunt labia mea. Num. 30. Si quis virorum votum Domino voverit, non faciet irritum verbum suum sed omne quod promisit implebit. Eccles. 5. Si quid vovisti Deo ne moreris reddere, sed quodcunq; voveris redde, multoq; melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere. Deu. 33. Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus, si moratus fueris reputabitur tibi in peccatũ. Si nolueris polliceri absq; peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, &c.

Sententiæ generales de votis.

Hæ sententiæ generales, quando ad votũ cœlibatus accommodantur, non possunt rectè explicari nisi in genere de votis aliquid dicatur.

In veteri igitur Testamento, & facta & persoluta fuisse vota, extra controversiam est. Considerandæ autem sunt descriptiones votorum, inde enim doctrina colligi poterit. Et summa hæc est: Faciebant in veteri Testamento vota propter varias causas, præcipuè verò, quando in periculis & necessitatibus constituti, Deum pro liberatione, vel imperrando beneficio, invocabant. In afflictionibus enim non tantùm clamabant ad Dominum, sed promittebant gratitudinem, non in genere tantùm sed in specie etjam aliquid, quod juxta legem loco gratitudinis Deo offerrent. Vovebant, ut Genes. 28. Num. 21. 1. Reg. 1. Ionæ 1. & 2. Psal. 22. Cùm clamarem exaudivit me, vota mea reddam, Psalm. 66. Reddam vota, quæ distinxerunt labia mea, & locu-

De votis veteris Testamẽti.

Variæ causæ votorum populi veteris Testamenti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum est os meum in tribulatione mea. Psalm. 76. Vovete (scilicet in angustia constituti) & reddite (scilicet post exauditionem & liberationem) Vota enim in afflictionibus facta, posteà in medio Ecclesiæ reddebant, palàm coram omni populo narrantes suas angustias, & prædicantes beneficia Dei, ut Psal. 22. Salva me ex ore leonis, Narrabo nomen tuum fratribus meis, In medio Ecclesiæ laudabo te. Qui timetis Dominum, laudate eum, timeat eum omne semen Israel, quia non avertit faciem suam à me, & cùm clamarem ad eum, exaudivit me, Vota mea reddam in conspectu timentium eum, Psalm. 66. Reddam vota: Venite & audite omnes qui timetis Deũ, & narrabo, quanta fecit animæ meæ, Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam à me.

Porrò vovebant in veteri Testamento etjam extra periculà, vel ad gloriam Dei, & cultum ejus juxta legem amplificandum. Ita vovebantur sacrificia, Levit. 7. Num. 15. Et ad extructionem templi, 2. Paralip. 5. Vel ad sustentationem ministerii & pauperum. Ita vovebantur domus, agri, decimæ, Levit. 27. Deuter. 12. Vel ad testificandam fidem & confessionem, Ionæ 1. Acto. 21. Vel ut caro subjiceretur spiritui per jejunia & cæterarum rerum abstinentiam, Num. 30. Vel ut esset commonefactio ejus, quod Paulus tradit, Rom. 12. Exhibite vos Deo hostiam vivam. Ita se ipsos Deo vovebant, Levit. 27. Vel ut suo exemplo alios invitarent & excitarent ad agnitionem & glorificationem Dei, Num. 6. 1. Reg. 1.

Vota veteris Testamenti voluntaria, nõ carebant expresso verbo Dei.

Et licèt vota illa fiebant libera & spontanea voluntate, Deus tamen non reliquit voventium arbitrio, ut quicquid ipsis videretur, aut quomodocunque videretur, voverent, sed tradito certo & expresso verbo declaravit, quæ & quomodo sibi vellet, vel non vellet voveri. Habebant igitur voventes in veteri Testamento verbum, non tantùm quòd illa, quæ vovebant, Deo placerent: Verùm etjam quod Deus illa sibi vellet voveri. Nam de iis, quæ non volebat sibi voveri, loquuntur hæc dicta, Deut. 23. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis, in quocunque voto, quia abominatio est Deo, Leviti. 27. Primogenita & decimæ, quæ anteà Domini sunt, non debent secundario per votum Domino consecrari. Prover. 15. Victimæ impiorum abominabiles, vota justorum placabilia. Prov. 20. Ruina est homini devorare sanctum, & post vota facere. Eccles. 5. Displicet Deo stulta promissio.

Vota moralia veteris Testamenti.

Quæ verò volebat voveri, ea partim erant moralia, quæ etjam sine voto, ex mandato Dei debentur, ut Psal. 57. Super me sunt vota tua Deus, reddam laudationes tibi. Psal. 50. Imola Deo laudem, & redde altissimo vota tua: Et invoca me in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me. Genes. 28. Dominus erit mihi in Deum. Ad illa verò quæ aliàs debentur, peculiari voto ideò se obstringebant. Solet enim humanum ingenium in afflictionibus pium propositum gratitudinis & emendationis concipere, post liberationem verò ejus securè oblivisci, ac sæpè à pravis cupiditatibus abstractum retrò respicere & in pejus ruere. Vt igitur mutabilitas illa voluntatis humanæ, in bono peculiari & arctiori vinculo obligationis, cõstringeretur, & securitas, torpor ac pravæ inclinationes carnis, eò fortiùs excuterentur, & omnes affectati prætextus præciderentur, peculiari voto seu juramento, se Deo ad reddenda illa, quæ aliàs ex mandato debentur, obligabât, ut ita perpetuam commonefactionem secum circumferrent. Ita, Psal. 119. Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ. 2. Par. 15. Corroborârunt fœdus, ut quærerent Deum patrum suorum in toto corde suo, juraverunt q; Domino voce magna cum execratione in omni corde suo. 2. Esd. 10. Percutiunt fœdus & jurant cum execratione, quòd velint ambulare in lege Domini, &c. Et hæc erant vota moralia.

Vota Ceremonialia.

Præterea verò erant multa ceremonialia vota in veteri Testamento, quæ tamen pro ratione pædagogiæ veteris Testamenti, vel significationes, vel contestationes, vel excitationes erant moralium, pœnitentiæ scilicet, fidei, charitatis & obedientiæ. Vt in gratiarum actionibus adhibeantur peculiares votivæ libationes. Psal. 116. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi, calicem salvationum accipiam, & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam, coram omni populo ejus. Et ipsa ceremonialia vota, volebat Deus referri ad moralia, imò ostendebat, se opus operatum in ceremonialibus illis non curare, si non ad moralia referentur, ut Psal. 50. Non in sacrificiis tuis arguam te. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo: Imola Deo laudem, & redde altissimo vota tua, & invoca me, &c. Sacrificans laudem honorificabit me. Psal. 51. Libera me de sanguinibus, & exultabit lingua mea justitiam tuam, quoniam si voluisses sacrificium dedissem. Sacrificium Domino spiritus contribulatus: Cor contritum & humiliatum non despicies, tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta, &c.

Vota ceremonialia regebantur verbo Dei.

Et ad ceremonialia illa vota, non quidem ex mandato tenebântur, erant enim libera & spontanea, Deut. 23. Eccles. 5. Sed tamen certo verbo traditum & præscriptum erat, quæ & quomodo Deus in hoc genere sibi voveri vellet, ut Psal. 66. 2. Reg. 15. 2. Par. 25. Voventur sacrificia, Sed quæ Sacrificia vovenda sint, præscribitur, Levit. 7. 22. 23. Nume. 15. Ita, Levit. 27. Res votivas Deus præscribit: Voveat seipsum, animalia, domum, agrum. Ita, 1. Reg. 1. Hanna vovet Domino filium. Et tale est Nazaræorum votum, Num. 6. Ita, vovendas esse primitias & decimas, præscribitur Levit. 27. & Deut. 12. Et inde decimæ voventur, 2. Paral. 31. Aurum, argentum & similia ad structuram templi ex voto conferuntur, 1. Paral. 29. 2. Paralip. 5. & 15. Talia enim vovenda esse Deus præscripserat. Exo. 25. Votum affligendæ animæ per jejunium, & abstinentiam aliarum rerum describitur, Num. 30. Reprehendit autem Scriptura vota, quæ contra præscriptũ Dei pugnant, ut Michæ votum, Iud. 17. Et quæ Idolis fiebant. Ierem. 44. Amos 5. Baruch 6. Imò & illa vota improbat, quæ licèt bona intentione, tamen non ex præscripto Dei fiebant, quale erat Jephthe votum, Iudicum 11. Et David cum bona quidem intentione, sed sine certo verbo Dei, fecisset votum do ædificando templo, 2. Reg. 7. Psal. 131. Nathan qui-

quidem Propheta, votum illud probat & prædicat, sed Deus non vult votum illud à Davide impleri, 2. Reg. 7. 1. Paralip. 28. Adeò etjam in liberis & spontaneis votis, Deus voluit verbum suum regulam esse. Nec votum Rechabitarum, Iere. 35. De non bibendo vino, de non ædificanda domo, vinea, agro, fuit præter aut extra verbum Dei. Nam abstinentiam à vino, domum, agros, &c. potuisse voveri, & liberum fuisse, vel redimere, vel non redimere, constat, Num. 6. & 30. Levit. 27.

Postulavit autem Deus, ut vota juxta legem facta servarentur. Quia aliàs significatio esset contemptus Dei, & animi ingrati, qui obliviscitur beneficiorum Dei. Et pugnat contra secundum præceptũ. Nomen enim Domini in vanum assumitur. Cum q; peccatum sit fidem homini datam fallere, multò magis scelus esset Deo mentiri. Observandum tamen est in exemplis votorum veteris Testamenti, dicta Scripturæ de reddendis votis, Deut. 23. Eccles. 5. Etjam in veteri Testamento, in certis casibus, exceptionem, limitationem seu dispensationem admisisse. Votum enim de re impia, illicita vel stulta Deus prohibuit fieri, & factum non voluit impleri. Deut. 23. Eccle. 5. Prove. 20. Nec voluit Deus votum reddi, cujus impletio sine peccato contra mandatum Dei, nõ poterat fieri, ut Iephthe votum. Pulcherrimam verò ἐπιείκειαν in dispensandis & commutandis votis, etjã de rebus per se bonis & licitis, quando impleri nõ poterant, Deus in veteri Testamento sua voce ostendit, ne ex votis fierent laquei conscientiarum. Nam, Num. 30. Si filia vel uxor, vel de familia aliquis voverit quid, & votum juramento confirmaverit, si pater, maritus aut herus contradixerit, vovens nõ tenetur reus voti, sed Dominus ei propitius erit, inquit textus. Et Levit. 27. Si quis animal immũdum, quod immolari nõ potest, voverit, nõ est propter votum contra mandatum Dei offerendum, sed commutatur in pretium, secundum Sacerdotis æstimationem constitutũ. Ibidem, si pauper est, ut æstimationem voti reddere non possit, quærat apud sacerdotem dispensationem, & sacerdos non urgebit ultra vires vovẽtis, sed æstimationem moderabitur secundum id, quod manus ipsius apprehendere potest, & dabit pauper, non quantũ vovit, sed quantum potest. In veteri igitur Testamento, in faciendis & reddendis votis, excepti fuerunt hi casus. 1. Quando votum erat de re impia, illicita aut stulta. 2. Quando votum sine peccato non poterat servari. 3. Quando in potestate voventis non erat votum reddere. 4. Quando finis votorum non erat rectus, Psalm. 50. & 51.

Certi casus in faciendis & solvendis votis veteris Testamenti excepti fuerunt.

Votum de re impia, illicita, & stulta.

Votum quod nequit sine peccato præstari.

Votum de re, quæ non est in potestate voventis.

Dispensatio votorum in vet. Test.

Pontificii nullas cautelas in votis admittunt.

Hæc exempla veteris Testamenti diligenter sunt observanda propter Pontificios, qui in votis nullam admittunt ἐπιείκειαν, sed rigidissimè urgent ut serventur, sub interminatione æternæ damnationis, etjam si vel casus impotentiæ interveniat, vel sine sauciatione conscientiæ, & sine læsione vel fidei vel charitatis servari non possint. Tales laqueos, ne Mosaica quidem lex injicere voluit, sed diserte dicit: Dominus propitius ei erit. Atque hæc fuit ratio votorum in veteri Testamento, quantum quidem ad nostrorum institutum fuit-ficit.

CAPVT VII.

AN TALIA VOTA SINT ETIAM in novo Testamento.

In novo Testamento non mandatum vel promissionem habemus, nec exemplum, cultum Dei in novo Testamento consistere in faciendis votis.

IN novo verò Testamento, nec mandatum, nec promissionem, nec exemplum habemus, cultum Dei in novo Testamento consistere in faciendis votis. Nec habemus certum aut expressum verbum, de quibus rebus & quomodo vota fieri debeant. De cœlibatu quidem Paulus consilium dat, sed tamen non dicit peculiari voto illum esse vovendum Deo. Et non potest aliquid ex fide ad cultum Dei fieri, si destituatur verbo Dei. Verbum Dei enim est, quod differentiam facit, inter verum cultum & inter ἐθελοθρησκίαν. Colos. 2. & μετανοθρησκείαν. Matth. 15. Nec concludit argumentum: In veteri Testamento vota fuerũt pars cultus divini, Ergo & in novo. Quia enim cultus Leviticus veteris Testamenti abrogatus est, requiritur itaque certum & peculiare verbum, ut aliquid in novo Testamento sit cultus Dei. Et quod ad vota attinet, illa ne in veteri quidem Testamento sine certo & expresso verbo Dei fuerunt cultus Dei. In novo verò Testamento, non tantùm non extat verbum de votis faciendis: Sed præterea de rebus non mandatis, sed adiaphoris seu liberis scriptum est: Nemo judicet vos, Col. 2. Nolite jugo servitutis subjici. Galat. 5. Esca non commendat nos Deo, neque enim si manducaverimus plus habebimus, neque si nõ mãducaverimus, minus habebimus. 1. Col. 8. Sunt enim infirma & egena elementa mundi, Col. 2. Gal. 4. in quibus regnum Dei, quod est justitia, pax & gaudium in Spiritu sancto, non consistit, Roman. 14. Quæ in novo Testamento vera sunt de iis observationibus, quæ in veteri habuerunt verbum Dei, multò magis vera sunt in iis, quæ nec in veteri, nec in novo Testamento, verbum aut præscriptum Dei habent, sed tantum sunt, doctrinæ & mandata hominum.

Hæc fundamenta simplicia, plana, perspicua, vera & firma sunt, de votis ceremonialibus, seu de rebus, quæ in novo Testamento non habent vel mandatum, vel verbũ, quod Deus iis coli velit. Moralia verò, hoc est, quæ ad fidem & charitatem pertinent, eadem sunt in veteri & in novo Testamento. Et hæc quæ ex mandato debentur, si interposita peculiari obligatione, cum obtestatione nominis divini Deo promittantur, si hoc nõ fiat opinione meriti, justitiæ, remissionis peccatorum, & vitæ æternæ, nec ea opinione, quòd melior & præstantior cultus Dei sit, si fiat ex voto, quàm si ex obedientia propter mandatũ Dei fiat, sed ideò tantùm, ut inconstantia voluntatis humanæ arctiùs constringatur, sicut suprà dictum est, non pugnat cum verbo Dei. Tale enim pactum, seu talis promissio & obligatio fit in actione Baptismi. Et nihil aliud est quàm quod de fide Paulus dicit, 2. Corin. 11. Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. De nova verò obedientia, Rom. 12. Exhibeatis seu sistatis corpora vestra hostiam Deo, & ne conformemini huic seculo. Hoc si quis votum appellare velit, de appellatione nemo dimicabit. Lutherus enim, in 23. caput Geneseos, vocat vota moralia *nominat.*

Lutherus vota moralia,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ alioqui opera necessaria, & mandata sunt omnibus hominibus. Nec tamen in novo Testamento præscriptum est, ut peculiari aliqua solemnitate voveantur. Populus enim novi Testamenti spontaneus, non servitutis, sed libertatis spiritum accepit, Psalm. 110. Romanos 8. 2. Corinth. 3. Ipsa verò moralia mandato DEI non sunt alligata ad certum modum seu præscriptū, sive ad certas circumstantias quantitatis, personarum, temporum, locorum, &c. Sed quomodo circumstantiæ illæ ad regulam charitatis exigendę sint, Paulus tradit, 2. Corinth. 8. Et in illis liberis circumstantiis, quòd ex hilaritate, seu promptitudine spiritus rectè fit, illud si pio proposito, sine superstitiosis opinionum appēdicibus, Deo promittatur, non est impium, sed ad moralia vota, si ita appellare libeat, pertinet. Nec est aliquid extrà, præter, aut supra verbum Dei. De liberis enim illis circumstantiis extat verbum Dei. 2. Corinth. 8. Quæ verò vel mandatum, vel verbum Dei in novo Testamento non habent, ut non sunt plæraque Pontificiorum vota, etiamsi ita pingantur, quòd ad expeditiorem observationem moralium referantur, tamē subsistere non possunt. Talis enim pædagogia pertinet ad vetus Testamentum, & jam non sumus ampliùs sub pædagogo, Gal. 3.

Vota, quæ carent mandato Dei irrita sunt.

CAPVT VIII.

DE PONTIFICIO VOTO cœlibatus.

De voto cœlibatus.

VT verò tandem thesin de votis transferamus ad hypothesin de cœlibatu, quia & conjugiū & cœlibatus in novo Testamento habent verbum Dei, certis conditionibus circumscriptum. Si quis juxta illud verbum, consideratis circumstantiis doni sui & vocationis suę, deliberato animi proposito, eligat statum conjugalem, & quasi sistens se in conspectum Dei, constituat, decernat seu promittat, se in illo vitæ genere Deo juxta verbum servaturum, is rectè facit. Et hoc si quis votum appellare voluerit, de vocabulis non rixabimur, si res ipsa verbo Dei sit consentanea. Eodem modo, si quis donum continentiæ ex Deo habet, & pro ratione vocationis firmo ac constanti animi proposito, quasi sistens se Deo, constituat, se in vita cœlibe, ad quam donum habet, juxta verbum curaturum quæ sunt Domini, is juxta sententiam Pauli benè facit, si non opinione justificationis, quæ solius Christi meritum & beneficium est, hoc faciat, nec tali proposito aut decreto injiciat sibi laqueum, abjurato in perpetuum, quicūq; etjam casus inciderit, matrimonio. Non leviter sanè aut temerè, sine necessitate, aut gravi causa, propositum illud, quod interposita quasi testificatione Dei, decretum est, mutari debet, sed tamen non debet esse laqueus (sicut jam de Pauli sententia dictum est) si rectè servari nō possit, aut si servatum pugnet cum fine cœlibatus, quem Paulus præscribit, 1. Corinth. 7. Sicut qui conjugium eligit, non perpetuo voto se obligat, ut non liceat si possit, ex utriusque consensu ad tempus abstinere, vel postea in viduitate permanere. Hoc propositum aut decretum, si quis cum veteribus, votum cœlibatus vocare velit, si res ipsa cum præscripto Pauli congruat, & conscientiæ illa libertas, de qua in præcedētibus ex Pauli sententia diximus, servetur de vocabulo non litigabo, ita enim erit votum & conjugii & cœlibatus. Sicut Augustinus in Psalmum 75. dicit: Præter vota communia esse vota propria singulorum. Alius inquit, vovet Deo castitatem conjugalem, ut præter uxorem suam non noverit aliam. Alii etjam vovent etsi experti conjugium, ultrà nihil tale pati, in viduitate scilicet, & ipsi voverunt aliquid majus quàm illi. Alii virginitatem ipsam ab ineunte ætate vovent, & isti voverunt plurimi, &c. Nec tale votum includit abjurationem conjugii in perpetuum. Vsitata enim exceptio seu limitatio (in quantum humana fragilitas permittit) videtur vetus formula esse, ostēdens votum cœlibatus primum non fuisse absolutum, sed conditionale, & quæ conditio adjecta fuerit, non sicut nunc flagitiosè à Pontificiis intelligitur, scilicet voveo cœlibatum, sed ita, ut si humana fragilitas eum castè servari non permittit, possim fornicationibus & aliis libidinum pollutionibus impunè & liberè indulgere, si modò legitimum conjugium non contraham. Sed hic verus est sensus: Constituo seu voveo me in cœlibatu castè victurum, sed hac cōditione, exceptione & limitatione, si humana fragilitas hoc non permittat, ut liberum mihi sit, remedio conjugii, contra ustionem & scortationem divinitus illis, qui continere non possunt, ordinato, uti. Hæc verè pia fuit conditio utiliter præcavēns, ne vota fierent laquei.

Augustinus.

De appēditio voti, quatenus humana fragilitas patitur.

Quod igitur ad vocabulum attinet, per se sanè non multum refert, si votum cœlibatus appelletur propositum illud, quod Paulus suis verbis describit. 1. Corinth. 7. Qui statuit in corde suo firmus, & hoc judicavit in corde suo, &c. Quanquam propriè loquendo aliud est propositum cordis, quod quis apud se in corde suo (sicut Paulus loquitur) statuit & decrevit, & aliud est votum, ad quod dicunt requiri voluntatis intentionem, rationis deliberationem, cordis promissionem, oris expressionem, promissionis testificationem, seu confirmationem Deo factam, interposita obtestatione nominis divini, & audita sive explicitè, sive implicitè execratione, si non servetur. Sed quia vota in regno Pontificio ita sunt contaminata, ut ipsum etjam vocabulum, sicut Pontificiis usitatum est, depravationem rerum secum trahere videatur, & per illud veritati insidias struere non cessent Pontificii, cùm quidem notum sit, quomodo ex vocabulo voti apud veteres in hoc negotio usitato, tandem facti sint miserrimi illi laquei conscientiarum. Tutius igitur & rectius est planis & simplicibus verbis, sententiam Pauli tradere & explicare, à quibus scilicet, quo modo, quo fine, & qua conditione cœlibatus eligendus seu suscipiendus sit.

Aliud est propositum cordis aliud votum.

Essentialia voti Pontificii.

His verò ita declaratis manifestum jam erit ingens esse discrimen inter has duas quæstiones.

1. An is, qui donum continentiæ habet, rectè & piè possit in corde suo proponere & statuere, se manere.

mansurum in cœlibatu. Quæ enim sit Pauli, de hac quæstione sententia prolixè declaratum est.

2. An votum cœlibatus ita, sicut in Pontificia Ecclesia usitatum est, vel fieri, vel factum servari, bona & pia conscientia possit & debeat. Vt verò manifestum evadat quid secundum analogiam fidei ad hanc posteriorem quæstionem respondendum sit, breviter recensebo præcipua capita de voto cœlibatus, sicut illud fieri solet, & servari postulatur in Ecclesia Pontificia.

Quæ res vovēdæ esse pō ipsis dicāt.

Et quia non constitui totam doctrinam de votis Pontificiis hoc loco tractare, non refutabo jam, quod docent, illos cultus, qui habent mandatum & præscriptum in verbo Dei, non esse vovendos, sed eos tantùm, qui sine mandato Dei ab hominibus instituti sunt. Neque hoc exagitabo, quod pleraque vota sanctisfacienda docent, cùm Longobardus definiat votum, esse testificationem promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his, quæ propriè sunt Dei, fieri debeat: Sed tantùm de voto cœlibatus annotabo præcipua capita brevissimè.

Præcipua capita de voto cœlibatus.

1. Religiosis suis proponunt cœlibatum, non ea libertate assumendum & servandum, sicut Paulus inquit: Præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Sed ideò addunt laqueos votorum, juxta consiliorum decreta & Pontificum statuta, ne sit consilium, sed fiat rigidissimum præceptum. Non autem Domini præceptum est, 1. Corinth. 7. ergo mandatum hominum est. Atque ita Pontificiū votum cœlibatus pertinet ad ἐθελοθρησκείαν, Col. 2. & quia sit juxta doctrinas & mandata hominū, pertinet ad μετεθρησκείαν Matth. 15.

2. Sicut sentiunt cultus illos, qui ex voto fiunt licet nec mandatum, nec præscriptum verbi Dei habeant, sed ab hominibus instituti sint, multò esse meliores & præstantiores iis, qui sine voto fiunt, licet à Deo mandati sint, & testimonium Scripturę habeant. Ita docent etjam cœlibatum, qui juxta Scripturæ sententiam sine voto liberè assumitur & servatur, multò esse inferiorem eo, qui ex voto juxta hominum statuta assumitur & servatur. Ita verò hominum statuta, non tantùm æquantur, sed prorsus præferuntur mandatis & præscripto verbo Dei.

3. Ea opinione, intentione, persuasione, fiducia, & hoc fine vovent cœlibatum, ut fit satisfactio, & propiciatio pro peccatis, meritum gratię, justitiæ, salutis & vitę æternæ, sicut supra hoc ipsorum verbis demōstratum est. Ea verò insignis est blasphemia, in meritum filii Dei, evertens & abolens totum Evangelium, sicut in Confessione Augustana, & ejus Apologia copiosè ex Scriptura ostenditur. Cumq; in prioribus capitibus, pontificia vota ad doctrinas hominum justè relegētur, in hoc capite, etjam inter doctrinas Dæmoniorum meritò proscribuntur.

4. Etjam illis, qui donum continentiæ ex Deo non habent, suadent vovendum cœlibatum, facta ipsis promissione, sed sine verbo Dei, de gratia & auxilio divino, & de facilitate continentiæ si modò velimus. Sed persuasioni de facilitate continentiæ quatuor maximè obstant. I. Inclinatio sexus ad sexum, naturæ in ipsa creatione insita. II. Flammæ libidinum, quæ post lapsum accesserunt. III. Quia posse continere donum Dei est, non commune, sed singulare. IIII. Quòd jam in hac effœta mundi senecta, natura imbecilior minus potens est, ad resistendum libidini, nisi per conjugium. Et quomodo hæc persuasio pugnet cum Scripturæ sententia, paulò antè, cùm de dono continentiæ tractaremus, ostēsum est. Idem enim est, ac si quis, qui donum non habet, voveat se linguis locuturum, vaticinaturum, miracula editurum, &c. Aut qui vocationem non habet, si voveat se hostes profligaturum, &c.

5. Illis qui donum continentiæ habent, non relinquunt eam libertatem, quam Deus ipsis concessit. 1. Corinthio. 7. sed per vota injiciunt ipsis laqueos adjurationis conjugii in perpetuum. Hoc enim sensu vovent cœlibatum, quòd in perpetuum, quicunque enim casus incidant, non velint remedio matrimonii uti, hoc est, etjamsi vel ustio ipsis sustinenda, vel in scortationes aut alias obscœnas pollutiones prolabendum sit. Et quidem si is, qui donum continentiæ habet, studio, lucta & oratione, donum illud potest conservare & excolere, ut per totam vitam castitatem in cœlibatu præstare possit, is rectè & benè facit, si in perpetua continentia DEO serviat, juxta Pauli sententiam. Sed experientia docet id, quod etjam Paulus de viduis quibusdam sui temporis annotavit, quosdam aliquando esse ad cœlibatum idoneos, ita ut eum deliberato proposito suscipere non defugiant, qui tamen postea incontinentia ita tentantur, & ustionibus ita æstuant, ut flammas libidinis nullo conatu, nulla lucta, nec oratione reprimere aut restringuere possint. Illis certè in tali casu, quando Deus donum continentiæ subtrahit, Paulus dicit (generaliter enim loquitur) si non continent, nubant. Semper enim melius est nubere, quàm uri. Item, si nupserit, non peccat, ad vitandam fornicationē habeat conjugem. Et 1. Tim. 5. de viduis illis dicit: Volo juniores viduas nubere, & nullā occasionem dare Diabolo. Si ergo per votum cœlibatus conjugium in perpetuum, in quocunq; etjam casu, abjuras certè ipsi Domino directè contradicis. Dominus enim dicit: Si non continēt, nubant, tu verò vovendo juras, etjam si continere nō potero, tamen in perpetuum non nubam. Dominus dicit: Melius est nubere quàm uri. Tu verò vovendo contradicis, etjam si futurum esset, ut urerer, volo tamen ut melius mihi sit uri, quàm nubere. Dominus per Paulum dicit, virgo si nupserit, non peccat: Pontificii verò laqueos votorum, ideò injiciunt, ut etjamsi posteà, quis viderit (utar enim verbis Hieronymi) lascivientem & ebullientem carnem suam in libidinem, ita ut refrænari non possit, ideoq; agnoscat se in duplici necessitate constitutum, ut aut scortetur, aut uxorem ducat: tamen non liceat, sed peccatum sit matrimonium contrahere. Et quæ flagitia hæc vovendi ratio secum trahat, infamia, inquinatia apud Pontificios cœlibatus, sonora voce in toto orbe clamitat. Necessaria igitur in voto cœlibatus esset illa exceptio seu conditio. Si humana fragilitas permiserit, etsi Deus donum continentiæ dederit & cōservaverit, volo cœlebs manere. Paulus enim utrum-

Universidad de Deusto
Biblioteca

utrumque ponit ἐναντιομέσως, & inquit, ut esse & manere possint, sicut ego, peculiare donum ex Deo est.

Vota cœlibatus Pontificia è diametro cum Scriptura pugnant.

Et consideretur diabolica perversitas, scortationes & reliquas illegitimas pollutiones Deus pronunciat talia esse peccata, quæ excludant ab hæreditate regni Dei, usum verò matrimonii pronunciat esse castum, impollutum & sanctum in omnibus. Isti verò in suis votariis, si continere non possint, judicant pollutiones & scortationes esse levicula peccatula. Conjugium verò clamitant maximam esse abominationem, adulterio & incestu tetriorem, unde Colonienſis quidam Scriptor, turpissimam Cam-

Albertus Pighius.

pegii & Pighii vocem, rhetoricè amplificare voluit, melius scilicet esse, si votarius continere non valens, centum habeat concubinas, ex ordine tamen, inquit, & successiuè, quàm si unam legitimam uxorem ducat, ita ergo Pontificii, per talia vota cœlibatus, induunt conscientiis laqueos, quibus si continere non possint, per inquinamenta carnis & spiritus, demerguntur tandem in interitum & perditionem. Abjurato enim conjugio homines plerumque ad cœlibatum non idoneos, collocant in eum vitæ statum, in quo est iners otium, abundantia & saturitas panis. Et cùm ex istis radicibus Ezechiel dicat olim Sodamiticos fructus prodiisse, non mirum est, nunc etjam Pontificium cœlibatum, omnis generis fœdissimis pollutionibus contaminatissimum esse.

Lutherus de votis Monasticis.

Lutherus antithesin illam votorum Monasticorum eruditè & venustè ducit per totum Decalogum, ostendens quomodo contra singula præcepta pugnent. Nam contra *Primum præceptum*, Ex cœlibatu faciunt meritum justitiæ & vitæ æternæ, in quo fiduciam collocant.

Contra *Secundum*, In vanum assumunt nomen Dei in vovendo. Et cùm solius Christi nomen nobis datum sit, in quo oporteat nos salvari. Ipsi hoc nomen votis suis blasphemè imponunt.

Contra *Tertium*, Peculiarem cultum ab hominibus sine mandato Dei institutum ex votis suis faciunt.

Contra *Quartum*, Docent sine consensu & contra voluntatem parentum, tale genus vitæ suscipi posse, in quo ab officiis, parentibus juxta mandatum Dei debitis, absolvuntur. Percalcatum, aiunt, perge patrem. Sola in hoc genere pietas est, esse crudelem.

Contra *Quintum*, Quia vitam cõmunem fugiunt, peccant ergo contra charitatem proximi.

Contra *Sextum*, Totam Sodomam & Gomorrham ex cineribus resuscitant.

Contra *Septimum*, Vivunt sine labore, in ocio, abundantia & saturitate, sicut Sodomitę, quibus etjam fructibus suis respondent, Ezech. 16.

Contra *Octavum*, Dicunt falsum testimonium de meritis cœlibatus, & contra castitatem ac sanctitatem conjugii.

Contra *Nonum & Decimum*, Docent ustionem non esse peccatum. Sicut Pighius non veretur scribere: Flammas & incendia libidinis esse conditiones, quas nobis indiderit creatrix omnium omnipotens illa bonitas & sapientia (hæc enim sunt ejus verba) sicut famē & sitim, contra Christum, Matth. 5. & Paulum 1. Corinth. 7.

Sed hæc prolixius tractare, non est nostri instituti, cùm ex solidis fundamentis explicata extent in libro Lutheri, de votis Monasticis, actu Confessione & Apologia Augustana sub eodem titulo.

CAPVT IX.

ARGVMENTA PONTIFICIORUM de voto cœlibatus.

IAm verò plana & expedita erit responsio ad argumenta de faciendo aut servando voto cœlibatus, sicut apud Pontificios usitatum est. In votis enim nõ tantùm materia voti consideranda est, hoc est, an id, quod vovetur, per se & in suo genere sit licitum, bonum & pium, sed & hoc considerandum est, an is, qui vovet, donum habeat, quo possit votum implere, præcipuè verò, quæ sit intentio seu opinio, & quis finis vovendi. Respondeo igitur, neminem bonâ conscientia posse facere votum cœlibatus, eo modo, sicut in Pontificia Ecclesia fit. Qui enim donum continentiæ non habet, non debet Deum tentare vovendo, sicut suprà multis ostensum est. Qui verò donum habet, non debet adjuratione perpetua conjugii, laqueum contra Paulum sibi injicere. Opiniones verò hinc voto annexæ (quia adversantur & Decalogo & Evangelio) simpliciter sunt fugiendæ & detestandæ, quasi scilicet ratio & solennitas voti ab hominibus instituta, faciat cultum præstantiorem, quàm sit obedientia verbo Dei mandata, & præcipuè, quòd finis præsumitur esse satisfactio pro peccatis & meritum vitæ æternæ. Quando igitur objicitur: Scriptum est, Vovete. Respondeo: Primùm ex distinctione veteris & novi Testamenti, ut suprà dixi. Deinde dico non omnia, necà quibusvis, nec quovis modo esse vovenda, si vel cum Scriptura pugnent, vel impingant in fidem Evangelii, sicut ostensum est de votis Pontificiis.

Nemo bona conscientia more Pontificiorũ cœlibatum vovere potest.

Sed si votum jam emissum est, certè peccatum est illud non servare, Deuteron. 23. Eccles. 5. Respondeo: Anteà ostensum est, Deum non omnium votorum sicut etjam non omnium iuramentorum, qualiacunque sint, & quocunq; vergant, impletionem sub interminatione æternæ damnationis exigere, ut de juramento Saulis. 1. Regum 14. Davidis, 1. Regum 25. Herodis, Matth. 14. Cùm igitur opiniones annexæ votis, sicut monstratum est, sint impiæ & blasphemę, nequaquam cum hujusmodi impiis opinionibus servanda sunt vota.

Nõ omnium votorum impletio necessaria est.

Sed quid si impiæ istæ opiniones removeantur. Respondeo: Non leviter sanè aut temerè ab eo, quod jurejurando promisisti, discedendum est. Adhibeas igitur diligentiam, conatum, luctam, & addas preces, quòd si Deo juvante ita potes ustionem reprimere & restringere benè est, serves cœlibatum, juxta Pauli consilium & præscriptum. Si verò non potes continere, sed ureris, & versaris in periculo fornicationis, tunc Deus ipse te absolvit, non enim vult tibi laqueum in-

De voto, à quib. impiæ opiniones absunt.

um injici, ut suprà dictum est. Et si in genere vovisti castitatem, non sequitur, te abjurasse conjugium. Nam & juxta Chrysostomi sententiam:

Gradus castitatis juxta Chrysost.

Primus gradus castitatis est sincera virginitas. Secundus autem fidele conjugium. Qui igitur castitatem in cœlibatu servare non potest, si ideò ducat uxorem, ut in conjugio servet castitatem, non dici potest peccare contra votum castitatis, sed si facta fuit expressa abjuratio conjugii in perpetuum, & non potest continere, cumq; in voto interposita sit contestatio per nomen Domini, erit ergo peccatum contra secundum præceptũ. Agnoscas igitur te peccasse assumendo nomen Dei in vanum, agas pœnitentiam, & petas tibi hoc propter Christum ignosci, cùm videas te sine peccato illud, quod vovisti servare non posse, sicut plenius hæc explicari possunt ex fundamentis illis, quæ hactenus de votis annotavimus. Atque hoc est primum principale argumentum Pontificiorum, ex sententiis Scripturæ, de faciendis & servandis votis.

De viduarũ apud Paulũ primæ fidei.

Alterum principale argumentum est, quod texunt in loco, 1. Timot. 5. Viduæ cùm luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Hæc enim verba ita interpretantur, quòd tempore Pauli, viduæ quædam solenniter voverint perpetuum cœlibatum, abjurato in perpetuum conjugio. Illas verò postea, eò, quòd lascivia seu ustione tentarentur, voluisse conjugii remedio contra ustionem uti, ex privilegio communi. Melùs est nubere, quàm uri, sed Paulum pronunciare hoc ipsis propter factum votũ nequaquam licuisse, sed ipsum velle nubere, etjamsi ustione tententur & continere non possint, habere in ipsis judicium æternæ damnationis, eò, quòd primam fidem, qua Christo per votum cœlibatus se desponsarint irritam fecerint. Ita illi, & hujus interpretationis astipulatores habent quosdam ex Patribus, Quia verò res magna est, de qua agitur, pertinens ad conscientiarum vel salutem vel damnationem, diligenter considerandum est, non quid vel hic, vel ille interpretetur: sed quam sententiam fidei analogam, Roman. 12. verba & circumstantiæ textus præbeant. Non enim ullus certior, quàm Scriptura sui ipsius interpres est, utque eò simpliciùs & rectiùs hoc fieri possit, ordine hæc capita in textu Pauli expendemus.

Conditio viduarum tempore Apostolorum, non opus est, per conjecturas exquirere, aut ex patrum Scriptis discere. pore Apostolorum.

1. An viduæ Paulinæ allectę fuerint hac opinione, ut talis votiva viduitas esset peculiaris & præstantior cultus Dei, & meritum vitæ æternæ, sicut Pontificii de suo cœlibatu docent.

2. An viduæ Paulinæ, emisso solenni aut expresso voto, conjugium in perpetuum ejurârint.

3. Quod nam fuerit peccatum illarum viduarum, propter quod damnationem incurrerunt, & Satanæ traditæ fuerunt.

4. Quam primam fidem Paulus intelligat.

5. An Pauli sententia fuerit, allectas illas viduas, etjamsi non possent continere: tamen nullo modo potuisse nubere, sine reatu æternæ damnationis. In his enim capitibus tota disputatio de sententia Pauli consistit.

Et primò, quæ fuerit ratio collegii viduarum

Universidad de Deusto
Biblioteca

An decreverint perpetuo viduitatem servare.

recipiebantur, quòd neminem haberent, à quo sustinerentur, ergo si cogitassent, per matrimonium sibi ascisceremaritum, cujus laboribus alerentur, non petiissent in collegiũ illud cooptari. Constituisse itaque illas viduas, cùm in collegium hoc reciperentur, in viduitate permanere, ac negociis œconomicis se abdicare, etjam contextus Pauli, indicare videtur, cũ inquit: Postea volunt nubere. Item, volo juniores nubere, domum administrare, &c. Non autem opus est, ex veterum quorundam disputationibus conquirere, an expresso seu solenni voto, viduitati se astrinxerint, cum abjuratione matrimonii in perpetuum, sub conditione æternæ damnationis, cùm extet disertis verbis descriptio, quale fuerit propositum seu decretum cœlibatus tempore Apostolorum, 1. Corin. 7. Qui stat firmus in corde suo, &c. ubi expresè additur illa conditio: Non ut laqueum vobis injiciam, &c. Et cùm habeamus ipsius Pauli descriptionẽ, quale fuerit propositum seu decretum cœlibatus suo tempore, non debemus ullas alias explicationes, vel quærere, vel ab iis ex cogitatas admittere.

Ob quod peccatum viduæ rexerint damnationis contraxerint.

3. Cùm Paulus dicat viduas illas lapsas habere damnationem, & conversas esse retrò post Satanam, quæstio est, quòd fuerit tam atrox ipsarum peccatum, quod ipsas Christo adversarias Satanæ mancipia, & reas condemnationis fecerit. Pontificii dicunt, post votum velle nubere, esse tam grande peccatum. Sed videamus an Paulus hoc dicat. Quod enim ex veteri translatione urgent (in Christo velle nubere) hoc est, quia per votum Christo fuerint desponsatæ, ideò damnabile esse, velle marito mortali nubere, nihil est. Quomodo enim tam atrox peccatum esset in Christo nubere, cùm 1. Corin. 7. Paulus dicat: Vidua nubat, cui vult, modò in Domino. Et unus est Dominus Iesus Christus, 1. Cor. 8. Paulus verò non dicit in Christo, sed contra Christum, & particula illa non potest referri ad verbum nubere, sicut etjam pueri, qui elementa Græcæ linguæ intelligunt videre possunt, dicit enim κατασρυνιασωσιτᾶ χριςᾶ. Et despõsationem spiritualem cum Christo, communem esse omnib. fidelibus, ac fieri per fidem, non per votum cœlibatus, suprà ostensum est. Et ineptum profectò est, quòd Chrysostomus desponsationem illarum viduarum cum Christo inde probat, quia scilicet in Scriptura Christus vocatur προσάτης viduarum & pater orphanorum, quasi verò hoc non pertineat ad reliquas etjam viduas, quas Paulus in collegium illud non admittit. Audiamus itaque ipsum Paulum, causam damnationis harum viduarum, multis valdè significantibus verbis describentem. Non autem simpliciter dicit, quod voluerint nubere, sed cùm adversus Christum luxuriatæ fuerint, nubere volunt. Significat autem στρηνιάω, non simpliciter luxuriari & lasciuire. Sed cum immani quadam insolentia & petulantia, quasi ruptis & abjectis habenis ferocire. Ita etjam Græci interpretes, 4. Reg. 19. σφύρος reddiderunt שׁאגך quod significat ob securitatem & tranquillitatem insolenter & superbè tumultuari. Quod vocabulum, Esaiæ 32. tribuitur mulieribus, propter affluentiam insolentibus & petulantibus. Et Apocalyp. 18. tribuitur libidinibus meretricis Babylonicæ ac ultra scortationem ponitur. In hoc verò loco, appositè tribuitur viduis, quæ curis domesticis liberatæ, ex publicis eleemosynis alebantur. Et quidem contra Christum insolenter & petulanter lasciviebant, inquit Paulus. Eò ergò lasciuiæ & petulantiæ progressæ erant, quòd jugum Christi, hoc est, timorem Dei, fidem & pietatem erga Christum excusserant & abjecerant. Et antithesis aliquid addet lucis, 1. Corinth. 7. docet pias viduas posse nubere, cui velint, modò in Domino, hoc est, in timore & invocatione Domini, vel non nubere cum abnegatione fidei & religionis. Hæ verò viduę non in Domino, sed petulanter & insolenter lasciviendo contra Christum volunt nubere. Atrox profectò est descriptio atrocis peccati. Non igitur velle nubere simpliciter & per se, sed ita velle nubere, sicut Paulus hoc loco describit, damnabile est. Quatuor autem peccata ordine recitat. I. Petulanter lasciviebant contra CHRISTVM. II. Cum deberent ministrare, pauperibus, peregrinis, afflictis & ægrotis, ipsæ neglectis & abjectis ministerii sui officiis, ociosæ circuibant domos, nugaces, curiosæ, loquentes quæ non decent. Et quia Christus dicit, Matt. 25. Quicquid uni ex minimis meis fratribus non feciſtis, mihi non feciſtis. Ideò Paulus dicit: Viduas illas, non contra pauperes tantùm, sed contra ipsum Christum petulantiam exercuisse. III. Dicit ipsas ea petulantia occasionem dedisse adversario maledicendi & blasphemandi sanam Evangelii doctrinam. IIII. Dicit nonnullas ex ipsis tandem conversas esse retrò post Satanam. Et verbis utitur valdè atrocibus, dicit enm ἐξετράπησαν, quòd significat à via prorsus deflectere. Ebræor. 12. discrimen ponitur inter eum, qui in via Domini remissior est, & quasi claudicat, & qui prorsus ab ea deflectit. Et ὀπίσω τοῦ σατανᾶ, significat manifestam defectionem à Christo. Sicut enim credentes & pii dicuntur, venire & sequi post CHRISTVM, sicut discipuli præceptorem sectari dicuntur, Luc. 9. & 14. Matth. decimo. Ita Apostatæ dicuntur abire, εἰς τὰ ὀπίσω. Ioann. 6. dicuntur defeciſſe, excidisse à fide, quæ in ipsis subversa fit, 1. Timoth. 4. & 6. 2. Timoth. 2. Significatur itaque tandem secuta omnimoda apostasia seu defectio harum viduarum à fide & religione CHRISTI. Cùm enim primum, contra Christum petulanter lasciviverent, secuta fuit tandem prorsus defectio à Christo, & affectatio Satanæ, sive judaismum, sive paganismum, sive Pseudo Apostolos, qui captivas ducebant mulierculas, 2. Timoth. 3. sectari cœperint, sive dederint se flagitiosa vita laqueis Satanæ, juxta ipsius voluntatem, 2. Timoth. 2. Non igitur opus est viduis hisce, ex incertis veterum commentis, peccata de votis fabricare, cùm atrocissima ipsarum peccata, damnatiõem secum trahentia, Paulus expresis verbis commemoret. Non ergo simpliciter nubere, sed hoc modo velle nubere, verè damnabile est. Et potuissent quidem illæ, alia ratione, id quod cupiebant, in Domino consequi. Sed sive notam levitatis & inconstantiæ, tanquam publicam infamiam inter Christianos, quod collegium viduarum

Causam damnatiõis harum viduarum Paulus reddit.

Quatuor peccata earum viduarum.

sum deserarent, veritæ, sive per lasciviam & petulantiam à Satana prorsus captivatæ fuerint, certè vnà cum ministerio viduarum, ipsam etjam Christianissimi professionem tandem abjecerunt, & ita fidem abnegârunt, sicut jam dicemus.

Quam fidem primam irritã fecerint.

4. Paulus dicit viduas illas habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerint. Magnis igitur contentionibus disputatur, quam fidẽ hoc loco Paulus intelligat. Sed si ipsius Pauli declarationem quærimus, res non est obscura. Non enim opus est, ex aliis scripturæ locis exempla adducere, sed in eadem illa priori Epistola ad Timotheum, extant exempla hujus phraseos, aliquoties repetita, ut cap. 1. Non nulli repulsa bona conscientia circa fidem naufragium fecerunt. cap. 2. Si permanserit in fide cap. 4. Quidam deficient à fide attendentes doctrinis Dæmoniorum. Et cap. 5. Paulò ante sententiam illam, de qua nunc agimus: Qui suis domesticis non provident, fidem abnegavit, & infideli deterior est. cap. 6. Quidam dum avaritiam appetunt, à fide aberraverunt. Item, quidã profitentes falsò nominatam scientiam circa fidem exciderunt. Et 2. Timoth. 2. Circa veritatem aberrârunt, & subverterunt quorundam fidem. Vbi idem fermè verbum ponitur, ac cùm dicit: Conversæ sunt post Satanam. Et cap. 3. Mente corrupti, reprobi circa fidem. Quæ sententiæ omnes loquuntur de vera, viva, & justificante fide, quam docent excuti, abjici & amitti, duobus modis, vel per peccata contra conscientiam. Fides enim non manet in illis, qui indulgent pravis cupiditatibus contra conscientiam, 1. Timoth. 1. & 2. cap. 5. & 6. Vel admisso errore in fundamento, aut fundamento religionis subverso. 1. Tim. 4. & 6. 2. Tim. 2. & 3. Iam verò in loco illo de viduis, de quo disputatio est, eadem extat phrasis, de abjecta fide, & res etjam congruunt. Officia enim ministerii sui fraudulenter facere, & contra Christum petulanter lascivire, sicut Paulus viduis illis tribuit, peccata sunt excutientia fidem. Et deserta via Domini Satanam sectari, subuersio est fundamenti, fidei & religionis, sicut ostensum est. Dicit igitur Paulus, viduas istas non debere sibi blandiri, quasi in tali vitæ petulantia & apostasia, nihilominùs possint Deo placere, & hæredes vitæ esse, sed pronunciat eas habere damnationem inde & ideò, quia veram & vivam fidem, quæ sola justificat & salvat, non amplius habeant, sed eam abjecerint & excusserint: Idq; probat factum esse ab aliquibus per peccata contra conscientiam, à nonnullis verò defectione à fundamento. Hæc sententia plana est, conveniens contextui, & consentanea doctrinæ Pauli, quò ad phrasin, & quò ad sensum seu res ipsas. Quod verò primam fidem vocat, variæ & veræ possent reddi rationes. Est enim fides fundamentum omnium virtutum, & totius pietatis principiũ antè quàm nihil in homine boni est, hæc prima suscipitur in Baptismo, & est virtus primæ tabulæ, quam deinde sequitur fidelitas in officiis secundæ tabulæ, quæ Galat. 5. etjam fides appellatur. Hæc vera sunt, sed simpliciùs est, si juxta phrasin Scripturæ usitatam, intelligamus Paulum hoc dicere: Viduas illas fidem, quam antea habuerunt, & quæ priùs Deo placuerunt, abjecisse & amisisse. Quando enim Scriptura mutationem aliquam factam describit, vel collationem facit inter id, quòd antea seu priùs fuerat, & inter id quòd secutum est, tunc hoc modo utitur vocabulo πρώτος, ut Matth. 12. Luc. 11. 2. Pet. 2. Posteriora hominis illius fiunt peiora τῶν πρώτων quàm priùs aut anteà fuerat. Et locus extat apertissimus, quo continens & explicans illam phrasin Pauli de prima fide. Apocal. 1. Vbi Ioannes jubetur scribere ministro Ecclesiæ Ephesinæ: Habeo adversum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti, memor esto itaque vnde excideristi, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Hic locus manifestissimè ostendit, quo sensu Paulus primam fidem appellet, ut non opus sit vel prolixiori disputatione, vel aliundè petita explicatione. Nam & de spirituali desponsatione Christi & Ecclesiæ, quæ fide fit, Scriptura ita loquitur, ut post lapsum, ad primum spiritualis conjugii fœdus revertantur. Ezech. 16. Ierem. 31. Oseæ capite secundo. Vt prima fides dicatur respectu ejus, qua illi, qui lapsi fuerant, postea in conversione rursus Deo reconciliabantur, quæ tamen, quasi secundaria fides, nihil aliud est, quã reversio ad primam fidem, quæ signaculo Baptismi obsignata erat, una enim est fides, Ephes. cap. 4.

Cur vocet primam fidem.

Et ex patribus etjam quidam, per primam fidem intelligunt eam, quam in Baptismo amplexi & professi sumus, quam irritam reddi sentiunt, per doctrinas hæreticas, vt Athanasius li. 6. de Trinitate. Hieronymus in præfatione Epistolæ ad Titum. Et Vincentius Lyrinensis contra Prophanas hæreseõn novitates. Hæc sententia simplex, vera & plana est, analoga Scripturæ, & consentanea contextui loci Paulini. Cumq; vota cœlibatus, qualia apud Pontificios fieri solent, tempore Apostolorum non fuerint, sicut paulò antè ostensum est & vocabulum fidei pro voto in Scriptura nullibi usurpetur, quæ esset analogia fidei, fidem pro voto cœlibatus interpretari? Si enim votum viduitatis dicatur prima fides, respectu ejus fidei, qua secundis nuptiis se obligare volebant: certè non rectè dicetur prima, quia ante votum viduitatis, fidem priori marito dederant, & ante hanc Christo in baptismo fidem dederant. Hoc igitur modo non prima, sed secunda, aut etjam tertia potiùs fides esset votum viduitatis. Quæ igitur esset plenophoria, sententiam certã deserere, & interpretationem incertam amplecti, etjamsi quosdam ex Patribus habeat autores?

Testimoniæ Patrũ de prima fide.
Athanasius.
Hieronym.
Vincentius Lyrinensis.

Fides in Scriptura nusquam accipitur pro voto.

5 Quia verò viduæ illæ, proposito servandæ viduitatis, sicut suprà dictum est, in collegium illud Ecclesiasticum se recipi petierant, & si non peculiaribus aut expresis verbis, ipso tamen facto Ecclesiæ, cujus sumptibus alebantur, fidem dederant, quòd ministerio suo erga pauperes, diligenter & fideliter fungi vellent. Atque hoc modo etjam in secunda tabula Scriptura dicit, fidem datam esse servandam. 1. Mac. 10. 2. Mach. 11. Num igitur sine peccato & rectè fecerunt istæ viduæ, quòd propositum illud viduitatis, & temerè susceperunt. & petulanter postea ab eo recesserunt, præcipuè verò, quòd curam ministerii erga pau-

An his viduis sub dãnatiõnis pœna nubere interdictum fuerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peres, negligenter, malè & fraudulenter administrârunt, atque ita datam Ecclesiæ fidem fefellerunt?

Quæstiones duæ.

Respondeo: Primùm de posteriori membro. Scriptum est: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter, Ierem. 48. Nequaquam igitur sine peccato fuit, quòd eleemosynis Ecclesiæ abusæ, ministerium erga afflictos neglexerunt. Sed gravitatem peccati Paulus indicat, cùm inquit, contra Christum, cujus eleemosynas comedebant, & afflictos ejus negligebant, ipsas petulanter lasciviisse & habere damnationem. Damnatio verò eorum, qui ita Ecclesiæ eleemosynis abuntur, describitur, 2. Pet. 2. & in Epistola Iudæ, Et verbum κατάκρισιν Petrus videtur reddere voluisse cùm inquit: Luxuriantes & oculos habentes plenos adulterii. Iudas verò reliquâ partem descriptionis Paulinæ videtur reddidisse, cùm inquit: Maculæ sunt in agapis vestris de eleemosynis cõvivantes ἀφόβως, hoc est, securè & sine ulla, vel Dei, vel Ecclesiæ reverentia. Nõ enim solæ viduæ, sed & alii cœperunt eleemosynis Ecclesiæ abuti. Et quia tali petulantia adversariis occasionem dederunt blasphemandi sanam doctrinam, certè quantum peccatum sit scandalum, Christus declarat, Matth. 18. Hæc igitur pars descriptionis extra controversiam est, quòd sit peccatum gravissimum. Sed restat altera quæstio, de proposito viduitatis, quòd statuerunt, se cœlibes velle afflictis ministrare, & postea ab illo propósito lascivientes defecerunt, & voluerunt nubere, an rectè hoc & sine peccato fecerint. Responsio autem plana est, quòd temeritas in suscipiendo, & levitas in abjiciendo eo proposito, quòd non privatum jam erat, sed receptione in collegium viduarum, publicè contestatum, & notorium factum erat, meritò reprehenditur & culpatur. Si enim Paulus, notam inconstantiæ & levitatis, eò quòd promiserat se venturum ad Corinthios, tam solicitè amolitur, 2. Corinth. 1. Facilè inde colligi potest, quid de temeritate, inconstantia & levitate harum viduarum, in re gravi ori, judicandum sit. Et Paulus non dissimulat adversarios inde sumpsisse occasionem obtrectandi & conviciandi. In Ecclesia etjam levitatem illam infamem fuisse, hoc indicat, quòd ex viduis illis, quædam ideò prorsus defecerint à religione Christiana, ut sine exprobratione levitatis, nubere possent vel Iudæis, vel Gentibus. Atque in hanc sententiã Epiphanius discrimen fecit, inter κρίμα & κατάκριμα, qui inquit, ne confundãtur apud homines (& hoc intelligit κρίμα) occultè scortantur, atque ita Deum offendunt, & condemnationem æternam sibi attrahunt (& hoc appellat κατάκριμα) Sicut & 1. Timoth. 3. Paulus dicit neophytum Episcopum facilè cadere εἰς κρίμα, hoc est, in criminationem & conviciationem adversariorum. Et Matth. 7. eodem modo distinguitur inter κρίμα, & κατάκριμα, Nolite judicare, nolite condemnare. Et quod, 1. Timoth. 5. vocat κρίμα, mox appellat λοιδορίαν. Quia verò in hisce viduis, non sola levis & inconstans mutatio propositi fuit, sed hæc traxit secum multa atrocia peccata, in prima & secũda tabula, ficut ex verbis Pauli ostẽdimus, ideò κρίμα rectè intelligitur de reatu æternæ damnationis. Aliud igitur est loqui de temeraria susceptione & de inconstanti mutatione propositi in hisce viduis, si per se consideretur. Vbi Epiphanius rectè distinguit inter κρίμα & κατάκριμα. Aliud verò est loqui, de atrocibus illis peccatis, quæ lasciviam, contra Christum, secuta sunt, ubi κρίμα rectè pro æterna condemnatione accipitur. Et quia Paulus ab experientia animadvertit, quàm pernicioſus sit laqueus ad multa atrocissima peccata, publica testificatio propositi cœlibatus, à quo sine nota levitatis non facilè discedi potest, ideò solicitè non tantùm cavet, sed seriò mandat & præcipit, ne in ætate florenti & lubrica, cuiquam tales laquei injiciantur. Neque hoc tantùm dicit, vt præter voluntatem aliqua ad cœlibatum suscipiendum cogatur, sed quia multæ juniores viduæ, ob recentem ex maritorum obitu luctum, & ob mœstitiam ac dejectionem animi, propter summam inopiam cùm omni subsidio destitutæ essent, certo proposito constituerent, se in cœlibatu manere velle, ac ideò peterent se in collegium viduarum, quæ publicis Ecclesiæ eleemosynis sustentabantur, recipi: Paulus experientia edoctus, quàm facilè mutatio illius propositi incidat, & quæ inde pericula nascantur, si continere non possint, seriò mandat, etjamsi juniores viduæ, cum tali proposito se offerant, ne recipiantur sed rejiciantur, nec aliqua deligatur nisi sit annorum sexaginta, in quæ ætate flammæ libidinum mediocri diligentia reprimi & restingui possunt. Quàm horribiliter itaque, ô bone Iesu, regnum Pontificium contra Canonem, quæ per electum tuum organum promulgasti, peccat & communicat nefandis aliorum peccatis, quòd votum cœlibatus, non expectato anno sexagesimo, in juvenili lubrica ætate conscientiis vel imponit, vel voluntariè oblatum non tantùm recipit, sed fieri cõsulit, suadet, hortatur, & hoc laqueo innumera animarum milia, in barathrum æternæ perditionis præcipitat? Certè hic unicus locus Pauli, potentissimum fulmẽ est, uno ictu prosternens omnia Pontificiorum vota. Quot enim reperias qui post annum sexagesimũ demum voverint cœlibatum? Qua igitur fronte, qua specie, quo colore, vel defendere, vel excusare possunt, quòd à præscripto Pauli magis magisq; recesserunt? Leo enim primus consecrationi monialium statuit annũ 40. Pius primus statuit annum 25. Alius Canon vetat ante annum 18. fieri votũ, plerique verò Canones annum 15. nominant. Nec valet exceptio quòd Paulus de viduis, nõ de virginibus loquatur. Ratio enim Pauli generalis est: In juvenili & lubrica ætate, neminem ad cœlibatus professionem astringendum, propter pericula, quæ inde oriri experientia docuit.

De quæstione posteriori.

De quæstione priori, quòd viduitatẽ elegerit, sed postea sententiam mutaverunt.

Id in viduis reprehẽditur propter levitatem & inconstantiã. Pauli exemplum.

Epiphanius κρίμα καὶ κάτακριμα.

Paulus non vult laqueos cœlibatus cuiquam injici ætate florente.

Sexagenarias tulbet deligi.

Papa contra Paulum laqueum cœlibatus ætati juveniliingerit.

Quæ ætate votum cœlibatus fieri Pontifices statuerint. Leo. Pius I.

Chrysostomus hoc loco dicit: Viduæ illæ ἁπλῶς καὶ ὀρθῶς στερνίνασαι εἵλοντο, ex simplicitate non rectè, nec vero judicio elegerunt viduitatem. Et addit: Lapsus qui inde acciderunt, præbuerunt occasionem ταύτης νομοθεσίας, ferẽdæ hujus legis, ut scilicet juniores viduæ rejicerentur, & nulla assumeretur nisi annorum sexaginta. Et Ambrosius hoc loco rectè dicit (cujus tamẽ posteà

Chrysostomus de viduis.

Ambrosius.

posteà in velandis suis virginibus oblivisci tur) Paulus prohibet juniores in hac susci pi professione. Lubricæ enim ætati fides facilè adhiberi non debet, quippe cùm quarundã exempla præcedant. Item, ostendit damnationem tales manere, ne facile audeant quod implere difficile est, aut si animus est huic devotioni deditus, apud se interim teneat, quia temerarium dicit esse profiteri, quod adhuc juvenili ætati credi non debet. Item, quantùm laudabile est, si impleat, quod ultra vires ejus creditur, tantò magis puniendus erit si hoc sibi audeat imponere, præsumptione temeritatis, quod ferre non possit, &c. Iuniores igitur viduas, Paulus, propter pericula quę recẽset, non vult porrò astringi ad cœlibatum, sed nubere.

De viduis junioribus cœlibatũ professis adhuc in collegio viduarũ degentibus.

Sed quid de illis junioribus Paulus vult fieri, quæ ipso facto professę jam erant cœlibatum, utpote receptæ in collegium viduarum? Certè si lasciv ia urantur, non vult eas in peccatis, quæ in de sequi videt, perseverare, & in damnatione manere. Quia verò cùm proposito servandæ viduitatis receptæ erant, num ideò conjugium ipsis prohibet, etjamsi continere non possint, propositis interim aliis contra incontinentiam remediis? Hoc certè non facit. Meminerat enim, quòd paulò antè, cap. 4. scripserat, doctrinam Dæmoniorum esse, prohibere conjugium illis, qui non continent. Sed illas etjam viduas, quæ viduitatẽ professæ erant (si ita loqui liceat) cum posteà lascivirent, & non continent, illas inquam Paulus vult nubere, idq; ideò, ne ullam occasionem præbeant Diabolo, & ne tandem, sicut nonnullis acciderat, prorsus retrò post Satanam convertantur, si præter vires & voluntatem, in cœlibatu manere cogerentur, & aditus ad legitimas nuptias ipsis prohiberetur. Si igitur temerariæ, imprudentes & incautæ promiserunt cœlibatum, si propositum illud in ipsis mutatũ est, & continere non possunt, si inde in peccata, quæ Paulus recenset, prolapsæ sunt, agant pœnitentiam, petant remissionem. Ne verò in damnatione maneant, & tandem prorsus post Satanam subvertantur, Paulus vult ipsas nubere, non autem lasciviendo contra Christum, sed in Domino, idq; ideò ne in posterum præbeant occasionẽ Diabolo. Velle itaque nubere, in hujusmodi viduis, si continere non possunt, non simpliciter damnat, sed lasciviendo contra Christum, & abjecta fide velle nubere, hoc verò damnat.

Quæ nõ consuẽt post viduitatis etiã professionẽ, vult nubere.

Quid in hic viduis damnabile vocet Paulus. Chrysostom.

Hanc sententiam contextus Pauli manifestè ostendit, atq; ita expressè eũ interpretatur Chrysostomus. Quoniam inquit ipse, volunt nubere, volo & ego juniores nubere, liberos gignere domum administrare. Longè enim præstat hæc facere, quàm illa (quæ scilicet de damnatis viduis recenset) Oportebat quidem curare quæ DEI sunt, oportebat fidem servare, quando verò illa nõ fiunt, meliùs est hęc fieri, quàm illa, quippè viduitas illa nihil parit boni, ἀπὸ δὲ τοῦ γάμου τοῦτο, ex hisce verò nuptiis (earum scilicet, quæ viduitatem professæ erant, cùm continere non possent) multa bona. Et Theophylactus illa duo (juniores nubere volunt, & volo juniores nubere) ita connectit. Volo & ego indulgens & concedens earum votis, ne Diabolus illudat ipsis, quòd cùm Christi sponsæ essent factæ sint adulteræ, ideò sub matrimonium eas duco. Ambrosius etjam illud. Volo juniores nubere ita explicat. Quoniam quæ suprà dixit de hujusmodi quod contraria & illicita perducant eas ad mortem, idcircò consilium dat, & præcipit ea fieri quę licita sunt. Et multum expedit nubere, quam sub bona & pia professione notabiliter incedere. Sic enim invenit occasionem Satanas, quomodo subvertat animas inconsultas, cùm pia profitentes injustè versantur. Hæc Ambrosius. Locus igitur ille Pauli de viduis prorsus nihil patrocinatur Põtificiorum sententiæ, de votis cœlibatus, vel faciendis, vel factis, sicut quidem illa in Pontificii Ecclesia usitata sunt. Iuniores enim viduas non vult recipi, & receptas seu ut loquuntur, professas, si continere vel non possint, vel nõ velint, vult nubere, quarum vtrunque contra Pontificiæ Ecclesiæ doctrinam & praxin pugnat. Et hæc de loco illo Pauli aliquantò prolixius annotare volui, ut perspiceretur, quantò rectiùs, certiùs, firmiùs & jucundiùs interpretatio Scripturæ ex ipsis fontibus quàm ex cisternis humanarum commentationum petatur. Atque hoc est secundum principale argumentum pro voto cœlibatus.

Theophylact.

Ambrosius.

An Maria fecerit votum virginitatis.

Tertium Argumentum ex Scriptura ita confingunt: Quia Maria, Luc. 1. non in præterito, sed in præsenti loquitur, virum non cognosco. Fingunt igitur Mariam habuisse propositum, & fecisse solenne votum servandæ perpetuæ virginitatis. Et mox addunt Rhetoricas amplificationes. Deum in sanctissima Dei para virgine, votũ perpetui cœlibatus in novo Testamento, voluisse dedicare. Sumpta autem hæc sunt ex Apocryphis traditionib. Extat enim protoevangelium Iacobi, ubi narratur Mariam anno ætatis tertio, accensis lampadibus, per puellas solenniter ductam fuisse in templum, ac juxta votum consecratam, in sancta sanctorum ipsam de manu Angeli cibum accepisse. Anno verò ætatis duodecimo, Angelum apparuisse Pontifici & jussisse, ut alicui ex maritis viduis traderetur in custodiam, virgo servanda. Hæ Apocryphæ fabulæ, spe cioso titulo traditionum, sæpè etjam patribus imposuerunt, sicut Epiphanio spelunca Bethleemitica, & Augustino commentitium hoc votum Mariæ, quod disertè contra Scripturam pugnat. In templo enim, & sub sacerdotibus veteris Testamenti, votum perpetui cœlibatus prorsus ignotum fuit, nec mandatum nec exemplum habens. Historia verò novi Testamenti disertè dicit, Mariam despõsatam fuisse Iosepho, ita ut aliquando convenirent. Et notum est, quid in Scriptura significet συνέλθειν. Nec Maria, nec Ioseph, aliter sciverunt priusquam ab Angelo, de summo mysterio incarnationis filii Dei edocerentur. Falsum igitur est, & Evangelio contrarium, quod Apocrypha fabula fingit de voto Mariæ. Sed qualia sunt vota Pontificia, talis est etjam prima eorum dedicatio, fabulosa scilicet. Quòd autem non in præterito loquitur Maria, sed inquit, virum non agnosco, ratio manifesta est. Quia enim nondum erat in domum sponsi deducta, nec brevi adeò hoc futurũ erat. Nam post

Cerit votum virginitatis.

Ptotoevangelium Iacobi.

Fabulæ Apocryphæ vendi tæ Apostolicis traditionibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tres menses & amplius Ioseph denùm de-ductione cogitare cœpit, Matth. 1. Postquam scilicet ex ædibus Elisabeth Maria reversa esset Nazareth, Luc. 1. Dicit igitur, quomodo fiet istud, cùm nondum cognoscam virum, hoc est, cùm nondum verser in cubili conjugali, aut nondum utar cõsuetudine conjugali. Non enim sequitur, si in præterito dicatur, illa cognovit virum, ergo concipiet.

IIII. Argumentum ex loco, Rom. 7. Quartò, Ex illo loco, Roman. 7. Vivente viro, adultera vocabitur, si nupserit alteri viro, vete-res multa argumenta formant, in quibus præ-cipuum robur obligationis voti cœlibatus con-stituunt. Basilius dicit, nulla desponsata, vivente sponso, potest alium sine crimine adulterii du-cere. Sed DEO dicatæ virgines sunt desponsa-tæ Christo. Ergò post votum nubere, adulterii crimen est coram Deo. Ambrosius inquit: Quæ se spopondit Christo, jam nupsit, jam immortali juncta est viro, & si jam nubere voluerit, adul-terium perpetrat. Chrysostomus dicit: Quæ se-ipsam semel Domino desponsavit, jam non est libera, ut, cui velit, nubere possit, non enim mortuus est vir ejus, sed si vivente viro immor-tali, mortalem in Domini thalamum superindu-xerit, non adulterium tantùm, sed incestum per-petrabit.

Basilius. Ambrosius. Chrysostom.

Solutio. Sed respõsio manifesta est, Scriptura enim do-cet, non solos cœlibes desponsari Christo, sed to-tam Ecclesiam esse sponsam Christi, & desponsa-tionem illam fieri non cœlibatu, sed vera fide ju-xta verbum, Ose. 2. 1. Corinth. 11. Manifesta igitur fallacia est, à spirituali desponsatione hominis interioris argumentari, contra legitimum con-jugium hominis exterioris. Eadem enim ratio-ne sequeretur, etjam nulli prorsus fidelium liber-um esse conjugium, omnes enim fideles despon-sati sunt Christo.

Obiectio ex 1. Corint. 11. Quòd verò, 1. Corinth. 11. nominat virginem copulatam Christo, non intelligit externum cœ-libatum, sed loquitur de tota Ecclesia Corinthio-rum, in qua præter virgines & viduas, non tan-tùm conjugati erant, verùm etjam, qui à scorta-tione, adulterio, imò ab incestu conversi erant, 1. Corinth. 6. Multi enim conjugati, imò quæ me-retrices fuerunt, fidem Christi habent, quam fa-tuæ virgines non habent, Matth. 25. Et illam ip-sam argumentationem veterũ Augusti. de bono viduitatis, cap. 10. expressè rejicit & refutat, reci-tatis multis absurdis, quę inde sequãtur & vocat

Augustin. ve terũ argumẽtationem re-iicit. opinionem minùs consideratam. Si verò certò scire cupis, quod verum sit adulterium oppo-situm desponsationi spirituali, seu qui sint illi, qui fornicantur à Domino, aut quæ sit generatio adultera, interroga Scripturam, & illa monstra-bit tibi, quæ & ubi sint spiritualia prostibula & propudia. Scriptura enim scortationem seu a-dulterium spirituale, ita describit, quando ani-

Scortatio spiritualis. ma, quæ Christo fide desponsata est, à verbo ip-sius discedit, & electitios cultus instituit extra & contra verbum Dei, aut ab ejus subjectione & obedientia se avertit, Ierem. 3. Ezech. 16. Ose. 4. 2. Corinth. 11. Isti igitur, qui contra verbum Dei malunt uri, quàm nubere & ex cœlibatu faciunt satisfactionem pro peccatis, ac meritum vitæ æ-ternæ, verè sunt spiritualia prostibula in regno Dei, & adulteri Christi, non autem illæ virgines, quæ cùm donum continentiæ non habeant, ju-xta mandatum Dei nubunt in Domino, & vo-cem sponsi sui sequuntur, meliùs est nubere, quàm uri.

Quintò illi, Qui vovent cœlibatum juri com-muni (scilicet si non continent, nubant. Item, si nupserit, non peccat) volentes renunciant, & unicuique certè licet juri suo renunciare, ac si fiat hoc propter cultum Dei, gratum est DEO, &c. Respondeo in politicis rebus alia ratio est, sed in spirituali libertate novi Testamenti Paulus di-cit, nõ esse faciendum, vel admittendum jugum servitutis, Galat. 5. Et in hoc casu Paulus præ-bet planam responsionem. Qui enim dono con-tinentiæ præditus est, atq; ita habet potestatem propriæ voluntatis, ut si nubat, benè faciat, si nõ nubat meliùs faciat, is si juri nubendi renunciet, & se propter regnum cœlorum eo fine, sicut ha-ctenus dictum est, castret, benè facit. Et tamen, ne is quidem debet sibi laqueum injicere, ut si amplius continere non possit, remedio conjugii uti non liceat. Qui verò donum cœlibatus non habet, ei jus illud (si non continent, nubant) non est liberum in utramq; partẽ, sed est necessarium remedium, divinitus mandatum non continen-tibus, cui si renunciat, peccat, & tentat Deum, si-cut superiùs ostendimus. Et contra mandatum Pauli injicit sibi laqueum.

V. Argumentum, voventes cœlibatũ juri suo contrahendi matrimonium renunciant.

De habentibus donũ continentiæ.

Dono habentibus donum continentiæ.

Sextò, Citatur etjam pro voto cœlibatus lo-cus, 2. Macha. 14. Razias multis temporibus con-tinentiæ propositum tenuit in Iudaismo, cor-pus & animam tradere contentus pro perseve-rantia. Et hinc forsan Ambrosius sumpsit illud, quod scripsit, justam esse causam sacerdoti, ob quam martyrio se exponat, ne virgo Deo sacrata tradatur nuptui. Ad hanc ex Machabæis senten-tiam multa possent responderi, quòd liber nõ sit Canonicus, quòd idem Razias exemplo non pro-bando seipsum contra quintum præceptum in-terfecerit, quodq; votum perpetuæ continentiæ in veteri Testamento non fuerit. Sed expeditissi-ma responsio est, quod sit fallacia figuræ dictio-nis, hæc enim sunt græca verba, ἦν γὰρ ἐν τοῖς ἔμ-προσθεν χρόνοις τῆς ἀμιξίας, κρίσιν εἰς ἐπιπεργμέ-νοις τὸ ἱερὸν τοῦ ἁγίασμα, καὶ σῶμα καὶ φύλαξιν ὑπὲρ τοῦ ἱεροῦ ἁγιάσματος παρακελεύμενον, hoc est, superioribus temporibus secessionis (scilicet à prophano cum Gentibus commercio) cum actiones judiciales propter Iudaismum intentarentur, corpus & vi-tam pro Iudaismo Razias objecerat. Nullum ita-que verbum in hac sententia est de voto perpetui cœlibatus.

Machabæorũ liber non Canonicus.

Fallacia figura dictionis.

Septimò, illud etjam argumentum, quod Au-gustinus tractat de adulteriis conjugiis, accom-modant ad vota perpetui cœlibatus, nempè, Si uxor occupetur tali ægritudine, ut non possit ferre maritum, aut si maritus juvenculæ captivus teneatur. In tali certè casu & marito & uxori alia remedia vitandæ fornicationis pro-ponenda & quærenda sunt, quàm novæ nup-tiæ.

VII. Argumentum.

Idem ergo dicunt facere debere, & posse eum etjam, qui cœlibatum vovit, etiamsi donum non habet. Respondeo: Aliud est, quando vel DEVS

immittit calamitates tales in conjugio, vel quan do propter vocationem & confessionem, relin-quenda est uxor & liberi, Matth. 19. Et aliud est quando homo non habens donum continentiæ sibiipsi sine vocatione divina, per votum contra verbum Dei, prohibet conjugium. Hoc enim per tinet ad doctrinas Dæmoniorum, 1. Tim. 4. Quan do enim Deus aliquẽ vocat ad crucem, simul pro mittit gratiam, quòd non velit pati, ut supra id, quod possumus, tentemur, 1. Corinth. 10. Quan-do verò nos ipsi, sine mandato & promissione Dei, aliquid suscipimus, ibi, quia Deum tẽtamus, non possumus nobis polliceri auxilium divinũ. Nec debemus spe divini auxilii aliquid suscipe-re, quod sit vel præter, vel contra verbum Dei, sicut est votum cœlibatus in illis, qui nõ habent donum.

Testimonia patrũ pro asserendis votis cœlibatus.

Postremò ex patrum Scriptis multa & varia conquirunt subsidia, pro stabiliendis votis suis, quæ hoc loco omnia recensere non est nostri in-stituti. Et historiam quidem antiquitatis de cœ-libatu, posteà in loco de cœlibatu sacerdotũ con-texemus. Nunc verò breviter tantùm annotabi-mus, quid ad objectiones ex patribus verè respõ-deri posset. Non autem ignoramus, quòd patres vota perpetui cœlibatus probent, quodq; illa ob-ligatoria etjam agnoscant. Sed ad omnes sen-tentias, quæ ex patribus subjiciuntur, respon-demus. 1. Quòd ipsi patres non cupiunt sua Scri-pta tanquam Canonica recipi, sed volunt ea ex Canonicis considerari, ut si quid in illis cum Ca-nonicis congruit, cum laude eorum recipiamus. si quid dissentit, bona ipsorum venia liberè re-spuamus, sicut in prima parte, tales ipsorum patrum sententias multas annotavimus. 11. Ar-gumenta veterum, quibus vota illa, & perpetuã eorum obligationem probare conantur, talia sunt, quæ vel ipsi inter se, alter alterius argumen-tare jicit & refutat, vel certè infirmis fundamen tis nituntur. In præcedentibus enim ostendi-mus, quomodo celebre illud omnium fermè ve-terum argumentum, de desponsatione sanctimonialium cum Christo, ab Augustino, ut opinio minùs considerata, rejiciatur & refutetur. Et vicissim, quomodo argumentum de prima fide vidvarum, quod Augustinus censet fortissi-mum esse, à Chrysostomo, Ambrosio, & Theo-phylacto, in explicatione illius loci Paulini in-fringatur, etjam ostendimus. Ita argumentum de voto Mariæ esse apocryphum monstravimus. Cum iq; reliqui sententiam suam de votis ex Scriptura probare conentur, Epiphanius diser-tè dicit, ex Scriptura hoc non posse haberi, Al-legat igitur traditionem, qua conatur proba-re Apostolos constituisse, peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias converti. Sed librum illum Clementis de constitutionibus seu ordinationibus Apostolorum, sexta Synodus di-cit apocryphum & adulteratum esse. Cùm itaq; non ex Scriptura, sed ex traditione eaq; non au-thentica, doctrinam suam de votis habeant vete-res, non obscurum est, quantum authoritati pa-trum hac in re sit tribuendum. Nõ enim numerã di sunt, quot sunt, qui fortiter aliquid asseverẽt, sed ponderandum est, quàm firmiter, & ex qui-bus fundamentis, id quod dicunt, probent & confirment. Accedit & hoc, quòd non sine contradictione vota illa à Patribus in Ecclesiam introducta sunt. Basilio enim hac in re contra-dixit clerus Neocæsarienfis. Hieronymi vota-riis, quàm acriter Romæ contra dictum fuerit, ipse non scriptis tantùm, sed discessione etjam sua, testatum fecit. Et Ambrosius, quot & quàm acres habuerit hac de re in Ecclesia sua contra-dictores, ipse multis conqueritur, libro tertio, de virginibus. Novum igitur hoc fuit tempore Basilii in Græca, tempore Hieronymi in Roma-na, tempore Ambrosii in Mediolanensi Ecclesia, III. Veteres illi multò verecundius, mitius & modestius materiam votorum in praxi Eccle-siæ tractârunt, quam Pontificii. Non enim illis, qui donum continentiæ non habebant, vota imponi volebant, sicut Epiphanius inquit contra Montanistas: Exhortamur eum qui potest, non autem necessitatem imponimus ei, qui non po-test, neq; rejicimus ipsum à vita. Et Hesychius in 20. cap. Levi. dicit: Non super virtutem discipulis ingeramus, sed quæ eis sunt possibilia, id est vir-ginitatem ei, cui possibilis est. Ita post pactum cœlibatus, si non cõtinent, melius est ut nubãt. Chrysostomus ex Paulo probat, 1. Timot. 5. sicut dictum est. Et nota est celebris illa Cypriani sen-tentia, de virginibus Deo dicatis, lib. 1. Epistola 11. Quod si se ex fide Christo dicaverunt, pudicæ & castæ sine ulla fabula perseverent, ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent. Si autẽ perseverare nolunt aut non possunt, melius est ut nubant, quàm ut in ignem delitiis suis cadãt. Certè nullum fratribus aut sororibus scanda-lum faciant, manifesta est sententia, virginibus etjam quæ Deo dicatæ sunt, si posteà ita perseve-rare non possint, imò etjam si nolint persevera-re, melius esse nubere, quàm vel uri, vel scanda-lum dare lasciviendo.

Argumẽta veterũ ab ipsis patribus subinde refutata sunt.

Patrũ doctri

Nec de votis semper est cõtradictum in Ecclesia. Basilius. Hieronymus. Ambrosius.

Tertia respõsio ad testimonia veterum de votis. Epiphanius.

Hesychius.

Chrysostom. Cyprianus.

Hanc Cypriani sententiam Pontificii, quia ejus luce premi se sentiunt, variis modis conan-tur eludere. Osius inquit, forsan Cyprianus hoc dixit de illo tempore quando nondũ erant Deo consecratæ. Sed ita Epistolam illam orditur Cy-prianus: postulas quid nobis videatur de virgi-nibus, quæ cum semel statum suum continenter & firmiter tenere decreverint, detectæ sunt, po-steà in eodem lecto pariter mansisse cum mascu-lis, ex quibus unum diaconum esse dicis. Item, si se ex fide in Christo dicaverunt. Phigius cona-tur elabi per distinctionem de voto simplici & solenni: Sed vera antiquitas distinctionem illam ignorat, & ipse Pighius non multum tribuit hu-ic rationi. Dicit enim hoc magis pendere ex in-terdicto Ecclesiæ, quàm ex solenitate professio-nis. Et certè si votum perpetui cœlibatus tam strictè, sine ulla dispensatione ex mandato Dei obligat, impium sanè est in voto simplici, contra mandatum Dei dispensare, in solenni verò vo-to, tantùm propter externas quasdam solenni-tates ab hominibus abjectas nolle dispensare. Ita enim humanæ solennitates longè præferentur mandato Dei. Sed illa ipsa distinctione Pontificii fatentur, votum cœlibatus non propter manda-tum Dei tam strictè obligare (post simplex enim votum concedunt nuptias non esse damnabiles) sed propter humanas solẽnitatũ constitutiones.

Eluditur multiplex sententia Cypriani. Osius.

Pighius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Testitæ Colonienses. Colonienses dicunt, Cyprianum quidem permittere illis post votum nuptias, sed pronunciare cõjunctiones illas incestas esse. Item, vox Christi pronunciat adulteram, si cum viro reperta fuerit: sed hoc luculentum crimen falsi est: Cyprianus enim non loquitur ita de legitimis conjugiis, post decretam virginitatem contractis, sed de cohabitatione & condormitione virginum cum clericis, in quo casu etiam per obstetricum inspectionem volebant probare se virgines esse. De eo enim casu Cyprianus expressè in Epistola illa loquitur. Postremò Osius dicit, esse privatam unius Cypriani opinionem. Concilium verò Chalcedonense, Canone 12. contrarium sanxisse.

Osius.

Panormitanus. Gerson. Sed nota est Panormitani sententia, quòd plus credendum sit vel simplici laico Scripturam producenti, quàm toti simul concilio, & Gerson concludit, In sacris literis excellenter erudito, atque autoritatem Catholicam proferẽti, plus esse credendum, quàm generali Concilio. Et tamen Epistola illa non est privata Cypriani, subscripserũt enim etiam presbyteri. Nec solus Cyprianus ita sensit, antea enim recitavimus quomodo Ambrosius, Chrysostomus & Theophylactus locum Pauli, 1. Tim. 5. interpretentur.

Hieronymus. Hieronymus etiam in Epistola ad Demetriadem inquit: Sanctum virginum propositum, & cœlestis Angelorumq; familiæ gloriam, quarundam non benè se gerentium nomen infamat, quibus apertè dicendum est, ut aut nubãt, si continere non possunt, aut contineant si nolunt nubere.

Andradius. Andradius verò præter suam consuetudinem hoc loco humanus & modestus est, inquit enim, Cyprianum illa Epistola innuere æquum esse, ut hujusmodi virginibus post votum, Episcopi autoritate liberũ ac integrum fiat nubere, quod proprio arbitrio ipsis facere non licebat. Et addit, Cypriani tanquam Episcopi primatis erat, vota Deo facta, cùm justitiæ æquitatisq; ratio postularet, irrita facere, seu ut dici solet, dispensare. Atq; hoc Lector diligenter notet.

Processu tẽporis rigor et asperitas votorũ crevit. Epiphanius. Observetur autem quomodo sensim & subinde maior accesserit asperitas. Epiphanius enim traditionem profert, peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias converti, atq; ideo multi temporis pœnitentiam imponit nubentibus post votum, ut sic tandem ad Ecclesiam inducantur, & hoc vocat κρίμα. Sed tamen dicit: Melius est habere κρίμα, quàm κατάκριμα. Melius enim, inquit, est, unum peccatum habere quàm plura, melius est lapsum à cursu, palàm sibi uxorem accipere juxta legem, & non quotidie occultis jaculis sauciari ab improbitate, quæ ipsi à Diabolo infertur. Et hoc vocat κατάκριμα, quãdo malunt occultè scortari, quàm apud homines confundi.

Augustinus. Augustinus verò adhuc durior est, damnationi aliquando subjiciens nubentes post votum, sed tamen alibi conjugia illorũ non vult distrahi, aut adulteria appellari. Et cap. 9. de bono viduitatis inquit. Paulus significat eas, quas nubere voluit, melius potuisse continere, quàm nubere, sed melius nubere, quàm retrò post Satanam ire.

Canon Ancyrani Cõcilii. Ante Augustinum verò Canon 18. Ancyranæ Synodi multò fuit mitior, dicit enim: Quotquot virginitatem pollicitam prævaricati sunt professione cõtempta, inter digamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt. Canõ verò Chalcedonẽsis 15. dicit, manent excommunicati. Et tamẽ addit, posse eis fieri humanitatem, si Episcopus loci ita probaverit.

Canon Chalcedonensis.

Pelagius. Ita Pelagius 27. q. 1. de viduis, humaniter conatur consulere conscientiis, inquit enim: Quæ si propria voluntate professam pristini conjugii castitatem mutabili mente calcaverint, periculi earum intererit, quali Deum satisfactione placare debeant. Nos autem talibus nullum laqueum debemus injicere, &c.

Innocentius. Innocentius verò 27. q. 1. quæ Christo: Ne quidem ad pœnitentiam admitti vult illas, quæ post votum nupserunt, sed licentiam agendæ pœnitentiæ ipsis prorsus præcidit, nisi conjugia separata fuerint.

Pontificii nostri tempore. Et nostri temporis Pontificii, tales non tantùm excommunicant, sed crudelissimè excarnificant & occidunt, cùm tamen in suis votariis, scortationes, adulteria, incestus & totam Sodomiam benè ferre possint, modò non legitimum contrahant matrimonium. Adeóne cum Patribus quidem, quorum tamen autoritatem tanquam orci galeam objicere solent, Pontificiis nostris convenit, cùm tamen ipsorum etiam Scholasticorum disputationes, in votis mitigationes quasdam monstrent, dicunt enim quinque esse, quæ voveri non possunt. I. Mala seu peccata. II. Necessaria, ut si quis voveat se aliquando moriturum, vel se non esse volaturum. III. Casualia seu fortuita, quorum eventus ambiguus est, & ad bonum & ad malum, quale fuit votum Iephthe. IIII. Stulta, ut si quis voveat se velle levare festucam à terra. V. Indiscreta, ut si quis voveat nimiam macerationem corporis, quia corpori parcendum est, Rom. 13. Colos. 2.

Scholastici de nõ vovendis, aut potiũ votũ nõ solvendo. *Mala.* *Necessaria.* *Fortuita.* *Stulta.* *Indiscreta.*

De dispensatione, cõmutatione vel redemptione voti. Multa etiam Scholastici disputant de dispensatione, commutatione & redemptione voti. Non itaq; simpliciter indispensabile est votum cœlibatus, cùm ipsi etiam Pontifices sæpiùs legantur dispensasse, ne familiarum successio intercideret, cur non multò magis, ne conscientiæ illaqueatæ intereant? Nam & 22. q. 4. multi citantur Canones, non esse servanda promissa, vota, vel juramenta, quibus vel temerè & incautè malum turpe aut stultum promissum fuit, vel quod servatum in peiorem vergeret exitum.

Votum calibatus nõ simpliciter dispensatione caret.

Isidorus. Isidori verba sunt: In malis promissis, rescinde fidem, in turpi voto, muta decretum, quod incautè vovisti, ne facias: Impia est promissio quæ scelere adimpletur.

Beda. Bedæ sententia est, si aliquid fortè nos incautius jurare contigerit, quod observatum in peiorem vergat exitum, liberè illud salubriori consilio mutandum noverimus, ac magis instante necessitate pejerandum, quàm pro vitando perjurio, in aliud crimen grandius esse divertendum.

Elibertanus Canon. Elibertanus Canon dicit: Definitio incauta laudabiliter solvenda est, nec est prævaricatio, sed temeritatis emendatio. In quem verò exitum vota eorum, qui continere non possunt, vergant, toti mundo manifestum est. Et tamen Tridentinum Concilium, nec Pauli, 1. Tim. 5. nec veteris Ecclesiæ humanitatem imitari voluit, sed simpliciter statuit: Si quis dixerit posse omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt sè castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit.

DE COELIBATV SACERDOTVM.

QVAESTIO hęc est ἐπιπολαίοσα, sicut Græci loquuntur. Sed quia pleraq; quæ huc pertinent in præcedentibus explicata sunt, brevitati, quantum quidem fieri poterit, operam dabimus. Non autem repetam publicas totius Christiani orbis querelas, de notoria infamia inquinati apud Pontificios cœlibatus, nec illorum rationem imitabor, qui ipsa causæ æquitate existimârunt se à Prælatis Ecclesiæ impetrare posse, ut legem de cœlibatu Sacerdotum, quæ occasio fuit, ut universus ordo Ecclesiasticus fœdè contaminaretur, Ecclesia sequens pastorum exempla, obscœnis libidinibus impleretur, & universa religio ludibrio exponeretur, tollerent. Nec lamentabiliter deplorabo, quàm turpiter piorum Principum expectationẽ fefellerint Tridentini patres. Eruditè enim, copiosè & facundè factum hoc est à multis, Quid verò argumentis, querelis, petitionibus & lamentationibus hactenus effectum sit, intelliges, si libueriț nonum Canonem octavæ sessionis audire, qui sic habet.

CANON IX.

SI quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositum nil aliud esse quam damnare matrimonium, posseq; omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis (etiam si eam voverint) habere donum, anathema sit, cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.

Vides, Patres illos, adeò esse inhumanos, ut nec filiorum suorum tristi imbecillitate, certo periculo, & manifesta pernitie, nec totius Ecclesiæ offendiculis & querelis moveãtur. Hoc enim semel sibi proposuerunt, nervos regni Pontificii defendere & stabilire, etjamsi fracta collabatur Ecclesia. Prudenter autem sibi caverunt ne rationes decreti exponerent, sed cùm multos in hac arena infeliciter pugnasse viderent, compendium victoriæ esse judicârunt, si solo anathematis fulmine, argumenta, quæ solvere non possent, prosternerent, Nos verò meritò cogitamus illud Tertulliani: Lex quæ probari se non vult, meritò suspecta est, & si non discussa & probata dominetur, improba est, cùm nulla lex sibi soli conscientiam suæ justitiæ debeat, sed eis à quibus obsequium expectat. Præcipua igitur capita in quibus controversia hęc consistit, ordine examinabimus, & simplici brevitate explicabimus.

Trident. Patres nervos Pontificii regni retinere student.

Rationes decreti reticentur.

Tertullianus de legibus.

CAPVT I.

QVAE SIT SCRIPTVRAE sententia & definitio hac quæstione.

Pontificii lege divina sapientiores videri volunt. IVreconsulti rectè dicunt. Lata lege, quicunque vult sapientior esse lege, fatuus est. Cùm verò extet in Scriptura certa & manifesta determinatio hujus quæstionis de conjugio sacerdotum, non in genere tantùm, sed expressè seu in specie: Pontificii tamen conquisitis undiq; argumentis & rationibus, ita disputant, quasi vel nihil de hac quæstione in Scriptura definitum extaret, vel quasi sapientiores vellent & possent esse lege divina. Ita Andradius prolixè & splendidè rhetoricatur de dignitate & salutari utilitate ministerii, quòd requirat homines, qui sancti sint & immaculati, in quibus spiritus sanctus habitare possit, qui aliarum rerum curis abjectis, totos se addicant Domino, ut divinis rebus perpetuò vacare, altissimis fidei & religionis mysteriis intenti esse possint. Atque inde pronunciat, sacerdotibus minimè cõvenire statum conjugii, quòd hominem in contraria sæpe studia distrahit, animum importunis & inanibus curis excruciat, & temporalibus rebus immergit. Ac mox declamatoriè addit, Satanam, qui olim unius Hevæ opera usus est, ut universum genus humanum ab altissimo justitiæ gradu dejectum, in extremas miserias conjiceret, nunc omnium sibi fœminarum velut auxilia adjungere, magnoq; impetu in Ecclesiasticum ordinem invadere, ut illi pudicitiæ sanctimoniæq; splendorem eripiat, atq; ita Sacramenta, in quibus potissima salutis nostræ præsidia posita sunt, evertat & demoliatur. Quorsum verò hæc tam grandia, nisi ut probet se esse sapientiorem Paulo, qui quasi ex imperitia dixisset: Oportet Episcopum unius uxoris virum esse. Andradius ex penetralibus Tridentini Concilii pronunciat, multò convenientiorem & sapientiorem legem esse, qua sacerdotibus omni ratione interdicitur ne uxores habeant.

Andradii de conjugio sacerdotũ contumelia.

Hic si nos præterita Scripturæ determinatione, rationes contrarias colligere, & conjugium sacerdotibus rectiùs cõvenire, nostris argumentationibus ostendere conaremur, mare disputationum ingrederemur, & infinitæ essent ingeniorum conceptationes, & rationum conflictationes. Sicut igitur Iureconsulti, quando habent certam & expressam legem, non de ea, sed secundam eam judicari volunt: Ita disputatio hæc omnium rectissimè ita instituitur, ut inquiratur quid Scripta de hac quæstione pronunciârit & definierit, in illis præcipuè locis, ubi ex professo materiam hanc tractat. Sicut enim quævis dogmata, ita hæc etjam quæstio in Scriptura certã & propriam suam sedẽ habet. Quis verò rectiùs & meliùs constituere posset. (An cõjugium conveniat in ministerio Ecclesiastico) quàm ipse Spiritus sanctus, qui est autor & gubernator ministerii? Quòd in Scriptura, nihil de hac quæstione definitum extaret, imitanda tamen nobis esset Pauli modestia, ut etjam si nobis videretur cœlibatus meliùs convenire sacerdotio, non tamen

Status hujus cõtroversiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

leges ferre, sed modestè dicere deberemus. Præceptum Domini non habeo, cõsilium autem do, ita tamẽ, ut neminilaqueum injiciam. Iam verò cùm quæstio hæc ex professo extet in Scriptura determinata, quid aliud est in diversam & contrariam partem, non tantùm disputare, sed rigidissimas leges ferre, & eas inclementer defendere, quàm os in cœlum ponere, & sapientiam Dei justificare, Matth. 11. Deum consiliis nostris velle instruere & adjuvare? Isaiæ quadragesimo, Ex adverso respondere Deo? Romanos 9. Imò contradicere factori suo? Esaiæ 45. Cùm igitur habeamus Scripturæ decisionem, non patiamur nos ab illa abduci in campum vel dialecticarum ratiocinationum, vel Rhetoricarum declamationum, vel in immensum illud Pelagus humanarum constitutionum, sed juxta pium Constantini consilium ex Scriptura divinitus inspirata, quæramus & sumamus quæstionis hujus solutionem.

Constantini consilium de controversiis in Ecclesia.

Omnes igitur qui decorẽ domus Dei (Psalm. 36.) diligunt, summis votis meritò exoptant, ut ministerio verbi & Sacramentorum in novo Testamento, sua dignitas, gravitas, authoritas, & sanctitas constituatur, constet & conservetur. Et quidem Pontificii Clericis suis ideò prohibent conjugium, quia existimant, illud non decere, non ornare, non adjuvare, sed dedecere, magis impedire, obfuscare, polluere & inquinare dignitatem & sanctitatem vitæ sacerdotalis. Sed nos sumimus illud axioma, quòd nemo nisi atheos negare potest: Illum scilicet solum optimè nosse, quid dignitatem & sanctitatem ministerii Evangelii, vel deceat, vel adjuvet, vel dedeceat & impediat, qui autor, gubernator, & Dominus est ministerii, imò cujus sacerdotes sunt συνεργοί, 1. Corinth. 3. hoc est, Tales administri, quos Deus tanquam consortes & cooperarios ad communionem seu participationem sui operis, quo ipse colit & exædificat Ecclesiam, admittit & assumit, ut ipsorum ministerio utatur, & per illud efficax sit, hoc enim significat συνεργὸς. Et quia ille in Scriptura ex professo, quæstionem hanc de sacerdotum novi Testamenti sanctitate & virtutibus explicavit, certè non stultum tantùm, sed prorsus impium esset, præterea imò quasi abrogata & conculcata illa Spiritus sancti determinatione, aliud diversum immò contrarium, vel ex nostris cogitationibus, vel ex hominum constitutionibus statuere velle.

Axioma in hac quæstiõe certissimũ.

συνεργοὶ quid.

Spiritus sanctus igitur per Paulum electum suum organon, multis & accuratè describit illas virtutes quas Deus in Episcopo, ad retinendam, ordinandam & adjuvandam dignitatem, gravitatem & sanctitatem ministerii requirit. Primò, quod ad doctrinam attinet, ut Episcopus sit διδακτικὸς, hoc est, sicut ipse explicat, ut teneat mysterium fidei. 1. Timothe. 3. & amplectatur sanam doctrinam. Tit. 1. sit affectatus & enutritus in verbis fidei & bonæ doctrinæ. 1. Timo. 4. sit idoneus, ut alios quoque doceat, prophanas verborũ pugnas & inanitates fugiat, sermonem veritatis rectè secet. 2. Timoth. 2. potens sit exhortari per doctrinam sanam, & contradicentes arguere, Tit. 1. Instet oportunè, importunè, arguat, increpet, exhortetur in omni patientia & doctrina, 2. Timot. 4. perfistat in his, quæ didicit, 2. Tit. 3. formam habeat sanorum verborum. 2. Timo. 1. depositum custodiat, & mandatum sine macula irreprehensibile servet. 1. Timo. 6. attendat lectioni, donum suum non negligat, sed exuscitet meditando & exercendo, ut profectus ipsius manifestus sit in omnibus, 1. Timo. 4. Oret pro se & pro Ecclesia, 1. Timot. 2. Ita enim Paulus explicat quid sit διδακτικὸς.

Virtutes quas Deus in Episcopo requirit.

Διδακτικὸς.

Secundò requirit in Episcopo donum gubernationis Ecclesiæ, & describit quomodo debeat versari in domo Dei, quæ est Ecclesia, hoc est, quomodo debeat Ecclesiam curare seu gubernare, 1. Tim. 3. Quomodo ministeria debeat constituere, & eorum inspectionem habere, 1. Timo. 3. Tit. 1. quem processum debeat servare contra adversarios doctrinæ. 1. Ti. 12. 2. Tim. 2. Tit. 3. quomodo judicia Ecclesiastica erga peccantes, lapsos seu accusatos, sint instituenda & exercenda, 1. Tim. 5. 2. Tim. 3. quomodo supplicationes seu preces publicæ sint instituendæ. 1. Timo. 2. quomodo singulis ordinibus, seu statibus in Ecclesia pia officia sint præscribenda, & quæ in illis desiderantur, corrigenda. 1. Timo. 2. 5. & 6. Tit. 2. & 3. quomodo pauperum cura sit habenda. Hęc enim ad gubernationem Episcopi Paulus refert.

Donum gubernationis.

Tertiò, quia ad ministerium rectè peragendũ, omninò necessaria est Spiritus sancti præsentia, gubernatio & confirmatio, requirit igitur Paulus in Episcopo talem sanctitatem, ne Spiritum sanctum per peccata contra conscientiam excutiat. Ideò, inquit, mysterium fidei teneat in conscientia pura, 1. Timo. 3. Milites in prophetiis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragium fecerunt. 1. Tim. 1. Exerce teipsum in pietate, charitate, fide, castitate, 1. Timo. 4. Fuge avaritiam, quæ multos in exitium demergit, sectare justitiam, pietatẽ, fidem, charitatem, patientiã, mansuetudinem, certa bonum certamen, apprehende vitam æternam. 1. Tim. 6. Labora ut bonus miles Christi, nemo verò militans implicat se negotiis secularibus, sed ut ei, qui se in militiam delegit, placeat. Stude te probatum exhibere Deo, operarium non erubescendum. Qui se emundarit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, accommodum usibus Domini, ad omne opus paratum. Iuveniles concupiscentias fuge, sectare verò pacem cum iis, qui invocant Dominum, 2. Timo. 2. Devita vitia, quæ faciunt reprobos circa fidem, 2. Timo. 3. Affectare institutionem meam, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionẽ, patientiam, persecutiones, afflictiones, 2. Tim. 3. Vigila, obdura in afflictionibus, ministerium tuum imple, 2. Timot. 4. Teipsum castum custodi, 1. Timoth. 5.

Mores seu conversatio.

Quartò, requirit Paulus in Episcopo talem vitæ sanctitatem, morum probitatem, & conversationis gravitatem, ut & typus sit gregis seu fidelium. 1. Pet. 5. in verbo, in consuetudine, in dilectione, in spiritu, in fide, in castitate, 1. Timot. 4. Per omnia teipsum præbens formam bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, Tit. 2. Et ut adversarii pudore suffundantur, nihil habentes, quòd de vobis dicant mali: sed ut nemo

nemo vos possit criminari, 1. Timoth. 3. Sicut illas virtutes recitat ac describit, Tit. 1. 1. Tim. 3.

Hæ sunt virtutes, quas Spiritus sanctus in ministro verbi requirit, quibus ostendit, constitui ornari & adjuvari dignitatem, gravitatem, reverentiam & sanctitatem ministerii verbi & Sacramentorum in novo Testamento. Illas hoc loco recensere volui, ut planum facerem, nos nihil aliud cupere, & quærere, quàm ut ministerio vera illa dignitas, reverentia & sanctitas, quam ipse Spiritus sanctus præscribit & requirit, restituatur, conservetur, & excolatur. Pontificii verò his sepultis, interea contra castitatem & sanctitatem legitimi conjugii, disputant & laqueos faciunt. Et modò quis conjugium abjuret & detestetur, etjamsi reliquis virtutibus episcopalibus sit destitutus, imò contrariis vitiis contaminatus, is demum capax & habilis judicatur. Si quis verò reliquis virtutibus à Deo sit ornatus, tantùm autem unius legitimæ uxoris maritus sit, is contumeliosè ministerio repellitur, rejicitur, removetur, excommunicatur, proscribitur, occiditur.

An cœlibatũ in sacerdote Spirit. sanct. requirat.

Sed videamus, an Spiritus sanctus ad illas Episcopi virtutes tenendas, conservandas & excolendas, cœlibatum faciat necessarium, & conjugium, tãquam obstaculum & maculam illarum virtutum, inde excludat & removeat? Certè in prolixo & accurato illo virtutum Episcopalium catalogo, nec virginitatis, nec viduitatis facit mentionem, sed de cœlibatu tacens, non tantùm mentionem facit matrimonii, sed in dotibus & virtutibus, quas in Episcopo & cæteris ministris requirit. Primò loco ponit hoc, ut Episcopus sit unius uxoris maritus, frugi paterfamiliàs, & bonus liberorum suorum formator.

Cœlibes à ministerio non excluditur.

Nec tamen cœlibes, si certa dona ad ministerium necessaria habeant, excludit, ipse enim Paulus cœlebs fuit, & vellet omnes ita esse, 1. Corinth. 7. Et Christus laudat illos, qui se castrant propter regnum cœlorum, sed addit, non omnes capiunt verbum hoc. Et Paulus inquit, unusquisq; habet proprium donum ex Deo, castitatem igitur in ministerio requirit Paulus, 1. Tim. 4. & 5. sed eam

Castitas duplex.

esse duplicem, in cœlibatu scilicet & in conjugio, & antea demonstratum est, & hoc loco Paulus ostendit, cùm inquit, sit unius uxoris vir. Qui igitur cæteris virtutibus ad ministerium necessariis præditus est, & præterea habet donum cœlibatus, is, quia absq; ulla distractione aliorum solicitudinum potest Domino adhærere, & quæ Domini sunt curare, rectè potest in Episcopum eligi. Quòd verò Paulus hoc loco cœlibatus expressè non facit mentionem, hoc proculdubio ideò factum est, ne propter admirationem cœlibatus aliquis, qui cæteris virtutibus ad ædificationem Ecclesiæ necessariis caret, eligatur, aut ne in electione cœlebs propter cœlibatum præferatur conjugato si is pluribus & præstantioribus virtutibus ad Ecclesię ędificationem utilibus & necessariis, à Deo ornatus sit. Ne igitur inter solos cœlibes idonei quærantur eligendi ad ministerium, nève omnes cœlibes existimentur ad ministerium idonei, utq; ostendat, non tot verè cœlibes ad ministerium idoneos reperiri, quot Ecclesia ministris opus habet, & ut maximè tot reperiri possent, non tamen eos, qui donum continentiæ non habent, sed malunt nubere, quàm uri, ac ad vitandam fornicationem contrahunt matrimonium, à ministerio arcendos esse, si cæteris virtutibus præditi sint. Ideò cùm de cœlibatu taceat, expresè dicit: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris maritum, 1. Timothe. 3. Item, presbyteri constituantur, si quis sine crimine est unius uxoris vir, Tit. 1. Manifestum igitur est ex hoc loco Pauli virtutes ad ministerium necessarias & donum continentiæ non semper esse conjuncta, imò adeo rarò esse conjuncta, ut Paulus ideò inter virtutes Episcopi cœlibatus prorsus non meminerint sed conjugii. Ad ea enim, quæ frequenter & facilè eveniunt, potiùs debet accommodari jus, quàm ad ea, quæ rariùs & difficiliùs contingunt, dicunt Iureconsulti. Manifestum etjam hoc est, ex textu Pauli, Deum illis etjam, qui donum continentiæ non habent, sed ideò, quia se non continent, contrahunt matrimonium, conferre eas dotes, quæ in ministerio ad ædificationem Ecclesiæ necessariæ sunt.

Deus matrimonio iũctis, cõfert dotes ministerio necessarias.

Cùm igitur Spiritus sanctus velit eos eligi, & constitui Episcopos seu presbyteros & diaconos, qui præditi sunt virtutibus ad ministerium necessariis, & virtutes illæ sint dona Dei, quæ confert, quibus ipse vult, & ipse hoc loco disertè declaret, quòd non illis vel tantùm, vel semper ea conferre velit, qui donum continentiæ habent, sed & illis, & quidem frequentius illis, qui propter vitandam fornicationem unius uxoris mariti sunt, atq; ideò disertè præscribat, eum eligendum & constituendum Episcopum, qui sine crimine unius uxoris maritus est, si reliquis virtutibus ornatus sit. Quid quæso amplius requirimus aut ulterius desideramus, si ex ipsius Spiritus sancti ore veritatem haurire & discere satis esse putamus. Quod enim objicitur ex loco, 1. Corinth. 7. solicitudines & distractiones conjugales, obstaculo & impedimento esse operibus, curis & exercitiis ministerii. Certè extra omnem controversiam, Deus omnium optimè novit, quid ministerio impedimento fit vel non sit. Is verò per electum suum Organon, dona ad ministerium necessaria, & verum usum eorum, attribuit etjam marito unius uxoris, qui liberos & curam rei familiaris habet. Contradicit igitur Spiritui sancto, qui disputat & clamitat, conjugium per se esse impedimento iis, quæ ad ministerium pertinent.

Obiectio ex 1. Corinth. 7.

Nec verò hoc tantùm dicit Paulus, quòd Mantuanus de Hilario Episcopo canit, (Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor, legitimo conjuncta thoro) sed nominatim affirmat, conjugium, quasi scholam progymnasmatum esse. Vbi Episcopus in minoribus discit, exercet, & specimen edit, quomodo curanda & gubernanda sit Ecclesia Dei. Vulgare enim proverbium fuit, sicut Chrysostomus annotat: Bonus œconomicus fit bonus politicus, ὁ ἀγαθὸς οἰκονομικὸς καὶ πολιτικὸς ἀγαθὸς γένοιτο ταχέως. Expendit etjam hoc Chrysostomus, cùm Episcopi officium sit in Ecclesia, officii sui admonere conjuges, patres familiàs, mulieres, liberos, servos &c. Eum hoc rectissimè posse facere, qui in œconomia horum ordinum & vir-

Coniugiũ est adiumẽtum ministerii.

Chrysostom. de Episcopi coniugatu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& virtutes didicit, & vitia obſervavit. Nec verbis tantùm, ſed exemplo etjam ordinibus illis poteſt prælucere is, qui pius maritus eſt. Ita doctrinam de dilectione Chriſti, ergà Eccleſiam, ille rectiùs intelligit, qui in conjugio, quod exemplar ejus eſt, eam aſpicere didicit. Tyrocinia etjam patientiæ, ſpei, & conſolationis in tribulationibus & afflictionibus, Epiſcopus uxoratus domi exercet, quæ poſtea in cauſis Eccleſiæ, ut jam non rudis miles, in aciem educere poteſt. Et curâ domeſticam rei familiaris, Epiſcopus uxoratus, poteſt tutò in fidelem ſuam matrem familiâs rejicere, ut ipſe expeditiùs ea, quæ miniſterii ſunt curare poſsit. Ita, Prover. 31. Vxor virum in politia verſantem, curis domeſticis pulcherrimè ſublevat. Et Nazianzenus matrem ſuam inde laudat, quòd marito ſuo non tantùm non impedimento, ſed adjumento fuerit in miniſterio, imò ut miniſterium contra calumniatores ornetur, & occaſio criminandi adverſariis præcidatur. Ad hoc utile eſſe conjugium. Paulus diſertè affirmat, ut ſcilicet ſine crimine, irreprehenſibilis ſit Epiſcopus, unius uxoris maritus. Quòd verò dicitur copulam conjugalem habere aliquid immundi, quòd ſanctitatem miniſterii contaminet, hoc & anteà refutatum eſt, & Paulus hoc ipſo loco refutat, cùm Epiſcopo, unius uxoris marito, tribuit σωφροσύνην, ὡσαύτως ἐγκράτειαν, pudicitiam, temperantiam, ſeu continentiam. Tit. 1. Sicut mox, cap. 2. Caſtitatem tribuit etjam uxoribus in cõjugio. Poteſt ergo etjam uxoratus presbyter, exemplar fidelium eſſe, non tantum in pietate, charitate & fide, verùm etjam in caſtitate, 1. Timoth. 4.

Nazianzenus de matre ſua.

Hæc certè ex contextu Pauli plana & manifeſta ſunt, quæ ideò etjam majus momentum & pondus apud omnes pios habere debẽt, quia eo loco Paulus materiam illam ex profeſſo tractat. Et conſentiunt reliquæ etjam Scripturæ ſententiæ. In veteri enim Teſtamento cùm Deus varias legales pollutiones ſacerdotibus prohibuiſſet, ut mundi & ſancti eſſent, conjugium tamen ipſis non prohibuit, ſed certis conditionibus circumſcriptum permiſit, Levitic. 21. Ezech. 44. Et ne quis in novo Teſtamento hoc vel mutatum vel abrogatum putaret, propterea quia in veteri ſacerdotio erat ſucceſsio ſecundum carnem, Paulus in novo Teſtamento dicit: Oportet Epiſcopũ irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris maritum. Et quod, 1. Corinth. 7. ſcriptum eſt, eum, qui non continet, ſi contrahat matrimonium non peccare, ſed benè facere, ad univerſam Eccleſiam pertinet, cum quidem in illa Epiſtola Paulus multa ex profeſſo de miniſtris Evangelii diſputet. Si quis enim cum Pontificiis dicere velit, Paulum reliquis quidem Chriſtianis conjugium liberum reliquiſſe, ſacerdotibus verò propter ſanctitatem miniſterii prohibuiſſe, ei Paulus graviſsimè contradicit, affirmans doctrinam Dæmoniorum eſſe, propter hypocriſin, ſeu externam ſpeciem ſanctitatis, prohibere nuptias, 1. Timoth. 4. Honorabile enim conjugium eſt in omnibus, hoc eſt, inter cujuſvis ordinis homines, ad Ebræos 13. Quòd verò Paulus cœlebs fuit, hoc non fecit ex neceſsitate legis: dicit enim ſe poteſtatem habere circumducendi uxorem, ſicut ex reliquis Apoſtolis quidam fecerunt, 1. Cor. 9. Quòd enim locum illum Pauli, veteres quidam interpretantur, quòd Apoſtoli opulẽtas quaſdam matronas ſecum circumduxerint, in ſuis per orbem peregrinationibus, quę de ſuis facultatibus ſumptus præbuerint Apoſtolis, ſicut, Luc. 8. Chriſtũ multæ mulierculæ ſequuntur miniſtrantes ei de ſuis facultatibus, illud loco Pauli non benè convenit. Chriſtum enim matronæ illæ in ſola Iudæa ſequebantur. Quæ verò ſpecies fuiſſet, Petrum propriam ſuam uxorem relinquere, & interea aliorum populos, in longinquis peregrinationibus circumducere? Et argumento Pauli hoc prorſus contrarium eſt. Hoc enim Paulus ibi agit, ſe habuiſſe poteſtatem gravandi Eccleſiã Corinthiacam ſumptibus pro ſe & ſuis, ſicut inquit Petrus, & alii ſumptus ab Eccleſiis, quibus miniſtrant, accipiunt, non pro ſe tantum, ſed & pro uxoribus ſuis, quas ſecum circumducunt. Ea verò poteſtate dicit Paulus, ſe non eſſe uſum, ne gravare tur Eccleſia apud Corinthios. Atqui non fuiſſet gravata, ſed ſublevata Eccleſia, ſi hujuſmodi opulẽtas matronas Paulus circumduxiſſet, quarum ſumptibus ſuſtentatus fuiſſet. Nec loquitur in plurali, ſicut Luc. capi. octavo, ſed dicit, γυναῖκα, quam ſororem nominat, fidelem enim uxorem intelligit, quia Ethnica nõ ſequeretur maritum fidelem in hujuſmodi peregrinationibus. Et qualem ſororem intelligat, ipſe explicat, cùm vocat γυναῖκα. Non autem opus fuiſſet tali Epexegeſi, ſi ſimpliciter, aut in genere mulierem intelligi voluiſſet. Nulla enim ſoror maſculus eſt, ſed quia talem ſororem fidelem intelligit, quæ uxor ſit, & verbũ περιάγειν, indicat jus mariti, quem uxor tenetur ſequi. Apoſtoli autem nequaquam hoc jus ſibi ſumpſerunt, ut aliorum uxores ex poteſtate cogerent ſe in peregrinationibus ſequi. De maritali igitur poteſtate circumducendi proprias uxores, Paulum loqui manifeſtum eſt. Atq; hoc modo de uxoribus Apoſtolorum locum hunc intellexit Clemens, cujus ſententiam Euſebius ſua citatione confirmat, libr. 3. cap. 35. Sed ne opus ſit vel obſcuris, vel controverſis locis niti, clariſsima eſt Pauli de ſacerdotum conjugio ſententia, conſtitue presbyteros, ſi quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir.

Locus de circumducẽda fœmina, 1. Corinth. 9.

Sentẽtia et teſtamen. de coniugio ſacerdotum.

Mutari verò quis poſſet, quid contra manifeſtam hanc lucem, humana præſumptio vel auderet vel poſſet. Sed videbis, quomodo in omnes formas ſe vertant humanæ interpretationes, quando Lector, ſicut Hilarius inquit, non vult intelligentiam ex verbis referre, ſed conatur cogere hoc videri ſcriptum, quòd ante lectionem præſumpſerat intelligendum. Ita cùm admiratio cœlibatus præſumpſiſſet, ſacerdotes non debere maritos eſſe, non inquiſiverunt in Paulo, an ſententia illa vera eſſet. Sed in hoc laborârunt, ut Pauli verba, ad ſuam præſumptam opinionem, quoquo modo detorquerent. Quidam enim (ut Calixtus) per uxorem intelligi volunt Eccleſiam, ut Epiſcopus non pluribus, ſed uni præfectus ſit Eccleſiæ, nec tranſeat ab una Eccleſia ad aliam, ſed alligatus ſit uni Eccleſiæ, ſicut vir vxori. Sed ut de tranſlatione Epiſcoporum jam non dicam, certè manifeſta eſt falſatio textus. Paulus enim loqui-

Paulinæ ſententiæ depravatio per Pontificios.

Hilarius de interpretationibus.

Calixtus. Vxor pro Eccleſia.

loquitur de tali uxore, ex qua Epiſcopus liberos ſuſceperit, & curam domus, hoc eſt, liberorum ac familiæ, diſertè Paulus diſtinguit à gubernatione Eccleſiæ. Alii dicunt, Paulum non loqui affirmativè, quaſi velit admittere ad Epiſcopatum eum, qui maritus ſit, ſed negativè hoc tantùm velle, ne quis admittatur ad Epiſcopatum, qui plures uxores habuerit. Sed hęc gloſſa manifeſtè pugnat contra textum, qui affirmativè dicit, conſtituas presbyteros, ſi quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir. Eum igitur, qui unius uxoris vir eſt, dicit poſſe conſtitui Epiſcopum. Et Ambroſius inquit, qui ſine crimine uxoris vir eſt, tenetur ad legem ſacerdotii ſuſcipiendi. Hieronymus verò textum ita depravat, qui unius uxoris maritus non amplius ſit, ſed fuerit. Sed eadem ratione interpretanda eſſent etjã ſequentia, qui non amplius ſit, ſed fuerit ſobrius, prudens, pudicus, aptus ad docendum, &c. Sed Tit. 1. expreſsè ponitur verbum (eſt) ſi quis ſine crimine, eſt unius uxoris vir. Aliter verò Paulus loquitur, quando id, quod præteritum eſt, vult intelligi, ut 1. Timoth. 5. vidua γεγονῖα, quæ fuit unius viri uxor. Et in illo ipſo 3. capit. de Diaconis loquens, ita verba ponit, ut nulla ratione poſsint eludi, dicit enim, Diaconi ἔστωσαν, ſint unius uxoris viri. Et quod ibidem interponit de mulieribus, rectè intelligitur eſſe deſcriptio, quales debeant eſſe Epiſcoporum & Diaconorum uxores, quia enim de mulierum officio in genere dixerat, ca. 2. & de viduis ac diaconiſsis dicturus erat, cap. 5. Hoc ergo loco Epiſcoporũ & Diaconorum uxores, quales debeant eſſe, deſcribit. Atque ideò deſcriptione Diaconorum quaſi interrupta, in medio ponit hanc particulam de mulieribus. Et poſteà pertexit deſcriptionem, Diaconi inquit, ſint unius uxoris viri, talis ſcilicet, qualem in parentheſi deſcripſit, ergo non mortuæ, ſed viventis uxoris maritum intelligit, & Pauli regula eſt, quando mortua eſt uxor, virum liberatum eſſe à lege uxoris, ut mortuæ uxoris maritus ampliùs eſſe & dici non poſsit. Roma. 7. 1. Cor. 7. Ita Chryſ. Tit. 1. quærit, quare Paulus talem Epiſcopum in medium producat, qui ſit unius uxoris vir? Et reſpõdet, obturat orà hæreticorum, qui nuptias διαβάλλουσι, cavillantur ſeu criminantur, oſtendens, quòd τὸ πρᾶγμα, negocium illud non ſit ἐναγές, impurum ſeu deteſtandũ, ſed adeò τίμιον honorabile ſeu precioſum, ut cum eo poſsit, quis etjam ſacrum Epiſcopatus thronum aſcendere. Et 1. Tim. 3. dicit Chryſ. Paulum non ferre legem neceſsariam, ut nemo ſine uxore poſſet fieri Epiſcopus, ſed, prohibere ἀμέτρως, ne ut Iudæi, duas κατ' αὐτὸν, ſimul eodem tẽpore habeat uxores, is, qui conſtituendus eſt Epiſcopus. Theophylactus hoc ita repetit, ſi duxerit uxorẽ Epiſcopus, unius ſit, non multarum maritus. Chryſoſ. verò attingit quidem alteram etjam interpretationem. Quidam inquit, dicunt Paulum intellexiſſe τὸν ἀπὸ γυναικὸς, qui ab uxore ſcilicet liberatus ſit, mox verò addit, etiamſi hoc non ſit, licet eum, qui uxorem habet, eſſe quaſi non habeat, 1. Corinth. 7. Licet enim αὐτὸ πρᾶγμα μεταχειρίσασθαι καλῶς, rem illam, ſeu negotium illud, ſcilicet conſuetudinem conjugalem, rectè & honeſtè tractare ſeu uſurpare, ſicut in divitiis fit. Hæc Chryſoſtomus.

Negativè loqui Paulum.

Hieronym. pro præſenti præteritum ſubſtituit.

Paul. deſcribit, quales debeant eſſe ſacerdotum uxores.

Theophylac.

Chryſoſtom.

Poſtremò alii, quia animadvertunt eluſiones commemoratas non poſſe ferre lucem clariſsimã textus Paulini, fatentur igitur & concedunt, hanc eſſe ſententiam, ſicut oſtendimus. Sed dicunt primitivam Eccleſiam, dum adhuc rudis ex Gentibus conſtituebatur, leviora dediſſe præcepta, & propter converſorum paucitatem ſacerdotibus permiſiſſe conjugium. Roborata verò Eccleſia, hominibus ſiq; ad potiora provocatis, additum eſſe Eccleſiaſtico ordini cœlibatum. Hæc ſunt verba Bunderi cujuſdam. Sed Chryſoſtomus rectè dicit: Paulum illo loco non de perſona Timothei, ſed in genere loqui de omnibus ad miniſterium aſciſcendis, & quòd Timotheo præſcribit, hoc velle ſervari ab omnibus. Quis verò niſi Dæmon ille, qui in hypocryſi prohibet nubere, 1. Timor. 4. Pontificiis revelavit, textum ita eſſe mutandum, ut tempore Pauli quidem textus hic fuerit, Epiſcopus ſit unius uxoris vir. Poſteris verò temporibus textus ita ſonet, Epiſcopus nullius legitimæ uxoris vir ſit, aut comburatur. Et quanta blaſphemia eſt, Eccleſiam Apoſtolicam hac contumelia afficere, quòd conſtitutiones & ordinationes ipſius, fuerint rudis indigeſtaq; moles. Paulus enim in illo loco, non deſcribit, primam tumultuariam conſtitutionem Eccleſiarum inter Gentes, ſed inquit: ideò reliquit te in Creta, ut reſidua, quæ deſiderantur, pergas corrigere. Et utitur vocabulo valdè ſignificanti ἐπιδιορθώσῃ. Significat enim διορθόω, corrigo, emendo, rectè diſpono, curvum erigo, ut in rectũ dirigatur, quod uſitatè dicimus reformare. Præpoſitio verò ἐπὶ, ſignificat continuationem & abſolutionem reformationis. Paulus igitur, quædam præſens reformavit, reliqua, quæ adhuc deeſſe videbantur juxta ſuum præſcriptũ. per Titum voluit abſolvi. Et partem illius abſolutę Apoſtolicæ correctionis ſeu reformationis, affirmat hanc eſſe, ut conſtituantur presbyteri, ſi quis ſine crimine, eſt unius uxoris vir. Hegeſippus certè apud Euſebium, libr. 3. capit. 32. non dicit, Eccleſiam poſt Apoſtolorum demum tempora adoleviſſe, & factam virginem immaculatam permanſiſſe ad illa uſque tempora, quando Simeon ſucceſſor Iacobi crucifixus eſt, & addit triſtem hanc querelam: Vt verò & Apoſtolorum chorus, & omnis illa ætas, quæ à Domino ſuſceperat vivæ vocis auditum, de hac luce deceſsit, tum velut in vacuam domum falſæ doctrinæ impius ſe error immerſit. Ita Hegeſippus. Pontificii verò ex illis poſterioribus corruptis temporibus, non verentur Pauli ἐπιδιορθώσεις, Tit. 1. corrigere ac mutare, & quidem eo titulo, quòd meliora ac potiora ſint habenda, quæ poſterioribus temporibus contra Paulum irrepſerunt, quàm quæ ipſe per Spiritum ſanctum cõſtituenda & corrigenda ordinavit, ſicut inquit, Tit. 1.

Eluſio alia de diſcrimine diſſimilium præceptorũ primitivæ, et poſteriorum temporum Eccleſiæ.

Buxderus.

Chryſoſtom.

Hegeſippus.

Pius Lector candidè hæc conſideret, res enim manifeſta eſt.

Caput

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT II.

QVOMODO CONTRA HVNC Spiritus sancti Canonem Pontificii pugnent.

Antithesis Canonis Pauli & dogmatis Pontificii de cœlibatu.

CHRysostomus dicit: Paulum ideò nuptias tanquam rem honorabilem, preciosam & sanctam collocare in ipsum Episcopatus thronum, ut extet in Ecclesia illustre testimonium ipso facto refutans hæreticos, qui nuptias, ut prophanas & impuras criminantur. Pontificii verò conjugium in ordine Ecclesiastico simpliciter nec admittere, nec ferre volunt, sed illud, ut rem prophanam & immundam, quæ dignitatem & sanctitatem ministerii dedecoret, impediat, & inquinet, suspensionibus, depositionibus, excommunicationibus, divortiis, vinculis, proscriptionibus, ferro & flamma in sacerdotibus suis persequuntur. Paulus dicit: Constitue presbyteros, si quis est sine crimine, unius uxoris vir. Pontificii verò, neminem in ordinem sacerdotum admittunt, nisi voverit, se in perpetuum nullius legitimæ uxoris maritum fore, hoc est, nisi conjugium in perpetuum abjurârit. Et si unius legitimæ uxoris vir fit, cum ignominia & contumelia à sacerdotio rejicitur. Paulus dicit: Dona quæ ad ministerium necessaria sunt, etjam conjugatis à Deo conferri, atq; ideò unius uxoris virum, si reliquis donis & virtutibus ad Ecclesiæ ædificationem necessariis à Deo ornatus sit, disponit, ordinat, imperat & edicit (hæc enim est vis verbi διατάξασθαι) in honorem conjugii eligendum esse in Episcopum. Pontificii verò conjugatum, quantumvis ea vitæ sanctitate, illis donis & virtutibus, quas Paulus requirit, à Deo instructus sit, ad ministerium non admittunt, nec in eo tolerant, sed in contumeliam & ignominiam conjugii, ob ordine Ecclesiastico rejiciunt & ejiciunt, nisi uxorem abjecerit & conjugium abjurârit. Atque ita Ecclesiam sceleratè defraudant multorũ opera, qui donis suis utiliter possent Ecclesiam ædificare. Econtrà verò Ecclesiam replent ejusmodi hominibus, qui nec donis, nec virtutibus necessariis ad ministerium instructi sunt, quiq; nec vitæ sanctitate, nec morum gravitate, ministerium ornare, & Ecclesiam ædificare possunt. Manifestum enim est, non omnes cœlibes habere reliqua dona ad ministerium necessaria. Nec tot posse verè cœlibes ad ministerium idoneos reperiri, quot ministris Ecclesia opus habet. Qui verò in sacris ordinibus constituti sunt, & donum continentiæ non habent, nec tamen propter interdictũ Ecclesiæ Pontificiæ matrimonium contrahere possunt, illi ustionibus & obscœnis pollutionibus, nõ tantùm privatim conscientiam suam sauciant & maculant, Spiritum sanctum excutiunt, orationem abominabilem faciunt, sed publicè etjam totam Ecclesiam, quę pastorũ exempla sequitur, fœdis libidinibus replent, ministerii dignitatem & sanctitatẽ, turpiter prostituunt & maculant. Nihil horum negari potest. Præterea laqueum votorum perpetui cœlibatus, seu potius abjurationis conjugii in perpetuum injiciunt omnibus, quos in ordinem Ecclesiasticum admittunt, sive habeant donum continentiæ, sive non habeant, id, quòd directè pugnat contra Paulum, qui nemini laqueũ vult injici. Quòd enim fingunt, Deum omnibus velle dare donum cœlibatus, atque ideò omnes posse conjugium abjurare, suprà refutatũ est. Et Chrysost. explicans illud, meliùs est nubere, quã uri, dicit hâc esse sententiã, quia magna est tyrannis ἐπιθυμίας concupiscentiæ. Si igitur multum sustinens, διὰ καῦσιν vim & ustionem ἀναλλαχθεὶς πόνων κρείττων μύσους ἐκπέφυγε, desiste à laboribus & sudoribus, ne fortè sub vertaris. Plerique verò in regno Pontificio, non propter regnum cœlorum, sed propter pinguia beneficia, & spe amplissimarum dignitatũ se castrant, hoc est conjugium abjurant & omnis generis fœdis libidinibus se polluunt. Sicut Erasmus inquit: Vereor ne census Ecclesiastici castrẽt hodie Clericos veriùs, quàm pietas.

Chrysostom. de iustitia.

Opima beneficia & spes honorum castrat Pontificios.

Cumq; Paulus cœlibatum illis etiam, qui donum continentiæ habent, non ausus fuerit præcipere, nec conjugium prohibere: Pontificii lege severissima, omnibus suis clericis cœlibatũ tanquam necessarium ad sacerdotium, præcipiunt & conjugium in perpetuum prohibent, sive donum continentiæ habeant, sive non habeant: Et eo ipso produnt cujus spiritus sint. Paulus enim expresè dicit: Prohibitionem conjugii esse Spiritum erroris & doctrinam Dæmoniorum, 1. Tim. 4. Nec elabi inde possunt, quod fingunt Paulum respexisse ad solos Tatianos & Manichæos, qui nuptias in universum omnibus prohibuerunt, eo, quòd abominabiles & damnabiles illas judicarent. Non enim de una aliqua secta, nec de certo aliquo puncto tẽporis, mox post Apostolorum seculũ loquitur: Sed in plurali vocat spiritus erroris & doctrinas Dæmoniorũ, & quidem in novissimis tẽporibus prædicit hoc maximè eventurum. Nec relevat Pontificios quòd dicunt, se nõ in universum damnare nuptias, nec omnibus eas prohibere, sed tantùm certo ordini, Clericis scilicet, propter dignitatem, sanctitatem & mundiciem sacerdotii. Nam & Manichæi non in universum omnibus conjugium prohibuerunt, sed tantùm electis suis, propter maiorẽ sanctitatem & perfectionem. Auditoribus enim suis, quos ita vocabant, ut imperfectioribus, conjugiũ permittebant. Num igitur propterea Manichæos à Spiritibus illis erroris & à doctrinis Dæmoniorum apud Paulum, eximemus? Imò Paulus ostẽdit, se de illis maximè loqui, qui non in universum dãnant, sed propter hypocrisin, hoc est, propter externam speciem sanctitatis & perfectionis prohibent nubere. Et certè, propter illam ipsam rationem Pontificii clericis & regularibus suis prohibent nuptias, quia scilicet scriptum sit: Sancti estote, quoniã ego sanctus sum. Item, mundamini qui fertis vasa Domini. Et Thomas Aquinas dicit: Ad perfectionem tendentibus maximè vitandum est vinculũ cõjugale. Quòd verò Paulus addit, spiritus illos impostores sub hypocrisi habere conscientiam pollutã & contaminatã tanquã inustis cauterii stigmatis notatam, eo ipso, fœditatem Pontificii cœlibatus toti jam orbi notissimam, quasi intento digito demonstrat. Nec valet exceptio, quòd dicunt, se neminem cogere ad susciendos ordines, & ad emittendum votum cœli-

Locus 1. Tim. 4. de prohibitione nuptiarum.

Thomas Aquinas.

Excusatio Pontificiorum nemine à se cogi.

ad ordinum susceptionẽ cogi.

catus. Neminem enim ad beneficia Ecclesiastica admittunt, nisi votum perpetui cœlibatus, quod nihil aliud est, quàm abjuratio & prohibitio conjugii in perpetuũ, susceperit. Et certè constitutis in sacris ordinibus, conjugium sub pœna anathematis & diminutionis capitis, severissimè prohibent. Et verbum quidem prohibendi, quidam non libenter usurpant, sed quid refert alia vocabula quærere, cũ reipsa & de facto clericis suis severissimè prohibeant τὸ γαμεῖν. Et ne à vocabulo quidem prohibendi seu interdicendi sibi temperant, ut non re ipsa tantùm, sed in verbis etjam extent notæ, cujus Spiritus doctrina illa sit. Nam 26. q. 2. extant hæc verba: Copula sacerdotalis nec legali, nec Evangelica, nec Apostolica authoritate prohibetur: Ecclesiastica tamen lege, penitus interdicitur. Habes testimonium ex ipsorum decreto manifestũ, quòd Spiritus veteris & novi Testamẽti, qui est Spiritus veritatis, non prohibeat copulam sacerdotalem. Alius igitur Spiritus est, qui eam lege Ecclesiastica penitùs interdicit. Et quis ille Spiritus sit, Paulus diserte exprimit. 1. Timoth. 4. Spiritus scilicet erroris, proferẽs in hypocrisi doctrinas Dæmoniorum prohibentium nubere. Ita Calixti decretum habet, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis & Monachis concubinas habere seu matrimonia contrahere penitùs interdicimus. Elibertino Concilio Canone 33. placuit in totũ prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis ac Subdiaconis, positis in ministerio, abstinere se à conjugibus, &c. Et hoc certè est ad verbum reddere id quod Paulus scribit, κωλυόντων γαμεῖν interdicentiũ seu prohibentium contrahere matrimonia.

Status cauposset legem ferre, de qua nihil præcipere voluit ipse Dominus, sicut Theodoretus loquitur. II. An conjugium, quod Deus illis, qui donum continentiæ habent, liberum permisit, illis verò, qui non continent, mandavit, Ecclesia posit lege sub pœna anathematis prohibere. III. An conjugiũ quod Deus honorabile pronunciavit esse in omnibus, Ecclesia sua lege posit abominandum & detestãdum facere in sacerdotibus. IIII. An prohibitionem conjugii, quam Paulus pronunciat esse Dæmoniorum doctrinam, Ecclesia sua lege posit canonizare. De his sanè quæstionibus, non opus est prolixè disputare, analogia enim fidei ostendit etjam Idiotis, quid respondendum sit. Cumq; fateantur legem de cœlibatu sacerdotum non esse, nec divini juris, nec naturalis, sed positivi, certè ipsi in decretis suis tradunt, quando statutum aliquod non amplius ædificat, sed destruit, non esse rigidè & inclementer defendendum, sed pro ratione ædificationis Ecclesiæ mutandum. Debebant igitur eandem humanitatem præstare, etjam in lege cœlibatus relaxanda, quã vident calamitatem Ecclesiæ esse, & publicè & privatim. Sed dicunt obstare multa gravissima Scripturæ dicta, quæ legem illam cœlibatus confirment. Atqui ita prohibitio conjugii in sacerdotibus esset juris divini, si Scriptura eam traderet & confirmaret, quod tamen ipsi negant.

Status calidatranspositio in hac quæstione, Cœlibatũ sacerdotũ esse iuris divini.

Gratianus. Scholastici.

Concilium Tridentinũ.

CAPVT III.

ARGVMENTA PONTIFIciorum pro lege cœlibatus sacerdotum.

Argumenta Pontificiorũ pro cœlibatu afferendo.

ET hæc cùm manifestè pugnent contra Canonem Spiritus sancti per Paulum promulgatum, tamen ex Scriptura argumenta conquirunt ad stabiliendam prohibitionem conjugii in ordine Ecclesiastico, quasi Scripturam per Scripturam eversuri. Et observetur mutatio status controversiæ: quidam enim olim contendebant & nunc etjam disputant, prohibitionem copulæ sacerdotalis esse juris divini, duplici ratione. I. Quia fingũt esse traditionem Apostolicam. II. Quia argumentis ex Scriptura eam probant. Et in Concilio Tridentino magnis contentionibus hoc disputatum fuit. Sed alii quia vident hoc figmentum nimis esse impudens, cũ præter Paulum, etjam veteris Ecclesiæ historia, sicut mox ostendemus, & ipse etjam Gratianus, (in capitulo Sors) reclament. Ac Scholastici etjam saniores disputant, Ordinem annexum habere votum continentiæ, non per se, aut ex jure divino, sed impedire conjugium ratione statuti Ecclesiastici. Atque in hanc sententiam tandem videtur etjam Concilium Tridentinum descendisse, cum Canone 9. inquit: Non obstãte lege Ecclesiastica. Ita verò, cùm concedant, non jure divino, sed Ecclesiastica lege sacerdotibus prohiberi conjugium, quæstio plana erit. I. An servus ea de re

Principium firmiss.

Et omnibus quidem illis argumentis rectè opponi potest unũ illud axioma, quod verum, certum, solidum & firmũ est: Nempè, quando de re aliqua in Scriptura habemus expressum & determinatum textum (ut de Episcopo, Presbytero & Diacono, unius uxoris marito) non admittenda esse ulla alia argumenta, ex quibuscunq; Scripturæ locis formẽtur. Quacũq; enim specie pingantur, rectè respondetur, Paulus illud quod opponitur nõ ignoravit, & tamen, hoc non obstante, dicit: Constitue Presbyteros, si quis sine crimine est unius uxoris vir. Ordine tamẽ videbimus, quæ illa argumenta sint, & quantũ habeant momenti. Quia verò pleraque omnia, quæ ad explicationem illorum argumentorum pertinent, in superioribus sunt expolita, hoc loco breviores erimus, & ordine tantùm præcipua argumenta, quæ ex Scripturæ locis formare solent, monstratis fontibus solutionum recensebimus. Nec verò ignoro, Patres etjam aliquando talia argumenta formare, & tales rationes nectere cœpisse. Sed illi suis ratiocinationibus nõ ferebant leges, nec conscientiis laqueos injiciebant, sed tantũ ostendebant videri sibi, cœlibatũ ad officia ministerii Ecclesiastici magis cõmodum esse, quã conjugium. Quomodo verò illis argumentationibus sensim progressum sit, & ex eo, quod Origenes dicit (Mihi videtur) Itẽ ex eo, quod Eusebius dicit (decet) factum sit (debet & oportet) collatio historiarum & argumentorum apud Patres ostendit, sed recitentur argumenta.

Argumenta Pontificiorũ è Scriptura facta.

Primò, multa argumenta formantur ex loco, 1. Corinth. 7. ut vacetis jejunio & orationi. Nec mirum est Pontificios conari legẽ cœlibatus sacerdotum, ex illo potissimum capite confirmare. Chrysostomus enim scribit, fuisse quosdã, qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

Chrysostomus de 7. capite prioris ad Corint. Origenes.

totam illam disputationem Pauli de virginitate seu cœlibatu, voluerint ad solos sacerdotes & doctores in Ecclesia restringere, quos Chrysostomus ex ipso textu refutat. Ita Origenes tractãs illum locum, dicit: Certũ est impediri sacrificium juge aut indesinens iis, qui necessitatibus conjugalibus inserviunt. Vnde mihi videtur, quòd illius solius est offerre sacrificium indesinẽs, qui indesinenti & perpetuæ se castitati devoverit. Ambrosius ita argumentatur: Si plebeis hominibus orationis causa, ad tempus abstinere præcipit Apostolus, ut vacent orationi, quantò magis Levitis & sacerdotibus, quos diu noctuq; pro plebe sibi commissa, orare oportet. Mundiores ergo esse debent cæteris, quia actores Dei sunt. Hieronymus ita inquit: Si laicus & quicunque fidelis dignè orare non potest, nisi abstineat officio conjugali: Sacerdoti, cui semper pro officio offerenda sunt sacrificia, semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio.

Ambrosius.

Hieronymus.

Respondeo, locus ille Pauli in superioribus explicatus est. Ad consequentiam igitur, quam Patres inde formant, simpliciter respondeo: Paulus bene noverat sacerdotum officium, & quòd semper ipsis sit pro Ecclesia orandum, & tamen dicit: Oportere Episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris virũ. Item Diaconi sint unius uxoris. Interpretationem igitur & consequentias, Origenis, Ambrosii & Hieronymi, Paulus ipse rejicit & refutat. Et hæc solutio omnium firmissima est. Aliqua tamen modestia est Origenis, qui opinionem suam, non prætoria autoritate proponit, sed inquit: Mihi videtur. Constat enim Origenem nimiũ fuisse admiratorem cœlibatus, qui dicitur ideo sibi virilia execuisse, ut posset cõtinens esse, quod exemplum multi tunc alii secuti sunt, ut Ecclesia coacta fuerit severiter hoc prohibere, ut non mirum sit, Origenem primum ferè esse inter Patres, qui ita disputare cœpit, quod diligenter observetur, Et tamen Origenicum illud VIDETVR, Ecclesia illius temporis, non tantùm non recepit, sed non multo post diserè damnavit in Gangrensi synodo, quasi soli cœlibes, & nõ conjugati, possent offerre & pro Ecclesia orare. Sicut Paphnutius in Nicæna synodo, argumentationes, quæ postea à Hieronymo & Ambrosio repetitæ sunt, refutavit, sicut mox in historia cœlibatus ostendemus. Quòd verò Hieronymus dicit, ideò debere à conjugio abstinere, ut dignè possint orare, hoc est, sicut Carthaginensis secunda Synodus dicit, quo possint simpliciter, quod à Domino postulãt, impetrare, blasphemia est, faciens conjugium rem tam impuram, ut orationem faciat fœtere coram Deo, ut non possit exaudiri. Sed hæc in superioribus refutata sunt, ubi ad hoc monstratum est, de quibus orationibus Paulus in illa sententia, 1. Cor. 7. loquatur. Tantùm igitur Chrysostomi interpretationem adscribam, cujus hæc sunt verba, quæ Hieronymi argumentationem infringunt & refutant, Intelligit orationẽ τὴν μετὰ πλείονος σπουδῆς, quæ sit maiori intentione. Si enim diceret συνίοντας ἀλλήλοις, eos qui conjugali consuetudine utuntur, non debere vel posse orare, quomodo locum & tempus haberet quod alibi præcipit indefinenter orandum. Licet igitur (κἀὰν μιλέσιν γυναικὶ κἀὰν εὐχὴν προσεύχεσθαι) & cũ uxore consuetudinem habere, & precibus intentũ esse, sed continentia illę fiunt exactiores ἀκριβέστερα. Non enim simpliciter dicit, ut oretis, sed ut vacetis orationi, ut qui intelligat, consuetudinem conjugalem inducere ἀσχολίαν, nõ autem ἀκαθαρσίαν,

Origenes seipsum castra vit.

Gangrense Concilium.

Paphnutius.

Hieronymus.

Chrysostom.

Secundò: Ex illa etjam Pauli sententia varia texunt argumenta. Conjunx curat ea quæ mundi sunt, Cœlebs verò quæ sunt Domini, ut sine distractione Domino adhæreat. Inde enim inferũt, Conjugium nulla ratione convenire ministerio Ecclesiastico, quod sine aliis solicitudinibus & distractionibus debet curare quæ sunt Domini. Sed de sententia illa Pauli in superioribus satis dictum est, quæ hoc loco non repetam, inde enim peti possunt: Et sanè si quis donum continentiæ habeat, & reliquis virtutibus ad ministerium necessariis à Deo ornatus sit, is procul dubio potest expeditiùs obire officia ministerii. Consequentiã verò generalem, quæ inde texitur, quasi nemo conjugatus, etjamsi cæteras virtutes Episcopales habeat, possit in ministerio ea, quæ Domini sunt rectè curare, aut quasi ideo conjugatus ad ministerium non sit admittendus, Paulus negat & refutat. Qui enim hæc scribit 1. Corinth. 7. & qui dicit: Nemo militans implicat se negotiis sæcularibus. Idem quando ex eodẽ spiritu præscribit formam Episcopi, & quidẽ talis Episcopi, quem vult esse fidelem dispensatorem Dei, dicit: Sit unius uxoris vir, nec curã domus & familiæ per se impedire officia Episcopi, Paulus ostendit: Inquit enim, domui suæ benè præsit, liberos habeat subjectos. Cumq; Deus uxorẽ appellet adiutorium viri, & Paulus mulieribus attribuat οἰκοδεσποτεῖν, gubernationẽ seu administrationẽ domus, sicut & Solomon inquit: Sapiens mulier ædificat domũ. Conjugatus igitur Episcopus, multis negotiis & curis domesticis sublevatur ab uxore pia, ut possit ministerio suo expeditius vacare, sicut paulò antè etjã ostendimus. Et quid ineptius est, quam nostros Episcopos, (qui cum deberent Deo militare, toti immersi sunt politicis, sæcularibus & aulicis negotiis) disputare περὶ ἀκρατοῦς σύνης cœlibatus, quam Chrysostomus ex Paulo rectè celebrat, cùm ipsi propter negotia sæcularia petant dignitates Ecclesiasticas.

Argumentũ secundum.

Argumentũ tertium. Hieronymus.

Ambrosius.

Innocentius.

Tertiò, Sursum & deorsum versant argumentum, quod ex historia de vicibus sacerdotalibus 1. Par. 24. formant. Hieron. lib. 1. contra Iovinianum inquit: Nã & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, nõ solum in domibus suis nõ erant, sed purificabantur ad tẽpus ab uxoribus. Ambrosius 1. Tim. 3. Veteribus ideo concessum est uxores ad usum habere, quia multo tempore vacabant à ministerio. David enim 24. constituit classes, ut vicibus deservirent: At ubi tempus imminebat ministerii, purificati aliquantis diebus accedebant ad templum offerre Domino: Nunc verò paucos quotidiè necesse est in Ecclesia præsto esse, nec habent dilationem, ut post conventũ legitimè purificentur sicut veteres. Ac per hoc omnes à conventu fœminæ abstinere debent. Innoc. ad Exuperium Episco. Tolerandum ita scribit: Nam cum & veteribus sacerdotibus durante ministerii sui tempore necesse fuerit se continere etjam ab uxoribus propriis tametsi ad sacerdotii successionem necessariò uterentur conjugio, nec satis mundos dignosq; habuit lex etjã illa carnalior, ad obeundi divini cultus & sacri altaris, quamvis umbratica ministeria, qui nõ abstinuissent etjam uxoribus propriis, quantò magis decet nostros sacerdotes, pudicitia ex ordinationis die servare, &c.

Respondeo: Hæc argumentatio sumit principia, partim incerta, partim falsa. Nulla ergo vel vera, vel necessaria consequẽtia inde conficitur. Fingit enim vices sacerdotales ideò institutas, ne immundicies cõsuetudinis conjugalis, qua propter successionem carere nõ poterant, pollutione quadã, indignos redderet sacerdotes ad obeunda officia ministerii. Historia enim ubi institutio illa de vicibus sacerdotalibus accuratè describitur, huius rei prorsus nullam facit mentionem, sed alia ratio illius distributionis ibi redditur. Et manifestum est, vices illas, quadringentis plus minus post Mosen annis à Davide institutas. Et interea sacerdotes semper fuerunt conjugati, ac liberis operam dederunt. Imò ipse Pontifex, singulis diebus mane ac vesperi jubebatur sacrificium offerre Domino, Exod. 29. Et tamen generabat liberos. Quomodo igitur post conventum cum uxore, per aliquot demum dies purificatus, ad sacrificium accedere potuisset? Animadvertit hoc etiam Augustinus, qui cùm legat Levit. 15. Vir à coitu pollutus sit usq; ad vesperã, miserè se torquet, quomodo Pontifex ante illas vices, singulis diebus potuerit suffitum facere, & tamẽ simul etiam liberis operam dare, quæst. in Levit. 82. Et in 2. Retractationum. Deinde neque hoc ex Scriptura probari potest, extare ullũ expressum mandatum, interdicens sacerdotibus consuetudinem conjugalem, & jubens eos abesse propria domo toto tempore vicis suæ, quasi inde immundi & indigni redderẽtur, ad obeunda altaris ministeria. Quod enim Zacharias tempore vicis suæ domo abest, habitans in exedris templi, inde factũ fuit, quia habitationem suam non habebat Hierosolymis, sed in ciuitate Juda. Nec scio extare legem, quòd sacerdotes ex domibus suis venientes, per aliquot dies purificandi essent, priusquam templum ingrederentur. Purificatio enim, quæ Num. 8. describitur, longè alia est. Et tamen argumentatio illa tanta contentione à tam multis urgetur, ut sacerdotibus novi testamenti laquei injiciantur, cùm tamen principia ejus dubia prorsus & incerta sint. Sumit enim hoc pro confesso, Consuetudinẽ conjugalem reddidisse hominem immundum in veteri Testamento, cùm tamen in toto veteri Testamento non extet expressis verbis talis lex. Nam Levit. 15. unde hoc conantur probare, quia vulgaris translatio habet: Vir à quo egreditur semen coitus, immundus erit usque ad vesperam. Textus originalis aliud habet & agit, nempe περὶ γονορρύας, sicut manifestius ex 22. cap. Levitici colligitur: Nec ex historia Abimelech hoc potest liquidò & certò probari, sicut suprà ostendimus. Et ut maximè in veteri Testamento, consuetudo conjugalis attulisset legalẽ & Mosaicã quandam pollutionem, qua consequentia jugũ illud sacerdotibus novi Testamenti imponeretur, à quo Christus totã Ecclesiã liberavit? Num igitur Leviticas pollutiones in novum Testamentum reducemus, & quidem arctiùs, quã sub lege fuerũt astringemus? Lex enim servitutis sacerdotibus permittebat conjugiũ: Pontificii verò penitùs interdicunt, idq; sub lege libertatis. Certè Paulus simpliciter dicit, sit unius uxoris vir. Et si maximè Levitica aliqua pollutio in cõsuetudine conjugali fuisset, Paulus expressè eam abrogat, cùm inquit: Honorabile esse coniugium in omnibus, & cubile seu concubitum impollutum, κοίτην ἀμίαντον enim vocat. Nulla igitur prorsus est consequentia in illa argumentatione, quam tamen magna confidentia, non recentiores tantùm, sed & veteres ad evertendum manifestum textum (sit unius uxoris vir) usurpant.

Augustinus.

Quartò, ex illo etiam loco 1. Corinth. 7. Si quis judicavit, in corde suo servare virginem suam, benè facit, &c. formant argumenta pro perpetuo cœlibatu sacerdotibus indicendo, hoc modo: Ecclesia non minus iuris habet in suos ministros, quàm pater in filiam. Sed patriæ potestati Paulus hoc tribuit, quòd possit filiam servare virginem. Et addit: Patrem hoc modo non tantũ benè, sed etiam meliùs facere, quàm si filiam elocaret. Ecclesia igitur non tantùm bene fecit, prohibendo ministris suis coniugium, sed meliùs facit, quàm si cõjugium ipsis concessisset. Respondeo: Paulus non tribuit parentibus tyrannicam potestatem, ut liberis suis matrimonium prohibere, & contra naturam ac voluntatẽ ipsorũ, ad cœlibatũ ipsos adigere possint, sive habeant donum continentiæ, sive non habeant, sed patriæ potestati certos circũdat limites, cũ inquit: Non habens necessitatem, sed potestatem proprię voluntatis, scilicet, si filia habet donum continentiæ, & ὁρμὴν (sicut Oecumenius loquitur) ad cœlibatum, tunc pater habet potestatem propriæ voluntatis, & benè facit si servet virginem, modò tamen ipsi laqueum non injiciat. Si verò filia donũ continentiæ non habeat, nec ὁρμὴν ad cœlibatum, tunc pater non habet deliberationem consilii, sed necessitatẽ præcepti: Propter vitandam fornicationem, quisque habeat coniugem. Si se non continent, nubant. Melius est nubere, quàm uri, sicut in superioribus illa Pauli sententia latiùs explicata est. Inde verò hoc sequitur, Ecclesiam posse quidem pro diversitate donorũ, ex ministris quibusdam cœlibatum suadere, sed sine laqueo, quibusdam verò debere coniugium concedere. Sicut autem non pater sed tyrannis esset, qui filiam non habentem donum continentiæ, ad cœlibatum cogeret: Ita iniqua & tyrannica lex est, sine discrimine prohibens coniugium omnibus ministris Ecclesiæ sive donum continentiæ habeant, sive non habeant.

Oecumenius.

Ejusdem generis est & hoc argumentũ, Sicut paterfamiliãs habet liberam potestatem, vel eligendi, vel rejiciendi ministros in sua œconomia, prout ipsi videtur: Ita Ecclesia potest tale decretũ facere, quòd velit conjugatos à ministerio repellere, & non alios ministros admittere aut tolerare, quã cœlibes. Respondeo: S.S. Ecclesiæ præscripsit certam formam, secundum quam debet

Universidad de Deusto
Biblioteca

ministros eligere. Et in illa forma inter cætera ex presse præscribitur: Si quis sine crimine est unius uxoris vir. Non itaque licet Ecclesiæ contrarium decretum facere. Non enim sui juris est Ecclesia, sed Christo tanquam capite debet esse subjecta.

Quintum genus argumentorum ab hæreticis damnatis mutuantur Pontificii.

Quintò, Pontifices Romani, pro stabilienda prohibitione conjugii in ordine Ecclesiastico, tales afferunt rationes, quæ à veterib. hæreticis mutuo sumptæ sunt, & manifestè contumeliosæ sunt in sanctam institutionem conjugii, adeò, ut illarum inter ipsos etjam Pontificios, si qui aliquid adhuc frotis habet, pudeat. Syrici enim & Innocentius sacerdotes ex propriis conjugib. generantes sobolem, cõtumeliosè appellãt sectatores libidinum, & præceptores vitiorũ. Has autẽ reddunt rationes, quia scriptum sit: Sancti estote, quoniã ego sanctus sum. Itẽ, si sacerdos contaminatus fuerit carnali concupiscentia (de usu autẽ legitimi conjugii loquuntur) quo pudore vel sacrificabit, vel qua conscientia, quòve merito exaudiri se credit, cùm dictum sit: Omnia munda mundis, coinquinatis aũt & infidelib. nihil mũdũ, & qui in carne sunt Deo placere nõ possunt. Sit igitur munditiæ puritate securus qui offerre aut baptizare debet. Alii allegant illud Esaiæ 52. Pollutum nolite tangere: Mundamini qui fertis vasa Domini. Et Ephes. 5. Spõsa Christi debet esse gloriosa, sine macula & ruga. Item Rom. 13. Nõ in cubilibus, sed induamini Dominum Iesum Christum. Hæ rationes non requirunt operosam explicationem vel refutationem, manifestè enim ostendũt, prohibitionem conjugii in regno pontificio, esse ipsam doctrinam Dæmoniorũ. Nam & veteres Hæretici, iisdem prorsus & similibus argumentis olim damnârunt conjugium, sicut in superioribus ostensum est. Ac suprà cùm de sanctimonia & castitate conjugii ageremus fundamenta solutionum monstrata sunt. Sententiæ enim pleræq; sunt generales, pertinentes ad omnes fideles, & loquuntur de peccatis inquinantibus conscientiam, & excludentibus à regno Dei, quibus legitimum conjugium accensere, Dæmoniorum doctrina est. Quædam verò sententiæ diriguntur ad sacerdotes veteris Testamenti, quibus usus conjugii expresse concessus fuit, & tamen fuerunt sancti, mundi & impolluti, etjam secundum legem.

Syricius & Innocentius.

Argumenta ex dictis scripturæ de voto.

Sextò, multa texunt Argumenta ex locis Scripturæ de votis, & quod omnes, qui volunt & petunt, possint donum continentiæ à Deo impetrare, quia scriptum sit: Quæcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, sed hæc in præcedentibus prolixè sunt explicata.

Allegant etjam illum locum, qui uxores habent, sint quasi non habentes, ergo sacerdotes non debent consuetudinem habere cum uxoribus propriis, sed Chrysostomus ostendit, Paulũ ibi in genere loqui, de omnibus fidelibus, non in specie de sacerdotibus. Nec Paulus illis verbis prohibet congressum conjugum. expresse enim dicit: Ne fraudetis vos, sed vult, ne ita addicti sint uxoribus, ut ea, quæ Dei sunt, vel violent, vel negligant.

Andradius.

Andradius præterea ex loco, Esa. 56. de Evnuchis ita argumentatur. Præcipuus locus in domo Dei, quæ est Ecclesia, est ordinis Ecclesiastici. Sed Propheta vaticinatur Deum in novo Testamento principem illum locum Eunuchis daturum. Ergo Clerici, qui principem in Ecclesia locũ obtinent, debent cœlibes esse. Sed sententia illa Esaig in superioribus est perspicuè explicata. Hoc igitur loco nihil aliud addam, quam quod Christus ipso facto ostendit, falsam esse illam interpretationem & argumentationem ex loco Esaiæ. Inter Apostolos enim plerosque fuisse conjugatos, testatur vetustissimi Patres, ut Ignatius ad Philadelphienses. Clemens 3. Stromatum, Eusebius lib. 3. histor. Eccles. Ambrosius 2. Cor. 11. & Matt. 19. cùm Christus de cœlibatu ab ipsis Apostolis interrogaretur, respondit: Non omnes capiunt verbum hoc, sed qui potest capere, capiat. Paulus etjam illam argumentationem disertis verbis refutat: Instituens enim reformationem, de constituendo principe illo in Ecclesia loco, expresse dicit, constitue Presbyteros, si quis est sine crimine unius uxoris vir. Item, Diaconi sint unius uxoris viri.

Apostolorum plerique conjugati fuerunt.

Andradii argumentum.

Argumentatur etjam Andradius ex loco Deut. 33. Qui dixit patri suo & matri suæ nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios, suos, hi custodiunt iudicia tua ô Iacob, & legem tuã ô Israel, ponent holocausta super altare tuum. Ergo multò magis in novo Testamento, Clerici ita debent divinis rebus addicti esse, ut uxores nec ducant nec habeant. Respondeo, Deus illa lege non flagitat à Levitis, ut non habeant parentes & fratres, vel ne generent filios. Erant enim in veteri Testamento conjugati, sed ne illos plus ament, quàm Deum, Matthæi 10. Lucæ 14. Etsi in ministerio scandalizauerint Levitas, ut possint illis renunciare, Matth. 18. Luc. 14. sicut fecerunt Levitæ, Exod. 32. Imò si ratio & fidelitas ministerii flagitaverit, ut possint relinquere parentes, domum, uxorem, liberos propter nomen Christi, Matth. 19. Quòd autem inde non sequatur, conjugium interdicendum esse sacerdotibus, Deus ipse in veteri Testamento ostendit Levi. 21. Et in novo Testamento Christus habuit Apostolos conjugatos, Paulus etjam dicit: Oportet Episcopum esse irreprehensibilem unius uxoris virum.

Summa legis Pontificiorũ de cœlibatu.

Hæc sunt præcipua argumenta, quæ Pontificii pro stabilienda lege cœlibatus sacerdotũ, ex Scripturæ quibusdã sententiis formant, quę hoc nullo modo efficiunt, quod lex cœlibatus contineat: Nullum scilicet conjugatum, etjam si reliquis virtutibus ad ædificationem Ecclesiæ necessariis instructus sit, ad ministerium admittendum, vel consuetudinem conjugalem in ministerio non esse tolerandam vel solos cœlibes ad ministeriũ esse idoneos, vel jugum cœlibatus omnibus sacerdotibus esse imponendum, sive donum continentiæ habeant, sive non habeant. Hic enim est status, ad quem argumentationes diriguntur. Nam cœlibes, qui donum continentiæ habent, si cæteris etjam virtutibus, quas Paulus describit, polleant, posse expeditiùs ministerium curare, de eo nulla est controversia.

An cœlibatus Pontificiorum ornet dignitatem.

Septimò, multas nectunt ratiocinationes, ideo retinendam & defendendam legem cœlibatus, quia dignitatem ministerũ Ecclesiastici deceat,

Dignitas ministerii Ecclesiastici.

ceat, ornet, promoveat, ut in maiori apud populum authoritate & existimatione sit. Econtra colligunt multa incommoda, quæ ex conjugio presbyterorum oriantur, ut quod reditus Ecclesiastici imminuantur, quodq; uxores & liberi presbyterorum, si illi moriantur, coganturin egestate viuere, quare ministerium, cujus authoritatem apud omnes expedit maximam esse, in contemptum adducatur. Hæ politicæ rationes speciosè possunt amplificari, sed responsio simplex & vera est Spiritum sanctum omnium optimè novisse, quid dignitatem & sanctitatem ministerii in regno Dei verè possit ornare & adjuvare, is autem disertè dicit, sint unius uxoris viri. Nec dignitas & authoritas ministerii Ecclesiastici metienda est ex politicis opibus, dignitatibus & splendoribus. Regnum enim Christi non est de hoc mundo, & qualis fuerit Apostolorum conditio ex historia ipsorum manifestum est. Dignitas enim & authoritas ministerii consistit in testimonio bonæ conscientiæ, 2. Corinth. 1. & in fidelitate dispensationis, 1. Corinth. 4. quodq; Deus suo Spiritu, gratia, benedictione & efficacia ministerio adest, 1. Corint. 2. 2. Corin. 10. quæ virtus Dei in infirmitate secundum carnem perficitur, Corint. 2. 2. Cor. 4. & 12. De reditibus verò Ecclesiasticis posset iniri certa ratio, & viduis ac orphanis sacerdotum posset ac deberet honesta ratione prospici, ut propterea nõ opus esset cõtra Paulum decreta facere, conscientiis laqueos injicere, & omnia fœdis libidinibus replere.

In quibus vera consistat dignitas ministerii Ecclesiastici.

Testimonia patrum, &c.

Postremò, potissimam victoriæ partem collocant in testimonijs patrum & antiquitatis, in Conciliorũ decretis, in præscriptione longę consuetudinis, & in exemplis multorum, qui aliis remediis ad reprimendos & restinguendos æstus libidinis usi sunt, quàm conjugio. Et sanè strepitu illo patrum, antiquitatis, Canonum & exemplorum, posset aliquis, si non moveri, at saltem perturbari, ideo contexemus ordine historiam cœlibatus ab initio, ab ipsis Apostolorum temporibus ad nostra usq; secula. Inde enim manifestum erit, legem cœlibatus non esse antiquissimam, sed defensionem & usurpationem conjugii sacerdotum longè esse antiquiorem. Ostendet etiam illa historia, quomodo melioribus Ecclesiæ temporibus, sæpius quidem tentata, sed semper repulsam passa fuerit lex illa cœlibatus, & quomodo postea inclinata virginitate Ecclesiæ, sicut Hegesippus loquitur, cœperit sensim sub hypocrisi sanctitatis irrepere, donec tandem manifestè operante mysterio iniquitatis Antichristianismi, stabilita est, non tamẽ sine magnis contentionibus & piorum contradictionibus. Nunc igitur in genere tantum respondeo, quia patrum opiniones, & præscriptio antiquitatis opponuntur manifestæ sententiæ Pauli, dicimus cum Iustino, Paulus est pater patrum, cuius ea est autoritas, ut si vel Angelus è cœlo aliquid annunciaret, præter id, quod à Paulo annunciatum est, Anathema sit habendus. Ad obiectionem de antiquitate Ignatius respondet, elegante sententia in Epistola ap Philadelphum τοῖς τοιούτοις ἐγὼ γελῶ τιμωρίαν ἀρχεῖα εἶναι τοῦ χριστοῦ θεοῦ παρακόπτειν τὸν θεὸν λόγον ὅλεθρος. Illis, qui antiquitatẽ objiciunt, ego dico, quia mihi antiquitas est Iesus Christus, quem nolle audire manifestus interitus est. Et Cyprianus rectè dicit: Non quærendum est, quid aliquis ante nos fecerit, sed quid ille, qui ante omnes est, faciendum jusserit. Item Christus non dicit: Ego sum consuetudo, sed sum veritas. Ad conciliorum decreta, quæ pro lege cœlibatus afferuntur, hoc in genere respondeo. Cùm in Nicæna celeberrima synodo lex cœlibatus sacerdotum repulsam sit passa, sicut mox ostendemus, licet igitur posteriora quædam consilia, legem illam admiserint & stabilierint, hoc nihil præiudicat veritati. Nam Decretum dist. 50. inquit: Quando in aliquibus gestis conciliorum discors sententia invenitur, illius concilii, magis debet teneri sententia cujus antiquior & potior extat authoritas. Et in omni lege observandum est, ut malum prohibeatur, & bonum præcipiatur. Iam verò lex cœlibatus prohibet conjugium, quod bonum est, & à Paulo ordini Ecclesiastico permissum, præcipit autem, ut illi, qui donum continentiæ non habent, in ustione potius & periculo fornicationis maneant, quàm matrimonium contrahant, quod malum & pernitiosum est. Remedium etjam divinitùs illis, qui non continẽt, concessum & ordinatum prohibet. Ac causas prohibitionis eas reddit, quæ manifestè blasphemæ sunt in sanctitatem & castitatem conjugii, sicut ostensum est. Finis certè constitutionum Ecclesiasticarum in ordinibus sacris hic esse debet, ut militare possint bonam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam, ne Spiritum gratiæ & precum excutiant, utq; sint typi gregis. Sed lex cœlibatus, quia sine discrimine imponitur etjam illis, qui donum continentiæ non habent, facit conscientias cauteriatas, & flagitiosis sacerdotum exemplis, omnem pudicitiam ex populo profligavit. Quæ igitur æquior est petitio, quàm ut iniqua & pernitiosa illa lex quæ manifesta & flagitiosa turpitudine Ecclesiasticorum, jam dudum antiquata est tollatur. Quod enim fingunt aliis remediis, quàm concessione conjugii, libidines posse in ordine Ecclesiastico caveri & extirpari, manifesta experientia tot annorum refutatur. Variis enim modis, toties hoc fuit tentatum, sed fruſtrà. Et præmium erroris in se ipsis receperunt, quod Paulus describit Roman. 1. Et accidit hoc ideo, quia spreto remedio divinitùs contra incontinentiam ordinato, homines Deo volunt esse sapientiores, sed accedamus ad historiam de cœlibatu sacerdotum.

Ignatius.

Ad obiectionem antiquitatis.

Vtilitas biforis cœlibatus.

Generalis responsio ad patrum testimonia.

Iustinus.

Cyprianus.

Decreta conciliorum.

HISTORIA DE COELIBATV SACERDOTVM, A temporibus Apostolorum ad nostra usque secula, deducta

MVltum lucis accedet explicationi hujus controversiæ ex historica consideratione, quãdo, à quibus, quomodo, ex quibus rationibus & fundamentis, lex cœlibatus sacerdotum primùm tentata, sed repulsa; postea

Universidad de Deusto
Biblioteca

invecta, sed explosa, tandem verò mera vi & manifesta tyrannide, contra multorum piorũ contradictiones, stabilita fit. Non autem illorum hæreticorum historias repetemus, qui conjugium in universum damnarunt, de quibus in principio diximus: Sed historiam de cœlibatu sacerdotum, quantum ad nostrum institutum sufficere videbitur, brevissimè contexemus. Quis autem sit status controversiæ de cœlibatu, inter nos & Pontificios, ex præcedentibus notum & manifestum est. Ad eum itaque statum historicas observationes dirigemus.

Ethnicorum cœlibatus. Et de Ethnicorum exemplis ideo in principio pauca quædam annotanda sunt. Inde enim veteres hæreticos sumpsisse occasionem damnandi conjugium, Clemens refert lib. 3. Strom. Imò Hieronymus etjam libro 2. contra Iovinianum, inde cœlibatum & monogamiam sacerdotum probat, antequam, inquit, religio nostra fulgeret in mundo, unicubas semper habuisse inter matronas decuit: Per illos fortunæ muliebri sacra fieri solitum, nullum sacerdotem bigamum, nullum flaminem bimaritum leges. Hierophantas quoq; Athenienſium usque hodie circumcæ sorbitione castrari, & postquam in Pontificatum fuerint electi, viros esse desinere. Hæc Hieronymus. Immundus enim Spiritus cum nefandis libidinibus, omnia misceret, solum legitimum conjugiũ à sacris suis idololatricis prætextu puritatis repulit. Et de reliquis quidem hoc tantùm sancivit: Absistat ab aris, cui tulit hesterna, gaudia nocte, Venus. Sacerdotibus verò primatiis tractantibus sacra sua idololatrica, prorsus interdixit conjugio, sicut de Hierophantis Athenienſibus jam dictum est. Ita etjam sacerdotes matris Deorum Samia testa solitos sibi virilia amputare, ut casti in religione manerent, scribit Alexander ab Alexandro, lib. 4. cap. 17. Idem lib. 5. cap. 12. prolixè describit, virgines vestales non tantùm apud Romanos, verum etjam in Minervæ templo, & apud Delphos, ignem pervigilem custodivisse, & apud Assyrios Dianam Eobatanam non alios, quàm sacerdotes perpetuæ virginitatis voluisse. Et Cheræmon Stoicus apud Hieronymum contra Iovinianum, lib. 2. de vita antiquorum sacerdotum AEgypti narrat, quod nunquam mulieribus se miscuerint, nunquam cognatos & propinquos, ne liberos quidem viderint, ex eo tempore, quo cœpissent divino cultui deservire, à carnibus & vino semper abstinuerint, maximè propter appetitus libidinis restinguendos.

Hierony. cœlibatũ sacerdotũ ab Ethnicis sumit.

Hierophãtæ.

Sacerdotes cœlibes.

Alexander ab Alexand. Vestales Romanorum.

Sacerdotes Dianæ.

Sacerdotes Ægypti.

Et memorabile est, cum tempore veteris Testamenti cœlibatus non esset in magna admiratione, quod collapsa post Machabæorum tempora religione, Iosephus scribit libr. 15. cap. 13. Essenos sectæ suæ rationem mutuatos ab illa vivendi ratione, quàm Pythagoras Græcis monstrârit. Et primarium caput illius sectæ fuisse ὑπεροψίαν γάμου, contemptum cõjugii, de bello judaico lib. 2. cap. 12. Quod scilicet uxores non admittebant, sed sicut Philo loquitur aversabantur. Antiq. lib. 18. cap. 2. Et Eusebius lib. 18. de præpa. ex Philone recitat multas Esseorum contumelias contra conjugium, & contra sexum muliebrem non abſimiles illis, quas Hieronymus ex Theophrasto colligit, & Ioh. Faber repetit, quod Lector diligenter observet. Cumq; propter hanc speciem Essei in magna essent autoritate & admiratione, instituerunt etjam Scribæ & Pharisæi tanquã Doctores populi, peculiaria exercitia continentiæ à conjugibus, aliqui quadriennium, aliqui octennium, aliqui decennium, & illo tempore gerebant peculiares purpuræ fimbrias, ut hominibus continentiæ suæ professionem ostentarent. Ita enim Epiphanius inter hæreses apud Iudæos ante Christum, describit Pharisæos & Scribas, lib. 1. Tom. 1. utq; solet superstitio tanquam Gangrena serpere, in ipsam etjam Ecclesiam Esseorum institutum irrepsit. Quòd enim Philo peculiari libello (de vita contemplativa) describit & celebrat peculiare institutum, τῶν θεραπευτῶν, in AEgypto, & præcipuè circa Alexandriam, prorsus simile Monachatui, in eo etjam fuit primarium caput, imò fundamentũ ἐγκράτεια, continentia. Nam in eo conventu, præter viros cœlibes, fuerunt etjam mulieres γηράλεαι παρθένοι, jam vetulæ virgines castitatem servantes. Licet Philo addat mulieres illas τῷ ἀγαμίαν ἀσκήσας, cœlibatũ exercere, non sicut apud Græcos in quibusdam sacris fit, ἐξ ἐναγκὰς ἀλλὰ κατὰ ἑκάστου γνώμην δι' ἀγάπην ζήλου καὶ πόθου σοφίας, non ex necessitate, sed secundum spontaneam seu voluntariam sententiam, propter zelum, & desiderium sapientiæ. Et ex illa Philonis historia Hieronymus quidem & Pontificii ad unum omnes conantur probare, Monachatum de mandato, & ex præscripto Apostolorum institutũ esse, cùm Marcus à Petro in AEgyptum missus, Alexandriæ Ecclesiam cõstituisse scribatur, sed Sozomenus lib. 1. ca. 12. ostẽdit, quos describit illa Philonis intelligi voluerit, nẽpe τοὺς καθ' αὑτὸν ἐξετραίωρ γυμνασιάζοντας ἐπὶ τὰ θεωρητικώτερα κινοῦντας καὶ τετελεκότας ἐν φυλάττοντας, hoc est, illos, qui suis temporibus ex Ebræis Christianismũ amplexi, adhuc nimiũ Iudaicè conversabãtur, & mores seu ritus illorum retinebant. Illam explicationem repetit etjam Nicephorus. Et Sophronius in vita Marci ita scribit. Philo disertissimus Iudæorum, videns primam Ecclesiam Alexandriæ Iudaizantem, quasi in laudem Gentis suæ, super eorum conversatione scripsit, &c. Et hæc cùm ita se habeant ex illa tamen origine, Monachatus cum despectu conjugii, in AEgypto primùm disseminatus, & inde postea per totum orbem, sub specie & prætextu Apostolicæ traditionis, propagatus fuit. Cùm verò tempore Christi celebre inter Iudæos Esseorum illud institutum esset, mirum videri posset, quòd Christus eorum nominatim nullam facit mentionem, sed Apostoli videntur eò respexisse, quando audita disputatione Christi de divortio dicunt. Si ita se habet causa hominis cum uxore, non ergo expedit matrimoniũ contrahere, quasi dicerent: Esse ergo rectè faciunt. τὸν γάμον παραιτησάμενοι, cõjugium aversantes (his enim verbis Philo apud Eusebium lib. 8. de præpar. Esseorum cœlibatũ describit) Christus verò ita respondet, ut ostendat, donum veri cœlibatus non esse omnium, & quibus datum est, ipsos debere hoc ad verum finem referre, ut scilicet

Iudæorum cœlibatus.

Essei de cœlibatu.

Pythagorei.

Scribarum cœlibatus.

Epiphanius.

Philonis locus de Monachatu.

Nicephorus. Sophronius.

Sententia Christi de Essenorum instituto.

licet propter regnum cœlorum se castrent, utq; ipso facto Esseorum superstitionem de cœlibatu refutaret, ideo quosdam conjugatos ad Apostolatum vocavit, & in comitatu suo habuit mulieres adhuc conjugatas.

Disputationes Corinthiorum de cœlibatu. Ex Essæorum etjam instituto videntur disputationes illæ apud Corinthios, de conjugio & cœlibatu, 1. Cor. 7. ortæ fuisse, nam & Gentibus Esseorum cœlibatus admirationi fuit, sicut meminerunt Plinius & Solinus, & quæ fuerint disputationes apud Corinthios, inde colligi potest, quod Paulus dicit: Nõ omnium esse cœlibatum. Item, de virginibus præceptum Domini non habeo, non ut cuiquam laqueum injiciam. Qui nõ continent, nubant: melius est nubere, quàm uri, &c. Sed undecunq; occasionem sumpserint, quæstiones illæ Corinthiorum, hoc constat, Diabolum hostem legitimi conjugii, tentasse zizania superstitiosi cœlibatus spargere in Ecclesia, ipsis Apostolis adhuc viventibus & docentibus, sed vigilantia Apostolorum illa repressa fuerunt, sicut ex accurata illa disputatione Pauli, 1. Cor. 7. non obscurè colligitur id, quod etjam juniorum viduarum temerè susceptus cœlibatus. 1. Tim. 5. testatur, ubi Paulus inter cætera docet, ad collegium viduarum, quibus ratione eleemosynarũ in viduitate manendum erat, nullam admitti debere, ante annum ætatis 60. Iunioribus verò docet propter ἄσκησιν, hoc est, propter exercitia pietatis, sicut Philonis mulierculæ prætendebant, non necessarium esse cœlibatum, sed posse ipsas in conjugio etjam pietatẽ exercere. Cumq; Philonis θεραπευτὰς, propter zelũ philosophandi (sicut Sozomenus Philonis verba recitat) nuptias aversentur, Paulus Tito præscribit, constitue presbyteros, si quis est unius uxoris vir. Imò 1. Timoth. 4. dicit, doctrinam Dæmoniorum esse, prohibere nuptias. Ita ergo tempore Pauli tentata fuit superstitio & lex cœlibatus, sed à Paulo graviter est repressa, monstrata vera ratione pii cœlibatus. Memorabile verò exemplum est Nicolaitarum, quod non tantùm ipsis Apostolorum temporibus contigit, sed ortum fuit à Nicolao, qui ex septẽ primis Diaconis unus fuit. Historiam enim ita describit, Epiphanius Tom. 2. libr. 1. hæres. 25. Quod Nicolaus ille cùm haberet pulchram uxorem, & videret alios esse in admiratione propter cœlibatum, ut non videretur uxorius, & inferior esse aliis, constituerit ad exemplum & imitationem cœlibum, consuetudini conjugali in perpetuum renunciare. Et illud quidem Nicolaum aliquandiu tolerasse, scribit Epiphanius, sed cùm in finem non posset ustionem incontinentiæ reprimere, ne tamen inconstantiæ seu levitatis argueretur, si à proposito videretur resiliisse, maluit se convertere ad promiscuam Venerem, & ad vagas libidines, imò ad Venerem contra naturam, sicut Epiphanius dicit, quàm legitimo conjugio uti. Atque inde orta fuit, secta Nicolaitarum, quam in Asia latè disseminatam fuisse, Apocalypsis testatur, qui senserunt, si modò à legitimo conjugio abstinerent, se aliis fœdis, imò nefandis libidinibus non peccare. Hanc sectam Ioannes Apocalyp. 2. magno zelo refutat. Principaliter verò in illa historia hoc observandum est, quod Nicolaus ille, cùm post administratum Hierosolymis diaconatum, in aliis orbis partibus. (In Asia enim Nicolaitas fuisse Apocalypsis testatur) Evangelium exemplo Stephani & aliorum Actorum 8. annunciaret, ex immodica admiratione cœlibatus, propter quem videbat alios quosdam magni fieri, in eam opinionem devenerit, quasi conjugium & consuetudo conjugalis non conveniret ministerii dignitati. Ita quibusdam Apostolis adhuc viventibus tentata fuit, discessit à Canone illo Pauli (Episcopus seu Presbyter, sit unius uxoris vir, similiter & Diaconus) idq; ea opinione, quasi melius & rectius esset, ut nullius legitimæ uxoris vir sit presbyter, etjamsi donum continentiæ ex Deo non habeat. Eventus verò tristis & obscœnus ostendit, Deum non velle omnes in ministerio esse cœlibes, & cœlibatũ velle omnes in ministerio omnib. imponere, nihil aliud esse, quàm objicere scandalum seu occasionem fornicationis, sicut Ioannes loquitur Apocalyp. 2. Et hæc historia Nicolaitestis ipsissima imago cœlibatus sacerdotum in Ecclesia Pontificia.

Nicolaitæ impure vixerunt.

Vtpote Pauli tertia lex cœlibatus.

Vide autem, quanta contentione, quibus artibus & insidiis hostis conjugii superstitiosam opinionem cœlibatus, laborârit primis temporibus in Ecclesiam invehere. Cùm enim vivente Apostolis id, quod aliquoties tentârat, non posset obtinere, observavit illam occasionem, cùm Paulus & cæteri Apostoli ex hoc mundo evocati, & Ioannes in Pathmon esset relegatus, tunc enim existimavit se in Ecclesiam tanquam in domum vacuam, posse per hypocrisin irrepere. Excitavit igitur in Asia Presbyterum quendam, sectatorem seu καυχᾶσθαι, sicut se iactabat, Pauli, qui sparsit historiam quandam, præferentem titulum, de Periodo Pauli & Teclæ, sive ut Gelasius dist. 13. titulum citat de actis Pauli & Teclæ. Summa autem fabulæ hæc erat: Teclam nobilem virginem Iconiensem, voluntate & consensu parentum desponsatam fuisse Thamiro cuidam: Paulum verò cùm venisset Iconium, de virginitate eo modo fuisse concionatum, quòd Tecla repudiato sponso, contra voluntatem & sponsi & parentum, cœlibatum voverit. Et Paulum per multos annos Teclam illam secum circumduxisse, ac tandem eam sacro velo consecrasse, tradita ipsi potestate docendi, baptizandi, & virgines voto perpetui cœlibatus velandi & consecrandi. Hæc fermè fuit summa commenti, sicut ex Tertulliano de Baptismo, ex Ambrosio de virginitate, & ex legenda Teclæ colligitur. Quia verò magna erat in Ecclesia authoritas Pauli, multi exemplum illud opponebant & præferebant scriptis Pauli, & reliquorum Apostolorum. Ioannes verò cùm ab exilio Ecclesiæ restitutus esset, videns fabulam illam non esse consentaneam perpetuæ doctrinæ & sententiæ Pauli, qui sicut mulierem non permittit publicè in Ecclesia docere: ita desponsatam, contra sponsi & parentum voluntatem, suscipere cœlibatum prohibet, 1. Corinth. 7. Sponsa enim censetur loco uxoris, Deuteronom. vigesimosecundo. Presbyterum igitur

Quibus artibus Satan cœlesiam invehere studuerit.

Cœlibatus ex supposititia scriptis.

Periodus seu actus Pauli & Teclæ.

Ioannes fabulam de Tecla refutat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illum Ioannes publicè coram Ecclesia convicit, quòd falsum & suppositititium librum, sub nomine & titulo Pauli sparsisset. Et presbyter ille publicè confessus fuit, se hoc Pauli amore fecisse. Ioannes verò ipsum à ministerio removit, ut propter posteritatem, publica nota commentum illud de Tecla, ut suppositititium & adulterinum, rejiceretur. Ita historiam describit Tertullianus de Baptismo, & Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis. Sed tamen postea tempore Tertulliani, mulierculæ quædam, ministerium verbi & sacramentorum, in Ecclesia sibi vendicare conabantur, authoritate Teclæ illius, quas Tertullianus historia illa de Ioanne Apostolo repellit: Sed post illud etiam tempus, Ambrosius institutũ suum velandi sacras virgines, quod in Mediolanensi Ecclesia tunc ut novum & peregrinum reprehendebatur, conatur ex fabula illa Teclæ, tanquam traditionem Apostolicam probare & tueri. Epiphanius etiam & Hierony. ad Gerontiam testimonio illius Teclæ utuntur. Imò cùm circa annum Domini 500. Gelasius narrationem illam de actis Pauli & Teclę, inter Apocrypha rejecisset: Monachi tamen, postea fabulam illam Teclæ aliquoties explosam, rursus in theatrum, peculiari Legenda, ut vocant, reduxerunt, ut hominibus persuaderent votum cœlibatus, & ordinem sanctimonialium esse institutum & traditionem Apostolorũ, utq; manifestissimas Pauli sententias, commentitia illa de Tecla fabula eluderent & obruerent. Et hanc historiam observatione Lector diligenter notet, monstrat enim originem Monachatus & superstitiosi cœlibatus, ostenditq; etiam veram solutionem ad omnia, quæ in hoc genere à Pontificiis, de Apostolicis traditionibus, & de exemplis Apostolicæ Ecclesiæ, extra Scripturam proferri solent. Et dignum est admiratione, cùm Deus publico Ioannis Apostoli testimonio, commentum illud de Tecla reprobasset, tãtam tamen, antiquis etiam temporibus, fuisse humani ingenii, sive levitatem, sive curiositatem, sive temeritatem, quòd voluerint commentitiam illam faculam potius, quàm manifestam Scripturæ sententiam sequi, sicut tempore Tertulliani, Ambrosii, Epiphanii, & Hieronymi, hoc factũ fuisse ostendimus. Non moveamur itaq; quando legimus, cõmentitium illum prætextum Apostolicæ antiquitatis & traditionis, multis postea impositum fuisse: Nos verò discamus, omnia hæc, quacunq; specie producantur, referre ad primam hanc, quam iam ostendimus, originem.

Repetitũ est commentum de Tecla.

Ambrosius fabulam Teclæ rursus producit in scenam.

Gelasius rursus abiicit.

Monachi reducunt in theatrum.

Cœlibatus ex Apocryphis scriptus.

Ita ergo Apostolorum temporibus lex & superstitio cœlibatus aliquoties tentata, & quasi rogata, sed intercessione Apostolorum graviter repulsa & abrogata fuit. Post mortem verò Apostolorum, zizania illa, quę viventibus Apostolis, in ipso germine repressa & suffocata fuerant, liberiùs cœperunt erumpere. Cùmq; hostis conjugii animad verteret, scripta Apostolica sibi obstare, varia Apocrypha scripta, quasi ab Apostolis vel edita, vel tradita, Ecclesiæ obtrusit. Clemens enim libr. 3. Stromat, narrat, hæreticos veteres, cùm sexum muliebrem defòrmare & legitimam consuetudinem conjugalem damnare vellent, usos esse testimoniis ex Apocrypho quodam Evangelio, secundum Aegyptios, ubi Solomæ interroganti: Quò ad usq; vigebit mors? Dominus respondisse fingitur, Quò ad usq; vos mulieres paritis. Dominum item dixisse: Veni ad dissolvendũ opera fœminæ. Cumq; apud Aegyptios Christiani quidam juxta Essæorum institutum (cujus primarium caput fuit ἀγαμία) Iudaizare cœperint, non mirum est inde prodiisse tale apocryphum Evangelium. Eodem modo aliud apocryphum scriptum, speciosò titulo Protoevangelii Iacobi, quasi basis & fundamentum esset Evangelicæ narrationis, sparsum fuit. Vbi Maria narratur votum perpetui cœlibatus emisisse, quod verè Apocryphum scriptum, etiam Augustino hac in parte imposuit. Similiter etiam varia apocrypha Scripta promittẽtia actus singulorũ Apostolorum, prodierunt, quale nuper, postquam vulgares Legendæ fœtere cœperunt, sub titulo Abdiæ Babylonici in theatrum reductum est. Ibi fingitur Drusiana, postquam à Ioanne fuisset conversa, propter cultum Dei noluisse amplius marito suo commisceri. Et quidem marito insistente ipsam mori potius elegisse, quàm consuetudinem repetere conjugii. Quod ex professo & quasi adversa fronte pugnat cum manifestissima doctrina Pauli, 1. Corinth. 7. Ibidem Ioannes moriturus fingitur ita orare: Tu Domine, qui servum tuum mundum à conjunctione fœminea præstitisti, qui festinanti mihi ad nuptias in juventute demonstrasti te, & dixisti: Mihi necessarius es Ioannes, operam tuam quæro: Sed cùm juventutis ardore visus essem non servare præceptum, & diffisus, quòd integritatem servare vix possem, animum ad nuptias appulissem, tu ægritudinẽ corporis mihi intulisti. Tertio quoque studentem nuptiis, impedimento leuiore revocasti. Tu mihi Domine in mari dignatus es dicere: Ioannes nisi meus esses, permitterem tibi, ut uxorem duceres. Hac commentitia narratione apocryphus ille Ioannes fingit, legitimam conjunctionem cum uxore reddere immundũ, virginitatem esse præcepti. Et Christũ illis, quorum opera in ministerio Ecclesiastico uti velit, non permittere uxores. Quæ omnia cum Scriptura expresè pugnant. Ebræ. 3. 1. Corinthie. 7. 1. Timoth. 3.

Evangelium secundũ Aegyptiacos.

Protoevangelium Iacobi.

Abdiæ Babylonici Drusiana.

Atque hinc sumpta est fabula, quòd Ioannes fuerit sponsus ille in Cana, quodq; Christus ad nuptias illas propterea venerit, ut sponsum à nuptiis avelleret, & ad cœlibatum traduceret, quod non cum Scriptura tantùm, sed cum tota antiquitate pugnat, quæ docet Christum nuptiis illis ideo interfuisse, ut conjugium sibi probari ostenderet.

Figmentum de sponso in nuptiis Cana.

Item Abbas, Iphigeniam voto perpetuæ virginitatis, cum multis aliis, à Matthæo sacro velo consecratam fabulatur. Et ita in vita Bartholomæi scribit de Maria: Hæc virgo cum execraretur omnem virum, servandę virginitatis votum prima Deo omnipotenti vovit. Quòd cùm desponsatione Mariæ expresè pugnat. Idem in vita Thomæ fingit: Dominum apparuisse sponso & sponsæ, deductis jam in cubile, & dissuasisse consuetudinem conjugalem, his verbis: Thomas vos mihi cõmendavit, ut custodiamvos ab omni malo

Iphigenia. Vita Bartholomæi.

Vita Thomæ

malo. Et ibidem Abdias fingit: Mulieres conversas, ex concionibus Thomæ didicisse, ut non amplius dormirent cum maritis suis. Et quidẽ cùm Rex peteret à Thoma, quia separasti animos uxorum à consortio conjugii nostri, age igitur ut redeãt, & sint conjuges nostræ, sicut antè fuerunt. Thomas fingitur respondere. Errat jussio Regis, si enim hoc facerem, Deus corpus & animam mitteret in æternum ignem. Quod certè palpabiliter pugnat contra Paulum, 1. Cor. 7. Hæc pauca ex Abdia, quem fingunt contemporaneum & comitem fuisse Apostolorum, recitare volui, ut ostenderem, quales sint traditiones, quas pro defendenda lege cœlibatus, Pontificii Apostolorum titulo vẽditant. Et quia κριτήρια manifesta sunt (ex Diametro enim pugnant cum scriptis Apostolicis) vetus Ecclesia talia scripta de actibus Apostolorum, non tantùm inter Apocrypha, sed inter suppositititia, adulterina, commentitia, absurda & impia rejecit, sicut Eusebius loquitur lib. 3. cap. 25. Et idem repetitur dist. 15.

Ignatius pie docet de conjugio & cœlibatu.

Ignatius verò, auditor Ioannis, in Epistola ad Philadelphienses, de cœlibatu & conjugio more prorsus Apostolico loquitur: Gratulor, inquit, vobis virgines sanctimoniam, ut Elię, Iosuę, Melchisedech, Elisæi, Ieremiæ, Baptistæ, Ioannis, Timothei, Titi, Evodii, Clementis, qui cœlibes vixerunt. Mox verò addit Ignatius, horum, inquit, mentionẽ feci, non vituperans reliquos sanctos, ὡστι γάμοις προσομιλησαντας, eò, quòd in consuetudine conjugali vixerunt. Opto enim Deo dignus in ipsorum vestigiis inveniri in regno Dei, ut Abrahami, Isaac, Iacobi, Iosephi, Isaiæ & aliorum Prophetarum. Item ut Petri & Pauli, ut aliorum Apostolorum, qui in matrimonio fuerunt, seu ut significantiùs loquitur Ignatius, τῶν γάμοις προσομιλησάντων, quod significat & matrimonium contrahere, & consuetudine conjugali uti. Loquitur autem Ignatius principaliter de Doctoribus Ecclesiæ. Et memorabile est, cùm Timotheus & Titus fuerint cœlibes, sicut Ignatius hoc loco refert, quòd Paulus ipsis præscribit ut non cœlibes tantùm constituant Presbyteros, sed nominatim unius uxoris mariti meminit. Porrò in eadem Epistola Ignatius dicit: Si quis Deum & Christum confitetur φθορὰν δὲ κακομολυσμοῦ, corruptionem verò seu labem & coinquinationẽ vocat τῷ νομίμῳ μίξιν, legitimam conjugum commixtionem & liberorum procreationem, aut cibos quosdam abominabiles, talis habet ἔνοικον, inhabitatorem Draconem illum Apostatam. Hic Ignatij Canon, qui etiam Apostolorum conjugia complectitur, distertis verbis ostendit Syritii & Innocentii decreta, quæ consuetudini cõjugali sacerdotum mundiciem & puritatem adimunt, pollutionem verò & contaminationem tribuunt, non ex Spiritu sancto, sed ex inhabitante in ipsis Dracone illo apostata, profecta esse.

Canones Apostolorum de cœlibatu.

Isidorus.

Porrò extãt Canones, qui præferunt titulum Apostolorum, quibus ipsum Decretum dist. 16. Canonicam & Apostolicam autoritatem adimit, & inter Apocrypha ponit, quamuis quędam utilia in eis inveniantur, hæc enim sunt Isidori verba, in illorum quinto ita sancitum legitur: Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, τῶν ἰδίων γυναικα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐλαβείας, propriam suam uxorẽ ne ejicito aut repudiato, prætextu aut causa religionis seu pietatis, si abjecerit ἀφορίζεσθαι, si perseuerauerit, καθαιρείσθω. Quia verò ex pravis opinionibus, & ex malis moribus bonæ leges nascuntur, apparet eam fuisse occasionem hujus Canonis, quòd postquam (sicut jam ex Ignatio ostendimus) illi explosi erant, qui fingebant, conjugium in universum omnibus fidelibus esse inquinationem, alii in solo ordine sacerdotali hoc locum habere contenderunt: Religionem scilicet, pietatem, innocentiam, reverentiam & cautionem (hæc enim omnia significat εὐλάβεια, quæ in sacro ministerio requiruntur) non posse ferre consuetudinem conjugalem, tanquam rem minus puram. Hoc enim Canon 50. non obscurè indicat, cùm inquit: Si quis ex sacerdotali ordine, nuptiis, carnibus & vino abstinuerit διὰ ἄσκησιν, non propter meditationem & exercitationem in rebus divinis, sed propter abominationem, diffamationem & calumniam nuptiarum & creaturarum, aut corrigitur, aut deponitur, & ex Ecclesia ejicitur. Canones igitur illi rectè concedunt & probant: Si quis habens donum continentiæ à conjugio ideo abstineat, ut expeditior sit ad officia ministerii. Sed γάμου, hoc est, conjugium, nuptias & consuetudinem conjugalem, religioni, pietati & reuerentiæ sacri ministerii prorsus non convenire, hoc Canones illi, non tantùm negant, sed sub pœna depositionis & excommunicationis damnant. Sacerdotibus itaq; qui continere non possunt, usum legitimi conjugii, non tantùm ut rem licitam, bonam, & piam concedunt: Sed & eos, qui in sacris ordinibus, copulam conjugalem, prętextu religionis, vel prohibent, vel ab ea abstinent ab officio remouent, & excommunicationi subjiciunt. Hæc historica observatio valdè utilis est. Monstrat enim, cùm Sathan non posset conjugiũ in omnibus fidelibus damnare, quòd ordini sacerdotali tentârit cœlibatum tanquam necessarium imponere, quasi religio esset, sacerdotẽ, qui præ reliquis mundior esse debet, cum uxore etiã legitima consuetudinem habere. Sed qua seueritate, lex cœlibatus sacerdotum, cum argumentis & rationibus de religione seu pietate, non tantùm explosa, sed damnata tunc fuerit, Canones illi clarissimè ostendunt. Et Pontificii quidem, quia vident legem suam de cœlibatu sacerdotũ, cum omnibus argumentis & rationibus Syricii & Innocentii, disertè Apostolico hoc Canone jugulari & damnari, varias quęsiẽrunt rimas, ut ex vinculis illius Canonis, quib. se constrictos sentiunt, elabãtur. Fingunt enim dist. 31. & 81. Canonem illum Apostolorum loqui, non de consuetudine conjugali, sed tantùm de necessariis ad victum & vestitũ, uxori à sacerdote conjuge subministrandis: Sed manifesta est depravatio Canonis, sicut verba & circumstantiæ ostendunt. Et sexta Synodus expresè dicit, hanc esse sententiã Apostolici hujus Canonis: Sacerdotibus non esse prohibendam copulam seu consuetudinẽ conjugalem, sicut postea Canonẽ illũ sextæ Synodi adscribemus. Sed pergamus jam in ordine historię.

Pontificię depravationes Apostolici canonis.

Tem-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dionysius Corinthius contra legē cœlibatu.

Tempore igitur Dionysii Corinthiorum Episcopi, circa annū Domini 170. (Nam ad Sotherem scripsisse dicitur) iterum cœpit lex de cœlibatu caput exerere, & quidam apud Gnosios in Creta Insula, ubi Paulus ipse per Titū ἐπιδιόρθωσιν illā præscripserat. Constitue Presbyteros, si quis est sine crimine, unius uxoris vir. Euseb. enim li. 4. ca. 23. narrat Dionysium Corinthiacū scripsisse epistolam ad Gnosios, in qua Pinytum Parœciæ illius Episcopū adhortatur, μὴ βαρυφορτίσωσι τὰς ἀγνείας, τοὺς ἀδελφοὺς ἐπιτιθέντες ἀναγκας, τόπους ἀγνείας, τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιτιθέναι τῆς ἢ τῶν πόλλων καταισχύνεσθαι ἀσθενείας hoc est, Ne graue illud onus de cōtinentia seu cœlibatu, fratribus tanq̄ necessarium imponat, sed infirmitatis potiùs multorum rationem habeat. Non autem existimo Pinytum voluisse in genere omnibus credentibus conjugium prohibere, sed fratribus præcipuè, hoc est, collegis ministerii (quos Paulus solet fratres vocare) voluit legē cœlibatus imponere, ἐπάναγκες enim vox est, quæ in legib. sive edictis poni solet. Et observatu dignum est, quid Pinytū moverit ad imponendā fratribus legem cœlibatus, cùm doctrina, exempla & Canones Apostolicæ Ecclesiæ diversum traderent. Illud verò non obscure colligitur ex responsione Pinyti, quia ostendit se recipere quidē Dionysii sententiam, sed tamen monet ut in posterum τελειοτέροις, perfectiorib. liberis cibum firmiorem impertiri velit Dionysius, ne semper immorantes (λόγοις γαλακτώδεσι) hujusmodi doctrinis, quæ tāquam lactis cibus sunt (νηπιώσι ἀγωγῇ) in puerili institutione consenescant. Sentit igitur Pinytus, conjugiū sacerdotum ab Apostolis & viris Apostolicis approbatum, temporis tantùm gratia, tanquam lactis cibum, & puerilem imperfectamq̄ institutionem concessum fuisse. Posteros verò debere de doctrina firmiore & de perfectiore institutione cogitare, ut scilicet sacerdotibus conjugium prohibeatur, & lex cœlibatus imponatur. Hoc diligenter observetur, argumentum enim illud à Hieronymo etjam, & à multis Pontificiis usurpatur, contra sententias Pauli, 1. Tim. 3. Tit. 1. Sed tunc Dionysius Corinthiorum Episcopus, vir magnæ authoritatis, legem cœlibatus, non obstante plausibili illa Pinyti argumentatione, ex Ecclesia explosit.

Pinytus in Creta cœlibatum, &c.

Sub specie perfectionis cœlibatus irrepsit.

Levitarum apud Hæreticos castitas.

Hæretici verò intereà conjugium insectabantur in universum, præcipuè verò in Levitis suis, Epiphanius enim scribit, apud Gnosticos Levitas laudatissimos nō uti fœminis, sed seipsis, hoc est, Venere παρὰ φύσιν, sicut Paulus Ro. 1. loquitur. Ita legitimus amor mulierum sub specie sanctitatis fastidiri cœpit, juxta vaticinium Danielis 11. quod postea in ipsam Pōtificiam Ecclesiam irrepsit. Sed in Ecclesia conjugium sacerdotum post Dionysium illum, honestas tunc à manifestis insectationibus feriabatur. Quod inde colligitur, 1. quia multi in historia illorum temporum, & postea Episcopi & Presbyteri, leguntur conjugati fuisse. Et ne de historiarum fide dubitent Pontificii, Vicelius conductitius ipsorum rhetor, recenset hos Episcopos & Presbyteros uxoratos, Dionysium, Faustinianum, Sylverii, Sergium, Hormisdam, Talatum, Valerium, Tertullianum, Leonem, Felicem, Oceanum, Numidicum, Hilarium, Severium, Nazianzeni patrem, Restitutum, &c. Huic Catalogo rectè additur Chæremon, Spiridion, Basilii pater, Nissenus, Philogonius, Appollinaris, Synesius, &c. II. Honorificum tunc temporis habitum fuit in Ecclesia, ex Episcoporum linea (ut ita dicam) ortum fuisse. Sicut Polycrates apud Evsebium, lib. 5. cap. 25. contra Victorem disputans, gloriatur, septem suorum συγγενῶν, cognatorum ordine fuisse Ephesi Episcopos, & se in successione esse octauum, sicut similia exempla postea etjam annotabimus. III. Conjugii dignitas, castitas & sanctitas, illis temporibus, à Clemente Alexandrino, libr. 3. Stromatum, hoc non postremo argumento defendebatur, quòd Apostoli in sacratissimo Ecclesiæ ministerio constituti, fuissent conjugati.

Sacerdotes primitivæ Ecclesiæ coniugati.

Ecce autem novum artificium hostis conjugii. Cùm enim lex cœlibatus aliquoties turpem passa fuisset repulsam, Paracletus Montani, per Tertullianum circiter annum Domini 230. cùm secundas nuptias in universum damnare vellet, in ordine Ecclesiastico potissimū subtitit. Nam Monogamiā sacerdotibus præ cæteris lege quadam præscripsit. Dicit enim de exhortatione castitatis: Apud nos pleniùs & strictiùs præscribitur, unius matrimonii esse oportere, quos alleget in ordinem sacerdotalem usus, ac memini quosdam Digamos loco dejectos. Hęc Tertullianus.

Montanus contra secundas nuptias.

In vera autem Ecclesia, legem illam non fuisse servatam, ipse Tertullianus, cùm ab Ecclesia ad Montanistas transiisset, fatetur, cùm in libro de Monogamia inquit: Cur ergo non erubescunt, quotquot ex digamia præsident apud vos, &c. Hoc Novatiani seu Cathari postea cupidè arripuerunt, nullum enim & ipsi digamum ad clerum admiserunt, sicut Socrates refert. Illa verò Montanica præscriptio de Monogamia sacerdotum, postea in ipsam Ecclesiam magno impetu irrupit, sicut postea dicemus. Cæterum licet Tertullianus cōjugium sacerdotum primo non damnaret, tamen postea cùm esset Montanista factus, de conjugio & de sexu muliebri valdè contumeliosè scripsit: Et inde Cyprianus (magistrū enim suum vocabat Tertullianum) hausit non tam contemptum, quàm odium adversus sexum muliebrem. Atque ea occasione, cùm Montani Paracletus sub hypocrili perfectionis sanctitatis conjugium non parum deformasset, & tamen prohibitionem conjugii in universum non posset obtinere, cœpit Origenes disputare de necessitate cœlibatus in ordine sacerdotali, quem alii quidam secuti sunt. Et manichæi sub specie sanctitatis & puritatis, electis suis, tanquam perfectioribus, conjugium prohibuerunt. Atque ita sensim iterum revocari cœpit lex de cœlibatu sacerdotum, donec in Nicæna Synodo, machinationes illæ in nervum cœperunt erumpere, sed tamen graviter ibi publica authoritate repressæ & repulsæ fuerunt. Quæ historica observatio, quia valdè utilis est, & multum lucis affert huic controversiæ, aliquantò diligentius, sed tamen breviter eam explicabimus ex actis Nicæni Synodi, & ex illis disputationib. & actionibus, quæ Synodum eam anteceſſerunt.

Novatianorum mos in gamia.

Ex Montani mo Tertullianus contingo iniquior.

Cyprianus odor sexus fœminei.

Origenes de cœlibatu sacerdotum.

Scri-

Nicænæ Synodi historia de cœlibatu.

Scribunt itaque Socrates lib. 1. cap. 11. & Sozomenus libr. 1. cap. 23. Cùm Nicæna Synodus post cōscriptam formulam fidei, vellet ad reformandam vitam Ecclesiasticorum Canones facere, visum fuisse Episcopis, νόμῳ νεαρῷ, novitiam legem in Ecclesiam inferre, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, μὴ συγκαθεύδειν non concumberent cum uxoribus, quas ante ordinationem duxerant. Cùm verò quæstio illa in solenni συλλόγῳ cōsultanda, proposita esset, Paphnutius Confessor in medio Episcoporum surgens contradixit, & ἐβόα μακρὰ magna voce exclamans, ne grave jugum imponerent viris sacratis, asseverans τίμιον εἶναι γάμον καὶ τὴν κοίτην καὶ ἄσπιλον ἀμίαντον τὸν γάμον, honorabile esse concubitum conjugalem, & ipsum conjugium esse impollutum. Ne igitur exquisita exactione Ecclesiæ plus nocerent, difficile enim esse, nec omnes posse ferre hoc. Ne igitur ipsis sacerdotibus & eorum uxoribus lex causa fieret, τὸ μὴ σωφρονεῖν, castitatem & pudicitiam non servandi, suasit synodo, ne talem legem ponerent, vocans σωφροσύνην pudicitiam seu castitatem, etjam συνέλευσιν καὶ συνουσίαν, consuetudinem, congressum seu concubitum cum propria legitima uxore. Et reliquas quidem partes hujus historiæ mox attexemus, prius enim disquirendum est, quibus rationibus & argumentis Episcopi in Nicæna Synodo moti fuerint, ad legem illam rogandam. Et optandum sanè esset, hæc diligentiùs in actis Synodi annotata esse, inde enim non parum lucis accederet. Sed ex disputationibus, quæ præcesserunt tempus Nicænæ Synodi, hæc rectè colligi possunt, licut brevissimè ostendemus.

Paphnutius.

Rationes, quibus adducta Nicæna Synodus legem cœlibatus sacerdotū reprobavit.

Origenis rationes, ob quas cœlibatū sacerdotū asserit, sed valde timidè.

De Montanistis igitur suprà quædam attigimus. Ex illa verò persuasione perfectioris institutis, Origenes cœpit quædam disputare de necessitate cœlibatus sacerdotum, sed tamen valde timidè, ut de re nova, & propter Montani Paracletum tunc suscepta, ita enim scribit homilia 23. in Num. de jugi sacrificio: Vereor aliud dicere, quòd ex sermonibus Apostolicis intelligi datur, ne fortè videar aliquos offendere, Si enim oratio est sacrificium & incensum, & Paulus dicit: Nolite fraudare, &c. Certum est, quia impeditur sacrificium indefinens in iis, qui conjugalibus necessitatibus serviunt, unde videtur mihi, quod illius est, solius offerre sacrificium indefinens, qui perpetuæ se devoverit castitati. Hæc Origenes.

Evsebius de cœlibatu Sacerdotum.

Post hunc paulò ante Nicænam synodum, Eusebius libr. 1. demonst. cap. 9. prolixam habet disputationem, cur nunc in novo Testamento, non tam studiosè sit opera danda generationi liberorum, sicut tempore veteris Testamenti. Tandem verò, deflectit ad ordinem sacerdotalem, quare ipsis à conjugio abstinendum sit, ut scilicet multitudini, ex Gentibus ad Ecclesiam concurrenti, vacare possint. Attexit autem Evsebius argumenta mirifica sanè. Dicit enim, Enoch non ante, sed post generatum Mathusala, placuisse Deo, & postquam Deo placuit, non amplius generasse liberos. Ita Noe post salvationem ex aquis, non operam dedisse liberis. Addit famam esse Isaacum post generationem gemellorum nō am-

Fabulæ de Enoch.

De Noe.

De Isaac.

De Mose & Aaron.

plius consuetudinem habuisse cum uxore sua. Mosen etjam, & Aaronem, post appariciones & accepta oracula Dei, abstinuisse ab uxoribus. Et tandem concludit, in novo Testamēto non prorsus prohibitum esse conjugium, quia scriptum sit: Oportet Episcopū γεγονέναι, fuisse unius uxoris virum, sed postquam sacrati sunt, & in Dei ministerio occupati, πρωτίκως, cōvenit seu decet esse deinceps abstinere γαμικῆς ὁμιλίας, à consuetudine conjugali. Reliquis verò extra ordinem Ecclesiasticum, Scriptura disertè omnibus dicit, honorabile conjugium, & cubile impollutum. Hæc Evsebii disputatio ideo diligenter est observanda, Paphnutius enim, quasi ex professo videtur orationem suam eò dirigere, ut contra Evsebii argumentationes ostendat, non in reliquis tantùm, sed in ipso etjam sacerdotali ordine, honorabile esse conjugium & cubile impollutum. Et observet Lector, inter disputationes Nicænas etjam hoc fuisse, quomodo intelligendus & interpretandus sit locus Pauli, 1. Timoth. 3. Tit. 1. An Episcopum oporteat vel esse vel fuisse unius uxoris maritum. Et Evsebius quidem, ubi Paulus habet ἦναι, supponit γεγονέναι, hoc est, pro esse, supponit fuisse. Sed Paphnutius sonora voce contradicit, confirmans Episcopum fuisse etjam esse unius uxoris virum. Idq̄ non ita, sicut Hieronymus postea finxit, ut definat vir esse, sed consuetudinem Sacerdotis cum propria sua uxore, Paphnutius pronunciat esse σωφροσύνην, castitatem & pudicitiam. Atque hac ipsa sententia refutat Origenis disputationes, qui castitatem sacerdotum in solo cœlibatu constituebat, quodq̄ postea Hieronymus πρὸς σωφροσύνης philosophatus est.

Disputatio Nicæna de loco Pauli 1. Tim. 3. Tit. 1.

mot. 3. Tit. 1.

Hæ observationes illustrant historiam, monstrant enim argumenta & rationes, quibus legem de cœlibatu sacerdotum, postea & ex Patribus quidam, & Pontificii adhuc hodie defendere conantur, agitatas fuisse tempore Nicænæ synodi, & à Paphnutio graviter refutatas esse.

Et magna quidem est Paphnutii authoritas, præstitit enim constantiam confessionis in persecutione, effosso sibi altero oculo, & miraculis etjam clarus fuit. Nec libidinis gratia hanc sententiam defendit. Fuit enim cœlebs & continentiæ laude celebris. Præcipua verò authoritas sententiæ eius hæc est, quòd nititur fundamentis Scripturæ, quodq̄ universa synodus sententiam eius approbavit. Ita enim in historia sequitur. Synodus igitur laudavit consilium Paphnutii, & in ipsius sententiam concesit universus ille sacerdotum cœtus. Atque ideo nullam legem hac de re posuerunt, sed in sententia & voluntate cujusque sine lege aut opinione necessitatis relictum hoc fuit, an velit quis abstinere à consuetudine conjugali, an verò non? Ita enim describunt historiam Socrates & Sozomenus. Et quod Pontificii tanquam fundamentum & fulcrum legis suæ ponunt, posse scilicet omnes, modò velint continentiam veri cœlibatus præstare, hoc disertè à Nicæna synodo refutatum est. Paphnutius enim dicit, non tantùm esse χαλεπόν, difficile, sed non omnes posse ferre hoc.

Authoritas sententiæ Paphnutii.

De axiomate Pontificio posse omnes continētiam præstare.

Publi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Publica igitur authoritate in Synodo celeberrima non tantùm Orientalis Ecclesiæ, sed œcumenicę, & quidem ipsius etjam Romanæ, reprobata fuit, lex de cœlibatu sacerdotum, & quidem ex hoc fundamento, quòd lex illa plus detrimenti, quàm commodi allatura esset Ecclesiæ, eò quòd ἐγκρατείας causa esset futura, impuritatis & impudicitiæ ordinis Ecclesiastici, id, quod verè à Paphnutio prædictum fuisse, impurus & obscœnus eventus legis illius in regno Pontificio toti mundo manifestavit. Atq; ita consideratio hujus historiæ ostendit, omnia argumenta, quibus etjam posteà Pontificii pro stabilienda lege cœlibatus usi sunt, refutata esse publica authoritate in Nycæna Synodo. Nam & hoc, quod Origenes suo exemplo vel introduxisse vel confirmasse dicitur, ut qui donum continentiæ ex Deo non haberent, se excinderent, peculiari Canone ibi damnatum est.

Paphnutii verum de lege cœlibatus vaticinium.

Pontificii conantur, constitutionem hanc Concilii Nicæni abolere.

Observetur autem artificium Pontificiorum, qui ut aliquid derogent huic Nicænæ constitutioni, fingunt mox posteà in Hispanis & in Gallis, in Elibertina & Arelatensi synodis contrarium constitutum esse, sed Chronologia ostendit provinciales illas synodos, subSylvestro celebratas, præcessisse Nicænam, cujus exitum attigisse tempora Iulij, præter historiam tripartitam etjam Decretum distinctio. 16. confirmat. Et hæc ipsa observatio illustrat Nicænam historiam. Ostendit enim disputationes de cœlibatu sacerdotum, paulò ante Nicænam synodum eò progressas, quòd leges de eo cœperunt ferri. In Hispanis enim celebratũ fuit concilium Elibertinum 19. Episcoporum, qui Canone 33. ita decreverunt. Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis, positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios. Quod quicunq; fecerit, ab honore clericatus exterminetur. Similiter in Galliis sub Sylvestro celebrata est Arelatensis secunda, cui ex aliis etjam Provinciis per multos Episcopos interfuisse scribunt. Ibi in 2. Canone statutũ fuit: Neminem in vinculo conjugij constitutum ad sacerdotium assumi, nisi fuerit promissa conversio, quasi scilicet scelus & piaculum esset legitimum conjugium.

Cœlibatus sacerdotum leges subinde rogatæ in synodis etiam Concilijs Elibertinum.

Concilium Arelatense.

Et hæc observatio præterea, quæ suprà ex Origene & Eusebio annotavimus, ostendit, quæ fuerint occasiones, quòd Episcopi in Nicæna Synodo, voluerunt legem universalem ferre, de cœlibatu sacerdotum. Cùm enim lex illa primùm per disputationes fuisset rogata, & posteà provincialibus quibusdam Decretis cœpisset ferri, petitum fuit in Nicæna synodo, ut perferretur, hoc est, ut universali authoritate confirmaretur, & ab omnibus ubique Ecclesiis reciperetur, sed ibi authoritate universali Concilii œcumenici, lex illa, quæ in Hispaniis & Galliis jam ferri cœperat, non est perlata, sed repulsa & abrogata, id, quod inde etjam constat. Olius enim Cordubensis provinciæ Hispaniæ Episcopus, Nicænæ synodo interfuit, consensit & subscripsit. Et post Arelatensem illam Gallię synodum, Hilarius celebris Ecclesiæ Pictavensis in Gallia Episcopus, conjugatus fuit, unde certò colligitur, Arelatense illud decretum, tunc abrogatum fuisse per Nicænam synodum. Non possum autem prætermittere, quin elegantes Mantuani versiculos, de Episcopali cõjugio Hilarii adscribam, qui ita inquit lib. 1. Fastorum:

Causa ferendi legem cœlibatus sacerdotum in Nicana synodo.

Mantuanus de coniugio Hilarii.

Integritas vitæ, legum prudentia, cultus
Cœlituum, tutela inopum diadema pedumq;
Pictavienſe tibi, dum nil mortalia curas,
Dum vivis tibi sorte tua contentus, & omni
Ambitione procul, populo applaudẽte, tulerunt:
Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor
Legitimo conjuncta thoro, non horruit illa
Tempestate Deus thalamos, cunabula, tædas.
Sola erat in precio, quæ nunc incognita, virtus
Sordet, & attrito vivit cum plebe cucullo.

Attexit autem Mantuanus multos pios, suo etjam tempore reprehendisse legem cœlibatus, quos versus posteà adscribemus.

Hæsce observationes de Nicæna synodo, quia plurimum habent utilitatis, & multum etjam lucis adferunt ad illustrandam totam hanc controversiam breviter hoc loco annotare volui.

Sed quid dicemus de appendice, quam addit Paphnutius de illis, qui cœlibes in ordinẽ sacerdotalẽ cooptati fuerunt, nihil dissimulabo. Sunt enim & hęc Paphnutii verba: Sufficere, ut qui clericatu ante nuptias vel cœlibes potiti essent, juxta antiquã Ecclesiæ traditionem ad nuptias amplius nõ accederent. Veteri autẽ proverbio dicitur, calũniare audacter semper enim aliquid hęretitat ex Sathanę calumniis contra conjugium, licet repellerentur, tamen aliquid adhæsit in Ecclesia. Digamiæ enim damnatio cùm non posset universaliter obtineri, cœpit ordini Ecclesiastico adhærere, sicut superius dictum est. Atque ita etjam cùm prohibitio conjugii in sacris ordinibus non posset in universum obtineri, aliquid tamen adhæsit. Consuetudo enim facta fuit sine aliqua lege, quòd illi, qui cœlibes ad sacerdotium assumpti erant, posteà non contrahebant matrimonium. Et Paphnutius quidẽ suadet, consuetudinem illam retinendã, sed tamen non dicit esse vel præcepti divini, vel constilii & traditionis Apostolicæ, sed vocat Ecclesiæ, non legẽ, sed παράδοσιν, hoc est, traditionem. Cumq; in priori parte asserat Scripturę testimonia, de altera illa clausula tãtùm Ecclesię consuetudinẽ allegat, quam tamen non fuisse universalem, nec legis necessitate, sine dispensatione impositam, manifestè ostendi potest, ex 10. Cano. Conc. Ancyr. quod aliquot annis præcesserit Nicæn. synodũ. Canon autẽ sic habet: Diaconi si in ipsa ordinatione protestati fuerint, velle se habere uxores, nec posse se continere, hi posteà, si ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea, qa his Episcopus licentiam dederit. Dederunt itaq; & potuerunt Episcopi dare licentiam contrahendi matrimonium, iis etjam, qui in ministerio constituti fuerunt: Consuetudo ergo & non legis necessitas fuit. Nam prohibere contrahere matrimonium doctrina Dæmoniorum est, 1. Timot. 4. Scriptura etjam veteris Testamenti sacerdotibus expresè permittit, ut possint contrahere matrimonium, Levit. 21. Ezech. 44. Et in novo Testamento non excipit Sacerdotes à communi illa regula, si se non continent, contrahant matrimonium, imò hoc fundamẽto Ancyranus Canon utitur. Quando

De iis, qui cerdotes ordinati fuerunt cœlibes.

De consuetudine, qua cœlibes ad sacerdotium assumpti fuerunt.

Dispensationes veteris Ecclesiæ.

do enim Diaconi protestantur in ordinatione, se non posse continere tunc episcopus dat ipsis potestatem, ut juxta Pauli regulam possint liberè etiam posteà contrahere matrimonium. Si verò in ordinatione professi fuerint continentiam, & posteà ad nuptias venerint, nõ prohibet quidem hoc Canon, & nuptias illas nec dirimit, nec damnat, sed inter eos, qui ad secundas nuptias transierunt (quod prorsus non esse peccatum Paulus affirmat, 1. Cor. 7.) ipsos habendos statuit Canone 19. & eodem jure, quo digamos, hos etjam à ministerio debere cessare sancit Canone 10. Ac consuetudinem non similem fuisse ubiq;, facile ostendi potest. Paphnutius enim notat Aegyptiacam consuetudinem de omnibus, qui ante nuptias in Clerum assumpti erant. Canon verò 25. qui Apostolorum titulum præfert, dicit, qui in Clerum pervenerunt (ἄγαμοι) cœlibes (κελεύομεν) jubemus. Lectores & Cantores solùm, si volunt matrimonium cõtrahere. Ancyranus verò Canon, etjam Diaconis hanc licentiam concedit. Tempore Hieronymi, sicut ipse testatur in libro contra Vigilantium, consuetudo fuit, quòd Diaconi, priusquã ordinarentur, ducebant uxores, ut ita conjugati, posteà possent à Diaconatu ad superiores ordines promoveri. Posteris verò temporibus, ex dissimili & libera illa consuetudine, facta est lex rigidissima, sicut ex 6. synodo generali patet. Iustinianus etjam in authentica de Sanctiss. collatione 9. dicit: Episcopum nõ posse Diacono tempore ordinationis permittere, ut post ordinationem ducat uxorem, quod cum Ancyrano Canone ex diametro pugnat, ita fit, quando non veritatem, sed consuetudinem extra verbum Dei sequimur. Sed de hac quæstione, posteà etjam quædam dicenda erunt. Nunc verò pergemus in contexenda historia.

Consuetudo dissimiliter servata fuit.

Consuetudo temporeliet-venyni.

Iustinianus rum cœlibatus sancit.

Post Nicenam igitur synodum, multi celebres Episcopi fuerunt uxorati, ut de Hilario dictum est, & de patre Basilii Magni historiæ diserte testantur. Nazianzenus verò etjam in laude ponit, quòd pater suus in ipso Episcopatu fuerit uxoratus. Et Mantuanus de eo canit:

Præsule patre satus, nam tunc id jura sinebant.

Pastorale pedum gesserit, post funera patris.

De Nysseno Episcopo fratre Basilii Magni dicit Nicephorus, quamvis is Episcopus conjugem haberet, tamen rebus illis fratri minimè cessit. De Spyridone verò celebri illo Episcopo Sozomenus dicit, lib. 1. cap. 11. Uxorem & liberos habuit, sed propterea nõ fuit, τὰ θεῖα χείρων, in rebus aut exercitiis divinis inferior aut deterior. Et Athanasius ad Dracontium dicit: Multi ex Episcopis matrimonia non inierunt, Monachi contra parentes liberorum facti sunt, & vicissim etjam Episcopi filiorum patres.

Conjugia sacerdotũ post Nicænã synodum.

Hilarius.

Pater Basilii Magni.

Nazianz. Orat. 3. Nyssen.

Spyridon.

Athanasius.

Maximè verò illustre exemplum extat in synodo Gangrensi, quomodo constitutio Nicæna, contra legem de cœlibatu sacerdotum, in actum fuerit deducta. Eustachium enim Episcopum narrat Sozomenus, lib. 3. cap. 14. in Armeniam Paphlagoniam & reliqua circa Pontum loca primum introduxisse Monachatum, præscripta peculiari regula, de cibis, de vestitu, & de aliis rebus, & dicit, quosdam confirmare, librum Asceticum, qui Basilii titulo fertur, hujus Eustachii esse. Is igitur inter cætera, quæ dissentanea à Canonibus, & typis Ecclesiasticis, instituit γάμον ἐκώλυε, sicut Socrates inquit, prohibuit contrahere matrimonium. Et multis mulieribus conjugatis persuasit à consuetudine conjugali abstinere, quas Sozomenus dicit, posteà cùm continere non possent in adulteria incidisse. Præcipuè verò sacerdotum cõjugio iniquus fuit, quòd Socrates ita describit, συλογίαν καὶ κοινωνίαν, hoc est, præces & sacramenta presbyteri uxorem habentis jussit fugere, ὡς μύσος, tanquam pollutionem & piaculum. Sozomenus dicit discipulos hujus Eustachii κατεμεμφομένους, hoc est, vituperasse seu reprehendisse conjugium, & presbyteros uxoratos contempsisse. Significat autem ὑπερφρονεῖν, quo verbo Sozomenus utitur, aliquem præ se contemnere, & quasi ex alto despicere. Cœpit autem institutum illud Eustachii paulò antè tempus Nicæni Concilii. Meletius enim, qui primus Arrium protraxit, substitutus fuit huic Eustachio, cùm à proprio suo parente Episcopatu dejectus fuisset, post quam dejectionem Monachatum illum instituit. Et hæc observatio de tempore historiæ Eustachii ostendit, ante tempus Nicænæ synodi, sicut in Hispaniis & Galliis, ita etjam in Armenia, Paphlagonia, & circa Pontum, legeni de cœlibatu sacerdotum magno supercilio caput cœpisse exerere. Et quia magnum institutum hoc habebat speciem sanctitatis, castitatis & puritatis, primò non ausi fuerunt Episcopi illius loci se opponere, sed cùm Nicæa, publica authoritate lex illa esset repulsa, abrogata & antiquata, cui synodo etjam Armeniæ, Paphlagoniæ & Ponti Episcopi interfuerant, reversi igitur domum, cum authoritate Nicænæ synodi armati essent, non longè pòst, Gangris Concilium celebrârunt, inquo Monachatum Eustachii damnârunt, & nominatim cõtra legem de cœlibatu sacerdotum posuerunt, 4. Canonem. Si quis discernit inter presbyterum conjugatum, tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, quodq; non oporteat, eo ministrante de oblatione percipere, & ab ejus oblatione ideò se abstinet, Anathema sit. Quæ verò hujus Canonis sententia sit, ex historia Eustachii, quam ex Socrate & Sozomeno recitavimus, intelligi potest.

Eustachius Episcopus contra sacerdotibus inter dicit in Armenia, &c.

Gangrense Concil. contra legem cœlibatus.

Hactenus igitur, magna, gravi & publica authoritate, lex de cœlibatu sacerdotum ex Ecclesia repulsa & exposa fuit, ut cogitari potuisset, hostem conjugii nunquam deinceps ausurum Ecclesiæ Lacantilenam illam repetere. Sed vix 40. annis interjectis majori impetu legem illam non jam rogare, sed stabilire & promulgare cœpit. Cùm enim Iovinianus virginitatem nimis abjectè haberet, nacti Hieronymus & Ambrosius campum latissimum, cœlibatum depresso conjugio, nimium extulerunt, præcipuè verò conjugio sacerdotum iniquissimi fuerunt. Fit enim in hujusmodi controversiis, quod Basilius venusta similitudine pingit, sicut insitores, quando incurvum tenellæ arboris statum corrigere student, plerumque nimia inflexione in alteram partem peccant, qualia verò fuerint argumenta Ambro-

Repetita lex cœlibatus sacerdotum in Ecclesia Lacantinа.

Iovinianus.

Basilius de insitoribus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sii & Hieronymi, nempe, quæ in vera antiquitate antea exposita & refutata fuerant, in præcedentibus declaratum est.

Epiphanius in Græca Ecclesia defendit legem cœlibatus.

Idem, apud Græcos eodē tempore magno conatu egit Epiphanius, prætextu traditionū, quarum peculiaris admirator fuit. Scribit igitur, lib. 2. Tom. 1. hæres. 59. contra Catharos. Sancta Dei Ecclesia non susc̄ipit ad sacerdotium adhuc τεκνογενῆντα, liberos gignentem, unius uxoris virum, sed qui se ab una cōtinet, aut in viduitate vivit, maximè ubi synceri, seu ut significātiùs loquitur Epiphan. ἀκριβεῖς, hoc est, exactè exquisiti sunt Canones Ecclesiastici. At dices mihi, inquit, omnino in quibusdā locis adhuc liberos gignere Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos, sed hoc non est juxta Canonem, sed juxta hominum mentē, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cùm non invenirentur, qui ministrarent. Ita Epipha. Sed ab hoc uno exemplo discere

Epiphanius cum tota antiquitate de cœlibatu sacerdotum pugnātia dicit.

possumus, quātum tribuendū sit patribus, quando sine Scriptura loquuntur. Vt enim pace Epiphanii & salva ipsius honorificentia, id, quod res est dicam, cum universa historia totius antiquitatis manifestè & exactè pugnat, quod ipse asserit, sicut ex iis, quæ hactenus demōstravimus luce meridiana clarius est. Et in re manifesta nihil addam ampliùs. Possem enim quærere, quem Canonem, & unde habeat Epiphanius de lege cœlibatus sacerdotum. Possem quærere, num Epiphanio non synceri sint Canones Pauli, Apostolorū, Ignatii, Dionysi, Ancyranæ, Nicænæ & Gangrensis synodorum. Positas quidem imò tentatas veriùs fuisse aliquoties leges seu Canones de cœlibatu sacerdotum ostēdimus, sed illas vera, gravi & publica autoritate repulsas & rejectas fuisse, ex certis historiis demonstravimus. Epipha. verò contra judicium totius veræ antiquitatis, rejectitios illos Canones judicat esse ἀκριβεῖς, & qui dem eo ipso vocabulo utitur, quo Pahpnutius, ubi contra legē cœlibatus Niceæ differens, dicit, ὑπερβολὴν ἀκριβείας, magis nocere Ecclesiæ. Hæc & alia possem verè contra Epiphanii temerariam assertionem adferre, sed putenda patrum prestat tegere, quàm denudare, nisi adversariorum impudentia veritatem inde oppugnantium aliud cogat. Certè Epiphanii illam narrationem, non tantùm præcedentes Scriptores, verùm etjam sequentes in Ecclesia orientali, & præcipuè 6. syno

Epiphanii sententiam Scriptores Ecclesiæ refutarunt.

dus manifestè redarguunt & refellunt, sicut series historiæ ostendet.

Ambrosii & Hieron. sententiam. Ecclesiæ praxis illis temporibus non recepit.

Cùm enim Ambrosius & Hieronymus suis disputationibus apud Latinos tumultuarētur contra conjugium sacerdotum: Ecclesia tamen hac in re veterem suam libertatem, illis temporibus adhuc retinuit, sicut ipse Hieronymus testatur. Nam lib. 1. contra Iovinianum ita inquit: Si autē Samuel duxit uxorem enutritus in tabernaculo, quid hoc ad præjudicium virginitatis, quasi nō hodie quoq; plurimi sacerdotes habeant matrimonia. Idem cum indignatione quadam refert, frequenter in ordinatione sacerdotali cœlibem ab Ecclesia negligi, & maritū assumi. Apud Græcos verò cùm Epiphanius rejectos Canones

Chrys. contra Epiphani

pro sinceris venditaret, Chrys. patrocinium conjugii sacerdotum suscepit, affirmat enim conjugium rem tam sanctam & bonam esse, ut cum eo, quis possit ascendere sacrū Episcopatus thronū sicut suprà sententias ipsius annotavimus. Nec tamē nihil damni dedit narratio illa Epiphanii, quantumvis revera totius antiquitatis historiæ repugnet. Externa enim species sanctitatis, facilè oculos hominum perstringit, ubi à norma verbi Dei discessum fuerit. Ita Socrates, libr. 5. cap. 22. narrat, se in Thessalia cognovisse hanc consuetudinem, quòd qui uxorem suam post adeptum clericatum cognovisset, ordine abdicabatur. Et illam consuetudinem dicit, inde fuisse ortam, quòd Theodorus quidam Clericus amatoria quædam poēmata edidisset. Et addit quidem consuetudinem illam irrepsisse etjam in Thessalonicam, Macedoniam, & Hellada. Sed disertè dicit, consuetudinem illam esse ἕτερον, hoc est, diversam & dissentientem à reliquis Ecclesiis. Nam inquit, in Oriente omnes, qui γνώριμοι. celebres sunt, etjā Episcopi, ἃ γὰρ βέλουσι οὐκ ἀνάγκην νόμοι, hoc est, si ipsis ita visum fuerit, proprio arbitrio, seu spontanea voluntate, non autem legis aliqua necessitate abstinent. Multi verò illorum, inquit, ipso tempore Episcopatus & (sicut Nicephorus addit) ipso Episcopali munere fungentes, in Episcopalibus ædibus, liberos multos ex legitimis conjugibus susceperunt. Sed cùm per certamen Iovinianī, in Latina Ecclesia doctrina de conjugio, præsertim quod ad sacerdotes attinet, valde esset perturbata, sicut ex Ambrosii & Hieronymi scriptis apparet, & in quibusdam etjam locis Græciæ, Nicenæ constitutio inciperet labascere, sicut ex Socrate ostendimus. Hanc occasionem hostis cōjugii ratus fuit, sibi non esse negligendum, cumq; antea, sicut ex historiis ostendimus, legem de cœlibatu sacerdotum aliquoties per Doctorum disputationes, per privata ut Eustachii institutа, per Concilia quædam provincialia, ut Elibertanum, Arelatense, & in generali etjam synodo Nicæna, magno, sed irrito conatu tentasset: Alia via, potentia scilicet, & vi negotium sibi aggrediendum existimavit, quam ad rem, eam sedem sibi utilem operam navare posse intellexit, in qua eum sessurum sciebat, qui amorem mulierum non curaturus esset, Dan. 11. In cujus manu pingitur calix plenus immundicia libidinis, Apocalyp. 17. Pontifices igitur Romanos, qui jam in alias etjam Ecclesias imperium sibi usurpare cœperant, delegit. Syricium enim primum fuisse, qui sacerdotibus in occidentali Ecclesia conjugia non dissuasit, sed prohibuit & interdixit, ipsorum historiæ & decreta testantur. Et ægrè sanè adducor, ut credam Syricium, cui veræ historiæ meliora tribuunt testimonia, tam contumelioſè contra Scripturam, & contra syncerā antiquitatis manifesta judicia, repetitis ipsissimis veterum hæreticorum argumentis, de legitimo conjugio ita scripsisse, sicut Epistolæ decretales, quæ ipsi tribuuntur, loquuntur. Scio enim vetustiori bus etjā Romanę Ecclesiæ Episcopis, multas epistolas suppositititas tribui. Possem etjam ostendere, Canones multò recentiores prohibentes Sacerdotibus consuetudinem conjugalē, falsò tribui vetustioribus, ut dist. 32. Vrbano, primo, dist. 81. Lucio primo, dist. 27. Calixto primo, ut falso

nem conjugij l. sacerdotum defendit.

Mos Thessalorū de cœlibatu.

Orientales Ecclesia de cœlibatu & conjugio sacerdotum.

Nicæna constitutio incipit labascere.

prætextu

prætextu antiquitatis imperitioribus imponant. Ita forsan Syricio, cujus aliqua fuit autoritas, ca, quæ multò post fabricata sunt, tribuere voluerunt, ut speciem aliquā doctrinis Dæmoniorum circundarent, sed non pugnabo. Sit igitur, quoniam Gratianus cum glossatore suo ita volunt, primus author prohibitionis conjugii in sacerdotibus Syricius. Si enim vel angelus è cœlo aliquid annunciaverit præter id, quod in Scripturis legalibus & Evangelicis accepimus (sicut Augustinus inquit) anathema sit.

Primus author prohibitionis coniugij sacerdotū in occidente. Rationes cur cœlibatus sacerdotum in Ecclesia Romana decretus.

Operæ precium autem est audire rationes & fundamenta, exquibus post annos à nato Christo 400. prohibitio conjugii & lex de cœlibatu sacerdotum in Pontificia Ecclesia rogata, lata, perlata, & aliis etjam Ecclesiis manifesta vi obtrusa est. Inde enim colligi poterit, an ex Scriptura, an ex vera & probata antiquitate, an verò ex doctrinis Dæmoniorum sit. Nihil enim est medium. Syricius igitur Epistola 4. & eum secutus Innocentius Epistola 3. expresse dicunt, se sacerdotibus conjugatis ideò interdicere cōsuetudinem cum propriis suis uxoribus, ut munditiæ & pudicitiæ puritate, securi possint orare, baptizare & sacrificiū offerre. Qui si contaminatus est carnali concupiscentia, hoc est conjugali consortio, quo pudore, qua mēte sacrificare usurpabit? qua conscientia, quo merito exaudire se credit? cùm dictum sit, munda mundis, inquinatis autē & infidelibus nihil mundū? Sequitur, sed fortasse hoc licere credit, quia scriptum est, unius uxoris virū. Non permanenti in concupiscentia generandi hoc dixit, sed propter continentiam futuram. Neq; enim integros non admisit, qui ait: Vellem omnes esse sic, sicut & ego. Quod & apertiùs declarat, dicens: Qui autem in carne sunt, Deo placere nō possunt. Vos autē jam non estis in carne, sed in spiritu. Et habentem filios, nō generantem dixit, Hæc sunt ipsorum verba. Syricius verò dist. 82. addit alias contumelioſas voces contra sacerdotes, legitima sua conjugia defendentes: Dicat mihi, inquit, quisquis ille est sectator libidinum, præceptor vitiorum, &c. Item, Noverint se nunquam posse venerāda tractare mysteria, à quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Loquitur autem, non de fornicatione, sed de conjugali consuetudine sacerdotum cum propriis suis uxoribus. Nec verò opus est hoc loco, accurata disputatione. In præcedentibus enim prolixè explicatum est, & per se patet, imo luce meridiana clarius est. I. Hæc decreta Syricii & Innocentii expresse, directè, & prorsus adversa fronte pugnare cum manifestis Scripturæ sententiis, quæ affirmant, in cōsuetudine conjugali esse sanctimoniam, pudicitiam, castitatem & cubile impollutum, quæ testimonia in præcedentibus sunt exposita. II. Decreta illa ex diametro contraria esse ipsis Apostolorum Canonibus, sententiæ ignatii, judicio Dionysii, Nicenæ Synodo, Concilio Gangrensi, & probatis veræ antiquitatis exemplis, sicut collatio horum Decretorum ad illa, quæ ex veris historiis hactenus annotavimus, liquidò ostēdit. III. Manifestum est & hoc, eadem prorsus argumenta, & easdem Scripturæ sententias, quæ in Decretis Syricii & Innocentii repetuntur, veteres hæreticos cōtra conjugium

Nefunt in carne.

Syricii voces contumelioſæ.

Per Pontifices Romanos redintegratur lex de cœlibatu sacerdotum. Syricius legē de cœlibatu urget.

Decretā Syricii & Innocentii. Scripturæ repugnant.

Repugnant Canonibus Apostolorū, sententiis Episcoporum & Concilius.

Sunt exscholia hæreticorū repetita.

usurpasse, sicut in principio hujus tractatus ostēdimus, & negari non potest. Quia itaque non ex Scriptura, nec ex judiciis veræ & probatæ antiquitatis, sed ex veterum hæreticorum lacunis, de prompta sunt illa Pontificia decreta, possemus rectè & verè judicare, quod profecta sint ex spiritibus erroris, & ex doctrinis Dæmoniorum, 1. Timot. 4. Sed ne nostrum judicium suspectum sit, pronunciet sententiam Ignatius in Epistola ad Philadelphienses: Quicunque, inquit, dixerit, consuetudinem conjugalem esse labem, & inquinationem, hic inhabitatorem habet Draconem illum Apostatam. Nec valet exceptio, quòd non in universum de omnibus fidelibus, sed tantùm de sacerdotibus loquantur Pontificia decreta. Paphnutius enim in Nicæna synodo, magnaac sonora voce asseverat, etjam in sacerdotibus cubile conjugale esse honorabile & impollutum. Et Manichæi nō in universum omnibus suis auditoribus, sed tantùm electis tanquam perfectioribus & sanctioribus, conjugium prohibuerunt, & tamen fuit doctrina Dæmoniorum. Quòd verò Syricius præfatur, præcepta illa sua esse Apostolica, & Patrum constitutione institura, falsum testimonium est, sicut 6. synodus ostendit. Quòd verò addit, propter Gētes, sacerdotibus Ecclesiæ imponendum esse cœlibatum, in eo veram legis suæ originem ostendit, sicut in principio hujus historiæ monstravimus. Sed hæc in præcedentibus diligenter sunt explicata.

Refutantur ab Ignatio.

Pergamus igitur nunc in ordine historię. Non autem juxta Apostolicam Pauli modestiam, tanquam consilium Decreta sua Pontifices isti propoſuerunt, sed Syricius, quasi in cacumine montis Sinai sederet, fulminat: Si quis ab hac Canonis ratione voluerit evagari, sciat se & à nostra communione secluſum, & gehennę pœnas habiturum. Epistola 4. & dist. 82. inquit: Si quis Episcopus, Presbyter aut Diaconus fuerit in conjugali consuetudine inventus, omnem sibi per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum, quia ferro necesse est ut abscindantur vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam.

Cōminationes Syricii.

Quāta cum difficultate cœlibatus sacerdotum Ecclesiis per Rom. Pontifices obtrusum.

Sed ordo historiæ exigit, ut consideretur, quo modo Romani Pontifices legē suam de cœlibatu aliis Ecclesiis obtruserint, & quanta multorum annorum difficultate, multis undiq; contradicentibus, violenter tandem jugum hoc Ecclesiis occidentalibus imposuerint. Vt enim brevitatis gratia non singula cōmemoremus, satis indicii, hoc est, quòd post Syricium omnes fermè Pontifices, una illa lege cœlibatus perferenda occupatissimi fuerunt: Quodq; ab illo tempore, in tot provincialibus synodis, longo tempore lex illa, variis subinde modis repetita est, quibus nihil opus fuisset, si Syricii decretum cū approbatione Ecclesiæ receptum fuisset.

Quibus primum cœlibatus obtrusum. Hispani. Galli.

Observandus autem est actus Pontificū, quòd illis primum provinciis legem cœlibatus sacerdotū obtruserunt, in quibus intellexerunt sparsa esse quædam ejus seminaria. Quia enim in Hispaniis & Galliis antea per Elibertanum & Arelatense Concilia tentata fuerat lex ista, licet per Nicænam synodum esset inducta & abrogata, tamen quædam seminaria ibi adhæsisse, non est dubium. Quomodo etjam in Thessaliam &

Thessali.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Macedones. Macedoniam cœperit superstitio illa irrepere, antea ex Socrate ostendimus. Et ex Monachatu Essæorũ apud Aegyptios, in Aphricam cõtagium quoddam transisse verisimile est. Syricius igitur ad Hispanos & Aphricanos. Innocentius ad Italos, Gallos & Macedonicos. Leo ad Thessalonicenses & Africanos, decretales suas Epistolas de lege cœlibatus potissimum miserunt. Iudicârunt enim illis provinciis primum occupatis, facilem patere aditum ad expugnandas reliquas.

Aphricani. Syricius. Innocentius. Leo.

Carthaginẽ. Cõcilium de cœlibatu.

Et Carthaginense quidem Concilium secundum, Canone 2. ex præscripto Syricii dicit: Omnibus placet ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etjam ab uxoribus propriis se abstineant. Rationis verò loco additur manifestum & iuculẽtum mendacium, his verbis, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoq; custodiamus. Vnde judicium potest fieri, quãtum decretis illis tribuendum sit. Animadvertit hoc Gratianus, atq; ideo inseruit voculam (Apostoli docuerunt exemplo) Et glossa ridiculè inquit: A tempore Syricii hîc vocat antiquitatem, cùm ipso tempore Syricii Cõcilium illud celebratum fuerit. Et tamen sacerdotes Africanos decretum illud nõ statim recepisse, inde colligitur, quòd in quinto Concilio Cartha. adhuc repetendũ fuit. Ita in Galliis Episcopi quidam, forsan quia antiquitùs castrati matris Deũ sacerdotes, Galli fuerant, & quia non multò antè etjam in Arelatensi synodo hoc tentârant, sed per Nicænã synodum impediti fuerãt, cupidè conati fuerunt tunc Romanis Pontificibus gratificari. Sed sacerdotibus repugnãtibus, tot difficultates ipsis objectæ fuerunt, quòd annis amplius 200. continuis, multis & variis synodis provincialibus, ut Agatensi, Araufi cana, Avernensi, aliquot Aurelianensib. Turonensibus, Matisconẽsibus & Antisiodorien sib. hoc saxum ipsis voluendũ fuit. Et tamen in Turonensi secunda, Can. 8. & 15. annis post Syricium 170. Galliæ Episcopi, Archipresbyteri, Diaconi & Subdiaconi adhuc uxorati fuerunt. Imò in Antisiodorensi 2. annis post Syricium ducentis & amplius, Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, in Galliis adhuc uxores habuerunt, quæ Presbyterę nominatæ fuerunt, Can. 21. & 22. Imò in mediis turbis, cùm Gallici Episcopi in provincialibus suis synodis legẽ cœlibatus urgerent. Salvianus Massilensis Episcopus, vir doctissimus, circa annum 480. legẽ de cœlibatu expressè reprehendit, lib. 5. de providẽtia Dei. Novum prorsus, inquit, est cõversionis genus: Licita non faciunt, illicita committunt: Tẽperant à conjugio, & non tẽperant à rapina. Quid agis stulta persuasio? Peccata interdixit Deus, non matrimonia. Item, non est conversio, sed aversio. Qui jam pridem, ut fama est, opus honesti matrimonii relinquitis, tandem à scelere cessate. Alludit autem Salvianus ad Canonem illum: Non assumendum conjugatum ad sacerdotium, nisi promissa fuerit conversio, quasi à labe & scelere.

Ratio decreti est mendacium.

Glossa ridicula.

Difficultas perferendi hanc legem in Gallia.

Hispania repugnat legi cœlibatus.

In Hispaniis verò Tarraconensis Episcopus scribit Syricio, sacerdotes non posse adduci, ut legem cœlibatus recipiant. Et in Toletana prima, tempore Syricii, Patronus Episcopus ita præfatur: Mihi placet primitus cõstituta Nicæni Concilii perpetuò esse servanda, nec ab eis recedendum. Et universi Episcopi mox referunt se ad gesta Nicæni Concilii, in quo quid de sacerdotum conjugio statutum sit, suprà ostẽdimus. Ac Presbyteros, Diaconos & reliquos Clericos habuisse tunc uxores, patet ex Canone 4. & 7. Imò etjam post ordinationẽ generasse, primus Canon ostendit. Dicit enim, Presbyteros & Diaconos, si post ordinationem filios genuerint, ad altiorem gradum non ascẽdant. Postea verò in multis Hispanicis synodis, ut Gerundensibus, Hispalesibus & Toletanis, contumeliosè tractatum fuit conjugium sacerdotum. Accesit etjam brachium seculare, per vim stabiliens legem cœlibatus. Et tamen post annos à Syricio ducentos, Isidorus Hispalensis Episcopus edidit regulam de vita Clericorum, in qua inter cætera dicit. dist. 23. Clerici castimoniam non violati corporis perpetuò observare studeant, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur.

Isidorus de coniugio clericorum.

Galliis igitur tandem & Hispaniis sub jugum cœlibatus fermè missis, sensim alias etiam Provincias aggredi cœperunt Pontifices. Nam circa annum 585. Ecclesia Syracusana elegerat Episcopum, habentem superstitem uxorem & liberos. Pelagius verò confirmationẽ integro peuè anno distulit. Sed Syracusani in proposito suo irrevocabiliter perstiterunt, ut Pelagius ipsis, ne amplius insanirent (sicut loquitur) cedere fuerit coactus, distin. 28. ubi Pelagius non dissimulat, principalem causam legis de cœlibatu sacerdotum, esse opes Ecclesiasticas. Et dist. 31. Gregorius narrat ante triẽnium, hoc est, circiter annum Domini sexcentesimum, ducentis post Syricium annis, Subdiaconis Siciliæ prohibitum fuisse, ut more Romanæ Ecclesiæ, suis uxoribus nullatenus miscerẽtur. Addit autem Gregorius: Vsum talis continentiæ, in Ecclesiis Siciliæ antea non fuisse, atq; ideò istis Subdiaconis concedit usum conjugum, sed in posterum neminem vult ordinari, nisi continentiam promiserit.

Sicilia tenuata lege cœlibatus.

Memorabile autem est, quod Epistola Vlrici refert, Gregorium cùm ex piscina quadam allata, plus quàm sexies mille infantum capita vidisset, ingemuisse, & decretum de cœlibatu tantæ cædis causam confessus, condigno illud pœnitentiæ fructu purgasse. Decreto enim illo prorsus damnato, Apostolicum illud laudasse consilium, Melius est nubere, quàm uri. Imò addidisse ex sui parte: Melius esse nubere, quàm mortis occasionem præbere. Hæc Vlricus.

Memorabilis fructus legis de cœlibatu sacerdotum.

Gregorius de cœlibatu.

Et quidẽ ipsi sedi Romanæ præfuerũt Pontifices, ex sacerdotum cõjugiis nati, dist. 56. Bonifacius primus, Felix tertius, Gelasius primus, Agapetus primus, Sylverius Deus dedit, Theodorus, Hadrianus secundus, Agapetus secũdus ab anno Domini 423. usq; ad annũ 950. Et ne de Gratiani palea dubitetur, idem confirmat etiam Platina & Volateranus. Nec valet exceptio, quasi illi vel ex fornicatione, vel ante susceptos sacros ordines ex sacerdotib. nati fuerint. Gratianus enim cap. Cenonanense, expressè dicit: Non sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis cõjugiis nati, quæ sacerdotibus ante prohibitionẽ ubiq; licita erant, & in orientali Ecclesia usq; hodie eis licere probantur.

Pontifices Romani nati patribus sacerdotibus.

Cùm

Cùm vero in Occidentali Ecclesia lex cœlibatus ita tumultuaretur tentatæ quidem fuerunt etjam Græcæ Ecclesiæ in Thessalia præcipuè & in Macedonia, sicut de Innocentii & Leonis decretalibus suprà diximus. Sed Orientales Ecclesiæ jugũ illud sibi injici passæ non sunt, retinuerunt verò & defenderunt veterem libertatem. Licet ex Occidentali lege cœlibatus etjam in Oriente quędam adhęserunt. Circa annum igitur 530. Iustinianus in Authentica de sanctiss. collat. 9. talem fecit constitutionem: Clericos non aliter ordinari concedimus, nisi literas sciant, & recta fide ac honesta vita sint, & neq; concubinam, neq; naturales habuerint aut habeant liberos, sed qui vel cœlibem vitam agunt, vel uxorem habuerũt aut habent legitimam, & eam unam & primam, neq; viduam neq; repudiatam, &c. Et in Novellis constit. 8. Laudat Epiphanium Episcopum Constantinopolitanum, quòd ex sacerdotibus & genus & originem ducat. Romani tamen per Iustinianum tentârunt legem cœlibatus. Dicit enim, col. 6. se illos præferre qui habentes uxores cum illis non cohabitant, sed cœlibatum eligunt. Et col. 9. sancit Diaconos non ordinandos nisi professi fuerint cœlibatum, sed hæc Græci in 6. universali synodo retractârunt.

Ecclesiæ orientales legẽ cœlibatus aversatæ sunt. Iustiniani cõstitutio.

Postea enim circa annum Domini 690. Græci seu Orientales videntes jugum cœlibatus, Occidentalibus quibusdam Ecclesiis per vim injectum, & legem illam subinde ab aliis etjam Provincias progredi, cùm quidem antea etjam in parte quadam Hellados, hypocrisis illa puritatis irrepere cœpisset, sicut Socrates narrat, & Iustinianus etjam ab Episcopis quibusdam persuasus, eo inclinasse videretur. Circa annum Domini 530. in Authentica quomodo oportet, ubi inquit: Nihil sic in sacris ordinib. diligimus, quàm cum castitate viventes, aut cum uxoribus nõ cohabitantes, aut unius uxoris virum, qui sive fuerit, sive adhuc sit, & ipse castitatem eligat, &c. Ne igitur in Orientalibus Ecclesiis, ex hujusmodi principiis quasi seminariis, idem accideret, quod in Occidentalibus judicârunt legi cœlibatus instar Gangrenæ serpenti, maturè occurrendum, idq; non privatis doctorum disputationibus, sed publica autoritate, & generali universalis synodi constitutione. Mox igitur post sextam generalem synodum, convenerunt in Trullo Regii pallatii 227. patres, & inter reliquos Canones, de cimumtertium hac de re posuerunt, qui etjam repetitur, dist. 31. Can. Quoniam.

Orientales Ecclesiæ tenentes legem cœlibatus.

Orientalium Episcoporum Canũ procon ugio sacerdotum.

Primò autem Canonem illum, sicut apud Gratianum extat, recitabimus, deinde ex Græco sub jungemus verfionem. Ita igitur Gratianus Canonem hunc refert: Quoniam in Romani ordine Canonis esse cognovimus traditum, eos qui ordinati sunt Diaconi vel Presbyteri, confiteri, quod non suis jam copulentur uxoribus, antiquum sequentes Canonem Apostolicæ diligentiæ, & constitutiones sacrorum virorum, legales nuptias amodo valere volumus, nullo modo cũ uxorib. suis eorum connubia dissolventes, aut privantes eos familiaritate ad invicem, in tempore oportuno. Quicunq; ergò dignus inventus fuerit subdiaconali ordinatione, aut diaconali aut sacerdotali, hi nullo modo prohibeantur, ad talem ascẽdere gradum, quo uxoris suæ cohabitatione, nec etjam tempore ordinationis suæ profiteri castitatem cogantur, quod abstinere debeant à legalis uxoris familiaritate. Item, oportet eos qui altari ministrant, in tempore oblationis sanctorũ, continentes esse in omnibus, ut à Deo possint consequi quæ suppliciter postulant. Si quis igitur præsumpserit, contra Apostolicos Canones, aliquos presbyterorũ & diaconorũ privare à contactu & communione legalis uxoris suæ, deponatur. Similiter & Presbyter aut Diaconus, qui religionis causa uxorem suam expellit, excommunicetur, si verò in hoc permanserit, deponatur. Multis modis obscurè & incommodè redditus est hic Canon, quod arbitror non tam à Gratiano factum, quam ab aliis Pontificiis postea, quibus Canon ille fuit tanquam fudes in oculo. Ideò studiosè verba ejus, quasi per ludibrium divexâ runt, ut Canon dicere videretur: Sacerdotes Romanæ Ecclesiæ profiteri, quod copulentur uxoribus nõ suis. Nam & in tomis Conciliorũ prorsus expunxerunt & omiserunt illum Canonem. Cromerus verò disputat non esse genuinum.

Canon sicut extat apud Gratianum.

Sed in Græco Nomocanone extat, citatur à Nilo Thessalonicensi, interpretantur eum Gentianus, Hervetus & Perionius etiam. Ego simplicẽ versionẽ ponã, additis alicubi Græcis vocabulis, ut emphasis rectius expendi possit. In hanc igitur sententiam Græcus Canon loquitur: Quoniam in Romana Ecclesia (ἐν τάξει κανόνος) loco Canonis seu decreti, traditum esse cognovimus (μέλλοντας ἀξιοῦσθαι) ut ii, qui digni habẽdi sunt ordinatione Diaconi vel Presbyteri (καθομολογεῖν) profiteantur, se deinceps cũ uxoribus suis non congressuros seu cõcubituros (συνάπτεσθαι.) Nos sequẽtes (ἀρχαίαν) veterem Canonem (ἀποστολικῆς ἀκριβείας καὶ τάξεως) Apostolicę, sinceræ, exquisitę & ordinatæ constitutionis, legitimas sacrorũ virorum (συνοικέσια) cohabitationes conjugales etjã ex hodierno die in posterũ (καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν) valere, ratas & firmas esse, (ἐρρῶσθαι) volumus. Nullo modo eorũ cum uxorib. propriis (συνάφειαν) conjunctionẽ seu copulationem dissolvẽtes, aut (ἀποστρέφοντες) fraudãtes eos (κατὰ καιρὸν τὸν πρὸ σκηνοπηγίας) cõsuetudine conjugali, quę convenienti tempore fiat. Itaq; si quis dignus inveniatur Hypodiaconi, Diaconi aut Presbyteri ordinatione, is minimè prohibendus est ad hunc gradum ascendere, ideò quod cum legitima uxore (συνοικῶν) cohabitet. Nec tẽpore ordinatiõis suæ (ἀπαίτεσθαι) postuletur ab eo, seu cogatur, ut profiteatur (ὡς ἀποσυσσεῖσαι) quod abstinere velit aut debeat legitimo congressu cũ propria uxore, non autem indiscriminatim cũ uxoribus suis conjunctionẽ habebũt, sed vicis suæ tẽpore abstinebunt. Si quis igitur præsumpserit contra Apostolicos Canones, diaconos & sacerdotes post ordinationẽ, cõsuetudine cũ legitimis suis uxorib. privare deponatur: Similiter & qui ordinantur, si uxores suas prætextu pietatis abjiciãt, excõmunicentur.

Canon Græcus.

Multa in hoc Canone sunt consideranda. Non enim hoc tantùm dicunt Orientales, quòd constitutiones & Canones Romanæ Ecclesiæ de lege & voto cœlibatus sacerdotum non velint recipere, sed rationem addunt gravissimam, quia sci-

Expendũtur verba Græci Canonis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

licet Romanæ illæ constitutiones, pugnent contra veterem Canonem Apostolicæ constitutionis, ubi disertè cautum est: Ne prætextu religionis consuetudo conjugalis sacerdotibus prohibeatur, Canone Apost. 5. Et eo ipso, quòd Canonem illum, de consuetudine conjugali sacerdotibus licita, vocant ἀρχαῖον, ex antithesi notant Romanum Canonem de lege & voto cœlibatus esse νεώτερον novitium, sicut Socrates etjam eum appellat. Similiter etjam eo ipso, quod hunc Canonem de conjugio sacerdotum affirmant esse Apostolicam constitutionem, negant Romanæ Ecclesiæ constitutiones de cœlibatu sacerdotum esse Apostolicas. Ac ideò meritò dicunt, se repudiato Romanæ Ecclesiæ decreto, veteri Canoni Apostolicæ constitutionis velle obsequi, hoc enim significat ἐξακολουθεῖν. Et quia Epiphanius ausus fuerat disputare: Canonē illū de consuetudine conjugali sacerdotib. permissa, non esse ἀκριβῆ, hoc est, minus sincerū (sicut interpres reddidit) seu minus exactū & exquisitū. Patres illi confirmant, in eo Canone esse Apostolicā ἀκρίβειαν, hoc est, Apostolicā sinceritatem exactā & exquisitam. Ac diligenter observetur, Epiphanii disputationē de Canone cœlibatus sacerdotū, in generali synodo, publica autoritate esse rejectam & explosam. Quòd verò Latini cōtenderunt, Apostolos temporis tantùm gratiā Canonem illum posuisse, ut progressu temporis emendaretur, hoc Patres illi negant. Dicunt enim, Apostolicam illam constitutionem esse sinceram & exquisitam, & in posterum etjam debere valere. Et tandem ex hoc fundamento, decretum faciunt: Conjugium nequaquam debere impedimento esse, quo minus is, qui idoneus est, ad sacros ordines assumatur & evehatur, & à nemine tempore ordinationis exigendum esse votum cœlibatus: Imò depositioni & excommunicationi subjiciunt, si quis vel legem cœlibatus sacerdotibus imponat, vel si quis in sacris ordinibus constitutus, prætextu pietatis & religionis consuetudinem conjugalem abjiciat. Quòd dicunt de convenienti tempore consuetudinis cōjugalis, respiciunt ad locū Pauli, 1. Cor. 7. qui in præcedentib. explicatus est. Nam & Paulino verbo (ἀποσυρόντες) utuntur. Gratianus verò, eo loco peregrina verba ex secunda synodo Carthaginensi infarsit: Qui altari ministrant, debent in omnibus esse continentes, quo possint simpliciter, quòd à Deo postulant, impetrare.

Epiphanius sententiam Synodi revellit.

Aliquid de cœlibatu in Orientales Ecclesias irrepsit.

Porrò licet hoc modo Orientalis Ecclesia libertatem conjugii sacerdotum, contra Occidentales rectè defenderet, aliquantulum tamen etjam in Oriente, tunc à prioribus institutis recessum, & occidentalibus aliquid concessum fuit. Nam in eadem Synodo, Can. 3. dicunt: Quia Romana sedes, quòd ad sacerdotum conjugium attinet, summum jus. Constantinopolitana verò ἐπιείκειαν servavit, nos ex duobus illis medium componamus, &c. Atq; inde factum est, quòd eos qui vel ad secundas nuptias transiêrunt, vel qui viduam, repudiatā, ancillā, meretricē duxerunt, noluerint in posterum ad sacerdotiū admittere, Can. 3. Et quod 13. Canone sacerdotibus concedunt, hoc Episcopis negant. Nam in 12. Canone Episcopum jubent à propria uxore secedere post ordinationem. Et Can. 48. uxor Episcopi in monasterium detruditur. Quod cum Nicæna synodo, & eā Apostolico, Canone 5. expresè pugnet, ubi tam Episcopis, quàm reliquis sacerdotibus usus conjugii non tantùm permittitur, sed Episcopus prætextu religionis uxorem abjiciēs, deponitur & excommunicatur. Ex eadem etjam mixturā in 6. Canone Constantinopolitano decernūt, ut DEINCEPS, presbyteris, Diaconis & Subdiaconis, post ordinationem nō liceat conjugium contrahere. Quia enim dicunt (deinceps) ergo antea licuit. Ne tamen laqueum videantur cuiquam injicere, permittunt & suadent, ut qui continere non possunt, uxores ducāt priusquam ordinentur, quam cautionem etjam hodie Græci usurpare dicuntur. Et inde Sigismundus Baro scribit, apud Moscovitas sæpè eodem die unum & eundem uxorem ducere, & mox postea ad gradum diaconatus ordinari.

Episcopis conjugio interdictum.

Cum itaq; hoc modo (accedente etiam Imperatorum authoritate, sicut in Canone 3. patet, qui in oriente tunc sedem Imperii habebant) lex cœlibatus ex orientalibus Ecclesiis exclusa esset, & Iustiniani Authenticæ correctæ Romani Pontifices abjecta omni spe, quod Orientem etiam lege illa sua occupare possent, constituerunt, in reliquis Occidentis Ecclesiis, conjugio sacerdotum proscripto, legem cœlibatus strenuè urgere. Et astutè Canonem Constantinopolitanum ita interpretari cœperunt, quasi Oriente tantùm excepto, totus Occidens legi cœlibatus subjectus esset. Ita enim Stephanus II. distin. 31. Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam eorum Sacerdotes, Diaconi aut Subdiaconi, matrimonio copulantur. Istius autem Ecclesiæ, vel occidentalium, nullus sacerdotum à Subdiacono usq; ad Episcopum, licentiam habet conjugium sortiendi. Quasi verò aliud esset Evangelium in Oriente & aliud in Occidente. Atq; Orientalium traditionem constat esse Apostolicam, Scripturæ scilicet, veræ etiam & purioris antiquitatis. Qualis verò & unde sit Occidentalis traditio, prohibens coniugium, Paulus nominatim explicat. 1. Tim. 4. & Ignatius in Epistola ad Philadelphienses, sicut suprà dictum est.

In occidentalibus Ecclesiis lex cœlibatus urgetur.

Stephanus secundus.

Exigeret autem ordo historiæ, ut porrò ostenderemus, quibus artificiis, & quantis difficultatibus lex de cœlibatu sacerdotum, reliquis etiam Occidētis Ecclesiis obtrusa sit. Sed quia instituti nostri non est integras historias cōtexere, breviter tantùm quędā annotabimus, quando & quomodo, lex ista Angliæ, Hiberniæ, Germaniæ, Poloniæ, Bohemiæ, Daniæ, Suecię Ecclesias, magnis turbis, & diuturnis difficultatibus invaserit.

Et in singulis hoc observetur, quòd Evangelium, quādo primò in istis locis plantatum fuit, non attulerit secum legem de cœlibatu sacerdotum, sed quod multò pòst, sacerdotibus in illis provinciis, ab initio Evangelii habentibus usum coniugii, lex ista imposita, & superseminata fuerit tanquam zizania inter triticum. Iure enim hic etiā illud Tertulliani valebit. Quod primum verum, adulterinum autem quod posterius.

Britanniæ conversa quædo.

Britanniam igitur seu Angliam omnium provinciarum primam Christi nomen recepisse, Sabellicus autor est. Doctores enim Ecclesiarum Britannicarum numerantur, inde ab anno Domini 170. & ulterius, & tamen per multas annorum centurias, Britannia legem cœlibatus sacer dotum ignoravit. Circa annum verò Domini 600. Augustinus Monachus Romanus, à Pontifice Gregorio missus fuit in Angliam, ut Romanas traditiones Ecclesiis Britannicis inferret, sed huic Episcopi & Doctores Britanniæ fortiter primò se opposuerunt, atque ideò, licet cœlibatus sacerdotum pars non postrema esset Romanarum traditionum: Augustinus tamen ille cùm videret, conjugium sacerdotibus Britanniæ usitatum esse, non statim prohibitionem conjugii ipsis obtrusit. Sed orsus ab aliis pompaticis ceremoniis, homines primum in admirationem Romanæ sedis adduxit, postea sensim & ipse & successores ejus fundamenta legis de cœlibatu sacerdotum, variis artificiis cœperunt substruere, partim mirificis encomiis castitatis, quam in solo cœlibatu constituebant, partim in introducta in Angliam hypocrisi Monachorum Benedictinorum.

Tentata lex cœlibatus in Anglia. Augustinus. Monachus.

Brituvaldus Lundensis Episcopus. Beda.

Circa annum verò Domini 714. Brituvaldus Lundensis Archiepiscopus, in Synodo tentavit sacerdotibus conjugium prohibere, sed non potuit hoc obtinere. Interea Beda contra conjugiū sacerdotum disputabat (mortuus enim est anno 734.) ut dist. 31. Sacerdotibus ut semper valeant altari assistere, semper ab uxoribus est abstinendum. Post Bedam verò, Monachorum declamationibus & hypocrisi, Clericorum conjugium in magnum contemptum apud vulgus adductum fuit. Odo igitur Cantuariensis Episcopus, circa annum Domini 950. magno tumultu sacerdotum nuptias hæreticas judicandas decernebat. Sed quia una erat, sine verbo Dei & sine viribus, insania, Dunstanus successor Odonis, alia via rem aggrediendam judicavit. Et operæprecium est observare, cùm disputationibus, declamationibus & hypocrisi, non possent legē cœlibatus, & prohibitionem conjugii invehere, quibus tandem rationibus hoc perfecerint. Monachi sparserant fabulam, Gabrielem Angelum in charta quadam 12. articulos signatos detulisse, quòd conjugium sacerdotum non esset tolerandum, mox Dunstanus Romam ad Pontificem proficiscitur, & inde redit in Angliam, anno 960. horribili bulla Ioannis 13. ornatus, qua ipsi dabatur summa authoritas, ut sacerdotes Britannici vel uxores abjicerent, & votum cœlibatus susciperent, vel omnibus prorsus Ecclesiasticis proventibus exuerentur. Adjunxit verò sibi Dunstanus etjam brachium seculare Regis Edgari, ut si clave non posset solvere, gladio nodum illum dissecaret. Cumq; sacerdotes legitimas suas uxores nollent abjicere, Dunstanus ipsos eo titulo, quasi essent vasa fornicationum, ab Ecclesiis cathedralibus expulit, & Monachos Benedictinos in ipsorum locum substituit, unde nomen Canonicorum regularium ortum, ad hunc usq; diem durat. Multis verò bonis, tyrannis illa displicebat. Ortæ igitur fuerunt magnæ turbæ in regno Angliæ, circa annum 975. ita ut causa presbyterorū ejectorum, ad delectos judices deferenda esset, qui cùm Vintoniæ in Monachorum conclavi, in frequenti confessu ea de re agerent,

Odo Cantuariensis.

Dunstanus.

Fabula de 12. articulis Gabrielis Archāgeli.

Bulla Pontificis ad Anglos.

Gladius regis Edgari.

Sacerdotia Angliæ transmutantur Monachis Benedictinis.

Turbæ in Anglia propter

& jam major pars decerneret, presbyteros esse restituendos ad pristinos honores. Ecce subitò vox audita est, non benè sentiunt, qui presbyteris favent. Verum quia imago Christi de cruce pendentis, quæ ibidem proftabat, visa fuit eam reddidisse vocem, ita fides habita est oraculo, ut presbyteri causa cecidérint, & turba omnis sedata sit. Hæc Polydorus, libr. 6. Anglicæ historiæ, qui addidit, multos tunc existimasse, Phœbi magis quàm Dei oraculum illud fuisse, hoc est, hominum fraude non Dei nutu editum. Inde Canutus rex, circa annum Domini 1020. sacerdotes, eò quod uxorati essent, ex templo Burtensi, substitutis Monachis ejecit, idem postea Eduardus fecit in collegio Oxoniensi.

legem cœlibatus ortæ.

Vox incerto autore prolata litem dirimit.

Canutus rex

Sed circa annum 1097. cùm Rex Vuilhelmus, accepto annuo tributo, presbyteris conjugatis uxores relinqueret, & reliquis potestatem faceret cōtrahendi matrimonium. Anshelmus Cantuariensis se opposuit, & in synodo Londinensi, anno 1102. sacerdotibus uxores prohibuit. Variæ in illa synodo disputationes fuerūt, quibusdam mundissimum hoc visum fuit, quibusdam verò periculosum, ne dum mundicias viribus majores apprehenderent, in immundicias horribiles, ad Christiani nominis summum dedecus, incideremt, ac mox anno sequenti, publicis querelis ad Anshelmum delatum fuit, loco prohibiti conjugii, cœpisse per totam Angliam regnare vitium Sodomiticum, & ex Clero cōtagium illud etjam ad Laicos serpere. Anshelmus novis edictis hoc reprimere studuit, sed frustra, cùm remedium divinitùs institutum prohiberet. Cùm verò ne hac quidem ratione prohibitio conjugii ab omnibus reciperetur, Anshelmus causam ad Romanum Pontificem detulit, à quo missus Ioh. Cardinalis in synodo Londinensi, Pontificia autoritate, cōjugium sacerdotum denuo prorsus damnavit, anno 1125. Sed mirabili judicio Dei, sequenti nocte cum scorto in lecto deprehensus, captus fuit. Cumq; Episcopi postea, anno 1129. illam Cardinalis sententiam executioni mandandam, à Rege Henrico flagitarent, is accepta à Clero pecunia, permisit ipsis five uxores, five mulieres. Missus igitur tandem, Albertus Ostiensis ab Innocentio, anno 1138. conjugium sacerdotum in perpetuum proscribit ex Anglia. Et tamen postea etjam, multi eruditi sacerdotes in Anglia, legitimas uxores & liberos habuerunt, quos recenset Balæus 3. Centuria 10. Reliqui, qui uxores dimittebant, & easdem loco concubinarum recipiebant, tolerabantur.

Redditæ sacerdotib. Angliæ uxores.

Anshelmus cœlibatū sanxit.

cerdotū pugnat.

Synodus Londinensis.

rit lex cœlibatus.

Ioan. Cardinalis damnans coniugia sacerdotū cum scorto capt9.

Albertus Ostiensis.

Hæc ex Balæi Centuriis, qui ex certis historicis ea descripsit, collecta, pro ratione instituti nostri, hoc loco breviter annotare volui. Et grata nobis debet esse illa historia. Manifestè enim ostendit, Christum Evangelium quidem suum Britanniæ intulisse, circa annum salutis ducentesimum, & illud per ministros tam conjugatos, quàm cœlibes propagasse. Post quingentos verò demum annos, prohibitionem conjugii, à Romanis Pontificibus cœpisse eò invehi, sed maximè certabimus, per quadringentos annos continuos & amplius, verè Romanensibus artificiis fabulam illam actam, non gladio Spiritus, quod est verbum Dei, sed Monachorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

hypocrisi, & clamoribus Pontificum bullis, Regum gladiis, & Sathanæ præstigiis. Hoc enim præcipuè in historia Anglicani cœlibatus observandum est, quibus epicheremátis, lex Pontificii cœlibatus, Ecclesiis Britannicis obtrusa sit. Inde enim statui potest, ex cujus Spiritus officina, talia non argumenta, sed epicheremata profecta sint.

Hyberniæ Episcopi conjugati.

De Hyberniæ Ecclesiis Bernhardus in vita Malachiæ scribit, quod usque ad suam ætatem Episcopi ibi fuerint uxorati. Et nominatim dicit, in sede Archiepiscopali Hyberniæ Armachana, ante Celsum, qui Bernhardi tempore vixit, octo viros uxoratos & literatos sedisse, qui ob vitandum laqueum voti cœlebatus, ordinationem à Romanis Pontificibus noluerunt petere. Et Malachias primus, legem cœlibatus sacerdotum in Ecclesiis Hybernię invexit, circa annum Domini 1130. sicut scribit Bernhardus.

Malachias.

Bulgari.

Porrò quia Bulgaria inter Vngariam & Græciam sita est, Romani Pontifices eam occidentalibus Ecclesiis adjungere conati sunt, & populum hypocrisi externa cœperant dementare. Nam circa annum Domini 860. distinct. 28. Bulgari Nicolaum primum consulunt, utrum presbyterum, habentem uxorem, debeant sustentare & honorare, an verò à se projicere. Illis Nicolaus ita respondet, ut ostendat, se non re ipsa tantùm, sed disertis etjam verbis Paulo contradicere. Paulus enim dicit: Oportet Episcopum irreprehẽsibilem esse, unius uxoris virum. Nicolaus verò Bulgaris respondet, presbyteros conjugatos esse valde reprehensibiles, sed tamen posse tolerari, sicut Christus Iudam inter suos discipulos toleravit, & sicut Deus solem suum facit oriri super bonos & malos. Sed sacerdotes Bulgari, per Episcopos suos Guntherũ & Theodogutum, Nicolao isti acriter se opposuerunt, & tyrãnidem ipsi objecerunt. Cũq; Pontifex sua tonitrua, & fulgura ipsis minitaretur, ostenderunt se bullas nõ multum timere. Successor verò Nicolai Adrianus secundus, circa annum Domini 870. tres Legatos, Sylvestrum, Leopardum & Dominicum misit ad Bulgaros, ut ibi in Ecclesiis omnia ad normam Pontificiam instituerent, & adduxerũt illi secum sacerdotes Latinos, sed Bulgari expulsis Latinis sacerdotibus, Græcos retinuerunt, & Constantinopolitanæ Ecclesiæ tandem se rursus adjunxerunt.

Nicolai primi respõsum Bulgaris datum de sacerdotibus uxoratis.

Adriani II. in Bulgariã legationes.

In Germania Evangelium quando.

Sed ad patriam Germaniam veniò, quæ ut natio mascula, ab initio recepti Evangelii, ad Hellebrandum usq; per annos nongentos & amplius, conjugium sacerdotum defendit & usurpavit, ac jugum cœlibatus, sicut postrema recepit, ita prima projecit. Irenæus enim, qui scripsit circa annum Domini 180. testatur suo jam tempore celebres in Germania Ecclesias fuisse, & fidem earum simplicem, nihil continentem præter ea, quæ in Scripturis sacris tradita sunt, queq; in capitibus Catecheseos habemus, describit, libr. 1. Vnde verisimile fit quod dicitur: Crescentem, quem Paulus scribit in Galliam abiisse, 2. Timo. 4. Moguntiæ docuisse fidem Christi. Hilarius etjam Episcopus uxoratus, circa annum Domini 350. narratur scripsisse ad Episcopos Germaniæ primæ & secundæ, & nominatim dicitur ad Vuormatiẽsem Episcopum scripsisse, de quodam Evphrate Agrippinensi Arriano. Ambrosius etjam ad quandam Germaniæ Reginam Fridigildam scripsisse dicitur. Hieronymus, lib. 2. contra Iovinianum, testatur se in Trevirensi Ecclesia (ubi ante etjam Athanasius latuerat) versatum, & ibi dicitur cum Ruffino, Bonoso & Florentio, κατηχουσεων magistros audivisse. Et ex Germanica illa schola Catecheseos, prodiit explicatio in symbolum Apostolicum, quę Cypriani titulo fertur, sed à Ruffino conscripta est. Vnde post Irenæum, de doctrina & fide Ecclesiarum Germanicarum statui potest. Ex illo etjam loco, Hieronymus epistolam scripsit ad duos illos Germaniæ sacerdotes Sunnionem & Fridelum, qui cùm audissent, Hieronymum Hebraicæ linguæ peritum esse, petierant depravata quædam loca in Psalmis restitui. Tantopere hoc Hieronymo placuit, quòd exclamat in Epistola: Quis hoc crederet, ut Barbarus Getarum sermo, Hebraicam quærat veritatem, & dormitantibus imò contendentibus Græcis, ipsa Germania Spiritus sancti eloquia scrutetur? &c. Et quia sermonis Getarum meminit, quasi distinguens eum ab Idiotismo Trevirensi, hoc est, Germaniæ Cisthenanæ. In media igitur Transrhenana Germania, videntur duo illi sacerdotes fuisse. Non diu enim post Hieronymum, Clodoveus Rex Francorum, circa annum Domini 440. fidem Christianam publicè suscepit, & in provinciis suis eam propagavit. Et Bonifacius fidem Christi in Germania invenit, non attulit. Historiæ enim manifestè testantur ab annis 80. ante Bonifacium, collapsam fuisse disciplinam Ecclesiasticam Francicis Ecclesiis. Ergo anteà & veram doctrinam, & piam disciplinam habuerunt.

Irenæus.

Crescens Moguntiæ docuit.

Hilarius ad Germaniæ Episcopos.

Ambrosius.

Hieronym. Trevirus schola Catechoseos.

Sermo getticus in Germania.

Clodoveus.

Bonifacius.

Cùm igitur sexcentes fermè annos Germania fidem Christi professa esset, tempore Bonifacii & longè post legem cœlibatus sacerdotum adhuc ignoravit. Non enim gregarii seu plebei tantùm sacerdotes, matrimonia habuerunt in Germania, sed præcipui etjam Episcopi. Nam Bonifacius, circa annum Domini 730. invenit Geholibum (quem alii Gerbilionem appellant) Episcopum Moguntinum, cujus pater Geraldus ante ipsum Moguntiaci Episcopus fuerat, Aventinus libro tertio, pagin. 294. Hedio ex vetustissimis diplomatis ostendit, Paschalem Episcopum Curiæ Rhetorum, circa annum 760. in ipso Episcopatu habuisse legitimam uxorem, cujus adeo ipsum non puduit, ut voluerit nomen ipsius in principio quorundam diplomatum addi & exprimi, & quidem honesto titulo, quod esset Antistita seu Episcopa Curiensis. Aventinus, libr. 5. pag. 574. de Hellebrandi tẽpore scribens, inquit, circa annum Domini 1075. Sacerdotes Germaniæ illa ætate publicè uxores, sicut cæteri Christiani habebãt, & filios procreabant, sicut in instrumẽtis donationum, quæ illi templis, Mystis, Monachis fecẽre, invenio, ubi hæ nominatim cũ conjugibus testes citantur, & honesto vocabulo presbyterissæ nuncupantur, imò Hieron. Gebuilerus Pontificius nostri tẽporis Scriptor fatetur. sicut etjã Balæus idem annotavit, tempore Henrici 4. circa annum Domini 1070. in Galliis & in Germania circiter 24. Episcopatus fuisse, in quorum

primi Episcopi Germaniæ cõjugati fuerunt.

Geraldus Mogunt. Paschalis Curiæ Rhetorũ Episcopus conjugatus.

Antistita seu Episcopa.

presbyterissa.

rum diœcesi, à superiorib. ordinibus, ad infimũ Clericũ usq; conjugati fuerunt, & Nicolaus I. circa annum Domini 865. scribens ad Rathulfum Episcopũ Argentoratensem, matricidæ cuidam imponit certam pœnitentiam, ut post quadriennium possit quidem cõmunionis gratiam accipere, oblationes verò non offerat ante alterum septennium. Fuit ergo presbyter, quia offerendi potestatẽ habuit. Et tamen Nicolaus addit, à propria verò & legitima conjuge non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat.

Evangelium igitur Christi, ab Apostolorum ætatim tẽpore, in superioribus Germaniæ partibus susceptũ, non injecit sacerdotibus germanicis laqueum cœlibatus seu prohibitionẽ coniugii. Ab initio enim suscepti Evangelii per annos fermè mille, conjugium sacerdotum, non tantùm usitatum, sed honorificè habitum & defensum fuit, in Germanicis Ecclesiis, sicut ex illis, quæ jam recitavimus, patet.

Quando & per quos lex cœlibatus in Germaniam invecta sit.

Videamus jam, quando, per quos & quibus artificiis, lex cœlibatus in Germanicis Ecclesiis tentata, quantisq; nõ tam difficultatibus, quàm totius imperii concussionibus, tandem per vim intrusa sit. Circa annum igitur Domini 700. ob Regum negligentiam & crebra bella, magna licentia Ecclesias in Francia invaserat, sacerdotes canes & scorta alebant, luxu & avaritia perditi, inquit Aventinus. Non multò pòst venit ex Anglia in Germaniam Vinofridus, qui perspecto statu Ecclesiarum in Francia, Romam pergit, rem omnem ad Gregorium II. defert. Is Vinofridum sacræ philosophiæ Magistrum Germaniæ gentibus designat, & Pontificio diplomate illi demandat provinciam docendi Francos, & à malis falsisq; sacerdotibus purgandi. Anno 719. idibus Maji. Qui per biennium mãdatis strenuè defunctus, Romam revertitur, & Vinofridi nomine in Bonifacium mutato, Episcopus creatur, & conceptis verbis in scita Pontificum per Germaniam propaganda jurat. Anno 721. pridiè calendarum Decembris, verba juramenti extant apud Aventinum, pag. 288. Atq; diplomatis Pontificiis ad Reges & Episcopos Germaniæ ablegatur. Dignum autem est observatione, quòd Bonifacius ille, cùm tale mancipium Pontificis factus esset, ut Nauclero teste, condiderit, flagitiosum illud capitulum, distinctio. 40. Si Papa, non statim primo congressu ad Romanorum Pontificum placita, sicut juraverat, Germanos obligare ausus fuit. Multi enim se ipsi opponebant, quod offerret dissentanea Apostolorum doctrinæ: ut Sydonius, Virgilius, Adelbertus, Claudius, Clemens Scotus. Ideo Gregorius scribens ad Episcopos Bavariæ, non audet primo suas traditiones offerre, sed illa ipsa fundamenta doctrinæ Christianæ repetit, quæ intelligebat in Ecclesiis Germaniæ tunc recepta & usitata esse. Ita enim inquit apud Aventinum, pagin. 290. Controversiæ secundum Christi servatoris nostri legem, & placita Evangelii, Pauliq; legati Christi scita, cognoscantur. Et in fine addit: Nemo se perfectum, nemo justulum, nemo Sanctulum esse confidat. Tota vita Christiani pœnitentia est, & bellum. Imbecilles & homines sumus, omnes egemus clementia Dei. Sed cõtradicentibus sub alia specie expulsis, mox sub prætextu reformationis pravæ vitæ sacerdotum, doctrinæ etjã mutatio tentata est, & Pontifices suum fermentum admiscuerunt. Novi enim Episcopi ad Canonum statuta alligabantur, & mandatur ipsis, ut ex Romanæ sedis doctrina, populũ informent apud Nauclerum, pagin. 786. & sequenti. Hinc Gregorius secundus mandavit, Baptismum, citra mortis necessitatem, non esse administrandum, nisi in festo Paschatis & Pentecostes. Mox Gregorius tertius addidit. Quisq; fidelis pro suis mortuis verè Christianis licitè potest offerre, debetq; presbyter eorum facere memoriam. Nauclerus, pagin. 787. quòd diligenter notetur, oblationes pro mortuis, in Ecclesiis Germanicis, per annos fermè septingentos, nõ fuisse, sed per Bonifacium primo introductas. Sed ad historiam cœlibatus revertamur.

Vinofridus Anglus in Germaniã.

Capitulũ. di stin. 40. si Papa, est Bonifacij huius. Gregorij lites ad Bavaros.

Baptismi administratio quando. Gregor. III.

Oblationes pro defũctis quando in Germania.

Inter capita igitur reformationis Ecclesiarum in Germania per Bonifacium, non postremum erat lex cœlibatus, seu prohibitio conjugii sacerdotum. Sed quia Bonifacius animadverterat, Germanos à vagis libidinibus abhorrere, amantes verò, reverentes & tenaces esse legitimi fœderis conjugalis, sicut ipse Bonifacius apud Nauclerum, Tomo secundo, pagin. 1. scribit, in antiqua Saxonia, si virgo in paterna domo stuprata, vel matrona fuerit adulterata, strangulatam cremant, & super fossam sepulturæ corruptorem suspendunt, aut Cingulorenus vestibus succisis flagellant, castæq; matronæ pungunt de villa in villam, donec interimant, &c. Pontifex igitur non ausus fuit sacerdotibus Germanis primo aditu legitimum conjugium prohibere. Sed Gregorius secundus hoc tantùm mandavit Bonifacio. Epistola 3. Ne digamos in sacerdotum ordinẽ cooptaret. Gregorius verò tertius de reformatione sacerdotum, quos fornicatores & adulteros esse acceperat, ita scribit ad Episcopos Bavariæ: Nemo scorta aut concubinam alat, quisque aut castè vivat, aut uxorem ducat, quam repudiare fas non esto, Aventinus pag. 290. Sed post hunc cùm Bonifacius à Zacharia Pontifice peteret Consilium, quid agendum sibi esset, si inveniret sacerdotes, fornicarios & adulteros. Respondet Zacharias, Dominus dicit: Sacerdotes mei semel nubant. Et Apostolus unius uxoris virum vult. Et hoc ante susceptum sacerdotium uti licitum est, nam à die suscepti sacerdotii, etjam ab ipso proprio conjugio prohibendi sunt. Item, quomodo plures uxores habere præsumũt, quibus nec unam concessum est, post susceptum ministerium, attrectare? Ita quidem Zacharias. Sed dignum observatione est quod illud de prohibitione conjugii sacerdotum Bonifacius vel non ausus fuit Germanis proponere, vel non potuit obtinere. Extat enim descriptio Synodi à Carolomanno convocatæ. Anno Domini 742. & à Bonifacio celebratæ, apud Aventinum, pagin. 292. & apud Nauclerum, pagin. 791. ubi prorsus nulla fit mentio prohibitionis conjugii sacerdotum, quam Zacharias mandaverat. Et post illud etjam tempus, sacerdotes in Germania uxoratos fuisse ostendimus. Sed hoc tunc statutum fuit: Sacrificuli adulteri, scortatores, sacris opibus nequaquam

Germani insensi libidinibus vagis & amantes conjugij.

Antiquorum Saxonũ animadversio severa in scortationes & adulteria.

Digamis interdictum sacerdotum in Germania.

Zacharias prohibet conjugium sacerdotii in Germania.

Bonifacius eam prohibitionem non audet publicare.

Sacrificuli

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scortatores adulteri.

quam alantur. Item Sacerdos scortator, libidinisq; mancipium, in carcere pane & aqua pastus, pœnas luat. Et nullus in domo sua sub introductam mulierem habitare permittat, &c. Interea verò Bonifacius ita concionabatur, ut obliquè ad cœlibatum alluderet: Sacerdotes debere cupiditatibus imperare, libidines refrænare, voluptates spernere, &c. Et Zacharias posteà cùm videret lege & mandato, se non posse prohibitionem consuetudinis conjugalis apud Germanos obtinere, scribit Ecclesiis Galliæ & Franciæ, Anno 743. precario vel consulendo proponens, ut in posterum cœlibes ad sacerdotium assumant.

Cœlibes ad sacerdotia evehendos.

Hæc enim sunt eius verba: Si Bonifacio dicto audientes eritis, & castos ab omni Venere sacerdotes vobis delegeritis, quemadmodũ jure divino præscribitur, & nostro munere functus Bonifacius frater noster prædicat, omnibus formidolosi eritis Barbaris, Aventinus, pag. 296.

Virgilius è Francia pulsus à Pontificiis.

Circa idem verò tempus divus Virgilius, ex Hybernia ad Reges Franciæ venit, cum Dabda Græco sacerdote. Cumq; Hybernici & Græci conjugium sacerdotum tunc probarent & defenderent, Bonifacius quæsivit occasionem, ut Virgilium expelleret. Et quia Virgilius Philosophiæ peritus, de Antipodibus alicubi disputârat, hanc occasionem Bonifacius Philosophiæ ignarus arripuit. Et Zacharias rescripsit: Virgilium Philosophum à templo Dei & Ecclesia depellito, si illam perversam doctrinam fuerit confessus. Ita Bonifacius quidem per annos 36. variis modis conjugium sacerdotum in Germaniæ Ecclesiis attentavit, sed tamen prohibitionem ejus, & legem cœlibatus, non potuit in Germanicas Ecclesias in universum invehere. In secundo tomo Conciliorum referuntur sanè Concilia quędam in Germania celebrata, in quibus conjugium sacerdotibus prohibitum legitur. Sed insignem & manifestam fraudem, imò luculentum crimen falsi deprehendi in descriptione Cõcilii Moguntiaci, Anno 813. Ibi enim 10. Canon ita legitur: Clerici castimoniam inviolati corporis perpetuò conservare studeant. Quòd cùm legerem primò videbam non ponilegem necessariam, sed tradi Consilium, ut studeant continentiæ Clerici. Cùm verò attentius totum illum Canonem perlustrarem, vidi Concilium Moguntinum, in illo Canone nihil aliud agere, quàm quod regulam Clericorum ex Hieronymo (quæ repetitur distinct. 82. his igitur) ad verbum transcribunt. Sed cum regula illa Clericorum expresè ita habeat, sicut etiam in Hulderici Epistola citatur: Clerici castimoniam inviolati corporis perpetuò conservare studeant, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur, Rhapsodi Conciliorum (cum reliqua ad verbum ex cap. His igitur, describantur) illam particulam, de matrimonio clericis cõcesso, astutè, ne dicam perfidè & sceleratè, luculento crimine falsi, expunxerunt & omiserunt. Atque hinc statuatur quantũ fidei Rhapsodus illis tribuendum sit. Eadem enim fide etjam cap. Quoniam, &c. in tomis illis omiserunt. Ita etjã Vuormacrensi Concilio inserti sunt Canones, transscripti ex secundo & quinto Charthaginensi, de prohibitione conjugii sacerdotum, cùm tamen posteà, & Hellebrandi etjam tempore, sacerdotum conjugium in Germania usitatum fuerit, sicut suprà ostendimus.

De Antipodibus.

Causa falsò præextaper secutioni.

Crimen falsi cõmissum in descriptione Concilij Moguntiaci.

Fabula Clemen Ise-

Memorabilis autem est historia certaminis inter Nicolaum primum & Hulderichum Episcopum Augustanum, de prohibitione conjugii sacerdotum circa annum 860. Et ne quis cavilletur Epistolam Vlrici à nostris confictã esse, mentionem ejus facit & argumentũ exponit Aeneas Sylvius in sua Germania. Et reperta est, ante mota seculi hujus certamina, in Bibliotheca quadam Hollandiæ. Vide Hedionem Ecclesiasticam historia, lib. 8. capit. 12. Et ne nominis æquivocatio lectorem turbet. Alius est Vdalricus Augustanus, quem Aventinus scribit mortuum esse, anno 973. Hunc verò Huldericum Aeneas Sylvius scribit mortuum, Anno Domini 900. ætatis 83. Et digna est Epistola illa Hulderici, quæ extet & legatur in Ecclesia. Meliùs enim quàm omnes illorum temporum historici ostendit, quibus argumentis res utrinque acta sit, & pro conjugio & contra conjugium sacerdotum. Non autem hoc loco integram illam Epistolã, quæ aliàs extat, adscribemus, sed argumenta tantùm in utramq; partem excerpemus, retentis ipsius Vlrici verbis. Nicolaus igitur dist. 32. cap. de illo Clerico, reprehendens Odonem Episcopum Vienensem in Galliis, eò quòd ipsius autoritate subdiaconus Alvericus vxorem duxerat, decretum fecit: Nulli unquam Cleticorum, exceptis Lectoribus & Cantoribus, uxorem habendi licentiam dandam esse. Et decretum illud, ad Germanicas etjam Ecclesias misit, atq; executionem ejus Episcopis mandavit. Huldericus verò, non tantùm recusat hoc facere, sed ostendit, quibus argumentis sacerdotes Germaniæ conjugium suum defenderint, quia scilicet I. In veteri Testamento Dominus sacerdoti conjugium constituit. II. Non legitur hoc in novo Testamento interdixisse. III. Christus & Paulus affirmant, non omnes posse capere consilium continentiæ. IIII. Paulus disertè dicit, se non habere præceptum Domini de cœlibatu. V. Paulus expresè dicit, Episcopi & Diaconi sint unius uxoris viri. VI. Paulus sine exceptione dicit, propter fornicationem unusquisq; habeat suã uxorẽ. Itẽ, melius est nubere quàm uri. VII. Citat Canonem Apostolorum: Nec clericus uxorem propriam sub obtentu religionis abjiciat. VIII. Citat decretũ Sylvestri, quod statuit, uxorem Diaconi à sacerdote benedicendam esse. Quod decretum Pontificii in suis consiliorum tomis, sicut alia quædam, expunxerunt. IX. Allegat regulam clericorum, quæ extat, dist. 23. Clericus sit pudicus aut certè unius matrimonii vinculo fœderatus. X. Quia Nicæna Synodus sacerdotibus conjugium liberum permisit. XI. Paulus dicit: Alligatus es uxori, noli quærere solutionem. Nam & qui uxores habent possunt esse tanquam non habentes: Et qui nubunt, possunt in Domino nubere, hoc est, sicut ipse explicat, in contrahendo matrimonio nihil quod Dominus prohibeat attentare. XII. Dicit præceptũ cœlibatus sacerdotũ esse onerosum & importabile, contra Evangelicam institutionem & sancti Spiritus dictationem, contrarium tam veteri, quam novo Testamento. Christus enim dicit: Qui potest capere capiat. Isti verò dicunt,

Certamẽ Nicolai I. & Hulderici Augustani, de prohibitione cõiugii sacerdotum.

Argumenta quibus Germaniæ Episcopi suũ conjugium defenderunt.

Qui non potest capere feriatur anathemate. Item, dicit esse morbum, imò pestilentiam, pravitatem intentionis, fatuam & turpem suggestionem, doctrinam Pharisaicam, periculosum hæresis decretum. Imò hæresin quàm cæci duces cæcorum in Ecclesiã Dei introducant, manipulũ zizaniæ, & commentũ totius insaniæ, imò esse spiritus illos erroris, & doctrinas Dæmoniorũ prohibentium nubere. XIII. Fructum cœlibatus Pontificii admodum graphicè depingit, & allegat sententiam Augustini. Nullum tam gravè facinus, quin admittendum sit, ut devitetur pejus. Multi verò assentatores, hominibus, non Deo, pro falsa specie cõtinentiæ placere volentes, graviora committunt. Patrũ scilicet uxores subagitant, masculorũ ac pecudũ amplexus non abhorrent, in quovis sanctissimo ordine constituti, alienis uxoribus non dubitant abuti. Cumq; quidam Episcopi & Archidiaconi, ita præcipites sint in hbidinem, ut neq; adulteria, neq; incestus, neque masculorũ (proh pudor) turpissimos amplexus sciant abhorrere, tamen casta clericorũ conjugia dicunt sibi fœtere, & ab eis jubent & cogũt clericos abstinere. Et dicunt honestius esse pluribus occulte implicari, quàm apertè in hominum vultu & conscientia, cum una ligari. Sed væ vobis Pharisæi, qui omnia facitis propter homines. Item, Clerici dum licita unius mulieris cõsortia (Pharisaico furore devicti) relinquere coguntur, fornicatores & adulteri, & aliarum pravitatum turpissimi ministri efficiuntur. Et quod flendo cernimus omnes in supradictis sæviunt sceleribus. Inde tantum Ecclesia Dei scandalum, tantũ clerus despectum patitur. Ne igitur Ecclesia, uni ca Domini Sunamitis, adulterinis diutiùs usa maritis, regale sacerdotium, per irrecuperabile à suo sponso Christo avellatur divortium, extirpãda est Pharisaica illa doctrina ab ovili Dei: Hæc omnia sunt Vlrici verba.

Fructus cœlibatus Pontificii.

Argumenta Prohibentiũ conjugiũ sacerdotum.

Secundò, Argumenta adversariorum prohibentium sacerdotibus conjugium, recitat & refutat Hulderichus. I. Clerici debent se castrare propter regnum cœlorum. Paulus dicit se de cœlibatu præceptum Domini non habere, consiliũ autẽ dare. Et Christus dicit: Non omnes hoc consilium capere posse. II. Sine castimonia nemo videbit Deũ. Respondet: Castimonia non est in virginali flore, sed etjam in conjugali conjunctione III. Prætenderunt speciem externam sanctitatis & puritatis in cœlibatu corã hominibus. Respondet: Potius deberẽt nobis persuadere, ut in conspectu ejus, cui omnia nuda & aperta sunt, erubescamus peccatores esse, quam in conspectu hominũ mundi. Nam qui hominibus placent, apud Dominum confusi sunt, secundum Psalmistam. IIII. Oppositum exemplum aliorũ cœlibum seu continentium, & inde ipsi Episcopi clericos conjugatos in despectum deduxerunt. Ad hoc argumentum dupliciter respondet Vlricus: Non debetis præsumere de donis vestris, nec propterea alienum servum judicare. Deinde dicit, falsam esse speciem continentiæ, sub qua fœdissimæ libidines lateant, &c. V. Allegarunt exemplum Gregorii Magni. Sed hoc refutat opposita narratione de capitibus sex millium infantum, quam suprà recitavimus. VI. Illud Pauli, propter fornicationem unusquisq; uxorem suam habeat, specialiter ad laicos pertinere, mentiuntur hypocritæ, inquit Vlricus. Nam illud Apostolicum dictũ verè nullum excipit, &c. VII. Maritum unius uxoris de decretum. Imò hæresin quàm cæci duces cæcorum in Ecclesiã Dei introducant, manipulũ zizaniæ, & commentũ totius insaniæ, imò esse spiritus illos erroris, & doctrinas Dæmoniorũ prohibentium nubere. XIII. Fructum cœlibatus Pontificii admodum graphicè depingit, & allegat sententiam Augustini. Nullum tam gravè facinus, quin admittendum sit, ut devitetur pejus. Multi verò assentatores, hominibus, non Deo, pro falsa specie cõtinentiæ placere volentes, graviora committunt. Patrũ scilicet uxores subagitant, masculorũ ac pecudũ amplexus non abhorrent, in quovis sanctissimo ordine constituti, alienis uxoribus non dubitant abuti. Cumq; quidam Episcopi & Archidiaconi, ita præcipites sint in hbidinem, ut neq; adulteria, neq; incestus, neque masculorũ (proh pudor) turpissimos amplexus sciant abhorrere, tamen casta clericorũ conjugia dicunt sibi fœtere, & ab eis jubent & cogũt clericos abstinere. Et dicunt honestius esse pluribus occulte implicari, quàm apertè in hominum vultu & conscientia, cum una ligari. Sed væ vobis Pharisæi, qui omnia facitis propter homines. Item, Clerici dum licita unius mulieris cõsortia (Pharisaico furore devicti) relinquere coguntur, fornicatores & adulteri, & aliarum pravitatum turpissimi ministri efficiuntur. Et quod flendo cernimus omnes in supradictis sæviunt sceleribus. Inde tantum Ecclesia Dei scandalum, tantũ clerus despectum patitur. Ne igitur Ecclesia, unica Domini Sunamitis, adulterinis diutiùs usa maritis, regale sacerdotium, per irrecuperabile à suo sponso Christo avellatur divortium, extirpãda est Pharisaica illa doctrina ab ovili Dei: Hæc omnia sunt Vlrici verba.

Tertiò, in illa Huldrici Epistola etjam hoc observandum est, quomodo inter ipsa certamina aliquid tamen de lege cœlibatus subinde adhæserit, & ipsa sensim, quasi per cuniculos irrepserit, Nam ex verbis Vlrici manifestè colligitur, usque ad aliud tẽpus in Germania Episcopos monvisse tantùm, imò rogasse clericos (his enim verbis utitur) ut si possent, studerent continentiæ, non aũt jussisse, multò minus coẽgisse. Nicolaum verò & quosdam Episcopos, imperiosa quadã violentia cœpisse jubere & cogere. Et illum quidem laqueũ, Germania libertatis amans, masculare responsione per Huldrichum tunc quidem excussit. Sed tamen ex illis certaminibus duo hæc adhæresce cœperunt, sicut Vlrici verba ostẽdunt. I. Quia Episcopi cœlibes clericos conjugatos despiciebant, & in contemptum apud alios etjã adducebant, multi nõ idonei ad cœlibatum, extern speciem continẽtiæ coram hominibus affectabant. II. Quidam cum assumerentur ad sacerdotium, sua sponte, vel manu, vel ore, votum faciebant cõtinentię. Et illi posteà ad exequendum votum ex debito, sicut Vlricus inquit, constringebantur, aut ab ordine deponebantur. Sed tamen liberum tunc erat ordinandis, non vovere. Dicit enim Epistola, sacerdotes hujus voti nescios, omnino scias non esse cogendos.

Aliquid legis de cœlibatu inter dimicationes ipsas tamen adhæsit in Germania.

Initio rogati sacerdotes sunt cõtinentiæ studere, post iussi.

Duo mala ex hu certaminibus nata.

Simulatio cõtinentiæ.

Votum concinentiæ.

Has obsservationes ex Huldrici Epistola, ipsius verbis annotare volui. Totã enim historiam de conjugio sacerdotum in Germania, clarius illustrant, quam multorum historicorum, de istis temporibus prolixę scriptiones. Tantùm autem Vlricus gravi, solida mascula & verè germana sua responsione effecit, quòd ex illo tempore, libertas conjugii sacerdotum in Germania, intemerata mansit, per annos fermè ducentos, usq; ad Hildebrandum. Scribit enim Balæus 2. Centuria 12. Circa illa tempora fuisse in Germania cœnobia Monialium nobiliũ, unde exire & honestè nubere poterant, excepta Abbatissa. Et addit Monachos & Canonicos Huldrici Augustensis, potuisse uxores ducere usq; ad Hellebrandi tẽpora. Bruschius etjam annotat, circa annum Domini 950. plures Monachos cœnobii Fuldensis, sub Abbate Hadamario, matrimonia contraxisse.

Ordinãdis Nõ erat nõ vovere.

Monialiũ & Monachorũ conjugia in Germania.

Monachi Fuldenses conjugati. Infectã tas Pontifices, porrò comunigia sacerdotum Germaniæ.

Nec tamen destiterunt Romani Pontifices, practicis Italicis conjugium sacerdotum Germaniæ attentare. Et circa annum millesimum, Brunonem Augustensem Episcopum subornârunt, ut is Hulderichi Epistolam, qua se premi sentiebant, contrario decreto cœlibatus irritam faceret. Sed is, sicut ex Bruschio Balæus secundus, Centuria 43. annotat, ideò miserabiliter cæsus fuit, amputatis pedibus, manibus & capite.

Bruno Augustẽsis Episcopus occiditur, quod cœlibatum suasisset.

Posteà circa annum Domini 1050. cùm haberent Pontificem natione Germanum, Leonem nonum, hominem simplicẽ, illum instigârunt, ut in

Leog. Germ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mur, cœlibatum urget. ut in synodo Moguntinensi, cum 40. Episcopis conjugia sacerdotũ prohiberet & damnaret, existimantes, Germanos à populari suo facilius passuros, sibi laqueum cœlibatus injici. Et tunc quidem Germania non habebat Huldrichum aliquem, qui se opponeret. Nicetas verò Abbas Græcus, edito scripto, conjugium sacerdotum contra Pontificias illas damnationes defendit. Quia verò magno conatu, Pontificia cohors contra Nicetam hunc scripsit, & hæreticum ipsum declaravit, dist. 31. cap. Omnino. Apparet Nicetam illum non in Græcia vixisse, nec pro Græcis scripsisse, quorum sacerdotibus conjugia sine aliqua Occidentalium contradictione, libera erant, sed si non in Germania, certè in aliqua Ecclesia Occidentali hæsisse, & pro conjugio sacerdotũ Occidentalium scripsisse. Nam ex Aventino ostendimus, Dabdam Græcum sacerdotẽ in Suevia ministerio Ecclesiastico functum. Certè Leo nonus Nicetæ huic Latinè respondit: Nec Græcos in Orientali Ecclesia existentes audebant hæreticos proclamare, propterea, quòd conjugium sacerdotum probarent & defenderent. Ergo occidentalis Ecclesiæ membrum fuisse hunc Nicetam verisimile est.

Nicetas conjugia sacerdotũ tuetur, & hæreticus declaratur.

Nicolaus secundus. Post Leonem, Nicolaus secundus, Presbyterorum uxores primus concubinas judicavit, & nuptias eorum fornicationes. Ac quia ex Nicetæ scripto animadverterat, homines plus moveri eruditis scriptis, quàm nudis & imperiosis mandatis seu prohibitionibus, excitavit Petrum Damianum Episcopum Hostiensem, ut is publico aliquo scripto, conjugium sacerdotũ damnaret, præsertim cum eo tẽpore etiam Auxentius Mediolanensis conjugio sacerdotum patrocinaretur, sed irrita erant hæc omnia. Sacerdotes enim Germaniæ, illo tempore nilominus publicè uxores habebant, & liberos procreabant, sicut cæteri Christiani, inquit Aventinus.

Petrus Damianus insectator coniugii sacerdotum.

Auxentius Mediolanensis.

Grego. VII. Hellebrãdus fulmine anathematis sacerdotũ cõiugia dissicit. Gregorius igitur septimus (quem Germani vero & fatali nomine Hellebrandum, hoc est, Titionem infernalẽ appellãrunt) videns sacerdotibus Germaniæ, nec disputat: onibus, nec Conciliis, nec mandatis, nec prohibitionibus conjugium posse eripi, cogitavit cœlum terrę potius miscendum esse, quã Germaniæ Ecclesiis hanc libertatem relinquendam. Fulmen itaq; execrationis expedivit, atq; illud primum in aliquot imperii principes, & in ipsum denique Imperatorem vibravit, quos cũ fatali quodam successu solio dejecisset, & totum imperium perfidia, bellis, rapinis, incendiis, & cædibus turbasset, judicavit opportunum & fatale hoc tẽpus esse, quo miseram turbã sacerdotũ, ex possessione sanctũ, castũ, & honorabilis conjugii, quã usurpatione annorũ fermè mille præscripserant, semel in perpetuum deturbare posset. Prævidebat enim turbatis & exterritis omnibus nullum Carolomannum, nullum Hulderichũ futurum, qui patrocinium conjugii sacerdotum, vel suscipere auderet, vel susti nere posset. Ac si ex historiis consideretur quàm profligatum Diaboli organon Hellebrandus iste fuerit, quali temporum ac rerum statu, quàm truculenta tyrannide, & quàm funestis turbis, conjugium sacerdotibus Germaniæ extorserit, non opus erit disputare, an ex Deo vel ex hominibus illud sit, manifestum enim erit simpliciter ex Diabolo esse. Sed historiam illam de virtutibus Hellebrandi, quæ aliàs nota est, & alibinde peti potest, hoc loco non repetemus. Tantùm igitur ea, quæ ad cœlibatus historiam pertinent, breviter annotabimus. Et ex diligenti historiarum collatione deprehendi, tragœdiam illam hoc modo & ordine ab Hellebrando, contra conjugium sacerdotum in Germania actam: Statim inito Pontificatu circa annum 1072. antecessorũ suorum Leonis & Nicolai decreta de lege cœlibatus, quorum ipse rogator & architectus fuerat, stãenuè cœpit urgere, missis hùc illùc ad Episcopos Germaniæ literis, ut legem illam clericis suis persuaderent. Nam in Epistola ad Constantienses ita scribit. Misimus Episcopo vestro Ottho-ni literas exhortatorias, per quas injunximus illi, ut castitatem (hoc est cœlibatum) clericorum studiosè prædicandam susciperet. Episcopi verò illud, quia contra Scripturam, contra decreta veræ antiquitatis, & contra vetustissimam Germanicarum Ecclesiarum consuetudinem erat, facere recusãrunt. Præcipuè verò Constantiensis Episcopus graviter se Pontifici oppo-suit, sicut testatur Epistola Hellebrandi ad Constantienses, quæ extat apud Nauclerum, Tom. 2. pagin. 140. Ex qua etiam colligitur, Hellebrandi decretum duo hæc capita comprehendisse. I. Vt clerici, qui uxores haberent, eas dimitterent. II. Vt qui adhuc cœlibes essent, nullas uxores ducerẽt. Hæc enim sunt verba Epistolæ illius: Episcopus vester palã clericis suis jussioni nostræ cõtraria permisit, ita, ut qui mulierculas (intelligit autem legitimas uxores) habuerant, retinerent, & qui non habeant illicita temeritate subintroduceret (hoc enim verbum subintroducendi, quo Nicænus Canon illicita mulierum contubernia notavit, Hellebrandus iste ad legitimum conjugium detorsit) Episcopum etiam Argentoratensem huic Pontificis machinationi restitisse scribunt.

Hellebrandi organon Diaboli.

Narratio tyrannidis Hellebrandinæ sacerdotium conjugiorum.

Epistola Hellebrandi ad Constantienses.

Summa decreti Hellebrandici.

Argentoratensis Episcopus Hellebrando resragatur.

Sed Hellebrandus cum videret, se hac ratione non posse Germaniam sub jugum cœlibatus mittere, manifestam vim adhibendam judicavit. Romæ igitur Concilium centum & decem Episcoporum congregavit anno 1074. ubi cum prius Imperatorem fulmine suæ execrationis solio deturbasset, & subditos ab obedientia absolvisset, hoc etiam decretum fecit, quod Hirsfeldensis & Nauclerus hisce verbis describunt: Vt Presbyteri uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur: Nec quisquam omninò ad sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam vitamiq; cœlibem profiteatur. Hæc posterior clausula ideò addita fuit, quia antea (sicut ex Epistola Vlrici, & ex Epistola Gregorii ad Constantienses ostẽsum est) in Germania Clericis, quando ad sacerdotium assumebantur, liberum erat, pro ratione doni cuiusq;, vel continentiam promittere, vel licentiam contrahendi & usurpandi conjugii retinere. Aventinus decretum illud Hellebrandi his verbis describit, pagin. 603. Sacerdotem qui uxorem habeat, rem divinam non facere, ejus sacrificia summopere à populo, ne contagione polluatur, evitãda. Nec; illis ullo pacto decimas & huiusce-

Concilium Romanum.

Hirsfeldensis.

Decretũ Concilij contra coniugium.

& huiusce-modi donativa tribuenda esse. Et pag. 564. Sacerdotes conjugatos Hellebrandus Nicolaitas appellat, incestus condemnat, curia sacerdotum movet, &c. Vincentius lib. 29. cap. 45. Gregorius celebrata synodo, uxoratos sacerdotes à divino officio removit, & laicis missam eorũ audire interdixit. Decretum verò illud Hellebrandi non communi more publicabatur, sed scribebat ipse non Episcopis tantũ & sacerdotibus, sed mandabat laicis etiam, ut illud suum decretum strenuè exequerentur, sicut Nauclerus scribit. Aventinus rem ita narrat, pag. 564. Pontifex scribit Cæsari, Ducibus, Principib. maximè Bertoldo, Rudolpho, Vuelphoni, Alberto, & uxoribus horum, ac mulieribus, cæterisq; quoscunque idoneos credidit. Item, Episcopis, sacrificulis, & ipsi etiam populo, ut sacerdotes cõjugatos, velut sceleratos & impios devitent, eorũ sacrificia, colloquia, sermones, convivia, haud aliter quàm contagionẽ fugitent, illos salutare, resultare ve maximam impietatem esse docet, iis parêre, & reditus Ecclesiasticos reddi vetat, &c. Et quia terribilis factus jam erat Pontifex, ab execratione Imperatori intentata, eodẽ fulmine Episcopos etiã terruit. Constantiensi enim clero & populo ita scribit apud Nauclerum: Apostolica autoritate omnibus præcipimus, ut Episcopo vestro si sedi huic rebellis extiterit, nullam obedientiæ reverentiam exhibeatis, neque id animæ vestræ pernitiẽ esse putetis. Ab omni enim subjectionis illius jugo, beati Petri autoritate vos absolvimus, &c. Hoc epicheremate Episcopis os obturatum fuit, sed Clericorum cœtus in Germania, adversus hoc decretum Hellebrandi vehementer infremuit, clamitans hominem planè hęreticũ & vesani dogmatis esse, qui oblitus sermonis Domini (quo ait: Non oẽs capiunt verbum hoc, qui potest capere capiat. Et Apostoli: Quis ne non continet, nubat: Meliùs est enim nubere quàm uri) violenta exactione homines vivere cogeret ritu Angelorum, & dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi & immunditiæ frena laxaret. Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium quam conjugium deserere, & tunc visurum eum, cui homines forderent, undè gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus, angelos comparaturus esset. Hæc sunt Hirsfeldensis verba, quæ ideo adscripsi, ut inde conjectura fiat, ex quibus fundamentis Germanici sacerdotes conjugium suum defenderint.

Vincentius.

Promulgatio decreti Hellebrãdi in Germania cõtra sacerdotum coniugia.

Hirsfeldensis.

Hisce argumentis Episcopi plerique Constantienses exemplo territi, nihil movebantur, sed Pontificis decretum, qui assiduis legationibus hoc urgebat, additis diris suis execrationibus executioni mandare studebant. Moguntinus verò (recito Hirsfeldensis verba) considerans non parvo constitutam hanc operam, ut tanto tempore inolitam consuetudinem revelleret, clericis suis in dimidium anni deliberandi spacium dedit, hortans eos, ut quod necessario faciendum esset, sponte facerent. Exacto deliberationis spatio, synodum indixit Erphurdię cujus hæc erat propositio, ut clerici, sine omni tergiversatione, in præsentiarum aut conjugium abjurarent, aut sacri altaris ministerio se abdicarent. Illi econtra multas rationes afferebant, quibus ostendebant decretum illud irritum habendum, præterea addebant preces & supplicationes. Moguntinus contestatus, se præter voluntatem propriam à Pontifice ad hoc compulsum, non posse aliter, quàm decretum illud exequi. Clerici vi dentes nihil argumentis, nihil supplicationibus profici, egressi tanquam ad consultandum, consilium ineunt, ut in synodum non redeant, sed iniussi omnes in domos suas discedant. Nonnulli clamitabant, meliùs sibi videri, ut in synodum regressi ipsum Episcopum, priusquam execrabilem in eos sententiam promulgaret, cathedra Episcopali deturbatum, merita morte mulctarent, & insigne monimentum ad posteros transmitterent, ne quis deinceps successorum talem sacerdotali nomini calumniam struere moliretur. Episcopus hęc eos machinari animadvertẽs, pollicetur, se prima oportunitate Romam missurum & daturum operam, ut Pontificem, si qua posset ratione ab hac sententiæ austeritate deduceret. Hæc acta sunt anno 1074. Hæc verò à Moguntino ad Hellebrandum relata, furorẽ ipsius nihil mitigãrunt.

Clerici Ger. destituti auxilio & patrocinio Episcoporũ suorum.

Episcopus Moguntinus.

Discrimen Episcopi Moguntini in synodo Erphordensi ob legẽ cœlibatus.

Præter sacerdotes verò multi alii boni viri, *Multis aliis institutum illud Hellebrandi apertè improbabãt quod novum esset, Scripturæ & veræ antiquitatis sententiæ contrarium. Ita enim Vincentius scribit lib. 26. capit. 45 Gregorius uxoratus sacerdotes à divino officio removit, & Laicis missam earum audire interdixit, novo exemplo, & ut multis visum fuit, inconsiderato præiudicio, contra sanctorum patrum sententiam, sed Hellebrandus (qui, sicut Aventinus scribit pagina 564. iactitabat se quodcunque, ut liberet, ligare, solvere posse, quique in Epistolis publicè gloriabatur, etiamsi injuria vel ipsum Cæsarem afficerit, tamen se metui oportere, utpote, qui errare non posset, & à Christo Petrõq; acceperit potestatem, ut solvat ligetq; ut cumq; lubeat.) Curiensem Episcopum anno 1075. ad Moguntinum misit cum mandatis, quibus ei sub interminatione gradus & ordinis sui præcipiebat, ut presbyteros omnes, qui intra suam diœcesin essent, cogeret, aut in præsentiarum conjugibus renunciare, aut se in perpetuum sacri altaris ministerio abdicare. Moguntinus mense Octobri synodum Moguntiæ congregat, ubi cùm prohibitionem conjugii sacerdotum promulgare & exequi vellet, exurgentes Clerici, ita eum verbis confutabant, ita manibus & totius corporis gestu eum debachabantur, ut se vita comite synodo excessurum desperaret. Sic tandem rei difficultate superatus, statuit sibi deinceps tali quæstione omnino supersedendum, & Romano Pontifici relinquendum, ut causam, quam ipse toties inutiliter proposuisset, ille per semetipsũ, quando vellet, & quomodo vellet, peroraret. Hæc Hirsfeldensis & Nauclerus.*

Multis aliis institutum Hellebrandi dissicuit.

Sceleratæ arrogantiæ & superbia Hellebrandi.

Mandatũ Pontificis ad Moguntinum.

Moguntinus in synodo Moguntiæ de vita periclitatur ob cœlibatus legem.

Anno verò 1076. infesto Pentecostes Concilium celebratum fuit Vuormaciæ, cui interfuere omnes Episcopi Galliæ & Germaniæ, ac propter Anathematizatũ Imperatoreem, Hellebrandum horrendorum scelerum accusatum & convictũ, deposuerunt. Inter cætera verò, quæ in ipsius actionibus damnãrunt, fuit & hoc, sicut Aventinus recitat, pagin. 570. Maritos ab uxoribus se-

Concil. Vuormaciense Hellebrandum Pontificatu deponit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

parat, scortapudicis conjugibus, stupra, adulteria, incestus casto præfert connubio, &c. Huic decreto etiam Italiæ Episcopi, conventu Ticini acto, subscripserunt. Sed Pontifice execrationem Imperatoris repetente, Episcopi plærique metu Hellebrandi, non præstiterunt constantiam, & scindebatur incertum studia in contraria vulgvs. Alemannus Episcopus Passaviensis, accepta nova Hellebrandi execratione, uxoratos sacerdotes expellebat, & iis alios cœlibes substituebat. Expulsi, qui ad Imperatorem confugerant, restituebantur, sed mox Monachi restitutos conjugatos rursus dejiciebant: Illos verò ministri Imperatoris virgis benè cæsos in exilium mittebant, ita ut Alemannus Romam profugere cogeretur. Aventinus ita scribit pagina 564. Ex interdicto sacerdotum conjugio, gravissima seditio gregem Christi perculit, nec unquam talis lues populum Christi affligit. Sacerdotes adversus Pontifices, populus adversus sacerdotes sævire, omnia divina humana permiscere cœperunt, viri, mulierculæ, levi suspicuncula excitati, sacerdoti suo resistebant, bona templi diripiebant, populares sacerdotulos, qui uxores habebant, floccifaciebant, sacrosanctam hostiam à sacerdotibus, qui conjuges habebant consecratam, in lutum abjiciebant, pedibusq; conculcabant. Tales enim non esse sacerdotes, neque sacrificare. Hellebrandus docebat, &c. In hoc dissidio multi eos, quos ad Ecclesiarum ministeria eligebant nolebant ad Episcopos, qui neminem sine abjuratione conjugii ordinabant, mittere, qui nihilominus ut laici concionabantur, & sacramenta administrabant, sicut Nauclerus inquit: Sacerdotes pro concione Hellebrando maledicebant, Antichristum esse prædicabant, qui titulo Christi negotium Antichristi ageret in Babylonia, in templo Dei sederet, super omne id, quod colitur se extolleret, quasi Deus, jactans se errare non posse ad oculendam suam ambitionem fabulas commiscatur, annales corrumpat, cœlestia oracula adulteret, divinas literas falso interpretando suæ libidini servire cogat, &c. Aventinus pagina 573.

Pontifex crudelius furit in clerum.

Alemannus Passaviensis.

Turbæ ex prohibitione conjugii.

Hellebrando Antichristus.

Sed Anno 1080. Pontifex denuò Imperatorem execratur, & sacerdotibus iterum connubiis interdicit. Gratum, inquit Aventinus, fuit scortatoribus, quibus pro una uxore, sexcentas jam mulierculas inire licebat. Hinc occasione accepta, multi falsi Prophetæ nebulas offundebant, fabulis, miraculis, quæ exempla vocantur, à veritate plebem Christi avertebant, sacras literas interpretando suo negotio servire cogebant. Porrò paucissimis Veneri bellum indicentibus, quibusdam castitatis jactantiam, quæstus ergo, simulantibus, maxima pars sub honesto castimoniæ nomine stupra, incestus, adulteria, passim & impunè committebant. Hæc Aventinus. Quæ ideo diligenter observanda sunt, quia describunt fructus Pontificii cœlibatus. Pergit autem Aventinus pag. 579. Sed plærisque Episcopis aliis, eruditis, simplicibus, apertis atq; bonis, præter conjuratos, Pontificis novum dogma, pestifera hæresis, quæ unquam Christianum conturbasset regnum, visa est. Quamobrem Italiæ, Germaniæ & Galliæ Episcopi, Anno 1080. septimo Calẽdas Iulii apud Brixinam Bavariæ urbem convenerunt, Hellebrandum iterum condemnant & deponunt: Ac inter cæteras causas condemnationis fuit & hæc una, quod inter conjuges divortia faceret, sicut & Nauclerus scribit. Aventinus addit fuisse & hæc verba in Brixiensi illo decreto contra Hellebrandum, suavis homo, sacerdotes, qui uxores habent legitimas, sacrificos esse pernegat. Interim tamen scortatores, adulteros incestuosos, aris admovet, &c. Post hæc Episcopi inter se scriptis adversariis, alii pro Hellebrando, alii contra ipsum, digladiati sunt, sicut Aventinus scribit, donec in exilio ipse Salerni mortuus est.

Fructus Pontificii cœlibatus.

Convẽtus Episcoporũ in Bavaria ad condemnandũ Pontificẽ.

Defensio Episcoporum.

Hellebrandus igitur, licèt totũ Acheronta furiis suis moveret, non tamen potuit in universum sacerdotibus in Germania legitima conjugia extorquere. Vrbanus verò (merito suo Turbanus dictus) cum variis conciliis Hellebrandi acta confirmasset, & Imperatoris execrationem repetito fulminasset, sacerdotum etiam conjugia circa annum Domini 1090. denuò damnavit, atque ea principium prædæ exposuit, hoc modo, sicut extat distinct. 32. Eos qui post diaconatum uxoribus vacare voluerint, ab omni sacro ordine removemus, officioq; & beneficio Ecclesiæ carere decernimus, quod si ab Episcopo commoniti, non se correxerint, Principibus indulgemus licentiam, ut eorum fœminas mancipent servituti. Post illum Paschalis idem decretum repetit, cumq; Henricum Quintum in parricidium contra parentem Imperatorem armasset, apud parricidam istum facilè obtinuit, ut is in Comitiis Northusanis, cum Episcopis & principibus quibusdam, conjugia sacerdotum, sub titulo hæresis Nicolaitarum, politico etiam Imperii decreto, damnaret. Atque inde factum fuit, quod postea Principes, brachio (ut loquuntur) seculari, strenuè sibi exequendum sumpserunt decretum Calixti, factum circa annum 1120. quod reperitur distinct. 27. Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis & Monachis, concubinas habere, seu matrimonia contrahere, pœnitus interdicimus, contracti quoq; matrimonia ab hujusmodi personis disjungi judicamus. Atque ita demum politica coactione, sub Henrico Quinto, qui cum unicus filius esset, Pontificum instinctu, in Patris & Imperatoris viscera gladium strinxit, sacerdotibus in Germania conjugium vi publica ademptum est. Sicut etiam Polidorus, lib. quinto, de Invent. scribit, quod circa annum Domini 1100. sacerdotibus adempta fuerint conjugia. Ac testantur idem versiculi, eo tempore sub Calixto scripti, sicut annotat Balæus pag. 375.

Vrbanus Hellebrandi secta & data contra conjugia sacerdotũ constitutio.

Paschalis.

Politica decreta vnde ginem pretinent.

Henricus Quintus parricida in patrem suum, primus manipulum conjugum sacerdotum statuit in Germania.

O bone Calixte nunc omnis clerus odit te,
Quondam presbyteri poterant uxoribus uti.
Hoc destruxisti postquam tu Papa fuisti,
Ergo tuum merito nomen habent odio.

Hæc est vera historia, ex certis Scriptoribus collecta, de jugo cœlibatus, quomodo illud Ecclesiis Germaniæ impositum tandem fuerit, in qua si consideretur, per quos, quibus artificiis, quantis certaminibus & turbis, per integros quadringentos annos, in Germania fabula illa prohibitionis conjugii acta sit, luce clarius apparebit

bit esse ipsissimam doctrinam Dæmoniorum.

Porrò brevissimè jam addemus, quomodo & quando reliquis etiam Septentrionalibus Ecclesijs, Pontifices legem istam cœlibatus obtruserint, quod eò procliviùs tunc ipsis erat perficere, subjugatis potentissimis provinciis, Italia, Anglia, Gallia, Germania. Accedebat & hoc, quod forma doctrinæ Ecclesiasticæ in scholis Christianis circa annum 1140. mutari cœpit, admixto philosophiæ & humanarum traditionum ferméto, unde scholastica Theologia non multò pòst prognata est. Publicè enim tunc in Scholis, Oxonii, Parisiis, & alibi, inter cætera etiam de cœlibatu, contra conjugium sacerdotum, cœptum fuit disputari, sicut ex Tritemio Balæus annotat 2. Centur. 74. Tunc etiam Pontifices Ro. impudentiùs cœperunt de conjugio sacerdotum loqui. Nam Innocentius secundus, rationem prohibitionis conjugii hanc reddit. Cùm sacerdotes templum Domini, & sacrarium Spiritus sancti debeant esse & dici, indignum est, eos cubilibus & immunditiis deservire. Alexander tertius, Extra, de Clericis conjugatis, cùm simul voluptatibus & carnalibus desideriis, ac divinis & Ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant, ob immundiciam suam indigni sunt Ecclesiasticis Sacramentis tractandis.

Septentrionales regiones.

Scholastica Theologia.

Cõtumeliosi sermones in conjugii sacerdotum Innoc. II. Alexan. III.

Lucius Tertius, distinct. 81. c. ministri. statuit sacerdotes conjugatos indignos esse, qui sacramenta vel administrent, vel accipiant, imò qui urceum ad altare suggerant. Conferat autem Lector hęc decreta, ad blasphemias veterum hæreticorũ contra conjugium, & ad Canones Gangrenses, & palpare poterit, esse doctrinas Dæmoniorum.

Lucius III.

Circa annum igitur 1190. Clemens Tertius misit Petrum quendam Capuensem Cardinalẽ in Poloniam, quæ ante ducentos annos & amplius (scilicet Anno 965.) fidem Christi amplexa fuerat, ut inter reliquas Cleri formationes, etiam legem cœlibatus ipsi proponeret. Et post Annos 20. Heinricus Episcopus Gnesnensis, sacerdotes Poloniæ sub iuramento coegit legitimas uxores abjicere, sicut Polonorum Chronica narrant.

Celibatus Poloniæ sacerdotum.

Illustrissimus & reverendissimus Princeps, Georgius Anhaltinus, ex Bohemorum Chronicis (qui circa annum Domini 930. Christiani facti fuerant) hæc verba transscribit: Anno Domini 1196. Petrus Cardinalis in Bohemiam veniens, dum Scolasticos voluit ordinare, à Sacerdotibus & Prælatis propè occisus fuit, ideo quod sacerdotes jubebat uxores à se dimittere.

Bohemiæ sacerdotes.

Petrus Cardinalis.

Circa annum 1230. Gregorius Nonus misit Vvilhelmum Cardinalem in Sueciam ubi per annos 400. antè fides Christi prædicata fuerat. Cardinalis verò legati prima intentio & cura fuit in Concilio Scheningensi, revocare Suecos & Gothos, schismate Græcorum, in quod presbyteri & sacerdotes, ductis publicè uxoribus, consensisse videbantur, effectiq; cooperantibus Rege Erico & Brigero duce, ut abjuratis conjugibus, cœlibatum amplecterentur. Transgressores verò hujus statuti, omnib. proventibus privavit, gravibusq; censuris ac judicio seculari subjecit. Hæc Ioannes Magnus lib. 19. quæ verba diligenter notentur, quòd sacerdotes publicè uxores duxerint. Et tamen Balæus 4. Centur. 11. ex Saxone Grammatico annotat, quod circa idem fermè tempus, Rex Daniæ Pontificales decimas execratus, sacerdotibus conjugia decreverit, & illorum sacra sibi explosoPontificis ministerio, sufficere prædicârit. Clementem III. etjam Saxo scribit excõmunicasse Danorum plebẽ, eò, quòd legem cœlibatus nollet recipere, sed sacerdotibus legitima conjugia permitteret.

Sueciæ, Gothiæ.

Gregor. IX.

Daniæ sacerdotib. coniugia regia auctoritate concessa.

Testantur itaque etjam Septentrionales historiæ, doctrinam Evangelii & fidem Christi, cùm primùm susciperetur, non intulisse in illas provincias legem cœlibatus, sed permisisse & approbasse honesta sacerdotum conjugia. Post multos verò annos demum à Romanis Pontificibus non sine magnis turbis & certaminibus, eò invectas doctrinas Dæmoniorum, prohibentium & solventium nuptias.

Cùm verò Ecclesias Occidentales jam omnes sub jugum prohibitionis conjugii misissent, tandem sub Innocentio Tertio, in Lateranensi Concilio Canone 14. ita statuerunt, qui secundum regionis suæ morem non abdicârunt copulam conjugalem, illi si in fornicationes lapsi fuerint, gravius puniantur, cùm legitimo matrimonio uti possint. Sed quare decretum illud non fecerunt seu servârunt, priusquam prohibitione conjugii totius Occidentis Ecclesias funestis calamitatibus turbarent, & fœdissimis obscenitatibus deformarent, nisi quod implendum erat 17. cap Apocalipsis. Et tamen ex illo Canone colligitur adhuc circa annum 1200. in quibusdam regionibus copulam conjugalem sacerdotibus usitatam fuisse. Sed non judico operæ precium esse posteriorum etjam temporum historiam de cœlibatu hoc loco texere, tunc enim Satan prorsus solutus fuit, Apoc. 20.

Lateranens. Concil. Canon sub Innocentio 3.

Illud verò prætereundum non est, quod etjam postquam vi publica lex cœlibatus jam lata, & perlata erat, ut scilicet ad sacros ordines nemo admitteretur, nisi continentiam promitteret, seu votum perpetui cœlibatus emitteret: Episcopi tamen in Germania ad nostra etjam usq; tempora promissionem illam seu professionẽ & votum cœlibatus expresè & solenniter ab ordinan dis nõ exegerunt, sicut illustrissimus & reverendissimus Princeps Anhaltinus scribit in Episcopatu Magdenburgensi & Mersburgensi, nullam eius mentionem fieri solitam. Alicubi hoc tantùm ordinandis dictum fuit. Si usq; nunc fuistis incesti, amodo sitis casti, ubi castitas non honesto conjugio, sed incestis libidinibus opponitur. Quibusdam in locis hæc formula initiandis propósita fuit. Promitto me victurum secundum Canones, pro posse & nosse. In Pontificali hypodiaconi admonentur his verbis. Hactenus liberi estis licetq; vobis pro arbitrio ad seculária vota transire, quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit, à proposito resilire, sed Deo, cui servire regnare est, perpetuò famulari, & castitatem illo adiuvante, servare oportebit, &c. Iesuitæ verò Colonienses hypodiac. ordinandis alibi hanc formam dicunt proponi. Quicunque ad hunc ordinem accedent, voto se

Votũ cœlibatus expresè ab ordinandis in Germania non exactum.

Gregorius Anhaltinus Princeps.

Quæ ordinãdis in Germania iniuncta.

Admonitio Hypodiaconorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ordinandi nec vovent, nec iurant cœlibatum.

constringant cœlibes & castos se mansu-, sed in Germania ordinandi solenniter & expresè hoc non voverunt. Exemplum enim expressi & solennis voti, describitur in consecratione Monialium, ubi Episcopus Monialem consecrandam interrogat, Promittis te perpetuò virginitatem servare? Illa verò expresè respondet, promitto. Monachus etiam expresè votum continentiæ emittit, in professione dicens: Promitto me perpetuam servaturum continentiam, quantùm humana fragilitas permittit. Ad tale verò votum continentiæ expresè & solenniter emittendum, Episcopi Germaniæ Clericos suos, vel non potuerũt, vel non voluerunt adigere. Quod ipsum illustrat historiam cœlibatus. Et tamen sub prætextu voti conscientias illaqueârunt.

Monialium votum.

Formula solennis voti Monachorũ.

DE FRVCTIBVS IMPVRI APVD PONtificios cœlibatus.

EX quo Spiritu lex cœlibatus seu prohibitio conjugii profecta sit, obscœni, impuri, horrendi & abominandi fructus tantùm non clamitant. Et sanè à cogitatione & commemoratione eorum animus abhorret, ac lingua refugit, nec magnopere necessarium esse arbitror talem narrationem instituere, cùm impuritas & obscœnitas Pontificii cœlibatus, toti jam mundo sorteat. Pauca tamen quædam annotabimus quomodo omnibus temporibus, lex cœlibatus fœdissimas libidines invexerit, atque ita fructus semper autorem monstrârint. Suprà enim ex Epiphanio annotavimus, quomodo Nicolaus, cum cœlibatum affectaret, & postea continere non posset in promiscuas libidines, non se solum, sed multos etjam alios præcipitârit. Quos etjam fructus juniorum viduarum temerè susceptus cœlibatus, tempore Apostolorum attulerit, Paulus ipse describit 1. Timoth. 5. Apud hæreticos verò, qui legitima conjugia prætextu castitatis damnârunt, quam profligatis & abominandis libidinibus omnia fuerint inquinatissima, non libet commemorare. Extant autem descripta apud Irinæum, Epiphanium, & alios, quæ nemo pius legere potest, quin totus & corpore & animo exhorrescat. Notum est quid Cyprianus lib. secundo epist. 11. narret, de virginibus cœlibatum profesis, quæ cùm masculis in eodem lecto manebant, & tamen per inspectionem obstetricum virginitatem probabant. Chrysostomus etjam in oratione, quòd fœminæ regulares viris cohabitent, inquit: Duo hactenus genera commixionis viri & fœminæ nota fuerunt, conjugium & stuprum, jam verò tertium à regularibus istis fœminis inventum est, &c. Inde Cyprianus inquit: Pejus quàm mechari est continentiam dicere criminosam, & infamem ferre sanctimoniam. Hieronymus etiam ad Oceanum promiscuam Venerem & Canones Clericorum nuptias perstringit. Et supra dictum est, Paphnutium in Nicæna synodo ideo dissuasisse legem cœlibatus, quia futura esset causa impuritatis & impudicitiæ in ordine Ecclesiastico. Annotavimus etjam suprà ex Socrate, quod mulierculæ, quas Evstachius sub specie castitatis à consuetudine conjugali abstraxerat, postea in manifesta adulteria prolapsæ fuerint. Et Salviani querelam de sacerdotibus licitum conjugium reliquentibus, suprà recitavimus. Licita, inquit, non faciunt, & illicita committunt, Qui opus honesti matrimonii reliquistis, à scelere cessate. Ita suprà etjam annotavimus, quomodo tempore Gregorii magni, lex cœlibatus parvo tempore, piscinam sex milium trucidatorum infantum capitibus impleverit. Et quos fructus lex cœlibatus in Germania, tempore Nicolai Secundi produxerit suprà ex Hulderici Epistola recitavimus. Patrum, inquit, uxores subagitat, masculorum & pecudum amplexus non abhorrent. Item, qui Clericorum casta conjugia sibi fœtere dicunt, neque adulteria, neque incestus, neque masculorum turpissimos amplexus scirunt abhorrere. Quomodo etjam in Anglia ex prohibito sacerdotum conjugio, vitium Sodomiticum per totam Angliam cœperit regnare, & quomodo ex Clero ad populum lues illa transierit, suprà ostensum est. Ita in historia Hellebrandi ex Aventino recitavimus fructus legis cœlibatus. Maxima, inquit, pars sub honesto castimoniæ nomine, stupra, incestus, adulteria passim & impunè committebant. Item, grata lex illa erat, quibusdam Clericis, quibus pro una uxore sexcentas iam mulierculas licebat inire. Cumq; quædam Concilia Clericis concessissent matrum & sororum cohabitationes, ut de quibus nulla posset esse suspicio, postea compertum fuit, cœlibatum sacerdotum tam castum esse, ut nec matres, nec sorores inire dubitârint. Ideo in aliis Conciliis illas etjam cohabitationes prohibere coacti fuerunt.

Lex cœlibatus sacerdotum fœdiss. libidines peperit.

Nicolaus.

Viduæ iuniores tempore Apostolorũ.

Hæretici.

Cyprianus.

Chrysostom.

Hieronym.

Paphnutius.

Evstachius.

Salvianus.

Gregorius Magnus.

Fructus cœlibatus in Germania.

Anglia.

Sed audi Bernhardi querelam, qui in sermone de conversione ad Clericos capite 29. inquit, Si juxta Ezechielis prophetiam parietem fodiamus ut in domo Dei videamus horrendum, pessima fortè apparebit inter parietes abominatio. Siquidem post fornicationes, adulteria, post incestus, ne ipsæ quidem apud aliquos ignominiæ passiones, & turpitudinis opera desunt. Vtinam nec Apostolũ hæc scribere, nec nos dicere oporteret, ut nec dicentibus crederetur, quod humanum aliquando occupaverit animum, tam abominanda cupido, heu execrabili Sodomorum cinere inimicus hominum, Ecclesiæ corpus aspersit, & ipsorum etjam ministrorum eius nonnullos, sanè fœdissima & spurcissima respersit, &c. Et in fine inquit: Multi, non quidem omnes, sed tamen multi, certum est, nec lateri possunt præ multitudine, nec præ impudentia quærunt, multi utiq; libertatem in occasionem carnis dedisse videntur, abstinentes remedio nuptiali, & in omne deinceps flagitium effluentes: Vtinam qui continere non valent, cœlibatui nomina dare verentur. Esse sine dubio melius nubere, quàm uri, & salvari in humili gradu fidelis populi, quàm in Cleri sublimitate, & deterius viuere, & districtius iudicari. Et alibi inquit: Tolle de Ecclesia honorabile conjugium, & thorum immaculatum, nonne repleas eam concubinariis, incestuosis, seminibus, mollibus, masculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum.

Bernhardi querela.

Monasteriorum & Collegiorum libidines in Anglia.

Exempla fœda, obscœna & horrenda, quibus omnia Collegia & Monasteria scatent, nolo commemorare, quæ monstra libidinum in Collegiis & Monasteriis Angliæ visitatio Henrici 8. inveneri, legat cui libet in Balæo, Centuria 8. & 9.

Mantuanus.

Mantuanus notoria illa suis versibus deplorat.

——— *Nulla hîc arcana revelo.*
Non ignota loquor, liceat vulgata referre,
Sic urbes, populiq; ferunt, ea fama per omnem
Iam vetus Europam mores extirpat honestos,
Sanctus ager scurris, venerabilis ara Cynædis
Servit, honoranda divûm Ganymedibus ædes.
Item.

Bigellus.

Ipudor in villas, urbs est iam tota lupanar.

Nigellus in speculo stultorum de Monialium castitate ita canit:

Quod nunquam nisi clam nullaq; sciente sororum
Cum quocunq; suo fratre manere potest.
Item.
Harum sunt quædam steriles, quadam parientes:
Virgineoq; tamen nomine cuncta tegunt.

Pasquillus.

Pasquillus.
Roma vale, vidi, satis est vidisse, revertar,
Cum leno, ant meretrix, scurra, Cynædus ero.

Epitaphium Sixti.

De Romanorum Pontificum castitate tantùm duo Epitaphia adscribam.

Sixte iaces tandem destent tua busta Cynadi,
Scortaq;, lenones, alea, vina, Venus.
Item.
Hoc iacet in tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Et eò usq; progressa est obscœnitas Pontificii cœlibatus, quòd iniquitatem suam exemplo Sodomæ prædicare non vereantur, sicut Scriptura loquitur. Vergerius enim, Sleidanus & Balæus scribunt, Ioannem à Casa Archiepiscopum Beneventanum Cameræ Apostolicæ Decanum, & in Venetorum dominio nuncium Apostolicum, rythmis Italicis poëma scripsisse, in quo Sodomiæ laudes celebrârit, &c. Opus dicunt excusum esse apud Trojanum Navum.

Ioannes à Casa, Sodomiæ rythmus Italicis celebravit.

Lutherus.

Lutherus scribit se Romæ vidisse, Cardinales illos, quasi pro sanctis haberi, qui fornicationibus & adulteriis cum mulieribus contenti essent. Sed abrumpo narrationem: Quæ enim in occulto ab illis fiunt turpe est vel dicere, Ephes. 5. Et quod Arnobius adversus Gentes scribit de puritate cœlibatus Sacerdotum apud Gentes, hoc ad conjugium nostrum convenit. Sunt autem hæc verba lib. 8. Impunitatem fecit non castitas tutior, sed impudicitia felicior: ubi autem magis à sacerdotibus, quàm inter aras & delubra conducuntur stupra? tractantur lenocinia? adulteria meditantur? frequentius denique in æduorum cellulis? quàm in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur. Hæc ille.

Arnobius.

QVOD MVLTIS DOCTIS ET BONIS VIRIS SVB REgno Pontificio lex cœlibatus, seu prohibitio conjugii sacerdotum displicuerit.

QVòd multi omnibus seculis, inde ab Apostolorum usq; temporibus, prohibitioni conjugii fortiter contradixerint, donec per vim ea stabilita fuit, in præcedenti historia ostendimus. Nunc breviter tantùm annotabimus, quòd etjam post stabilitam illam legem cœlibatus, in mediis captivitatis Babylonicæ tenebris, multi præstantes viri fuerũt, qui manifesta Scripturæ sententia, & horrendis libidinum scandalis moti, suasores extiterunt, ut iniqua illa lex antiquaretur, & sacerdotibus libertas legitimi conjugii restitueretur.

Qui latã cœlibatu legẽ in regno Pãbylonico reprehenderint.

Vvaldenses.

Vvaldenses igitur, qui circa annum Domini 1160. in Galliis exorti scribuntur, hunc etjam articulum inter cæteros habuerunt: Conjugium sacerdotum & iure, & necessariò in Ecclesia retinendum esse.

Thomas Aquinas.

Thomas Aquinas, circa annum Domini 1270. in summa, quæ incipit: Commiserationes Domini cap. 165. disputat, cœlibatum sacerdotum esse ex statuto Ecclesiæ, atq; ideo Ecclesiam in voto castitatis posse dispensare. Et addit: Si Acolytus in secreta confessione, ad discretum sacerdotem veniat, & se nullo modo posse continere dicat, non multum peccat sacerdos, dando ei consilium, ut cum aliqua occultè matrimoniũ contrahat, & occultè Episcopi sui oculos fallat. Minus enim credimus esse peccatum, beneficium cum occulto conjugio retinere, quàm fornicariam contra divinam prohibitionem habere. Si verò postea sacros ordines à suis Prælatis, cogatur accedere, credimus minus esse peccatum uxore uti, quàm cum alia fornicari, si ex toto noluerit continere.

Occultũ matrimonium.

Durandus.

Durandus circa annum Domini 1320. in libro de modo celebrandi Concilii, ex multis rationibus disputat consultũ fore, ut in Concilio generali, sacerdotibus libertas conjugii restituatur.

Marsilius Patavinus.

Et eodem tempore etjam Marsilius Patavinus idem disputavit.

Dantes Florentinus. Petrarcha.

Dantes etjam Florentinus & Petrarcha, circa idem tempus, alter falsè, alter acerbè, (cùm ad Lenocinium sororis suæ Pontifici Benedicto pro stituendæ soliditatis fuisset) impuritatem Pontificii cœlibatus insectabantur.

Balæus pag. 421. annotat, circa annum Domini 1340. publicè magna fuisse certamina, quibusdam pro conjugio, aliis contra disputantibus & scribentibus.

Viclefus Purveus.

Viclefum etjam contra impurum cœlibatum sacerdotum docuisse & scripsisse. Et Purveum, qui ex ipsius schola prodiit, peculiarem librum de ministrorum conjugio edidisse, Balæus annotat Centuria 6. & 7. Idem etjam in fine 6 Centuriæ, ex certis historicis recitat Anno 1349. Canonicum quendam de crimine pessimo, Sodomitico scilicet, accusatum, in publico parlamento Vvestmonasterii, Atq; inde magnates publicè

Universidad de Deusto
Biblioteca

disputasse, quod lex continentiæ adjuncta sacerdotio, in totam Ecclesiam Sodomiam induxerit, Delicata (aiebant) cibaria virorum Ecclesiasticorum, quærunt naturalem purgationem vel pejorem. Votum continentiæ (dicebant) Monialis cogit ad horribilia peccata: ut sunt interfectiones abortivorũ, destructio naturæ per medicinas, mutuæ libidines, & alia non dicẽda. Narrat etjam publicè tunc jactatos fuisse hos versiculos:

Plangunt Anglorum gentes crimen Sodomorum.
Surgunt ingrati Giezitæ, Simone nati,
Qui reges estis, populus quicunq; præstis,
Qualiter hu gestis gladios, prohibere potestis?

Sigismũdus Imperat. sub Concilio Basilienſi.

Circa annum Domini 1430. Sigismundus Imperator imminente Basilienſi Consilio, curavit formulam reformationis Cleri conscribi, in qua fuit & hoc caput, Quia plus mali quàm boni ex Calixti decreto, in Ecclesia secutum sit, melius & animæ tutius esse, ut juxta ritum Ecclesiæ Orientalis, Clericis licentia concedatur contrahendi honesta matrimonia. Formula illa reformationis Argentorati edita est, Anno 1520.

Æneas Sylvius.

Et AEneas Sylvius in actis Concilii Basilienſis lib. 2. scribit: Fortasse non esset pejus, sacerdotes quam plures uxorari, quoniam multi salvarentur in sacerdotio conjugato, qui in sterili presbyteratu damnantur. Idem sicut Sabellicus & Platina referunt, etjam in Pontificatu, inter proverbiales suas sententias & hanc habuit: Sacerdotibus magna ratione ademptum est conjugiũ, sed majore restituendum. Extat etjam Epistola ipsius 321. Romæ scripta Anno 1457. ad Ioannem Frundt, ubi ita inquit: Credimus te consilio uti non insulso, si cùm nequeas continere, uxorem queris, quam vis id prius cogitandum fuisset, antequam sacris initiareris ordinibus. Sed non sumus Dii, qui futura prospicere valeamus. Quando huc ventum est, ut legi carnis resistere nequeas, melius est nubere quàm uri. Non tamen hæc Pontificis sententia est, ut dispensandum censeat, stat in sua serenitate, nec putat uni concedendum, quòd multis in noxium vertat malum, & unum pati pro multis non inconveniens arbitratur. Expectãdus est ergo, ut turò agas, alterius Apostolatus, qui mitior sit, Nescimus tamen an vita tam diu comes erit, &c.

Epistola Æneæ Sylvii ad Ioannem Frundt.

Panormit.

Panormitanus quoque Abbas Siculus, postea Archiepiscopus, in c. cùm olim. de clericis conjugatis, quærit: Nunquid hodie Ecclesia possit statuere, ut Clericus possit contrahere matrimoniũ, sicut Græci? Respondet autem. Credo quòd sic, & hoc indubitatum est apud me, respectu eorum, qui non sunt obligati ex voto vel tacito, vel expresso, & hoc probo ratione: Continẽtia enim non est in Clericis secularibus de substantia ordinis, sicut dicit Innocentius, nec est de jure divino, quia aliàs Græci peccarẽt, nec excusaret eos consuetudo, quia illa non valet contra legẽ divinam. Et non solùm credo potestatẽ inesse Ecclesiæ hoc condendi, sed credo pro bono & salute animarũ, quòd esset salubre statutũ, ut volentes continere & magis mereri relinqueretur voluntati eorũ: Non valentes autem continere, posset contrahere: Quia experientiâ docente, cõtrarius prorsus effectus sequitur ex illa lege continentiæ. cùm hodie non vivant spiritualiter, nec sint mũdi, sed maculantur illicito coitu, cum eorum gravissimo peccato, ubi cum propria uxore esset castitas. c. Niccæna. Vnde deberet Ecclesia facere, sicut bonus Medicus, ut si medicina experientia docente, potius officit quàm profit, eam tollat. Et utinam idem esset in omnibus constitutionibus positivis, ut saltem obligarent, quò ad pœnã, & non quò ad culpam. Nam ita creverunt statuta positiva, ut vix reperiantur aliqui, qui non corruperint viam suam. Hæc Siculus ille, cujus in Concilio Basilienſi magna fuit autoritas.

Canonistæ.

Stephanus Aufrerius.

In eandem sententiam alii etiam Canonistæ scripserunt, inter quos Stephanus Aufrerius fuit, qui aliorum etjam sententias adducit. Inquit enim, tempore primitivæ Ecclesiæ, licebat presbyteris & sic constitutis uxorem ducere, c. quoniam. &c. aliter. dist. 31. dummodo die celebrationis abstinerent à coniugibus. Postea in Occidentali Ecclesia venit prohibitio, ut constituti in sacris ordinibus deberent abstinere, & d. c. aliter. Et dicit Franciscus in Rubrica q. dec. Quòd hoc præceptum det materiam illaqueandi plures animas propter fragilitatem nostram. Ideo credit, quòd sicut Ecclesia induxit hoc præceptũ continentiæ, quòd quoq; revocabit, & erit conveniens dicto Apostoli revocatio, qui dicit: De virginibus præceptum non habeo, consilium autem do. Hæc ille.

Franciscus.

Rodolphus Agricola.

Et Rodolphus Agricola, qui anno 1485. objit. inter reliquas Ecclesiæ tenebras (inquit Balæus) etjam prophanationem Missæ, & impuritatem cœlibatus deploravit. Ioannes autem de Vesalia, Concionator Vvormatiensis, cujus damnationem Anno 1476. Moguntiæ factam, Ioannes Keisersbergius eximius Theologus, iniquissimè tulit, inter cætera docuit: Nullam esse causam rationabilem prohibendi Clericis conjugium.

Ioannes de Vesalia.

Erasmus Roterodamus.

Erasmus in declamatione de laudibus matrimonii: Mihi sanè, inquit, videtur non pessimè consulturus rebus & moribus hominum, qui sacerdotibus & Monachis quoq; fires ita ferat jus indulgeat conjugii. Et addit: Exaggerent quantum libet suum institutum, Monachorum & virginum examina, Sanctissimum vitæ genus est, purè castèq; servatum conjugium. Idem in Annotationibus 1. Timoth. 3. inquit: Etjam atque etjam vereor, ne census Ecclesiastici castrent hodie clericos verius, quàm pietas. Et in Colloquiis dicit: Execramur, si quis vel insciens pejeravit. At nemo detestatur sacerdotes juramento promittentes castitatem, quam tamen nec præstant, nec præstare cogitant.

Adolphus episcopus Mersburgensis.

Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Georgius, Princeps Anhaltinus, scribit: Patruũ suum Adolphum, Episcopum Mersburgensem, ante Lutheri nomen auditum, sepius dixisse: Si Concilium futurum esset, se suasorem & autorem futurum, ut sacerdotibus jus conjugii restitueretur. Addidisse etjam multos sacerdotes, ut conscientiæ consulerent, cum concubinis suis secreto matrimonia contraxisse.

Mantuanus.

Sed ne opus sit omnium voces seu sententias, qui ante Lutheri scripta, in medio Papatu legem cœlibatus improbárunt, colligere, adscribam Mantuani (qui anno Domini 1516. mortuus est) versus, quibus piorum & eruditorum sui seculi judi-

judicium de prohibitione conjugii sacerdotum complexus est. Ita enim canit lib. 1. Fastorum, de Hilario Pictavienſi.

Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor
Legitimo coniuncta thoro, non horruit illa
Tempestate Deus thalamos, cunabula, tædas,
Sola erat in precio, quæ nunc incognita virtus
Sordet, & attrito vivit cum plebe cucullo,
Propterea leges, quæ sunt connubia contra,
Esse malas quidam perhibent: prudentia Patrum
Non satis advertit, dicunt, quid ferre recuset,
Quid valeat natura pati. Cervicibus, aiunt,
Hoc insuave iugum nostris imponere Christus
Noluit: istud onus quod adhuc quã plurima monstra
Fecit, ad audaci dicunt pietate repertum,
Tutius esse volunt, qua lex divina sinebant,
Isse via, veterumq; sequi vestigia Patrum,
Quorum vita fuit melior cum coniuge, quàm nunc
Nostra sit, exclusus thalamis & coniugii usu.

Orator Bavarus in Concil. Trident.

Quæ nostro seculo à Luthero & aliis, contra prohibitionem illam conjugii scripta, dicta, facta sunt, nihil attinet hoc loco commemorare. In recenti enim memoria, & quidem in conspectu sunt omnium. Quòd verò judicium de lege illa cœlibatus sit Principium etjam illorum, qui Pontificiis partibus addicti sunt, patres in Concilio Tridentino exoratore Bavarico & ex aliis coram audiverunt. Inter ipsos etjam Pontificiæ causæ patronos multi fatentur, notoriam & obscœnam infamiam inquinati in Pontificia Ecclesia cœlibatus, efflagitare legis illius vel antiquationem, vel saltem mitigationem.

Lindanus.

Et quidem Lindanus etjam, qui in aliis manifestis erroribus & superstitionibus defendendis non multum frontis habet, de hac tamen lege, licèt timidè admodum ac suspenso quasi gradu, (ne Deum suum terrestrem vere dicendo offendat) inquit, Certè & hodie licet castos, atque vitæ integros maritos ad sacerdotium assumere quod meo quidem judicio rectius, sanctiusq; fortè fieret, per aliquot Germaniarum Provincias, quàm impurissimos aliquot præficere, aut etiam diutius tolerare nebulones, Apostatas & sacrilegos pastores, Quod factum aureo illi D. Paphnutii responso minimè foret alienum, neq; à vero remedio fortè abhorriturum videri posset. Sed viderint quib. ea cura divinitùs est tradita. Hæc Lindanus, qui hoc suo judicio, omnium Romanorum Pontificum decreta & decretales condemnaret, nisi providè adderet (suum fortassis) & ipsam agnitam veritatem Pontificis arbitrio rursus subjiceret. Tu verò cogita qualis sit illa Ecclesia, quæ ad tollendam aut relaxandam iniquissimam illam legem, nec sententia Christi, nec Pauli doctrina, nec Apostolorũ Canonibus, nec judicio primitivæ Ecclesiæ, nec sonora Paphnutii in celiberrima Nicæna Synodo, voce, nec anathematis Gangrensibus, Nec sextæ universalis synodi decretis, nec tot tragicis turbis lege illa motis, nec tot obscœnis impuritatibus inde ortis, nec conscientiarum laqueis, nec tot piorum votis, gemitibus & flagitationibus, quicquam movetur, sed legẽ illã quę cõtumelia conjugii est, & ipsissima materia turpitudinis, non strenuè tantum, sed prorsus tyrannicè tuetur.

AN PECCATVM SIT, SI QVIS, QVI IN MINISTERIO *Ecclesiæ constitutus est, & continere non potest, matrimonium contrahat,*

POstquam Pontificii omnes Sophistices nervos intenderunt, ut clarissimas Pauli sententias, de Episcopo unius uxoris viro, depravarent, & universæ veræ antiquitatis testimonia eluderent, tandem veritatis luce (quæ illorum etjam oculos, qui eã obscurare nequicquam conantur, perstringit) convicti fateri coguntur, ex præscripto Pauli, olim conjugatos rectè ad ministerium Ecclesiæ vocatos & constitutos in sacris ordinibus, consuetudine coniugali licitè usos. Atq; illud hodie etjam posse concedi: ut verò, alio Sophistico artificio, veritatem etjam concessam rursus pervertant, incipiunt disputare: In nouo Testamento nunquam licuisse illis, qui jam in ordinem ministerii ecclesiastici cooptati fuerunt, matrimonium contrahere. Quæstio igitur est. An peccatum hoc sit, cumq; peccatum sit ἀνομία, 1. Ioan. 3. Et ex iis quæ divinitus non sunt prohibita, nemo debeat conscientiis scrupulum injicere, Col. 2. Videbimus an in verbo Dei sit prohibitum. Hic enim principalis status est. Cum hac disputatione conscientiis laqueos injicere conentur.

Status quæstionis.

Levitis in veteri Testamento licuit contrahere.

Invenio autem in veteri Testamento, ubi externa Levitica puritas exactissimè in sacerdotibus requirebatur, non tantùm usum consuetudinis conjugalis sacerdotibus concessum, sed textus manifestè dicit, Levi. 21. Sacerdotes ducant uxorem, sed nõ scortum, nec repudiatam. Et ne de gregariis tantum sacerdotibus priusquam ad ministerium assumerentur, hoc intelligatur expressè de ipso Pontifice seu sacerdote magno etjam postquam unctus & consecratus fuerat, dicit: Virginem ducet uxorem. Et in illo loco hoc scribitur, ubi de sacerdotibus Deus expressè dicit: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Nec valet Syricii elusio, propter vices sacerdotales, in veteri Testamento hoc toleratum. Annis enim amplius quadringentis, priusquam vices illæ à Davide instituerentur, Deus illo etjam tempore, quando Pontificem quotidie manè & vesperi oportebat offerre, Exod. 29. conced tipsi ut ducat uxorem. Et Ezechiel describens formam novi templi, tanquam idæam typicam Ecclesiæ novi Testamenti (neque enim Zorobabelis templum, idæam illam Ezechielis expressit) cap. 44. dicit: Sacerdotes non viduam, aut repudiatam, sed virgines Israelitici generis uxores ducent.

Levit. 21.

Sacerdos magnus.

Syricii elusio.

Paulus.

Illa verò concessio non est in novo Testamento, contraria prohibitione abrogata, imo Paulus expressè dicit: Legitimum matrimonium, & consuetudinem conjugalem, non pugnare cum ministerio novi Testamenti. Sed excipiunt, Paulum quidem hoc dicere, eum qui jam est unius uxoris vir, quiq; jam liberos habeat, posse ad Episcopum assumi. Non autem ipsum dicere, quòd postquam Presbyter aliquis constitutus est, possit uxorem ducere. Ideo verò in isto loco hoc non expressit, quia mox capite sequenti dicturus erat:

Depravatio sententiæ Pauli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rat, esse doctrinam Dæmoniorum in hypocrisi mendacium loquentium, quicunque prohibere velit contrahere matrimonium. Et observet Lector antithesin. Pontificii fingunt Paulum 1. Timoth. 3. Conjugatos quidem admittere ad Presbyterium, sed eo ipso prohibere, ut qui jam Presbyteri facti sunt, non contrahant matrimoniũ. Ipse verò Paulus capite sequenti dicit esse mendacium & doctrinam Dæmoniorum, si quis prohibeat contrahere matrimonium. Et omninò frivolum & ineptum est concedere, Episcopum posse bona conscientia uxorem habere, & consuetudine conjugali uti, mox autem fingere, esse peccatum contra conscientiam, si uxorem ducat. Eadem enim sophistica est, qua Vintonienſis Anglus locum Pauli 1. Corint. 7. voluit eludere. Eum qui in conjugio ad fidem Christi vocatus esset, posse propter vitandam fornicationem uxorem habere. Non autem sequi eum, qui cœlebs conversus esset, si continere non posset ad vitandam fornicationem, posse uxorem ducere. Quod idem est, ac si quis fingeret, quando Christus dicit Marci 9. Habete salem in vobis. Et capite duodecimo: Habete fidem Dei: hanc esse sententiam, ut qui jam habent, teneant, & usurpent salem & fidem. Qui verò non habent, nullo modo debere salem acquirere, aut fidem concipere: Aut si Anabaptista contenderet, eum qui jam in officio magistratus constitutus sit, posse illud bona conscientia administrare, sed officium illud de novo suscipere, neminem bona conscientia posse.

Vintonienſis

Atqui Methodus Pauli 1. Cor. 7. hæc est. Primùm loquitur de conjugatis: Bonum esset homini mulierem non tangere, sed propter vitandam fornicationem, quisq; habeat suam conjugem, nec fraudent se invicem sed reddant sibi mutuò debitam benevolentiam, ne vos, inquit, tentet Satanas, propter incontinentiam vestrã, &c. Ex illo verò fundamento mox attexit de conjugatis & viduis, tanquam consequentia in casu simili. Bonum iis esset si permanerent ut ego: Sed quia unusquisq; proprium donum habet, si sese non continent contrahant matrimonium. Melius enim est matrimonium contrahere, quàm uri. Et si uxorem quis duxerit non peccat, sed rectè facit, 1. Cor. 7. Axioma igitur Pauli est: Sicut maritum esse: ita etjam maritum fieri, sine peccato licet: Et qui rectè sine peccato potest uxorem habere, is etjã rectè sine peccato potest uxorem ducere. Quia igitur Episcopus Presbyter seu Diaconus, rectè & sine peccato potest uxorem habere. 1. Timoth. 3. Tit. 1. Ergo eodem jure etjam rectè, & sine peccato potest uxorem ducere. Est & hoc argumentum perspicuum & firmũ, Quod à Deo prohibitum non est, illud sine peccato, quò ad conscientiam liberum est. Sed Paulus expressè & in genere dicit, se non habere præceptum Domini, quo cœlibes prohibeantur matrimonium contrahere. 1. Cor. 7. imò pronunciat, Dæmoniorum doctrinam esse prohibere matrimonium contrahere.

Axioma immotum.

Obiectio. Esse decretũ Patrum & Conciliorũ.

Sed Patres, inquiunt, & Concilia statutum ferunt, ne illi, qui jam sacerdotes facti essent, postea uxores ducerent. Benè ergo habet, quòd non divina, sed humana tantùm prohibitio est Non itaq; conscientiam potest obligare, Paulus enim pronunciat, Coloss. 2. Nemo vos judicet in illis, quæ Deus libera esse voluit. Si enim mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi viventes in mundo, decretis tenemini? Quod si de illis, quæ in veteri Testamento divinitùs prohibita fuerant, verum est: Ideo, quia in novo Testamento à Christo in libertatem vindicata erãt, multò magis in hominum prohibitionibus, quæ carent testimonio Scripturæ, locum hoc habere debebit. Neque enim ideo à jugo Mosaico, quod divinitùs in veteri Testamento impositum erat, Christus in novo Testamento nos liberavit, ut hominum statutis & prohibitionibus sine verbo Dei, conscientiæ illaqueærentur, precio enim empti estis, inqt Paul. nolite fieri servi hominũ.

Cùm igitur conjugium tam sit honorabile, ut cum eo quis possit Episcopatus solium ascendere, sicut Chrysostomus inquit: Quid quæso nuptiæ habent, quod tam impurum aut impium sit, ut non conjugium, sed nuptiæ prohibendæ & fugiendæ sint sacerdotibus? Certè in nuptiis, quando matrimonium contrahitur, Deus ipse conjuges copulat. Matth. 19. & fœdus inter sponsum & sponsam ipse, sua testificatione interposita, confirmat, Malach. 2. Et Christus ipse nuptiis, cùm matrimonium contraheretur, interesse voluit, Ioan. 2. Extra Scripturam itaq; imò contra eam dicitur. Conjugium quidem & usum ipsius licere sacerdotibus, non autẽ nuptias, seu ut matrimonium contrahant. Nam Ebr. 13. ubi scribitur, conjugium honorabile esse, usurpatur vocabulum γάμος, quod & conjugium, & ipsas etiam nuptias, quando matrimonium contrahitur, significat. Ipsas igitur nuptias pronunciat esse honorabiles, & quidem in omnibus. Et 1. Corin. 7. non tantùm eum, qui matrimonio utitur, verum etjam eum, qui matrimoninm contrahit, pronunciat nõ peccare, sed benè facere. Ac quod diligenter notandum est, Paulus 1. Tim. 4. dicit, doctrinas Dæmoniorum, non tam ipsum conjugii usum prohibere, quàm τὸ γαμεῖν, hoc est, ne matrimonium contrahatur, ita enim Paulus loquitur.

Chryſoſtom.

Iure divino igitur in verbo Dei, non est prohibitum, ne sacerdos contrahat matrimoniũ, imò talis prohibitio pugnat contra Paulum, 1. Cor. 7. & numeratur inter doctrinas Dæmoniorum, 1. Tim. 4. In hoc fundamento, conscientiæ rectè & tutò possunt acquiescere. Quia enim solum verbum Dei dominatur conscientiis, nullum igitur contrarium statutum, nulla diversa consuetudo potest aut debet conscientiis scrupulum injicere. Quòd verò per Paphnutium objicitur, asserentem veterem Ecclesiæ traditionem, suprà explicatum est in historia Nicænæ synodi, quòd scilicet traditio illa non sit juris divini, sed positivi, & quidem non universalis, sed particularis, nec perpetua, omnes & semper obligans, sicut suprà ostendimus.

Paphnutius.

Ita ad Canonem 27. Apostolorum, qui tantùm Lectoribus & Cantoribus nuptias permittit, respondetur ex distinctio. 16. ubi Canonibus illis, non Canonica tribuitur autoritas, sed inter Apocrypha numerantur. Et Canonem illum non fuisse

Canon Apoſtolorum 27.

Canon Ancyranus. post ordinationẽ nuptias concedit Diacono.

isse in primitiva Ecclesia, vel receptum, servatum, manifestè ostendit Canon Ancyranus decimus, qui Diaconis post ordinationem concedit nuptias. Et 50. Canon ex illis, qui Apostolis tribuuntur, ita dicit: Si quis ex ordine sacerdotali nupti. abstinuerit, διὰ ἀσκησιν, id est, ideo ut pro ratione sui doni ad exercitia pietatis expeditior sit, sed propter abominationem, oblitus, quòd omnia bona valdè, quodq; masculũ & fœminam Deus creavit hominem, aut corrigitor, aut ex Ecclesia ejicitor. Hìc audis hæresin esse, nuptias contrahendas sacerdotibus prohibere, tanquam rem prophanam, immundam, & ministerio indignam. Atq; hoc Canone sumitur responsio ad aliorum Conciliorum decreta, & Pontificum rescripta, quæ sacerdotibus nuptias prohibent.

Impudens Pontificiorũ mendaciũ. Decretorum testimonia.

Quod verò dicunt nullis historiis probari posse, sacerdotem jam ministerio Ecclesiæ constitutum, unquam matrimonium contraxisse, hoc nimis liberaliter fingunt. De singulis enim ordinib. ex ipsis eorum decretis testimonia possunt adduci, ut de minorib. ordinibus, Extra. de Clericis conjugatis, ca. cùm olim, &c. Orientales in minoribus ordinibus (hoc est, Cantores, Lectores, Acolyti & Subdiaconi) contrahunt. In superioribus utuntur matrimonio contracto. Et Subdiaconi etjã in Occidentali Ecclesia, publica Episcoporum autoritate, uxores duxerunt usq; ad Nicolai II. tempora, dist. 32. De illo Clerico.

Minores ordines.

Diaconi.

De Diaconis extat expressum testimonium, dist. 28. ex Can. 10. Ancyrano. Diaconi quicumq; cùm ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, velle se habere uxores, nec posse se continere, hi postea, si ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quòd his Episcopus licentiam dederit. Et hoc circa annum 500. primũ prohibitum est in Iustiniani Auth. de sanct. col. 9. §. Clericos. De sacerdotibus seu Presbyteris loquitur, dist. 31. Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum sacerdotes Diaconi aut Subdiaconi matrimonio copulantur. Iftius autem Ecclesiæ vel Occidentalium, nullus sacerdotum à Subdiacono usq; ad Episcopum, licentiam habet conjugium sortiendi. Et glossa quidem manifesta falsatione verbum (copulantur) exponit (pro copulato utuntur) quod etjam Cajetanus reprehendit & rejicit. Sed antithesis manifestè ostendit sententiam. Hæc duo enim opponuntur, copulari matrimonio, & non habere licentiam sortiendi conjugium. Et illæ ipsæ phrases, (copulari matrimonio, & sortiri uxores) de ipso contractu matrimonii expressè usurpantur, dist. 32. c. Multorum. Item, si qui 26. quæst. 2. c. Sors. Copula sacerdotalis vel consanguineorũ, nec legali, nec Evangelica, nec Apostolica autoritate probatur, Ecclesiastica tamen lege, penitùs interdicitur, ubi notabis Canonem 27. qui Apostolis tribuitur, prohibentem sacerdotibus nuptias, tempore Gratiani non habuisse autoritatem Apostolicam. Et de Episcopis ac sacerdotibus infinuat, cap. si quis amodo distinct. 81. quod ante Alexandrum Secundum, circa annum Domini 1070. potuerint uxores ducere. Dicit enim, si quis amodo Episcopus, Presbyter aut Diaconus fœminam acceperit aut acceptam retinuerit, &c.

Presbyteri.

Epiſcopi.

Ergo anteà usitatum fuit. Et quidem usque ad Alexandrũ Tertium circa annum Domini 1060. alicubi usitatum fuisse sacerdotes in ordinibus majoribus nuptias contrahere testatur ca. sanè De Clericis conjugatis, dicit enim sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, &c. Item clariùs testatur glossa, distinct. 84. c. cùm in præterito. Dicunt quidam quòd Gregorius introduxit continentiam Subdiaconis, distin. 31. Presbyteris vero & Diaconis Syricius introduxit, imò dicunt, quòd olim sacerdotes poterant contrahere ante Syricium. Hæc glossa. Isodorus etjam circa annum Domini 620. In regula Clericorum, distin. 23. c. His igitur. Clerici aut continentes sint, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur. Quæ regula, de Clericis in sacris ordinibus jam constitutis, manifestè loquitur. Et illos si continere non possunt, dicit debere & posse fœderari unius matrimonii vinculo, hoc est, matrimoniũ contrahere. Et Innocentius Tertius, cùm super Decretales scriberet, c. placet. De conversione conjugatorum dixit. Matrimonium de jure divino non prohibere susceptionem sacrorum ordinum, sed tantùm ex constitutione Ecclesiæ, & sic matrimonium naturaliter non resistere promotioni ad sacros ordines. Imò etjam post consecrationem, sacerdotem posse contrahere matrimonium, nisi Ecclesiæ statuto prohibitũ hoc esset, &c. Et glossa in c. cùm olim. de Clericis conjugatis dicit: Papam posse dispensare, ut aliquis contraheret in sacro ordine, quia tantùm ex constitutione Ecclesiæ continentia ordini annexa est. Cajetanus etjam tractans quæstionem, an Pontifex posit dispensare cum sacerdote Occidentalis Ecclesiæ, ut accipiat uxorem, dicit, nec ratione, nec autoritate probatur, quòd absolutè loquendo, Sacerdos peccet contrahendo matrimonium, nec ordo, in quantùm ordo, nec ordo, in quantùm sacer, est impeditivus matrimonii. Et concludit, Sacerdotium non dirimire contractum matrimonii, sive antè, sive pòst seclusis omnibus legibus, stando tantùm in his, quæ à Christo & ab Apostolis habemus, &c. Et Cusanus Epistola 2. ad Bohemos de usu communionis, inquit: consequenter in novo Testamento visum est, post aliqua tempora absurdum fore, quòd in sacris ordinibus existentes contraherent, similiter & solenniter voventes, quod si facerent seperandos esse, qui tamen antè, tanquam a Deo conjuncti separari non potuissent. Ex quibus verbis manifestissimum est, existentes in sacris ordinibus, olim potuisse matrimonium contrahere. Ita paulò antè ex Apophtegmatis, & ex Epistola AEneæ Sylvii ad Ioannem Frundt, sacerdotem, qui cùm continere non potuisset, cupiebat uxorem ducere, idem ostendimus. Imò ex ipsa Scriptura probari hoc potest. Paulus enim ponit, se sive inter viduas, sive ἐγαμεῖς, 1. Cor. 7. Sed ca. 9. dicit, se habere potestatem circumducendi mulierem sororem, sicut Petrus & reliqui Apostoli conjugati. Habuit igitur Paulus potestatem ducendi uxorem in ipso ministerio. Huc pertinet etjam, quòd tanquam textum Scripturæ allegant, Tertullianus & Innocentius primus, Sacerdotes mei semel nubant. Ergo usitatum hoc tunc fuit.

Iſidorus.

Innoc. III.

Caietanus.

Cuſanus.

Teſtimonia Scripturæ.

Por-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exempla historiarū Germaniæ ante Hellebrandū

Porrò in Ecclesiis Germanicis ante Hellebrandi furias, sacerdotes habuisse libertatem contrahendi matrimonia, ex historiis illis, quas suprà ex certis authoribus annotavimus, manifestum est. Extat apud Aventinum pagin. 290. Epistola

Grego. III.

Gregorii Tertii ad Episcopos Boiariæ, de reformatione sacerdotū, qui fornicationibus & adulteriis inquinati erant, ubi inter cætera hæc extant verba: Nemo scorta aut concubinam alat, quisq; aut castè vivat, aut uxorem ducat, quam repudiare fas non esto. Ex illa Epistola etiam

VVolffgang. Lazius.

Vvolffgangus Lazius ostendit, olim viris Ecclesiasticis liberum fuisse, si continere non possent, matrimonium contrahere. Et circa annum Domini 800. Moguntiæ in synodo, reformationem Clericorum in Germania, ex regula Clericorum ab Isidoro conscripta, instituì debere decreverunt. Illius verò regulæ caput unum est: Clerici aut continenter vivant, aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur. Quæ verba de fœdere legitimi matrimonii contrahendo loquuntur, sed rhapsodos Conciliorum ea malitiosè expunxisse supra ostendimus.

Vlricus.

Ex Vlrici etiam Epistola idem colligitur, ubi & hæc historia recitatur. Gregorium Magnum cùm fructus prohibiti Clericis conjugii in piscina invenisset, damnato priori suo decreto, Apostolicum illud consilium etiam sacerdotibus accommodasse, melius est nubere, quàm vel uri, vel mortis occasionem præbere. Et usq; ad Hellebrandi tempora, sacerdotes Germaniæ habuisse libertatem & contrahendi & usurpandi matrimonii, manifestè testatur Epistola ipsius ad Constantienses apud Nauclerum pagin. 140. in qua dicit: Episcopus vester Clericis suis permisit, ut qui uxores habuerant, retinerent, & qui non habebant, ducerent.

Consuetudo Ecclesiæ Græca.

De Græcæ Ecclesiæ consuetudine Erasmus id, quod non ex aliis audivit, sed quod ipse coram oculis suis vidit, testatur in Apologia ad versus Parisienses, se Venetiis apud Græcos vidisse: Sacerdotem post susceptum ordinem ducere uxorem, sed unicam virginem. Et suprà ex historia Ioannis Magni adscripsimus hæc verba: Vvilhelmi Cardinalis prima cura & intentio fuit revocare Suecos & Gothos à Schismate Græcorum, in quod Presbyteri & sacerdotes ductis publicè uxoribus consensisse videbantur. Et metropolita Russiæ apud Sigismundum Baronem scribit, maximum esse errorem & peccatum in Romana Ecclesia, quòd sacerdotes, qui secundum legem ducunt uxores, rejiciant.

DE DIGAMIA SACERDOTVM.

PErversa prorsus ratio est: virtutes quas Paulus in Episcopo expressè requirit, quæq; ad ædificationem Ecclesiæ utiles & necessariæ sunt, in eligendis sacerdotibus negliguntur, finguntur verò alia, quæ à Paulo non requiruntur, & ad Ecclesiæ ædificationem nihil faciunt, illis conscientiæ perturbantur, & Ecclesia idoneis ministris defraudatur. Si quis enim uxore defuncta, aliam legitimè duxerit, vel qui honestam viduam duxerit (quæ juxta Scripturam non liberè tantùm, sed in Domino fiunt, 1:Cor.7.) is etiamsi reliquis donis ad Ecclesiæ ædificationē utilibus & necessariis, miraculum usq; à Deo ornatus sit, à ministerio Ecclesiastico arcetur & removetur. Qui verò vel 100. adulteriis, vel 1000. stupris se prostituerunt, illis, si modò legitimum conjugiū fugerint, etjamsi aliàs vel stipites, vel asini sint, nulla prorsus inhabilitas obstat, quò minus ad sacros ordines promoveri, imò ad apicem, non Episcopalem tantùm, sed Pontificium etjam, cum solenni acclamatione, Dignus & Iustus est, evehi possint. Augustinus disputat, eum, qui ante Baptismum unam habuerit uxorem, & ea mortua, secundam post Baptismum duxerit, non esse ad ministerium admittendum. Hieronymus verò Tit 1. falsè hoc refutans quærit, quo privilegio illi, qui ante Baptismum cum aliquot concubinis inquinati fuerant, postea ad ipsum Episcopatus solium ascendant, obliquè notans ipsum Augustinum, qui ante conversionem duas concubinas habuerat. Absurda profectò hæc sunt. Et tamen hæc opinio sub hypocrisi peculiaris sanctitatis, etjam in Orientalibus Ecclesiis tandem ad huc usq; diem invaluit, sed rem ipsam sepositis præjudiciis consideremus.

Augustinum de digamia.

Hieron. con. 1.

Si mortua una uxore alteram legitimè duceret, tale est propter quod aliquis, licèt aliis donis & virtutibus ad Ecclesiæ ædificationem necessariis instructus, à ministerio Ecclesiastico arceri & removeri debeat, necesse est atrox crimen esse Paulus.n.dicit Episcopū debere esse ἀνεπίλημπτον, Tit. 1. hoc est, qui hujusmodi criminibus non sit obnoxius, propter quæ publicè possit infamia notari seu in jus vocari. Atqui mortua uxore liber est vir à lege prioris uxoris, possit ducere aliam, Rom. 7. & 1. Cor. 7. Ac viduis in genere Paulus præscribit, bonum quidem ipsis esse, si cœlibes permanserint, sed si se non continent, contrahāt matrimonium. Melius est enim, matrimonium contrahere, quàm uri. Et addit à viduis secundas nuptias posse cōtrahi in Domino, 1. Cor. 7. Quod igitur Deus liberum esse pronunciat, quod Paulus tanquam remedium incontinentię præscribit ac tam sanctum esse testatur, ut in Domino possit fieri, certè si quis illud contendat tale crimen esse, propter quod aliquis aliàs idoneus, à ministerio arcendus & removendus sit, is Spiritui sancto contradicit.

Operæ precium autem est considerare, unde persuasio illa primùm sit orta, quæ temporibus confirmata, & consuetudine præscripta, titulum nunc habet Apostolicæ traditionis. Et à Gentium sacerdotibus, κακοζηλίᾳ quadam hoc acceptū esse, non dissimulant. Hieronymus enim 2. contra Iovinianum dicit, vnicubas semper inter matronas habuisse decuit, per quas fortunæ muliebri sacra fierent, nullum sacerdotem digamum, nullum flaminem bimaritum leges. Phigius citat Servium super illud Vergilii (huic uni forsan poteram succumbere culpæ.) Etjam Ethnicos bis nuptos repulisse à sacerdotio. Accessit postea ex Montani schola. Tertul. qui cùm ex revelatione paracleti Montanici secundas nuptias simpliciter

Origo & fons perversæ huius opinionis.

A Gentium sacerdotibus in Ecclesiā translata monarchia. Hieron. Pighius.

Tertullianus monogamia Montanica.

Derivatio falsæ Paulini.

ter & in genere damnāret, ut istis Montanicis revelationibus, quæ suspectæ & invidiosæ tunc erant, speciem aliquā ex Scriptura indueret, cœpit locum Pauli ita interpretari, Sacerdotes sint unius uxoris viri, hoc est, Monogami. Omnes autē Christiani sunt sacerdotes. Ergo secundæ nuptiæ omnibus sunt prohibitæ. Cumq; videret sibi obstare, quòd qui secundā duxit, non est mortuæ uxoris vir, sed viventis, & ita nihilominus unius uxoris vir. Impudenter fingit, nō referre, duas quis uxores singulas habuerit, an pariter singulæ duas fecerint. Eimdem enim numerum esse conjunctorum & separatorum, quod directè pugnat contra Paulum, qui Roman. 7. & 1. Corinth. 7. pronunciat, virum ab uxore mortua liberatum & solutum esse. Non igitur mortuæ maritus ampliùs est, sed unius, quæ vivit, licèt ordine vel secunda vel tertia sit. Quanquam autem Montanus cum suo paracleto, meritò ab Ecclesia reprobatus sit, adhæsit tamen inde in quibusdam locis, etjam laicorum secundis nuptiis nota quædam ignominiæ. Neocæsariense enim Concilium cap. 5. secundas etjam legitimas nuptias publicæ pœnitentiæ subjicit per longum tempus, quod tempus Laodicenum Concil. postea minuere voluit: Ca. 7. prohibet presbyterum convivio secundarum nuptiarum interesse, ne sua præsentia videatur illas comprobare. Alius Canon secundis nuptiis benedictionem denegat, & presbyterum benedicentem damnamos, suspensum mittit ad sedem Apostolicam. Quæ si intelligantur de secundis nuptiis, post mortem prioris conjugis legitimè contractis, simpliciter pugnant contra Paulum Rom. 7. & 1. Cor. 7. Ideò glossa exponit de secundis nuptiis, vivente adhuc priore conjuge. Andradius verò citat & probat Constantini porphyrogemeta constitutionem, quæ quinquennii excommunicationem imponit ei, qui tertiam uxorem post mortem priorum duxerit. Et ex opere imperfecto citat secundas nuptias secundum Apostolicum præceptum licitas esse: Secundum autem veritatis rationem veram esse fornicationem.

Secundæ nuptiæ interdictæ Laicorū ut sacerdotibus.

Concil. Neocæsariense.

Benedictio negata secundis nuptiis.

Sed cùm damnatio secundarum nuptiarum non posset in universum obtineri, sacerdotali ordini sub prætextu maioris sanctitatis obtrudi cœpit, ut laicis tantùm tanquam imperfectionibus, secundę nuptię concederentur. Ita enim inquit Tertullianus, censet Monogamiam tantùm esse sacerdotum, quia Paulus dicit: Oportet Episcopum esse unius uxoris virum. Sed vera catholica Ecclesia, tempore Tertulliani circa annum Domini 200. hoc non observavit, & dictum illud Pauli non hoc modo intellexit, sicut Tertullianus ipse fatetur in lib. de Monogamia. Montanistæ enim se vocabant spirituales, reliquos verò, qui non erant Montanistæ, vocabant Physicos. Inquit igitur: Cur ergo non erubescunt, quotquot ex digamia præsident apud vos, quando hæc ipsis leguntur: Oportet Episcopum unius uxoris virum esse. His verbis manifestè testatur, in Ecclesia Catholica apud illos, qui non erant Montanistæ, digamos præsides Ecclesiarum fuisse, & dictum Pauli non intellexisse de Monogamia. Postea cùm subinde maior fieret doctrinæ inclinatio, digamia sacerdotibus severiùs prohibita fuit. Ambrosius enim exponens

Ambrosium.

locum 1. Tim. 3. dicit. Quamvis secundam numero uxorem habere non sit prohibitum, ut tamen quis dignus ad Episcopatum sit, etjam licitum debet spernere, propter sublimitatem illius ordinis. Sed Ecclesia etiam illius temporis, ubiq; digamos ad sacerdotium admisit, id quod Hieronymus ipse, qui tamen nec primis, nec secundis nuptiis satis æquus fuit, testatur in Epistola ad Oceanum, his verbis: Cauterius Hispaniæ Episcopus, homo & ætate vetus & sacerdotio, unam antequam baptizaretur, alteram post lavacrū priore mortua, duxit uxorem, & arbitraris eum contra Apostoli fecisse sententiam, qui in catalogo virtutum Episcopi, unius uxoris virum præcepit ordinandum? Miror autem te unum protraxisse in medium, cùm omnis mundus his ordinationibus plenus sit, non dico de presbyteris, non de inferiori gradu. Ad Episcopos venio, quos si figillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminensis synodi multitudo superetur, &c.

Digamos sacerdotes Ecclesia admisit tempore Ambrosii & Hieronymi.

Et Hieronym. explicans locum Pauli, inquit, Hoc quod dicit unius uxoris virum, potest & aliter differi. Ex Iudæis erat Apostolus. Prima Christi Ecclesia de reliquiis Israël congregabatur. Sciebat lege concessum, exemplo Patriarcharum familiare populo noverat, in multis uxoribus liberos spargere. Ipsis quoq; sacerdotib. hujus licentię patebat arbitrium, præcepit ergo ne eandem licentiam Ecclesiæ sibi vindicent sacerdotes, ne bina pariter & trina conjugia sortiantur, sed ut singulas uno tempore habeant uxores. Apud Græcos etjam, cùm à Latinis de sensu loci illius Paulini mota esset controversia, Theodoretus circa annum Domini 430. recitat illorum interpretationem, qui sentiunt Paulū nominando unius uxoris virum, non prohibere secundū matrimonium, quando mors vinculum prioris dissolvit, sed respicere ipsum ad hanc antithesin. Olim enim & Græci & Iudęi, inquit cum duabus, tribus & pluribus uxoribus jungebantur lege matrimonii. Et nunc inquit, cum leges imperatoriæ prohibeant duas simul uxores ducere, cum concubinis & scortis rem habent. Et levitas in repudiis, tunc etjam usitata erat. Hisce omnibus judicant Paulum opponere unius uxoris virum. De hac verò interpretatione pronunciat Theodoretus, videntur rectè dicere. Item, his consideratis admitto eorum interpretationem.

Disputatio Græcorū & Latinorū de loco Pauli, 1. Timoth. 3.

De loco Pauli 1. Timo. 3. unius uxoris vir.

Eodem modo etjam Chrysostomus recitat quidem Latinorum interpretationē, sed suam; hoc est, Græcæ Ecclesiæ, prolixè explicat, quod scilicet Paulus respectu Polygamiæ & repudii non tio de unius minet unius uxoris virum. Ita enim scribit 1. *uxoris viro.* Tim. 3. dicens, unius uxoris virum, μιᾶς γαμίας, prohibet. Quoniam apud Iudæos licitum erat, (καὶ δύο γυναῖκας ὁμιλεῖν γάμους καὶ δύο ἔχειν κατὰ τὸν τῶν γυναικῶν) & altero jungi matrimonio & eodē tēpore simul duas habere uxores. Et Tit. 1. inquit, dicens, Paulus unius uxoris virum, voluit Hereticis os obturare qui nuptias criminantur, ostendens rem illam non abominabilem, sed adeò pretiosam & honorabilem, ut cum ea, quis possit etjam

Chrysostomi interpretatio de unius uxoris viro.

Universidad de Deusto
Biblioteca

jam sacrum Episcopatus thronum ascendere. Eo ipso verò cùm dicit (uniùs uxoris virum) etjam ἀσελγῶς libidinosos, petulantes seu procaces cohercet nec permittit, ut quis principatum hunc ineat μίᾳ δ' ἐυτὶ γάμῳ, cum altero matrimõio. Quin enim ergà ἀπελθόσαν, hoc est, eã, quę repudiata discesserit nullam benevolentiam servavit, quomodo is bonus Ecclesiæ præses erit, quam ille non sustinebit reprehensionem? Nostis enim omnes, nostis etjamsi non esset legibus prohibitum τὸ δ' ἐυτὶ γάμοις ὁμιλεῖν γάμοις, alteris jungi nuptiis, multas tamẽ res ipsa habet κατηγορίας, criminationes seu reprehensiones. Nullam igitur Paulus criminandi occasionem, præsides, vult subjectis suis præbere, &c. Interpres reddens μετὰ δ' ἐυτὶ γάμῳ, post secundas nuptias. Item ἀπελθόσαν defunctam uxorẽ, sensum Chrysostomi pervertit. Nullis enim legibus Imperatorum prohibitum unquam fuit, ne post mortẽ prioris conjugis secundæ nuptiæ legitimè contraherentur. Sed hoc leges Imperatoriæ prohibuerunt, ne quis simul duas uxores duceret, sicut Theodoretus citat. Et quòd hoc loco Cry. δ' ἐυτὶ γάμου alterum matrimonium, seu secundas nuptias intelligat ex commentariis ipsius, 1. Tim. 3. intelligitur, quæ verba paulò antè annotavimus. Et ex Theodoreto etjã, cuius verba adscripsimus, hoc declaratur, quòd scilicet ad poligamiam, & ad repudium respiciat. Atq; hanc Græcorum interpretationem Hieronymus etiam Tit. 1. adducit, & eam non reprobat, sed in Epistola ad Oceanum confirmat. Glossa etiam Canones, damnantes digamiam, exponit de secundis nuptiis, quæ contrahuntur vivente adhuc priori conjuge.

Hieronymus.

Summa sententia Pauli 1. Tim. 3.

Paulus igitur, quando Episcopum nominat unius uxoris virum, non prohibet secundas nuptias post mortem conjugis. De hoc enim casu 1. Corin. 7. dicit, si se non continent, contrahant matrimonium in Domino. Sed vel polygamus est, vel qui repudiata adhuc vivente, alteram duxit, vel qui concubinarum & scortorum vir fuit, cum Paulus propter scandalum non vult eligi in Presbyterũ, sicut Theodoretus tria hęc expresse ponit, in quorum antithesin unius uxoris vis intelligatur.

Obiectio de viduis monogamis.

Quæ verò contra hanc interpretationem opponuntur, eam magis confirmant, quàm labefactant. Speciosum videtur quod objicitur ex loco 1. Tim. 5. Vidua eligatur, quę unius viri uxor fuit, Polygamia verò nunquam mulieribus concessa fuit. Ergo phrasis illa, videtur significare monogamiam, sed responsio plana est. Licet enim mulier rationi polygamiæ non poterat plures maritos habere, aliis tamen & quidem variis modis hoc fieri poterat, ut si vel constante matrimonio adulterium perpetrasset, vel si extra casum fornicationis per repudium à priore marito discessisset, & alium duxisset, vivente priori, iam erat non unius viri uxor, Matt. 5. Rom. 7. vel si in fornicatione vixisset. Nam mulier etjam in illegitimis conjunctionibus dicebatur habere virum, Ioh. 4. Talem igitur viduam, quæ notã habebat illegitimæ conjunctionis cum viris, Paulus non vult in collegium viduarũ assumi, ut phrasis illa (unius uxoris vir) sit periphrasis legitimi connubii, juxta dictum Christi: Erunt duo in carnem unam. Sicut etjam Paulus 1. Cor. 7. quando dicit: Quisq; habeat suam uxorem, & quæq; suum virum, per periphrasin describit legitimam conjunctionem matrimonii.

Pighius.

Pighius magnis clamoribus contendit, ex nullis probatis historiis posse ostendi, aliquem tempore Apostolorum, imò trecentis annis antea, simul duas habuisse uxores. Figmentum igitur dicit esse, Pauli phrasin de marito unius uxoris ita interpretari, quasi opposita sit polygamiæ, quæ tunc prorsus in usu non fuerit, Sed ipsius clamoribus opponimus Theodoretum, Hieronymum & Chrysostomum, qui diversum affirmant, sicut jam monstratum est. Et testimonium clarissimum, refutans falsam illam Pighii assertionem, extat apud Iustinum in Tryphone, ubi apertis verbis de Iudæis dicit: Magistri vestri ad hoc usque tempus, quatuor & quinque vxores unumquemq; vestrum habere permittunt. Item, Quemcunque in locum veniunt Iudæi nuptiarum nomine uxores ducunt. Hæc Iustinus. Et Theodoretus postea ab Imperatoribus Christianis, tandem poligamiam illam, quæ & apud Iudæos & apud Græcos usitata erat, prohibitam esse tradit, 1. Timoth. 3. Concilium etjam Toletanum primum, tempore Leonis primi, capit. 17. ostendit, tunc adhuc polygamiam usitatam fuisse, ita enim statuit: Si quis fidelis habens uxorem, habeat concubinam, non communicet. Cæterùm is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur, tantùm, ut unius mulieris aut uxoris aut concubinæ sit conjunctione contentus. Intelligit autem concubinas, non scorta, sed quæ sine pactis dotalibus, & sine instrumentis legalibus, legitimè tamen & matrimonialiter viro conjunctæ erant, quæ differentia inter uxorem & concubinam in veteri etjam Testamento usitata fuit. Et Canon ille Toletanus loquens de polygamia, prorsus eadem phrasi utitur, qua Paulus: Sit unius conjunctione contentus. Falsum igitur testimonium est, quod Pighius affert.

Pighius.

Iustinus de poligamia.

Theodoretus. Concil. Toletanum 1.

Testimonia monogamiæ sacerdotum.

Tertullianus dicit, Sacerdotes legis semel tantùm nupsisse. Et Innocentius primus dicit scriptum esse: Sacerdotes mei semel nubant, quod in tota sacra Scriptura non extat. Tertulliani verò commentum falsum est, & à Hieronymo in Epistola ad Oceanum refutatur, sicut verba suprà adscripsimus. Rationes verò, quæ afferuntur contra digamiam sacerdotum, frigidæ profectò & friuolæ sunt. Augustinus de bono conjugali, capit. 18. hanc rationem reddit: Sicut Polygamia in veteri Testamento sacramentum fuit, significans ex omnibus populis colligẽdam Ecclesiam. Ita nunc Monogamiam sacerdotum esse sacramentum unitatis Ecclesiæ. Et scholastici quærentes rationes constitutionis de Monogamia sacerdotum, dicunt sacramenti rationem non admittere digamiam sacerdotum. Et Bonaventura in genere loquens, dicit etjam in secundis viduarum nuptijs non fieri benedictionem, propter defectum sacramenti. Atqui Paulus analogiam mysterii seu sacramenti expresè explicat hanc esse, Eph. 5. Relinquet homo patrem & matrem,

Rationes contra digamiam sacerdotum. Augustinus.

Scholastici.

Bonaventura.

trem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam. Quod cum fiat in viduarum etjam matrimonio liberatæ enim sunt à lege mariti defuncti, Rom. 7. cumq; viduæ in Domino nubant. 1. Cor. 7. nos certè non debemus excogitare aliam rationem sacramenti, qua conscientias præter Scripturam constringamus. Phigius allegat ex 44. cap Ezechielis, ubi vulgata translatio habet. Soror Pontificis, quæ alterum virum non habuit, &c. Sed textus simpliciter habet de sorore Pontificis, quæ nondum tradita est viro, sed adhuc in paternis ædibus servatur, illam Pontifex, si moriatur, ut patrem familiæ paternæ potest lugere.

Pighius.

Citatur etjam illud, quòd Deus in veteri Testamento, Levit. 21. viduam Pontifici ducendam prohibuerit. Sed hæc pertinere ad Levitica veteris Testamenti statuta, inde patet, quia non ratione digamiæ prohibitum hoc fuit. Nam Ezechiel. 44. viduam à sacerdote relictam, ducere possunt sacerdotes.

Canones Apostolici de monogamia sacerdotum.

Ex his omnibus manifestum est, disputatione de digamia, non debere conscientiis laqueum injici. Non enim habet certum & expressum fundamentum in Scriptura. Quòd verò Canones illi, qui Apostolorum titulum præferunt, tale quid statuunt, apocryphum hoc esse, historiæ illæ Græcæ & latinæ Ecclesiæ, quas recitavimus, convincunt.

Hæc judico esse præcipua capita controversiæ de cœlibatu, quæ dum mediocri diligentia conatus sum evoluere, opinione longiùs progressa est explicatio, quam prolixitatem Lector tunc boni consulet, si occasionem inde sumpserit, de materiis hisce diligentiùs cogitandi, quam inter scribendum mihi datam esse libenter fateor.

DECRETVM DE PVRGATORIO PVBLICATVM, PRIMA DIE SESSIONis nonæ & ultimæ Tridentinæ, sub sanctissimo D. N. Pio IIII. Pont. Max. Die 3. Decembris, 1563.

CVM Catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta, ex sacris literis, & antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis, & novissimè in hac œcumenica synodo docuerit, purgatorium esse, animasq; ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio iuvari: Præcipit Synodus Episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, à sanctis Patribus, & sacris Conciliis traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem verò plebem, difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæq; ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumq; nulla fit pietatis accessio, popularibus concionibus secludantur: incertæ item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari & tractari nõ permittant. Ea verò, quæ ad curiositatem quandam aut superstitionẽ spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala & fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia: Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaq; pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus defunctis, fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ institutа, pie & devotè fiant: Et quæ pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctoriè, sed à sacerdotibus, & Ecclesiæ ministris, & alijs, qui hoc præstare tenentur, diligenter & accuratè persolvantur.

SCRIPTVRA PVRGATORII.

ITa Ridentini Patres in hoc decreto gloriosè præfantur, se Spiritu S. edoctos ex sacris literis, & antiquâ patrum traditione, in sacris Conciliis, & in hac Tridentina synodo docuisse purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragiis juvari, &c. Cùmq; pii & eruditi hoc seculo non quærant, fabularum de purgatorio, quæ totus mundi crumenas expurgârunt, repetitiones: Sed certis ac manifestis Scripturæ testimoniis ostendi velint: An tale sit purgatorium, quale Pontificii comminiscuntur, Avidius sanè expectabam, ex quibus Scripturæ testimoniis, & qua ratione, purgatorium illud suum, tanquam dogma Catholicum, & articulum fidei, liquidò & certò in hac luce Evangelii probare conaturi essent. Cæterũ de testimoniis Scripturæ verbum nullum, inquit ille, qui scilicet, sicut Petrus à Soto fatetur, ex Scripturæ testimoniis purgatorium aperte probari non potest: Sed prius sine Scriptura hoc credendum est: Postea ad præsumptam illam opinionẽ, loca quæ dam Scripturæ quoquo modo detorquẽda sunt. Dicunt sanè in sacris Conciliis sanam doctrinam de purgatorio traditam esse. Et imperiti forsan cogitare possent, in Nicæno aut alio ex vetustioribus hoc factum esse: Sed Florentinum illud est Concilium, celebratũ, circa annũ Domini 1439. Onus igitur probationis nõ imprudenter in hac materia declinant, ipsum verò purgatorii ignẽ, qui hac tenus culinas ipsorum tam splendidè calefecit, nudis sed fortib. asseverationibus, ex cinerib. exsufflare & redaccendere strenuè conantur. Præcipua enim axiomata doctrinæ Papisticæ, ut de meritis, de satisfactionibus, de perfectionib. & de propria justitia coram Deo. Item totus fermè cultus in templis ipsorum, ut vigiliæ, missæ pro defunctis, anniversaria, oblationes pro mortuis, peregrinationes, animarum balneã, indulgentiæ, opera supererogationis, fraternitates, memoriæ, exequiæ, suffragia, aqua lustralis, dedicationes cœmiteriorum, & similia aucupia, purgatorio tanquam suo fundamento ita incumbunt, ut hoc destructo omnia ista à fundamento simul evertantur. Cœlum itaque potius (quia jam dudum aliàs illud vendiderunt) quàm purgatorium sibi eripi paterentur. Quia verò imposturas istas etjam Laici, quos cęcos vocare solent videre cœperunt, temporis gratia quædam in materia purgatorii subindicant esse subtilia, difficilia non ædificantia, incerta, falsa, curiosa, superstitiosa, his enim verbis in Decreto utuntur.

Petrus à Soto fatetur purgatorium è Scriptura probari non posse.

Purgatorium Florentino Concilio primùm cõstructum est.

Quarũ abominationum Papisticarũ fundamentũ sit purgatorium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed quæ illa sint non exprimunt. Si enim quæ talia sunt, omnino inde eximerentur, uno momento totum purgatorium evacuaretur. Et tamen illa ipsa non damnant, sed tantùm prohibent, ne in popularibus concionibus evulgentur. Sed ne purgatoriæ istæ imposturæ, vel Lethæo flumine submergantur, vel sub orci galea occultentur, materiam illam solita nostra simplicitate breviter evolvemus. Et primùm structuram purgatorii, qualis à Pontificiis traditur, ex ipsorum libris delineabimus.

Triplex status animarum, corporibus solutæ rum. Beatorum. Damnatorum.

De statu igitur animarum, postquam à corporibus solutæ sunt, usq; ad carnis resurrectionem, sive ad diem judicii, ita docent. Quosdam, qui moriuntur, dicunt in virtutibus seu charitate perfectos, & ab omni peccati labe mundos esse, horũ animas statim, quando à corpore excedunt, dicunt in cœlum evolare. Quorundam verò animas, qui vel sine fide Christi, vel sine pœnitentia in peccato mortali moriuntur, dicunt rectà ad infernum detrudi, unde nulla est redemptio. Esse verò quosdàm qui sunt baptizati & habent fidem de Christo, ac charitatem Dei, de peccatis etjam mortalibus habent contritionem, sed quã do moriuntur, tunc vel in charitate non sunt perfecti nec à labe peccati prorsus mundi, vel debitam satisfactionem de commissis & omissis non dum plenè expleverunt, vel solum minutis quibusdam venialibus peccatis obnoxii sunt, illorum animas injustum esset ad infernum detrudere, cùm sint baptizati, & habeant fidem charitatem ac pœnitentiam. Et tamen Paradysum nondum possunt intrare, quia scriptum est de pœnitentia, distin. 1. Non potest quisquam gratiam vitæ cœlestis accipere, nisi purgatus fuerit ab omni labe peccati. Et Apo. 21. Nihil coinquinatũ introibit in eam. Ac justitia Dei requirit, ut peccata satis factione purgentur & puniantur.

Mediorum in purgatorio.

Quod si in hac vita vel factũ vel impletum non fuit, in altera vita illud fieri & compleri necesse est. Pro illis igitur animabus, fingunt medium quendam statum seu locum, ubi pœnali satis factione expientur, & maculæ peccati igni excoquantur & purgentur, ut exoluta pro peccatis satisfactione, & labe peccati expurgata, perfecti & puri, possint in Paradysum transferri, priusquam generale judicium fiat. In illo verò purgatorio dicunt esse ignem, qui ejusdem generis sit cum igne gehennæ. Imò in substantia dicunt eũ dem esse ignem purgatorii & inferni, & pœnas etjam esse easdem, nisi quòd in purgatorio sint transitorię, in inferno verò æternæ Vnde dicunt: Minimam scintillam purgatorii, excedere maximam pœnam corporalem hujus vitæ. De loco etjam purgatorii diu disputatum, sed postea certi aliquid definitum est. Quidam enim purgatoriũ constituerunt in loco aliquo, qui esset supra nos, sed tamen sub cœlo: Alii ubi quis in terra peccasset, ibi locũ purgatorii ejus post mortẽ esse dixerunt. Sed postea ex revelationibus inventus fuit certus & definitus purgatorii locus, duplex scilicet: Vnus cõmunis seu generalis sub terra, quo communiter vadant animæ purgandæ. De situ tamen generalis purgatorii, secundũ omnes dimensiones non prorsus convenit inter omnes. Quidã enim volunt locum illum purgatorii esse

Ignis purgatorius cuiusmodi.

Locus purgatorii.

Purgatoriũ generale.

Situs purgatorii generalis.

super infernum secundum altitudinem. Quidam apud infernum secundum longitudinẽ: Alii circa infernum juxta circulũ, sicut quando pomum scinditur, domunculæ seminum in circulo distinctæ apparent, hac enim similitudine utuntur. Ingolstadienses infernum, purgatorium, circulum infantum non baptizatorum, & lymbum Patrũ ita distinguunt, ut ignis tartareus inferne in terræ meditullio exæstuans torqueat damnatos, de indè supernè exundans, in secundo circulo purget fideles, postea forsan fumus ejus in tertio circulo infestet infantes, postremò ejus calore & forsan luce lymbus Patrum in quarto circulo calefiat & illustretur sicut fit in vaporarijs. Alia pro rò purgatoria vocant particularia, ad quæ aliquando animæ à Deo mittantur, ad faciendam pœnitentiam in hoc mundo, vel propter leviorem punitionem, vel propter celeriorem liberationem, vel ad ostendendã veritatem purgatorii. Ita apud Gregorium quædam animæ purgatorium suum habuerunt in balneis, quædã in umbra arborum, quædam in glacie, quædam in domibus ubi peccaverant. Porrò in illo purgatorio dicunt animas tàm diu igne torreri, donec vel pœnis pro mensura peccatorum satis fecerint, & igne sufficienter purgatæ fuerint, vel donec suffragijs vivorum inde citiùs liberentur. Pro certò enim habent, animas in purgatorio existẽtes, vivorum suffragijs posse adjuvari, ut vel citiùs vel mitiori pœna inde liberentur. Et ne quid certitudini desit, suffragia illa dicunt ad quatuor genera reduci, 14. q. 2. ca. Animæ, scilicet ad oblationes sacerdotum, ad sanctorum orationes, ad charorum eleemosynas, ad cognatorum jejunia, sive alia pietatis officia. His verò sufficienter peractis, dicunt animas purgatas statim evolare ad gloriam. Hæc est structura purgatorii, sicut describitur in magno volumine Pantheologiæ, in compendio Theologiæ, in Rosario Bernhardi, & in Cõcilio Florentino. Fundamenta verò hæc sunt. I. Reatum tantùm culpæ mortalis propter Christum (si tamen contritio sufficiens sit) remitti. AEternas verò pœnas peccatis mortalibus debitas, virtute clavium mutari in temporarias, quas unumquenq; vel per se, vel alium, debita satis factione exolvere necesse sit, sive in hac sive in futura vita. II. Pro minutis seu venialibus peccatis, nos ipsos & posse & oportere satisfacere, sive in hac sive in futura vita. III. Maculas seu sordes peccati in natura hærentes, per satisfactiones prorsus expurgendas esse, quod si in hac vita plenè & perfectè non fiat, necessariam esse purgatorii ignis expiationem. Hæc omnia ex humanæ rationis cogitationibus, ex ignoratione Christi, & justitiæ fidei, profecta sunt, sicut ostendemus, fundamenta purgatorii pugnare contra sacram Scripturam, ipsam verò purgatorii structuram commentitiam esse. Sed prius historiam purgatorii contexemus, indeenim flãmis purgatorii quæ tenebrosæ & obscuræ sunt, non parum lucis accedet.

Purgatoria particularia.

Curatio exercitatum pro gatorio.

Genera suffragiorũ quæ vivi amabus in purgatorio juvant.

Pantheologia. Compẽdium Theologiæ. Rosarium Bernhardini. Concil. Flor. Fundamenta doctrinæ de purgatorio.

HISTORIA PVRGATORII.

Cùm

Vnde nata suspicio purgatorii.

VM purgatorium in veteri Testamento etjam adversariorum confessione non fuerit, & in novo nec Christus nec Apostoli illud doceant, operæpretium est considerare, unde primùm exorta sit illa opinio, ex quibus initiis cœpta postea fuerit, quanquam cum protestatione dubitationis, in Ecclesia disputari, quomodo deinde creverit: donec consuetudine confirmata, & apparitionibus spirituum impostorum stabilita, nunc pro articulo fidei, ferro & flamma defenditur. Hæc consideratio multa utiliter monebit, & illud, quod decretũ Tridentinum de antiqua Patrum traditione insinuat, rectè illustrabit. Historiam itaq; juxta seriem temporum simplicissimè contexemus.

CAPVT I.

PVRGATORIVM ETHNIcorum.

Plato purgatorium primum confinxit.

PRimum igitur apud Platonem, qui circa annum 400. ante incarnationem Christi floruit, purgatorium Pontificium eadé prorsus sententia, & iisdem fermè verbis, sicut à Pontificijs descriptum invenio, qui cùm ex Philosophicis fundamentis, & ex humanæ rationis imaginationibus illud extruxerit, manifestum hinc erit, unde purgatoria opinio primum orta ac nata, & postea cùm apud Ecclesiasticos doctores Platonici Philosophi in magna cœpissent admiratione esse, in Ecclesiæ disputationes immiscere cœperit. Neceſt, quod quis fingat, Platoné opinionem illam de purgatorio apud Aegyptios, ex traditione sacræ Scripturæ, ut alia quædam accepisse. Vetus enim Testamentum purgatorium ignorat, & ipsi Pontificii fatentur purgatoriũ in veteri Testamento non fuisse. Eusebius igitur de præparatione Evangelica, lib. 11. cap. ult. prolixam disputationem Platonis trãscribit, ex libro ipsius de anima, ubi fluvius infernalibus ex Poetarum [illegible] descriptis, tandem inquit: Qui vi[illegible] propter peccatorum magnitudinem [illegible] legia, homicidia illegitima & sim[illegible] insanabiles esse, illi cõ[illegible]untur [illegible] unquam possunt evadere. Qui ver[illegible]antur magna quidem peccata, sed [illegible], quæ medicabilia seu sanabilia sunt perpetrasse, ut si ex iracundia ac cædem commiserunt, aut erga parentes, violenter aliquid designârunt, reliquam verò vitam (μετάμελον βιῶσαι) in pœnitentia exegêrunt, illi pro ratione delicti, in diversa ignis flumina amburendi conjiciuntur, tãdem post annum & amplius appropinquant paludi Acherusiadi, ibi verò eos, quos læserunt inclamant, & suppliciter petunt, ut permittantur egredi & recipiantur. Et si ad versarijs suis hoc persuaserint, egrediuntur, & desinunt in pœnis versari. Sin minus, in ignitis istis fluviis tã diu jactantur, donec ab iis, quos læserunt hoc impetrent. Qui verò excellenter sanctè vixerunt, suprà ascendunt in purissimas habitationes, ubi sine labore vivunt in futurum tempus. Qui verò mediocriter vixerunt, illi per Acheruntem in plaudem igni ardentẽ devehuntur, ibi peccatorũ pœnas exoluũt, & καθαιρόμενοι, hoc est, purgati, lustrati seu expiati (ἀπολύονται) absoluuntur seu redimuntur si quid deliquerunt. Deinde benefactorum præmia recipiunt, &c. Et libr. 12. Euseb. describit alium locũ ex Gorgia Platonis, ubi repetit. Eos, qui justè & sanctè vixerunt quãdo moriuntur, in beatorũ Insulas, ubi in omni felicitate extra mala vivunt, abire. Qui verò impiè & injustè vixerunt, eos dicit in carcerem supplicii, quem Tartarum nominant, abire. Et hæc sunt, inquit, quæ auditu ego percepi, & credo vera esse. Inde verò inquit, ego ratiocinor tale, quid evenire: Cùm quædam peccata sint curabilia, quod ex pœnis in altero seculo, quidam liberentur, quidam non. Et hæc Lector diligenter observet, Platonem de duobus locis, beatorum scilicet & damnatorum, ex traditione aliquid accepisse, ipsum verò ex philosophicis ratiocinationibus tertium adjecisse. Rationes autem has affert, pro tertio seu medio statu defunctorum post hanc vitam. Sicut inquit in hac vita, qui puniuntur pro ratione delicti, ita puniuntur, ut vel utilitatem emendationis ipsi inde accipiant, vel ut paradigma fiant cæteris. Ita in inferno etjam, qui peccârunt peccata (ἄκεσιμα) quæ curari seu sanari possunt, per dolores & cruciatus auxilium & emolumentũ accipiunt. Non enim possunt aliter, nisi per cruciatus ab iniquitate liberari. Qui verò propter atrocitatem delictorũ ἀνίατοι sunt, illis nihil prodest, sed exempla aliis fiunt, &c. Ex Poetis etiam sumit argumenta. Homerus enim Tantalum, Syſiphum & Titium perpetuis cruciatibus in inferno subjicit. Thersitem verò & alios pravos Idiotas non item. Altera verò Platonis ratio prorsus philosophica est, cum inquit, sicut corpora notas & stigmata etjam post mortem retinent: Ita vitia imprimere animæ notas & maculas. Radamanthum igitur, quando animam corpore solutam videt pravis maculis fœdatam esse, justo judicio pronunciare, an sit ἰάσιμος, quæ juvari & sanari possit, an verò ἀνίατος, prorsus incurabilis. Atq; ideo inquit Plato, ego studeo, ut coram judicio illo cõparere possim, habẽs animam ὑγιεστάτην, prorsus sanam & mundam.

Purgatorii ignotum vet. Testamento.

Plato de animabus habitat apud purgatorium.

Rationes, quibus Plato mendium statum defunctorũ probat.

Primaratio.

Testimonia Platonis poëtica.

Secunda ratio.

Hæc in Platonis sententiis rectè observata & diligenter considerata, ostendunt & verba & sententias Pontificii Purgatorii ex Philosophorum Scholis prodiisse, ut Tertullianus non malè dixerit, Philosophos esse Hæreticorum Patriarchas. Præcipuè verò observandum est, Platonem cùm apud Aegyptios traditionem de duobus locis seu statibus mortuorum, quorum alter est beatorum, alter damnatorum, accepisset, ipsum postea ex philosophicis ratiocinationibus addidisse tertium statum seu locum defunctorũ, dicit enim, ἐγὼ τούτων τῶν λόγων τοιόνδε λογίζομαι. Et quidem eadem fundamenta habet cum Pontificiis, de maculis scilicet animæ nõ perfectè mundæ, purgandis seu expiandis per ignem. Item, de cruciatibus post mortem satisfactoriis, ubi pœnitentia in vita non fuerit expleta, quod & ab aliis etiam ex pœnis illis liberari possint.

Purgatoriũ in philosophorum scholis natum. Tertullian. Philosophi hæreticorum Patriarchæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tota igitur structura Pontificii purgatorii extat in Platone, annis ante Christum natum quadringentis, ex philosophicis & poëticis fundamentis delineata. Et memorabile est, cùm Eusebius istas Platonis sententias adducat, ut ostendat etjam Philosophos habere quędam, quæ à doctrina Ecclesiæ non multum sint absona, quòd ipse ex Scriptura de duobus tantùm statibus defunctorum loquatur, nihil addens de tertio sive de purgatorio, sine dubio non omissurus hoc, si tunc doctrina de purgatorio in Ecclesia vel nota vel recepta fuisset.

Virgilius de purgatorio. Illud verò philosophicum & poëticum purgatorium, Virgilius ex Platonicorum sententia, 6. Aeneid. eleganter depinxit.

Quin & supremo cum lumine vita deliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes.
Corporeæ exceděre pestes, penitusq; necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes,
Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto,
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur manes, exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arua tenemus.
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumq; reliquit
Aetherium sensum, atq; aurai simplicis ignem.

Augustinus. Et Augustinus non dissimulat Platonicorum dogma esse, de pœnis purgatorii post mortem, de Civit. 21. cap. 13. Et cap. 27. recitans illum versum Virgilii:

Quiq; sui memores alios fecêre merendo.

Miratur etjam apud Virgilium invenire illam sententiam, quod mortui viventium suffragiis & meritis juventur, cùm dogma illud extra Scripturam, ex Platonicorum Schola in Ecclesiam irropserit.

Gentiles credidêrũt mortuos sacrificiis vivorum iuvari. Secundò, in Gentilium sacrificiis publica & recepta fuit persuasio, mortuorum animas viventium exequiis, inferiis & sacrificiis relevari & adjuvari, ut ex Stygiis paludibus ad Campos Elysios in requiem & refrigerium deducerentur. Illas verò animas, quæ viventium suffragiis destituerentur, vel in cruciatibus hęrere, vel miserè oberrare. Ita Elpenoris umbra conqueritur apud Homerum, Odiss. 12. Et Palinurus apud Virgilium, Aeneid. 6. Sacrificia etjam Ethnicorum pro mortuis, adjunctis precibus & orationibus describuntur, Odiss. 11. Aeneid. 5. Et Arnobius adversus Gentes, libro 2. scribit: Magos spondere commendaticias habere se preces, quibus emollitæ, nescio quæ potestates, vias faciles præbeant, ad cœlum contendentibus subvolare. Hetruriam etjam in Acheronticis libris polliceri, certorum animalium sanguine numinibus certis dato, animas à legibus mortalitatis educi & divinas fieri, &c. Ingolstadienses scribũt, purgatorium extare apud Homerum Odyss. α & γ. Virgilium Aeneid. 6. Ovidium 2. Fastorum. Aristotelem philosophum, lib. 2. cap. 5. In Alcorano articulo decimo.

Homerus. *Virgilius.*

CAPVT. II

MACHABAEORVM purgatorium.

Ethnicæ superstitiones ad Iudæos proserpserunt.

TErtiò, ex illis Philosophorum ratiocinationibus, & ex superstitiosis Gentium sacrificiis, quæ ubique usitata erant, cùm quidem sicut de charis absentibus, ita etjam de mortuis naturalis quædam cura & sollicitudo animis nostris insita sit, ad Iudæos etjam hujus opinionis contagium quoddam, inclinato jam Iudaismo, serpere cœpit. Quanquam enim incisio carnis, & evulsio capillorum, in luctu mortuorum, expressè prohibita erant. Levit. 19. Deute. 14. ex conversatione tamen inter Gentes, Israelitis etjam Prophetarum tempore illa usurpari cœpta fuisse, ex Ieremiæ, cap. 16. non obscurè colligitur. Sicut à Gentibus etjam tibicines in funerum curatione mutuati sunt, Matth. 9. juxta versum Poetæ:

Ritus in luctu mortuorum.

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Orationes pro defunctis Machabæorũ tempore.

Eadem ratione tandem post Prophetarũ tempora etiam orationes & sacrificia pro mortuis, Iudæi imitari cœperunt, circa annum 170. ante natum Christum, cujus exemplum extat, 2. Machabæor. 12. Id quod tum fieri cœpit, cùm collapsa doctrina, & rebus omnibus, cùm in Imperio tum in templo, perturbatissimis, Iudæi unà cum fœderibus, etjam lingua, appellationibus, moribus & ritibus, conformitatem cum Gentibus quærerent & affectarent: Sicut tota historia Machabæorum ostendit. Quod enim Machabæus sacrificium pro mortuis fieri voluit, illud sine mandato Dei, & sine ullo sanctorum exemplo fecit, si tamen fecit. Nam cùm sacrificia per genera, per species, ad individua usque pro singulis casibus & necessitatibus, accuratè, prolixè, & quidem scrupulosè descripta extent in Mose, ne una quidem syllaba de sacrificio aliquo pro mortuis, in toto Mose extat: Nec ullum exemplum sacrificii pro mortuis, in tota Canonica Scriptura veteris Testamenti ostendi potest. Ita variæ formulæ & multa exempla piarum precationum extant in veteri Testamento: Sed de oratione pro mortuis, nec doctrina, nec mandatum, nec promissio, nec forma, nec exemplum ullum, in Canonica veteris Testamenti Scriptura invenitur. Cumq; ex professo in veteri Testamento in multis locis pia funerum curatio luctus & planctus mortuorum describatur, nihil prorsus vel de sacrificio, vel de oratione pro mortuis, ut à peccatis solvantur, legitur. Imò etjam post Prophetarum tempora, postquã Canon veteris Testamenti jã constitutus erat, cùm in Hagiographis ex professo describatur Tobiæ pietas in curandis funeribus, & Syracides ex veterum collectaneis, pietatem, quæ mortuis à viventibus exhibenda sit, ex compositio aliquot in locis describat, nec sacrificii nec orationis pro mortuis ulla ibi fit mentio. Quod enim Tobiæ 4. scribitur, panem tuum & vinum tuum super sepulturã justi constitue, non factum fuit propter purgatorium mortuorum, sed propter vivorum consolationem, qui in luctu erant, sicut hæc ratiò manifestè exprimitur & describitur, Ierem. 16. Et Hieronymus in commentariis dicit, lugentibus ferre cibos morem fuisse & præparare convivium, quod Græci περίδειπνα vocant, & probat hoc ex 31. cap. proverb. Circa postrema tantùm tempora, sub inclinatione religionis Israeliticæ exemplum de Machabæo extat, idq; solum & unicum, atque extra Canonem veteris Testamenti, & Scriptores etjam nec certi nec probati, sicuti mox ostendemus. Et Iosephus cùm Machabæorum historiam diligenter describat fã crificii istius pro mortuis nullam facit mentionem. Contra omnes igitur, quæ ex hoc loco texuntur disputationes, regula Tertulliani etjam in hac causa præjudicet, id esse verum, quodcunque primum, id esse adulterinum, quodcunque posterius. Præstans quidem, strenuus & bonus vir fuit Machabæus: Sed in negociis religionis, sicut Augustinus venustè dicit, non valet. Hæc ego dico, hæc tu dicis, hæc ille dicit, sed dicit Dominus. Nec mala intentione Machabæus hoc fecisse putandus est, & arrisit illud factum tunc multis, licèt verbo Dei destitueretur, sicut Historicus etjam indicat. Sed Deus expressè dicit, Deuterono. 12. Non facietis singuli, quod vobis rectum videtur, sed quod ego præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquã, nec minuas.

Nec Mosen.

Nec propheta.

Machabæorũ tempore Machabæo-rũ ætate Iudæi Gentiũ ritus sunt imitati.

Machabæus sacrificia fieri iubet pro mortuis.

Nec Hagiographa ullo sacrificio pro mortuis.

Vide.

Et ne talia exempla patrum ad imitationem trahantur, Deus in cap. 20. Ezech. expresso mandato hoc cavit. In præceptis Patrum vestrorum nolite incedere. Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate, & judicia mea, custodite. Et notum est, quid Christus respondeat ad argumentum illud, dictum est antiquis.

Tempora etjam illa, quibus Machabæus vixit, multa alia ex Gentilium ritibus, in Iudaismum invehere cœperunt, idq; per ipsos Sacerdotes, quibus puritas doctrinæ & rituum custodienda mandata erat. Vt enim non dicam de impio Iasone, qui ut consumeretur summum sacerdotium, in gratiam Antiochi Gymnasium Ethnicum, Palæstram Ephebiam, &c. Hierosolymis condidit, & in sacrificium Herculis trecentas didrachmas publica legatione ad Antiochum misit. Ipsi certè reliqui sacerdotes, neglectis sacrificiis legalibus, conformitatem cum Hellenismo affectasse apertè scribuntur, 2. Machabæorum 4. Et ipsa etjam legalia sacrificia, ad aucupandam Gentium gratiam, sacerdotes inflexisse historia non obscurè ostendit. Nam 1. Machab. 7. sacerdotes Nicanori ostendunt holocausta, quæ pro rege idololatrico & hoste religionis Iudaicæ offerebant. Et 1. Machabæor. 12. renovaturi fœdus cum Spartanis scribunt: Nos sine intermissione in diebus solennibus memores sumus vestri in obsecrationibus & in sacrificiis, quæ offerimus. 2. Machab. 3. Onias ut regi se purgaret, hostiam obtulit pro salute Heliodori spoliatoris templi. Et cap. 13. Antiochus Eupatro permittitur Hierosolymis in templo sacrificium offerre. Ita Philo in legationem ad Cajum scribit: Augustum mandasse, suis sumptibus in templo Hierosolymitano, pro se mactari quotidianas victimas, taurum & agnos duos, quæ certè Mosaicæ legi non

sunt consentanea. Imò affectatio illa Hellenismi Machabęorum temporibus eousq; progressa est, quod Razias vir famæ celebris, & pater Iudæorum appellatus, sibipsi exemplo inter Gentes ἀυτόχειρ. usitato & laudato, mortem conscivit, usus argumentis Ethnicis. Eligent scilicet nobiliter mori potiùs, quàm impiis subditus fieri, & contra natales suos indignis injuriis agi. Rebus igitur, inter continuas bellorum turbas in Iudaica religione ita inclinatis, non mirum est etjam orationes & sacrificia pro mortuis, ex Hellenismi κακοζηλίᾳ, sine mandato & exemplo Canonicæ Scripturæ, Iudam primùm tentasse, & sacerdotes non abhorruisse. Nobis verò in Ecclesia, ex posterioribus inclinati, & tandem collapsi Iudaismi exempli, sine Canonicæ Scripturæ mandato & exemplo, imitatio instituenda non est. Elegans enim est Cypriani sententia, quam Augustinus dicit sine dubitatione optimam esse, ostendens quid agendum sit, quando extra Canonicæ Scripturæ authoritatem exempla & consuetudines objiciuntur. Stad divinæ, inquit, traditionis caput & originem revertamur, cessabit error humanus. Si enim canalis aquæ, qui priùs copiosè & purè profluebat, vel deficiat vel aquas turbidas vehat, certè ad fontem pergitur, ut noscatur an in venis seu in capite tale quid sit, an verò in medio itinere aliquid irrepserit: idem etjam in iis, quæ posterioribus temporibus in religionis negociis acciderunt examinandis, rectè, necessario, & quidem tuto etjam fit.

Razias.

An imitandum Machabæi exemplũ.

Cypriani scitę dictum.

Porrò author etjam historiæ illius de Machabæi sacrificio pro mortuis, nec Canonicus, nec probatus est. Libros enim Machabæorum non esse in Canone, in prima parte examinis ostendimus, nec tantùm veterum hoc judicium fuit sed & Gregorius Magnus, Moral. lib. 18. scribit: De Machabæis proferamus testimonium, de libris non Canonicis, sed ad ædificationem editis. Et Lyranus de libris Machabæorum inquit: Non sunt in Canone, leguntur tamen per constitutionem Romanæ Ecclesiæ. Ecclesia quidem propter historias martyrum, eos legendos recepit, sed addidit, sicut Augustinus inquit, ut sobriè legantur. Et Hieronymus de Apocryphis illis expresè dicit, legit hæc Ecclesia ad ædificationem plebis, non autem ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam: illorum quippe autoritas ad roborandã ea, quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur. Et Cyprianus etjam dicit: Legi quidem hæc in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad authoritatem exhis fidei confirmandam. Ergo factum illud Iudæis in libris illis laudatum, cùm de eo nec doctrina nec mandatum, nec promissio, nec exemplum in Scriptura Canonica extet, nec debet, nec potest nobis dogma Ecclesiasticum aut articulum fidei facere, cumq; purgatorium in contentionem venerit, ex Machabæorum libris, utpote Apocryphis, illud probari non potest. Hæc est veteris Ecclesiæ sententia de scriptis Apocryphis: Inter ipsos etjam libros Machabæorum magnum est discrimen. Primus enim liber graviter scriptus est: Secundus verò ex

De autoritate librorũ & historiæ Machabæi.

Augustinus. *Hierony. de Apocryphis.*

Cyprianus.

Discrimen in Machabæorum libris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rò ex quinque libris Iasonis cujusdam Cyrenæi ab authore incerto decurtatus est, stylo prorsus affectato 2. Machabæor. 2. Atque inde cum eadem historias, quæ in primo descriptæ sunt, retexat, multa admiscet, ut de mirandis apparitionibus in conflictibus, quorum nec primus Machabeorum, nec Iosephus meminerunt. De numeris etjam interfectorum, cùm primus liber modestè loquatur, secundus in immensum omnia exaggeret. In numeris etjam annorum, cap. 1. & in quibusdam aliis historiis, non obscura contradictio secundi libri contra primum deprehenditur. De occultatione sacri ignis & arcæ, commentitia quædam affert, quorum absque dubio, vel Ieremias vel Esdras aut Nehemias mentionem fecissent, si vera essent. Et fabulam esse, inde deprehenditur. Arcam enim, quam Scriptor hic conservatam fuisse, fingit, Rabini conqueruntur in toto secundo templo defuisse. Certè de morte Antiochi non consentiunt, sed contraria sunt, quæ scribuntur. 1. Machabæorum 6. & 2. Machabæorum 1. Ac mox etjam capit. 9. diversum de ejus morte scribitur. Item, Iudas occumbit, pugnans contra Bacchidem, anno regni Græcorum 152. sed 2. Machab. 9. Epistola Iudæ scripta, dicitur anno 188. Ergo 36. anno post mortem scripsisset. Ita contra historiæ fidem, dicuntur Iudæi, 2. Machab. 1. translati in Persidem, cùm in Chaldæam & Babyloniam translati fuerint. Et quid opus est argumentis, cùm ipse author secundi Machabęorum, scriptionem suam his verbis concludat. Et ego quidem si benè, & ut historiæ competit, hoc & ipse velim, sin autem minùs dignè, concedendum est mihi. Atq; ideo Gelasius etjam cum saptuaginta Episcopis unum tantum Machabæorum librum recepit. Valdè imprudentes itaque vel prorsus stulti essemus, si à tali Scriptore, qui etjam ipse sibi veniam, sicubi errârit, dari postulat, novum dogma, de quo nulla testimonia in Canonicis Scripturis extant, nobis obtrudi pateremur.

Circumstantiæ historiæ, 2. Mach. 12.

Postremò, ipsam etjam descriptionem historiæ, 2. Machabæor. 12 considerabimus, ut quantum roboris habeat, liquidò intelligi possit. Certum autem est eandem historiam, quæ 2. Machabæ. 12. narratur, describi etjam, 1. Machab. 5. ubi nulla vestigia commenti illius de sacrificio pro mortuis apparent, sed duo Sacerdotes præter vocationem, & contra ducis inhibitionem, ex ambitione educentes exercitum contra Iamniam, cum duobus millibus Israelitarum à Gorgia profligati & cæsi scribuntur. Illorum verò τῶν προπεπτωκότων, qui prius ceciderãt corpora, cùm Machabæus post obtentam contra Gorgiam victoriam, ad sepulturam colligere statuisset, inventa sunt (inquit autor secundi Machabæorum) sub tunicis interfectorũ ἱερώματα, hoc est, quæ vel sacrificata vel consecrata erant idolis Iamnienſium, cumq; hæc Iudæis lege interdicta essent, omnibus manifestum factum fuit, ipsos ob hanc causam corruisse. Iudas igitur pro concione populum adhortatus fuit, ut se conservarent à peccatis, cùm sub oculis viderent, quæ prostratis accidissent propter peccatum. Atque ita omnes ad preces conversi ἐξίλασαν μὴ δι' ἁμαρτίαν τὸ γεγονὸς ἁμάρτημα τελείως ἐξαλοφθῆναι, hoc est, rogaverunt, ne propter commissum illud à fratribus peccatum ipsi prorsus delerentur (ita enim Græcus textus habet) Et Iudas misit pecuniam Hierosolymas, ut offerretur ibi sacrificium, quod in Levitico hostia pro peccato appellatur. Et hactenus quidem Machabæus legi divinæ consentaneè fecit, quod oravit, ut civium peccatum toti exercitui à Deo imputarentur, quodq; ad avertendum ab exercitu reatum illius peccati, sacrificium pro peccato offerri curavit. De eo enim exempla extant in Canonicis Scripturis, Iosuæ septimo, & Devter. 21. Sed Machabæus extra limites verbi Dei, ex suis privatis ratiocinationibus longiùs progressus, pro ipsis etjam defunctis oravit, & ἐξιλάσασθαι, hoc est, expiationem per sacrificia etjam pro defunctorum peccatis fieri posse cogitavit. Quia enim duo millia virorum à Gorgia, 1. Machab. 5. postrati fuerunt, Iudas etiam totidem drachmas bis mille scilicet in sacrificium pro ipsis misit. Et ne ex istimes ex doctrina, mandato seu exemplo legis divinæ Machabæum hoc fecisse, audi quomodo autor historiæ totam rem narret. Machabæus inquit, διαλογιζόμενος de resurrectione, hoc est, ex suis quibusdam ratiocinationibus, quas ex articulo resurrectionis ipse sibi texebat, hoc instituit. Et mox vocat ἐπίνοιαν εὐσεβῆ, hoc est, opinionem, ex cogitatione seu inventione (hãc enim esse vocabuli proprietatem eruditi norunt) pietatis specie velatã. Quodq; vulgaris translatio legit (benè & religiosè de resurrectione cogitans) Græcus textus habet ἀξίως, quod significat civile, festivum, cõcinnum & plausibile, novum illud Machabæi institutum visum fuisse. Porrò illæ etjam circumstantiæ in historia expendantur. Qui enim occubuerant, illi extra vocationem & contra Ducis mandatum ex ambitione pugnaverant, ac idololatria contaminati, divinæ ultioni subjecti fuerant, ita ut in ipsis peccatis occiderentur, priusquam pœnitentiam agere, & à Deo remissionẽ peccati accipere potuerunt. Quam atrox verò peccatũ illud sit, quod 2. Mach. 12. describitur, manifestè indicat historia, Iosu. cap. 7. Num verò illos in tãtro ci peccato cæsos, Machabæus diceret cum pietate dormitionẽ accepisse, sicut Pontificii ex vulgari translatione legunt & interpretantur? Nequaquam. Repugnaret. n. hoc legi divinæ & ipsi huic historiæ, Sed hæc est vera sententia, quam ipse Græcus textus præbet. Machabæus scivit & credidit articulum de resurrectione mortuorum. Considerabat autem quòd illis, qui in pietate obdormiunt, optimum repositum sit χαρίσηριον, hoc est, donum gratiæ, quod scilicet reddet ipsis Dominus in illo die, sicut Paulus inquit. Illa verò duo millia virorum non cum pietate dormierant, sed in peccatis trucidati fuerant, & tamen sciebat illos etjam resurrecturos. Vt igitur in die judicii & resurrectionis non damnarentur, propter peccata illa, in quibus mortui fuerant, sed donum salutis etjam accipere possent, cogitavit Machabæus, cum pro vivorum peccatis instituta essent in lege sacrificia & orationes, posse forsan etjam

etjam mortuorum peccata ita expiari. Et habuerunt quidem ratiocinationes illæ Machabæi speciem quandam pietatis (si ex hominum bonis intentionibus de religione aliquid statuendum esset) eò, quòd mortuis benè cupiebat, sed nec doctrinam, nec mandatum, nec promissionem, nec exemplum, hac de re in verbo Dei, Machabæus habuit. Idem enim sine dubio David Sauli & Absoloni defunctis præstitisset, si verbi Dei authoritatem habuisset, sed luget ipsos, non autem vel orat vel sacrificat pro ipsis, post mortem.

trocinatur purgatorio.

Ex privatis igitur suis διαλογισμοῖς, sicut historia inquit, Machabæus illud excogitavit. Ita verò non tantùm præter, sed etjam contra verbum Dei fecit. Sacrificia enim pro vivis instituta erant, quòd verò Machabæus illa etiam ad mortuos extendit, hoc fecit contra mandatum Dei, quod disertè dicit: Non addas quicquam, nec minuas Quòd verò illis, qui sine pœnitentiâ & reconciliatione cum Deo in peccatis mortui erant, expiationem in altero seculo promiserit, hoc cõtra totam sacram Scripturam pugnat. Et opinionem de opere operato in sacrificiis Leviticis, quam magna cõtentione Epistola ad Hebræos refutat, tunc cœpisse irrepere, historia hæc ostendit. Neque enim per se aut ipso opere, sacrificia Levitica conscientiam à peccatis emundare poterant, sed erant commonefactiones excitantes fidem, de victima venturi Messiæ, qua fide vivi, qui lapsi erant, veniam à Deo peccatorum petebant & accipiebant, Actor. 10. Machabeus verò, sacrificia illa expiationem peccatorum coram Deo, ex ipso opere operato impetrare arbitratus fuit. Ideò eorum etjam peccata, qui sine pœnitentia in peccatis mortui erant, per sacrificia post mortem solvi posse cogitavit, quod cum ipsis fundamentis Scripturæ pugnare, certum est.

A Machabæi tempore usq; ad Christum non fuit Iudæis recepta pro mortuis sacrificandi consuetudo. Rabini post Christum cœperunt pro mortuis orare.

Et memorabile est, quod ex historiis probari non potest, post Machabæi tempora usq; ad Christum, institutum illud sacrificandi pro mortuis, receptum vel usurpatum fuisse apud Iudæos: Imò diversum, exequiæ Lazari ostendunt, Ioann. 11. Rabini verò tandem post Christum excœcati & obdurati, hoc arripuerunt. Sicut enim ex Razis exemplo, referente Lyrano, traditionem fecerunt, non tantùm licitum, verùm etjam meritorium esse seipsum interficere, si quis timeat, ne magnitudine tormentorum superatus deficiat, vel ne in contemptum Dei ludibrio habeatur. Ita etjam ex Machabæi διαλογισμοῖς & ἐπινοίᾳ, sicut historicus appellat, memorias mortuorum Rabini tandem instituerunt. Habent enim adhuc hodie in Synagogis suis libellos memoriales, ex quibus nomina defunctorum singulis annis ter ex suggestu suo publicè recitant. Et à præcentore postea additur oratio, ut Deus animarum illarum memor esse, atque eas in Paradysum, cum Abraham, Isaac & Iacob, collocare velit, &c.

Historia Machabæi nõ pa

Hæc est historia, de orationibus & sacrificiis pro mortuis, in senescentem & inclinatum Iudaismum tandem invectis. Quæ historia, quid aut quantum Pontificio purgatorio suffragari posit, ex his quæ diximus manifestum esse potest. Cumq; disertè fateantur Pontificii, se unicum illum locum, qui quidẽ apertus sit, ex Scriptura pro purgatorio afferre posse, patet totam structuram purgatorii admodum ruinosam esse, cujus primum principium & fundamentum vacillet ac labascat: Imò non tantùm præter sed contra scripturam sit. Et tamen illa ipsa Machabæi historia, ne una quidem scintillula indicium præbet ignis purgatorii, nec dicit animas ante resurrectionem igne torqueri, ex quibus cruciatibus per sacrificia liberandæ sint, sed resurrectionis meminit, & ne tunc pœnas commeritas illi, qui in peccatis mortui fuerant, acciperent, ideò peccata defunctorum conatus fuit sacrificiis expiare, sed sine verbo Dei. Quòd verò illi qui in peccatis sine pœnitentia mortui sunt, post mortem posint per orationes aut sacrificia à peccatis solvi, quæ Machabæi opinio fuit, ne ipsi quidem Pontificii concedunt. Et falsum est quod Ingolstadienses fabulantur textum loqui de resurrectione mystica à peccatis, circumstantiæ enim manifestæ sunt. Sed Pontificii potius, quàm purgatorium amittant, malunt interpretationem resurrectionis ex Hymenæi & Phileti schola, 2. Timoth. 2. petere. Nihil prorsus itaque veri subsidii Pontificio purgatorio ex Machabæi illa historiâ accedere potest, quam tamen ita cupidè arripuerunt, ut etjam præter Græci sermonis fidem, ipsum textum ad purgatorium suum alicubi conformare conati sint, Sicut collatio Græci textus & vulgatæ versionis ostendit. Et ne quid in illa historia ad Pontificium purgatorium necessarium deesse videretur, pro duobus millibus drachmarum, duodecim millia reposuerunt.

CAPVT III.

PVRGATORIVM EX Apocryphis.

Quomodo & unde figmentum purgatorij in novo Testamẽto extructum sit.

QVARTO, Quia ostendimus, quomodo ex sacris Gentilium, & ex scholis Philosophorum, seminaria purgatorii in senescentẽ tandem & inclinatum Iudaismum invecta sint. Videbimus jam porrò, quomodo & unde in novi etjam Testamẽti Ecclesiam irrepserint. Quod enim Christus & Apostoli de Põtificio purgatorio nihil docuerint, postea liquidò ostendemus. Mox enim sublatis ex hac terra Apostolis per Apocrypha commenta sub nomine & prætextu ipsorum, cœperint talia, si non ut credenda obtrudi, tamen ut disputanda spargi, quæ nõ multò post temporibus confirmata, titulum cõperunt sibi arrogare Apostolicæ traditionis, sicut pleraq; quę citra Scripturam hoc titulo venditantur, ex apocryphis fabulis originem sumpserunt, quòd facilè ostendi posset. Ita extant Hermæ cujusdam, quem Pauli discipulum fuisse fingunt, scripta apocrypha, ex quibus veteres ejus, quod pastoris titulum prefert, propter sententias quasdam de Trinitate, aliquando mentionem faciunt: Feruntur præter alia Hermæ illius scripta magis fabulosa, ubi in visionibus anus quædam novas revelationes dictitat. Et vi-

Hermæ scripta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sione tertia pingitur Ecclesia, tanquam turris, in cujus ædificatione, quidã lapides circumciduntur & aptantur, quidam verò rejiciuntur, quæ figura lapsi significantur. Hermas verò interrogat anum suam: An projectis illis lapidibus nulla restet pœnitentia, illa respondet, quasi ex Tripode: Habent quidem pœnitentiam, sed in hac turre non possunt convenire, alio autem loco ponentur multo inferiori, & hoc, cùm cruciati fuerint, & impleverint dies peccatorum suorum, & tunc illis continget transferri de pœnis, si cogitarint, hoc est, pœnitentiam egerint de peccatis, idque propterea, quoniam perceperunt verbum, &c. *Anus profert purgatorii.* Et hoc Lector benè notet, quòd purgatorium, quando sub novo Testamento primum quasi de longè omicare cœpit, anile commentum ab anu personata profectum fuit.

Ex simili lacuna etjam hoc scaturiit, quod vivorum orationibus mortui possint à peccatis liberari. Apocryphum enim commentum de actibus Andreæ Apostoli fingit, Andream, cùm pro sene quodam lenone intercederet, dixisse, Domine tamen pro mortuis etjam obtinemus pietatem tuam, cur igitur hunc non salvares? Huc pertinet etjam Missa, quæ Iacobo tribuitur, in qua extat oratio pro mortuis. *Actus Andreæ Apostoli.*

Et Irenæus, libr. 1. cap. 18. scribit, quosdam sui temporis hæreticos, mittentes defunctorum capitibus oleum & aquam cum certis invocationibus, ita defunctorum animabus promisisse redemptionem.

Valde antiqua igitur est purgatorii traditio, sed qualis & unde sit, diligenter consideretur.

CAPVT IIII.

ORIGENIS PVRGATORIUM.

QVinto, circa annum Domini 200. in schola Alexandrina, alia & nova purgatorii fundamenta, extra Scripturam, ex fabulosis traditionib. substrui cœperunt. Clemens enim Alexandrinus, quo valde pernicioſa mala in Ecclesiã invexit, de quibus tamen ipse gloriatur, 1. Stromat. Cœlestem siquidem veritatem admisciut Philosophiæ decretis. Et quicquid titulum traditionis habere audivit, statim tanquam Apostolicum arripuit & consignavit. Nam & libr. 6. ex apocryphis Petri & Pauli contendit probare, sicut Sancti veteris Testamẽti, per legem Mosaicam salvati sunt, ita Græcos per Philosophiã salvatos esse. Ex eodem fonte non tantùm recitat, sed multis argumentis confirmare conatur, libr. 6. Christum & Apostolos impiis apud Inferos annunciasse Evangelium, ut nõ manerent in damnatione, sed converterentur post mortem, qui in vita Evangelium audire non potuerunt. Et libro 4. dicit: Sive hic, sive alibi agatur pœnitentia, nullus enim locus vacat misericordia Dei. Ita libro 6. inquit. Forsan cessabunt supplicia post hãc vitam. Ex istis initiis Origenes postea mirabilia de purgatorio fabricavit paradoxa, sicut fieri solet, quando à verbo Dei disceditur. Finxit enim varias animarum post hanc vitam purgationes, & à pœnis liberationes, sicut Augustinus de hæ- *Clemens Alexandrinus seminaria purgatorij.* *Origenis paradoxa de purgatorio.*

resibus scribit. Malos etjam qui in flagitiis, facinoribus, sacrilegiis & impietatibus quamlibet maximis, hanc vitam finierant: imò ipsum Diabolum & Angelos ejus, quamvis post longissima tempora, purgatos atque liberatos, regno Dei luciq restitui. Hęc Augu. Ex ipsius verò Origenis scriptis quæ extant colligitur, quod senserit, omnes quantumcunque pios, post hanc vitam igne purgandos esse. Nam Homil. 8. in Levit. ubi de purificatione puerperarum textum allegorizat, inquit: Donec sumus in carne positi, ad liquidũ, puri esse non possumus, nisi futuri seculi tempus affuerit, in quo die qui viriliter egerit, statim in ipso adventu futuri seculi purgatur. Si verò non viriliter adversus peccatum pugnavit, iste trãsit septimanam unam & alterã, ac tertia demum apparente purgatur ab immunditia. Homil. 25. in Numer. inquit: Requiretur diligenter cum exierimus: quid unusquisq deferat, si aurum, argentum, ferrum, plumbum, lignum, &c. Probantur omnia hæc, quæ per ignem, per ignem, quæ per aquam, per aquam. Ergo purificatione indiget omnis, qui exierit de prælio hujus vitæ, quia nemo mundus, qui de hac vita exit. Omnes ergo purificationibus indigemus: Multæ verò & diversæ nos manẽt purificationes. Sed mystica hęc sunt & ineffabilia. Quis enim enarrabit quæ sint purificationes, quæ parentur Petro, Paulo, & similibus, &c. In Exodum, Homilia 6. allegorizans talentum plumbei ex Zacharia, inquit: Iniqui ut plumbum demergũtur. Sancti verò super aquas ambulant, quia peccatorum pondere non gravantur: Sed tamen Petrus non ita, sicut Christus super aquas incedit. Habuit enim aliquid de plumbo. Igitur qui salvus fit, per ignem salvus fit, ut si quid de plumbo habuerit admixtum, id ignis excoquat, ut omnes aurum bonum efficiantur. Veniendum est ergo omnibus ad ignem & ad conflatorium, Malach. 3. parum plumbi parvo igni purgatur, plus plumbi plus exuritur. In Ieremiam Homilia 12. Si post fundamentum, nõ solum aurum superædificaveris, verùm & ligna, stipulam, quid tibi vis fieri, cum anima sejuncta fuerit à corpore? Vtrum ingredi vis in sancta cũ lignis & stipulis tuis, ut polluas regnum Dei? An propter stipulas vis foris residere, & pro auro nihil mercedis accipere? Sed neq; hoc æquum est. Quid igitur sequitur, nisi ut primum propter ligna ignis tibi detur, qui consumat stipulam. Idem in Psalm. 38. Virtus animam subtilem facit, peccatum verò eam crassam & carneam efficit. Lebetes igitur vel Cacabi Ezechielis, flammis succensi, lignis & stipula inflammati, nos suscipient. Virga ergo emenderis, ut non indigeas cacabo succenso. Idem in 11. cap. ad Roma. Qui verbi Dei purificationes spreverit, tristibus & pœnalibus purificationibus se reservat, ut ignis gehennæ in cruciatibus purget, quem nec Apostolica doctrina, nec Evangelicus sermo purgavit. Verum hæc ipsa purgatio, quæ per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantisue seculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest ille, cui pater omne judicium tradidit, qui ita diligit creaturam suam, ut pro ea se humiliârit. Philip. 3. Sed hujusmodi sensus, velut mysterium Dei silentio tegantur, nec passim proferantur, *Purgatorium Origenicum omnib. mortuis commune.* *Nota Purgatorium.*

Purgatorium fuit pura Diabolidogma. tur. Has sententias ex Origene ideò adscripsi, ut Lector cõsideret, quorsum Apocryphæ traditiones apud Clemẽtem & mixtura Theologiæ cum decretis Philosophiæ à Clemente instituta, tandem evaserint.

Purgatorium Origenis nullã admittit prodefunctis suffragia. Porrò Origenicum purgatorium, nullas admittit levationes, mitigationes aut liberationes, per orationes aut opera viventium, sed unumquemq pro se pœnis expiare, cruciatibus exolvere, & flammis expurgare peccata sua in purgatorio Origenico necesse est. Et quando expiatio & solutio, & expurgatio illa per pœnas perfecta est, tunc purgati restituuntur luci & regno Dei. Observet autem Lector, cum Clemens, lib. 6. ex apocryphis locum pœnitentiæ in alteram etjam vitam transponere tentasset, & disputandi gratia dubitativè dixisset, forsan cessabunt supplicia post hanc vitam: Successor ipsius Origenes, mox inde dogmata & articulos fidei fecit, & perizomata in Scriptura quæsivit. Adeò periculosum est, sine verbo Dei, ex privatis cogitationibus, aliquid in Ecclesia vel dubitando spargere. Ita cùm Lactantius de purgatoriis Vergilii versibus, 6. Aeneid. dixisset. Hæc propemodum vera sunt, posteri mox addiderunt. Hæc prorsus vera sunt.

Capita purgatorij Origenici. Atque hoc est Origenicum purgatorium, ex Platonicis principiis, de exurendis maculis pecti, & ex Apocryphis fabulis, quæ in Clemente titulum traditionum habent, citra & contra Scripturam conflatum. Sunt autem hæc Origenici purgatorii κεῖσθαι. I. Post hanc vitam esse locum pœnitentiæ, seu reconciliationis cum Deo. II. Peccata non remissione deleri in hac vita, sive ex gratia condonari: sed pœnis sive in hac vita elui, sive post hanc vitam cruciatu ignis expiari, expurgari, & quasi excoqui. III. Pœnas in futuro seculo esse expiatorias & purgatorias. IIII. Esse liberationem ex pœnis futuri seculi. V. Cùm nemo in hac vita mundus sit à sordibus peccati, ideò omnes etjam sanctissimos post hãc vitam flammis purgatorii ignis expiandos & expurgandos esse, priusquam in regnum Dei admittantur. VI. Etjam impiissimos, imò ipsum Diabolum, lõgissimi temporis cruciatibus purgari, & à pœnis liberari posse. Hæc Origenica κεῖσθαι, diu in Ecclesiis jactata, ut variè disputata sunt. Et Græci quidem scriptores, licet ad Origenicas illas purgationes alicubi alludant, rarò tamen & valde leviter, Origenicas illas scintillas suis disputationibus ventilant, sicut Gregorius Nyssenus alicubi facit. Tandem verò in Græca Ecclesia in 5. generali Synodo Origenicũ illud purgatorium (sicut Græci in Apologia sua de purgatorio, quam Basilienſi Concilio obtulerunt, recitant) circa annum 550. interposita publica autoritate, prorsus explosum & restinctum fuit, ita ut post illud tempus in Græca Ecclesia non potuerit rursus accendi. Testantur autem Græci in illa Apologia, non tantùm illam Origenis opinionem tunc damnatam, qua impiis & ipsis etjam Diabolis liberationem tandem ex pœnis gehennæ promisit, sed & hoc fundamentum in quinta illa synodo explosum & subversum fuisse, quasi peccata non remissione ex gratia con- *Græca Ecclesia purgatorium Origenis explosit.*

donentur, sed per pœnas & cruciatus ignis expientur seu expurgentur post hanc vitam. Sed in nostris Tomis conciliorum hæc omnia sepulta sunt, quia nec pro aris, nec pro focis papisticis esset, purgatorium ignem extingui.

CAPVT V.

LATINORVM PVRGATORIUM ex Origene.

SEXTO, in Latinis verò Ecclesiis Origenicum illud de purgatorio commentum, pluribus arrisit, & maiori etjam contentione disputatum fuit. Historica enim observatio ostendit, quod Orig. phantasia Latinis causam & occasionem dederit fingendi purgatorium. Licet enim evidentia veritatis & pietatis cogeret, ex purgatoriis illis Origenis commentis, quia nimis crassa erant, multa resecare: aliquid tamen ex illa agitatione disputationum & opinionum de pœnis purgatoriis post hanc vitam, in latinis Ecclesiis hausit, partim in vulgi superstitionibus partim in Doctorum disputationibus, quod paulatim consuetudine roboratum, & specioris stabilitum, tandem in dogma & articulum fidei evasit. Considerandum verò est, quomodo ex Origenicis purgationibus apud Latinos alii, aliud probent, alii improbent, alii dubitantes disputent, atq; inter se alii alios disputationes reprehendant. Lactantius enim de divino præmio, cap. 21. dicit, non post mortem protinus judicari homines, sed omnes in una communi custodia detineri, donec tempus adveniat, quo judex meritorum faciat examen. Et addit, Sed & justos cum judicaverit Deus, igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere vel numero prævaluerint, perstringentur igni atq; amburentur. *Orig. cõmentum de purgatorio in Latina Ecclesia hausit.* *Lactantij purgatorium post extremum judicium.*

Ambrosius verò qui in commentariis suis plerag; ex Origene transcribere solet, purgatorii etjam opinionem ipsis Origenis verbis in scripta sua retulit, præsertim in Psal. 118. in multis locis, ut Sermo. 20. Omnes oportet transire per flammas, etjamsi Ioannes Evangelista sit, de cujus sane morte sunt qui dubitent, de transitu verò ejus per ignem, dubitare non possumus, qui in Paradyso jam est, &c. Item, donec plumbum in me tabescat ardebo: Si nihil argenti in me inventum fuerit, in ultima inferni detrudar, aut ut stipula totus exurar, &c. Item, quia Dominus dicit: Intrate in requiem meam, unusquisque nostrum ustus romphæa illa flammea non exustus purificabitur, ut ingressus in illã paradysi amœnitatem, gratias agat Domino suo dicens: Induxisti nos in refrigerium. Et in Psalm. 36. Omnes igni examinabimur. Etsi autem per ignem examinabuntur, dicent tamen: Transivimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium. Alii in igne manebunt, alii salvi fient, sed per ignem, etsi enim omnino non exuremur tamen uremur. Et 2. Timoth. 2. de vasis ignominiæ in magna domo Domini loquens, inquit: Hos contumelia dignos ostendit, non tamen perituros, sed purgandos per ignem, quia domui Dei ex aliqua parte necessarii sunt, &c. *Ambrosius Origenis Assecla.*

Hiero-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hieronymus Origenis cõmentum retinet.

Hieronymus etjam diligens Origenis Lector, sententias ejus de purgatorio sæpius recitat, ut Ezech. 1. Ex quo ostenditur, post pœnas supplicia & purgationem peccatorum, futuram misericordiam, duntaxat in his qui Deum videre meruerunt regnantem. Et Esa. 10. Quidam intelligunt pœnas & tormenta in hoc adhiberi peccatoribus, ut divino igne purgentur. Et Ezech. 46. Omnis creatura immunda est, & divino igne purganda ad diem Sabbathi. Vbi æterna erit requies. Et in ultimum cap. Esaiæ manifestè recitat Origenis sententiam de finiendis aliquando supplicijs. Quæ omnia, inquit, replicant asseverare cupientes, post cruciatus & tormenta, futura refrigeria, quæ nunc abscondenda sint ab his, quibus timor utilis est, ut dum supplicia reformidant, peccare desistant. Quod nos solius Dei debemus scientiæ derelinquere, cujus non solùm misericordia, sed & tormenta in pondere sunt, & novit quem, quomodo aut quamdiu debeat judicare, solumq; dicamus quod humanæ convenit fragilitati, Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Et sicut Diaboli & omnium negatorum atq; impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta, sic peccatorum atq; impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera igne probanda sunt atq; purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ sententiam iudicis. Hæc ibi. Idem in cap. 9. Ecclesiastici. Mortui nihil valent ad id adjicere quod semel mecum tulêre de vita, nec justè quippe possunt agere, nec peccare, nec virtutes adjicere, nec vitia, licet quidam huic expositioni contraria dicant, asserentes etjam post interitũ excrescere nos posse & decrescere, & quod Salomõ ait (pars non erit eis adhuc in seculo) ita intelligunt, ut dicant eos in hoc seculo, nullam habere communionem, habere verò sub alio seculo, & non excludi opinionem, quę contendit, postquam de hoc seculo migraverimus, & offendere posse creaturas rationales & promereri, &c. Eandem etjam Origenicam purgationem, Prudentius versibus suis expressit.

Prudentius.

Esto cavernoso (quia sic pro labe necesse est
Corpora) tristis me forbeat ignis averno,
Saltem mirificos incendia lenia vapores
Exhalant æstuq; calor languente tepescat,
Lux immensa alios & tempora v ltra coronis
Glorificent, me pœna levis clementer adurat.

Quæ de purgatorio Origenis vetêta, quæq; impro bata sint à scriptoribus Latinis.

Has sententias Lactantii, Ambrosii & Hieronymi ex Origene transumptas esse, manifestum est. Ideo autem illas hoc loco adscripsi, ut Lector sibi inde seriem historiæ informare possit, quod Latini illi Scriptores, in Origenico purgatorio reprobarint, quid verò illo adhuc tempore disputârint. De liberatione Diaboli & infidelium extra Ecclesiam, Ambrosius tacet. Hieronymus verò tormenta ipsorum credit æterna. Hoc igitur in Origenis purgatorio improbârunt. Reliquas verò purgatorias Origenis opiniones, aln assertivè, alii dubitativè disputârunt, scilicet peccata non gratia dimitti sed igne expurgari, atque ideo omnes etjam electos,

Quæ retêta.

post hanc vitam igne illo purgatorio esse amburendos, licet non exurendos, priusquam sidventur. II. Tormenta in futuro seculo habere vim & proprietatem purgatoriam. III. Locum pœnitentiæ & meriti, etjam post hanc vitam in altero seculo restare, quam opinionem licet Hieronymus non prorsus probet, tamen eam ut non improbabilem in medio relinquit. IIII. Illis qui professione Christiani fuerunt, licet in peccatis & impietate moriantur. Hieronymus purgationem per ignem restare arbitratur, sed Dei scientiæ relinquendum existimat, quando & quamdiu in tormentis unumquemq; judicare debeat. Ambrosius verò opinatur, si modo aliquid argenti inveniatur, etjamsi maxima pars plumbum sit, tamen per ignem purgatos, aliquando liberari & salvari. V. Purgationes illas fieri igni gehennæ, & plerumque post judicium. Hæc Origenica αἰτιώματα, Ambrosius & Hieronymus, ex tropicis & allegoricis scripturæ locis, pingere & ornare quidem conantur. Augustinus verò, sicut jam ostendemus, illa ex certis, claris & apertis scripturæ testimoniis, ex professo reprobavit & refutavit.

Hieronymus disputat.

Ambrosius asserit.

Augustinus improbat.

Atq; hoc singulari diligẽtia observandum est, quod Pontificii, quãdo strepitu testimoniorum antiquitatis simplicium oculos perstringere volunt, purgatoriũ esse antiquam Patrum traditionem, istas Origenis, Ambrosii & Hieronymi sententias, de longe alio purgatorio, quã Pontificiorum est, loquentes, licet ex scriptura ab Augustino reprobatæ & refutatæ sunt: tamen allegare non verentur, ut lectoribus, quibus historia ea nota non est, fucum faciant. Pontificii enim nec electos omnes, nec eos, qui in impietate moriuntur, licet professione sint Christiani, in purgatorium admittunt, quod tamen veterum illæ sententiæ faciunt. Et est hæc observatio, in serie hujus historiæ non prætereunda. Si enim longa temporis præscriptio, antiqua patrum traditio, & Ecclesiæ observatio, sine apertis Scripturæ testimoniis purgatorium posset stabilire, tunc Augustinus malè fecisset, quod purgatorias illas veterũ opiniones, ad Scripturæ examen revocatas, rejecit & refutavit, cùm fermè omnes tunc in Ecclesia & docti & indocti, opiniones illas amplecterentur, & Scripturæ allegoricas sententias suis rhetoricationibus eò detorquerent. Sed audiamus Augustinum, purgatorias illas opiniones, ex antiqua patrum traditione, & ex per vulgatis in Ecclesia opinionibus protractas, ad Scripturæ lucem & normam exigentem.

Pontificiorũ perfidia in allegandis testimoniis pro purgatorio fidem faciendo.

Augustinus igitur, quando obiter in hujus disputationis mentionem incidit, recitat, ut reliqui vulgatas illius temporis opiniones, ut de Genesi contra Manichæos libro secundo, capite decimo, disputans de spinis suffocantibus verbum Dei, inquit: Si quis fortè agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit, vel ignem purgationis, vel pœnam æternam. Ita in Psalm. 37. de igne emendatorio declamitans dicit, Quosdam in altera vita igne illo, Matthei 25. argui & non emendari. Quosdam verò argui & emendari. Et de civit. Dei, libr. decimo, capit. 25. ex conflatorio Malachiæ 3. inquit, videri apparere, in extremo judicio quasdam quorundam pur-

Augustin. de purgatorio disserens loquitur.

Diversa de purgatorio sententia Augustini tempore.

purgatorias pœnas futuras, ut igne, qui in peccatis sunt mandati, deinceps Domino placeant. Sed quando ex professo justa disputatione quæstionem illam tractat, aliter & sentit & loquitur, ut de civit. Dei, libr. 21. capit. 13. dicit Platonicos quidem sentire, omnes pœnas, etjam divinas, esse emendatorias seu purgatorias, atq; ita temporarias, non æternas. Infligi autem illas aliis in hac vita tantùm, aliis post mortem, aliis & nunc & tunc. Ex illis Platonicis Principis, & ex Origenicis disputationibus, postea cap. 17. & sequentibus narrat, suo tempore passim in Ecclesia varias fuisse opiniones. Sunt autẽ illæ ipsę, quas jam ex Origene, Lactantio, Ambrosio & Hieronymo recitavimus. Quosdam enim disputasse, omnes homines etiam malos & infideles, quos judex gehennæ supplicio dignos judicabit, post gravia & diuturna pro meritis supplicia, ex illis cruciatibus eruendos. Deum enim misericordem, donaturum eos precibus & intercessionibus Sanctorum suorum. Alios verò, ab æterno supplicio liberationem non omnibus quidem hominibus promisisse, sed baptisatis tantùm & qui participes fuerint Sacramẽti corporis Christi, in quacunque aliàs hæresi vel impietate vixerint. Alios item, nec omnibus baptisatis, sed tantùm in Ecclesia Catholica perseverantibus, quãvis in ea malè viventibus, promittere salutem per ignem merito fundamenti, 1. Corin. 3. Quosdam verò sensisse, nec omnibus Catholicis, sed iis tantummodò, qui in vita nefaria, eleemosynis pro peccatis suis fecerunt, judicium cum misericordia futurum, ut post aliquod tempus, sive parvuum, sive prolixum ab illa damnatione liberentur. Purgationem verò senserunt in eodem igni fieri, quo igne male in æternum ardebunt. In fine narrat, quosdam fructum trigesimum, sexagesimum & centesimum ita intellexisse, ut sancti pro suorum diversitate meritorum in die judicii, alii tricenos, alii sexagenos, alii centenos homines, à damnatione suis intercessionibus liberent. Quendam verò cùm videret homines ex illa opinione impunitatem sibi polliceri, facetè respondisse: Benè potius esse vivendum, ne si fortè tam pauci sint intercessores, ut citò ad numerum suum vel tricenum, vel sexagenum, vel centenum, uno quoq; eorum perveniente, multi remaneant, qui erui de pœnis, aliorum intercessione non possint.

Augustin. reprobat veterum de purgatorio diversas opiniones.

Atque hæ disputationes titulo & specie misericordiæ & clementiæ Dei, qui supererat judicium, doctos & indoctos longo tunc tẽpore fascinaverant, sicut ex sententiis Origenis, Lactantii, Ambrosii & Hieronymi ostendimus, sed Augustino remoto antiquitatis prætextu ad normam verbi Dei hęc revocat, atq; inde reprobat & refutat. Inquit enim: Si hęc sententia propterea bona & vera, quia misericors est, tãtò erit melior & verior, quantò misericordior fuerit. Extendatur ergo fons hujus misericordiæ usq; ad Diabolos, sed si quis hoc audeat, tantò invenietur contra recta Dei verba errare perversius, quantò sibi videtur sentire clementius. Et posteà inquit, qui Origenis sententiam de salvatione Diabolorum damnârunt, non inviderunt eis mundationẽ & beatitudinem, sed potius viderunt divinã evacuati non posse sententiam, Matth. 25. Apocal. 20. Quia enim in una eademq; sententia, & pœna & vita dicitur æterna, aut utrũq; cum fine diuturnum, aut utrumq; sine fine perpetuum debet intelligi. Quamobrem prorsus nec alia causa, nec justior, nec manifestior inveniri potest: Cur diaboli nullum habeant regressum ad vitam sanctorum, nisi quia Scriptura, quæ neminem fallit, hoc dicit. Ita de infidelibus damnatis inquit: Eadem DEI sententia est, quæ in malos, & Angelos & homines proferetur, discedite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo. Quòd si ab hujus æternitate pœnæ, vel universi, vel quidam homines damnati subtrahentur, statim enervabitur fides, qua creditur, sempiternum Dæmonum futurum esse supplicium. Neq; enim una & eadem Dei sententia, in Angelos vera erit, in homines falsa. Eodem modo de Christianis baptizatis, qui in impietate mortui sunt, inquit, si tales post quantalibet tempora ab igne liberati regnum Dei possidebunt, falsa erit Apostolica sententia, quæ sine ambiguitate manifesta est: Qui talia agunt regnũ Dei non possidebunt, Sed quoniam hæc falsa nõ est, ergo nisi in sempiterno supplicio non erunt, quia in regno Dei esse non poterunt. Fundamentum igitur Augustini contra Origenicas disputationes, hoc est, sine Scriptura, & contra Scriptu ram, nullas admittendas esse argumentationes, quanquam specie proponantur. Inquit enim, fruſtra homo positus in hoc corpore, occultorũ judiciorum Dei sibi notitiam arrogare præsumit. Item, non quod homines suspicantur, sed quod Deus dixit, valebit. Non ergo adversus Deum argumẽtari, sed divino potiùs dum tempus est, debent parere præcepto, qui sempiterno cupiunt carere supplicio. In hac enim vita tempus est pœnitẽtiæ fructuosæ, postquam verò dictum fuerit à judice vivorum & mortuorum, venite, discedite, nimiæ præsumptionis est dicere, cuiquam eorum non futurum supplicium æternũ, quos Deus ituros in supplicium dixit æternum. Ex his fundamentis Augustinus pleraſq; Origenicas sententias de pœnis purgatoriis, quas etjam Ambros. & Hieron. comprobant & asseverant, reprobat & refutat.

Fundamentum Augustini contra disputationes Origenicas de pœnis purgatoriis.

Quia verò difficilè est, inveteratas opiniones animis hominum vel penitus, vel statim evellere, & unum multorum opinioni refragari. Considerandæ est Augustini prudẽtia & modestia, quomodo quædam ex veterum purgatorio tanq; falsa, ut quæ apertis Scripturæ testimoniis nimis crassè repugnabant disertè reprobârit. Quædam verò satis putârit dubia & incerta facere, ne libere & apertè omnia semel rejiciendo, eos, quorum animi purgatoriis illis opinionib. præoccupati erant, in totum abalienaret. Ex loco igitur Pauli, 1. Cor. 3. (Salvus erit quasi per ignem) veteres suas pœnas purgatorias, quorumcunque peccatorum etjam post judicium, tanquam dogma cerTum extruere conati fuerant ante Augustinum. Ambrosius enim, 1. Cor. 3. falsos doctores sive hæreticos in Ecclesia intelligit per eos, qui fundamento superædificant fœnum & stipulas. Et perversas ipsorũ asseverationes dicit perituras. Ipsos verò malos doctores dicit salvos quidẽ futuros, sed pœnas ignis passuros, ut per ignẽ purgati, fiant

Prudẽtia Augustini in purgatorii doctri na tractãda.

Quomodo veteres ante Augustinum locũ, 1. Cor. 3. intellexerint.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ant salvi & nō sicut infideles eterno ignis torquentur, ut ex aliqua parte operæpreciū sit credidisse in Christum. Hæc Ambros. Sed hanc sententiā Augusti. expresè, licet suppresso autoris nomine refutat de civit. Dei, libr. 21. cap. 25. Hieron. verò, sicut ante ipsum etjam Origenes & Ambrosius, fœnum & stipulas supra fundamentum interpretantur eos, qui fidem Christi professione quidem habent, sed in impietatis sceleribus vivunt & moriuntur, hoc est, qui aliquid argenti, sed plurimum plumbi habent, eos per pœnas quasdam ignis arbitrantur posse excoqui & purgari, ad salutem percipiendam, merito fundamenti. Sed hanc opinionem Augusti. ex testimoniis Scripturæ, 1. Cor. 6. Gal. 5. Iac. 2. 1. Cor. 13. &c. ut falsum refutat, idq; in aliquot locis, ut de civit. Dei, libr. 21. cap. 26. De fide & operibus, cap. 14. in Enchiridio, cap. 27. & sequentibus. Et de 83. Dulcitii quæstionibus, cap. 1.

Quia verò tandem quæstio restabat de sensu loci illius Paulini, qui scilicet sint, cùm hæretici & impii non sint, qui salvi fiant, sed per ignem, qualis ignis ille sit, ubi & quando purgatio illa per ignem fiat. Hic Augustinus non ignorabat, veteres quosdam ante se, audacter & constanter ex loco illo Pauli asseveraſſe: Omnes pios etiam Apostolos quia nemo mundus ex hac vita discedat, necesse habere per ignem purgatorium post hanc vitam, imò post judicium, sicut Lactantius tradit, transire. Videbat autem invidiosum futurum, si explosis prioribus veterum expositionibus de hæreticis scilicet & impiis, aliàs etjam interpretationes ipsorum simpliciter & apertè damnaret, ideò satis putavit, si monstrata sententia loci Paulini, quæ vera & certa est, alteram explicationem, licet veteribus pro certo dogmate fuerat, dubiam & incertam faceret, ita enim per se postea collapsuram existimavit. Dicit igitur sententiam illam Pauli ad intelligendum difficilem esse, & deputandum in his, quæ Petrus dicit in scriptis Pauli, esse difficilia intellectu, quæ homines non debeant pervertere ad proprium suum interitum. Item dicit, quia illud de ædificantibus super fundamentum stipulas obscurè dictum est. Ita ergo intelligendum est, ne aliis manifestis Scripturæ locis inveniatur contrarium, quæ obscuritatem ambiguitatemq; non habent. Quod si quæratur de ipsa Pauli sententia, quomodo intelligenda sit, fateor, inquit Augustinus, malle me hîc audire intelligentiores, doctiores & meliores, &c. Item, si subtiliùs disserere coner, quid sit ædificare aurum, & stipulas, vereor ne ad intelligendum difficilior sit ipsa expositio. Fundamentū igitur interpretatur Christum, qui per fidem habitat in cordibus nostris, superædificia intelligit non hæreses, nec peccata, sed bona terrena & temporalia, licita tamen & concessa, ut sunt divitiæ, uxor, liberi, deliciæ, &c. Ob quæ vel adipiscenda vel retinenda, quicunq; peccata committit, is amisso fundamento, igne æterno torquebitur. Qui verò ea ita habet, ut sine carnali aliquo erga ea affectu tantùm cogitet, quomodo placeat Domino, is aurum, argentum, gemmas superædificat. Qui verò terrena illa, carnali aut seculari aliquo affectu diligit, nō tamen ita ut Christo ea vel prę ponat, vel præponere velit, eum sentit superædificare lignum, fœnum, stipulam. Iam inquit, ignis talis debet intelligi, ut ambo per eum transeant, & qui aurum, & qui stipulam ædificat. Ergo ignis gehennæ esse non potest, ab illo enim igne nemo salvabitur, quia combustio ejus æterna est, atq; ideo nemo salvandorum in illum ignem veniet. Vsitatum autem in Scriptura esse, ostendit, ignem vocare tentationem seu tribulationem in hac vita, ut vasa figuli probat fornax, & homines injustos tentatio tribulationis. Et ille inquit, ignis tentationis seu tribulationis in hac vita, variè probat cujusque opus. Et probationem ita declarat. Quod si res in hunc articulum tentationis deducatur, ut vel Christus defendendus, vel temporalia illa amittenda sint, ibi ejus opus non exuritur, qui ea non dilexit, quorum amissione crucietur. Alterius autem opus exuritur, quoniam sine dolore non perennt, quæ cū amore possessa sunt. Quod enim quis sine illiciente amore non habuit, sine urente dolore non perdit. Qui tamen timore amittendi talia, non deserit Christum, quamvis doleat dum amittit, salvus est quidem, sic tamen quasi per ignem, quia ex eorum amissione tātùm urit dolor, quantum hæserat amor, &c. Hæc Augustinus in locis suprà citatis.

Ignis phrasis scripturæ tribulationem significat.

Duo igitur axiomata Augustin. ponit, quæ ex Scriptura certa, firma, & fixa habet. Primum, in hac mortali vita esse pœnas quasdam purgatorias, illis, qui eis coērciti corriguntur. Et tales ustiones purgatorias in hac vita multas ac varias esse, cùm ipsa vita mortalium tota sit pœna, & accidant omnes tribulationes carnis, persecutiones etjam, & ipsa denique mors carnis. Et de tali ustione seu purgatione in hac vita, locum 1. Cor. 3. rectè, verè & certò intelligi posse asserit. II. Ponit & hoc axioma contra veteres: post extremum judicium nullas fore pœnas purgatorias. De intermedio verò tempore, post mortem corporis usque ad diem judicii, quia Origenis sectatores pœnas purgatorias justorum, magna cum asseveratione ibi posuerant. Augustinus, quia illud manifestè improbare nō audet, satis habet ostendisse, non esse certum & firmum dogma, sed disputationem obscuram, ambiguam, dubiam & incertam. Ita enim inquit de civit. libr. 21. cap. 26. Si hoc temporis intervallo, post mortem corporis usque ad diem judicii, Spiritus defunctorum ejusmodi ignem DICVNTVR perpeti, sive ibi tantùm, sive hîc & ibi, sive ideò hîc & non ibi ignem transitoriæ tribulationis concremantem seculares venialia inveniant, non redarguo, quia FORSITAN VERVM est. Idem de fide & operibus, capit. 14. sive in hac tantum vita hominem ista patiuntur, sive etjam post hanc vitam talia quædam judicia subsequuntur, non abhorret (QVANTVM ARBITROR) à ratione veritatis, iste intellectus sententię Pauli, scilicet de igne tentationis seu tribulationis. Et in Enchiridio, capite 69. in hac vita ignis tribulationis probat justos, sicut Scriptura dicit. Tale verò aliquid etjam post hanc vitam fieri, incredibile non est. Et utrum ita fit, quæri potest, & aut inveniri, aut latere, nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quantò magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardius citiusq; salvari.

August. Intermedium tempus in dubio relinquit.

August. de lo'eo, 1. Cor. 3.

vari. Eadem repetit etjam ad Dulcitium, ubi de his & cognatis quæstionibus dicit. Hæc descripsimus, ut tamen in eis NVLLA veluti CANONICA CONSTITVATVR AVTORITAS. Ita ergo Augustinus, Origenes, opiniones de pœnis purgatoriis post hanc vitā, quę inter Latinos apud doctos etjam, ut Ambrosium & Hieronymum, fuerant in admiratione, cùm ex obscuris, ambiguis, tropicis & allegoricis dictis, ad normā & examen testimoniorum Scripturæ, quæ apertā, clara & manifesta sunt, deduxisset, partim reprobavit, partim dubias & incertas reddidit. Græca verò Ecclesia ignem purgatorii post hanc vitam, in quinta generali Synodo, simpliciter reprobavit & extinxit, sicut Apologia Græcorum testatur.

Candor Pontificiorum in allegādis Augustini testimoniis ad stabiliendū purgatorium.

Ex hac historica observatione intelligi potest, qua fide & quo candore, Pontificii veterum & ipsius etjam Augustini sententias, pro stabiliendo suo purgatorio allegent. Augustinus certò materialem seu corporeum ignem (sicut Scholastici loquuntur) ne per dubitationē quidem in purgatorio arbitratur, multò minus ignem, qui ejusdem generis sit cum igne gehennæ, sicuti Pontificiorum traditio habet. Id enim expresè negat, sed loquitur tantùm de igne tentationis seu tribulationis, sicut in hac vita accidere solet, & tale aliquid etjam post hanc vitam fieri, posse quæri, & posse vel inveniri, vel etjam latēre. Quām periculosum verò sit, vel dubitationes dehuiusmodi rebus in Ecclesia spargere, hæcipsa etjam historia ostendit. Quæstio enim serit quæstionē, & dato uno inconvenienti sequuntur plura. Ita August. de civita. 21. cap. 24. Si detur post hanc vitam purgatorium, quærit, si dies judicii deprehenderit aliquos vivos tales, qui si ante judicium mortui fuissent, per pœnas purgatorii potuissent salvari, num illi tunc simpliciter sint damnandi. Arbitratur autem ibi fine Scriptura, etjā facta resurrectione non defuturos, quibus post pœnas, quas patiuntur Spiritus mortuorum, impertiatur misericordia, ut in ignem non mittantur æternum. Sicut & lib. 20. capit. 15. opinionem habet in ipso extremo judicio, priusquam ultima sententia proferatur, quasdam quorundam purgatorias pœnas futuras. Alii deinde post resurrectionem, de carne, quæ magis & requirat & mereatur purgationem, quàm anima, ita disputārunt. Sed ad Dulcitium quæstio. 3. ex articulo fidei concludit, in adventu Domini, mox sine interposito spacio temporis, aut interjecta alia actione futurum judicium. Sicut illud describitur, Matth. 25. Ex illis verò Augustini dubitationibus, posteri asseverationes, imò articulos fidei fecerunt, sicut postea ostendemus. Prius enim de aliis quibusdam, quibus Pontificii ex historia antiquitatis ab stabiliendum suum purgatorium abutuntur, dicendum erit ut ordo historiæ purgatorii continuetur.

QVOMODO EX RITIBVS SATISFACTIONVM VETERIS Ecclesiæ, conentur purgatorium probare.

Satisfactiones Pōtificiæ

SEptimò, ex ritibus satisfactionum veteris Ecclesiæ, Pontificii ligna, fœnum & stipulas, ad succendendum suum purgatorium, magno conatu colligere studeant. Pingunt enim credentibus tantùm reatum culpæ propter Christum remitti, pœnam verò æternam mutari in temporalem, eamq; sacerdotibus virtute clavium à Christo arbitrandam datam esse, quo genere multæ, & quanto tempore, persolvenda sit. Cùm verò lapsi sæpius moriantur, priusquam pœnitentiam seu satisfactionem illam expleverint, dicunt consequens esse, ut quod reliquum manſit satisfactionis, post hanc vitam in purgatorio exolvatur. Atque hoc est unum ex præcipuis fundamentis Pontificii purgatorii. Non autem totam doctrinam de satisfactionibus Ecclesiasticis hoc loco repetemus, quam in secunda parte hujus examinis explicavimus, sed ea tantùm, quæ ad purgatorii historiam facere videbuntur, breviter perstringemus. De appellatione igitur satisfactionum apud veteres, & quo consilio ac fine usurpatæ fuerint in secunda parte diximus, ut scilicet ita pœnitentes publico testimonio comprobarent, se nō simulare, sed seriò agere pœnitentiam. Multi enim qui postea Eceboli nominati sunt, levitate repetitionis abnegationum & pœnitentiæ in persecutionum temporibus auctæ, & duriter exasperatæ fuerunt, sicut in Tertulliano, Cypriano & Evsebio. Item in Canonibus pœnitentialibus Ancyranis. Nicænis, & qui titulo Gregorii Neocæsarienſis feruntur, videre est. Ac propter illam ipsam causam videntur Clemens, Tertullianus & Origenes tam duriter loqui, quasi unam tantùm pœnitentiam post baptismum lapsis concedant. Cyprianus etjam disputat, absolutionem non valere, priusquam Canonica illa satisfactio expleta esset. Alii dixerunt solius Dei scientiæ relinquendum, an, quomodo & quando lapsi agentes pœnitentiam, in gratiam à Deo recipiantur. Origenes verò homilia 15. in Ieremiam, videtur absolutionem seu expiationem lapsorum, in purgatorium suum rejicere. Ex illis disputationibus & ritibus, Novatiani hæresin suam, quæ lapsis pœnitentibus, spem veniæ in hac vita, vel negabat, vel certè in dubium vocabat, extruxerunt. Coacti itaque fuerunt Episcopi in Synodis, asperitatem istius disciplinæ, & duritiem illarum disputationum, mitigare, sicut colligitur ex Cypriano libro quarto, Epistola secunda. Et sanè ante expletum tempus impositæ satisfactionis Canonicæ, non facilè quenquam ad absolutionem & communionem admitti volebant, propter causas suprà recitatas.

Appellatio, causa & finis satisfactionum Ecclesiæ veteris.

Levitate Eceboliorū satisfactiones publicæ pœnitentiæ auctæ sunt.

Duriores locutiones nonnullorum ex patrib. de lapsis post baptismum Cyprianus.

Occasio hæreseos Novatianorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cyprianus lib.3. epistol. 8. & sermone quinto, de lapsis. Sed tamen imminente periculo mortis, lapsis pœnitentibus, etjam ante expletum tempus Canonicæ satisfactionis, pacem, remissionem seu absolutionem, & communionem dabant, lib. 3. epist. 17. & lib. 4. epist. 4. Eusеb. lib. 6. cap. 34.

Nullibi patres dicũt ante expletum satisfactionis tempus, mortuos in purgatorio eam exolvere.

Nullibi verò dicunt (cùm quidem 26. q. 6. hujus generis sententiæ multæ refutantur) quod tales post hanc vitam, etjam post acceptam pacẽ (sicut loquuntur) cruciatibus ignis reliquum Canon. satisfactionis persolvere cogantur. Imò disertè dicunt, lapsis pœnitentibus, in periculo mortis ideo dandam absolutionem & communionem, etjam ante expletam satisfactionem, ut morientes cum pace ad Dominum veniant, inquit Cyprianus, sive ut absoluti, deleto peccato (εὐελπιδῶς) bona cum spe ex hac vita migrent. Sicut Dionysius apud Eusebium loquitur. Hoc quidem addunt, si tales convaluerint explendũ ipsis in Ecclesia esse ritum satisfactionis. Quòd verò in altero seculo illud etjam faciendum sit, non dicunt. Imò Cyprianus expresse dicit lib. quarto, epist. 2. ideo sacrificatis agentibus pœnitentiam, in exitu etjam ante expletam satisfactionem, absolutione subveniendum esse, quoniam exomologesis apud Inferos nec esse, nec fieri potest. Complectitur autem vox exomologesis, secundũ Tertullianum, totum actum Canonicæ satisfactionis. Lindanus ex illa Epistola profstabiliendo purgatorio, excerpit hanc sententiã.

Ἐξομολόγησις.

De loco Cypriani cõtra Lindanum.

Aliud est ad veniã stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcere, non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse, &c. Sed ne unico quidem verbo Lindanus probare potest, Cyprianum ibi loqui de tempore post hanc vitam ante judicium, sed disertè per totam epistolam agit de satisfactionibus, quæ in Ecclesia ante exitũ vitæ fiunt. Cumq; objiceretur, virtutem confessorum in Ecclesia minui, & martyria deficere, si lapsis pœnitentibus spes pacis offeratur. Respondet: Hoc ideo timendum non esse, quia magnum sit discrimen. Lapsos enim opus habere, ut ad veniam stent in Ecclesia, & satisfactionum doloribus crucientur, ac tanquam igni purgentur, donec impositam mulctam usq; ad extremum quadrantẽ exolvant. Stantes verò habere gloriam & mercedem constantiæ suæ in Ecclesia, & in die judicii etjam majorem habere fiduciam coronæ, hoc enim est quod in fine addit: Denique aliud est pendere in die judicii ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari. Hanc esse Cypriani in illo loco sententiam ex circumstantiis manifestè patet.

Cypriano negat post mortẽ exolvi posse satisfactionem.

Quòd verò post hanc vitam satisfactio possit expleri aut exolvi, non tantùm non dicit, sed disertè negat in illa Epistola, cùm inquit: Ideo ante exitum pœnitentibus dandam pacem, quia apud inferos exomologesis fieri non possit. Ex historia igitur satisfactionum veteris Ecclesiæ certè considerata, labascit atque corruit etjã hoc fundamentum Pontificii purgatorii, quod ex ritibus satisfactionis veteris Ecclesiæ substruunt. Imò ipsi Pontificii reipsa ostendunt, ficulneum, arenosum, imò commentitium hoc esse fundamentum. Ritus enim illi veterum satisfactionũ, ab annis amplius mille non fuerunt in usu. Quomodo igitur possent materiam purgatorii præbere in altera vita? Sed asperas & diuturnas illas veterum satisfactiones, didicêrunt in præscriptũ sint. numerum eleemosynarum, precularum & jejuniorum, cum fictione juris, sicut loquuntur, cõmutare. Et has ipsas etjam commutationes, pecunia docuerunt posse redimi, sicut postea de Indulgentiis dicemus. Inde fit, quod absolutionem & communionem dant suis confitentibus, & postea verbi gratia, levicula quædam ipsis titulo satisfactionum implenda injungunt, quæ si implere noluerint, data pecunia redimere possunt. Atq; hæc cũ in Pontificia Ecclesia ludo & joco ita agantur, quis credere posset, hoc esse fundamentum purgatorii, etjamsi aliquod esse constaret? sed quale est ædificium purgatorii, talia etjam habet fundamenta. De pœnis verò, quæ post remissionem peccati in hac vita aliquando piis imponuntur, postea dicemus.

Ritus satisfactionis Ecclesiastica à multis abannis desueverunt.

Cõmutatio satisfactionũ apud Pontificios.

QVOMODO EX PRECIBVS PRO DEFVNCTIS PVRgatorium accendere conentur.



Octauò, Quia in historia antiquitatis, in orationib. habita fuit memoria etjam defunctorum, quorum animas pii suis precibus Deo commendabant. Pontificii existimant, inde locum & ignem purgatorii, non tam Dialecticè probari, quàm Geometricè demonstrari. Pro animabus enim in Paradysi gaudio jam existentibus, tales orationes essent supervacaneæ: Pro illis autem animabus, quæ jam ad infernum damnatæ sunt, inutiles essent. Ergo arbitrantur, necessariò medium locũ constituendum, ubi animæ igne excarnificẽtur, unde orationibus liberandæ sint. Et huic argumento tantùm tribuit Lindanus, quod scribere non veretur: Lutheranos si sibi constare velint, non posse effugere, quin purgatorium concedere cogantur, eò, quod Apologia nostra dicat, nos non prohibere orationem pro mortuis, quodq; Lutherus etjam in confessione suaillam admittat. Vident autem omnes sani nulla necessitate consequi. Si Ecclesia orat pro mortuis. Ergo animæ defunctorum cruciantur igne purgatorii. Multæ enim aliæ causæ, & longè alii fines hujus orationis esse possunt. Sed ut tota res planior fiat, cùm quidem historiarũ imperitos, hoc argumento turbare, & fallere conentur Pontificii, inspiciamus historiam veræ antiquitatis, de oratione pro mortuis, an inde certò & firmiter demonstretur Pontificium purgatorium. Sumuntautem sine probatione duo κεφάλαια. I. Apostolos non tantùm exemplo monstrasse, sed doctrina instituisse, imò mandato præcepisse, ut in precibus, quas sacerdos ad altare in divinis mysteriis Deo fundit, locum suum habeat, etjam memoria & commendatio mortuorum. II. Veterem Ecclesiam hoc semper præsupposuisse in orationibus

Lindani triumphus.

Ecclesia orat pro defunctis.

Ergo est purgatorium.

Præsupposita Pontificiorum in hac quæstione.

nibus pro mortuis, quòd animæ defunctorum nondum sunt in requie, sed hæreant in pœnis, suppliciis & cruciatibus ignis purgatorii, unde orationibus sint liberandæ. Quæ duo si vera essent, aliquid sequeretur, non quidem præcisè & certò, quòd in igne aliquo cruciarentur animæ justorum, sed quod vel in pœnis quibusdam, vel certè in periculo cruciatuum essent. Sed inspiciamus historiam.

An oratio pro mortuis sit traditio Apostolica. Scriptura sacra nil docet de orationib. pro mortuis.

Non ignoro sanè Chrysostomum affirmare, Apostolos tradidisse & præscripsisse, ut in tremẽdis mysteriis fiat cõmemoratio & commendatio defunctorum, sed in tota sacra Canonica Scriptura, non Apostolica tantùm, sed & Prophetica, veteris & novi Testamenti, nulla extat litera, nulla syllaba, nulla dictio, nulla oratio, continens vel doctrinam, vel mandatum, vel promissionẽ, vel exemplum de oratione pro mortuis. Quia igitur ex Canonica Scriptura ostendi non potest Chrysostomi illa assertio, eadem facilitate, juxta Hieron. contemnitur, qua probatur, Aut legat hoc nobis, sicut inquit Augustin. ex Lege, ex Prophetis, ex Psalmis, ex Evangelio, ex Apostolicis literis, & credemus. Vbi verò de re obscurissima disputatur, inquit idem Augustinus, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisq; documẽtis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinando. Imò si quis de quacunq; re, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, tanquã certũ & necessarium dogma, seu articulum fidei annunciãrit, præterquã quod in Scripturis legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit, inquit Augustin. contra literas Petiliani. Et non tantùm ex Scripturis Canonicis assertio illa Chrysostomi probari non potest, sed historiæ antiquitatis diversum prorsus ostendunt. Hieronymus enim Gregorius & alii scribunt, Apostolos ad solam orationem Dominicam celebrasse actionem mysteriorum divinorũ, quod profectò cum assertione illa Chrysostomi manifestè pugnat. Imò Tertullianus de corona militis expresè dicit: Oblationes pro defunctis non ex Scriptura, sed ex consuetudine fluxisse. Et numerat eas inter tales observationes, quales sunt de trina mersione, de præguftatione lactis & mellis, de oblationibus pro natalitiis, de prohibitione geniculationis die Dominica. Et ne virgo coronam gestet in capite, &c. Et addit: Harum & aliarum disciplinarum, si legem expostules, Scripturarum nulla legis traditio tibi prætendetur. Sed has observationes sine ullius Scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio dicit vindicari. Item, observationem consuetudo roboravit, quæ sine dubio de traditione manavit, Quomodo enim usurpari quid poterit, si traditum non est? Num verò ab Apostolis illa tradita esse Tertullian' affirmat? Nequaquã, Subjungit enim: An non putas omni fideli licere, concipere & constituere quod Deo congruat, disciplinæ conducat, & saluti proficiat? Item, salvo traditionis respectu, quocunque traditore censeatur, &c. Cùm igitur oratio & oblatio pro mortuis sit incertæ traditionis consuetudo: Cũq; reliquæ observationes, inter quas hæc etjam à Tertulliano numeratur, jam dudum obsoletæ interciderint: Nullo ergo modo dogma necessarium aut articulus fidei est, oratio & oblatio pro mortuis, multò verò minùs purgatorium pro articulo fidei inde potest probari. Effectus enim non potest melior aut præstantior esse sua causa. Nec statim simpliciter assentiri debemus, assertioni Chrysostomi, quæ extra Scripturam, & sine certis documentis, nuda asseveratione dicit: Traditionem & præscriptionem Apostolicam esse orationem prò mortuis. Quomodo enim Patres quidam, multas aliquanto vetustiores consuetudines ad Apostolorum traditiones, propter majorem autoritatem retulerint, quas tamen longè aliam habuisse originem, liquidò probari potest, in prima parte aliquot exemplis ostendimus. Et de oblationibus pro defunctis, manifestè hoc jam ex Tertulliano probavimus. Accedit quod ea, quæ in Apocryphis scriptis sub Apostolorũ titulo ac nomine sparsa fuerant, licèt in primitiva Ecclesia pro suppositiis & rejectitiis habebantur, postea tamen consuetudine roborata, cœperunt paulatim titulum Apostolicarum traditionum usurpare. Ita cùm in Apocryphis scriptis Clementis & Abdiæ, mentio fiat orationis pro mortuis, cœpit Chrysostomus dicere esse Apostolicam traditionem.

Tota historia antiquitatis Chrysostomi sententiæ refellit, de oratione pro mortuis.

Oratio pro mortuis ex Apocrypho.

Non ergo ex scripturæ Canonicæ præscripto mandato, promissione aut exemplo, originem habent orationes pro mortuis, sed ex naturali quadam humanæ mentis affectione. Cura enim sicut pro absentib. ita etjã pro mortuis, qua ipsis benè esse vellemus, naturaliter, atq; ut Augustinus loquitur: Familiariùs tangit nostrum affectum, quẽ habemus circa eos, qui nobis vel sanguine, vel familiaritate, vel religionis communione juncti sunt. Ex illa naturali humanæ mentis affectione, apud Gentes orationes & oblationes pro mortuis ubique institutæ, receptæ, & usurpatæ fuerũt, sicut suprà ostendimus. Valde notabile autem hoc est, quod Sancti veteris & novi Testamenti, licèt naturalem illam affectionem in morte suorum non minùs sentirent, quàm Gentes, nec minus ipsis benè cuperent, tamen non ausi fuerunt peculiarem cultum pro mortuis, ex propria intentione instituere, cùm verbo & mandato Dei destituerentur. Machabæus hoc ausus fuit, inclinata jam Iudaismo religione. Sed sicut in veteri Testamento nullum habuit præcedentem, ita in novo nullum habuit sequentem, nullum enim vel verbum, vel exemplum orationis aut oblationis pro mortuis extat in novo Testamento. Cumq; in Scripturis Propheticis exequiæ & memoriæ mortuorum celebrateq; legantur, prorsus tamen nulla fit mentio vel orationis, vel oblationis pro mortuis. David orat pro filiolo ex adulterio nato, qui ob pœnam peccati in extremis admodum afflictim habebat, sed postquam audisset ipsum mortuum, statim surrexit. Et scribitur quidem, ingressus domum Domini adorasse, non autem pro anima defuncti pueri orasse vel sacrificasse. Quod sine dubio pro Absolone interfecto etjam fecisset, si absq; verbo Dei ausus fuisset ex sua affectione, quam acerrimam tunc 2. Reg. 18. sentiebat, aliquid vel facere, vel instituere. Tanta tunc erat religio, ne ex humanis affectionibus etjam

Oratio & oblatio pro mortuis est incerta traditionis consuetudo.

Orationes pro mortuis unde?

Sancti in scriptura nullũ cultum pro mortuis instituerunt.

Machabæus.

David orat pro puero decumbente pro mortuo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod bonum videbatur; facerent, sed ut hoc tantùm, quod Dominus præcipiebat, ita facerent, ne quid vel adderent, vel minuerent, Deut. 12.

Orationes & oblationes pro mortuis post Apostolorũ tempora cœperunt.

Post Apostolorum verò tempora, humana illa erga mortuos affectio, sensim cœpit orationes & oblationes pro mortuis, in Ecclesiam invehere. Cùm enim apud Gentes, magna pars religionis orationibus & oblationibus pro mortuis serviret, & plerique Christiani ex Paganismo conversi essent, ac existimarent Christianam religionem non debere facere homines inhumaniores: illam consuetudinem orandi pro mortuis, sicut alias multas aliquantulum ut videbatur ad pietatem Christianam inflexas retinuerunt. Cumq; Scripturæ testimoniis & exemplis destituerentur, apocrypha quædam, sicut dixi, sparsa sunt, ut non omninò à pietate videretur abhorrere. Ita cùm Ethnici statis & præcipuè anniversariis diebus, quando pro mortuis suis orabant, etjã epulas ad sepulchra deferrent, unde mortuis solatium quoddam accedere putabant, irrepsit hoc etjam in Ecclesiam, sicut Augustinus conqueritur Epistola 64. Alibi verò hoc ita reformatum erat, ut in memoriam defunctorum, amici cibos, & alia donaria in usum pauperum & Clericorum conferrent, sicut colligitur ex Origene libro tertio in Iob, & qui conferebant, vocabantur Sportulantes. Cyprianus libr. 1. Epistolar. 9.

Epulæ ad mortuorum sepulchra.

Sportulæ. Sportulãtes. Sportulæ in Eucharistiæ celebratione oblationes.

Postea tales Sportularum collationes fieri cœperunt, quando celebrabatur Eucharistia, & vocabantur oblationes. Memoriæ etjã defunctorum, & orationes pro mortuis, primùm privatim fiebant ab amicis, sicut apud Tertullianum maritus pro uxore mortua orat, postea advocari cœperunt sacerdotes apud Origenem libro 3. in Iob. Apud Dionysium oratio pro defuncto fit in templo, sed sine celebratione Eucharistiæ. Tandem sicut omnes orationes Ecclesiæ, in actione mysteriorum Eucharistiæ recitari solebant, ita etjam commemoratio & commendatio defunctorum, in actionem illam translata est. Ita ut in traditione humana & in consuetudine adiaphora, variæ & dissimiles fuerunt observationes.

Memoriæ de functorũ & orationes pro mortuis primò privatæ.

Sacerdotes adhibiti.

Trãslatæ orationes pro mortuis in templa in actione Eucharistia.

Oratio pro mortuis est hu. tantum traditio.

Ex his omnibus planum & manifestum est, orationem pro mortuis non esse Apostolicam doctrinam, aut divinum mandatum seu articulum fidei aut dogma necessarium, sed humanam traditionem, libera & varia consuetudine introductam, & tãdem superstitiosa observatione roboratam. Ergo nec inde Purgatorio Pontificiorum igni fine Scriptura Canonica, autoritas potest conciliari, multò minùs verò expiationes, propiciationes & satisfactiones per vivorũ opera, pro peccatis defunctorum, contra Scripturã, inde confirmari possunt.

Orationes veterum pro mortuis non patrocinantur purgatorio.

Falsum axioma Pontificiorum.

Ostendemus jam porrò, ne veterum quidem orationes pro mortuis, Põtificio purgatorio patrocinari. Falsum enim est quod dicunt, primitivam Ecclesiã in orationibus pro mortuis semper præsupposuisse purgatorium, & quæ ipsi annexa esse volunt. Tertullianus primus est (non enim de Apocryphis jam loquimur) apud quem consuetudo oblationum & orationum pro mortuis legitur, qui tamen disertè & expresè asserit eam non esse ex Scriptura. Is igitur in libro de Monogamia inquit: Enimvero uxor pro anima

Oblationes & orationes pro mortuis legũtur primum apud Tertul.

scilicet defuncti mariti orat, & refrigerium interim adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus. Et de exhortatione castitatis ad maritũ defunctæ uxoris inquit: Et jã repete apud Deum pro cujus Spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas. Stabis ergo ante Deum, cùm tot uxoribus, quot illa oratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis illas duas. His verbis Tertullianus ostendit, duo fuisse in illa consuetudine sine Scriptura recepta, oblationes scilicet & orationes pro mortuis. Ne verò intelligatur de sacrificio aliquo propiciatorio, per sacerdotem pro mortuis oblato, Tertullianus dicit, uxorem offerre, & maritũ reddere annuas oblationes. Et sportulas, quæ in usum pauperum conferebantur, vocari & intelligi oblationes, manifestissimum est ex Canone Carthaginensi & Vafensi, 13. q. 2. Qui oblationes defunctorum, aut negant Ecclesiis, aut difficulter reddunt, tanquam egentium necatores, qui pauperes consolatione alimoniæ & necessaria sustentatione fraudant, habendi sunt. Sed quia in oratione pro mortuis dicit animabus refrigerium postulatum, Pontificii inferunt inde insinuari, animas defunctorum nondum esse in loco refrigerii, sed in medio aliquo loco pœnarũ. Tertullianus verò lib. 4. contra Marcionem. Et de anima, tantùm duo constituit loca excipiendis animabus exutis corporibus, ubi sequestrentur in diem Domini, inferos scilicet, pro reprobis, pro animabus verò justorum sinum Abrahæ, quem dicit esse regionem non cœlestem, sublimiorem tamen Inferis, præstantem refrigerium animabus justorũ, donec consummatio rerum, resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat. Et hoc tantùm dicit Tertullianus, pios animabus defunctorum suorum optasse hoc refrigerium, ac in resurrectione consortium. Non autem dicit animas justorum in loco aliquo pœnarum esse. Imò contra Marcionem disertè dicit, eas interim à morte scilicet usque ad resurrectionem, esse in refrigerio. Sed excipiunt Pontificii, absurdum & ineptum esse, postulare eis refrigerium, si jam in refrigerio essent. Audiamus igitur Dionysium, quæstionem illam de oratione pro mortuis ex professo explicãtem, quo sensu vetus Ecclesia pro mortuis orãrit, & quomodo orationes illas intellexerit. In hoc enim cardine tota hæc controversia vertitur.

Tertull. non dicit animas pro quibus orat. esse in loco pœnarũ.

Quo sensu vet. Eccles. pro mortuis orarit. Dionysius.

Dionysius igitur, qui Areopagitæ titulũ præfert, describens ritus sui temporis circa eos qui obdormierunt cap. 7. Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Non statas aut anniversarias habet orationes pro mortuis, non addit Sportularum oblationes, nec mysteriorum celebrationem, sed tantùm funus in templum defert, atque ibi ante sepulturam Pontifex semel sacram precem super mortuum facit, deinde osculo salutat defunctũ, quod reliqui præsentes etjam faciunt, postea infundit defuncto oleum, & corpus recondit. Hæc ipsa rituum dissimilitudo & varietas ostendit, non esse divinas sanctiones, sed humanas, liberas & indifferentes consuetudines seu observationes. Dionysius enim oblationes, anniversaria, & mysteriorum celebrationẽ, quæ alibi in exe-

Ritus circa mortuos apud Dion.

Osculum defunctorum. Oleum.

exequiis usitata fuerunt, non habet. Osculum verò defuncti, ut cujus etjam cadaver suave & pretiosum debeat esse, & infusionem olei habet, quæ alibi non fuerunt usitata, quæq; ne hodie quidem Pontificii observant. Orationis verò supra mortuum dicit, hoc fuisse argumentum, ut divina bonitas cuncta dimittat peccata, quæ per humanam infirmitatem defunctus admiserit, eumq; collocet in luce & regione viventium, in sinum Abrahæ, Isaac & Iacob, in locum unde aufugit dolor, tristitia & gemitus. Ex tali verò orationis forma, Pontificii statim solent inferre, animas defunctorum nondum esse in regione viventium, sed in loco tenebrarum, doloris, tristitiæ & gemitus, unde orationibus sint liberandæ, hoc est, in purgatorio. Sed consequentiam hanc Dionysius disertè negat, & expresè contrarium astruit. Non enim tres, sed duos tantùm ordines ponit eorum, qui ex hac vita discedunt, ἱερῶν καὶ ἀνιέρων, Sanctorum & Prophanorum. Prophanos autem vocat illos, qui vel inquinamentis Ethnicis pleni, vel qui Sacramentis quidem initiati, ad damnabiles verò concupiscentias transfugerunt. Eos, quando ad finem hujus vitæ perveniunt, dicit miserabiliter & invitos ex hac vita avelli, nulla bona spe subnixos propter pessimam vitam. Alterum verò ordinem morientium vocat Sacrorum, qui piè quidem vixerunt, sed tamen pro remissione peccatorum orant. Eos dicit cum firma & certa spe in divina (εὐφροσύνῃ) lætitia & hilaritate tendere ad mortis terminum, tanquam ad finem certaminum, cùm animæ ibi non possint ad deteriora converti & corpora beatam expectent resurrectionem. Propterhæc inquit, obdormitio Sanctorum est in lætitia & spe immobili, quia pervenerunt ad finem certaminum. Item noruut se totos percepturos (χριστοειδῆ λαξιν) Christiformem requiem, quando ad terminum hujus vitæ pervenerunt. Quigitur, inquit, ad terminum suorum certaminum venit, sacra impletur lætitia, magnaq; cum (ἡδονῇ) jucunditate seu voluptate viam felicissimę regenerationis ingreditur. Propinqui verò defuncti (μακαρίζεται) beatum illum prædicant, sicut & est, ut qui ad optatum victoriæ finem pervenerit (πρὸς τὸ νικηφόρον εὐκταίως ἀφικόμενον τέλος) & authori victoriæ persolvunt hymnos gratulatorios (χαρισηρίους) seipsos quoq; orantes ad similem requiem admitti. Sumentes autem defunctum ad Pontificem ducunt, quasi sacris donandum coronis. Is coacto sacro cœtu peragit precem (ἐυχαριστήριον) complectentem gratiarum actionem pro illa Dei pietate, qua defunctum est, injustum & tyrannicum illud contra nos omnes imperium, quodq; non tantùm, qui ad summum sanctitatis pervenerunt, sed & alii, qui summos illos gradus attingere non potuerunt ad remunerationem admittantur. Deinde ministri promissiones Scripturæ de resurrectione recitant, & Psalmos idem sonantes decantant. Et rationem hujus reddit Dionysius, quia inquit, promissionem illarum Lectiones & Cantiones, declarant & explicant beatam illam requiem, in quam æternaliter subvehuntur, qui divinum exitum consequuti sunt. Illæ ipsæ verò Lectiones & Cantiones (κατοδεκτικαὶ) defunctũ quasi amplectuntur & suscipiunt. Viventibus verò sunt exhortationes ad consimilem exitum. Postea præcipuus ex ministris, dimissis Catechumenis, Sanctos jam defunctos (ἀναπαυομένους) honorifica celebratione celebrat. Et cum illis etjam nuper defunctum, pari prædicatione prosequitur. Et hanc commemorationem dicit ideo fieri, ut audientes Sanctorum præmia ex Scripturis celebrata, & piè defunctum jam verè consortem seu socium existere (κοινωνὸν ὄντα) Sanctorũ, qui à sæculo sunt, in ipsis etjam simile desiderium excitetur, cùm audiant quam verè beatum sit in Christo mori.

Argumentũ orationis supra mortuũ.

Dionys. duos ordines defunctorum constituit.

Prophani quomodo dicantur.

Sancti quomodo dormiant.

Exequiæ Dionysii.

Consequentia Papistica pro offerenne purgatorii, ex Tertullian. Refutatio Pontificiorũ ex Tertul.

Hęc prolixius aliquanto recitavi ex Dionysio, ut ostenderem falsum esse, quòd Pontificii dicunt, veterum orationes pro mortuis præsupposuisse purgatorium, hoc est, quod defunctorum animæ, pro quibus oratur, non sint in requie, sed in doloribus, gemitib. & cruciatibus ignis. Dionysius enim prolixa oratione & multis verbis diversum & contrarium præsupponit, sicut manifestum est. Consequentiam etjam illam (si defunctus postulatur refrigerũ, ergo nondum habent illud, sed sunt in cruciatibus) Dionysius ex professo refutat, ponit enim quæstionem, quare præsul oret, ut mortuus dimissis peccatis, collocetur in luce & in regione vivorum. Si enim illic quisq; recipiet remunerationẽ, prout in hac vita gesit, defunctus verò suas operationes hujus vitæ jã cõsumavit, quomodo per præsulis orationem ad aliam requiem, quam vita ipsius dignum est, transferetur? Et hic sanè locus fuisset dicendi de pœnis purgatorii, de suffragiis & satisfactionibus vivorum pro mortuis, si tunc temporis Ecclesia orans pro mortuis, talia agnovisset. Sed Dionysius nihil horum dicit, tantùm in genere respondet, justorum preces efficaces esse in hac vita, nedum post mortem pro iis tantùm, qui digni sunt, & hoc exemplis de vivis ostendit. Orationis verò super mortuum dicit, hunc esse sensum: Pontifex didicit ex Scripturis divinitùs traditis, quòd illis, qui piè vixerunt, redditur secundum opera ipsorum, sed tamen ita, ut divina bonitas per summam clementiam (ὑπερφώσις) non respiciat, recordetur aut imputet maculas, quæ ipsis ex humana infirmitate adhæserunt. Nemo enim mundus est à sorde, inquit Scriptura. Et notabit Lector, Dionysium propter maculas peccati nõ conjicere defunctũ in ignem purgatorii, sicut Pontificii faciunt, ut ibi cruciatibus ignis excoquantur, sed dicit φιλανθρωπίαν Dei ex clementia eas condonare. Pergit autem quærere, si hæc certò promissa sunt, & dãtur defunctis in Christo, quare Pontifex petit ea pro mortuis? Tres autem assignat rationes. I. Pontifex ad imitationẽ bonitatis Dei aliorum donatanquam proprias expetit gratias. II. Quia ipse Pontifex novit ea, quæ divinitus promissa sunt, certò donari piè defunctis, ut igitur præsentibus etiã manifestet & confirmet, quæ bona certò donãda sint piè obdormientibus, ideo ea in forma precationis proponit, quia quæ juxta Deum petit, Pontifex consequitur. Et in illa suã oratione nihil aliud petit, quàm quæ in Scripturis ex-

Dionysius refutat Pontificiorum argumenta.

Dionysius nõ mittit animas ob maculas peccati in purgatoriũ.

Causæ Dionysii cur pro mortuis oret Pontifex. Prima. Secunda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertia.

presè promissa sunt, donãda piè defunctis. Hæc enim est sententia verborũ Dionysii. III. Pontifex à Christo accepit potestatẽ clavium? (Quorum remiseritis seu retinueritis, &c. Quodcunq; ligaveris aut solveris super terram, &c.) ut judicium Dei juxta verbũ ipsius patefaciat & manifestet, Deo charos admittendo, & impios excludendo. Ita ergo in Christo defunctos (διαπορθμευτικῶς) quasi transmittens & transvehens eos in æternã requiem, per absolutionem forma precationis, eos in lucem & regionẽ vivorũ transferri ostendit. Et ostendunt veteres historiæ, primum usum orationis pro mortuis fuisse in ipsis sepulturis. Fidelium enim funera faustis comprecationib. ad sepulturã deducebantur, sicut ostendit Chrysostomus in sermone quodã super verba 1. Thess. 4. Deinde in ipsa sepultura corpora fidelium defunctorum oratione presbyteri componebantur, sicut testatur Tertullianus libro de anima. Deinde cùm in cœmiteriis conventus Ecclesiasticos celebrarent, preces illæ etjã post sepulturã repeti cœperunt, facta inde sunt anniversaria. Et tandem purgatorium inde extructum est.

Hæc descriptio Dionysii manifestè & quasi ex professo, refutat ea, quæ Pontifici ex ritu orationis veterum pro mortuis, ad stabiliendum purgatorium suum, exsculpere moliuntur. Et ostendit qua de causa ac quo sensu veteres pro mortuis orârint, non quod senserint eos esse in cruciatibus, unde nostris suffragiis sint redimendi: Sed propter superstitum institutionem, exhortationem & consolationem. Licet enim credant & sciant, credentes defunctos jam venisse ad requiem: Tamen quia in spectaculo mortis magna est animi humani consternatio & perturbatio, cùm quidem conspectus iræ divinæ, & terror divini judicii, propius tunc nos attingat, afficiat & quasi ob oculos versetur. Confugimus igitur ad Deum, quærentes consolationem in verbo & sacramentis, legendo, audiendo, meditando, orando, credendo & sperando. Visitatum autem est in gravioribus tentationibus, orationem sæpius repetere, etjam quando ex verbo scimus priorem orationem exauditam esse, & ipsa talis oratio est fidei confirmatio, sicut in Psalmis talia exempla multa sunt. Et Iob inquit capite nono: Cùm invocantem me exaudierit, non tamen credo quòd audierit vocem meam. Ita si quis post acceptam absolutionem & communionem in gravi casu mox rursus oret pro remissione peccatorum: Non ideo dubitat de veritate absolutionis & communionis, sed conscientiæ infirmitas quærit ita confirmationem, & ipsa talis oratio, quia nititur promissione absolutionis & communionis, confirmat fidem acceptæ reconciliationis. Ita Christiani lugentes sciunt quidem promissiones divinas de iis, qui in Domino moriuntur, quando tamen in perturbationibus considerant infirmitates suorum, & quia coram non cernunt requiem & felicitatem eorum, confugiunt ad Deum, & precibus eos misericordiæ Dei commendant, ut ita ipsis orationibus se confirment, de beatitudine defunctorum. Nituntur enim orationes tales, quales vetustissimæ fuerunt illis promissionibus: Qui credit in me, non videbit mortem, transibit per

Fundamẽta orationũ veterũ pro defunctis.

mortem in vitam, etiamsi morietur vivet: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, &c.

Quid fuerunt quoq; consilio facta sint orationes veterum pro defunctis.

Fuerunt itaque veterum orationes pro mortuis, nõ satisfactiones pro peccatis mortuorum, non redemptiones animarum ex igne purgatorii: Sed publicæ celebrationes, applicationes & obsignationes promissionum divinarum, de remissione peccatorum, requie & salute piè defunctorum, fuerunt institutiones & exhortationes viventium, fuerunt consolationes & confirmationes lugentium, & fuerunt declarationes piarum affectionum animi erga defunctos. Bestialis enim ἀπάθεια esset, nihil affici morte suorum, memoriam amicorum defunctorum statim ex animo delere, non ipsis benè velle & benè precari, quæ tamen omnia juxta verbum moderanda sunt. Hoc modo & in hanc sententiam

Apologia confessionis Augustana, de oratione pro mortuis.

etjam Apologia confessionis dicit: Nos non prohibere orationem pro mortuis. Et Lutherus in confessione sua dicit: Pro mortuis, quia Scriptura nihil meminit, existimo non esse peccatum, ex libera devotione, ita vel similiter orare, ut Deus animæ, si in tali statu sit, misereatur, utq; satis fiat, quando semel vel bis illud factum fuerit. Vigiliæ enim, Missæ pro animabus, & anniversaria in Papatu prorsus inutilia sunt, imò sunt Diaboli nundinationes. Ita Lutherus. Sed tamen quorsum tandem evadant illa, quæ sine Scriptura, licèt non mala pietatis specie, instituuntur & suscipiuntur, hæc ipsa purgatorii historia ostendit.

Hæc igitur historica observatio de oratione pro mortuis, admit Pontificiis illum purgatorii prætextum, cui plurimum nunc tribuunt, & quo solo sperant, se mundum rursus fascinare posse. Nec verò solius Dionysii Hierarchia, memorias mortuorum ita interpretatur, sed & reliqui antiquiores ita senserunt. Origenes quidem Platonicum purgatorium aliàs strenuè urget. Sed ritum Ecclesiarum suarũ describens, lib. 3. in Iob, inquit: Non celebramus diem nativitatis, cùm sit dolorũ & tentationum introitus, sed diẽ mortis, utpote omnium dolorum depositionem, & omnium tentationum effugationem, quia non moriuntur, sed perpetuò vivent, hi qui mori videntur. Propterea & memorias Sanctorum facimus, & parentum nostrorum vel amicorum in fide morientium, devotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etjam nobis piam consummationem in fide postulantes. Item, Celebramus memoriam defunctorũ religiosos cum sacerdotibus convocãtes, fideles unà cum clero invitantes, adhæc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus. Audis Christianos celebrasse diem mortis suorum, eleemosynis, & orationibus, non quòd existimârint eos doloribus cruciari, unde exequiis illis liberandi essent, sed quia fuerunt gratulationes in memoriam, quòd defunctorum animæ, per mortem ad omnium dolorum depositionem, ad omnium tentationum effugationem, & ad requiem perveniissent. Quæ certè cum Pontificiorum purgatorio ex diametro pugnant.

Origenes de memoria mortuorum.

Cyprianus quidem novo & peculiari modo loquitur: Offerre pro defunctis & sacrificium pro

Cyprianus sacrificium & oblatio pro defunctis quid sit.

pro dormitione eorum celebrare, lib. 1. Epistola 9. Quas phrases interpretantur Pontificii de sacrificio propiciatorio, & de suffragiis pro expiandis & redimendis animabus defunctorum. Sed ipse Cyprianus, & quidem in eadem Epistola interpretatur se, quòd oblationes pro dormitione alicujus, intelligat sportularum contributiones: Sacrificiũ verò pro dormitione celebrare, interpretatur ibidem, nomen alicujus in prece sacerdotum, quæ in administratione Eucharistiæ fiebat, nominare: Et pro aliquo sacrificare, ibidem apertè ita interpretatur. Deprecationẽ aliquam nomine ejus in Ecclesia frequentare, quod lib. 3. Epistola 14. vocat nomen alicujus offerre. Quod autem non senserit Cyprianus, illa quæ appellabat sacrificia pro defunctis, esse propiciationes aut satisfactiones pro peccatis ipsorum, ex ipsius explicationibus constat. Nam libr. 3. Epistola 6.

Oblationes & sacrificia pro Martyribus.

Oblationes & sacrificia pro martyribus celebrari dicuntur, quando commemorationes certaminum, & memoria gloriosæ mortis ipsorum celebratur. Cùm tamen, sicut Augustinus inquit: Injuriam martyri faciat, qui pro martyre orat. Ita libr. 4. Epistola 5. de martyribus ex Celerini familia loquens: Quos certè non in cruciatibus ignis, sed in gloria cœlesti esse sentit, dicit: Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus. Atque ideò libr. 1. Epistola 9. non vult pro ejus dormitione offerri, & nomen ejus ad altare nominari, qui presbyterum actorem seu tutorem nominaverat, non quòd sentiret ipsum ideo in æternum damnatum esse, sed ne Ecclesiastica celebratione post mortem honoraretur, qui contra statutum positivum, presbyterum tutorem fecerat. Ita etjam pro vivis dicit Cyprianus offerri seu sacrificari, quando in precibus, quæ fiebant in administratione Eucharistiæ, gratiæ pro iis agebantur, vel aliquid orabatur, ut lib. 3. Epistola 1. ad Lucium ab exilio cum suis reversum, inquit: Hic quoque in sacrificiis atque in orationibus nostris, non cessamus Deo gratias agere, & orare pariter ac petere, ut qui perfectus est & perficiens custodiat & perficiat in vobis confessionis vestræ coronam. Ita libr. 3. Epistola 15. & 16. pro lapsis offerre, est pro ipsis Eucharistiam parare, & preces pro ipsis facere. Cyprianum verò nullos, qui in Domino moriuntur, cruciatibus purgatorii terrere, sed promissione beatitudinis magnis asseverationibus consolari, pulcherrimus ejus sermo de mortalitate satis ostendit. Ejus est, inquit, mortem timere, qui ad Christũ nolit ire. Ejus est ad Christũ nolle ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare. Simeon dicens: Nunc dimittis servum tuum in pace, contestatur tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam & tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus. Ad refrigerium justi vocantur, ad supplicium rapiuntur injusti, &c.

Oblatio pro lapsis. Purgatorij cruciatus Cyprianus non asserit. Sermo Cypriani de mortalitate.

Nazianzenus quomodo oret pro mortuis.

Ita Nazianzenus oratione 7. præsupponit: Cæsarium jam adeptum esse salutem, & animam ipsius dignum fructificare honorem. Postea verò addit: Nunc ô vitæ & mortis Domine Cæsarium suscipe, hunc enim tuis συγχωρῶμεν λόγοις

Ambrosius orat pro iis, quos credit iam æternæ vitæ beatitudine frui.

Ambrosius de obitu Valentiniani: Non dubitemus de meritis Valentiniani, credamus vel Angelorum testimonio quòd detersa labe peccati ablutus ascendit, quam sua fides lavit, creda mus, quia ascendit à deserto, hoc est, arido & inculto loco, ad illas florentes delectationes, ubi cum fratre cõjunctus, æternæ vitæ fruitur voluptate. Beati ambo, si quid meæ orationes valebũt nulla inhonoratos vos meatransibit oratio. Omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit vos innoxios nominare? &c. Vides Ambrosium præsupponere, illos jam detersa labe peccati ablutos esse, & æternæ vitæ delectationibus jam frui, pro quibus oraturum se dicit. Et certè in Valentiniano, qui Catechumenus mortuus erat, propter quod etjam sorores ipsius superstites valde contristabantur, locum habuisset id, quod Pontificii de purgatorio dicũt, per orationes & oblationes posse animas post mortem à peccatis & à pœnis solvi. Sed Ambrosius dicit: Ipsum jam peccatis ablutum & innoxium, æternæ vitæ frui voluptate. Quare verò oraturus est pro ipso, si hæc jam habet? Respondet, Dolor plerumq; solatium est dolentis. Item, Est in piis affectibus quædã etjam fiendi voluptas. Et in commemoratione ejus, quem amissum dolemus, acquiescimus. Item, Nõ transibo vos inhonoratos, &c. Ita de obitu Theodosii, ex fide ipsius probat, animam ejus jam conversam in requiem. Et addit: Absolutus dubio jam certamine, fruitur nũc Theodosius luce perpetua, tranquillitate diturna, &c. His præsuppositis addit orationem: Da requiem servo tuo Theodosio, illo convertatur anima ejus, ubi mortis aculeũ sentire nõ possit. Dilexi virum, & ideo prosequar eum, usq; ad regionem vivorum, nec deseram, donec fletu & precibus inducam virum, quo sua merita eum vocant in montẽ Domini, ubi perennis vita, nullus gemitus, nullus dolor, &c. Vides Ambrosium quidem orare pro Theodosio, sed præsupponere, quòd anima jam sit cõversa in requiem, ac fruatur jam luce & tranquillitate. Statim etjam post orationẽ illam dicit: Manet ergo in lumine Theodosius, & sanctorum cœtibus gloriatur, illic complectitur Gratianum, & in regno Christi considerat templum ejus, &c. Ita lib. 2. Epistola 8. de Faustini sorore: Meliorem illic vitam exigit, itaq; non tam deplorandam, quàm prosequendã orationibus reor, nec mœstificãdam lachrymis, sed magis oblationibus animam ejus Domino commendandã arbitror. Audi verò quid subjungat: Securus inquit de meritis ejus & fide. Item, Quid est, quòd ingemescamus pro mortuis, cùm jam reconciliatio mũdi facta sit apud patrẽ per Christum, quoniam ergo beneficia Christi tenemus, cùm apud omnes, tũ apud te, legatione pro Christo fungimur, ut noveturirrevocabilia esse dona Dei, ut credas quod semper credidisti, nec novo mœrore tuam in dubium adducas sententiam, quia ideo peccatum factus est Dominus, ut tolleret peccatũ mundi, ut essemus in illo omnes justitia Dei, non jam culpæ obnoxii, sed justitiæ ro-

De obitu Theodosii.

Cur igitur pro beatis oret Ambros.

De sorore Faustini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Concidit figmentū Pontificium, de purgatorio extructū, ex vet. oration. pro mortuis.

munerationē secuti. Hæc Ambrosius orans pro mortuis. Ex hisce testimonijs manifestissimum est, falsum esse quod Pontificij fingunt, præsupposito veterū in orationibus pro mortuis hoc fuisse, quod crediderint, piorū animas post mortem esse in peccatis, & in cruciatibus ignis, unde nostris orationibus & suffragijs, tanquam expiationibus & satisfactionibus, sint liberandę & redimendæ. Imò hoc præsupponunt veteres, piorum animas pro quibus orant, deterſa labe peccati, jam esse ablutas & innoxias, esse salvas, in luce perpetua: Frui illic vita meliore, imò tranquillitate & delectatione vitæ æternæ, in sanctorum cœtibus, &c. Causas igitur orationum habuerunt, non quas Pontificij fingunt, sed quas ex Dionysio jam explicavimus.

Epiphanii seculū de orationibus pro mortuis. Aerij certamen.

Sed transeamus ad Epiphaniū. Quòd enim nō omnes in vulgotūc usitatas orationes pro mortuis, ea fidei analogia intellexerint, sicut de vetustissimis jam dictum est, inde colligitur quòd Aerius quidam certamē hac de re movit. Disputationem autem Aerii Epiphanius ita describit, (τίνι δὲ λόγῳ) qua ratione aut qua de causa, sive quo sensu, post mortem nomina defunctorū recitantur. Orat enim vivus, aut œconomiā fecerit (quod vel de administratione Eucharistiæ, vel erogatione eleemosynarum intelligi potest) sed quid mortuus inde utilitatis cōsequetur? Si autē (ὅλως) omninò oratio eorū qui hic sunt, eos qui (ἐκεῖσε) illic sunt (ὄνησε) juvare potuerit, nemo ergo (εὐσεβέτω) religionem colat, nemo benefaciat, sed amicos aliquos paret, quocūq; velit modo, vel pecunia conducens, vel in morte amicos rogans, ut orent pro eo, ne quid ibi patiatur, nec quæ ab eo admissa sunt (ἀνηκέστως) vel gravissima scelera (ἐκζητῆται) exquirantur. Hæc verba ostendunt Aerij disputasse, τίνι λόγῳ, quo sensu, qua ratione, & ob quam causam, defunctorum nomina in precibus recitarentur. Videntur autē illa Aerij verba, quæ tanquam responsio sunt ad propositam quæstionē, ex vulgi tunc opinionib. & sermonibus sumpta esse, quando dicit: Preces eorum, qui in hac vita sunt, omnino juvare eos,

Aerij consequentia.

qui ex hac vita excesserunt. Inde verò Aerius texuit consequentia falsæ & impiæ sententiæ. Nempe, si quis in hac vita, nec religionē ad Deum, nec charitatem ad homines coleret (hoc enim volūt duo verba εὐσεβεῖν καὶ ἀγαθοποιεῖν) sed vel gravissima scelera committeret, & sine remissione eorum in impœnitentia hinc discederet, modo post mortem precatores aliquos haberet, non daturum ipsum in altera vita scelerum pœnas. Et hanc impiam sententiam, Aerius falsò & per calumniam Ecclesiæ tribuit, quasi ipsa hoc sensu, hac ratione, & hac de causa, pro mortuis oraret.

Responsio Epiphanij.

Vide autem quid Epiphanius respondeat: Quod si fuisset in Pontificiorum sententia, respondendum ipsi fuisset, orationibus illis omninò juvari mortuos, & quidem ita. I. Vt peccata quæ ipsis in hac vita remissa non essent, postea in altero seculo, propter orationes & suffragia virorum, tanquam expiationes & propitiationes, remitterentur. II. Vt satisfactiones pro peccatis debitæ, sed in hac vita non plenè expensæ, post mortem à viventibus loco & nomine defunctorū exolverentur. III. Vt à pœnis & cruciatibus ignis purgatorii, per orationes & suffragia viventium liberarentur & redimerentur. Sed horum nihil Epiphanius respondet, imò in responsione hoc præsupponit, eos defunctos, pro quibus superstites orant, esse & vivere apud Dominū quod sumptū est ex 2. Cor. 5. Phil. 1. Luc. 23. Quæ hypothesis responsionis, simpliciter totū purgatoriū Pontificiū evertit, ὅτ' ἀπελθόντες ἀσιγῇ ζῶσι παρὰ τῷ δεσπότῃ, q. scilicet illi, qui ex hac vita excedunt, sint & vivāt apud Dom. nostrū Iesum Christum.

Axioma Epiphanij.

Hoc verò cùm Epiphanius tanquam certum, firmum & fixum principium fidei præsupponit, audi quas alias rationes & causas recitet, quo seu fu Ecclesia tunc pro mortuis orārit. Sumpserat Aerius ex vulgi fermonib. & opinionibus. Quia orationes illæ pro mortuis fiunt, ergo omnino etjam ipsis mortuis profunt. Epiphanius verò primò recitat causas & rationes illarum orationum, quæ ad viventes seu superstites pertinent, quod iterū diligenter notetur. Ita enim, inquit, reddēs primam causam cōmemorationis nominum defunctorū, τὴν μὲν οὖν τοῦτο προφυλάσσουσαν, τὸ τοὺς κοιμωμένους προσδιαπαντὸς ἡγεῖσθαι παρόντας ἐν τοῖς ἁγίοις εἶναι, &c. Quid potest utilius, quid oportunius, quid admirabilius esse, quàm q superstites, qui in præsenti vita sunt, in ea fide & sententia sint, ut credant eos, qui hinc migrant, vivere, & non prorsus interiisse seu dedisse (ἀνυπαρξίαν enim vocat) sed esse & vivere apud Dominum. Primam igitur utilitatem cōmemorationis defunctorū hanc ponit, quòd superstites illo ritu commoneāntur, de hoc articulo fidei, quòd qui in fide moriantur, nō intereant, sed quando hinc discedunt, quòd sint & vivant apud Dominum, ideo scilicet in precibus, quæ fiebāt in administratione cœnæ Domini, ipsorum facta fuit mentio, ut esset talis publica confessio apud superstites.

Causa orādi pro mortuis tempore Epiphanij.

Prima causa.

Secundam causam & rationem hanc tradit, ὅπως ἂν τὸ σεμνότατον κηρύγμα δι' ἡγήσαντο (quibus verbis respicit ad τὸ ἀνακηρύττεσθαι Dionysii) ὡς ἐλπὶς ἐστὶν ὑπὲρ αὐτῶν ἐυχομένοις ὡς ἐφ' ἡμῖν τυγχάνοντων, ut præclarū illud encomiū enarretur, q. illi, qui pro fratribus orant, spem habeant, tanquam de illis, qui in peregrinatione sunt. Hoc loco Lindanus ἀποδημίαν interpretatur lugendam peregrinationē à Domino, transigendam in carcere purgatorii, ubi in igne luendum sit supplicium pro peccatis, unde orationibus vivorum sint liberandi, sed scelerata est hæc perversio & verbi & sensus. Paulus enim 2. Cor. 5. disertè dicit: Pios quando à corpore peregrinantur, præsentes adesse apud Dominum. Et idem diverso respectu esse ἐκδημίαν & ἐνδημίαν. Quando enim in hac vita sumus, tunc domi sumus in corpore, sed peregrè absumus à Domino, quando verò tabernaculum corporis deponimus, tunc peregrinamur à corpore, sed præsentes sumus apud Dominum. Ita etiam Phil. 1. dicit: Mortē esse ἀναλυσιν, discessionem scilicet ex hoc mundo, sed ita, ut piè mortuus, eo ipso quo ab hoc mundo discedit, sit cum Christo. Epiphanius igitur piè mortuus, dicit esse ἐν ἀποδημίᾳ, in peregrinatione. Sed cujus respectu? Paulus dicit. Respectu carnis & mundi hujus, mortem esse peregrinationem, sed illa peregrinatione piè defunctos domi & præsentes esse apud Dominū seu cum Christo. Lindanus verò adversa fronte contradicit Paulo, pios scilicet quando per mortem tabernaculum hujus corporis deponunt, tunc demum incidere in lugendam peregrinationem à Domino, in quo exilio, tanquam in carcere, cruciatibus ignis excarnificētur, ut lamentabiliter ejulare cogantur: Miseremini mei saltem vos amici mei. Quod si Paulum Lindanus pro sui ordinis professione nō curaret, at saltem cum Patribus plus tribuat, cogitasset, quòd Nazianzenus, ubi Cæsarium mortuum vocat primitias ἀποδημίας peregrinationis suæ, addat explicationem, quòd intelligat peregrinationem non à Domino, sed ab hoc mundo ad Dominum. Dicit enim animas illorum peregrinantium deponi apud Dominum, & à Domino suscipi, imò saltem inspexisset, quod in proximo versu Epi. præcopit, Ecclesiam quando orat pro mortuis, credere eos, qui piè ex hac vita excedunt, esse & vivere apud Dominum. Et tanta tamen Episcopi impudentia est, quod in proximo sequenti versu audet fingere, piè defunctorum lugendam peregrinationem à Domino, in suppliciis & cruciatibus. Verè Pontificia est hæc falsatio, digna non mitra tantùm, sed fœtura gregem supplevit, galero etjam. Sed talis est Pontificii purgatorii veritas, ut nisi mendaciis defendi non possit. Sensus autem Epiphanii manifestus est: Superstitibus spem esse de defunctis fratribus, qualis est de peregrinantibus, non certè ut illi ad nos in hoc exilium redeant, sed ut nos ex hac miseriarum valle, ad ipsos in patriam accersamur. 2. Reg. 12. Sicut Cyprianus mortem piorum rectè vocat accersionem Dominicam, qua morientes non amittuntur, sed præmittuntur, recedentes præcedunt tanquam proficiscentes & migrantes ad patriam. Sicut spem illam Cyprianus sermone de mortalitate pulcherrimè explicat. Quis non ad suos, inquit, navigare festinet? patriam nostram Paradysum computamus: Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra incolumitate solicita, ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis lætitia, ubi summa & perpetua felicitas? &c. Hujus igitur beatæ spei commonefactionem, testimonium & confessionem, Epiphanius dicit fuisse ritum commemorationis defunctorum, & orationis pro mortuis. Sicut igitur prima, ita etjam secunda hæc Epiphanii ratio & causa orationis pro mortuis, publicum & sonorum testimonium dicit contra Pontificiorum purgatorium, sicut manifestum est. atque etiam ideo Lindanus sua falsatione sensum depravare conatus fuit.

Secunda causa.

Lindani contorta depravatio Epiphanij.

Vera causa.

ἀποδημία mortuorum juxta Epiphanium.

Tertiam causam his verbis obscurè sanè ponit Epiphanius, ὠφελεῖ δὲ καὶ ὑπὲρ αὐτῶν γινομένη εὐχὴ, εἰ καὶ τὰ ὄντα τῶν ἀντιμάτων μὴ ἀποκόπτει, ἀλλ' ἂν γε δι' ὀλίγων πολλοὺς ἐν κόσμῳ ἡμᾶς ὄντας σφάλλεσθαι, ἀκοσίως τε καὶ ἑκουσίως, ἵνα τοῦτο τελεσφορῶσι μανθῶ, &c. Prodest autem, quæ pro defunctis fit oratio, licet totā culpam seu tota

Lindan. Paulo Cōtrarius.

Nazian. de ἀποδημίᾳ piè mortuorum.

Lindani impudentia in corrigendo Epiphanio.

Sententia Epiphanij.

Cyprianus. Mors est accessio Dominica.

absciṅdat seu tollat, verùm enimvero propterea quia nos dum in hoc mūdo sumus, sæpe & sponte, & non sponte eramus seu offendimus, ut id quod perfectius est significetur. Nam & justorum & peccatorum commemorationem facimus: Pro peccatoribus quidem, misericordiam Dei deprecantes, pro justis verò Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, &c. ut Christū ab hominum ordine discernamus, per honorem, quem ipsi exhibemus, utq; cultum ei reddamus. Lindanus hoc etjam loco crimen falsi committit: Nam pro ἐντελεστέρου legit ἐντελεστέρως, & interpretatur (ut quod levissimum est, dicam) cùm verba perspicua & nota sint, & tota sequens periodus efflagitet illum sensum, quem Perionius etjam reddidit (ut id, quod perfectius est, significetur) hoc est, ut Epiphanius ipse subjungit, ut Christum à reliquorum hominum ordine separemus, nullus enim hominum, etiamsi millies & ultra in justitia degat, potest Christo comparari seu adæquari. Lindanus etjam ἀντίμαχα libenter vellet interpretari pœnas seu supplicia Iuendorum peccatorum, ut Epiphanium ita obtorto collo in Pontificiorum purgatorium pertraheret, sed crimina, ob quæ quis accusatur, hoc vocabulo significari, vel ex 15. capite Actor. notum est, quodq; in objectione Aerius vocārat ἁμαρτήματα, hoc in responsione Epiphanius vocat ἀντιμάτα. Et ex collatione objectionis Aerii, & responsionis Epiphanii intelligi potest, quis sit sensus quando dicit, orationem pro mortuis nō abscindere τὰ ὄλα τῶν ἀντιμάτων, tota peccata: Aerius enim objecerat, si quis vel gravissima scelera cōmittat, & in impœnitentia sine remissione eorum hinc discedat, posse ipsum post mortē orationibus, ita juvari, ut Deus peccata ab ipso non exquirat, ut pro ipsis aliquid pati cogatur. Ad hanc objectionem Epiphanius respondet, orationem pro mortuis nequaquam posse tollere tota peccata, hoc est, mortuis, qui in impœnitentia prorsus sine remissione peccatorum hinc discesserunt, non posse per orationes veniam in altero seculo impetrari, & nominat τὰ ὅλα, quia Aerius in sua objectione quærierat: An mortui ὅλως juventur orationibus viventium. Dicit igitur Epiphanius ὅλα tota peccata non posse tolli per orationes pro mortuis. Hoc enim axioma ponit extra controversiam. Num verò Epiphanius sentit, si non tota peccata, at saltē quædam seu partem eorum posse per orationes pro mortuis, post hanc vitam, remitti? Hoc quidem Pontificii inde nectunt, sed Epiphan. hoc prorsus nō dicit, sicut verba ipsius ostendunt. Et quęstio est, quia Epiphanius ipse dicat, non quid Pontificii ipsi affingant. Requirebat autem omnino series orationis & sententiæ, ut si ita sensisset, subjungeret: Etsi non tota peccata, tamen quia in hoc mundo sæpe & voluntariè & involuntariè peccamus, illa saltem peccata, etjamsi in hac vita remissa non fuerint, post mortem posse remitti per vivorum orationes pro mortuis. Sed quicquid disputetur de anacoluthis Epiphanii: Certum est, Epiphanium hoc non dicere, sed in suspenso hoc reliquit. Et ne Scholastici quidem Scriptores audent affirmare aliquam peccatorū

Lindanus in Epiphanio crimen falsi committit.

Sententia Epiphanii ex contextu & causis dicendi.

Occupationis dilatio.

seu

Universidad de Deusto
Biblioteca

seu culparum remissionem, post mortem in altero seculo fieri, sed de pœnis tantùm disputant. Observet autem Lector quàm cautè verba ponat Epiphanius. Aerius quæ fierat, an omnino ipsis mortuis, aliqd profint preces, quæ pro ipsis fiunt? Epiphan. verò respondens, nō dicit, omnino ipsis mortuis prosunt, sed simpliciter inquit: Illa oratio quæ pro mortuis fit, prodest. Quomodo verò? Quia inquit, dum in hoc mūdo sumus, in multis offendimus omnes. Num igitur qui in vita, illorum peccatorum remissionē, nec quæsivit, nec accepit post mortem, per aliorum orationes veniam potest consequi? Hoc certè Epiphan. non dicit, sed inquit, in eadem prece, qua misericordiam Dei imploramus, & peccatorum mentionem facimus, & Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, &c. ut scilicet illud, quod perfectius est, significetur, ut scilicet Christus ab omnium hominum ordine, quantumlibet justorum discernatur, hoc est, neminē quantumvis justum, ita salvum esse, sicut Christus, propria scilicet justitia, sanctitate seu mundicie, propriis virtutibus & meritis, sed omnibus ut salventur, misericordia Dei & remissione peccatorum propter Christum opus esse, & eos qui salvi sunt, non propria iustitia, sicut Christus, sed ex misericordia Dei per remissionem peccatorum propter Christum salvos esse. Et prorsus idem hoc est, quod etjam Dionysius, sicut ostendimus de oratione pro mortuis, dicit quod scilicet veterum ritus commemorationis defunctorum, & orationis pro mortuis, fuerit publica & solennis commonefactio infirmitatis & corruptionis naturæ humanę, in omnibus etjam sanctissimis, & item præclara confessio: Neminem sua justitia, sed omnes etjam sanctissimos, ex misericordia Dei per remissionem peccatorum propter Christum salvari. Atque ita hoc ritu, Christo suus honor (inquit Epiphanius) deferebatur, ut qui solus sine peccato fuit, imò qui solus sua nos justitia, à peccato & ira Dei liberat. Ex Epiphanio igitur purgatorium Pontificium nequaquam potest stabiliri. Ejus enim præsuppositum est, eos, qui pro mortuis orant, jam esse & vivere apud Dominum. Græca ergo Ecclesia, nec Epiphanii tempore, sicut nec postea unquam credidit, piorum animas in cruciatus ignis purgatorii post mortē conjici. Oravit quidem pro mortuis, sed alio sensu, & aliis de causis sicut monstratum est. Atque hic est status controversiæ inter nos & Pontificios, quando de veterum ritu orationis pro mortuis disputatur.

Aerij quæstio. Epiphanij responsio.

Summa verborum Epiphanij.

Purgatorium ex Epiphan. astrui nequit. Ratio.

De Epiphanio verò dissimulandum non est, ipsum in hac disputatione, nō apertè & liberè ea quæ series disputationis postulabat, explicare. Aerius enim offensus vulgi opinionibus & sermonib. quæsivit, an omninò ipsis mortuis prosint orationes, quæ pro ipsis fiant, & an à peccatis per illas orationes post mortem liberentur? Ad has objectiones cùm Epiphanius respondere debebat. Hoc quidem dicit, tota peccata, aut totam culpam non posse post mortem, per aliorum orationes abscindi. Ad reliquam verò partem quæstionis: An ergo quædam peccata, post mortem demum, per aliorum orationes remittantur, nihil respondet, sed propter vulgi opiniones, quas reprehendere non audet, & tamen confirmare non potest, in suspenso hoc relinquit, & de industria obscuritatibus (sicut textum legenti patet) involvit. Sicut etjam ad illam Aerii objectionem (an omninò ipsis mortuis orationes, quæ pro ipsis fiunt, prosint. Item quid & quantum) apertè non respondet. Dicit quidem orationes, quæ pro mortuis fiunt, utiles esse, non autem addit (ipsis mortuis) sed ad alias causas & rationes propter quas utiles sint tales orationes, confugit. Ita homines fuerunt Patres, qui consuetudinibus & opinionibus suorum temporum sæpe cesserunt, præsumptiones vulgi non semper, sicut Augustinus inquit, liberè ausi fuerunt reprehendere. Hæc nos liberè fatemur, qui patrum literas non ut Canonicas habemus, sed ex Canonicis consideramus. Quod enim Epiphanius non affirmat, sed propter vulgi opiniones in suspenso relinquit, illud ipsi Scholastici disertè & prorsus negāt, ullam scilicet culpam post mortem remitti. Sentiunt enim & rectè quidem, omnem culpæ remissionem non nisi in hac vita fieri. Nos verò in hac serie historiæ de oratione pro mortuis, hanc observationem considerabimus, quomodo progressu temporis sensim facta fuerit doctrinæ inclinatio. Vetustissimi enim rationes orationis pro mortuis, rectè sicut monstravimus, explicārunt. Epiphanius verò propter vulgi persuasiones, primum in suspenso reliquit illa, quæ diximus. Non multò verò pòst Augustinus affirmatiuè ea cœpit disputare, unde tandem tota Camarina purgatorii extructa est. Sicut jam ordine ostendemus.

Autoritas patrum.

Scholastici rum principium, remissionem culpæ in hac vita fieri.

Epiphanius non totam quæstionem Aerij explicat.

Epiphanius cessit opinionibus vulgi sui tēporis.

Et Augustinus quidem orans pro matre sua defuncta, veterum vestigia sequitur. lib. confess. 9. cap. 13. Inquit enim: Quanquam illa sic vixit, ut laudetur nomen tuum, in fide moribusq; ejus, non tamen audeo dicere, nullum verbum exiisse ab ore ejus contra præceptum tuum. Et vę etjam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Quia verò non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus, aliquem apud te locum invenire indulgentiæ. Nunc itaque pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum tuorum, quæ pependit in cruce, & sedens ad dextram tuam te interpellat pro nobis. Dimitte Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in judicium. Et credo quod jam feceris, quod te rogo, sed voluntaria oris mei approba Domine, &c. Audis Augustinum orare pro matre sua, non quod existimet eam in cruciatibus purgatorii hærere, aut adhuc in judicio Dei peccatis obnoxiam teneri. Credit enim eam jam assecutam esse quod rogat, causam verò orationis assignat, quod sit benè affectæ voluntatis erga matrem desiderium. Ex eadem etjam confessione colligi potest, quo sensu & qua ratione, in actione administrationis Evchariſtiæ, facta fuerit commemoratio defunctorum, non ut opus illud esset satisfactio aut propiciatio pro peccatis mortuorum. (Neque enim pro mortuis instituta est Eucharistia) sed ut esset testimonium & confessio de illo articulo fidei, quo credimus cōmunionem seu societatem Sanctorum, eorum scilicet, qui jam in altera vita cum Christo regnant, & fidelium quæ adhuc sub cruce, in hac misē-

Augus. pro matre Mon ca orans.

August. non statuit matrē suam in purgatorio cruciari, cū pro ea orat.

Quo sensu de functorū cōmemoratio facta in actione Evcharistiæ.

miseriarum valle militant. Quia enim nexus communionis membrorum hujus corporis, est caput Christus, licet igitur illi depositō peccato jam sint in æterna beatitudine, nos verò corpus peccatis & morti adhuc circumferamus, tamen credimus nos esse concives & cohæredes regni & salutis ipsorum. Ejus enim corpore & sanguine communicamus, & salvi sumus spe, cujus meritis & communione, ipsi æternam beatitudinem jam possident. Ita de civitate Dei libr. 20. capit. 9. dicit: Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etjam nunc est regnum Christi, alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria, in communione corporis Christi, &c. Item, ut amici defunctorum, considerantes humanæ vitę imbecillitatem, certam sibi consolationem propositam haberent, eos, qui in Christo obdormiunt, licet multis & magnis infirmitatibus circumdati fuerint, non tamen ideo ex regno Dei excludi, aut in æternam damnationem abjici, sed propter victimam filium Dei, cujus in Eucharistia dum viverent, participes facti essent, in æternam beatitudinem recipi, ideo voluerunt commemorationem nominum defunctorum, in ipsa actione Evcharistiæ fieri. Ita Augustinus de matre sua moritura inquit: Memoriam sui ad altare fieri voluit, cui nullius diei intermissione servierat, unde sciret dispensari victimam, qua deletum est chyrographū quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis computans delicta nostra, & quærens quid objiciat, & nihil inveniēs in illo, in quo vincimus. Quis ei restituet precium, quo nos emit, ut nos auferat ei? Ad cujus precii nostri Sacramētum, ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei: Nemo à protectione tua dirumpat eam. Nō se interponat, nec vi, nec insidiis Leo & Draco. Neque enim respondebit illa nihil se debere, sed respondebit dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet, quod pro nobis non debens reddidit. Hæc profecto præclara cōfessio est, qua fide Monica in Christo sit mortua, & qua spe Augustinus confidat, eam habere remissionem peccatorum, & esse hæredem vitæ æternæ.

Veteres sine mandato & exemplo Scripturæ orationes pro mortuis & commemorationem eorum in actione Evcharistiæ instituerunt.

Quæ opinio vulgi ex

Hæc quæ veteres hoc modo explicant, Scripturæ non adversantur, & sanè æquum est, veteris Ecclesię ritibus hoc modo ad analogiam fidei candidè interpretari: Negari tamen non potest, cùm talis doctrina, confessio & consolatio, de iis qui in Christo moriuntur, exemplo Scripturæ, alia forma, simplicius, clarius & commodius potuisset proponi & declarari, periculosè fecisse veteres, quod sine mandato & exemplo Scripturæ, in forma orationis pro mortuis, & quidē in ipsa actione Evchariſtiæ, quæ pro vivis instituta est, hoc fecerunt, cùm & ritus & ipsa forma verborum in oratione pro mortuis, aliud videatur auribus & sensibus ingerere, quàm veterum declarationes interpretentur. Satius certè fuisset cum Scriptura loqui, (Lucerna enim pedibus nostris est verbum Domini, & qui loquitur, loquatur eloquia Dei) quàm sine Scripturæ Canonicæ exemplo, alia & periculosa forma, quæ facilè alium sensum recipere posset, sententiam per se non impiam, publicè in Ecclesia proponere. Quas enim opiniones & persuasiones vulgus inde conceperit, quibus etjam Episcopi tandē cedere cœperunt, donec purgatorium Pontificium inde conflatum est, hæc ipsa historia ostendit. De Epiphanio enim jam diximus, quomodo tales vulgi opiniones, cùm confirmare nō posset, tamē refutare etjā nō ausit. August. verò & Chrysost. tēpori, cōsuetudini, & receptis vulgi opinionib. plus cōcedere, & orationes pro mortuis aliter, quàm veteres fecerant, sine Scriptura interpretari cœperunt. Cùm enim vulgò multi cōtenderent, orationes pro mortuis, quas nō inanes esse præsumebāt, adeò esse efficaces, ut per eas etjā illi, qui sine pœnitētia in peccatis cōtra conscientiā mortui essent, Deo post mortē recōciliarentur & salvarentur: Alii verò ex Scriptura & ex veterū sententia cōtrà disputarent, unumquenq; post hanc vitā ita judicari, prout in hac vita se gessit, & orationes pro mortuis, esse vivorum cōmonefactiones, confessiones & consolationes: August. satis factūrus utrisq;, mediam quandam vitam excogitavit, etsi modò persuasionem illam de impœnitentibus posset tollere, aliquid putant vulgi opinionibus, de efficacia orationis pro mortuis, concedendum esse. Fuisse autem quæstionem illam Augustini temporibus ἐπιπολαίσεως, & ex vulgi opinionibus variè in utramq; partem disputatam, ostendunt loca Augustini, de cura pro mortuis ad Paulinum Nolanum, cap. 1. & 4. & 18. Et ad Dulcitium, quæst. 2. Item, de civitate libro 21. capit. 13. & 24. In Enchiridio cap. 110. de verbis Apostoli sermone 32.

Orationibus pro mortuis, quibus etiā Episcopi cesse runt. Epiphanius. Augustinus. Chrysostom.

Summa autem disputationis Augustini hæc est, quod tres facit ordines defunctorū. Primos dicit esse valdè bonos, qui suffragiis & opitulationibus post mortem non indigeant. Secundos dicit esse valdè malos, quos nullis vivorum suffragiis dicit liberari posse. Tertios facit medios, qui nec adeò boni sint, ut suffragia illa post mortem non requirant, nec adeò mali, ut eis illa post mortem non prosint, sed cùm viverent, dicit ipsos meruisse, ut hæc sibi postea possent prodesse. Iam cùm in genere pro omnib. defunctis eadem forma oretur, putat orationes illas pro valdè bonis esse gratiarum actiones, pro valdè malis, etjā si nulla sint adjumenta mortuorum, esse tamen qualescunq; vivorum consolationes: Aut certè ad hoc prodesse, ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. De mediis verò dicit: Neq; negandum est defunctorum animas pietate suorum viventiū relevari & adjuvari, cùm pro ipsis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Nam pro non valdè malis sunt propitiationes, ut plena sit ipsorum remissio, & pro talibus dicit exaudiri piorum orationem, ut misericordius cum ipsis agatur à Domino, quàm eorum peccata, meruerunt, si vent ante diem judicii, spiritus ipsorum per pœnas temporales purgati, nō tradantur æternis suppliciis. Ita August. in locis cōmemoratis, quæ nova sunt & veterib. ignota.

Orationes pro defunctis valde bonis.

Pro valde malis.

Pro mediis.

Num verò statim sine ulla inquisitione, pro articulis fidei hæc accipienda sunt, ideo, quia Augustinus ita sensit? Hoc certè August. nunquam voluit. Dicit enim ad Hieronymum: Alios scriptores præter Canonicos ita esse legendos, ut nō verum putemus, quia ipsi ita senserunt, quātalibet etjam sanctitate doctrinaque polleāt, sed quia vel

Augustinus tres defunctorum ordines cœpit cōstituere, valde boni, valde mali, medij.

Quantum in his sine Scriptura, Augustini autoritas valeat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel per alios autores Canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorreat, persuadere potuerint. Item Epist. 3. Nullorum disputationes quamvis Catholicorum & laudatorũ hominũ, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut non liceat nobis aliquid in eorum scriptis improbare & respuere, si fortè invenerimus, quod aliter senserint, quàm veritas habet. Talis, inquit, ego sum, in scriptis aliorum, quales ego volo esse intellectores meorum. Et ad Vincentium inquit: Negare non possum nec debeo, multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo judicio, & nulla temeritate culpari. Sicut igitur inquit contra Cresconium, Cypriani literas nõ ut Canonicas habeo, sed ex Canonicis considero, & quid in eis divinarum scripturarum autoritati congruit, cum laude eius accipio, quod aũt non congruit, cum pace eius respuo. Ita salva honorificentia, quę Augustino, ut viro docto, sancto & de Ecclesia optimè merito debetur, illâ ejus disputationem, non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate considerabimus, quæ scilicet & qualia habeat fundamẽta, idq; breviter per capita quædam ostendemus. Primò igitur ad Paulinum cap. 1. fatetur, se nullum hac de re Scripturæ testimonium habere, excepto unico loco Machabæorum, ex quo libro dogmata Ecclesiastica non posse confirmari, nec ea quæ in cõtentionẽ veniunt roborari, ipsi veteres, sicut suprà ostendimus, confirmant. II. Fundamentum totius disputationis, dicit se collocare in consuetudine orandi & offerendi pro mortuis. Atqui Tertullianus expresè dicit, consuetudinem illâ non esse ex Scriptura. Et Epiphanius etjam dicit non esse præceptum patris, hoc est, Dei, sed institutionem matris, hoc est, Ecclesiæ & traditionẽ Patrum, quod ipse etjam Augustinus dicit. Num verò ex tali fundamento, sine certis expresis & perspicuis Scripturę testimoniis, aliquis novum articulum fidei condere posset, aut Ecclesiæ obtrudere debet? III. Sensum & usum orationis pro mortuis, Augustinus multò aliter interpretatur & intelligit, quam antiquitas ante ipsum fecit, sicut ex præcedentibus manifestum est. IIII. Novæ suæ distributionis, nec in scriptura, nec in ipsis etjam veteribus testimonia habet. Quantum igitur valeat, manifestum est. V. Ipse Augustinus de hac sua sententia non est certus. In hac enim disputatione, dicit animas defunctorum pietate viventium liberari ex purgatorio. Sed alibi dicit dubium & incertum esse, an sit purgatorium, in quo animę post mortem temporalibus pœnis purgentur, sicut suprà ostendimus. Quomodo verò certum esse potest, aliquos ex purgatorio liberari, cùm juxta ipsum Augustin. possit quæri, possit & latere, an omnino aliquæ animæ purgentur. Potest igitur etjam quæri, potest & latère, an animæ ab illa purgatione, pietate viventium releventur vel liberentur. Sicut frustra nec satis prudenter, operosam aliquis vel deliberationem vel expeditionem institueret, ut captivos ex carcere aliquo liberaret, si dubium & incertum esset, an omnino vel talis aliquis carcer esset, vel captivus aliquis in carcere illo detineretur. Ita quod Augustinus in hac disputatione dicit: Preces pro defunctis valdè malis seu damnatis ad hoc prodesse, ut damnatio fiat tolerabilior. De hac ipsa sententia ita inquit, de Civitate lib. 21. cap. 24. Quod quidem non ideo confirmo, quoniam non resisto, unde colligitur, ipsum vulgi opinionibus in hac materia, non liberè ausum resistere, licèt ea concessione non vellet eas confirmare. Et cap. 27. scribit. Quis sit ille modus vitæ, & quæ sint illa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen sanctorum amicorũ meritis, post mortem impetrent indulgentiam, difficilimum est invenire, periculosissimum definire. Ego certè usq; ad hoc tempus, cùm inde satagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui. Vides quomodo Augustinus, cùm temporibus & receptis opinionibus aliquid concedat, mox tamen dubia & incerta illa reddat. Quomodo igitur ex his dubitationibus articulos fidei faciemus? VI. Hanc unicam maximam Augustinus habet & urget in tota hac disputatione, frustraneas scilicet inutiles & inanes, imò ludibria, & sicut Crysosto. loquitur, σκιωμάχας ὑποκρισεις, fore orationes pro mortuis, sicut tum in Ecclesia frequentabantur, si non id, quod sonant, & si cut sonant, mortuis impetrarent, propiciationem scilicet, remissionem, mitigationem, liberationem & perventionem ad regnum Dei. Sed antiquitas alium sensum, alios fines, & alios usus orationis p mortuis tradidit sicut ostendimus. Et certè illi argumentationi Augustini rectè opponi potest hæc instantia. Cum eadẽ forma orationis fuerit pro omnibus defunctis, tamen ipse Augustinus dicit, pro valde bonis verba habere sensum gratiarum actionis, cùm tamen hoc non sonent. Pro valde malis verò, esse non mortuorum adjumenta, sed qualescunq; vivorum consolationes, licèt verba aliud sonent. Et hoc certè juxta Chrysostom. verè etjã σκιωμαχίας ὑποκρισεις. Quod si Augustinus judicat, orationes pro valdè bonis & pro valdè malis, non propterea esse inania, ludibria etjamsi non intelligantur id, quod sonant, & sicut sonant, impetrare (injuriâ enim facit martyri, qui orat pro martyre. Et in inferno nulla est redemptio.) Manifestum igitur est, connexionem argumentationis Augustini, non esse firmam aut necessariam, quæ possit articulum fidei condere. Postremò, cùm sanguis Christi sit propiciatio pro peccatis totius mundi, & remissio peccatorum sit solius Christi meritum. Ergo non tantùm sine Scriptura, sed contra Scripturam dicitur viventium opera esse propiciationes pro peccatis defunctorum, & pietatem viventium posse mortuis mereri remissionem peccatorum. Pugnat & hoc cõtra Scripturam, quod disputatio illa August. ponit partem remissionis peccatorũ nos propter Christi meritũ in hac vita: partem verò post hanc vitam propter hominum viventium merita consequi, ut ita ex utrisq; sit & fiat plena remissio, cùm juxta Scripturam remissio peccatorum plenè, & propter solius Christi meritum, & in hac vita detur credentibus, Actor. 10. & 13. Item valdè bonos propriis meritis, mediocriter bonos partim propriis, partim aliorum hominum meritis, coram Deo, & quidem post mortem, reconciliari, cùm solius Christi meritis justificemur & salvemur.

Fundamẽta opinionis Augustini de tribus defunctorum ordinibus.

I. Historia Machabæi.

II. Consuetudo orandi pro defunctis.

III. Dissidet à sententia orationis veterum pro mortuis.

IIII. Sine Scriptura tres ordines mortuorum facit.

V. Vt rem dubiam in medio relinquit.

De orationibus pro vel de malis.

Et

Absurditas. Et ubi quæso etjam hæc opinio fundamentum habet? Vivus mereor, ut mihi defuncto, post mortem alio rum viventium pietas succurrat? Rectè certè, sicut Dulcitius refert, tempore Augustini quidam dixerunt: Si aliquis talis beneficii locus posset esse post mortem, ipsi defuncti animam, refrigeria sua sibi rectius ferre posse per se, illic confitendo peccata, quàm si in eorũ refrigerium ab aliis oblatio procuretur. Et ipsi etjam Scholastici hæc Augustini αὐτήμαστα improbant & negant, quod scilicet post mortẽ posit fieri remissio culpæ, quòd; damnatis supplicia posint mitiora seu leviora reddi, per suffragia vivorum. Imò ipse Augustinus, remissionem peccatorum solius Christi meritis tribuit, & in hac vita, salutẽ vel acquiri vel amitti docet, sicut postea ostendemus. Hæc capita rectè considerata evincunt, Augustini illam disputatiõem talem esse, ut modestissimè, & quidem ipsius verbis, de ea pronunciemus, in qua nulla velut Canonica authoritas constitui vel posit vel debeat. Et tamẽ quantùm superstitionum secum postea traxerit, testis est Pontificia Ecclesia.

Scholastici August. sententiam improbant.

Chrysost. de oratione pro mortuis.

Circa idem fermè tempus, apud Græcos Chrysostomus eandem quæstionem disputavit, sed non eodem modo, sicut Augustinus, quod ipsum ostendit, in tota illa disputatione, quæ extra & præter Scripturam, hominum consuetudinibus, præsumptionibus & argumentationibus nititur, nutantibus & variantibus sententiis, nihil esse certi, firmi aut solidi. Cumq; Pontificii multas sententias ex Chrysostomo cumulent, pro stabiliendo suo purgatorio (quod tamen Græca Ecclesia, exceptis Origenistis, nũquam agnovit) hæc consideratio ostendet, qua illud fide faciant, & quantùm Chrysostomus ipsorum purgatorio patrocinetur. Facit autem Chrysostomus defunctorum non tres ordines sicut Augustinus, sed tantùm duos, Sermo. 3. ad Philip. 4. ad Hebr. Homil. 69. 70. ad Antiochenos: Primum Christianorum, qui in vera fide hinc discedunt: Alterum, qui vel sine sacramentis in infidelitate moriuntur, vel qui baptizati quidem sunt, sed in peccatis moriuntur. Iam dicit in genere pro omnibus defunctis preces faciendas, & eleemosynas erogandas, licèt ad altare pro fidelibus tantum. Et primus est qui asserit, sed sine ullo documẽto, ab Apostolis hoc sanctiũ esse, cũ Tertul. Epiph. atq; etjam Augustinus, traditioni Patrum & consuetudini Ecclesiæ hoc adscribant. Inde verò extruit hoc axioma. Nam esse ἀναίμακτα aut ὑποκρινόμενα, quę Ecclesia pro mortuis, orationib. & oblationibus agit, sed multum habere emolumenti, utilitatis. Hoc verò juxta duos illos quos constituit defunctorum ordines, ita distribuit. De fidelib. defunctis seu justis inquit, Homil. 23. in Matt. Cur post mortem iterum pauperes cõvocas? Cur presbyteros, ut pro eo velint orare, obsecras? Nõ ignoro te respondsurum ut defunctus requiem adipiscatur, ut propitium judicem inveniat. Audis Chrysostomum, vulgi opiniones & sermones recitare, quibus ipse etjam accedit. Num verò sentit, eos, qui in fide hinc discedunt, pro quibus orat, esse in lugenda peregrinatione à Domino, & in cruciatibus ignis, sicut Lindanus inquit: Hoc certè Chrysostomus non dicit, sed contrarium affirmat. Inquit enim Serm. 3. ad Philip. (ἐκεῖ μέλλοντας) fideles postquam hinc discesserunt, & illuc migraverunt, beatos esse, quia ad Christum abierũt, & ibi (ἐγγύτερον) propius esse cũ rege Christo, non per speculum nec per fidem, sed facie ad faciem. Et Ser. 4. ad Hebræos: Dic mihi quid sibi volunt in funere Lampades istæ (φαιδρὰ) illustres? Nonne quod defunctos tanquam athletas (προπέμπομεν) deducimus? Quid verò Hymni? Nonne quia Deũ glorificamus, & gratias agimus, quod jam coronavit (ἀπελάβοντα) eum qui hinc discesserit (ὅτι τῶν πόνων ἀπηλλαξε) eò quod à laboribus seu doloribus ipsum manumissum liberavit seu absolvit? (ὅτι τῆς δ' ἐλπίδος ἐκβέβληκεν ἤδη παῤ ἑαυτῷ) quod ex omni angustia & metu (mortis scilicet, Hebr. 2.) eductum, jam ipsum apud se habet. Nonne propter hoc Psalmi & Hymni? Hęc enim omnia gaudentium sunt. Cogita quid psallas illo tempore: Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benè fecit tibi. Et rursus: Non timebo mala, quoniam tu mecum es, &c. Hæc eadem repetit, Homilia 70. ad Antiochenos. Et Homilia 32. in Matthæum addit: Ad requiem proficiscitur qui hinc migrat, turbationum enim omnium tranquillus quidam portus in morte est. In hoc mundo habemus tribulationem. Hic impletur quod Scriptura dicit: In sudore, in dolore, &c. De futuris nihil hujusmodi scribitur, sed oppositum. Esaiæ 33. Effugit dolor, tristitia & gemitus, &c. Homilia 61. in Ioannem: Si justus moritur, lætandum est, quia liberatus à futura formidine, in tuto collocatur. Ille moriens cum Angelis evolabit, etjamsi nemo exequiis interveniat. Hęc certè Pontificium purgatorium non tantum pernegant, sed simpliciter evertunt. Quamcunque igitur causam orationis pro fidelibus defunctis reddat Chrysostomus, purgatorium cerè non est. Dicit autem: Quare presbyteros & psallentes vocas? Nonne ut te consolentur & defunctum honorent? Nos venimus de resurrectione Philosophantes, instituentes omnes, etjam qui morte suorum nondum sunt perculsi, ut si quid tale acciderit, generosè perferrent. Sermo. 4. ad Hebræ. Et Homil. 70. ad Antiochenos. Ita ergo Chrysostomi oratio pro iis, qui in fide moriũtur, prorsus nihil patrocinatur Pontificiorum purgatorio. Sed illud negat, tollit & evertit.

Lampades.

Hymni in exequiis.

Ordines defunctorum apud Chrysostomum. Christiani. Infideles.

Oratiões pro fidelibus mortuis.

Chrysost. contra Pontificii purgatorium.

Porrò pro illis etjam, qui vel sine fide & sacramentis, vel in peccatis moriuntur, Chrysostom. dicit: Vel preces vel eleemosynas offerendas, & disputat tales etjam mortuos inde aliquid emolumenti & solatii accipere. Hoc verò ita explicat: Peccatores ubicunq; sunt, procul sunt à rege. Illi igitur si moriantur, lætandum quidem hoc nomine, quod malitia ipsorum interrupta est, ne possint vitia cumulare, sed ipsi digni sunt lachrymis, luctu & ejulationibus. Quæ enim spes est iis qui cum peccatis hinc discedunt? Ibi enim peccata non possunt exui aut deponi. Quamdiu in hoc mundo sunt, spes est posse eos mutari: Si verò hinc migrarint in infernum, illi ex pœnitẽtia nihil ipsis emolumenti potest accedere. In inferno enim quis confitebitur tibi? Sunt igitur extra regnum Dei cum damnatis, &c. Et tamen affirmat etjam

Oratiões pro infidelibus defunctis apud Chrysa.

K

etiam illos, orationibus & eleemosynis post mortem aliquantulum juvari. Excogitemus, inquit, aliquod ipsis auxilium (μικρὰν μὲν) modicũ quidem & exiguũ, per preces & eleemosynas. Facit enim hæc res ipsis (τινὰ παραμυθίαν καὶ παράψυξιν) aliquam cõsolationem, & aliquod refrigerium. Quomodo verò? ut (συγγνώμην) indulgentia ipsis impetretur, inquit. Num verò ut ex damnatione liberentur? Hoc enim dicit, sed ipse interpretatur hoc, ut pœna damnationis ipsis levior reddatur, Hæc Chrysost. Serm. 3. ad Philip. Hom. 69. ad Antiochenos. Serm. 41. ad Corinthios Homil. 61. in Ioannẽ. Homi. 21. in Acta. Theophylactus etiam, Luc. 12. illam Chrysostomi opinionem recitat, inquit enim: Oblationes, quæ fiunt pro defunctis, prodesse etiã illis, qui in gravibus peccatis mortui sunt. Deũ enim habere quidem potestatem mittendi tales animas in gehennam, nõ semper autem ea potestate uti, sed sæpe remittere postea peccata. Hanc verò Chrysostomi sententiam de damnatis, ipsi Pontificii non possunt probare. Docent enim damnatis in inferno, orationes & suffragia nihil prodesse, quia in inferno nulla est redemptio. Et Gregorius pro infidelibus & impiis defunctis non vult orari, libro 4. Dialogo. cap. 44. Scholastici etiam prorsus negãt, damnatos in inferno posse juvari per suffragia vivorum, nec quo ad totalem liberationem, nec quo ad pœnæ diminutionem seu mitigationem, nec quo ad temporis suspensionem, nec quo ad fortificationem ad levius tolerandum. Ita Bonaventura 4. sententiarum, dist. 46. Quod verò Chrysost. Homil. 21. in Acta dicit: Eos qui in peccatis mortui sunt, per eleemosynas posse ab æterna morte eripi, tale est, quod nemo, ne quidem Pontificii, probare possunt.

Pontificii à Chrysostom. dissentiunt. *Gregorius.* *Scholastici.* *Bonaventura.*

Fides & candor Põtificiorũ in citandis testimoniis Chrysostomi pro purgatorio.

Ex his igitur pius Lector jam videt, qua fide & quo candore, Pontificii mutilas & imperfectas Chrysostomi sententias allegent, pro stabiliendo suo purgatorio, quæ si integræ in suis locis considerentur, partim tales sunt (ut de iis, qui in peccatis moriuntur) quæ ne ab ipsis quidem Pontificiis probari & recipi possunt: Partim verò, ut de fidelibus defunctis, Pontificium purgatorium prorsus evertunt.

Purgatorium probari nequit, ex orationibus veterum pro defunctis.

Quia igitur vetustissimi, orationes pro mortuis ita usurparunt & interpretati sunt, ut principia, Pontificio purgatorio ex diametro prorsus contraria, præsupposuerint, sicut ostendimus. Licèt ergo postea, facta doctrinæ ad vulgi opiniones & sermones inclinatione, August. & Chryso. cœperint ea disputare, quæ Epiphanius præteritione quadam in suspenso reliquerat, quia tamen sine expressis Scripturæ documentis disputant, nec inter se conveniunt, sed variant & dissentiunt, Augustinus etiam de sua disputatione dubitat. Chrysostomus verò hoc asseverat, quod ipsi Pontificii improbant, & Scholastici negant, sicut hæc omnia demonstrata sunt. Nulla igitur certitudine seu plerophoria, qualis in dogmatibus fidei requiritur, ex veterum orationibus pro mortuis, probari, aut pro articulo fidei stabiliri potest Pontificium purgatorium, licèt verum fit, Augustinum & Chrysostomum eo ipso, quod de orationibus pro mortuis, in alium sensum, quàm antiquitas ante ipsos fecerat, cœperunt disputare, seminaria & occasionem submiserasse posteris, ad camerinam purgatorii commiscendam & stabiliendam, ex fundamento humanæ traditionis & cõsuetudinis orandi pro mortuis, sine mandato & exemplo Canonicæ Scripturæ. In Germanicas certè Ecclesias, orationes & oblationes pro mortuis, per Bonifacium tandem introductæ sunt (cùm per aliquot annorum centurias antea, fidem Christi Germania habuisset) sicut Epistolæ Decretales ad Bonifacium expresse ostendunt, in tomis Conciliorum, & apud Nauclerum & Aventinum.

Ex Augustin. & Chrysost.

Seminaria purgatorii sunt nata.

Orationes & oblationes pro mortuis in Germania.

QVOMODO GREGORIVS EX SPECTRIS MORTUORUM purgatorium confirmârit.

NONO, Hactenus ostendimus multas & varias purgatorio quæsitas fuisse substructiones, quibus tamen non potuit fulciri & stabiliri. Tandem igitur cum aliter non posset, mortuorum spectris confirmatum est. Gregorius enim 4. Dialog. cap. 39. duas Scripturæ sententias, Machab. 12. 1. Cor. 3. pro purgatorio citat. Sed illis, quia videt alias manifestiores opponi, non multum fidit, sicut de loco, 1. Cor. 3. (Salvus erit sic tamen quasi per ignem) expresse dicit: Quamvis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito possit intelligi: tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum solicitè est, quia illum per ignem dixit posse salvari, non qui super hoc fundamentum, ferrum, æs, plumbum, ædificat, id est, peccata majora, & idcirco duriora, atq; tũc jam insolubilia, sed lignum, ferrum, stipulam, id est, peccata minuta & levissima, quæ ignis facilè consumat, &c. Aliam igitur & novam topicam, probandi & confirmandi dogmata fidei, Gregorius in Ecclesiam introduxit, à mortuis scilicet veritatem quærere, quod tamẽ disertè, & expressè Deus in Scriptura prohibuit, Deuter. 18. Esa. 8. Et quia Ecclesia ante ipsum, hoc genere argumẽtorum, probationum & confirmationum, in disputationibus Ecclesiasticis non fuerat usa, cùm quidẽ de statu mortuorum multa fuissent quæsita & disputata: Imò Augustinus in libro de cura pro mortuis, prolixè disputat & probat, animas mortuorum nõ interesse rebus viventium. Gregorius igitur, ut spectris suis speciem aliquã circumdet, cap. 41. ponit hanc quæstionem: Qui fiat, quòd illis temporibus, tam multa de animabus per revelationes & ostensiones clarescant, quæ antea latuerunt? (Et notet Lector in hac quæstione, ea, quę Pontificii docent, de statu animarum in purgatorio, non esse antiqua, sed tempore Gregorii primùm revelata.) Respondet autem, sicut cum nox finiri, & dies incipit oriri, ante solis ortum, simul aliquo modo tenebræ cum luce commixtæ sunt, ita dicit mundi finẽ (quem suo tempore instare arbitrabatur) cum futuri seculi exordio permisceri, ita ut res spirituales futuri seculi, lignis manifestioribus transluceant.

Fundamenta purgatorii ex apparitionibus spectrorum.

Augustin. de animarũ statu post mortem opinatio.

Causa cur horũ apparitionum ea tempore Gregorii.

ant. Sed à Gregorii tempore jam anni 970. transierunt prorsus nihil itaque similitudo illa probat. Præstruit autem spectris suis fidem eò, quòd ex apparitionibus, multa primum de beatorum gaudiis, & de damnatorum pœnis recitat. Tandem ad ignem purgatorii accedit. Sentit enim capite vigesimo quinto quorundam justorum animas, à cœlesti regno quibusdam mansionibus differri, in quo dilationis damno nihil aliud innuatur, nisi quod de perfecta justitia aliquid minùs habuerint. Hoc verò ex mortuorum spectris probat, ut capite quadragesimo narrat, animam Paschasii Diaconi, post multum temporis à morte, apparuisse Germano Episcopo Capuano in thermis angularis: Cumq; Germanus vidisset Paschasium in caloribus thermarum stantem & obsequentem, quæsivisse, quid illic tantus vir ageret? Illum verò respondisse, se ideò in loco illo pœnali deputatum esse, quia in schismate Pontificum, in parte Laurentii contra Symmachum sensisset, addidisse autem: Quæso tu pro me Dominum deprecare. Atque in hoc cognosces quod exauditus sis, si huc rediens me non inveneris. Quod ita factum esse, Gregorius ab aliis audivit, qui capite 41. dicit: Hoc ideò Paschasio, viro aliàs tam sancto, ut post mortem in sepultura etiam miracula ediderit, accidisse, ne culpa illa fine ultione laxaretur, quam ipse culpam esse non credidit, atque ideò eam fletibus non extinxit. Capite 45. dicit: plerumque de minimis culpis, ipsum solum pavorem egredientes justorum animas purgare. Capite 55. dicit: Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multorum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare, ita ut hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur. Et hoc mox ex spectris suis probat. Narrat enim Presbyterum quendam, in loco ubi aquæ calidæ vapores nimios faciunt, solitum lavare, atque ibi invenisse virum quendam incognitum, ad suum obsequium præparatum, calciamenta abstrahendo, vestimenta suscipiendo, &c. Cumq; hoc sæpius faceret, Presbyterum illum cogitasse, se velle ipsi aliquid pro munere afferre, atque duas coronas oblationum (hoc est, rotundas placentas, quales in oblationibus solebant usurpare) secum detulisse, quas cum famulo isti pro munere offerret, ipsum respondisse: Hic panis sanctus est, quem ego manducare non possum. Ego enim hujus loci Dominus aliquando fui, sed pro culpis meis hìc post mortem deputatus sum. Si autem mihi aliquid præstare vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, ut pro peccatis meis intervenias, &c. Ibidem narrat aliam spectri fabulam de Monacho quodam, qui tres aureos possederat, & licèt in agone vehementer ingemuisset de hoc suo peccato, tamen in sterquilinio sepultus, post mortem diu in igne cruciatus fuit. Gregorius verò cogitavit ut ipsum eriperet, mandavit igitur, ut triginta continuis diebus pro absolutione illius, sacrificium offerretur. Tricesima aũt die, mortuus ille fratri suo apparuit, dicens: Hucusq; malè fui, sed jam modo benè sum, quia hodie communionem recepi. Huic fabulæ, in qua etjam defuncti post mortem communionem sacramenti recipiunt,

Anima Paschasii Diaconi.

Fabula de balneatore.

Alia de Monacho post mortem propriam.

Gregorius addit hoc Epiphonema: Cõcordante simul visione & sacrificio, res apertè claruit, quia defunctus per sacrificium evasit supplicium. Et hæc quidem spectra, Gregorius non ipse vel vidit vel audivit, sed ab aliis narrata credidit, & nimis temeraria credulitate Ecclesiæ obtrusit (si tamen Dialogi illi, Italicis prodigiis pleni, a Gregorio scripti sunt, de quo, cùm nec in genere orationis, nec rebus ipsis, reliquis Gregorii scriptis conveniant, eruditi nõ immerito dubitant) Et tamen in fine Dialogorum. cap. 58. ita concludit: Inter hæc autem pensandum est, quod tutior sit via, ut bonum, quod quisq; post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse dum vivit per se. Quantùm verò Topica illa Gregorii ex spectrorum apparitionibus valeat, postea in refutatione ostendemus. Nunc tantùm historiam exædificati purgatorii conteximus ubi hoc observetur, quàm facetè spiritus impostores, purgatoriis præsumptionibus illuserint. Si enim purgatio fieri deberet, in thermis sive in balneis ea rectiùs, quàm in igne fieret: Et tamen ex illis illusoriis thermarum spectris, balnea animarum postea instituta sunt.

Balnea animarum.

QVOMODO SVB DAMASCENI NOMINE, SPECTRORUM illud dogma de purgatorio, tanquam ex authoritate etjam Græcæ Ecclesiæ, propositum sit.

DECIMO, Abductis semel animis à lege & à testimonio Scripturæ, ad apparitiones & revelationes spectrorum seu mortuorum, non difficile postea fuit, sub illo prætextu, per quasvis fabulas structuram purgatorii absolvere. Duo tantùm obstare videbantur. I. Quod vetustiores dogma illud de purgatorio vel ignorassent, vel certè nõ constanter illud asseruissent. II. Quod Græca Ecclesia purgatorium ignem simpliciter non agnosceret: Imò in quinta generali Synodo expressè damnasset Origenicas purgationes, sicut Græcorum Apologia testatur. Iudicârunt igitur duo illa obstacula quoquo modo esse amolienda: Et cõtra primum Ψευδεπίγραφα καὶ ἐμβόλιμα, sub vetustiorum nomine imperitioribus obtrusa pro mortuis, contra mentem ipsorum, ad purgatorium suum contorserunt, sicut partim ostendimus, Ita sub nomine Augustini, citatur à Gratiano & Lombardo, liber de vera & falsa pœnitentia, cujus autor, capi. 71. ipsum Augustinum nominatim allegat. Et cap. 18. inquit: Conversus in fine vitæ, vita quidem vivet non tamen promittimus, quod evadat omnem pœnã. Nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis etsi æternus non sit, excellit tamen omnem pœnam, quam unquã passus est aliquis in hac vita, Ita titulo Augustini feruntur sermones de festo commemorationis omnium animarum, ubi purgatorium strenuè defenditur. Cùm

Ψευδεπίγραφα & ἐμβόλιμα sub vetustiorum nomine imperitioribus obtrusa pro mortuis, contra mentem ipsorum, ad purgatorium suum contorserunt.

Liber de vera & falsa pœnitentia non est Augustini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

festum illud longè post Augustinum institutum sit. Allegant etjam Pontificii sententiam quandam, tanquam Theodoreti exponentis dictum, 1. Corint. 3. de igne purgatorii. Sed in commentariis Theodoreti, in Epistolas Pauli prorsus contrarium extat: ideò Græci in sua Apologia tales citationes rectè vocant διαφθορὰς καὶ παραχαράξεις τῶν ἀληθῶς ἐπεξηγούντων. Ex quæstionibus etjam Athanasii titulum præferentibus, quas tamen constat ipsius non esse, quædã allegat Damascenus. Item, ex quadã alia oratione sub titulo Athanasii, quæ nunc non extat, recitat oleum & ceram debere ad sepulchrum accendi, & reliqua consueta eò afferri (εἰς τὸ λύτρον) ut sint precium redemptionis defuncti. Quòd Athanasius procul dubio nunquam vel sensit vel dixit, cùm contra Scripturam pugnet, & sit blasphemum in filium Dei. Λύτρον enim nostrũ non est cera vel oleum, imò nec aurum nec argentum, sed solius immaculati agni filii Dei sanguis, 1. Petr. 1. Et Canon Elibertinus 54. prohibet accensionem cereorum in cœmeteriis.

Theodoretus.

Synodus universalis quinta.

Quia verò quinta universalis Synodus, circa annũ 550. purgatorias opiniones Origenis damnaverat, sicut Græcorum Apologia testatur, contra hoc purgatorii præjudicium, Damascenus quandam orationem de defunctis extruserunt. Nec operosè disputabo, an oratio illa γνησίως sit Damasceni, cùm in locis suis communibus de orthodoxa fide, nullam purgatorii mentionem faciat. Græca certè Ecclesia sententiam, quã Damascenus in illa oratione defendit, nunquã probavit. Autor est recentior, & à superstitionibus de imaginum adoratione non alienus. Autoritas itaque ipsius non est tanta. Sed ex re ipsa orationem illam æstimemus. Ostendit autem hæc continuatio historiæ de purgatorio, quomodo spectris semel in chatedrã Ecclesiæ admissis, fabulæ apparitionum & visionum, sine fine modoq; cumulatæ sint. Narrat igitur Damascenus fabulas adeò fabulosas, ut ne Pontificii quidem illas omnes approbare possint. Dicit Protomartyrem quandam precibus suis salvam fecisse Falconillam post mortem, quæ Gentilis fuerat, & in idololatria, aliena à Christo mortua fuerat. Narrat etjam fabulam de Macario, qui cùm solitus esset pro defunctis preces fundere, & valde desideraret cognoscere (ἀπόρρητόν τι τῶν κεκοιμημένων γίνονται) an etjam ad aliquam utilitatem fierent, quomodo ex arido Cranio scitò citando de defunctis omnia didicerit. Dicit enim Deum amatorem animarum, voluisse Macario (ἐνδεδεῖσθαι καὶ πληροφορεῖσθαι) certis argumentis hoc ostendere & confirmare, atque ideò Cranio hominis mortui quod prorsus exaruerat, inspirasse verbum veritatis (scilicet Deut. 18. Esa. 8.) ut diceret ad Macarium: Quando pro mortuis preces offers, tunc cõsolationes (μικρὰς) exiguas sentimus. Citat autem Durandus ex vitis Patrum, quòd Cranium illud fuerit Sacerdotis gẽtibus, qui in Idololatria mortuus fuerat. Commentum etjam de Gregorio non simpliciter, sed magna asseveratione recitat, quod scilicet Gregorius per forum Trajanum iter faciens, validam orationem ad Deum effuderit, ut Trajano Imperatori veniam seu indulgentiam peccatorum donaret. Et confestim divinitùs vocem auditam: Orationem tuam exaudivi, & Trajano do veniam, tu verò pro impiis defunctis preces mihi non offeras. Hæ Damasceni fabellæ, multum negotii etjam Scholasticis fecerunt, ut crassim eorum impudentiam, colore aliquo incrustarent. Et utile est considerare sarcasmos Diaboli in istis spectrorum illusionibus, id quod ex interpretationibus illarum fabularum colligi potest. Quidam enim putant Trajanum ad illam Gregorii orationem ad vitam revocatum, & fecisse pœnitentiam, qua veniam & gloriam meruerit. Alii existimant animam Trajani non simpliciter à reatu pœnæ æternę absolutam, sed ejus pœnam usque ad diem judicii fuisse suspensam. Sunt qui dicunt animã Trajani non fuisse ab inferno liberatã, sed ab inferni cruciatibus exemptam, ut in inferno quidem maneret, sed inferni pœnas non sentiret. Bernhardinus verò existimat hanc opinionem veriorem esse, quod Trajanus non definitivè, sed conditionaliter tantùm fuerit damnatus, divinam enim sapientiam prævidentem Gregorium oraturum pro Trajano, singulari dispensatione distulisse sententiam diffinitivam damnationis ipsius. Ita pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, misit eis Deus efficaciam erroris, ut mendaciis credant, 2. Thessa. 2. Eodem modo de Macarii Cranio Durandus ridiculè inquit, ex orationibus Macarii, damnatos, pro quibus orabat, hoc consecutos, ut mutuo se viderent in tormentis, & hanc fuisse exiguam illam consolationem, juxta dictum: Gaudium seu solatium est miseris socios habere in pœnis. Si quis non agnoscit has esse illusiones Diaboli prorsus excæcatus est. De purgatorio verò eandem prorsus cantilenam canit Damascenus, quæ in Pontificia Ecclesia resonat, & ad ejus confirmationem inter cæteras fabulas intertexit & hanc. Quod sancti cujusdam patris discipulus, qui in vita dissolutore mortuus fuerat, seni cum lachrimis oranti, post mortem à Deo monstratus fuerit, in flamma cervicetenus ardens, sicut dives ille epulo. Cùm verò sanctus ille magis se affligeret, ostensus fuerit ei insq; ad zonam ardens. Cùm verò afflictionem afflictioni adderet, in visione mõstratum seni, discipulum omnino absque liberatũ. Tam evidẽtem visionem de purgatorio, ne Gregorius quidem habuit, sed ejusdem classis est hæc visio, cujus est illa de Falconilla, de Macario, & de Trajano. Tales certè fabulas quinta Synodus nõ tam rejisset, quàm anathemate damnasset. Et tamen tanquam ex autoritate Græcæ Ecclesiæ, oratio illa Damasceni, pro stabiliendo purgatorio circumfertur.

Oratio Damasceni supposititia pro defunctis.

Fabulæ fictitii Damasceni.

Falconilla.

Cranium loquitur.

Durandus.

De Gregorio orante pro Traiano mortuo.

Scholastici. rum figmenta, quibus fabulas fictitias Damasceni incrustant.

Bernhardinus.

De Cranio mortui.

Damascenus de purgatorio commentum. De Scholastico cujusdam vita defuncti.

Mox verò objicit sibi Damascenus quo scriptum est, in inferno nulla redemptio, & respondet versibus ludit, quod eos, qui sine vera agnitione Dei, & tamen præclaris virtutibus præditi, mortui fuerant, Christus descensione sua ad infernos illuminãrit & salvãrit, quia misericordia Dei superat judicium ejus. Disputat etjam de lancibus, in quibus sub emissionem extremi halitus, cujusq; opera appendantur, & prout sinistra lanx momentum fecerit, dextram orationibus, eleemosynis & suffragiis pro defunctis implendam esse, in qua etjam panem, quem Petrus quidam Telonarius, pro lapide aliquando in faciem mendici iracundus projecerat, locum habere, & momentum afferre dõtet. Refutationem suo loco tractabimus, nunc tantùm historiam conteximus, ut observetur, quomodo subinde major facta fuerit doctrinæ inclinatio, utq; fucus detrahatur Pontificiis, qui existimant se illa Damasceni oratione, tanquam Græcæ Ecclesiæ testimonio, nos valde posse premere cùm tam crasse sentiat & loquatur, ut ne ipsi quidem Pontificii omnia possint recipere. Et sine dubio divinitus factum est, quòd talia crassa mendacia interspersa sunt, ut cujus doctrina sit, proderetur, sicut pueri dicunt: Satanam etjam, quando se in Angelum transformavit, tamen ungulis prominentibus prodi. Ipse certè Damascenus, de redemptione in inferno dicit, πάντα ἀκαταφαντικῶς ἀλλὰ συλλογισικῶς διὰ τὸ φιλάδελφον, id est, hæc non definitivè, asseverativè, aut demonstrativè, sed ratiocinando fratrũ studio & amore disputamus. Et hæc sunt, quæ sub Damasceni titulo, post Gregorium ex spectris mortuorum, ad dilatandos & confirmandos purgatorii terminos proferuntur, quæ quantùm valeant, cordato Lectori obscurum esse non potest, sicut postea in refutatione ostendemus.

QVOMODO INITIA ILLA PVRGATORII, IN ECCLESIA PONTIFICIA, ALIIS & NOVIS SUBINDE VISIONIBUS, REVELATIONIBUS, & SPECTRIS, AUCTA & CONFIRMATA SINT, DONEC TANDEM INTER ARTICULOS FIDEI NON POSTREMUM LOCUM PURGATORIUM HABERE CŒPERIT.

HACTENVS ostendimus, purgatorium ex Philosophicis humanæ rationis principiis, primam suam originem habuisse, & variis quidem modis tentatũ fuisse, ut ascititio aliquo ex Scriptura fuco Ecclesiæ obtruderetur, sed nec ex Scriptura, nec ex aliis argumentationibus potuit ullas firmas vires aut solidum robur acquirere, cùm disputatores inter se, sicut hactenus ostendimus, dissentirent, & alter alterius opiniones convelleret, quod difficile non fuit, cùm in arena fundatæ, & ex arena, sicut Irenæus loquitur, connexæ essent. Postquam verò semel hoc receptum fuerat, citra & extra Scripturam posse ex visionibus & ex spectris mortuorum, dogmata seu articulos fidei constitui, nullo deinceps negocio, in Pontificia Ecclesia, purgatorii exædificatio absoluta fuit. Et tamen, quod benè notandum est, nullius ex Veteribus opinionem de purgationibus, per omnia sequi vel volunt vel possunt Pontificii, sicut collatio ostendit. Adeò incerta, incõstans, & mutabilis est opinio purgatorii. Tot verò ac talia de visionibus & revelationibus, vel ab hominibus confũcta, vel à Satanæ illusionibus in Pontificia Ecclesia objecta sunt, ut ipsa Tridentina Synodus fateri cogatur, multa in illis esse incerta, curiosa, superstitiosa, specie falsi laborantia, & turpe lucrum redolentia. Quæ verò illæ sint non explicant, si enim talia essent removenda, tunc in tota purgatorii structura, nihil salvi aut residui maneret. Ex iis igitur, quæ apud ipsos authentica habentur, quædam quæ ad continuandam purgatorii historiam facere videbuntur, annotabimus.

Tridentina Synodus de purgatorio.

Lances Damasceni.

Colligitur autem ex consideratione & serie historiarum, Gregorii topicam ex spectris mortuorum, multis in Ecclesia nõ satisfeciße, cùm Scriptura expresse prohibeat à mortuis veritatem quærere, Deut. 18. Esa. 8. Observetur itaq; in ordine historiæ, quomodo ex aliis revelationibus & visionibus, subsidia & supplementa spectris mortuorum, ad stabiliendum purgatorium succenturiarunt. Ita de mortuis quibusdam resuscitatis cõfinxerunt revelationes, in supposititia & prorsus commentitia quadam epistola, sub nomine Cyrilli Episcopi Hierosolymitani, ubi homo Græcus latine scribit de miraculis Hieronymi defuncti, cùm Hieronymus vivens Cyrillii situs vitam descripserit. Causam autem figmenti, actores fabulæ non dissimulant, fuisse scilicet sectam inter Græcos, quæ inter cæteras asseruerit, nullum fore purgatorii locum, in quo animæ, quæ nondum de suis peccatis in mundo plenam egissent pœnitentiam, purgarentur. Et sectam illam etjam ad Latinos usque venisse. Fictitius igitur ille Cyrillus, scribit hac de re ad commentitium Augustinum. Notabit autem Lector, quia Augustinus de purgatorio dubitãrat, & Græci illud prorsus negabant, ideò commentum illud excogitatum fuisse, ut duo illi scrupuli hominibus eximerentur, & simul contra Augustini dubitationem, & contra Græcorum negationem, purgatorium stabiliretur. Fingit itaque personatus iste Cyrillus, Hieronymum post mortem apparuisse Eusebio cuidam, & mandasse, ut saccum suum tribus defunctorum cadaveribus imponeret, fore enim ut tres illi à mortuis resuscitati, hæresin istam negantem purgatorium, suis narrationibus radicitùs extirparent. Et tres illos, sacco Hieronymi resuscitatos, per viginti dies inter homines rursus versatos, & narrasse se post mortem ad præsentiam Iudicis deportatos, cumq; post accusationem sententia damnationis jam publicanda esset, intervenisse Hieronymum, ac propter reverentiam ac devotionem à tribus illis sibi exhibitam obtinuisse, ut sententia suspenderetur, & reversi ad corpora, pœnitentiam de perpetratis peccatis agerent, ac errorem negantem purgatorium, destruerent, utiq; eò efficaciùs illud facere possent, Hieronymũ deduxisse ipsos ad purgatorium, & ad infernum, ut non tantùm viderent, sed experientiam pœnarum probarent, ac de illis testificarentur apud superstites. Ab illis igitur Cyrillus, qui fatetur se antea incertum fuisse de pœnis purgatorii, narrat se multa de altero seculo didicisse. Et unum ex illis dixisse, si omnes, quæ in hoc mundo excogitari possunt pœnæ, comparentur minimo tormento purgatorii, solatia esse. Debere enim quenque potiùs omnibus illis pœnis, quas universi homines ab Adam hucusque singulatim pertulerunt, simul ad finem mundi usque, sine ullo remedio velle cruciari, quam uno die in

Nova revelationes post Gregor. ad purgatorii comprobationem.

Cyrillus Hierosolymitanus supposititius.

Hieronymus post mortem apparès purgatorio probãdo studet.

Miraculum trium resuscitatorũ ab Eusebio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Differentia tormẽtorum inferni & purgatorii.

purgatorio, minima, quæ ibi habetur pœna, torqueri. Narrat etiam Cyrillus, se interrogasse ex resuscitatis illis unum, in quo differant tormenta purgatorii & inferni. Et respõdisse illum: Easdem esse magnitudine pœnas purgatorii & inferni, in hoc tantùm differre, quod infernales pœnæ non finem expectent, sed augmentum, in die universalis judicii, purgatorii verò pœnę sint cum fine. Nam post expletam pœnitentiam, inde exempti, gaudiis beatissimis perfruentur. Ita Apologus ille. Et in Scriptura quidem multi leguntur ex mortuis resuscitati, nullus tamen novum articulum fidei attulisse, aut de purgatorio oracula protulisse legitur. Similes fabulas Pontificii multas habent, de iis, qui ex purgatorio post mortem ad corpus reversi finguntur.

Extasis vivẽtium.

Secundò finxerunt viventes quosdam in extasin raptos, vidisse pœnas purgatorii, ut in speculo exemplorum. distinct. 3. exemplo. 3. Presbyter quidam in extasi, apertis oculis vidit animas variis subditas pœnis, discursu reciproco longè lateq; vagari, hinc inde in mundo, & quasdam ex illis ocius, quasdam verò tardius liberandas. Vidit etiam animam Constantini judicis Turritani, quæ per novẽ annos in stillicidio domus suæ, ventis, pluviis & algoribus expósita, excessuum suorum pœnas luerat, per columnam quandam fulgidam, porrectam, de cœlo usq; ad terram, ad cœlum scandere. Ibidem exemplo 60. Monachus quidam in extasi vidit in purgatorio animas, verubus & contis acuminatis infixas, ad rogum maximum torreri & assari in modum anserum, ubi ex tortoribus quidem ignem flabellis exsufflabant: alii adipem ex ardentibus defluentem, & eundem rursus bullientem refundebant. Postea vidit locum refrigerii, ubi animæ quasi post graves labores quiescebant. Et quis jam dubitare audebit de purgatorio, cum eodem prorsus modo probetur, sicut Virgilius Platonis purgatorium confirmaturus, Aeneam vivum ad loca illa pœnarum deducit.

Constãtinus Turritanus.

Monachi visio.

Tertio finxerunt vivos quosdam, sine extasi vidisse & audivisse pœnas purgatorii, & liberationem exillis. Ita in Lombardica aurea legenda, de commemoratione defunctorum, cùm Episcopus Theobaldus magnum frustum glaciei propter refrigerium pedibus suppositum esset, audivit ex glacie illa vocem hominis dicentem. Sum quædam anima, quæ in hoc gelicidio pro peccatis meis affligor, & liberari possem, si triginta Missas sine intervallo triginta diebus continuis pro me diceres. Ibidem legenda 185. Conradus & Vdalricus apud castrum Louffen viderunt in ipso turbine aquæ, procellis hinc inde spumantibus, duas aves introeuntes & exeuntes mergi. Intellexerunt igitur in Spiritu duas animas fore sub specie illarũ avium, quæ ibidem ob scelerum multitudinem purgatorium suum substinerent. Ambo igitur Missam pro defunctis celebrárunt, & illarum avium species ampliùs ibi non viderunt. Est ergo purgatorium non in igne tantùm, sed & in thermis, in balneis, in umbra arborum apud Gregorium, in vagis discursionibus, in ventis, algoribus, pluviis, stillicidiis, fluctibus, glacie, &c. Si quis igitur infirmus in fide, non posset credere ignem purgatorium, non statim esset hæreticus, si modo crederet, thermas esse purgatorias, balneum esse purgatorium, pluvias purgatorias, aquam purgatoriam, ventos purgatorios, glaciem purgatoriam, &c.

Episcopus Theobaldus.

Conradus & Vdalricus.

Purgatoriũ non tantum in igne.

Quartò, in Lombardica historia 49. Patritio revelatum fuit, in puteo quodam maximo & profundissimo in Hybernia esse locum quẽdam purgatorii, in quem quisquis vivus descendere vellet, alia sibi pœnitentia non restaret, nec aliud pro peccatis purgatorium sentiret, sed post unius diei naturalis moram inde rediret in vitam. Et ne quis de fide fabulæ dubitet, clavis ad purgatorium illud Patritii, in Abbatia quadam asservata fuit. Et nobilis quidam, Nicolaus nomine, cùm pro peccatis suis in hac vita vellet Patricii purgatorium sustinere, clavem postulavit, & aperto ostio in puteum illum descendit. Mox verò in puteo sub terra invenit oratorium quoddam, ubi Monachi albis induti officium celebrabant, & ab illis instructus, ut constans esset, à Dæmonibus arreptus, varias purgatorii pœnas non tantùm vidit, sed expertus etiam est diversarum scilicet ferarum terribiles voces, ignem maximum, ubi vivi cremabantur, & laminis ferreis candentibus usque ad viscera flagellabantur. Vidit etiã serpentes & bufones ignitis aculeis, quorundam viscera extrahentes, quosdam vidit in sartagine frigeri, quosdam in rota uncinis ignitis, suspensos circumvolui, vidit & foveas metallis bullientibus plenas, in quibus alii unum pedem, alii duos habebant, alii ibi erant usq; ad genua, alii usque ad ventrem, alii usque ad pectus, alii usque ad collum, alii usque ad oculos. Et reliqua ad imitationem Aeneidos Virgilii non infeliciter confícta, quæ Tridentini Patres rejicere non possunt. Est enim legenda authentica, imò aurea, & festum Patritii quotannis apud ipsos celebratur. Tantùm igitur decreverunt Tridentini, talia in popularibus concionibus non esse evulganda & tractanda, ne homines existiment se Homeri Odissæam, vel Virgilii Aeneida, vel veras narrationes Luciani audire. Atq; hæc sunt fulcra & firmamenta, quibus tota purgatorii domus inclinata recumbit, quorum ipsos Pontificios jam pudere aliquantulum incipit.

Patritius.

Purgatorium in puteo Hybernię.

Angelorũ revelationes.

Quintò, ex Angelorum etiam revelationibus purgatorium stabilitum esse fabulantur in Aurea legenda de omnibus Sanctis. 157. Romæ enim custos Ecclesiæ sancti Petri, in extasi ab Angelo ductus fuit ad locum purgatorii, ubi vidit utriusque sexus homines, alios in stratis aureis, alios in mensis gaudentes diversis delitiis, alios nudos & inopes auxilium mendicantes. Angelus verò dixit, hunc locum esse purgatorium, & abundantes animas illas esse, quibus ab amicis per multa suffragia copiosè subvenitur, egentes verò esse, quarum cura nulla habebant. Iussit igitur Angelus omnia illa summo Pontifici significari, ut post festum omnium Sanctorum, institueret diem animarum, &c. Hoc verò bonum est purgatorium, ubi animæ non ignitorrentur, sed in lectis aureis quiescunt, & in mensis eburneis, omnibus delitiis affluunt. Sed quia additur, hæc illis contingere, quorum amici copiosè præbent

præbent sacerdotibus, quæ ad suffragia requiruntur, posset quis cogitare, sicut Bernhardinus inquit, presbyteros fecisse hanc adinventionem ut captent eleemosynas, nisi ædituo Romano ab Angelo hoc esset revelatum. Quis verò nunc dubitet de illo, nisi totus mundus? Brigitta verò in suis revelationibus, cap. 34. fingit, Christum ipsum sibi & pœnas purgatorii, & modum liberationis inde per orationes, per eleemosynas, & per sacrificium missæ revelasse.

Diabolorum testimonia.

S. Odilio.

Sextò, ut omnis generis testibus, ex loco à sufficiente enumeratione, purgatorii veritas comprobaretur, ipsi etiam Diaboli, testes scilicet omni exceptione majores, suum addiderunt calculum. Ait enim Petrus Damiani in Lombardica historia 158. quòd S. Odilio comperiens, quòd apud Vulcaniam Siciliæ, crebro voces & ululatus Dæmonum audirentur plangentium, quòd animæ defunctorum per eleemosynas & orationes de manibus ipsorum eriperentur, ordinaverit festum commemorationis defunctorũ. Et quid jam requiritur amplius, nisi ut fidem nostram, & sensum Scripturæ captivemus in obsequium Spirituum erroris, in hypocrisi loquentiũ mendacium, si non à mortuis tantùm, sed ab ipsis etiam Diabolis quærenda est veritas. Ec hoc loco venit mihi in mentẽ, quid Bernhardinus, sermo. 13. de indulgentiis scribit. Ibi enim Monachus quidam ad ipsum dicit: Ego non credo, quòd per iltas indulgentias homo evadat, pœnas purgatorii. Bernhardinus verò respondet: Tibi non proderunt, quia in eis non habes fidem, sed benè mihi, quia firmiter hoc credo. Et addit: In signum hujus dicitur, sicut credidisti, fiat tibi. Itẽ, ô mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Hæc ille.

Bernhardinus.

Postremò, omnia, quæ ad purgatorium pertinent, ut peccata promerentia purgatorium, locum, ignem, pœnas, durationem, liberationes, &c. Ex talibus revelationibus certa prorsus & definita habent Pontificii: Ita soror Damiani, quia aliquando fistulam dulce canentem cum delectatione quadam audierat, propterea per 15. dies in purgatorio tormentis subjecta fuit, id quod ipsa post mortem fratri suo Damiano retulit in sermonib. discipuli, 110. Et Monachus quidam, qui ob conciliandum somnum aliquando vinum non mixtum biberat, in purgatorio miserabiliter cruciatus fuerat, apud eundem serm. 160. O beatos igitur caupones, qui dum vinum aqua adulterant, multas animas à purgatorio præservant. Ibidem Monachus quidam in purgatorium conjicitur ideò, quod in agone amicos laicos ad se admiserit. In Speculo exemplorum, distinctio 8. exemp. 65. Magister quidem Scholarem suum rogavit, ut post mortem ad se rediret, & statum suum renunciaret. Is igitur apparuit ei cum Cappa ex Pergamento intus flammaignis contecta, & dixit: Hæc Cappa plus me premit, quàm si unam turrim super me haberem. Et cùm Magister pœnam illam facilem judicaret, dixit ei defunctus, ut manum extenderet. Ibi ille guttam unam sui sudoris dimisit, quæ magistri manum statim, ut sagitta perforavit, unde cruciatum mirabilem sensit, distinct. 5. exemplo 115. Quidam uno die fuerat in purgatorio, & propter ineffabilem torturam, putabat se multis annorum circulis ibi fuisse, distinctio. 9. exemplo 183. Quidam Monachus absente Abbate, sine absolutione & sine injuncta pœnitentia mortuus fuerat. Orante autem postea Abbate, defunctus apparuit petens absolutionem. Abbas verò nesciens, quæ pœnitentia injungenda esset defuncto, dixit, ut pro pœnitentia saltem tamdiu staret in purgatorio, donec corpus ejus esset sepultum. Ibi defunctus horribiliter exclamavit, quod tamdiu in purgatorio morari deberet. Bernhardinus in suo Rosario fabulatur, tres Marchiones post mortem, Mantuæ in quodam pulchro palatio fecisse pœnitentiam, qui Sutori dixerunt, si promitteret ire pro eis quibusdam vicibus ad quandam Ecclesiam sanctæ Mariæ campestrem, & hoc nudis pedibus, quod statim intrarent gloriam Paradysi. Item, alius quidam mortuus apparuit, & dixit, ut curaretur fieri anniversarium pro anima, quæ eo indigeret. Alibi cum spectrum quoddam valde tumultuaretur, dixerunt præsentes, noli amplius huc reverti, & cras curabimus fieri missas pro te, & eleemosynas dari, ut à pœnis eruaris. Et tunc spectrum illud amplius non rediit. Apparuit etiam maritus quidam defunctus uxori suæ, gestans candelam in manu, cumq; uxor interrogaret, respondit ille: Hæc est candela, quam posuisti ante imaginem Mariæ pro anima mea, fac aliquid boni pro me. Sum enim in purgatorio. Et quia non faciebam eleemosynas pro patre meo, Deus omnia bona, quæ feceram pro me, reputavit pro anima patris mei, ideo ille est jam liberatus: Ego verò remaneo in purgatorio. Dicas ergo filiis meis, ut benè faciant pro me, aliàs Deus faciet eis, sicut mihi fecit. Item, mortuus quidam surgens ex sepulchro, pulsavit ad januam sacerdotis, dicens: O domine, surgite, & præparate vos ad faciendum meum trigesimum, & dicite uxori meæ, ut faciat eleemosynas pro anima mea. Monachus etiam quidam, cùm in die mortuorum missam celebraret pro eis, vidit quasi infinitas animas de purgatorio exeuntes, & in Paradysum evolantes, tanquam scintillas de ardenti fornace exeuntes, & in aëre transvolantes. Et concludit tandem Bernhardinus. Si quis poneret aurem ad foramen purgatorii, quales ille lamentationes audiret. Miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Et inter ipsos Monachorum ordines de hac re fuerunt mirificæ contentiones. Franciscani enim concionabantur, Franciscum quotannis descendere in purgatorium, & cultorum suorum animas inde liberare. Dominicum dicebant, singulis mensibus hoc facere: Prædicatores clamabant, Mariam cultores suos non tam diu relinquere in tormentis purgatorii, sed singulis Sabbathis eò descendere, & devotos suos inde liberare. Illis omnibus Augustinianus contradixit, monstrans ex scriptura eos, qui in Christum credunt, non venire in judicium, sed à morte transire ad vitam, sicut latroni Christus dicit: Hodie mecum eris in Paradyso.

Soror Damiani.

Monachus vinum non diluens aqua biberat.

Speculum exemplorum, de Scholari.

De Monacho quodam.

Bernhardinus de tribus Marchionib.

De spectro tumultuante.

De marito apparente, post obitum conjugi.

De mortuo surgente à sepulchro.

Tales fabulæ infinitè extant in istorum libris, ex quibus aliquas breviter excerpere volui, quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ostendunt, ex qualibus illusionibus, constitutum, stabilitum & cõfirmatum sit purgatorium apud Pontificios. Non enim ex verbo Dei, sed ex hujusmodi spectrorũ illusionibus habent, quæcunq; in tota doctrina de purgatorio tradunt. Et quanquam fons meretricis Babylonicæ, juxta Prophetæ dictũ, perfricta, imò plus, quàm ænea est, unde confusione nõ confunduntur & erubescere nesciunt: Singulari tamẽ judicio Dei impletum jam est aliud prophetæ dictũ: Ostendã Gentibus turpitudinem tuam, & regnis ignominiam tuam. Et ne ficulneis perizomatis illam rursus, quod strenuè conantur, obvelare possint, ad hoc prodest talis repetitio fabularum purgatorii.

Ex hisce verò spectris, & non ex Scriptura, constituerunt Pontificii totam structuram sui purgatorii, quam in principio hujus loci ipsorum verbis delineavimus. Præcipuè verò quod vivorum suffragiis animæ defunctorum in purgatorio possint adjuvari, relevari & liberari, & quomodo hoc fiat, definitè & determinatè prorsus sciunt ex spectrorum narrationibus. Ex illis postquam omnia hæc jam constituerunt, deinde honoris (quod dicitur) gratia, quæritur præ- *De suffragys.*
textus quidam ex Scriptura. Quia scilicet multi unum corpus sumus, & alter alterius membra, ubi unum membrum solicitum est de altero, Rom. 12. 1. Corinth. 10. & 12. Sicut igitur cibus aut medicina sumpta pro uno membro, adjuvat aliquo modo omnia membra, & prodest toti corpori: Ita quia suffragia Ecclesiæ sunt cibaria & medicamina spiritualia, prosunt omnibus membris, & vivis & defunctis, qui etjam post mortem sunt & manent membra ejus corporis, cujus caput Christus est: Ita illi. Sed Paulus hanc similitudinem, de iis, qui in hac vita, sive in hoc seculo sunt, expressè intelligit & explicat. In hac verò controversia, ex scriptura probandum erat, viventes suis suffragiis posse satisfacere pro peccatis defunctorum, & quæ viventes in hoc seculo agunt, ea prodesse defunctis in altero seculo, ut per ea à pœnis liberentur. His ex scriptura liquidò probatis, tunc postea similitudo illa rectè accommodaretur. Ex solis verò similitudinibus, sine manifestis & expressis Scripturæ testimoniis, non possunt dogmata constitui. Sed quid opus est de locis scripturæ multa disputare, cùm ipsi non diffiteantur, totam nundinationem suffragiorum pro mortuis, ex spectrorum revelationibus ortam, auctam, confirmatam & stabilitam esse, ad quam præsumptionem scriptura postea detorta fuit. *Multi sumus unũ corpus.*

Duæ verò quæstiones sunt, quas magna con- *Duæ quæstiones Pontificiorũ de suffragiis, quæ fiũt defunctis.*
tentione, & quidem operosè disputant Scholastici, quia faciunt πρὸς τὰ ἄλογα, ut scilicet sacerdotes suffragia sua vendibiliora facere, & eò chariùs extrudere possint. Vna quæstio hæc est: An suffragia tantùm valeant si fiant pro pluribus, ac si pro uno fierent. Item, an suffragia facta specialiter pro uno, prosint æqualiter omnibus in purgatorio existẽtibus. Et Præpositivus quidem disputavit, quòd sic: sumpta similitudine à candela, quæ accensa pro uno, reddit lumen omnibus existentibus in illa conclavi. Item, Sicut lectio pro uno, prodest omnibus cum illo existentibus, quia vox una omnibus communicatur. *Prima quæstio.*

Sed quia hac ratione, tota nundinatio suffragiorum, septimi, trigesimi, anniversariorum, & memoriarum perpetuarum, magno cum detrimento culinarum, mox prorsus concideret: Tota igitur factio Scholasticorum & Monachorum, contra Præpositivi sententiam insurgit, & contrarium defendit, quod scilicet ille citiùs exibit de purgatorio, pro quo fiunt plura suffragia in specie, ut si duo æqualibus pœnis obligati, simul intrent purgatorium, ut maneant ibi per centum annos, possunt pro uno tot suffragia specialia fieri, ut intra horam à pœnis illis liberetur, cùm alteri, pro quo nulla particularia suffragia fiunt, per multos annos in pœnis illis permanendum sit. Et hoc Bernhardinus in suo Rosario concludit hoc Epiphonemate. Valde itaque utile est habere hæredes devotos, qui scilicet magnis impensis multas & sumptuosas exerceant nũdinationes suffragiorum cum sacerdotibus. Et quis neget multum hoc prodesse, si non animabus defunctorum, aut certè sacrificulis, qui curios simulant & Bachanalia vivunt. Si non ad purgatorii ignem refrigerandum, at certè ad hoc, ut in sacrificulorum culinis, assiduo luceat igne focus. *Bernhardini Epiphonema.*

Altera quæstio est, utrum suffragia facta pro defunctis, ab illis, qui sunt in peccato mortali, prosint eis. De hac verò quæstione postquam in utranq; partem disputârunt, tandem inclinant in hanc sententiam. Cùm pauci sine crimine vivant, tutiùs & melius esse, ut suffragia pro defunctis per sacerdotes fiant, quàm per privatos. Quia Sacerdos, ajunt, est quasi syndicus Ecclesiæ, & minister generalis, cujus opera Sacramentalia non æstimantur ex ipsius dignitate, sed ex meritò universalis Ecclesiæ. Atque hæ disputationes admodum felicem & copiosam fecerunt Pontificiorum nundinationem, confluentibus totius fermè mundi opibus, in barathrum purgatorii, cujus ignis sive sub terra luceat, sive non, Pontificiorum certè culinas lautè & opiparè illustravit. *Secũda quæstio.*

Est etjam contentio inter Canonistas & Scholasticos. Illi enim, 12. q. 2. cap. Tempus autem, &c. faciunt ex Augustino quadrimembrem divisionem. I. Quosdam esse valde bonos in Paradyso, qui suffragiis non indigeant. II. Quosdam esse valde malos in inferno, quib. suffragia nihil prosint. III. Quosdam mediocriter esse bonos, qui ex purgatorio per suffragia liberentur. IIII. Quosdam in inferno esse nõ extremè malos, illi licet per suffragia non possint à damnatione liberari, tamẽ damnationem eorum per suffragia vel mitiorem & tolerabiliorem reddi, vel usque ad judicium suspendi posse. Sed hoc quartum membrum Scholastici prorsus negant. Contendunt enim nemini in inferno prodesse suffragia, nec quò ad liberationem, nec quo ad mitigationem, nec quò ad suspensionem pœnæ, nec quò ad fortificationem tolerantiæ. *Cõtentio Canonistarum & Scholasticorum de suffragiis.*

Illud etjam quod Augustinus & Gregorius disputant, per suffragia vivorum posse defunctis impetrari remissionem culpæ venialis, Scholastici non concedunt, qui volunt omnem culpæ remissionem in hac vita fieri, & suffragia valere tantùm ad pœnæ vel diminutionem, vel solutionem. *Scholastici dissident ab Augustino & Gregorio.*

Purgatorii contradictio in hoc cõstat.

Vigiliæ mortuorum non meminerunt purgatorij.

nem. Ita ergo tantùm ex dissentientibus opinionibus constat purgatorium.

Illud etjam observatione dignum est, quod in usitatis vigiliis mortuorum, nulla prorsus mentio fit, vel purgatorii vel ignis ipsius. Et lectiones cum Psalmis, ex Scriptura sumptæ, nullum prorsus verbum habẽt, quod vel doceat, vel mandet, vel promittat, vel oret, vel quod ullam mentionem faciat, animas defunctorum post hanc vitam, suffragiis viventium vel revelari, vel liberari ex purgatorio. Sed loquuntur de miseriis hujus vitæ, de pœnitẽtia & reconciliatione cum Deo in hanc vita de beatitudine fidelium post hanc vitam in Christo, & de resurrectione mortuorum, quæ vivorum instructiones & consolationes fuerunt. Et quia antiquitus statim post emissum defuncti Spiritum presbyteri advocabãtur, qui cum amicis defuncti pernoctabant, ex verbo Dei philosophantes, sicut Chrysostomus inquit, Vnde appellatio vigiliarum, quæ in media die jam celebrantur, reliqua est. Antiphonæ igitur versiculi & responsoria in vigiliis illis, animam defuncti recens emissam Deo commendant, ut dimissis peccatis, ab inferno & à morte æterna custodiatur & liberetur, ne in die extremi judicii, secundum peccata judicetur & condemnetur, sed ut in resurrectionis gloria inter electos respiret. Nulla igitur ne in vigiliis quidem mentio fit purgatorii, adeò ut Ingolstadienses cogantur precationes illas in vigiliis per auxesin & catachresin eludere, nisi velint purgatoriũ amittere. Posteriores verò quidam Pontifices, orationes quasdam de tormentis purgatorii addiderunt vigiliis.

De Ecclesia Graca.

Porro Græca Ecclesia hac in re semper à Latinis dissensit, nec purgatorium unquam recipere voluit, Tandem verò circa annum Domini 1430. cùm à Turcis Græci infestarẽtur, spe consequendi auxilii, Palæologus Cõstantinopolitanus imperator, tentavit facere unionem cum Latinis. Et in Basiliensi quidem Concilio Græci, scripta Apologia, quæ extat, purgatorium Romanorum improbârunt & rejecerunt. Posteà verò, cùm Eugenius schismaticus Basiliense Concilium dissipasset, Ferrariæ & Florentiæ diu multumq; cum Græcis actum fuit. Et controversia quidem de processione Spiritus sancti ritè fuit declarata & compositа. Pontifex verò vehementer urfit, ut in reliquis etjam controversis articulis, de purgatorio scilicet igne, de Romani Pontificis primatu seu principatu, de pane azymo, & divina panis transmutatione in Eucharistia, Græci ad Latinorum sententiam accederent. Græci verò responderunt, se tantùm in mandatis habere, ut de processione Spiritus sancti tractent. De reliquis igitur quæstionibus non posse se ex Orientalis Ecclesiæ autoritate, aliquid constituere. Cũ verò Pontifex urgeret, & Palæologus Imperator spe auxilii concedendum aliquid existimâret, cœperunt Græci, excepto Ephesino, de illis quæstionibus generaliter & ambiguè respondere, & tamen cũ protestatione, ne in literis unionis illorum articulorum mentio fieret. Extorsit tamen Eugenius & hoc à Palæologo, cum Bessarionem & alios Græcos variis artificiis sibi obnoxios fecisset (acriter tamen contradicente Ephesino) ut in literis unionis purgatorium etjam, quasi à Græcis receptum & approbatum, poneretur. Factum hoc fuit, anno 1439. sed vix anni 14. ab illa unione exierãt. Cum Mahometus Turcarum Imperator, capta Constantinopoli, totum Orientis Imperium abstulit anno scilicet 1453. quod multi Græci interpretati fuerunt propter simulatam illam cum Latinis unionem factum esse. Atque ideò unionem illam rescinderunt, & purgatorium Latinorum, sicut antea, ad hunc usque diem constanter improbârunt & negârunt. *Basiliense Concilium.*

In quib. Græca Ecclesia à Romano dissidet.

Vualdenses etjam cum aliis circa annũ 1200. purgatorium Pontificium negarunt. Docuerunt autem verum purgatorium esse in hac vita, juxta hæc Scripturæ dicta, Ebræ. 1. Facta purgatione peccatorum, &c. 1. Ioann. 1. Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato. 2. Timoth. 2. Si quis se expurgarit ab istis, erit vas in honorem. Vuesselus circa annum 1480. disputavit, animas solutas à corporibus, non supplicio aliquo purgari, sed quia imperfecti in agnitione & in charitate hinc discedunt. Dicit igitur in altero seculo, ante judicium, illos crescere & perfici, sub disciplina Dei patris, & sub doctore Iesu, & illo profectu sentit eas purgari. Et dicit Augustinum de verbis Domini, appellare hoc intellectualem disciplinæ ignem. Allegat etiam Nazianzenum, qui duplicem ignem fecit, purgatorium, de quo Christus dicit: Veni ignem mittere in terram, & quam velim illum jam ardere. Punitorium verò qui paratus est Diabolo & angelis ejus. *Vualdenses de purgatorio.* *Vuesselus.*

Inter posteriores etjam Græcos quidam disputare cœperunt, posse fieri, ut animæ quædam post hanc vitam purgentur, nõ quidem igni, sed vel carcere, vel tenebris, vel turbine. Et ab hac sententia Lutherus in principio in suis articulis non abhorruit, scilicet turbationem, pavorem, horrorem esse purgatorium. Alii verò Græci, sine intermedia pœnali purgatione, sentiunt credentium animas transire ad Paradysum, Deo ex φιλανθρωπία, condonante ipsis peccata. Et quomodo Lutherus postea, re diligentius ad normã Scripturæ examinata, purgatorium gladio Spiritus subverterit, & ignem illum extinxerit, historia recens est, & plagam illam totum regnum Pontificium sentit & dolet, ac omnis generis flabella ad resuscitandum illum ignem conquirit, sed nec quicquam. *Lutherus.*

Hanc purgatorii historiam mediocri diligentia collectam, in principio hujus loci ponere volui, monstrat enim fontes & fundamenta explicationum & refutationum in tota hac cõtroversia, atque ideo reliqua capita hujus loci, brevius jam expediri poterunt.

COMMENTVM PONTIFICIORVM DE PVRGATORIO, *alienum esse à Scriptura, & cum Scriptura pugnare.*

Hactenus

Universidad de Deusto
Biblioteca

HACTENVS de structura purgatorii diximus, quomodo ex Philosophorum rationibus, ex Poëtarum fabulis, ex Iudaicis præsumptionibus ex Apocryphorum cõmentis ex Origenicis allegoriis, ex humanis traditionibus & consuetudinibus, atque ex dubitabundis disputationibus fuerit sensim coagmentata, & subinde accedentibus novis architectis variata & mutata, juxta dictum: Diruit ædificat, mutat quadrata rotundis, donec tandem ex spectris mortuorum, & ex illusoriis visionibus ac revelationibus, in Pontificia Ecclesia inter articulos fidei locum meruit. Iam verò opiniones illas Pontificii purgatorii, ad regulam seu Canonem verbi Dei exigemus, an illi consentaneæ sint vel repugnantes. Ideò enim constitutus est Canon librorum Canonicorum, inquit Augustinus contra Cresconium, ut secundum illos de cæteris libris & disputationibus, vel fidelium, vel infidelium liberè judicemus, & quod in eis divinarum Scripturarum authoritati congruit, accipiamus, quod non congruit, ea libertate, ad quam nos vocavit Dominus, respuamus. Sacra enim scriptura doctrinæ nostræ regulam figit, inquitidem: Ne audeamus sapere plus quam oportet, ut docere in Ecclesia nihil aliud fit, quàm vocem doctoris Spiritus Sancti ex Scriptura repetere & recitare. Nam juxta Basilium, manifesta ἐκπλήρωσις, est à fide, aut reprobare quid ex his quæ scripta sunt, aut superinducere quid ex non scriptis. Quicquid autem attulerint, & undecunque recitaverint, audiamus nos potiùs, si oves ejus sumus, vocem pastoris nostri. Ergo in Scripturis sanctis Canonicis, sicut Augustinus Ecclesiam, ita nos purgatorium requiramus. Hoc enim quod de sacris voluminibus sumitur, inquit Origenes, firmum & solidum est, quod qui sequitur securus ingreditur. Quando verò absque Scriptura aliquid dicitur, auditorũ cogitatio, inquit Chrysostomus claudicat. Suspecta igitur secundum Gersonis Consilium debet esse omnis revelatio, quam non confirmat lex & Prophetæ cũ Evangelio. Sensus quippe nostri & enarrationes, sine sacris Scripturis testib, nõ habent fidẽ, inquit Orig. Sequamur itaq; hoc etjam loco Chrysost. consiliũ, ut non multorum opiniones habeamus, nec respiciamus quid huic vel illi videatur, sed hæc omnia in Scripturis inquiramus. Non enim humanis documentis, sed divinis oraculis dogmata demonstranda sunt, inquit Augustinus. Legant itaque Pontificii nobis, ut Augustini verbis utar, purgatorium suum ex Lege, ex Prophetis, ex Psalmis, legant ex Evangelio, & Apostolicis literis, & credemus. Si minus, dicemus cum Tertullia. Adoramus Scripturæ plenitudinem: Aut Scriptum doceat purgatorii officina, aut si scriptum non est, timeatve illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum. Et quod Augustinus contra Petilianum de Ecclesia, idem nos rectissimè de purgatorio dicimus. Purgatorium suum, si possunt, demonstrẽt non in sermonib. & rumoribus Latinorũ, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorũ, non in signis & prodigiis fallacib. quia etjam cõtra ista verbo Domini præparati & cauti redditi sumus, sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius pastoris vocibus in Evangelistarum prædicationib. & laboribus: hoc est, in omnibus Canonicis sanctorum librorum autoritatibus. Hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta, inquit Augustinus. Item, non dicant ideò verum est, quia illa & illa mirabilia fecit, vel iste, vel ille, aut quia illa & illa ibi contingunt, aut quia ille vel illa, tale visum, vel vigilans vidit, vel dormiens somniavit, removeantur ista, vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Exigite ab istis, ut ostendant aliqua manifesta, de Canonicis libris, testimonia: Memento quod Domini dictum sit, habent Mosen & Prophetas, audiant illos. Hæc Augustinus.

Vsus Canonicæ scripturæ. *Basilius.* *Augustinus.* *Origenes.* *Chrysostom.* *Gerson.* *Augustinus.* *Tertullianus.*

Nos equidem non sumus tam feri, barbari, aut inhumaniter stupidi, quin fratres nostros ex hac vita discedẽtes, charitatis vinculo, tanquam membra corporis Christi complectamur, eorum memoriam fraterna benevolentia retineamus, de ipsorum statu cogitemus, felicitati eorum faveamus, & beatissima quæq; ipsis optemus. Singuli certè in timore Domini de fine nostro cogitamus, precantes cum Davide: Notum mihi fac Domine finem meum, & numerum dierum meorum. Quod enim vivimus in carne, in fide vivimus filii Dei, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, Gal. 3. Vt sive vivamus sive moriamur, Domini simus. Roman. 14. Qui mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum ipso vivamus. 1. Thessa. 5. Vnicè enim optamus singuli in hoc elogium includi, Beati mortui qui in Domino moriuntur, Apoca. 14. Ita enim cupimus dissolvi, ut nõ veniamus in locũ tormentorũ. Luc. 16. Sed ut simus & vivamus cũ Christo, Phil. 1. 1. Thes. 5. Si itaq; ex solidis & manifestis scripturæ Canonicæ fundamentis liquido constaret, doctrinã de purgatorio, sicut à Pontificiis traditur, verã, certã & firmam esse, omninò suffragia illa, quæ animas ex tormentis purgatorii possent liberare, pro defunctis nostris, à sacerdotib. quantiscunq; impensis licitaremur, & vivi curaremus, ut post mortẽ nostrã liberaliter illa redimerẽtur. Quis enim sibi ipsi & suis nõ optaret, post mortem refrigerium, requiẽ & beatitudinem æternam? Sed frustra hæc omnia vel crederentur, vel timerentur, vel sperarentur, vel suscriberentur, si non Deus ipse in verbo suo hæc patefecisset, instituisset, & promissionibus suis confirmasset? Ex Dei enim ordinatione & voluntate, non ex hominum imaginationibus & præsumptionibus, talia æstimanda sunt, quia solus Deus potestatem animarum habet, Matth. 10. Quod si scriptura Canonica Pontificiorum purgatorium non crediderit, iniustè pro articulo fidei credendum nobis obtruditur. Fides enim ex qua justus vivit, & per quã sine dubitatione ambulamus, ex Scripturis Canonicis juxta Augustinum concipitur. Quod si præterea à Scriptura dissentire dogma purgatorii, & cum ea pugnare monstratum fuerit, rectè, meritò, & quidem necessariò illud nobis improbandum & abjiciendũ erit.

Purgatorij dogma dissentit totum à Scriptura.

Quando autem purgatoriũ nominamus, intelligimus hæc omnia, quæ supra in structura & histo-

De Pontificij purgatorij primũ cap. secundum. historia purgatorii explicata sunt. I. Quod præter locum damnatorũ & beatorum, tertius quidem locus medius post hanc vitam constituitur. II. Quòd animæ quorũdam, qui in vera fide, qua membra Christi & hæredes Dei sunt, hinc excedunt, ex Christo & regno ejus aliquandiu exclusæ, igni post hanc vitam excrucientur & torqueantur, priusquam ad requiem & beatitudinem transferantur. III. Opera pietatis viventium, loco satisfactionum suffragari defunctis, ut per ea & propter ea, post mortem à tormentis purgatorii liberentur. IIII. Quòd post hanc vitam defunctis restet locus aliquis veniæ, indulgentiæ, remissionis peccatorum & reconciliationis cum Deo, quam, dum viverent, non acceperunt. V. Fide propter Christũ tantùm culpam peccati remitti, pœnam verò æternam ex gratia, potestate clavium, mutari in temporariam, pro qua nobis ipsis sit satisfaciendum, sive in hac, sive in futura vita, vel per nos, vel per alios. Durandus addit, etjam sacerdotibus errorem, si non sufficientem satisfactionẽ impo suerint confitentibus, in purgatorio luendum esse. VI. Nisi quis inhærentem justitiam perfectam, & sine omni macula, integram & prorsus mundam habuerit, non posse in gredi regnum Dei, sed tam diu igne torrendum, donec maculæ peccati excoquantur. VII. Peccata venialia, hoc est, ut ipsi interpretantur, quæ non sunt contra legem Dei, tam atrocibus suppliciis post hanc vitam expiari in credentibus. Hæc igitur in Scriptura Canonica quæramus, an ibi ita tradantur, an verò à perpetua Scripturæ sententia dissentiant, & cum ea pugnent.

Tertium. *Quartum.* *Quintum.* *Sextum.* *Septimum.*

Scriptura nihil habet de purgatorio. Et in Scriptura quidem extant descriptiones, qua fide & qua spe, credentes mortui sint. De statu etjam seu conditione defunctorum, post hanc vitam ante judicium, Scriptura loquitur. Viventium etjam pietas erga mortuos, in Scriptura Canonica celebratur & describitur: Sed nullibi ulla fit mentio, vel ignis purgatorii post hanc vitam, vel suffragiorum pro mortuis. Iacob moriturus testamentũ suum condit. Ioseph quid post mortem suam fieri velit mandat. Patriarchæ defunctorum exequias diligenter & religiosè celebrârunt, sed nulla prorsus mẽtio fit eorum, quæ ad purgatorii cameram pertinent. Per Mosen Deus varia sacrificia pro omnis generis necessitatibus instituit, sed de sacrificio pro mortuis verbum nullum. Nec Prophetæ qui sunt interpretes legis divinæ, quicquam de purgatorio habent. Variæ extant in Scriptura comminationes, multæ promissiones, mysteria etjam non pauca divinitus revelata, de iis, quæ rationi ignota sunt, sed de purgatorio ubique silentium. Res petendæ, quæ sunt secundum voluntatem Dei, in Scriptura explicantur. Formulæ etjam piarum precationum multæ & variæ descriptæ extant, sed de oratione pro mortuis in purgatorio nihil. Officia charitatis proximo exhibenda diligenter in specie describuntur, sed inter hæc suffragia pro mortuis non leguntur. Et quidem cùm Paulus ex professo præscribat cõsolationem proponendam vivis in luctu mortuorum, 1. Thessalon. 4. nulla syllaba ad purgatorii opiniones alludit, cùm quidem antithesis hoc postulasset, ubi dicit: Ne contristemini sicut reliqui. Gentes enim de mortuis suis soliciti erant, non simpliciter, quòd eos prorsus interiisse existimarent. Hæc enim quorundam tantùm opinio fuit, sed quòd juxta Philosophorum & Poëtarum figmenta, eos purgatoriis quibusdam pœnis torqueri putabant, sicut ex Platone & Virgilio, suprà ostendimus. Hic certè locus postulasset, de purgatorio & de suffragiis pro mortuis dicere, si Apostolica hæc esset traditio, aliàs enim Paulus & vivos fefellisset in Ecclesia Thessalonicensium, & mortuos defraudasset, dicens: Consolemini vos mutuo sermonibus istis. Tacens verò de tormẽtis piorum in purgatorio, ex quibus per vivorum suffragia potuissent liberari, si dogma Pontificiorum de purgatorio esset Apostolicum. Paulus verò simpliciter dicit: Mortuos in Christo, dormire per Christum, & expectare beatam spem resurrectionis. Cumq; Ioanni in Apocalypsi fidelium status seu conditio post hanc vitam, non tantùm qualis post extremum judicium futurus est: Sed qualis etjam nunc sit post mortem ante carnis resurrectionem, multis & variis visionibus & revelationibus ostendatur, ibi certè & tempus & locus fuisset revelationis purgatorii, sed nulla prorsus ibi, vel oratio, vel dictio, vel syllaba, vel litera extat, vel de purgatoriis pœnis, vel de suffragiis satisfactoriis & liberatoriis post hanc vitam. Eodem modo doctrina pœnitentiæ, justificationis, remissionis peccatorum, reconciliationis cum Deo, & salvationis, in scriptura crebris repetitionibus inculcatur, per dogmata, per promissiones, exhortationes, exempla & cõsolationes. Et in hac vita esse tempus acceptabile, quo per Dei gratiam possimus salutarem pœnitentiam agere, justificari, redemptionem, salutem, & vitam æternam consequi, Scriptura manifestè tradit. Post mortem verò hæc, si neglecta fuerint, vel ex parte, vel in solidum effici & præstari posse, & quidem per aliorum vicariam pietatem, à Scriptura prorsus alienum est. Ita Scriptura etjam ignorat, quòd animę post exitum ex hac vita, tormentis igneis & possint & cogantur pro peccatis in hac vita non expiatis, satisfacere. Sicut & hoc Scripturæ ignotum est, quòd peccata non remittantur per gratuitam condonationem misericordiæ & bonitatis Dei propter Christum, sed quòd ignitis tormentis, post hanc vitam, per modum satisfactionis & solutionis, eluantur & excoquantur, quodq; credentes purificentur & emundentur à peccatis, non sanguine Christi in hac vita, sed flammis purgatorii post mortem. Hæc in scriptura non tradi, & inde ostendi & probari non posse, adeò manifestum est, ut ipsi Pontificii hoc fateri & concedere cogantur. Ideò enim visiones & revelationes spectrorum in subsidium advocârunt, quia viderũt ex Scriptura Canonica illa probari non posse. Quæ verò audacia est, pro articulo fidei obtrudere, & quæ temeritas esset, pro articulo fidei accipere, de quo nulla certa & manifesta vel documenta, vel testimonia in scriptura extant? Dicamus itaque cum Augustino: Si quis de quacunq; re, quæ pertinet ad fidem vitamq; nostram, non dicam, si nos, sed quod Paulus adjecit, si Angelus de cœlo vobis annunciaverit, præterquã quod in Scripturis legalibus & Evangelicis accepistis, anathe-

Paulus. *Ioannis Apocalypsis.* *Doctrina de pœnitentia nõ admittit dogma de purgatorio.* *Augustinus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

anathema sit, aut legat mihi hoc in Scripturis sanctis, & non sit anathema. Ita enim Augustinus loquitur.

Dogma de purgatorio, pugnat cum perpetua sententia Scripturæ.

Neq; verò hoc tantùm in Pontificiorum purgatorio desideratur, quòd Scripturæ Canonicæ fundamentis, testimoniis & documẽtis destituitur, quod tamen solum sufficeret, ne pro dogmate Ecclesiastico, aut pro articulo fidei reciperetur: Sed præterea, contra perpetuam Scripturæ sententiam pugnat, & præcipuos doctrinæ cœlestis articulos labefactat, depravat & evertit. Quod ut in re plana paucis, & liquido ostendi possit, facta tantum antithesi sententiarũ Scripturæ, & opinionũ purgatorii, quas paulò antè ideo per capita assignavimus, ut Antithesis eò facilius & certiùs institui possit. Quod igitur attinet ad medium illum ordinem, statum seu locum, Scriptura tantùm duos facit ordines seu status hominum post hanc vitã. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Marc. decimo sexto. Qui credit in filium, nõ judicatur, qui verò non credit, jam judicatus est. Item, qui credit in filium, habet vitam æternam, qui verò non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum, Ioan. 3. Ita Luc. 16. animabus à corpore exeuntibus, ante extremum judicium, duo tantùm loca assignantur, locus consolationis & locus tormentorum. Et quidem Chasma ita confirmatur statim post mortem, ut ex loco tormẽtorum nemo possit, ad locum consolationis transferri. David etiam bimembrem tantùm facit distinctionem, mortem scilicet Sanctorum pretiosam, & mortem peccatoris pessimam, Psalm 34. & 116. Et usitata est in Scriptura immediata illa divisio, vel vita, vel mors, vel benedictio, vel maledictio. Deut. 30. vel salvus vel condemnatus, Marc. 16. vel perire, vel habere vitam æternam, Ioan. 3. vel habere hæreditatem regni Dei, vel non habere, Roma. 8. Galat. 5. vel esse in regno Dei, vel extra, Matth. 8. vel habere sortem Sanctorum in lumine, Colos. 1. vel esse in tenebris exterioribus. Contra has verò Scripturæ sententias, Pontificiorum purgatorium fingit medium statum, ubi animæ nec in luce sint, nec in tenebris exterioribus, nec vitam, nec mortem habeant, nec benedictę sint, nec maledictæ, nec damnatæ, nec salvæ, nec cum Christo, nec cum Diabolo. Quòd verò docent, animas post mortem, ex loco tormentorum posse transire ad locum refrigerii, hoc diserte & expresè pugnat contra manifestam Christi sententiam, Luc. decimosexto.

Antithesis sententiarũ Scripturæ & opinionũ purgatorij, I. De medio loco inter beatos & dãnatos.

David.

Eodem modo instituatur antithesis istius opinionis purgatorii, quæ fingit, quorundam fidelium animas, post hãc vitam cruciatibus ignis torqueri, priusquam ad requiem & beatitudinem transferantur: Christus certè, Ioan. 5. affirmat: Amen, Amen dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium nõ veniet, sed trãsibit à morte in vitã. Purgatorium verò contradicit. Transibit non à morte in vitam, sed in tormenta ignis purgatorii, & ibi horribiliter judicabitur, ac postea demum vitam habebit, cùm Christus dicat, non judicatur, sed habet vitam æternam, Ioan. 3. Iudicari enim & salvari in Ioanne opponuntur.

II. De eo, quod dictitant, animas quasdam torqueri igni purgat. ante quam ad requiem perveniant.

Eodẽ modo, si tantùm annotentur reliquæ Scripturæ sententiæ, primo intuitu sine prolixa & operosa explicatione manifestum erit, quod purgatorii opinio de tormentis fidelium post hanc vitam, quasi adversa fronte illis repugnet, Rom. 4. Quorum peccata sunt remissa, beati sunt, Ezechielis 18. iniquitatum ejus non recordabor. Roman. 8. Nihil condemnationis his, qui in Christo sunt. Colos. 2. Chirographum sublatum est. Roman. 5. Iustificati habemus pacem cum Deo. Roman. 8. Quis accusabit, &c. Ioann. 8. Non gustabit mortem, Ezech. 18. vita vivet, non morietur. Ioan. 11. Etiam si mortuus fuerit, vivet. Quod nõ de duratione vitali, qualis etiam in damnatis in æternum erit, sed de vita beata intelligitur, 1. Thes. 5. ut sive vigilemus, sive dormiamus simul cum Christo vivamus. Et Esa. 57. Iustus moriens venit in pacem, & requiescit in cubili suo. Luc. 2. Nunc dimittis servum tuum Domine in pace. Genesis 15. Ibis ad patres tuos in pace, Psal. 5. In pace in idipsum dormiam & requiescam. Apocalypsi decimoquarto. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit, Spiritus ut requiescant à laboribus suis. Manifesta certè hæc sententia est eos, qui in Domino moriuntur, non tormentis, ignis primum subjici, sed statim venire ad requiem.

Significat autem ἀπάρτι deinceps, jam inde confestim, jam jam ab hac hora omnino planè, Et græcus textus particulam illam ἀπάρτι, refert ad præcedentia, ut sensus sit, mortui, qui in Domino moriuntur, confestim ab illa hora omnino beati sunt. Et Spiritus respondens, utitur particula asseverativa, ναί, ita prorsus. Et additur ratio. Ita modo beati sunt, ut requiescunt à laboribus suis. Nec de illis loquitur, qui propria satisfactione & mundicie ad cœlum evolant, sicut inquit, cap. 7. qui lavarunt & dealbaverunt stolas suas in sanguine agni, illos, postquam hinc excesserunt, nullus æstus tanget, sed absterget DEVS omnem lachrymam ab oculis eorum. Et Esa. 35. Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. Quod dictum etiam Chrysostomus de fidelibus defunctis in futuro seculo interpretatur. Ita Christus in cruce traditurus Spiritum patri, utitur verbis, non peculiariter suis, sed quæ David antea usurpaverat. Psalmo 31. In manus tuas Domine, commendo spiritum meum, ut ostendat, propter capitis consummationem, etiam membra illam consolationem habere in ipsa morte, quod Spiritus emissus, tãquam depositum, susciptur à Deo. Sicuti & Stephanus, Actor. 7. hac fiducia obdormit: Domine Iesu suscipe Spiritũ meum. Et ne excipiatur, Martyrii tantùm hoc privilegium esse, Petrus dicit: Omnes justos, qui in hac vita affliguntur, animas suas tanquam apud fidelem creatorem deponere. 1. Pet. 4. Iustorum enim animæ in manu Dei sunt. Sapien. 3. hoc est, sicut Christus interpretatur. Ioannis decimo: Oves, quæ audiunt vocem meam, in manu mea sunt. Non verò ita, sicut omnia sunt in manu Dei, potentiæ ipsius subiecta, sed quia redemisti me, Domine Deus veritatis. Psal. 31. quia non tangit eos tormentum. Sapien. 3. & quia nemo eos de manu mea rapiet, sed vitam æternam

Chrysostom.

æternam do ovibus meis, Ioannis decimo. Ita Paulus hac fiducia dicit, mortem sibi lucrũ esse, quia cupio, inquit, dissolvi & esse cum Christo, Phil. 1. Et ne quis contendat peculiare hoc Apostolorum privilegium esse, 2. Cor. 5. in genere loquitur, quando per dispositionem terreni tabernaculi peregrinamur à corpore, tunc præsentes adsumus apud Dominum, atque ideo confidimus, & bonam voluntatem habemus deponendi hoc tabernaculum. Ita 2. Timoth. 4. cùm de se Paulus dixisset, tempus resolutionis meæ instat, in reliquo reposita mihi est (non tortura purgatorii) sed corona justitiæ. Addit, non mihi tantùm, sed & omnibus qui diligunt adventum ipsius. Et quidem Rom. 14. expresè de infirmis in fide dicit, sive vivimus, sive morimur, Domini sumus. Non sicut ratione creationis omnia sunt Domini, sed peculium ejus sumus, acquisiti sanguine ipsius, ut det nobis vitam æternam, & de manu ejus nemo nos rapiet, Ioannis 10. Id quod Christus illustri exemplo in latrone, qui in ipso vitæ exitu conversus est, probavit. Hunc enim Pontificii simpliciter tormentis purgatorii acerbis & diuturnis subjecissent, sed Christus inquit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradyso. Quod exemplum cùm sit valdè illustre, Pontificii variis modis conantur eludere. Quidam ex latrone conantur Martyrem facere: Alii dicunt, Privilegium hoc singulare fuisse, quod diserte Athanasius negat. Monachus verò quidam hac depravatione sibi multum placet: Amen hodie dico tibi, eris mecum in Paradyso, scilicet post expleta tormenta purgatorii. Vsque adeò ergo cum Scriptura Canonica pugnat Pontificium purgatorium, ut consistere non possit, nisi scelerate distorqueantur & depraventur clarissima Scripturæ dicta. Eò magis verò detestanda nobis sunt commenta illius purgatorii, quia & cum Scriptura, sicut manifestum est, pugnant, & dulcissimam atque adeò necessariam consolationem, in media morte nobis eripiunt.

Exemplum latronis.

Depravatio Pontificia ex exemplo latronis.

III. De eo, quod post hanc vitam ire, pœn. possit impetrari.

Similiter etiam contra Scripturam pugnat, quod fingunt, post hanc vitam impetrari posse indulgentiam seu remissionem peccatorum, & reconciliationem cum Deo, vel per propria tormenta, vel per aliorum viventium opera. Et ea, quæ vivi pro mortuis faciunt, in rationem venire apud Deum, corã judicio ipsius. Paulus enim 5. Corinth. 5. docens quomodo Deus nos sibi reconciliet per Christum, nõ imputans nobis peccata ut efficiamur justitia Dei in ipso, dicit Deum ad hoc instituisse ministerium reconciliationis, tanquam ordinarium organon. Et Apostolos nomine Christi exhortari & obsecrari, reconciliemini Deo. Num verò in altero etiam seculo, erit ministerium verbi & Sacramentorum? Paulus certè mox capite sequenti addit admonitionem, ne gratiam illam in vacuum acceperitis. Nunc enim est tempus acceptum, nunc est dies salutis. Sententia manifesta est, tempus reconciliationis cum Deo & justificationis, esse nunc in hac vita, & qui in hac vita non justificantur, seu Deo reconciliantur, eos in vacuum recepisse gratiam. Per mortem enim Chasma confirmatur, ut non pateat amplius aditus ad pœnitentiam, reconciliationem cum Deo, & salvationem, Luc. 16. Et Hebr. 3. & 4. Si volumus ingredi requiem Domini, festinemus ne quis frustretur. Adhortemur igitur nos invicem per singulos dies, donec dies appellatur hodie, qui enim hodie obdurant corda, illis juravit in ira sua, non ingressuros in requiem suam: Qui verò credunt, illi ingrediuntur, non in tormenta, sed in requiem. Quid posset manifestius contra purgatorium dici? Claves etiam regni cœlorum Christus ita instituit, quòd diserte affirmat, quæ in terris solvuntur, ea soluta esse in cœlo. Ergo, quæ in terris non solvuntur, sed ligata manent, ea postea non solvuntur, Matth. 16. & 18. Sicut enim in libris, secundum ea, quæ dum in corpore fuimus, acta sunt, invenitur, ita judicabimur, 2. Corinth. 5. Apocalypsis 20. Huc pertinent omnes Scripturæ sententiæ, ut usque in finem custodiamur & perseveremus, Matth. 13. 1. Corinth. 1. Hebræorum 3. Apocalyp. 2. Ideo etiam David petit, Psalm. 39. Notum fac mihi finem meum. Et Moyses Psalm. 90. Doce nos de fine nostro, ut adducamus cor in sapientiam. Et tota Scriptura ad pœnitentiam & reconciliationem cum Deo in hac vita nos exhortatur. Venit nox quando nemo poterit operari, Ioan. 9. Dum tempus habetis, Galat. sexto. Quod reliquum est in carne temporis, 1. Petri 4. Incolatus vestri tempore, 1. Petri 1. Redimentes tempus, Ephes. 5. Tempus breve est, 1. Corinth. 7. Piè vivamus in hoc seculo, Tit. secundo. Scientes tempus, quia jam hora est à somno surgere, Rom. 13. Qui enim hoc tempus negligunt, illi postea frustra cum fatuis virginibus pulsabunt januam clausam. Matthæi 25. Quærite Dominum dum inveniri potest. Esaiæ 55. Nec mortui laudabunt te Domine, sed nos qui vivimus. Psalm. 115. Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo, quamdiu superstes ero. Psalm. 146. Syrach. 5. Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim venit ira illius, & in tempore vindicta disperdet te, Syr. 18. Iustificationem non differas usque ad mortem. Eccles. 9. Mortui non habent ultra mercedem, nec habent partem in hoc seculo, & in opere, quod sub sole geritur. 11. In quemcunque locum ceciderit arbor, in eo permanebit. cap. 9. Instanter operare, quia nec opus, nec ratio erunt apud inferos quo properas. Syr. 14. Ante obitum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum. Has sententias Pontificii ita eludunt initium oportere in hac vita fieri, & ita nos dum vivimus promereri, ut si quid defit, illud post mortem suppleri possit, vel à nobis ipsis per cruciatus purgatorii, vel à superstitibus per opera pietatis, & hæc simul venire in rationem coram judicio Dei. Sed hæc dicuntur non tantùm sine Scriptura, sed & contra Scripturam. Nam 2. Corinth. 5. Paulus dicit, coram tribunali Dei unusquisque referet, prout gesit in corpore, sive bonum, sive malum. Galat. 6. Vnusquisque propriam sarcinam portabit. Quicquid enim seminaverit homo, hoc & metet. Itaq; dum tempus habemus operemur bonum. Apocal. 14. Opera eorum sequuntur eos. Et Matthæi 25. In judicio recensentur, non quæ post mortem vel ipsi in purgato-

Clavium usus.

Elusiones quibus Pontificij hæc dicta depravant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rio passi sunt, vel alii viventes pro ipsis satisfactionis loco fecerunt, sed quę ipsi in hac vita fecerunt. Quomodo verò contra has Scripturæ sententias, opiniones illæ de remissione & satisfactione post mortem, ac de suffragiis vivorum pro mortuis, pugnent, manifestum est. Statutum enim hominibus semel mori, post hoc autem judicium, secūdum ea scilicet, quæ in corpore quisque gessit. Hebræorum nono. 2. Corinth. 5. Augustini verò effugia seu elusiones potius, de quibus suprà diximus, prorsus nulla in Scriptura fundamenta habent.

IIII. De satisfactionib. Pontificiis in purgatorio pro peccatis.

Quod attinet ad plenam persolutionem satisfactionum pro peccatis exolvendam, vel in hac vita, vel post mortem, per tormenta purgatorii, aut per vivorum suffragia, quæ sunt propiciationes & redemptiones: Illa non tantum sine Scriptura dicuntur, sed articulum justificationis nostræ coram Deo, quæ est summa & finis totius Scripturæ, simpliciter à fundamentis evertunt, & contumeliosa sint in satisfactionem filii Dei. Omnino enim peccatum non dimittitur sine satisfactione, qua plenariè, integrè perfectè & absolutè, legi Dei satisfiat. Sed talis satisfactio, quia nobis impossibilis est, ideo Deus filium suum misit in similitudine carnis peccati, ut factus hostia pro peccato, damnārit peccatū, ut justificatio legis impleretur, non à nobis, sed in nobis, qui sumus in Christo Iesu. Roman. 8. Is enim factus est nobis à Deo justitia. 1. Corint. 1. & per fidem nobis illud imputatur, quòd Christus traditus est propter peccata nostra. Rom. 4. ut obedientia ipsius justi constituamur. Rom. 5. factus enim est pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. 2. Corinth. 5. Et hæc justitia Christi nobis imputata, perfecta, integra, absoluta, & undique sine macula, pura & munda est. Nostę in ipso sumus consummati. Col. 1. Et quia in sanguine Agni dealbamus stolas nostras, puri & mundi sumus in ipso. Apocalyp. 7. Sanguis enim filii Dei emundat nos ab omni peccato. 1. Ioan. 1. & Roman. 3. Iustificati per redemptionem, quæ est in Christo, quem proposuit Deus propiciatorium in sanguine ipsius, &c. Alias igitur propiciationes & redemptiones in purgatorio fingere, per eleemosynas, & alia suffragia viventium, vel per passiones purgandorum, contumelia est in sanguinem Christi. Nam 1. Pet. 1. expresè scriptum est: Non corruptibilibus, velut auro & argento, redempti sumus, sed precioso sanguine Christi. Et applicationem fieri fide, tota Scriptura clamitat. Falsum ergo impium & absurdum est, quod Ingolstadienses disputant, virtutem meriti Christi post hanc vitam in purgatorio communicari & applicari credentibus per cruciatus, & tormenta ignis. Purgatorii igitur opinio, affluens nostras, & aliorum etjam redemptiones, propiciationes & satisfactiones pro peccatis, & propriam mundiciem, ac perfectionem, per chymicam quandam sublimationem & depurgationem, in purgatorio instituens, justitiam fidei evertit, & in absolutissimam Christi satisfactionem, fide nobis imputatam, blasphema est, quasi qui ejus fide vivit & moritur, postea cogatur acerbissimos cruciatus purgatorii subire, propterea quod non habeat plenam pro peccatis satisfactionem, sed ejus supplementum cogatur quærere, vel in propriis suis cruciatibus, vel in aliorū suffragiis. Si enim alia post mortem quærenda est, propiciatio & redemptio ex purgatorio: Ergo Christi propiciatio & redemptio nō est plena. Si alia purgatione post mortem opus est per ignem, ut salvemur: Ergo sanguis Christi non ad plenum purificat credentes: Frustra ergo Christus mortuus est, si aliis propiciationibus, satisfactionibus & purificationibus salvamur, Gal. 3.

Non minus illa etjam purgatorii opinio, ita *De eo, quod dicunt, Christum satisfecisse pro culpa peccati, & non pro pœna æterna.* partiens remissionem peccati, ut Christi merito tantùm remissio culpæ tribuatur, pœnæ verò pro peccatis debitæ remissio, à nostris exolutionibus & satisfactionibus pendeat, Christi redemptionis officio & merito derogat & detrahit, quasi culpam tantùm, & non pœnam etjam peccatorum nostrorum in se suscepisset, & non pro utroque satisfecisset, cum Scriptura manifestè affirmet factum ipsum pro nobis esse & peccatum. 2. Corinth. 5. & maledictum. Galat. 3. vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra, mulcta pacis nostræ super eum, & propter transgressionem populi plaga illi. Esaiæ 53. Et Scriptura testatur simul fieri remissionem culpæ & pœnæ. Matth. 18. & debitum remittitur, & debitor dimittitur, ne venundetur, aut in carcerem conjiciatur. Luc. 15. Acolastus reversus non torturæ subjicitur, sed statim cum gaudio recipitur. Ovis inventa non *VI. De Missa pro mortuis.* mulctatur, sed humeris imponitur. De pœnis verò temporariis, quæ aliquādo in hac vita conversis imponuntur. Item de remissione peccatorum venialium dicemus in refutatione. Cumq; actio Cœnæ Dominicæ instituta sit pro viventibus, qui in unum conveniunt, manducant & bibunt, & mortem Domini annunciant, & hoc faciunt in commemorationem Christi. Horribilis certè prophanatio Cœnæ Dominicæ est, ex opere illo viventium, facere propiciationem pro mortuis in purgatorio, sicut in loco de Missa hæc plenius explicata sunt.

Exhac igitur antitheſi sententiarum Scripturæ & opinionum purgatorii, manifestum est, commentum purgatorii Pontificii, non tantùm destitui documentis & testimoniis Scripturę, sed tale esse, quod perpetuæ Scripturæ sententiæ, & *Caudę purgatorii.* præcipuis ejus locis, ex diametro repugnet, articulū justificationis evertat, salutis scopum trāsferat, Verbum, Sacramenta & Claves regni cœlorum depravet, veram pœnitentiam labefactet, obedientiam, mortem & satisfactionem Christi irritam reddat, falsam justitiam & satisfactionem supponat, bonitati Dei deroget, somnum & quietem in Christo obdormientium, in acerbissima tormenta pervertat, conscientiis certam consolationem eripiat, impœnitentiam & securitatem in illis, qui post mortem larga suffragia coēmere possunt, alat & confirmet. Et breviter purgatorium mater, fons & origo est omnium impostūrarum totius Papatus. Hac enim quasi basi nituntur satisfactiones, merita, opera supererogationis, indulgentiæ, prophanatio Cœnæ Dominicæ, vigiliæ, oblationes, missæ, suffragia, orationes, peregrinatiōes, balnea pro defunctis, & quæ his affinia sunt innumera: Præcipuè verò fraternitates. Scribunt enim in speculo Rosariorum, quod puella quædam, quæ juxta sententiam judicis, septingentis annis in purgatorio cruciari debuisset, post quindecim dies liberata fuerit, meritis participationis fraternitatis Rosarii Mariæ. Eadem puella ex purgatorio liberata, habuerat legationem à reliquis animabus, quæ adhuc detinebantur in purgatorio, ut amici ipsorū viventes curarent se inscribi in fraternitatem illam, ut participatione meritorum fraternitatis illius, defuncto ex purgatorio liberentur, &c.

Defectum de fraternitatibus.

Quo igitur loco habendum sit Pontificium purgatorium, amantibus simplicem & solidam veritatem manifestum est. Doctrina verò, quæ purgatorio illi opponitur, certa & manifesta habet Scripturæ testimonia, tradit verū usum Verbi, Sacramentorum & clavium cœlestium, obedientię, morti, redemptioni, propiciationi, & satisfactioni Christi debitū & solidum tribuit honorem, misericordiam Dei juxta Scripturam celebrat, veram justificationem & salvationē monstrat, firmas & dulces consolationes in ipsa morte præbet, morte fidelium ostendit, somnū, dormitionem & quietem esse, pœnitentiam excitat, fidem confirmat, & pietatis exercitia in hac vita accendit. Vera igitur utilis & salutaris est.

Porrò cum manifestissimis hisce Scripturæ sententiis, quas recitavimus, etjām patrum dicta consentiunt, quæ adjicimus, non quod patrū sententiis tanquam Canonica autoritate nitamur, sed sicut Augustinus inquit, ut admoneātur ji, qui putant sanctos patres aliquid dicere, quomodo ante & extra præsumptiones purgatorias, juxta divina eloquia his de rebus & senserint & locuti sint. Ipsius verò sententiæ clarissima & plenissima autoritas, non in Patrum scriptis, sed in sanctis Canonicis libris viget. Ita enim Augustinus loquitur.

Testimonia Patrum contraria opinioni purgatorii.

I. De locis Scripturę post hanc vitam. Augustinus.

Patres igitur cum Scriptura & ex Scriptura, duo constituunt loca post hanc vitam, regnum scilicet cœlorum & gehennam. Et quædam sanè Patrum dicta Pontificii ita eludūt, quòd loquantur de tempore post resurrectionem & extremū judicium, ubi & ipsi concedunt tantùm duo loca esse. Sed extant quædam Patrum dicta, quæ manifestè testantur, ipsis animabus separatis seu corpore solutis, etjam ante resurrectionem, duo tantùm loca juxta Scripturam assignari. Augustinus enim disputans contra Pelagianos, constituentes pro parvulis, qui sine baptismo moriuntur, tertium & medium quendam locum inter gehennam & regnum cœlorum, sumit generale illud axioma, quòd Scriptura tantùm duo loca animabus separatis post hanc vitam tribuat. Ita generaliter loquitur de peccatorum meritis, lib. 1. cap. 28. Nec est ullus ulli medius locus, ut posset esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus malè credentium, istam nescio quam medietatem, definitivam protulit ad hæc ora obstruenda, sententiam, ubi ait: Qui mecum non est, contra me est. Et hoc generale axioma Augustinus accommodat ad parvulos, qui sine baptismo moriuntur. Quod similiter etjam hypognosticon, lib. 5. facit. Primum inquit, locum fides Catholicorum divina autoritate regnum credit esse cœlorum, secundum gehennam, tertum penitùs ignoramus, imò nec esse in Scripturis sanctis inveniemus. Et hoc generale axioma, accommodat ad disputationem de infantibus non baptizatis. At de animabus separatis, ante resurrectionem carnis, manifestissimè loquitur de Civit. Dei, lib. 13. cap. 8. In requie sunt animæ piorum à corpore separatæ, impiorum autē pœnas luunt, donec istarum ad æternam vitam, illarum verò ad æternam mortem, quæ secūda dicitur, corpora reviviscant. In variis quæstionib. quæ Athanasii titulo feruntur, q. 19. Animæ à no- *Athanasius.* bis profectæ, ubi aut quomodo sint, aliena & horribilis quæstio est, & hominibus absconditā, non enim permisit Deus redire quenquam inde, qui annunciaret, tamē ex Scripturis discimus, quòd peccatorum animæ inferius omni terra & mari existunt, ubi non est videre, neq; lumen, neq; vitam hominum. Animæ autem justorū post Christi adventum & mortem, in Paradyso sunt: Non enim propter solam latronis animam, Christus Deus noster Paradysum aperuit, sed etjam ob reliquas omnes sanctorum animas, &c. Et in præcedentibus cùm historiam purgatorii contexeremus, plura testimonia veterum annotavimus, quos duos tantùm defunctorum ordines faciant, quodq; justorum animæ statim post mortem veniant ad requiem & refrigerium. Ita H- *Hieronym.* ronym. in Epitaphio Paulæ: Quicquid ad Dominum revertitur, in familiæ numero cōputatur, illius amissio cœlestis domus habitatio est, quæ quam diu in corpore fuit, peregrinata est à Domino, questa, heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est, &c. Idem super obitu Blesillæ ad Paulam: Postquam anima sarcina carnis abjecta, ad suum revolavit autorem, & in antiquam possessionem diu peregrinata conscendit. Item, lugeatur mortuus, sed ille quem gehenna suscipit, nos quorum exitum Angelorum turba comitatur, quibus obviam Christus occurrit, gravemur magis si diutius in tabernaculo illo mortis habitemus. Idem in Epitaphio Lucinii, nō mors sed dormitio & somnus appellatur. Et hoc pulchrè explicat Chrysostomus Sermo. 17. ad Hebr. *Chrysostom.* Illa revera mors est, quando is qui moritur, non permittitur ad vitam transire, sed post mortem vivere, & quidem ζωὴν βελτίονα, vitam meliorem, ὁ θάνατος τοῦτο ἐστιν, ἀλλὰ κοίμησις, nō mors est illa sed dormitio: Similia extant in Epitaphiis Basilii & Nazianzeni.

Constanter etjam docent Patres cum Scriptura: In hac tantùm vita locum esse pœnitentiæ & reconciliationis cum Deo, post hanc vitam verò unumquemq; judicari secundum ea, quæ gessit in corpore, ut Iustinus in Tryphone dicit: Sententiam doctrinæ Christi esse ἐν οἷς ἂν ὑμᾶς καταλάβω ἐν τούτοις καὶ κρινῶ, in quibus vos deprehendero, in illis & judicabo. Quam sententiam Cyp- *Cyprianus.* fermone de mortalitate ita reddidit: Qualem te invenit Deus, cùm de hoc mundo te evocat & accersit, talem pariter & judicat. Idem contra Demetrianū: Respicite dum tempus est ad æternam salutem, securitati & vitæ, dum licet provi-

In hac tantùm vita locus est pœnitētiæ & remissionis peccatorum. Iustinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dere, hortamur dum adhuc aliquid de seculo superest. Deo satisfacere. Non celamus beneficia divina pro odiis vestris, salutis iter vobis demonstramus. Quando istinc excessum fuerit, nullus jam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur, hîc salutis æternæ, cultu Dei & fructu fidei providetur. Nec quisquã aut peccatis retardetur, aut annis quo minus veniat ad consequendam salutem. In isto adhuc mundo manenti, nulla pœnitẽtia sera est, patet ad indulgentiam aditus, & quærentibus atq; intelligentibus veritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licèt exitu, & vitæ temporalis occasu pro delictis roges Deum, confessionem & fidem ejus agnitionis implores, venia confitenti datur, & credenti indulgentia salutaris, de divina pietate eõceditur, & ad immortalitatẽ sub ipsa morte transitur. Hanc gratiam Christus impartit, redimendo credẽtem precio sanguinis sui, &c. Tasem certè Pontificii simpliciter in purgatorium detruderent, ob non persolutam pro peccatis satisfactionem. Sed Cyprianus dicit: Hanc gratiam esse redemptionis per sanguinem Christi.

Ambrosius. Ambrosius de bono mortis, cap. 2. David ideo tanquam peregrinus, ad illam Sanctorum communem omnium patriam festinabat, petens pro hujus commorationis inquinamento, remitti sibi peccata, priusquam discederet de vita. Quiẽ si hîc nõ acceperit remissionem peccatorum, illic non erit: Non erit autẽ, quia ad vitam æternam non poterit pervenire, quia vita æterna remissio peccatorum est, ideoq; dicit: Remitte mihi ut refrigerer priusquam eam, & amplius non ero. *Hieronym.* Hieronymus in 6. cap. ad Galatas super illa verba, unusquisq; onus suum portabit, inquit: In hac vita nos sustentemus, & in præsenti seculo alterutrum auxilio simus. Et mox: Per hanc Apostoli sententiam docemur, dum in præsenti seculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse adjuvari, cùm autem ad tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, non Noe, rogare posse pro quoquam, sed unumquenque portare suum onus. Ibidem: Tempus sementis tempus præsens est, & vita quam currimus. In hac licet nobis quod volumus seminare, cum ista vita transierit, operandi tempus auferetur. Idem in 9. Eccles. reperit Salomon, donec vivunt homines, eos posse fieri justos, post mortem verò nullam boni operis occasionem dari. Item mortui nihil valent ad id adjicere, quod semel secum tulerunt de vita, nec justè quippe possunt agere, nec peccare, nec virtutes adjicere, nec vitia. Et in 11. cap. Mortis tempestate subversus, quasi lignum, ubicunque ceciderit, ibi jugiter manebis, sive te rigidum & trucem, sive clemẽtem & misericordem, ultimum invenerit tempus. Idem in Psalm. 106. Dum estis in hoc seculo, hortor vos agere pœnitentiam. Confiteminì ergo Domino, quoniam in isto tantùm seculo misericors est. Hîc misereri potest pœnitentis, quia illic judex est non misericors, hîc misericors, illic judex est. Idem in Psalm. 65. Ignosce mihi ut refrigerer priusquam abeam, & ultra non subsistam. Qui enim dum in hoc vivit corpore, veniam peccatorum non fuerit consecutus, & sic de vita excesserit, Deo perit & esse desistit, licèt sibi subsistat in pœnis.

Iustinus. Iustinus, quæst. 75. Post animę à corpore excessum, statim fit bonorum & malorum distinctio. Ducũtur enim ad loca quæ eis digna sunt ab Angelis, bonorum quidem in Paradysum: Improborum verò ad inferorum loca, ubi custodiuntur usq; ad resurrectionem. *Augustinus.* In libello qui Augustino ascribitur de vanitate seculi: Scitote quia cùm anima à corpore avellitur, statim aut in Paradyso pro meritis bonis collocatur, aut certè pro peccatis in inferni tartara præcipitatur. Eligite modo quod vultis, & hoc jam in vita vestra disponite, aut perpetualiter gaudere cum Sanctis, aut sine fine cruciari cum impiis.

Augustinus de fide ad Petrum, cap. 3. Tempus acquirendi vitam æternam, in ista tantùm vita Deus hominibus dedit, ubi voluit pœnitentiam etjam esse fructuosam, quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro seculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inveniet. Idem Epist. 54. Post hanc vitam quisq; id habebit, quod in hac sibimet conquisierit. Serm. 66. In hoc seculo pœnitentiam facientibus misericordia Dei subvenit: In futuro autem pœnitentia nõ proficit, sed rationem nostrorum operum reddituri sumus. Lib. 2. quæst. Evan. ca. 38. Quòd apud Lucam Abraham diviti dicit, ad ea loca, in quibus torquentur impi, justos, etjamsi velint non posse transire, quid aliud significat, nisi post hãc vitam ita receptos in carcere, ut inde non exeant donec reddant novissimum quadrantem, propter incommutabilitatẽ divinæ sententiæ, nullum auxilium misericordiæ posse præberi à justis, etjamsi velint precari? quod admonet, scilicet, ut in hac vita homines subveniant quibus possunt, ne postea etiãsi optimè recepti fuerint, eis, quos diligunt, opitulari non valeant.

Chrysost. Chrysost. Homil. 55. in Ioan. Donec dies est, dum licèt hominibus in me credere, dum hæc durat vita, laborandum est, venit nox, hoc est, futurum tempus, quãdo nemo operari potest. Noctem enim futurum tempus appellat, quando peccatores nihil operari poterunt. *Origenes.* Ita & Orig. in Psalm. 35. dictum illud Ioh. 9. exponit de illo tempore, quod erit post hoc seculum, tunc dicit noctem illam futuram, cùm jam nemo potest operari aliquid, sed unusquisque tunc pascitur ex operibus suis, quæ hic positus operatus est.

Chrysost. de Lazaro concione 2. Omnia hîc dissolve, ut citra molestiã illud videas tribunal, Donec hîc fuerimus, spes habemus præclaras, simul ac verò discesserimus illuc, non est postea in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere. Idem Homilia 22. ad populum Antiochenum: Post finem vitæ nec meritorum sunt occasiones, sicut nec athletis post transacta certamina, coronas adipiscendi. Idem alibi: Neque enim qui in præsenti vita peccata non abluerit, postea consolationem aliquam inventurus est. Item: Neque putemus nobis cùm illuc venerimus, misericordiam tribuendam esse, qui nõ agimus ut veniam mereamur accipere, etsi Abraham pro nobis roget, etsi Noe, etsi Iob, etsi Daniel. Dũ igitur tempus est in manibus, plurimam apud Deum fiduciam nobis præparemus.

Hæc Patrum dicta Pontificii ita eludunt, quòd pro-

De depravationibus Papistica, quibus hæc Patrum dicta eludunt.

Propriæ pœnitẽtiæ & propriis meritis post hanc vitam non fit locus, interim tamen viventium operibus, meritis, satisfactionibus & suffragiis, mortuos in altera vita posse juvari. Sed quæ Scriptura hoc dicit? Imò quæ Scriptura non contradicit? quando docet justum sua fide victurum, justitiam justi super ipsum futuram. De alieno oleo nihil posse communicari. Dicunt igitur, sed sine Scriptura, quia Deus videat, quòd animæ in purgatorio graviter puniantur, quodq; tempus jam præterierit, ut se juvare non possint, ideo ipsum vivorum suffragia, tanquam satisfactionis & propiciationes pro mortuis acceptare. Sed quare nõ potius Christi satisfactionem & propitiationem pro ipsis acceptat, si omnino post hanc vitam reconciliatio fieri potest? Aut si in altero seculo, animæ demortuorum aliorum orationibus & suffragiis possunt juvari & expiari, rectius certè & efficatius illud fieret, per animas sanctorum, qui sunt in Paradiso. Sed hoc Abraham diserte negat. Luc. 16. Ita Scholastici objiciunt sibi ex Patribus, quòd mortui in altero seculo non sint in statu merendi. *Scholastici.* Respondent autem: Esse tamen ipsos in statu solvendi quod debent, & ideo quamvis ab aliis non possint juvari in merito, posse tamẽ juvari in solutione: Christi ergo solutio pro nobis, quantum audio, non sufficit, sed solutio debiti nostri ubivis potius, quàm apud Christum quærenda docetur. Atqui Scriptura docet: Si debita propter Christum in hac vita non fuerint remissa, tunc unumquenq; suum onus portarũ. Gal. 6. Filius enim non portabit iniquitatem patris, sed anima quæ peccaverit, ipsa luet. Iustitia justi super eum erit, & impietas impii super ipsum. Ezech. 18. Et unusquisq; nostrum pro se rationem reddet Deo, Rom. 14.

Perspicuè itaq; ostendimus opiniones Pontificii purgatorii & Scripturæ, & Catholicis antiquitatis sententiis repugnare. Quod si Pontificii objecerint: Veteres aliquando in aliis locis aliter sensisse & locutos esse, non nego hoc, sed semper videndum est, quæ Patrum sententiæ Scripturæ Canonicæ sint consentaneę. Quando verò, ut in hisce disputationibus, & Scripturæ & sibi ipsis repugnant & contradicunt Patres, manifestum est, quanta hac in re complectente animarum salutem, ipsorum debeat esse autoritas in ecclesia, quæ non debet audire: Hæc dicit ille vel ille, sed sed hæc dicit Dominus.

ARGVMENTA PONTIFICIORVM, QVIBVS PVRGATORIUM SUUM STABILIRE CONANTUR, EXPLICATA & REFUTATA.

Chrysostom. Sicut nullum unquam falsum dogma in Ecclesia sparsum fuit, quòd non specie aliqua plausibili propositum fuit. Vestimenta enim ovium, species sunt simulatæ religionis, inquit Chrysostomus: Imò quò magis languida & ruinosa causa est, eò pluribus argumentis, undecunq; & quomodocunq; conquisitis, tanquam coloribus, quibus incrustetur, & quasi medicamẽtis, quibus obligetur, indiget. Nã ἐνάννυμονὲς δ' ἰκλω τριὰ ἔπεα δ' ἀκρίσιν, inquit Pindarus. Ita ad stabiliendum purgatorium, varia & valde multa argumenta congerũt Pontificii. In Rhetorum enim scholis didicerunt, argumenta quæ per se imbecilla sunt, mutuo auxilio fulcienda esse, ut si non possint valere, quia magna sunt, valeant quia multa sunt. In tres verò classes seu ordines, multitudo & varietas illa argumentorum, commodioris explicationis gratia distribui potest. Præcipua enim quæ habent argumenta, ex spectris mortuorum, ex eorum visionibus & revelationibus sumpta sunt. Secundò, ex Patrum traditionibus seu sententiis, & ex longa consuetudine ac observatione, multa ad purgatorium suum conducunt argumenta. Tertiò, postquam ex spectris mortuorum, & ex humanis consuetudinibus purgatorium construxerunt, tunc demum ex Scriptura quædam loca conquirunt, ut vel speciem saltem & prætextum aliquem, ex verbo Dei purgatorium habeat. De singulis igitur breviter quædam annotabimus, pleraq; enim in præcedentibus explicata sunt.

Genera argumentorum, quibus purgatorium defenditur.
I. Ex visionibus.
II. Ex traditionibus & consuetudinibus.
III. Ex Scriptura.

Primũ genus argumentorum ex spectris mortuorum, visionibus & revelationibus.

Certum est, Pontificios non ex Patribus, multò minus verò ex Scriptura, sed ex spectris mortuorum, ex visionibus & revelationibus asseverationem illam habere, quod certò sit locus aliquis punitorius fidelium post hanc vitam, ubi sit, qualis ignis ibi sit, quę pœnę, quanta duratio purgationis, quomodo animæ per suffragia & satisfactiones vivorum inde liberentur, & ex quibus visionibus ac revelationibus illa extructa sint, suprà ostendimus. Iam quæstio est, quantùm Pythonica illa Topica, in Ecclesia valeat, hoc est, an ex mortuorum spectris, visionibus & revelationibus, citra & contra Scripturam, dogmata facienda, & novi articuli fidei recipiendi sint. Et plerasq; sanè tales fabellas, veris narrationibus Luciani nõ dissimiles, à Monachis conficias esse non est dubium, sicut de Cyrilli Epistola constat. Sed fingamus illa sicut à Monachis describuntur ita facta esse: Scriptura certè expresè consequentiâ quam Pontificii inde texunt negat, imò prohibet & damnat, Levit. 20. & Devt. 18. Non invenia tur in te qui Pythones consulat, nec divinos, & quærat à mortuis veritatem. Abominatur enim Dominus quicunq; ista facit, Esa. 8. Quod si dixerint: Quærite à Pythonibus & divinis, nunquid non populus à Deo suo requiret? Num pro vivis ad mortuos? Ad legem magis & ad testimonium, quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Cumq; hæc sententia sit manifestissima, Pontificios tamen non pudet eam depravare, & ad purgatorium suum detorquere. Ingolstadienses enim in publica disputatione inter argumenta pro purgatorio hanc Esaiæ sententiam, sed manifesto crimine falsi, ita citant: Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem pro vivis & mortuis? Item Luc. 16. Rogante Epulone, ut anima Lazari mitteretur in domum patris ipsius. Abraham respondet: Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. Cumq; dives excepe ret: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Abraham concludit: Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent, 1 Ioh. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint quoniam multi Pseudo pro-

Scriptura de mortuorum responsis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

phetæ exierunt in mundum. Gal.1. Si vel Angelus de cœlo Evangelizaverit vobis præter id, quod Evangelizavimus vobis, anathema sit.

Ita Augustinus de unitate Ecclesiæ, capit. 16. Non dicant, ideo verum est, quia ille vel illa tale visum, vel vigilans vidit vel dormiens somniavit. Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. De visis fallacibus legant, quia Sathanas transfigurat se in Angelum lucis. Audiant quæ Pagani narrãt de Diis suis, mirabiliter vel facta vel visa, & tamen Dii Gentium Dæmonia. Et in præcedentibus: Ecclesiam suam si possunt demonstrẽt, non in sermonibus & rumoribus Afrorum, non in conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini præparati & cauti redditi sumus (scilicet Deute. 13. Matth. 24. 2. Tessal. 2.) sed demonstrent in Canonicis Sanctorum librorum auctoritatibus.

Athanasius Athanasius quæst. 21. quærit, quare Deus non permiserit animas defunctorum redire, & enarrare quis status apud inferos, & qualis ibi necessitas? Respondet autem: Multi inde errores orirentur, Dæmones enim formas humanas induere possent, & dicere à mortuis se resurrexisse, & inde multas res ementitas, & falsa dogmata de iis, quæ ibi fiunt, spargere, idq; ad seducendũ nos & perdendum: Videt Lector in illa responsione, imposturas Papisticas vivis coloribus depictas esse.

Chrysostom. Chrysostomus Homilia 29. in Matt. disputans contra illos qui fingebant, defunctorum animas Dæmones fieri, refutationem sumit ex generali axiomate, Clamant: Anima talis ego sum: Vetùm hæc oratio à fraude & deceptione Diabolica est, verularum hæc verba, imò desipientium dicenda sunt, & puerorum ludibria. Nec enim potest anima à corpore separata, apud nos hic errare. Item multis è locis Scripturæ comprobari potest, non errare hìc post mortem hominum animas, nec justorum, nec peccatorum. Idem cõ c one 4. de Lazaro: Si noviſſet Deus, quòd mortui excitati viventibus essent profuturi, nequaquam omisisset. Ad hæc si assiduè essent excitandi mortui, nobisq; quæ illic geruntur, renunciaturi, Diabolus facilè perversa dogmata invexisset. Potuisset enim frequenter ostendere simulachra, & per illa quæcunq; vellet, persuadere delusis. Item, Innumerabiles sceleratus ille Dæmon dolos texuisset, multamq; fraudem in vitã hominum induxisset. Eoq; Deus occlusit foras, nec permittit aliquem defunctorum huc reversum narrare, quid illic fiat, ne illa accepta occasione technas suas omnes invehat. Item, Deus Diabolo præclusit viam ad has insidias, nobisq; parcens non permisit, ut quisquam unquam illinc huc reversus, de iis, quæ ibi sunt, narraret viventibus hominibus, docens nos, ut Scripturis omnibus.

Gerson. Gerson de examine doctrinarum citat Glossam super illud: Apparuit Moses & Helias cum ipso: Suspecta est omnis revelatio, quã non confirmat Lex & Prophetæ cum Evangelio.

Hæc Scripturæ testimonia, & antiquitatis sententiæ fundamẽtum purgatorii Pontificii, quod in mortuorum visionibus & revelationibus consistit, simpliciter posternunt & evertunt.

De Samuele per Pythonissam excitato. Quòd enim de Samuele per Pythonissam excitato, 1. Reg. 28. scriptum est, non confirmat Deum velle veritatem quæri à mortuis, vel mortuos apparere, & homines docere. Saul enim expressè fatetur: Dominus recessit à me, nec ultra respondet mihi, nec per Prophetas, nec per somnia, ideo ad Diabolum per mortuorum spectra respondentem se convertit. Cumq; contra expressam prohibitionem divinam Saul Pythonissam consulat, quis dixerit sanctam Samuelis animam, impio Sauli contra Dei mandatum obsequi? Et si verus fuisset Samuel, sequeretur justorum animas non in manu Domini, sed in potestate Diaboli esse, & ne in Abrahæ quidem sinu à magicis artibus tutas esse. Accedit, quod Samuel ante illud tempus, plus minus biennio mortuus fuerat, corpus itaq; ipsius in terram reversum fuerat. Nec Diabolus ex terra potest corpora resuscitare, quod solius Dei est. Rectè igitur Hebræi & Augustinus sentiunt, spectrum Diabolicum fuisse, Dæmone simulachrum Samuelis effingente. Quod & illa verba ostendunt, cùm inquit: Gras mecum eris. Saul enim qui ex desperatione seipsum interfecit, non collectus est ad populum electorum, nec delatus in sinum Abrahæ, ubi Samuelis anima fuit. Quis igitur personatus ille Samuel à Pythonissa excitatus fuerit, non obscurum est. Quòd verò ex circumstantiis futura prædicit, hoc Diabolo familiare est, sicut & illud, quod prætextu nominis & verbi divini abutitur. Quod verò Syracides cap. 46. videtur vero Samuelis hæc tribuere, nihil probat, liber enim est Apocryphus. Moses quidem & Elias apparuerunt in clarificatione Christi, Luc. 9. Sed specialis hæc visio fuit, & peculiaris dispensatio Dei, unde nequaquam regula generalis facienda est. Ideo enim Eliam igneo curru abstulerat, & Mosen Deus ipse sepelivit, ita ut sepulchrũ ejus nemo cognoverit, significans se ipsorum corporibus & spiritibus, ad peculiarem aliquando dispensationem usurum. Nec novi aliquid duo illis extra aut præter Scripturam attulerunt, sed locuti sunt de excessu Christi complendo in Ierusalem. Et duos illos ideo Deus ad peculiarem illam dispensationem sumpsit, ut ostenderet, veritatem omnem ex Lege & Prophetis, & ex doctrina Christi petendam esse. Illa igitur visio prorsus nihil patrocinatur Pontificiis spectris, purgatorium citra & contra Scripturam extruentibus.

Secundũ genus argumentorum, à quibus texuntur dicta patrũ & conjecturæ orandi pro mortuis. Secundò, Argumenta quæ pro stabiliendo purgatorio, ex Patrum quibusdam sententiis, & ex consuetudine Ecclesiæ orandi pro mortuis, à Pontificiis formantur, suprà in historia purgatorii commemorata sunt & monstrati fontes explicationum, quarum hæc summa est. I. Patrum opiniones & disputationes, sine expressa & manifesta Scripturæ Canonicæ autoritate, non faciunt articulos fidei sicut in prima parte hujus examinis, multis ipsorum patrum sententiis ostensum est, quarum quædam etiam recitantur, distinct. 9. Et ad argumenta de consuetudine, respondet Gratianus distinct. 8. Christus non dixit, Ego sum consuetudo, sed ego sum veritas.

Quæ-

Quælibet igitur consuetudo quantumvis vetusta & vulgata, veritati omnino est postponenda, cumq; Christus veritas sit, magis veritatẽ, quàm consuetudinem sequi debemus. Consuetudinem enim ratio & veritas semper excludunt. Et consuetudo sine veritate vetustas erroris est. Non igitur hominum consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Et quæ præterea aliæ sententiæ, distin. 8. extant. II. Ostendimus suprà quosdam veterum, ex Apocryphis fabulis, cœpisse ad purgatorium alludere. III. Origenes suum peculiare purgatorium excogitavit, cujus sententias alicubi Ambrosius & Hierony. transscripserunt, sicut ostendimus. Sed Origenicum illud purgatorium in quinta Synodo publicè damnatum est. Et tamen illas sententias Pontificii pro suo purgatorio allegare non verentur. IIII. Augustinus cœpit quidem de alio purgatorio disputare, nihil autem vel affirmavit vel asseveravit, sed ut opinionem dubiam & incertam in medio reliquit. V. Veteres longè alio sensu & fine pro mortuis orârunt, quàm Pontificii, sicut monstravimus. VI. Græca Ecclesia commentum de igne purgatorii nunquam recepit. VII. Præcipua fundamenta, quæ Pontificii purgatorio suo præstruunt à patribus disertè rejiciuntur. VIII. Quæ Monachi in purgatorio suo ex spectris mortuorũ effinxerunt, vetustioribus ignota sunt. Hæc omnia in præcedentibus liquidò sunt explicata & demonstrata, ut supervacuum esset ea hoc loco repetere. Inde verò manifestum est, Pontificium purgatorium ex vetustioribus patribus probari nequaquam posse.

DE SCRIPTVRAE SENTENTIIS QVAE A PONTIFICIIS AD STABILIENDVM PURGATORIVM DETORQVENTVR.

Pontificii fabentur purg. ex Scriptura probari non posse.

Perionius.

Roffensis.

Pet. à Soto.

ANtea aliquoties diximus, Pontificios opinionem purgatorii ad Scripturam adferre, non inde referre, sed cogere hoc videri in Scriptura dictum, quod ante lectionem præsumpserunt credendum, ut Hilarii verbis utar. Perionius dicit, se solum illum locum, qui extat in Apocrypho libro Machabeorum, deprompere posse ex Scripturis divinis, qui apertè doceat preces & Sacrificia prodesse mortuis. Roffensis disertè ponit hæc verba: Tametsi ex Scripturis non possit probari purgatorium, veritas eius nihilominus Christianis cunctis credenda est. Et postea addit: Quanquam fortasis una aut aliquam Scripturam, quæ protervientem adigat, uti rem velit, nolit, confiteatur, in promptu non sit adducere, potest esse nihilominus illic aliqua tametsi diligentissimos hactenus inquisitores ipsa latuerit. Petrus à Soto, inquit, licet in Scriptura sacra nihil perspicuè de purgatorio tradatur, tamen multa credenda esse, quæ scripta non sunt, ideo in quibusdam locis Scripturæ purgatorium non quidem demonstrari, sed insinuari. Hæ confessiones adversariorum ideo diligenter sunt notandæ: Ostendunt enim ipsos sine Scriptura purgatorium credere. Quod verò multas solent Scriptura sententias pro purgatorio allegare, illud pro forma tantùm, quod aiunt, ab ipsis fieri. Operæprecium autem est considerare, quàm alienæ, peregrinæ, ineptæ, & frigidæ sint probationes: Nam juxta versiculum:

Causa patricinio, non bona peior erit.

Orig. argumentum. Origenes igitur & post ipsum Pontificii, ubicunq; in Scriptura inveniunt metaphoras plumbi, argenti, ignis purificationis, lebetum, conflatorii, &c. Inde statim per allegoriam purgatorium extruunt, sicut de Origenis sententiis suprà quædam annotavimus, sed regula certa & Catholica est, quam Hieronymus ita tradit. Ex locis Scripturæ obscuris, dubiis, ænigmaticis & allegoricis, non posse constitui dogmata. In illis enim, quæ in Scripturis apertè posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresq; vivendi, inquit Augustinus. Idem contra Petiliani literas cap. 5. inquit: Illa interim seponenda sunt, quæ obscurè sunt posita, & figurarũ velaminibus involuta, deligamus aperta & manifesta, quę si in sacris Scripturis non invenirentur, nullo modo esset, unde illustrarentur obscura. Et cap. 16. inquit, proferte aliquid, quod non egeat interprete, non quod alium sensum probare potest.

Regula Hieronymi.

Augustinus.

Argumẽtum Monachorũ post Origenem. Vsitatissimum Monachis post Origenem fuit illud testimonium ex Psalm. 66. Transivimus per aquam & ignem, & eduxisti nos in refrigerium. Addunt autem sententiam. Iob. 24. Ad nimium calorem transeunt ab aquis nivium. Hinc fingunt in purgatorio esse, & ignem & aquam, & animas ex igne ferventissimo projici in aquã gelidissimam, & econtra. Sunt verò qui existimant imprudenter fecisse eos, qui igni purgatorii aquam, licet per interstitium adjunxerunt. Putant enim interstitium illud ab igne progressu temporis exustum & destructum jam esse, & aquas illas quasi diluvio quodam in purgatoriũ effusas ignem ibi jam fermè extinxisse. Sed Iob hoc tantùm dicit in sua lingua, sicut calor & terra horrida absumit aquas nivales, ita infernum eos, qui peccaverunt. David verò loquitur non de futuris cruciatibus purgatorii, sed de afflictionibus & liberationibus præteritis, pro quibus gratias agit, sicut in contextu Psalmi manifestissimum est. Et hoc ad spem liberationis ex calamitatibus, vel præsentibus, vel futuris in hac vita rectè accommodatur. Vsitata enim in to ta sacra Scriptura est metaphora aquæ & ignis pro tribulationibus in hac vita. Augustinus in eo loco per ignem intelligit infelicitates in hoc mundo, per aquam res prosperas, & nullibi in hac vita verum esse refrigerium, sed tantùm in altero seculo.

Aqua & ignis metaphoricè significant tribulationes huius vitæ.

Eccii argumentum. Eccius ad purgatorium ineptissimè torsit illud Eccles. 4. De carcere catenisq; interdum quis egreditur ad regnum, &c. Sed Salomon vices & fluctus rerum, in vanitate hujus seculi considerandas proponit, quòd qui rex est, aliquando ex throno dejicitur, & ex servo & captivo sæpe fit Rex, sicut Iosepho contigit. Egregia verò hæc est purgatorii probatio.

Stapulensis Argumentũ. Stapulensis ad stabiliendum purgatorium,

Universidad de Deusto
Biblioteca

torquet locum Zacha.9. In sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Si enim vincti sunt, & in lacu, & tamen emittuntur inde, quod in inferno non fit. Ergo de purgatorio existimat intelligendum esse. Sed Spiritus sanctus, Matth. 21. locum illum explicat de primo adventu Christi, & de redemptione, quæ fit per sangvinem Christi, de qua Paulus ex Osæa concionatur. 1. Corint. 15. Roma. 3. Ephes. 1. Colos. 1. Et Hieronymus lacum illum interpretatur de inferno, ubi nulla est misericordia, qui cùm nobis omnibus præparatus esset, merito sanguinis Christi ex eo redempti sumus. Quidã de limbo patrum locum illum exponere conati fuerunt, sed de purgatorio ex veteribus nemo illum intellexit. Nec potest cum purgatorio Pontificiorum convenire, aliàs enim non propriis satisfactionibus, nec aliorũ suffragiis, sed solius Christi sanguine animæ ex purgatorio liberarentur.

Hieronym.

Mart. Eisingreinius un-de purgatorium astruat.

Recens Martinus quidam Eisingreinius conatus fuit ostentare, se, ultra omnes, purgatorium posse ex veteri Testamento probare. Audiamus igitur quodnam palmarium novus ille logodædalus invenerit. Dicit Mich. 7. extare manifestam purgatorii probationem in his verbis: Ne lætaris inimica mea super me, quia cecidi, resurgam cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, &c. Sed Hieronymus dicit id, quod contextus ipse ostendit, juxta literam esse querelam 78 Hierusalem contra Babylonem, & cæteras Gentes. Per anagogen verò illud (cecidi, resurgam) posse intelligi de conversione, juxta dictum, Nolo mortem peccatoris, &c. Reliqua rectè intelligi de afflictionibus hujus vitæ. Omnis enim correptio ad præsens non videtur gaudii, ut sensus sit, si me despicis, quia tormenta sustineo, disce ab Ezechiele, pœnas primum sanctioribus irrogari. Et addit idem esse quod Esai. inquit cap. 9. habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Quem locum Matthæus non de purgatorio in altero seculo, sed de conversione & illuminatione peccatorum in hac vita exponit capit. 4. Et metaphora de tenebris, umbra mortis & luce, usitatissima est in Scriptura, sicut Luc. 1. beneficium redemptionis Christi hac metaphora describitur, illucescere his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent. Quod si ita potest purgatorium suum probare Eisingreinius, quidvis ex quovis potest facere. Nihil igitur obstat, quò minus purgatorium suũ dicat creatum esse, quando Genes. 1. scribitur: Et tenebræ erant super faciem abyssi, & dixit Dominus, fiat lux.

Hieronym.

Aliud argumentũ Eisingreinii pro purgatorio. Psalm. 48. Augustinus. Aliud eiusdẽ argumẽtum ex Psal. 106.

Idem eodem acumine purgatorium invenit in Psal. 48. Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me. Quem locum Augustinus rectè, juxta usitatam Scripturæ metaphoram, exponit de laboribus, tribulationibus, pressuris & tentationibus in hoc mundo. Acutius verò est, quod conductitius ille Rhetor ex Psalm. 106. probat purgatorium: Clamaverunt ad Dominum, cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos, & eduxit eos de tenebris & umbra mortis & vincula eorum dirupit. Manifestissimum est, esse gratiarum actionem, pro beneficiis & liberationibus populo Israel exhibitis, quæq; quotidie in hac vita mortalibus à Deo exhibentur. Et tamen impudens illa bestia non veretur purgatorium suum indè effingere. Quod si illo loco fundati essent nervi purgatorii Pontificii, simpliciter incisi essent. Dicit enim, Nec fuit qui adjuvaret, & peccata mortalia purgatorio post hanc vitam eluerẽtur. Dicit enim: Exacerbaverunt eloquia Dei, & consilium altissimi irritaverunt. Ingolstadienses addunt hæc argumenta pro purgatorio, Matth. 73. Christus baptizabit Spiritu sancto & igni, Actor. 2. Quem Deus suscitavit solutum doloribus inferni, 1. Reg. 1. Deus deducit ad inferos & reducit. Iob. 4. In inferno protegas me, 1. Corinthior. 15. Baptizantur pro mortuis. Afflictiones enim significantur vocabulo Baptismi. Luc. 12, Item qui in Scriptura à mortuis excitati leguntur, non sunt revocati nec ex Paradyso, nec ex inferno. Ergo fuerunt in purgatorio. Num verò existimas hominibus istis aliquid, non dico conscientiæ, sed frontis esse, qui nec alia, nec certiora causæ suæ habent, & tamen proferre audent documenta.

Argumẽtum ex Mala. 3.

Quidam de purgatorio interpretantur locum Malach. 3. Erit quasi ignis conflans, & sedebit conflans, colans, emundans, purgans, &c. Quæ sententia loquitur de beneficio Christi vocantis, illuminantis, convertentis, pugnantis & emundantis Ecclesiam suam per verbum & crucem in hac vita. De primo enim ejus adventu loquitur. Erunt offerentes Domino sacrificia justitiæ, sicut Hieronymus & Theodoretus etjam exponunt?

Alia argumenta.

Alii & multitudine allegatorum, causam purgatorii, si non probent, at saltem obruant adducunt hæc dicta, ut quod Iob. capit. 19. de ærumnis in hac vita dicit: Miseremini mei vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Et Esa. 54. In momento indignationis abscondi faciem meam à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Quod de cruce Ecclesiæ in hac vita dicitur. Levit. 12. quod de puerpera statuitur, hoc Pontificii ad purgatorium suum detorquent? Non ingredietur in sanctuarium, donec impleatur dies purgationis suæ.

Iob. 19. Esa. 54. Levit. 12.

Ex nuda hac recitatione sententiarum, quas ex veteri Testamento Pontificii pro purgatorio suo adducunt, manifestum est, quale dogma sit. Nihil enim aliud inductione talium argumentorum efficiunt, quàm quòd rem per se incertam argumentando prorsus dubiam faciunt, ut Lector verè dicere possit, incertior jam sum multò, quàm dudum. Imò dicat potius, si non alia habetis fundamenta & documenta purgatorii vestri, prorsus illud non credo. Atque ideo prudentius faciunt illi, qui absq; probationibus & testimoniis scripturæ, postulant simpliciter credi purgatorium fide implicita. Vnus verò locus ex veteri Testamento, speciem aliquam habet. 2. Mach. 12. Sed liber iste non est Canonicus. Et de loco illo prolixam & solidam ostendimus explicationem in historia purgatorii.

2. Mach. 12.

Porrò cùm novum Testamentum lux sit veteris, audiamus qualia, quàm certa, quàm firma & perspicua, pro purgatorio suo, ex novo Testamento testimonia proferant Pontificii. Peculiarem enim judicio Dei fieri non dubito, quod Pontificia Synagoga pro purgatorio suo, ex Scriptura corradit, qualiacunq; dicta, modo multa sint, & ea, quomodocunq; in purgatorium suum pertrahere possint. Nam eo ipso suo se judicio prodũt, quod dogma purgatorii commentitium & falsum sit, cùm patroni eius etjam qui doctissimi videri volunt, ex Scriptura nulla, nisi obscura, allegorica, incerta, aliena, frigida, & inepta testimonia proferre possint. Veritas enim, certitudo & firmitas dogmatum, ex qualitate testimoniorum Scripturæ, quibus probantur, æstimanda est.

Testimonia novi Testamenti, pro purgatorio Pontificio.

Primarium argumentum ex epistola ad Phil. 2.

Producunt igitur in primis locum Philip. cap. 2. In nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum seu subterraneorum. Iam damnati apud inferos non exhibent Christo cultum adorationis seu pietatis, quin potùs ipsum extreme oderunt & blasphemant. Ergo præter beatos in cœlo seu Paradyso, & præter damnatos in inferno, necesse erit sub terra esse tertium quendam locum, ubi animæ quædã laudent & colant Christum, hoc est, in purgatorio. Respondeo. Expendamus, an locus ille Pauli certò perspicuè & firmiter, reddat & confirmet Pontificiorum dogma de purgatorio. Ante Bedam & Aquinatem certè non fuerunt certi, an purgatorium esset sub terra, supra terrã aut in aere. Nam Gregorius animas purgat in thermis, in glacie, in umbra arborũ. Alcuinus collocat purgatorium in aere, inter cœlum & terram. Apud Bedam postea spectrum quoddam retulit, purgatorium sub terra esse, & confine inferno. Quomodo ergo ex subterraneis Pauli, probari poterit, vel Gregorii vel Alcuini purgatorium, quod non sub terra, sed supra terram fuit? Et geniculationem Paulus in illo loco intelligit, non tantùm cultum pietatis: Sed in genere subjectionem omnium, sub summa illa potestate, quæ Christo super omnia data est. Exponit enim gloriam, in quam Christus post humiliationem exaltatus est, ut sit Dominus & judex universorum. Roma. 14. Non autem piorum seu electorum tantùm Dominus & judex est, sed omnia, quæcunque sunt, sive in cœlo, sive in terra, sive sub terra, Christo ut Domino subjecta sunt, Psal. 8. Cujus majestatem seu gloriam agnoscere & vereri cogentur, ipsi etjam damnati in inferno, imò Diaboli ipsi. Lucæ 8. Omnes enim judicabit & pios & impios, & ipsos etjam Diabolos. Atque hoc modo geniculationem de subjectione & judicio explicat Paulus Roman. 14. Et quia Esaiæ cap. 45. dicit omne genu ipsi flectendum, si geniculatio simpliciter tantùm de cultu pietatis intelligenda esset, sequeretur, illud ipsos Diabolos & damnatos etjam aliquando facturos. Manifestissima verò refutatio est, quod Paulus Rom. 14. illam genu flexionem diserte exponit de extremo judicio, tunc enim manifestè ostẽdetur omnia Christo esse subjecta. Falsò ergo ad purgatorium detorquetur. Sed excipiunt Apoc. 5. scriptum esse. Omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & in mari, & quæ in eis sunt, audivi dicentes, Agno honor, benedictio & gloria & imperium. Responsio autem manifesta est, quod pro more Scripturæ per Prosopopeiam, omnes creaturas etjam irrationabiles, faciat suo modo Deum celebrare, sicut montes, colles, ligna, Dracones, bestiæ, volucres, ignis, grando, Sol, Luna & stellæ dicuntur Deum laudare, Psal. 145. Et quomodo hoc intelligendum sit, exponit, cùm inquit: Quia ipse mandavit & creata sunt. Præceptum posuit, quod non prætereunt, sed faciunt verbum eius. Celebratio igitur Dei est, quod creaturæ etjam inanimatæ & irrationales, manentiã suã statione. Atque ita intelligendum esse locum in Apocalypsi, inde manifestum est, quòd annumerat etjam creaturas in mari. Etsi maximè uterque locus de rationali cultu pietatis & celebrationis intelligeretur, quomodo quæso, inde consequeretur, sub terra sunt, qui colunt & celebrant Deum. Ergo necesse est ipsos ignibus excruciari, flammis torqueri, & per satisfactiones vivorum indè redimi? Cultus certè & celebratio Dei, non definitur flammarum torturis, & alienis, præter Christi redemptionem, satisfactionibus pro peccatis. Si itaque dogma purgatorii Pontificii non est certius, quàm ex illis locis probatur, necesse esse fictitium atq; adeò nullum adesse.

Responsio.

Beda. Aquinas. Gregorius. Alcuinus. Beda.

Argumẽtum ex Mala. 3.

Alia argumenta.

Levit. 12.

Geniculatio subjectionem omnium subjectorum data Christo.

Aliorũ suffragia.

Secundũ argumentum Apoc. 21.

II. Ex loco Apocalyp. 21. ita extrunt purgatorium: In cœlestem civitatem non intrabit aliquid coinquinatum. Sed multæ animæ ex hoc seculo migrant, non usque adeò puræ, ut in cœlum recipi mereantur, neq; ad eò immundæ, ut in gehennam sint conjiciendæ. Ergo necesse est locum medium esse, ubi ignibus purgentur, ut possint aliquando intrare Paradysum. Hæc argumentatio simpliciter procedit ex ignorantia justitiæ Evangelii; & ex judicio rationis de justificatione, quam constituunt in propria seu inhærente in nobis justitia, puritate & perfectione. Sed Scripsura clamat, inter omnes Sanctos neminem in hac vita posse dicere. Proverb. 20. Purum est cor meum, & mundus sum à peccato. Et communis omnium Sanctorum in hac vita querela est. Esa. 64. Facti sumus velut immundum omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Ideo Deus dedit nobis Pontificem impollutum, Ebræ. 7. sanctum sanctorum, Dan. 9. qui per semetipsum fecit purgationem peccatorum nostrorum, Ebr. 1. Sanguis enim Christi purgat conscientiam ab operibus mortuis, Ebr. 9. & emundat à peccatis, 1. Ioan. 1. qui dedit semetipsum, ut mundaret sibi populum peculiarem, Tit. 2. Et Ecclesiam emundat lavacro aquæ in verbo, Ephe. 5. Mundi estis propter verbum meum, Ioh. 15. Fide purificans corda eorum, Actor. 15. Ita credentes habent mundiciem coram Deo, qua Paradysum ingredi possunt, sed illa non consistit in propria inhærente mundicie. Illa quidem in hac vita per Spiritum sanctum inchoatur, 1. Cor. 5. 2. Corin. 7. 2. Timoth. 2. Sed non est sine macula & perfecta: Nam si dixerimus, nos peccatum non habere, veritas in nobis non est, sed si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut emundet nos ab omni peccato. Quomodo verò? Remittens nobis peccata: Quia sanguis Christi emundat nos ab omni peccato. 1. Ioh. 1. Hinc sancti in altero seculo nitent, quia stolas suas laverunt in sanguine agni.

Solutio.

Argumenta & cõfirmatio ex Apoc. 5.

Responsio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

agni. Apocal. 7. & 22. Verè igitur nihil immundi intrat in cœlestem illam civitatem, sed credentes, licèt cum Esaia fateantur se immundos, tamen in Christo habent perfectissimam mundiciem. Pontificii verò eos, qui emundationem illam Christi fide habent, flammis torrentib. subjiciunt, quasi non verè, rectè, aut satis in Christo purgatos. Et aliam tanquam præstantiorem purgationem, per proprias scilicet satisfactiones, vel per aliorum suffragia, comminiscuntur, quod in perfectissimam Christi purgationem contumeliosum est, & homines seducit, ac Paradyso excludit. Qui enim dicunt, mundi sumus, hoc est, peccatum non habemus, seducunt seipsos & veritas non est in eis. Proverbio. 20.1. Iohan. 1. Et locus Apocal. 21. dicit, Eos, qui mendacium faciunt non intrare ad cœlestem civitatem. Ex dicto igitur illo Iohannis, nihil minus quàm Pontificiorum purgatorium probatur. Idem enim Ioannes, cùm in Apocalypsi sua videret, & gloriam beatorum, & pœnas damnatorum, de tertio loco seu statu purgatorii, nihil vel vidit, vel audivit, vel somniavit. Et Phrasis ipsa Apocalyp. 21. ostendit, quòd non de venialibus peccatis, quæ Pontificii igne purgari fingunt, loquatur. Inquit enim πᾶν κοινὸν, quicquid coinquinat, non intrabit in eam: Quæ verò sint, quæ hominem coinquinent, Christus explicat Matthæi 15. Et Ioannes ipse addit explicationem: Quod abominationem facit & mendacium. Loquitur ergo de peccatis, quæ à regno Dei excludunt. Quæ verò Scriptura tradit, per tormenta ignis purgandos esse eos, qui cupiunt ingredi Paradysum.

Tertium. Luc. 16.

III. Ex tormentis divitis Epulonis, Lucæ 16. quidam contendunt probare purgatorii pœnas, sed singulis partibus dogmatis Pontificii de purgatorio, historia illa repugnat. Ex legatione enim, quam cupit ad fratres mitti, colligitur ipsum absque pœnitentia decessisse. Et Abraham dicit, Chaos ita confirmatum esse, ut ex loco illo tormentorum, nemo possit transire ad locum solatii. Omne etiam refrigerium loco illi denegat. Quod si Epuloni isti nota fuissent Pontificiorum spectra & suffragia, petiisset ipse mitti ad fratres, ut missas, vigilias, anniversaria, memorias, balnea, peregrinationes, indulgẽtias, & quę præterea ad suffragiorum nundinationem pertinẽt, sibi procurarent, multam enim substantiam reliquerat. Adeo igitur ex illa historia Pontificiorum purgatorium non probatur, ut ad refutationem eius vel sola sufficeret.

Quartum. Matth. 3.

IIII. Nec verentur quidam etiam Ioanni Baptistæ affingere purgatorium, in illis verbis, Matth. 3. In cujus manu ventilabrum est, & permundabit aream suam, congregabitq; triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Fingunt enim ventilabrum signi ficare mortem, aream Purgatorium, horreum Paradysum. Sed Baptista concionatur de pœnitentia, & de purgatione peccatorum, quæ fit in hac vita, sicut & veteres aream interpretantur, de Ecclesia in hac vita, in qua simul mixta sunt & triticum & paleæ.

Quintum. Marc. 13.

V. Faceta prorsus probatio purgatorii est quã confingunt ex cap. 13. Marci, Homo peregrè profectus, significat animam, quæ per mortem ex hoc mundo migrat, ille servis reliquit suam potestatem, hoc est, testamentariis suis mandavit, ut ex relictis bonis redimant suffragia, quibus ex purgatorio liberetur. Ianitori verò præcepit, ut vigilet, hoc est, pastori suo legavit partem bonorum, ut vigilanter pro ipso sacrificet. Et post tam prægnantem probationem, quis amplius dubitavit de purgatorio, nisi totus mundus? Nã & ex Psalmo 8. Egregiam & verè magistralem habent purgatorii probationem: Omnia subjecisti sub pedibus ejus, volucres cœli, hoc est, Angelos & Sanctos in cœlo, pecora campi, hoc est, pios in hac vita, pisces maris, hoc est, animas in purgatorio. Ex hujusmodi certè non argumentis, sed nugis, æstimari potest, quale dogma sit purgatorii Pontificiorum.

Psal. 8.

Sextum. Matth. 5.

VI. Matth. 5. Conjicieris in carcerem, Amen dico tibi, non exibis inde donec persolveris extremum quadrantem. Hic dicunt purgatorium apertè probari, quia sit mentio carceris, unde vincti possunt aliquando exire, quod de inferno non potest intelligi: Inde enim nulla redemptio est. Et per solutionem debiti usque ad extremum quadrantem, posse fieri in altero seculo, ex particula (donec) putant probari. Videndum autem nobis est, an certò, evidenter & firmiter ex hoc dicto Christi, Pontificiorum purgatorium probetur. Si enim Christus purgatorium docuit, necessariò illud credere tenemur, ad hujus enim vocem cœlitus alligati sumus: Hunc audite. Primus autem Origenes fuit, qui locum illum de purgatorio exposuit. Nam Homil. 35. in Lucam, illud (Mitteris in carcerem) ita explicat: Exigeris debitum per labores & opera, sive per pœnas & supplicia, & non inde exibis nisi reddideris. Ex Origene Ambrosius interpretationem suam, sicut plerumque solet, Luce 12. mutuatus est. Et magnus quidem vir fuit Ambrosius, sed considera quæso, quàm pueriliter ineptiat, extructurus ex illo loco purgatorium. Hæc enim sunt ipsius verba: Quia olim quadrans in Balneis solebat dari, cujus oblatione quisque accipiebat facultatem illic lavandi: Ideo dicit in purgatorio solutione quadrantis elui peccata, si tam diu noxius exerceatur pœnis, ut commissi suplicia erroris expendat. Sed quia Origenicum purgatorium meritò rejectum fuit, suspecta igitur est Ambrosii interpretatio, quam Origenicam esse inde constat. Quod enim reus traditur judici, & à judice exactori, à quo in carcerem conjicitur, hoc Ambrosius aliquoties repetit fieri in extremo judicio. Purgatorium igitur suum Ambrosius cum Origene ponit post extremum judicium. Atq; ita ne Ambrosii quidem interpretatio patrocinatur Pontificiorum purgatorio. Contextus autem illius loci ad literam, manifestè loquitur de studio concordię, ut is, qui fratrem offendit, petat veniam, & qui lapsus est, non sit minimum durus ad reconciliationem. Ac à studio litigandi in foro deterret, à periculis, incommodis & damnis, quæ sequi solent. Et hanc esse simplicem & genuinã hujus loci sententiam, Chrysostom. expresè affirmat, quam sententiam etjam Hieronymus probat. Atque hoc diligenter notetur, simplicem, propriam, genuinam & literalem

Donec. Beda. Augustinus. Solutio. Origenes. Ambrosius. Solutio ex contexta rationis pertita. Chrysostom. Hieronymus.

ralem (ut dicitur) sententiam hujus loci, prorsus nihil de purgatorio loqui. Quod verò per allegoriam eò detorquetur, notum est, dogmata ex locis Scripturæ propriis, non autem ex allegoricis detorsionibus, extruenda & probanda esse. Sequitur itaq; locum Matth. 5. non posse fundamentum, documentum aut firmamentum purgatorii esse. Et de allegoria illius loci inter interpretes non convenit. Ambrosius enim per adversarium allegoricè intelligit Diabolum, sed hoc & Hieronymus & Chrysostomus differtè reprobant. Hilarius & Hieronymus illorum etjam allegoriam rejiciunt, qui locum illum interpretantur de concordia vel carnis & animæ, vel animæ & spiritus. Chrysostomus in opere imperfecto dicit: Per carcerem intelligi posse angustias & tribulationes hujus mundi. Augustinus per carcerem intelligit infernum seu gehennam. Qua verò πλεροφορίᾳ, ex allegoria tam incerta, dogma purgatorii, quòd aliàs nulla manifesta in Scriptura testimonia habet, constitui aut confirmari poterit? Nec particula (donec) evincit, eos qui sine condonatione fraterna hinc excedunt, vel exituros aliquando ex carcere, vel in altero seculo persolvere posse debitum. Est enim peccatum mortale, excludens à regno Dei in ipsam gehennam. Notum etjam est, particulam donec nõ semper significare terminum, sed sæpius continuationem & perpetuitatem, ut non cognovit eã donec peperit. Matt. 1. Et Beda ex August. dicit, donec, Matt. 5. ponit pro infinito, sicut alibi: Donec ponam inimicos. Et Luc. 12. Hanc Augustini interpretationem adducit. Quia semper solvere pœnas patiendo, sed nunquã persolvere veniam consequendo poteris, nec enim ibi veniæ locus erit: Nunquam exibis inde, ubi perpetuas peccatorum pœnas lues. Et quidem de 8. quæstionib. Dulcitii, ubi ex professo quæstionem purgatorii tractat, non audet ex isto loco purgatorium stabilire, sed dicit: Locum illum (Non exibis inde donec, &c.) intelligendum esse sicut illud: Non cognovit eã donec peperit. Theophylactus etjã Luc. 12. tractãs allegoriam hujus loci, inquit: Punit nos donec mensurã pœnæ impleamus. Nunquam aũt impletur mensura pœnæ, semper ergo puniemur. Si enim in carcere manebimus donec extremum minutum reddamus, & nunquam reddituri simus, manifestũ est, quod æternum futurum sit supplicium: Ita etjam Hieronymus in threnis Ieremię exponit sententiam illã Christi de pœnis æterni ignis. Et quid opus est Patrũ interpretationes solicitè conquirere, cùm habeamus ipsius Christi interpretationẽ? Quod enim Matth. 6. dicit: Si non remiseritis hominibus, nec pater vester remittet vobis peccata vestra. Illud Matth. 18. in parabola ita dicit: Tradidit eum tortoribus, quoad usq; redderet universum debitũ. Atqui paulò antè dixerat: Servum illum non potuisse dimitti, nisi gratuita condonatione debitum remitteretur, quæ remissio illi in carcere negata est. Manifestum igitur est, ex illo loco Matthæi purgatorium non posse probari, sed sententiam eius Pontificiorũ purgatorio prorsus repugnare. Literalis enim sensus loquitur de judiciis forensibus in hac vita. Allegoria verò, juxta Christi & veterum etjam interpretationem, ad fraternam reconciliationem, dum in hac vita sumus,

Allegoria loci Matth. 5. Ambrosius. Adversarius quis. Hilarius & Hieronym. Chrysostom. Carcer. Augustinus. De particula, donec. Beda. Augustinus. Theophyl. Hieronym. Solutio ex Christi inter pretatione. Scopus loci Matth. 5.

Allegoria eius loci.

hortatur, simulitudine petita à civilibus judicijs, ostendens, sine spe salutis in æternum damnandos illos, qui vel reconciliationem petere nolunt, vel offensam remittere negant, sed in inimicitiis moriuntur.

Septimum. Matth. 12.

VII. Multos movit locus Matth. 12. ubi Christus de peccato in Spiritum sanctum inquit: Non remittetur, nec in præsenti seculo, nec in futuro. Augustinus enim de Civitat. libr. 21. cap. 24. ita ex hoc loco argumentatur: Neq; enim veraciter de quibusdam diceretur, quod non eis remittatur, neque in hoc seculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro. Gregorius etjam cum loco Pauli 1. Cor. 3.

Augustinus. Gregorius.

non multum fidat, dicit enim de tribulationibus hujus vitæ intelligi posse, ex illa Matth. sententia sola, conatur purgatorium probare. Ita enim inquit 4. Dialog. capit. 39. de quibusdam levibus culpis, esse ante judicium purgatorius ignis, credendus est, pro eo, quod veritas dicit: Si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neq; in hoc seculo dimittetur neque in futuro, in qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdã verò in futuro relaxari, quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. Et Bernhardus super Cantica, Serm. 67. contra eos, qui suo tempore purgatorium negabant, hoc solum Scripturæ testimonium profert. Quærant, inquit, ab eo, qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neq; in hoc seculo, neq; in futuro remittetur, cur hoc dixerit, si nulla maneat in futuro remissio, purgatione peccati? Sed cogitetur quis sit status controversiæ de purgatorio, An scilicet animæ fidelium à corporibus solutæ, igne corporali torreantur, ut acerbissimis suppliciis pro peccatis nõ remissis satisfaciant, aut vivorum suffragiis ex igne illo liberentur. Num verò ex dicto illo Matt. etjamsi juxta Augustini interpretationem accipiatur, illud probari poterit? Certè remissio peccatorum non definitur tormentis flammarum, & suppliciorum satisfactionibus. Neq; enim sensus est quãdo Scriptura dicit: Christum meruisse nobis remissionem peccatorum, quod promeruit nobis tormenta flammarum, & acerbissima supplicia, quibus nobis ipsis pro peccatis satisfaciendũ sit, sed ex misericordia Dei propter satisfactionem Christi, scriptura tradit peccata remitti, hoc est, gratuito cõdonari & reg;, ne imputentur & exquirãtur. Etiamsi igitur Aug. concederetur, quædã peccata in altero seculo remitti, purgatorium tñ Põtificiorũ inde probari & stabiliri prorsus non posset. Cum remissione enim peccatorum (sicut Scriptura de ea loquitur) ex diametro prorsus pugnant ea, quæ Pontificii de pœnis purgatorii tradũt. Et hoc Lector diligenter consideret, quod ex illo dicto, quo præcipuè nituntur, purgatorium nullo prorsus modo probetur. Vt autem de vero sensu hujus dicti aliquid dicamus, magna & ardua quæstio est, ubi fiat remissio peccati, in hoc ne, an verò etjam in futuro seculo? Origenem enim certum est ex hoc fundamento, quod statuebat tempus pœnitentiæ, reconciliationis & remissionis, etjam in altero seculo esse, finem pœnarum etjam damnatis, imò

Bernhardus. Responsio ad locum Matthæi 12. De vera sententia huius dicti Matt. 12 Origenis ipsius ex huius loci abusu.

ipsis

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsis quoq; Diabolis promisisse. Extant autem in Scriptura multa clarissima dicta, quæ paulò antè recitata sunt, quod in hac tantùm vita sit tempus fructuosæ pœnitentiæ, reconciliationis & remissionis. Hoc enim in cœlo solutum erit, quicquid in terra solutum fuerit: Quicquid verò in terra ligatum fuerit, erit etjam in cœlo ligatum. Nec medium fingi debet inter peccatum ligatum, & inter peccatum quod solutum non est. Contra illa clarissima Scripturæ dicta, alicui, qui sine remissione peccatorum moritur, promittere remissionem in altero seculo, nemo sine expresso verbo Dei testimonio, vel debet vel potest. Nullibi autem Scriptura manifestè & expressè hoc dicit, sed per modum consequentiæ ex dicto illo Matthæi, opinio ea texitur. Nec verò res tanta cõtra clarissima Scripturæ dicta, nudis aut solis consequentiis, sine aperto verbi Dei testimonio committenda est. Nam & Augustinus contra eos disputat, qui ex illo loco consequens esse contendebant, excepta una illa sola specie peccati in Spiritum sanctum, reliqua peccata omnia in altero seculo remitti posse. Et certè si solis consequentiis credendum esset, Augustinus nõ posset elabi. Nam reliqua peccata omnia, uni illi speciei in dicto Christi opponuntur, Marci 3. Sed Augustinus videns, consequentiam illam repugnare aliis manifestis Scripturę dictis, rectè eam rejicit & refutat. Et ipse constituere non audet, quod aut quale peccatum illud sit, quod in altero seculo remitti dicẽdum sit, cùm nullum habeat manifestum Scripturæ testimonium.

In hac vita locus est pœnitentiæ, & remissio. peccatorum.

Augustinus locum hunc in medio relinquit.

Rectiùs igitur, tutiùs & certiùs est, juxta clarissima Scripturæ dicta hortari homines, ut in hac vita quærant & accipiant remissionem peccatorum, propositā dulcissimā illā promissione: Qui credit in filium non venit in judicium, sed à morte transit in vitam: Non autem lactare aut potius seducere homines, dubia, vana & falsa spe, acquirendæ remissionis peccatorum post hanc vitam. Qui enim sine fide & sine remissione peccatorum hinc discedunt, illos Scriptura pronunciat condemnatos esse, & iram Dei manere super ipsos. Et ante Augustinum, talis interpretatio dicti Christi non fuit in Ecclesia, vel nota vel usitata. Nam nec Hilarius, nec Hieronymus, nec Chrysostomus, nec Theophylactus, dictum illud ita exposuerunt. Athanasius etjam, qui peculiarem tractatum de dicto illo conscripsit, nihil tale vel dicit, vel inde extruit.

Veteribus ignota fuit hujus dicti interpretatio, quam et posteriores assumserunt. Athanasius.

Et quid opus est de interpretatione & sensu illius phraseos apud Matthæum, multis disputare, cùm habeamus interpretem certissimum, & omni exceptione majorem. Marcus enim, qui est quasi interpres Matthæi, phrasin illam (Neque in hoc seculo, neque in futuro remittetur) non ita interpretatur, quasi quorundam peccatorum remissio post hanc vitam impetrari possit. Sed partitionem illam de præsenti & de futuro seculo simpliciter ita interpretatur, quòd blasphemia in Spiritum sanctum non habeat remissionem in æternum, sed rea sit æterni judicii, Marc. 3. Partitione verò illa Matthæus ideo utitur, ut ostendat tam horribile esse peccatum in Spiritũ sanctum, ut judicium iræ divinæ, & in hac vita exagitationibus conscientiæ, illi qui peccati hujus rei sunt, sentiant, & fore, ut in altero seculo grauiùs eò premantur & exagitentur, quando in resurrectione mortuorum, judicium de peccatis palàm fatetur. Et hoc est, non remitti nec in hoc seculo, nec in futuro, id est, reatum judicii divini, & in hoc seculo & futuro sustinere, Marc. 3. Beatitudo enim hominis est, cui remissa sunt peccata, Rom. 4. & justificati fide, pacem habent cum Deo, Rom. 5.

Vera hujus dicti interpretatio è Marco 3.

Cur tali loquendi forma Matth. usus sit.

Ita Chrysosto. hanc partitionem Matthæi explicat: Vniversorum (inquit) hominum, alii & hic & ibi supplicia dabunt, ut Sodomitæ: Alii in præsenti solummodo vita, ut fornicator Corinthiacus: Alii in futura tantùm vita, ut dives ille Epulo: Alii nec in præsenti, nec in futura, ut Prophetæ & Apostoli. Sensum igitur dicit esse, cùm peccatum illud vobis nõ fit veniale, pœnas tam in præsenti vita quàm in futura luetis ingentes. Ita Chrysostomus. Præterea tempus futuri seculi, de tempore post resurrectionem mortuorũ in Scriptura accipitur. Adventus enim Christi ad judicium, faciet finem huic seculo. Matth. 13. & 24. Et quando qui bona egerunt, ibunt post resurrectionem in vitam æternam, Iohan. 6. Illud tempus vocatur futurum seculum, Marc. 10. Et Luc. 20. Tempus resurrectionis expressè vocatur tempus futuri seculi. Quando igitur Matthæus nominat futurum seculum, intelligit extremum judicium post resurrectionem mortuorum. Malè ergo de intermedio tẽpore inter mortem & resurrectionem exponitur. Sed Matthæus sua partitione conjungit judicium Dei adversus peccatum, quod in hoc seculo ex verbo Dei pronunciatur, quodq; in futuro seculo ipse judex Christus pronunciaturus est. Quia enim impii non curant, quando peccatum ipsorũ in hoc seculo ex verbo arguitur, ligatur & condemnatur, & multos habent prætextus, quos etjam in die judicii proferrent, Matth. 7. Dicit igitur Christus: Sicut peccatum in Spiritum sanctum, in hoc seculo non remittitur, sed ligatur: ita in futuro etjam seculo in die judicii, illi, qui Spiritum blasphemarunt, non pronunciabuntur justi, sed ligati & condemnati, hoc enim est peccatũ non remitti, nec in hoc nec in futuro seculo. Porrò ipsi etjam Scholastici sentiunt, nullam culpam post hanc vitam remitti, sed eius remissionem in hac tantummodo vita fieri. Cumq; Pontificii de satisfactione pœnæ in purgatorio agant, sententia verò Matth. de remissione peccati seu culpæ loquatur, manifestum est alienum prorsus & peregrinum esse, locũ illum ad purgatorium velle detorquere. Et cùm aliàs doceant, venialia peccata tam leviter dimitti, aspersione scilicet aquæ benedictę, benedictione Episcopali, tonsione pectoris, recitatione orationis Dominicæ, &c. cur in purgatorio illa tam inclementer & acerbè torquerent, etjam in illis, quibus in agone, aquam suam execratam largiter cum multis indulgentiis aspergunt, nisi esset de pane lucrando?

Tempus futuri seculi significat judicium extremum.

Scholastici sentiunt de hac quæstione.

VIII. Inter præcipua purgatorii documenta Pontificii censent locum Pauli, 1. Corinthio. 3. Si quis superædificat super fundamentum aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusq; opus manifestum fiet: Dies enim declarabit, quia in igne revelatur, & cujusq; opus

Obstarum. 1. Cor. 3.

opus, quale sit, ignis probabit. Si cujus opus mãserit quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

Solario argumenti.

Et quia in hac sententia Pauli mentio fit ignis non damnantis, sed per quem salvi fiũt illi, quorum opera exuruntur. Existimant igitur, ignem purgatorium inde satis manifestè, certò & firmiter probari. Sed videamus, an res ita se habeat. Omnino enim probationes & confirmationes dogmatum, oportet non dubias, obscuras & incertas, sed manifestas, certas & firmas esse. Extra controversiam autem est, quod negari à nemine potest, totam illam Pauli orationem, & singula ejus vocabula esse tropica seu metaphorica, ut sunt fundamentum, architectus, superædificare, aurum, argentum, gemmæ, ligna, fœnum, stipulas, opus seu ædificiũ. Et in oratione, quæ tota est metaphorica, vocabulum ignis materialiter accipere, nihil aliud esset, quàm humano capiti cervicem pictor equinam addere si tentet. Qualia enim sunt aurum, argentum, gemmæ, fœnum, ligna, stipulæ, talem oportet etjam esse ignem. Et metaphora vocabuli ignis, multo frequentior & usitatior in Scriptura est, quam auri, argenti, ligni, gemmarum, &c. Imò Paulus ipse quasi prævidens depravationem istam suæ sententiæ, cùm reliquis vocabulis nihil addat, quando ad vocabulum ignis venit, adjicit talem circumscriptionem, quæ quasi intento digito, metaphoram in vocabulo ignis monstret. Dicit enim: Ipse salvus erit, sed sic tamen quasi per ignem. Hoc manifestissimum est, quod etjam à pueris intelligi potest. Ignis igitur Pontificii purgatorii, ex illo loco Pauli, probari nequaquam potest.

Ignis metaphora.

Augustinus.

Secundò, Ipse etjam Augustinus, Academicus seu scepticus purgatorii disputator, advertit, verba Pauli ita posita esse, ut necesse sit talem ignem intelligi, per quem utriq; transeant, & qui aurum, & qui lignum superædificant. Hinc Origenes omnes etjam Sanctissimos, postquam ex hac vita discessissent, in ignem purgatorii cruciandos conjecit. Quæ opinio meritò damnata est. Alii cum nodum illum, aliter solvere non possent, ignem purgatorii in aëre collocârunt, per quem omnibus sanctis, quando ad cœlum evolant, transeundum sit. Et eos, qui aurum superædificaverunt, Alcuinus dicit, magna facilitate ignem illum parvolare; Reliquos cum ligno, fœno, & stipula diutiùs in illo hærere, sed Pontificii hoc non concedunt. Fingunt enim multos hinc excedere, adeò vel mundos & perfectos, vel plenariis Pontificiis indulgentiis ita munitos, ut à flammis purgatorii prorsus immunes, è vestigio in cœlum evolent. Ignem igitur sui purgatorii, Pontificii ex illo loco Pauli probare non possunt: Quia ignis de quo Paulus loquitur, communis est omnibus fidelibus, tam qui aurum, quam qui stipulam superædificant. Pontificiorum verò ignis tantùm illos purgat, qui ligna, fœnum & stipulas superædificârunt. Et Pauli ignis probat opera ædificantium. Pontificiorum verò ignis punit, torquet, cruciat & excarnificat animas fidelium. Non idem itaq; ignis est Paulinus & Pontificius.

Origenis sententia de suo purgatorio.

Alcuinus.

Tertiò, Cùm loca illa Scripturæ, in quibus articuli fidei, suam quasi propriam sedem habent, necesse sit, aperta, plana & manifesta est. Augustinus disertè fatetur, locum illum Pauli obscurum & difficilem esse. Et ponit eum inter illa, de quibus Petrus dicit: In Epistolis Pauli quædam esse difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravent, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem, id quod diversæ hujus loci explicationes à veteribus traditæ ostendunt. Chrysostomus enim interpretatur de igne gehennæ, & de pœnis æternis. Et quod Paulus dicit: Ipse salvabitur per ignem, hoc Chrysostomus ita exponit: Non in nihilum redigetur flammis inferni, sed quò ad substantiam, in æternum perdurabit, & ad pœnam servabitur. Quæ explicatio, licèt Pauli sententiæ non conveniat, à Theophyl. tamen, & in Græcorum scholiis repetitur. Theodoret. & Oecumenius intelligunt locum illum Pauli de adventu Domini, de igni quo mundus conflagrabit, & de die extremi judicii. Et interpretationem sumunt ex alio loco Pauli, 2. Thessalon. 1. Quia in die judicii Iesus revelabitur in flammis ignis, daturus vindictam iis, qui non noverunt Deum, & non obedierunt Euangelio, 2. Thessal. 1. Theodoretus dicit: Auditores esse opus doctorum, quod si auditorum vita præceptorum doctrinæ in die judicii non responderit, comburentur illi in adventu Domini, doctor verò salvabitur, examinatus per ignem illum, qui in die judicii præcedet faciem judicis, si vita doctrinæ responderit. Ignis enim ille tunc in die judicii, justos nõ comburet inquit, sed reddet splendidiores. Alcuinus etjam de Trinitate lib. 3. cap. 21. dicit eos, qui ligna, fœnum, stipulas superædificârũt, ardore illius ignis, quo Christus in extremo judicio veniet, purgãdos, & completo illo extremi judicii die, statuendos ad dextrã. Illis verò qui aurum, argentum, & gemmas superædificârunt, ignem illum diei judicii fore, sicut tribus pueris Caminis Babylonicæ fornacis fuerat. Et Glossa ordinaria, 1. Cor. 3. duos ignes futuros legimus, unum æternum, quo puniẽtur reprobi: Alterũ, quo exuretur facies hujus mundi, qui emundabit eos, qui superædificârunt fœnum, lignum, stipulam. Et sanè si vocabulum ignis, in illa Pauli sententia, 1. Cor. 3. propriè accipi vel deberet, vel posset, non posset alia convenientior interpretatio esse, quàm quæ ex alio loco, 2. Thessal. 1. sumitur, Sed illa cum Pontificiorum purgatorio prorsus nihil haberet commune, id quod manifestum est. Ambrosius ex Origene suo interpretatur de igne post judicium, in quo opinatur pravos doctores, qui malam doctrinam professi sunt, pœnas quidem daturos, non autem in perpetuum igne æterno, sicut infideles puniendos, sed salvos aliquando futuros. Et rationem addit, ut ex aliqua parte operæpretium sit credidisse in Christum. Augustin. verò, quando hunc locũ ex professo tractat, in Enchiridio, cap. 69. De fide & operibus, cap. 15. De civitate, lib. 3. De 8. quæstionibus ad Dulcitium, quæst. 1. Origenicas explicationes rejicit, & ubiq; eandem fermè repetit interpretationem. Ignem scilicet illum Pauli, intelligendum esse de tribulationibus hujus vitæ, & exterioribus & interioribus. Et metaphoram illam ex Scriptura pro-

Diversæ & dissidentes interpretationes hujus loci.

Chrysostom.

Theophyl.

Theodoret.

Oecumenig.

Alcuinus.

Ambrosius.

Augustinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bat, vas figuli probat fornax, at animas justorũ tentario tribulationis. An verò post hanc vitam talis aliquis ignis sit, dubitat, & in medio relinquit, sicut in præcedentibus ostensum est. Ipse *Gregorius.* etiam Gregorius architectus purgatorii, 4 Dialog. capite 39. non audet locum illum Pauli simpliciter, propriè & certò de igne purgatorii interpretari. Inquit enim, quamvis de igne tribulationis in hac nobis vita abhibito, possit intelligi, tamen si quis de igne futuræ purgationis accipiat pensandum est, &c. Sunt etiam, qui ignẽ & diem Pauli interpretantur de examine particularis judicii, quod statim in morte cujusq; exercetur, ut anima à corpore separata deportetur vel in Paradisum, vel ad infernum. Hæc recitavi, ut ostenderem Pontificiorum purgatorium, ex illo loco Pauli, cum obscurus & allegoricus sit. ac varias interpretationes recipere possit, probari & demonstrari non posse.

De vera sententia hujus loci Pauli. Quæ verò sit simplex vera & genuina sententia in illo loco Pauli, non potest certius, quàm ex contextu totius loci colligi & constitui. Loquitur enim de Doctoribus in Ecclesia, & de dogmatis. Et fundamentum quidem dicit esse veram doctrinã de persona, de officio, & beneficiis Christi, opus verò seu ædificium esse reliqua dogmata. Iam qui vel aliud fundamentum ponunt, vel fundamentum illud pervertunt & evertunt, vel qui falsa, prava & impia dogmata, à fundamento aliena, vel pugnantia contra fundamentum ædificant, eos postea dicit, prophanare templum Domini. Et addit, disperdet illum Deus. Qui verò fundamentum salvum retinent, & super *Aurum, argẽtum & gemmæ.* fundamentum illud ædificant, eos dicit in duplici esse differentia. Quosdam enim solidum, purum & preciosum opus seu ædificium superædificare dogmata scilicet, quæ sunt analoga fidei, hoc est, quæ habent perspicua, certa & firma Scripturæ testimonia, quæ conscientiis necessaria, utilia & necessaria sunt. Illa comparat auro, argento & gemmis, metaphora Scripturis familiari & usitata. Mandata enim Domini desiderabilia sunt super aurum, argentum, & lapidem preciosum multum, Psalm. 19. & Psalm. 119. Et sapientia divina inquit, Proverbior. octavo: Melior est fructus meus auro & lapide precioso, & proventus meus argento electo. Proverb. 16. Possidе sapientiam, quia auro melior est, & acquire intelligentiam, quia preciosior est argento. Alios verò dicit retinere quidem Christum fundamentum, sed ad superædificium congerere materiam infirmam, supervacantem, ociosam, & *Lignum, fœnum, stipulæ.* inutilem, ut sunt ligna, fœnum stipulæ, hoc est, opiniones bonæ intentionis, quæ speciẽ aliquam habent, sed non sunt expressè & solidè in Scriptura fundatæ vel sunt supervacaneæ, ociosæ & inutiles disputationes, quæ ad verã pœnitentiæ, fidei & charitatis ædificationem, non sunt vel necessariæ vel utiles. Talia si non opponantur fundamento, sed si fiducia justitiæ, gratiæ & salutis soli Christo inhæreat, dicuntur fundamento superstrui, tanquam ligna, fœnum & stipulæ: Scriptura enim ea, quæ coram mundo speciem quandam habent, sed non nituntur verbo Dei, vocat fœnum Esaiæ 40. Vbi fœnum verbo Dei opponitur. Omnis caro fœnum, exiccatum est fœnum, quia Spiritus Domini suffiavit in eo. Verbum autem Domini manet in æternum. Ita Esaiæ. 1. Opiniones populi extra verbum Dei, quibus plurimum tribuebant, vocantur stipulæ, Erit fortitudo vestra ut stuppa, & ea, quæ non utiles fructus ferunt, vocantur ligna arida, Esaiæ 58. Sicut & vasa lignea in domo Domini opponũ tur aureis & argenteis, 2. Tim. 2. Hæcideò observanda sunt, qui ostendunt Paulum non novis, aut insolitis uti metaphoris, sed eas sumptas esse ex Scripturis, & Scripturam ipsam ostendere earum interpretationem.

Secundaria hujus loci interpretatio. De operibus hominum. Ita de doctoribus & de dogmatis propriè & simpliciter locus ille Pauli intelligitur. Quia verò ex doctrina & secundum doctrinam sequuntur opera, de iis etiam secundario potest exponi Non autem de pravis operibus, quæ verbo Dei prohibita & damnata sunt, ea enim non superstruuntur fundamento Christo. Nam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt, sed quæ habent verbum & mandatum Dei, illa quia Deo placent, si in fide fiant intelliguntur per aurum, *Aurum, argentum & gemma.* argentum & gemmas. Quæ verò non habent verbum & mandatum Dei, sed vel cordis humani aut bonæ intentionis cogitationes, vel Patrum traditiones sunt, & propter prætextum vetustatis, longinquitatem consuetudinis, præscriptionem temporis, multitudinem adhærentium, & externam speciem pietatis, arrident, ita ut infirmiores in fide non possint ex illis se expedire. Illa dicuntur ligna, fœnum, stipulæ. Et si fiducia in *Lignum, fœnum, stipulæ.* solo Christo hæreat, dicuntur super fundamentum superædificari. Si verò vel præferantur mandatis Dei, vel fiduciam sibi vendicent, non amplius sunt in fundamento, sed succendentur, & non erit, qui extinguat, Esa. 1.

Deparvicula dicta, dies illa declarabit. Ignis probabit. Porrò, dogmata vera & cultus veri, sæpius quasi in obscuro latent, ac non magni fiunt, sed oppugnantur, improbantur & damnãtur, etjam à multis. Econtra verò opiniones & cultus lignei, plerumq; magnam speciem coram mundo habent, laudantur, probantur, amantur, defenduntur. Deus igitur ad examen salutare probationis suæ, adducit, & dogmata & cultus, quod ut salutare sit, in hac vita fieri necesse esse. Illam verò probationem examinis divini, afferentem illustrem, stabilem, & solidam cogitationem, Scriptura describit, primùm metaphora diei seu lucis. Tenebris enim, hoc est, quando in errore & ignorantia aliquid defendimus, opponitur dies seu lux, hoc est, illustris cognitio, & verum judicium. Ita 1. Cor. 4. nolim judicari ab humano die. Et Iere. 17. Diem hominis non desideravi. Significat autem dies hominis, cognitionem, seu judicium mundi, seu rationis de rebus sacris. Ita Ioa. 3. Qui veritatem facit, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus. Ephes. 5. Omnia, dum arguntur, à luce manifesta fiunt, nam quod omnia manifestat, lux est. Idem etjam metaphora ignis significari usitatum est, ut Psalm. 12. Eloquia Domini, eloquia munda, ut argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum. Ipse enim quasi ignis conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, ut offerant Domino sacrificia in justitia. Malach. 3. Syr. 37. Sap. 3.

Quasi

Quasi vasa figuli, & tanquam aurum, in fornace probantur. Quodq; Esaias dicit, cap. 28. Vexatio dat intellectum. Et Ierem. 41. Castigasti me & eruditus sum. Illud metaphoricè ita dicitur, Threnorum 1. Misit ignem in ossa mea, & erudivit, 1. Petri 1. Per ignem probatur, 1. Petri 3. Per ignem exploramini. Hæc verò omnia Scriptura in hac vita fieri affirmat. Manifestum igitur est, quando Paulus dicit, dies declarabit, ignis probabit & revelabit, non esse novas metaphoras, sed Scripturæ familiares, ex Scriptura sumptas, & inde etjam sicut exemplis ostendimus, interpretandas.

Dies declarabit & ignis probationis. Immittit autem Deus diem illum declarationis, & ignem probationis, vel per tribulationes exteriores, vel per tentationes conscientiæ, vel per clariorem manifestationem veritatis ex verbo, ne in tenebris errorem & ignorantiæ maneant, qui fundamentum retinent, sed ut expurgetur, si quid talium opinionum, quæ fundamento non satis congruunt, adhæserit. Ita Ambrosius, in Psalm. 118. Sermo. 13. veniat verbum Dei, intret in Ecclesiam, fiat ignis consumens, ut exurat fœnum & stipulam, & quicquid est seculare, consumat, grave plumbum iniquitatis est in pleriscp, liquefiat igne divino, meliorentur vasa aurea, argentea, ut sensus & sermo passionum colore recoctus incipiat esse preciosior. Ita Ambrosius. Illud verò ut salutare sit, necesse est fieri, vel in hac vita, vel in hora mortis. Ita ergo juxta Paulum, opus seu ædificium cujusque quale sit, manifestum fit. Si enim solido Scripturæ fundamento nititur, tunc sicut aurum igne non absumitur, ita sive tribulationibus, sive tentationibus, sive collatione, seu examine ad Scripturam, talia dogmata seu cultus non evertuntur, sed magis illustrantur & confirmantur, 1. Petr. 1. Audiens enim & faciens verbum Dei fundatus est suprà petram, Matth. 7. Et illorum labores habebunt præmia in resurrectione justorum. Quæ verò extra aut præter verbum Dei præsumuntur, possunt quidem plausibilem prætextum & magnam speciem habere, sed quando in ignem tribulationis seu tentationis conjiciuntur, aut quando ad lucem verbi Dei protrahuntur, tunc sunt sicut ligna, fœnum & stipulæ, quæ non possunt consistere, sed exuruntur. Fœnum enim exiccatur, solum autem verbum Domini, juxta Iesaiam manet. Quando verò ita agnoscit quis, vel opiniones, quas multum amavit, & acriter defendit, vel cultus in quibus valde laboravit, ita exuri, tunc damnum patitur, videns se frustra in iis laborasse, & cum pudore dolet: Sicut si quis parietem cùm fundamento non rectè coagmentet, si paries concidat, architectus mercedem non accipit, sed cum pudore & dolore damnum impensæ operæ patitur. Si verò talis Doctor fundamentum teneat, licèt in præmiis accidentalibus, ut vocant, damnum patiatur, salvus tamen erit ratione fundamenti, sed non sine igne tentationis in hac vita. Hoc ergo modo Paulus docet, ignem illum tribulationis seu tentationis utilem & salutarem esse, ne lignis, fœno, aut stipulis addicti maneamus, sed ut purgati, possimus offerre sacrificia justitiæ, Malach. 3.

Damnum patitur.

Et quos Deus amat, qui scilicet in fundamento sunt, illos per ignem ita examinat, ut si quid vel præsumptionis vel fiduciæ pravæ adhæserit, exuratur & expurgetur, ut judicium ita rectificetur. Sicut autem exiguus ignis stipulas exurit, ad ligna verò majori igne opus est: Ita diversorum diversæ sunt tentationes. Reliqui verò extra fundamentum, sunt tales stipulæ, quæ cum accendentur, nemo erit, qui extinguat. Esa. 1. Hæc plurimis veterum exemplis declarari possunt, *Exempla veterum, quæ hanc interpretationem comprobant.* multas enim & suas & aliorum opiniones retractârunt, vel tentationibus, vel planiori Scripturæ intelligentia edocti, sicut Augustinus inquit, de Spiritu & litera, capite 36. In multis offendimus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus placere, vel non displicere quod facimus, & posteà per Scripturam ejus, sive certa & perspicua ratione commoniti, cùm didicerimus quod nõ placeat, pœnitendo deprecamur, ut ignoscat: *Augustinus.* Plena humana vita est documentis talibus. Hæc *Cyprianus.* Augustinus, qui alibi dicit, Cypriani errorem de rebaptisatione, igne Martyrii expurgatum esse. *Bernhardus.* Ita Bernhardus de operum meritis & fiducia multa disputat, sed quando in tentationibus ad tribunal seu examen divini judicii sistitur, agnoscit stipulas esse. Vitam, inquit, meam perdidi, perdicè vixi, sufficit mihi ad omnem justitiam te solum habere propicium, cui soli peccavi. Imò in ipso Paulo extat exemplum maximè illustre, Phil. 3. Vbi & metaphoras loci, 1. Cor. 3. explicare videtur, certè verbum ζημιοῦσθαι, expressè ponit. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, veruntamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, &c. Et quot sunt veterum opiniones, quas ipsi acriter defenderunt, quæ postea veritate revelata ignem sustinuerunt. Architecti verò, si fundamentum tenuerunt salvi facti sunt, quia disertè professi sunt, se nolle suis disputationibus Canonicam authoritatem tribui. Hæc sententia contextui orationis Paulinæ congruit, est analoga fidei, & reliquæ Scripturæ consentanea. Imò Scriptura ipsa, metaphoras illas, quibus Paulus utitur, ita interpretatur, sicut ostendimus. Nihil minus ergò, quàm Pontificiorum Purgatorium ex loco illo Pauli probatur.

Argumẽtum & fundamẽtum purgatorii, ex fictitia Pontificiorum doctrina de satisfactionibus. Postremò, ex doctrina sua de satisfactionibus præcipuum habent argumentum. Quia enim in hac vita post remissum peccatum, credentibus aliquando temporales pœnæ imponuntur, fingunt Pontificii, in conversione per fidem propter Christum tantùm culpam peccati dimitti, pœnam verò æternam virtute clavium commutari in temporalem seu transitoriam, quam unumquemque tanquam satisfactionem pro se exoluere necesse sit. Et quia multi ante evolutam illam satisfactionem moriuntur, sentiunt residuum pœnarum, ut justitiæ Dei satisfiat, post hanc vitam in purgatorio, acerbioribus supplициis esse vel persolvendum, vel redimendum. Sed in 2. parte examinis, in titulo de satisfactionibus, fundamenta hujus argumenti excussa sunt, & monstratum est, Christum & pro culpa & pro pœna peccatorum satis fecisse, credentes etjam

Universidad de Deusto
Biblioteca

fide propter Christum simul remissionem culpæ & pœnæ accipere. Quòd verò post reconciliationem aliquando pœnæ temporales credentibus imponuntur, illud non fieri propter satisfactionem, sed ut reliquiæ peccati in carne hærentes, ita mortificentur, & pii in futurum, quasi fræno quodam coërceantur, ne acceptam gratiam vel securitate amittant, vel petulantia excitiant, & ad vomitum revertantur. Sicut in loco allegato pleniùs illa explicata sunt. Inde verò planissima sumitur solutio & explicatio hujus argumenti. Quia enim reliquiæ peccati hærent in carne credentium, quæ ideò in hac vita pœnitentia & cruce mortificatur, crucifigitur, & destruitur, Romanos 6.7. & 8. Galat. 5. Colos. 3. Caro autem per mortem deponitur. Carne ergo peccati depositâ, non ampliùs opus est pœnis illis mortificatoriis & emendatoriis. Corpus enim mortuum est propter peccatum: Spiritus verò vita est propter justitiam. Roman. 8. Et quod caput est, Scriptura de pœnis temporalibus, quæ, propter peccatum in carne habitans, credentibus in hac vita imponuntur, multa & expressè loquitur. Quòd verò spiritibus eorum, qui in Christo moriuntur, pœnæ & quidem atrociores post hanc vitam, quam quæ carni peccatrici in hac vita imponuntur, infligendæ sint, Scriptura prorsus nihil dicit, imò contrarium disertè affirmat. Eos, qui in Domino moriuntur amodo requiescere à laboribus suis, Apocal. 14. Venire in pacem, Esa. 57. Luc. 2. Esse cum Christo in Paradyso, Luc. 23. Philip. 1. 2. Corinth. 5. Vbi nullum tormentum eos tangat, Sapient. 3. Ex fictitio igitur fundamento, extra & contra Scripturam, argumentum illud conatur purgatorium construere.

Hæc sunt præcipua argumenta, quæ tanquam fulcra labascẽti purgatorio supponuntur. Quod autem causam purgatorii prorsus nihil vel probent, vel adjuvent, ex his, quæ diximus, manifestum est.

DECRETVM, DE INVOCATIONE ET VENERATIONE SANCTORVM, publicatum eadem die prima, Sessionis nonæ & ultimæ Tridentinæ.

Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis, & cæteris docendi munus curamq; sustinentibus, ut iuxta Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ usum, à primæva Christiana religionis temporibus receptum, sanctorumq; Patrum consensionem, & sacrorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarũ honore, & legitimo imaginum usu, fideles diligenter instruant, docẽtes eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda à Deo, per filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumq; confugere. Illos verò, qui negant sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes, invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversariq; bonori unius mediatoris Dei & hominũ, Iesu Christi, vel stultum esse, in cœlo regnantibus, voce vel mente supplicare, impiè sentire.

DE VENERATIONE SANCTORVM.

QVOD in aliis controversiis, ubi malæ causæ patrocinia, quæ speciem aliquâ honestatis præferant, quæruntur, fieri solet, idem Pontificii in hoc loco faciunt, ut scilicet à vero negotii statu, & ab eo, quod in controversia positum est, homines ad alia quædam, quæ aliquantò magis speciosa & plausibilia sunt, abducere conentur. Cùm enim de invocatione Sanctorum, sicut eam publica & privata praxis Pontificiæ Ecclesiæ, hactenus usurpavit, controversia sit, multi inter Patronos regni Pontificii, dissimulatis crassis & pudendis istis superstitionibus, varia quærunt ad occultandam illam turpitudinem diverticula. Andradius fingit nos cum Cajanis & Eunomianis docere nephariam contemptionem & sacrilegam despicientiam Sanctorum, quorum Spiritus apud Deum vivunt, quasi scilicet negemus Sanctos esse honorandos, aut doceamus memoriam ipsorum nulla celebratione aut veneratione esse cohonestandam. Colonienses calumniantur nostros, quando distinguunt inter Sanctos, qui adhuc in terris vivunt, & qui jam vita defuncti seu mortui sunt, quasi sentiant, Sanctos, qui ex hac vita migrarunt, non esse cum Christo, nec vivere apud Deum, sed esse mortuos, hoc est, prorsus extinctos. Vicelius & alii operosè disputant, Sanctos, qui jam in patria cum Christo sunt, esse nobiscum membra unius illius corporis, cujus caput Christus est, cumq; illi non ignorent, in terris semper colligi filio Dei Ecclesiam, sub cruce & variis persecutionibus, usq; ad finem mundi, non esse dubium, ipsos cum apud Deum vivant, Ecclesiæ, quam sciunt in terris sub cruce militare, à Deo optare omnia bona, Quasi à nobis hoc vel negetur, vel dammetur. Hæc igitur, quibus vera momenta hujus controversiæ, vel occultantur, vel involvuntur, & obruuntur, priùs breviter explicanda sunt. Ita enim rectè constitui poterit, quis sit verus status ejus, quod in hoc loco inter nos & Pontificios controvertitur, & quò dirigenda ac referenda sint omnia argumenta, sive in confirmatione, sive in refutatione.

Infitiatio transitus.

Andradius.

Colonienses.

Vicelius.

Quod itaq; ad veros Sanctorum honores attinet, eos Confessio nostra probat, nõ propter hominũ traditiones, aut cujuscunq; temporis consuetudinem, sed quia fundamenta & testimonia habet in Scriptura. Vulgò allegatur versiculus ille, ex translatione septuaginta, Psal. 139. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, ubi vocabulum רעים ab Ebræis exponitur, non pro amicis

Sanctos honorandos.

amicis, sed pro cogitationibus seu consiliis Dei, cùm in principio ejusdem Psalmi ita usurpetur, ut non possit aliter, quam pro cogitatione intelligi. Et in hac significatione, contextus istius versiculi, optimè cum præcedentibus & sequentibus cohæret. In formatione scilicet hominis, & gubernatione vitæ humanæ, tam illustria & eximia extare providentiæ divinæ documenta, ut numero comprehendi non possint. Quia tamen vocabulum illud plerumque amicos significat, Græci sicut & Chaldæus Paraphrastes, non omnino malè reddiderunt eam sententiam, quæ per se vera & pia est, licèt contextui non admodum benè quadret, Eos scilicet, quos Christus, non servos, sed amicos suos appellat, Ioann. 15. Quique jam apud Dominum præsentes sunt, 2. Corinth. 5. debere in magno apud nos precio haberi. ita enim verbum רעה usurpatur, 1. Samuel. cap. 18. Magno in precio fuit nomen Davidis, Psalm. 72. Preciosus erit sanguis eorum in oculis ejus, Psalm. 116. Preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Citatur etjam ex vulgata versione, Psalm. 150. Laudate Dominum in sanctis ejus. Quæ sententia quidem non est mala. Extat enim, Galat. 1. Sed Psalmus tantùm dicit: Laudate Dominum in sanctitate seu in sacrario ejus. Manifestiores verò sunt illæ sententiæ, Psalm. 112. In memoria æterna erit justus. Et Proverb. 10. Memoria justi erit in benedictione. Quod repetit Syracides, cap. 45. Cujus memoria in benedictione. Et cap. 46. Sit memoria illorum in benedictione, qua phrasi Iudæi adhuc hodie utuntur in elogiis & epitaphiis præstantium virorum. Ita Sapient. 4. Immortalis est memoria ejus, quoniam & apud Deum nota est & apud homines, Sapient. 8. Relinquunt posteris memoriam perpetuam. Et Maria inquit, Luc. 1. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Imò Christus ipse dicit, Mar. 14. Vbicunque prædicabitur Evangelium in universo mundo, etjam hoc, quod fecit hæc mulier, narrabitur in memoriam ejus. Cujus contrarium est, Pro. 10. Nomen impiorum fordescet. Psal. 109. In generatione altera deleatur nomen ejus.

Exempla veneratio seu talis veneratio Sanctorũ in Scriptura.

Et exempla extant in Scriptura illustria, de tali veneratione, seu celebratione Sanctorum. Extrema enim esset impietas, de illis vel leviter sentire, vel contumeliosè loqui, quos Deus pater honorificat, Ioan. 12. Quos filius agnoscit cohæredes, Rom. 8. Quos Spiritus sanctus templa sua vocat, 1. Cor. 3. 2. Cor. 6. Qui bonum certamen certârunt, fidem servârunt, cursum consummârunt & jam præsentes sunt apud Dominum. 2. Tim. 4. Phil. 1. 2. Cor. 5. Non autem opus est omnes locos notare, ubi Patriarcharum memoria in veteri Testamento, grata honorificentia celebratur. Plena enim est tota Scriptura. Et in publicis Ecclesiæ conventibus, celebratas & decantatas fuisse Sanctorum laudes, testantur Psalmi 105. & 106. Christus etjam Patriarcharum memoriam celebrat, Matth. 22. Ioann. 8. Ac memoriam Ioannis Baptistæ, & viventis & mortui honorificè prædicat, Matt. 11. & Ioan. 5. Et Matt. 21. Populi studium commendatur, quòd de Baptista etjam post mortem honorificè sentiant, fuisse ipsum Prophetam, non humana, sed divina autoritate missum. Ita Paulus Abrahamum prædicat, Roman. 4. Petrus sanctos Prophetas celebrat, 1. Pet. 1. Stephanus, Actor. 7. texit longum Catalogum Sanctorum veteris Testamenti. Et ad Ebræos 11. Verum panegyricon Sanctorum describitur. Apud Syracidem etjam à capit. 44. usque ad finem, describuntur prolixæ celebrationes Sanctorum. Imò gloria Sanctorũ, qui ex hac vita in fide Christi discesserunt, ab ipsis Angelis celebratur, Apoc. 7. 14. 20. &c. Hæc recitavi, ut ostenderem, nos non tantùm probare veros honores Sanctorum, sed ex firmis & solidis Scripturæ fundamẽtis eos defendere.

Subtilo veneratione Sanctorum quid occultẽt pontificij.

Porrò sub hoc axiomate, quòd Scriptura tradit, memoriam Sanctorum grata celebratione esse venerandam, Pontificii omnes suas superstitiones occultare conantur: Volunt enim consequens esse: Si sancti sunt venerandi: Ergo sunt invocandi, adorandi. Ergo suffragia, patrocinia, merita, protectiones, auxilia Sanctorũ sunt imploranda. Quasi Scriptura tantùm genus traderet (Sanctos esse honorandos) nobis verò liberum relinqueret excogitare quale cunq; cultus, & quasi omnia, quæcunque sint, & quomodocunque fiant, modo fingantur in honorem Sanctorum fieri, Deo placeãt, etjamsi honor soli Deo debitus, ad Sanctos transferatur. Sed Scriptura non tantùm tradit memoriam justorum esse in benedictione, sed ostendit etjam, in honorandis Sanctis, sæpè & facilè peccari, & à regula pietatis aberrari. Christus enim, Matth. 23. reprehendit Pharisæos, qui sepulchra Prophetarum ædificabant, & monumenta justorum ornabant, cùm ipsi interea gladiatorio animo persecutioni Evangelii inhiarent. Iudæos etjam reprehendit, Ioan. 8. qui Abrahami memoriam honorificè celebrabant: Fidem verò & opera ejus non imitabantur, sed contraria designabant. Ioannes Apocal. 19. Cùm Angelum suum, quo revelante, tam multa abdita mysteria cognovisset, judicaret honorandum esse, in excessu peccat. Nam ad adorationem Angeli delabitur, sed ab Angelo seriò repellitur. Et tamen, capit. 22. rursus ex loco de veneratione Angeli, conatur consequentiam extruere, de cultu adorationis Angelo exhibendo. Quod ideò tam accurata repetitione de ipso Ioannes annotavit, ut in ipsis Sanctorum exemplis videamus, proclivem lapsum esse, ex veneratione Sanctorum ad idololatriam, nisi intra certos terminos à Scriptura præfixos honor Sanctorum contineatur. Ita Cornelius intentione non mala coram Petro procidit, deferẽs ipsi adorationem, ideò quòd augustius quid de ipso, quàm de homine sentiret, quia Angelus visus fuerat Petrum sibi præferre, cùm diceret: Hic dicet tibi, quid te oporteat facere. Sed Petrus illum honorem recusat, quia inquit: Et ego ipse homo sum. Act. 10. Et quod Epistola Iudæ, de altercatione Michaelis & Diaboli, circa corpus Mosis scribit: Interpretes ita exponunt, quòd sepulchrum Mosis, quod Deus volebat ignorari, Diabolus voluerit proferre, ut ea occasione superstitiosus cultus mortui institueretur. Ita liber Sapientiæ cap. 14. ostendit ex memoriis mortuorũ honorificè conservatis & celebratis, tandem originem sumpsisse idololatriam.

Scriptura ostendit in honore Sanctorũ facilè peccari posse.

Pharisæi.

Iudæi.

Ioannes Evangelista.

Cornelius.

Epistola Iudæ.

Liber Sapientiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid Scriptura de honoribus Sanctorum doceat.

Scriptura igitur primò tradit, memoriam Sanctorum deberein precio esse. Secundò, ostendit etjam in honorandis Sanctis sæpè & facile peccari. Tertiò, in probatis exemplis mõstrat, qui sint veri Sanctorum honores, Deo grati, & ipsis Sanctis accepti. Non enim quoslibet honores, etjam si opiniones venerationis fiant, Sanctis acceptos esse, Angelus, Apocal. 19. & 22. Petrus, Actor. 10. & Paulus, Actor. 14. ostendunt. Et Moysen, cujus memoriã Iudæi honorificè celebrabant, cùm doctrinam ejus non sequerentur, Christus dicit accusaturum Iudæos, Ioann. 5. Quia igitur Scriptura ideò vocatur Canonica, quia debet norma & regula esse fidei & operum in Ecclesia. Non ergo meliùs, rectiùs aut tutiùs, quàm ex Scriptura sacra peti potest aut debet, quæ sit vera & pia ratio honorandi Sanctos. Et qui secundum Scripturæ exemplum Sanctos honorat seu veneratur, is reprehendi nec debet, nec potest, sed læta conscientia certus est, Deo id, quod facit, probari. Et ipsæ Sanctorum animæ absque dubio aliud nec cupiunt nec optant, nec gratum seu acceptum habere possunt, quàm si id à nobis fiat, quod voluntati Dei, quæ in verbo ipsius est patefacta, conforme est. In Ecclesia enim nõ debemus facere quod nobis rectum videtur, sed quod Dominus noster præscribit, Deu. 12. De electitiis enim cultibus dicit: Quis hæc requisivit de manibus vestris? Sit igitur verbum Dei in hac etjam quæstione de veneratione Sanctorum, lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris.

Scriptura cur Canonica dicta.

Honos verus Sanctorũ iuxta Scripturam.

Reducit autem Apologia Cõfessionis nostræ, Scripturæ sententiam de honoribus Sanctorum, ad tria hæc capita. I. Vt Deus in Sanctis celebratur. II. Vt dona ipsorum amplificentur, & Sancti ipsi laudentur, qui donis illis fideliter usi sunt. III. Vt virtutes ipsorum ad imitationem proponantur. In hisce verò capitibus, Scriptura semper hoc fundamentũ ponit, quod veras Sanctorum historias recitat, & inde capita hæc celebrationis ipsorum deducit. Extant autem de capitibus illis illustria in Scriptura exempla. Vt de primò: Quod Deus in Sanctis sit celebrandus, Paulus, Galat. 1. recitata conversionis & vocationis suæ historia, addit hoc elogium: Et glorificabant in me Deum. Veræ enim celebrationes Sanctorum, debent esse commonefactiones, ut Ecclesia in Sanctis agnoscat, & consideret exempla præsentiæ, gratiæ, bonitatis, sapientiæ, veritatis & potentiæ Dei, utq; propterea vera gratiarum actione Deum celebret, qui tam illustria præsentiæ suæ testimonia in Sanctis proponit, quiq; varia dona inter filios hominum distribuit, instruens alios aliis, & mirabiliter eos gubernans ac defendens, ut doctrina, confessione, scriptis, miraculis, martyrio, constantia, præclaris factis, & aliarum virtutum exemplis, reliquis præluceãt. Omnibus etjam aliquo modo notum esse debet, quomodo & quibus testimoniis Deus Ecclesiam omnibus temporibus colligat, servet & gubernet, ut Deo gratiæ agantur, quod se patefecit, quòd Ecclesiã colligit & servat, quod mittit Doctores & alios peculiaribus donis instructos, in quib. testimonia de se ostendit. Matth. 5. Vos estis lux mundi: Sic luceat lux vestra, ut homines videntes bona vestra opera, glorificent Deum.

Exẽpla Scripturæ, de honoribus Sanctorum.

Philip. 2. In medio nationis pravæ lucetis, tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ præferentes. Ephes. 4. Sedens ad dexteram Patris, dat dona hominibus, aliis alia, ad ædificationem corporis Christi. 1. Corinth. 12. Divisiones donorum sunt, sed idem est Deus, efficiens omnia in omnibus, unicuiq; verò datur manifestatio spiritus ad id, quod expedit. Psal. 105. Narrate omnia mirabilia ejus. Psal. 68. Mirabilis Deus in Sanctis suis. Galat. 2. Cognoverunt gratiam mihi datam, quod ille, qui efficax fuit in Petro ad Apostolatum circumcisionis, efficax fuit & in me erga Gentes. 2. Cor. 13. An experimentum quæritis in me loquentis Christi? Isa. 49. Posuit os meum, quasi gladium acutum, & in umbra manus suæ protexit me. Actor. 9. Organum electum est mihi, ut portet nomen meum coram Gentibus, & filiis Israel, ego enim ostendam illi, quanta oporteat ipsum pro nomine meo pati. Actor. 26. Constituo te ministrum, eripiens te à populo & Gentibus. Ier. 1. Noli dicere, quia puer sum, quia ad omnia, ad quæ te mittam, ibis. Ne timeas à facie eorum, qui tecum sum, ut eruam te à facie eorum, dicit Dominus. 1. Corinth. 15. Non sum dignus vocari Apostolus, gratia autem Dei, sum id, quod sum. Abundantiùs omnibus laboravi, non ego tamen, sed gratia, quæ mihi adest. Psal. 8. Quid est homo, quod memores ejus? minuis eum, mox gloria & honore coronas eum. 1. Corinth. 12. Sufficit tibi gratia mea, virtus enim mea in firmitate perficitur. Et Maria in sua Doxologia, ex professo & pulcherrimè hoc caput describit: Magnificat anima mea Dominum, quia respexit ad miseriam seu paupertatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus, & misericordia ejus à progenie in progeniem, timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos cogitatione cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini ejus in secula.

Lapsus Sanctorum, & eorũ quo ad peccantia.

Ita in lapsibus Sanctorum, & in pœnitentia eorum, proponitur gratia Dei conspicienda in infirmitatibus, Gal. 1. 1. Tim. 1. Matth. 26. Psal. 51. In pœnis ostendit, quod iniquitates in Virga visitet, misericordiam autem non auferat, Psal. 89. Quodq; corripiat suos, ne cum mundo damnentur, 1. Cor. 11. In afflictionibus, persecutionibus, mitigantibus, liberationibus, in exercitiis fidei, spei, charitatis, patientiæ, perseverantiæ, consolationis Sanctorum, conspicienda proponitur præsentia, sapientia, veritas, potentia & gratia Dei. Dominus mortificat & vivificat, 1. Regum. 1. Cum ipso sum in tribulatione, Psalm. 91. Fidelis Deus, qui dat exitum, 1. Corinth. 10. Ducit velut ovem Ioseph, Psalm. 80. Psalm. 105. & 106. Actor. 5. Ebræ. 11. David, Psalmo 115. brevi sententia hæc complectitur. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam, propter misericordiam tuam, & veritatem tuam, ne dicant Gentes, ubi est Deus eorum? Huc pertinet etjã, quod Deus sanctos suos à miseriis hujus vitæ liberatos, jam stolis albis decoratos secum habet, expectantes plenam glorificationem, Apocalyp. 4. 6. 7. & 12. Lazarus, qui in vita sua accepit mala, jam solatio fruitur, Luc. 16. Cursum consummavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die, non solùm autem mihi, sed & omnibus, qui diligũt adventum ejus, 2. Timoth. 4. Preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius, & sanguis ipsorum, Psal. 72. & 116. Custodit omnia ossa eorum, Psalm. 34.

Pœna Sanctorum.

Afflictiones Sanctorum, &c.

De donis Sanctorum.

Secundò, Scriptura dona Dei Sanctis collata, magnificat & celebrat, ipsos etjam Sanctos laudat, qui donis illis fideliter usi sunt. Ita Zacharias Luc. primo. Christus, Matth. 11. Baptistam celebrant. Elizabeth Mariam, Luc. 1. Paulus, 1. Corin. 15. Gratia eius in me vacua non fuit, sed laboravi, Matth. 25. Euge serve bone, & fidelis, in paucis fidelis fuisti, super multa constituam te, intrea in gaudium Domini tui, Ebr. 3. Moses fidelis fuit in domo Domini. Apocaly. 12. Non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Huc pertinent elogia Sanctorum, Actor. 7. Ebræ. 11. & 12. Psalm. 105. 1. Corinth. 12.

De imitatione virtutum Sanctorum.

Tertiò, Gloriam Sanctorum esse, si doctrinam, fidem, spem, charitatem, patientiam & reliquas virtutes ipsorum imitemur, Paulus expressè dicit, Philip. 2. Sitis irreprehensibiles in medio nationis pravæ, inter quos lucete tanquam luminaria in mundo, ad gloriam meam in die Christi. 1. Thessalon. 2. Vos estis gloria nostra, & corona gloriationis nostræ. In veneratione igitur Sanctorum finis esse debet, ita celebrare virtutes Sanctorum, ut sint exempla, ad imitationem & confirmationem proposita. Hoc enim modo convertuntur corda patrum ad filios, & increduli ad prudentiam justorum, Luc. 1. Ita Scriptura recitat veras Sanctorum historias, de doctrina & confessione eorum, ut fides nostra in agnitione & confessione veræ doctrinæ, exemplis ipsorum, quæ verbo Dei consentanea sunt, confirmetur. Hoc modo & in hunc finem Stephanus, Actor. 7. Sanctorum historias prædicat. Paulus, Rom. 4. Christus, Ioa. 8. Abrahamum. Petrus, 1. Petri 1. & 2. Petri 1. Prophetas celebrat. Et Ebræ. 11. Ob fidei confirmationem, prolixus ille Sanctorum catalogus, ex veris ipsorum historiis contexitur, sicut scriptum est, ca. 13. Quorum intuentes exitum conversationis, imitemini fidẽ. Ita fiducia misericordiæ Dei erigitur & confirmatur in nobis, quando audivimus Davidi adulterium, Petro negationem condonari, Psalm. 51. Et 1. Timoth. 1. ad exemplum iis, qui crediturí essent in Christum. Eadem ratione Scriptura reliquas virtutes Sanctorum celebrat, ut obedientiam ipsorum erga mandata Dei, quæ elucet in exercitiis pœnitentiæ fidei, spei, charitatis, patientiæ, & reliquarum virtutum, conemur imitatione exprimere, & vestigia ipsorum sequi. Romano. 4. Qui sectantur vestigia Abrahæ, Philip. 3. 1. Thessalon. 1. Imitatores nostri fitis, & observate eos, qui ita ambulant, sicut nos habetis pro exemplari. Romanor. 15. In nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Ebræos 6. Ne sitis segnes, sed imitatores eorum, qui per fidem & patientiam, hæreditatem accipiunt promissionum, ad Ebræos 12. Cùm tantam copiam testium habeamus, per patiẽtiam curramus in proposito nobis certamine. 2. Timotheum 3. Tu assectatus es doctrinam meam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, afflictiones. 1. Timoth. 4. Esto typus fidelium, in verbo, in conversatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in castitate. 3. Regum 19. Non sum melior patribus meis, Psalm. 22. Patres nostri clamaverunt ad Deum, & exaudiet eos. Huc pertinent integri Psalmi, 105. & 106. Et totum caput ad Ebr. 11.

Gloria & beatitudo Sanctorum.

Gloria etjam beatorum, in qua nunc sunt, ideò celebratur, ut nos in hac peregrinatione difficilima, suspiremus ad societatem & congregationem illorum, sicut Scriptura inquit: Collectus est ad populum suum, ut eò contendamus, & cursum nostrum dirigamus, & hac meditatione, nos in hac lachrymarum valle confirmemus & consolemur.

Exempla obedientiæ Sanctorum erga Deum.

Discrimẽ imitationis Sanctorũ, quo ad virtutes communes, & dona singularia.

In hac verò imitatione discrimen est, inter virtutes communes, sicut Paulus vocat, fidem communem, Tit. 1. & inter dona singularia, ac vocationes peculiares. Paulus etjam in hoc genere tradit regulam imitationis, 1. Corinthio. 11. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi: Ne scilicet ea Sanctorum opera imitemur, quę non habent verbum & mandatum Dei. Nam ipsa Scriptura ideò ad præmonitionem, non tantùm virtutes, verùm etiam lapsus & nævos Sanctorum describit, ut ostendat, prudentia in accommodandis exemplis opus esse. Ita Paulus pharisaismum suum describit, Actor. 26. Galat. 1. Philip. 3. Petri etjam nævum in usu doctrinæ de adiaphoris notat, Galat. 2. Et Ioannes suam hallucinationem in cultu Angelorum ipse bis repetit, Apocalyp. 19. & 22. Cultus etjam electitii, etsi non mala intentione instituti, ideò in Scriptura taxantur, Iudic. 17. Exod. 32. Et Sanctorum lapsus ideò describuntur, ut in imitandis Sanctorum factis, norma sit verbum Dei, 2. Regum 12. Matthæi 26. In imitatione etjam habendam esse rationem vocationis, Christus ostendit, Ioann. 18. Si regnum meum esset mundanum, ministri mei pugnarent, Luc. 22. Vos autem non sic, Matthæi 26. Qui gladium acceperit, &c. Hoc modo & hac ratione, Scriptura Canonica Sanctorum honores tractat. Quomodo enim vera primitiva Ecclesiæ antiquitas, Sanctos piè honorârit, postea in historia annotabimus. Syracides certè in prolixa sua Panegyri, eadem & non alia capita sequitur, sicut ea describit, cap. 44. Laudemus viros præstantes, majores nostros. Multam gloriam per hos Dominus fecit magnificentia sua, sapientia, consilio, potentia, celebres fuerunt. Viri benefici seu benemeriti, nomen & gloriam adepti sunt, prædicantur & celebrantur à populis, corpora ipsorum honorificè sepulta sunt. Henoch exemplum est pœnitentiæ nationibus, &c. Vulgata quidem translatio Syracidis alicubi obliquè transformata est ad Pontificios cultus: Vt cum capit. 49. dicit: Ossa Ioseph visitata esse, & post mortem prophetasse. Sed Græcus textus habet ἀπεσκέπησαν conservata sunt, quod cum historia congruit, Genes. 50. De oraculis

Syracidis depravatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò ossium Iosephi mortui, nec historia Mosis, nec Græcus Syracides quicquam habent. In cap. 50. Vulgata translatio ita loquitur, quasi Onias post mortem oret pro populo, ad cõfirmandum somnium, 2. Macha. 15. Sed Græcus textus disertè ita loquitur, quod sit quasi invitatorium, ut viventes benedicant & orent Dominum.

Veneratio Sãctorum in Ecclesiis Augustanæ confessionis.

Talis Sanctorum veneratio, in Ecclesiis nostris exemplo Scripturæ probatur & servatur. Proponuntur enim veræ historiæ, & ex illis ea capita, quæ jam recitavimus, populo inculcantur. Falsum igitur est, quod Pontificii dictant, nos docere contemptionem & despicientiam Sanctorum, quasi memoria ipsorum nulla celebratione sit cohonestanda, cùm illam celebrationem Sanctorum, quę unica, vera, Deo placens & Sanctis honorifica est, sicut scilicet in Scriptura Canonica tradita est, studiosè observemus.

Pontificii Sãctos vero suo honore spoliant.

De Pontificia verò Ecclesia conquerimur, quòd veros illos Sanctorum honores, de quibus Scriptura loquitur, nec servant, nec curant, nec requirũt, sed eos obscurant, pervertunt & tollunt. Pro veris enim Sanctorum historiis, impudentes fabulas de Sanctis spargunt, de tali fide, & de talibus operibus, quæ non tantùm non habent testimonia in verbo Dei, sed plerumque cum eo ex diametro pugnant.

Legẽdæ Sanctorum Apocryphæ.

Tempore Gelasii, sicut notat Gratianus distin. 15. tales legendæ de Sanctis, secundum anticquorum autoritatem, singulari cautela in Ecclesia Romana non legebantur, quia vel ab infidelibus, vel ab hæreticis, vel ab incertis autoribus ita conscriptæ judicabantur, ut veræ fidei potiùs subsannatio, quàm confirmatio essent. Nunc verò tales fabulę, Luciani narrationibus impudentiores, quasi columen sunt familiæ Pontificiæ. Cumq; aureæ quondam Lombardicæ historiæ fabellæ, toti jam mundo fœteant, novo artificio, sub prętextu, quasi veterum & Græcorum autorum, à Lipomãno & Surio, eadem fabula, quam antea propter actores, sicut Terentius de sua quadam fabula inquit, explosam putant, rursus in theatrum adfertur.

Lombardica historia.
Lipomãnus.
Surius.

Discrimẽ & periculũ Vergerii propter legendã Georgii.

Nota est Vergerii historia, qui, cùm in Tridentina Synodo, Georgii legendam, quàm Gelasius distinct. 15. diserè autoribus hæreticis tribuit, sibi non per omnia probari ostenderet, in discrimen dignitatis, imò vitæ & capitis adductus fuit. Multos etjam Pontificii Sanctos venerantur, qui nunquam vel vixerunt, vel in rerum natura fuerunt, ut Georgium, Christophorum, Katharinam. Vitatum fuit in ipso etjam Papatu dictum: Multorum reliquias coli in terris, quorum animæ ardeant in inferno. Et digni sunt Pontificii omnium bonorum odio, vel hanc unicam ob causam, quod historias de vita & obitu martyrum, quas veræ doctrinæ & consolationis plenissimas fuisse non est dubium, tam fœdè & impudenter, fabulis suis depravârunt.

Pontificii multos venerantur pro Sanctis, qui nunquã fuerunt in rerum natura, aut ingehẽna sunt.

Cyprianus.

Cyprianus scribit: Ecclesiam certos notarios adjunxisse martyribus, ut acta eorum fideliter annotarent, ad laudem Dei & instructionem fidelium. Eò magis verò dolendum est, pro auro illo, non carbones, sed sordes & stercora superstitiosissimarum fabularum, à Pontificiis suppositas esse.

Pontificii Sanctis tribuunt honores, repugnantes Scripturæ.

Non tantùm autem illos honores, de quibus Scriptura loquitur, Pontificii Sanctis non deferunt, sed sine Scriptura, & contra Scripturam, ritu prorsus ethnico, donariis, sacrificiis seu oblationibus, nuncupatione votorum, peregrinationibus, templis, altaribus, festis, jejuniis, invocatione & adoratione, fiducia & spe auxilii, ob merita ipsorum, Sanctis cultum exhibent, & exhiberi volunt. Et hæc sciat Lector intelligenda esse, quando Pontificii de veneratione Sanctorum loquuntur, sicut mox ostendemus. Ita ergo illud, quod de venerandis seu honorandis Sanctis, specie aliqua ab astutioribus Pontificiis disputatur, ut Ecclesias nostris calumniis prægravent, & lectores à consideratione pudendæ idolomaniæ, quæ regnat in Ecclesia Pontificia, abducant, planè & perspicuè ex Scripturæ fundamentis explicatum est.

Matthias Deuuayus Vngarus.

Quòd verò usitatè vocantur mortui, illud fit ad ostendendum discrimen, inter Sanctos, qui in hac vita adhuc nobiscum commorantur, & inter eos, qui ex hac vita discesserunt. Falsum enim est, & repugnat universæ Scripturæ, quod Pontificii disputant. Nullum piorum, dum in hac vita est, sanctum appellandum (Ioann. 17. Roman. 1. 8. 15. 16. & in locis innumeris.) Canonizatio Romanensis, pars est idolomaniæ & nundinationis Babylonicæ. Vivi igitur, sancti vocantur, qui adhuc in his terris in carne vivunt. Qui verò hinc emigrârunt, vocantur mortui, licet animæ vitam vivant meliorem. Ita enim Scriptura loquitur, Romano. 14. Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim CHRISTVS & mortuus est, & resurrexit, ut vivis & mortuis dominetur, Apocalypsis decimoquarto. Beati mortui, qui Domino moriũtur. 1. Thes. 4. Mortui in Christo resurgent primum. Et Christum in symbolo confitemur mortuum fuisse, priùs, quàm per resurrectionem revixit. Confitemur etjam Christum judicaturum vivos & mortuos, hoc est, & eos, quos extrema illa dies adhuc in carne viventes deprehendet, & eos, qui ante extremum illum diem, ex hac mortali vita discesserunt, quos symbolum mortuos appellat.

Cur sancti mortui appellentur. An in hac vita aliquis sanctus appellandus.

Sancti vivi. Sancti mortui.

Patres sanctos vocant mortuos. Augustinus.

Et ipsi Patres, Sanctos, qui hinc discesserunt, appellant mortuos. Augustinus de Civita. libro 22. capite decimo: Nos Martyribus nostris memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus. Idem de vera Religione, capite 55. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si piè vixerunt, non quæruntur tales honores. Et de cura pro mortuis, cap. quarto: Martyres vocat mortuos.

Ecclesia nostra non dedicent, sanctos una cum corporib. extinctos esse.

Chrysostom.

Chrysostomus etjam Petrum & Paulum vocat mortuos, Homilia 66. ad Antiochenos. Meta igitur calumnia est, quam Pontificii ex vocabulo mortuorum struunt. Quod si quis eo sensu Sanctos appellaret mortuos, sicut Iulianus apud Cyrillum, libro sexto & decimo, is meritò damnaretur. Veteres enim dies obitus Sanctorum, pulchrè vocârunt natales, sive Natalitia ipsorum, quod tunc ingrediantur vitam meliorem, quæ verè vita est. Et cœlestis patria verè vocatur Regio vivorum. Christus etjam, Ioan. capite 11. De Lazaro inquit: Non est mortuus, sed dormit. Item, qui credit in me, etjamsi mortuus fuerit, vivet.

Natales seu natalitia sanctorum.

Sanctos pro Ecclesia militante esse solicitos.

Tertiò, Neq; hic est status controversiæ, quando de invocatione Sanctorum disputatur, quasi sentiamus, animas Sanctorum apud Christum adeo esse securas, vel gaudio & gloria quasi ebrias, ut vel non cogitent, quòd filius DEI in terris, semper usque ad finem mundi, sibi colligat Ecclesiam, vel non sciant, aut certè non curent, quod Ecclesia sub vexillo crucis in terris militans, variis afflictionibus & persecutionibus exposita & subjecta sit, vel ut à Christo, apud quem præsentes sunt, nihil boni vel cupiant, vel optẽt, vel petant Ecclesiæ, quam sciunt in terris sub cruce laborare. Quia enim beati in patria, nobiscum unius & ejusdem corporis membra sunt, cujus caput Christus est, & quia charitas non excidit, & Sancti apud Christum vivunt, ac sciunt Deum providisse, ut fine nobis non consummentur, Ebræ. 11. Sed expectandum, donec compleantur conservi & fratres eorum in terra, Apocalypsis 6. Piæ & bonæ sunt cogitationes, beatos in cœlo, licèt particulares circumstantias singulorum hominum in terris versantium non videant, pro ipso tamen generali statu Ecclesiæ, quam in terris sub cruce militare sciunt, suo quodam modo, ut quia ipsi experti sunt, quot & quantæ sint mortalis vitæ difficultates & miseriæ, solicitos esse, atque ideò viventibus, utpote membris suis, benè velle, & à Christo, apud quẽ præsentes vivunt, optima quæq; cupere & optare, ut à malo servati & liberati, ad societatem cœlestis patriæ transferantur. Et tales pias cogitationes nec improbamus, nec damnamus. Apologia enim Confessionis Augustanæ dicit, concedimus Sanctos in cœlis orare pro Ecclesia in genere, Saxonica Confessio dicit, ex colloquio Moses & Eliæ cum Christo colligi, Beatis in cœlo curæ esse Ecclesiam, & beatos orare pro Ecclesia. Vuirtenbergensis Confessio dicit, sicut Angeli soliciti sunt pro nobis, ita Sanctos in cœlis orare pro Ecclesia.

Apologia Cõfessionis Aug. Confessio Saxonica.

Confessio Vuirtenbergensis.

Quia tamen in Scriptura, quæ Canonica est, nullum prorsus extat perspicuum, expressum & certum testimonium de Sanctis, qui ex hac vita discesserunt, orantibus in altero seculo pro Ecclesia militante, cùm aliàs Apocalypsis Ioannis, multa & varia de statu beatorum in altera vita ostendat, urgeri illud pro indubitato & necessario fidei articulo, nec debet, nec potest, sed sint & maneant cogitationes, nec malæ, nec impiæ. Multò minus verò invocatio Sanctorum, & quæ prætereà de agnitione & exauditione particularium votorum, & de auxiliis affinguntur, inde fine Scriptura effingenda sunt. Sed hæc postea in refutatione argumentorum, & in historia invocationis Sanctorum repetenda, & plenius explicanda erunt. Hoc loco tantùm calumniæ, quibus præcipuus & verus controversiæ hujus status, à quibusdam occultatur, involuritur & transponitur, repellendæ fuerunt. Quando igitur de invocatione Sanctorum disputatur, non est quæstio, an Sancti sint honorandi: nec quæstio est, an Spiritus Sanctorum, qui ex hac vita discesserunt, apud CHRISTVM vivant, & Ecclesiæ in terris benè velint. Sed de invocatione Sanctorum, qualis in Ecclesia Pontificia usitata est, controversia est. De ea igitur, Quæ, Qualis, & Quanta sit, jam dicemus.

Sãctos in cœlo pro Ecclesia militante orare, Scriptura diserè nõ affirmat.

Quæ extra statum quæstionis disputentur.

DE INVOCATIONE SANCTORVM, QVOMODO *in Ecclesia Pontificia & doceatur & exerceatur.*

CRASSAS superstitiones & tetros abusus hærentes in invocatione Sanctorum, quidam ex patronis regni Pontificii, conquisitis minus asperis pharmacis, conantur mitigare, & variis coloribus pingere, ut vetus superstitio, gladio verbi DEI profligata, novo jam velata fuco, Ecclesiæ rursus obtrudatur. Sciunt enim Rhetoricum, sive ut veteres locuti sunt, Sophisticum artificium esse τὰ σκληρὰ μαλθακῶς λέγειν. Quidam igitur contendunt, Sanctos non invocari tanquam datores seu largitores beneficiorum, nec tanquam auxiliatores in necessitatibus, aut defensores in periculis, sed solummodo tanquam intercessores, ut apud Deum orent pro nobis, hoc est, ut non misericordiam, opem & auxilium, sed tantùm ad orationes beatorum in cœlo confugiamus, (quod tamen Pharmacum Tridentinum Concilium disertè rejicit) sicut in hac vita alter alterius orationibus se commendat, & petit aliorum precibus se juvari, Romanos 15. Et hoc modo honorem & officium mediatoris Christo, nõ derogari,

Dissimiles Pontificiorũ sententiæ de invocatiõe Sanctorum.

I. Invocari ut intercessores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rogari, nec in Sanctos transferri contendunt. In vocationem enim Sanctorum nihil aliud esse, quam compellationem, sicut quando Paulus vivos, vel coram verbis, vel absentes per literas compellat, ut sui in orationibus memores sint.

Secunda. Vicelius. Vicelius etjam luce veritatis eò adigitur, ut dicat, Sanctos non invocandos, cùm invocatio soli Deo debeatur, sed tantùm compellandos, ut orent pro Ecclesia militante. Sunt, qui rhetoricentur, invocationem Sanctorum nihil aliud esse, quàm si quis orationem suam ad Deum in nomine Christi dirigens, in ipsa oratione hanc cogitationem & hoc votum admisceat, ut optet se & necessitatem suam includi, sicut orationibus fidelium in hac terra viventium, quando sive nominatim pro quibusdàm, sive in genere pro universa Ecclesia interpellant: Ita etjam in desideriis beatorum in cœlis, quibus Ecclesiæ in terris militanti benè volunt, se & necessitatem suam optet, includi, ut qui membrum & frater sit etjam beatorum in cœlis. Alii invocationem Sanctorum Rhetorico schemate excusant & defendunt, quod tantum sit, vel commone facio, statuens beatos in cœlo pro necessitatibus, quibus non ignorant Ecclesiam in his terris militantem subjectam esse, solicitos esse, & pro illis Christum, apud quem præsentes adsunt, in genere interpellare, vel sit desiderium, optans & celebrans beatos id facere, quod per se ultro faciunt. Davidem enim tali figura, suam confessionem & desiderium suum sæpè exprimere, ut Psalm. 148. Laudate Dominum omnes Angeli. Sol, Luna, Stellæ, Dracones, Abyssi, ignis, grando, nix, glacies, ventus, montes, colles, arbores, bestiæ, serpentes, volucres, reges terræ, & omnes populi, Principes & omnes Iudices terræ, senes cum junioribus. Psalmo 103. Benedicite Domino omnes Angeli ejus, exercitus & ministri ejus: Benedicite Domino opera ejus. Item, Timete Deum omnes Sancti ejus: Diligite Dominum omnes Sancti ejus. Et quod Daniel. 3. ex Græco in cantico trium virorum in fornace Babylonica legitur: Spiritus & animæ justorum, benedicite Domino: Laudate & super exultate eum in secula.

Quarta.

Capita doctrinæ Papisticæ de invocatione Sanctorum.

Ex hujusmodi ascititiis coloribus, manifestissima Scriptura dicta, quæ invocationi Sanctorũ rectè & verè opponi solent, mirificè eludunt. Quia verò tantùm sophisticæ, seu potius præstigiatrices incrustationes, palliationes & fucationes sunt, cum doctrina & exempla invocationis Sanctorum in Ecclesia Pontificia, longè aliùd non tam testentur, quàm sonora voce clamitent, utile est, ex authenticis Pontificiorum scriptis ostendere. Primò doctrinã, quid & quomodo de invocatione Sanctorum doceant. Deinde exempla, quomodo, propter quas causas, quo sensu, & qua fiducia Sanctos invocent. Ita enim postea refutationes & explicationes planiores & faciliores erunt. Non autem omnium Monachorum sordes, qui audacissimè, aut ut verius dicam, impudentissimè de invocatione Sanctorum nugati sunt, coacervabimus (quanquam talis labor Ecclesiæ ad posteritatem non inutiliter impenderetur) Exciperent enim forsan Pontificii, esse privatas superstitiones, non publicam aut receptam Ecclesiæ suæ doctrinam. Sed ex publicis seu authenticis scriptis, unde formam publicæ suæ doctrinæ, petere solêt, paucas quasdam sententias annotabimus.

Lõgobardus intercedunt merito & effectu.

Longobardus igitur libro quarto, distinctio. 45. ita concludit: Intercedunt ergo ad Deum pro nobis Sancti, & merito, dum illorum merita suffragantur nobis, & affectu dum vota nostra cupiunt impleri. Oramus ergo ut intercedant pro nobis, id est, ut merita eorum nobis suffragentur, & ut ipsi velint bonum nostrum, quia eis volentibus, Deus vult & fiet. Hæc Magister.

Alexãder Alenf. de causis orãdi Sanctos.

Alexander Alensis, Sententiariorum seu Scholasticorum primus & vetustissimus, dicit Sanctos orandos esse propter tres causas. I. Propter nostram inopiam, quam habemus in merendo, ut ibi nostra non suppetunt merita, patrocinentur aliena, vel propter inopiam, quam habemus in contemplando, ut qui non possumus summam lucem respicere in se, saltem in Sanctis aspicere valeamus. Vel propter inopiam, quam habemus in amando, quia orationis effectus dependet ex devotione, & plerumque imperfectus homo, magis sentit se affici circa Sanctos, quàm circa Deum.

Prima.

Secunda.

II. Orandos dicit Sanctos propter ipsorum gloriam, ut dum per eorum suffragia, quod petimus, impetramus, ipsos magnificemus, & glorificando collaudemus.

Tertia.

III. Propter Dei reverentiam, ut peccator, qui Deum offendit, quasi non audeat ipsum in propria persona adire, recurrat ad Sanctos, eorũ patrocinia implorando. Idem inquit: Sanctos oramus ut mediatores, per quos impetramus. Hanc Alensis sententiam, ipsis fermè verbis reliqui Scholastici repetunt. Translata etiam est in Lombardicam historiam, & in Rationale divinorum.

Bonaventura.

Bonaventura, dicendum, quod Sanctorum orationes multa nobis bona impetrant, sicut dicit Magister, merito & affectu, meritò quidẽ precedenti. Licet enim sufficienter jam remunerati sint pro suis meritis, & nunc nõ sint in statu merendi, tamen quia multa supererogarunt, tantùm meritis suis locum adepti sunt, ut non solum sibi beatitudinem & gloriam meruerint, sed etjam aliis jam possint suffragari. Idem inquit: Qui antea erat indignus, rogando Sanctos, eorũ patrocinio efficitur dignus.

Thomas.

Thomas reddit hanc rationem invocationis Sanctorum. Quia ultima reducuntur in Deum per media. Ideo mediantibus Sanctorum suffragiis, Dei beneficia in nos diffunduntur. Et nos beneficia Dei sumimus mediantibus Sanctis, inde Sanctos constituimus intercessores, & quasi mediatores pro nobis, oratione vel expressa, vel interpretativa, hoc est, quia merita ipsorum existentia coram Deo, sunt nobis suffragia. Idem disputat non dicendum esse: Christe ora pro nobis, hoc est, non orandum esse, ut propter intercessionem Christi exaudiamur, & quę petimus, impetremus.

Thomas prohibet orare Christe ora pro nobis.

Gabr. Biel.

Gabriel Biel super Canonem pronunciat nos, ordine instituto à Deo, debere ad auxilia Sanctorum confugere, ut salvemur eorum meritis & votis. Ibidem dicit: Patrem cœlestem dimidium regni

regni sui dedisse beatissimæ virgini cœlorum Reginæ, idq; in Esther significatum, cui Assuerus dimidium regni pollicetur. Ita partem cœlestem cum habeat justitiam & misericordiam, justitia sibi retenta, misericordiam exercendam virgini matri concessisse. Hoc Bernhardinus in suo Mariali etjam repetit, & inde infert, à foro justitiæ Dei appellandum esse, ad forum misericordiæ matris ejus.

Misericordia Mariæ, justitiam Deo tribuit.

Antoninus.

Antoninus Archiepiscopus Florentinus parte 3. Summæ, titul. 3. dicit: Divina beneficia descendere in nos, mediantibus Angelis & animabus beatis, quia Deus bonitatem suam communicet inferioribus. Idem inquit: Lex Deitatis est, infirma ad suprema per media reducere. Quantum verò ad dona gratiæ, beati sunt medii inter Deum & viatores. Et titulo 12. dicit: Sanctos per Canonisationem à Papa proponi, ut exemplar fidei & vitæ sanctæ, & ab omnibus adorandos, ac in necessitatibus invocandos. Idem parte 4. titulo 15. de Maria virgine inquit: Necessarium est, ut hi, ad quos convertit oculos suos, pro eis advocant, justificentur & salventur. Ad objectionem verò, 1. Ioann. 2. Si quis peccaverit advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum justum, ita respondet: Christus non solum advocatus est, sed & judex cuncta discussurus, ita quòd nihil inultum remanebit. Cum itaque vix justus ante eum sit securus, quo modo peccator ad eum tanquam advocatum accederet? Ideò Deus providit nobis de advocata, quæ mitis & suavis est, in qua nihil invenitur asperum. Item, Maria ita advocat & interpellat, ut Deum patrem placet, & conversos ad gloriam inducat. Dulcissimam illam sententiam, Ebræos quarto, de Christo Pontifice nostro: Accedamus ad thronum gratiæ, &c. ita depravat Antoninus: Maria est Thronus Christi, in qua quievit. Ad eam igitur cum fiducia accedamus, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus, ad auxilium oportunum. Citat etjam & laudat Bernhardi sententiam. Securum accessum habes ad Deum ô homo, ubi mater stat ante filium, filius ante patrem. Mater ostendit filio pectus & ubera, Filius patri latus & vulnera. Item, ad mediatorem Christum opus est nobis aliis mediatoribus. Idem usitatum illud, quod Maria vocatur plena gratia, & porta cœli, non ita exponit, quòd CHRISTVM, ex cujus plenitudine gratiam accipimus, quique est via, veritas & vita, genuerit, sed inquit, ideo dicitur plena gratia, quia secundum Albertum, est Medium & Causa gratiæ, transfundendo eam in genus humanum. Et addit Mariam verè posse dicere illud, Syrach 24. In me omnis gratia vitæ & veritatis: In me omnis spes vitæ & virtutis, quod tamen dictum, Syrach in sua lingua non habet. Et totum illud caput de sapientia DEI loquitur. Portam cœli dicit Mariam vocari, ideò, quia, quicquid unquam gratiæ, de cœlis exivit in mundum, hoc per Mariam exivit, & quicquid in cœlum intrat, hoc per Mariam intrare necesse est. Sanctos etiam dicit Antoninus vocari portas cœli, ideò, quia per suffragia sua importent nos in cœlum. Et de assumptione Mariæ dicit, Seraphin voluisse Mariam apud se retinere, sed ipsam de filio suo sedente ad dexteram patris, allegasse illud, Genesis secundo. Non est bonum hominem esse solum: Addens sum ei data in adjutorium, in redemptionem per compassionem, in glorificationem per intercessionem, ut cum minatus fuerit, subvertere terram, sicut in diluvio, ego appaream tanquam arcus, ut recordatus fœderis repropitietur, &c. Sicut publica pictura in templis suis confessionem hujus doctrinæ ostentant, CHRISTVM scilicet minitari & projicere jacula, homines verò confugere ad misericordiam Mariæ, quæ ut Mediatrix se interponat, & ostentatis filio uberibus, jacula ejus pallio suo excipiat.

Maria plena gratia.

Maria advocans pro hominibus.

Maria porta cœli.

Sancti porta cœli.

Hoc Bernhardinus in suo, quod publica authoritate confirmatum est, Mariali, ita declarat. Maria fuit adjutrix nostræ redemptionis. Et est auxiliatrix nostræ justificationis. DEVS enim omnes gratias faciendas Mariæ commisit, quas ipsa fideliter distribuit. Omnes igitur in suis necessitatibus debent ad eam recurrere. Item, est illuminatrix nostra, quos in fide & virtute illuminat; cui nascendi DEVS dixit. Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. De ipsa dici potest. Lumen ad revelationem Gentium, &c. Est advocata nostra, causas nostras coram DEO agens, intercessione, & sanctitatis merito. Si enim merita aliorum Sanctorum pro nobis apud Deum intercedunt, multò fortiùs merita illius, quæ plenitudinem obtinuit meritorum & gratiarum, poterunt nobis divinam gratiam impetrare. Dicitur collum, sicut enim collum est medium inter caput & corpus, sic ipsa est Mediatrix inter DEVM & nos. Et sicut à capite per collum in corpora descendunt omnia, ita à CHRISTO per virginem in nos veniunt omnia dona. Ipsa enim nobis gratias spirituales tribuit. In Christo enim est gratia tanquam in capite influente, in Maria sicut in collo transfundente. Nulla enim gratia venit de cœlo ad terram, nisi transeat per manus Mariæ. Nam gratiæ omnes intrant in Mariam, & ab illa nobis communicantur. Est enim Mediatrix, salvationis, conjunctionis, justificationis, reconciliationis, intercessionis, communicationis. Hæc Bernhardinus. Hujus generis possem plura & crassiora ex Monachorum Marialibus adscribere, sed quia solêt excipere, ex privatis privatorum somniis, non esse æstimandã publicam Ecclesiæ Pontificiæ doctrinam, volui ex publicis Scriptis, in quibus communis forma doctrinæ Pontificiæ, sicut tempore Scholasticorum tradita fuit, comprehenditur, pauca hæc annotare.

Mariale Bernhardini Maria auxiliatrix justificationis.

Illuminatrix.

Advocata.

Collum.

Mediatrix.

Et illa adhuc hodie retinentur & defenduntur, à Pontificiis. Sotus enim in Confessione Catholica dicit, Sanctos in cœlo esse coadjutores & cooperatores in opere salutis nostræ.

Sotus.

Colonienses.

Colonienses in suo antididagmate dicunt, Sanctos in cœlo, quasi patronos, opitulatione apud Deum pro nobis intercedere, ita ut DEVS patiatur se misericorditer reconciliari, propter merita & intercessiones Sanctorum, suaq; dona nobis propter illos impertiat.

Lindanus.

Lindanus citat & probat illud eximaginaria septi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſeptima ſynodo, Sancti in cœlis pro me apud Deum ſupplicant, quo per illorum mediationem propitius ſit Deus, & remiſsionem peccatorum mihi gratis largiatur.

Saltzgerius. Saltzgerius dicit: Sanctos invocandos eſſe, ad duo beneficia nobis impendenda, tum ut pro nobis apud Deum intercedant, tum ut ſive viſibiliter ſive inviſibiliter adjutorium nobis impendant.

Dietenbergius. Dietenbergius dicit: Sanctos pro nobis intercedere, nihil aliud eſt, quàm quod noſtram cauſam apud Deum agant, nõ tam noſtra, quàm ſua merita & vota, pro obtinenda noſtra ſalute, offerendo.

Clichtoveus. Clichtoveus: Opera Sanctorum ita ſunt accepta Deo, ut non ſolum ipſi vitam æternam inde conſequantur, ſed & ut opem eorum implorantibus, multa beneficia poſsint impetrare. Item, ſicut diverſæ ſunt manſiones in cœlis, ita alius Sanctorum aliud habet, quod poteſt communicare: Vt Petrus contra infidelitatẽ, Agnes pro caſtitate, &c. Idem ſcribit: Mechtildi virgini factam revelationem, cum ſoror quędam monaſterii extrema unctione inungeretur, & ſacerdos litaniã legeret, ſingulos ſanctorum ad nomina ſua Chriſtum flexis genibus orare.

Tridẽtinum Concilium. Hæc omnia complectitur, comprobat & confirmat decretum Tridentinum. Statuit enim, bonum & utile eſſe, Sanctos ſuppliciter invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Chriſtum, ad eorum orationes opem, auxiliumq; confugere. Et eos damnat, qui negant invocationem Sanctorum, ut pro nobis etiam ſingulis orent. Licet enim verba decreti ita modificata ſint, ut videantur tantùm interceſsionem, non miſericordiam, gratiam & donationem beneficiorum Sanctis tribuere, quia tamen diſtinguunt inter orationes, & inter opem & auxilium Sanctorum, ipſos nervos invocationis Sanctorum, ſicut hactenus in Eccleſia Pontificia uſitata fuit, non obſcurè retinere volunt. Id quod Catechiſmus ex Decreto Tridentini Concilii Pontificis juſſu editus, nulla circuitione uſus, clariùs & expreſsiùs oſtendit. Inquit enim: Chriſtiani dicuntur Angelos adorare, non tamen veneratione divina: Et addit Iacobum invocaſſe Angelos, petiiſſe enim ab Angelo benedictionem, Geneſis 32. Et 48. Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis. De Sanctis inquit: Eam ob cauſam invocandi ſunt, quod pro ſalute hominum preces aſsiduè faciunt, multaq; eorum merito & gratia, in nos Deus confert beneficia, Rogati peccatorum veniam nobis impetrant, & conciliant nobis Dei gratiam. Item, ad Sanctorum gratiam confugere licet, & ſubſidiis eorum uti. Patrocinium enim noſtri ſuſcipiũt, &c. Et hoc loco obſervet lector,

Catechiſmus Romanus.

Petricovienſis Synodus in Polonia. quod Polonica Synodus Petricovienſis, conata fuit invocationem Sãctorum aliquantulum mitigare. Dicit enim capit. decimooctavo: A Sanctis non miſericordiam, ſed interceſsionem tantùm poſtulari, ſicut ab aliis in ſeculo degentibus. Romanus verò Catechiſmus, hoc ipſum pharmacũ reſpuit & rejicit, & ad gratiam Sanctorum confugiendum eſſe docet.

Qualis igitur invocatio Sanctorum fuerit, & adhuc retineatur & defendatur in Eccleſia Pontificia, ex ſcriptis ipſorum ἀδιακτικοῖς, publicis oſtendimus. Clarius autem in ipſa communi & publica praxi invocationis Sanctorum, quæ publica autoritate confirmata, recepta & uſitata eſt in Pontificia Eccleſia, id ipſum conſpici poteſt.

Et quidem ex legendis atq; in ſpeculis exemplorum, innumera & ſuperſtitioſiſsima poſſent commemorari. Poſſet etiam ex recenti memoria & ex publicis ſcriptis oſtendi, quod ſub Papatu, ſingulę regiones, ſingulę civitates, ſingulæ familiæ, ſingulæ domus, ſinguli homines, ſinguli ſtatus, artes, morbi, &c. peculiarem ſanctum, tutelarem & auxiliatorem habuerint, & coluerint altaribus, miſsis, imaginibus, candelis, jejuniis, feriis, votis, peregrinationibus, invocationibus, imò recitationibus Dominicæ orationis. *Legenda, ſua cuia exemplorum. Tutelares Sancti ſingulorum in patu.*

Germaniæ enim attributus fuit patronus S. Martinus & Georgius cataphractus. Romanis Petrus & Paulus. Hiſpanis Iacobus. Gallis Michael & Dionyſius. Helvetiis virgo Maria, ea quæ in nigricante ſylva heremitarum locum habet. Vngaris præter Ludouicum, illa Maria, quæ Aquiſgrani ſedem habet. Polonis Stanislaus. Moſcovitis Nicolaus. Boruſsis Albertus, &c.

Civitates etiam Sancti inter ſe ſortiti fuerũt, Mediolanum ceſsit Ambroſio. Colonia Agrippina tribus Magis. Auguſta Hulderico. Brunſuiga Auctori. Aliæ Quintino, Valentino, Quirino, Vrſo, Oſvaldo, Gangolffo, & infinitum eſſet ſingula enumerare. Rectiſsimè enim ad iſtam Pontificiorum ſuperſtitionem, accommodari poteſt quod Prudentius Gentibus objicit, lib. 2. contra Symmachum.

Quanquam cur Genium Romæ mihi fingitur unum?
Cũ portis, domibus, thermis, ſtabulis, ſoleatis
Aſsignare ſuos genios, perq; omnia membra
Vrbis, perq; locos, geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra, &c.

Ita à Nautis invocabatur Nicolaus & Chriſtophorus. Et ad avertendam grandinem, ac alias noxias tempeſtates à ſegetibus, invocabatur Ioannes & Paulus. Contra incendia ignis, Agatha & Floreanus invocabantur. Vitium tutela commendabatur Vrbano. Contra rubiginem Iodocus. Contra brucos invocabatur Magnus.

Anſerum cura Gallo, Ovium Vuendelino, Equorum Evlogio, Boum Pelagio, Porcorum Antonio tribuebatur.

Studioſi Gregorium & Catharinam colebant. Pictores Lucam. Medici Coſmam & Damianum. Iureconſulti Iunonem. Equites Georgium. Fabri Eulogium. Sutores Criſpinũ. Sartores Gutmannum. Figuli Goarum. Venatores Euſtachium. Meretrices Afram & Magdalenam.

Contra peſtem invocabatur Sebaſtianus & Rochus. Contra febrem Petronella. Contra venenum Ioannes Evangeliſta & Benedictus Abbas. Contra dentium dolores Apolonia. Contra oculorum vitia Otilia. Contra morbos pudendorum Apollinaris. Contra calculum Liberius. Contra ignem ſacrum Antonius. Contracti invocabant Vuolffgangum. Dæmoniaci Romanum. Epileptici Valentinum. Captivi Leonhartũ. Puerperæ Margaritam. Pro reſtitutione rerũ amiſſarum invocabatur Vincentius. S. Felicitas donabat liberos maſculos. Anna divitias. Barbara præſtabat ne quis ſine Sacramento moreretur.

Et quis ſingula, quæ innumera & infinita ſunt enumeret? Vtile tamen eſſet, in ſingulis nationibus, provinciis, urbibus, oppidis & pagis, in perpetuam Pontificiæ ſuperſtitionis memoriam, talia conſignata ad poſteritatem extare.

Sed quia ex Pontificiis quidam excipiunt, ſe non approbare vel defendere, vulgi aut ſingulorum errores, ſuperſtitiones & abuſus: Et decretum Tridentinum addit hanc clauſulam (Omnis ſuperſtitio in Sanctorum invocatione tollatur.) Quæ verò ſint ſuperſtitiones, in invocatione Sanctorum, non explicat. Si enim omnes ſuperſtitiones, id eſt, omnia ea, quæ ſine mandato & exemplo Scripturę, in invocatione Sanctorum fiunt, tollenda eſſent, nihil in toto illo cultu, ſicut apud Pontificios frequentatur, reliqui maneret. Generalem itaq; hanc clauſulam, ſine explicatione addiderunt, ut ſpem aliquam emendationis, ſub generalitatibus nihil ſignificantibus, oſtentarent, & interim nihilominus ipſos nervos ſuperſtitionis retinerent, vel ut haberent κρυσφύγετον, ſi exemplis craſsiſsimarum ſuperſtitionũ urgerentur.

Non igitur ex privatis quorumcunque preculis, ſed ex iis quæ publicè in Eccleſiis ipſorum leguntur, & magnis boatib. proclamantur, quæque publica Pontificum autoritate confirmata ſunt, exempla colligemus, qualis ſit invocatio Sanctorum in Eccleſia Pontificia, de qua controverſia eſt.

Et ſanè horret animus talia repetere, recitare ſeu deſcribere. Sed quia conductitii Pontificiorum rhetores illa diſsimulant, & magna confidentia ſæpè negare audent: Et noſtris, qui in captivitate iſta Babylonica, quæ in Apocalypſi deſcribitur, non fuerũt vel actores, vel ſpectatores, non ſatis nota ſunt exempla horrendæ idolomaniæ, devorabo ſanè tædium & moleſtiã iſtius laboris, & ex Sequentiis (ut vocant) Hymnis, Breviariis & Orariis, communi uſu receptis, & publica autoritate in Pontificia Eccleſia confirmatis, exempla invocationis Sanctorum colligam, ut juxta Prophetæ dictum: Gentibus turpitudo, & regnis ignominia Pontificiæ ſuperſtitionis palàm oſtendatur, utque noſtri imaginem Pontificiæ idolomaniæ tanquam in σωφρέτει, in conſpectu ſibi proponere poſsint, ne patroni Pontificiæ turpitudinis, vel diſsimulando, vel negando ea, quæ publica & notoria ſunt, elabi conentur: Sed ut ſtatus huius controverſiæ, de invocatione Sanctorum, clariſsimè depingi, & argumenta rectiùs explicari poſsint.

Illud verò libenter fateor, in Sequentiis, Hymnis & Collectis, multas veras & pias ſententias, eleganti & erudita brevitate comprehenſas contineri, quas meritò amamus, retinemus & uſurpamus. Dolendum verò eſt multa admixta eſſe, quæ verbo Dei non ſunt conſentanea, ſed manifeſtam ſuperſtitionem redolent. Ex illis igitur ea, quę ad invocationem Sanctorum, qualis in Eccleſia Pontificia publicè uſitata & recepta eſt, pertinent, annotavimus.

EX CVRSV HORARVM BEATAE MARIAE VIRGINIS, *ſecundum ordinarium Eccleſiæ Hildensheimenſis.*

GAVDE Maria virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo.

Dignare me laudare te virgo ſacrata. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Precibus & meritis ſanctiſsimæ Dei genitricis virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, ſalvet & protegat nos omnipotens & miſericors Dominus, Amen.

O Maria admitte preces noſtras, intra ſacrarium tuæ exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis, ſit per te excuſabile, quod per te ingerimus ſit impetrabile, quod fidei & mente poſcimus, accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excuſa quod timemus.

Sancta Maria ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, reſove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu. Sentiant omnes tuum levamen, quicunque celebrant tuum nomen. Aſsiſte parata vocibus poſcentium, & reporta nobis omnibus optatum effectum.

Infirmitatem noſtram quæſumus Domine, propitius reſpice, & mala omnia, quæ juſtè meremur, omnium Sanctorum tuorum interceſsione placatus, averte.

Concede quæſumus omnipotens Deus, fragilitati noſtræ præſidium, ut qui ſanctæ Dei genitricis virginis Mariæ memoriam agimus, interceſsionis ejus auxilio, à noſtris iniquitatibus reſurgamus.

Te nunc ſuppliciter ſancta Theotocos regis perpetui ſponſaq; poſcimus, ut nos ſemper ubique miti munere protegas.

Beatæ Mariæ ſemperq; virginis Dei genitricis Mariæ, nos quæſumus Domine merita proſequantur, & tuam nobis indulgentiam ſemper implorent.

Deus, qui omnibus Sanctis tuis æternæ beatitudinis præmia contuliſti, concede propitius, ut qui peccatorum noſtrorum pondere premimur, eorum apud te precibus ſublevemur.

Salve Regina miſericordiæ. Vita dulcedo & ſpes noſtra, ſalve. Ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eja ergo advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Et Ieſum benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, O pia, O dulcis Maria.

VERSVS.

In omni tribulatione & anguſtia noſtra, ſuccurre nobis piiſsima virgo Maria.

COLLECTA.

Protege, quæſumus Domine, famulos tuos ſubſidiis pacis, & beatæ Mariæ patrociniis confidentes, à cunctis hoſtibus redde ſecuros.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANTIPHONA DE DOMINA NOSTRA.

INviolata, intacta & casta es Maria. Quæ es effecta fulgida cœli porta. O mater alma Christi charissima, suscipe pia laudum præconia. Nostra ut pura pectora sint & corpora. Quæ nunc flagitant devota corda & ora. Tua per precata dulcisona, nobis concede veniam per secula.

Stella maris succurre cadenti, surgere qui curat populo.

Precamur te piissima Dei genitrix virgo Maria, per amorem unigeniti filii tui, Domini nostri Iesu Christi, ut non derelinquas nos miseros peccatores sine tuo adjutorio, sed semper adjuva & confortanos in tuo sancto servitio, ut securi perveniamus ad portas Paradysi, ante conspectum tuum, & ut ibi mereamur dilectissimum filium tuum videre, & cum eo in sempiterna lætitia gaudere.

Hæc est mulier virtutis, quæ contrivit caput serpentis, hanc peccatores devotè adeamus, rea pectora tundamus, dicentes: Sancta, sancta, sancta Maria, clemens & pia, Domina nostra, fac nos tuis precibus consortes cœlestis gloriæ.

Recordare virgo mater, dum steteris in conspectu Dei, ut loquaris pro nobis bona, & ut avertat indignationem suam à nobis.

Ave tu rosa, virgo Maria ô generosa, clemens & pia, vera da nobis uti sophia, & cum electis frui gratia, ut te laudemus cum melodia, & tu repelle nostra vitia, virgo Maria da gaudia nobis.

Obsecramus sanctissima virgo, libera nos ab omni malo, & ora pro peccatis nostris.

Ejus pia intercessione, ab instantibus malis, & à morte perpetua liberemur.

O Maria generosa, super omnes speciosa, impetra nobis veniam. O Maria gratiosa, dulcis, mitis & formosa, applica nobis gratiam. O Maria glorioſa, in delicijs delicioſa, præpara nobis gloriam.

EX PRAEPARATORIIS ANTE *Missam dicendis.*

PRopter totius iniquitatis culpam, indignus sum ut vivam, quia peccavi ab infantia mea usque nunc, coram te, & coram omnibus Sanctis tuis. Sed per merita & intercessiones eorum, mihi tribue propter tuam clemẽtiam, omnium delictorum meorum veniam.

EX COMPASSIONIBVS *Mariæ.*

REcordare septem horum tormentorũ ac dolorum perenni memoria, ut qui nos te invocamus, per hæc sisti valeamus in perenni gloria.

Ad te igitur hodie, ô unica spes miserorum, confugio & plena fiducia, tibi meipsum in omnibus necessitatibus devotè commendo. Te hodie & semper in matrem & patronam, præ cunctis eligo & præopto.

Libera me ab omni malo, & ora pro peccatis meis. Ave Maria, salus & consolatrix vivorum & mortuorum, mecum sis in omnibus tribulationibus, tentationibus, necessitatibus & angustiis meis, & maximè in hora mortis meæ, & impetra mihi omnium peccatorum meorum veniam, & cœlestis patriæ gloriam.

EX SEPTEM GAVDIIS CORPORALIBVS *beatæ Mariæ virginis.*

GAude virgo stella maris, à peccatis nos emunda. Fac nos semper salutari partu fœcundari, atque corde steriles, fac clementer fertiles. Fac à nostro scelere, piè nos resurgere, sursum tolle variis, cor oppressum vitijs. Præsta nobis miseris, sublevamen sceleris, & post hanc miseriã, duc ad vitæ patriam. O dulcis amica Dei, vernans & decora: memor esto mei, mortis dũ venerit hora.

Venerandorum gaudiorum Domine gloriosæ genitricis tuæ sacrosanctæ semper virginis Mariæ, memoriam recolentes, te suppliciter exoramus, ut ejus intervenientibus meritis, cœlestis consolationis participes, & gaudij, quo tecũ modo lætatur, in futuro tribuas esse consortes.

EX SEPTEM GAVDIIS COELESTIBVS *beatæ virginis Mariæ.*

GAude mater miserorum, quia pater præmiorum, dabit te colentibus, congruentem hic mercedem, & felicem poli sedem, sursum in cœlestibus.

Dulcissime Domine Iesu Christe, qui beatissimam genitricem tuam, gloriosissimam virginem Mariam, perpetuis & felicibus gaudijs in cœlo lætificasti, concede propicius, ut ejus meritis & precibus continuis salutem & prosperitatem, animæ & corporis, consequamur, & ad gaudia tuæ beatitudinis, ac ejusdem virginis gloriosæ feliciter perveniamus.

EX ROSARIO BEATAE *Mariæ virginis.*

O Virtutum vasculum, Regina cœlorũ, Christi receptaculum, salus anxiorum. Turum propugnaculum, salvatrix languidorum. Audi conquerentium preces famulorum, & pro nobis miseris Deum deprecare. Nam quicquid petieris, vales impetrare. Summa nos necessitas te cogit rogare. Quos in fluctu positos, sævum pulsat mare.

Reparatrix & salvatrix, desperantis animæ, irroratrix & largitrix spiritualis gratiæ. Quod requiro, quod suspiro, mea sana vulnera. Et da menti te poscenti, gratiarum munera, ut sim castus & modestus, dulcis, fortis, sobrius, pius, rectus, circumspectus, simultatis nescius, eruditus & munitus divinis eloquijs, constans, gravis & suavis, benignus, amabilis, corde prudens, ore studens veritatem dicere: Malum nolens, Deum volens, pio semper opere.

Peccatorum consolatrix, infirmorum curatrix, errantium revocatrix, justorum confirmatrix, desolatorum spes & auxiliatrix, atque mea promptissima adjutrix, & singularissima invocatrix, tibi Domina gloriosa, commendo hodie & quotidie animam meam, ut me in tuam custodiam commẽdatum, ab omnibus malis, & fraudibus Diaboli custodias, atq; in hora mortis constanter mihi assistas, ac animam ad æterna gaudia feliciter perducas.

O Domina mea sancta Maria, me in tuam benedictam fidem & singularem custodiam, ac in sinum misericordiæ tuæ, hodie & quotidie, atq; in hora exitus mei, animã meam, & corpus meũ tibi commendo, omnem spem meam, consolationes, angustias, miserias, & finẽ vitæ meæ committo, rogans, ut per tuum sanctissimam intercessionẽ & gloriosa merita, omnia mea dirigantur & disponantur opera, secundum tuam, tuiq; filij voluntatem, ad meam utilitatem.

Ac precor ut serves me à peccatis, à scandalis, ab omni confusione humana, ab ira judicij tremenda, ab impuris cogitationibus ab omni mortali peccato, & subitanea & improvisa morte, ab omnibus periculis animæ & corporis, honoris & rerum mearum, ne unquam tale me permittas facere peccatum, quo tuam gratiam amittã. Dona mihi de præteritis emendationem, de præsentibus custodiam, de futuris cautelam. Da mihi in hac vita promptum adjutoriũ, & esto prolocutrix in tremendo judicio, ad tuum filium, Dominum Deum nostrum Iesum Christum.

O Domina dulcissima, misericordiæ visceribus plenissima, succurre mihi misero peccatori, antequam mors subitanea & improvisa superveniat, ne subitò & imparatus hinc discedam. Ora pro me Maria virgo benedicta, ob unigeniti filij tui amantissimam mortem, ut peccatorum detestatione, Diaboli & operum ejus abrenunciatione, vera contritione, pura humiliq; confessione, perfecta pœnitentia & satisfactione proximi dilectione, filio tuo reconciliatus, de hoc mundo transeam, & fac mecum misericordiam tuam ô beata mater virgo Maria, in illa tremenda hora, quando mortua lingua se nequiverit movere ad invocandum te, neque oculi lucem capere poterint, aures; meæ nulli voci patescent. Memor esto tunc precum mearum, quas nunc fundo, ô Maria, ad aures tuæ pietatis, & subveni mihi in illa ultima necessitatis meæ hora, ut liberatus à ministris Diaboli, collocer cum fidelibus servis & amicis filij tui.

Ave plena gratia virgo fœcunda, Mundi spes & gloria, mater illibata, peccatorum venia, sponsa consecrata, consolatrix hominum, vinculum amoris, purgatrix peccaminum, medela vitiorum. Ave vas clementiæ, gratiæ piscina, portus indulgentiæ, vitæ medicina, veniæ pincerna. Nardus odorifera, gratiæ lucerna, surge, veni, propera, regina superna, me Christo confœdera, me semper guberna, cor meum illumina, fulgens stella maris, & ab hostis machina semper tuearis. O gloriosa virgo Maria, mater regis æterni, libera nos ab omni malo, & à pœnis inferni.

BENEDICTIO MANE ET *serò dicenda.*

PAx Domini nostri Iesu Christi, & virtus passionis ejus, signum † sanctæ Crucis, integritas beatæ Mariæ virginis. Bene † dictio omnium sanctorum Angelorum custodia, & suffragia omnium Dei electorum, sint inter me & omnes inimicos meos, visibiles & invisibiles, nunc & semper, & in hora mortis, &c.

AD PROPRIVM ANGELUM ORATIO.

ANgele qui meus es custos pietate superna, me tibi cõmissum salva, defende, guberna, terge meam mentem, vitijs & labe fluentem, assiduusq; precor mihi sis, relevesq; cadentem.

DE S. PAVLO.

ILluc supplices tuos, post hujus carnis terminum perducere dignare, quos fecisti, veritatis lumen agnoscere.

DE SANCTO BARTHOLOMÆO *Apostolo.*

VERSVS.

VOto precamur suppliei, ut precibus Apostoli, à reatu liberi, possimus Deo perfrui.

Quæsumus, ut ejus patrocinio deseramus noxia, & consequamur bona æterna.

DE IACOBO MAIORE.

AVe singulare præsidium peregrinorum tuorum, benignus exaudi vota servorum, te colentes adjuva, ducens ad cœlestia.

DE SANCTO THOMA.

TV nos supplices tuos in ejus fide stabiles efficere dignare, quem palpãdo meruisti Deum agnoscere.

DE VNO APOSTOLO.

AVe sancte N. Apostole, Domini nostri Iesu Christi, per illius amorem, qui te de mundo elegit, deprecor, ut me indignum famulũ tuum ab omnibus adversitatibus liberes, ab omni impedimento corporis & animæ, & in hora mortis animam meam suscipiens, perducas in vitam æternam. Ora pro nobis N. Apostole beate, ut per te gaudere mereamur in æternitate.

Quæsumus omnipotens Deus, ut beatus Apostolus N. tuum pro nobis imploret auxilium, ut à nostris reatibus absoluti, à cunctis periculis exuamur.

DE SANCTO PANCRATIO.

O Martyr invictissime, Pancrati beatissime, qui in Christi confessione perduraſti in persecutione, tuo mereamur precamine in bonis mala vincere.

Infirmitatem nostram, quæsumus Domine propicius respice, & mala omnia, quæ juste meremur sanctorum Martyrum tuorum, pariterq; Pontificum Cornelii & Cypriani intercessione propiciatus averte.

DE SANCTO GEORGIO.

HIc nos salvet à peccatis, ut in cœlo cum beatis posimus quiescere.

DE SANCTO BLASIO.

SAncte Blasi vir laudãde, &c. Qui das lapsis relevamen, & infirmis das juvamen. Tu pro nobis

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis intercede, ut cœlesti nos mercede, ditet Deus cum beatis, regno suæ claritatis.

Deus qui per orationem beati Blasij Martyris tui atque Pontificis, cunctis ejusdem memoriam facientibus, à quacunq; tribulatione, infirmitate seu adversitate, tenerentur, liberari concessisti, concede propicius, ut cujus memoriam agimus in terris, eodem deprecante, gloriam consequamur in cœlis.

DE S. ERASMO.

STET semper in tripudio egenorum jam cõcio, habens civem in æthere, qui suos scit reprimere defectus, deprecamur, & in mortis examine, sic Erasmus præparatur, nostros tergat ut reatus.

Fac nos ejus meritis & precibus, cunctas insidias omnium inimicorum nostrorum superare, & à paupertate corporis & animæ, ac morte perpetua liberari.

Deus, pro cujus Ecclesia gloriosus Martyr & Pontifex Thomas gladiis impiorum occubuit, Præsta quæsumus, ut omnes, qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum.

DE S. CHRISTOPHORO.

OGlorioſe Martyr Christophore, sis memor nostri ad Deum omni hora, & tuere sine mora, corpus, sensum & honorem conserva, qui cœli florem meruisti hic portare, inter ulnas ultra mare, nos per tantam dignitatem, fac vitare pravitatem, & amare corde toto, Deum verum laude, voto, præ cunctis mũdanis istis, ut post mundi hujus tristis blandimenta, te præsente, perducamur ad cœli regnum.

Deus, qui beatum Christophorum Martyrem tuum virtute constantiæ in passione roborasti, concede propicius, ut qui ejus commemorationem agimus, ipsius meritis & precibus ab omni languore corporis & animæ præservemur, atque ad gaudia æterna feliciter perducamur.

Intercessio, quæsumus Domine, beati Lamberti Martyris tui atq; Pontificis, tuam nobis nõ desinat placare justitiam, & nostrum tibi devotum efficere famulatum.

DE SANCTO COSMA ET *Damiano.*

OMedici piissimi, qui meritis clarissimi, in cœlis refulgetis. A peste, clade corporum, præservetis & operum, moribus ne langueamus, aut moriamur Spiritu, sed animæ ab obitu velociter surgamus, & vivamus in gratia, sacra cœli palatia, donec ingrediamur.

Concede nobis indignis famulis tuis, ut qui Sanctorum istorum Martyrum gloriosam commemorationem agimus, ipsorum intercedentibus meritis, ab omnibus Dæmonum erepti infidiis, atque cunctis hujus vitæ adversitatibus, præsens tempus ita in tuis laudibus peragamus, ut dimissis peccatis omnibus, post hujus vitæ pericula ad gaudia transeamus secura.

DE S. SEBASTIANO.

ORa pro nobis Christi Martyr Sebastiane, ut pestem epidimiæ illęsi mereamur pertransire, & promissionem Christi Iesu obtinere.

Deus qui gloriosum tuũ Martyrem Sebastianum in tua fide & dilectione tam ardenter solidasti, da nobis miseris peccatoribus ejus meritis & intercessione, in omni tribulatione auxilium, in persecutione solatium, in tribulatione & angustia subsidium.

DE S. VINCENTIO *Martyre.*

VIr inclitus Vincentius, Martyr Domini preciosus, cujus intercessio nobis obtineat veniam, qui per tormenta passionis æternã meruit palmam, & sempiternam coronam.

XIIII. AVXILIATORVM.

INter Sanctos Deo gratos, adjutores vos beatos prædicat Ecclesia. Ad se Deus nos clamantes, per vos salvet fluctuantes, in valle miseriæ.

Da, ut omnis, qui in suis necessitatibus eorum implorat auxilium, secundum promissionis tuæ gratiam, petitionis suæ salutarem consequatur effectum.

DE S. BERNVVARDO *Episcopo.*

OGemma Saxoniæ, norma pietatis, decus tuæ patriæ, Bernvvarde dux pacis, nos oppressos erige, succurre turbatis, ad Christum dirige fontem bonitatis. Pie præsul Bernvvarde, tuorum memor operum, sta coram summo judice, pro tuorum cœtu pauperum.

Omnipotens sempiterne Deus, immensam clementiam tuam humiliter imploramus, ut qui fragilitate carnis præpediti innumerabiliter peccavimus, beati Bernvvardi Confessoris tui atq; Pontificis, assiduis precibus adjuvemur, quatenus ejus suffragantibus meritis, ab omni adversitate mentis & corporis liberemur.

DE SANCTO GODEHARDO *Episcopo.*

OPem nobis præsul bone, fer in nostris angustiis, & nos salva in agone, ab æternis supplitiis.

DE S. AVGVSTINO.

GAude præsul Augustine. Audi nos te rogantes, & post mortem nos ovantes, duc ad regna cœlica.

DE S. AMBROSIO.

OPræsul beatissime Ambrosi doctor inclite, vitæ meæ rege cursum, post hanc vitam trahe sursum animã ad gaudia, ubi Deum contemplari, justis piè sociati merear in gloria.

Vt quem doctorem vitæ æternæ habuimus in terris, intercessorem semper apud te habere mereamur in cœlis.

DE S. HIERONYMO.

SVbvenias tristi populo, Hieronyme, Christi doctor & amice, tu fons nitidissimæ linguæ.

Præ-

Præsta quæsumus, ut cujus venerandam memoriam agimus, ejus semper & erudiamur doctrinis, & meritis adjuvemur.

DE S. BERNHARDO.

INtercessio nos quæsumus Domine, beati Bernhardi abbatis commendet, ut quod meritis nostris non valemus, ejus patrocinio assequamur.

DE S. FRANCISCO.

OFranciſce lux solaris, crucifixus singularis jam cũ Christo gloriatis, in choro cœlestiũ, Tu sis nobis vitæ via, tu pro nobis semper pia, prode Christo stygmata. Ora pro tuis famulis, ut rapti ex miseriis, tecum laudemus dulciter Trinitatem perenniter.

DE S. IOSEPH NVTRITIO *Domini.*

GAude Ioseph fili David, Ora virginis sponsæ tuæ natum, ut se nobis det placatum, collocans ad dexteram.

DE S. ROCHO CONTRA *Pestem.*

DEus qui beato Rocho per Angelum tuum tabulam eidem afferentem promisisti, ut qui ipsum invocaverit, à nullo pestis cruciatu læderetur: Præsta quæsumus, ut qui ejus memoriam agimus, meritis ejus ab æterna morte liberemur.

DE S. LIBORIO CONTRA *Calculum.*

DEus qui beatum Liborium, Pontificẽ tuum, innumeris gloriosum miraculis, speciali in mandatis arenarum & calculi passionibus privilegio decorasti, præsta quęsumus, ut ipsius meritis & intercessione, ab his aliisq; malis eruti, gaudiis perfrui mereamur æternis.

DE VNO CONFESSORE.

SAncte N. nos tuos famulos pio precatu ab omni culpa emunda, cõmendans Deo, cœlestiũ, ut consortes faciat gaudiorum.

Intercessio nos quæsumus Domine beati N. Confessoris commendet, ut quod nostris meritis non valeamus, ejus patrocinio assequamur.

Misericordiam tuam quæsumus Domine nobis intervenientibus beatis Confessoribus tuis, clementer impende, & nobis peccatoribus ipsorum propiciare suffragiis.

DE S. DOROTHEA.

OMnipotens sempiterne Deus, in cujus nomine gloriosa virgo & martyr Dorothea cuncta genera tormentorum superavit, te supplicite exoramus, ut ejus interventu cuncta pericula vincamus, ipsamq; in omnibus necessitatibus celerem adjutricem nobis sentiamus.

DE S. BARBARA.

INtercessio nos, Domine, quæsumus beatę Barbaræ virginis & Martyris tuæ semper adjuvet, ut non subitò moriamur.

DE S. AGNETA.

AVe Agnes generosa, me in fide serves recta dulcis virgo & dilecta, te exoro precibus: Charitate da perfecta, Deum, per quem es electa, colere piè omnibus.

Deus, qui beatam Agnetem virginem tuam castitatis amore decorasti, & flammis traditam illæsam conservasti, da nobis, quæsumus, ejus meritis & precibus, ejusdem castitatis tenore fulciri, & ab omni vitiorum æstu liberari.

DE S. APPOLLONIA.

VIrgo Christi egregia, pro nobis Appollonia funde preces ad Dominum, ut tollat omne noxium, ne pro reatu criminum, morbo vexemur dentium, sed sanitate capitis gratulemur & corporis.

DE S. CHRISTINA.

CHristina virgo felix, te deprecantes respice, ne cum impiis damnemur, nos tua sancta salva prece.

DE DECEM MILLE *virginibus.*

OPræclaræ vos puellæ, nunc implete meum velle, & dum mortis venerit hora, subvenite sine mora, in tam gravi tempestate, me precantem defensate, à Dæmonum instantia.

Concede propicius, ut earum precibus & meritis, cum ipsis in æterna beatitudine collocari mereamur.

AD VNAM VIRGINEM.

SAlve sancta N. virgo Dei inclita, tuis precibus nos Christo commenda. Ad te clamamus in angustiis constituti. Ad te suspiramus auxilium quærentes. Eja virgo Dei electa, tuũ lætum oculorum aspectum ad nos inclina. Et Jesum crucifixum, qui tollit mundi reatum, redde nobis placatum, ô clemens, ô pia, ô dulcis virgo.

DE SANCTA ANNA.

DEus, qui beatam Annam matrem tuæ genetricis fieri voluisti: Præsta quæsumus, ut meritis utriusq; matris & filiæ, regna cœlestia consequamur.

DE S. MARTHA.

OMnipotẽs sempiterne Deus, cujus filius sumpta carne pro nobis, in æde beatæ Marthæ hospitari dignatus est, concede propicius, ut precibus & meritis illius, quæ illum placidè suscepit in terris, ab illo misericorditer suscipi mereamur in cœlis.

DE S. BRIGITTA.

OBrigitta mater bona, dulcis ductrix & matrona, nobis fer suffragia. Naufragantes in hoc mari, tuo ductu salutari, duc ad vitæ bravia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE S. GERTHRVDE.

DEus, qui beatam Gerthrudem piam virginẽ ex stirpe Regia progenitam, speciali hospitalitatis gratia sublimasti, tribue quęsumus, ut ejus precibus & meritis intervenientibus, tam præsens quàm futurum hospitium, nostræ infirmitati congruum, & tuæ majestati inveniamus acceptum.

DE OMNIBVS VIRGINIBVS, *& viduis.*

DEus, qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere, da nobis per merita omnium sanctarũ virginum, viduarum & continentium tuarum, salutem mentis & corporis, ut ea, quæ propeccatis nostris justè patimur, te adjuvante vincamus.

DE OMNIBVS *Sanctis.*

MAjestatem tuam, Domine, suppliciter deprecamur, ut sicut nos jugiter omnium Sanctorum tuorum cõmemoratione lætificas, ita semper supplicatione defendas.

EX ANTIDODARIO.

SAlve imperatrix gloriosissima, peccatricis animæ spes tutissima. Dei genitrix virgo Maria. Tu post Deum præcipuum & maximum meum es refugium & gaudium.

O sancta virgo Maria, & omnes Sancti & Electi Dei, nunc & in hora mortis meæ, mihi misero succurrite, & Dominum Deum nostrum, vestris meritis & precibus mihi propicium facite. Tu ergo ô virginea mater, accedens ad illud supercœleste sacrarium semper venerandæ Trinitatis, offer pro me, nunc & in hora mortis meæ, quicquid virtutum & gratiarum ab hora conceptionis tuæ, usque ad horam assumptionis, in te Rex gloriæ, tanquam conservatissimo thesauro suo dignatus est conservare. Tu etjam beatorum Angelorum militia, offer pro me, & in hora mortis meæ, constantiam purissimam, qua cum Deo nostro permansistis, & felicem innocentiam, in qua per ipsum confirmati estis. Tu quoq; Patriarcharum & Prophetarum cœtus, offer pro me nunc & in hora mortis meæ, merita fidei & desideriorum, quibus Christum Dei filium repromissum constanter expectastis. Tuq; Senatus Apostolorum & Evangelistarũ, offer pro me, nunc & in hora mortis meæ, merita felicissimæ cum Christo adhærentiæ, familiaris amicitiæ, & fidelis perseverantiæ. Tu hinc ô rosea Martyrum turba, offer pro me, nunc & in hora mortis meę, merita fidelitatum, constantiæ, & preciosi sanguinis, cũ sanguine immaculati agni, pro omnium salute effusi. Tu deinde splendens Confessorum chorus, offer pro me, nũc & in hora mortis meæ, merita devotionum, studiorum, exercitationum & virtutum omnium, in quibus Domino Deo nostro placere meruistis.

Tu insuper honesta virginũ & mulierum caterva, offer pro me, nunc & in hora mortis meæ, cordis & corporis mundiciem, qua Deo, spretis mũdi deliciis, & corporis voluptatib. placuistis.

ORATIONES DE QVINQVE DOLORIBVS BEATÆ MARIÆ, *quas S. Anshelmus Capellanus eius composuit, incipientes singulæ à singulis literis nominis Mariæ, quas qui devotè dixerit, maximas consequitur gratias à Domino, prout revelatum fuit beato Ioanni Evangelistæ, qui cùm (ut de eo scriptum reperitur) diu desiderasset videre beatã Mariam virginem, post eius assumptionem in cœlum, tandem quadã vice raptus in cœlum, in visione vidit & audivit, quòd beata virgo Maria narravit filio suo, quòd in hoc mundo in quinque doloribus subscripris fuerit nimium perturbata. Christus igitur filius eius hoc audiens, ob eius honorem plurimas promisit gratias & prærogativas se daturum, illi, qui eosdem dolores devotè recoleret. Sunt igitur Orationes tales.*

ORATIO PRIMA.

MEdiatrix Dei & hominum, & fons misericordiæ indefinenter effundens rivos copiosæ gratiæ Maria. Te rogo dulcissima mater Domini nostri Iesu Christi, per illam perturbationem, quam habuisti in corde tuo pijssimo, tunc & deinceps, cùm Symeon sanctus & senex prophetando diceret: Tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut petas, quatenus idem benedictus filius tuus, de largissima clementia sua, mihi donet per eandem perturbationem tuam, indulgentiam omnium peccatorum meorum. Et ut me liberet ab omnibus malis, præteritis, præsentibus & futuris.

ORATIO SECVNDA.

AVxiliatrix Dei & hominum, & pacis æternæ condimentum Maria, te interpello speciosissima regina cœli, per illam dolorosam perturbationem, quam habuisti in corde tuo benignissimo pro eo, quòd filium tuum amantissimũ per triduum amiseras, ut roges eum, quatenus ipse propter eandem turbationem tuam, mihi dignetur dare plenam cognitionem, perfectam contritionem, puram confessionem, spem firmam, certam securitatem, à Deo nunquam separandum, & ita perfectum & verum amorem, ut cum illo amore tantam mereat mercedem in cœlo accipere, ac si ei multis annis cũ perfectione sanctissimæ vitæ diligentius servivissem.

ORATIO TERTIA.

REparatrix debilium, & vulneratæ animæ efficacissima medicina, Maria, te peto gloriosa domina, per illam perturbationem, quam habuisti in corde tuo clemẽtissimo, pro eo, quod perfidi Iudæi captivaverunt desiderabilem unigenitum uteri tui filium, quatenus depreceris eundem filium tuum propiciatorem seculi, ut ipse propter eandem turbationem tuam, me de omni captivitate, & ab omni tribulatione corporis & animæ, angustiarum & periculorũ meorum, unà cum amicis meis, consanguineis, familiaribus & benefactoribus, & recommendatis clementer eripiat, & ab omnibus malis in perpetuum tueatur.

ORA-

ORATIO QVARTA.

ILluminatrix cœcorum, & lucerna salutiferæ gratiæ Maria. Te flagito dulcissima bona mater Dei, per illam turbationem tuam, quam habuisti in corde tuo propiciatissimo, pro eo, quod amantissimus filius tuus à Iudæis crudelissimis in cõspectu tuo, cum clavis acutissimis, sine omni miseratione, vivificæ crucis patibulo fuit affixus, ut postules ab eodem filio tuo, quatenus per eandem turbationem tuam, ignem veri amoris & passionis suæ, in corde meo accendat.

ORATIO QVINTA.

ADvocatrix omnium peccatorum, quos damnabiliter moles vitiorum deprimit, finisq; nostræ miseriæ Maria, te deprecor venerabilissima mundi domina, per illam intollerabilem turbationem, quam habuisti in corde tuo benignissimo, in illa hora, cùm filius tuus de cruce depositus, cum recentibus vulneribus, & proprio sanguine rubricatus, datus fuit à Ioseph in sinum tuum, ut propter eandem perturbationẽ tuam, ipse me prævenire dignetur abundantia gratiarum suarum, ut det corpus meum & animam meam, in potestatem tuam, & in sinum misericordiæ tuæ, quem cunctis devotè postulantibus, clementer aperis in æternum.

QVICVNQVE HANC SVBSCRIPTAM *orationem triginta diebus dixerit, in honorem beatissimæ virginis Mariæ, quæcunq; licita petierit, misericorditer obtinebit, quod explemento sæpius probatum est.*

SAncta Maria, perpetua virgo virginũ, mater misericordiæ, mater gratiæ, spes omnium desolatorum, consolatrix omnium desperantium, O miseratrix miserorum, dulcis consolatio afflictorum, ac mater misericordiarum, desolatorum piissima consolatrix, & in omni necessitate pupillorum prompta adjutrix. Exaudi preces meas. Et quia in diversis malis & angustiis, propter peccata mea positus sum, ignoro ad quem fugam, nisi ad te Dominam meam, dulcissimam virginem Mariam, genitricem Domini nostri Iesu Christi, informatricem humanitatis nostræ, Ergo aures tuæ pietatis, precibus meis benignè accommoda, per viscera misericordissimi filii tui, &c.

QVICVNQVE SVBSCRIPTAM ORA*tionem quotidie dixerit, in honorem beatissimæ virginis Mariæ, trecentos dies indulgentiarum habebit ab Innocentio Papa, qui eam instituit.*

OClemẽtissima Domina, & dulcissima virgo sancta Maria, mater Dei, mater orphanorũ, consolatio desolatorum, via errantium, salus & spes in te sperantium, fons vitæ & veniæ, fons salutis & gratiæ, fons pietatis & indulgentiæ, fons consolationis & lætitiæ, da mihi pro peccatis meis, veras plangendi lachrymas & condignas, & da mihi quicquid filius tuus requisivit à me veraciter agnoscere, tuo juvamine frequenter incipere, perseveranter exequi, feliciter adimplere. O flos virginum Maria, regina cœli, deprecor humiliter & devotè, vt cum omnibus sanctis & electis Dei, venias & festines in consilium & auxilium meum, in omnibus orationibus, & angustiis, & necessitatibus meis, & in omnibus rebus. O Maria maris stella, portus salutis, naufragantium dux pia, miserorum patrona dulcissima, reorum advocata doctissima, desperatorũ spes unica, peccatorum salvatrix magnifica, die mea novissima, me facie splendidissima tua, precor irradia, nutrix sacratissima, meę mortis piissima, diem & horam nuncia. Tu portum præbe naufrago, reo fer patrocinia, dans misero solatia, sis spes, ne desperatione succumbam mortis in agone, cùm tunc non sit spes altera, nisi tu virgo puerpera, patris parens & filia, cui me reconcilia. O misericordiarum & veniæ fons inevacuabilis, imò ipsa misericordia & venia, nulli dans repulsam, Exauditrix benignissima hanc orationem supplicem, clementer suscipias & exaudias, & vitam æternam mihi tribuas. Audi & exaudi me benignissima virgo Maria, mater Dei & misericordiæ. Amen.

SANCTVS EDMVNDVS CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPVS, *Sequentem orationem composuit, eamq; quotidie dicere consuevit, in honorem sanctissimæ Dei genitricis semper virginis Mariæ, & beati Ioannis Evangelistæ, tutoris eius, quam cùm semel propter occupationem quandam dicere neglexisset, apparuit ei sanctus Ioannes Evangelista, ferulam in manu tenens, & vt levaret manum imperans. Qui cùm levasset, & ille ferulam altè levans, pie tamen submittens, blandè eum corripuisset, subiungens, ait: Cave, ne amplius unquam omittas, quod diligenter observavit, maximamq; ob hanc sanctitatis gratiam promeruit: Multa etiam alia leguntur miracula facta, virtute illius orationis, quæ brevitatis causa hic omittuntur.*

OIntemerata & in æternum benedicta, singularis & incõparabilis virgo Dei genitrix Maria, inclina aures tuæ pietatis, indignis supplicationibus meis, & esto mihi peccatori, pia in omnibus auxiliatrix. O Ioannes beatissime Christi familiaris amice, te invoco cum matre ejusdem salvatoris, ut opem mihi tuam, cum illa ferre digneris. O duæ gemmæ cœlestes, Maria & Ioannes. O duo luminaria divinitùs ante Deum lucentia, vestris radiis effugate scelerum meorum nubila, vobis duobus, ego peccator hodie corpus & animam meam commendo, ut omnibus horis atq; momentis, intus & exterius, firmi custodes, & pii apud Deum intercessores existere dignemini. Credo enim firmiter, & fateor, & indubitanter scio, quia velle vestrum velle Dei est, unde quicquid abillo petitis, sine mora obtinebitis. Per hanc igitur tam potẽtissimam vestrę dignitatis virtutem, poscite mihi corporis & animæ salutem, & à Deo indulgentiam omnium peccatorum meorum, atq; in extrema hora hujus vitæ, venite mihi in adjutorium, contra omnes laqueos inimici. Et in die judicii, quando redditurus sum rationem de peccatis meis, fucurri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

currite mihi ante tribunal Christi, ut non deputer cum impiis ad pœnam, sed cum justis ad gaudium & gloriam.

QVICVNQVE SEQVENTEM ORATIunculam quotidie devotè dixerit, sine pœnitentia & mysterio corporis Christi non decedet. sicut fuit revelatum beato Bernhardo, cui ab Angelo data est.

AVe Maria, ancilla sanctæ Trinitatis, Ave Maria, salus & consolatrix vivorum & mortuorum, mecum sis in omnibus tentationibus, tribulationibus, necessitatibus & angustiis, & infirmitatibus meis, & impetra mihi veniam omnium delictorum meorum, & maximè in hora exitus mei, nõ desis mihi ô piissima virgo Maria.

SEQVITVR ORATIO DE OMNIBVS membris beatissimæ virginis Mariæ, quam qui devotè dixerit, specialem ab ea gratiam consequitur.

ADoro & benedico beatissimos pedes tuos, quibus antiqui serpentis, cum omnib. pompis ejus, caput calcasti, &c.

Adoro & benedico castissimum uterum tuum, acervo tritici liliis candidissimis vallato, comparatum, &c.

Adoro & benedico nobilissimum cor tuũ, &c.

Adoro & benedico fœcundissima ubera tua botris assimilata, &c.

Adoro & benedico manus tuas tornatiles, plenas hiacinthis, &c.

EX ORATIONIBVS DE SEPTEM gaudiis corporalib. beatæ Mariæ virginis.

O Maria mater pia, esto nobis recta via, ad tuum filium, ac pro tua gratia, depelle nostra vitia, per hoc sanctum gaudium.

EX ORATIONE AD B. MAriam virginem.

TV virgo sanctitatis luce nos irradia, & fic tua prece Deo reconcilia, ut post mortem glorie mur in cœlesti patria. Ad hoc omnes potestates virtutum cœlestium, ad hoc omnes Sancti, vestrum petimus auxilium.

IMPLORATIO PATRONORVM.

ET ut efficax mea deprecatio sit, beatæ Marię, semper virginis, suffragium peto.

Adsit mihi quæso, semper & ubiq; beatorum Angelorum custodia, & prœsta ut apud te pro me misero peccatore, sanctorum Angelorum agmina intercedant.

Intercessiones Apostolorum imploro. Martyrum preces exposco. Confessorum orationes ex postulo. Subveniat mihi apud misericordiam tuam, chorus sanctarum virginum tuarum, quarum principatum tenet beata virgo Maria. Ibi ipsa cum omnibus Sanctis intercedat, ut ad vitam perveniam sempiternam, te miserante & donante.

ALIA ORATIO AD B. virginem Mariam.

TE mater illuminationis cordis mei, te nutrix salutis meæ mentis, te obsecrant, quantum possunt cuncta præcordia mea. Exaudi Domina, adesto propicia, adjuva potentissima, ut mundentur sordes mentis meæ, ut illuminentur tenebræ meæ. Certus enim sum, quia sicut per filii gratiam ea potui accipere, sic eadem per matris merita possum recipere. Ergo Domina porta vitæ, janua salutis, via reconciliationis, aditus recuperationis, obsecro te per salvatricem tuam fœcunditatem, fac ut peccatorũ meorum mihi venia, & benè vivendi gratia concedatur, & usque in finem, hic servus tuus sub tua protectione custodiatur.

AD OMNES SANCTOS PAtriarchas & Prophetas.

SAncti Patriarchæ, sancti Prophetæ, obsecrate pro peccatis meis, & expulsa penitus erroris caligine, cordis mei oculos veræ fidei Catholicæ lumine illustrate, ut in die judicii nõ cum impiis & infidelibus, qui credere & pœnitentiam agere noluerunt, secundum meritum meum me deputet, sed per vestram incercessionem, merear inveniri absolutus in illa die ab omni vinculo peccatorum, vobiscunq; ac omnibus fidelibus, introire ad regna cœlorum.

AD SANCTVM PAVLVM doctorem Gentium.

O Beate Paule Apostole, te deprecor, ut me ab angelo Sathanę eripias, & à ventura ira liberes, & in cœlum introducas.

AD SANCTVM ANDREAM.

SAncte Andrea Apostole Dei, deprecor te, ut tuis meritis, ab omni fantasia Sathanæ me eripias, & à futura ira defendas, & virtutem tuam mihi ante tribunal Christi ostendas.

DE SANCTO MATTHIA Apostolo.

SAncte Matthia, te suppliciter imploro, ut meritis & intercessionibus tuis, ab eodem Domino nostro Iesu Christo, veniam peccatorũ meorum in hoc seculo percipiam, & in futuro vitam æternam possideam.

DE SANCTO PHILIPPO.

SAncte Philippe Apostole Domini, te miser ego peccator, omnium criminum sordibus obvolutus, deprecor, ut ab omni me districto flagello, quòd justè mereor, & ab omni damnatione, & à ventura ira liberes, & lampadibus ornatum, & lætum ad Regem gloriæ perducas.

DE S. IACOBO MINORE.

SAncte Iacobe Apostole Domini, te deprecor ego peccator, omni spurcitia plenus, ut me tuis glorioſis meritis, ab omni districto judicio, quòd justè mereor, & ab ira ventura misericorditer eripias, & atro agmine fugato, sancto agmine propinquante, in consortium Angelorum & sinum Abrahæ me tradas.

DE

DE S. BARTHOLOMAEO.

SAncte Bartholomæe, te deprecor, ut me tuis pretiosis meritis, liberes ab omnib. versutiis Diaboli, & insidiis & terroribus, & impugnationibus, & damnatione & illusione hostis, in die furoris Domini, & in fine vitæ meæ, contra adversarios meos in adjutorium meum venias, & binis luminibus suffulto, vestigia agni ostendas.

DE S. MATTHAEO.

SAncte Matthæe Apostole, ego peccator te deprecor, ut me ab angustia, quàm digne mereor, tuo interventu misericorditer defendere digneris.

DE SANCTO SIMONE Apostolo.

SAncte Simon Zelotes, per gratiam illius, qui te elegit de mundo, te deprecor, ut me miserum ab omnibus adversitatibus & à pœnis, quas pro peccatis meis horribilibus mereor, eruas: & à cogitationibus immundis, tuis meritis emundes, & monita mihi tribuas, unde Angelica celsitudo, admirabilem me videat & justum.

DE S. IVDA.

SAncte Iuda Apostole, per illum qui te sibi in amicum ascivit, deprecor te, ut me à consuetudine peccatorum meorum, tuis meritis abstrahas, & à potestate Dæmonum eruas, & me ad invisibiles evehas potentias.

DE S. STEPHANO.

SAncte protomartyr & dignissime Levita Christi, Stephane ad te confugio, te invoco, te suppliciter & obnoxiè deprecor, ut intercedere digneris, pro me nimis fragili & indigno, ad Dominum Iesum Christũ. Adjuva me quæso, immaculate & invictissime testis veritatis, ut quia tuo exemplo, nec innocenter vivere, nec gloriosè mori valeo, saltem concesso mihi, per Dei misericordiam, & tuæ intercessionis merita, spacio vitæ meæ, sordes ita congrua emundatione diluam, ut in articulo mortis ab auditione mala liberatus, sententiam perpetuæ damnationis evadam.

DE S. VINCENTIO.

O Beate Vincenti, martyr Christi inclite, exora pro me Deum omnipotentem, ut tua prece placatus, mihi cõdonet meorũ veniã commissorũ, & in bono opere finẽ reddat perseverabilem.

DE S. SEBASTIANO.

O Beate Sebastiane, magna est fides tua, intercede pro nobis ad Dominũ Iesum Christum, ut à morte epidimiæ, & ab omni infirmitate corporis & animæ, tua intercessione liberemur.

AD S. DIONYSIVM.

SAncte Dionysi, Galliæ Doctor, & inclite martyr, te deprecor, ne despicias me, sed suscipias preces meas, & redime me ex omnibus pauperatibus & tribulationibus, animæ & corporis. Rogo te sancte Dionysi, tuosq; socios, ut suscipiatis animam meam, quãdo præsentata fuerit ante tribunal judicis, & deprecemini regem potentem, ut per vestra suffragia, merear liberari à tormentis perpetuis.

AD S. CHRISTOPHORVM.

SAncte Christophore, martyr Iesu Christi, qui pro Christi nomine pœnas pertulisti, opẽ confer miseris, atq; mundo tristi. Qui cœlestis luminis regna meruisti, &c. Christophori sancti speciem quicunq; tuetur, illo nẽpe die nullo languore tenetur. O martyr Christophore, pro salvatoris honore, fac nos mente fore dignos Deitatis honore, & promissioni Christi, quia quod petis, obtinuisti, da populo tristi bona, quæ moriendo petisti, confer solamen mentis, tolle gravamen judicis, examen fac mite sit in omnibus, Amen.

DE S. ERASMO.

MOdo sancte Erasme, tibi commendo omne consilium meum, & omnes actus meos, & omnia, quæ mihi subjecta sunt, in tuam sanctam fidem, ut eruas me ab omnibus adversitatibus & à cunctis meis inimicis, corporalibus & spiritualibus, propter repromissum tibi à Deo specialiter concessum.

AD XV. AVXILIATORES.

COnditor & redemptor generis humani, exaudi me indignum famulum tuum, ut per Sanctorum merita & interventum, deleas omnes iniquitates meas, cunctaq; bona cordi meo inseras, mores bonos & continentiã linguæ, charitatem atq; humilitatem, cæteraseq; omnes virtutes.

AD OMNES SANCTOS Martyres.

AD vos clarissimi Sanctorum Dei Martyres, mente & corde ego nimius peccator proclamo, quatenus vos cum sanctissima oratione vestra, innumeras peccatorum meorum sordes apud Dominum nostrum Iesum Christum, aliquantisper diminuere & delere dignemini, ut ultra vitam meam grandi meorum criminum pondere gravatum non inveniat.

DE S. BERNHARDO.

O Alme pater Bernharde, & ardentissime amator, cultor suavitatis, & mellifluæ dulcedinis Dei, qui es spes & solatium omnium ad te clamantium, corde toto tuæ sanctæ protectioni me commendo, propter excellentiam meritorum tuorum, ut ab omnibus, quæ contrariæ sunt animæ meæ, tueri me digneris.

DE S. NICOLAO.

CRedo pie sancte Nicolae, tuis me precibus esse salvandum, ideo ad te clamo, & te precibus meis licet indignis, pulsare non desisto, ut te intercedente ab imminentibus periculis, à peccatis & offensionibus meis, quibus quotidiè affligor, merear liberari, salva me supplicem famulum tuum, amice Dei Nicolae, de præsentibus angu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

angustiis & tribulationibus, quia in te confidit anima mea, ut per te me salvet, qui te sibi elegit.

AD OMNES SANCTOS
Confessores.

OMnes sancti sacerdotes & confessores Dei, nolite me despicere, sed sicut optastis à Deo, hic adhuc positi in mortali corpore, audite me, ut vestro sacratissimo intervetu, à peccatis exui, & à pœnis absolvi, & à cunctis tentationum periculis erui merear.

DE TRIBVS REGIBVS.

COncede propicius, ut per horum trium Magorum, pias intercessiones & merita, nobis famulis tuis tribuas, ut itinere, quo ituri sumus, celeritate, lætitia, gratia & pace, negocioq; bene peracto, te ipso sole vero, vera stella, & vera luminis luce, ad loca destinata, cum omni prosperitate, ad ipsorum cœlestiumq; civium consortia, salvi ac sani redire valeamus.

IN CATHARINAM.

AVe virgo Dei digna, Christo prece me consigna, preces audi, præsta votum, cor in bono fac immotum, confer mihi cor contritum, rege visum & auditum, rege justum & olfactum, virgo sancta rege tactum, ut in cunctis te regente, vivam Deo pura mente, ô beata Catharina, Babylonis de sentina, tutum mihi fer ducatum, plasmatorē fac placatum. Esto mihi consolatrix, pro me fis interpellatrix, Christum pro me interpella, salva mortis de procella, superare fac me mundum, ne demergar in profundum, ne me finas naufragari, in peccatis in hoc mari, visita tu me infirmum, & in bonis fac me firmum: Agonista Dei fortis, esto præsens in hora mortis: Decumbentem fove, leva, & de morte solve sæva, ut resurgam novus homo, civis in cœlesti domo. Duplex mors ne me infestet, Jesus Christus illud præstet, tua prece exoratus. Idem pater, idem natus, idem utriusque flamen, qui vivit & regnat, Amen.

EX CANTICIS QVAE VOCANT SEQVENTIA.

DE SANCTO STEPHANO
protomartyre.

O Stephane signifer regis summi bone, nos exaudi, nos proinde supplices ad te clamantes, & precibus te pulsantes, oratio sanctissima nos tua semper conciliet Deo nostro.

DE INNOCENTIBVS.

QVorum precib. sacris deprecamur, dele piâ nostra crimina vitæ, ut quos laudibus tuis junxeras, nobis istic dones clemens favere.

ALIA DE INNOCENTIBVS.

CLari filioli, dulces pusioli, nos juvate precibus, quos Christus innocentem mortem vestram miserans, pro sese maturatam, placidus exaudiens, nos regno suo dignetur.

DE BEATA AGNETE.

APud quem nunc intercedat, ut cœli nobis concedat intrare palatium.

DOMINICA ANTE ASCENsionem Domini.

O Maria Magdalena, audi vota laude plena, apud Christū, chorum istum, clementer concilia, ut fons summę pietatis, qui te lavit à peccatis, servos suos atq; tuos, mundet data venia.
Amen dicant omnia.

IN NATIVITATE DIVI
Ioannis Baptistæ.

SAncti Baptistæ, Christi præconis solennia celebrantes, moribus ipsum sequamur, ut ad vitā quam prædixit, assecias suos perducat.
Devotè, te sanctissime hominum amice Iesu Christi flagitamus, ut gaudia percipiamus.
Apparens quæ Zachariæ Gabriel repromisit: Qui tuam celebrarent obsequiis nativitatem.
Vt per hæc festa æterna gaudia adipiscamur. Qua sancti Dei sacris deliciis læti gaudent.
Tu qui præparas fidelium corda, ne quid devium vel lubricum Deus in eis inveniat.
Te deposcimus, ut crimina nostra & facinora continua prece studeas absolvere.
Placatus ut ipse suos semper invisere fideles, & mansionem in eis facere dignetur.

IN FESTO VISITATIONIS
Mariæ.

VEni præcelsa domina Maria, tu nos visita ægras mētes illumina, per sacra vitæ munera.
Veni Salvatrix seculi, sordes aufer piaculi, in visitando populum, pœnæ tollas periculum.
Veni Regina Gentium, dele flammas reatuum, dele quodcunque devium, da vitam innocentium.
Veni ut anum visites, Maria vires robores, virtute sacri impetus, ne fluctuetur animus.
Veni lux stella marium, infunde pacis radium, exultet cor in gaudium, Ioannis ante Dominum.
Veni virga regalium, reduc fluctus errātium, ad unitatem fidei, in qua salvantur cœlici.
Veni deposce Spiritus, sancta dona propensius, ut dirigantur rectius, in hujus vitæ actibus.

IN TRANSLATIONE
S. Martini.

NOs audi tua festa colentes, annua mundo celebria.
Tu, p nobis spes nostra: Martine Deo supplica.
Cęcis das viam: mutisq; loquelam: Tu nos adjuva: Mundans immunda, qui fugas Dæmonia, nos hic libera.
Qui suscitator trium mortuorum fueras, laxa nostræ mentis vincula, qui infirma jam curasti corporū plurima, sana nostræ mentis vulnera.
Qui Christum tua chlamyde partita tectum videras nocte secunda, fac prece, criminum ut solvat nobis debita, Christi gratia.
Laus tua Christus erat, quē tota semper mente

te colebas: hunc pro nobis imploro, ut lapsis remedia tribuat, præstans culpis veniam, hæc precibus impetra.
Lux super te effulsit angelica, dum libas mystica, nos per te protegat, Christi dextera: Mortis metam, qui tuis prædixeras, nil mortem trepidans, à morte animæ tu nos libera.

DE SANCTO IACOBO
Apostolo.

O Felix Apostole, magne Martyr Iacobe, te colentes adjuva, peregrinos undique tuos clemens protege, ducens ad cœlestia.

IN FESTO S. LAVRENTII
Martyris.

O Laurenti militum David invictissime regis æterni, apud illum servulis ipsius deprecare veniam semper.

IN FESTO ASSVMPTIONIS
beatæ Mariæ virginis.

ECclesia ergo cuncta té cordibus atque carminibus venerans, tibi suam manifestat devotionem, precatu te supplici, implorans Maria.
Vt sibi auxilium, circa Christum Dominum esse digneris per ævum.

IN OCTAVA ASSVMPTIONIS
Mariæ.

AVdi nos, nam te filius nihil negans honorat, Salva nos Iesu, pro quibus virgo mater te orat.

IN FESTO MICHAELIS
Archangeli.

SVmmi regis Archangele Michael, intēde quęsumus nostris precibus. Te nāq; profitemur esse supernorum civium Principem. Tu Deum obsecra pro nobis, ut mittat auxilium miseris.
Principalis est, potestas à Domino tibi data, peccantes salvificare animas. Idē tenes perpetui potentiā Paradysi, omnes cives te adorāt superi.
Audi nos Michael Angele summe: Tu palam descende de poli sede, nobis ferendo opem Domini atq; levamen indulgentiæ.
Tu nostros Gabriel hostes prosterne: Tu Raphael ægris affer medelam, morbos absterge, noxas dilue, nosq; fac interesse gaudiis beatorum.

IN CELEBRITATE SANCTORVM
Gereonis & sociorum eius.

MAjestati sacrosanctæ militans, cum triumphante jubilet Ecclesia, de triūpho Thebęorum, & salute peccatorum per horum suffragia.
Hac patrona legione, nos in bonis summe bone: loca potioribus, ubi patris, ubi tui & amoris sacri frui mereamur gloria, Amen.

VNDECIM MILLIVM
virginum.

QVarum orationibus felices cum felicibus, pace fruamur sedula, per seculorum secula.

IN FESTO OMNIVM
Sanctorum.

ORdines noveni Spirituum beatorū, Quos in Dei laudibus firmavit charitas: Nos fragiles homines firmate precibus.
Vt spirituales pravitates vestro juvamine vincentes fortiter. Nunc & in ævum vestris simus digni solennibus interesse sacris.
Nos adjutorium nunc & perenniter foveat, protegat ut vestrum: In die poscimus gaudiorū vestrorum.

IN OBITV SANCTI
Martini.

IGitur te cuncti poscimus ô Martine, qui multa mira hic ostendisti, etiam de cœlo gratiā Christi nobis supplicatu tuo semper infundas.

DE S. ELISABET.

ELa mater nos agnosce, librovitę nos deposce, cum electis inseri, ut consortes tuæ sortis, & à pœnis, & à portis eruamur inferi.

DE S. CATHARINA.

ORa pro populo, precare pro Clero, Martyr Christi Catharina, astantem populum, precantem te Clerum, fove, rege per secula.

DE SANCTO ANDREA
Apostolo.

NOs igitur peccatis nostris gravati, te Deus poscimus, ut illius, qui tua semper sectatus præcepta, tibi placet. Nos intercessione tuearis in æternum.

IN FESTO CONCEPTIOnis Mariæ.

TV spes certa miserorum, vera mater orphanorum: tu levamen oppressorum, medicamen infirmorum, omnibus es Domina.
Te laudamus voce pari, laude digna singulari, ut errantes in hoc mari, nos in portu salutari, fistat tua gratia, Amen.

DE MARTYRIBVS.

ERgo facti cohęredes Christo in cœlestibus apud ipsum vota nostra promovete precibus, ut post finem hujus vitæ, & post transitoria in perenni mereamur, exultare gloria.

DE CONFESSORIBVS.

PAstor bone miserere Ecclesię, tuisq; precibus refove, confer opem plebi tuæ, preces intende, & pio juvamine maculas dilue.
In via nos adjuva, cōlloca in patria, redde quę speramus bona.

ALIA DE VNA VIRGINE.

TVte jam dulcibus plena deliciis, Christo miserias nostras suggerito nobis cōsolationem precando.

DE VIRGINE MARIA

SVpplicamus nos emenda, emendatos nos commenda, tuo nato ad habenda sempiterna gaudia.

ALIA

Universidad de Deusto
Biblioteca

ALIA DE VIRGINE
gloriosa.

OMnis homo omni hora, hanc adora ac implora ejus patrocinia: Psalle, psalle nisu toto cordis, oris, voce, voto: Ave plena gratia.

Salve decus firmamenti, tu caliginosæ menti desuper irradia, placa mare maris stella: ne involvat nos procella & tempestas valida. Virgo mater Maria, mater misericordiæ, nos adjuva.

PROSA IN LAVDEM VIRGINIS Mariæ.

GAude Maria templum summæ maiestatis. Salva nos & omnes conserva per omnia sæcula sæculorum, Amen.

DE DOMINA NOSTRA.

TE collaudat cœlestis curia, quæ mater es regis & filia, per te reis donatur venia, per te justis confertur gratia.

Ergo maris stella, natum tuum ora, ut nos solvat à peccatis, & in regno claritatis, quo lux lucet sedula, collocet per sæcula, Amen.

SEQVENS IN LAVDEM virginis.

PVlchrior syderibus, & præ mulieribus cunctis benedicta: placa tuum filium, & purga fidelium omnium delicta.

In te pluit, in te fluit Deus suam gratiam: Ergo tuæ nobis pluæ gratiæ clementiam. Ad beati tui nati transferas præsentiam, & cunctorum delictorum conferindulgentiam.

EX HYMNIS DE SANCTIS.

DE SANCTO STEPHANO, *Hymnus.*

SAncte Dei preciose protomartyr Stephane: Qui virtute charitatis circumfulsus, undiq; Dominum pro inimico exorasti populo.

Funde preces pro devoto tibi nunc collegio, ut tuo propiciatus interventu Dominus, nos purgatos à peccatis, jungat cœli civibus.

DE SANCTO IOANNE *Apostolo, Hymnus.*

CVjus prece assidua, ut nostra solvas crimina, è cœlo donans præmia, voce precamur cernua.

DE SANCTO BLASIO, *Hymnus.*

TE simul fusis precibus rogamus, civium fautor maneas tuorum, ad thronum Christi memor esto nostri, optime Blasi.

DE S. AGATHA.

IAm retinens quasi sponsa polo, pro miseris supplica Domino, sic sua festa coli faciat, celebrantibus ut faveat.

DE S. IOANNE BAPTISTA.

SOLVE polluti labii reatum sancte Ioannes.

DE SANCTO PETRO *& Paulo.*

HAc sacra die, quæ dat reis veniam: Iam bone pastor, pater clemens, accipe vota precantiũ & peccati vincula resolve tibi potestate tradita, Qui cunctis cœlum verbo claudis & aperis.

Doctor egregie Paule mores instrue, & mente poli nos transferre satage.

IN FESTO VISITATIONIS *Mariæ.*

LEva gregem, duc ad regem Maria cunctos visitans, ut salvetur & lætetur, cùm tu sis mater medians.

DE MARIA MAGDALENA.

TE quæsumus gratissimam nobis deposce veniam.

IN FESTO S. AFRAE.

ONarcisse cum Felice, vos pro nobis omni vice, & pro nostra civitate, & pro cunctis supplicate.

Afra simul & consortes, stent pro nobis precefortes, & ut nobis expiatis, sit portio cum beatis.

DE NATIVITATE *Mariæ.*

MAria mater Domini, æterni patris filii, sper opem nobis omnibus, ad te confugientibus.

IN FESTO NATIVITATIS *Mariæ.*

TE nunc suppliciter sancta theotocos regis perpetui sponsaq; poscimus, ut nos semper ubique miti munere protegas.

Sanctis obtineas virgo precantibus pacis præsidium, nobis atq; beati regni dona perennia.

DE SANCTO MAVRITIO *Martyre.*

CVi quapropter supplicantes illi preces fundimus, ut dignetur nobis Christũ facere propicium, quem amavit, cum quo regnat, nunc & in perpetuum.

DE S. MICHAELE.

HInc Dei genitrix Maria, totus & nobis chorus Angelorum semper assistat, simul & beata concio tota.

DE SANCTO GALLO.

QVæsumus mundi sator & redemptor, ut sacris eius precibus tueri hanc velis plebem, tribuens quod optat corde benigo.

DE OMNIBVS SANCTIS.

OMnes superni ordines mille milleni millies vestros audite supplices.

Pri-

Primum virtutes igneæ: mox repleti scientiæ: ex hinc juvate nos prece sessiones Dominicæ.

Nunc vos cœlestes Domini & principes prævalidi: potentiaq; præditi, estote nobis placidi.

Hinc ditati virtutibus, vosq; tremendi nutibus: fulgorosi vultibus, Christi favete plebibus.

Omnes, quos Dei gratia ab hac exemit patria: bona donans cœlestia; nostra laxate crimina.

Tu pater adsis Abraham: claram gerens prosapiam: cum ipsis necessariam, nobis precando veniam.

Tandem David Hymnidicis: hinc inde stipatus choris: pulcher coronis regis: cunctis succurre miseris.

Sacer adesto flagitans cœtus futura prædicans: nobis Christum concilians, in cœlo jam tripudians.

Omnes dum carnem induit: quos Christus præsens docuit: quosq; absentes imbuit, erigite qui corruunt.

Nostros supreme claviger: & novæ pacis legifer: Omnesq; Christi crucifer actus mundate pariter.

Nunc posce Dei genitrix: omnisq; carnis domitrix: cessetq; culpa perditrix. & plebs salvetur debitrix.

Nunc omne sacerdotium: primus ordo Pontificum: Clerum regendo subditum: fletum tergite supplicum.

AD COMPLETORIVM *Hymnus.*

IESV salvator seculi: redemptis ope subveni: & pia Dei genitrix, salutem posce miseris.

Cœtus omnes Angelici: Patriarcharum Cunei: & Prophetarum merita, nobis precentur veniam.

Baptista Christi prævius: & claviger ætherius: cum cæteris Apostolis, nos solvant nexu criminis.

Chorus sacratus martyrum: sacerdotum confessio, & virginalis castitas, nos à peccatis abluant.

Electorum suffragia: omnesq; cives cœlici: annuant votis supplicum, & vitæ poscant præmium.

AD NOCTVRNVM HYMNVS.

CHriste redemptor omnium. conserva tuos famulos: beatæ semper virginis, placat⁹ sanctis precibus.

Beata quoque agmina cœlestium Spirituum: præsentia, præterita, futura mala pellite.

Vates æterni judicis Apostoliq; Domini: suppliciter exposcimus, salvari vestris præcibus.

Martyres Dei incliti: confessoresq; lucidi: vestris orationibus, nos ferte in cœlestibus.

Chorus sanctarũ virginum: Monachorumq; omnium: nos simul cum omnibus Christi consortes facite.

DE S. MARTINO.

MArtinus quoniam vota fidelium attendit: tribuens cuncta salubria: confert hic famulis, ritè canentibus, stellis aureola serta micantibus.

Martinum precibus gens Gallica: dignis soliciter nostraq; patria, Martinus faciat tempora prospera.

AD HORAS CANONICAS IN SOlennitate *B. Martini Hymnus.*

MArtinus autem prævius, fac ut sit horis omnibus: ne Dæmonum fallacia pes noster impactus ruat.

Hic arma nobis cœlica, instante pugna conferat, hoc præliante cominus, hostis fugetur noxius.

Hic nos per undas sæculi, clavo gubernet prospero: ne fortè nostram spumea puppim charybdis sorbeat.

Hic nos triumpho nobili: & laureatos mysticè, aptet tuis conspectibus, junctos supernis civibus.

DE S. CATHARINA.

SPonsa sponso gratos, fac nos & acceptos.

Monstra te vitæ viam: ut Philosophiã mundi transeamus, veram inquiramus.

Ora & inclina nobis verum Sina: ut intremus chorum tecum Angelorum.

AD COMPLETORIVM.

CAtharinæ collaudemus virtutum insignia: ut spe certa respiremus per eius suffragia.

DE SANCTO ANDREA.

IAm nos foveto languidos: curamq; nostri suscipe: quo per crucis victoriam: cœli petamus patriam: Amen.

DE SANCTO NICOLAO.

ERgo pie nos exaudi assistentes tuæ laudi: Ne subdamur hostis fraudi, nobis fer auxilia.

Nos ab omni malo ducas: via recta nos conducas: post hanc vitam nos inducas ad æterna gaudia: Amen.

IN LAVDEM EIVSDEM *S. Nicolai.*

OVenerande Pontifex: pius nec tardus opifex, cunctis qui corde credulo, te quærunt in periculo.

Aufer mortis dispendia: confer vitæ stipendia: quo post carnis exilia: tecum simus in gloria.

DE FESTO CONCEPTIONIS *Mariæ.*

OMaria clausus hortus: naufragantis mundi portus: placa nobis, qui te fecit matrem sibi, quam elegit.

Adesto jam supplicibus tuis: faveto precibus, manum benignè porrige, vitamq; nostram dirige.

Maria mater gratiæ: mater misericordiæ: tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe,

Maria virgo virginũ, deposce nobis omnium, remissionem criminum: tuum placando filium.

DE APOSTOLIS HYMNVS *generalis.*

VOs seculi justi judices, & vera mundi lumina: votis precamur cordium, audite preces supplicum.

O Qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qui cœlum verbo clauditis: seraſq; ejus solvitis: nos à peccatis omnibus solvite juſſu quæſumus.

Quorum præcepto ſubditur, ſalus & languor omnium: ſanate ægros moribus, nos reddentes virtutibus.

Vt cùm Iudex advenerit Chriſtus in fine ſeculi, nos ſempiternis gaudiis faciat eſſe compotes.

DE VNO MARTYRE HYMNVS
veſpertinus.

MArtyr Dei: Tui precatus munere: noſtrum reatum dilue: arcens mali contagium: vitæ removens tædium.

Soluta ſunt jam vincula: tui ſacrati corporis: nos ſolve vinclis ſeculi, amore Dei filii.

DE CONFESSORIBVS HYMNVS
generalis.

VNde nũc noſter chorus in honore, ipſi⁹ hymnum cãit hunc libenter: ut piis ejus meritis juvemur omne per ævum.

IN ANNVNCIATIONE B. virginis Mariæ.

AVe maris ſtella: Dei mater alma: atq; ſemper virgo, felix cœli porta.

Sumens illud ave, Gabrielis ore: funda nos in pace mutans nomen Evæ.

Solve vincla reis: profer lumen cœcis: mala noſtra pelle: bona cuncta poſce.

Monſtra te eſſe matrem: ſumat per te precem: qui pro nobis natus, tulit eſſe tuus.

Virgo ſingularis: inter omnes mitis: nos culpis ſolutos, mites fac & caſtos.

Vitam præſta puram: iter para tutum: ut videntes Ieſum, ſemper collætemur.

EX BREVIARIO ROMANO, &c.

DEus, cujus dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, & coapoſtolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propicius, & concede, ut amborum meritis æternitatis gloriam conſequamur.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Eccleſiam tuam variis Sanctorũ meritis ſemper illuminas, protegis & conſervas, concede ut beati Franciſci, & Sanctorum ſequentium, cum interceſsione, & hîc ab omnibus mundemur offenſis, & in futuro cœleſti gloria perfruamur.

Ora pro nobis ſancta Dei genitrix, ut digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.

Divinum auxilium beatiſsimæ virginis Mariæ, præſidium Angelicum, & omnium Sanctorum ſuffragium, maneat ſemper nobiſcum.

Dulcis amica Dei, roſa vernans, ſtella decora. Tu memor eſto mei, dum mortis venerit hora.

Quæſumus omnipotens Deus, ut beatus N. Apoſtolus, tuum pro nobis imploret auxilium, ut à noſtris reatibus abſoluti, à cunctis etjam periculis eruamur.

Infirmitatem noſtram reſpice omnipotens Deus, & quos pondus propriæ actionis gravat, beati N. Martyris tui atq; Pontificis interceſsio, glorioſa nos protegat.

Deus qui nos beati N. Martyris tui atque Pontificis annua ſolennitate lætificas, concede propitius, cuius natalitia colimus, de ejuſdem etjam protectione gaudeamus.

Exaudi, quæſumus Domine, preces noſtras, quas in beati N. confeſſoris tui atque Pontificis ſolennitate deferimus, ut qui digne tibi meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos abſolvas peccatis.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, quas in beati N. martyris tui ſolennitate deferimus, ut qui noſtræ juſtitiæ fiduciam non habemus, ejus qui tibi placuit precibus adjuvemur.

Interceſsio nos, quæſumus Domine, beati N. Abbatis commẽdet, ut quod noſtris meritis non valemus, ejus patrocinio aſſequamur.

Da ſupplicanti cœtui, obtentu hujus optimi, remiſsionem criminum, rumpendo nexum vinculi, &c.

Proinde te piiſsime, precamur omnes ſupplices, ut hujus almi gratia, nobis remittas debita.

Indulgentiam nobis, quæſumus Domine, beata N. virgo & martyr, imploret.

Per virginem matrem, concedat nobis Dominus ſalutem & pacem.

Protege Domine populum tuum, & Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli, & aliorum Apoſtolorum patrocinio confitentem, perpetua defenſione conſerva.

Omnes Sancti tui, quæſumus Domine nos ubiq; adjuvent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus, & pacem tuam, noſtris concede temporibus.

Deus qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es, da quæſumus, ut ſua nos defenſione munitos, jucundos ſuæ faciat intereſſe commemorationi,

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, & Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli, & aliorum Apoſtolorum, nos tuere præſidiis, quorum donaſti fideles eſſe doctrinis.

Concede, miſericors Deus fragilitati noſtræ præſidium, ut qui ſanctæ Dei genitricis memoriam agimus, interceſsionis ejus auxilio à noſtris iniquitatibus reſurgamus.

Famulorum tuorum, quæſumus Domine, delictis ignoſce, ut qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, genitricis filii tui interceſsione ſalvemur.

Concede nos famulos tuos, quęſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſæ beatæ Mariæ ſemper virginis interceſsione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

Beatæ & glorioſæ ſemper virginis Mariæ, quęſumus Domine, interceſsio glorioſa nos protegat, & ad vitam perducat æternam.

Adeſto ſupplicationibus noſtris, piiſsima Dei genitrix virgo virginum Maria.

Ad te pia mater confugimus, ut præſto nobis ſit tua defenſio, & qui diſtricti judicis iram timemus, dum graviter deliquiſſe ſumus conſcii, ipſum videre non audemus, ad te ejus matrem confugimus, ut pro nobis apud Deum intervenias, & excuſa ſcelera noſtra, omnipotentis filii tui gratiam nobis impetrans, referas cunctorũ, quæ commiſimus, indulgentiam.

Deus

Deus pro cujus Eccleſia glorioſus Põtifex Thomas gladiis impiorum occubuit, præſta quæſumus, ut omnes, qui ejus implorant auxilium, petitionis ſuæ ſalutarem conſequantur effectum.

SIXTVS DEDIT SEQVENTEM ORATIONEM, *quam ipſe confecit, vndecim millia annorum indulgentiæ, & debet dici coram imagine beatæ Mariæ virginis in ſole.*

AVe ſanctiſsima mater Dei, Regina cœli, porta paradyſi, Domina mũdi. Libera me ab omni malo. Ora pro peccato meo: Amen.

O Regina poli, mater gratiſsima proli, ſpernere me noli, me commendo tibi ſoli.

Deus qui nos beati Saturnii, martyris tui, concedis natalitio perfrui, ejus nos tribue meritis adjuvari.

Deus qui beatum Nicolaum, Pontificem tuum, innumeris decorâſti miraculis, tribue quæſumus, ut ejus meritis & precibus, à gehennæ incendiis liberemur.

Deus qui populo tuo æternæ ſalutis beatum Ambroſium miniſtrum tribuiſti, præſta quæſumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in cœlis.

Da nobis, quæſumus Domine, beati Apoſtoli tui Thomæ ſolennitatibus gloriari, ut ejus ſemper patrociniis ſublevemur.

Da quæſumus omnipotens Deus, ut qui beatæ Anaſtaſiæ, martyris tuæ, ſolẽnia colimus, ejus apud te patrocinia ſentiamus.

Preces populi tui, quæſumus Domine, clemẽter exaudi, ut beati Marcelli, martyris tui atque Pontificis, meritis adjuvemur, cujus paſsione lætamur.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, ut qui ex iniquitate noſtra, reos nos eſſe cognoſcimus, beatorum martyrum, Vincentii & Anaſtaſij, interceſſione liberemur.

Deus, qui animæ famuli tui Gregorii, æternæ beatitudinis præmia contuliſti, concede propicius, ut qui peccatorum noſtrorum pondere premimur, ejus apud te precibus adjuvemur.

Fac nos quæſumus Domine, ſanctorum martyrum tuorum, Primi & Feliciani, ſemper feſta ſectari, quorum ſuffragiis protectionis tuæ dona ſentiamus.

Sancte Paule Apoſtole, prædicator veritatis, & Doctor Gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit, ut digni efficiamur gratia Dei.

Deus fidelium remunerator animarum, quiq; hunc diẽ beati Apollinaris, ſacerdotis tui, martyrio conſecraſti, tribue nobis, quæſumus, famulis tuis, ut cujus venerandam celebramus feſtivitatem, precibus ejus indulgentiam conſequamur

Sanctorum martyrum tuorum nos Domine, Nazarii & Celſi, Victoris & Innocentii, confeſsio beata communicat, & fragilitati noſtræ ſubſidium dignanter exoret.

Solve jubente Deo, terrarum Petre catenas, Qui facis ut pateant cœleſtia regna beatis.

Deus tuorum gloria ſacerdotum præſta quæſumus, ut ſancti martyris tui, & Epiſcopi Donati cujus feſta gerimus, ſentiamus auxilium.

Beatorum martyrum tuorum, Tiburtii & Suſannę, nos Domine foveant continuata præſidia, quia non deſinis propicius intueri, quos talibus auxiliis conceſſeris adjuvari.

Lætetur Eccleſia tua Deus, Agapiti martyris tui confeſſa ſuffragiis, atque ejus precibus glorioſis, & devota permaneat & ſecura conſiſtat.

Deus qui beatum Ludovicum, confeſſorem tuum, de terreno ac temporali regno, ad cœleſtis & æterni regni gloriam tranſtuliſti, ejus quæſumus meritis, & interceſsione Regis Regum Ieſu Chriſti, filii tui, nos cohæredes facias & ejuſdem regni tribuas eſſe conſortes.

Beatorum martyrum tuorum, pariterq; Pontificum Cornelii & Cypriani, nos quæſumus Domine feſta tueantur, & eorum commendet oratio veneranda.

Adeſto Domine populo tuo, ut beati Nichomedis, martyris tui, merita præclara ſuſcipiens, ad impetrandam miſericordiam tuam, ſemper ejus patrociniis adjuvemur.

Beati Evangeliſtæ tui Matthæi Domine, precibus adjuvemur, ut quod poſsibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis interceſsione donetur.

Annue quæſumus omnipotens Deus, ut ſanctorum martyrum tuorum, Mauritii & ſociorũ ejus, nos lætificet feſtiva ſolennitas, & quorum ſuffragiis innitimur, eorum natalitiis gloriemur.

Præſta quæſumus omnipotẽs Deus, ut qui ſanctorum martyrum tuorum, Coſmæ & Damiani natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus eorum interceſsionibus liberemur.

Hic eſt Michael Archangelus princeps militiæ Angelorum, cujus honor præſtat beneficia populorum, & oratio perducit ad regna cœlorum.

Deus, qui Eccleſiæ tuæ, in exponendis ſacris ſcripturis, beatum Hieronymum, confeſſorem tuum, Doctorem glorioſiſsimum elegiſti, præſta quæſumus, ut ejuſdem piis ſuffragantibus meritis, quod ore ſimul & opere docuit, te adjuvante exercere valeamus.

Summi Regis palatio, Doctor loca diſcipulos, ſalutis privilegio, Chriſti præmuni famulos.

Sanctorum martyrum tuorum, nos Domine, Sergii, Bachi, Marcelli, & Apulei, beata merita proſequantur, & tuo ſemper faciant amore ferventes.

Beatorum martyrum tuorum, Domine, Chriſanti & Dariæ, quæſumus, ad ſit nobis oratio, ut quos veneramur obſequio, eorum pium jugiter experiamur auxilium.

Deus qui beatum Yvonem, confeſſorem tuũ, piis operibus, ſignis & miraculis, in Eccleſia tua clarere feciſti, præſta quæſumus, ut ejus meritis & præcibus, tua beneficia capiamus.

Omnipotens, ſempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorũ merita, ſub una tribuiſti celebritate venerari, quæſumus, ut deſideratam nobis tuæ propiciationis abundantiam, multiplicatis interceſſoribus largiaris.

Nos ergo fratres chariſsimi, tantorum patrociniis interceſſorũ, de quibus locuti ſumus, tota mentis intentione quęramus, ut per temporalia feſta, quæ gerimus, eorum meritis & intereeſsione, ad æterna præmia pervenire valeamus.

Pulſemus itaq; humilibus precibus, ad oſtium aulæ virginalis, ut nobis aperire dignetur cubiculũ charitatis & caſtitatis, quatenus dum illuc

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentis puritate & mundis orationibus, admiſsi fuerimus, etjam ab hujus ſexus ordine noſtræ ſalutis gaudium impetremus.

Ob hoc ergo tam ſtudioſè eorum memoriam in noſtra ſolennitate facimus, ut ipſorum precibus & meritis, hîc adjuvari valeamus.

Tuorum corda fidelium, Deus miſerator illuſtra, & beatæ Elizabeth precibus glorioſis, fac nos proſpera mundi deſpicere, & cœleſti ſemper conſolatione gaudere.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut beatæ Felicitatis, martyris tuæ, ſolennia recenſentes, meritis ipſius protegamur & precibus.

Deus qui dediſti legẽ Moſi in ſummitate montis Synai, & in eodem loco per ſanctos Angelos tuos, corpus beatæ Catharinæ virginis & martyris tuæ, mirabiliter collocaſti, tribue quæſumus, ut ejus meritis & interceſsione, ad montem, qui Chriſtus eſt, valeamus pervenire.

Virgo autem Catharina, ad Martyrium ducta, dum oraret pro ſe, & ſui memoriam agentibus, facta eſt vox ad eam, dicens: Veni electa mea, ecce tibi beatitudinis janua aperitur. His verò, qui paſsionem tuam celebraverint, opem de cœlis promitto.

Paſsionem glorioſæ virginis Catharinæ, devotè plebs celebret fidelis, quæ ſui memores Deo commendat meritis, & juvat beneficiis.

Vox de cœlis intonuit: veni electa mea, veni intra thalamum ſponſi tui, quæ poſtulas impetraſti, qui te laudant, ſalvi fient.

Ave virginum gemma Catharina, tua venerantibus patrocinia, impetrata non deneges ſuffragia.

Gemma Chriſti Barbara, nos tecum ſedere para, ut nos tibi fœliciter conregnemus perenniter, &c.

Deus amator pudicitiæ, qui ad declaranda merita beatæ Barbaræ, virginis & martyris tuæ, miſericordiam, ipſam invocantibus, promiſiſti, da nobis quæſumus, ita ipſius intereſſe ſolennitati, ut ab hoſtium incurſionibus ſecuri & ejus interceſsione, ad gaudia perducamur æterna

Omnipotens ſempiterne Deus, qui conceptionis diem, genitricis filii tui, ſemperq; virginis Mariæ, voluiſti ſolennitate annua venerari, tribue quæſumus, ut omnes, qui ejus implorant auxilium, petitionis ſuæ ſalutarem conſequantur effectum.

Gaude Maria virgo, quæ contritura caput Diaboli, illi per culpam nunquam ſubjecta fuiſti.

Quod quidem ſingulariter eſt agendum, cùm calamitates irruunt, quæ abſq; demeritis hominum non contingunt, ut per ipſorum Sanctorum preces & merita, miſericordia Domini ſuper peccatis hominum imploretur, & humanum genus ab imminentibus malis & innumeris periculis, præſervetur.

Hæc apud Deum, quem ipſa peperit, ſedula pro nobis advocata nos juvat, nos tuetur, nos protegit, nos exaltat. Hæc omnibus, qui ad eam recurrunt promptiſsimum exhibet patrocinium.

Te proſequentes laudibus, piis favete precibus, adeſto poſtulantibus, tuis virgo ſupplicib⁹.

Sancte Franciſce, properè veni, pater accelera ad populum qui premitur, & teritur ſub onere, palea, luto, latere, & ſepulto AEgyptio ſub fabulo, nos libera, carnis extincto vitio.

Conemur totis viribus, jungamus preces precib. ut Auguſtini meritis, cœli fruamur gaudiis.

DE SANCTO MARTINO.

Mane nobiſcum in æternum.

DE S. LAVRENTIO AD *Completorium.*

ADeſt nanq; feſtivitas, & dies venerabilis, qua cœlum pro meritis, Laurentius ingreſſus eſt. Ipſe dignetur Dominum, rogare clementiſsimũ, ut ab æternis ignibus, nos ſervet & Dæmonibus.

DE PSALTERIO VIRGINIS *Mariæ.*

COnſtat totum Pſalterium, ſub Papatu transformatum eſſe ad invocationem Mariæ. De ejus itaque origine, pauca quædam annotabo ex ſpeculo Roſariorum, quod ex Alano deſcriptum eſt, qui narrat Dominicum primò commentum eſſe Roſaria Mariæ, ut ſcilicet quinquaginta ſalutationes Angelicæ recitentur, & ſingulis decem ſalutationibus, una oratio Dominica interjiciatur, hoc eſt, ut ipſi loquuntur 50. Ave Maria, & 5. Pater noſter, faciant unum Roſarium. Loquendum enim nobis eſt, ſicut ille in Macaronicis inquit.

Barbottat Patres noſtros Aveiq; Marias.

In hunc uſum Dominicus narratur fabricaſſe lapillos 55. ita in modum ſerti conjunctos, ut inter ſingulos decem minores, unus grandior interponeretur, & hujuſmodi ſerta ſeu Roſaria lapillorum, nominavit Patriloquia, quia ſcilicet conveniunt rebus nomina ſæpè ſuis.

Ex Roſariis deinde cœperunt fabricare Pſalteria, hoc eſt, ut tria Roſaria, centum ſcilicet & quinquaginta Ave Maria, & quindecim Pater noſter, facerent unum Pſalterium Mariæ, quia tot ſcilicet ſint Pſalmi Davidis.

Scribit autem Alanus, quod in illo Pſalterio, poſtea quidam ſingulis ſalutationibus, peculiares preculas ad Mariam interjecerint, maximè verò celebrat, quod Carthuſienſes ſuper Pſalmos Davidicos fecerunt 159. ſalutationes Mariæ verſuales. Alii cœperunt diſputare, ſingulos Pſalmos poſſe ad Mariam accommodari, & narrat Alanus Colonienſem quendam, talem accommodationem Pſalmorũ ad Mariam, in publica Pſalterii lectura feciſſe.

Poſtea inſtituta fuit peculiaris fraternitas, de Pſalterio Mariæ, quam Sixtus 4. additis multis indulgentiis, circa annum Domini 1470. confirmavit. Innocentius verò octavus, ad reliquas indulgentias, addidit plenariam remiſsionem à pœna & à culpa, ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis, ingredientibus illam fraternitatem. Alanus verò ſubducto accuratè calculo omnium illarum indulgentiarum, hanc ſummam invenit: Ad unum quodq; ſcilicet Pſalterium Mariæ, datas eſſe à diverſis Pontificibus, indulgentias ſexagies mille annorum.

Hæc de Pſalterio Mariæ, ex ſpeculo Roſariorum ideò hoc loco adſcripſi, quia intelligo ex Pontificiis quoſdam dicere, Pſalterium Mariæ eſſe

eſſe unius ſuperſtitioſi Monachi privatum commentum, quod non debeat univerſæ Eccleſiæ Pontificiæ tribui.

Tria autem exemplaria Pſalterii Mariani impreſſa vidi, unum Venetiis editum, alterum Pariſiis, tertium Lipſiæ. Scripta verò exemplaria, in viſitatione Monaſteriorum Ducatus Brunſuicenſis, inventa ſunt multa. Et in exemplaribus impreſsis talis eſt inſcriptio.

Pſalterium beatæ virginis, compilatum perſeraphicum Doctorem, ſanctum Bonaventuram Epiſcopum Albanenſem, nec non ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem, &c.

Nec verò diſputabo, an verum ſit, quòd fingunt, Bonaventuram autorem eſſe Pſalterii Mariæ. Scio enim, quòd Bonaventura longè aliter diſputet & doceat, in 15. Sententiarum, diſtin. 3. quæſt. 2. ubi inquit: Cavendum eſſe ne dum matris excellentia ampliatur, filii gloria minuatur, & ſic in illo mater provocetur, quæ magis vult extolli filium, quàm ſeipſam, ut potè creatorem creaturæ. Et ad objectionem, quòd honor, qui matri exhibetur, referatur ad filium, Bonaventura reſpondet, Non omnem honorem, qui filio debetur, matri tribuendum eſſe. Quia igitur in Pſalterio Mariæ prorſus contrarium fit, ubi omnia, quæ filii propria ſunt, matri tribuuntur: Equidem exiſtimo falſum eſſe, quòd compoſitionem iſtius blaſphemi Pſalterii, Bonaventuræ autori tribuunt. Volui tamen illam inſcriptionem, qua publicè editum eſt, hoc loco addere, ut oſtenderem Pſalteriũ illud Mariæ, publica autoritate, Eccleſiis in Papatu propoſitũ fuiſſe.

Et quia in iſto Pſalterio Mariæ, extat illuſtre ſeculum, tetræ & horrendæ idolomaniæ, quam Pontificia Eccleſia, in Sanctorum invocatione exercuit, neque antiqua eius exemplaria ubique obvia ſunt, volui illud, de verbo ad verbum deſcriptum, hoc loco addere, & toti mundo dijudicandum proponere. Deſcripſi autem illud ex Pariſienſi exemplari, quod extat in Bibliotheca Illuſtriſsimi Principis Iulii, Ducis Brunſuicenſis & Lunæburgenſis, ad quod etiam contuli editionem Venetam & Lipſicam.

Qualis itaque lerna ſuperſtitionis & idolomaniæ, ſub invocatione Sanctorum, in Eccleſiæ Pontificia lateat, ex hoc Mariano Pſalterio Lector cognoſcat, & inde conſtituat, quis ſit ſtatus controverſiæ, in hoc loco de invocatione Sanctorum.

INCIPIT PSALTERIVM VIRGINIS MARIAE, A *devoto Doctore, Sancto Bonaventura compilatum.*

I.

BEATVS Vir, qui diligit nomen tuum, virgo Maria, gratia tua animam illius cõfortabit. Tanquam lignum aquarum fontibus irrigatum, uberrimos juſtitiæ fructus propagabit. Benedicta tu inter mulieres, propter humilitatem, & credulitatem cordis tui. Vniverſas enim fœminas vincis pulchritudine carnis: Superas Angelos & Archangelos excellentia ſanctitatis. Miſericordia tua & gratia tua ubique prædicatur, Deus operibus manuum tuarum benedixit: AVE Maria, &c.

II.

Quare fremuerunt inimici noſtri, ad verſum nos ſunt meditata inania? Protegat nos dextera tua mater Dei, ut acies terribilis confundes ac deſtrues eos. Venite ad eam omnes, qui laboratis & tribulati eſtis: & refrigerium & ſolatium dabit animabus veſtris. Accedite ad eam in tentationibus veſtris, & ſtabiliet vos ſerenitas vultus illius. Benedicite illam in toto corde veſtro: Miſericordia enim illius plena eſt omnis terra. AVE Maria.

III.

Domina quid multiplicati ſunt qui tribulant me? In tempeſtate tua perſequeris & diſsipabis eos. Diſſolve colligationes impietatis noſtræ, tolle faſciculos peccatorũ noſtrorum. Miſerere mei Domina, & ſana infirmitatem meam, tolle dolorem & Anguſtiam cordis mei. Ne tradas me manibus inimicorum meorum, & in die mortis conforta animam meam. Deduc me ad portum ſalutis, & Spiritum redde factori & creatori meo; AVE Maria, &c.

IIII.

Cùm invocarem exaudiviſti me Domina; de ſublimi ſolio tuo mei dignata es recordari. A rugientibus præparatis ad eſcam, & de manibus quærentium me, liberavit me gratia tua. Quoniam benigna eſt miſericordia tua, & pietas tua in omnes, qui invocant nomen ſanctum tuum. Benedicta ſis Domina in æternum, & majeſtas tua in ſeculum ſeculi. Glorificate eam Gentes in virtute veſtra, & cuncti populi terræ, extollite magnificentiam ejus.

V.

Verba mea auribus percipe Domina, & ne avertas à me ſpecioſitatem vultus tui. Converte luctum noſtrum in gaudium, & tribulationem noſtram in jubilationem. Corruant ante pedes noſtros inimici noſtri vir tute tua eorum capita conterantur. Benedicat te omnis lingua, & nomen ſanctum tuum confiteatur omnis caro. Spiritus enim tuus ſuper mel dulcis, & hæreditas tua ſuper mel & favum.

VI.

Domina, ne in furore Dei finas corripi me, neque in ira illius judicari. Propter honorem nominis tui Domina, propitietur nobis fructus glorioſus ventris tui. De porta inferi, & de ventre abyſsi, tuis ſanctis precibus libera nos. Aperiantur nobis portæ juſtitiæ, ut enarremus in æternum mirabilia tua. Quia non mortui, neque qui in inferno ſunt, laudabunt te Domina, ſed qui tua gratia vitam æternam obtinebunt.

VII.

Domina, in te ſperavi, de inimicis meis libera animam meam. Conclude ora Leonis, dentes ejus, & labia perſequentium confringe. Ne moreris propter nomen tuum nobis impartiri miſericordiam tuam. Splendor vultus tui fulgeat ſuper nos, ut ſerenetur conſcientia noſtra apud altiſsimum. Offerentur per te preces noſtræ, & vota noſtra apud altiſsimum.

VIII.

Domina, Dominus noſter factus eſt per te fra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter & salvator noster, ut ignis in rubo, & ros in vellere, ita descendit in te æternum verbum Dei, Spiritu sancto fœcundante obumbravit tibi virtus altissimi. Benedictus sit mundissimus conceptus tuus. Benedictus sit partus tuus virgineus. Benedicta sit mundicies carnis tuæ, benedicta sit dulcedo misericordiæ cordis tui.

IX.

Confitebor tibi Domina in toto corde meo, & narrabo populis laudem & gloriam tuam. Tibi enim debetur gloria, gratiarum actio, & vox laudis. Inveniant peccatores gratiã apud Deum, per te inventricem gratiæ & salutis. Respirent ad indulgentiam humiles pœnitentes, sana contritiones cordis eorum. In pulchritudine pacis & requie opulenta cibabis nos post laborem peregrinationis nostræ.

X.

In Domina confido propter dulcedinem misericordiæ nominis sui. Oculi ejus in pauperem respiciunt, & manus ejus ad pupillum & viduam sunt extentæ. Exquirite illam à juventute vestra, & clarificabit vos ante faciem populorum. Misericordia illius vestrorum auferat multitudinem peccatorum, & fœcunditas illius Deo grata fœcunditatem nobis conferat meritorum. Extende ad nos brachium tuum virgo sancta, & ne avertas à nobis gloriosum vultum tuum.

XI.

Salvum me fac mater pulchræ dilectionis, forus clementiæ & dulcor pietatis. Girum terræ sola circumis ut subvenias invocantibus te. Pulchræ sunt viæ tuæ, & semitæ tuæ pacificæ. In te refulget species caritatis, lumen justitiæ & splendor veritatis. Amicta solari lumine sicut vestimento, duodecim stellarum corona rutilans radianti. Gloria tibi sit virgo virginum, duc nos obsecramus ad regna cœlorum: Amen.

XII.

Lipsens. Aperi oculos misericordiæ tuæ, ne inimicus noster nobis prævaleat.

Vsquequo Domina oblivisceris mei, & non liberas me in die tribulationis meæ. Vsqquo exaltabitur inimicus meus super me? potentia virtutis cõtere eum. Esto nobis Domina turris fortitudinis, & petra durissima conterens inimicũ. Magnificamus te gratiæ inventricem, per quam fœcula reparantur. Exaltata super chorus Angelorum, ante thronum Dei pro nobis intercede.

XIII.

Dixit insipiens adversarius noster, in corde suo, persequar & comprehendam, interficiet eos manus tua. Exurge Domina præveni eum, & supplanta eum, & destrue omnes conatus illius. Tuam pulchritudinem Sol & Luna mirantur, tibi Angelicæ potestates serviunt & famulantur. Tuo tactu levissimo sanantur infirmi, tuo odore roseo mortui reviviscunt. Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.

XIIII.

Domina, quis habitabit in tabernaculo Dei? aut quis requiescet cum sanatoribus populi? Pauperes Spiritu & mundo corde, mites, pacifici atque lugentes. Recordare Domina, ut loquaris pro nobis bona, & indignationem filii tui avertas à nobis. Amplectamur Mariæ vestigia peccatores, & eius beatis pedibus provolvamur. Teneamus eam fortiter, nec dimittamus, donec ab ea meruerimus benedici.

XV.

Conserva me Domina, quoniam speravi in te, mihiq; tua stillicidia gratiæ misericorditer impartire. Alvus tuus virginalis & tua viscera pudicissima Dei Altissimi filium genuerunt. Benedicta sint mundissima ubera tua, quibus lacte Deifico salvatorem Iesum enutrivisti. Confitemini laudes virgini gloriosæ, quicunque apud eam gratiam & misericordiam invenistis. Date magnificentiam nomini eius, & collaudate in sæculum conceptum atque partum illius.

XVI.

Exaudi Domina justitiam meam, & amove à me tribulationem meam. Confitebor tibi in voce exultationis, cùm magnificaveris super me misericordiam tuam. Imitamini eam sanctæ virgines Dei, ut imitatæ sunt, Agnes, Barbara, Catharina, Cecilia & Lucia. Honorificate eam in voce labiorum vestrorum, per hoc eius gratiam Agatha, Margaretha, & Cecilia cum cæteris susceperunt. Sponsum dabit nobis Dei patris filium, & de Paradisi liliis coronam incomparabiliter redolentem.

XVII.

Diligam te Domina cœli & terræ, in Gentibus nomen tuum glorificabo. Confitemini illi tribulati corde, & roborabit vos contra inimicos vestros. Stilla nobis Domina gratiam uberum tuorum ex mananti lacte dulcedinis tuæ reficе viscera puerorum tuorum. Religiosi omnes honorate illam, quia ipsa est adjutrix, & vestra specialis advocata. Esto refugium nostrum gloriosa mater Christi, quia tu es totius religionis mirabile firmamentum.

XVIII.

Cœli enarrant gloriam tuam virgo Maria, & unguentorum tuorum fragantia in omnibus Gentibus est respersa. Respirate ad illam perditi peccatores, & perducet vos ad indulgentiæ portum: In Hymnis Psalmis, & Canticis pulsate viscera ejus, & stillabit vobis gratiam dulcedinis suæ. Glorificate eam justi ante thronum Dei, quia fructu ventris ejus estis justitiam operati. Laudate eam cœli cœlorum, & nomen ejus glorificet omnis terra.

XIX.

Exaudias me Domina in die tribulationis, & precibus nostris converte clementem faciem tuam. Ne projicias nos in hora mortis nostræ, succurre animæ meæ cùm deservierit corpus suum. Mitte Angelum bonum in occursum ejus, per quem à malignis hostibus defendatur. Oftendei placatum ac serenatum judicē seculorum, qui ob tui gratiam veniam, & indulgentiam ei largiatur. Sentiat in pœnis refrigerium tuum, & concede ei locum inter electos Dei.

XX.

Domina in virtute lætabitur cor nostrum, & in dulcedine nominis tui consolabitur anima nostra. De sedibus mitte nobis sapientiam Dei, per quam in omni veritate dulciter illustremur. A carnalibus desideriis concede gratiam abstinendi, ut

ei, ut lumen gratiæ in nostris cordibus oriatur. Quàm dulcia diligentibus te eloquia tua, virgo sacrata, quamq; suavia tuarum stillicidia gratiarum. Gloriam & honorem psallam tibi, & in nomine tuo gloriabor in seculum.

XXI.

Deus Deus meus, respice in me, meritis tuis virgo sancta Maria. Domina mea clamavi ad te per diem & noctem, & fecisti cum servo tuo misericordiam tuam. Quia ego speravi in gratia tua, sempiternum à me opprobrium abstulisti. Deriserunt me inimici mei undique, tu autē sub umbra manus tuæ contulisti mihi refrigerium bonum. Adorent te familiæ Gentium, & glorificent te omnes ordines angelorum.

XXII.

Dominus regit me virgo Dei genitrix, quia tu amabilem vultum ejus ad me convertisti. Benedicti sunt oculi tui splendidissimi, quos digneris misericorditer convertere super peccatores. Benedictum sit lumen & splendor faciei tuæ, benedicta sit gratia vultus tui. Benedicta sit misericordia manuum tuarum, benedicta sit emanatio virginei lactis tui. Benedicant te Apostoli & Prophetæ Dei, Martyres, confessores & Virgines psallant tibi. Gloria tibi sit ô virgo virgidum, duc nos, obsecramus ad regna cœlorum, Amen.

XXIII.

Domini est terra & plenitudo ejus, tu autem sanctissima mater cum eo regnas in æternum. Gloriam & decorem induisti. Omnis lapis preciosus, amictus & operimentum tuum. Splendor Solis super caput tuum, & lunaris pulchritudo sub pedibus tuis. Sydera micantia ornant sedile tuum, astra te glorificant ô stella matutina. Memento nostri Domina in beneplacito tuo, & fac nos dignos glorificandi nomen sanctum tuum.

XXIIII.

Ad te Domina levavi animam meam, in judicio Dei precibus tuis non erubescam. Neque illudant mihi adversarii mei, etenim cuncti præsumentes de te roborabuntur. Non prævaleant adversum me laquei mortis, & castra malignantium non impediant gressus meos. Collide impetum eorum virtute tua, & cum mansuetudine occurre animæ meæ. Ductrix mea esto ad patriam, me cœtui Angelorum digneris aggregare.

XXV.

Judica me Domina, quoniam ego ab innocentia mea digressus sum, sed quia speravi in te, non infirmabor. Vre cor meum igne amoris tui, & cingulo castitatis restringe renes meos. Quoniam misericordia tua & clementia tua ante oculos meos est, & delectatus sum in voce laudis tuæ. Domina dilexi decorem faciei tuæ, & veneratus sum sanctam majestatem tuam. Confitemini nomen ejus, quoniam sanctum est, enarrentur à seculis mirabilia ejus.

XXVI.

Domina illuminatio mea sit, splendor faciei tuæ, & serenitas gratiæ tuæ refulgeat menti meę. Exalta caput meum super inimicos meos, & ego Psalmum nomini tuo cantabo. Ne avertas faciem tuam à me, quia speciem & decorem tuum à juventute mea concupivi. Te amavi & exquisivi regina cœlorum & gratiarum. Misericordiam & gratiam tuam ne subtrahas à servo tuo. Confitebor tibi in nationibus Domina, & thronum gloriæ tuæ honorificabo.

XXVII.

Ad te Domina clamabo, & exaudies me, in voce laudis tuæ lætificabis me. Miserere mei in die angustiæ meæ, & in luce veritatis tuæ libera me. Benedicta sit ô Domina in omnibus finibus terræ. Sanctuarium quod firmaverunt manus tuæ, est sanctum templum corporis tui glorioſi. Conscientia tua munda & immaculata est, locus propiciationis & habitaculum sanctum Dei.

XXVIII.

Afferte Dominæ nostræ filii Dei, afferte Dominæ nostræ laudem & reverentiam. Da virtutem servis tuis mater sancta, & benedictionem laudantibus & glorificantibus te. Exaudi gemitus suspirantium ad te, & ne spernas vota invocantium nomen tuum. Sit manus tua ad succurrendum mihi parata, & auris tua intendens ad deprecationem meam. Benedicant tibi cœlum & terra, mare & cardines orbis terrarum.

XXIX.

Exaltabo te Domina, quoniam suscepisti me, ab iniquo adversario meo liberabis me. Convertere ad me, & vivicabis me, de portis mortis reduc me, & de fluctibus tribulationum, quæ circumdederunt me. Propter imperium & magnificentiam dexteræ tuæ, contere & dissipa omnes adversarios meos. Et ego offeram tibi sacrificium laudis, & gloriam tuam devotus exaltabo. Exultate cœli, & jucundare terra, quia consolatur Maria servos suos, & pauperum suorum miserebitur.

XXX.

In te Domina speravi, non confundar in æternum, in gratiam tuam susscipe me, inclina ad me aurem tuam, & in mœrore meo lætifica me. Tu es fortitudo mea, & refugium meum consolatio mea, & protectio mea, ad te clamavi, cùm tribularetur cor meum: & exaudisti me de vertice collium æternorum. In manus tuas Domina commendo Spiritum meum, totam vitam meam, & diem vltimum meum.

XXXI.

Beati, quorum corda te diligunt virgo Maria, peccata ipsorum à te misericorditer dilnentur, Sancta, casta, & florigera viscera tua, quæ florem viriditatis perpetuæ eruperunt. Decor pulchritudinis tuæ corruptionem non videbit, & vultus tui gratia in perpetuum non marcescet. Benedicta tu virga Iesse sublimis, quæ te usque ad sedentem in throno majestatis Dominum dilatasti. O virgo regina ipsa es via, per quam nos salus de supernis sedibus visitavit.

XXXII.

Exultate justi in virgine gloriosa, & in rectitudine cordis collaudate eam. Accedite ad eam cum reverentia & devotione, & delectetur cor vestrum in salutatione illius. Impendite illi sacrificium laudis, & inebriemini ab uberibus dulcoris illius. Influet enim vobis radios suæ pietatis, & clarificabit vos fulgoribus misericordiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſuæ. Suaviſsimus & dulciſsimus eſt fructus illius in ore & corde ſapientis dulceſcit.

XXXIII.

Benedicam Dominam omni tempore, & non deficiet laus ejus in ore meo. Magnificate eam mecum omnes, qui impingvati eſtis melle & lacte recreationis ejus. In periculis, in reb. dubiis, invocate illam, & in neceſsitatibus veſtris invenietis auxilium & refrigerium dulce. Sumite exemplum converſationis illius, & æmulamini ſtudia humilitatis & caritatis illius. Quia ergo Domina humilima fuiſti, increatum verbum ex te carnem aſſumere coëgiſti.

XXXIIII.

Iudica Domina nocentes me, & contra eos exurge, defende & vindica cauſam meam. Anima mea in te lætabitur, & in tuis beneficiis devotus exultabo. Gratia & dulcedine tua pleni ſunt cœli & terra, quocunque enim pergimus, occurrit nobis diffuſio tui uteri virginalis. Ecce undique nos tuis beneficiis irretiſti, ſemper & ubique benignitatis tuæ laqueos extendiſti. Curramus ergo cariſsimi, & tam nobilem & dulciſſuam virginem ſalutemus, ut in ſuæ dulcedinis gremio quieſcamus.

XXXV.

Dixit injuſtus ut peccet in abſcondito, per te à malo propoſito diſcedat ô mater Dei. Inclina vultum filii tui ſuper nos, coge illum precibus, nobis peccatoribus miſereri. Domina in cœlo miſericordia & gratia tua diffuſa eſt ſuper terram. Potentia & virtus in brachio tuo, robur & fortitudo in dextera tua. Benedictum ſit imperium tuum ſuper cœlos, benedicta ſit magnificentia tua ſuper terram.

XXXVI.

Noli æmulari in malignantibus Domina furorem illorum dulcifica per gratiam tuam. Sperate in illam religioſi & clauſtrales. Confidite in illam clerici & ſeculares. Delectemini in laudibus illius, & exaudiet petitiones cordis veſtri. Melius eſt modicum cum gratia illius, quàm theſauri argenti multi, & lapides precioſi. Gloria tibi ſemper ſit ô regina cœlorum, & in nullo tempore noli nos oblivi ſci.

XXXVII.

Domina ne furore ſuo arguat nos Dominus, nobis veniam obtine de peccatis. In conſpectu tuo ſit omne deſiderium noſtrum, ſpes noſtra & confidentia noſtra. Cor meum conturbatum eſt in me, receſsit lux de viſceribus meis. Illumina ſplẽdore tuo caritatem meam, dulcifica dulcore tuo contritionem meam. Ne derelinquas nos Domina mater DEI, gratia tua & virtus ſit à dextris meis.

XXXVIII.

Dixi cuſtodiam vias meas Domina, cùm per te gratia Chriſti mihi fuerit data. Dulcore tuo liquefactum eſt cor meum, amore tuo inflammati ſunt viſcera mea. Exaudi orationem meam Domina, & deprecationem meam, ut contabeſcant adverſarii mei. Miſerere mei de cœlis, & de altitudine throni tui, & ne permittas me in valle miſeriæ conturbari. Cuſtodi pedem meum, ne labatur & corruat, & in fine meo ſit mihi præſens gratia tua.

XXXIX.

Expectans expectavi gratiam tuam Domina & feciſti mihi ſecundum multitudinem miſericordiæ nominis tui. Exaudiſti preces meas & eduxiſti me de lacu miſeriæ, & de fovea inimici. Multa & mirabilia ſunt dona tua Domina, & incomparabilia ſunt tua ſtillicidia gratiarum. Exultent & lætentur ſuper te omnes, qui diligunt te, & qui oderunt nomen tuum, corruent in infernum. Benedicta ſis in æternum Domina in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

XL.

Beata Maria intelligit ſuper egenum & pauperem, in ejus laudibus jugiter permanentem. Domina Angelorum & regina mundi, emunda cor meum, igne amoris, & caritatis tuæ. Tu es mater illuminationis cordis mei, tu es nutrix refovens mentem meam. Te cupit os meum collaudare, te affectat mens mea affectuoſiſsimè venerari. Te deſiderat anima mea exorare, quia tuitioni tuæ ſe commendat tota ſubſtantia mea.

XLI.

Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita ad amorem tuum anhelat anima mea, virgo ſancta. Quia tu es genitrix vitæ meæ, & alitrix reparationis carnis meæ. Quia tu es lactatrix ſalvationis animæ meæ, initium & finis totius ſalutis meæ. Exaudi me Domina, ut mundentur ſordes meæ, illumina me, ut illuſtrentur tenebræ meæ. Accendatur amore tuo tepor meus gratia tua expergiſcatur torpor meus.

XLII.

Iudica me Domina, & diſcerne cauſam meam, de Gente perverſa, à ſerpente maligno, & à Dracone peſtifero libera me. Sancta fœcunditas tua diſperdat eum, beata virginitas tua conterat caput ejus. Sanctæ preces tuę corroborent nos contra eum. Sancta merita tua exinaniant virtutem ejus. Perſecutorem animæ meæ mitte in abyſſum, puteus infernalis deglutiat eum viventem. Ego autem & anima mea in terra captivitatis tuæ, benedicam nomen tuum, & glorificabo te in ſecula ſeculorum.

XLIII.

Domina auribus noſtris audivimus, & patres noſtri annunciaverunt nobis. Quia ineffabilia ſunt merita tua, & valdè ſtupenda ſunt miracula tua. Quoniam innumerabiles ſunt virtutes tuæ, & inæſtimabiles miſericordiæ tuæ. Exulta anima mea & lætare in illa, quia multa bona ſunt laudatoribus ejus præparata. Benedicta ſis regina Angelorum, & benedicantur à Deo laudatores magnificentiæ tuæ.

XLIIII.

Eructavit cor meum, verbum bonum Domina, cum tuo rore melliſluo extitit dulcoratum. Per tuam ſanctitatem peccata mea purgantur. Per tuam integritatem incorruptibilitas mihi condonatur. Per tuam virginitatem anima mea à Chriſto adamatur, & ſibi amoris vinculo ſociatur. Per tuam fœcunditatem ego captivus ſum redemptus, per tuum partum virginem de morte perpetua ſum ereptus. Per tuam prolem dignisſimam perditus ſum reſtitutus, & de exilio miſeriæ in patriam beatitudinis ſum reductus.

Domina

XLV.

Domina refugium noſtrum tu es in omni neceſsitate noſtra, & virtus potentior cõterens inimicum. Beneficiis tuis plenus eſt mundus, ſuperant cœleſtia, penetrant & inferna, per plenitudinem gratiæ tuæ, quæ in inferno erant, ſe lætantur liberata. Obtentum fœcunditatis tuæ virgineæ, quæ ſuprà mundum ſunt, ſe gaudent reſtaurata. Per glorioſum tuæ virginitatis ſanctiſsimæ partum, homines Angelorum fiunt ſocii & concives.

XLVI.

Omnes Gentes plaudite manibus, pſallite in jubilo virgini glorioſæ. Quoniam ipſa eſt porta vitæ, janua ſalutis & via noſtra reconciliationis, ſpes pœnitentium, ſolamen lugentium, pax beata cordium atque ſalus. Miſerere mei Domina, miſerere mei, quoniam tu es ſpes & lux omnium confitentium in te. Per tuam ſalutarem fœcunditatem placeat, ut peccatorum venia mihi concedatur.

XLVII.

Magna es Domina & laudabilis valdè in civitate Dei cœli, in univerſa Eccleſia electorũ ejus. Aſcediſti alternantib. Hymnidicis Angelorum choris, Archangelis conſtipata, liliis & roſis coronata. Occurrite illi poteſtates, & principatus, obviate ei virtutes & dominationes. Cherubin throni & Seraphin exaltate eam, & conſtituite eam à dextris ſponſi amantiſsimi & filii ejus. O quàm læto animo, quàm ſereno aſpectu ſuſcepiſti eam Angelorum & hominum Deus, & dediſti ei principatum ſuper omnem locum damnationis tuæ.

XLVIII.

Audite hæc omnes Gentes auribus percipite, qui ingredi cupitis in regnum Dei. Virginem Mariam honorate & invenietis vitam & ſalutem per petuam. Pauperes ſervos tuos Domina, felici cõfideratione conjunge Domino. Eſuriem parvulorum tuorum fructu ventris tui refice & ſuſtenta. Remanſiſti enim incorrupta poſt partum, & inviolata poſt filium.

XLIX.

Deus Deorum Mariæ locutus eſt per Gabrielem nuncium ſuum, dicens: Ave gratia plena, Dominus tecum, per te ſalus mundo reperiatur. Speciem & decorem tuum, altiſsimi filius concupiſcit. Adorna thalamum tuum Syon, præpara te in occurſum Dei tui. Per ſpiritum enim ſanctum concipies, qui tuum partum faciet virgineum & jucundum.

L.

Miſerere mei Domina, quæ mater miſericordiæ nuncuparis & ſecundum viſcera miſericordiarum tuarum, mũda me ab omnibus iniquitatibus meis. Effunde gratiam tuam ſuper me, & ſolitam clementiam tuam ne ſubtrahas à me. Quoniam peccata mea confitebor tibi, & coram te me accuſo de ſceleribus meis. Fructui ventris tui me reconcilia, & pacifica me ei, qui me ereavit.

LI.

Quid gloriaris in malitia. O maligne ſerpens & Draco infernalis? Submitte caput tuum mulieri, cujus fortitudine demergeris in profundum. Contere eum Domina pede virtutis tuæ, exurge & diſsipa malitiam ejus. Extingue potentiam illius, & virtutem ejus redige in favillã, ut viventes exultemus in nomine tuo, lætoanimo dicamus tibi laudem.

LII.

Dixit inſipiens inimicus in corde ſuo, hominem dejiciam tabernaculis filiorum Dei. Egrediar & ero Spiritus mendax in ore ſerpentis, & per fœminam dejiciam virum ejus. Sicut exaltãtur ô miſer cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt cogitationes Dei à cogitationibus tuis. Noli extolli de caſu mulieris, quia mulier conteret caput tuum. Tu illi foveam præparaſti, & in ſagena illius capieris.

LIII.

Domina in nomine tuo ſalvum me fac, & ab injuſtitiis meis libera me, ut non noceat mihi calliditas inimici, ſub umbra alarum tuarum protege me. O Domina adjuva me, gratiam tuam largire animæ meæ. Voluntariè offeram tibi ſacrificium laudis, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum eſt. Quoniam ex omni tribulatione liberabis me, & inimicos meos deſpiciet oculus meus.

LIIII.

Exaudi Domina orationem meam, & ne contemnas deprecationem meam, contriſtatus ſum in cogitatione mea, quia judicia Dei perterruerunt me. Tenebræ mortis venerunt ſuper me, & pavor inferni invaſit me. Ego autem in ſolitudine expecto conſolationem tuam, & in cubili meo attendo miſericordiam tuam. Glorifica manum & brachium dextrum tuum, ut proſternantur à nobis inimici noſtri.

LV.

Miſerere mei Domina, quoniã conculcaverũt me inimici mei quotidie. Omnes cogitationes eorum in malum contra me. Excita furorem, & memento belli, & ſuper eos effunde iram tuam. Innova ſigna, immuta mirabilia, ſentiamus adjutorium brachii tui. Glorifica nomen tuum ſuper nos, ut cognoſcamus, quoniam in ſeculũ miſericordia. Stilla nobis guttam ſuavitatis tuæ, quia tu es pincerna gratiæ & dulcoris.

LVI.

Miſerere mei Domina, miſerere mei, quia paratum eſt cor meum exquirere voluntatem tuam. Et in umbra alarum tuarum requieſcam, quia delectabile eſt mihi refrigerium tuum. Manus tuæ diſtillant myrrham primam, & digiti tui unguenta gratiarum. Et fragmen mali punici eſt guttur tuum, & ſpiramine oris tui ſuave compoſitum thymiama. Tu enim es mater pulchræ dilectionis, & ancora ſpei, portus indulgentiæ, & janua ſalutis.

LVII.

Si verè utiq; juſtitiam loquimini, juſtitiæ & miſericordiæ honorate Reginam. Ad laudem enim & gloriam pertinet Salvatoris, quicquid honorificum impenſum fuerit ſuæ genitrici. Roſæ martyrum te circundant ô Regina, & lilia virginum ambiunt thronum tuum. Laudate eam ſimul caſtra matutina, concentum illi facite omnes filii Dei. Glorificate eam cœli & terra, mare & flumina, ac fundamenta orbis.

Eripe

Universidad de Deusto
Biblioteca

LVIII.

Eripe me ab inimicis meis, Domina mundi, exurge in occursum meum Regina pietatis, Aurum obrizum in ornamentis tuis, Sardius & Thopasius in Diademate tuo. Iaspis & Ametistus in dextra tua. Carbunculi scintillantes in monilibus tuis. Myrrha, Thus & Balsamus in manibus tuis, Saphirus & Smaragdus in digitis tuis.

LIX.

Deus repulisti nos propter peccata nostra, & misertus es nobis propter virginem Mariam. Intercede pro nobis salutifera mater Dei, quæ Angelorum & hominũ salutem peperisti. Tu enim mœstis exultationem infundis, & mœrentibus lætitiam & dulcorem. Lætifica nos dulcifluo sono oris tui, & liquore tuo roseo perfunde corda nostra. Tonate cœli desuper, & date illi laudem, glorifica illam terra cum omnibus habitatoribus tuis.

LX.

Exaudi Domina deprecationem meam, & super firmam petram stabilies mentẽ meam. Esto mihi Domina turris fortitudinis, me tuearis à facie crudelis vastatoris, ut castrorum acies sis illi terribilis, & vivus corruat in profundum inferni. Tu enim es rutilans & decora, rubens ut consurgens aurora. Pulchra es & clara, ut luna plenissima, & tanquam sol, refulget sacer aspectus tuus.

LXI.

Nonne Domina tibi subjecta erit anima mea, quæ Salvatorem omnium genuisti? Memento nostri perditorum salvatrix, exaudi planctus cordis nostri. Infunde gratiam de thesauris tuis, & unguentis placa dolorem nostrum. Da nobis gaudium & lætitiam bonam, ut confundas bonorum inimicos. Ablue omnia peccata nostra, sana omnes infirmitates nostras.

LXII.

Deus Deus meus, pro matre tua te glorifico. Virginaliter enim te concepit, & sine angustia te parturivit, Benedicta sis ô Domina nostra, & pro nobis assiste ante thronum Dei. Species & claritas in aspectu tuo. Custodi animam meam Domina, ut non corruat in peccato.

LXIII.

Exaudi Domina orationem cum deprecor, à pavore crudelis libera mentem meam. Impetra nobis pacem & salutem, in die novissimo. Benedicta sis super mulieres, & benedictus sit fructus ventris tui. Illumina Domina oculos meos, & illustra cœcitatem meam. Da mihi in te confidentiam bonam, in vita & in fine meo.

LXIIII.

Te decet Hymnus Domina nostra in Syon, laus & jubilatio in Ierusalem. Benedictionem omnium Gentium dedit tibi Dominus, laudem & gloriam ante conspectum omnium populorum. Benedixit te Dominus in misericordia tua, & thronum tuum constituit super omnes ordines Angelorum. Gratiam & decorem posuit in labiis tuis, & palliæ gloriæ induit corpus tuum. Coronam radientem posuit in capite tuo, & virtutum monilibus te decenter ornavit.

LXV.

Iubilate Dominæ nostræ omnis terra, psallite Hymnum, date honorificentiam majestati illius. Benedictum sit cor tuum Domina, cum quo ardenter & synceriter Dei filium dilexisti. Respice paupertatem virgo gloriosa, miseriam & angustiam meam, ne tardes removere. Aufer tribulationem meã, dulcifica languorem meum. Benedicat te omnis caro, glorificet te omnis lingua.

LXVI.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis q illã quæ eum genuit. Miserere nostri Domina, & ora pro nobis, in lætitiam bonam converte mœstitiam nostrã. Illumina me stella maris, clarifica me virgo clarissima. Extingue ardorem cordis mei, refrigera me gratia tua. Protegat me semper dextera tua, præsentia tua illustret finem meum.

LXVII.

Exurgat Maria & dissipentur inimici ejus, & conterantur omnes sub pedibus ejus. Impetum inimicorum nostrorum dissipa, destrue omnem iniquitatem eorum. Ad te Domina clamavi in tribulatione, & serenasti conscientiam meam. Non deficiat laus tua in ore nostro, & amor tuus de visceribus nostris. Pax multa diligentibus te, Domina, anima eorum non videbit mortem in æternum.

LXVIII.

Salvum me fac Domina, quoniam intraverunt concupiscentiarum aquæ usq; ad animam meam. Infixus sum in limo peccati, & aquæ voluptatis circumdederunt me. Plorans ploravi in nocte, & dies letitiæ ortus est mihi. Salva animam meam genitrix Salvatoris, quia per te vera Salus data est omni mundo, cum nunciante Angelo fuisti obumbrata, & patris sapientia prægnans & gravidata.

LXIX.

Domina in adjutorium meum intende, & luce misericordiæ tuæ illustra mentem meam. Doce nos exquirere bonitatem tuam, ut enarremus mirabilia tua. Ostende potentiam tuam contra inimicos nostros, ut sanctificeris in nationibus procul. In ira flammæ tuæ mergantur in infernum, & qui conturbant servos tuos, inveniant perditionem. Miserere servorum tuorum, super quos invocatum est nomen tuum, & ne finas angustiari eos in tentationibus suis.

LXX.

In te Domina speravi, non confundar in æternum, & in tua misericordia libera me & eripe me. Propter multitudinem iniquitatũ mearum oppressus sum vehemẽter. Facti sunt hostes mei in capite, subsannaverunt & deriserunt me quotidiè. Vide Domina mea, quoniam tribulor, expande manus tuas, succurre pereunti. Ne moreris propter gratiam nominis tui, ut efficiaris mihi in gaudium & in salutem.

LXXI.

Deus judicium tuum Regi da, & misericordiam tuam Reginæ matri ejus. In manu tua Domina, salus & vita cõsistũt, lętitia perpetua & æternitas gloriosa. Respergẽ cor tuũ dulcedine tua, fac me oblivisci miserias hujus vitæ. Trahe me post te vinculis misericordiæ tuæ, & fomentis misericordiæ & pietatis tuæ sana dolorem meum. Concupiscencias æternas excita in anima mea, & de gaudio Paradysi inebria mentem meam.

Quam

LXXII.

Quam bonus Israël Deus his, qui matrem suam colunt & venerantur? Ipsa enim est solatium vitæ nostræ, in laboribus subventio nostra optima. Obtexit caligine hostis animam, in visceribus meis Domina lumen fac oriri, Avertatur à me ira Dei per te, placa eum meritis & precibus tuis. In judicio pro me assiste coram ipso, suscipe causam meam, mea sis advocata.

LXXIII.

Vt quid Domina repulisti nos, nec subvenis in die tribulationis? Ingrediatur oratio nostra in conspectu tuo, & voces gementium ne despexeris. Tetendit arcum suum contra nos inimicus, firmavit dextram suam & non est cõsolator. Disrumpe in nobis ligaturam malitiarum suarum, & libera nos dextera tua. Repelle eum in locum perditionis ejus, sempiterna damnatio suscipiat eum.

LXXIIII.

Confitebimur te Domina, & laudabimus nomen tuum, fac nos in tuis laudibus delectari. Cantate ei habitatores terræ, & laudem ei in populis nunciate. Confessio & magnificentia coram illa, fortitudo & exaltatio in throno illius. Adorate illam in decore ejus, glorificate opificẽ pulchritudinis illius. Recordamini in sempiternum misericordiæ illius, retinete in mente virtutes & mirabilia illius.

LXXV.

Notus in Iudæa Deus, in Israel honorificentia matris illius, Dulcis est memoria ejus super mel & favum, & amor ejus super omnia aromata. Salus & vita in domo illius, & in tabernaculo illius pax & gloria sempiterna. Honorificate illam cœli & terra, quia summus artifex hanc mirabiliter honoravit. Date illi omnes creaturæ laudem, & stupendam misericordiam ejus extollite gratulanter.

LXXVI.

Voce mea ad Dominum clamavi, & sua gratia intendit mihi. Abstulit à corde meo mœstitiam & mœrorem, & suavitate sua cor meum dulcoravit. Fortitudinem meam erexit in confidentiam bonam, & suo aspectu mellifluo mentem meam serenavit. Adjutorio sancto suo evasi periculam mortis, & de manu crudelis subterfugi. Gratias Deo, & tibi mater pia, de omnibus quæ assecutus sum, pietate & misericordia tua.

LXXVII.

Attendite populi Dei præcepta Dei, & Reginæ gratiæ nolite oblivisci. Aperite cor ad investigandum eam, & labia ad glorificandum illam. Descendet amor ejus in cordibus vestris, & concupiscite placere illi. Pulchritudo illius vincit Solem & Lunam, compositio decoris ejus ad ornamenta virtutum. Miserere mei Regina gloriæ & honoris, & ab omni periculo custodi mentem meam.

LXXVIII.

Domina venerunt Gentes in hæreditatẽ Dei, quas tu meritis tuis Christo confœderasti. Sit eloquium tuum dulce coram ipso & conjunge me illi, qui me redemit. Extende brachium tuum contra hostem crudelem, & denuda mihi versutiam illius. Vox tua dulcis super omnem melodiam, harmonia Angelica ei non valet comparari. Distilla mihi suavitatem gratiarum tuarum, & tuorum charismatum fragrantiam & odorẽ.

LXXIX.

Qui Regis Israel intende ad me, fac me dignè matrem tuam collaudare. Expergiscere de pulvere anima mea, perge in occursum Reginæ cœli. Solve vincula colli tui paupercula anima mea, & gloriosis laudibus accipe illam. Odor vitæ de illa progreditur, & omnis salus de corde illius scaturisat. Charismatum suorum fragrãtia suavi animæ mortuæ suscitantur.

LXXX.

Exultate Dominæ adjutrici nostræ, jubilate illi in lætitia cordis vestri. Accendantur affectus vestri in illam, & inimicos nostros induet confusione. Imitemur humilitatem illius. Omnes gratiæ Dei radiantur in ea, capacissima enim fuit bonitas illius. Currite ad illam cum devotione sancta, & de bonis suis participabit vobis.

LXXXI.

Deus stetit in synagoga Iudæorum, de qua ut rosa de sentibus progressa est mater ejus. Terge fœditatem meam Domina, quæ semper rutilas puritate. Fons vitæ influe in os meum, ex quo viventes aquæ profluũt & emanant. Omnes sitientes venite ad illam, & de fonte suo gratanter vos potabit. Qui hauriet ex ea, saliet in vitam æternam, & qui bibet ex ea, non sitiet unquam.

LXXXII.

Domina mea quis similis erit tibi, quæ gratia & gloria superemines universa? Sicut exaltantur cœli à terra, sic tu præcelsior cunctis rutilas exaltata, vulnera cor meum charitate tua, fac me dignum gratia & muneribus tuis. Liqueat anima mea amore tuo, & concupiscentia tua cor meum inflammetur. Fac me desiderare honorificentiam tuam & gloriam, ut per te recipiar ad pacem Iesu Christi.

LXXXIII.

Quam dilecta tabernacula tua Domina virtutum, quam amabilia tentoria requietionis tuæ? Honorate illam peccatores, & impetrabit vobis salutem & pacem. Super thus & balsamum incensum orationis ejus, preces ejus non revertuntur vacuæ nec inanes. Intercede pro me Domina apud Christum tuum, nec derelinquas me in vita nec in morte. Benignus est enim spiritus tuus, & gratia tua replet orbem terrarum.

LXXXIIII.

Benedixisti Domina domum tuam consecrasti habitationem tuam. Hæc est speciosa inter filias Hierusalem, cujus memoria est in benedictione. Beatissimam prædicate illam Angeli sancti, glorificate illam virtutes & dominationes. Populi Gentium exquirite prudentiam ejus. Sentite de illa in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illam.

LXXXV.

Inclina Domina aurem tuam, & exaudi me, converte vultum tuum & miserere mei. Distillatio dulcoris oblectat animas Sanctorum, & infusio charitatis tuæ super mel dulcissimũ. Irradiatio gratiæ tuæ dilucidat intellectum, & lux miserationum perducit ad salutem. Fons bonitatis

tuæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuæ inebriat sitientes, & aspectus facieituæ retrahit à peccato. Scire & cognoscere te, est radix immortalitatis & enarrare virtutes tuas, est via salutaris.

LXXXVI.

Fundamenta vitæ in anima justi, perseverare in charitate tua usque in finem. Gratia tua relevat pauperem in adversitate & invocatio tui nominis immittit ei confidentiam bonam. Miserationũ tuarum Domina repletur Paradysus, & à terrore tuo confunditur hostis infernalis. Qui sperat in te, inveniet thesauros pacis, & qui te non invocat in hac vita, non perveniet ad regnum Dei. Fac Domina ut vivamus in gratia Spiritus sancti, & perduc animos nostros ad beatum finem.

LXXXVII.

Domina auxiliatrix salutis meæ, in die clamavi & nocte coram te. Ingrediatur oratio mea in conspectu tuo, consolare cum facie tua mœstitiam meam. Multiplicata sunt mala in anima mea, expurga eam à sordibus & peccatis. Virtus tua persequatur inimicos nostros, ne nos impediant ad salutem. Confer gratiam animæ ad resistendum eis, conforta cor nostrum contra concupiscentias carnis.

LXXXVIII.

Misericordias tuas Domina, in sempiternum decantabo, Vnguento pietatis tuæ medere contritis corde, & oleo misericordiæ tuæ refove dolores nostros. Gratiosus vultus tuus mihi appareat in extremis, formositas faciei tuæ lætificet egredientem spiritum meum. Excita spiritum meum ad amandum bonitatem tuam, excita mentem ad extollendum nobilitatem & preciositatem tuam. Libera me ab omni tribulatione mala, & ab omni peccato custodi animam meam.

LXXXIX.

Domina refugium facta es nobis in cunctis necessitatibus nostris. Diffusio gratiæ tuæ producit operationes sanctas, & stillicidium dulcoris tui affectiones facit castissimas. Miserationũ tuarum Domina recordabor, sacrificium laudis & carnem lætitiæ psallam tibi. Qui honorant te, coronam perennem pro cinere obtinebunt, & pallium laudis pro spiritu mœroris. Qui sperant in te amictu luminis induentur, gaudium & perpetuam lætitiam sortientur.

XC.

Qui habitat in adjutorio matris Dei, in protectione ipsius commorabitur. Concursus hostis non nocebit ei, sagitta volans non tanget eũ. Quoniam ipsa liberabit eum de laqueo insidiantis, & sub pennis proteget eum. Clamate ad illam in periculis vestris, & flagellum non appropinquabit tabernaculo vestro. Fructus gratiæ inveniet qui speraverit in illam, porta Paradysi reserabitur ei.

CXI.

Bonum est confiteri virgini Mariæ, & psallere illi gloriam prosperitatis & mentis. Annunciare merita ejus lætificat intellectum & imitari opera ejus, exhilarat Angelos Dei. Qui acquirit gratiam ejus, cognoscetur à civibus Paradysi, & qui habuerit characterem nominis ejus annotabitur in libro vitæ. Exurge Domina & judica causam nostram, & ab insurgentibus in nos, libera nos. Ne retrahas à protectione dexterã tuam, & excipe gladio tuo jacula vastationis,

XCII.

Dominus regnavit, decorem induit, matrẽq; suam ornamento virtutum coronavit. Adimpleat propiciationem suam in nobis mater pacis, & viam æquitatis doceat servos suos. Qui desideratis sapientiam Christi, servite matri ejus animo reverẽti. Quis sufficiat enarrare opera tua Domina, aut quis investigabit thesauros misericordiæ tuæ? Sustine deficientes in tentationibus suis, destina illos in sortem veritatis.

XCIII.

Deus ultionum Dominus, sed tu mater misericordiæ, ad miserandum inflectis eum. Magnificentia tua Domina, prædicatur in seculum, qui autem colunt te, invenient viam vitæ. Servire illi reverentialiter exultantes, & sanabit vos benedictus fructus castissimi ventris illius. Respice Domina humilitatem servorum tuorum, & laudabunt te in generationibus seculorum. Magnifica nomen tuum, in multiplicatione gratiarum tuarum, & ne finas servos tuos subjacere periculis.

XCIIII.

Venite exultemus Dominæ nostræ, jubilemus virgini salvatrici nostræ. Præoccupemus faciem in jubilatione, & in Canticis collaudemus eam. Venite adoremus & procidamus ante eam, confiteamur illi cum fletibus peccata nostra. Impetra nobis Domina indulgentiam plenam, assiste pro nobis ante tribunal Dei. Suscipe in fine nostro animas nostras, & introduc nos in requiem tuam æternam.

XCV.

Cantate, plenæ gratiæ canticum novum, cantate Mariæ omnes terrigenæ orbis. Quoniã omnes Angelos sanctitate præcellit, & natos mulierum virtutibus mirabilibus & signis. Formositas & gloria in vultu illius sapientia & gratiæ in oculis illius. Afferte illi gloriam patrię Gentium, exultate in ea omnes creaturæ Dei. Admirabile commercium habetis per eam, ex quo vocati filii Dei excelsi.

XCVI.

Dominus regnavit, exultet Maria, in omni imperio dominationis illius. Adorate eam cives curiæ Paradysi, exaltate eam virgines speciosæ filiæ ejs. Quoniam elevata est super principatus & dominationes, exaltata est super Angelorum & Archangelorum legiones. Patriarchæ & Propheræ concrepate illi laudem, concentum illi facite Apostoli & martyres Christi. Confessores cũ virginibus de canticis Syon, dicite canticum ei, & regratiamini ei Monachi sancti, de acceptis triumphis.

XCVII.

Cantate Dominæ nostræ canticum novum, quia mirabilia fecit, in conspectu Gentium, revelavit misericordiam suam, in extremis terræ auditum est nomen ejus. Recordare Domina pauperum & miserorum, & sustenta eos ope refrigerii sancti tui. Tu autem Domina, suavis & verax es, patiens nimis & miseratione plena. Conculca hostes

hostes animarum nostrarum, & contumaciam eorum elide brachio sancto tuo.

XCVIII.

Dominus regnavit, irascantur populi, Maria super Cherubin sedet à dextris ejus. Magna est in Syon gloria tua Domina, & in Hierusalem magnificẽtia tua. Cantate ante eam chori virginales, & adorate thronum ejus, quoniam sanctus est, in dextera ejus ignea lex, & in circuitu ejus Sanctorum millia. Cantate ei ante oculos ejus, & justitiæ regulam in corde illius.

XCIX.

Iubilate Dominæ nostræ omnes homines terræ, servite illi in lætitia, & jucunditate. In toto animo vestro accedite ad illam, & in omni virtute vestra conservate vias ejus. Investigate illam & manifestabitur vobis, estote mundi corde, & apprehendetis eam. Quibus auxiliata fueris Domina, erit refrigerium pacis, & quibus averteris vultum tuum, non erit spes ad salutem. Recordare nostri Domina, & non apprehendent nos mala, succurre nobis in fine, & inveniemus vitam æternam.

C.

Misericordiam & judicium cantabo tibi Domina, psallam tibi in exultatione cordis cum lætificaveris animam meam. Laudabo nomẽ tuum & gloriam tuam, & præstabis refrigerium animæ meæ. Zelatus sum amorem & honorem tuũ, ideo defendes causam meam ante judicem seculorum. Allectus sum gratia & bonitate tua, oro ne frauder à spe & confidentia bona. Conforta animam meã in novissimis meis, & in carne ista me fac conspicere Salvatorem meum.

CI.

Domina exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Non avertas sacrum aspectum tuum à me, neque abomineris me propter immunditiam meam. Ne derelinquas me in comitatu, & in concilio inimicorum meorum, & ne finas me cadere in exprobrationem eorum pessimam. Qui confidunt in te, non timebunt colubrum tortuosum, & qui exaltent te præconiis, evadent manus acherontis. Per virginalem conceptum tuum, da mihi in te confidentiam bonam, & per admirabilem partum tuum, lætifica animam meam.

CII.

Benedic anima mea matri Jesu Christi, & omnia præcordia mea glorificate nomẽ ejus. Ne obliviscaris beneficia ejus, neq; gratias ejus, & consolationes illius. Gratia ejus peccata relaxantur, & misericordia illius ægritudines reparãtur. Benedicite ei omnes virtutes cœlorum, glorificate eam chori Apostolorum & Prophetarum. Benedicite ei mare & Insulæ Gentium, Hymnum dicite ei cœli & habitationes eorum.

CIII.

Benedic anima mea virgini Mariæ, honor enim & magnificentia ejus in perpetuum. Formositatem & pulchritudinem induisti, amicta es Domina fulgenti vestimento. De te procedit peccatorum medela, ac pacis disciplina, ac fervor caritatis. Imple nos servos tuos virtutibus sanctis, & ira Dei non appropinquet nobis. Iucunditatẽ æternam da servitoribus tuis, & noli eos oblivisci in certamine mortis.

CIIII.

Confitemini Dominæ nostræ, & invocate nomen ejus, cantate ei gloriosè enarrantes virtutes ejus. Laudate & exaltate virgines filiæ Syon, quia desponsabit vobis Regem Angelorum. Honorate Reginam plenam omni gratia, & contemplamini cum reverentia sanctissimum vultum suum. Salus sempiterna in manu tua est Domina, qui te dignè honoraverint, suscipient illam. Clementia tua non deficiet à sæculis æternis, & misericordia tua à generatione in generationem.

CV.

Confitemini Dominæ nostræ, quoniam bona est, per cunctas tribus terræ enarrate misericordias ejus. Longè est impiis conversatio ejus, à mandatis altissimi non declinavit pes ejus. Fons irriguus gratiæ, procedit de corde illius, & emanatio virginalis, castificans animas sanctas. Spes de gloria Paradisi in corde illius, qui devoto animo honoraverit illam. Miserere nostri fulgentissima Regina cœli, & præsta consolationem de gratia tua.

CVI.

Confitemini Domino, quoniam bonus, confitemini matri ejus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Innocentiam & viam prudentiæ, ostende nobis Domina, & viam intelligentiæ indica servis tuis. Timor Dei illustrat intellectũ, & amor tuus exhilarat eum. Beatus vir cujus obsequium est gratum tibi, ossa illius impinguabuntur adipe & pinguedine gratiarum. Eloquiũ tuum sustentat animam imbecillem, & labia tua esurientem animam refocillant.

CVII.

Paratum cor meum Domina, paratum cor meum laudes tuas psallere & decantare. Melior est caritas tua cunctis divitiis, & gratia tua super aurum & lapidem preciosum. Beatitudo & justitia donantur à Domino, qui autem de peccato conversi fuerint ad te, pœnitentiæ remediũ consequentur. Emissiones tuæ gratia & pax, qui autem tibi placuerint, procul fient à perditione. Esto umbraculum protectionis in tentationibus nostris, expansio alarum tuarum defendet nos à devorante.

CVIII.

Domina laudem meam ne despexeris, & hoc dedicatum tibi Psalterium digneris acceptare. Respice voluntatem cordis mei, & affectionem meam fac tibi beneplacentem. Propera ad visitandum servos tuos, sub tegumento manus tuæ illæsi conserventur. Illuminationem Spiritus sancti per te suscipiant, & refrigerium contra cupiditatis æstum. Medere contritis corde Domina, & refove eos unguento pietatis.

CIX.

Dixit Dominus Dominę meæ, sede mater mea à dextris meis, Bonitas & Sanctitas placuerunt tibi, ideo regnabis mecum. Corona immortalitatis, in capite sancto tuo, cujus fulgor & caritas non extinguetur. Miserere mei Domina mater luminis & splendoris, illumina nos Domina veritatis & virtutis. De thesauris infunde nobis sa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pientiam Dei, & intellectum prudentiæ ac formam disciplinæ.

CX.

Confitebor tibi Domina in toto animo meo, glorificabo te in tota mente mea. Opera gratiæ tuæ commemorabuntur, & testamentum misericordiæ tuæ ante thronum Dei. Per te missa est redemptio à Domino, populus pœnitens habebit spem salutis. Intellectus bonus omnibus honorantibus te, & fors illorum inter Angelos pacis. Gloriosum & admirabile est nomen tuum, qui illud in corde retinent, non expavescent in puncto mortis.

CXI.

Beatus vir, qui timet Dominam, & beatũ cor, quod diliget eam, jucundus homo, qui non satiatur laude tua, & à relatu virtutum tuarum nõ fatigatur. Exortum est in corde ejus lumen Dei, Spiritus illuminat intelligentiam ejus. Dispergе Domina gratiam pauperibus tuis. In memoria æterna fiant per te nomina nostra, ab auditu terribili non trepidet cor nostrum.

CXII.

Laudate pueri matrem Dei, glorificate senes nomen ejus. Benedicta sit Maria mater Christi, ipsa enim est via ad patriam salutis. Excelsus super Cherubin thronus ejus, & sedes ejus super cardines cœli. Super humiles vultus ejus, & super confidentes in ea aspectus illius. Misericordia ejus super omnem carnem, & eleemosyna illius usq; ad extremum terræ.

CXIII.

In exitu animæ meæ, de hoc mundo, occurre illi, & suscipe illam, cõsolare illam vultu tuo sancto, aspectus Dæmonis non conturbet eam. Esto illi scala ad regnum cœlorum, & iter rectum ad Paradisum. Impetra ei à patre indulgentiam pacis, & sedem lucis inter servulos tuos. Sustine devotos ante tribunal Christi, suscipe causam eorum in manibus tuis.

CXIIII.

Dilexi matrem Dei Domini mei, & lux miserationum ejus infulsit mihi. Circumdederunt me dolores mortis, & visitatio illius lætificavit me, Dolorem & periculum incurri, & recreatus sum gratia illius. Nomen ejus & memoriale illius sit in medio cordis nostri, & non nocebit nobis ictus malignantis. Convertere anima mea in laudem ipsius, & invenies refrigerium in novissimis tuis.

CXV.

Credidi propter quod locutus sum, laudem & gloriam tuam Domina orbi terræ. Compatere animæ meæ, & dilige illam, & beneplacitum tuum in finuare ei. Statue illi testamentum dilectionis & pacis tuæ, & præbe illi jugem memoriam nominis tui. De benedictione ventris tui da mihi sustentationem, & de pinguedine gratiæ tuæ dulcora animam meam. Disrumpe vincula peccatorum meorum, & de virtutibus tuis exorna faciem animæ meæ.

CXVI.

Laudate Dominam nostram omnes Gentes, glorificate eam omnes populi. Quoniam confirmata est super nos gratia & misericordia ejus, & virtus illius permanet in seculum. Qui dignè coluerit illam justificabitur, qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis suis. Labia Angelorum enarrabunt sapientiam ejus, & omnes cives Paradisi cantabunt ei laudem. Bono animo accedentes ad illam, non capientur ab Angelo devastante.

CXVII.

Confitemini Domino quoniam bonus, confitemini ejus matri, quoniam in seculum misericordia ejus. Amor illius expellit peccatum à corde, & gratia illius expiat conscientiam peccatorum. Via veniendi ad Christum, est appropinquare ad illam, qui autem fugerit eam, non inveniet viam pacis. Qui obduratus est in peccatis sæpè invocet illam, & lux in suis tenebris orietur. Qui tristatur in corde suo, clamet ad illam, & dulcoranti stillicidio inebriabitur.

CXVIII.

Beati immaculati in via, qui matrem Domini imitantur. Beati imitatores humilitatis illius. Beati participes caritatis. Beati perscrutatores virtutum illius, beati conformes imagini cordis illius. Beati qui conceptum & partum illius venerantur. Beati qui devotè ei famulantur. Beati qui in ea habent spem & confidentiam. Beati qui per illam suscipiunt felicitatem æternam.

Retribue servo tuo Domina, vivifica me, & faciam voluntatem tuam. Incola ego sum in terra, nihil abscondas mihi de amore tuo. Concupivit anima mea laudes tuas desiderare omni tempore. Tu enim salus mea in Domino, quæ me morti adjudicatum liberasti. Quid pro his retribuam tibi, nisi me totum, Domina suscipe me.

Legem pone mihi Domina voluntatis tuæ sanctarum sanctissima, & exquiram eam semper. Deduc me in semitam miserationum tuarũ mulierum pulcherrima, quia ipsam volui. Inclina animam meam ad supernorum amorem Domina, & non in impudicitiam. Ecce concupivi castimoniam tuam Domina à juventute mea in misericordia tua confirma me. Et observabo viam testimoniorum tuorum in seculum, & scrutabor mandata filii tui, quæ dilexi.

Memor esto verbi tui dominarum primiceria, in quo mihi spem dedisti. Hæc in tempestatum fluctibus potenter tenuit me, quia eloquiũ tuum vivificavit me. Circumdederunt me viri mendaces, & congregata sunt super me flagella, & ecce manus tua eripuit me. Communicavi in bonis omnibus hortantibus te, & custodientibus obnixè mandata tua. Miserationibus tuis plena est omnis terra, ideo viam justificationum tuarum exquisivi.

Bonitatem fecisti cum servo tuo Domina, de quo lætantur Angeli Dei. Disciplinam morum tuorum, & æquitatem tuam doce me, quia verbis tuis præ cunctis credidi. Bonum mihi, quia onere tuo humiliasti me, ut sequar conversationem tuam. Qui amant servientes tibi venerabuntur, qui autem abominatus fuerit eos, ruet in interitum. Veniant mihi semper guttæ clementiæ tuæ desuper, & vivam, quia lex tua sancta meditatio mea est.

Defecit in semitis tuis anima mea Domina, & nisi miseratio tua magna esset, periissem utique in infirmitatibus meis. Defecerunt oculi mei in contemplatione tua velut uter in pruina ad te visa est anima mea. Secundum bonitatem tuam vivificasti me, & non obliviscar sermones tuos, quia tibi adhærere bonum est. Dispositione tua mundus perseverat, quem tu cum Deo fundasti ab initio. Tuus totus ego sum, Domina salvum me fac, quoniam desiderabiles erant laudes tuæ in tempore peregrinationis meæ.

Quomodo dilexi legem tuam Domina, quia testimonia tua in conspectu meo semper. Svavitatum tuarum affluentia cor meum alienavit à me, & caro mea mirabiliter exultavit in te. Quã dulcia peccatoribus eloquia tua Domina, super omnem melodiam refectio tua dulcis ori meo. Illuminatio gressibus meis verbum tuum, & lumen infallibile semitis meis. Quoties exasperaverunt in me peccatores inferni, quia à caritate tua declinare nolui, ego autem in te speravi Domina.

Iniquos odio habui, & viam tuam dilexi Domina. Adjuva me, & salvus ero Domina mundi, meditabor honorificentiam mandatorum tuorum. Fac me semper stare in timore tuo, & non tradas me virgo calumniantibus me. Vernaculus tuus sum ego minimus in domo tua. Custodi me Domina à negligentibus judicia justitiæ tuæ. Contemnis omnes discedentes à servitio tuo, quia injusta est conversatio eorum.

Mirabilia testimonia tua mater alma, & sermonibus tuis illuminatum est cor meum. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, filiæ regum collaudent faciem tuam. Ardens verbum labiorum tuorum vehementer, qui ad te properat percipiet illud, vt Arundo agitatus sum in conspectu tuo, tene me Domina sub jugo tuo, ut non confundar. Servientes tibi plus aliis invadunt Dracones inferni, sed tu Domina defende nos.

Clamavi in toto corde meo, ad te Domina, de necessitat. bus meis clementer eripe me. Vocem gemitus mei exaudi Domina mea, doce me quid acceptum sit apud te omni tempore. Longè à nescientibus te salus, qui autem perstat in obsequio tuo procul fiet à perditione. Misericordia tua irrigat mundum universum, Domina in salutari tuo vivifica me. Initium eloquiorum tuorum veritatis in æternum, & legem tuam immaculatam non sum oblitus.

Principes persecuti sunt me gratis, & ab invocatione nominis tui trepidavit Spiritus malignus. Pax multa observantibus amorem tuum mater Dei, & non est illis scandalum. Septenis horis cantavi tibi Domina laudes. Iuxta eloquium tuum da mihi intellectum. Intret oratio mea in conspectu tuo, ut non derelinquam te Domina cunctis diebus vitæ meæ, quoniam omnes viæ tuę misericordia & veritas. Concupiscam in æternum te laudare Domina, cùm docueris me justificationes tuas.

CXIX.

Ad beatam Mariam cùm tribularer clamavi, & exaudivit me. Domina libera nos ab omni malo cunctis diebus vitæ nostræ. Contere capita inimicorum nostrorum pede insuperabilis virtutis tuæ. Et exultavit Spiritus tuus in Domino salutari tuo, sic veram digneris infundere lætitiam cordi nostro. Ad dominum accede rogatura pro nobis, vt per te nostra peccata deleantur.

CXX.

Levavi oculos meos ad te, mater Christi, per quam venit solatium omni carni. Auxilium tuũ, & gratiam tuam nobis impende in omni tribulatione nostra. Custodi nos Domina jugiter virgo Maria, ne peccatorum laqueo capiamur. Non dormitet neq; dormiat pupilla oculi tui, ut tua semper custodia protegamur. Angelorum & hominum te laudat omnis lingua, & ante te omnia genua incurvantur.

CXXI.

Lætatus sum in te regina cœli, quia te duce in domum Domini ibimus. Ierusalem cœlestis civitas, ad te Maria veniamus. Pacem & indulgentiam virgo nobis impetra, & palmam de hostipus ac triumphum. Conforta & consolare cor nostrum tuæ dulcedine pietatis. Hic Domina tuam in nobis funde clementiam, ut devotè in Domino moriamur.

CXXII.

Ad te levavi oculos meos regina, quæ regnas in cœlis. Adjutorium nostrum in virtute sit nominis tui, per te omnia opera nostra dirigantur. Benedicta sis in cœlo & in terra, in mari & omnibus abyssis. Benedicta sit fœcunditas tua. Benedicta sit virginitas & mundicia tua. Benedictum sit corpus tuum sanctum. Benedicta sit anima tua sanctissima.

CXXIII.

Nisi quia Domina nostra erat in nobis, invenissent nos pericula multa. Esto virgo defensatrix nostra, & ante Deum advocata propicia. Ostende nobis Domina misericordiam tuam, & conforta nos in sancto servitio tuo. Benedicant te sancti Angeli in cœlo. Benedicant te omnes homines super terram. Ne tradas bestiis animas confitentium tibi, nec ora te canentium obturentur.

CXXIIII.

Qui confidunt in te mater Dei, non timebunt à facie inimici. Gaudete & exultate omnes, qui diligitis eam, quia adjuvabit vos in die tribulationis nostræ. Reminiscere miserationum tuarum Domina, & releva peregrinationem incolatus nostri. Converte amabilem vultum tuum super nos, confunde & destrue omnes inimicos nostros. Benedicta sint omnia opera manuum tuarum Domina. Benedicta sint omnia sancta miracula tua.

CXXV.

In convertendo, faciem tuam sereniſsimam super nos, lætificabis nos virginea mater Dei. Benedicta sis ô sacrarium Christi, præ cunctis mulieribus super terram. Benedictum sit gloriosum nomen tuum, quod os Domini mirabiliter nominavit. Non deficiat laus tua de labiis nostris, nec caritas tua de præcordiis nostris. Qui te diligunt benedicantur à Domino, & qui te volunt diligere non defraudentur à desiderio suo.

CXXVI.

Nisi Domina ædificaveris domum cordis nostri, non permanebit ædificiũ ejus. Ædifica nos gratia & virtute tua, ut maneamus firmi in perpetuum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

petuum. Benedictum sit eloquium sanctũ tuum & benedicta sint omnia verba oris tui. Benedicantur à Deo, qui te benedicunt, & in justorum numero computentur. Benedic Domina te benedicentes, & ne unquam avertas ab eis gloriosum vultum tuum.

CXXVII.

Beati omnes, qui timent te Domina nostra, & beati omnes, qui sciunt facere beneplacitum tuum. Benedicti sunt pater & mater, qui te genuerunt, quorum memoria permanebit in seculum. Beatus est venter, qui te portavit, & beata ubera, quæ te lactaverunt. Converte misericordiam tuam super nos, & deprecabilis esto super servos tuos. Intuere & respice opprobrium nostrum, aufer cunctas iniquitates nostras.

CXXVIII.

Sæpe expugnaverunt me à juventute mea inimici mei, libera me Domina, & vindica me ab ipsis. Ne des illis potestatem in animam meam custodi omnia interiora & exteriora mea. Obtine nobis veniam peccatorum, & per te Spiritus sancti gratia nobis detur. Fac nos dignè & laudabiliter pœnitere, ut beato fine ad Deum veniamus. Placatũ tunc & serenissimum nobis ostende glorioſum fructum ventris tui.

CXXIX.

De profundis clamavi ad te Domina, Domina exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem laudis, & glorificationis tuæ. Libera me de manu adversariorum meorum. Confunde & destrue ingenia & conatus contra me. Erue me in die mala, & in die mortis ne oblivisearis animæ meæ. Deduc me ad portum salutis, & inter justos scribatur nomen meum.

CXXX.

Domina non est exaltatum cor tuum, neque sublimati sunt oculi tui. Benedixit te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Benedictus sit, qui tibi obumbravit, & sua gratia qui te fœcundavit. Benedictus sit, qui te sanctificavit, & mundam de matris utero te produxit. Benedic nos Domina, & conforta nos in gratia tua, ut per te ante conspectum Domini præsentemur.

CXXXI.

Memento Domina David, & omnium invocantium nomen tuum. Da nobis in nomine tuo fiduciã, ut confundantur adversarii nostri, Consolare nos in terra peregrinationis nostræ, & revela paupertatem nostram. Da nobis panem lachrymarum virgo sancta, & dolorem peccatorum in terra incolatus nostri. Redde nobis propicium benedictum fructum ventris tui, ut Spiritus sancti gratia repleamur.

CXXXII.

Ecce quàm bonum & quàm jucundum Maria diligere nomen tuum. Vnguentum effusum & odor aromatum nomen tuũ diligentibus ipsum. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domina, quam præparasti diligentibus & sperantibus in te. Esto refugium pauperum in tribulatione, & baculus miserorum. Inveniant quæso gratiam apud Deum, qui te in suis necessitatibus invocabunt.

CXXXIII.

Ecce nunc benedicite Dominam, omnes qui speratis in nomine sancto eius. Gaudete gaudio magno, qui exultatis & glorificatis eam, quia satiabimini ab uberibus consolationis ejus. Ecce enim jucundante ubertate declinabit in vobis ad consolandum & lætificandum corda vestra. Benedicite illam omnes servi ejus, nomen ejus, & memoriale sit in desiderio animæ vestræ. Benedicite illam omnes angeli & sancti Dei, laudate in secula mirabilia ejus.

CXXXIIII.

Laudate nomen Domini, benedicite nomen matris Christi. Mariæ precamina frequentate, & suscitabit vobis voluptates æternas. In anima cõtrita veniamus ad illam, & non stimulabit nos cupiditas peccati. Qui cogitat de illa in tranquillitate mentis invenit dulcorem & requiem pacis. Respiremus ad illam in finitione nostra, & referabit nobis atria triumphantium.

CXXXV.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam per Mariam datur misericordia ejus. Impetra nobis Domina amicitiam Iesu Christi, & custodi ne perdamus innocentiam nostrã. Comprime hostem nostrum imperio tuo, ne feriat in nobis virtutem caritatis. Bona naturalia conserva in nobis, & bona gratiæ per te multiplicentur. Illumina vias & semitas nostras, ut noscamus, quæ placita sunt Deo.

CXXXVI.

Super flumina Babylonis fleverunt Hebræi, nos verò super iniquitates nostras lugeamus. Clamemus humiles ad puerperam virginem, offeramus ei planctus & suspiria nostra. Non invenietur propiciatio sine illa, nec salus sine fructu illius. Per illam peccata purgãtur, & per fructum illius animæ dealbantur. Per illam fit vera satisfactio de pectatis, per fructum illius sanitas animæ condonatur.

CXXXVII.

Confitebor tibi Domina in toto corde meo, quia per te expertus sum clementiam Iesu Christi. Audi Domina verba mea, & preces meas, & in conspectu Angelorum cantabo tibi laudes. In quacunque die invocavero, exaudi me, & multiplica virtutem in anima mea, confiteantur tibi omnes tribus & linguæ, quia per te salus restituta est nobis. Ab omni perturbatione libera servos tuos, & fac eos vivere sub pace & protectione tua.

CXXXVIII.

Domina probasti me & cognovisti me, tu cognovisti ruinam & transgressionem meam. Copiosa facta est super me misericordia tua, & dilatata est super me clementia tua. Imperfectum meum aspexit oculus tuus, & palpebræ tuæ noverunt vias meas. Effluentiam desiderii sancti habeamus à Spiritu S. & macula peccati non deturbet conscientiam nostram. Serenet corda nostra lux misericordiæ tuæ, & recreet nos tuæ pacis dulcedo.

CXXXIX.

Erjpe me Domina ab omni malo, & ab hoste inferni defende me, contra me tetendit arcum suum, & in fraude sua insidiatur mihi. Confringe vires

ge vires ejus malignas, & obtunde potenter astutiam ejus. Converte iniquitatem ipsius in verticem illius, & in foveam quam fecit, corruat festinanter. Nos autem exultemus in servitio tuo, & in tuis laudibus gloriemur.

CXL.

Domina clamavi ad te, exaudi me, intende orationi meæ, & postulationi meæ. Dirigatur obsecratio mea vel incensum coram facie tua, in tempore serotini sacrificii & matutini. Non declinet cor meum in verbis malignantibus, & nequitiæ cogitatus subvertant sensum meum. Fac me assentire beneplacito cordis tui, & tuis actionibus conformari. Radio intelligentiæ reverbera cor meum, & igniculo caritatis inflamma.

CXLI.

Voce mea ad Dominam clamavi, ipsam quàm humiliter deprecatus sum. Effundi in conspectu ejus lachrimam meam, & dolorem meum sibi exposui. Insidiatur hostis calcaneo meo, extendit contra me suum rete. Adjuva me Domina, ne corruam coram eo, facut conteratur sub pedibus meis. Educ de carne animam meam, ut confiteatur tibi & psallet Domino Deo forti in perpetuum.

CXLII.

Domina exaudi orationẽ meam, percipe tuis auribus supplicationem meam. Persecutus est malignus vitam meam, deposuit in terra conversationem meam. Denigravit me caligine sua, & anxiatus est nimis Spiritus meus. Ne avertas faciem tuam à me, ut non corruam cum descendentibus in lacum. Emitte lucem tuam, & gratiam tuam, & repara denuò vitam & conscientiam meam.

CXLIII.

Benedicta sis Domina, quæ instruis servos tuos ad prælium, & eos roboras contra inimicũ. Fulgure & corruscatione dissipa illum. Mitte jacula tua, vt confundas illum. Glorifica de alto manum tuam, ut cantent servi tui laudem & gloriam tuam. Eleva de terrenis affectionem nostram, de sempiternis deliciis refice viscera nostra. Concupiscentiam supernorum accende in cordibus nostris, & de gaudiis Paradisi velis nos recreare.

CXLIIII.

Exaltabo te mater filii Dei, & per singulos dies cantabo laudes tuas. Generatio & populi laudabunt opera tua, & misericordiam tuam Insulæ expectabunt. Abundantiam dulcoris tui Angeli eructabunt, & de suavitate tua sancti pronunciabunt. Oculi nostri in te sperant Domina, mitte nobis cibum & escam delectantem, Laudationẽ tuam loquetur lingua mea, & benedicam te in seculum seculi.

CXLV

Lauda anima mea Dominam, glorificabo eam, quamdiu vixero. Nolite cessare à laudibus illius, & per singula momenta recogitate illam. Cùm exierit Spiritus meus Domina, sit tibi commendatus, & in terra ignota præsta illi ducatum. Non conturbent eum culpæ prius commissæ, nec inquietent ipsum cursus malignantis. Perduc eum ad portum salutarem, vt præstoletur securè adventum redemptoris.

CXLVI.

Laudate Dominam, quoniam bonus est Psalmus, jucunda & decora sit illi nostra laudatio. Ipsa enim medetur contritis corde, & refovet eos ungvento pietatis. Magna est virtus illius & gratia illius, & clementia ejus nullum habebit finem. Præcinite ei in jubilatione, & in confessione Psalmum canite illi. Beneplacitum est ei super timentes Deum, & in eis qui speraut de misericordia ejus.

CXLVII.

Lauda Ierusalem Dominam, glorifica etjam illam ô Syon. Ipse enim constituit muros tuos, & filios tuos benedicit. Gratia sua te impinguat, pacemq; donat terminis tuis. Levemus corda nostra cum manibus ad illam, ut suam influentiã sentiamus. Glorificemus omnes misericordias ejus, & benedicamus omnes bonitates illius.

CXLVIII.

Laudate Dominam nostram de cœlis, glorificate eam in excelsis. Laudate eam homines & jumenta, volucres & pisces maris. Laudate eam Sol & Luna, stellæ & circuli Planetarum. Laudate eam Cherubin & Seraphin, throni, dominationes & potestates. Laudate eam omnes legiones Angelorum. Laudate eam omnes ordines spirituum supernorum.

CXLIX.

Cantate Dominæ nostræ canticum novum, laus ejus in congregatione justorum. Lætentur cœli de gloria ejus, insulæ maris & totus orbis. Aqua & ignis laudent eam, frigus & æstus, splendor & lumen. Exaltationes ejus in gutture justorum, & laudes ejus in cœtu triumphantium. Civitas Dei jucundare in illa, & pro incolis tuis, frequenta illi carmen.

CL.

Laudate Dominam in Sanctis ejus, laudate eã in virtutibus & miraculis ejus. Laudant eam cœtus Apostolorum, laudate eam chori Patriarcharum & Prophetarum. Laudate eam exercitus martyrum, laudate eam turmæ Doctorum & confessorum. Laudate eam collegia virginum & continentium, laudate eam ordines Anachoritarum & Monachorum. Laudate eam conventus omnium religiosorum, laudate eam omnes animæ civium supernorum, omnis spiritus laudet Dominam nostram

SEQVVNTVR ALIQVOT CANTICA PROphetarum.

CONFITEBOR tibi Domina, quoniam per te placatus est mihi Dominus, & consolata es me. Ecce Domina salvatrix mea fiducialiter agã in te, & non timebo. Quia fortitudo mea, & laus mea in Domino es tu, & facta es mihi in salutem. Hauriam aquas in gaudio de rivulo tuo, & semper invocabo nomen tuum. Notas facite in populis virtutes Dominæ nostræ, quia excelsum est valde nomen ejus. Exulta & lauda totum genus humanum, quia talem dedit tibi medicatricem Dominus Deus tuus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ego dixi circa dimidium dierum meorum, vadam ad Mariam, ut me Christo reconciliet. Quæstvi residuum annorum meorum in amaritudine animæ meæ. Generatio mea ablata est, quia pater & mater, & amici dereliquerunt me: Maria autem assumpsit me. Sperabo in illam manè, serò meridie, quasi Leo, contrivit omnia ossa peccatorum meorum. Et tu Domina eruisti animam meam ut non periret, & de manu canis unicam meam. Domina salvum me fac, & laudē tuam cantabo cunctis diebus vitæ meæ, ô pia mater Domini mei.

Exultavit cor meum in Domino, & exultatū est cor meum in Domina mea. Quia fecit mihi magna, qui potens est, per Mariam matrem ejus. Non est sancta ut est Domina nostra, quæ sola supergressa est universas. Recedant ergo vetera de ore vestro, & lingvis loquamur novis. Exulta & lauda Mariam Syon & Ierusalem, quia maxima in dominabus Israel. Ipsa pauperem facit & ditat, humiliat & sublimat: Altior cœlo, terra latior, stellis purior est hæc Domina nostra.

Cantemus Dominæ nostræ gloriosæ virgini Mariæ, in Hymnis & confessionibus benedicamus eam. Domina nostra omnipotens, post Deū nomen ejus, currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare, Dextera tua Domina, magnificata est in fortitudine, quia in multitudine misericordiæ tuæ, stravisti adversarios meos. De ore leonis liberasti me Domina, & tanquam infantem genitum mater susce pisti me. O Domina carissima mea, velut pullum gallinæ tege me mirabili possessione tua. Tuus totus ego sum, & omnia mea tua sunt, virgo super omnes benedicta. Ponam te sicut signaculum super cor meum, quia fortis est vt mors dilectio tua.

Domina audivi auditionem tuam, & obstupui, consideravi opera tua & expavi. Domina mea opus tuum circa medium annorum vivificasti illud. Confitebor tibi Domina, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis. Operuit cœlos gloria tua, & misericordiæ tuæ plena est terra. Egressa es virgo in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. O benedicta, in manibus tuis reposita est salus nostra, recordare pia paupertatis nostræ. Quē vis, ipse salvus erit, à quo avertis vultū tuum, vadit in interitū.

Audite cœli quæ loquar de Maria, audiat terra verba oris mei. Magnificate ipsam semper mecum, & exaltate nomen ejus in seculum seculi. Generatio prava atq; perversa, agnosce Dominā nostram salvatricem tuam. Nunquid ipsa non est mater tua, quæ possedit & in fide generavit te? Si hanc dimittis, non es amicus summi Cæsaris, quia ipse sine ea non salvabit te. Vtinam saperes & intelligeres, ac novissima provideres. Quemadmodum infans sine nutrice non potest vivere, ita nec sine Domina nostra posset habere salutem. Sitiat ergo anima tua ad ipsam, tene eam, nec dimitte, donec benedixerit te. Repleatur os tuum laude ejus, decanta tota die magnitudinem ejus

Benedicite omnia opera Domini Dominæ gloriosæ, laudate & superexaltate eam in secula. Benedicite Angeli Dominæ vestræ, benedicite cœli Dominæ nostræ. Benedicat omnis creatura Dominam nostram, quam Rex voluit sic benedici. Benedicta sis ô summi Regis filia, quę odore pręis cuncta lilia. Benedicta sis corona dominarum omnium, benedicta sis gloria Ierusalem. Odor tuus sicut agri pleni, cui benedixit Dominus. Qui in benedicētes te redundabit, irrigās omnia intima eorum. Qui benedixerit te ô virgo beata, sit ille jugiter benedictus. Qui maledixerit tibi rosa candidissima, sit ille maledictus. Non recedat de domo servorum tuorum vini & olei abundantia. In nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Benedicamus Deum qui te creavit, Benedictus uterque parens, qui te generavit. Benedicta sis Domina in cœlo & in terra, laudabilis & gloriosa, & super exaltata in secula: Amen.

Benedicta sis Domina & mater Dei mei Israel, qui per te visitavit & fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit unicornu salutaris castitatis tuæ in domo David pueri sui, sicut locutus est per os Esaiæ, & aliorū sanctorum Prophetarum ejus. Salutem ex inimicis præsta, virginum virgo, & de manu omnium, qui nos oderunt pacem nobis tribue. Et fac misericordiam pro parentibus & nobis, ut memor sis testamenti omnipotentis Dei, quod juravit ad patres nostros, Abraham & semini ejus in secula. Sic fine timore de manu inimicorū nostrorum liberati, quietè serviamus illi. In sanctitate & justitia corā te omnibus diebus nostris. Et tu Maria prophetisa. Dei vocaberis, quoniam nosti, quòd respexit humilitatem ancillæ suæ. Per quam dedit scientiam salutis plebi ejus in remissiōem peccatorum corū. Per viscera multitudinis misericordiæ tuę visita nos stella matutina oriens ex alto. Illumina tenebras sedentium in umbra mortis, & eas luce dilectissimi filii tui digneris instellare. Miserere, misericordiæ mater, nobis miseris peccatoribus, qui retrò acta peccata pœnitere negligimus, & multa quotidie pœnitenda committimus.

Quicunq; vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat de Maria firmam fidē. Quam nisi quisq; integram inviolatamq; servaverit, absque dubio in æternum peribit. Quoniam ipsa sola virgo manens peperit, sola cunctas hæreses interemit. Confundatur & erubescat Hebræus, qui dicit Christum ex Ioseph esse natū. Confundatur Manichæus, qui Christum fictum dicit habere corpus. Palleat omnis, qui hoc ipsum aliunde, non de Maria dicit assumpsisse. Idem namq; filius, qui est patris in divinis unigenitus, est & uerus unigenitus Mariæ filius: in cœlis sine matre, in terra sine patre. Nam sicut anima rationalis, & caro propter unionem, de homine verè nascitur, ita Deus & homo Christus, de Maria verè generatur, induens carnem de carne virginis, quia sic humanum genus redimi congruebat. Qui secundum divinitatem æqualis patri, secundum humanitatem verò minor patre. Conceptus est in utero Mariæ virginis, Angelo annunciante de Spiritu sancto, non tamen Spiritus sanctus pater ejus est. Genitus in mundum sine pœna carnis virginis Matris, quia sine carnis delectatione conceptus. Quem lactavit mater ubere de cœlo pleno, quam circum stabant Angeli obstetricum vices, nunciantes pastoribus gaudium magnum. Hic

à Magis

à Magis muneribus adoratus, ab Herode in Aegyptum fugatus, à Ioanne in Iordane baptisatus, traditus captus, flagellatus, crucifixus, mortuus & sepultus, cum gloria resurrexit, ad cœlos ascendit, Spiritum sanctum in discipulos & in matrem misit, quam demum in cœlum ipse assumpsit, & sedet ad dexteram filii, nō cessans pro nobis filium exorare. Hæc est fides de Maria matre virgine, quam nisi quisq; fideliter firmiterq; crediderit, salvus esse non poterit, &c.

Te matrem Dei laudamus, te Mariam virginem confitemur, Te æterni patris sponsam omnis terra veneratur. Tibi omnes Angeli & Archangeli, tibi throni, potestates & principatus, fideliter serviunt. Tibi omnes virtutes cœli cœlorum, & universæ dominationes obediunt.

Tibi omnes chori, tibi Cherubin & Seraphin, exultanter assistunt. Tibi omnis Angelica creatura, incessabili voce proclamant: Sancta, Sancta, Sancta Maria Dei genitrix, mater & virgo. Pleni sunt cœli & terra, & mare, majestatis gloriæ fructus ventris tui. Te gloriosus Apostolorum chorus, sui creatoris matrem collaudat. Te beatorum martyrum cœtus candidatus genitricem glorificat. Te gloriosus confessorum exercitus, Trinitatis templum appellat. Te sacrarum virginum chorea amabilis, virginitatis & humilitatis exemplum prædicat. Te tota cœlestis curia, cœlorum Reginam honorat. Te per universum orbem, Ecclesia sancta invocādo celebrat. Matrem divinæ majestatis. Te venerandam, te veram Regis cœlestis puerperam. Sanctam quoq; dulcem ac piam. Tu Angelorum Domina, tu Paradisi janua. Tu scala regni cœlestis & gloriæ, tu thalamus, & tu arca pietatis & gratiæ. Tu vena misericordiæ, tu sponsa & mater Regis æterni. Tu templum & sacrarium Spiritus sancti, totius Trinitatis beatissimæ nobile triclinium. Tu mediatrix Dei & hominum, amatrix mortalium, reparatrix cœlestium, illuminatrix fidelium. Tu agonisatrix pugnantium, advocata pauperum, misseratrix & refugium peccatorum. Tu erogatrix munerum, superatrix & terror Dæmonum superborum. Tu mundi Domina, cœli Regina, post Deum sola spes nostra. Tu salus te invocantium, portus naufragantium, miserorum solatium, pereuntium refugium. Tu mater omnium beatorum, gaudium plenum post Deum, omnium supernorum civium solatium. Tu promotrix justorum, congregatrix errantium, promissio Patriarcharum. Tu veritas Prophetarum, præconium & doctrix Apostolorum, Magistra Euangelistarum. Tu fortitudo martyrum, exemplar confessorum, honor & festivitas virginum. Tu ad liberandum exulem hominem, filium Dei suscepisti in uterum. Per te expugnato hoste antiquo, sunt aperta fidelibus regna cœlorum. Tu cum filio sedes in gloria patris. Tu ipsum pro nobis roga virgo Maria, quem nos ad judicandū credimus esse venturum. Te ergo poscimus nobis tuis famulis subveni, qui precioso sanguine filii tui redempti sumus. AEterna fac pia virgo, cum Sanctis tuis nos gloria munerari. Salvum fac populum tuum Domina, & ut simus participes hæreditatis filii tui. Et rege nos & custodi nos in æternum. Per singulos dies ô pia te salutamus. Et laudare te cupimus usque in æternum mente & voce. Dignare dulcis Maria, nunc & semper sine delicto nos conservare. Miserere pia nobis miserere nobis. Fiat misericordia tua magna nobiscum, quia in te virgo Maria confidimus. In te Maria speramus, nos defendas in æternum. Te decet laus, te decet imperium, tibi virtus & gloria, in secula seculorum, Amen.

Magnificat anima mea Dominam Mariam. A solis ortu usq; ad occasum, laudabile nomen Mariæ. Renuit consolari anima mea, memor fui Mariæ, & delectata & exercitata sum, & defecit spiritus meus. Ideò dilexi Mariam, super aurum & topazion. Accedite ad Mariam, & illuminamini, & facies vestræ non confundantur, &c.

Nunc dimittis ancillam Mariæ Domine in pace, quia viderunt oculi mei salutare Mariæ, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumē ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuę Israël, &c.

INCIPIT LITANIA MARIAE.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Christe audi nos.
Pater de cœlis, Mariæ gloriosus conditor, Miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Marię fœcundator, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, mirabilis obumbrator, Miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, quę Mariam glorificas, Miserere nobis.

Sāncta Maria, ora pro nobis,

- Quæ totum orbem illuminas.
- Quæ tuos servientes exaltas,
- Quæ pro peccatoribus supplicas,
- Illuminatrix cordium,
- Fons misericordiæ,
- Flumen sapientiæ,
- Splendor sanctæ Ecclesiæ,
- Ab Angelo salutata,
- Per Spiritum sanctum obumbrata.
- In cœlis glorificata,
- Rosa veris gratiosa,
- Vitis frondens generosa.
- Virgo dulcis & speciosa,
- A Deo patre sponsa electa,
- Dei verbo mater præelecta.
- A Spiritu sancto virgo protecta,
- Quæ Deum in utero concepisti,
- Quæ Dominum in tuo utero humanasti,
- Quæ Dominum & hominem peperisti,

Sãcta Maria,
- Virgo virginum significra,
- Virga Iesse Christiphera,
- Arbor vitæ fructifera,
- Fœminarum pulcherrima,
- Humilium humilima,
- Sacrarum sanctissima,
- Super omnes diligentius amanda,
- Super omnes reverentius celebranda,
- Super omnes excellentiùs magnificanda,
- Mater conditoris,
- Mater redemptoris,
- Mater Salvatoris,
- Mater mundo desiderabilis,
- Mater inferis terribilis,
- Mater terribilis,
- Virgo plena gratia,
- Virgo plena clementia,
- Pia fundens solatia.
- Flos & decor virginalis,
- Fluvius sapientialis,
- Splendor & lux Orientalis,
- Virtutum cœli Regina,
- Domus Dei cypressina,
- Fenestra cœli christallina,
- Perpetuæ lucis aurora,
- Virgo pulchra & decora,
- Melodia dulcis & sonora,
- Delitiarum Dei dapifera,
- Cœlestis curiæ pincerna,
- Placidum Deitatis umbraculum,
- Paradisi porta pervia,
- Purissimum cœlestis gratiæ vasculum,
- Dignum Christi cœnaculum,
- Virgo virginum, nova exultatio,
- Mulierum prima benedictio,
- Miserorum pia consolatio,
- Vera salus & beatitudo,
- Charitatis magnitudo,
- Pietatis latitudo,
- Mater orphanorum,
- Mammilla parvulorum,
- Consolatio afflictorum,
- Nobilis Regina cœlorum,
- Cui Angeli obediunt & obsequuntur.
- Cui Sancti & Sanctæ congaudent & congratulantur.
- Quam omnia laudant & venerantur.

Ora pro nobis,

Libera nos Domina.
- A superbia præcipitante,
- A luxuria deturbante,
- Ab avaritia devastante,
- A peccato iræ, & invidia cruciante,
- A peccato gulæ & gastrimargiæ commaculante,
- Ab incursu hostis malignantis,
- Per dulcorem & gaudium de Christi incarnatione,
- Per dolorem & angustiam ipsius passionis,
- Per gaudium & lætitiam de eius ascensione,
- Per gaudium & lætitiam de tua coronatione,
- In mortis hora devastante,
- In judicis stricto examine,
- Ab inferno horribili cruciamine,

Te rogamus audi nos.
- Peccatores,
- Vt sanctam Ecclesiam piissima conservare digneris,
- Vt justis gloriam, peccatoribus gratiam impetrare digneris,
- Vt navigantibus portum, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, tribulatis consolationem, captivis liberationem impetrare digneris,
- Vt famulos & famulas tuas, tibi devotè servientes, consolari digneris,
- Vt cunctum populum Christianum, filii tui pretioso sanguine redemptum, conservare digneris,
- Vt cũctis fidelibus defunctis æternam requiem impetrare digneris,
- Vt nos exaudire digneris,
- Mater Dei,
- Filia Dei,
- Sponsa Dei,
- Mater carissima, Domina nostra miserere, & dona nobis perpetuam pacem.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Pater noster, &c. Et ne nos inducas, &c. Sed libera, &c.

Propicia esto, parce nobis Domina.

Propicia esto, Libera nos Domina.

Libera nos Domina.
- Ab omni malo,
- Ab omni mala tentatione,
- Ab ira Dei & indignatione,
- A periclitatione & desperatione.

Ego dixi, Domina miserere mei, Sana animam meam, quia peccavi coram facie tua. Converte misericordiam tuam super nos, & deprecabilis esto super servos tuos. Ostende nobis potentiam tuam contra inimicos nostros, ut sanctificeris in nationib. procul. Miserere servorum tuorum,

super quos invocatum est nomen tuum, & ne sinas angustiari eos in tentationibus suis. Ne projicias nos in tempore mortis nostræ, & succurre animæ meæ, cùm deserverit corpus suum. Educ de carcere animam meam, ut confiteatur tibi, & psallat Domino meo forti in perpetuum. Esto nobis Domina turris fortitudinis, & petra durissima conterens inimicum. Adjúva me Domina, ne corruam coram eo, fac, ut conteratur sub pedibus meis. Exaudi orationem meam Domina, & deprecationem meam, ut contabescant adversarii mei. Domina exaudi orationem meam, & clamorem, &c.

COLLECTA.

OMnipotens, sempiterne Deus, qui pro nobis de castissima virgine nasci dignatus es, fac nos, quæsumus, tibi casto corpore servire, & humili mente placere. Oramus & te piissima virgo regina mundi & Angelorum, ut eis, quos purgatorius examinat ignis, impetres refrigerium, peccatoribus indulgentiam, justis in bono perseverantiam, & nos fragiles ab instantibus defende periculis, per eundum Christum Dominum nostrum, Amen.

Hæc ex impresso publico exemplari descripta sunt, & existimassem sanè Pontificios, in tanta verbi Dei luce, quæ his temporibus, oculis ipsorum, ipsis in vitiis sæpius se ingerit, nec velle, nec audere, tam crassam idolomaniâ excusare, multò minus defendere. Sed ecce anno superiori editur, à Martino Isengrinio fabula, quam ex Angelis Sathanę quidam, in obsessa puellula, exorcista Canisio, saltavit, ubi cùm alia argumenta desint, ab authoritate, ex ipsius scilicet Diaboli testimonio, invocatio Sanctorum probatur & confirmatur. Narrat enim obsessam quandam puellam, ex peculiari quadam Mariæ revelatione, adductam esse ad capellam beatæ virginis in antiqua Oetingen, cumq; Canisio præside Litania cantaretur, & invocaretur misericordia, auxilium & liberatio Dei patris, Filii, & Spiritus sancti, Diabolum nihil fuisse motum, cùm verò Lauretana Litania de beata Maria (quæ eiusdem argumenti & sententiæ est, sicut ea, quam ex Psalterio Mariæ jam descripsimus) incoaretur, tunc demum Satanam cœpisse in obsessa turbari, clamare & furere. Mox verò Canisium, ligneam antiquam & cariosam Mariæ imaginem arreptam, imposuisse capiti puellæ obsessæ, tum verò Diabolum cœpisse exclamare: Ach mulier, quid me calcas, & caput meum conteris. Et quis jam dubitet, ipso scilicet Diabolo teste, Genes. 3. legendum esse, non ipsum semen, sed mulierem contrivisse caput Sathanæ, & adhuc conculcare. Sequitur autem in Isingrini narratione, quòd Diabolo, cùm ipsi à puella obsessa exeundum esset, quasi satisfactionum loco impositum fuerit, ut ipse per obsessam, barbottaret aliquot patres nostros, Aves q; Marias, tanquam rosarium Mariæ, & Diabolum, quasi invitus & coactus illud faceret, cum gemitu & indignatione præfatum: En vos Ioannes non vult invocare Sanctos, cùm tamen nos Diaboli inviti hoc cogamur facere. Cùm verò expansis manibus, & flexis genibus, orationem dominicam diabolus supplex & devotus peroraſſet, ac jam in salutatione Angelica eò pervenisset (Ave Maria gratia plena) scribit sonora ac devota voce ipsum Diabolum intertexuisse hanc apostillam, O Maria, gratia & misericordia tua, sit super omnes illos, qui hanc tuam capellam visitant, Ach ora pro omnibus illas. Atque ita Diabolum, relicto post se (sicut solet) fœtore, exiisse. Hæc possent ad Alanum, tanquam nova confirmatio Psalterii Mariæ addi, nec injuria, ut ad Sixtum & Innocentium, tertius hic testis adjungeretur, ipse scilicet Diabolus.

Atque hinc manifestum est, Pontificios quicquid, vel simulent vel dissimulent, omninò tamen velle ipsos nervos, veteris idolomaniæ in invocatione Sanctorum, retinere & in theatrum reducere.

Possent autem multa plura exempla superstitiosarum precularum adduci, sed nunc tantùm ex iis, quę publica authoritate in communi Pontificiæ Ecclesiæ praxi, usitata fuerunt, & adhuc sunt, exempla proferre volui. Inde enim jam status, ad quem refutationes dirigendæ sunt, rectè constitui poterit.

Postremò addam hoc loco sequentiam (ut barbarè vocant) in Concilio Constantiensi decantatam, in honorem atque invocationem Mariæ, ut eò minus tergiversari nunc possint Pontificii, quid invocationibus suis, Sanctis tribuerint. Quod enim vetus Ecclesia Spiritui sancto piè tribuit. Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus, lucis tuæ radium. Hoc Constantiense Concilium eodem genere carminis, & eadem melodia, publica invocatione à Maria petit.

Veni mater gratiæ
Fons misericordiæ
Miseris remedium.
Veni lux Ecclesiæ
Tristibus lætitiæ
Nunc infunde radium.
Te reginam colimus
Tibi laudes canimus
Ex effectu cordium.
Quæ es in angustiis
Et in rebus dubiis
Salus & solatium.
O stella perfulgida
Tu dira certamina
Maris hujus reprime.
Simonis navicula
Filii tunicula
Ne scindantur prohibe.
Portus navigantium
Preces supplicantium
Filiorum suscipe.
Consolare flebiles
Iuva pusillanimes
Et errantes corrige.
Quæ Deum hominibus
Et ima cœlestibus
Iungis ô puerpera.
Hæreses interime
Schismata q; reprime
Firma pacis fœdera.
Amen.

DE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

DEMONSTRATIO, QVOD INVOCATIO SANCTORVM

non sit verbo Dei tradita, quodq; doctrinæ de vera invocatione in Scriptura divinitus patefactæ, non sit consentanea, sed ei repugnet.

TESTIMONIA & fundamenta Scripturæ, quæ invocationem illam Sanctorum, qui ex hac vita discesserunt, sicut eam hactenus ex Pōtificiorum libris descripsimus, improbant & rejiciunt, non sunt obscura, sed manifestam & firmam præbent refutationem, si modo capita, in quibus Pontificiorum invocatio consistit, observentur. Ex illis autem, quæ in præcedenti capite prolixè ipsis Pontificiorum verbis descripsimus, hæc capita luculenter colliguntur.

Capita præcipua de Papistica invocatione Sanctorum.

Primum. I. Sanctos, qui ex hac vita discesserunt, in necessitatibus esse invocandos, orationem ad illos esse dirigendam, & quidem suo modo adorandos esse, sicut Romanus Catechismus inquit.

Secundum. II. Quia propter peccata indigni sumus exauditione, beatos in cœlo, suis intercessionibus esse nostros advocatos & patronos, qui causam nostram apud Deum agant, idq; ideo, quia Christus ut judex & justus, sit durior & rigidior, ad quem mediatorem, aliis nobis opus sit mediatoribus. Sanctos igitur ut magis miites, propitios & misericordes nobis proposito esse, ut ad eorum patrocinia confugiamus, qui nostris calamitatib. quas & ipsi in carne experti sunt, magis afficiantur, atq; ideo ad suffragandum promptiores sint, quàm Christus.

Tertium. III. Quia nos meritis idoneis & sufficientibus destituimur, ideò Sanctos invocari, ut merita sua, quæ supererogārunt, nobis applicent, & accommodent, ac ea interponant inter justitiam Dei, & nostram indignitatem, ut ita digni efficiamur promissionibus Dei.

Quartum. IIII. Docent omnia beneficia, quibus indigemus, beatis in cœlo à Deo collata esse, ut ipsi implorati dent, largiantur & distribuant nobis ea, quæ ad gratiam in hac vita, & ad gloriam in futura vita pertinent, quæq; ad externa seu temporalia beneficia pertinent.

Quintum. V. Disertè Sanctos invocant, ut donatores & largitores beneficiorum & spiritualium, & corporalium, cùm hujus, tum futuræ vitæ. Item, ut auxiliatores, præservatores, custodes, & liberatores in periculis & malis, tàm spiritualib. quàm corporalibus. Imò sancti in invocationibus vocantur refugium, præsidium, tutela, vita & salus nostra, &c.

Sextum. VI. Docentur homines, in necessitatibus ad Sanctorum gratiam, misericordiam, opem, auxilium & præsidium confugere, atque consolationem, spem & fiduciam in Sanctos collocare.

Septimum. VII. Sentiunt beatos in cœlo singulorum particularia vota, & quidem tacitas cogitationes mentium videre, cognoscere, intelligere, & audire, imò adesse & assistere singulis prædicantibus.

Octavum. VIII. Singulis Sanctis certæ & peculiares procurationes commissæ finguntur, sicut in præcedentibus ostendimus.

Hos esse nervos & substantiam invocationis Sanctorum per se notorium est, atq; ex authenticis monumentis, & quidem ex publica praxi Ecclesiæ Pontificiæ, quasi ad oculum jam demonstravimus. Nec difficile est, de ea juxta normam & regulam Scripturæ judicare, modò semper in memoriam sibi revocet Lector, quid in controversia positum sit, quando de invocatione Sanctorum disputatur. Iudico autem explicationem planiorem & expeditiorem reddi, si adhibeatur hæc distributio, ut ostendatur. Primò, quòd invocatio Sanctorum non sit verbo Dei tradita. Secundò, quòd non sit consentanea doctrinæ de vera invocatione in Scriptura patefactæ, sed ab ea recedat. Tertiò, quòd cum verbo Dei in Scriptura revelato pugnet.

Distributio capitum tractationis hujus.

Quod ad primum attinet, extra controversiam certum & manifestum est, invocationem Sanctorum non esse in Scriptura Canonica, vel veteris vel novi Testamenti, expresè traditam, id quod Eccius in suo Enchiridio diserte fatetur. Coguntur etjam Iesuitæ hoc concedere, licet fidem suam implicitam libenter eò usque extenderent, ut Laici necesse haberent credere, Scripturam etiam ea, quæ prorsus non habet, docere. Sed res manifesta est, sicut per enumerationem ostendi potest. Nulla enim in tota sacra Scriptura sententia extat, quæ doceat invocationem Sanctorum. Nullum extat mandatum, quod præcipiat invocare sanctos, qui ex hac vita discesserunt. Nulla extat promissio, quòd talis invocatio Deo sit grata, & efficax, hoc est, quòd exaudiatur, & impetret gratiam & auxilium. Nullum extat in scriptura exemplum, à piis invocatos fuisse Sanctos, qui ex hac vita successerunt. Nulla extat comminatio in Scriptura, nullum exemplum pœnæ contra illos, qui Sanctos non invocant. Atque ideò invocationem Sanctorum præcipui etiam inter Pontificios, inter ea numerant, quæ sine Scriptura & extra Scripturam recepta sunt. Ideò etiam Tridentinum Decretum non Scripturam allegat, sed tantum inveteratum usum, consensionem Patrum, & Conciliorum Decreta, de quibus postea quædam dicemus.

Invocatio Sanctorum non traditur in verbo Dei.

Ecclus.

Iesuita.

Dicta seu testimonia Scripturæ. Mandatum. Promissio.

Exemplum.

Comminatio vel pœna vel invocantium Sanctos.

Invocatio Sanctorum sine Scriptura recepta est.

Non leve autem, sed maximi momenti argumentum hoc est. Nullum enim dogma in Ecclesia vel proponendum, vel recipiēdum est, de quo nulla in Scriptura Canonica extent certa firma & perspicua testimonia, sicut in prima parte, multis argumentis hoc monstravimus. In primis verò in hoc loco de oratione seu invocatione hoc valet. Christus enim de Samaritanis loquens, Iohannis quarto, veræ & falsæ invocationis, ex illo principio (veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu & veritate) hoc ponit discrimen: Vos adoratis, quod nescitis. Nos adoramus, quod scimus Quia scilicet veri Iudæi habebant verbum Dei de sua invocatione: Samaritanorum verò invocatio, licet bona intentione fiebat, & inveterata longi temporis præscriptione nitebatur, (allegant enim veteres Patres, Ioannis quarto, sicut & Tridentinum Decretum facit) verbi Dei

Quid sit invocatio seu verbo Dei.

bi Dei tamen testimonio destituebatur, atque ideo à Christo rejicitur. Et Deuteronomii decimo septimo, Idololatria in adoratione seu invocatione hac nota describitur, quod sine mandato Dei fiat. Inquit enim, adorant Deos alienos, Solem, Lunam & omnem militiam cœli. *Quæ non præcipi.* Ita Matthæi sexto, Ethnicorum & Pharisæorum vanis, & Deo non placentibus orationibus, opponitur illa forma, quæ à filio Dei præscribitur. De cultibus enim, qui sine verbo Dei suscipiuntur, Deus ipse pronunciat: Quis requisivit hæc de manibus vestris? Iesaiæ primo. Item, Frustra colunt me, Matthæi decimo quinto. Præterea ipsa Scriptura, ex loco de fide, præbet & format tale argumentum, quod nulla ratione vel labefactari vel eludi potest. Nec in genere tantum, ut quando dicit, Sine fide impossibile est placere Deo. Item, Quicquid non est ex fide, peccatum est. Sed de oratione seu invocatione nominatim dicit Iacobi primo. Postulet in fide, qui enim hæsitat, non existimet, se quicquam accepturum à Domino. Marci undecimo, Quæcunque orantes petitis, Credite, quia accipietis, & evenient vobis. Matthæi vigesimo primo, Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.

Regula immota de legitima invocatione.

Certissimum autem est, veram fidem non ex privatis somniis aut cogitationibus, nec ex hominum traditionibus, sed ex solo verbo DEI concipi, & eo niti, sicut Paulus Romanorum capite decimo, ubi de vera & salutari invocatione loquitur, expresè ponit hanc regulam: Fides ex auditu, auditus per verbum DEI. Certissima igitur & firmissima consequentia est, illam solam veram, & DEO placentem esse invocationem, quæ fit ex præscripto, & secundum præscriptum verbum DEI. Alias verò invocationes, quæ non habent testimonium, Mandatum & promissionem in verbo DEI, vanas, irritas & falsas esse, quia sine fide fiunt. Quomodo enim mens certò & rectè potest statuere, talem invocationem DEO placere, acceptam esse & exaudiri, cùm nullam habeat promissionem? Et fiducia sine verbo & promissione Dei, non tantum vana est, sed est peccatum contra primum præceptum. Quid igitur de invocatione Sanctorum, vel propter hanc solam rationem, quia in Scriptura non est tradita, sentiendum sit, ex brevi hac commonefactione manifestum est.

Invocatio Sanctorum cum doctrina scripturæ, de vera invocatione non conjuncta.

Secundò manifestum est, invocationem Sanctorum discedere ab ea doctrina, quæ de vera invocatione, in sacra Scriptura tradita, & divinitus mandata est. Est verò & hujus argumenti vis maxima. Cùm enim omnes Gentes suas habeant invocationes (sicut Paulus dicit, Tunc votorum locum esse, quando spei nullus est) quæ ideo vanæ & falsæ sunt, quia sine verbo Dei, ratio doctrinam rectæ invocationis, naturaliter ignorat, ingens certè & inenarrabile beneficium Dei est, quod in verbo suo patefecit, quomodo velit invocari, & quæ invocatio accepta & efficax sit. Ab illa verò patefactione discedere, & alios modos invocationis, præter & extra verbum Dei comminisci, quale peccatum sit, à piis facilè judicari potest. Sola siquidem vera Christi Ecclesia, præ omnibus aliarum Gentium religionibus, hoc proprium & peculiare habet beneficium, quòd Deum rectè invocare novit, eo scilicet modo, qui in verbo Dei patefactus & monstratus est. Est quidem invocatio, sicut dictum est, etjam apud Ethnicos, sed vera Ecclesia invocationem suam ab Ethnica, Turcica, Iudaica seiungit his notis, quod Deum invocat, sicut essentiam & voluntatem suam in verbo patefecit, & eo modo invocat, qui in verbo præscriptus & mandatus est. Inde vera invocatio ponitur tanquam nota Ecclesiæ Dei, in qua sunt sanctificati in Christo, & vocati Sancti, cùm omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Iesu Christi, primæ Corinthiorum primo. De aliis verò religionibus, etsi dicunt se invocare unum Deum, conditorem cœli & terræ, tamen quia non juxta verbum Dei invocant, Scriptura pronunciat, Psalmo septuagesimo nono, Ieremiæ decimo, Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt. Cùm igitur sapientia sit Ecclesiæ propria, quòd ex verbo & secundum verbum novit Deum rectè invocare, cumq; gloria Dei propriissima sit invocatio, & nulla major virtus, nulla etjam efficacior consolatio sit, quàm vera invocatio: Constantissimè retinendus est ille modus invocationis, qui in Scriptura divinitus monstratus & mandatus est, nec ulla ratione ab eo discedendum, utque invocatio illa pura & sincera retineatur, non sunt miscendi alii modi, qui nullo mandato, aut exemplo probato, in Scripturis confirmati sunt.

Sola Ecclesia Deum rectè invocare potest.

Invocationes reliquorum hominum extra Ecclesiā.

Est autem doctrina invocationis, sicut in verbo Dei tradita est, plana & perspicua: Quomodo scilicet sit orandum, quid sit petendum, & quòd in oratione adorandus aut compellandus, & in necessitatibus, ut exaudiamur, recipiamur, juvemur, custodiamur, liberemur & salvemur, invocandus sit solus verus DEVS, Pater, Filius & Spiritus sanctus, idq; in nomine Christi Mediatoris. Hæc invocatio vera est, habet enim verbū & mandatum Dei, habet etjam exempla in Scripturis probata. Nec incerta est hæc invocatio. Habet enim testimonia Scripturæ, quòd Deo placeat & efficax sit, & habet promissiones, quæ jubent sic invocantes firma fide statuere, quòd certò recipiantur & exaudiantur. Deus enim, quem invocamus, orationes nostras audit, quia corda scrutatur, Romanorum octavo, Potest juvare, quia omnipotens est, & vult juvare, quia clemens est, & verax, qui jussit se invocari, & promisit se ita invocantibus auxilium, Psalmo quinquagesimo. Cumq; indigni simus, qui à Deo exaudiamur & juvemur, proponit nobis Scriptura Christum Mediatorem, ut in ejus nomine, hoc est, propter intercessionem & merita ipsius, petamus nos exaudiri & juvari. Et affirmat Scriptura intercessionem, & merita ipsius adeò grata & efficacia esse coram Deo, ut propter ea certò affirmet, invocantes licet indignos exaudiri & juvari. Ipse etiam Mediator jubet nos ad se confugere, Matthæi vndecimo, Venite ad me, &c. De hoc mediatore

Capita, in quibus consistit vera doctrina vera invocationis.

Scriptura

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scriptura affirmat, quod ingrediatur in sanctũ Sanctorum, hoc est, in arcanum consilium divinitatis, cernens pectus æterni patris, interpellalans pro nobis, aspiciens motus, dolores, gemitus & preces cordis nostri, ac perferens ea ad patrem.

Antithesis invocationis Sanctorum.

Et quid præterea ad certitudinem invocationis desiderari posset? Ab hac verò regia via, invocatio Sanctorum discedit, & quasi hic modus invocationis, quem Scriptura præscribit, non satis sit vel tutus, vel sufficiens, vel certus, vel efficax, vel Deo gratus, alios & quidem varios modos invocationis Sanctorum miscet, quos vel præfert, sicut ostendimus, vel ubi verecundissimè agit, succenturiatos adjungit invocationi, quæ habet mandata & promissiones divinas, in Scriptura expressas. Hæ verò opiniones & persuasiones, partim impiæ, partim iniquæ sunt, in verbum, mandata & promissiones divinas, in Scripturis traditas. Et quæ pœna sit eorum, qui à verbo Dei discedunt, & ei aliquid addunt, denunciatur Apocalypsis 22. De cultibus certè & adoratione Dei, inquit, Ierem. 2. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, &c. Et Roman. 1. Coluerunt creaturam παρὰ τὸν κτίσαντα, præter creatorem, hoc est, non tantùm creatorem, sed præterea etiam creaturas coluerunt. Ita enim παρὰ usurpatur, 1. Corinth. 3. & Galat. 1. Et Samaritani reprehenduntur, quod & Deum, & præter Deum etiam creaturas adorârint & coluerint, 4. Reg. 17.

Invocatio Sanctorum pugnat cum forma veræ invocationis in Scriptura tradita.

Invocatio igitur Sanctorum, ideò, quia discedit à forma veræ invocationis, quæ in Scriptura divinitus est tradita, monstrata & mandata, repudianda est, cùm ut gratitudinem nostram erga ingens hoc beneficium Dei, quod doctrinam verę invocationis rationi ignotam, in verbo suo nobis patefecit, ostendamus, tum ut à corruptelis veræ invocationis alienos nos esse, probemus. Diabolus enim inde usque ab initio generis humani, ad corrumpendam puritatem doctrinæ de invocatione, variis modis semina spargit, & semper sparget, initiis levioribus quidem, sed ex quibus postea manifesti idolatrici furores sequuntur, sicut exemplis jam ostensum est in historia invocationis Sanctorum, mox plenius ostendemus.

Quòd si invocatio Sanctorum nihil aliud haberet vitii, tamen periculosum esset, à modo invocationis, ab ipso Deo, in verbo ipsius præscripto, discedere. Et inter ipsos Pontificios multi agnoscunt, meliùs, rectiùs, certiùs & tutius esse, ipsum Deum in nomine Christi invocare, quàm invocationem ad Sanctos dirigere. Cur igitur propter incerta ea, quæ certa sunt, relinquimus? aut quare certis incerta vel præferimus, vel certè miscemus? Cùm invocatio maximè debeat religiosa esse, & certo ac firmo fundamẽto niti. Audivi à viro quodam clarissimo, Georgium Cassandrum, qui invocationem Sanctorum, ut alia quædam Pontificia, pingere conabatur, cùm in colloquium hac de re cum quibusdam venisset, tandem post multas velitationes respondisse: Ego, inquit, in meis precibus, nõ soleo Sanctos invocare, sed invocationem dirigo ad Deũ ipsum

Georgius Cassander.

idq; in nomine Christi, hoc enim tutiùs esse existimo. Ita Hofmeisterus, postquam multas sententias veterum de invocatione Sanctorum coacervasset, tandem concludit illa sententia, quæ extat in libris de visitatione infirmorum, qui Augustino adscribuntur, libro 1. cap. 2. Tutius & jucundiùs loquor ad meum Iesum, quàm ad aliquem sanctorum Spirituum Dei, &c. Audivi ex Sarcerio, cùm Georgius Dux Saxoniæ in agone mortis constitutus esset, & Monachi certatim ipsum exhortarentur, alius ut Mariam, alius ut Angelos, alius ut diversos Sanctos auxiliatores invocaret, tandem nobilem quendam, Ducis familiarem accessisse, & Ducem ita compellasse: Celsitudo vestra in politicis negociis semper via fuit hoc Proverbio: Rectà sine ambagibus progredi, esse viam maximè compendiariam. Quare igitur in hac via periculosissima Celsitudo vestra tam varias ambages sectatur, & non potius invocatione sua, rectà per Christum ad Deum ipsum, qui certò juvare, & vult & potest, accedit? Erasmus suo more jocatur, cùm in naufragio quisque ad suum Sanctum, tãquam ad Deum tutelarem invocatione confugeret, unum quendam, cùm videret præsentissimum imminere periculum, quod moram longam & lenta auxilia non admitteret, varia cogitasse, si Nicolaum suum invocaret, incertum esse an audiret, & forsan aliorum votis audiendis & expediendis occupatum, non posse sibi tam citò vacare, aut si vellet, forsan non admitti tam citò ad audientiam apud Deum, tandem igitur id, quod certius & tutius esset, constituisse, se rectà ad ipsum Deum per Christum confugere velle, cùm scriptum sit Psalmo quinquagesimo, Invoca me in die tribulationis, & ego eripiam te, & glorificabis me. Item Ebræorum quarto, Accedamus ad Pontificem nostrum Christum, thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus ad auxilium oportunum.

Hofmeisterus.

Narratio de Georgio Duce Saxoniæ.

Erasmus.

Tertiò, Invocatio sanctorum non hoc tantùm habet vitii, quòd sine verbo Dei, suscipitur, & à norma invocationis in Scripturis tradita recedit, sed præterea directè, & quasi adversa fronte pugnat, contra manifesta Scripturæ testimonia. Id quod manifestissimum est, si modo ea, quæ Pontificii in suis invocationibus Sanctis tribuunt, ad Scripturam conferantur. Sunt autem in invocatione Sanctorum quædam, quæ tam crassè & enormiter, contra verbum Dei pugnant, ut piorum animi exhorrescant, & ipsos etiam Pontificios fermè pudeat crassæ istius turpitudinis, quæ à superstitione & idololatria, excusari & defendi nequaquam potest. Et tamen in publica praxi Ecclesiæ ipsorum retinentur. Prolixè enim ostendimus, Pontificios invocare Sanctos, ut auxiliatores, præservatores, custodes, & liberatores in necessitatibus, imò Sanctos in invocationibus disertè nominant refugium, præsidium, tutelam, vitam, salutem nostram, Quod tam evidenter cum Scriptura pugnat, ut inter ipsos Pontificios, qui aliquid adhuc frontis habent illud negare non possint. Soli enim Deo in invocatione hæc tribuenda sunt. Psalmo 46. Deus noster, refugium & robur, adjutor in tribulationibus, propterea non timebimus, etjamsi turbetur

Invocatio Sanctorum pugnat cum manifesta verbo Dei.

Quid sentiat Pontificii de invocatione tribuant.

Spem, fiduciam & solatium in Sanctos collocare.

Confugere ad invocationem, ad gratiam & misericordiam Sanctorum. Blasphemia Pontificiorũ in Deum.

turbetur terra. Deus est in medio ejus, non commovebitur, adjuvabit eam Deus manè diluculo, Dominus exercituum, nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Psal. 8. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, adjutor meus, & sperabo in eum, protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus, laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvabor. In tribulatione mea invocavi Dominũ & exaudivit me, de inimicis meis, & factus est Dominus protector meus. Liberavit me, quoniam voluit me. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me, propterea celebrabo te in nationibus, & nomini tuo canã. Psal. 143. Dominus misericordia mea & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus, & in ipso speravi. Ioan. 14. Ego sum vita. Psal. 36. Quoniam apud te est fons vitæ. Psal. 62. Vtiq; ad Deum silens respicit anima mea, ab ipso enim salus mea: Ipse est petra mea, & salus mea, Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est. Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. Actor. 4. Non est in aliquo alio salus. Isaiæ quadragesimo quinto, Rogant Deum non salvantem. Nam Deus salvans non est præter me. Osææ decimo tertio, Tantummodo in me auxilium tuum. 2. Par. 20. Quando ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus refidui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Esther 14. Domine adjuva me, cui præter te nullus est auxiliator alius. Sed quid laboro colligere multa talia testimonia, cùm tota Scriptura nihil aliud doceat? Quàm enormiter verò, & quã crassè, invocatio Sanctorum apud Pontificos, hisce testimoniis, & universæ Scripturæ repugnet, sola inspectio & collatio eorum, quæ supra ipsorũ verbis transscripsimus, plus satis docet.

Ita in Sanctos collocare spem, fiduciam & solatium sicut invocationes Pontificiorũ expressè faciunt, manifestè pugnat cum verbo Dei. Quid enim in toto Psalterio aliud resonat, quàm, In te Domine speravi, non confundar. Tu es spes mea. In Domino confido In te confidit anima mea? Et 2. Cor. 1. Pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione. Ro. 15. Deus patientiæ & consolationis. Et tota Scriptura sacra asseverat, spem & fiduciã cultus esse soli Deo debitos. Iere. 17 Maledictus homo, qui confidit in homine. Psalm. 117. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus. Psal. 146. Nolite confidere in filiis hominum, in quibus non est salus. Psal. 113. Qui timent Dominum, sperent in Domino, adjutor eorum, & protector eorum est.

Pugnat etjam cum Scriptura ad gratiam & misericordiam Sanctorum in invocatione confugere, quod Pontificios facere ipsorum verbis ostendimus. Ebr. 4. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus ad auxilium oportunum. Cõtumeliosum autem & blasphemum est, quòd fingunt, Deum ut truculentum, misericordiam abdicasse, & tradidisse eam exercendam Mariæ & Sanctis. Totius enim Scripturæ vox unica est, sicut Exodi 33. Deus ostensurus gloriam suam, & omne bonum, inquit: Miserebor cui misereor, & clemens ero erga quem clemens ero. Et Psal. 145. Miserator & misericors Dominus, patiens & multum misericors. Bonus est Dominus in omnes, & miserationes ejus super omnia opera ejus.

Similiter cum verbo Dei ex diametro pugnat, quod omnia ea, quæ divina beneficia sunt, quæ Scriptura affirmat à solo Deo nobis dari & conferri, pontificii à Sanctis petunt. In periculis enim suis, expressè Sanctos ut donatores & largitores beneficiorum ac donorum tàm spiritualium, quàm corporaliũ, cùm hujus, tùm futuræ vitæ, compellant, implorant, invocãt, & propter impetranda à Sanctis illa beneficia, eos colunt & venerantur, id quod Pontificios, facere ex anthẽticis ipsorum invocationibus ostendimus. Talis autem invocatio manifesta & horribilis idololatria est, gloriam enim Dei in creaturas transfert, Isai. 48. Rom. 1. Hæc in invocatione Sanctorum. tam enormiter & crassè impia sunt, ut multi ex Pontificiis, eorum defensionem suscipere non ausint. Cumq; inficiando elabi non possint (res enim manifesta est) de vulgi superstitionibus & abusibus quædam declamitant. Sed in authenticis formulis precationum, publicè talia in Ecclesiis ipsorum leguntur, demurmurantur, imò sonoro boatu decantantur, & à summis Pontificibus confirmata leguntur, quæ si jam non probant, sicut probare non possunt, cur igitur publicè & expressè ea non damnant, & ex Ecclesia abjiciunt?

Bona à sanctis petere, quæ à Deo dari, Scriptura tradit.

Excusationes impietatis, quæ inest invocationi Sanctorum,

Reliqua verò in invocatione Sanctorum novis coloribus pingere, & Sophisticis fucis incrustare, & occultare conantur. Dicunt enim, se non tribuere Sanctis, quòd sua potestate invocantibus possint auxiliari, sed quòd Deus beatis in cœlo omnia illa beneficia conferat, ut ipsi invocati, dent, largiantur & distribuant ea hominibus. Sed & hoc fine omni Scripturæ testimonio dicitur, imò Scripturæ repugnat, quæ ad gloriam Christi mediatoris affirmat pertinere, quòd acceperit dona pro hominibus, Psal. 68. Et sedens ad dexteram patris, ea conferat hominibus, Ephes. 4. Nam dextera Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hoc, quod videtis & auditis, Actor. 2. Pater enim diligit filium, & omnia ipsi dat in manum, Ioan. 3. & 13. Vt ex plenitudine ejus accipiamus, Ioan. 1. Ideò pater ipsum dedit caput Ecclesiæ, ut dona & beneficia divina, à Deo per Christum caput nostrum ad membra deriventur, Ephes. 1. & 4. Coloss. 2. Quia igitur invocatio Sanctorum, hanc gloriã mediatoris & capitis nostri, partim Christo prorsus adimit, & ad Sanctos transfert, partim in hoc officio mediatoris & capitis, Christo Sanctos tanquam socios & sodales adjungit, & quidem tanto numero, & eo modo, ut Christus inter tot socios, in hoc officio, vix agnosci possit, sicut preculæ Pontificiorum ostendunt: manifestum est etjam, hanc qualemcunq; incrustationem invocationis Sanctorum, verbo Dei destitui, imò contra Scripturam & contra officium Christi capitis pugnare.

Quomodo idololatriam invocationu Sanctorum Pontificii pingant & occultent.

Plerique hoc collyrio utuntur, Sanctos tantùm ut intercessores apud Deum invocari, ut suis in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd Sanctos tantùm ut intercessores invocent.

tercessionibus & meritis apud Deum nobis, qui indigni sumus, ea, quæ querimus, impetrét & obtineant. Sed & hoc Scripturæ adversari planum faciemus. Ad gloriam enim sacerdotii Christi, pertinet etjam officium intercessionis, ut scilicet propter intercessionem, & merita ipsius exaudiamur, recipiamur, juvemur & salvemur, sicut Scriptura multis hoc probat, Ebr. 7. & 9. Quia verò viventes in hoc seculo, jubentur pro se invicé intercedere seu interpellare, 2. Tim. 2. Et Paulus petit pro se preces fieri ad Deum in Ecclesia, Ro. 15. Et certum est tali intercessione nihil derogari officio sacerdotii mediatoris Christi: videndum igitur est, quomodo Scriptura illam intercessionem apud Deum, quam soli Christo mediatori & Pontifici nostro, tanquam proprium & peculiare officium sacerdotii ipsius tribuit, describat. Inde enim manifestum evadet, nullum in hoc officio socium Christo adjungendum esse. Summa autem hæc est: Quia propter peccata indigni sumus, qui in conspectum Dei, nostris orationibus admittamur, exaudiamur, recipiamur, misericordiam & gratiam, ad auxilium oportunum inveniamus: Deus igitur ipse Christum constituit Pontificem, Mediatorem, Advocatum seu intercessorem, Epre. 7. Qui in cœlo appareat vultui Dei pro nobis, Ebræ. 9. Et sit misericors & fidelis Pontifex, in his, quæ apud Deum nobis agenda sunt, ut peccatoribus Deum propicium reddat, Ebræ. 2. Vt per ipsum aditum & accessum habeamus ad Deum, Ephes. 3. Ebræ. 7. Vt per & propter intercessionem & merita ipsius, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus ad auxilium oportunum, Ebræor. 4. Vtiq; intercessio illa sufficiens, Deo grata, nobis utilis, efficax, certa & tuta sit. Epistola ad Ebræos cap. 7. & 9. docet officium redemptionis & intercessionis conjuncta esse, ita ut dignitatem, virtutem seu efficaciam intercessionis Christi ex meritis redemptionis pendere ostendat. Secundò addit: Ideò oportuisse, mediatorem seu Advocatum nostrum, filium Dei esse. Tertiò, secundum assumptam naturam, excelsiorem cœlis factum, ad dexteram Dei, ingressum Sanctum Sanctorum, ut appareat vultui Dei pro nobis. Quartò, Deum ipsum & quidem jurejurando constituisse illum mediatorem, advocatum & intercessorem. Et ex his fundamentis concludit, unde salvare ad plenum potest, qui per ipsum accedit ad Deum, semper vivens ad hoc ut interpellet pro nobis. His etjam fundamentis reliqua, quæ Scriptura de hac parte sacerdotii Christi tradit, nituntur, ut Ioan. 16. Quicquid patrem petieritis in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 14. Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad patrem nisi per me. Ioan. 10. Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inveniet. Ephes. 3. Per Christum habemus fiduciam & accessum, in confidentia per fidem ipsius. Rom. 5. Per Christum habemus accessum fide in gratiam. 1. Ioan. 2. Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud patrem Iesum Christum justum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Rom. 8. Quis accusabit? Quis condemnabit? Christus mortuus est, imò & suscitatus est, & est ad dexteram Dei, & intercedit pro nobis.

Intercessio pars sacerdotii Christi.

Descriptio intercessionis Christi apud Deum, juxta Scripturam.

Officium redemptionis & intercessionis Christi conjungitur.

Tales advocatos seu mediatores, ex nulla creatura facere debemus. Solius enim Christi mediatoris, proprium officium hoc est, & ad sacerdotium ipsius pertinet. Inde Paulus 1. Timoth. 1. dicit: Vnus est mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, ubi non tantùm de mediatore redemptionis loquitur, sicut Pontificii per distinctionem inter mediatorem redemptionis & intercessionis, locum illum Pauli eludere conantur. Sed disertè & hoc tractat, propter quem orationes nostræ Deo acceptæ sint ad salutem, propter unum scilicet illum mediatorem, qui semetipsum dedit precium redemptionis pro omnibus. Et Christus ipse exclusivam particulam expresè ponit, Ioan. 14. Nemo venit ad patrem nisi per me.

Distinctio Papistica, inter mediatorem redemptionis & intercessionis.

Huic verò officio Sacerdotii Christi, disertè adversatur & repugnat Pontificia invocatio Sanctorum, sicut ex iis, quæ suprà annotavimus, manifestum est. Expresè enim Sanctos ita invocant, ut merita sua interponant inter justitiam Dei, & indignitatem nostram. Et summa omnium preculatum huc redit, quòd petunt, intercessionibus & meritis Sanctorum se exaudiri, recipi, juvari, protegi & salvari, sicut & Canon Missæ ipsorum dicit: Quorum precibus & meritis concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Intercessionis Christi verò non faciunt expresè in suis preculis mentionem, Imò disertè disputant, Christum non esse ita invocandum, ut oret seu intercedat pro nobis. Hac verò ratione Christus ab ea parte sacerdotii suti, vel prorsus dejicitur & deturbatur, aut si mitissimè cum ipso agatur, alii multi & varii socii in hoc officio ipsi adjunguntur, quòd Scripturæ, sicut ostendimus, repugnat,

Antithesis invocationis Sanctorum. Summa preculatum Papisticarum, quibus Sanctos invocat. Canon Missæ.

Considerentur saltem illæ rationes, quas reddunt, quare præter Christum, etjam Sancti ut mediatores & advocati, seu intercessores invocandi sint, quia scilicet Christus durior, rigidior & asperior sit: Sancti verò magis propitii, clementes & misericordes, imò ad exaudiendum & juvandum promptiores, ut qui easdem calamitates in carne ipsi etjam experti sint. Hæc certè ratio Sanctos in officio mediatoris, non tantùm Christo adjungit, sed manifestè præfert, & ex diametro pugnat contra expressam Scripturæ sententiam. Ebræ. 2. Debuit per omnia fratribus similis reddi, ut misericors & fidelis esset Pontifex in his, quæ apud Deum forent agenda. Nam ex hoc quòd ipsi contigit tentatum esse, potest & iis, qui tentantur auxiliari. Ebræ. 4. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia, secundum similitudinem absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad auxilium oportunum, Ita etjam cum Scriptura pugnant, quòd dicunt, peccatores etjamsi pœnitentiam agant, non audere ad Christum mediatorem accedere, cùm ipse omnes voce dulcissima ad se invitet, Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et promissio extat svavissima, Ioan. 6. Eum, qui venerit ad me, non ejiciam foras.

Causæ cur Sancti invocandi sint, ut advocati & intercessores. Prima. Sancti Christo misericordiores.

Refutatio ex Scriptura.

Secunda. Peccatores non audere adire Christum mediatorem.

Ex his manifestum est, immensum & infinitum

tum discrimen esse, inter intercessionem Christi capitis, Pontificis, Mediatoris & Advocati nostri, & inter preces communes, quibus membra Ecclesiæ, in hac vita, pro se invicem orant. Et ostensum est, Pontificios in suis invocationibus, tribuere Sanctis illam intercessionem, quæ ad sacerdotium Christi pertinet, & ipsius propria est.

Invocatio & adoratio soli Deo debetur.

Imò, totum negocium, & quidem ipsæ appellationes invocationis & adorationis Sanctorum, pugnant contra Scripturam, quæ Deum jubet invocare & adorare. Psal. 17. Invocabo Dominũ, & ab inimicis meis salvabor. Item, In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi, &c. Psalm. 50. Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Psal. 86. Beneficus esto mihi Domine, quia te quotidie invoco. Lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi, quoniam tu Domine bonus es & propitius, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. Psalm. 120. Ad Dominum cùm tribularer clamavi, & exaudivit me. Psal. 144. Præsto adest Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos, &c. Et ne opus sit ire per singula, Salomon 3. Regum 8. enumerationem instituit per partes seu species, quòd in omnib. necessitatibus Deus sit invocandus. Quodq; gloria exauditionis Deo debeatur, testatur Psalm. 18. & 50. Et breviter, salutarem invocationem debere ad Deum fieri per Christum confirmat Paulus ex Ioële: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Vnus enim & idem est Dominus omnium πλουτῶν, hoc est, thesaurus bonitatis, gratiæ & beneficentiæ suæ exuberans in omnes invocantes se. Et salutarem invocationem cum fide ita connectit, ut disertè dicat: Quomodo invocabunt in quem non credunt? Eum igitur solum invocare debemus, in quem Scriptura nos credere jubet. Et sicut in nullum alium, quàm in solum Deum credere debemus, ita etiam solum Deum invocare debemus. Aliàs sicut fide, ita etjam invocatione, si ad creaturas transferatur, idololatria committitur. Scriptura quidem dicit, Exod. 14. Crediderunt Domino & Mosi servo ejus. Sed Patres rectè dicunt: Aliud esse credere alicui, & aliud credere in aliquem, quod soli Deo competit. Ofius, quia videt hoc argumento, Ro. 10 causam invocationis Sanctorum funditus subverti, ut ei periclitanti & labascenti subveniat, non veretur affirmare, etjam in Sanctos credendum esse. Idq; probare conatur ex epistola ad Philemonem, ubi Paulus dicit: Audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Iesu, & erga omnes Sanctos. Paulus verò nequaquam dicit: Credo in Deum & in omnes Sanctos, sed utitur consueta sua distributione, quòd recenset fidem in Deum & charitatem erga proximum. Scriptura rectè inde probat, Christum esse Deũ, quia jubemur in illum credere, & ipsum invocare. Quod argumentum de divinitate Christi, per invocationem Sanctorum, prorsus obscuratur & labefactatur.

Credere alicui. Credere in aliquem. Duplex vox blasphema.

Formula orationis Dominicæ, everti

Est & hoc firmum & illustre argumentũ cõtra invocationẽ Sanctorum, quòd Christus præscribens formulam veræ, piæ & salutaris invocationis, inquit: Quando oratis dicite: Pater noster, qui es in cœlis, Quia tuum est regnum, & potẽtia, & gloria. Ille ergo solus invocandus est, qui est pater noster in cœlis, cujus est regnũ, potentia & gloria. Quæ ut solius Dei propria sunt, ita Sanctis vel verbo, vel ipso facto invocatiõis ea tribuere, idololatria est. Hac certè nota discernitur, verà invocatio à falsa, sicut David & Ieremias pronunciant. Effunde iram tuum in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt. Et impiorum descriptio traditur, Psal. 53. Deum non invocant. Licet enim omnes Gentes sentiant, se invocare illum Deũ, qui est creator cœli & terræ, quia tamẽ non ita sicut se patefecit, invocant, patrem scilicet, filium & Spiritum sanctum in nomine Christi, sed præter Deum, alias potestates intermedias invocant, sicut Augustinus lib. 8. de civitate ostendit, Deus pronunciat ipsos non invocare nomen suum. Se enim solum vult in vocari & adorari, sicut Christus inquit, Matth. 4. Scriptum est, Dominũ Deum tuum adorabis, & ipsum solum coles, Atque propter hanc causam Sancti & homines & Angeli, magno zelo adorari se prohibuerunt, Actor. 10. & 14. Apoc. 19. & 22. Quomodo verò Pontificii locos illos eludere conentur, mox in refutatione argumentorum dicemus.

Discrimen veræ & falsæ invocationis.

Postremò pugnat & hoc contra Scripturam, quòd Sanctis in cœlo, invocantibus suis hoc tribuunt, quòd præsto adsint invocationibus, quòd hominum corda intueantur, cogitationes & gemitus cognoscant, audiant, discernãt & judicẽt. Solius enim Dei & Christi mediatoris, proprium est, omnibus adesse, corda intueri & scrutari, ac cogitationes videre. Idq; in oratione fieri, Paulus ex professo affirmat, Ro. 8. Qui scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus. Matth. 6. Ora patrem tuum, qui est in occulto, & pater tuus qui videt in occulto, reddet tibi in propatulo. Psal. 18. Clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus. Psalm. 38. Gemitus meus à te non est absconditus. Psalm. 79. Introeat in conspectum tuũ gemitus competitorum. Psal. 144. Præsto adest Dominus omnibus sese invocantibus. Deu. 4. Nõ est alia natio, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. De Sanctis verò, qui ex hac vita discesserunt, Scriptura expresè tradit, quòd nos & res nostras in terris non cognoscant. 4. Regum 22. Colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum super locum istum. Isai. 63. populus protestatur se ideò oratione ad Deum confugere, quia Abraham nescit nos, & Israël ignorat nos, tu verò pater noster es, respice de cœlo.

Docent Sanctos invocantibus adesse, & gemitus cordis humani intelligere.

Sancti mortui non cognoscunt res humanas in terris.

His simpliciter contraria sunt, quæ in invocatione Sanctorum geruntur, sicut ostendimus. Quòd verò singulis Sanctis certas procurationes assignant, hoc fit sine omni Scriptura, exemplo prorsus Ethnico, sicut Mantuanus dicit: Vt Martem Latii, sic nos te dive Georgi.

Procurationes singulorum Sanctorum.

Hæc Scripturæ testimonia, quæ liquidò & certò ostendunt, quid de Pontificia invocatione Sanctorum sentiendum & judicandum sit, sine rhetoricis amplificationibus, nuda tantùm, simplici & brevi recitatione, appositimus præcipuis erroribus, qui in invocatione Sanctorum hæ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Congeries rationum oppositarum invocationi Sanctorum.

rent, ut ipsa contrapositio judicium ex verbo Dei ostendat. Possent formari & aliæ rationes contra invocationem Sanctorum, quòd scilicet eum, quem in necessitatibus invocamus, necesse sit scire, velle, & posse juvare invocantes se, quodq; invocantium preces ad ipsum possint pertingere, & quòd melius intelligat, quibus rebus opus habeamus, quàm à nobis exponi potest. Hæc verò soli Deo conveniunt, nisi Sanctos velimus omnipotentes & omniscios facere. Sed quando Scripturæ testimonia, ipsis verbis Dei, erroribus opponuntur, tunc non humanæ argumentationes, sed ipsa vox divina judicium pronunciat de controversia.

EXPLICATIO ET REFVTATIO ARGVMENTORVM, QVAE *à Pontificiis pro stabilienda invocatione Sanctorum formari & opponi solent.*

PIIS conscientiis satis est, & firmis & perspicuis Scripturæ fundamentis, cognitam habere doctrinã de vera invocatione Dei in nomine Christi. Hæc enim rectè cognita, quicquid ab ea diversum est, aut cũ ea pugnat, sine disceptatione repudiabunt, etiamsi non possint omnia sophismata, quæ veritati acutè opponuntur, solvere. Cumq; præterea hactenus ostensum sit, Pontificiam invocationem Sanctorum nõ esse verbo Dei traditam, sed ab eo dissentire, imò cum eo pugnare. Et contra manifestam Scripturæ sententiam, nulla argumenta vel admittenda, vel recipiẽda sint, posset totum hoc caput, quod in refutandis argumentis adversariorum occupatur, omitti. Ne tamen aliquid, quod certam & solidam fidei πληροφορίαν turbare aut labefactare possit, relinquatur: Præcipua argumenta, quæ à Pontificiis, ad stabiliendam invocationem Sanctorum formari & opponi solent, colligemus, addita singulis brevi explicatione & refutatione. Nam & hujus operæ non contemnendum erit precium. Qualis enim causa sit, quam de invocatione Sanctorum Pontificii defendunt, infirma, aliena & contorta argumenta, quibus ad eam stabiliendam utuntur, ostendent. Et in refutationibus istorum argumentorum quædam, quæ ad illustrandam doctrinam de vera invocatione nõ parum faciunt, commodè explicari poterunt.

Pontificii violenter Scripturam ad Sanctorum invocationẽ detorquent.

Priusquam autem ordine argumenta recenseamus illud præmittere non erit inutile, unde colligi potest, qua fide & conscientia, Scripturæ quædam testimonia, ad stabiliendam invocationem Sanctorum detorqueant. Eccius enim in suo Enchiridio disertè fatetur, Spiritum sanctũ expressis Scripturis, hoc est, nec doctrina, nec mandato, nec promissione, nec exemplo tradidisse invocationem Sanctorum. Et in veteri Testamẽto ideò non fuisse traditam invocationem Sanctorum, quia populus alioquin propensus fuerit in idololatriam, & patres in limbo nondũ fuisse beatos, quia ante passionem Christi non pervenerint ad visionẽ Dei. In novo verò Testamento non esse traditam, ne Gentes ad veterem cultum idolorum reverterentur, & ne Apostolis arrogantiæ hoc daretur, si docerent Sanctos post mortem colendos & invocandos, quasi ipsi post mortem, gloriam illam quærerent. Hoc Lector benè notet. Si enim juxta propriam ipsorum cõfessionem, invocatio Sanctorum nec in veteri, nec in novo Testamento tradita est, Ergo nec ex testimoniis illis, quæ ex Scriptura allegari solẽt, probari potest. Imò ipsi Pontificii, quando tales Scripturæ sententias citant, non credunt, invocationem Sanctorũ in illis tradi. Nihil aliud itaq; agunt, quàm quòd simpliciorum oculos perstringere, & animos fascinari conantur, ut existimẽt, in allegatis Scripturę testimoniis hoc tradi, quod ipsi allegatores fatentur, in tota sacra Scriptura expressè & certò non contineri.

Pontificiũ fatetur Scripturam non tradere de invocatione Sanctorum.

Hanc glossam memineris semper præponendam, quando videris Pontificios testimonium aliquod Scripturæ, ad stabiliendam invocationẽ Sanctorum, proferre. Quod enim Asotus dicit, in Scripturis non quidem doceri, sed insinuari invocationem Sanctorum: Quodq; Iesuitæ scribũt, non apertè eam in Scripturis tradi, sed in mysterio, unde elicienda sit, non probationes sunt, sed ludificationes in re tanta, sed ordine argumenta ipsorum videamus.

Petrus à Sto. Iesuita.

I. In Regum aulis, non statim ad ipsum Principem subditis patet aditus, & si quis in conspectum ipsius Regis statim prorumpat, malè accipitur. Sed illi, qui apud Principes in authoritate sunt, ut per eos negotia apud Principem conficiantur. Ergo multò magis hoc observandum erit, quando Deus nobis adeundus est.

I. Argumentum à moribus aularũ.

Ad hoc argumentum, facilis est responsio. Nõ enim ex similitudinibus rerũ humanarum, præsertim, quæ per peccatum depravatæ sunt, sed ex verbo divinitus patefacto, de voluntate Dei judicandum est. Quia scriptum est: Deus ego & non homo, Osc. 11. Et de ipso negotio invocationis disertè scribitur, Isa. 55. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neq; viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus, sed sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt cogitationes, & viæ meæ à vestris. Et quæ sint cogitationes ac viæ Domini, quod ad invocationem attinet, tradito certo verbo, nobis revelavit. Ab illo discedere, & Deum ex corruptis aularum moribus æstimare, stultissimum sanè, ne impium dicam, esset. Quòd enim Principes ipsi non audiunt suos, illud non facit ratione officii, sed vel præ superbia & negligentia, quòd suos despiciunt, & nõ curant, vel quòd aliis deliciis & voluptatibus dediti, rebus suorũ vacare nolint. Quàm infeliciter verò subditorũ rebus corruptis hisce moribus consulatur, testantur totius Orientis & Occidentis querelæ, ut non inveniã id argumentum hoc, homo quidam facetus deriserit. Cùm enim in aula quadã, manibus singulos prensando, verbis demulcendo, & muneribus promerendo, diu circumactus fuisset, & tamen parum proficeret, audiens Episcopum quendam, declamitare de invocatione Sanctorum, ex aulica illa consuetudine, exclamavit. Si in cœlis, quando Deus nobis adeundus est, ea ratio est, quæ in aulis, tunc simpliciter actum & conclamatum nobiscum est.

Faceta huius argumenti irrisio.

Volui

Volui autem hoc argumentum, primo loco ponere, ut observetur, invocationem Sanctorũ non ex verbo Dei sumptam, sed ex illis ipsis humanis ratiocinationibus extructam esse, ex quibus omnes idolomaniæ Ethnicorum ortæ sunt.

Ethnicorum hoc argumentum erat. Ambrosius. Augustinus.

Hoc enim argumento Ethnicos ad stabiliendam suam idololatriam usos fuisse (sicut per Comites pervenitur ad Regem) testatur Ambrosius in primum caput ad Rom. Et Augustinus libr. 8. de civitate Dei, prolixè recitat, Platonicos ideò inter summum Principium, & inter vota hominũ intermedia quædam numina, tanquam internuncios seu mediatores, qui vota nostra susciperent, & ad summum Deum ea referrent, ac ibi expedirent, & expedita ad nos referrant, finxisse, quia cogitârint nos indignos esse, quibus ad ipsum Deum pateat aditus, & infra majestatem Dei esse, singulorum precibus vacare, cùm suprema illam majestatem aliis majoribus negotiis occupari verisimile sit. Nota autem est ex Scriptura, dulcissima doctrina, quòd Deus velit & quidem mandet, ut invocatione se accedamus, & promittat se singulos audire, & singulorũ res etiam minimas, ut capillos defluentes curare vel le. Quod si similitudo illa de intercessoribus in aulis pertinaciter urgeatur, rectè respondet Apologia nostra: Si Rex constituerit certum intercessorem, non volet ad se causas per alios deferri. Ita cùm Christus sit constitutus Pontifex & intercessor cur quærimus alios?

Apologia.

II. Humilitas in oratione Deo grata, nobis utilis & necessaria est, ut indignos nos agnoscamus, qui ob conditionis vilitatem, & propter enormitatem ac multitudinem peccatorum, Deũ interpellemus, & ab ipso exaudiamur. Ergo sancti Deo carissimi, in quibus nulla exorandi indignitas cognoscitur, invocandi à nobis sunt. Respondeo: Verum est, quòd ad Deum eò propius quis accedit, quo se magis coram eo humiliat agnitione, conscientia, & cõfessione peccatorum & propriæ indignitatis. Deus enim superbiam cùm semper, tùm maximè in oratione odit, Lu. 18. Sed inde non sequitur, ad Sanctorum intercessiones & merita nobis indignis esse confugiendum. Deus enim certum nobis constituit Mediatorem, filium suum Dominum nostrũ Iesum Christum, per hunc vult nos ad se accedere, & propter hujus intercessionem & merita affirmat nos, licet indignos, exaudiri, recipi, & juvari. Et hæc vera est humilitas, agnoscere & fateri, tantã esse nostram indignitatem, ut nec nostra, nec omnium Sanctorum, sed solius Christi merita, interposita inter Deum & indignitatem nostram, possint nobis impetrare gratiam & misericordiam ad auxilium oportunum. Pharisaica autem superbia est, vel nostra, vel aliorum hominum merita Deo in oratione opponere.

II. Indignitas nostra cogit ad Sanctos confugere.

III. Honor, qui ministris & amicis alicujus Domini exhibetur, Domino nõ potest ingratus esse. Indicium enim est benevolentiæ erga Dominum. Ergo cultus & invocatio Sanctorum (de quibus Christus inquit: Non jam dicam vos servos, sed amicos meos) non potest Deo displicere.

III. Quia Sancti sunt honorandi.

Respondeo: Sanctos Dei esse honorandos seu venerandos, suprà prolixè ostensum est. Sed inde non sequitur, eos esse invocandos. Non enim ex conjecturis aut similitudinibus, sed ex verbo Dei de voluntate ipsius statuendum est. Scriptũ enim est, Lucerna pedibus meis verbum tuum, In verbo Dei autem traditur, quomodo Deus Sanctos suos velit honorari, & quem honorem sibi soli, ut Domino velit exhiberi, ita ut gloriam suam non velit dare alteri. Sanctos autem invocatione esse honorandos, Scriptura non docet, sed affirmat solum Deum adorandum & colendum esse, Matth. 4. Item, Invoca me in die tribulationis, &c.

IIII. Christus secundum divinã naturã æqualis est majestatis cum patre. Secundum humanitatem autem exaltatus est, super omne nomen ad dexteram majestatis. Ergo major & altior est, quàm ut vel nostris malis afficiatur, ut ad ipsum accedere ausimus, sed reverentes tantam in ipso majestatem, ad Sanctos potiùs confugiamus, qui promptiores erunt ad patrocinandum nobis, quia membra nostra sunt, & easdem miserias experti. Respondeo: Hoc argumentum simpliciter pugnat cum expressa Scripturæ sententia. Ebre. 2. & 4. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed ideò similis factus est fratribus per omnia, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum. Nam ex hoc, quòd contigit ipsum tentari, potest & iis, qui tẽtantur auxiliari. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus ad auxilium oportunum. Rom. 8. Est in dextera Dei intercedens pro nobis. Luc. 23. Memento mei, quando veneris in regnum tuum. Matt. 11. Venite ad me. Ioa. 16. Quicquid in nomine meo petieritis, &c. Manifestum igitur est, vel ex hoc argumento, sine Scriptura, imò cõtra Scripturam, ex humani cordis cogitationibus & ratiocinationibus extructam esse invocationem Sanctorum. Ad talia verò argumenta omnia Paulus respondet, Rom. 1. Frustrati sunt per ratiocinationes suas, & obtenebratum est insipiens cor eorum, cùm putarent se esse sapientes, stulti facti sunt.

Quartum ex gloriosa Christi exaltatione.

V. Sed Genes. 48. Iacob dicit: Invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Abraham & Isaac.

V. Ex dicto Genes. 48.

Respondeo: Vel hæc sola allegatio ostendit, qua fide causam hanc agant Pontificii. Certissimum enim est pios in veteri testamento nunquã invocasse nomẽ Abraham, Isaac aut Iacob. Quod ipsi etjam Pontificii fatentur & concedunt, addita hac ratione, quòd tunc Sancti in limbo caruerint visione Dei. Ergo falsò, & quidem contra propriam conscientiam, hoc testimonium ad stabiliendam Sanctorum invocationem allegant. Et quòd Scholastici olim phrasim illam Gene. 48. non rectè intellexerunt, barbariei istorum temporum imputari potest. Nunc verò studiis linguarum tam feliciter illustratis, idẽ facere, morbidæ causæ, & malæ conscientiæ indicium est. Vsitata enim in Scriptura hæc phrasis est, quando aliquis alterius nomine, tanquam familiæ ipsius insertus appellatur, ut Iesai. 4. Vxores dicunt ad maritum: Invocetur nomen tuum super nos. Et de templo sæpissimè Scriptura, ita loquitur: Super quod invocatum est nomen tuum. Id est, quod nomine tuo appellatur, scilicet Domus

Scholastici. Fallacia figuræ dictionis.

Invocare nomen alicuius super aliquẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sententia verborum Iacobi.

Domini. Ita Iacob nihil aliud vult dicere, quàm se nepotes suos, ex Iosepho natos adoptare in filios, ut sint & dicantur filii Iacob, sive Israël, ac si ex ipso Iacobo essent nati. Ne quis existimaret, ipsis aliquid derogari ideò, quòd vel ex matre Aegyptiaca essent nati, vel quòd Ioseph inter Aegyptios vivens eos genuisset. Sed excipiunt, Iacobum in illa oratione, non tantùm de politica adoptione, sed de spirituali etjam benedictione agere. Plus igitur quàm solam nuncupationem phrasin illam complecti. Respondeo: Quia tota posteritatis Israël felicitas & beatitudo constabat divini fœderis hæreditate: Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Item, Multiplicabo semen tuum, &c. Iacob igitur hac adoptione, simul etjam fœderis successionem ad nepotes illos transmittere voluit: Quod inde fiebat, quia jam facti erãt filii Abraham, Isaac, & Iacob. Phrasis igitur illa, per se simpliciter hoc sonat, Ephraim & Manasses, familiæ Iacob annumerari, & genere ipsius censeri. Indè verò sequebatur fœderis hæreditas, ideò Hebraismus simpliciter habet, Nomen meũ voceturin eis.

Ad exceptionem responsio.

VI. Ex dicto Ierem. 15.

VI. Ierem. 15. Si staret Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Respondeo: Regula usitata & vera est: Conditionalis nihil probat, nisi posita conditione. Et sensus verborum eò inclinat, Mosen & Samuelem tunc non stetisse coram Deò pro populo. Ex hoc igitur loco contrarium potiùs ostendi posset, intercessionem scilicet mortuorum tunc ignotam fuisse. Et ut maximè alterum concederetur, non tamen sequeretur esse invocandos. Pontificii verò, non possunt dicere Mosen & Samuelem tempore veteris Testamenti stetisse coram Deo pro populo. Traduntenim, patres in limbo ante passionem Christi non admissos ad visionem Dei. Iterum ergo Lector animadvertit, qua fide Pontificii causam hanc agant. Sensus verò Prophetæ certus & manifestus est. Tam abominandũ peccatum esse idololatriam coram Deo, ut etiamsi talis aliquis ipsi cõtingat intercessor, qualis Moses & Samuel, dum in hac vita essent, fuerunt, se tamen non parciturum populo. Hæc interpretatio non est incerta. Eodem enim prorsus modo Deus loquitur, Ezech. cap. 14. Si fuerint tres viri illi, in medio ejus, Noe, Daniel & Iob, ipsi in justitia sua liberabunt animas suas; & sciunt Pontificii, Thomam ex glossa interlineari, Glossam verò ex Hieronymo eodem modo locum illum interpretari, quòd scilicet loquatur juxta statum, quo in hac vita Moses & Samuel fuerunt. Hos enim legimus, dum viverent pro populo orantes iræ Domini restitisse, & impendentem avertisse sententiã, Et glossa addit: Hic est intellectus istius loci. Reputo autem hinc rectè judicari quàm ruinosa sit causa invocationis Sanctorum, cujus talia ponuntur fundamenta.

Sententia verborum Ieremiæ.

Cõfirmatio.

Thomas.

VII. Patres vet. Testam. in orationib. suis meminerunt Patriarcharum.

VII. Sed patres veteris Testamenti in invocatione sæpe oppositerunt Deo nomina & merita Patriarcharum, ut Gen. 32. Deus patris mei Abraham & Isaac ere me, &c. Exod. 32. & Deut. 9. Recordare servorum tuorum Abraham, Isaac & Iacob, &c. Psal. 132. Memento Domine David, & omnis afflictionis ejus, Respondeo: Ipsa Scriptura se disertè declarat, quòd hisce phrasibus veteres, Deo tantùm rationem fœderis, quo Abrahamo, Isaaco & Iacobo pepigerat, se posteritati ipsorum benefacturum, proponant, quodq; se promissionibus Dei ad Patriarchas factis, niti ostendant. Ita enim Moses inquit, Exod. 32. Memento Abraham, Isaac, Iacob, quibus jurasti per temetipsum dicens: Multiplicabo semen eorum, & terram hanc dabo ei, ne dicant Aegyptii, &c. Deut. 26. Sicut jurasti patribus nostris. Ita in Cantico græco Daniel. 3. Propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel sanctum tuum, quibus locutus es pollicens, quòd multiplicaturus, &c. Et 3. Regum 8. Solomon in dedicatione templi, Psalmum 132. ita declarat: Nunc Domine Deus Israel, conserva famulo tuo David patri meo, quæ locutus es ei. Item, firmentur verba tua, quæ locutus es servo tuo, David patri meo. Psal. 89. Disposui pactum electo meo, juravi David servo meo. Si deliquerint filii ejus, non prophanabo pactum meum, semel juravi in sanctitate mea, si David i mentiar. Vbi ergo sunt misericordiæ tuæ Domine antiquæ, sicut jurasti David in veritate tua. Hinc 2. Paralip. 21. Noluit Dominus disperdere domum David propter pactum, quod inierat cum eo. Et Isai. 37. Protegam civitatem hanc, propter me & propter David servum meum. Quod verò in orationibus illis non confugerint ad mortuorum intercessiones, manifestum est ex oratione, quæ extat Iesa. 63. Abraham non cognoscit nos, & Israel ignorat nos, Tu Domine pater noster.

Solutio argumenti, & explicatio phrasis.

Et tamen mox additur: Convertere propter servos tuos, quia sumus tribus hæreditatis tuæ. Ergo tantùm ad promissiones patribus factas, & ad beneficium fœderis cum patribus initi, confugiunt, quando dicunt: Recordare Abrahã, &c. Promittit quidem Deus, se propter pios, etjam posteris benefacturum, Exod. 20. Genes. 22. & 26. Iesa. 37. 3. Regum 15. Sed pii in suis orationibus, sicut ostendimus, non merita patrum, sed gratuitam Dei promissionem allegant. Non enim dicunt, exaudi quoniam illi benè meriti, sed quia promisisti, pepigisti, jurasti illis.

VIII. Aliam parabolam.

VIII. Allegant exemplum 2. Reg. 14. Absolon reconciliatus patri, non statim admittitur in conspectum ejus, sed per biennium sedet in domo sua, & faciem Regis non videt, donec per intercessionem Ioab hoc impetret. Ergo multò minus peccator agens pœnitentiam, debet oratione sua statim in conspectũ Dei prorumpere, sed ad Sanctorum intercessionem confugere.

Solutio prior distinctione.

Respondeo. Alia ratio est reconciliationis apud civilem Magistratum, alia verò apud Deum, de qua ex verbo judicandum est, quòd pronunciat nos fide per Christum habere accessum ad Deum, Ephes. 5. Accessum ad gratiam, Rom. 5. Et pater redeunti filio prodigo, cùm adhuc longè abesset, obviam procedit, amplectens illum, Luc. 15. Filius enim qui est in dextera patris, intercedit pro nobis, quis ergo accusabit, quis damnabit, cùm Deus intercedente filio justificet? Rom. 8.

IX. Exemplum regum mundi.

IX. Sed Adonias impetraturus Abisagen à Solomone matrem ejus Bethsabe submittit advocatam, quia inquit, non potest tibi ut matri quicquam negare. Et Solomon matrem intercessuram collocat ad dexteram suam dicens, pete mater mea, neque enim fas est, ut averiam faciem tuam, 3. Reg. 2. Ergo multò magis, de matre Domini hoc statuendum est, cùm Solomon typum Christi gesserit.

Respondeo. De regno Christi, non ex similitudine regnorum hujus mundi, sed ex verbo Dei judicandum est, regnum enim eius, non est de hoc mundo, sed cœlorum regnum. De solio verò Marię collocato ad dexteram Christi, & de autoritate eius, qua in societatem officii Christi admissa sit, Scriptura nihil docet, sed hæc soli & uni Christo tribuit. Et CHRISTVS ipse, eorum, quæ officii sui sunt, nihil ad matrem pertinere ostendit, cùm deprecanti respondet, Iohann. 2. Quid mihi & tibi mulier? Similis etjam historia extat Matth. 14. Marc. 3. Luc. 8. Ipsa etjam Maria inquit: Beatam me dicent omnes generationes, non quod ego magna futura sim, ut meum nomen sanctum sit, sed quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. Et quàm inepta sit hæc ratiocinatio pro invocatione Sanctorum, ipsa historia ostendit. Solomon enim duriter increpat matrem, ac sanctè jurat Adoniam moriturum, eumq; è vestigio interfici jussit. Infausta sanè intercessio, quæ mortem affert. Talem sibi intercessionem Pontificii habeant: Nos CHRISTVM habemus advocatum, qui est propiciatio pro peccatis nostris, 1. Ioh. 2. per cujus vitam servamur ab ira, Roman. 5. Qui salvat eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, Ebr. 9. Eo pro nobis intercedente, quis accusabit? quis damnabit? Rom. 8.

Decimum ex dicto Iob. 5.

X. Iob. 5. Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere.

Respondeo nequaquam sententia est, Iobum debere in sua calamitate ad Sanctorum invocationem confugere, sed præcedentia & sequentia ostendunt sensum: Neminem scilicet à justo Deo puniri, ubi nõ causa pœnæ subsit. Et ideò inquit: Ostende aliquem Sanctorum, qui in tali calamitate sicut tu, fuerit, sine causa, quemadmodum tu existimas.

Undecimum ex dicto Iob 33.

XI. Iob 33. Si fuerit pro eo Angelus loquens unus de millibus, ut annunciet hominis æquitatem, miserebitur eius, & dicet: Libera eum, inveni in quo ei propicier. Respondeo: Elihu ostendit, quam variis modis Deus homines adducat ad pœnitentiam, vel immissis conscientiæ terriculamentis, vel per flagella castigationum. Et si tunc adfuerit homini nuncius, interpres voluntatis divinæ, ex verbo ostendens homini, quid rectum sit: Hoc modo si in terroribus cõscientiæ, seu in cruce accesserit ministerium verbi, operatur Deus pœnitentiam ad salutem. Et hanc sententiam quæ vera est, verba ipsa reddunt, Angelos enim vocari Doctores, tãquam nuncios Dei, notum est, & hoc loco addit vocabulum:

Angelus scripturæ phrasi significat ministrum verbi Dei.

מליץ quod significat interpretem, ut ostendat, qualem Angelum intelligi velit, nec textus habet (loquens pro eo) sed si fuerit juxta eum Angelus interpres. Neque hoc textus dicit: Angelum Deo annunciare hominis æquitatem, habet enim לאדם ut scilicet homini annunciet rectitudinem seu officium ipsius, quæ omnia ad ministerium verbi congruunt. Gregorius interpretatur de intercessione Christi mediatoris, Hieronymus ita accipit, sicut Esaias pro Ezechia ægrotante oravit. Aut si de Angelo intelligatur, idem erit quod Actorum 10. Angelus ad Cornelium dicit: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ, ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Inde verò non sequitur Sanctos esse invocandos. Nam ne Angeli quidem se adorari aut invocari volunt, Apocal. 22. & 19.

Gregorius.

Hieronymus.

Duodecimũ ex vivorum hominũ pro alio intercessionibus aut deprecationibus.

XII. Sed Paulus vult fieri intercessiones in Ecclesia pro omnibus hominibus, 1. Timoth. 2. Et Iacobi 5. Orate pro vobis invicem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio justi efficax. Et Paulus petit, ut Romani & Colossenses pro se orent, Roma. 15. Col. 4. Et quantum illis intercessionibus tribuat, ostendit, cùm ad Philemonem inquit: Spero quòd per orationes vestras donabor vobis: Et Deus ipse vult intercessores ad se parari sanctos, ut propter ipsos exaudiat. Genesis 20. Orabit pro te, est enim Propheta, & vives. Iob 42. Ite ad servum meum Iob, & orabit pro vobis, faciem ejus susciptam, ut non imputetur vobis stultitia.

Ezechielis 22. Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni. Ita Abraham pro Sodomitis, Gen. 18. Moses per Israelitis intercedit, Psalm. 106.

Respondeo: Hæc omnia & similia etjam testimonia, loquuntur expressè de vivorum orationibus in hac vita. De illis habemus mandata, exempla, & promissiones in Scriptura Canonica. Et sicut miraculis, ita etjam exauditione orationum, Deus sæpe Prophetis & Sanctis suis, quia in hoc mundo contempti erant, testimonium præbuit veritatis, innocentiæ & acceptationis. Sicut cùm Paulus captivus duceretur Romam ob cõfessionem Evangelii, Deus ipsius orationibus donavit animas 276. in naufragio, Actor. 27. De iis verò, qui ex hac vita discesserunt, tale nullum extat mandatum, nullum exemplum, nulla promissio in scriptura Canonica.

Texuntur quidem ratiocinationes à minori ad majus, & cogitationes non sunt impiæ, beatos in cœlis orare pro Ecclesia in genere, sicut suprà diximus. Sed quomodo orent, in Scriptura revelatũ nõ est. Ex iis verò, quæ Sancti in hac vita agunt, non est sine expressis Scripturæ testimoniis dogma constituendum, aut articulus fidei faciendus de statu beatorum in altero seculo. Scriptura enim dicit: Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit. Concedimus bonas & pias esse cogitationes, de beatis in cœlo, cupientibus & optantibus, cœlesti modo, Ecclesiæ in terris sub cruce militanti, optima quæq; sicut in capite de veneratione Sanctorum ostensum est, modò non pro necessario articulo fidei proponatur. Inde verò non sequitur: Sanctos esse invocandos, sicut apud Pontificios fit. De Patrum enim cogitationibus, quod attinet ad societatem orationis Sanctorum, qui in cœlo sunt, & qui adhuc in terris versantur, mox in historia de origine invocationis Sanctorum quædam dicemus.

Sed urgent Pontificii, ex citatis testimoniis de

Universidad de Deusto
Biblioteca

vivorum intercessione hoc tamen cõsequi, non repugnare officio mediatoris & Pontificis Christi, si alios & plures intercessores paremus, qui unà nobiscum, Deum in nomine Christi, pro nostris necessitatibus invocent. Paulò antè verò ex perspicuis Scripturæ testimoniis, descripsimus intercessionem Christi mediatoris, Pontificis & advocati nostri, quæ solius ipsius ita propria est, ut in ea nullum admittat socium. Et ostendimus, Pontificios suis invocationibus ex Sanctis facere tales intercessores, ut ipsorum intercessionibus & meritis accessum habeant ad Deum, exaudiantur, recipiantur, juventur, & salventur, quod simpliciter repugnat officio sacerdotii Christi. Ecclesiæ verò sive vivorum intercessio alia est. Petimus enim, vt Deum vnà nobiscum per Christum invocent, pro nostris necessitatibus. Et hoc, quia de Sanctis, in hoc seculo nobiscum adhuc versantibus, habet mandatum & promissionem Dei, non pugnat contra officiũ Christi mediatoris, Pontificis & advocati nostri. Quòd si quis verò etjam vivorum preces pro se fieri, ea opinione peteret, sicut Pontificii Sanctos invocant, ut scilicet vivorũ intercessione & meritis exaudiretur, reciperetur, & salvaretur, is non juxta Scripturam, Ecclesiæ intercessionem flagitaret, sed officio sacerdotii Christi manifestè derogaret.

Ecclesia pro nobis intercessio in hac vita.

Licet à vivis petere, ut pro nobis orent. Ergo & Sanctos invocare licet, ut pro nobis intercedant.

Instant verò ex Pontificiis τῶ σκληρὰ μαλθακῶς γεγοντες. Sicut sine impietate possum vivos invocare, hoc est, petere ab ipsis, ut pro me orent. Ita potero etjam Sanctos, qui jam cum Christo sunt, invocare, ut pro me intercedãt. Respondeo, Paulus petit per literas, ut Romani pro se orent, sed non invocat Romanos. Est enim invocatio præcipua pars cultus divini, & complectitur affectum mentis, confugientis ad gratiam, præsidium & auxilium ejus, quem invocat. Atq; ideo Scriptura non dicit vivos à nobis invocari, quos petimus, ut pro nobis orent. Sed quid, inquiunt, Si vocabulum invocationis non tribuatur Sanctis, sed dicãtur à nobis compellari? Respondeo: Hoc Pontifex & Concilium Tridentinum non concedit, nam pro invocatione Sanctorum, ut pro aris & focis pugnant. Et de ipsa etjam compellatione res plana est. Etjamsi enim beati in cœlo orent pro Ecclesia, non tamen sequitur ipsos in oratione nominatim à nobis esse compellandos. Nullum enim dubium est, fideles in Africa & in India orare pro Ecclesia, sed non sequitur, quando vel coràm, vel per literas non possum cum ipsis agere, me eos in oratione debere compellare, ut pro mea necessitate orent. Ita enim vel tribuerem ipsis, quòd desideria & gemitus cordis mei viderent, vel certè in oratione, quæ maximè religiosa esse debet, luderem.

An compellandi Sancti, si non invocandi?

Alia exceptio Pontificiorum.

Sed postremò ajunt quidam: Si statuam beatos in cœlo optare Ecclesiæ in terris omnia bona, potero sine impietate in oratione mea optare, ut illis generalibus beatorum votis, mea etjã necessitas includatur. Respondeo: Quomodo Patres quidam talem societatem orationum beatorum in cœlis optârint in suis precibus, postea in historia annotabimus. Pontificiorum verò invocationem, longè aliam esse, ex ipsorum libris & preculis, antea liquidò ostendimus.

XIII. Sed sicut Angelus Actorum 10. vel coram cernit, vel in Deo videt, vel ex eius revelatione agnoscit, eleemosynas & orationes Cornelii. Et Zachariæ 1. Angelus scit adesse septuagesimum annum. Et quia coram Angelis in cœlo gaudium est, super uno peccatore agente pœnitentiam, Luc. 15. Innotescit igitur Angelis in cœlo, quando peccator aliquis agit pœnitentiam. Ita eodem modò dicunt beatos, quia sunt ἀσάγγελοι, Luc. 20. Licet per se non possint videre motus cordiũ, tamen Deo revelante, posse cognoscere & intelligere, quando invocantur à vivis. Respondeo: Angelorũ officium Scriptura ita describit, quòd sint administratorii spiritus, qui emittantur ad ministrandum credentibus, Ebr. 1. Angelis enim suis mandavit de te. Psalm. 91. Illis ergo à Deo revelantur ea, quæ ad exequendum ministerium illud circa homines necessaria sunt, Et emissi interfunt rebus humanis. De beatis verò in cœlo, Scriptura hoc non dicit. Et lucerna pedibus nostris est Dei verbum. Eadem ratio est alterius etjam argumenti. Quia enim Deus, qui solus omnia potest, & omnia operatur in omnibus, tamen Angelorum ministerio utitur ad custodiam hominum. Cur igitur nõ idem, inquiunt, etiam de beatis in cœlo crederemus? Et sicut Angelorum diversa sunt ministeria, Daniel. 10. Quid prohiberet etiam Sanctis in cœlo, certas procurationes in terris commissas esse? Respondeo: Ad hanc consequẽtiam unicum tantùm deest, quòd scilicet de Angelis Scriptura hoc tradit. De Sanctis verò in cœlis, Scriptura tale nihil docet. Imò de Davide Paulus inquit, Actor. 13. Postquam suæ generationi voluntate & consilio Dei inservisset, appositus est ad Patres. Ita etjam quòd beati in cœlo, non intersint rebus humanis in terra, nec nostra administrent, Augustinus probat ex loco Esaiæ 65. & 4. Reg. 22.

Tredecimũ à comparatione Angelorũ & Sanctorum.

XIIII. Sed 4. Regum 5. Elisæus ex revelatione divina cognoscit, quid Giezi absens & egerat & dixerat. Imò Danielis 2. Visionem cordis Nabuchodonosor, quæ ipsi exciderat, Daniel per divinam revelationem agnoscit. Et 4. Reg. 6. Elisæus inde novit omnia, quæ Rex Syriæ secretò in suo conclavi consultat. Inde etiam Abraham scit de scriptis Mosis & Prophetarum, Luc. 16. Cur igitur impossibile judicaremus, beatos in cœlo posse, Deo revelante, cognoscere orationes nostras? Respondeo: Nequaquam dicimus, Deo hoc impossibile esse. Quæstiõ verò est, non quid Deus possit, sed an ex absoluta Dei potentia, quidvis sine Scripturæ testimonio statuendum sit. Deus enim noster in cœlo, omnia quæcunque voluit, fecit. Potẽtia igitur & voluntas Dei conjungenda sunt, quando statuere volumus Deum aliquid facere. De voluntate verò ejus ex verbo judicandum est. Et verbũ Dei nihil prorsus docet, quòd Deus beatis in cœlo, nostras necessitates & orationes revelet. Sunt igitur phantasiæ cordis humani, sine verbo Dei, quod ex Pontificiis quidam asserere non verentur, Sanctos cognitione beata, omnia videre & cognoscere. Quid enim, inquiunt, non viderent & scirent, qui videntem & scientem omnia, vident & sciunt? Sed hoc quia Dei proprium est, alii negant. Sunt qui fingant Sanctos ubiq; adesse ubicunque invocentur, sed hoc

Decimũquartum. A possibili ad inesse.

Sanctos nõ cunq; invocari.

Decimũquintum ex Apoc. 5.

Decimum sextum.

Primasius.

Decimumseptimum. Exaquivocatio vocabuli adorationis.

Sophismæ Pontificiorum.

Exceptio de orationibus Sanctorum in cœlo.

Augustinus.

aliud argumentum eiusdem formæ & coloris.

Tantur, ibi adesse.

hoc Augustinus negat. Alii igitur philosophantur de revelatoria cognitione. Et Deum hoc posse non est dubiũ, sed quia invocationem oportet certo fundamẽto verbi Dei niti. Dubitatio enim impedit exauditionem & impetrationem, Iacobi 1. Ideò cùm in Scriptura hac de re nihil sit traditum, asseverationes humanas, sine verbo Dei non recipimus. Et cùm de Christo mediatore habeamus certa & expressa mandata, & promissiones Dei: cur ad ignota & incerta nos abduci pateremur? Et profectò magna audacia est, de rebus cœlestibus sine verbo Dei, tam audacter disputare, ac si cum Menippo heri ex cœli penetralibus devolassemus. Pia verò est Augustini modestia, qui inquit: Vbi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum autoritatum certis clarisq; documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando. Solomon certè 3. Reg. 9. rationem, cur in afflictionibus oratione ad Deum sit confugiendum hanc reddit: Des cuiq; sicut videris cor eius. Tu enim solus nosti cor omnium filiorum hominis.

XV. Apocalyp. 5. Quatuor animalia, & viginti quatuor seniores, prociderunt coram agno, habentes singuli citharas & phyalas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Respondeo: Non opus est divinationibus, quales fuerint illæ προσευχαὶ Sanctorum. Iohannes enim ipse mox explicat: Canunt canticum novum, dicentes: Dignus es accipere librum, & aperire sigilla eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribu & lingva, & fecisti Deo nostro Reges & Sacerdotes, & regnabimus super terram. Ex hoc itaq; loco, non tantùm non probatur invocatio Sanctorum, Sed cùm certum sit, beatos in cœlo non esse mortuos, nec otiosos, & inde colligatur eos orare: In hoc loco ostenditur, quales sint beatorũ orationes in cœlo. Et cap. 16. describitur alia oratio martyrum: Vsquequo Domine non judicas & vindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra? Quòd verò vel particularia vota audiant, vel speciales necessitates viventium in terra cognoscant, & pro iis in specie Deum interpellent, hoc sanè Iohannes non vidit, nec nobis id, quod scriptum non est, affingere licet.

XVI. Apocalyp. 8. Alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium, super altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum, de orationibus Sanctorum, de manu Angeli coram Deo.

Respondeo: Primasius intelligit per Angelum Christum. Is enim apparet vultui Dei pro nobis, Ebr. 9. Et per ipsum offerimus Deo sacrificia laudis, Ebr. 13. Et quia propter ipsum preces nostræ à Deo recipiuntur, ideo dicitur addere incensum orationibus nostris, ut ascendant sicut incensum ad Deum, Psalm. 141.

Interpres in Apocalypsi vertit, ut daret de orationibus Sanctorum. Sed Græca habent; Data Angelo incensa, ut daret ea orationibus Sanctorum, vel si intelligatur de Angelo simpliciter, idẽ erit, quod Scriptura alibi dicit: Angelos offerre orationes nostras Deo, & referre exauditionem earum, Tob. 12. Dan. 9. & 10. Luc. 1. Actor. 10. Et illis adde incensum odoris fragrantis coram Deo, non ex Angelorum dignitate aut meritis, sed ex ara, quæ est ante thronum Dei. Christus enim est ipse sacerdos, sacrificium & ara, Ebræo. 13. Et tamen Angeli adorari se omnino non volunt, Apocal. 19. & 22.

Si quis verò contendat intelligendas esse orationes Sanctorum, non qui in terra sunt, sicut Psal. 16. loquitur, Sed qui in cœlo versantur, nihil aliud inde eruetur, quàm non tantum credentes in terris, verum etjã beatos in cœlo offerre Deo preces. Quales verò illæ beatorum preces in cœlo sint, expresè describitur Apo. 5. & 6. Addit autem Iohannes, etjam Angelos suas celebrationes, tâquam socia thura, adjicere, ut omnia, quæ in cœlo & in terra sunt, adorent & glorificent Deum, Apoc. 5. Hæc sententia etiam vera est, sed de invocatione Sanctorum, nullo artificio ex loco illo aliquid elici potest.

XVII. Sed Scriptura testatur adorationem etjam creaturis suo modo tribui, ut Abraham adoravit populum terræ, Genes. 23. Iacob adoravit Esau. Gen. 33. Nathan adoravit Davidem, 3. Reg. 1, Salomon adoravit matrem, 3. Reg. 2. Sunamitis Elisæum, 4. Reg. 4. &c. Ergo licet Deus solus sit adorandus & invocandus, tanquam primum, supremum & æternum principium, nihil tamen obstat, quò minus suo modo etjam Sanctos invocare & adorare liceat.

Respondeo: Notum est, reverentiam quæ magnis viris geniculatione aut inflexione corporis exhibetur, appellari in veteri Testamẽto adorationem. Sed adoratio, qua genua cordis flectuntur (ut Paulus loquitur) in invocatione, ut exaudiamur, recipiamur, juvemur & salvemur, est opus fidei, & præcipua pars cultus divini. Ideo Christus dicit: Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. **Nec valet** Sophisticum effugium, si dicatur, **non admitti** idololatriam, si modo creaturæ, quæ adoratur & invocatur, non tribuatur, quod sit primum, supremum, & æternum principium. Satan enim Luc. 4. petens se adorari, non petebat sibi à CHRISTO hoc tribui, quòd esset ab æterno, & principium omnium, nec quòd à seipso haberet potestatẽ & gloriam mundi, sed inquit: Mihi tradita sunt, & cui volo do illa, si igitur me adoraveris, dabo tibi. Adorare igitur seu invocare Sanctos ea opinione, quòd omnia ipsis tradita sint, ita ut adorati seu invocati, ea nobis dent, Idololatria est, pugnans cum illo mandato Dei, Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles, sicut definitio adorationis, quæ soli Deo debetur, ex illo loco Luc. 4. manifestè colligitur. Nec verò hoc discrimen est, quod idololatria sit, si Diabolo tribuatur adoratio seu invocatio, si verò Sanctis tribuatur, esse pietatem. Nam Apocalyp. 19. & 22. Iohannes adoraturus Angelum, non erat tàm stultus & prophanus, quòd cogitaret Angelum esse primum, supremum, & æternũ principium, sed gratiam Angeli, ad consequenda ab ipso alia plura beneficia, illa adoratione ambire volebat. Angelus verò duriter Iohannem repellit:

Vide

Universidad de Deusto
Biblioteca

Papistica invocatio Sanctorum est idololatria.

Vide ne feceris, Dominum adora. Manifestum igitur est, Pontificias invocationes Sanctorum, quæ superiùs descriptæ sunt, esse non venerationes Sanctorum, sed adorationes soli Deo debitas hoc est, esse idololatriam.

Decimũ octavũ ex discrimine cultus. δουλείας & λατρείας.

XVIII. Sed Augustinus de civit. 10. distingvit inter honorem seu cultum δουλείας, qui creaturis tribui potest, & inter cultum λατρείας, qui soli Deo debetur, quique sine crimine idololatriæ, non potest creaturis tribui. Et hoc fuco omnes superstitiones purgare conãtur Pontificii. Quia enim eo modo, sicut superiùs ex ipsorum libris annotavimus. Sanctos invocãt & adorant, quando ipsis opponuntur manifesta Scripturæ testimonia, de solo Deo adorando & invocando, conantur per hanc unicam rimam elabi, quod invocent & adorent Sanctos, cultu duliæ, non autem latriæ. Sed respondeo: Augustinus videns Scripturam docere, ut Deum diligamus, timeamus, honoremus, colamus & ipsi serviamus: Et eandem etiam præcipere, ut parentes honoremus, illis serviamus, amicos colamus, proximũ diligamus, regem timeamus: Vt igitur honorem & cultum, qui soli Deo debetur, distingueret ab honore, qui creaturis etiam rectè impẽdi potest. bono & recto consilio hanc distinctionem tradidit, alterum vocans λατρείαν, alterum δουλείαν. Ex Scriptura verò vult sumi & judicari, qui honores soli Deo debeantur, & qui creaturis etjam rectè impendi possint. Sed Pontificii, illa Augustini distinctione ita abutuntur, quasi omnia quæ Sanctis tribuunt, etiamsi soli Deo, juxta Scripturam, debeantur, si modò hanc appellationem appingant, quòd sit cultus duliæ, excusare & justificare hoc fuco possint, quod Augustino nunquam in mentem venit. Loquitur enim de re ipsa, quam juxta Scripturam vult judicari, quod scilicet sit cultus quidam, qui soli Deo debetur, & hunc Augustinus distinctionis gratia appellat λατρείαν. Quando verò cultus ille ad creaturas transfertur, tunc dicit esse idololatriam, sive cultus ille ab hominibus appelletur δουλεία sive λατρεία. Ostendimus autem suprà clarissimè, Pontificios adorationem & invocationem, quæ solius Dei propria est, re ipsa transferre ad Sanctos. Nihil itaq; relevantur si verbo dicant, se illud facere cultus δουλείας. Rem ipsam enim & non vocabula, quæ sæpè optima, rebus pessimis ab hominibus imponuntur, Deus judicat. Neque Augustinus dicit, posse etjam creaturas invocari & adorari, si modò addatur vocabulum duliæ. Deum enim solum vult adorari & invocari. Et hunc esse cultum λατρείας, ostendit Psalmus 50. Invoca me, & eripiam te, & honorificabis me. Item: Dominum adorabis, & ipsum coles, ubi expressè ponitur verbum λατρεύειν. Scio Vallam disputare λατρεύειν, tribui etjam hominibus, ut in Sophocle, & in Græca versione, Levitici 22. & 29. Nume. 28. & 29. opus servile vocatur λατρευτὸν, & δουλευὸν tribui etjam DEO, Actorum 20. Roman. 7. 1. Thessal. 1. Quod quidem etjam Augustinus non ignoravit. Inquit enim Scriptura, aut semper, aut tàm frequenter, ut penè semper servitutem quę pertinet ad colendum Deum, appellet latriam. Sed non incommoda est

Causa huius distinctionis Augustini.

hæc Augustini distinctio, si rectè usurpetur, & sicut Augustinus eam tradit, nihil prorsus patrocinatur Pontificiis superstitionibus.

Decimumnonum ex dicto Christi, Ioh. 5.

XIX. Iohan. 5. Est qui vos accusat Moses, in quo vos speratis, Ergo fides tempore Christi fuit: Mosen Iudæos apud Deum pro meritis, vel accusare, vel eis patrocinari, & Iudæos in ejus patrocinio spem collocasse. Respondeo: Christus non facit Mosen advocatum Iudæorum coram Deo in altero seculo, in quo sit sperandum, sed loquitur de ministerio, seu de doctrina Moysis. Et idem est quod Pharisæi dicunt Iohan. 9. Nos Mosis discipuli sumus, & scimus, quòd Mosi locutus sit Deus. Sperabant igitur, si Mosis doctrinam sequerentur, se Deo gratos & acceptos esse. Christus verò inquit: Ministerium seu doctrina Mosis vobis maximè adversatur & accusat vos. De me enim loquitur, & est pædagogus ad me, quem vos rejicitis. Et usitatum est, autorem seu ministrum nominari, quando ministerium seu doctrina intelligitur, ut Luc. 16. Habent Mosen & Prophetas, audiunt illos. Non intelligendum est, quòd Moses tempore epulonis istius, vel vixerit, vel revixerit, & corporaliter tunc docuerit, sed ministerium & doctrina illius intelligitur. Sicut igitur tunc habebant Mosen & audiebant Prophetas, qui dudum mortui fuerant, quia doctrinam eorum habebant & audiebant. Ita & sperabant in Mose, & Moses accusabat eos.

Metonymia Scripturæ.

Vigesimũ de exẽplo damnati epulonis.

XX. Luc. 16. Dives epulo, cùm esset in altero seculo, & videret statum beatorum, Abrahami & Lazari, in altero seculo, petiturus mitigationem pœnæ, non Deum ipsum accedit, sed Abrahamum invocat, & fratribus impetraturus pœnitentiam, Abrahamum rogat, ut sanctum Lazarum mittat.

Respondeo: Damnati in altero seculo, quia vident se à Deo prorsus abjectos esse, Deum fugiunt, & vbivis potius, quàm apud Deum quærunt consolationem, licet frustrà. Non igitur à damnatis, qui à Deo abjecti, & in æterna desperatione sunt, discemus veram invocationem? Ita ut propter damnatum epulonem, à manifesta Scripturæ sententia, de solo Deo in nomine Christi, invocando, discedamus? Et certè dives ita orans non exauditur, sed tristem audit sententiam. Orent igitur cum divite isto, qui ita exaudiri & juvari volunt. Nos juxta doctrinam, mandatum & promissionem Christi, in nomine Domini invocabimus. Vidit dives iste Abrahamum & Lazarum, atque ideo alloquitur illos, inde verò non sequitur eodem modo absentes Sanctos compellandos. Meminerat, in quo statu fratres moriens reliquerat: Ignorabat autem, an postea pœnitentiam egissent, inde certè non sequitur beatos cognoscere omnia, quæ singuli viventes in terris agunt vel cogitant. Ejusdem verò ponderis est & hoc argumẽtum, quòd milites crucifixores Christi dicunt: Heliam vocat, finite videamus, an veniat Helias. Quid enim? Num ab impiis militibus, qui in Ethnica idololatria educati & instituti erant, discemus, quomodo Deus invocandus sit? Num propter militares sarcasmos, à verbo Dei, monstrante veram & salutarem rationem invocationis, discedemus?

Aliud abexẽplo militũ crucifixentiũ Christũ.

XXI. Genus argumentorum à Cochlæo.

XXI. Cochlæus adducit & hæc testimonia, Psalm. 134. In servis suis deprecabitur. Psalm. 32. Pro hac orabit ad te omnis sanctus. Psal. 120. Levavi oculos meos ad montes. Psalm. 119. Aspice in me, & miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum. Hæc testimonia annotavi, non quòd verear ulli sano posse persuaderi, in illis tradi & stabiliri invocationem Sanctorum, sed ut Lector ex hujusmodi argumentis & probationibus discat æstimare, qua fide & qua conscientia Pontificii causam hanc agant. Nam Psal. 134. est verbum פגע quod significat Deum commiseratione moveri erga servos suos, quibus iratus fuerat. Psalm. 32. loquitur de Sanctis in hac vita, petentibus remissionem peccatorum suorum. Ita enim Paulus Romanorum 4. exponit, Psalm. 120. Montes in quo Syon & templum sita erant, intelligit, eò enim oraturi se vertebant, Daniel. 6. In Psalm. verò 119. phrasis est, secundum judicium, id est, sicut soles misereri eorum, qui diligunt te.

Richardus etjam verba 2. Pet. 1. in hanc sententiam allegat, Dabo operam post obitum meum, ut horum omnium memoriam faciatis. Cùm verba hoc sonent: Dabo operam, ut post obitum meum habeatis, unde horum memoriam habere & retinere possitis. Illud verò scripta illa Epistola se efficere declarat. Sunt, qui dicunt verba, Dan. 8. Gabriel fac intelligere visionem, esse invocationem Angeli, cùm fit mandatum filii Dei, ut Gabriel visionem illam Danieli explanet.

XXII. Ex 2. Machab. 15.

XXII. Sed 2. Machab. 15. Onias olim Pontifex & Ieremias, apparent orantes pro populo, & pro civitate, Respõdeo: liber est Apocryphus, & propter historiam utilis est, si sobriè legatur, sicut

Augustinus.

Augustinus inquit: Non autem ut inde proferantur testimonia ad authoritatem fidei confirmandam. Ejus enim authoritas ad corroboranda ea, quæ in contentionem veniunt minus idonea judicata fuit. Hoc enim est Cyprian. & Hieron. judicium de libris Apocryphis. Et si testimonium illud expendatur, somniũ est, quod ad excitandos militum animos Machabæus recitat. Et tamen in illo ipso loco, nec Machabæus, nec exercitus, vel Oniam, vel Ieremiam, sed Dominum invocant, ideo nec inde invocatio Sanctorum probari potest.

Cyprianus. Hieronym.

XXIII. Ex Baruch. 3. Lyra.

XXIII. Baruch 3. Audi nunc orationem mortuorum Israël. Respondeo: Et hic liber est Apocryphus. Lyra verò hæc verba ita exponit. Patriarchæ & Prophetæ dum viverent orârunt pro felici statu posteritatis, illam orationem, quam viventes adhuc orârunt, nunc petit exaudiri.

XXIIII. Ex miraculis ad invocationẽ Sanctorum facit.

XXIIII. Ad invocationem Sanctorum multa edita sunt miracula. Et miracula sunt testimonia veritatis doctrinæ.

Respondeo: Ex solis miraculis, sine testimoniis verbi divini, non posse ullum dogma probari, nec hoc titulo debere recipi, ipsa Scriptura disertè testatur, Deut. 15. Si surrexit Propheta, & dederit tibi signum & portentum, atque evenerit, quod locutus est. Si dixerit tibi: Eamus post Deos alienos, quos non novisti, non audies verba Prophetæ illius, quia tentat vos Dominus, ut palàm fiat, an diligatis ipsum, Matth. 24. Surgent Pseudoprophetæ & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etjam electi. 2. Thessal. 2. Adventus Antichristi est in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus in omni seductione iniquitatis. Apocal. 13. Facit signa magna, & seducit habitãtes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu Bestiæ, &c.

Differentia miraculorũ.

Non igitur unius generis sunt omnia signa, quædam enim sunt divina miracula, quædam sunt præstigiæ Diaboli, quædam sunt figmenta hominum. Quod verò ad invocationem Sanctorum attinet, quia in Scriptura non est tradita: an ex solis miraculis possit probari & recipi, res plana est. Scriptum enim est, Ebræ. 1. Olim quidem Deum multis modis verbum suum patefecisse, quod miraculis comprobatum fuit: Novissimè verò in postremis diebus locutum nobis esse per filium, cujus doctrina, per Apostolos propagata, & per signa subsequentia confirmata est. Post illam igitur novissimam & postremam patefactionem, non est expectanda revelatio alterius & novi alicujus dogmatis. Cùm itaque dogma de invocandis Sanctis, Scriptura Canonica ignoret, atque ita novum sit, nulla vel signa, vel portenta extra verbum Dei, ad probationem novi istius dogmatis admittenda sunt. Si enim relicta regula verbi Dei, signis & prodigiis agendum erit, eadem opera universam Ethnicorum idolomaniam stabiliemus. Paria enim, si non plura & majora signa & prodigia, edita sunt apud Ethnicos, ad invocationes & cultus idolorum.

Patrum testimonia, & longiss. temporis consuetudo invocandi Sanctos.

Postremò, cùm videant, causam invocationis Sanctorum, non reddi meliorem, proferendis hujusmodi alienis & contortis ex Scriptura testimoniis, Alii qui inter Pontificios prudentiores haberi volunt, omissis Scripturæ testimoniis, in quibus parum advictoriam spei collocãt, ad patres, & ad antiquam consvetudinem, longi temporis præscriptione confirmatam, confugiunt. Dicunt enim, ab annis plus mille, invocationem Sanctorum in Ecclesiam receptam fuisse. Et Patres fermè omnes eam docuisse, usurpasse & defendisse. Cùm autem evidenter hactenus demonstratum sit, Pontificiam invocationem Sanctorum, in Scriptura Canonica non tradi, possem simplici, brevi & vera ad hoc argumentum responsione defungi. Patres scilicet, suo sive sensu, sive consensu, sine certis, claris & firmis verbi Dei testimoniis, non posse novos articulos fidei in Ecclesia facere. Nam sicut Augustinus verè dicit, ad authoritatem fidei seu dogmatum in Ecclesia non valet, Hæc ego dico, Hæc tu dicis, Hæc ille dicit. Sed, Hæc dicit Dominus.

Generalis responsio ad testimonia Patrum.

Possem etjam ex Gratiano adferre, consuetunem sine verbo Dei non esse veritatem, sed vetustatem erroris. Iuxta Cypriani enim dictum

Responsio ad longiss. tẽpo-

Non

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris consuetudinem. Cyprianus. Hieronym.

Non attendendum est, quid aliquis ante nos fecerit, sed quid ille, qui ante omnes est, faciêdum & docuerit & mandarit. Possem etiam Hieronymi dictum allegare, Errantium multitudinem non parere errori patrocinium. Sed quia canicies patrum reverenter, salva tamen verbi DEI præeminentia, & fidei sinceritate, tractanda est, & aliquid poterit adferre utilitatis, si præcipuis sententiis, quæ ex veteribus ad stabiliendam invocationem Sanctorum proferri solent, addantur veræ declarationes: Ponamus sanè in hac etiam explicatione aliquid operæ: Vt autem explicatio illa sine tædio, ac majori cum fructu considerari possit, colligemus quasi historiam, ex præcipuis antiquitatis Scriptoribus, de origine & progressu invocationis Sanctorum.

HISTORIA DE ORIGINE INVOCATIONIS SANCTORVM.

NON dubium est, multum accessurum lucis huic controversiæ, si ex veris & probatis antiquitatis monumêtis, contexatur historica annotatio, de origine invocationis Sanctorum. Inde enim non tantùm veterum sententiæ, quas ad stabilendam Sanctorum invocationem, Pontificii colligere & ostentui habere solent, rectè explicari poterunt, sed præterea multas etiam alias utiles commonefactiones hæc consideratio præbebit. Et integram quidem talem narrationem, more & stylo historico formandam aliis eruditioribus & eloquentioribus concedam. Pro ratione verò nostri instituti, simpliciter & breviter de hisce capitibus quædam annotabo.

Capita huius historicæ narrationis.

I. Quòd optimis & purissimis Ecclesiæ temporibus, Christi scilicet & Apostolorum. Imò in primitiva etiam seu vetustissima Ecclesia, post Apostolorum tempora, prorsus ignota fuerit invocatio Sanctorum.

II. Quibus temporibus, & à quibus authoribus spargi cœperint seminaria ratiocinationũ, de orationibus beatorum in cœlis pro Ecclesia.

III. Quòd illam opinionem primò, ut privatum, non autem tanquam publicum & authenticum dogma Ecclesiæ, authores habuerint.

IIII. Quod illi ipsi authores sanctos tunc nondum invocaverint, sicut in Pontificia Ecclesia fit, sed quod ingens dissimilitudo sit inter illas veterum cogitationes, & inter Pontificiam invocationem Sanctorum.

V. Quomodo ex illis initiis sensim progressum fit ad speciem quandam invocationis.

VI. Quod in ipsis apostrophis compellationum, falsi sint patres, se de opinione illa dubitare.

VII. Licet cœperint tunc privatæ quædam & singulares veterum quorundam devotiones (sicut nominant) quòd tamen in publicas Ecclesiæ preces illæ admissæ non fuerint, sed quòd privatis quorundam devotionibus publica illorum temporum praxis (ut ita loquar) in invocatione Dei in Ecclesia, rectè opponi possit.

VIII. Quòd antiquis temporibus, cùm quidam invocationem Sanctorum inciperent usurpare & defendere, alii fuerint, qui eam improbârint & reprehenderint, donec extincta luce doctrinæ, superstitiones prorsus invaluerunt.

IX. Quòd ex incertis & suppositiis scriptis, quæ falsò patribus tribuuntur, ad stabiliendam invocationem Sanctorum, à Pontificiis proferantur testimonia. Hisce capitibus comprobatis, facilis & plana erit responsio ad argumenta ex Patribus adducta.

Non autem instituam tractationem, quæ fuerit origo idololatriæ inter Gentes, ab initio mundi, & quomodo ea, etiam in populum DEI, sub veteri testamento irrepserit, sed tantùm de temporibus novi testamenti dicemus, utq; explicatio planior fit, breviter primum describemus, qualis tunc fuerit idololatria apud Ethnicos. Ita enim diligentius & rectius ex antithesi considerabitur, qualis doctrina & invocatio in Ecclesia, primis & optimis têmporibus, idololatriæ Gentium opposita fuerit: Quomodo postea ad illos Gentiũ διαλογισμὸς (Sicut Paulus nominat, Roman. 1.) utpote rationi humanæ consentaneos, sensim cœperit etiam in Ecclesia fieri quædam inclinatio, donec tandem in manifestam superstitionem res evasit, quæ semel admissa, in immensum crevit, ita ut tandem inter idololatriam Gẽtium, & inter cultum ac invocationem Sanctorum, nihil nisi nominum seu appellationum tantùm mutatio interfuerit, id quod Ludovicus Vives in Commentariis suis, super libros Augustini de civitate Dei manifestè faetetur. *Ludovicus Vives.*

Neq; verò totam Camarinam de Diis Gentiũ, de cultu & invocatione eorum movebimus, sed tantùm quædam, quantum ad institutam antithesin necessariũ judicabitur, breviter perstringemus.

Plerique igitur inter Gentes, unum summum constituerunt Deum, sed illi alia inferiora numina adjunxerunt seu substituerunt. Ideò, quòd existimarent, supremam illam numinis majestatem sublimiorẽ esse, quàm ut vel singulas mortalium res curare velit, vel à miseris & indignis hominibus adire possit. Inferiores verò Deos aditu faciliores esse, & affici curarerum humanarum, ac quia apud summum illum Deum authoritate valeant, posse hominibus ea, quæ petunt, conficere, & impetrata ad homines perferre. Inde conficti tanta varietate Dii cœlestes, aerii, terrestres, marini, Sylvestres, tutelares, penates. Inter quos quasi distributa fuit, per certas procurationes, administratio universi, præfecti peculiares patroni, regionibus, provinciis, civitatibus, familiis, domibus, elementis, frugibus, pecoribus, opibus, morbis, artibus, opificiis, &c. Pleni sunt omnium Poëtarum libri, quomodo homines inferiores illos Deos coluerint & invocârint, & quomodo Dii illic fic culti & invocati, mortalium causas, suis intercessionibus apud summum Deum egerint: Quomodo etiam, ut suorum supplicum negotia eò melius conficerent, & petita impetrarent, gratiam & merita sua coram summo illo Deo, prolixè allegârint. Hæc quia vulgata, & in lectione Poetarum, ubiq; obvia sunt, hoc loco non repetemus, sed tantùm ex Euse-

De Dijs & Gentium Deorum cultu & invocatione.

Vnum Deum summum, sub quo alia numina inferiora.

Officia & beneficia Deorum inter mediorum.

Libri Poëtarum.

Eusebio & Augustino, de Platonicorum opinione quædam adscribam, quæ institutam antithesin illustrare poterunt.

Platonicorũ Dij mediatores inter Deum summũ, & homines.

Platonici enim inter summum Deum, & inter homines, duplices constituerunt mediatores, quorum intercessione & opera, mortalium preces ad Deum perferrentur, & negocia conficerentur, Dæmones scilicet & animas defunctorum, Quos enim in hac mortali vita, de genere humano præclarè meritos esse cognoverant, eorum animas post mortem, ut Deo propiores factas, & curare res humanas, & iis plurimũ apud Deum prodesse posse, opinabantur. Ita Aeneas patrem suum defunctum invocat: Nunc pateras libate Iovi, precibusq; vocate Anchisen genitorem. *Eusebius.* Et Eusebius de præparatione Evangelica, libro decimo quinto dicit ex Platonis & Stoicorũ sententia, duplices esse patronos mortalium in cœlo apud Deum, Dæmones scilicet & Heroas. Et Dæmones esse ἐμψύχους ψυχικὰς, essentias spirituales. Animas verò à corporibus separatas esse ἡρῳάς. Et libro duodecimo, citat ex Platone de legibus hanc sententiam. Defunctorum animæ virtutem quandam habent, qua post mortem (ἐπιμελῶνται) res humanas in fidem curamq; suam recipiũt, & iis præsunt. Et addit Plato disputationes, in quibus illa continentur, verę quidem sunt, sed nimium prolixæ. Credere verò oportet, & aliis de hujusmodi rebus opinionibus & narrationibus, cùm & multæ & valde antiquæ sint. Hæc Plato.

Augustinus de mediatoribus Platonicorum.

Augustinus verò in libris de civitate Dei plenius ex Platonicis, Apulejo & Porphyrio opinionem illam explicat, ut lib. 8. cap. 14. dicit, Platonicos assignare Dijs locum excelsissimum, hominibus infimum, Dæmonibus medium, capit. 16. & 17. Dicunt Dæmones obsequiis donisq; placari, gaudere honoribus, diversis sacrorum ritibus oblectari, & in eis, si quid neglectum fuerit, commoveri. Donis invitari, honoribus mulceri, religione coli, cap. 18. Hunc honorem ipsis ideo deferri, vt quando juxta Platonem nullus Deus misceatur homini, ipsi ad Deos perferant preces hominum, & inde ad homines impetrata, quæ poscunt, ut homo eos patronos adhibeat, per quos illum Dii exaudiant, capit. 20. Vrgens causa cogit Dæmones medios inter Deos & homines agere, ut ab hominibus auferant desiderata, & ad eos referant impetrata, capite vigesimo primo. Ab hoc & ipsi Dæmones putantur colendi, per quos Dii possint & quid in rebus humanis agatur addiscere, & ubi oporteat hominibus subvenire, cap. 22. Ita esse medios Dæmones inter Deos & homines, tanquam internuncios & interpretes, qui hinc ferant petitiones nostras, inde referant Deorum suppetias, quia meritis superiores sint hominibus, cap. 23. Apulejus dicit, Dæmones hominibus apud Deos necessarios esse, ut inter homines, Deosq; quadam medietate versentur, Capite 25. per Dæmonum medietatem ambiendum ad benevolentiam seu beneficentiam Deorum. Cap. 26. Aesculapii mundanus homo, id est, corpus jacet in monte Lybiæ, reliquus verò, vel potius totus (si est homo totus in sensu vitæ) melior remeavit in cœlum. Omnia etjam nunc hominibus adjumenta præstans infirmis numine suo, quæ ante solebat medicinæ arte præbere. Item Hermes in cognominis sui patria consistens, omnes mortales undique venientes adjuvat atque conservat. Isin verò uxorem Osiris, tam multa bona præstare propiciam, quantis scimus obesse iratam. Item opinantur Dæmones ex hominum mortuorum animis extitisse: Libro nono cap. 2. Per Dæmones tanquam medios Diis conciliari affectat & studet. Capit. 9. Dæmones mediatores sunt inter homines & Deos, per quos ad Deorum amicitias homines ambiant. Cap. 11. Dicunt & animas hominum Dæmones esse, & ex hominibus, si meriti boni sint, fieri lares, si mali, lemures seu larvas. Cap. 25. Quærunt mediatores, per quos arbitremur nobis perventionis gradus ad Deum esse moliendos. Cap. 18. Dicunt Dæmones mediatores viam præbere ad Deum. Idem libro 8. cap. 13. Putant Deos malos sacris placandos esse, ne lædant, bonos autem ut adjuvent invocandos. Has sententias de Platonicorum opinionibus ex Augustino, ideo primo loco adscripsi, ut eò facilius & rectius institui possit ea, de qua suprà dictum est, Antithesis. Cum illis enim Platonicorum opinionibus, in re ipsa tantùm appellationibus immutatis, prorsus conveniunt ea, quæ Pontificii de mediationibus, suffragiis, patrocinijs, meritis, ope, & auxilio Sanctorum tradunt, sicut ex ipsorũ libris suprà monstravimus.

Dæmones ex animabus mortuorum.

Sed videamus jam qualem doctrinam de vera invocatione Dei, Christus & Apostoli, istis Ethnicorum opinionibus opposuerunt. Et Diabolos quidem seu malos Spiritus, non esse colendos & invocandos seu adorandos, Christus manifestè tradit Matth. 4. Quia verò apud Deum sunt sancti & electi Angeli, qui emittuntur ad ministerium salvandorum. Sunt etjam animæ justorum, quæ apud Deum in cœlo vivunt, sicut concio cœlestis Hierusalem describitur, Ebr. 12. Num igitur Scriptura Canonica tradit, infima reduci ad summa, hoc est, homines habere accessum ad Deum per hæc media, hoc est, per intercessiones, patrocinia & merita Angelorum & beatorum in cœlis, quorum auxilium in invocatione implorandum sit?

Veræ invocationis doctrina opinionibus Ethnicorum à Christo & Apostolis opposita.

Ex Platonicorum certè ratiocinationibus hoc sequeretur. Et Philo, qui Apostolorum temporibus vixit, cùm Platonicæ Philosophiæ adeo deditus esset, ut de ipso vulgò diceretur, sicut Hieronymus notavit, ὁ φίλων πλατωνίζει ἢ πλάτων φιλονίζει. Opinionem Platonicã de Dæmonibus, ad animas seu Spiritus justorum defunctorum transtulit. Ita enim in libro de execratione scribit. Iudæi tres habent advocatos, & intercessores apud Patrem. I. Bonitatem patris. II. Priscos Gentis conditores, qui nudis animis pro filiis & filiabus indefinenter efficacibus precibus supplices, hoc honore digni habiti sunt à patre, ut facilè exaudiantur. III. Habent profectum pœnitentium.

Philo Platonicam Philosophiam sophiam invexit in Ecclesiam Iudæorum.

Philo de Iudæorum advocatis apud patrem.

Et ita quidem Philo platonisat, Christus verò & Apostoli, nec de Angelis, nec de Spiritib. beatorum tale quid tradunt, sed docent: Vnum nos habere Mediatorem & advocatum apud Patrem, Iesum Christum, qui appareat vultui Dei in cœ-

Quid Scriptura doceat de mediatore.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lis, interpellans & intercedens pro nobis, per hunc affirmat Scriptura, nos habere accessum ad Deum, addita promissione. Quicquid patrem in nomine hujus Mediatoris petierimus, ratum fore. Christus igitur & Apostoli docuerunt, inter Deum & homines, propter peccata & indignitatem nostram omninò opus esse Mediatore, ad quem invocatione confugiendum sit, ut causam nostrâ suscipiat, & eam patrocinio suo apud patrem agat & conficiat. Illud verò officium mediationis, nec Angelis, nec beatorum spiritibus in cœlo, sed soli Christo unico mediatori tribuunt. Et contra Platonicos asseverant, Deũ ipsum res nostras curare, & velle ipsum à nobis per Christum invocari. Et quidem Christus addit sententiam exclusivam: Nemo venit ad Patrem, nisi per me.

Initio novi testa. pij reprehenduntur, quòd sanctis vel Angelis tribuerũt quæ Platonici Dæmonibus & Heroibus.

Dignum verò est observatione, quòd temporе Christi & Apostolorum, illis ipsis humanæ rationis cogitationibus, ex quibus Platonici suam opinionem de mediatoribus extruxerant, quidam non Ethnici tantùm, verùm etiam pii mo ti, & in eam hallucinationem adducti fuerunt, quòd tentârunt ea tribuere, vel Sanctis Dei, vel Angelis, & quæ Platonici Dæmonibus & Heroibus suis tribuerunt, sed graviter & seriò fuerunt reprehensi & prohibiti, ac solum Deum in nomine Christi adorare & invocare jussi sunt.

Notæ enim sunt historiæ Actorum 10. & 14. Apocalyp. 19. & 22. Et Coloss. 2. Paulus eorum seductionem cavendam esse docet, qui prætextu humilitatis, θρησκείαν Angelorum docebant.

Angelorum mediationẽ Paulus refutavit.

Quam sententiam Theodoretus ita exponit. humilitate utentes hoc consulebant dicentes: Vniversorum Deũ nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri, & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare. Ipsa igitur argumenta, quare Angeli & Sancti, juxta Pontificiorum traditionem, sint invocandi, & agitata & refutata sunt tempore Apostolorum. Et in novo Testamento, omnes piorum preces diriguntur ad patrem per Christum, non autem vel ad Angelos, vel ad beatos in cœlo. Damnatos quia Deum fugiunt, ostendit Scriptura, præterito Deo ad Sanctorum invocationem cõverti, sed frustrà, Luc. 16.

Hæc in præcedentibus plenius & diligentius sunt explicata. Nunc tantùm antithesin inter opiniones Gentium, & inter doctrinam Christi & Apostolorum, de invocatione notare volui, Cui addatur hæc observatio, quòd inter Iudæos qui Christi & Apostolorum doctrinam repudiabant, spargi tunc cœperit opinio de invocatione mortuorum, sicut ex Philone ostendimus, cùm Iesaiæ tempore Patres ita orârint: Abraham ignorat nos, Israel nescit nos, Tu pater noster. Hæ antitheses multas utiles præbent commonefactiones.

Invocatio Sanctorum post Apostolorum tempora, diu ignota fuit Ecclesiæ primitivæ.

Porrò etiam post Apostolorum tempora, usq; ad annos à nato Christo ducentos & ultrà, ignota fuit in primitiva Ecclesia invocatio Sanctorũ, nec de intercessionibus & patrocinijs beatorum in cœlis, illa ætate dogma ullum fuit in Ecclesia. Cùm enim Patres illius temporis, contra superstitiones Gentium, qui Dæmones & Heroas, tanquam mediatores inter Deum & homines colebant & invocabant, multa graviter & prolixè disputarent & scriberent, nullibi, nunquam & nusquam, vel Sanctis Angelis, vel beatis defunctorum spiritibus, tale quid tribuerunt, cùm tamen antithesis, si Ecclesia illorum temporum ita sensisset, hoc requireret. Sed solũ Deum per Christum, unicum mediatorem colendum, adorandum, & invocandum docuerunt, & hanc fidem sanguine suo obsignârũt. De animabus justorum à corpore separatis, multa disputant, sed quòd in cœlo patroni & advocati sint eorum qui in terris vivunt, hoc prorsus ignorant.

Extant descriptiones apud ejus ætatis scriptores, de publica forma invocationis, quę tunc usitata fuit in Ecclesia, ut apud Clemtem 7. Strom. Iustinum Apologia 2. Tertullianum in Apologetico cap. 30. Solum autẽ Deum in nomine Christi invocatum fuisse legimus, nulla facta mentione, vel patrocinii, vel invocationis, sive Angelorum, sive Sanctorum. Hæc certa & manifesta sunt, nec opus est aliquot sententias inde describere, cùm integris libris & justis tractatibus, illa ab ætatis illius scriptoribus explicata extent. Imò hæreticos illorum temporum, usos fuisse invocationibus Angelorum, testatur Irenæus, lib. 1. cap. 23. Et cap. 35. ponit formam invocationis: O Angele te oro, &c. Quidam etiam coluerunt & invocârunt Cain & Iudam, eos enim, sicut Augustinus scribit, existimarunt esse fortissimę virtutis. Audi verò, quid illis hæreticorum invocationibus Irenæus opponat, lib. 2. cap. 58. Ecclesia, inquit, per universum mundum varias gratias à Deo accipiens, in nomine Christi perficit. Non invocationibus Angelicis faciens aliquid, sed mundè & purè & manifestè orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Iesu Christi. Vides Irenæum non ponere hanc antithesin. Hæretici invocant commentitios Angelos, & falsos Sanctos, ut Cain & Iudã, Ecclesia verò invocat veros Angelos & veros Sanctos. Sed Ecclesia, inquit, per universum mundum, non utitur invocationibus Angelicis, sed orationes dirigit ad Deũ in nomine Christi. Hoc sanè illustre testimonium est.

Forma publica invocationis, in primitiva Ecclesia.

Hæretici invocarunt dæmones.

Irenæus.

Cain & Iudas invocati.

Antithesis veræ invocationis tempore Irenæi.

Extat etjam apud Eusebium libro quarto, capite 15. in Epistola Ecclesiæ Smyrnensis, oratio Polycarpi, qua postrema usus est, cùm in rogo jam palo alligatus esset. In illa oratione, Deum nominat quidem Deum Angelorum & potestatum, & omnis creaturæ, ac universi generis justorum, qui vivunt, inquit, coram te, in conspectu tuo. Non autem invocat vel Angelos, vel spiritus illos justorum, nec patrocinii aut suffragii illorum meminit, cùm tamen fateatur ipsos esse & vivere coram Deo, Sed patrem, filium & Spiritum sanctum invocat & glorificat, per æternum pontificem Christum.

Eusebium.

Oratio Polycarpi mentiuri.

Porrò martyres illa ætate in magno habitos fuisse honore, non est dubiũ. Irenæus enim lib. 3. cap. 20. dicit: Hæreticos, qui fingebant Christũ non verè esse passum, etjam martyres spreviſſe, & vituperasse eos, qui propter Domini cõfessionem occiduntur. Et addit: Cùm inquiretur sanguis eorum & gloriam cõsequentur, tunc à Christo confundentur omnes, qui inhonoraverunt eorum

De honorib. & memoria martyrũ in primitiva Ecclesia, quæ postea seminaria præbuerunt invocationi Sanctorũ.

Affirmativa. Cultus martyrum in primitiva Ecclesia.

Ecclesiæ Smyrnensis.

Ecclesiæ ossa martyrũ honorificè condidit, non autem eos inter orationes in oblationibus colunt.

Natalitia martyrum.

Conventus Ecclesiasticus ad monumenta martyrum.

Causa cur Ecclesia amat memoriam celebrare.

Negativa. Cultus Christi in Ecclesia.

eorum martyrium. Ecclesia verò, sicut Epistola Smyrnensis narrat, martyrum ossa honorificè condidit, & in illo loco solebant συνάγεσθαι, hoc est, Ecclesiasticos conventus celebrare, maximè annuo martyrii ipsorum die, quem pulcherrima appellatione vocârunt γενέθλιον diem natalem, seu natalitia, eò, quod miseram hanc vitam cum meliori commutassent, & ex morte in veram ac cœlestem vitam, verè jam regenerati essent. Et inde quidem Pontificii conantur suam invocationem Sanctorum probare & stabilire, quando legunt, veterem Ecclesiam apud monumenta martyrum solitam Ecclesiasticos conventus, tractatione verbi, administratione Sacramentorũ, & exercitiis orationum celebrare. Sed quæ fuerit primitivæ illius Ecclesiæ sentẽtia, illustri narratione explicatur in Epistola illa Smyrnensi. Et quia subsequentib. temporibus, illæ συναγωγαὶ ad monumenta martyrum, occasionem & seminaria præbuerunt, ad cultus & invocationem Sanctorum, grata Ecclesiæ debet esse Smyrnensis illa Epistola, quia perspicuè ostendit, & affirmativè & negativè, qua opinione primitiva Ecclesia martyrum memoriam celebrarit. Narrat enim illa Epistola, & Gentes, & Iudæos apud præfectum institisse, ne Polycarpi corpus Christianis traderetur, addita hac ratione: Ne relicto crucifixo Polycarpum inciperent ἀρέβειν colere.

Quomodo verò Ecclesia Christum colit? Certè sicut Epistola ad Ebræos perpetuum Christi sacerdotium describit, quòd scilicet pro peccatis nostris mortuus sit, & resuscitatus jam sit in dextera patris, merito unicæ suæ oblationis, & intercessione apparens vultui Dei pro nobis, ut sit advocatus noster, & Pontifex in iis, quæ apud Deum nobis agenda sunt, interpellans pro nobis, ut per ipsum accedentes ad Deum, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus ad salutem & ad auxilium oportunum, Ebræ. 2. 4. 7. & 9. Audi verò quid Ecclesia Smyrnensis illis Gentium & Iudæorum calumnijs respondeat: Ignorant, inquiunt, quòd neque Christum, qui pro salute eorum, qui in toto mundo salvandi sunt, passus est, unquam relinquere, neq; aliquẽ alium colere poterimus. Qua igitur opinione, qua sententia & intentione memorias martyrum celebrârunt in primitiva Ecclesia? Respondet Epistola Smyrnensis: Christum tanquam filium Dei adoramus, martyres vero tanquam discipulos & imitatores Domini, diligimus, ἀξίως sicut dignum est, propter insuperabilem erga regem & præceptorem suum benevolentiam, quorum & nos cõfortes & discipulos fieri optamus. Et in fine: Celebramus diem natalitiũ Polycarpi, ὡς τὲ τῶν προηθλικότων μνημεῖα, καὶ τῶν μελόντων ἄσκησιν καὶ ἑτοιμασίαν, hoc est, memoriam eorũ, qui certamen suũ jam decertârunt, & ad sequentium exercitationẽ & præparationem, sive ut Rufinũ paraphrasis habet, ut sequentiũ animi, ad præcessorum viam insignibus exemplis suscitentur, audientes ipsos ob certamina celebrari, & jam coronâ incorruptionis ornatos, ac bravio incomparabili donatos esse. Hæc enim sunt Smyrnensium verba. Scripta autem fuit Epistola illa circa annum Domini 160. Vnde manifestum est primitivam Ecclesiam, posĩ Apostolorum tempora, in memoriis martyrum, non proposuisse hominibus suffragia & patrocinia, per intercessiones & merita Sanctorum in cœlo. Sed recitata & celebrata fuisse certamina martyrum, quæ pro fide Christi pertulerunt, addita ex verbo Dei prædicatione, quibus jam coronis ac bravijs ornati essent, idq; ideò, ut auditorum animi ad imitationem suscitarentur, & ad similia certamina, propositis martyrum coronis & bravijs, præpararentur & animarẽtur. Facta fuerunt etjam ibi vota ad Deum, ut Ecclesia in hac miseriarum valle militans, consors & socia fieret martyrum, cùm in virtutibus eorum in hac vita, tùm in coronis & bravijs in æterna vita, sicut Græca verba votũ illud eleganter & significanter exprimũt, ἀν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινώνους γενέσθαι, in voto autem illo, non martyres, sed ipsũ Christum filium Dei invocârunt, sicut Epistola illa inquit.

Collectio superiorum.

Cum hac confessione Ecclesiæ Smyrnensis, cõsentiunt ea etjam, quæ sub nomine Dionysii in Ecclesiastica Hierarchia scribuntur, cap. 3. Refert enim, in administratione Eucharistiæ, solita ex sacris tabulis recitari nomina eorum, qui piè, sanctèq; vixerunt, & in Domino obdormierant. Sed quę fuerunt causæ, & qui fines illius ἀναφορᾶς? Num ut homines docerentur, ad intercessiones, suffragia, patrocinia, opem, & auxilium Sanctorum, invocatione sua confugere? sicut Pontificius Canon inquit: Quorum meritis & precibus concedas, ut in omnibus tuæ protectionis muniamur auxilio. Hoc verò Dionysius nequaquã dicit, sed causas nominationis Sanctorum has describit. I. Vt viventes ad imitationem provocarentur, & ad exemplum beatorum sanctè vivere, & piè in Domino mori docerentur. II. Vt Sancti illi prædicarentur esse non mortui, sed vivi, qui ex morte ad vitam verè divinam translati jam essent. III. Vt ostenderetur eos esse in memoria apud Deum. Novit enim Deus, qui sui sunt. Et preciosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus. IIII. Quando altari imposita sunt venerabilia symbola, per quæ Christus σημαίνεται καὶ μετέχεται, signatur & sumitur, statim, inquit, adest descriptio Sanctorum, ut indicetur individua ipsorum conjunctio, & sacratissima unio cum Christo.

Memoriæ Sanctorum in actione Eucharistiæ.

Causæ huius nominationis Sanctorũ Dionysii.

Hæc de cœtib. Ecclesiasticis apud monumenta martyrum, & de recitandis nominibus Sanctorum, diligenter sunt observanda, quomodo instituta & observata fuerint in primitiva Ecclesia. Illa ipsa enim postea, cùm non eo modo, eo fine & ea simplicitate, in Ecclesia observarentur, sed additis novis opinionibus aliò inflecterentur, facta fuerunt tandem seminaria cultus & invocationis Sanctorum, sicut mox ostendemus. Adeo periculosum est, in Ecclesia aliquid sine verbo Dei instituere, etjam si principiò nihil videatur habere incommodi.

In primitiva igitur Ecclesia, usq; ad annos ducentos post Christum natum, dogma de suffragijs, patrocinijs, intercessionibus, meritis, ope, auxilio & invocatione Sanctorum in cœlis, prorsus ignotum fuit: & longè alia tunc fuit, licut ostendimus, ratio venerationis Sanctorũ, quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertulliang. quæ postea invecta est. Cumq; juxta Tertulliani dictum adversus Praxeam, id sit verum, quodcũque primum, id sit adulterinum, quodcunq; posterius, non difficilè erit, vel ex hac sola observatione, de hac controversia judicare.

Ex apocryphis & suppositiis scripturis Pontificij conantur invocationẽ asserere pro traditione Apostolica.

Epistola Anacleti.

Vide autem astum Pontificiorum. Cùm enim veris primitivæ Ecclesiæ testimoniis destituantur, & tamen intelligant non leve esse præjudicium, quòd Ecclesia primis, optimis & sinceriſsimis temporibus per annos ducentos, invocationem Sanctorum ignoravit, ex suppositiis scriptis, & ex locis quibusdam mala fide detortis, testimonia conquirere conantur, fucum facturi simplicioribus, quasi ab ipsis Apostolorum temporibus invocatio Sanctorum semper in Ecclesia fuerit. Ita ex commentitia Epistola Anacleti citant, pro omnibus assiduam apud Deum, omnium Sanctorum effundi orationem. Ex Missa supposititia Iacobi citant: Communem orationem agamus Mariæ & omnium Sanctorum, ut precibus & intercessionibus eorum, omnes misericordiam consequamur. Recens verò Lipomannus & Surius, sub veterum nominibus, novas conſarcinârunt legendas, ut videantur nõ destitui, vel vetustiſsimis primitivæ etiam Ecclesiæ testimoniis. Ibi Aurelianus invocat Martialem his verbis: Adsit nobis ille de cœlestibus, ut orationibus ejus muniti, mereamur hæreditatis æternæ participes adsciſci in regnum Dei. Ibi Cyrus scriba invocat Leontium martyrem, per quẽ inquit, Deus sui regni partem nobis concedat. Sed ex fabulis non probantur dogmata.

Missa Iacobi.

Lipomannus & Surius.

Perionius. Perionius verò ex Iustino conatur invocationem Sanctorum probare. Vt autem Lector judicare posſit, quis sit candor, & quæ fides pontificiorum, locum adscribam ex 2. Apologia, pagina 137. Objectio erat: Vos Christiani estis athei. Iustinus verò respondet: Fatemur nos talium (συμιζομένων) qui putantur esse Dii, atheos esse: sed non veri Dei, ἐκεῖνον γὰρ πατέρα καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱόν, ἐλθόντα καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, καὶ τὰλλον ἐπόμενοι, καὶ ἐξομοιούμενον ἀγαθῶν ἀγγέλων σράτον, πνεῦμα τε τὸ προφητικὸν, σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν, hoc est, Nos patrẽ, & qui ab ipso est, filium (qui venit & docuit hæc nos, & reliquum exercitum aliorum bonorum Angelorum, qui ipsum sequuntur & ipsi assimilãtur) & spiritũ Propheticum colimus & adoramus. Hoc Perionius ita depravat, quasi sensus sit: Nos adoramus patrem, filium, Angelos & Spiritum sanctum. Quæ sententia prorsus & manifestè impia est. Ita enim Angeli cum ipso Deo, imò suprà Spiritum sanctum adorarentur. Cùm Iustinus alludens ad locum, Ephes. 3. hoc tantùm dicat: Filium Dei, eam sapiẽtiam, quam hominibus revelavit, etjam Angelis patefeciſse, sicut sententia manifesta est, si verba legantur in parenthesi.

Refutatio.

Ex Irenæo. Alii locum Irenæi allegant, qui lib. 5 dicit: Vt virginis Evæ virgo Maria fieret advocata. Sed si Lector rem ipsam consideret, sententia plana erit. Maria enim annis fermè quater mille post Evæ lapsum & nata est, & concepit Christum. Quis igitur vel per febrim somniabit, Evam tunc cùm esset virgo, invocaſse Mariam advocatam suam, quæ nondum nata erat? Et Mariam in colo apud Deum advocatam fuiſse Evæ virginis, id est, priusquã illa ab Adamo cognoscoretur, cùm Maria, tunc nondum nata, nedum assumpta esſet? Hoc certè quàm absurdum sit, quilibet sanus judicare potest. Nequaquam igitur hoc sensit Irenæus, sed confert hæc duo inter se, quantum mali per Evam virginem mundo illatum, & quantum boni per Mariam virginẽ, eò, quòd Christum peperit, mundo collatum sit. Et in hac collatione atque in hanc sententiam, Mariam nominat Evæ advocatam, quod Irenæus sine dubio Græcè significantius dixit. Interpres enim ejus & obscurus & infelix fuit, sicut alibi diximus. Firmum igitur & fixum contra omnes cavillationes manet, quòd invocatio Sanctorum, primitivæ Ecclesiæ, per annos ducentos, ignota prorsus fuerit.

QVANDO ET A QVIBVS SPARGI COEPERINT SEMINARIA INVOCATIONIS SANctorum in Ecclesia.

Prima seminaria cultus & invocationis Sanctorũ post martyrum Apostolorum & eorum additorum.

Origenes.

VIDEAMVS jam quando, à quibus, & quomodo cœperint seminaria spargi, & via sterni ad cultum & invocationem Sanctorum. In tota autem vera antiquitate, inter omnes patres, Origenes primus est apud quem seminaria illa inveniuntur. Et hoc ipso nomine, opinio de invocatione Sanctorum, meritò suspecta habetur, quòd seminaria ejus, ab Origene authore initiũ sumpserunt. Factum enim hoc est illo tempore, cùm hanc vitam jam reliquiſſent omnes illi, qui & Christum & Apostolos audiverant. Et notum est quid Eusebius lib. 3. cap. 32. ex Egesippo de illis temporibus scribat: Ecclesiam scilicet, usq; ad illa tempora, virginem puram & incorruptam manſisse, postquam autem generatio illa præteriiſſet, tunc errores, quasi conspiratione facta nudo vertice in Ecclesiam, velut in vacuam domum, irruisse. De ipso etjam authore Origene, nota sunt veteris Ecclesiæ judicia apud Epiphanium, Tomo 2. lib. 1. hæresi 64. Et Hieronymi ad Pammachium & Oceanum, qui inquit: Origenem laudavi interpretem, non dogmatiſſen, ingenium, non fidem. Item: Credite experto, venenata sunt illius dogmata, & aliena à Scripturis sanctis, vim Scripturis facientia, &c.

Iudicia Ecclesiæ veteris de Orig. Epiphanius Hieronymus.

Illis igitur temporibus, & ab illo authore, circa annum Domini 240. spargi cœperunt seminaria invocationis Sanctorum. Et operæ precium est, considerare, qualia fuerint initia, & qui secuti sint progreſſus. Non enim ipsa statim invocatio mortuorum, cum reliquis idolomaniis, quas inde secutas esse, in præcedentibus ostendimus, primo impetu nudo, quod dicitur, capite, in Ecclesiam irrupit. Sed Origenis tempore, primùm disputari cœpta est opinio illa, ut non absurda nec inconveniens. Animas beatas, ut quæ membra adhuc sint unius corporis nobiscum, & caritatem non abjecerint, in altera etjam vita solicitas esse de salute nostra, atq; pro nobis, fratribus suis orare apud Dominum.

Initia & progreſſus invocationis Sanctorum.

Prima opinio, beatos orare pro nobis.

Hæc

Testimonia huius opinionis, ex apocryphis & traditionib.

Hæc verò opinio, quia nec sententiis nec exemplis Canonicæ scripturæ evidenter demonstrari poterat, sed tantum ex apocryphis scriptis, & ex traditionibus, verisimilitudinem quandam præ se ferebat, inter privatas disputationes & cogitationes repoſita, non autem inter publica Ecclesiæ dogmata, illis quidem temporibus, relata fuit.

Origenes dubitativè disputat.

Hæc ita se habere, manifestè ex Origene ostendi potest. Ita enim scribit Homilia 3. in Cantica: Omnes Sancti, qui de hac vita decesſerunt, habentes adhuc caritatem erga eos, qui in mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & juvare eos precibus suis, atque interventu suo apud Deũ, NON ERIT INCONVENIENS. Scriptum namq; est in Machabæorum libris ita: Hic est Hieremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo.

Non inconveniens.

Sic arbitror.

Idem in Iosue cap. 13. inquit: EGO SIC ARBITROR, quòd omnes illi, qui dormierũt ante nos patres, pugnent nobiscum, & adjuvent nos orationibus suis. Ita namq; etiam quendam de senioribus magistris audivi dicentem, &c.

Magister senior dixit.

Secundo ex opinione sit asseveratio. Origenes.

Audis testimonia, non ex scriptura Canonica, sed ex Apocryphis, & ex traditionibus. Atque ideo de opinione illa dicit Origenes: NON EST INCONVENIENS, EGO SIC ARBITROR. Mox tamen, sicut fieri solet, ex disputationibus fieri paulatim cœperunt asseverationes. Nam super Numeros cap. 31. Origenes dicit: Quis enim dubitat, quòd sancti quique Patrum, & orationibus nos juvent, & gestorum suorum confirment atque hortentur exemplis? Ita etiam tractatu 27. in Matth. allegorisans structuram templi inquit: Discipuli, cæteriq; Sancti, non solùm nunc, sed etjam modò ante conspectum Christi intercedunt.

CAPVT. III.

Opinio privata, non publicum dogma.

Pontificiorũ conatus in Origene testimonia.

SED has vel disputationes vel asserti: ões, fuiſse illis temporibus privatas, nequaquam autem publica & recepta Ecclesiæ dogmata, Origenes ipse disertè pronunciat in Epistola ad Romanos, lib. 2. pagina 343. his verbis: Iam verò si etjam extra corpus positi Sancti, qui cum Christo sunt, agunt aliquid & laborant pro nobis ad similitudinem Angelorum, qui salutis nostræ ministeria procurant, habeatur hoc quoq; inter occulta Dei, nec chartulæ committenda mysteria, &c. Sicut igitur Ecclæſia diligenter distinxit inter scripta Canonica, quæ publicè in Ecclesia, tanquam regula fidei & fundamentum Ecclesiastici dogmatum, legebantur, & inter scripta apocrypha, quæ privatim quidem cognoscebantur, non autem publicè in Ecclesia legebantur, nec peculiaria dogmata inde extruebantur: vel confirmabantur: Ita accuratum illis temporibus servatum fuit discrimen inter publica Ecclesiæ dogmata, & inter opiniones privatas & apocryphas, qualem hanc, de intercessione Sanctorum esse, ipse Origenes pronunciat.

Atq; hæc cùm ita se habeant, Pontificii tamen non verentur Origenem adducere testem, probaturi invocationem Sanctorum, semper in Ecclesia receptam & probatam fuiſse. Cùm enim *monẽdi alle-* Origenis nomine, multa supposititia & falsa fe- *gandis.* rantur, ex illis pseudographis Pontificii causæ suæ suffragia conquirunt. Ita extat lamentum, *Lamentatio* quod Erasmus pronunciat, non esse ab Origene *Origenis.* scriptum, nec ab Hieronymo versum, sed esse figmentum alicujus indocti. Ac Gelasius distinct. 15. *Gelasius de* expressè dicit, librum de pœnitentia Origenis *lib. Orig. de* esse apocryphum. Et tamen Pontificii inde tan- *pœnitentia* quam ex Origene authore, invocationem Sanctorum probant, quia figmentum illud loquitur: Incipiam me genibus prosternere, & deprecari universos Sanctos, ut mihi non audenti petere Deum, succurrant. O Sancti Dei, vos deprecor, ut procidatis misericordiis ejus pro me misero: Heu mihi, pater Abraham deprecare pro me, ne de finibus tuis aliener, quos valde cupivi, &c.

Eodem modo feruntur Homiliæ in diversos, *Homiliæ Ori* quas constat non esse Origenis. Et tamen Linda- *genis.* nus, tantùm non ovans, sed triumphans, cona- *Lindani tri-* tur inde probare, universalem fuiſse consuetu- *umphus.* dinem in Ecclesia, inde usq; ab Apostolorum temporibus, invocandi Sanctos. Quia scilicet ibi Homilia 3. scribitur: Patres secundum voluntatem Dei mandaſſe, celebrari memoriam innocentum sempiternam in Ecclesiis, ut eis intercesio filiorum apud Deum prodesset.

Arriani etjam cujusdam Commentaria in Iob *Origenes in* sub Origenis nomine leguntur, Atq; inde etjam *Iob.* Sanctorum invocationem probant Pontificii. Author enim ille lib. 2. dicit: O beate Iob, ora pro nobis miseris, ut nos misericordia Dei protegat & eripiat, &c.

Sed Origenes ipse, etiamsi eo, sicut dictum est *Origenes de* modo, de orationibus Sanctorum cœperit disputare, illam tamen consequentiam nõ modò non texit inde: Beati in cœlo orant pro nobis, ergo *cõsequentia Papistica.* sunt invocandi: Sed eam ex professo rejecit, lib. 8. *Sancti orant* contra Celsum. Respondens enim ad illud Celsi *pro nobis:* argumentum. Supremo Deo non posse displicere, si alii etiam inferiores, quos Dæmones appellabant, cùm sint amici Dei, votis & supplicationibus colantur, ut hominum causas apud supremum Deum adjuvent: Dicit quidem Christianos non tales Dæmones agnoscere, sicut Gentes fingunt, sed scire Angelos esse ministros Dei, *Fides Eccle-* & beatos ipsius amicos. Non autem dicit Eccle- *siæ de invo-* siam loco Dæmonum Gentilium, Angelos & bea- *catione San-* tos invocare, sed fidem Ecclesiæ ita describit, pa- *ctorum tem-* gina 755. Ipsi Deo omnibus præfidenti, per uni- *pore Origi-* genitum ipsius filium supplices vota offerimus, *nis.* cui supplicamus, quandoquidem nostrorum sit ille delictorum propiciatio, ut tanquam Pontifex nostras offerat Deo preces. Et pagin. 760. Deus namque & solus est adorandus, unigenitusq; & primogenitus omnis creaturæ Deus verbum suppliciter est, & ut Pontifex deprecandus, ut nostras quæ ad te pervenerint preces, ad Deũ referat.

Origenes de cõsequentia Papistica.

Sancti orant pro nobis:

Ergo sunt invocandi.

Orig. contra Celsum.

Fides Ecclesiæ de invocatione Sanctorum tempore Originis.

Pag. 762. Quòd si Angelorum multitudinem cupimus, ut in nos se clementius gerat, illa multitudo cognatos sibi & amicos hos fecerit, quos suam viderint erga Deum pietatem imitari, ita ut eorum opitulentur saluti, qui Deum & invocent, & ex animo deprecentur, & ad eorum beneficium concedant, qui Deum supplicando adorent,

Universidad de Deusto
Biblioteca

orent, quem ipsi item & adorant, & suppliciter venerantur.

Et Pag. 773. Quantò rectius egerit, ut Deo se credat præsidi rerum, per Iesum doctrinam nobis hujusmodi suggerenti, ab eoq; omnem cùm opem, tum & tutelam deposcat, à sanctis Angelis & justioribus cæteris prodeuntem. Et tandem pag. 774. ad Celsi similitudinem (quæ columen est Papisticæ invocationis) sicut scilicet inter homines, non ipsi tantùm Principes seu Reges supplicationibus placandi sunt, sed primò potentiores, & secundum hos Reges: Ita respondet, ut confirmet solum Deum placandum & invocandum esse, & qui Deum placatum habet, ei simul & amicos Dei placatos esse. Et iis, qui Deum invocant, Angelos & Spiritus beatos, nec vocatos, ultrà unà precari Deum, ut non opus sit illos peculiaribus votis seu supplicationibus invocare & placare. Verba Origenis hæc sunt: Licet plena sit hæc vita exemplorum, quòd primùm potentiores placentur, & secundum hos reges, unus tamen nobis placandus est Deus, & ut propicius sit exoptandum, qui utiq; & pietate & virtute placatur. Quòd si quos alios velit præter Deum omnipotentem placatum iri, Celsus intelligat, sicut corpus hoc cùm movetur, & umbram habet se subsequentem, sic item, & qui summum Deum placârit, & illius amicos propicios ut habeat, sequitur, Angelos scilicet, animasq; & Spiritus cæteros beatiores, quippe qui simul sentiant, qui nam Dei sint benignitatem promeriti. Nec solum se hi erga digniores quosque propicios reddunt, sed & Deo gratificari volentibus opitulantur, hisq; & placatiorem hunc faciunt, unaq; & supplicant & precantur. Ita ut affirmare id ausim, vel hominibus ultrò, quæ potiora sunt, animo destinantibus, Deoq; supplicantibus, potestates illas innumeras, nec vocatas quidem, ultrò Deũ unà comprecari, generiq; nostro adesse. Ita ille.

Origenes de argumento Papistico invocat. san. à similitudine & moribus aularum.

Origenis tẽpore nõdum fuit invocatio Sanctorũ sed in disputationem venit.

Origenis igitur tempore, invocatio Sanctorum nondum fuit. Cœpit quidem ille disputare de orationibus beatorum, & licet dicat (affirmare ausim) tamen privata & Apocrypha fuit tunc illa opinio, non autem publicũ & receptum Ecclesiæ dogma, sicut ipsius Origenis verbis ostendimus. Quòd enim Origenes dicit: Maneat inter occulta, nec chartis cõmittatur, hoc Græci uno verbo vocant ἀπόκρυφον. Et tamẽ ex illa sua disputatione de orationibus beatorum, nequaquam consequens vult esse Origenes, Angelos & Spiritus beatorum, esse votis & supplicationibus colendos, imò præcipuum Pontificiorum argumentum, ex aulicis supplicationibus petitum, Origenes in Celso refutat.

Apparitionibus & spectris crevit opinio de invocatione Sanctorum.

Operæ precium tamen est considerare, quomodo privata & Apocrypha illa disputatio Origenis de orationibus beatorum, paulatim progressu temporis, vires majores acquisierit. Nam ex Apocryphis Machabæorum libris, & ex traditionibus opinio illa primùm inchoata, mox apparitionibus seu spectris stabiliri cœpit. De Potamiena enim, quæ ex Origenis Schola prodiit, & martyrio celebris facta est, scribit Eusebius lib. 6. cap. 5. quòd tunc cùm ad martyrium duceretur, Basilidem Ethnicum, propter exhibita humanitatis quædam officia, jusserit bono esse animo ἐξαυτίσεσθαι γὰρ αὐτὸν ἀπελθόσαν, se enim post discessum suum pro pœna ipsius (eò, q sententiam damnationis in Potamienam tulisset) deprecaturam Dominum suum, & non multò post beneficiorum remunerationem ipsi repensuram. Et addit Eusebius Basilidem, cùm non multò post conversus, & ob confessionem in vincula conjectus fuisset, narrasse: Potamienam triduo post martyrium, noctu sibi astitisse, & coronam capiti suo imposuisse, ac dixisse, se pro ipso Dominum deprecatam (παρακεκλῆσθαι) & petita impetrasse. Subjungit etjã Eusebius quosdam scribere, alios plures Alexandrinos, illis temporibus confertim ad Christi doctrinam accessisse, eò, quòd Potamiena in somnis apparuisset, & ipsos ad fidem vocasset. Et hæc quidem mirifica est historia (Spiritus scilicet mortuorum infideles ad fidem vocare) carens verbi Dei exemplo, imò pugnans cum expressa Scripturæ sententia, Iesaiæ octavo, Lucæ decimosexto. Ideo etjã Eusebius addit, Ἀλλὰ ταῦτα μὲν οὕτ' ἔχέτω. Sed hæc quidem ita se habeant. Omnibus verò temporibus, apparitiones seu spectra multum turbârunt in doctrina religionis. Inde enim multæ factæ sunt discessiones à verbo Dei, & multa sine verbo, imò contra verbum Dei, ex spectrorum apparitionibus recepta sunt.

Absurditas fabulæ.

Mortuorum apparitiones religionem per noctem turbarunt.

Porrò ad stabiliẽdam opinionem illam de intercessionibus beatorum, præter Apocrypha testimonia ex Machabæis, præter traditiones & apparitiones mortuorum, accessit quartum etjam, Miracula scilicet. Cùm enim Deus ad monumenta Martyrum varia ederet miracula, ut doctrinã & fidem, pro qua Martyres passi fuerant, illustri testimonio, contra persecutorum blasphemias apud posteros confirmaret, ac gloriam, in quam assumpti erant Martyres, conspicua indicatione, inter totius mundi contumelias, testatam faceret, ut ita reliqui ad amplectendam fidem Christi incitarentur, & in ea ita corroborarentur, ut pro ejus confessione non dubitarent, nec detrectarent, extremum vel fortunarum, vel vitæ discrimẽ adire: Hoc postea, sedatis persecutionum procellis, & remisso ardore confessionis ac martyrij, de orationibus & auxiliis Sanctorum communi persuasione plerique interpretari cœperunt. Inde subsequentibus temporibus, tanquam confessum & indubitatum dogma, publicè etjam tradi cœpit, quod Origenis tempore, ut probabilis tantùm & privata opinio habebatur. Beatorum scilicet orationibus viventes adjuvari, commemorationes etjam seu memorias Martyrum, sicut Cyprianus loquitur libro secundo, epistola sexta, annuis passionis ipsorum diebus, & conventus solennes in iis locis, ubi ex uviæ ipsorum conditæ erant, accepto ex vetustate more, quem suprà ex Epistola Smyrnensi, & ex Dionysio descripsimus, diligenter retinebant. Sed celebrationes istas, præter & contra piæ vetustatis observationem, novis opinionibus transformabant, ideo scilicet eas frequentandas, ut Martyrum orationibus adjuventur. Inde paulatim fieri cœpit inclinatio ad ipsam invocationem Sanctorum. Quæ inclinatio, quibus initiis cœpta, quibus progressibus aucta, quo modo

Fons invocationum mortuorum, miracula ad monumenta martyrum.

Inclinatio ad invocationẽ Sanctorũ.

modo sæpius vel apertè reprehensa, vel tacitè, oppositâ vera doctrina de invocatione Dei, & veteri consuetudine de memoriis Martyrum, repressa fuerit, donec adhærescentibus subinde sub devotionis specie, superstitionis seminariis, & Episcopis partim dissimulantibus propter vulgi persuasiones (sicut Augustinus fatetur Epistola 118. Ego, inquit, multa hujusmodi propter nonnullarum, vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberiùs improbare non audeo, tam multis præsumptionibus plena sunt omnia) partim privatas suas, ut vocant, devotiones, in Ecclesiam invehentibus, superstitio tandem prævaluit, & paulatim admissa, in immensum crevit. Cumq; vbi consisteret, non inveniret, in tam crassam & tetram idolomaniam, sicut suprà ostendimus, evasit, cujus nunc plerosq; inter ipsos Pontificios pudet: Illam Historiam ex certis veterum monumẽtis, quanta fieri poterit brevitate & perspicuitate, colligemus. Hæc ipsa enim nuda historica annotatio, sine prolixiori, vel explicatione, vel refutatione, multa utiliter monebit, & totam hanc controversiam, quod ad sentẽtias veterum attinet, quæ pro stabiliẽnda Sanctorum invocatione afferri solent, rectè illustrabit.

Historia de initiis & incrementis invocationis Sanctorum.

Origenis ætate, anno Christi 230. ignorat invocationem Sanctorum.

Mota igitur & sparsa primum ab Origene circa annum Domini 240. disputatione illa de orationibus beatorum spirituum, nõ tamen statim infecura est invocatio. Firma enim & fixa retinebantur adhuc illa Scripturæ principia, invocationem esse cultum, soli Deo debitum, juxta illa dicta: Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Invoca me in die tribulationis: Quisquis nomen Domini invocaverit salvus erit. Effunde iram tuam in Gentes, quæ nomen tuum non invocaverunt. Ideò cùm Celsus objecisset, Non solùm Deum orandum, verumetjam beatis spiritibus, qui Deo assistunt, supplicandum: Origenes hoc negat, & tantùm dicit, eos, qui unum Deum per Christum invocant, & pietati student habere Angelos & beatos Spiritus, non vocatos orationis socios & comprecatores. Item, ab ipso & uno Deo poscendam esse opem & tutelam, ad quam Deus pro suo beneplacito, Angelos & beatorum Spiritus (de quo tamen ipse etjam Origenes dubitat) adhibet. Hæc benè & diligenter notentur.

Ab beatis Spiritibus supplicandum.

Non multò verò post, circa annum Domini 250. Cyprianus apud Latinos alium & novum gradum addidit. Quia enim viventes mutuo pro se orant, & in hac vita, Scripturæ exemplo alter alterius orationibus se rectè commendat, sicut illis temporibus usitatum erat, quòd lapsi eos, qui ob confessionem fidei in vinculis detinebantur, aiebant, & ipsorum de orationib. commendabant, ut Deo & Ecclesiæ reconciliarentur, lib. 3. epist. 18. Cyprianus igitur & inde, atque etjam ex hypothesi Origenis, de interpellationib. Sanctorum in altera etjam vita, non quidem mortuos invocavit, sed viventes priusquam ex hac vita discederent, admonere cœpit, ut post mortem sui apud Deum memores essent. Ita libro 1. epist. 1. ad Cornelium inquit: Memores nostri invicem simus, utrobique pro nobis semper orantes. Et si quis nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam patris non cesset oratio. Et libr. 2. de habitu virginum, inquit, Durate fortiter, spiritualiter pergite, pervenite feliciter, tantùm mementote tunc nostri, cùm incipiet in vobis virginitas honorari. Hæc verò nova & privata est Cypriani devotio, sine Scripturæ & antiquitatis exemplo suscepta. Quæ licet excusari posse videatur, propterea quia eos, qui adhuc in hac vita constituti erant, alloquitur, quia tamen caret Scripturæ testimonio & exemplo, gradum posteà fecit ad invocationem eorum, qui ex hoc seculo jam discesserant.

Cypriani ætate anno 250. nova devotio orta.

Martyres vivorogantur, an post mortem vivovum apud Deum sint memores.

Quæ verò præterea ex Cypriani vel supposititiis, vel Pseudopigraphis citantur, meritò non curamus, ut quod in Sermone de Stella & Magis scribitur, parvuli ab Herode occisi, secretorum conscii divinorum, clementiam Dei pro nostris exorant laboribus. Item facti sunt supremi capitolii Senatores & Iudices, nonnullis veniam obtinentes immeritis, assistuntq; miserationibus & ultionibus divinis, &c. De Apocrypho verò scripto de conversione Cypriani in Nazianzeno posteà diximus.

Supposititia & pseudopigraphia Cypriani.

Porrò post Cyprianum, cùm Arriana hæresis Christo honorẽ divinitatis detrahere, & orthodoxi ipsum verum Deum esse, inter cætera argumenta inde etjam probarent, quia in Scriptura & invocetur & invocari jubeatur: Repressa aliquantulum & aliquandiu fuerunt seminaria illa invocationis Sanctorum. Loquimur autem non de incertis, Apocryphis & supposititiis scriptis, quæ recens magna copia, sub titulo venerandæ vetustatis à Pontificiis in theatrum produci cœperunt, sed de certis probatorum authorum scriptis.

Seminaria invocationis mortuorum Arrii tempore repressa quòd solus Deus invocandus sit.

Ita Eusebius retinet quidem anticipatam opinionem, de interpellationibus Sanctorum, sed invocationem eorum nec docet, nec usurpat, sed Christo gloriam perferendi preces nostras ad patrem relinquit, Libr. 10. histor. Eccles. in vita Constantini. Frigidè autem, ne dicam ridiculè facit Eusebius, quòd opinionem illam, de orationibus Sanctorum, ex Platone probare conatur, & quidem illis verbis, quibus fatetur opinionem illam non facilè probari posse, sed tamen credi debere. Nam de præparatione Evangelica lib. 12. ex Platone de legibus hanc sententiam, & hæc verba Eusebius describit: Certè defunctorum animæ virtutem quandam habent, qua vel post mortem rebus humanis auxiliantur. Vera enim hæc opinio est, sed nisi prolixis rationibus probari non potest. Credere autem oportet hujusmodi sermonibus, quoniam à priscis valdè viris traditi sunt. Hæc est Platonica Eusebii demonstratio de suffragiis Sanctorum.

Eusebii opinio de interpellationibus Sanctorum.

Platonica ratio Eusebii de Sanctorum orationibus.

Lactantius unum Deum docet invocandum. Hilarius verò in Origenicis suis allegoriis de montibus & auribus Dei, (ut solet Græcorum flosculis ornatus incedere, sicut Hieronymus inquit) disputat quidem de intercessionibus Angelorum, in Psalmum 129. Item de custodiis & præfidiis Apostolorum, Patriarcharum, vel potius, ut inquit, Angelorum. In Psalmum 124. Non tamen vel Angelos, vel Sanctos, sed unum Deum

Lactantius.

Hilarius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

invocat, & honorem invocationis ideò communicat Christo, quia credit ipsum verum esse Deum. Et rationem addit in Psalmum 124. Adest enim, & cùm fideliter invocatur, per naturam suam præsens est, & ei, qui in eum credit, assistit. Et dignum est observatione, quod Origenicam illam Hilarii allegoriam, qua in Psalmum 124. de montibus utitur, Augustinus ex professo ita invertit, ut inde invocationis & auxilii honorem Sanctis adimat, & soli Deo vindicet, in libro de pastoribus capite octavo. Vide quia non in montibus tibi spes est. Auxilium meum, inquit, à Domino, qui fecit cœlum & terram. Noli putare injuriam te facere montibus sanctis, quando dixeris: Auxilium meum non in montibus, sed à Domino, qui fecit cœlum & terram. Ipsi montes hoc tibi clamant, 1. Corinth. 1. ut securus sine ulla injuria montium, dicas auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Nõ solùm tunc tibi non succensebunt montes, sed tunc amabunt, tunc magis favebunt. Si in ipsis spem tuam posueris contristabuntur. Angelus multa divina & mira ostendens homini, ab homine adorabatur, ille tanquam levantem oculos in mõtem, revocans ad Dominum, ait: Noli facere, illum adora, nam ego conservus tuus sum, & fratrum tuorum. Hæc Augustinus.

Augustinus Hilarij sententiam invertit.

Athanasius verò hoc argumento sæpius probat, Christum esse verum Deum, quia ejus auxilium in necessitatibus invocatur, ut oratione secunda contra Arrianos, Sancti non postulant à creato aliquo, ut fit auxiliator. Christus ergo, cujus auxilium Sancti invocant, est verus Deus. Et oratione tertia: Creatura non adorat creaturam, sed Deum. Christus ergo, quia adoratur, Deus est. Et in libro de incarnatione verbi, ex invocatione seu adoratione probat. Verbum habitare in Christo, non ut in reliquis Sanctis, sed personaliter. Inquit enim: Si adoras hominem Christum, eò, quòd ibi inhabitet Dei verbum, eadem opera adora quoq; Sanctos ob Deum, qui ibi domicilium habet. Cumq; ex hoc Athanasii fundamento, invocatio creaturarum prorsus subvertatur, tamen ex pseudographo & supposititio quodam sermone, De sanctissima Deipara, conantur Pontificii etjam sub Athanasii nomine, invocationem suam Sanctorum stabilire, quia scilicet supposititius ille Athanasius ita inquit: Et jam audi filia Davidis & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces nostras, & ne obliviscaris populi tui, neque nostri, qui sumus de familia & domo patris tui. Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima virgo, & retribue nobis pro exiguis istis eloquiis magna dona, ex divitiis gratiarum tuarum, tu quæ gratia plena es. Item, intercede hera & Domina, & regina & mater Dei pro nobis.

Athanasius de invocatione.

Suppositi-tius Athanasii.

Hactenus igitur per annos à nato Christo 350. & amplius, Ecclesia invocationem Sanctorum in publica (ut ita dicam) praxi ignoravit. Tadem verò circa annũ Domini 370. per Basilium, Nyssenum & Nazianzenum, in publicos Ecclesiæ conventus, occasione orationum panegyricarum, invehi cœpit, eodem tempore, cùm ab iisdem authoribus, Monachatus ex AEgypto & Syria in Græciam introduceretur. Et videtur hæc sive portio, sive appendix Monachatus fuisse. Inter Monachos enim illos, persuasione de invocatione Sanctorum, aliquantò antè in solitudinibus privatim receptam & usurpatam fuisse, ex vitis Palladii & Theodoreti (si tamen γνησια sunt omnia) non obscurè colligitur. In publicos verò Ecclesiæ conventus, nondum manifestè & exertè introducta & recepta fuerat. Sed Basilius, Nazianzenus, & Nyssenus, primi fuerunt, qui eam ex privatis & Monachorum devotionibus, & vulgi persuasionibus, in Ecclesiam invexerunt. Cùm enim in Rhetorum Scholis educati, eloquentiæ laudem & haberent & affectarent, non contenti fuerunt pia illa antiquitatis simplicitate, qua eam in commemorationibus martyrum vsam fuisse, suprà ex Smyrnensibus Ecclesiæ Epistola, & ex Dionysio ostendimus, sed orationes panegyricas declamatoriis flosculis & Rhetoricis apostrophis, & quę præterea ad figuram προσωποποιιας pertinent, ita exornârunt, ut opinionẽ de comprecationibus & auxiliis Sanctorum, quę Origenis tempore apocrypha & privata erat, tanquam publicum dogma in immensum exaggerarent, & ad compellationes eorum, quorum memoriam celebrabant, orationem converterent, atque ita figuram orationis ad formam invocationis declinarent: Cujus tamen exempla nec ex Scriptura, nec ex vetustiori & puriori Ecclesia habebant.

Ecclesiam invexerunt.

Rhetorica suis Apostrophis.

Invocatio Sanctorum Monachis fuit usitata.

Et hæc de figuris declamatoriis non affingimus illis patribus, sed ipsi has præbent indicationes. Nam de Apostrophe & Prosopopœia oratoria, ipse Nazianzenus exempla luculẽta ostendit, ut oratione in sanctum Pascha, ubi inquit: O Pascha, magnum & sacrum, totiusq; mundi expurgatio. Tecum enim tanquam cum animato aliquo colloquar. Et oratione prima in Iulianũ. Audite hæc omnes Gentes. Omnes enim appello magno præconio. Audite populi, tribus, linguæ, ætas omnis, & qui nunc vivitis, & qui de hinc nascituri estis. Et ut majus mihi fit præconium, omnis cœlorum exercitus, omnesq; Angeli audite. Audi & tu quoque magni Constantini anima (ἀπερἀσθνησις) si quid sentis, & reliquorum Christianorum Imperatorum. Item voco ad hãc panegyrin omnes animas, &c. Et mox, Quid hoc rei est Imperatorum divinissime? Cogor enim illum tanquam præsentem & audientem inculpare, licet cum Deo constitutum, ac in tantum segregatum, quantum etjam ad melius transivit regnum. Et in secunda oratione in fine prolixa apostrophe Iulianum mortuum compellat. Et talia exempla in carminib. ipsius multa sunt. Eodem modo, licet de orationibus mortuorum, declamatoriis asseverationibus utantur, non tamen dissimulant, se de illa opinione non prorsus certos esse, sed dubitare, sicut mox ostendemus.

Apostrophe Basil. Nazianzen. figurata.

Operæ precium autem est considerare, quòd Basilius, non ex Scripturæ vel testimoniis, vel exemplis, nec ex publicis veteris Ecclesiæ ritibus, sed ex vulgi & mulierculârum privatis devotionibus, Sanctorum invocationem in panegyres suas invexerit.

Fundamẽta invocationis mortuorum Basilii.

Ex veteris quidem Ecclesiæ ritu hoc retinet, sicut inquit in Gordium martyrem. Ejus festum cele-

Vetus Ecclesiæ ritus.

celebramus, qui in hujusmodi die certamen pro Christi morte subiit. Et cùm vitam Sanctorum exponimus, primò dominũ per servos suos glorificamus. Deinde justos ipsos laudamus, & populum per honestorum factorum narrationem exhilaramus. Item, non nostris indigent laudibus ornati, sed nos ipsorum vitæ historia & commemoratione, imitationis gratia indigemus. Quid verò ipse ex vulgi opinionibus & narrationibus, de miraculis & apparitionibus attexat, ex oratione in Manantem martyrem manifestum est. Inquit enim: Quæ quisq; in memoria habet, ad mentem revocet. Mementote martyris, quot quot illo per somnia potitie stis, quotquot in hoc loco constituti σύνεργοι ipsum in precationibus habuistis, quibus (ὀνομαστι κλιθεις) nominatim vocatus, in operibus astitit, quos peregrinantes reduxit, quos ex infirmitate restituit, quibus liberos jam defunctos reddidit, quibus vitæ terminum prorogavit. Hæc in commune conferte, & inter vivos mutuo, quæ quisque novit, ei, qui nõ novit, distribuite, quæ ignorat ab eo, qui novit, accipiat, &c.

Opinio vulgi. Vulgi persuasionem Basilius allegat.

Conferendo opinione vulgi & mulierculârum.

Eodem modo Homilia in 40. martyres, non dicit sicut quædam versio habet: Qui premitur ad hos confugiat, qui lætatur hos oret, sed recitativè vulgi & mulierculârum concursum exponit. Qui tribulatur ad quadraginta confugit, qui lætatur ad ipsos decurrit, ille ut molestiarum solutionem reperiat, hic ut res secundæ ipsi conserventur. Hoc loco mulier pia pro liberis orans deprehenditur, marito peregrinanti reditum, infirmo sanitatem petens.

Exclamatio Basilii sine Scriptura.

Inde verò Basilius erumpit in oratorias exclamationes: Hi sunt qui regionem nostram, (διαλαβοντες) inter se partiti, velut turres muniunt, non uno loco se ipsos concludentes, sed multis jam locis hospites facti, &, quod paradoxon est, non singillatim divisi ad suscipientes accedunt, sed omnes simul sunt, & apud singulos omnes sunt. O sufficiens beneficentia, paratum Christianis auxilium: Ecclesia martyrum: Quantum lãborares, ut unum aliquem reperires, qui pro te Dominum (δυσωποδετα) exoratũ placaret, quadraginta jam sunt, &c. Cùm his martyribus fiãt preces vestræ. O communes generis humani custodes, boni curarum (κοινωνοι) socii, precationis synergi, legati potentissimi, &c.

Et hæc licet extra Scripturam, sine verbo Dei citra exemplũ primitivæ Ecclesiæ πανεγυρικῶς declamitentur, ita, ut incertessionis Christi, ne verbo quidem mentio fiat, quasi ipse gubernatione Ecclesiæ se abdicasset, & administrationis suæ munera spiritibus defunctorum, qui ubique omnibus adsint, distribuisset, quòd contra perpetuum regni & sacerdotii Christi, officium pugnat, & ab Augustino, sicut posteà annotabimus, non conceditur. Tamen videre est, quanta in doctrina religionis, & in exercitiis pietatis inclinatio fiat, quando ad præsumptas vulgi opiniones magnorum & eloquentium virorum accedit autoritas. Factis enim talibus initiis à Basilio, mox longius progressum fuit ab illis, qui Basilium ad mirabantur ac suscipiebant.

Nyssenus Basilii frater, Gregorij Nazianzeni amicus.

Nyssenus enim, Basilii frater, oratione in Theodorum martyrem, inquit: Qui reliquias attingunt, martyri tanquam omnibus partibus integro & vigenti supplicant, ut pro se apud Deum legationis munere fungatur, ut Dei ministrum appellant, qui quando vult, invocatus munera impetret. Et mox: Tu verò, quæcunq; te ora tenet, huc ad nos veni. Nos enim te vocantem vicissim vocamus. Quocirca sive sublimi in æthere moraris, sive cœlestem aliquã absidem circumvertis, sive inter Angelorum choros constitutus, Dominum adoras, istis omnibus parumper intermissis, ad nos, qui te colimus & honoramus, accede. Multis beneficiis indigemus, tu legationis munere apud communem regem pro nobis fungere. Quanquam vitam hanc transcendisti, humanas tamen necessitates non ignoras, impetra nobis pacem. Nos quidem, quod hactenus sarti tecti servati sumus, tibi acceptum referimus, sed in posterum etjam securitatẽ postulamus. Quòd si majori opus sit auxilio, fratrum tuorum martyrum chorum adhibe, unà cum omnib. supplica: Multorum preces justorum, nationum & populorum crimina diluant. Petrũ admone, Paulum excita, Ioannem advoca, ut Ecclesiarum soliciti, curam suscipiant. Idem in vita Ephrem, Tu verò assistens vitæ principi, omnium nostrum recordare, nobisq; peccatorum veniam impetra. Et in vita Meletii: Iam facie ad faciem Deum alloquitur, & erroribus nostris veniam implorat, &c. Hæc qualia sint, si ad Scripturæ Canonẽ exigantur, manifestum est. Primitiva certè Ecclesia, ita nec sensit nec docuit, & posteà etiam Augustinus ea, quæ à Nysseno asseverantur, improbavit, ut de præsentia martyrum, quodq; necessitates viventium videant, & quòd auxilium Sanctis fit acceptum referendum.

filii fratrẽ sectator in invocationibus.

Vita Ephrẽ.

Vita Meletii.

Augustinus hanc Nysseni sententiam improbat.

Illas semitas nõ antiquas sanè, sed admodum tunc recẽtes, secutus est iisdem temporib. etiam Nazianzenus. Si enim sepositа norma & lucerna Scripturæ, nostris paulisper cogitationib. indulserimus, facilis & proclivis est in hãc sive opinionem sive devotionẽ inclinatio. Est enim singularis & mirifica superstitum affectio erga eos, qui hinc discesserunt, præsertim quorũ virtutes admiramur, vel quib. familiariter vti fuimus. Inde enim Gentes suos Heroas & Dęmones fecerunt, sicut Plutarchus in Romulo describit. Nazianzenus igitur ex humana illa affectione, non ex Scriptura, inquit, oratione in Basilium: Nunc in cœlis degit, ibique pro nobis, ut arbitror, sacrificia offert, ac pro populo orat. Licet enim nos reliquerit, nõ tamen omninò reliquit. Tu autem sacrum & divinum caput, ex alto nos respice, & carnis stimulum, aut tuis fiste precibus, aut fortiter me ferre persvade, totamq; vitã nobis in melius permuta. Cùm verò emigrabimus nos ibi tuis excipe tabernaculis. In Athanasium: Tu aũt è supernis, propicius nos respice, & populum hunc dirige, nosq; in pace fove, in certamine dirige, & cum temetipso statue. Et in Cyprianũ: Tu verò ab alto propicius nos respice, nostrumq; sermonẽ & vitam dirige, & ovile hoc pasce, ac lupos abige, &c. Atq; ita quidem rapidis & quasi aureis, panegyricarum declamationũ fluminibus, stipulę seu quisquilię invocationis Sanctorum in Ecclesiam, non multò ante annum Domini 400. invehi cœperunt.

Nazianzenus novam Basilii opinionem amplectitur.

Vt arbitror.

Invocatio Sanctorum invecta circa annum 400.

Confude-

Considerandum autem est in historia illorum temporum, quòd non ubiq; & ab omnibus, pro certis, veris & Catholicis dogmatibus, receptæ fuerint panegyricæ illæ declamationes. Cujus illustre hoc est argumentum, quòd ipsi authores panegyrici, inter ipsas Rhetoricas exaggerationes, dubitationem suam nō dissimulant: quodq; coguntur declamatorias suas figuras mitigare. Nazianzenus enim declamitans Basilium in cœlis pro populo sacrificia offerre & orare, addit parenthesin (ὡς οἶμαι ut arbitror,) Et in Epitaphio patris sui dicit quidem: Nunc precibus magis proficit, quàm antea doctrina, quantò Deo jam est propinquior, dignus effectus Angelico ordine & parrhesia. Mox autem addit correctionem πεῖθομαι δὲ ut ego mihi persuadeo. Item: εἰ μὴ τολμηρὸν τοῦτο εἰπεῖν, si nō audax & temerarium est hoc dicere. Et quòd ante ex oratione 1. in Iulianum adduximus: Audi tu quoq; Constantini anima εἴ τις αἴσθησις. Item, Cogor illum tāquam præsentem & audientem compellare. Et in Basilium: Consulo, ut in ipsum respiciatis (καὶ ὡς ὁρῶντος καὶ ὁρωμένου) & quasi ipse videat & videatur, spiritu præparemini, Omnium verò apertissimè dubitationem suam profitetur in funere sororis Gorgoniæ. Ibi enim post multas apostrophas, tandem concludit: Si nostri honores tibi curæ sunt, & si (τοῦτο γέρας) hæc dignatio loco præmii Sanctis animabus à Deo confertur, (τῶν τοιούτων ἐπαισθάνεσθαι) ut talia sentiant, resciscant vel intelligant, suscipe & tu sermonem nostrum. Hoc certè modo de dogmatibus certis, firmis, & Catholicis, seu de articulis fidei, nō loquitur Ecclesia, sed credimus, scimus, certus sermo & omni acceptione dignus, firmiter crede, & nul latenus dubites, &c.

Patres huius ætatis, de hac opinione ipsi dubitarunt.

Suffragia invocationis Sanctorum Nazianzeni ex pseudopigraphus.

Liber de pœnitentia Cypriani.

Porrò observandum est hoc, cùm novitatis suspicione tunc laboraret invocatio Sanctorum, quomodo ex pseudopigraphis Nazianzenus suffragia cōquisierit. Allegat enim scriptum quoddam de pœnitentia seu conversione Cypriani, quasi ab ipso Cypriano conscriptum, quòd scilicet is ante conversionem magus fuerit, & Christianæ cujusdam virginis pudicitiam, per Dæmonem quendam prostitutorem attentārit, virginem verò illam, cognitis insidiis Diaboli, aliis omnibus omissis, ad Deum cōfugisse, & sponsum suum Christum protectorem fecisse. Cumq; hoc fecisset, etiam virgini Mariæ supplicasse, ut virgo virgini periclitāti opem ferret, (κἀγὼ τῷ παρθένῳ μαρίαμ ἱκέτευσα βοηθῆσαι παρθένῳ κινδυνευούσῃ) atque hanc fuisse vitam liberationis puellæ illius, & conversionis Cypriani. Ita Nazianzenus.

Sed librum illum de pœnitētia Cypriani, apocryphum & supposititium esse, Gelasius ex autoritate Romanæ Ecclesiæ, disertè & expressè ostendit dist. 15. c. Sancta Romana. Et Hieronymus in Catalogo, ac in Commentario Ionæ, dicit: Cyprianum professorem Rhetorices fuisse, & conversatione ac suasu Cæcilii, occasione verò lectionis Ionæ, ad fidem Christianam conversum. Et ipse Cyprianus libr. 2. epist. 2. contexens historiam suæ conversionis, nihil de Magica illa tragœdia dicit.

Quia verò Catholicum hoc est, sicut Lyrinensis non malè definit, quod semper, quod ubique, & ab omnibus fidelibus, ex Scriptura constanter receptum fuit, addenda est & hæc observatio, quòd non dubitatum tantùm de invocatione Sanctorum fuit istis temporibus, cùm ex privatis vulgi & mulierculārum devotionibus, in Ecclesiam inciperet introduci, sed disertè, & quidē magno zelo reprehensa, & in Catalogum hæreseon relata fuit ab Epiphanio, qui iisdem fermè temporibus vixit. Sicut autem historia Ecclesiæ omnium temporum ostendit, quando errores plausibili aliqua specie palliati, in personis, sicut Augustinus loquitur, vel multis, vel magnis, liberè & utiliter sine offensione Ecclesiæ reprehendi non poterant, quod iidem in aliis personis, sive minoribus, sive paucioribus, vel quando excessus committebantur crassiores, liberè fuerūt taxati. (Hoc enim modo Augustinus in Pelagianis damnavit, quæ in plerisq; veterum scriptis, totidem fermè verbis leguntur) ita Epipha. arripuit crassum excessum, mulierculārum quarundam Thracum, in Arabia & in superioribus partibus Scythiæ, quæ in sella quadrata, expanso lineo, panem seu collyridem proponebant, & offerebant in nomen Mariæ. Illa verò occasione, multa & varia invocationis Sanctorum seminaria, quæ variis in locis erumpere, & à magnis quibusdam viris foveri cœperant, magna vehementia taxat & reprimit. Non enim hoc tantùm agit, Mulieribus non licere sacrificare, & alia, quæ ad publicum ministerium verbi & sacramentorum pertinent, peragere. Item, Soli Deo esse sacrificandum, Sed longius progreditur, dicit enim mulierculas illas offerre collyridem, ut fit professio quod colant & adorant Mariam. Transfert igitur disputationem illam ab hypothesi ad thesin, de cultu scilicet ad adorationem Sāctorum. Nec verò ignotū mihi est Pontificiorū χρυφύγετοι, quòd fingunt adorationem Sanctorum, non autem invocationem damnari ab Epiphanio. Et adorationem nimis angustè definiunt, quando scilicet tribuitur alicui, quòd sit essentia æterna, infinita, omnipotens, &c. Atqui Epiphanius cùm ex professo, & quidem prolixè materiam illam tractet, ne verbo quidem vel innuit saltem eam differentiam, quòd Sanctos non liceat quidem adorare, tanquā æternos & omnipotentes Deos. Liceat autem ipsos, tanquam legatos apud Deum, & auxiliatores in necessitatibus invocare, & certis cultibus vel votis vel donariis placare. Nec Aegyptii, quos Epiphanius Pharaonis filiam, ob nutricationem Mosis, adorasse scribit, tam amentes fuerunt, quasi senserunt eam ab æterno fuisse. Sed quid intelligat per λατρείαν & adorationē, ipse declarat exemplis, sicut scilicet apud Ieremiam colunt exercitus cœlestes & reginam cœli. Et sicut Noe sacrificium fuit professio, quòd beneficium servationis Deo acceptum referret. Et Iacobi sacrificium fundentis oleum super lapidem, petit panem, vestimenta, ut q; in peregrinatione sua incolumis reducatur. Talia verò sacrificia, hoc est, talem adorationem, quę petit beneficia & auxilia in necessitatibus, Epiphanius cōtendit cultum esse soli Deo debitum. Atque ideò ipse in principio & in fine contra Collyridianos implo-

Lyrinensis.

Invocatio Sanctorum hæreseos data hoc ipso tempore.

Epiphanius contra invocationē Sanctorum.

Status disputationis Epiphanii de Collyridianis.

Papistarum divertium de discrimine invocationis & adorationis.

implorans auxilium ad errores refutandos, & veritatem illustrandam, non Mariam, sed Deum invocat, & pro verbo adorandi utitur hisce vocabulis, θεὸν αὐτοσάμβοοι καὶ ἐπικαλούμενοι, Deū orantes & invocantes, unde manifestum est, sub adoratione comprehendi invocationem, sicut suprà hoc ostendimus.

Epiphanius de Sanctorū adoratione seu invocatione.

De adoratione igitur seu invocatione Sanctorum, Epiphanius ita loquitur contra Antidicomarionitas: Sint Sancti in honore, & quies ipsorum in gloria. Non autem convenit Sanctos ultrà, quàm decet, honorare, sed honorare Dominum ipsorum. Et addit, in Scriptura hoc damnari. Erunt, inquit, mortuis cultum præstātes, sicut & in Israël coluerunt. Et memorabile est quòd dicit, ab ipsis Sanctis dicendum esse, qui honores Deo, & qui Sanctis debeantur, nec honores illos, (ut adorationem & invocationem) quos ipsi Sancti, dum viverent, Deo tribuerunt, esse posita vel Sanctis ipsis, vel aliis per errorē tribuendos. Verba Epiphanii hæc sunt: ἡ τῶν ἁγίων κατὰ καιρὸν εἰς θεὸν δοξα, &c. Honor, quē Sancti suo tempore Deo exhibuerunt, factus est aliis nō videntibus, veritas in errorem. Et contra Collyridianos dicit. Quidam contemptim de Maria sentiunt, & loquuntur, quidam verò in alteram partem declinantes, ultra decorum eam glorificant. Item: Sub prætextu ejus, quod justū est, Diabolus subiens hominū mentem, mortalem naturam deificans, statuas humanam imaginem referentes ex pretio sit, ut mortuos adorent, & imagines adorandas introducant, adulterante mente ab uno & solo Deo. Revera sanctum erat Mariæ corpus, nō tamen Deus, virgo erat honorabilis, sed non ad adorationem nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa secundum carnē, natus est. Atq; ideò Dominus dixit ad eā: Quid mihi & tibi mulier? Ne quis existimaret sanctam virginem excellentiorem esse, & nimia ejus admiratione in hæresin dilabatur. Et totam hanc disputationem, Epiphanius à ratiocinationibus humanarum affectionum, revocat ad normam Scripturæ, & argumēta Basiliana & Gregoriana tectè & obliquè refutat, sicut ex collatione facilè animadverti potest. Quæ inquit, Scriptura narravit? Quis Prophetarum præcepit, hominem adorari? Helias mortem nō vidit, sed translatus est. Ioannes super pectus Domini recubuit. Sed neq; Helias adorādus est, etiamsi in vivis sit, neq; Ioannes προσκύνητος, licet per preces dormitionem suam admirādam effecerit. Sed neq; Tecla, neq; quisquam Sanctorum adoratur. Non enim dominabitur nobis ἀρχαία πλάνη, antiqua seductio, ut relinquamus viventem, & adoremus ea, quæ ab ipso facta sunt sicut scriptum est: Præter creatorem coluerunt creaturam. Si enim Angelos Deus adorari non vult, quantò minus Annæ filiam? Item, Verbum Deus carnem assumpsit ex Maria, non tamen ut adoretur virgo, neque ut Deum illam faceret, sit in honore Maria. Pater verò, & Filius & Spiritus sanctus adoretur, Mariā nemo adoret. Hoc enim mysterium, nec mulieri, nec viro, sed Deo (προστάκται) certo & serio mandato attributum est. Neque Angeli talem glorificationem capiunt. Convertatur itaque creatura ad Dominum, ut solum Deum colat. Item: Licet sancta sit Maria & honorabilis, non tamen ad adorationem. Hæc Epiphanius, qui præterea magno animi ardore, & singulari verborum vehementia, contra hæresim illam, quam à mulieribus dicit profectam, insurgit, quæ apud ipsum, qui volet, legat. Tota verò illa Epiphanii disputatio, rectius intelligetur, si, ut dixi, consideretur, qualis circa illud tempus initia invocationis Sanctorum, ex mulierculārum devotionibus, sicut Basilius fatetur, in Ecclesiam invehi cœperint. Ideò Epiphanius dicit: Compescat Ieremias mulierculas, ne turbent orbem terrarum, ne dicant: Honoremus Reginam cœli. Item, Ne credas Israël mulieri, resulta à malæ mulieris consilio.

Osius de Ephrem.

Osius Cardinalis allegat Ephrem Syrum, his verbis invocantem Mariam: Esto nostra conciliatrix & advocata in hora judicii, libera nos à futuro igni & tenebris, tu namq; es spes apud Deum Christianorum. Quæ si Ephrem ille vel dixit vel scripsit, quia circa Basilii & Epiphanii tempora vixit, non obscurum erit, qualis cœperit tunc Mariæ invocatio seu adoratio, quam tanto zelo Epiphanius insectatur. Quia verò videbat Epiphanius, multorum animos, persuasionibus illis de nimia Sanctorum admiratione præoccupatos, ita concludit: Hæc scripsimus volentibus discere Scripturæ veritatem, quæ si quidam non volunt tolerare, neque utilia, sed potius contraria suscipere, dicendum erit: Qui audit audiat, qui inobediens est, fit inobediens. Hæc Epiphanius.

Chrysostomi seculum de Sanctis.

Pertexemus autem aliquantò ulterius, Græcæ Ecclesiæ historiam, deinde ad Latinos revertemur. Chrysostomus igitur, qui circa annū 400. potissimùm floruit, proximè post Basilii & Nazianzeni tempora successit. Nam & Basilio tanquam præceptore usus fuisse, à quibusdam scribitur. Cumq; illis temporibus invocationem Sanctorum, sicut ostēdimus, quidam assererent, quidam reprehenderent, quidam verò de ea dubitarent, non inutilis erit observatio, quomodo Chrysostomus suam sententiam interposuerit, & Ecclesiam ab ingruentibus tunc superstitionibus, ad vera invocationis fundamenta retraxerit. Summa autem eorum, quæ ex scriptis Chrysostomi, ubi quęstionem hanc tractat, colligitur, in his consistit capitibus.

Pugnātes de invocatione Sanctorum sententia.

I. Quia videbat vulgi persuasionem totum negocium exauditionis, atque adeò ipsius etiam salutis, neglecta pœnitentia & pietate erga Deum, rejicere in aliorum intercessiones, sæpe & graviter hanc persuasionem reprehendit, ut Homilia 44. in Genesin. Homilia quinta in Matthæum. Homilia 42. in priorem ad Corinth. Homilia 1. ad Thessal. &c.

Indignitatis nostræ causa opus esse mediatoribus Sanctis.

II. Quia invocatio Sanctorum præcipuè hac persuasione nitebatur, quòd nos peccatores indigni simus, qui vel ad ipsum Deum, nostris orationib. accedamus, vel qui orantes exaudiamur, ideò opus nobis esse intercessionib. patrociniis & mediationibus Sanctorum ad Deum. Chrysostomus hanc persuasionem multis in locis conatur populo eximere, propositis promissionibus de Christo mediatoris officio & intercessione.

Ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ita Homilia quinta in Matthæum: Si mente vigilemus, multò magis noſtro, quàm alieno tuti eſſe poſſumus ſuffragio. Nam & Deus ſalutem noſtram, nō tam aliis pro nobis rogantibus vult donare, quàm nobis. Sic enim & Chananæam illam aliquando miſeratus eſt, ſic etjam meretrici donat fidem, ſic denique latronem à cruce in Paradiſum tranſtulit, nullius patroni, nullius precibus mediatoris inflexus. Et de muliere Chananæa Homilia duodecima dicit: Miſerere mei. Non inquit, habeo conſcientiam bonorum operum, nec rectæ vitæ fiduciam: Ad miſericordiam confugio, ad tranquillum portum peccantium, ubi ceſſat judicium, ubi ineffabilis ſalus eſt. Dic mihi mulier, quomodo auſa es, cùm ſis peccatrix & iniqua, accedere ad Chriſtum? Ego, inquit, nō vi quid agam, vide prudentiam mulieris, non rogat Iacobum, non obſecrat Ioannem, neque pergit ad Petrum, nec intēdit ad Apoſtolorum chorum, non quæſivit mediatorem, ſed prō omnib. illis pœnitentiam accepit comitem, quę advocati locum implevit, & ſic ad ſummum fontē perrexit. Propterea inquit, deſcendit, propterea carnem aſſumpſit, & homo factus eſt, ut ego ei audeam loqui. Surſum in cœlis Cherubin eum tremunt, & Seraphin metuunt, & deorſum meretrix loquitur cum eo. Ibidem ad Deum non oſtiario, non mediatore, non miniſtro opus eſt, Sed dicito: Miſerere mei Deus, &c.

Idem Homilia de profectu Evangelii: Vis diſcere, quōd etjam per nos ipſos orātes, plus apud Deum efficimus, quàm dum alii pro nobis orāt: Clamavit Chananæa, & acceſſerunt Diſcipuli. Et ad illos quidem dixit: Non ſum miſſus, &c. Quādo autem ipſamet acceſit, tunc beneficium dedit: Vides quomodo repulit cùm alii precarentur, ubi verò ipſamet orans, clamavit, annuit. Cùm hæc omnia non ignoremus, licet peccatores ſimus & indigni, licet ſoli ſimus & interceſſoribus careamus, ne deficiamus, ne deſpondeamus animum. Ibidem: Cæterum non opus eſt patronis apud Deum, neque ullo diſcurſo, ut blandiare aliis, ſed licet ſolus ſis, patronoſq; careas, & per te ipſum Deum preceris, omnino tamē voti compos eris. Neque enim tam facilè Deus annuit, cùm alii pro nobis ovant, ut cùm ipſimet oramus, etiamſi plurimis pleni ſimus malis.

Chryſoſtom. vivos intelligit appellatione Sanctorum.

III. Quia verò Scriptura docet: Licet ipſi Deum invocemus, aliorum tamē pro nobis orationes non eſſe contemnendas. Chryſoſtomus illas ſententias, de Sanctorum pro nobis interceſſionibus, de illis, qui adhuc in hoc ſeculo nobiſcum vivunt, interpretatur. Et notanda eſt fraus Pontificiorum. Vbicunq; enim Chryſoſtomus mentionem facit interceſſionis Sanctorum (ut cùm Homilia 44. in Geneſin dicit: Quando quod ex nobis eſt, ſimul offerimus, & accedit interceſsio Sanctorum, plurimum nobis confert. Et Homilia 5. in Matth. Habent enim vim pro nobis, & quidem maximas orationes ſupplicationesq; Sanctorum. Et Homilia 1. in Epiſtolam ad Theſſalon. Non contemnamus preces Sanctorum, ſed oremus etjam, ut pro nobis precētur, manumq; porrigant.) Hæc omnia Pontificii, de Sanctis in altero ſeculo, interpretantur. Sed Chryſoſtomus expreſsè & diſertè loquitur, de interceſsionibus

Fraus Pontificiorum.

Sanctorum, in hoc ſeculo viventium. Nam Homilia 44. in Geneſin, exempla interceſsionis Sanctorum adducit, ex Geneſis cap. 18. Ierem. 7. 11. & 14. Et Homilia 1. ad Theſſ. allegat exempla Actor. 12. Phil. 1. 2. Cor. 2. quæ de vivorum interceſsionibus loquuntur. Atque in illa Homilia dictum Ieremiæ: Si ſtarent Moſes & Samuel, &c. ita exponit: ſi illi jam ſtarent. Item ει τοιουτος ἦν νῦν καὶ ταῦτα ἔλεγεν. Si Moſes nunc eſſet, & hæc diceret: Dele me, &c.

IIII. Illud quidem Chryſoſtomus ſæpius vrget, Deum propter pios patres, ſæpe liberis & poſteris benefacere. Et in hanc ſententiam aliquoties adducit illas ſententias Scripturæ: Recordatus ſum teſtamenti mei, quod erat ad Abraham. Item: Propter David ſeruum meum, protegam civitatem hanc. Homilia in Geneſin 41. & 44. Homilia 27. in Matth. &c. Sed hoc nihil aliud eſt, quàm Deum ipſo facto hoc comprobare, quod ex gratia clementer promiſit, faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me.

V. Ad illam verò, quę vulgari tunc cœperat, opinionem, de orationibus & patrociniis Sanctorum in altero ſeculo, alicubi inclinat etjā Chryſoſtomus, ut quando de miraculis, quæ ad martyrum ſepulchra edebantur, declamitat. Ita in Babylam martyrem dicit: Sāctorum ubi hinc emigrarint fortitudinem terrificam eſſe, tum Regib. tum Dęmonibus, tum ipſi etjam Dęmonum principi. Et in Iuventium ac Maximum martyres inquit: Sicut milites vulnera in prelijs ſibi inflicta Regi monſtrantes, fidenter loquuntur, ita & illi in manibus abſecta capita geſtantes, & in medium afferentes, quæcunq; voluerint apud Regem cœlorum impetrare poſſunt. Et Homilia 22. ad Roman. Si Paulus cùm hic eſſet uſque adeo dilexit homines, multò magis illic ferventiorem amorem oſtendet.

Chryſoſtom. inclinat in opinionem de patrocinijs Sanctorum, in altero ſeculo.

VI. Sed tamen in Scriptis illis, quæ certò conſtat eſſe Chryſoſtomi, nec docet, nec defendit, nec uſurpat invocationem Sanctorum. Cumq; apud ſepulchra martyrum tunc conuenirent, ad tractationem verbi, ad Sacramentorum adminiſtrationem, & ad preces Deo fundendas, qualis inde perſuaſio, ſenſim & tacitè animis inſederit, ipſe Chryſoſtomus narrat, oratione in Babylam, ubi inquit: Si quis hujuſmodi conditor iis aſſiſtat, ipſius capiulę aſpectus in animam invadens ipſam percellit, ac perinde afficit, quaſi quirillic mortuus jacet, preces ſimul fundat præſensq; adeſſe cernatur, &c. Sed tamen non martyres, ſed ipſum Deum invocat Chryſoſtomus.

Chryſoſtom. nec uſurpat, nec defendit invocationē Sanctorum.

Iterum autem obſervet Lector, quomodo Pontificii cùm veris teſtimoniis deſtituantur, ad ψευδεπιγραφα confugiant. Miſſam enim, quæ Chryſoſtomi titulo fertur, in qua Sancti exertè invocantur, ſuppoſititiam eſſe alibi planè oſtendimus, & eiuſdē generis eſſe etiam Homiliam in natali Petri & Pauli, oſtendunt ineptę, falſæ & depravatæ Scripturæ citationes, ut cùm dicit: Petre & Paule ſine intermiſsione pro nobis rogamus, orate, promiſſa veſtra implete. Sunt enim hæc veſtra conventa, unius quidem hoc, venite mecum & bonis ne deficiamur. Alterius verò illud, ſtudebo poſt meum obitum veſtri facere mentionem. Ita Homilias ad populum Antiochenum ex

Pſeudepigrapha ut Miſſa Chryſoſtomi. Homilia in natali Petri & Pauli.

Homilias ad

Populum Antiochenum.

ex variis tum locis tum authoribus conſutas eſſe conſtat.

Et in illarum 66. ita legitur. Et ipſe, qui purpuram indutus eſt, accedit illa complexurus ſepulchra & factu depoſito, ſtat Sanctis ſupplicaturus, ut pro ſe apud Deum intercedant, & ſcenarum fabrum ac piſcatorem, etjam mortuos, ut protectores orat. Quæ totidem ferè verbis leguntur, inter ſermones Auguſtino inſcriptos de ſancto Paulo. Et Garetius Canonicus ex authore multò recentiore Theodoro Daphnopato, illam ipſam ſententiam citat. In veris autem & certis Chryſoſtomi ſcriptis, tale nihil legitur. Quod enim ex homilia poſt reditum exilii afferunt Pontificii, ubi Chryſoſtomus inquit: Invitavi vos ad Apoſtolos, veniamus ad Timotheum, ad Andream, &c. Non ſunt invocationes, ſed deducit populum ad conſideranda exempla perſecutionum in Sanctis, ſicut contextus orationis manifeſtè oſtendit. Ita Ieſuitæ Colonienſes invocationem Sanctorum conantur ex Homilia 5. Chryſoſtomi in Matthæum, probare. Ita autem citant verba. Hæc non eò dicimus, ut ſupplicandum Sanctis eſſe negemus. Sed manifeſta eſt falſatio. Verba enim Chryſoſtomi hæc ſunt. Et bene dicimus, non ut pro peccatoribus ſupplicandum eſſe Sanctis negemus, Hoc enim agit, ſe non negare, quin Sancti (loquitur autem ſicut exempla, quæ allegat, oſtendunt, de viventibus in hoc ſeculo) debeant pro peccatoribus ſupplicare.

Homilia poſt reditum ab exilio.

Ieſuitæ Colonienſes.

Chryſoſtomus igitur gliſcentem tunc ſuperſtitionem invocationis Sanctorum, aliquantulū repreſsit, & doctrinam pię invocationis ad veros fontes revocare conatus fuit, ſed videamus, quid ii, qui ipſum ſecuti ſunt, fecerint.

Of. Theodoreto Cyri Epiſcopo. Libri de curatione Græcarum affectionum.

Chryſoſtomi igitur diſcipulum atq; ſectatorē fuiſſe Theodoretum Cyri Epiſcopum, ſcribit Nicephorus. In ejus verò ſcriptis (modò ſi γνησια ſunt omnia) pugnantia prorſus, contradictoria de hac materia leguntur. Extant enim 12. libri, de curatione Græcarum affectionum, quorū tamen Nicephorus in Catalogo lucubrationum Theodoreti nullam facit mentionem, in horum 8. multis verbis commendatur & ſtabilitur invocatio Sanctorum. In commentariis verò in Epiſtolas Pauli, quæ ex Nicephori Catalogo certò conſtat eſſe Theodoreti, prorſus contrarium traditur. Non ejuſdem autem ponderis & autoritatis eſſe ea, quæ ex incertis ſcriptis proferuntur, cum iis, quæ certorum ſcriptorum teſtimonia habent, extra controverſiam eſt.

Commentarii in Epiſt. ad Coloſ.

Et inter diſſimiles ſive pugnantes Patrum ſententias, ſemper videndum eſt, utra Scripturæ magis ſit conſentanea.

Tractat libro. Theodoreti, de curatione affectionum Græcarum. Honores martyrum ſuper ſtituendos.

In libris ergo illis, qui inſcribuntur Curatio Græcarum affectionum, propoſitum autoris eſt, ſicut in titulo indicat, Evangelicam veritatem ex Græcorum & Gentium Philoſophia demonſtrare. Inde in octavo libro de martyrum honoribus diſputaturus, quòd tanquam urbium cuſtodes, & locorum præſides, quorum precibus & interventu apud Deum utentes homines, per eos demum divina munera conſequantur, honorandi ſint, multas ex Philoſophis & Poētis, ex Heſiodo præcipuè, & ex Platone ſententias tranſcribit, quòd Gentes ſuos Hæroas & Dæmonas eodem etjam modo coluerint, ſcilicet ut φυλακας θνητων ανθρωπων πλουτοδοτας juxta Heſiodū, quos ſoliti fuerint, θεραπευειν καὶ προσκυνειν αυτων τας θηκας, juxta Platonem.

Et poſt hanc collationem tandem circa finem concludit, Martyres apud Chriſtianos, non tantùm eo modo, ſed multò amplius coli: Martyrū, inquit, templa magnitudine & ſplendore præſtantia ſunt, neq; hæc per annum ſemel aut bis aut quinquies viſitamus, ſed in eis ſæpe numero dies feſtos peragimus. Quiq; homines proſperā ſunt valetudine, conſervare ſibi eam à Martyribus petunt. Qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, ſanitatem expoſcunt. Inſuper ſteriles viri & mulieres, dari ſibi filios petunt, qui veró parentes ſunt, integra ſibi cuſtodiri, quæ conſecuti ſunt, dona. Item, qui peregrè aliquo proficiſcuntur, petunt Martyres ſibi Comites eſſe in via, vel potius itineris duces. Qui verò jam ſoſpites redierunt, gratias agunt acceptum beneficium confitentes. Non qui ſe ad Deos accedere arbitrentur, ſed qui orent Dei Martyres, tanquam divinos homines, interceſſoresq; ſibi eos apud Deum advocent & precentur. Piè verò fideliterq; precatos, ea maximè conſequi, quæ deſiderant, teſtantur, illa quæ votorum rei dona perſolvūt, manifeſta nimirum adeptæ ſanitatis indicia. Nā alii quidem oculorum, alii verò pedum, alii porrò manuum ſimulachra ſuſpendunt, ex argento auroūe confecta, &c. Ita Theodoretus in libris illis, quos inſcripſit, De Evangelicæ veritatis, ex Græcorum atque Gentium Philoſophia, cognitione, quorum tamen librorum ſicut dictum eſt, in catalogo lucubrationum Theodoreti apud Nicephorum nulla fit mentio.

Templa martyrum & feſta.

Donaria in martyrum templis ſuſpenſa.

Idem verò Theodoretus in Commentariis ad Epiſtolas Pauli, quæ inter γνησια ipſius opera Nicephorus recenſet, ipſum fundamentum & nervos invocationis Sanctorum, ex Scriptura ſubvertit, & ſuperſtitionem illam Synodorum autoritate damnatam ſcribit. Quod Theodoreti teſtimonium eò gratius nobis eſſe debet, quia in magnis illis Conciliorum voluminibus, Canon ille non ita legitur, ſicut eum Theodoretus citat. Explicans igitur Theodoretus illud Pauli Coloſ. cap. 2. In humilitate & religione Angelorum inquit: Quilegem defendebant, eos etjam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, ſic iſſe legem per eos datam. Manſit autem diu hoc vitium in Phrygia & Piſidia. Quocirca ſynodus quoque, quæ convenit Laodiceæ, quæ eſt Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum uſque diem, licet videre apud illos & eorum finitimos, oratoria ſanctis Michaēlis. Illi ergo hoc conſulebant, utiq; humilitate utentes, dicentes univerſorum Deum, nec cerni, nec cōprehendi, nec ad eum poſſe perveniri, & oportere per Angelos divinam ſibi benevolentiam conciliare. Et hoc eſt, quod Paulus dicit: In humilitate & cultu Angelorum. Hoc autem (in iis, quæ non vidit incedens) pro eo, quod eſt propriis rationibus & cogitatis utens. Idem repetit in 3. caput. Præcipit Paulus, ut Deo patri gratiarum actionem emittant per Chriſtum, nō per Angelos. Hanc etjam legem ſequens Laodicena ſynodus, & volens veteri illi morbo mederi, cavit

Theodoretus invocationis Sanctorum fundamenta reſellit.

Angelorum invocatio damnata.

Synodus Laodicena.

S

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri, cavit ne precarentur Angelos, & ne relinquerent Christum. Hæc Theodoretus, qui etiam in Compendio Hæreticarum fabularum, Cainis hoc tribuit, quòd Angeli alicuius nomen invocent. Et tamen Andradius non veretur scribere, veterem Cainam hæresin esse, invocationem Sanctorum improbare.

Andradii veracitas.

Laodicena Synodus.

Celebrata autem fuit Laodicena illa Synodus, circa annum Domini 368. hoc est, circa tempora Basilii & Nazianzeni, quod notabile est. Operæ precium autem est considerare, qua fraude Canon ille nunc depravatus, Angelos in Angulos transformârit. Ita enim nunc habet 35. Canon. *Non oportet Christianos, derelicta Ecclesia abire, & ad Angulos idololatriæ abominandæ congregationes facere, quæ omnia interdicta sunt. Quicunque autem inventus fuerit, occulta huic idololatriæ vacans, Anathema sit, quoniam derelinquens Dominũ nostrum Iesum Christum filium Dei, accessit ad idola, &c.* Altera editio legit (Angelos nominare) Theodoretus verò dicit: Canonem illum prohibere invocationem Angelorum, ne quis Angelos oret aut precetur, quasi per illos aditum sibi ad Dei gratiam & benevolentiam facturus.

De Canone Laodicenæ Synodi.

Templum Michaelis.

Proderit verò ad illam Theodoreti narrationẽ de lege Laodicenæ Synodi, & de Michaëlio cõferre ea, quæ Nicephorus scribit Tom. 7. cap. 50. de apparitionibus Michaëlis, & de oratorio Michaëlio, extructo à Constantino. Et quę in Lombardica historia scribuntur de apparitione Michaëlis in Gargano facta, Anno Domini 390. Illa enim collatio ostendet, quales fabulæ sub titulo venerandæ antiquitatis Ecclesiis obtrudantur.

Sed revertamur ad Theodoretum, qui si author est librorum de Græcis affectionibus, cùm contrarium illis scribat in commentariis ad Paulum, sicut ostendimus, non obscurum esse potest, quid illi ejus narrationi, de martyrum invocatione tribuendum sit. Hanc enim ex collatione Philosophiæ Græcorum atq; Gentium, sicut titulus testatur assumit. Alteram verò sententiam ex fundamento verbi Dei, Coloss. 2. & 3. extruit.

Historia religiosa.

Invocatio Sanctorum hac ætate non fuit universalis.

Et quod diligenter observandum est, etiamsi Theodoretus Sanctos invocasset, sicut in historia religiosa, quæ ipsi tribuitur, aliquot extant exempla, non tamen universalis fuit in omnibus Ecclesiis illa observatio, sicut ex Cyrillo, qui iisdem temporibus vixit, manifestum est. Iulianus enim apostata Christianis objecerat, quòd Christum hominem & martyres colerent. Si, inquit, adhuc nobiscum (id est, cum Ethnicis) essetis, unum pro multis Diis coluissetis, non hominem, imò non multos homines miseros, ut sos lege dura & aspera, intelligens martyres. Cyrillus verò respondens lib. 6. quod ad Christum attinet, inquit: Non ut hominem colimus, sed hominem, qui apparuit, Dei verbum agnoscentes. De martyribus verò respondens, memoriam & honorem martyrum confitetur, adorationem negat, invocationis verò nullam prorsus facit mentionem. Hæc enim sunt ejus verba: Ad Sanctos martyres, neq; Deos esse dicimus, neq; adorare consuevimus. Laudamus autem eos potius summis honoribus, quòd pro veritate strenuè certârunt, ita ut & suam animam cõtempserint, &c. Proinde non est indignum, Imò etiam necessarium, eos, qui tam claris operibus gloriosi sunt, perpetuis honorari laudibus. Et Paulò post venerationem martyrum describit: Non cultu, non adoratione, non invocatione, sed inquit: Omni honore eos dignamur, quodammodo reponentes illis memoriam inaccessibilem, pro honoribus & remuneratione fortitudinis tam conspicuæ. Imò recitans, quomodo Græci suas Dæmonas, quos ex hominibus præstantibus fieri fingebant, coluerint, scilicet tanquam custodes & auxiliares superstitum, cùm Deum esse nihil aliud intellexerint, quàm utilitati cuipiam hominum Præfectum esse. Non addit, sicut Theodoretus facit, Christianos idem, aut multò magis de martyribus suis sentire, sed ita concludit. Proinde nos quidem minimè. Græci autem potiùs deprehenduntur fuisse hominum cultores, & Dei gloriam incircumspectè, quibus voluerunt, tribuisse. Ita lib. 10. Iulianus inquit: Ad antiquum illum mortuum additis multos recens mortuos. Cyrillus verò respondens, dicit: Christianos magni facere reverentiam & honorem erga sanctos martyres, sed addit: Scriptura nobis unum Deum prædicavit, alium autem præter illum omnino nullum adorare cõsvevimus. Idem Cyrillus in 16. cap. Ioan. inquit: Nullus accedit ad patrem, nisi per filium, per quem adductionem habemus ad patrem in Spiritu. Ideò se portam & viam appellat, quia inquit: Nemo venit ad patrem nisi per me. Nam in quantum Filius & Deus est, unà cum patre, nobis bona largitur. In quantum verò Mediator est & Pontifex, & paracletus, nostras preces ad patrem adducit. Et tandem concludit, orandum igitur est in nomine Salvatoris, si exaudiri à patre volumus.

Cyrillus contrà invocationem Sanctorum.

Veneratio martyrum apud Cyrillum.

Adoratur solus Deus.

Atq; ita hactenus in Græca Ecclesia, invocatio Sanctorum alicubi, & à quibusdam variè tẽtata, usurpata & defensa, non tamen ubique ab omnibus Ecclesiis recepta & approbata fuit. Sed semper fuerunt quidam præstantes viri, qui eam nõ admiserunt, sed improbârunt, & fundamenta ejus refutârunt, & Ecclesiam ad fontes veræ invocationis Dei deduxerunt, sicut ostendimus. Post hæc verò tempora, insecuta quidem est tristior & major confusio dogmatum & rituum in Græca Ecclesia: In receptas tamen & universales formulas publicarum precationũ invocatio Sanctorum tardè admissa fuit. Et memorabile est, ad perpetuam rei memoriam dignũ observatione, quod Petrus Gnapheus, qui in quinta universali Synodo, ut hæreticus damnatus fuit, primus author & inventor fuit miscendæ invocationis Sanctorum inter publicas Ecclesiæ preces. Nicephorus enim lib. 15. cap 28. inter ea, quæ Petrus ille Fullo inveniisse seu reperisse dicitur, numerat & hoc, ut in omni precatione Dei genitrix nominaretur, & divinum ejus nomen invocaretur, Factum hoc fuit circa annum Domini 470.

Conclusio historiæ Ecclesiæ Græcæ usque ad Theodoreti & Cyrilli tempora.

Petrus Gnapheus publicum Ecclesiæ precibus invocationem Sanctorum primus infert.

Pontificii verò, qui in publicis Ecclesiæ suæ precibus, invocationi Sanctorum primarium locum tribuunt, ne videantur Fullonem illum hæreticum hujus rei authorem habere, allegant Canonem septimum universalis sextæ Synodi, ut prætendere possint, publica universalis Ecclesiæ

Pontificii ad stabiliendam Sanctorum invocationem falsò Synodo 6. abutuntur.

Ecclesiæ authoritate receptam, atq; adeò sancitã esse invocationem Sanctorum. Cumq; reliqua dogmatica illius Synodi de incarnatione Christi recipiamus, existimant eadem authoritate etjam invocationem Sanctorum recipiendam esse. Sed certum est. 9. illos Canones, qui in Tomis Conciliorum sextæ Synodo tribuuntur, supposititi-

Supposititii Canon 9. Synodi 6.

os & adulterinos esse, id quòd ipsi etjam Pontificii pronunciant. Et hoc Lector diligenter notet. Ita autem habet adulterinus ille Canon.

Singulis diebus, qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, mane scilicet & vesperi, dicens Symbolum sive orationem Dominicã, vel: Qui plasmasti me miserere mei, vel etjam: Deus propitius esto mihi peccatori. Et Deo gratias agat, pro quotidianæ vitæ comeatibus, & quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, & à peccatoribus segregare. His actis, & solo Deo creatore suo adorato, invocet Sanctos, ut pro se intercedere apud majestatem divinam dignentur, &c. Posteà tamen prævalescente superstitione, una cum cultu & adoratione imaginum, invocatio Sanctorum etjam recepta, & stabilita est in Græca Ecclesia, in septima synodo, circa annum Domini 781.

Invocatio Sanctorum in Græca Ecclesia stabilitur Synodo septima.

Atque ita in Græca Ecclesia à voto communium precum, quo primùm societas invocationis solius Dei expetebatur, inclinatio sensim facta est ad manifestas & crassas superstitiones. Ita Iustinianus Imperator libr. 1. Codicis, Tit. 30. tantùm intercessionis facit mentionem, cùm inquit: Hoc etjam deprecantes exoramus gloriosæ Mariæ virginis precibus, ut quicquid minus est Reipub. nostræ, per nos indignos servos suos restituat in suo nomine Deus.

Iustinianus. Intercessio Sanctorum.

Evagrii invocationes.

Evagrius non longè post ea tempora crassiùs progreditur. Facit enim Chosroem Persarum Regem, ita invocantem beatum Sergium: ut & ego & Syra Amasia, & omnes, qui in mundo sunt, εἰς σὲ ὡς σὺν δύναμιν ἐλπίζωμεν, καὶ εἰς σὲ ἐπιπεποίθωμεν. Vt in tuam potentiam speremus, & in te amplius credamus. Et ne opus sit, plura exempla ex posteriorũ scriptis conquirere, Vnus Damascenus satis crassa suppeditat exempla. In ejus enim historia scribitur, cùm à Leone Isaurico vna manu mutilatus esset, quòd statim confugerit ad Mariam, fervideq; ipsi supplicarit, atq; hoc pacto ipsum detruncatam manum sanitate restituta, mirabiliter recepisse. Et ipse Damascenus in hymnis suis ita invocat Mariam: Invituperabilem spem tuam Deipara habens, servabor, defensionem tuam possidens, non timebo, persequar inimicos meos, & in fugam vertam, solam habens, ut thoracem protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum. Et deprecor clamans tibi Domina, salva me intercessionibus tuis. Item gloriosa mater Dei adduc nostram deprecationem filio tuo, ut salvet per te animas nostras. Misericordiæ januam aperi nobis benedicta Deipara. Sperantes igitur in te non aberremus, liberemur per te à calamitatibus. Tu enim es salus generis hominum, omnem spem meam in te repono, mater luminis, serva me sub protectionem tuam, &c.

Damasceni invocationes.

Græci nostræ ætatis.

Inde hoc tempore Græci in precibus suis horarius, crassissimas habent superstitiones invocationis Sanctorum, cujus exempla quædam à D. Camerario & Chytræo recitantur, ut te murum inexpugnabilem, munitionem salutis Deipara, virgo supplices invocamus, adversariorum dissi pes consilia, urbem muni. Item, spes, præsidium & perfugium Christianorũ, quæso, ut quæ mundum salvas indesinente tua deprecatione, memineris nostri, virgo laude omni digniss ima. Ibidem extat fabula, quòd Apostoli, cùm priùs soliti fuissent, Christum ita invocare, Domine Iesu Christe: opitulare nobis, ejus loco, post assumptionem Mariæ, exclamasse: Sanctissima Deipara opitulare nobis. Ibidem etjam singuli manè à somno surgentes, dicere jubentur. Sanctus es Deus, propter Dei genitricem miserere nostri, &c.

Camerarius. Chytræus.

Fabula impudens.

Hæc certè talia sunt, quæ nec excusari, nec defendi possunt. Sed desino δ' ὑσφημεῖν talia plura recitare. Hæc enim ad institutam nostram historicam cõsiderationem, de initiis, de progressu, & tandem de crasso excessu invocationis Sanctorum, in Græca Ecclesia sufficere possunt.

Revertamur jam ad reliquos Latinos Scriptores post Lactantium & Hilarium, de quibus suprà dictum est, & ex illis etjam historiam invocationis Sanctorum breviter contexemus. Ambrosius igitur, qui iisdem ferme temporibus floruit, quibus Basilius & Nazianzenus, quando Scripturam interpretatur, ipsa fundamenta invocationis Sanctorum, in Exemplis Ethnicæ idolatriæ convellit. Gentes enim, quod nõn rectà ipsum supremum Deum, sed Heroas, Dæmonas, & alias creaturas, cultibus, votis & invocationibus suis accederent, duabus potissimùm rationibus movebant.

De Latinis Patribus post Lactant. & Hilarium.

Ambrosius de invocatione.

Rationes cur Gentes invocarint creaturas.

I. Sicut in aulis non statim ad ipsum Regem prorumpitur, nec ad illum cuivis patet aditus, sed Comites & Tribuni primò adeundi & deliniendi sunt, ut vel supplicationes Subditorum ad Regem perferant, vel aditum ipsis ad Regem parent.

II. Qui vel miser vel indignus, vel malè meritus est, is, quando à Rege aliquid vult impetrare, implorat suffragia eorum, qui apud Regem in gratia & authoritate sunt. Et hæc sunt ipsissima etjam fundamenta invocationis Sanctorum apud Pontifices.

Ambrosius verò exponens illa verba Pauli, Romanor. cap. 1. (servierunt creaturæ potiùs, quàm creatori) Istas rationes disertè refutat his verbis. Solent tamen pudorẽ passi neglecti Dei, misera uti excusatione, dicentes: Per istos posse ire ad Deum, sicut per Comites pervenitur ad Regem. Age nunquid tam demens est aliquis, & salutis suæ immemor, ut honorificentiam Regis vendicet Comiti? Cùm hac de re si qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei damnentur majestatis. Et isti non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conservos adorant, quasi sit aliquid plus, quod serviatur Deo. Nam & ideò ad Regem per Comites, & Tribunos itur, quia homo utique Rex, & nescit quibus debeat Rempubl. credere. Ad Deum autem, quem utiq; nihil latet (omnium enim merita novit) promerendum suffragatore non est opus, sed de mente devota. In libro etjam de Isaac & anima, de Christi mediatoris offi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cio piè & ex Scriptura inquit: Ipse Christus os nostrum est, per quod patri loquimur, oculus noster, per quem patrem videmus, dextera nostra, per quam patri nos offerimus, quo nisi intercedente, nec nobis, nec Sanctis omnib. quicquam cum Deo est.

Apostrophæ Rhetoricæ Ambrosii.

Alibi verò, sicut ferebat stylus illius temporis, Rhetoricis apostrophis ludit, ut in funere fratris Satyri. Sed priùs ultimum vale dico: Præcede ad illam communem omnibus & debitam, sed jam mihi præ cæteris desiderabilem domũ, para hospiti consortium. Ne quæso, cupientem tui diu differas, properantem expecta, festinantem adjuva, & si diutius tibi morari videbor, accersi, &c. Sed figuram hanc esse Prosopopœjam, Rhetores norunt, sicut & in Lucam libro decimo, Ambrosius hac figura vtitur, cùm inquit: Vnde te evocem Petre, ut doceas me, quid flens cogitaveris? Vnde inquam te revocem, de cœlo, ubi jam choro insertus es Angelorum? An etjam de tumulo? &c.

Ambrosius ad invocationem Sanctorum inclinavit contra Scripturam.

Non tamen nego, Ambrosium tandem, cùm Monachatum à Basilio mutuo sumpsisset, etjam ad invocationem Sanctorum cœpisse inclinare. Nam in libro de viduis inquit: Cùm socrus Simonis magnis febribus detineretur, Petrus & Andreas rogaverunt Dominum pro ea: Et tu vidua habes proximos, qui Deo pro te supplicẽt: Habes Apostolos proximos. Habes Martyres proximos. Item, Videtis quòd magno peccato obnoxia, minùs idonea sit, quæ pro se precetur, certè quæ pro se impetret. Adhibeat igitur ad medicum alios peccatores: Infirma est caro, mens ægra, & peccatorum vinculis impedita, ad medici illius sedẽ debile non potest explicare vestigium. Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vẽdicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine: etjamsi quæ habuerunt peccata, laverunt. Isti enim sunt Dei martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumq; nostrorũ. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, qui & ipsi infirmitatem corporis, etjam cùm vincerent, cognoverunt. Hæc ibi Ambrosius, præter, imò contra Scripturam. Quæ enim Scriptura docet, peccatorem pœnitentem non posse pro se orare? Non posse ad Christum accedere, atq; ideò Angelos & martyres defunctos esse invocandos. Imò contra Scripturã exertè pugnat, Martyres peccata sua proprio sanguine laviss̃e, 1. Ioan. 1. Apoc. 1. 7. 17. Cumq; Christus clamitet: Venite ad me omnes, qui onerati estis, Mat. 11. Et promittat Ioa. 6. Quicquid ad me venerit, non ejiciam foras: Ambrosius in illa sua declamatione, contrarium statuit. Et manifestum est, quomodo impingat in dulcissimam sententiam Ebr. 2. Quòd Christus ideò passus sit & tentatus, ut fieret fidelis & misericors Pontifex, & posset eis, qui tẽtantur, auxiliari: Cumq; Angelus nolit adorari Apo. 19. Ambrosius dicit: Observandi sunt Angeli. Quæ verò consequentia est? Petrus in hac vita, pro socru sua oravit, Ergo invocãdi sunt Sancti, qui ex hac vita discesserũt. Illas ipsas certè rationes, quibus hoc loco Ambrosius utitur, ipse, tractans textum Rom. 1. in aliis refutat. Et Chrysostomus illud Ambrosii, quòd peccator pœnitens non posset pro se precari, nec ad Christum accedere, sæpius in multis locis refutat, sicut ostendimus. Augustinus etjam justa disputatione rejicit illud, quòd Ambrosius dicit: Martyres in altero seculo esse speculatores vitæ, actuumq; nostrorum. Qualis igitur debeat esse autoritatis hujus sententiæ Ambrosii, cordato Lectori nõ obscurum esse potest. Quæ verò præterea sub Ambrosii nomine, ex sermonibus & ex præparatione ad missam, proferri solent, supposititia sunt.

Collatio Scripturæ.

Ἀσυλλόγιστον.

Supposititia Ambrosii.

Sed tamen circa illa tempora, in Latina etjam Ecclesia, alicubi & à quibusdam, invocationem Sanctorum, vel certè speciem ejus, usurpatam fuisse, ostendunt objectiones Gentium & Manichæorum, de quibus in Augustino dicemus: Vigilantianum etjam certamen Hieronymi tempore idem ostendit. Et fieri quidem potest, sicut in certaminibus solet, quòd Vigilantius nimium deflexerit in alteram partem, derogans debita venerationi, & justis honoribus martyrum, si vera sunt, quæ Hieronymus in suis criminationibus ipsi tribuit.

Vigilantii certamen.

Celtæ & Germani essẽt invocatores Sanctorum.

Sed tamen inde colligitur, Ecclesias apud Celtas & Germanos, offensas fuisse nova illa persvasione invocationis Sanctorum, qui ex vita discesserant. Non enim tantùm Vigilantius presbyter eam reprehendit, sed (quod Hieronymus ad Ripacium conqueritur) Episcopus etiam Galliarũ, vir sanctus, cum multis aliis sententiæ ipsius acquievit. Irenæus enim scribit, Celtas & Germanos, quos Barbaras Gentes appellat, simplicitatẽ fidei Apostolicæ, tam tenaciter & mordicus retinuisse, ut statim aures obturârint, si quis diversũ ab eo, quod semel acceperant, annunciaret. Cùm igitur Apostolicam initio traditionem accepissent, Solum Deum, in nomine Christi mediatoris adorandũ & invocandum, non potuerunt nõ offendi, subintroducta nova opinione invocationis Sanctorum. Quòd si Vigilantius, juxta Basilii similitudinem, more infitorum, qui dũ curuæ arboris statum corrigere studeñt, nimia attractione in alteram partem deflectendo, peccant, eò progressus est, quòd contemptim & scurriliter de martyribus, & eorum reliquiis, & sensit & locutus est, sicut Hieronymus ipsum accusat, nõ defendo. Quanquam optandum esset, vel ipsius Vigilantii scriptum extare, unde de ejus sententia rectè statui posset, vel Hieronymum non convitus & criminationibus, sed Scripturæ argumẽtis modestè & placidè causam illam egisse. Quòd enim Vigilantio multa impingat, quæ nunquam dixit, ipse non potest dissimulare, cùm inquit: Miror quòd non dicas nequaquam perpetranda martyria: Quod cùm dixeris, imò & si non dixeris, ita habeberis quasi dixeris, &c. Sed hæc relinquamus Deo Iudici justo.

Irenæus.

Nos verò remotis paulisper è scena personis, rem ipsam videamus. Et de reliquiis martyrum posteà dicemus. Quod verò ad hunc locum attinet. Vigilantius quantum ex Hieronymo colligitur, tria hæc capita disputavit. I. Martyres seu Sanctos, qui ex hac vita discesserunt, non esse colendos & adorandos. II. Dum vivimus, mutuo pro nobis orare debere, post mortem verò nullum pro aliis deprecari. III. Martyrum seu

Capita disputationum Vigilantii ex Hieronymo.

Primum.

Secundum.

Tertium.

beatorum

Responsio Hieronymi ad hæc capita.

beatorum animas non adesse suis tumulis, nec interesse rebus viventium. Ad hæc capita Hieronymus respondens, nequaquam vel probat vel defendit Sanctorum cultum & adorãtionem, sed dicit: Nos autem non dico martyrum reliquias, sed ne Solem quidem & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubin, & Seraphin, & omne nomen quod nominatur, & in præsenti seculo, & in futuro colimus & adoramus, ne serviamus creaturæ potiùs, quàm creatori. Item: Quis aliquando martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum? Item: Populi qui sanctis Samuelis reliquiis occurrerunt, non Samuelem adorabant, sed Christum, cujus Samuel & Propheta & Levites fuerat, &c.

Sophistica Lindani distinctio adorationis & invocationis.

Nota mihi est Lindani & aliorum Sophistice. qui fingunt, Hieronymum quidẽ adorationem martyrum damnare, sed invocationem eorum probare & defendere. In tota verò prolixa & acerba illa Hieronymi invectiva, nulla syllaba extat de hac distinctione, quòd martyrum animæ, non quidem adorandæ, sed tamen invocandæ sint. Et ex Augustino mox ostendemus, illis temporibus, in publicis Ecclesiæ precibus, Sanctos nec adoratos nec invocatos. Circa idem etjam tempus Laodicena Synodus lege prohibuit, ne quis Angelos precetur, sed ad memorias martyrum, ipsum & solum Deum adorabant, invocabant & precabantur, sicut ex Augustino mox ostendemus. Quod igitur Hieronymus dicit. Si quis precator ad martyrum memorias advenerit: Intelligit de adoratione & invocatione ipsius Dei, quæ fiebat apud memorias martyrum. Demonstrari enim non potest, ulla vel dictione, vel syllaba, Hieronymum adversus Vigilãtium, hoc agere & defendere, quòd Sancti, qui ex hac vita discesserunt, sint invocandi.

Nec invocandi, nec adorandi Sancti.

Quod verò ad alteram quæstionem attinet, recepta tunc à plærisq; erat sententia illa de qua Origenes, sicut suprà ostendimus, cùm non habeat expressum Scripturæ testimonium, dubitando & ambigendo disputavit: Beatos scilicet in altera vita orare pro Ecclesia. Et accesserat illa persuasio, quando Deus ad monumenta martyrum adorabatur & invocabatur, tunc martyres vnà cum illis precatoribus sua vota conjungere, & Deum comprecari, ac propter votum talium communium precum seu comprecationis, fiebant tum adorationes & invocationes Dei apud monumenta martyrum. Hanc persvasionem, quia extra Scripturam recepta erat, nec veræ antiquitati nota fuerat, à multis in Gallia non fuisse, tanquam articulum fidei, receptam, ex illo Hieronymi libro manifestè apparet. Vigilantius verò, sicut in contentionibus fieri solet, non tantùm dimicavit, opinionem illam, cùm claris Scripturæ testimoniis destituatur, non esse æquãdam articulis fidei, sed eam (si vera sunt, quæ Hieronymus ipsi tribuit) simpliciter ita damnavit, ut diceret: Post mortem in altero seculo nullum *Audere* pro aliis deprecari. Item: Dum vivimus mutuò pro nobis orare posse. Postquam autem mortui fuerimus, nullius esse pro alio exaudiendam orationem. Et hanc negatiuã Vigilãtius conatus fuit probare ex Apocryphis Esdræ, & ex translatione quadam Solomonis non authentica. Attulit etjam illud ex Apoc. 6. quòd martyres vltionem sui sanguinis obsecrantes impetrare non quiverint. Hieronymus verò in contrariam partem, magna vehementia insurgens, tanquam pro articulo fidei pugnat, Beatos in altero seculo orare pro Ecclesia credentium in hac vita. Cùm Origenis tempore fuerit tantùm privata, dubia & apocrypha opinio, quæ aliqua probabilitate tantùm disputabatur. Et Hieron. ex Scriptura nulla expressa adfert testimonia, tantùm ita argumentatur: Si Apostoli & martyres adhuc in corpore cõstituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quantò magis post coronas, victorias, triumphos, &c. Sed sub initium hujus loci ostendimus, quid nostræ Ecclesiæ de hac disputatione (An beati in cœlo, pro Ecclesia militante, solicitisint & orent) sentiant, si non, ut articulus fidei, cùm necessitate credendi, sed ut probabilis opinio proponatur. De orationibus igitur Sanctorum Hieron. disputat, non autem contendit, Sanctos esse invocandos.

Secundum caput contra priora Vigilantii.

An beati orent pro nobis.

Quod verò ad tertiam quæstionem attinet, Vigilantius disputavit, sicut verba ipsius Hieronymus recitat: Animas Apostolorum ac martyrum, vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei consedisse, nec posse suis tumulis, & ubi voluerint, adesse præsentes. Hieronymus verò respõdet: Tu Deo leges ponis? Tu Apostolis vincula injicis? ut usq; ad judicii diem teneantur custodia, ne sint cum Domino suo, de quibus scriptum est: Sequuntur agnum quocunque vadit? Si agnus ubique, ergo & hi, qui cum agno sunt, ubiq; esse credendi sunt, &c. Sed hanc Hieronymi assevérationem, non multò post diserte negârunt, rejecerunt, improbârunt & refutârunt Augustinus & Chrysostomus. Et Augustini quidẽ testimonia mox adscribemus. Chrysostomus verò Homilia 29. in Matthæũ dicit: Non potest anima è corpore separata in his regionibus errare. Iustorum enim animæ in manu Dei sunt: Peccatorum verò post hunc exitum continuo abducuntur, quòd à Lazaro & divite planum efficitur. Et paulo post: Multis è locis Scripturæ comprobari potest, non errare hic post mortem, justorum hominum animas. Nam & Stephanus ajt: Suscipe Spiritum meum. Et Paulus, resolvi ac esse cum Christo, desiderabat. De Patriarcha quoque Scriptura dicit: Et appositus est ad patrẽs suos. Quod verò nec peccatorũ animæ hic commorari possint, divitem audias quid dicat, perpendasq; quid petit, & non impetrat. Quod si possent animæ hominum hic conversari, venisset ipse ut cupiebat, &c. Idem concione 4. de Lazaro prolixè disputat, mortuos non apparere viventibus. Et inquit: Animæ corpus egressæ, non ampliùs hic commorantur, sed protinus abducuntur.

Tertia quæstio Vigilantii.

An beati adsint in terris.

Hieronymus refellitur ab Augustino & Chrysostom.

Chrysostom.

Animæ post mortem non errare in terris.

Non omnia igitur simpliciter Catholica dogmata sunt, quæ Hieronymus contra Vigilantium disputat. Sed quod ad hunc locum de invocatione Sanctorum attinet, non opus habemus hac responsione. Certum enim & manifestum est, Hieronymum in tota illa disputatione, nec probare, nec defendere invocationem Sanctorum, nec; hoc disputare, orationẽ esse ad Sanctos, qui in altero seculo sunt, dirigendam. Quod vero de

Hieronymus non defendit invocationẽ Sanctorum defunctorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

oratione beatorũ in cœlo pro Ecclesia disputat, de eo, quæ sit Apologiæ nostræ sententia sub initium hujus loci exposuimus. Inde verò nõ sequitur, Sanctos esse invocandos, nec eá consequentiam Hieronymus inde texit: Quicquid igitur sit de Ambrosii obsecrationibus, hoc certum est, Hieronymum non diu post Ambrosium, in certamine contra adversarium, licet universam bilem effundat, non tamen vel voluisse, vel ausum fuisse, invocationem Sanctorum defendere. Vnde rectè colligitur, eam tunc non habitam pro dogmate seu articulo fidei. Ea enim, quæ dogmata sunt, quando ab adversariis impugnantur, aperto Marte, & majori zelo solent defendi.

Apostrophæ Rhetoricæ Hieronymi.

Quod verò in Epitaphio Paulæ Hieronymus dicit: (Vale ô Paula, & cultoris tui ultimam sene ctutem orationibus juva) Nõ stabilire Pontificiorum opiniones de invocatione Sanctorũ, sed esse apostrophen Rhetoricam, ex ipso Hieronymo ostendi potest. Nam in Epitaphio Nepotiani disertè inquit: Quicquid dixero, quia ille non audit, mutum videtur. Et sub finem: Cum quo loqui non possumus, de eo loqui nunquam desinamus. Ita in oratione super obitu Blesillæ, attribuit Blesillę mortuę prolixum sermonem, quo matrẽ lugentem alloquatur: Quas nunc exiitimas Blesillam nostram pati cruces, quæ ferre tormenta, quòd tibi Christum videat subiratum? Clamat nunc lugenti: Si unquam me amasti mater: Si tua ubera suxi, &c. Quem sermonem figuratum esse nemo non videt. Et continua illa figura ibidem etjam dicit: Loquitur illa & alia multa, quæ taceo, & pro te Dominum rogat, mihiq; vt de ejus mente securus sim, veniam impetrat peccatorum, &c. Et licet Rhetoricæ illæ compellationes inclinare tunc cœperint ad invocationem Sanctorum: Ipse tamen Hieronymus, per mitigationem quandam eas declarat, ne sint invocatio, ut in vita Hilarionis, Constantiæ cujusdam, quam sanctissimam mulierem apellat, devotionem describens, inquit: erat enim solita pervigiles in sepulchro Hilarionis noctes ducere, & quasi cum præsente, ad adjuvandas orationes suas sermocinari. Sicut simili figurarum licentia, Eusebius in vita Cõstantini dicit: σὲ μὲν ἐυσέβεια καὶ φιλανθρωπία προσκυνῶ. Te quidem ô pietas & humanitas adoro. Quid verò ex figuratis istis compellationibus sine ullo Scripturæ testimonio, vel exemplo introductis, tandem extructum sit, in Græcæ Ecclesiæ historia jam ostẽdimus, & in Latina historia mox idem sequetur. Sed jam ad Augustinum progrediamur.

Epitaphium Nepotiani.

Vita Hilarionis.

In ea igitur tempora Augustinus incidit, cùm quæstionibus & disputationibus, de orationibus & patrociniis Sanctorum, personarent omnia. Et operæ precium est considerare, ubi Augustinus temporibus cesserit, & quomodo tamen à præsumptionibus, ad veros fontes invocationis nominis divini Ecclesiam revocare studuerit, cũ receptas & communes præsumptiones, liberiùs reprehendere non auderet. Omnia enim istis temporibus plena fuisse præsumptionibus, ipse ad Ianuarium conqueritur, ubi & hoc addit: Multa hujusmodi propter nonnullarum, vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberiùs improbare non audeo. Et quod contra Faustum dicit: Aliud est quod docemus, aliud quod sustinemus, aliud quod præcipere jubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur.

Augustini seculum.

Ad Ianuarium.

Contra Faustum

Augustinus igitur, unà cum aliis etjam secutus est opinionem illam, quæ tunc fermè communis facta fuerat, quòd scilicet beati in cœlo, sollicíti sint pro Ecclesia in terris militante, & pro ea orent. In hanc sententiam allegat Cypriani dictum, capit. decimoquarto, de prædestinatione Sanctorum, Magnus illic nos carorum numerus expectat, parẽtum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute solicita. Et lib. 9. Confess. Nunc Nebridius meus in sinu Abraham vivit, & spirituale os ponit ad fontem divinum, & bibit quantum potest, sapientiam pro auiditate sua. Nec fic eum arbitror inebriari ex ea, ut obliviscatur mei, cùm tu Domine quem potat ille, nostri sis memor. In Psalm. 88. Natalitia Sanctorum cum sobrietate celebrate, ut imitemur eos, qui præcesserunt, & gaudeant de nobis, qui orant pro nobis, &c. De exauditione etjam illarum orationum, disputat quæstione in Exodum 108. & 149. Et de Civitat. lib. 22. capit. 9. dicit martyres talia à Domino impetrare posse, & pro patientia jam habere potentiam. Addit etjam libró 20. contra Faustum, capite 21. Populum Christianum memorias martyrum, religiosa solennitate concelebrare, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur. Per consociationem autem Augustinus illud reddere voluit, quòd Epistola Smyrnensis Ecclesiæ, de qua suprà, dicit ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συνοικονόμους γενέσθαι, ut scilicet Ecclesia militans in hac vita, illarum virtutũ, quas in martyribus celebrabat, consors redderetur, acceptis à Deo similibus virtutum donis. Vtque aliquando consors & socia fieret præmiorum, quorum in vita æterna martyres jam compotes facti sint. Vtrunq; enim vocabulo meriti veteres intelligunt. Et ipse Augustinus consociationem ita exponit, ut libro octavo, de Civitate Dei. Deum martyres Angelis cœlesti honore sociasse. Et lib. 11. dicit: Ad sanctorum Angelorum societatem & congregationem, in hac peregrinatione laboriosíma suspiramus. Omnium verò manifestíssimè hanc phrasin explicat de vera religione, capite 55. Sancti illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur, meriti sui nos esse consortes. Quòd verò de adjumento orationum addit, nequaquam intelligit Sanctos invocandos. Hoc enim, sicut mox ostendemus, disertè negat, sed persvasio erat illius temporis, quando apud memorias martyrum Deus invocabatur, quòd tunc martyrum animæ, unà Deum comprecarentur. In hanc sententiam dicit Tractat. 8. in Ioannem: Ad mensam Domini non sic martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etjam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus. Et sermone 17. de verbis Apostoli, Injuria est, pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare. Ipse etjam Augustinus, alicubi erũ pit,

Consociatio meritorum.

Beatos in cœlo, pro Ecclesia militante orare.

Adjumentum orationis.

pit, non quidem in invocationem, sed in votum communium precum, seu comprecationis Sanctorum, lib. 5. contra Donatistas, cap. 1. Beatus Cyprianus jam corpore non aggravante animã, sereniùs perspicit veritatem, Adjuvet itaq; nos orationibus suis, in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosa nube laborantes, ut donante Domino, quantum possumus, bona ejus imitemur. Et hæc Augustinus, sine Scriptura, temporibus & consuetudini cedens.

August. præsumptiones sui temporis corrigere, aut in dubiũ vocare studet

Vide autem & considera quomodo Augustinus, sicut ipse loquitur, ea, quæ tolerare compellitur, corrigere & emendare studeat, ut Ecclesiam à præsumptis persvasionibus, ad Scripturæ doctrinam de invocatione Dei revocet. Nam post Basilium plerique patres, ut Nazianzenus, Nyssenus, Theodoretus, Ambrosius, Hieronymus, &c. non tam disputârant, quàm asseverârant, animas martyrum & beatorũ, apud memorias suas, & alibi in hoc mundo præsentes esse, rebus viventium interesse, eas cognoscere, curare, disponere & administrare, vota precantium audire, & ad Deum perferre, cultoribus suis auxilio esse, ac omnis generis beneficia non impetrare tantùm sed conferre. Hac enim potissimum præsumptione, Deum precaturi ad monumenta martyrum concurrebant, ac ipsos sæpius martyres nominatim compellabant, beneficia etjam exauditionum & auxiliorum, ipsis tribuebant martyribus, volebant etiam ideò apud monumenta martyrum sepeliri. Augustinus verò cùm præsumptiones illas liberius, sicut ipse loquitur, improbare non auderet, revocat eas in dubium, & sensim ad negandas eas progreditur, ut in libro de cura pro mortuis. Respondurus ad objectionem, quòd martyres, ipsis beneficiis, quæ dantur orantibus, indicent, se interesse rebus humanis, quorundam etjam aspectibus appareant, & in somnis eos alloquantur: Cùm varias quæstivisset solutiones, ita concludit cap. 16. Quanquam ista quæstio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodùm opitulentur martyres iis, quos per eos certum est adjuvari, utrum ipsi per seipsos adsint, uno tempore, tam diversis locis, & tanta inter se longinquitate discretis: An ipsis in loco suis meritis congruo, ab omni mortalium conversatione remoto, & tamen generaliter orantibus pro indigentia supplicantium, sicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præsentamur, qui est ubique præsens, exaudiens martyrum preces, per Angelica ministeria, ubique diffusa, præbeat hominibus ista solatia. Res hæc altior est, quàm ut à me possit attingi, & abstrusior est, quàm ut à me valeat perscrutari, &c. Sed cap. 13 Vulgatam nunc opinionem, simpliciter ex verbi Dei fundamentis refutat, ut volet, inquit, accipiat quisque quod dicam: Si rebus viventium interessent animę mortuorum, me ipsũ pia mater nulla nocte desereret, sed profectò, quòd facer Psalmus personat, verum est, quoniam pater & mater derelinquerunt me. Si autem parentes nostris curis & rebus non intersunt, qui sunt alii mortuorum, qui noverunt, quid agamus, quid ve patiamur? Esaias Propheta dicit: Tu es pater noster, quia Abraham nescivit nos, & Israel non cognovit nos. Si tanti Patriarchæ, quid erga populum ex his procreatum ageretur, ignoraverint: quomodo mortui vivorum rebus atq; actibus cognoscendis adjuvandisq; miscentur? Quomodo dicemus eis fuisse consultum, qui abierunt, antequam venirent mala, quæ illorum obitum consecuta sunt, ne viderent mala illa, 4. Regum 22. & 2. Paralipome. 34. Et indè concludit: Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, ubi non vident, quæcunque aguntur aut eveniunt in ista vita hominum. Et cap. decimo quarto, ad objectionem de divite ita respondet: Ita illi cura fuit de vivis, quamvis quid agerent, omnino nescíret, sicut est nobis cura de mortuis, quãvis quid agant, utique nesciamus. Et cap. 15. dicit posse quidem mortuos quædam, quæ sinuntur audire ab iis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, vel ab Angelis, vel Spiritu Dei revelante cognoscere, vel per divinam potentiam posse rebus viventium interesse, sed cap. 16. hæc omnia ostendit & relinquit dubia & incerta.

Secundò, Eodem modo etjam vulgatam tunc opinionem de auxiliis seu beneficiis, quæ à martyribus præstari & conferri præsumebant, indubium revocat, ut faciliùs postea mentibus in dubitationem adductis, eximi posset. Ita de civitate Dei, lib. 22. capit. nono, de miraculis, quæ ad monumenta martyrum edebantur, inquit: sive Deus per seipsum, miro modo, quo res tẽporales operatur æternus, sive per suos ministros ista faciat, & eadem ipsa, quæ per ministros facit, sive quædam faciat etjam per martyrum Spiritus, sicut per homines adhuc in corpore constitutos, sive omnia ista per Angelos, quib. imperat, operetur, ut quæ per martyres fieri dicuntur, eis orantibus & impetrantibus, non etjam operantibus, fiant, sive alia fiant istis, alio illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus possunt, vim tamen attestantur hæc fidei, in qua carnis in æternum resurrectio prædicatur.

De beneficiis martyrum.

Tertiò, Quando apud memorias martyrum conventus celebrabant, sacrificia offerebant, & preces faciebant, multi, sicut in præcedentibus ostensum est, ipsos Sanctos invocabant, sicut et jam ex Catechesi Cyrilli Hierosolymitani citatur hæc sententia: Cùm hoc sacrificiũ offerimus, facimus mentionem Sanctorum, qui ante nos obdormierunt, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus, susceipiat preces nostras. Augustinus verò consveta sua moderatione ostẽsurus, hoc non rectè fieri, opponit veterem formam, publicæ & communis orationis, quæ in Synaxi nomine totius Ecclesiæ, tanquam Collecta recitabatur, quam vocârunt quidam precem Canonicam, eò quòd Canon & regula esse debebat orationum, Verba Augustini hæc sunt de Civit. lib. 22. cap. 10. Nos martyribus nostris nõ templa, sicut Diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus: sed uni D E O & martyrum, & nostro sacrificium immolamus. Ad quod sacrificium, martyres sicut homines D E I, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum:

De invocatione Sanctorum ad monumenta martyrum.

Sancti apud Augustinum non invocantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et lib. 8. cap. 27. Honoramus memorias martyrum, ut ea celebritate, & Deo vero, de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atq; palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur.

Axiomata Augustini de invocatione.

Augustinus igitur utrumq; disertè ponit: Non martyres esse invocandos, sed unum verum Deum, etjam quando apud martyrum memorias preces fiebant, esse in auxilium invocandum. Et circa idem tempus, in Carthaginensi Concilio tertio, cautum fuit, ne privatæ & novæ formulæ precationum temerè usurpentur, sed ad altare, semper ad patrem dirigatur oratio. Et hanc habet sententiam, quòd Augustinus Epistol. 42. dicit: Videtis imperii nobilissimi eminentissimũ culmen, ad sepulchrum piscatoris Petri, submisso diademate supplicare. Quòd scilicet non Petro, sed ipsi Deo, licet apud monumentum Petri, supplicet.

Concilium Carthaginense 3. de invocatione.

Orantes igitur apud monumenta martyrum, non debere martyres, sed Deum invocare, nec orationem ad martyres, sed ad Deum, qui solus adorandus & invocandus est dirigere, Augustini doctrina & sententia est. Cumq; de martyrum comprecationibus seu intercessionibus, multa opponerentur, Augustinus non concedit inde sequi invocationem, sed respondet: Vel martyres generaliter orare pro Ecclesia militante, quã sciunt sub cruce adhuc gemere, licet nesciant quid agant vivi (De cura pro mortuis, cap. 16.) vel si possunt preces sentire, id tunc fieri, quando Deum invocamus, & preces ad Deum dirigimus. Ita inquit de vera religione cap. 55. Quisquis in Deo manet, & potest humanas preces sentire, in illo me exaudit. Et de Civitat. 10. cap. 12. Nam & cùm exaudiunt Angeli Dei, ipse in eis, exaudit. Et hoc diligenter notetur, quòd non consequatur, si Sancti in altera vita orant pro Ecclesia, quod sint invocandi, & oratio ad ipsos dirigenda.

An si sancti in altera vita pro Ecclesia orent, sint invocandi.

Quartò, Cùm ex superstitionibus vulgi Christianorum, & Gentes & Hæretici varias calumnias Ecclesiæ Dei struerent, Augustinus improbatis superstitionibus, veterem & veram Ecclesiæ fidem opponit. Cùm enim Maximus Madaurensis Grammaticus Epist. 43. describens Gentilium religionem, dixisset: Nos Dei virtutes multis vocabulis invocamus, variis supplicationibus prosequimur, piis precibus adoramus. Et addidisset, Christianos in Affrica, loco Iovis, Iunonis, Minervæ & Veneris, habere & colere punicos martyres, Mygdonem, Sananem Namplanionẽ, & Lucitam: Augustinus Epistol. 44. nequaquam hoc concedit, martyres in Ecclesia invocari, supplicationibus & precibus coli: sed respondet: Scias à Christianis Catholicis, nullum coli mortuorum, nihil deniq; ut numen adorari, quod sit factum & conditum à DEO, sed unum ipsum DEVM, qui fecit & condidit omnia.

Discrimen Paganismi & Christianismi in veneranda Sanctis.

Nullum mortuorum Christiani colunt.

Ita de vera religione cap. 55. dicit: Non sit nobis religio cultus mortuorum, quia si piè vixerunt, non sic habentur, ut tales quærant honores, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante, lætantur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionẽ. Item, hoc etjam ipsos optimos Angelos velle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum, cujus cõtemplatione beati sunt. Quare honoramus eos caritate non servitute. Nec eis templa construimus: Noluntenim se sic honorari à nobis. Et in Psal. 96. Omnes Sancti vel Angeli, illius quærunt gloriam, quem diligunt. Ad ejus cultum, ad ejus orationem, ad ejus contemplationem omnes, quos diligunt, rapere & inflammare student. Item, volunt potius, ut DEVS unus colatur, unus adoretur, DEO qui sacrificium offeratur, non sibi.

Quomodo ipsi Sancti à nobis honorẽ rivelint, Augus.

Et contra Faustum, lib. 20. cap. 21. Faustus hæc objicit Christianis: Idola vertistis in martyres, quos votis similibus colitis. Qualibus autem votis Gentes idola coluerunt, non ut Deos, sed ut Mediatores, suprà ex Augustino ostendimus. Augustinus verò nequaquam hoc concedit, martyres similibus votis apud Christianos coli, quibus idola apud Gẽtes coluntur, sed inquit: Colimus martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, sed illos tantò devotiùs, quantò securiùs post in certa omnia superata, jam in vita feliciori victores sunt. At illo cultu, qui Græcè λατρεία dicitur, cùm sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cumq; ad hunc cultum, pertineat oblatio, nullo modo tale quid offerendum docemus, vel martyri, vel Angelo.

Idem in libris de civitate Dei, aliquoties repetit: Non esse sacrificia offerenda Sanctis. Atqui certum est invocatiõem esse sacrificium spirituale, ac cultum soli DEO debitum. Psal. 50. Immola Deo sacrificium laudis, & invoca me in die tribulationis Ebræ. 13. Per Christum offeramus hostiam laudis DEO semper, hoc est, Fructum labiorum nostrorum. Ita Tertullianus dicit: Sacrificamus Deo, pro salute Imperatoris, sed prece pura. Et Augustinus libro decimo, de Civitate cap. 19. ubi disputat: Dæmones non fumis aut nidoribus sacrificiorum, sed supplicantium animo delectatos: tamque paria ponit orationem & sacrificium. Ita autem inquit: Sicut orantes atq; laudantes, ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas, quas significamus offerimus, ita sacrificantes, non alteri visibile sacrificium offerendum esse noverimus, quàm illi, cuius in cordibus nostris, invisibile sacrificium nosipsi esse debemus. Tunc nobis favent, nobisq; congaudent, atque ad hoc ipsum nos pro suis viribus adjuvant Angeli, virtutesq; superiores. Si autem illis hæc exhibere voluerimus, non libenter accipiunt, imò vetant.

Soli Deo sacrificandũ.

Quintò Augustinus ipse agnoscit & fatetur, solere homines cultus soli Deo debitos, ad homines transferre. De civit. lib. 10. cap. 4. multa inquit de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera. Ita tamen, ut quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi, si autem eis multum additur & adorandi.

Honores divini hominib.

Et lib. 21. cap. 18. ostendit: Origenistas iisdem prorsus argumentis, quibus invocatio Sanctorum stabilitur usos, cùm probare vellent: Infideles

Origenistarum invocationes.

les debere quidem in æternum perire, sed cùm ad judicium ventum fuerit, misericordiam superaturam. Donabit enim eos, inquiunt, misericors Deus, precibus & intercessionibus Sanctorum suorum. Si enim orabant pro illis, quando eos patiebantur inimicos, quantò magis quando videbunt humiles, supplices q; prostratos. Neq; enim credendum est, ajunt, amissuros Sanctos viscera misericordiæ, cùm fuerint plenissimæ & perfectissimæ sanctitatis, ut qui tunc orabant pro inimicis suis, quando & ipsi sine peccato non erant, tunc non orant pro supplicibus suis, quando nullum cœperint habere peccatũ. Aut verò Deus tunc eos non exaudiet tot & tales filios suos, quando in tanta eorum sanctitate nullum inveniet orationis impedimentum? Et postea addit hoc, quod ipsi de suis cordibus suspicantur: Putant Scripturas divinas tacuisse, ut multi se corrigant, &c. Hæc sunt ipsissima Pontificiorum argumenta. Et profectò quicquid argumentorum pro invocatione Sanctorum affertur, quia Scripturæ divinæ tacent, tantùm sunt humani cordis suspiciones, sicut hoc loco Augustinus loquitur.

August. de fictis miraculorũ ad tumulos martyrũ.

Sextò Quia miracula, quæ apud martyrum memorias edebantur, plerisq; ipsis martyribus, ita tribuebant, ut opiniones de cultu, invocatione & auxiliis martyrum, inde stabilirent: Augustinus miracula illa ipsi Deo tribuit, & verum finem ac usum, tum illorum miraculorum, tum etjam celebritatum apud memorias Martyrum ostendit, ut de Civit. lib. 22. Cùm multa & varia miracula ad martyrum memorias tunc edita, recensuisset, tandem concludit, capit. nono. Cui nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne. Nam & ipsi martyres hujus fidei martyres, id est, testes fuerunt. Item ei profectò attestantur fidei, in qua carnis in æternum resurrectio prædicatur. Et capite octavo, describens exultationem Ecclesiæ, ad editum miraculum apud memoriam Stephani, inquit: Quid erat in cordibus exultantium, nisi fides Christi, pro qua Stephani sanguis effusus est? Et capit. decimo, faciunt ista martyres, vel potius Deus, vel orantibus, vel cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos non Deos esse nostros, sed unum Deum habere nobiscum credamus. Item ideo ut in Deum credatur, quòd & Christus est: martyres faciunt, quicquid mirabile faciunt, lib. 10. cap. 12. Quæcunque miracula, sive per Angelos, sive quocunque modo fiunt, Dei unius, in quo solo beata vita est, cultum, religionemq; commendant. De cura pro mortuis, capite 16. Deus edit miracula per martyrum memorias, quoniam hoc novit expedire nobis, ad ædificandam fidem Christi, pro cujus illi confessione sunt passi.

Celebritates martyrum.

Ipsas etjam celebritates martyrum ad verum & veterem finem ac usum revocat, ut de Civit. libro octavo, cap. 27. apud memorias martyrum offertur Deo, ut ea celebritate, & Deo verò, de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur. Et contra Faustum lib. 20. cap. 21. Quod offertur, Deo offertur apud memorias martyrum, quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione, major affectus exurgat, ad acuendam caritatem, & in illos, quos imitari possumus, & in illum, quo adjuvante, possumus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, &c.

Invocatio mortuorũ ab Augustin. repressa opposita doctrinæ de orãdo Deo & de mediatore Christo.

Postremò, ut glisscentem superstitionem invocationis Sanctorum, solidè reprimeret Augustinus, veram doctrinam de invocatione Dei, sive de orando Deo, & de intercessione Mediatoris Christi, frequenter & diligenter urget, ut ita homines ad veros fontes Scripturæ revocaret. Nec opus est aliquot ejus sententias adscribere cùm omnes libri ejus pleni sint. Extat Epistola ejus 121. de orando Deo, ad probam viduam, ubi totam doctrinam de oratione pulcherrimè explicat. Et tibi post explicatam Dominicam orationem dicit: Si per omnia precationum sanctarum verba discurras, nihil inveries, quod non ista dominica contineat & concludat oratio. Item, quisquis in oratione id dicit, quod ista Evangelica prece non continetur, vel carnaliter, vel illicitè orat. Et hoc diligenter notetur. Nam invocatio Sanctorum non continetur oratione dominica, quam Tertullianus rectè & eleganter vocat, legẽ orationis.

Oratio dominica lex orationis.

Idem Augustinus in libro de pastoribus, cap. 8. Sunt etjam montes boni. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Et vide, quia non in montibus tibi spes est: Auxilium inquis, meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Noli putare injuriam facere te montibus sanctis; quando dixeris: Auxilium meum à Domino, &c. Ipsi montes hoc tibi clamant. Moris erat, qui clamabat: Audio schismata in vobis. Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego autem Christi, Leva oculos in istum montẽ, audi quid dicat, & in ipso remaneas. Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? Ergo postquam levaveris oculos tuos in montes, unde venit auxilium tibi, id est, in authores Scripturarum divinarum. Attende omnibus medullis suis, omnibus ossibus clamantem, Domine quis similis tibi? Ut securus sine ulla injuria montium, dicas: Auxiliũ meum à Domino, qui fecit cœlũ & terram. Non solũ tibi tunc non succensebunt montes, sed tunc amabunt, tunc magis favebunt. Si in ipsis spem tuam posueris contristabuntur. Angelus multa divina & mira ostendens homini, ab homine adorabatur, illeq; tanquam levantem oculos in montem revocat ad Dominum: Noli, inquit, facere, Deum adora. Nam ego conservus tuus sum, & fratrum tuorum.

Ita doctrinam de officio Mediatoris Christi, pulcherrimè illustrat Augustinus, ut lib. Confessi. 10. cap. 42. dicit Ideo Angelos non debere invocari, ut per ipsos ad Deum veniamus, & ipsi reconciliemur, quia nulla talis oratio in Scriptura sit tradita. Verba hæc sunt: Quem invenirem, qui me reconciliaret tibi. An eundum mihi fuit ad Angelos? Qua prece? quibus Sacramentis? Multi cõnantes ad te redire, neq; per seipsos, valentes, sicut audio, tentarunt hæc, & digni habiti sunt illusionibus, &c. Et capite sequenti,

De officio mediatoris Christi, August.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verus autem Mediator, quem secreta tua misericordia demonstrasti humilibus homo Christus IESVS, inter mortales peccatores, & immortalem justum apparuit. Meritò mihi spes valida in illo est, quòd sanabis omnes langvores meos per eum, qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, alioquin desperarem, conterritus peccatis meis, & mole miseriæ meæ meditatus fueram fugam, sed prohibuisti me & confirmasti me, dicens: Ideo pro omnibus Christus mortuus est, &c. Ecce Domine jacto in te curam meam & vivam.

An Sancti Mediatores Augustinus.

Contra Parmenianum lib. 2. cap. 8. Iohannes non dicit: Advocatum habetis, quasi segregans se ipsum à peccantibus, ut jam non ei opus esset propitiatione, quæ fit per Mediatorem, sedentem ad dexteram patris, & interpellantem pro nobis: Quod utique non solùm superbè, sed etjam falsò diceret. Si verò ita diceret: Mediatorem me habetis apud patrem, ego exoro pro peccatis vestris (sicut Parmenianus quodam loco Mediatorem posuit Episcopum inter populum & DEVM) Quis eum sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur. Vt igitur servent unitatem Spiritus, in omnibus orationibus suis, de uno Mediatore securi sint: Homines enim Christiani invicem se commendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus hic unus verusq; Mediator est. Paulus autem quanquam sub capite præcipuum membrum, sed tamè, quia membrum est, se orationibus fidelium, & ipse commendat. Nec Mediatorem se facit inter populum & DEVM, sed rogat ut pro se orent invicem omnia membra corporis Christi. Ac sic oratio pro invicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium, ascendat ad caput, quod præcessit in cœlum, in quo est propiciatio pro peccatis nostris. Nam si esset mediator Paulus, essent utique & cæteri Coapostoli ejus, ac sic multi Mediatores essent, nec ipsi Paulo constaret ratio, qua dixerat unus Mediator, &c.

An Sancti advocati nostri in cœlo? Augustinus

Eandem sententiam repetit. Tractatu in Epistolam Iohannis primo. Iohannes talis vir non dixit: Advocatum habetis, sed habemus. Nec me habetis dixit, sed & CHRISTVM posuit, non se, & habemus dixit, non habetis. Maluit se ponere in numero peccatorum, ut haberet advocatum CHRISTVM, quàm ponere se pro Christo advocatum, & inveniri inter damnandos superbos fratres: Iesum Christum justum ipsum habemus advocatum ad patrem, ipse propiciatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresin non fecit. Hoc qui tenuit, schisma non fecit. Inde enim facta sunt schismata, cùm dicunt homines. Nos justi sumus, nos sanctificamus immundos, nos justificamus impios, nos petimus, nos impetramus. Et mox quidem Augustinus ponit objectionem. Ergo Sancti non orant pro nobis? Sed disertè loquitur de precibus Sanctorum, qui in hac vita adhuc superstites sunt. Nequaquam autem vel sentit, vel dicit: Beatos in altero seculo, esse nostros apud DEVM advocatos & mediatores, sed ratio de Mediatore generalis est.

Supposititia scripta sub nomine Augustini de invocatione. Sermo de S. Paulo.

Ita ergo Augustinus, præsumptiones & superstitiones, cultus & invocationis Sanctorum reprimere, & Ecclesiam ad veros fontes invocationis Dei revocare studuit. Postea verò sub Augustini titulo & nomine, multa supposititia scripta sparsa sunt, in quibus contra certa veri Augustini scripta, invocatio Sanctorum docetur & usurpatur, ut in Sermone de sancto Paulo. Curvant Imperatores genua ad memoriam piscatoris, qui ejus auxilia, & apud Deum patrocinia invocant. Sed ejus contrarium Augustinus tradit de Civit. lib. 8. cap. 27 Imò in Codice Homiliarum, Louanii edito sub Augustini nomine, citante Lindano, dicitur: Excellentiam Imperatorum genibus provolutam ADORARE Petrum Piscatorem, cùm Augustinus totis nervis contendat, neminem nisi unum solum Deum adorandum. Ita in libello de cognitione veræ vitæ, sub Augustini nomine disputatur, Sanctos in orationibus invocari, & Sanctos intueri verba & res viventiũ. Cùm Augustinus prorsus contrarium statuat, de Civitat. & de cura pro mortuis, sicut ostendimus. Ita exempla invocationis Sanctorum proferunter ex libro de Spiritu & anima. Item ex libro Meditationum, quos libros constat non esse Augustini. Et verus Augustinus disertè dicit: Sanctos non invocari, sicut ostendimus.

Lindanus. Petrum adorandum. De cognitione veræ vitæ. De Spiritu et anima. dit.

Sed hoc artificio Pontificios in citandis veterum testimoniis, ut superstitiones suas specie aliqua pallient & stabiliant, abuti jam non est novum, quæ tamen fraus, cõmonefactionis gratia subinde repetenda & detegenda est. In hac ipsa traditione observavi, quàm insidiosè & fraudulenter, posteriorum superstitiones adscribantur vetustioribus. Sicut enim de Homilia Chrysostom. 66. ad Antiochenos suprà annotavimus, quòd sit alterius multò recentioris: Ita Garetius Pontificiæ Ecclesiæ columen, ex Fulberto quodam, qui post annum Domini millesimũ vixit, citat superstitionem istam Pontificiis usitatam. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles. Sentiant omnes tuum levamen, &c. Pontificii verò, ut superstitionem illam antiquitatis, pietatis & authoritatis specie populo venditent, insidiosè & fraudulenter eam Augustino tribuunt, idq; in duobus locis, scilicet sermõe 2. de annunciatione, & de assumptione, quos sermones non Augustini, sed Fulbertilius esse constat.

Fraudulentia Papistarum in citandis veterum testimoniis. Novæ superstitiones veterũ authoritate propugnantur. Garetius.

Ad hanc verò de invocatione Sanctorum historiam, tanquam peculiaris observatio, præcipuè hoc pertinet, quòd circa Augustini tempora, & postea, materia illa invocationis Sanctorũ, incidit in Poetas, qui invocationes Musarum, Dæmonum, & Heroum, ex poëmatis veterum, poëtica imitatione & licentia, ad martyres transtulerunt. Atque ita invocatio Sanctorum sine Scripturæ mandato, promisso & exemplo, primò per declamatorias rhetorum figuras in Ecclesiam invecta, sed à multis variè repressa & rejecta. Postea verò cùm nulli essent Epiphanii & Augustini, qui se oponerent: Per Poëtas, figuris Poeticis, imitatione & licentia poetica, ita amplificata, & ad summum excessum perducta fuit, ut omnia, quæ in Scriptura à CHRISTO petere & sperare jubemur, Poetæ isti à Sanctis petant & sperent. Et ne parum essent Poetæ, ea, quæ Epiphanius & Augustinus in cultu Sanctorum

Post Augustinum in Poetarum Scholis invocatio mortuorum vires assumpsit & crevit. Exemplaq; ticarum superstitionũ.

rum disertè improbârunt & rejecerunt, ipsi in versibus liberrimè usurpare cœperunt. Atq; ex Damasceni quidem carminibus suprà quædam descripsimus. Nunc verò ex latinis Christianorum Poëtis, pauca quædam adjiciemus, ut consideretur, quomodo superstitio semel admissa, in immensum crescat, & quomodo humanum ingenium, eruditionis, eloquentiæ & elegantiæ affectione & ostentatione, sibi placens & indulgẽs, quando semel verbi Dei metas transivit, non possit sibi modum ponere, sed longius subinde progrediatur, ut tandem ubi confistat, nec habeat, nec inveniat. Ita Prudentius, qui circa Augustini fermè tempora vixit, elegans sanè Poëta, sed licentia nimis Poëtica lusit in invocatione Sanctorum, ut:

Prudentius.

HYMNO IN S. LAVrentium.

QVæ potestas sit credita
Et muneris quantum datum.
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quod quisque supplex postulat
Fert impetratum prosperè,
Poscunt, LITANTVR, indicant.
Et tristis haud ullus redit.
Hos inter ô Christi decus
Audi Poëtam rusticum
Cordis fatentem crimina
Et facta prodentem sua.
Indignus agnosco & scio,
Quem Christus ipse exaudiat.
Sed per patronos in martyres.
Potest medelam consequi,
Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium,
Et servientem corpori
Absolve vinculis seculi.

IDEM HYMNO IN S. Vincentium.

ADesto nunc & percipe
Voces precantum supplices
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum patris.
Per te, per illum carcerem,
Per vincla, flammas, ungulas,
Per quem trementes posteri
Exosculamur lectulum.
Miserere nostrarum precum
Placatus ut Christus suis
Inclinet aurem prosperam
Noxas nec omnes imputet.
Paulisper huc tu illabere
Christi favorem deferens,
Sensus gravati ut sentiant
Levamen indulgentiæ.

IDEM HYMNO IN SAnctam Agnem.

SErvat salutem virgo Quiritium,
Nec non & ipsos protegit advenas.
Pura ac fideli pectore supplices,
O virgo felix, ô nova gloria,
Intende nostris colluvionibus
Vultum, &c.

IN SANCTOS MARTYRES Calaguritanos.

FAma nam terras in omnes,
Præcurrit proditrix.
Hìc patronos esse mundi,
Quos precantes ambiant.
Non sinunt manè ut ullus,
Voce murmur fuderit.
Audiunt statimq; ad aurem
Regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipso,
Dona terris influunt, &c.

IDEM IN CASSIANVM martyrem.

SVggere si quod habes justum vel amabile votum
Spes si qua tibi est, si quid intus æstuas.
Audit crede preces martyr prosperrimo omnes,
Ratasq; reddit, quas videt probabiles
Audior, urbem adeo, dextris successibus utar,
Dominum revertor, Cassianum prædico.

IN S. CYPRIANVM.

DEsine fiere bonum tantùm tenet ille regna cœli.
Nec animus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe.
Nec Lybiæ populos tantùm regit, exitusq; in ortum
Solis & usque obitum, Gallos fovet, imbuit Britannos,
Deniq; Doctor humi est, idem quoque Martyr in supernis.
Instruit hìc homines, illinc pia dona dat patronus, &c.

Pontius Paulinus.

Non multò post Pontius Paulinus Poeticas illas invocationes imitatus, de suo etjam quædam addidit, fidem, spem & fiduciam, in sanctos collocans, ut Epistola 12. ita invocat Clarum.

Hæc peccatorum bonus accipe vota rogantum,
Vt sis Paulini, Therasiæq; memor.
Sic cum Martino socia pietate labores
Vt vincant vestræ, crimina nostra preces.
Vt simul in vestri ducamur sorte Severi,
Vestraq; nos semper protegat ala sinu.

IDEM NATALI IIII. IN Felicem.

HIC amor, hic labor est nobis, hæc vota tuorũ
Suscipe, cõmendaq; Deo, ut cum sedula cura
Servitium nostrum longo tibi penderit ævo,
Tunc demum placidos pietate laboris alumnos
Absolvas, mittente manu, positasq; tuorum
Ante tuos vultus animas, vectare paterno
Ne renuas gremio Domini fulgentis ad ora,
Quem bonitate pium, sed maiestate tremendũ
Exora,

Exora, ut precibus plenis meritisq; redonet
Debita nostra tuis.

ITEM.

Posce oviũ gregè nos statui, ut sententia summi
Iudicis, hoc quoq; nos iterũ tibi munere donet
Ne malè gratatis lævos adjudicet hœdis

IDEM IN NATALI
Felicis V.

ERigit in cœlum mentẽ, & mox corde refecto,
Præsumente fidẽ, spem voti compotis haurit,
Sanctaq; Felicis rapido petit atria cursu,
A Felice pio, velut à custode, reposcit
Increpitans miscetq; precantia verba querelis:
Sancte Deo Felix inopum substantia semper:
Pro miseris Felix & semper dives egenis
Te requiem fessis Deus, afflictisq; levamen,
Te posuit mœstis ad saucia corda medelam,
Propterea tanquam gremio confisa paterno,
In te pauperies caput inclinata recumbit,
Felix sancte meos semper miserate labores, &c.

IDEM IN NATALI VIII.
Felicis.

COncurramus ad hunc spe conspirante patronum,
Suscipiat nostras placida pietate querelas,
Et dum natalem illius celebramus ovantes,
Ille preces nostras meritis pius adferet altis,
Nos lætamur ei, non est cura hæc nova Sanctis
Exorare Deum pro peccatoribus ægris,
Atq; bonis meritis meritum superare siniſtrum,
Vt quondam hoc habuit ætas: sic modò nostra
Felicem sortita salus, petat omne quod audet,
Quodq; cupit tali speret confisa patrono,
Sancte Deo, dilecte Dei, tu dextera Felix
Esto precor nobis tu munitissima turris.

IDEM NATALI IX.

POsco tuos Felix tecum ad tua vota parentes,
Hic quoq; ades mihi, tunc poscas ut adesse vocatos,
Qui colitis lætos Paradisi cœlitus hortos,
Quiq; sub excelsa Domini requiescitis ara,
Pulcher Apostolici chor⁹ agminis & Patriarchæ,
Vos etjam Sancti supplex deposco Prophetæ,
Vos quoq; corporibus cæsis & sagvine fuso,
Occisum & vivum testati martyres agnum.
Hęc tibi Christe Deus tenui fragiliq; paratu
Pro nobis facimus, nec enim te summe creator
Facta manu capiunt, toto quem corpore mund⁹
Non capit, augustum cui cœlũ terraq; punctũ est.
Sed Sanctis sine fine tuis devota ferentes
Obsequia, exiguo magnos veneramur honore.
Sperantes illis exoratoribus ut tu
In nobis operum ponas perfecta tuorum, &c.

Fortunatus. Deinde post annum Domini 500. Fortunatus Martinum simpliciter fecit mediatorem Dei & hominum, & quidem adorandum, ut lib. 2. de vita. S. Martini.

VIR transcripte, potens æterna in secula cujus
Signifer arma crucis fers nobilitata triũphis.
Dulcis ADORANDE, & mihi pectore voce colende.
Fer pietatis opem misero, miseri miserere.
Rector ut altithrono cùm venerit arbiter orbis,
Tunc memor obtineas delicti oblivia nostri,
Inter me & Dominum MEDIATOR adesto benigne,
Quem sua culpa ligat, tua ut interventio solvat,
Spes fortunati sit fida salutis egena.
Suppliciter humilem tibi se stravisse patrone.
Nam prece multa vales apud illũ cujus haberis,
Quod peto tu poteris, quia totũ præstat amicis.
Sic tibi quæq; petis tribuat præsentia Regis.

LIB. V.

Qui potes ore mei veniam deposcere reatus.
Et vitiata tibi mea lingua remurmurat audi.

LIB. IIII.

Intercede precor veniam, uir adepte coronam,
Eripe pastor ovem ne clauda vel extera restet,
Porrige celse manũ, rege gressum, dirige sensum,
Excessusq; graves leviori examine penses,
Inter & ipse Deũ atq; reum MEDIATOR adesto,
Obtineas meritis iudex cùm venerit orbis,
Tunc precor ut fragilem sacro velamine celes.
Et tua me trepidum defendat ab igne potestas.
Nam scio certò reum quemvis tibi cedere Christum, &c.

ITEM.

Talibus officiis placatus opime sacerdos,
Quorum vota vides redde benigne vicem.
Qui virtute potens Orientis in axe sepultus,
Ecce sub occiduo cardine præbet opem.
Ergo memento preces, & reddere vota viator
Obtinet hic meritis, quod petit alma fides, &c.

Immoderata sibi Poeta contra Scripturam usurpant licentiam.

Istæ Poeticæ Sanctorum invocationes, quomodo & quantum, & à Scriptura, & à puriori antiquitate discedant, imò quomodo cum Scripturæ doctrina, de invocatione Dei, in nomine mediatoris Christi, pugnent, atq; ea, quæ veteres negârunt, affirment, ea etjam licentia nimis Poetica usurpent, quę veteres, sicut ostendimus, reprehenderunt & rejecerunt, manifestũ est, sicut collatio eorum, quæ hactenus in hac historia annotavimus, ostendit. Non enim intercessionem tantùm, sed omnia, quæ Scriptura nos jubet à Deo, & à Christo mediatore, petere, Poetæ isti à Sanctis petunt, ita, ut nihil fermè sit quod Deo & Christo reservetur. Nam & fidem, spem, ac fiduciam, in Sanctos collocare docent, quæ profectò nec excusari, nec defendi, vel possunt, vel debẽt.

Invocatio Sanctorum, defixit in horrendam idolatriam.

Cùm verò nec tunc, nec postea, ullus esset vel Epiphanius vel Augustinus, qui superstitiones istas cum autoritate vel reprimeret vel corrigeret, aperta non tàm fenestra, quàm latissima ianua, in ipsam Ecclesiam irruperunt, ac à posterioribus semper cumulatæ & auctæ sunt, donec in manifestam & crassam idololatriam, cujus suprà exempla, ex Pontificia Ecclesia, adscripsimus, evaserunt. Vtq; hæc commodius & facilius inter

inter se conferri possint, pauca quædam ex posteriorum scriptis annotabimus.

Maximus. Ita Maximus Homilia in Martyres Tauricos inquit: Licet universi ubiq; sint Sancti, & omnibus prosint, specialiter tamen illi pro nobis interveniunt, qui & supplicia pertulere pro nobis. Semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, & in corpore nos viventes custodiunt, & de corpore recedentes custodiunt. Et ideo veneremur eos in seculo, quos defensores habere possimus in futuro.

Leo. Leo sermone primo de natali Apostolorum: Credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos, ut quantum propriis peccatis deprimimur, tantùm Apostolicis meritis erigamur. Item, si quid à nobis rectè discernitur & agitur. Si quid à misericordia Dei, quotidianis supplicationibus obtinetur, Petri est operum atque meritorum.

Speciales patroni.

Euthymius. Euthymius Monachus in Encomio Mariæ: Vides ante pedes pulcerrimæ capsæ tuæ, nos omnes tuum postulare auxilium, expectantes tuam defensionem, tuum in omnibus invocantes auxilium. Itaq;, ut dum hic quidem manemus, nos protegas, supplicamus, cùm verò excedemus, ut in ædibus semper viventibus & luminosis habitemus, obsecramus.

Victor. Victor lib. 3. persecutionis Vuandalicæ, invocat Patriarchas, Prophetas, Apostolos: Prostrati inquit, rogamus, ut non spernatis vestros miseros peccatores, per eum, qui vos ad Apostolicum culmen provexit.

Fulgentius. Fulgentius in sermone de laudibus Mariæ, inquit: Venite virgines ad virginem Mariam, concipientes ad concipientem, parturientes ad parturientem, matres ad matrem, lactantes ad lactantem, juvenculæ ad juvenculam. Ideo enim omnes istos cursus naturæ Maria suscepit, ut omnibus ad se convenientibus fœminis subveniret, & sic restauraret omne genus fœminarum ad se venientium.

Gregorius Magnus. Gregorius Magnus Homilia 32. in Evangelia: Adsunt defensores nostri sancti martyres, rogari volunt, atq; quærunt ut quærantur. Hos ergo adjutores, vestris orationibus quærite, hos protectores vestri reatus invenite. Idem Epistola 39. lib. 4. In omnipotentis Dei gratia, atque beati Apostoli Petri adjutorio confidebat. Lib. 11. Epistola 44. Ipse sit vestri custos imperii, sit vobis protector in terra, sit pro nobis intercessor in cœlo. Et lib. 12. Epist. 22. Speramus in omnipotentis Dei virtute, & in ipsius beati Petri Apostolorum principis adjutorio.

Invocatio Sanctorum, publicis Ecclesiæ supplicationibus inserta.

Atque hactenus invocatio Sanctorum in privatis precibus regnavit, eam verò hic Gregorius apud Latinos in publicas Ecclesiæ supplicationes, quæ Græco vocabulo λιτανείας vocant, primus intrusisse scribitur. Apud Græcos enim, Petrus Gnapheus idem antea tentavit, sicut suprà notavimus.

Litaniæ Ecclesiæ vetustissimæ.

Antiquissimus verò mos, publicarum & communium supplicationum, semper fuit in Ecclesia: Sed in illis unus & solus verus Deus, in nomine Christi mediatoris, invocabatur. Talium enim supplicationum meminit Irenæus. Iustinus capita commemorat, quòd nati simus, quòd valetudini consultum sit, quòd species rerum conserventur, quòd vices animę bene succedant, quòd immortalitatem sperare ac imperrare liceat. Tertullianus addit: Oramus pro inimicis, pro persecutoribus, precãtes sumus omnes semper pro imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis & cæsaris vota sunt. Item, Oramus pro imperatoribus, pro ministris eorum, & potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis.

Iustinus de capitibus Litaniarũ Ecclesiæ.

Tertullia.

Cyprianus. Cyprianus inquit: Publica est nobis & communis oratio, non pro uno, sed pro toto populo.

Et in illis publicis supplicationibus, Ecclesiam ad ardentiores preces, peculiaribus exhortationibus & gestibus, excitatam fuisse constat. Cyprianus dicit: Quando incoaturi essent preces, sacerdotem illam exhortationem præmisisse: *Sursum corda.* Et populum respondisse; *Habemus ad Dominum.*

Gestus supplicantium. Apud Iustinum surgunt ad supplicationes. Apud Tertullianum cœlum suspicientes, manibus expansis, capite nudo, precantur pro omnibus, aliquando stantes, aliquando genibus flexis. Milites Antonini oraturi pro pluvia, curvatis genibus provolvunt se in terram apud Eusebium. Apud Clementem abjiciunt se in terram. Apud Sozomenum lib. 7. cap. 27. Cùm populus Antiochenus, Theodosii Imperatoris iram, ob motam ibi seditionem timeret, instituerunt supplicationem publicam ad Deum, ut imperatoris iram mitigaret, usurpatis ad eam supplicationem melodiis lugubribus. Author librorum de vocatione Gentium, sive is Ambrosius sive Prosper est, explicans locum Pauli 1. Timoth. 2. Vt fiant obsecrationes, postulationes, & gratiarum actiones, pro omnibus hominibus inquit: Quam legem supplicationis, ita omnium sacerdotum, & omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit, in qua hujusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis. Supplicat ergo ubique Ecclesia Deo, non solùm pro Sanctis, & in Christo jam regeneratis, sed etjam pro omnibus infidelibus, & inimicis crucis Christi, pro hæreticis, & schismaticis &c. Et talia exempla multa extant in historiis, quod tempore belli, pestis, tempestatum, terræ motuum, decretæ & celebratæ fuerint tales publicæ ad Deum supplicationes. Ita apud Nicephorum, Theodosius cum tota Ecclesia supplicationem fecit Deo, pro serenitate, privato habitu medius inter canentes Hymnos incedens. Et apud Theodorum Lectorem, Martinus imperator hortatur Anatoliam, ut tales supplicationes decernat.

Mamercus Viennensis, instituit supplicationes stati.

Non multò pòst, Mamercus Viennensis constituit, ut annuatim statis diebus solennes supplicationes fierent, ob imminentia tunc pericula, terræmotuum, incendii, & incursionis ferarum. Talis constitutio etjam extat in Concilio Toletano quinto. Et ratio vocabuli λιτανείας, quod extat etjam in 63. Epistola Basilii explicatur in

Vocabulum λιτανείας.

Universidad de Deusto
Biblioteca

λιτανεία. ἐξομολογήσεις.

tur in 32. Canone Concilii Moguntini, sub Carolo Magno, his verbis: Litaniæ Græco nomine appellantur, quæ Latinè dicuntur Rogationes. Inter λιτανείας autē & ἐξομολογήσεις hoc differt: Quòd exomologeses, pro sola peccatorum confessione agantur: Litaniæ verò, indicuntur propter rogandum Deum, & impetrandum in aliquo misericordiam ejus. Sed jam utrumque vocabulum sub una dignatione habetur. Hæc Canon ille.

An invocatio Sanctorum, semper fuerit in Litaniis.

Sed inde Pontificii nectunt tale argumentum. Quia usus Litaniarum, hoc est, supplicationum seu rogationum, semper fuit in Ecclesia, & in Litania extant expressæ invocationes Sanctorum. Ergo invocatio Sanctorum, in solennibus Ecclesiæ precibus, semper fuit in publico usu. At qui non sequitur, si nunc in Pontificia Litania Sancti invocantur, quòd semper in veteris etiam Ecclesiæ Litaniis, fuerit invocatio defunctorum. Nam ipsorum Pontificiorum historiæ narrant, invocationem Sanctorum, additam & insertam esse Litaniæ à Gregorio Magno. Circa annum Domini 600. utque novum inventum specie aliqua, quasi de cœlo descendisset, Ecclesiis obtruderetur, addiderunt hanc fabellam: In solenni celebratione Litaniæ, Angelos auditos canentes: Regina cœli lætare, atque tunc Gregorium addidisse hæc verba, Ora pro nobis Deum. Quòd igitur nunc in Litania Pontificii Sanctos invocant, non est prima & antiqua forma veteris Litaniæ, sed nova Gregorii additio. Veteres enim, ubi Litaniarum meminerunt, disertè dicunt: Deo supplicatum fuisse. Ita Tertullianus in Apologetico dicit: Sacrificamus prece pura pro salute imperatoris, sed Deo uni & vero. Prosper dicit: Supplicat ergo ubique Ecclesia Deo. Et Moguntinus Canon dicit: Litanias indici propter rogandum Deum. Ipse etjam Gregorius & P. Diaconus testantur, in Græca & Latina Ecclesia, semper à Clero & à populo, in Litaniis acclamatum fuisse, κύριε ἐλέησον, Christe eleison. Et quidem à plerisque in Litanias ægrè receptum fuisse τρισάγιον illud: Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte immortalis, miserere nobis, cùm antea ad singulas petitiones ingeminarent tantùm Kyrie eleison.

Fabula de cantico. Regina cœli.

Veterum Litania. Tertull. Prosper. Canon Moguntinus.

τρισάγιον Litaniæ.

De Missa Chrysost. Leo Thuscus.

Quòd verò Missa Chrysostomi, in versione Leonis Thusci, invocat Michaelem, Nicolaum, & reliquos Sanctos, non satis idoneum & firmum argumentum est antiquitatis. Missam enim illam non à Chrysostomo conscriptâ, sed sub ejus nomine, diversis temporibus, variis additionibus consutam, vel inde constat, quòd versio Leonis Thusci, multum discrepat ab exemplari, quo Erasmus usus est.

Ambrosius Pelargus.

Et Ambrosius Pelargus aliud exemplar habuit, cui affirmat, nec cum Thusci, nec cum Erasmi exemplari convenisse. Et addit: Se Romæ adhuc aliud exemplar vidisse, quod ab omnibus illis variârit. Et extant apud Chrysostomum descriptiones, quales suo tempore usitatæ fuerint supplicationes in Liturgia, Homilia 26. in Matthæum. Homilia 18. in secundam ad Corinthios. In 2. caput prioris ad Timotheum, quæ cum supposititia illa Missa non consentiunt, & nihil habent de invocatione Sanctorum. Consutam autem esse illam Missam, post Chrysostomi tempora, & hoc ostendit, quòd inter Sanctos, qui ibi commemorantur, ipsius etjam Chrysostomi mētio fit. Hoc tamen commodi adferunt istæ rapsodiæ, quòd inde, adhibitis aliis veterum descriptionibus, colligi potest, quæ fuerit simplicitas & puritas primæ & veteris Litaniæ, & quomodo postea subinde novæ additiones accesserint, donec tandem ad invocationem Sanctorum in ipsis Litaniis deventum sit. Quæ observatio digna est diligenti consideratione.

Litania tempore Chrysostomi.

Capita igitur petitionum, quę in Litaniis Deo proponebantur, Paulò antè commemoravimus. Et Chrysostomus in locis iam allegatis dicit fieri ab Ecclesia obsecrationes, & gratiarum actiones, pro fidelibus, pro infidelibus, pro magistratibus, pro felicibus omnium successibus, pro amicis, pro cognatis, & pro inimicis etiam, pro universo orbe: Pro præsentibus, pro absentibus, pro energumenis, pro pœnitentibus, &c.

Forma Litaniarum.

Forma verò Litaniarum hæc fuit: Diaconus quadam ἐκφωνήσει, conceptis verbis populo preces præibat, commemorans petitionum capita, ut: Pro superna pace & salute animarum nostrarum. Pro prosperitate sanctarum Dei Ecclesiarū. Pro Clero & populo. Pro magistratibus. Pro pace totius mundi. Pro hac regione & civitate. Pro temperie aëris, fertilitate & temporibus pacificis. Pro navigantibus, viatoribus, ægrotantibus, laborantibus, captivis, ut liberet nos à tribulatione periculi, & necessitate. Singulis verò petitionibus Diaconus addebat, τῶ κυρίῳ δεηθῶμεν, Dominum supplices rogemus. Populus verò ad singula respondebat, κύριε ἐλέησον. Christe eleison. Hæc fuit prima & vetustissima forma Litaniæ, sicut & ex iis, quæ paulò ante diximus, colligitur.

Formæ additæ in Litaniis.

Additæ verò fuerunt postea & hæ formulæ, ἐξάκουσον, Exaudi Domine, subveni, defende, serva, custodi nos Deus, tua gratia.

Item, diem sanctum, pacificum, & sine peccatis à Domino postulamus. Præsta Domine remissionem peccatorum conducibilia animabus nostris: Pacem mundo, Christianum finem vitæ nostræ à Domino postulemus. Tribue Domine, &c. In his omnibus Deo, sicut Prosper loquitur, Ecclesia supplicavit.

Commemoratio sanctorum admissa in Litaniis.

Tandem sensim admisceri cœpit Litaniæ, non quidem statim invocatio, sed tantùm commemoratio Sanctorum, sicut aliquoties reperitur in Missa Chrysostomi hæc formula: Sanctissimæ Deiparæ, & semper virginis Mariæ, cum omnibus Sanctis memoriam agentes, nos ipsos, & invicem, & omnem vitam nostram Christo, Deo nostro commendemus.

Suffragia Sanctorum.

Ex commemoratione verò illa, deinde secuta sunt suffragia, ut vocant, & primo ut ita dicerent: Precibus & supplicationibus Mariæ, & omnium Sanctorum, quorum memoriam celebramus, ex audi & respice nos. Inde hoc secutum est, quod postea dixerunt, Precibus Sanctorum tuorum, miserere nostri. Intercessionibus Sanctorum tuorum, Salvator, salva nos. Item, confirma nos, dirige, custodi vitam nostram, stabili gressus nostros, precibus & supplicationibus Mariæ & omnium Sanctorum, Tandem extructa inde est directa invocatio Sanctorum, quę extat in versione Leonis

Tandem invocatio Sanctorum inserta Litaniis.

Litania Cœnobii Corbeiensis, ad Visurgim.

Leonis Thusci. Maria Deo supplica, ut animas nostras salvet. Apostoli legatione fungimini apud Deum, ut peccatorum remissionem animabus nostris tribuat. Pater Nicolae fungere legatione apud Christum Deum, ut animæ nostræ salutem consequantur. Martyres confessores, orate pro nobis, salvate animas nostras. Sancte Michaël, rogamus te, ut tuis intercessionibus munias nos, umbra alarum tuarum custodi nos. Ad te clamamus, à periculis e rue nos.

Atq; hoc modo ex commemoratione Sanctorum, deventum tandem fuisse ad invocationem, ostendit etjam Litania Cœnobii Corbejēsis, ubi Sancti nominantur quidem, sed semper additur. Exaudi Christe. Item: Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat. Illam Litaniam quam ante triennium, in Cœnobio Corbejæ novæ, quę sub Ludovico, ex veteri Galliæ Corbeja, tanquā colonia, ad Visurgim flumen deducta est in vetusto Codice inveni, quia aliquid monere potest, hoc loco adscribam.

LITANIA EX VETVSTO CODICE

Collegij Corbeiensis ad Visurgim descripta, videtur autem in usu fuisse circa annum Domini 890. Fit enim in ea mentio Stephani Pontificis & Arnulphi Imperatoris.

CHristus vincit, Christus regnat, Christus imperat:
Exaudi Christe.
Stephano summo Pontifici Salus & vita:
Salvator mundi tu illum adjuva.
Sancte Petre. S. Paule. S. Andrea. S. Clemens. S. Sixte.
Exaudi Christe.
Arnulpho regi vita & victoria:
Redemptor mundi, tu illum adjuua.
S. Dei genitrix. S. Michael. S. Gabriel. S. Raphael. S. Iohannes.
Exaudi Christe.
Omnibus judicibus & cuncto exercitui Francorum vita & victoria.
Salvator mundi. tu illos adjuva.
S. Maurici. S. Sebastiane. S. Martine. S. Ambrosi. S. Hieronyme.
Exaudi Christe.
Bovoni Abbati & congregationi S. Stephani salus & vita.
Redemptor mundi. tu illos adjuva.
S. Stephane. S. Vite. S. Dionysi. S. Blasi. S. Georgi
Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.

Rex Regum,
Rex noster,
Arma nostra invictissima,
Spes nostra,
Fortitudo nostra,
Murus, noster inexpugnabilis,
Gloria nostra,
Victoria nostra,
Liberatio & Redemptio nostra,
Defensio & exaltatio nostra,
Misericordia nostra,
Lux, via & vita nostra,
} Christus vincit,

Ipsi soli imperium, gloria & potestas, per immortalia secula seculorum
Amen.
Ipsi soli honor, laus & jubilatio per infinita secula seculorum.
Amen.
Ipsi soli virtus, fortitudo & victoria per omnia secula seculorum.
Amen.
Christe exaudi nos.
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Hactenus Litania Corbejensis.

Beneficia Dei & Christi Sanctis adscripta.

Sed postquam in publicas Ecclesiæ preces admissa esset Gregoriana forma invocationis Sanctorum (S. Maria ora pro nobis) sine fine & modo postea progressa est, ut omnia fermè, quæ Dei & Christi propria sunt, à Sanctis nominatim & publicè peterentur. Nec opus est ex singulis Scriptoribus annotare. Suprà enim descripsimus, quæ sit forma invocationis Sanctorum in Ecclesia Pontificia, ubi omnia illa comprehenduntur.

Garetius.

Et quidem hoc ipso tempore Pontificii crassissima illa defendere non verentur. Garetius enim Canonicus edidit libellum de invocatione Sanctorum, ubi citat & probat ex Michaele Syngelo. Sancte Dionysi, qui Iesum universo mundo propicium reddis, cultoribus tuis Deum propicium reddere, & precibus compellare velis, &c.

Sancti mediatores.

Ex Theofredo Abbate citat. Sancti sunt inter Deum, & nos Mediatores positi, ut qui per nostra cum Pharisæo despicimur merita, per illorū intercessionem justificemur cum publicano. Ibi Nicenus quidam dicit: Habes Tharasium intercessorem, defensorem, propugnatorem, & tuæ spei adimpletorem. Citat etjam ex Andrea quodam Cretensi: S. Maria placa Dominum pro communi figmento. Nam ex quo translata es è terra, te universus mundus habet commune propiciatorium. Sicut & in prosa quadam canitur: O pia puerpera, pians scelera, jure matris impera redemptori. Sed talia plura suprà annotavimus.

Nicenus.

Andreas Cretensis.

Invocationi Sanctorum, semper fuerunt, qui reclamarent.

Et sanè non habuerunt postrema illa tempora, vel Ephiphanios, vel Augustinos, qui superstitiones illas ferìò, & cum authoritate reprimerēt. Omnibus tamen temporibus fuerunt aliqui, qui vel contradixerūt, vel moderatius & rectius senserunt. Ita in Aula Caroli Magni Imperatoris, fuit Claudius quidam Hispanus presbyter, in ex planandis lectionibus Evangeliorum celebris. Is Taurinensi Ecclesiæ præfectus sub Ludovico, cum adoratione imaginū etjam invocationem Sanctorum reprehendit, sicut ex Ionæ Aurelianensis refutationibus manifestum est.

Claudius presbyter Caroli Magni.

Ionas Aurelianensis.

Hildebertus Turonensis.

Hildebertus Turonensis circa annum Domini 1120. scribit contra quendam, qui multos sibi socios adjunxerat, Augustini sententiam defendendo, Sanctorum animas ignorare, quid in ista vita agatur, atque ideo ociosas esse Litanias, quibus oramus, ut pro nobis orent Sancti, cùm nec audiant nos, nec norint, quid agatur apud nos.

Bernhardi tempore.

Bernhardus etjam Sermone 66. in Cantica dicit, suo tempore quosdam irrisisse, quòd Sanctorum suffragia in Litaniis postularentur.

Alensis.

Postea inter sententiarios Alensis quæst. 92. dixit: Solum Deum adorandum & invocandum, Sanctos magis se habere ex parte orantium, quasi coadjuvantes, quàm illius, qui oratur.

Bona-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Bonaventura.

Bonaventura in 3. sentent. dicit: Cavendum esse, ne dum Mariæ matris excellentia ampliatur, filii gloria minuatur, & sic in illo mater provocetur, quæ magis vult extolli filium, quàm se ipsam, utpote creatorem creatura. Et ad objectionem, quòd honor matris referatur ad filiũ, respondet: Non omnem honorem, qui filio debetur, matri tribuendum.

Cyprianus.

Sed quia non sigillatim omnia constituimus persequi, hæc ad institutam nostram observationem sufficere judico. Tandem igitur historicam hanc considerationem, de origine, progressu & crasso excessu invocationis Sanctorum, concludemus hac Cypriani sententia: Non videndum est, quid aliqui ante nos fecerint, sed quid Christus, qui ante omnes est, & fecerit & faciendum mandârit. Non enim vel consuetudinem, vel hominis cujusq; errorem, sed Dei veritatem sequi jubemur. Addatur huc & laudata illa ab Augustino Cypriani sententia, ex epistola ad Pompejum. In compendio est apud religiosas mentes, & errorem deponere & invenire veritatẽ. Nam si ad divinæ traditionis caput & originem revertamur, cessabit error humanus. Si canalis aquæ, qui copiosè prius, & largiter profluebat, subitò deficiat, nonne ad fontem pergitur ut illic defectionis ratio noscatur, utrum, arescentibus venis, in capite siccaverit, an verò integra inde & plena procurrens, in medio itinere destiterit? Ita ergo suadet Cyprianus, nutantibus & vacillantibus disputatorum sententiis, ad originem Dominicam, & Evangelicam & Apostolicam traditionem, recurrendum, atq; inde canalem in nostra tempora dirigendum. Intelligit autem traditionem scripturam, quia addit, Ea esse facienda, quæ scripta sunt. Concludamus igitur Cypriani verbis. Si aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis & actibus continetur traditio Invocationis Sanctorum, observetur sane: Sin minus, meminerimus, quod Augustinus dicit, in Ecclesia non valere, Hæc ego dico, Hæc tu dicis, Hæc ille dicit: Sed hæc dicit Dominus. Deus Spiritu gratiæ & præcum nos illuminet & gubernet, ut abjectis superstitionibus, solum ipsum in spiritu & veritate adoramus, & solum Domini nostri IESV CHRISTI nomen invocamus. Quisquis enim invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Traditio Cypriani quid.

Augustinus.

FINIS.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE, QVI IN HAC TERTIA PARTE EXAMINIS obiter allegantur & explicantur.

GEnesis 1. Tenebræ erant super faciem abyssi. 128. a. creavit masculum & fœminam. 82. b. Crescite & multiplicamini. 6. b. 8. a. b. 9. a. Erant omnia valde bona 82. a.
2. Non est bonum hominem esse solum, 143. b. Faciamus ei adiutorium. 6. b. 15. a. 50. b. 147. b. Erunt duo in carnem unam 85. b.
3. Contexerunt se foliis ficus, 8. b. Ipsum conculcabit caput serpentis 146. a. 177. a. Induit eos vestes pelliceas 8. b.
4. Adam cognovit uxorem suam 6. b.
5. Enos ambulavit coram Deo 59. a.
8. Noha offert sacrificium Deo 202. b.
9. Arcus in nubibus, 147. b. pudenda patrie filij tegunt 62. a.
13. Multiplicabo semen tuum 286. a.
15. Ibis ad patres tuos in pace 120. b.
17. Ero Deus tuus & seminis tui 186. a.
18. Num voluptati operam dabo, 9. a. Abraham pro Sodomitis orat 187. b.
19. Sodomorum peccatum, 34. a. b. Sodomitarum conflagratio & interitus 76. b. 132. b.
20. Orabit pro te quia Propheta est 187. b.
23. Abraham adorat populum terræ 189. b.
28. Iacob fundit oleum super lapidem, 202. b. Si fuerit Dominus mecum, 29. b. Dominus erit mihi in Deum 30. a.
32. Deus patris mei Abraham & Isaac erue me. 186. a. Non dimitto te. nisi benedixeris mihi. 144. a.
33. Iacob adorat Esau 189. b.
48. Angelus qui eripuit me, benedicat pueris, 144. a. Invocetur super eos nomen meum, 285. b.
49. Collectus est ad populum suum 139. b.
50. Ossa Ioseph conservata 139. b.

EXod. 14. Crediderunt Mosi & servo eius, 183. a.
20. Faciens misericordiam in millia, 185. b. 204. b. Non assumes nomen Domini in vanum, 30. a. 35. a. 34. a Non committes adulterium, 3. b.
25. Ad tabernaculum conferenda 30. b.
29. Sacrificium Pontificis 51. a. 79. b.
32. Vitulus erectus, 130. b. Memento Abraham, Isaac & Iacob, 186. b. Levitæ fratres occidunt. 52. b.
33. Miserebor cui miserebor 181. b.

LEvit. 7. Vovere aliquid 38. a. b.
11. Mortuum tangens immundus habetur, 18. a.
12. Non ingredietur sanctuarium, donec impleatur dies purificationis eius 128. b.
19. Sancti estote, quia & ego sanctus, 52. a. 79. b. Super mortuo ne incidatis carnes vestras, 88. b.
20. A mortuis non quærenda veritas 125. b.
21. Coniugium sacerdotibus præceptum, 46. a. 52. b. 60. b. 79. b. Pontifex viduam ne ducat, 85. a. Fluxum patiens immundus est, 51. a. Sacrificia Deo vovere. 30. b.
27. Se ipsos Deo voventes, 30. a. b. Vovere de bonis suis aliquid, 30. a. b. 31. a. bis. secundario aliquid non vovendum 30. a.

NVm. 6. Nazarai se Deo voventes, 30. a. b. 31. a.
8. Lex purificationis 51. a.
15. Sacrificia vovere 30. a. b.
21. Vovit Israël votum Domino 29. a.
30. Si quis votum voverit Domino, 29. b. 30. a. b. 31. a.
31. Colligeris ad populum tuum, 139. b. Virgines à cæde servate 12. a.

DEut. 4. Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris 183. a.
7. Non erit infœcundus inter vos 19. b.
9. Recordare servorum tuorum Abraham, &c. 186. a.
12. Non faciatis quod vobis bonum videtur, 14. a. 89. a. 138. a. De bonis suis aliquid vovere, 30. a. Non addas quicquam, nec minues, 91. a. 103. a.
13. Si Propheta surrexerit ac signum dederit, 126. a. 191. b.
14. Non facietis calvitium super mortuo. 88. b.
17. Adorant quæ non præcepit illis 149. a.
18. Mortui non interrogandi, 110. b. 112. a. 113. a. b. 125. b.
21. Sacrificium pro peccato offerendum 91. a.
22. Sponsa pro uxore habetur 55. b.
23. Eunuchi non veniunt in Ecclesiam, 20. b. Non efferes mercedem prostibuli, 30. a. 31. a. Cum votum voveris Domino Deo tuo, 20. b. 30. b. 34. b.
26. Sicut iurasti patribus nostris 185. b.
30. Propono tibi vitam & mortem 120. a. Qui dixerit patri & matri nescio vos, 52. b. Dominus sepelivit Mosen 126. a.

IOsu. 7. Sacrificium pro peccato oblatum, 90. a. b.

IVdic. 11. Votum Iephthe 30. b. 31. a.
17. Votum Michæ, 30. b. Cultus Michæ, 139. b.
21. Virgines à cæde servatæ. 12. a.

1. REg. 1. Si respexeris afflictionem ancillæ, 29. b. 30. a. b.
2. Dominus mortificat & vivificat, 138. b. deducit ad inferos & reducit 127. a.
14. Iuramentum Saulis 34. b.
15. Vovere Deo sacrificium 30. b.
18. Magno in precio erat nomen Davidis, 137. a.
21. Iuramentum Davidis 34. b.
28. Samuel à Pythonissa an verè productus, 126. a. b.

2. REg. 7. David ædificaturus templum 31. a.
12. Davidis lapsus, 139. b. David orat pro filio donec

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec moriatur, 99.b. ad ipsum ego venire possum 105.a.
14. Absolon reconciliatus per biennium sedet in domo sua 186.b.
18. Pro Absolone mortuo nihil fecit David, 99.b.

3. REg 1. Nathan adoravit Davidem 189.b.
2. Salomon adoravit matrem interessuram pro Adonia. ad dexteram suam ponit 187.a.
3. Salomon fuit coniugatus, 25.b. Sapientiæ donum Salomoni coniugato datur 29.b.
8. Conserva David patri meo, quæ locutus es, 186.b. Tu solus nosti cor filiorum hominis, 189.a. pro omnibus necessitatibus Deus invocandus 183.a.
9. Non sum melior patribus meis 139.b.

4. REg 2. Elias igneo curru avectus 126.b.
4. Sunamitis Elisæum adorat 189.b.
5. Elisæus videt Giezi absentis facta 188.b.
6. Elisæus videt occulta consilia Regis Israël, 188.b.
17. Samaritani præter Deum creaturas invocant, 180.a.
22. Colligam te ad patres tuos ut non videant oculi tui mala 183.b. 211.b.

1. PAr. 24. De vicibus sacerdotalibus 50.b.
28. Non ædificabis ædem nomini meo, 31.a.
29. Ex voto aliquid ad structuram templi conferre 30.b.

2. PAr. 5. Vovere aliquid ad templi extructionem, 30.a.b.
6. Nomen tuum invocatum est super domum istã 186.b.
15. Iuraverunt Domino voce magnã 30.b.bis.
20. Vt oculos nostros dirigamus ad te 181.a.
21. Noluit Dominus disperdere domum David, 186.a.
2. Esd. 10. Iuravit cum execratione 30.b.

ESther 5. Dimidium regni tibi dabo 143.a.
14. Præter te nullus est auxiliator alius, 181.a.

IOb 4. In inferno proteges me 128.b.
5. Voca ergo, si est qui tibi respondeat, & ad sanctorũ aliquem convertere 187.a.
7. Militia est vita hominis 14.b.
9. Cum exaudierit non tamen credo quod audierit 105.b.
19. Miseremini mei vos amici mei 128.b.
24. Ad calorem transeunt ab aquis niuium, 127.b.
33. Si fuerit pro eo angelus loquens 187.a.
42. Ite ad servum meum Iob, & orabit pro vobis 187.b.

PSal. 4. In pace dormiam & requiescam 120.b.
6. Domine ne in furore tuo arguas me, 94.a.
8. Gloria & honore coronas eum, 138.b. omnia subiecisti pedibus eius 129.a. 110.b.
12. Vt argentum igni examinatum 134.b.
16. Pro sanctis qui in terra sunt 189.b.
18. Dominus firmamentum meum, 181.a. In tribulatione mea invocavi Dominum, 183.a. clamor eius in conspectu eius introivit in aures eius 183.b.
19. Desiderabilia super aurum 134.a.
22. Patres nostri clamaverunt, 139. b. vota mea coram timentibus eum persolvam, 29.b. 30.a.
26. Domine dilexi decorem domus tuæ 44.a.
27. Pater & mater dereliquerunt me 211.a.
31. In te Domine speravi, 181.a. In manus tuas commendo spiritum meum, 120.b. Redemisti me Domine Deus veritatis 120.b.
32. Beati quibus tecta sunt peccata, 20.a. pro hac orabit ad te omnis sanctus 191.a.
34. Mors peccatorum pessima 120.a.
36. Apud te est fons vitæ 180.a.
38. Gemitus meus à te non est absconditus, 183.b.
39. Notum fac mihi Domine finem meum, 118.b. 121.b.
40. Letentur & gaudeant in te 20.a.
45. Filia regis in ornatu suo, 12.a. Adducentur virgines Regi 20.b.
46. Deus refugium nostrum 180.b.
48. Redimet animam meam, de manu inferni, 128.b.
50. Redde altissimo vota tua, 30.a.b. 31.a. Invoca me, & exaudiam te, 179.b. 189.a. 183.a. 190.a. 199.a.
51. Miserere mei Deus, 139.a.b. In peccatis concepit me mater, 6.a. Tunc acceptabis oblationes 30.b. 31.a.
53. Deum non invocant. 183.a.
56. Super me sunt vota tua Deus 30.a.
62. Ipse est petra mea & salus mea 181.a.
66. Transivi per aquam & ignem, 127.b. Reddam tibi vota 29.b. 30.a.b.
68. Accepisti dona pro hominibus, 181.b. Mirabilis Deus in omnibus sanctis suis 138.b.
72. Pretiosus sanguis eorum in oculis eius, 137.a. 139.a.
76. Vovete & reddite Domino 29.b. 30.a. 35.b.
79. Effunde iram tuam in non invocantes te, 17.a. 127.a. Introcat in conspectu gemitus compeditorum 183.b.
86. Multæ misericordiæ omnibus invocantibus te 183.a.
89. Semel iuravi in sanctitate mea, 185.a. Misericordiã non auferam ab eo 138.b.
90. Duce nos finem nostrum 121.b.
91. Angelis suis mandavit de te, 188.b. cum ipso sum in tribulatione 158.b.
96. Cantate Domino canticum novum, 20.a.
97. In gentes quæ nomen tuum non invocaverunt 179.b. 183.b. 199.a.
103. Benedicite Deo omnes angeli eius, 142.a.
105. Narrate omnia mirabilia eius, 138.b. Abraham cultoris eius 137.a.
106. Moses pro Israëlitis intercedit, 187.b. Stetit Phineas & pacavit 137.b.
107. Eduxit eos de tenebris, & umbra mortis, 128.b.
109. In generatione mala deleatur nomen eius, 137.a.
110. Populus tuus spontaneus 32.a.
112. In memoria æterna erit Iustus 137.a.
115. Propter misericordiam & bonitatem, 138.b. Deus omnia quæcunque voluit fecit. 188.b. Qui timent Dominum sperent in Domino. 181.a. Non mortui laudabunt te 121.b.
116. Vota mea Domino reddam, 30.b. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, 123.a. 137.a. 139.a. 195.b.
118. Bonum est confidere in Domino 181.a.
119. Lucerna pedibus meis verbum tuum domine, 6.b. 107.a. 185.b. 188.b. Iuravi & statui custodire mandata tua. 30.a. Mandata DEI præstantiora auro & gemmis. 134.a. Secundum iudicium diligentium nomen tuum, 191.a. 120. Ad

120. Ad Dominum cùm tribularer clamavi, 183.a.
121. Levavi oculos meos ad montes, 191.a. Auxilium meum à domino. 200.a. 213.b.
132. Memento Domine David, 186.b. Donec inveniam locum domino 31.a.
134. In servis tuis deprecabitur. 191.a.
139. Mihi nimis honorificati sunt inimici tui Deus. 136.b.
141. Ascendat sicut incensum oratio mea, 189.a.
145. Dominus misericordia mea & refugium, 181.a. Miserator & misericors dominus, 181.b. Præsto adest dominus omnibus invocantibus ipsum 183.a. 183.b.
146. Laudabo dominum in vita mea, 121.b. Nolite confidere in filiis hominum 181.a.
148. Laudate Deum omnes angeli, 142.a. Sol, luna, & stellæ laudant dominum 129.b.
150. Laudate dominum in sanctis eius 137.a.

PRoverb. 5. Lætare cum uxore adolescentiæ tuæ, 9.a. 15.b.
7. Sequitur eam ut bos ad lanienam 2.b.
8. Melior est fructus meus auro & lapide precioso. 134.a.
10. Memoria iusti erit in benedictione, 137.a. Nomen impiorum fordescet 137.a.
12. Mulier fœdula est corona viro 15.a.
14. Sapiens mulier ædificat domum 50.b.
15. Vota iustorum placabilia 30.a.
16. Posside sapientiam quia melior auro est, 134.b.
18. Qui mulierem invenit bonum invenit, 15.b.
20. Purum est cor meum. 129.b. 130.a. De vocato sancto votum facere 30.a. 31.a.
31. Mulieris virtutes, 15.b. Vxor maritum foris agentem sublevat 46.a.

ECclesiast. 4. De carcere & cathenis egreditur ad regnum 127.b.
5. Si quid vovisti Deo ne moreris reddere, 29.b. 30.b. 31.a. 34.b. Displicet Deo stulta promissio 30.a.
9. Mortui non habent mercedem, 121.b. Perfruere vita cum uxore quam diligis, 9.a. 15.b. nec opus, nec ratio est apud inferos 121.b.
11. Vt ceciderit arbor permanebit 121.b.
12. Spiritus redit ad Deum, qui dedit illum, 140.b.

CAnt. 4. Sponsa mea 12.a.

ESai. 1. Quis hæc requisivit de manibus vestris, 14.a. 142.a. 179.a. Erit fortitudo vestra ut stuppa, 134.b. accẽdetur, nec erit qui extinguat. 134.b. 135.b.
3. Prædicant peccata sua sicut Sodoma 77.a.
4. Invocetur nomen tuum super nos 185.b.
8. Interrogare mortuos pro vivis, 110.a. 113.b. 125.b. 198.b.
28. Vexatio dat intellectum 135.a.
32. Mulieres luxuriantes 36.a.
35. Effugit dolor tristitia & gemitus, 110.a. 120.b.
37. Virgo filia Sion, 20.b. protegam civitatem propter me & David 186.b. 204.b.
40. Omnis caro fœnum, 134.a. verbum Domini manet in æternum, 135.a. Quis Deum consiliis instruit 44.a.
42. Gloriam meam alteri non dabo, 185.b. cantate domino canticum novum 20.a.
45. Deus salvans non est præter me, 181.a. quis est qui contradicit factori suo 44.a.
47. Virgo filia Sion 20.b.
48. Gloriam Dei creaturis tribuere 181.b.
49. Posuit os meum ut gladium acutum, 138.b. dedite in lucem gentium 143.b.
52. Mundamini qui fertis vasa domini, 48.b. 52.a.
53. Mulcta pacis nostræ super eum 122.b.
54. In momento abscondi faciem meam à te, 128.b. Iubila sterilis quæ non paris 20.a.
55. Quærite dominum dum inveniri potest, 121.b. Non sunt cogitationes meæ ut vestræ, 184.b.
56. De Eunuchis dabo illis nomen melius, 6.a. 14.a. 19.b. 52.b.
57. Iustus moriens venit in pacem, 120.b. 136.a.
58. Ligna arida 134.a.
61. Induit me vestimentis salutis 11.b.
63. Abraham nescit nos, Israël ignorat nos, 185.b. 186.b. 194.a. 211.b.
64. Iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ, 129.b. sumus tribus hæreditatis tuæ 186.b.

IErem. 1. Tecum sum ut eruam te 138.b.
2. Me dereliquerunt & foderunt sibi cisternas, 180.a.
3. Coniugium & adulterium spirituale, 40.a.
10. Gentes quæ nomen tuum non invocarunt, 205.b. 179.a. 183.b. 199.a.
15. Si staret Moses & Samuel coram me, 186.a.
16. Ne ducas uxorem, 19.a. Nemo pro illis se incidet, aut radet, 89.a. Poculum consolatorium super patre & matre 89.a.
17. Maledictus qui confidit in homine, 181.a. diem hominis non desideravi 134.b.
18. Virgo Israël 20.b.
20. Maledictus dies in quo natus sum 6.a.
31. Castigasti me & eruditus sum, 135.a. Virgo Israël, 20.b. fœdus primum 37.b.
35. Rehabitarum votum de non bibendo vino, 31.a.
44. Vota idolis facta, 30.b. Militiam & reginam cœli colentes. 48.a.
48. Maledictus qui facit opus domini fraudulenter. 38.a.

THren. 1. Misit ignem in ossa mea, 139.a. virgo filia Iuda 20.b.

EZec. 3. & 33. Si non argueris peccatorem, 18.b.
8. Parietem fodere & videre qui peccatur 78.a.
14. Si fuerint tres viri illi in medio eius 186.a.
16. Otium, abundantia & saturitas panis, 35.a.b. coniugium & adulterium spirituale. 40.a. ostendam gentibus turpitudinem tuam, 116.a. 149.b. ad primum fœdus redire 37.b.
18. Anima quæ peccaverit ipsa luet, 125.a. vita vivet, non morietur, 120.b. Iniquitatem eius non recordabor ibid.
20. In præceptis patrum nolite ambulare, 89.a.
22. Ostendam gentibus turpitudinem tuam, 135.a. quæsivi virum, qui interponeret sepem, 187.b.
44. Viduam sacerdotis sacerdos ducat, 85.a. coniugium sacerdotibus permissum, 46.a. 60.b. 79.b. Soror Pontificis quæ alterum virum non habuit 85.a.

DAni. 2. Daniel videt visionem, quæ exciderat Regi 188.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3. Propter Abraham dilectum tuum, 18.b. Spiritus & anima iustorum benedicite Domino, 142.a.
6. Daniel orat facie conversa ad Hierusalem, 191.a.
8. Gabriel fac intelligere visionem 191.a.
9. Sanctus sanctorum 129.b.
9. & 10. Angelus responsum affert oranti, 189.b.
10. Angelorum diversa ministeria 188.b.
11. Amorem mulierum negliget 29.b.
12. Qui docuerunt multos, fulgebunt 16.a.

OSe. 2. Revertar ad maritum priorem, 37.b. Desponsabo te mihi 11.b. 40.a.
4. Fornicatio cor aufert, 2.b. Coniugium & adulterium spirituale 40.a.
11. Deus ego & non homo 184.b.
13. Tantummodo in me est auxilium tuum, 181.a.

IOel. 2. Omnis qui invocaverit nomen Domini. 183.a. 199.a.

AMos 5. Virgo Israël 20.b. vota Idolis facta, 30.b.
Ionæ 1. Voverunt vota 29.b. 30.a.
2. Quæcunq; vovi reddam 29.b.

MIch. 7. Resurgam cùm sedero in tenebris, 128.a.

ZAch. 1. Angelus dixit de septuagesimo anno 188.b.
9. De lacu in quo non est aqua 128.a.
12. Effundam spiritum precum 17.a.

MAlach. 2. Deus testificatus est inter te & uxorẽ 80.b.
3. Ad ignem & conflatorium, 92.b. 94.b. sedebit conflans, colans, purgans, 128.b. 134.a. afferent sacrificium in iustitia, 135.a. Deum tentaverunt & salvi facti sunt 3.b.

SAp. 3. Iustorum anima in manu Dei, 120.b. non tangit eos tormentum, 120.b. 136.a. tanquam aurum in fornace probavit illos, 135.a. fœlix sterilis & incoinquinata 18.b.
4. Immortalis est memoria eius 137.a.
7. Spiritus sapientiæ sanctus & incoinquinatus 25.b.
8. Sapientia docet temperantiam, 25.b. relinquunt posteru memoriam perpetuam, 137.a. non possum esse continens, nisi Deus det, 25.b. 29.b.
14. Idololatria ex memoria sanctorum nata, 137.b.

TOb. 4. Panem & vinũ super sepultura cõstitue 88.b.
12. Angelus detulit orationem ad Deum 189.b.

SYrach 5. Ne tardes converti ad Dominum, 121.b.
14. Ante obitum operare iustitiam 12.b.
18. Iustificationes ne differas usq; ad mortem, 121.b.
24. In me omnis gratia vitæ 143.a.
26. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ 20.b.
27. Fornax probat vasa figuli 134.b.
44. Sanctorum laudes 137.b. 139.b.
45. Cuius memoria in benedictione 137.a.
46. Sit memoria illorum in benedictione, 137.a. de Samuel excitato 126.b.
49. Ossa Ioseph conservata 137.b.
50. Onias pro populo orans 140.a.

BAruch 3. Audi orationem mortuorum Israël, 191.a.
vota idolis facta 30.b.

IMAch. 7. Sacrificia pro rege idololatrico, 89.a.
10. Fides data servanda 37.a.
12. Memores vestri in obsecrationibus & sacrificiis 89.a.
2. Mach. 1. Sacer ignis occultatus 90.a.
2. Arca occultata, 90.a. Iasonis libri 90.a.
3. Onias offert pro salute Heliodori 89.a.
4. Iason gentiles cultus promovet, 89.a. Sacerdotes se hellenismo conformant 89.a.
9. De morte Antiochi 90.a.
11. Data fides servanda 37.a.
12. Sacrificium pro mortuo 88.b.
13. Antiochus offert Hierosolymis 89.a.
14. Razia continentia, 40.b. Razias ipse se interficit 88.a. 91.a.
15. Somnium de Onia & Ieremia pro populo orantibus 140.a. 191.a.

MAtth. 1. Priusquam congregi essent, 40.a. non cognovit eam donec peperit 121.a.
3. Baptizabit spiritu sancto & igni, 128.b. ventilabrum in manu eius 130.a.
4. Ipsum solum coles & adorabis, 183.b. 185.b. 109.b. 193.b. 199.a.
5. Vos estis lux mundi, 138.b. Non exibis illinc donec persolveris, 130.b. 131.a. Dictum est antiquis, 89.a. Qui aspexerit mulierem ad concupiscendam eam. 6.b. 24.a. 34.b. qui repudiatam duxerit, 84.a. Deus solem exoriri sinit, 68.a.
6. Pater tuus qui videt te orantem in occulto, 183.b. Pater noster, qui es in cœlis, 183.b. 213.b. dimitte nobis debita nostra, 16.b. Tuum est regnum & potentia & gloria, 183.b. Si non remiseritis, nec pater remittet, 131.a. Nemo potest duob. Dominis servire, 3.b. 6.a. Quærite primùm regnum Dei 15.b.
7. Nolite iudicare & condemnare, 38.a. In vestitu ovium, 125.a. In nomine tuo prophetavimus 132.b. fundatus est super petram 135.a.
8. Venient ab oriente & occidente, 20.a. accumbent in regno Dei 120.b.
10. Animas occidere non possunt, 140.b. Deus habet potestatem animarum, 118.a. Qui amaverit patrem supra me, 52.b. accipit crucem, & sequitur me 36.b.
11. De laudibus Baptistæ, 137.a. 139.a. Iustificata est sapientia à filiis suis, 25.a. 44.a. venite ad me omnes 179.a. 182.b. 185.b. 208.a.
12. Nec in præsenti, nec in futuro remittetur, 131.b. 136.a.b. generatio prava & adultera, 20.a. 40.a. posteriora deteriora primis, 37.b. Quæ est mater mea 187.a.
13. Vobis datum est nosse mysteria, 22.a. Simile est regnum cœlorum seminatori, 16.a. 19.b. sic erit consummatio huius seculi 132.b.
14. Iuramentum Herodis, 34.a. Petrus in aqua incedens 92.b. 95.a.
15. Quid impurum reddat hominem, 130.a. Frustrà me colunt mandatis hominum, 14.a. 31.a. 33.a. 178.b. Chananæa Christum invocans, 204.a. dimitte eam quia clamat post nos, 204.a.
16. Quicquid ligaveris 74.a. 102.a. 121.b. 132.a. 126.a.
17. Moses & Elias apparet 19. Quos

19. Quos Deus coniunxit, 7.b. 80.b. de libello repudij, 5.b. Non omnes sunt capaces huius dicti, 2.a. 6.b. 21.b.bis. 22.a. 26.a. 52.b. 70.b. 73.b. Eunuchi nam aut ab hominibus facti, 14.a. 21.a. 50.a. 54.a. 54.b. Eunuchi propter regnum cœlorum, 6.a. 9.a. 10.a. 14.a. 16.a. 19.b. 21.a. 40.b. 45.a. 48.b. Qui potest capere capiat, 25.b. Si quis reliquerit uxorem & liberos, 40.b. 52.b.
21. Ecce rex tuus mansuetus, 131.b. Baptismus Iohannis unde erat 137.a.
22. Simile est regnum cœlorum, 19.b. Deus Abraham, Isaac & Iacob, 137.a. Secundum mandatum simile primo 15.b.
23. Patrem vobis nolite vocare in terra, 6.b. proselyti, 20.a. Sepulchra prophetarum ædificatis 137.b.
24. Filius hominis veniens ad iudicium, 132.b. væ prægnantibus & lactantibus, 6.a. 7.a. 19.a. dabunt signa magna & prodigia, 126.a. 191.b. In diebus Noha erant nubentes 6.a.
25. Fatuæ virgines, 13.b. 17.a. 40.a. virgines prudentes ingrediuntur cum sponso, 11.b. 20.b. Sponsus clausit fores, 121.b. date nobis de oleo vestro, 128.b. Euge serve bone & fidelis, 139.a. super multa te cõstituam, 16.b. cõgregabit ante se omnes homines, 97.a. Quicquid fecistis uni ex minimis, 36.b. 122.a. Ite in ignem æternum 94.b. 95.b. 117.b.
26. Spiritus promptus, caro infirma, 7.a. Qui gladium acceperit, 129.b. Lapsus Petri, 138.b. 139.b.
27. Heliam vocat iste 190.b.

MArc. 3. Omnia peccata hominibus remittentur, 132.a. non remittetur in æternum, 132.b.
9. Omnia possibilia credenti, 24.b. ejcit tibicines, 88.b. Habete salem in vobis 80.a.
11. Quicquid orantes petitis credite, quod accipietis 119.a.
12. Habete fidem Dei 80.a.
13. Homo peregrè profectus 130.b.
14. Narrabitur hoc in memoriam eius, 137.a.
16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, 119.b.

LVc. 1. Zacharias vices suas obit in templo, 51.a. Angelus oranti respondet, 189.b. convertet incredulos ad sapientiam iustorum, 139.a. ad Mariam desponsatam viro, 40.a. 56.b. Maria gratia plena, 143.a. Benedicta tu inter mulieres, 139.a. virum nõ cognosco, 39.b. 40.a. Magnificat anima mea Dominum, 175.b. Respexit ad miseriam ancillæ suæ, 138.b. Beatam me dicent omnes generationes, 137.a. 187.a. Maria reversa est ab Elizabeth Nazaretham, 40.a. Benedictus Dominus Deus Israël, 174.b. Tu puer propheta altissimi vocaberis, 139.a. Qui in tenebris & umbra mortis sedent, 126.a.
2. Nunc dimittis Domine servum tuum in pace, 105.a. 120.b. 136.b. 175.a. lumen ad revelationem gentiũ. 143.b. Animam tuam pertransibit gladius 150.a.
4. Si prostratus adoraveris me, 189.b. Rogaverunt Christum pro socru Simeonis 208.a.
6. Da omni petenti abs te 3.b.
8. Mulieres ministrantes Christo, 17.a. 46.b. Semen spinis suffocatum, 15.b. Ne me torqueas, 12.a.
9. Moses & Elias loquuntur de excessu Christi, 126.b. 140.a.b. sequere me 36.b.
11. Qui non est mecum contra me est, 27.a. posteriora primis deteriora 37.b.
12. Ignem veni missurus in terram, 117.b. Baptismo habeo baptizari 128.b.
14. Vxorem duxi non possum venire, 6.a. si quis non odit patrem & uxorem suam, 3.a. 6.a. 52.b. baiulat crucem & venit post me 36.a.
15. Pater obviam procedens filio amplectitur eum 186.b. Acolastus cum gaudio recipitur, 122.b. gaudium erit in cœlo super peccatore, 188.b.
16. Delatus Lazarus in sinum Abrahæ, 100.b. Dives in inferno, 132.a. pater Abraham miserere mei, 190.b. 194.b. Iam solatio fruitur, 139.a. 140.b. Hiatus magnus confirmatus inter nos & vos, 12.b. 121.a. 125.a. 134.a. si Mosen & Prophetas non audiunt, 190.b. 198.b. neq; si quis ex mortis resurget, credent 125.b.
17. In diebus Lot erant nubentes 6.a.
18. Oportet semper orare, 17.a. Qui se exaltat humiliabitur 185.a.
20. Post resurrectionem non nubunt, 6.a. qui digni habebuntur seculo illo 132.b.
22. Vos non sic 139.b.
23. Beatæ steriles, 19.a. Memento mei cum veneris in regnum tuum, 185.b. Mecum eris in paradiso, 104.b. 114.b. 121.a. 123.b. 136.a. 140.b. In manus tuas Domine commendo spiritum meum, 120.b.

IOh. 1. Ex plenitudine eius omnia accipimus, 181.b.
2. Nuptiæ in Cana, 56.b. Christus interest nuptiis, 80.b. quid mihi & tibi mulier 187.a.
3. Qui credit in filium non iudicatur, 120.a. Qui veritatem facit venit ad lucem, 134.b. qui habet sponsam sponsus est, 12.a. pater omnia dedit filio in manum, 181.b. qui credit in filium habet vitam 119.b.
4. Nos adoramus quod scimus, 178.b. virum quem nunc habes non est tuus 84.a.
5. Transivit ex morte in vitam, 102.b. 115.b. 120.a. 140.b. Non venit in iudicium, 132.a. qui bona egerunt, in vitam æternam, 132.b. Erat lucerna ardens, 137.a. Moses in quo vos speratis accusat vos 38.a. 190.b.
6. Eum qui venerit ad me non ejiciam, 182.b. 208.a.
8. Sermo meus οὐ χωρεῖ in vobis, 21.b. Dicitis Abraham esse patrem vestrum, 137.b. mortem non videbit, 105.b. Abraham vidit diem meum, 137.a. 130.a.
9. Nos Mosis discipuli sumus, 190.b. venit nox cum nemo potest operari. 121.b.
10. Ego sum ostium, 182.a. oves sequuntur me, 20.a. nemo rapiet eas de manu mea, 120.b. 121.a.
11. Non mortuus est sed dormit, 141.a. sepultura Lazari, 91.a. etiamsi morietur vivet, 102.b. 120.b. 140.b.
12. Quem honorificat Deus pater 137.a.
13. Cum sciret omnia sibi esse tradita 181.b.
14. Ego sum via, 182.a. Ego sum vita, 181.a. Nemo venit ad patrem nisi per me, 182.b. 194.a. 206.b.
15. Mundi estu propter verbum meum, 129.b. non iam vos servos dico, sed amicos, 137.a. 185.a.
16. Quicquid petieritis in nomine meo, dabitur vobis, 21.b. 24.b. 52.a. 179.b. 182.a. 185.b. 194.a.
17. Vt sint & ipsi sanctificati 140.a.
18. Si regnum meum esset de mundo, 139.b. Regnũ meum non est de hoc mundo, 187.a.
19. Christus depositus de cruce 151.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

20. Quorum remiseritis peccata, 102.a.121.b.192.a. vitam accipere credentes in nomine eius, 10.b.

ACtor.2. Solutu doloribus mortis, 128.b. promissione Spiritus à Patre accepta effudit hoc 181.b.
4. Non est in alio salus 10.b.181.a.
6. De viduis & earum curatione, 35.b. Nicolaus vnus ex Diaconis 3.a.
7. De Patribus veteris Testamenti, 137.b.139.a. Domine Iesu suscipe Spiritum meum, 209.b. Domine IESV suscipe animam meam, 120.b.
9. Organum electũ est mihi, 138.b. quam cùm lavissent, posuerunt 35.b.
10. Orationes tuæ ascenderunt in memoriam apud Deũ, 187.b. 188.b. 189.b. Cornelius procidens adorat Petrum, 137.b. 138.a. 194.a. remissionem accipere in nomine eius, 10.b. 91.a. 108.a. David appositus ad Patres 188.b.
14. Sacerdos Iovis volens sacrificare, 138.a.194.b.
15. Fide purificans corda eorum, 129.b. Credimus nos per gratiam Christi salvari, 10.b. abstineant à fornicatione 2.b.
20. Beatius est dare, quam accipere 35.b.
21. Philippus habuit filias, 6.b. viri habentes votum 30.a.
26. Pharisaismus Pauli, 139.b. eripiens te à populo & gentibus 138.b.
27. Animæ Paulo donatæ 187.b.

ROm.1. Vocati estis sancti, 140.b. frustrati sunt per ratiocinationes suas, 185.b. 192.b. coluerunt creaturam præter creatorem, 180.a. 203.a. 207.b. premium erroris in seipsis acceperunt, 53.b. in mentem reprobam ut faciant quod non convenit 2.b.
2. Super omnem animam operantem malum, 3.b.
3. Per redemptionem quæ est in Christo, 19.b.122.a. interveniente sanguine ipsius 10.b.128.a.
4. Iustitia imputatur sine operibus, 11.a. Beati quorum remissa peccata, 120.b.132.b. Abraham pater credentium, 137.b. 139.a. qui sectantur vestigia Abrahæ, 130.a. quibus credentibus imputabitur 122.a.
5. Iustificati fide pacem habemus, 120.b.132.b. per quem habemus accessum cum fiducia, 182.a.186.b. per Christum servabimur ab ira, 187.a. mors regnavit, 6.a. unius obedientia iusti facti 122.a.
6. Vetus homo crucifixus, 136.a. non sub lege estis, sed sub gratia, 3.b. num peccabimus, quia non sumus sub lege, 4.a. finis illorum mors, 7.a. donum Dei vita æterna 19.b.
7. Si nupserit vivente viro adultera vocabitur, 40.a. mortuo viro cui vult nubit, 8.5.a.b. 85.a. ego verò mortuus sum 136.a.
8. Nihil condemnationis his qui sunt in Christo, 120.b. non secundum carnem ambulandum, 11.b. liberum me fecit per Christum, 32.a. ut iustificatio legis impleretur in nobis, 122.a. qui in carne sunt Deo placere non possunt, 6.a. 63.a. vos non in carne estis sed in spiritu, 6.a. corpus mortuum est propter peccatum, 136.a. hæredes Dei, 120.a. cohæredes Christi, 137.a. qui autem corda scrutatur Deus, 179.b. 183.b. qui ad dexteram Dei intercedit pro nobis, 182.a.185.b.187.a.
9. Qui ex adverso respondes Deo 44.a.
10. Deus dives super omnia invocantes se, 183.a. quomodo invocabunt in quem non crediderunt 17.a. 183.a.
12. Corpora exhibete hostiam spiritualem, 15.b. 19.a. 30.a. 31.b. ne conformemini huic seculo, 12.a. Prophetia sit analoga fidei, 35.a. membra unius corporis sumus, 116.a. dona iuxta gratiam nobis datam differentia 21.b.
13. Hora est à somno surgere, 121.a. non in cubilibus 7.b. 52.a. 52.b. 75.a.
14. Sive vivamus, sive moriamur, Domini sumus 118.b. 121.a. 140.b. ut sic dominetur mortuis & viventibus 129.a.141.a. mihi se flectat omne genu, 139.b. unusquisque rationem reddet Deo, 125.a. Regnum Dei nõ est cibus & potus, 16.a. 31.b. quicquid non est ex fide, peccatum est 178.a.
15. In nostram doctrinam præscripta sunt, 139.a. Deus patientiæ & consolationis, 181.a. me laborantem adiuvetis precationibus, 141.b.182.a.187.b.188.a.

COrint.1. Cum omnibus invocantibus nomen Christi, 179.b. Christus factus nobis iustitia 122.a.
2. Quæ oculus non vidit, 187.b. sermonibus quos docet Sanctus 53.a.
3. Ego sum Pauli, 213.b. cooperarij eius sumus, 44.a. opus cuiusq; ignis probabit, 132.134.135.b. templum Spiritus sancti 137.a.
4. Dispensator sit fidelis, 53.a. nolo iudicari ab humano die 134.a.
5. Tradatur Satanæ, 132.b. expurgate vetus fermentum 129.b.
6. Scortatores non possidebunt regnum DEI, 3.a.24.a. sed abluti & sanctificati estis, 20.b. 40.b. corpus non stupro sed Domino, 3.b. corpus vestrum est templum Spiritus, 19.a. non estis vestri, quia precio empti estis, 3.b. 20.a. Glorificate Deum in corpore vestro 3.a.19.a.
7. Bonum est mulierem non tangere, 7.a. ad vitandam fornicationem, 18.a.21.a.23.a.23.b.35.a.35.a.51.b.70.b.80.a. quisque suam uxorem habeat, 9.b. debitam præstet benevolentiam, 9.a. 20.b. ut vacetis ieiunio & precationi, 6.a. 7.a. 9.a. 16.b. 18.b. 49.b. 59.a. hoc dico secundum indulgentiam, 7.a. 9.b. 18.a. 18.b. velim omnes manere, & esse sicut ego, 19.a. 22.a. 34.a. 45.a. 63.a. 82.a. unusquisque proprium donum habet ex Deo, 14.b. 15.a. 21.b. 22.a. 23.a. 24.b. 26.a. 45.a. Qui non continet matrimonium contrahat, 18.b. 25.a. 27.a. 29.a. 40.b. 45.b. 540.b. 51.b 54.b. 60.a. 73.a. 82.b. 83.b. Melius est nubere, quam uri, 7.a. 17.b. 21.a. 21.b. 23.b. 24.a. 24.b. 25.a. 27.b. 29.a. 31.a. 35.a. 41.b. 48.b. 54.b. 64.b. 70.b. 73.a. 78.a. 80.a. 82.b. uxor a viro ne separetur, 55.b. 56.b. uxor fidelis cohabitet viro infideli, 8.a. sanctificatur vir per mulierem, 6.b. 7.b. 19.a. mulier virum servare potest, 15.b. unusquisque sicut ei partitus est Deus, 13.b. 15.a. 22.a. sicut eum vocavit Dominus, 13.b. 16.b. 22.a. 24.a. precio empti estis, 20.a. 80.b. de virginibus præceptum Domini non habeo, 21.a.22.a.b. 26.b. 27.a. 34.a. 55.a. 70.b. 80.a. bonum est propter instantem necessitatem, 14.b. 19.a. alligatus es uxori, ne quæras solutionem, 6.b. 21.a. 70.b. si solutus es ne quæras uxorem, 36.a. si nupserit virgo non peccat, 22.a. 27.a. 23.a. 29.a. 38.b. 40.b. tribulationem carnis habebunt, 25.a. 21.a. 27.a. ego verò vobis parco, 7.b. 15.a. 18.b. tempus in collecto est, 7.a.b. 121.b. sit tanquam non habens uxorem, 15.a. 17.b. 46.a. 52.a. 70.a. velim vos esse sine solicitudine, 15.a. 45.b. cœlebs curat ea, quæ sunt Domini, 6.b. 9.b. 15.b. 17.a. 17.b. 50.b. cogitat quæ sunt mundi ut uxori placeat, 15.a. 15.b. non ut laqueum iniiciam vobis, 24.b. 27.b. 28.b. 29.a. 35.b. 36.a. 38.b 55.a. si quis indecorũ putat. νομίζει, 28.a. si quis stat firmus in corde suo, 27.b. 28.a. 32.b. 36.a. non habens necessitatem, sed voluntatem, 22.b. 23.a. 27.b. 28.a. 32.b. 40.a. 51.b. si iudicat hoc in corde suo, 27.b. 28.a 51.b. qui matrimonio iungit bene facit, qui non, melius facit, 19.b. 13.a. 14.a. b. 19.a. 80.b. vidua, cui vult liberè nubit, 27.a. 82.b. 85.a. viduæ rursus nubant, 27.a. 61.a. nubant modo in Domino, 36.a.b. 39.a. 70.b. 82.b. beatior est, si sic manet, 1.b. 9.b. 13.a. 13.b. 19.a. 27.a. bis.
8. Vnus est Dominus IESVS CHRISTVS, 36.a. escanos non commendat Deo 31.b.
9. Habemus potestatem circumducendi vxorem, 6.b. 46.b. 81.b.
10. Nolo vos ignorare, 1.a. finit nos ultra quod possumus tentari, 1.a. 21.b. 22.b. 41.a. dat exitum ut sustinere possimus. 138.b.
11. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, 139.b. iudicate apud vosipsos, 28.a. corripimur ne cum mundo damnemur 138.b.
12. Divisiones donorum sunt, 21.b. 138.b. 139.b. dividens vnicuique sicuti vult, 26.a. membra corporis minus honesta, 8.b. membra unius corporis simus, 116.a. sectamini dona potiora 13.b.
14. Mulieres in Ecclesia sileant 17.a.
15. Gratia eius in me non fuit vacua 139.a.
Non ego sed gratia quæ mihi adest 138.b.
Baptizantur pro mortuis 128.b.
Sicut stella a stella differt claritate 16.a.
Mors ubi aculeus tuus 128.a.
Firmi & immoti 28.a.

2. COrinth 1. DEVS omnis consolationis 181.a.
Testimoniam bonæ conscientiæ 53.a
Quod non venirem ad vos 38.a.
2. Si quid cui condonatis, & ego condono 7.a.
3. Deus qui nos idoneos facit, 24.b. vbi spiritus, ibi libertas 32.a.
5. Cupimus præsentes adesse apud Deum, 107.b.108.a. 124.b.137.a.b.140.b.
Iuxta id quod fecit in corpore 121.a.b.
Ministerium reconciliationis 121.a.
Pro nobis factus est peccatum 103.b.122.a.b.
6. Nunc tempus acceptabile, 119.b.121.a. Templum Spiritus sancti 137.a.
7. Mundemus nos ab inquinamentis carnis & spiritus, 21.b.19.a.139.b.
8. Animi vestri promptitudinem 32.a
11. Despondi vos uni viro & virginem castam, 6.a.11.b. 20.b.31.b.36.b.40.a. Coniugium & adulterium spirituale, 40.a. quis scandalizatur, & ego non uror, 23.b.
12. Sufficit tibi gratia mea 138.b.
Virtus mea in imbecillitate perficitur 53.a.138.b.
13. Experimentum loquentis in me Christi 138.b.

GAlat.1. Si Angelus è cœlo evangelizaverit aliud Evangelium 135.a.61.b.126.a.
Pharisaismus Pauli 139.b.
Qui vocavit me per gratiam 128.b.
Glorificabunt in me Deum 137.a.138.a.
2. Cognoverunt gratiam mihi datam, 138.b. restiti Petro cùm reprehensibilis esset, 139.b. operibus legis nemo iustificatur, 10.a. quod vivo in carne per fidem vivo filij Dei, 118.b. si per legem iustitia: Christus frustra mortuus est 10.a.122.b.
3. Factus pro nobis maledictum, 122.b. non sumus sub Pædagogo, 32.a. non est masculus aut fœmina, 4.a.
4. Infirma & egena Elementa mundi 31.b.
5. Nolite iugo servitutis subiici 31.a.40.b. evacuati estis à Christo, 11.a. ne prabeamus libertatem in occasionem carnis, 3.b. qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, 95.a 140.a. fides est opus spiritus, 37.b. carnem crucifixerunt cum affectibus 156.a.
6. Vnusquisque proprium onus gestabit, 121.b.125.a. qui seminat in carne, de carne metet corruptionem, 6.a. dum tempus habetis operamini, 121.b. non circumcisio aut præputium sed nova creatura 13.b.

EPhes.1. Immaculati coram Deo, 20.a. redemptionem per sanguinem ipsius, 128.a. exaltatus super omne nomen, quod nominatur, 185.b. ipsum dedit Ecclesiæ caput super omnia 181.b.
2. Gratia salvati estis per fidem 10.b.15.b.
3. Angelis manifestata sapientia Dei, 296.b. per ipsum habemus aditum 182.a.186.a.
4. Vna fides, 37.b. dona dat hominibus, 138.b.181.b. Adolescentes tradiderunt se impudicitiæ, 2.b. renovamini spiritu, & induite novum hominem, 11.b. sermo spurcus ex ore vestro non egrediatur 2.a
5. Scortatio & immunditia non nominetur inter vos, 2.a. quæ in occulto ab eis fiunt turpe est dicere 77.a. Tempus redimentes, 121.b. Sicut Christus dilexit Ecclesiam, 8.b. Mundans eam lavacro aquæ per verbum 129.b. Non habentem maculam, 20.b. sine macula & ruga, 52.a. duo in carnem unam, 84.b. magnum mysterium in Christo & Ecclesia 7.b.11.b.
6. Sive servus fuerit, sive liber, 16.b. gladius spiritus verbum Dei, 67.b. vigilantes in deprecatione 17.a.

PHilip 1. Mors mihi lucrum, 121.a. cupio dissolvi, & esse cum Christo, 104.a.118.b.121.a.136.a.131.a.173.a.129.b.209.b.
2. Omne genu subterraneorum Christo flecti, 129.a. Deus operatur velle & perficere, 24.b. tanquam luminaria in mundo 138.b.139.a.
3. Pauli Pharisaismus, 139.b. propter Christum omnia pro damnis duxi, 135.b. imitatores mei sitis, 139.a. conversatio nostra in cœlis 6.a.
4. Rogo & te compar germana, 6.b. omnia possum in Christo, qui me confortat 24.b.

COloss. 1. Sortem sanctorum in lumine 120.a. redemptionem per sanguinem Christi 128.a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Immaculati ante Deum, 20.a. in ipso sumus consummati 122.a.
Chirographum sublatum, 110.b. 124.b. nemo vos iudicet, 31.b. elementa mundi, ibidem. iuxta præcepta & doctrinas hominum, 79.a. 80.b.
3. Superna curate non terrestria. 6.b. mortificate membra vestra 136.a.

1. Thess. 1. Vos imitatores nostri facti estis, 139.a.
2. Vos estis gloria nostra 139.a.
4. Voluntas Dei est sanctificatio vestra, 2.a. 8.a. vas suũ possidere in sanctificatione, 7.b. 9.a. 15.b. non in affectu concupiscentiæ ut gentes, 8.b. mortui in Christo resurgent primum, 141.a. hu vos invicem consolemini 119.a
5. Cum ipso vivamus, 118.b. 120.b. Indesinenter orate, 17.a.
2. Thess. 1. Iesus revelabitur in flamma ignis, 133.a.b.
2. Super omne, quod dicitur Deus se extollens, 74.a. signis & prodigiis mendacibus, 126.a. 191.b. misit eis efficaciam illusionis 112.b.

1. Timoth. 1. Iusto non est lex posita, 3.b. misericordiam consecutus sum, 139.a. retinens fidem & bonam conscientiam, 44.b. circa fidem naufragium fecerunt 37.a.
2. Vt fiant deprecationes, interpellationes pro omnibus, 44.b. 182.a. 217.b. unus mediator, 182.b. 194.a. Mulier in silentio discat, 17.a. mulieri docere non permitto, 55.b. salvabitur mulier per generationem, 6.b. 7.a. 19.b. si manserit in fide cum castitate, 7.b. 8.a.b. 15.a. 15.b. 17.a.b. 22.a. 25.b. 37.a.
3. Vnius uxoris maritum, 43.b. 45.a. 45.b. 45.a. 46.a. 47.b. 48.a. 52.b. 59.b. 68.a. 70.b. 80.a. 83.a. si quis propriæ domui non novit præesse, 6.b. quomodo Ecclesiam Dei curabit, 44.b. mysterium tenentes cum pura conscientia, ibid. ut nemo possit illos criminari, ibid. Diaconi sint unius uxoris viri, 47.b. 50.a. 52.b.
4. Discedent à fide, 36.b. doctrina dæmoniorum per hypocrisin prohibet nubere, 61.b. 14.a. 18.b. 39.a. 41.a. 46.a. 47.a. 48.a. 49.b. 51.b. 55.a. 60.b. 63.b. 66.a. 73.b. 80.a.b. nutritus in verbis fidei & bonæ doctrinæ, 45.b. exerce te in pietate charitate, 44.b. esto forma fidelium in castitate, 7.b. 44.b. 46.a. 139.b. in puritate seu castitate, 45.a. 46.a. Attende lectioni, 43.b. 44.b.
5. Seniorem ne graviùs obiurges, 44.b. vidua in deliciis vivens, 14.a. 17.a. bis. fidem abnegavit, infideli deterior, 37.a. vidua non minor annis sexaginta, 28.b. 32 b. 55.a. vidua eligatur, quæ unius viri uxor fuit, 84. a. lascivientes contra Christum, 36.a. 38.a. viduæ primam fidem irritam facientes, 35.a.b. 36.a. 37.a. 38.a 41.a. volo iuniores viduas nubere, 6.b. 19.a. 23.a. 24. a. 33.b. 36.a. 76.a. viduæ ratio conversæ post Satanã, 23. a. 24. b. 36.a. 37.a. 76.a. serva temet ipsam castum 44.b. 45.a.
6. Aberraverunt à fide, 36. b. 37.a. sectare iustitiam & pietatem, 44.b. custodiendum depositum 44.b.

1. Timoth. 1. Formam habeto sanorum verborum, 44.b.
2. Labora ut miles Christi, 44.b. militans non implicatur vitæ negotiis, 50.a. rectè secantem sermonem veritatis, 44. a. circa veritatem aberraverunt, 36.b. dicunt resurrectionem iam esse factam, 91.a. novit Dominus qui sint sui, 194.b. vasa aurea & argentea, 134.b. vasa ignominiæ, 93.b. si quis se expurgarit ab istis, 117.b. 129.b. iuveniles concupiscentias fuge, 44. b. captivi in laqueis Satanæ 36.b.
3. Captivas ducunt mulierculas, 36. b. reprobi circa fidem, 37.a. 44.b. affectatus es doctrinam & institutionem meam, 44.b. 139.b. piè vivere volentes persecutionem patientur, 14. b. persiste in his quæ didicisti 44.b. insta oportunè importunè, ibidem. vigila & ob dura in afflictionibus, 44.b. certamen bonum decertavi, 137.a. 139.a. reposita est mihi corona iustitiæ, 121.a. 139.a. Crescens in Galliam abiit 86.a.

Tit. 1. Secundum communem fidem, 139.b. liberos habere fideles 63.a. unius uxoris vir, 45.b 47.a. 50 a.b. 52.b. 55.bis. 58.a. 59.b. 61.b. 63.a. 70.b. 80.a. 83.a 83.b. 84.a. tenacem sanæ doctrinæ, 44.a. potens exhortari & redarguere, 44.a. 44.b. immundis & infidelibus nihil mundum 52.a. 63.a.
2. Vt modestas reddant adolescentulas, 35.a. adolescentulæ sint castæ, sobriæ, 7.b. uxores castæ, 45.a. præbens formam bonorum operum, 44.b. ut purificaret sibi populum, 129. b. pie vivamus in hoc seculo. 121.b.

Philem. 1. Fidem quam habes in Domino Iesu, & erga omnes sanctos, 183.b. spero quod per orationes vestras donabor vobis 187.b.

1. Pet. 1. Exploratio fidei vestræ preciosior auro, 135.a. per ignem probatur, 135.a. Prophetæ scrutati sunt 137.b. 139.a. immolatus vestri tempore, 121.b. sanguinem agni immaculati, 112.a. 122.a. qui animas vestras purificastis 3.b.
2. Libertas non sit velamen malitiæ 3.b.
3. Vt per uxorum conservationem lucri fiant, 15.b. considerantes castam conversationem, 7.b. quod est coram Deo preciosum, 8.a. sanctæ mulieres sperantes in Deo, 15.b. 17.a. 17.b. viri cohabitent mulieribus, 15.a. veluti infirmiori vasi, 9.a. tanquam coheredes gratiæ, 12.a. ne impediantur preces vestræ, 7.a. 9.a. 17.b.
4. Quod reliquum est in carne temporu, 121.b. qui loquitur, loquatur ut eloquia Dei, 102.a. per ignem exploramini, 135.a. abiens spiritibus prædicavit, 92.a. 112. b. apud Deum deponent animas suas 120.b.
5. Situ exemplaria gregis 44.b.
2. Pet. 1. Vt post obitum meum habeatis 191.a.
Scriptura non est privatæ interpretationis, 16. a. 19. b.
2. In diem iudicii puniendos servat, 4.a. Sodomam subversione condemnavit, 4. a si in diem delitiis fruantur, 38.a. oculos habentes plenos adulterã, 4.a. posteriora deteriora primis 37.b.
3. In quibus multa sunt difficilia intellectu 96.a. 37.b.

1. Iohan. 1. Sanguis Iesu Christi mundat nos à peccatis, 10.b. 117.b. 122.a. 129.b. 208.a. si dixerimus peccatum non habemus, 129.b. 130.a. si confiteamur, fidelis est & iustus ut remittat peccata 11.a. 16.b. 129.b.
2. Si peccaverimus Advocatum habemus Christum, 11.b. 16.b. 143.a. 182.a. 187.a. 194.b.

4. Probate Spiritus an ex Deo sint 125.b.
5. Si petieritis secundum voluntatem eius 24.b.

Hebr. 1. Novissime locutus est per filium, 191.b. facta purgatione peccatorum, 117.a. 103.b. sunt Spiritus administratorij 188.b.
2. Qui metu mortis conficiebamur, 109.b. fidelis & misericors Pontifex, 182.a. 182.b. 185.b. 208.a.
3. Moses fidelis fuit in domo Domini, 139.a. ingredi in requiem Dei 12.a. 121.b.
4. Non habemus Pontificem qui non possit compati, 182. b. accedamus ad thronum gratiæ, 143.a. 179.b. 181.a. 182.b. 185.b. ut gratiam inveniamus ad tempus opportunum 182.a.
6. Imitatores eorum, qui per fidem 139.a.
7. De intercessione Christi pro nobis, 182.a. Pontificem impollutum 129.b.
9. Christus ingreditur in sanctum sanctorum, 180.a. 182. a. Sanguis Christi purgat conscientias, 129.b. qui in cœlo apparet vultui Dei pro nobis. 182.a. 189.b. semel mori statutum est, postea iudicium 121.b.
11. Fide Abel obtulit, 137.b. 139.a. sine fide impossibile est placere Deo, 179.a. ne sine nobis consummaretur, 141.a.
12. Cum tantam copiam testium habeamus 139.b. ne claudicatio aberret à via, 36.b. sine sanctimonia Deum nemo videbit, 2.a. 71.b. ad Ecclesiam primogenitorum in cœlis 139.b.
13. Coniugium sit honorabile impollutum, 7.b. 8.a. bis. 9.a. 18.b. 34.a. 46.a. 49.b. 51.b. 56.b. 60.b. 61.b. 79.a. 80.b. imitemini fidem eorũ, 139.a.b. habemus altare Christũ, 189.b per ipsum offerimus sacrificium laudis 189.a.

Iacobi 1. Si cui deest, petat, 21.b. 24.b. qui hæsitat non putet se accepturum, 179.a. 189.a. primitiæ Deo 20.a.
5. Orate pro vobis invicem 187.b.

Iud. 1. Ignis æterni pœnam sustinebunt, 4.a. delusi in somnis carnem polluunt, 2.b. 4.a. altercatio Mi. hae-

lis & Diabolt super corpore Moysis 137.b. inter se convivantes 38.a.

Apoc. 2. Facio opera prima, 37.b. odisti facta Nicolaitarum 3.a. 4.a. 55.a.
4.b 7.12. Circumamicti stolis albis 139.a.
5. Odoramenta sunt orationes sanctorum, 189.a. Sanctorum in cœlo preces, 186. b. canunt canticum novum, 20, a. omnis creatura agno tribuit honorem, 129 a.
6. Sanctorum in cœlo quales preces, 189.b. quandiu non vindicas sanguinem nostrum, 209.b. donec compleantur conservi & fratres eorum 140.a.
7. In frontibus signati, 20. a. dealbarunt stolas in sanguine agni, 124. b. 122. a 130. a de tribu Iuda signati 137.b.
8. Vt daret de orationibus sanctorum 189.a.
12. Non dilexerunt animas suas usque ad mortem, 139.a.
13. Facit signa magna & seducit 191.b.
14. Qui virgines non sequuntur agnum quocunque ierit 6.a. 11.a. 12.b. 20.a 29.b. Beati mortui qui in Domino moriuntur, 102.b. 118. b 120. b. 137. b. 141.a. a modo requiescunt ab operibus, 120.b. 138.a. opera eorum sequuntur eos 121.b.
16. Vsquequo non vindicas sanguinem nostrum, 189. a.
17. Calix plenus immundicia libidinis, 62. b. Babylon mater fornicationum 1.b. 75.b.
19. Cecidi ante pedes eius, ut adorarem eum, 137.b. 139. b. 183. b 187. b. 189. b. 194. b. 200. a.
20. Sathan solutus, 75.b. iudicatum est secundum opera eorum 121.b.
21. Sponsam ornatam viro suo, 12.a. absterget omnem lachrymam, 120.b. nihil coinquinatum introibit in eam 86.a. 129.b.
22. Cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, 137. b. 139. b. 183. b. 187. b. 189. b 190. b. 200. a. qui aliquid his addiderit 180.a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM ET VERBORVM, IN HAC TERTIA PARTE EXAMINIS OBSERVANDORVM.

A.

Aaronis continentia 59.b.
Abdias Babylonicus 56.b.
Abrahamum invocare 157.a.
Absolutio lapsorum pœnitentium 97.b.98.a.
Absolutio monastica 10.a.
Adiaphora 31.a.
Adoratio quid sit in veteri Testamento 189.b.
Adoratio creaturarum 183.a.189.b.
Adrianus II. 68.a.
Adulterii pœna apud veteres Germanos 69.b.
Adulterium spirituale 40.a.
Adulterina coniugia 93.b.
AEgyptii Sacerdotes 54.a.
AEneas patrem suum invocat 193.a.
AEneas Sylvius de Sacerdotum coniugio 77.a.81.b.
AEsculapius 193.a.
Afra invocatio 156.b.
Agatham invocare ibidem.
Agnetam invocare 149.b.56.b.
Albertus Ostiensis 67.b.
Albertus Pighius 10.a.34.a.b.41.b.82.b.84.b.
Alcuinus 132.a.b.
Alemanus Passavienſis Episcopus 74.a.
Alenſis. vide Alexander.
Alexander ab Alexandro 54.a.
Alexander Alenſis 142.b.219.b.
Alexander III. 75.a.
Alphonſus Hiſpanus de coniugio 17.a.
Ambroſii invocatio 148.b.159.a.
Amiſſarum reſtitutio, à quo ſancto petita 145.a.
Anacleti Epiſtola 196.a.
Anaſtaſia 159.a.
Anaſtaſius ibid.
Andradius 42.a.43.b.53.b.136.b.
Andreas Cretenſis,219.b. Andreæ Apoſtoli actus,95.a. Invocatio,152.b.155.b.157.b.
Angelos adorare & invocare,137.b.139.b.144.a.147.b. 150.a.155.a.157.a.194.a.194.b.205.b.208.a.b.209. a. Doctores dicuntur Angeli, 181.a.an angeli cognoſcant omnes res hominum,188.b. certæ eorum procurationes,ibid.revelationes de purgatorio 114.b.
Angliæ lex cœlibatus obtruſa,66.b.67.a.b. fructus eius in eo regno 76.b.bis.77.a.
Animæ caſtitas ſeu puritas,3.b Animarum balnea purgatorio nituntur, 65. b. Animarum ſtatus ſecundum Papiſtas,triplex poſt mortem,86.a. Animarum particula purgatoria, 86. a. Animæ infantum non baptizatorum, & patrum, & impiorum,vbi ſint, 87.a.87.b. Animarum macula poſt mortem, 87.b. Animæ an poſt mortem ſtatim ſint in requie, vel pœnas ſuſtineant, 99.a. duo loca mortuorum,100.b. 101.a.Sanctorum animas eſſe in requie,101.a.Animas mortuorum non intereſſe rebus viventium, 110.a.b. feſtum omnium animarum, 114.b. de animarum è purgatorio liberatione, 115.a. 116.a.de ſuffragiis vivorum,an animas in purgatorio aliquid iuvent, 116. a. b. Quadruplex eſt ſtatus animarum, 116.a.ſolus Deus poteſtatem habet animarum, 118.b. Animabus mortuorum duo loca rectè attribui, 120.a.126.a. Animas non torqueri purgatorio igni, antequam ad requiem perveniant,120.a. an animæ appareant ad docendum nos, 125.b.126.a. Animas à corpore ſeparatas non interire, 140.a. non dormire eas,eſſe ſine ſenſu & intellectu,140.a. Heroum animas facere mediatores, 193.a. Martyrum animas non adeſſe ſuis tumulis,nec extare in terris, 209.a.209.b.
Annam invocare 149.b.
Anniverſaria 100.a.109.a.120.a.b.
Anniverſaria purgatorio nituntur 86.b.
Anſerum patronus 144.b.
Anshelmus Capellanus Mariæ, 150.b. propugnator cœlibatus 67.b.
Antidotarium 150.a.
Antipodum doctrina damnata 70.a.
Antiquitatem doctrinæ obtendere 53.b.56.b.
Antoninus 143.a.
Apocryphæ fabulæ 39.b.56.a.
Apocryphi libri nil demonſtrant in rebus fidei 191.a.
Apollinaris 159.a.
Apolloniam invocare 149.b.
Apologia non prohibet orationem pro mortuis, 90. b. 102. b.
Apoſtolos invocare 147.b.149.a.151.a.b.
Apoſtrophæ rhetoricæ 200.a.208.a.210.a.
Aqua luſtralis purgatorio nititur 85.b.
Aquam benedictam tollere peccata venialia 132.b.
Arcæ teſtimonii occultatio 90.a.
Argentoratenſis Epiſcopus 69.a.72.b.
Auguſtæ patronus 144.b.
Auguſtanus Monachus 69.a.
Auguſtini invocatio 148.b.160.b.
Auguſto ſacrificia facta Hieroſolymis 89.a.
Avium ſpecie animas apparuiſſe 114.a.
Auxentius Mediolanenſis 72.a.
Auxiliatores quatuordecim,148.b. quindecim, 155.b.

B.

Balæus 67.b.58.b.71.b.
Balneum quadrante redimere 130.b.
Baptiſmum non niſi extra coniugium viventibus Marcion permiſit, 5.a. Baptiſmo monaſticen æquare,10. a. 10. b. Baptiſmi votum & pactum,31.b. Baptiſmi fidem violare,37.a. non niſi tempore Paſchatis & Pentecoſtes eũ adminiſtrari voluit Gregorius tertius 69. b. Baptiſmum impedire nuptias Sacerdotum. 82.b.
Baptiſmo accepto lapſis an danda pœnitentia, 97.b. Baptizatus liberationem ab æterno ſupplicio poſſideri 95.a.
Barbaræ patronatus 145.a.149.b.160.a.
Bartholomæi invocatio 147.b.153.a.
Beatitudo non ſemper de ſalute æternâ dicitur, 13.b. 19.a.
Benedictini Monachi 67.a.
Benedictio an ſit ab Angelis 144.a.
Benedictus 76.b.
Bernhardi invocatio, 194.a.155.b. oratio ad Mariam ei data 152.a.
Bernhardinus 10.a.11.b.86.b.115.a.119. b.143.b.
Bernuvardus 148.b.
Blaſium invocare 147.b.
Boëmiæ lex cœlibatus obtruſa 61.b.75.a.
Bonæ Eccleſiaſtica dilapidare 38.a.
Bonaventura 142.a.161.a.220.a.
Bonifacius docuit in Germania iam converſa.68.b.110. b. Bonifacius ante Vinofridus dictus 69.a. reformatio eius in Germania, & præcipuè, quo ad coniugium Sacerdotum 69.b.
Boruſſorum patronus 144.b.
Bonum non ſemper opponitur malo 14.b.19.a.
Bonum patronus 144.b.
Brigittam invocare 149.b.
Britanniæ lex cœlibatus obtruſa 67.a.
Brittualdus Epiſcopus Londenſis 67.a.
Brixina Bavariæ 74.b.
Bruno Auguſtanus Epiſcopus ob cœlibatus defenſionem occiſus 72.b.
Brunſuigæ patronus 144.b.
Bruſchius 27.b.
Bulgariæ lex cœlibatus obtruſa 62.a.
Bunderus 47.b.

C.

Cainini contempſerunt Sanctos 136.b.
Caietanus 81.a.b.
Cainum invocare 194.b.
Calculi cura 144.b.149.a.
Calixtus 74.b 50.b.
Camerarius 206.b.
Campegius 34.a.
Caniſius 177.a.
Canonici regulares 67.a.
Cantuaria 66.a.
Captivorum cura 144.b.
Carpocratis ſchola libidines fovit 3.b.
Carnibus abſtinere 54.a.
Carthaginenſe Concilium 50.a.
Caſtitatis donum,rectè id petentibus non denegari, 1.a. caſtitas eſt neceſſaria virtus credentibus, 1. b. qui ea caret DEO non placet, ibidem. Doctrina caſtitatis rectè & diligenter tradenda, 2.a.b. non opponenda coniugio, 1.b.2.a.b.4.a.b. an votum caſtitatis frangatur libidinibus, 2.a. caſtitatem vovere in quantum humana fragilitas permittit, 2. a. 32. b. caſtitas Deo placens in quibus conſiſtat,2. a. non eſt ei periculum à coniugio,ſed ab illicitis libidinibus. 2. a. b. 4. a. quomodo de ea doceat Scriptura, 2. b. 4. b. non anima ſola caſta ſervanda, ſed etiam corpus.3.a.b. caſtitas non eſt in ſolo cœlibatu.2.b. caſtitas eſt etiam in vita coniugali 2.a. 4. b. 6. b. 7. b. eos qui à libidinibus abhorruerunt, in ſuperſtitioſa caſtitatis ſtudium pertraxit Sathan, 5. a. caſtitatis prætextu coniugium fugillare. 5. a. b.
Caſtitas duplex eſt, alia cœlibatus, alia coniugii. 45. a. caſtitatis ſervatæ meritum 10.a.12.a.
Caſtrare ſeipſum, aut per alios caſtrari,14.a.21.b.50.a. 54.a.88.a.
Catharinam invocare 156.a.155.b.157.b.160.a,
Catechiſmus Romanus 144.a.
Catholicum quid ſit 202.a.
Celtarum conſtantia 208.b.
Cerei in cœmiteriis 112.a.
Chalcedonenſe Concilium 42.a.b.
Cheramon 54.a.
Chriſtianam invocare 149.b.
Chriſtophorus, 140. a. Chriſtophori invocatio. 148.a. 153. b.
Chriſtum ſequi, aut poſt eum retrò abire,36. b. contra Chriſtum luxuriantes. 36.b.qui ſint deſponſati Chriſto.6.a.12.a.20.b.31 b.36.a.41.a.intereſſe nuptiis in Cana,56.b habere Chriſtum pro diſtractore nuptiarum, 56. b Chriſti ſolius ſatisfactione pro peccatis liberamur, 122.a. Chriſtum & pro culpa, & pro pœnis peccatorum noſtrorum ſatisfeciſſe,122.b.136.a. Thomas non vult, ut dicamus in precibus, Chriſte ora pro nobis. 142. b. 182. b. Chriſtiani & Iudicis conciliatricem Mariam facere, 143. a. 143. b. Chriſto ſocios attribuere in officio ſuo ſanctos, 182.a.ad ſolius Chriſti officium interceſſio apud Deum pertinet, 182. a. Chriſtus mediator eſt, & redemptionis & interceſſionis, 182. b. 188. a. Chriſtum propter maieſtatem in quam evectus eſt, nolle ſine interceſſoribus invocari, 185. b. Chriſtus invocandus 200.a.206.a
Chymica ſublimatio Papiſtarum 122.a.
Chytræus 206.b.
Ciborum delectus, qualis doctrina ſit 1.a.
Cicuta hauſta caſtrari 54.a.
Civitatum peculiares ſancti 144.b.
Clavium virtute pœnas æternas mutari in temporarias 86.a.
Claudius presbyter Caroli Magni 219.b.
Clemens III 75.b.
Clichtoveus 144.a.
Clodoveus Rex Francorum 68.b.
Cochlæus 191.a.
Cœleſtium remunerationum gradus 13.a.16.a.
Cœlibatui an præferendum coniugium, 1.a. doctrina Papiſtarum de cœlibatu impia eſt.1.a.b. leges eius relaxandæ,1.b. de cœlibatu Sacerdotum querela,ibidem. collatio inter cœlibatum & virginitatem, ibidem. Cœlibatus lex & vota ibidem.
Cœlibis vita caſtitas, 2. a. an in ſolo cœlibatu ponenda caſtitas,4. b. fundamentum cœlibatus Papiſtici,4.b. neceſſitatis eius perſuaſio,4.b.21.a. cœlibatum nomine perfectionis commendari. 5. b. 7.b. 11.b.59.a. fundamentum eius,7.b. cœlibatus ſeu ſtatus vitæ cœlibis per ſe non damnatur, 9. b. quatenus reprehendatur.ibidem. an ei coniugium ſit æquandum, aut anteponendum, 1.a.9.b.10.b.11.b.13. a. meritum cœlibatus, 9. b. 10. b. 11.b. 13.b.16.a.19.b. 20.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

20.b.33.a.39.a facere illum opus supererogationis, 11.b. cœlibes dici spirituales, 12.a. cœlibatus refertur ad aliud, & suos habent fines, 13.b. finis eius superstitiosus non tantum inutilem illum, sed damnabilem quoque facit, 14. a. cœlibatum sectari studio fugiendi molestias coniugij, 6. a.b.13.a.14.a.11.b.15.a. cœlibum victoria de molestijs non tanta est, quanta coniugum, 15. a. Argumenta Papistarum quo cœlibatum suum contra coniugium extollunt, 16.b.17. a. Paulus non præcipit cœlibatum, sed consulit, 17.b. soli cœlibatui sanctitatem corporis tribuere, 18. a. quatenus sit beatior coniugio, 18. a. 19. a. de personis ad cœlibatum idoneis, 21. a. 22. a. cœlibatus an sit omnibus à Deo petendus, 22. a. 22.b. non præceptum est, ut nos ad cœlibatum idoneos faciamus, 22. a. præsumptio cœlibatus, 23. a. de castrantibus se propter regnum cœlorum, 6. a. 9. b. 10. a. 14. a. 16. a. 19. b. 21. a. 23. b. qui habeant illud donum, aut non habeant, 23. a. cœlibatus purus in quo consistat, 19. b. 21. b. 23. b. figmenta Monachorum de miraculosis castrationibus aliquorum ad cœlibatum, 24. a. tam in coniugio, quàm in cœlibatu possumus adhærere Deo, 24. a. an vovendus sit cœlibatus & ex voto inviolabili retinendus, 26. b. 29. a. neque illi qui donum castitatis habent necessario imponendus est cœlibatus, 27. b. regulæ in cœlibatu suscipiendo observandæ, 27. a. 28. a. b. Deus cœlibatum nemini vult esse laqueum, 28. b. 29. a. Argumenta Pontificiorum pro stabiliendo suo cœlibatu, 29. b. 34. b. cœlibatum vovere quatenus humana fragilitas permittit, 1. a. 32. b. 34. b. examen voti cœlibatus secundum circumstantias peccatorum comitantium illud, 33. a. b. cœlibatum iunioribus non imponendum, 28. a. b. 38. b. 39. a. votum perpetui cœlibatus ignotum fuit veteris Testamenti hominibus, 39. b. probatur tamen Patribus, 41. a. de authoritate & argumentis Patrum pro voto cœlibatus, 41. a. b. cœlibatu deserto coniuges factos occidunt Pontificij, 42. b. de Sacerdotum cœlibatu, vide Sacerdos. Canones Apostolorum de cœlibatu, 57. a. contra possibilitatem cœlibatus, 59. b. detrimentum Ecclesiæ ex lege cœlibatus, 60. a. 64. b. causam legis de cœlibatu esse opes Ecclesiasticas 64. b.

Cœmiteriorum dedicationes purgatorio nituntur, 80. b.

Cœnæ Dominicæ profanatio, 74. a. participibus cœnæ Dominicæ liberationem ab æterno supplicio polliceri, 95. a.

Coloniæ patronus 144. b.

Colonienses 41. b. 75. b. 136. b. 143. b. 205. a.

Communionem inter Christianos ad libidinem detorquere 3. b.

Compellare sanctos 144. b.

Compendium Theologiæ 86. b.

Concessiones in Religione ob commoda externa 117. b.

Concilia & Synodi: Agathense, 64. a. Ancyranum, 42. a. 60. b. 61. a. 97. b. Antisiodorense, 64. a. Arausicanum, ibidem. Arelatense, 60. a. 62. b. 64. a. Arimínense, 83. b. Avernense, 64. a. Aurelianense, 64. a. Basilíense, 93. a. 157. a. Carthaginense, 50. a. 64. a. 217. a. Chalcedonense, 42. a. b. Elibertinum, 44. b. 49. a. 60. a. 62. b. 63. b. Erphordiense Synodus, 73. a. Gangrense Concil. 9. b. 11. a. 50. a. 61. a. b. Gerundense, 64. b. Hispalíense, 64. b. Lateranense, 76. a. Laodicenum, 85. b. 206. a. 209. a. Matisconense, 64. Moguntinum, 72. a. 73. b. 82. a. Neocæsarience, 5. b. 83. a. Nicænum, 7. b. 52. a. 53. a. 59. a. 60. a. b. 61. a. 62. b. 64. a. 97. b. Synodus Petricoviensis, 144. a. Synodus quinta. 93. a. Synodus sexta, 41. a. 57. b. 63. b. 65. a. Concil. Romanorum, 72. b. Toleta. Concil. 64. b. 84. b. Trullense, 65. a. Turonense, 64 a. Concil. Vuormatiense, 70. a. 73. b. de Conciliorum authoritate, 42. a. 53. b. Conciliorum Tomi seu rhapsodiæ, 70. a. b. 61. b.

Conciones habitæ ad monumenta Martyrum, 195. a.

Concordia cum aduersarijs facere concessione in doctrina facta 117. a.

Concubinæ quæ olim dictæ 84. b.

Concupiscentia in vita coniugali non est res bona & sancta 8. b.

Conditionalis nihil probat, nisi posita conditione, 186. a.

Confessores invocare, 149. a. 150. a. 154. a. 155. b. 158. a.

Coniugium Sacerdotum, 1. a. an omnibus permissum coniugium, ibidem. an præferendum virginitati & cœlibatui, ibidem. non opponendum castitati, 2. a. b. 4. a. b. coniugalis consuetudo castitas est, 2. a. 4. b. 7. b. statum coniugalem, ut carnalem & immundum traducere, 4. b. 5. a. b. 6. b. 18. b. Papistæ in coniugio non permittunt castitatem, 4. b. quare Papatus de coniugio blasphemè & impiè sentiat & loquatur, 4. b. 5. a. coniugio iniquiores fuerunt Philosophi & Poetæ, 5. a. coniuges non admisit ad Baptismum Marcion, 5. a. coniugio utentes opus Sathanæ perficere dixit Secundus, ibidem. quidam illud dixerunt sub honesta specie velamen esse turpitudinis, 5. b. coniugium in lege concessum, imperfectionis Evangelicæ nomine improbari, 5. b. quibus argumentis coniugium fuerit impugnatum, 6. a. coniugium ob amaritudinem seu crucem fugere, 6. a. b. 13. a. 14. a. 14. b. 15. a. Christus etiamsi non vixerit in coniugio, tamen illud approbauit, 6. a. coniugium, vel ob solam ustionem vitandam est suscipiendum, 6. b. argumenta defendentium coniugium, ibidem. coniugij castitas & puritas asserenda, 7. b. à Paphnutio contra Synodum Nicenam defensum, 7. b. 50. a. 59. a. Sacerdotibus non iustis de causis est interdictum, 8. a. veterum quorundam dura aliquot sententia contra coniugium, 8. a. b. an in coniugali consuetudine adesse possit spiritus sanctus, 8. a. 17. a. an impediat orationem, 6. a. 7. a. 8. a. 16. b. an impediat perceptionem Sacramenti, 8. b. Coniugij castitas alia fuisset extra lapsum, quam nunc est, 8. a. Concupiscentia & libido in cohabitatione coniugali non est res bona, 8. b. Coniugium tanquam umbraculum tegit multas ineptias maritales, 8. b. de coniugij bonis ex Augustino, 8. b. 19. b. coniugium indissolubile, 8. b. Scholastici de coniugij peccatis, 8. b. De finibus coniugij, 8. b. 18. a. Sine certo verbo non sunt coniugum conscientiis laquei iniciendi, 9. a. coniugium non est sub periculo salutis omnibus necessarium, 9. a. 18. b. 21. a. coniugij commendatione non damnatur status vitæ cœlibi per se 9. a.

Coniugij

Coniugij præcepto aliqui eximuntur, 9. b. an sit cœlibatui æquandum aut anteponendum, 9. b. 11. a. 11. b. 12. b. 13. a. coniugium neminem iustificat coram Deo, 10. b. 11. a. vocare illud statum imperfectionis, 5. b. 11. a. 38. a. statum secularem & carnalem 12. a.

Coniugij variæ difficultates, 14. b. 15. a. 15. b. coniugum victoria super molestias illustrior est quàm cœlibum, 15. a. coniugium schola est multarum virtutum, 15. a. coniugium impar, morosum, difficile, 15. a. b. In coniugio non curari posse quæ sunt Dei, 15. b. Quibus argumentis Papistæ coniugio cœlibatum suum præferant, 16. b. 17. a. b. commixtio coniugalis, quando culpam habeat, aut non habeat, 18. a. De coniugio nequit omnibus dari certum testimonium ex æquo, 18. b. Coniugibus sanctitatem Spiritus non autem carnis tribuere, 19. a. inhabiles ad coniugium, abstineant ab eo, 21. a.

Coniugium præceptum illis est qui continentiæ donum non habent, 22. a. Coniugium & coniugalis vita est vocatio Dei, 13. b. 16. b. 22. a. 24. b. an votum cœlibatus à coniugio eum, qui donum continentiæ nõ habet retrahat, 26. b. etiam hu qui donum continentiæ habent permittitur coniugium, 27. a. coniugium abiurare, 32. a. 33. a. 34. a. vovere illud, 32. a. b. peccatum in coniugio post votum contracto, 33. b. 35. a. votario Papistæ centum scorta, quam vnicam uxorem in coniugio concedere malunt, 34. a. 71. a. Coniugij spiritualis fœdus, 37. b. continentiæ donum habentes, aut non habentes an abstinere à coniugio possint, 40. a. coniugia adulterina, 40. b. Qui post votum contrahunt matrimonium, hos pontifici occidunt, 42. b. de coniugio Sacerdotum, vide Sacerdotes. Apostolos plerosq; fuisse coniuges, 55. a. Coniugio promiscuam venerem præferre, 55. a. coniugia per seductores sub Christi nomine dissoluta, 56. a. b. Coniugij Sacerdotum blasphemæ insectationes, 63. a. Germani alieni à libidinibus vagis & coniugij amantes. 69. b. Castimoniam esse etiam in coniugali coniunctione, 71. b. Thomæ matrimonium occultum Sacerdoti, non contimenti permittit, 76. a. Non coniugio sed nuptiis interdicere sacerdotib. 80. b.

Conscientiarum laqueos ex consequētiis humanis texere, 9. a. ex solidis scripturis conscientiæ sunt erudiendæ 9. a.

Consilia Evangelica 11. a.

Consiliorum moderatio pro donorum diversitate 19. b.

Consilium dare aliud est, quàm iudicium suum explicare, 76. b. Consilia quomodo fiant salutaria 28. b.

Constantiensis Episcopus 72. a.

Constantinopolis quando & quali pœna Mahometo cesserit 117. b.

Constantinus dirimi voluit controversias è scripturis 44. a.

Consuetudines sine verbo. 127. a. consuetudinem sequi præ verbo Dei 61. a. 191. b.

Continentiæ donum castitas est, 2. a. continentia naturalis aut studio acquisita, 21. b. quid sit 21. b. an quivis serio quærens accipiat eam certo, 21 a. non omnibus hoc donum est necessarium, 24. b. qui id non habent matrimonium contrahant, 23. b. continentiæ præsumptione tentatur Deus, & datur locus tentationibus Satanæ, 22. b. 34. b. an quis continentiæ dono præditus sit aut non sit, quomodo iudicandum 23. b. Quomodo ea aut excitetur, aut negligatur, 23. b. 26. a. Non pertinaciter affectandum illis qui vruntur, 24. a. est donum non omnibus commune sed peculiare, 22. b. 23. b. 24. b. 25. a. 26. b. 34. b. Incontinentiæ reprimendæ ratio, 23. b. 26. a. Qui donum continentiæ non habet, ei cœlibatus, nec præcipitur, nec consulitur, sed propositum est ei matrimonium, 26. b. etiam illis, qui donum continentiæ habent, coniugium permittitur, 26. b. facilitatem continentiæ non rectè doceri, 33. a. Continentiæ donum habentes renunciare posse iuri coniugij quod habentes non habent potestatem abstinendi à coniugio, 40. b. Sub specie continentiæ libidines regi, 71. b. Continentia criminosa peior est adulterio, 76. a. continentiæ votum quales fructus tulerit, 77. a. continentia non est de substantia ordinis clericorum 77. a.

Contractorum cura 144. b.

Controversiæ ex scripturis determinandæ, 43. b. 44. a.

Controversiarum status involui & transponi, 1. b. 9. b. 136. b. unde diiudicandæ controversiæ, 69. a.

Corbeiensis cœnobij Litania 219. b.

Corpus etiam purum & castum servandum, 3. a. b.

Cosmæ 144. b. 148. a. 159. b.

Cranium loquens 112. a.

Credere alicui, & in aliquem 183. a.

Crescens Moguntiæ docuit 68. a.

Cromerus 65. b.

Cultus electitij improbantur, 14. a. cultus non est, qui sine verbo Dei sit, 31. b. 34. b. Cultus duliæ & latriæ, 190. a. cultus ex bona intentione institutus, 134. a. probatio eorundem in qua non consistunt, 135. a. non placent Deo, 138. a. 139. b.

Curiensis Episcopus & Episcopæ 68. b.

Cusanus 81. b.

D.

Dæmones facere mediatores 103. a. 201. b.

Dæmoniacorum cura 144. a.

Damasceni Invocationes 207. a.

Damianus 144. b. 148. a. 159. a.

Damnatorum supplicia cessatura an sint, 89. a. 93. a. 94. a. 95. a. 132. a.

Daniæ lex cœlibatus obtrusa 66. b.

Dantes Florentinus 76. b.

De Conciliorum authoritate 42. a. 53. b.

Decalogi transgressio per vota monastica, 34. a.

Deliberatio certum propositum præcedat, 27. b. caput deliberationum sit invocatio DEI, 28. a.

Dentium cura 144. b.

Deum unum summum cõstituerunt gentes, eiq; alia numina subiecerunt, 192. b. Ethnicorum inter Deum, & homines mediatores, 185. a. 193. a.

Diabolus est impurus spiritus & ad impuritatem vitæ incitat, 2. a. b. 3. a. 4. a. abhorrentes à libidinibus, castitatis superstitiosæ studio fascinat 5. a.

Diaboli damnationem & cruciatus aliquando finiendos dicere 92. b. 93. a. 95. a. b. 132. b.

Dianæ Sacerdotes 54. a.

Dies hominis pro Iudicio rationis de rebus sacris 134. b.

Dietenberfius 144. a.

Digami in Sacerdotum ordinem non cooptati, 69. b. digamos tanquã indignos ministerio excludere, quan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tumcunque donis excellant, 82. b. digamiæ prohibitio à gentibus desumpta, 82. b. Sacerdoti nec adesse secundis nuptiis, neque benedicere illis licuit, 83. a.
tertiæ nuptiæ ibid.
Dionysius Corinthiorum Episcopus 58. a.
Dionysii invocatio 153. a.
Disputationes facilè exeunt in asseverationes 197. b.
Divitiarum patronus & dator 145. a.
Doctrina Ecclesiæ non ex hominum figmentis, sed ex scriptura fundamentis eruenda & demonstranda est, 118. a. b. doctrinæ corruptelæ cùm invaluissent, quomodo à patribus reprehensæ fuerint 202. b.
Dogmata non constitui possunt ex allegoriis, aut locis obscuris, vel dubiis 127. b. 129. a. 131. a. 173. a
Dogma publicum ab opinione privata discernendum, 197. b. 198. a. 206. b.
Dominicani de suorum è purgatorio liberatione 117. b.
Donaria in templis Martyrum suspensa 205. b.
Dona habentes non præsumant, neque alios iudicent, 71. a. Dona à Christo per Mariam in nos venire, 143. b. dona non sancti distribuunt, sed Deus, ideoq; ab eo solo sunt petenda, 181. donorum rectè collatorum præmia, 13. a. Donum dono præstat, 13. b. 19. b. alia generalia sunt dona, alia privata, 21. b. 25. a. 33. b. 139. a. an Deus simpliciter omne donum, det omni petenti, 21. b. 22. a. 24. b. dona excusitanda & colenda 24. b.
Donec, sæpe non terminum sed continuationem & perpetuitatem significat 131. a.
Dorotheam invocare 151. a.
Drusiana maritum deserens 56. b.
Dunstanus 67. a.
Durandus 112. a.
Durandus de Sacerdotum coniugio 76. b.

E.

Eccius 30. b.
Ecclesia puritas quam diu duraverit post Christi ascensionem 47. b. 53. b. 197. a.
Ecclesiam nunc magis corroboratam dicere, quam fuerit à temporibus apostolorum 47. b. 58. a
Ecebolii 97. a.
Edgari regis gladius 67. a.
Eisingrinus 128. a. 177. a.
Electi inter Manichæos 5. b. 48. a. 58. a. 63. b.
Eleemosynæ ad sepulturas datæ 108. b.
Elibertanus canon 42. b. 49. a.
Elizabetham invocare 155. b.
Elpenor 88. a.
Eloquentiæ studium in Doctoribus Ecclesiæ, quid posit, 200. a.
Emporia celebria magnam fovent vitæ licentiam, 3. a.
Encratitæ 5. b.
Enochi continentia 59. a.
Ephrem 203. b.
Epilepticorum cura 144. b.
Epiphanius Constantinopolitanus Episcopus sacerdotis filius 65. a.
Episcopi se implicant negotiis secularibus 50. b.
Episcopi uxorati, 58. b. honorificum fuit filium Episcopi esse ibid.
Equitum patronus 144. b.
Equorum patronus 144. b.
Erasmum invocare 148. a. 153. b.
Erasmus de coniugio Sacerdotum, 77. b. de invocatione Dei, non Sanctorum 180. b.
Erphurdiæ quid actum de cœlibatu 73. b.
Errores qui invaluerunt, quomodo reprehensi à patribus 202. b.
Essenorum cœlibatus 44. b. 56. b.
Ethnici conversi salvantur 19. b.
Ethnici an per Philosophiam salvati 93. a.
Evagrii invocationes 207. a.
Evangelistas invocare 150. a.
Evangelium secundum AEgyptios 6. a. 56. b.
Evangelium an ad perfectionem requirat improbationem coniugii, 5. b. præcepta Evangelica, 5. b. Lux Evangelii hodie accensa.
Eucharistia ad sepulturas habita, 100. a. b. 103. b. 106. b. 107. a. 195. a. b. 204. b. mortuis eam impertiri, 111. a. 122. b. Barbarum fuisse ne quis sine Sacramento decederet 145. a.
Eunomiani contemptui habuerunt Sanctos 156. b.
Eunuchorum consolatio 19. b. 20. a.
Eustachius Episcopus 61. a. 76. a.
Exempla aliorum quatenus imitanda 89. a.
Exequiæ purgatorio nituntur, 85. b. 88. b. 99. b. 101. a.
exequiæ defunctorum in scriptura 119. a. 198. a.
Extases viventium 114. a.

F.

Fabrorum patronus 144. b.
Falconilla 112. a. 112. b.
Fallacia figuræ dictionis 40. b.
Falsi crimen in describendo 70. a.
Febris cura 144. b. 149. a.
Feliciani festum 159. a.
Festorum doctrina papistica 1. a.
Festum omnium animarum, 114. b. commemorationis defunctorum 115. a.
Festa martyrum 205. b. 213. a.
Fides quomodo abiiciatur & excutiatur, 36. b. fidem primam abnegare. 37. a. fides non significat votum papisticum, 37. b. fidei articuli ex sola scriptura sumuntur, 118. a. b. fide applicatio fit meriti Christi, 122 a. fidei norma est scriptura, 138. a. fides implicita, 178. a. fides non nisi ex verbo Dei concipitur, 179. a. fides dirigenda in Deum, & non in creaturas, 183. a. patres omni suo sensu & consensu non possunt novos articulos fidei condere 191. b.
Fiducia non nitens verbo Dei vana & peccatum est. 179. a.
Fiducia in sanctos 181. a.
Figulorum patronus 144. b.
Figura orationis in formâ invocationis conversa, 200. a.
Fines rei in Theologia constituendi ex scriptura 14. a.
Fœcunditas est bonum coniugii 9. a.
Franciscani de suorum è purgatorio liberatione 119. a.
Franciscus Canonista 77. b.
Franciscus Petrarcha ibid.
Franciscí in nomine 149. a.
Franciscum invocare 106. a.
Fraternitates purgatorio nituntur 85. b. 122. b.
Fulbertus 214. b.
Fuldenses Monachi vxorati 72. a.

Fundamenti in religione abiectio 37. a.
Fundatorũ peccata expiare velle votis Monasticis 11. b.
Funera curare est sacer ordo, 18. a funerum curatio, Iudicus & planctus, 88. a. b. 100. a. 101. a. b. 102. a. 109. a.

G.

Gabrielis Archangeli articuli pro cœlibatu, 67. a.
Gabriel Biel 142. b.
Galliæ lex cœlibatus obtrusa 64. a.
Gallorum patronus 144. b.
Gallum invocare 156. b.
Garetius 214. b. 219. b.
Galesius 56. a.
Generationis opus damnavit Mariam, 5. a. an pugnet cum charitate proximi, 6. a. an præbeat materiam regno mortis, 6. a. 7. a. lepra libidinu nunc est infectum 8. b.
Geniculatio quid significet 129. a.
Gentianus 65. b.
Gentiles conversi salvantur 20. b.
Georgius 140. a.
Georgium invocare 147. b.
Georgius Anhaltinus 75. a. b. 77. b.
Georgius Cassander de invocatione 180. a.
Georgij Ducis Saxoniæ invocatio in agone, 180. b.
Gereonem invocare 155. a.
Germaniæ lex cœlibatus obtrusa 65. b. 68. a. b.
Germaniæ patronus 144. b.
Germanorum constantia in religione 208. b.
Gerson de Concilij authoritate 42. a.
Gertrudem invocare 150. a.
Getarum sermo. 68. b.
Glacies loquens 114. a.
Gladio nodum dissecare 67. a.
Gnostj 58. a.
Gnostici libidinum patroni 3. b.
Godehardi invocatio 148. b.
Græcorum Sacerdotum coniugia, 65. b. 70. a. 82. a.
Græcorum Schisma, 75. a. 82. a. in quibus à recta à latinis dissentiant 117. a.
Græcorum supplicationes, quo ad invocationem Sanctorum 207. a. b.
Grandinem quis avertat 144. b.
Gratia non sanctorum sed Dei imploranda, 182. a. 183. a.
Gratianus 49. a. 62. a. 65. a.
Gratianus de peccatis coniugij 9. a.
Gratitudinem Deo per votum promittere, 29. b. 30. b. 31. a. b.
Gregorium invocare 159. a.
Gregorius II. 96. a. b.
Gregorius III. 69. b. 82. a.
Gregorius VII. 72. a.
Gregorius IX. 75. a.

H.

Hæreticorum Patriarchæ sunt Philosophi, 87. b.
Hagiographa canonicis scriptis subiecta, 88. b.
Hedio 68. b. 70. b.
Hellebrandus dictus Gregorius VII. 71. b. primum hortatus est alios ad legem cœlibatus, postea decreto ad eum suscipiendum coëgit, 72. a. b. 73. a. b. depositus pontificatu, 73. b. pro Antichristo proclamatus, 74. a. ante illum Germania tenuit coniugium Sacerdotum 82. a.
Helvetiorum patronus 144. b.
Hermæ scripta apocrypha 91. b.
Heroas demortuos facere mediatores, 195. a. b. 201. b.
Hervetus 65. b.
Hierophanta 54. a. b.
Hieronymus Gebuilerus 68. b.
Hieronymi invocatio 148. b. 159. b.
Hildebertus Turonensis 219. b.
Hildebrandus 76. b. vide Hellebrandus.
Hirsfeldensis 73. a.
Hispaniæ lex cœlibatus obtrusa 64. a. b.
Hispanorum patronus 144. b.
Hofmeisterus de Invocatione 180. a.
Hominum doctrinæ & prohibitiones 80. b.
Honor Deo aut hominibus debitus 190. a.
Huldericus. vide Vlricus, &c.
Humilitas in oratione 186. b.
Hyberniæ lex cœlibatus obtrusa 68. a. 70. a.
Hymni de Sanctis 156. a.

I.

Iacobi protevangelium 39. b. 56. b.
Iacobi invocatio, 147. b. 152. b. 153. a. Missa Iacobi, 196. a.
Ieiuniorum doctrina papistica 1. a.
Ieiunium quatenus probandum 136. b.
Ieiunia solennia 16. b.
Iesuitarum impudentia in asserendo papatu, 1. a.
Ignis alius purgatorius alius punitorius, 119. b. unus æternus in pœnam, alter quo conflagrabit mundus 133. b.
Ignis incendia quis prohibeat 144. b.
Ignis sacri cura 144. b.
Imaginum doctrina idolomanica 1. a.
Impudicitiam Deus aversatur & odit 2. a.
Inconstantia 38. a.
Indulgentiarum doctrina blasphema 1. a.
Indulgentiæ purgatorio nituntur 85. b.
Infantes non baptizati quo perveniant, 86. b. 127. a.
Infernus ubi sit, & quæ circa eum 86. b.
Inferno nemo liberatur 110. a. 112. b. 116. b.
Ingolstadienses 86. b. 88. a. 91. b. 125. b. 128. b.
Innocentius, 42. b. 50. a. 51. b. 57. a. b. 63. a. 64. a. 75. a. 81. b.
Innocentium invocatio 154. a.
Intentione bona facere votum 30. a.
Intercessio pro aliis ad solius Christi officium pertinet, 182. a. mutuæ pronobis intercessiones 182. a. 187. b. 188. a. 204. a. 208. b.
Intercessores Iudæorum 193. b.
Invocatio carens verbo Dei quali sit habenda, 178. a. b. quæ invocatio Deo sit accepta, scriptura tradit, 179. a. sola Ecclesia veram invocationem habet, 179. b. Ethnicorum invocationes, ibidem. modus veræ invocationis in verbo revelatio solicitè retinendus, ibidem. ratio veræ invocationis rationi humanæ est per se ignota, 179. a. creaturarum invocatio est idololatria, 184. b. 189. b. humiliatio nostra in invocatione est necessaria, 185. a. orandum pro aliis, 182. a. 187. b. Invocatio Christi aut creaturarum 200. a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Invocantium indignitas Sanctorum intercessiones quasivit 203.b.207.b.
Iohannem invocare 151.b.156.a.
Iohannis Baptistæ invocatio 154.b.156.b.
Iohannes fabulam de Tecla refutavit, 55.b. *de virginitate eius*, 56.a.b. *an fuerit Sponsus ille in Cana* 56.b.
Iohannes Cardinalis coniugij damnator, cum scorto inventus est 67.b.
Iohannes Faber 44.b.
Iohannes Magnus 82.a.
Iohannes de Vesaliæ 77.b.
Iohannes XIII. 67.a.
Ionas Aurelianensis 219.b.
Iosephus de Essenis 44.a.
Iosephum invocare 149.a.
Iosua cur ingressus terram promissam 12.a.
Iovinianæ hæresis 9.b.13.b.61.b.
Iphigeniæ votum 56.b.
Isaaci continentia 59.a.
Isidorus 81.b.
Iudam invocare 153.a.
Iudam fuisse invocatum 194.b.
Iudæorum apostasia ad Gentilismum 88.b.
Iudicium de rebus rectè informari per Scripturas, non per rationem 4.b.
Iudicium suum dicere, & cõsilium dare, differunt 27.b.
Iuramentum quodlibet non ligat 52.a.34.b.
Iurisconsultorum patronus 144.b.
Ius non divinum, non naturale sed positivum sequuntur Papistæ 49.a.
Iustificatio non ex operibus vitæ nostræ est, sed ex fide in Christum 10.b.11.a.
Iustificationem hominis iudicio rationis metiri 129.b.
Iustitiæ propria doctrina, purgatorio nititur, & hoc illa, 85.b. 119.a.129.b. *Papistæ iustitiam Evangelij ignorant* 129.b.
Iustinianus de coniugio Sacerdotum 65.a.

K.

Katharina 140.a.

L.

Laicos cæcos vocant Papistæ 85.b.
Lapsorum pœnitentia & spes 92.a.97.b.
Laqueo posito irretiri 28.b.29.a.
Laurentium invocare 155.a.160.b.
Leges latas examinandas & probandas esse, 43.a. *latæ lege sapientiorem esse velle*, 43.b. *si legem habeamus non de ea, sed secundum eam iudicandum est* 43.b.
Legem Domini non potest tollere servus, 49.b. *in omni lege malum prohibendum est & bonum præcipiendum* 53.b.
Lege salvatos veteres dicere 92.a.
Leo primus 38.b.64.a.
Leo IX. 71.a.
Levitas 38.a.
Liberos masculos quis dederit 145.a.
Libertas Christiana retinenda 40.b.51.b.
Libidines vitare ad castitatem pertinet, 2.a. *Papistæ libidinibus se polluentes, castitatem tamen sibi arrogant*, ibidem. *ad illas incitat Satan*, 2.a.b. 3.a. *persuasiones de impunitate libidinum homines seducunt*, 2.b. 3.a. *comprobator earum fuit Simon Magus*, 2.b. *nam sunt res indifferentes*, 3.a. *prætexere eietiam Scripturas*, ibid. *quomodo confirmârit eas Nicolaus Diaconus, Valentiniani, Carpocratiani, Gnostici, Pseudoapostoli, & Papa*, 3.a.b. 4.a. *quibus argumentis fuerint defensæ*, 3.b. *quibus argumentis, in scriptura impugnentur*, 3.a. 4.a. *cum à libidinibus pij abhorrerent in superstitiosa castitatis studium eos pertraxit*, 5.a. *Libidinum incendia in coniugio*, 8.b. 9.a. 18.a. *Libidinum incendia quantum noceant*, 17.b. *quomodo reprimenda*, 23.b. 25.a. *uri libidinum flammis*, 23.b. *facere opus creatoris Dei*, 34.a. *Libidines alio medio, quàm per coniugium cavere velle*, 53.b. 54.a.
Lindanus 78.a.98.a.91.a.105.a.141.a.
Lipomannus 140.a.196.a.
Litaniæ Ecclesiæ vetustissimæ sunt pura, 217.b. *quid significet Litania*, 218.a. *forma Litaniarum*, ibidem. 218.b.
Litania Mariæ 175.b.176.a.
Londinum 67.a.
Longobardus de usu coniugij, 9.a. *de votis*, 33.a. *de invocatione Sanctorum* 142.b.
Lucius Tertius 75.a.
Lupanaria Romæ lucrosa Papæ 4.a.
Lymbus patrum 86.a.
Lyrinensis 202.b.

M.

Macarius 112.a.b.
Machabæorum libri an sint Canonici, 89.a.90.a.80.b.
Machometus poritur Constantinopoli, 117.b.
Magdeburgensis Episcopatus 75.b.
Magistratus officiũ bona conscientia administrari 80.a.
Manichæi de nuptiis quid senserint, 5.b.48.b.58.b.65.b.
Mantuanus de cœlibatu Sacerdotum, 1.b.77.a.78.a. *de Hilario merito* 44.b.60.a.
Marcelli merita 159.a.
Marchiones post mortem agentes pœnitentiam 116.a.
Marcion coniugium blasphemè traduxit, 5.a.b.
Maria an votum fecerit virginitatis, 39.b.56.b.
Mariæ datum dimidium regni cœlestis, 143.a. *advocata nostra*, 143.a.143.b.155.b. *Thronus gratiæ*, 143.a. *gratia plena*, 143.a. *porta cœli*, 143.a. *adiutorium Christi*, 143.b. *mediatrix*, 143.b. *bis* 150.b. *reparatrix*, 150.b. *adiutrix redemptionis nostræ*, 143.b. *auxiliatrix Iustificationis nostræ*, 143.b. 150.b. *illuminatrix nostra*, 143.b.151.a. *collum inter Christum & Ecclesiam*, 143.b. *assumptio eius*, 150.b.155.a.b.204.b. *quinque dolores eius in mundo*, 150.b. *preces ad Mariam*, 145.b.146.150.a.150.b.152.b.153.a.156.a.158.a.160.a. *omnia membra eius in vocare ordine*, 151.b.152.b. *conceptio Mariæ*, 155.b.157.b. *visitatio Mariæ*, 156.b. *nativitas Mariæ*, 156.b. *annunciatio Mariæ*, 158.a. *assumptio* 160.a. 153.a.155.b.207.b. *Psalterium Mariæ*, 160.b.161.a. *usque ad* 174.a. *Rosarium Mariæ*, 160.b. *Litania Mariæ*, 175.b.176.a. *Cantica scripturæ sacræ, attributa Mariæ*, 173.b.175.a.176.a.177.a.
Maria non posita ad dexteram Christi, 187.a. *adorationem*

nem eius impugnat Epiphanius, 202.b.203.a.
Mariam Magdalenam invocare 154.b.156.b.
Marsilius Patavianus 76.b.
Martham invocare 149.b.
Martinus Eisengreinius 177.a.
Martinum invocare 154.b.155.b.157.b.160.b.
Martyres invocare, 150.a.153.a.b.155.b.156.a.158.a.b. 208.a.
Martyrum honor aut contemptus, 194.b. *diem obitus eorum olim celebratum fuisse, & diem natalitiũ eorum*, 141.a.195.a. *Memoria eorum celebrata* 195.a.
Martyrum animas cum cœtu ad monumenta eorũ collecto Deum invocare, 210.b. *templa eorum*, 205.b. 211.b.212.a. *festa eorum*, 205.b.213.a.
Marullus 12.a.
Matri cohabitare 76.b.
Matrimonium vide coniugium.
Matthai invocatio 153.a.
Matthiæ invocatio 152.b.
Matthiæ dictum 3.b.
Matthiæ Deuvayus de animarum somno, 140.b.
Mauricium invocare 156.b.159.b.
Mediator redemptionis & invocationis est Christus, 182.a.185.a. 188.a. 213.b. *mediatores à gentilibus excogitati* 185.a.193.a.
Medicorum patronus 144.b.
Mediolani patronus 144.b.
Meletius 61.b.
Memoria mortuorum, 85.b. 91.a. 98.b. 99.a. 100.a.101.b.102.b.106.b.107.a.
Menippus 189.a.
Mentiri Deo 31.a.
Meretricum patronus 144.b.
Meritum vitæ æternæ in monachatu & voto positum, 9.b.10.a.b.
Meritorum doctrina purgatorio nititur, 85.b.88.a. *Meritis operum succurrere velle mortuis*, 109.a.
Mersburgensis Episcopus 75.b.77.b.
Metonymia 190.b.
Michaëlis Archangeli invocatio, 155.a. 156.b. 149.b. 218.a.
Michaëlis templum, & adorationes 206.a.
Michael Syngelus 219.b.
Ministerio cœlibatum convenire potius, quàm coniugium, qui senserint, 5.b. *Ministerium mulieribus non permittendum*, 56.a. *Ministerio Ecclesiastico an competat coniugium*, 43.b. 52.a.b. *authoritas & dignitas eius unde definienda*, 45.a. *boni ministri proprietas*, 44.a.b. *an Ecclesia recipere & dimittere possit ministros qualescunque velit*, 51.b. *de ministerij dignitate conservanda*, 44.a. 52.a. *reliqua vide in voce Sacerdotes.*
Miracula ad invocationem sanctorum edita, 191.a. *sola miracula nil probant*, 191.b. *differentia miraculorum*, 191.b. *Ethnica Idolomania multis signis fuit fulcita* 191.a.
Misericordia Dei an ita iudicium superet vt damnatos etiam tandem sit liberatura, 95.a. *Misericordia non sanctorum, sed Dei imploranda*, 181.a.182.b.
Missæ pro defunctis purgatorio nituntur, 85.b.
Moguntiæ docuit Crescens, 68.a. *Episcopi Moguntini filius Geraldus ipse etiam Episcopus ibi fuit*, 68.b. *Concilium Moguntinum*, 72.a.75.b. *Moguntini Episcopi labores in cœlibatu stabiliendo* 73.a.
Monachatus ex Aegypto, & Syria in Graciam introductus 200.a.
Monachorum impudentia in asserendo papatu, 1.a. *Monastica absolutio quale*, 9.b. *Monasticen facere meritoriam remissionis peccatorum, & vitæ æternæ*, 10.a.b. *æquiparare eam baptismo*, 10.b. *facere eam opus supererogationis*, 11.b. *minima opera eius præferre præstantissimis operibus aliorum*, 12.b. *quomodo sit invecta in Ecclesiam*, 54.b.61.a.b.63.b. *Monachi in Anglia*, 67.a. *Monachorum coniugia*, 71.b. *Castitas eorum* 77.a.
Monialium coniugia, 71.b. *consecratio*, 76.a. *castitas* 77.a.77.b.
Montanus de coniugio, 5.a.7.b. *paracletus Montani* 58.b.59.a.83.a.
Mors piorum est peregrinatio ab hoc mundo, 105.a. *est accersitio Domini* ibid.
Mortuum tangere legaliter hominem inquinat, 17.b. *Mortuorũ animæ in quo statu sint*, vide *animæ purgatorium, orationes, sacrificium, &c. Ritus in luctu mortuorum*, 89.b. *pro mortuis sacrificare aut orare an iuxta scripturam fiat*, 9.b. *memoriæ mortuorum*, 85.b.91.b.98.b.100.a.101.a.102.b.106.b. *de mortuis ex damnatione liberandis, aut non liberandis*, 95.a.98.b. *affectus erga mortuos nostros*, 99.b. *Sancti nulli ausi sunt pro mortuis iuvandis cultum instituere*, 99.b. *epulæ ad sepulchra mortuorum*, 89.b.100.a. *Ritus circa mortuos* 100.b. *Deprophanis aut sanctis mortuis*, 101.a. *mortuorum celebrationes curfatæ*, 101.b. *Non diem nativitatis, sed mortis hominum celebrare*, 102.b 105.a. *Augustinus tres fecit ordines mortuorum*, 108.a.108.b. *succurrere velle mortuis per opera meritoria*, 109.a. *Duos ordines defunctorum fecit Chrysostomus*, 109.b. *ex mortuorum spectris purgatorium confirmatum*, 110.b. *A mortuis veritas non quærenda*, 110.b. *Mortuorum apparitiones, & querelæ de purgatorio, & postulata de redemptione per missas & alias*, 115.b. *quadruplex status mortuorum*, 116.b. *Mortuorum non esse medium aliquem locum*, 120.a. 123.a. *Quod & quare Deus non doceat nos per mortuos*, 125.b.126.b. *mortuos non volunt, aut adorant Christiani* 214.a.b.
Moscovitarum patronus 144.b.
Moses cur non ingressus terram promissam, 12.a. *Mosis continentia* 59.b.
Mulierem opus Diaboli esse dicere, 5.a. *Mulieres variè aliquando contaminari*, 18.a. *Mulieribus ministerium non permittendum*, 56.a.

N.

Natalicia alicuius celebrare, 102.b. *Dies mortis Sanctorum dicti sunt eorum natalicia*, 141.a.195.a.210.b.
Nationum peculiares sancti 144.b.
Nauclerus 72.b.
Nautarum patroni 144.b.
Neocæsariense Concilium 5.b.
Nicænus 219.a.
Nicenum Concilium 8.a.56.a.53.b.58.b.
Nicetas coniugium Sacerdotum defendit, 72.a.
Nicolaus primus 63.a.69.a.70.b. 11. 72.a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nicolaum invocare, 153.b.157.b.159.a.180.b.218.a.
Nicolaus Diaconus uxorem exponit & promiscuas libidines confirmat, 3.a.b.55.a.76.a. *Sectatores eius Nicolaitæ*, 56.a. *uxoratos vocare Nicolaitas* 73.a. 74.b.
Nigellus 77.a.
Nilus Thessalonicensis 65.b.
Nocturni congressus Christianorum 3.b.
Noha continentia 59.a.
Northusæ comitia habita 74.b.
Novatianorum monogamia 58.b.
Novatianorum doctrinæ origo 97.b.
Nuptias fugillare & damnare, 5.a.b. *primæ concessit Montanus, secundas pro fornicationibus habuit*, 5.b. *quid alij de nuptiis primis, secundis, tertiis, senserint*, 5.b. *Cur necessariæ*. 7.a. *nuptiæ quibus argumentis damnatæ*, 6.a.b.7.a. *Sacerdotibus non coniugio, sed nuptiis interdicere* 80.b.
Nuptiæ secundæ vide Digami.

O.

Obedientiæ præstitæ meritum 9.b.
Oblationes vide Sacrificia.
Oblationes pro mortuis, 99.b.100.a.b.103.a. *quid sint oblationes veterum*, 100.b. *panes oblationum* 111.a.
Oculorum cura 144.b.
Odo Cantuariensis Episcopus, 67.a. *Viennensis* 70.b.
Offerri pro mortuis, quãdo cœptum sit in Germania 69.b.110.b.
Oleum capiti defuncti infusum 100.b.
Operibus monasticis tribuere meritum vitæ æternæ, 9.b. *cœlibatum facere opus supererogationis*, 10.b. *opera monastica minima, maximis aliorum operibus bonis anteponere*, 12.b.
Opera supererogationis purgatorio nituntur, 85.b. *opera propitiatoria pro peccatis mortuorum effingere*, 109.a. *operum regula est scriptura*, 138.a. *opera sanctorum sibi & aliis meritoria facere* 143.b.
Opiniones humanæ, 91.a. *vulgi opinionibus sæpè cesserunt etiam patres*, 106.b.107.b. *Opiniones bonæ intentionis sunt stipula*, 134.a. *Opinionum probatio* 133.a.
Orationem an impediat coniugium, 6.a.b.7.a.8.b.17.a. *cui oratio adimitur, ei etiam admittur fides & Spiritus sanctus*, 17.a. *preces solennes* 17.a.
Orationem impediri per coniugij, ciborum, potus & aliarum licitarum rerum usum, 17.a. *orandum non esse omnibus pro omnibus donis*, 21.b. 22.b. 24.b. *rectè petentibus nil denegari*, 23.a. *oratio sit caput deliberationum & consiliorum nostrorum*, 28.a. 28.b. *Orationes pro mortuis*, 88.b. 91.b. 92.a. 98.b. 99.a.b. 100.a.b. 101.a. 101.b. 104.a.b. 105.a.b. 106.a.b. 107.a.b. 108.a.b. 109.b. 127.a. *orantium gestus* 217.b.
Ordinandi in Germania non fuerunt ad votum adacti 76.a.
Ordines minores & maiores, 81.a.b. *ordo matrimoninm non impedit* 81.b.
Orientales tentati lege cœlibatus 63.a.65.a.
Osculum defunctorum 100.b.
Osius 43.a.203.a.
Osius Cordubensis 60.a.
Ovium patronus 144.b.
Oxonium 75.a.

P.

Palinurus 88.a.
Palladij vita 200.b.
Pancratium invocare 147.b.
Panormitanus de Concilij authoritate, 43.a. *de coniugio Sacerdotum* 77.a.
Pantheologia 86.a.
Papæ vectigal pendunt lupanaria sua 4.a.
Paphnutius contra Synodum Nicænam defendit coniugium Clericorum, 8.a.50.a.59.a.59.b.63.b.78.b. 80.b. *qui cœlibes accessissent ministerium eos voluit fieri maritos*, 60.b. *de fructibus cœlibatus* 76.b.
Paradisum qui intrent 86.a.b.
Parisij 75.a.
Paschalis Episcopus, maritus, 68.b. *Paschalis Papa* 74.b.
Paschasij anima in thermis 111.a.
Patres aliqui coniugio iniquiores, 6.a.7.a.b. *patribus scriptura præferenda*, & *illi ex hac iudicandi*, 26.a. 35.a.38.a.41.a.55.b.64.a.89.b.97.b.99.b.108.a. *patrum exempla sine verbo non imitanda*, 89.b. *patres sæpè consuetudinibus & opinionibus suorũ temporum cedunt*, 106.b.107.b.199.a.201.a. *quatenus eorum testimoniis utendum* 123.b.
Patria poresias 51.b.
Patriarchas invocare, 150.a.152.b.156.b.157.a.185.a. *Patritij purgatorium, & festum eius*, 114.b.
Pauli & Tecle acta 55.b.56.a.
Pauli invocatio 147.b.152.b.156.b.159.a.
Paupertatis servatæ meritum 10.a.12.a.
Peccata Deus non concedit, 18.b. *non quod doctrinis hominum, sed quod verbo Dei repugnat peccatum est*, 79.a. 80.b. *peccata votorum monasticorum contra integrum decalogum*, 34.a. *peccatis contra conscientiam fides excutitur*, 37.a. *peccata an satisfactione purgentur*. 86.a.b. *peccatorum culpa & pœna quæ unus tollatur, aut non tollatur*, 86.b.30.b. 97.b.116.b.119.a.122.a. *discrimina peccatorum secundum Papistas & Platonem*, 87.a.b. *pœnis peccata expiare velle*, 95.a.94.a. *peccata venialia*, 119.a. 132.b. *Remissionem peccatorum post hanc vitam non posse impetrari*, 121.a. *Satisfactio pro peccatis nulla est nisi Christi*, 122.a. *pro culpa & pœna peccati Christum satisfecisse*, 123.b.136.a. *peccatum in Spiritum sanctum*, 132.a.b. *peccata venialia aspersione aquæ benedictæ tolli* 132.b.
Pelagius 42.b.64.b.
Peregrinationes purgatorio nituntur, 85.b.115.b.
Perfectionis studio coniugium improbare, 5.b. *perfectionis doctrina purgatorio nititur*, 85.b.
Perionius 65.b.127.a.196.a.
Pestis curator 144.b.148.
Petrus à Soto 10.a.14.a.84.b.127.a.143.b.
Petrus Damianus Episcopus Hostiensis 72.a.
Petrum invocare 156.b.159.a.b.
Petrus Gnapheus 206.b.
Petricoviensis Synodus 144.a.
Pharisæorum continentia 54.a.
Philippi invocatio 152.b.
Philo, de Essenis, 54.a. *de Monachis*, 54.b. *de Aegyptijs sacrificulis*, 54.a.b.55.b. *Philo platonizans* 193.b.
Philosophi sunt hæreticorum Patriarchæ, 87.b.
Philosophiæ cum Theologia mixtio, 93.a. *an Ethnici sint salvati per Philosophiam*, 92.a.
Pictorum patronus 144.b.
Pius primus 38.b.
Pius secundus de cœlibatu Sacerdotum 1.b.
Plato author purgatorij 87.a.b.94.b.
Platonicorum dij & mediatores 193.a.b.
Poëmata amatoria 62.b.
Pœnas æternas mutari in temporarias, 86.b.97.b. *pœnas futuras facere expurgatorias*, 63.a.94.b. *esse etiam cessaturas*, 92.b. 93.a. *pœnarum diversitas secundum tempus quo infliguntur*, 132.b. *pœnæ temporales non sunt satisfactiones* 136.a.
Pœnitentia est tota vita Christiana, 69.b. *pœnitentia eorum qui lapsi sunt*, 91.b. *tempus pœnitentiæ in altera vita ponere*, 92.a.93.a.94.b.98.b.115.b.122.a. 123.b.130.a. *lapsis eam concedere* 106.a.
Pœnitentia officit invocatio Sanctorum, 223.b.208.b. 212.b.
Poëtæ Christiani invocationem mortuorum auxerunt 214.b.
Polycarpi morituri oratio 194.b.
Polydorus 74.b.67.b.
Poloniæ lex cœlibatus obtrusa 67.b.75.a.
Polonorum patronus 144.b.
Pontificum Romanorum conatus pro cœlibatu Sacerdotum, 62.b. *Multas Epistolas quæ Romanu Episcopi tribuuntur, esse suppositicias*, 62.b. *emissarij eorũ in alias Ecclesias*, 67.a. *litera & bullæ eius*, 67.a.68.a. 72.b. *legati eius*, 67.a.b.68.a. *violentia & insanus furor*, 72.a.73.a. *Imperatorem è solio deturbarunt*, 72.a.73.a. *mandata eorum imperatoria*, 73.b. *vis ligandi & solvendi omnia* 73.b.
Porcorum patronus 144.b.
Præcepta Evangelica, 5.b.11.b. *præceptum de coniugio certum omnibus dari nequit* 19.a.
Prædicatores de suorum è purgatorio liberatione 115.b.
Præmia donorum rectè collatorum, 13.a.16.a.19.b. *præmia accidentalia* 135.a.
Præsumptione tentatur Deus 22.b.
Primi festum 159.a.
Primum & posterius in scriptura 37.b.
Principum legati, quid à Tridentinis petierint, 1.b.78.a.
Prophetas invocare 150.a.252.b.158.a.
Prosopopœia 200.b.208.a.
Providentiam rerum humanarum non DEO, sed inferioribus eo numinibus tribuere, 192.b.193.a.b.
Psalterium Mariæ 160.b.
Pudendorum cura 144.b.
Puerperarum patronus 144.b.
Purgatorij doctrina impia, 1.a. *non probant illud, nec probare possunt è sacris literis*, 85.b.131.a. *quo Concilio illud sit traditum*, 85.b. *est fundamentum totius ferè Papistici cultus*, 85.b. *facilius cœlum eripi Papistis quam purgatorium*, 85.b. *In purgatorij doctrina multa agnoscunt curiosa, superstitiosa & falsa, sed tamen ea neque indicant, neque damnant*, 85.b.113.a.113.b. *quorum animæ purgatorio destinentur à Papistis*, 86.a. *Ignis purgatorij ab igni inferni, itemq; ab igni huius seculi, quid differat*, 86.a. 94.b.95.a.97.a.113.b.114.a. *Locus purgatorij & eiusdem situs*, 86.a.129.133.a. *purgatoria particularia*, 86.b. *Duratio cruciatuum purgatorij*, 86.b.92.b.94.b. *suffragia quibus animæ è purgatorio redimantur varia*, 86.b. *Fundamenta doctrinæ de purgatorio propria*, 86.b.87.a.87.b. *unde primum orta opinio purgatorij*, 87.a. *Plato purgatorium primus construxit*, 87.a. *vetus & novum Testamentum ignorat doctrinam purgatorij, quæ hodie ut articulus fidei flamma & ferro defenditur*, 85.b.86.b.87.a. *Plato excogitator medij loci in quo sint demortui*, 87.b. *fundamenta Platonis hac in re*, 87.b. *quid de eo habeant Poëtæ*, 88.a. *quomodo probetur ex 2. Machabæorũ libro*, 88.a.90.a.90.b. *quomodo per apocryphas scripta sub nomine traditionis Apostolicæ in novi Testamenti Ecclesiam irrepserit*, 91.b. *Origenes pro defunctis suffragia non admittit*, 93.b. *Purgatorij pœnas facere meritorias*, 93.a. *An omnes homines oporteat subjici igni purgatorio*, 93.a.94.b. 96.a.133.b. *Græca Ecclesia illud prorsus explosit*. 93.a.98.b.111.a.117.b. *Latini doctrinam purgatorij ab Origene haustam retinuerunt*, 93.b.94.a. *An omnes ex igni illo liberandi*, 95.a. *pœnas purgatorias in hac vita esse*, 69.b. *post futurum judicium nullas fore pœnas purgatorias*, 96.b. *De statu intermedio inter mortem nostram, & Iudicium extremum*, 96.b. *Ex ritibus satisfactionis veteris Ecclesiæ, purgatorium probare*, 98.b. *ex oratione pro defunctis frustra probatur*, 99.100.101.102.103.104. 105.106.107.108.109. *quomodo ex mortuorum spectris confirmatum sit à Gregorio*, 111.b.112.a. *purgationem rectius in thermis, quàm igni fieri*, 112.b. *patronis purgatorij quid præcipuè obstiterit*, 111.b. *Quomodo in Ecclesia Pontificia porrò per spectra & visiones & revelationes sit stabilitum purgatorium*, 113.b. *Hæreses negantes purgatorium facere*, 113.b. *In variis locis huius etiam seculi posse esse purgatorium*, 114.b.129.a. *quidam expertus pœnas purgatorij*, 114.b. *Angelorum & Diabolorum testimonio probatum purgatorium*, 115.b. *Revelationes de purgatorio*, 115.a.b.116.a. *Liberationum è purgatorio variæ vie* 116.a.
Purgatorij nulla fit mentio in vigiliis, 117.a.
Purgatorium quomodo Græci receperint, & quando, 117.a. *negatum est à VValdensibus*, 119.b. *Ignis purgatorius & punitorius*, 119.b. *quod commentum purgatorij alienum sit à scriptura, & cum eadẽ pugnet*, 118.a.
Purgatorij nomine quæ capita doctrina intelligantur, 119.a. *Cauda purgatorij, seu fructus eius*, 122.b. *An aquila in purgatorio*, 127.b.
Puritas Christianorum 109.b.130.a.
Pythagoræorum cœlibatus 54.b.

Q.

Quadrante redimere balneum 130.b.
Quatuordecim auxiliatores 148.b.
Quindecim 153.b.

R.

Raptus viventium per extasin 114.a.
Rationale divinorum 142.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Reconciliatio cum Deo post hanc vitam nulla, 121.b.
Refutationes non semper necessaria 183.a.
Regeneratio in futuro seculo 101.a.
Regnum cœlorum quid significat 16.a.19.b.
Religionis capita non nisi ex scriptura dijudicanda 89.a. 89.b.
Religionem aliis attemperare ob privata cõmoda 117.a.
Religiosorum professio 10.a.
Reliquiarum Sanctorum doctrina idololatrica, 1.a.
Remissio peccatorum post hanc vitam nulla est, 121.b. 84.b.
Repudy libellus
Rhetoricationes Doctorum Ecclesiæ, 200.b. 208.a. 210.a.
Rhetoricum artificium pontificiorum 142.a.
Richardus 191.a.
Rochum invocare 149.a.
Rodolphus Agricolæ 77.b.
Rossensis 127.a.
Romanorum patronus 144.b.
Rosarium 10.a. 11.a. 12.a. 86.b.
Rosarium Mariæ 160.b.

S.

Sabbathum abrogatum Christianis 5.b.
Sacerdotum cœlibatus & coniugium, 43.a. querela multorum de hac re & expectatio, 43.a. inhumanitas & scopus Tridentinorum, 43.a. ita disputant Pontificij, quasi nihil de eo in scriptura esset determinatum, 43.b. quare Andradius putet non conuenire eis coniugium, 43.b. doctrinam de eo certam ex scripturis, & quidem in eo loco ubi determinat illud propriè sumendam esse, 43.b. Coniugium eorum inter primas virtutes numerat Spiritus sanctus, 45.a. cœlibes à ministerio non excluduntur, ibidem. quare Paulus non cœlibem, sed maritum esse præceperit Episcopum, 45.a.b. an coniugium impedimento, aut commodo sit ministris. 43.b. 45.b. 46.a. 53.a. Sacerdotibus veteris Testamenti nunquam prohibitum fuit matrimonium, 46.a. Ecclesiam gravari a maritis Doctoribus, 46.b. an coniugium primitiuæ Ecclesiæ ut rudiori sit permissum, cui nunc in corroborata Ecclesia substituendus sit cœlibatus, 47.b. 58.a. quid Pontificij de coniugio Sacerdotum sentiant, 48.a. 48.b. donis quæ ministerium decerant coniugium Sacerdotum annumeratur, 48.a. Pontificij se hodiè non propter regnum, sed propter opima beneficia castrant, 48.b. 77.b. cœlibatum tanquam necessarium ad Sacerdotium præcipere, 48.b. an prohibeant Sacerdotibus coniugium, 49.a. argumenta Pontificiorum pro lege de cœlibatu Sacerdotum, 49.b. concedunt non præcipi iure divino, 50.b. quare hodierna Sacerdotibus non similiter vt legalibus olim coniugium permittant, 50.b. coniugij prohibitio tyrannis est, 15.b. an Ecclesia rejicere, aut recipere possit ministros quales velit, ibidem. Papistæ hic iisdem argumentis utuntur, quibus olim hæretici, 52.a. 63.a. Apostolos plerosq; fuisse coniugatos, 44.a. 53.b. Rationes propter quas conveniat Sacerdotibus cœlibatus potius, quam coniugium, 45.b. 53.a. authoritas Patrum & aliorum pro cœlibatu, 53.a. usurpationem coniugij in ministerio esse antiquiorem, quam sit cœlibatus, 53.a. 56.a. 61.b. lex cœlibatus multas contradictiones passa est donec fuit stabilita, 53.a. 55.a. 55.b. 56.a. historia de cœlibatu Sacerdotum, 53.b. Ethnicorum Sacerdotes cœlibes, 54.a.b. qui ipsi se castraverint, 59.a. 54.a.b. Conatus Satanæ pro invehendo cœlibatu, 54.a.b. 55.a. 56.a. 57.a. Sacerdotes deserentes uxores propter pietatem ab officio removentur, 57.a. Episcoporum qui uxorati fuerunt Catalogus, 58.b. 61.a. Sacerdotum castitatem Origenes in cœlibatu posuit, 56.b. consuetudinem cœlibatus & cõiugij Sacerdotum sæpè variasse, 61.a. 62.b. Sacerdotes ob cohabitationem cum uxoribus depositos fuisse, 62.b. Pontifices Romani stabilitores cœlibatus, & quibus id fundamentis, 62.b. 63.a. quomodo aliis eam obtruserint, 63.b. fructus & damnum quod dat lex cœlibatus, 60.a. 64.b. 67.b. 71.a. 74.a. 75.b. Pontifices ex Sacerdotum coniugijs nati, 64.b. Episcopi ex Episcoporum coniugijs nati, 68.a. Canon orientalium Episcoporum pro coniugio Sacerdotum, 65.a.b. legem cœlibatus non esse Apostolicam traditionem, 65.a. Sacerdotibus concessum coniugium, Episcopis interdicitur, 66.b. 67.a. cœlibatus lex nusquam ab initio Evangelij instituta, sed semper Evangelio superseminata est, 67.a. quomodo Angliæ fuerit obtrusa, 67.a. coniugium Sacerdotum ad annos mille in Germania fuit ab initio Evangelij retentum, 68.b. de Sacrificulis scortatoribus & adulteris, 70.a. blanda invitatio ad cœlibatum, 70.a. 71.b. coniugium Sacerdotum, quibus argumentis defensum à Germanis. 70.b. 73.a. centum scorta potius permittenda votario, quam unam vxorem esse, 34.a. 71.a. argumenta Hulderici pro coniugio Sacerdotum & contrariorum refutatio, 70.b. 71.a. coniugium Sacerdotum sub titulo Nicolaitarum damnatum, 73.a. 74.b. contumeliosa in coniugium Sacerdotum sermones, 75.a. votum cœlibatus hactenus in Germania ab ordinandis non exactum, 75.b. fructus Pontificij cœlibatus, id est, mala ex eo sequuta, 60.a. 64.b. 67.b. 71.a. 74.a. 76.a. 77.a. quòd lex cœlibatus multis doctis, & bonis viris in regno Pontificio displicuerit, 77.a. an peccatum sit si minister, qui non continet, matrimonium contrahat, 79.b. Papistæ ministros, quibuscunque etiam donis præstent, si mariti sint, rejiciunt: Contra, cœlibatum profitentes, licet alioqui indignissimos, ad dignitates in Ecclesia evehunt, 82.b.
Sacrificia vide etiam oblationes, iis relevari & adjuvari mortuos, 88.a. 91.b. Sacrificiis exactè descriptis in Mose, nil de eo quod pro mortuis fit invenias, 88.b. Sacrificiorum opus operatum, 91.a. usus & vis sacrificiorum Leviticorum, ibidem. sacrificium est cultus soli Deo debitus 202.b. 211.b. 212.b.
Saltzgeirus 144.a.
Salvianus de lege cœlibatus 64.a. 76.b.
Sanctorum invocationis doctrina qualis, 1.a. sancti non sunt contemptui habendi, 136.b. 137.b. Sanctos honorandos esse, 136.b. 137.a.b. 141.b. 185.a. 203.a. 206.b. 212.b. memoria martyrum & aliorum sanctorum, 136.b. 195.a. 195.b. 198.b. esse nobiscum membra eiusdem corporis, 136.b. pro nobis esse solicitos & omnia bona nobis precari, 136.b. 141.b. 168.a. 197.a.

197.a. 209.a.b. 210.a. orare pro nobis, 142.b. 187.b. 188.a. 189.a. 197.a. an sint invocandi, adorandi, & suffragia, & auxilia eorum imploranda, 137.b. 141.b. 209.a. in honore sanctorum facilè peccari, 137.b. 138.a. 195.a. vera honorandi sanctos ratio, 138.a. non aliud quam fert voluntas Dei à nobis requirunt, 137.b. DEVS in sanctis celebrandus, 137.a. 138.a. 139.b. dona sanctorum commendanda, 138.b. 139.a. historia eorum vere recitanda, 138.a. 139.a. testimonia præsentiæ Dei in sanctis, 138.a. alia dona nobiscum communia, alia peculiaria habent, 139.a.
Sanctorum lapsus quid doceant, 138.b. 139.b. gloria eorum, 139.b. nos eos rectè honorare, Papistas vero honorem illorum proprium negligere & pervertere, 140.a. Legenda sanctorum, 140.a. Sanctos colere qui vel non fuerunt, vel sunt in inferno, ibidem. de reliquiis Sanctorum, ibidem. de cultu quem sanctis impiè tribuunt Papistæ, & propriè veneration sanctorum vocant, 140.b. Sancti mortui, & in his terris à vivis distinguendi, 140.b. 141.a. 210.b. dies mortis sanctorum cur natalis eorum vocatus, 141.a. 159.a.
Quomodo in Ecclesia Pontificia invocatio Sanctorum doceatur & exerceatur, 142.a.b. propter tres causas esse invocandos, 142.b. eos esse portam cœli, 143.a. esse coadiutores & cooperatores in opere salutis nostra, 143.b. quid Concilium Tridentinum de invocatione sanctorum statuat, 144.a. an ad gratiam sanctorum confugiendum, dissentiunt Papistæ, 144.a.b. Invocationis sanctorum idololatriæ in Papatu plurima exempla, 145.a. omnes sanctos invocare, 150.a. 155.a. 156.b. Diaboli suffragio sanctorum invocatio confirmata, 177.a. propositiones continentes fundamenta invocationis sanctorum Papisticæ, 178.a. eam non esse traditam in verbo Dei, 178.b. 184.a.b. non esse consentaneam doctrinæ de invocatione in scriptura traditæ, sed ab ea recedere, 179.a. directo etiam pugnare eam cum verbo Dei revelato, 180.b. non sancti, sed solus Deus potest iuvare, 179.b. spes & fiducia non ponenda in sanctis, 181.a. non confugiendum ad gratiam & misericordiam sanctorum, 181.a. bona quæ Deus dat, non petenda a sanctis, 181.b. Sanctos cum ipsi anxiari non possint à DEO accipere beneficia nobis conferenda, 181.b. Sanctos pro intercessoribus habere, qui nobis beneficia à DEO impetrent, 182.a. Sanctos mediatores facere, 188.a.b. Sancti non adsunt nobis invocantibus, ut nos exaudiant, 182.b. singulis sanctis singularum rerum procurationes attribuere, 144.a.b. 184.b. 188.b. explicatio & refutatio argumentorum, quæ Pontificij pro stabilienda invocatione sanctorum proferunt 184.a. an ut in aulis Principes per eorum familiares, Deus per sanctos nobis sit conciliandus, 184.b. 198.b. 213.b. non invocare, sed tantum compellare sanctos, 188.a. Sanctos non amplius interesse rebus humanis, 183.b. 188.b. Sanctis falso omniscientia & omnipræsentia tribuitur, 189.a. 201.b. 211.a. 216.b. miraculis stabilita invocatio sanctorum, 191.b. 198.b. 204.b. 213.a. historia de origine invocationis sanctorum, 192.a. invocatio sanctorum Papistica non re, sed tantum nomine differt ab idolomania Platonicorum, 193.a. in primitiva & puriore Ecclesia fuisse ignotam invocationem sanctorum, 182.a. 194.b. 195. 196. Quando & à quibus sparsa seminaria invocationis sanctorum, 197.b. opinio invocationis sanctorum per apparitiones & spectra crevit, 198.b. Beatorum orationibus viventes adiuvari, 188.b. 211.b. viventes petere, ut post mortem nostri sint apud Deum memores, 211.b. à Basilio Nysseno, & Nazianzeno invocatio sanctorum publicè est in Ecclesiam invecta, 200.a. ab Epiphanio reprehensa, 202.b. invocationem sanctorum ab adoratione eorum distinguere, 202.b. 209.a. Sanctorum invocatio officit pœnitentiæ & veræ pietati, 204.b. invocatio sanctorum publicis Ecclesiæ precibus apud Græcos per Petrum Gnapheum primum inserta est, 206.b. 217.a. Martyrum animas cum cœtu ad monumenta eorum collecto comprecari, 210.b. ad memorias sanctorum sacrificare, 211.b. Sanctos facere mediatores contra officium Christi, 181.a.b. 191.a. 185.a. 192.b. 244.a. Gregorius magnus apud Latinos primus in Ecclesia preces publicas introduxit invocationem sanctorum, 117.a. 218.a. commemoratio sanctorum in Litania, cui successerunt suffragia: donec tandem ipsa invocatio insueretur 218.b. 219.a.
Sanctimoniales vulgò quæ vocentur, 4.b. 14.b. virginitatis earum fundamentum, 4.b. opera supererogationis eas facere 11.b.
Sanctitas Christianorum 129.b. 103.a.
Sartorum patronus 144.b.
Satisfactiones purgatorio nituntur, 85.b. 97.b. 139.b. satisfactione peccata purgari, 86.a.b. 87.b. 93.a. 97.b. satisfactionum causa & finis, 97.b. duræ loquutiones Patrum de ea, ibidem. ante satisfactionem impletam morientes in pace discesserunt, 98.a. satisfactio post hanc vitam nulla, 98.a. satisfactiones veterum conciderunt, 98.b. satisfactionum commutationes, ibid. satisfactiones everunt articulum iustificationis, 122.a. Satisfactio solius Christi pro peccatis, 122.a. vtrum pro culpa tantum, an etiam pro pœna peccati Christus satisfecerit 122.b.
Saxo, 75.a. Saxones à libidinibus alieni 69.b.
Scholasticæ Theologiæ origo 75.a.
Scriptura iudicium rectè informat, non ratio autem species externa, 4.b. è scripturis conscientia sunt erudienda, 9.a. 26.b. violenter eas detorquere, 11.b. quæ interpretationes scripturæ sint certissimæ, 25.b. 35.a. patribus præferenda est, & eorum doctrina iudicat, 26.b. 35.a. 41.a. si scripturis omissis tantum rationibus agatur, nil nisi conflictationes sequi oportet, 43.b. 144.a. de qualibet re videndum, an & ubi propriam sedem in scriptura habeat, 43.b. Scripturas per scripturam evertere velle, 49.a. contra clarum scripturæ textum nil valet argumentatio, 49.b. Scripturæ aliunde confictà inferre, & ad hæc illam torquere, 85.b. 125.b. 127.a. Scripturæ solius iudicium in iudicando sequendum, 89.a. 89.b. 95.a. 118.a. sine scriptura, & contra scripturam nullas argumentationes esse admittendas, 95.b. 90.a. ex locis Scripturæ allegoricis & dubiis non constitui dogmata, 127.b. 129.a. 131.a. Scripturæ est norma & regula fidei atque operum in Ecclesia, 138.a. 139.b. 220.a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scortatio non est res indifferens, 3.a. quomodo eam hæretici permiserint & confirmarint Christianis, 3.b. 4.a.
Scortatio spiritualis 40.b.
Scortatores Deus excludit regno suo 34.a.
Scorti & uxoris impium discrimen 5.a.
Sebastiani invocatio 148.b.153.a.
Seculum futurum quid significat 132.b.
Secundus blasphemus in coniugium 5.a.
Sequentia in honorem Sanctorum decantata, 154.b. 177.b.
Si Papa: cuius sit authoris 69.a.
Sicilia lege cœlibatus tentata 64.b.
Sigismundus Imperator de Sacerdotum coniugio. 77.a.
Similitudines non constituunt dogmata 116.a.
Simonis invocatio 153.a
Simon Magus libidinum indifferentem usum fecit, 2.b.
Sinus Abrahæ 100.b.
Sixti Epitaphium 77.a.
Smyrnensis Epistola 195.a.
Sodomiæ defensio per legatum Pontificium, 4.a. est fructus coacti cœlibatus. 67.b. 76.b. 77.a. celebravit eam Iohannes à casa 77.a.
Sorori cohabitare 76.b.
Spectrorum apparationes 110.b.
Speculum exemplorum 115.a.
Spes non in Sanctis, sed in Deo ponenda 181.a.
Spiritus sanctus an adsit coniugum cohabitationi, 8.b. 17.a.
Spiritus sancti processio 117.a.
Spiridion uxoratus 61.a.
Stapulensis 127.b
Statum controversiæ involvi & transponi, 1.b. 10.a. 136.b.
Stephanus Auferius 77.b.
Stephanum invocare 153.a.154.a.156.a.
Studiosorum patronus 144.b.
Stupri pœna apud veteres Germanos 69.b.
Suecia lex cœlibatus obtrusa 66.b.75.a.
Suffragia viventium pro mortuis, 85.b.86.b.88.a.92.b. 103.a.116.a.b. de virtute suffragiorum disputationes, 116.a.
Supplicationes pro omni necessitate. 218.a. statis diebus factæ supplicationes, ibidem. supplicantium gestus, ibidem.
Surius 140.a.
Sursum corda 217.b. 196.a.
Sutorum patronus 144.b.
Synodus vide Concilium.
Synodus quinta 93.a.
Synodus sexta 41.a.57.a.63.b.65.a.
Syricius 51.b.57.b.62.b.63.a.b.64.a.79.b.
Syphilus 87.b.

T.

Tantalus 87.b.
Tatianus de coniugio 5.a.b.6.a.b.48.b.
Tecla virgo 56.a.b.
Templa Martyrum, 212. a. donaria in illis suspensa, ibidem.
Tentationes probant doctrinam & cultus, 135.a.b. tentationes aliæ aliis sunt maiores, 185. tentatur Deus præsumptione 22.b.71.a.
Theodosius mortuus 103.b.
Theofredus Abbas 219.a.
Thomæ invocatio 147.b.159.a.159.b.
Thomas de coniugio Sacerdotum, 67.b. de merito vitæ æternæ per monasticen, 10. de invocatione Sanctorum 142.b.
Timotheum fuisse cœlibem 57.a.
Titius 87.b
Titum fuisse cœlibem 57.a.
Traditiones extra Scripturam 99.a.
Traiani anima 112.b.
Trevirus post Athanasium Hieronymus fuit 68.b.
Tridentini Patres asserunt manifestas superstitiones & scandala. 1.a. status controversiarum subdole tegunt, 1.b. 10.a. authoritatem Spiritus sancti & scripturæ frustra obtendunt 85.b.

V.

Valentinianus mortuus 103.a.
Valentiniani libidinum confusiones confirmarunt, 3. b.
Venatorum patronus 144.b.
Venenicura 144.b.
Venerem promiscuam coniugio præferre 55.a.
Vergerii periculum ob historiam Gregorii 140.a.
Vergilius de purgatorio igni 88.a.
Vicelius 136.b.
Viclevus de coniugio Sacerdotum 76.b.
Viduarum continentia per se non damnatur, 9.b. viduæ primam fidem irritam facientes, 35.a. collegii viduarum, quæ ratio fuerit tempore Apostolorum, 35.b. 38.a. in viduitate non ponendus est cultus, 35.a. an Paulus his, quæ viduitatem professæ erant coniugium permittat 39.a.
Viduas sanctas invocare 150.a.
Vigilantii certamen cum Hieronymo 208.b.
Vigiliæ & nocturni congressus Christianorum 3.b.
Vigiliæ purgatorio niuntur, 8.b. lectiones in vigiliis quales habeantur 117.a.
Vincentius 73.a.
Vincentius Lyrinensis 37.b.
Vincentii invocatio 148.b.153.a.159.a.
Vino abstinere 54.a.
Vinum non dilutum bibere 115.a.
Vinofridus Angelus Germaniæ Doctor à Papa constitutus, 69. a. mutato nomine vocatur Bonifacius, ibidem.
Vintoniæ 67.a.
Vintonienſis 80.a.
Virginitas Papistica, 4. b. an ei præferendum coniugium, 1. a. merita virginitatis, 1.b. 4.b. 7.b. 19. b. 11.b. 12.a. ea implet cœlum, 7.a. collatio inter virginitatem & cœlibatum, 1. b. non damnatur commendatione coniugii, 9. b. an virginitas præferenda coniugio, 11.a. 12. a.b. 13.b. 19.b. virgines sunt omnes fideles, 18. b. virginitatem quo loco habuerit Iovinianus, 61. b. decem mille virgines invocare, 149. b. 155.a. virgines & viduas invocare, 150. a.

Viri partem inferiorem Satanæ opus esse dicere 5.a.
Vitæ æternæ meritum 1.b.
Vitæ æternæ præmia 13.b.16.a.20.a.
Vitæ Patrum 10.a.
Vites Vrbanus curat 144.b.
Vlricus Episcopus Augustanus, 1.b. 64.b. 70.b. 71.a. 77.b. beneficium eius in Ecclesiam ob masculè defensum coniugium Sacerdotum 71.a.
Vngarorum patronus 144.b.
Vocabula Deus non iudicat sed rem, 190.a. vocatio aliæ communis est, alia specialis, atque ita etiam vocationum donæ 21.a.25.a.
Voluntas Dei ex verbo cognoscenda est 188.b.
Voti servati dignitas & meritum, 10.a.11.a.12.b. an ex voto suscipiendus & retinendus sit cœlibatus, 26.b. 29.a.b. vota in veteri Testamento, ex quæ causa & quomodo facta, 29.b. 30.a.b. vororum diversi fines, 30.a. quæ sibi Deus voluerit voveri, ibidem. per votum se ad gratitudinem erga Deum obstringere, 39. b. 30.a. 31.b. vovere ea, quæ alioqui Deo debentur. 30. a. vota ceremonialia, 30.b 31.a. vota contra verbum Dei facta, 30.a. cur voluerit Deus vota servari. 31.a. de votis non servandis, & ob quas causas, 30.b. 31.a. 32.a.b. Novum Testamentum de votis nihil præcipit. 31.b. vota moralia eadem sunt in veteri & novo Testamento, 30.a. 31.b. votum Baptismi, 31.b. coniugium aut cœlibatum vovere, 32.a.b. ad votum Papisticum quæ referantur, 32.b. 33.b. aliud est votum, aliud propositum cordis. 32.b. vota esse mandata hominum. 33.a. vovere cœlibatum, quatenus humana fragilitas permittit, 2.a. 32.b. 35.b. votario permittere potius centum scorta, quam unam uxorem, 34. a. de peccatis quæ concurrunt in votis Monasticis ex Luthero. 34.a. argumenta Pontificiorum pro voto cœlibatus, 29. b. 35.b. voti veri conditiones, 31.a. 34. b. de iis qui post votum cœlitatis matrimonium contrahunt, 34. a. 35.a. 36.a. donum continentiæ non habens, tentat Deum vovendo illam, 22.b. 24.b. votum quid sit Papistis, 35.b fides non significat votum Papisticum in scriptura, 37.b. votum ætati competat, 28.b. an Maria fecerit votum virginitatis, 39. b. 56.b. votum perpetui cœlibatus olim non fuit, 40. a. probatur tamen Patribus, 41.a.b. de authoritate & argumentis Patrum pro voto cœlibatus, 41.a. modestius egerunt Patres negocium votorum quam Pontificij. ibidem. votum simplex, aut solenne, 41.b. Pontificij post votum coniuges factos occidunt, 42.b. de rebus non vouendis scholasticorum doctrina, 42. b. de dispensatione, communicatione & redemptione voti, 42.b. in Germania olim liberum fuit non vovere, qui tamen vovissent præstare id tenebantur, 71.b. 73.a. neque hactenus fuit ab ordinandis exactum, 76.a.
Vrbanus 74.b. 144.a.
Vri seu ustionem pati, quid sit, 23. b. quòd ustio sit peccatum, 24. a. damnum ex ustione multiplex, 24. a.
Vxorem suam alijs communem fecit Nicolaus Diaconus, 3. a. uxoris & scorti blasphemum discrimen 5. a.

VV.

VValdenses de coniugio Sacerdotum 76.b.
VVesselus de purgatione animarum 117.b.
VVicelius de uxoratis Episcopis 58.b.
VVilhelmus Rex Angliæ 67.b.
VVolfgangus Lazius 82.a.
VVormacienſis Ecclesia. 86. Concilium ibi habitum, 70. a. 73.b.

Y.

ὑπερφρονεῖν 61.b.
ὑπερφρονητὴς 28.b.

Z.

Zelotypiæ suspicionem quomodo evadere conatus sit Nicolaus Diaconus 3.a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX TESTIMONIORVM EX PATRIBVS IN HAC TERTIA PARTE EXAMINIS ALLEGATORUM: vbi obseruandum, quod explicata ab illis certa Scripturæ loca, secundum horum ipsorum Indicem, quod omnia huc commodè referri non potuerint, inquiri debeant.

A.

Ambrosius de cœlibatu Sacerdotum, 5.b. de virginitate coniugio præponenda, 13.a.b.61.b. de elocandis virginibus, 28.a. de viduis, 39.a. de nubentibus post votum, 40.a.41.b. doctrina eius de votis contradictum, 41.b. de coniugio Sacerdotum, 47.a. 50.a. de coniugio Apostolorum, 52.a. de Tecla, 56.b. de velandis virginibus, ibidem. ad reginam Germaniæ scripsit, 68.b. de digamis, 83.b. de purgatorio, 93.b. 94.b. 65.b. de oratione pro mortuis, 103.b. de pœnitentia tempore in hoc seculo 124.a.

Athanasius de coniugij castitate, 7.b. de Baptismi fide violata, 37.b. de Episcopis coniugatis, 61.a. de purgatorio. 112.a. de Iatrone recepto, 121.a. de loco & statu animarum. 123.b. de mortuis, quòd non debeant esse nostri Doctores, 126.a. de peccato in Spiritum sanctum, 132.b. de invocatione, 200.a. sermo eius de sanctissima Deipara 200.a.

Arnobius de Sacerdotum impura vita 77.a.

Augustinus de Simone mago, 2 b. de Tatianis, 5.b. refutat sententiam Hieronymi de coniugio, 7.a.9.a.13. a.18.b. de coniugij bonis, 8.b.19.b. de virginibus supra coniugatos se efferentibus, 11.a de collatione coniugij & cœlibatus, 12.b.13.b.14.b.20.b de castrantibus se propter regnum cœlorum, 16.a. de præmiis cœlibatus in altera vita, 13.a.16.a.16.b. de commixtionis coniugalis culpa, 18.a. de finibus coniugij, 9.a.18.a. de concupiscentia in coniugio, 18.a. de vera continentia, 23.b. de iis quibus competat cœlibatus 26.a. de petendo à Deo dono continentiæ. 26. b. de votis communibus & propriis, 32.b. de voto Mariæ, 39.b.56.b. de virginitate spirituali, 40.a.41.a. de adulterinis coniugiis, 40.b. de nuptiis post votum, 42.a. de sacrificio Pontificis in lege. 51.a. de diversa doctrina non recipienda. 63.a. de digamia, 82. b. 84.b. de pœnis purgatorij, ex Platone. 88.a. de Scriptura, & verbi Dei authoritate, 89.a.95 b.99.a 107.b.118.a.119.b. 126.a.191.a. de scripturæ iudicium sequendo, 89.a. de libris Machabæorum, 89.b. de Origenis erroribus, 92. b. de purgatorio igni dissimiliter loquitur. 94.b.127. a. refutavit tamen alios Patres illud approbantes. 94.b.95.a.96.a b. de scriptorum suorum authoritate, 97.a.108. b. de epulis ad sepulchra mortuorum. 100.a. de orationibus pro mortuis, 106.b.107.a.b. de apparitionibus defunctorum, 110.a. libri eius de vera & falsa pœnitentia, 111 b. sermones eius de festo commemorationis sanctorum, 111.b. de loco defunctorum post hanc vitam, 123.a. de spectro Samuelis, 126.b. Scripturæ dubias & allegoricas non constituere dogmata, 127.b. de probatione opinionum, dogmatum & cultuum, 135.b. de sanctis mortuis, 141. a. de obscuris disputationibus quid faciendum, 189. a. de dulia & latria, 190.a. de diis & mediatoribus Platonicorum, 185.a. de invocatione Sanctorum, 210. 211. 212.213.214. invocat Cyprianum, 211. a. de vera invocatione & officio mediatoris. 214. sermo eius de S. Paulo, 214.b. codex homiliarum eius, 214.b. de cognitione veræ vitæ, ibid. de spiritu & anima, ibid. liber meditationum eius, ibidem. sermo eius de annunciatione & assumptione 214.b.

B.

Basilius de nuptiis post votum, 40.a. quando sit ei contradictum, 41.b. pater eius, 61. a. de nimia in alteram partem deflexione in alterius partis controversiæ refutatione, 61. b. 208. b. de scripturæ authoritate, 118.a. invocationem Sanctorum in Ecclesiam publicè invexit, 200.b.201.a. ab Epiphanio refutatus 203.a.

Beda de iuramento servando, aut non servando, 42. b. contra coniugium disputavit 67.a.

Bernhardus de iustificatione 10.a. de monasticæ meritu ibidem. de non habentibus donum cœlibatus, 26. b. de Hyberniæ Episcopis coniugatis. 68.a. de meritis & fiducia operum, 135. b. de invocatione Sanctorum, 219. b.

Brentius de Eunuchis propter regnum Dei 16.a.

C.

Chrysostomus de studio continentiæ, 26. a. de viduis, 38. b. de nubentibus post votum, 40.a.41.b.42.a.de Episcopo coniugato, seu de ministrorum coniugio, 45.a. 47.a.47.b.50.a. contra Epiphanium defendit coniugium Sacerdotum, 62. a.de fructibus impuri cœlibatus, 76. a.de memoria mortuorum, 99.a. 102. a.109.a. de Scriptura authoritate, 118.a.de loco & statu animarum. 123. b. de pœnitentia loco in hoc æuo, 124.b. de mortuis pro Doctoribus non habendis, 136.a.de invocatione Sanctorum, 203.b. 204.a.b.de Missa Chrysostomi, 204.b.218.a. homilia eius in natali Petri & Pauli, 204. b. homiliæ ad populum Antiochenum, 205.b.214.b.

Clemens de Nicolaitis, 3.a. de Carpocratianis, 3.b.de Marcione, 5.a. de blasphemis in coniugium, 5.a.54. de Tatiano, 5.b.de secundis nuptiis, 5.b.de argumentis impugnantibus coniugium. 6. a.b.de coniugio Apostolorum, 7.a.de congressu cum coniuge gravidâ aut lactante, 9.a.de finibus coniugij. 9.a.18.a.de fugientibus coniugium ob molestias, 14.b.15.a.de victoriâ molestiarum in coniugio, quam in cœlibatu maiore, 15. a. de uxoribus curantibus, quæ Dei sunt, 15. a. de ordinationibus Apostolorum, 41.b. de uxoribus Apostolorum, 46. b. 58. b. error eius gravis de salute per legem & Philosophiam. Item, de pœnis damnatorum cessuris, 93.a. seminaria iecit purgatorij, 93. a. de satisfactionibus, 97.b. de invocatione. 194.b.

Cyprianus de nuptijs permittendis his, qui virginitatem servare nequeunt, 41.b. de antiquitate & consuetudine, 53.b.220.a. discipulus Tertulliani, 58.b. odium eius in sexum muliebrem, 58. b. de cœlibatus impuri fructibus, 76. a. de norma iudicij ex Scriptura petenda, 89.a. de Apocryphis, 89.b. de satisfactionibus, 97.b. de cibo pauperibus ad sepulchra distributo, 100. a. de oblationibus pro mortuis, 103. a. ignorat cruciatus mortuorum in purgatorio. 103. b. de morte piorum, 105.a. de pœnitentia hic tantum profutura, 123.b. de rebaptizatione, 135.b. quomodo invocationem sanctorum promoverit, 199.a. sermo eius de stella & magis, 199. b. de conversione eius, ibid. 205.a. ab Augustino invocatus, 211.a. de Litaniæ Ecclesiæ 27.b.

Cyrillus contra invocationem sanctorum 206.a.

Cyrillus Hierosolymitanus supposititius, 113. b. 125.b. 211. b.

D.

Damascenus de purgatorio, 112.a.112.b. de authoritate eius, 112.a. invocationes eius 207.a.

Dionysius de oratione pro defunctis, 100. a. b. 101.a. de ritibus circa mortuos, & duplicibus mortuis, 101. a. purgatorium & pœnas eius prorsus ignorat 101. b.

E.

Epiphanius de Secundo, 5. a. de Tatiano, 5. b. de appetitionibus in natura integra aut peccatrice, 8. b.de coniugio, virginitate, viduitate, & scortatione, 9. b. de funerum curationibus, 18. a. de spelunca Bethlehemitica, 41.b. de votis, 41.b. non cogit ad vota, 41.b. de pœnitentia nubentium post votum, 42.a. de Pharisæorum continentia, 54.b. de Nicolaitis, 56. a.57.a. de Gnosticis, 58.a. de cœlibatu Sacerdotum, 62.a.66.a. fuit traditionum admirator, 62. a. ex Sacerdotibus originem traxit, 65. a. de fructibus cœlibatus impuri, 75.a. de orationibus pro mortuis, 104. a. b. 105.a.b.106.a. contraria invocationem Sanctorum, 202.a. refutavit Basilium & Nazianzenum 203.a.

Eusebius de Nicolaitis, 3. a. de vxoribus Apostolorum, 44.b.52.b. de Ecclesiæ puritate & incrementis aut decrementis, 47.b. de cœlibatu Sacerdotum, 50. a.59.a. de Essenis, 54.a. de Apocryphis libris, 57.a. de purgatorio ex Platone, 87.a. de satisfactionibus, 97. b. de Diis Platonicis, 193.a. de invocatione, 194.b. de Pontamiena 298.a.

Euthymius de invocatione Sanctorum 117.a.

F.

Fulgentius de invocatione Sanctorum 217.a.

G.

Gerson de authoritate Scripturæ, 118.a. de revelationibus extra Scripturam 126.a.

Gregorius Magnus de cœlibatu Sacerdotum, 1.b. de coniugali vita cultum Dei impediente, 8.b. de personis ad cœlibatum idoneis, 26. a. de cœlibatu, 64.b. de purgatorio animarum, 86.b. de Machabæorum libris. 89. b. quomodo ex mortuorum spectris fabricaverit & confirmaverit purgatorium, 111.a.b. de Dialogis eius dubitatur, 111.b. de invocatione sanctorum 217.a

Gregorius Neocæsariensis de satisfactione 97.b.

Gregorius Nissenus uxoratus, 61. a. invocationem Sanctorum in Ecclesiam publicè invexit, 200. a. 201. b.

H.

Hegesippus de Ecclesiæ puritate & incrementis, aut decrementis 48.a.53.a.

Hesychius de virginitate hominibus imponenda. 41. b.

Hieronymus de uxoris & scorti discrimine, 5. a. de cœlibatu, 5. b. 12. a. 14. a. 54.a de Tatiano, 6.a. fons sententiæ eius de coniugio, 6.a. argumenta eius contra coniugium. 7.a.17.a.54.b. de hyperbolis, & rhetoricationibus suis, 10.b. de merito cœlibatus, 11.b. de virginitate coniugio præferenda, 13.a.61.b. de funerum curationibus, 18.a. de pœna coniugatorum in futuro seculo, 18.b. de libidinum incendiis, quæ sensit, 23.b. de elocatione virginum, 28.a.b.de coniugio post votum contracto, 33. b. 42.a. de dono continentiæ, 26.a. de studio continentiæ. 26.a. de fide Baptismi violata, 37.b. doctrina eius de votis contradictum, 41.b. de coniugio Sacerdotum, 47.a.50.a. 54.b.62.a. de monachatu, 54.b. de Tecla, 56.a. de monogamia Episcopi, 59.b. de Diaconis uxoratis, 61.a. de Ecclesiis Germaniæ, 68.b. de cœlibatus impuri fructibus, 75.a. de digamia, 82.a. 83.b.84.b. de Apocryphis, 89.b. de purgatorio, 94.a.94.b. miracula Hieronymi à Cyrillo descripta, 113.a. de loco & statu animarum, 123.b. de pœnitentiæ loco in hoc seculo tantum. 124.b. Scripturas allegoricas non constituere dogmata, 127.b. certamen eius cum Vigilantio, 185.a.b. de invocatione Sanctorum 209.b 210.a.

Hilarius de cœlibatu, 26. a. ipse fuit maritus. 45.b. 59.a. de interpretationibus Scripturæ, 46.b. ad Episcopum Vuormacien sem scripsit, 66.b. de fide in scripturas illata, 127.a. de intercessionibus Sanctorum, 99. b.

I.

Ignatius de dono continentiæ, 26. a. de coniugio Apostolorum, 52.b.57.a. de antiquitate doctrinæ alicuius, 53.b. de cœlibatu & coniugio, 55.a.57.a.63.b.

Irenæus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Irenæus de Ecclesiis Germaniæ, 68.a.208.b. de impuri cœlibatus fructibus,76.a. de orationibus pro defunctis,92.a. de argumentationibus ex arena connexis, 113.a.de invocatione,192.b.196.b.de Litania Ecclesiæ 217.b.
Isidorus de votis rescindendis,42.b.de Canonibus Apostolorum 57.a.
Iustinus de authoritate Patrum,53.a. de Polygamia, 84.b. de iudicio ad finem vitæ competente,123.b.de animarum loco & statu,124.b.de invocatione,194. b.196.a.de Litania Ecclesiæ 217.b.

L.

Lactantius de purgatorio,93.a. de iudicio mortuis pacato,93.b.de invocatione vnius Dei 99.b
Leo de invocatione Sanctorum 217.b.
Lutherus de dono generationis lepra libidinis infecto, 8. b. de statu virginum beatiore quam coniugum, 13.b. de coniugij disputationibus pro cœlibatu, 15.b. de votis. 32.a.de peccatis,quæ sunt in votis Monasticis,34.a. de oratione pro mortuis,98.a.de purgatorio 117.b.

M.

Maximus de invocatione Sanctorum 217.a.

N.

Nazianzenus de nuptiis, 5. b. de virginitate,14.a.de coniugibus servientibus Deo, 15. b. de matre sua, 46.a.pater eius fuit Episcopus, 61.a.de oratione pro mortuis,103.b.de peregrinatione mortuorum,105.a. Invocationem publicè in Ecclesiam invexit,200.a.b. Rhetoricationes eius damnosæ, 200. a. de pœnitentia Cypriani, 205. a. ab Epiphanio refutatus, 203. a.
Nicephorus de Christianis iudaizantibus, 54. b. de Nysseno 51.a.

O.

Oecumenius de virginibus,51.b.de salvandis per ignem, 133. b.
Origenes de nuptiis, 5. b. de coniugatorum æquè ut virginum sanctitate, 15. b. 19. a. de petenda à Deo castitate, 26.a. de coniugio Apostolorum, 52.b. ipsi sibi excidit virilia,50.a.60.a.de cœlibatu Sacerdotibus necessario,49.b.50.a.58.b.59.a. seminaria purgatorij à se fabricati à Clemente accepit, 93. a. de igni purgatorio, & pœnis damnatorum finiendis, 93.b.127.b.de satisfactionibus,97.b.de cibo pauperibus ad sepulchra distributo. 100. a. de orationibus ad sepulchra,100.a.de memoria Sanctorum,102. b.de authoritate sacræ Scripturæ, 118. a. non velinquit pœnitentiæ locum in altero seculo,124.b. de extremo quadrante solvendo,130. b. de invocatione, 197.b.204.a.aliorum de Origene iudicia. 203.a. lamentatio Origenis, 203.b. liber eius de pœnitentia, 204.a.homiliæ eius in diversos,204. a. Commentaria eius in Iob,ibid.Origenistarum invocationes,215. 216.

P.

Photius de elocatione virginum 23.a.
Primasius de elocatione virginum 23.a.
Prudentius de purgatorio, 94.a.hymni eius in Sanctos, 215.a.216.a.

R.

Russini Symbolum 62.b.

S.

Socrates de Synodo Nicæna, 58.b.de Eustachio. 61.b.de Sacerdotum maritorum reiectione 62.b.
Sophronius de Christianis iudaizantibus 541.b.
Sozomenus de Nicæna Synodo,59.a.de Spiridone. 61.b. de invecto Monachatu ibid.

T.

Tertullianus de Marcione, 5.a.de discrimine inter uxorem & scortum,5.a.de Montano,5.b. 58. b. origo sententiæ eius de coniugio,6.a. argumenta eius contra coniugium,6. b. de legibus probandis & excutiendis,43.a. de Tecla, 55.b.scripsit contra coniugium,58.b.primum quodq; verissimum, 66.b.89.a. de monogamia, 83. a. 86. a.84.b. de Philosophis quod sint hæreticorum Patriarchæ,87. de satisfactionibus, 97.b.98.a.de oblationibus pro defunctis,99.a.de orationibus pro mortuis,100.a. de duobus locis mortuorum,100.b.de sinu Abrahæ,ibidem.de Scriptura authoritate,118.a.de invocatione,194.b.de Litania Ecclesiæ 217.a.
Theodoretus de verbo Domini non tollendo, 49. b. de digamia 83. b. de polygamia, 84. b. de purgatorio, 112. a. vita eius, 200. a. de invocatione Sanctorum, 205.a.de curatione Græcarum affectionum 205.a.206.b.
Theophylactus de nuptiis viduarum,39.b.41.a. de coniugio Sacerdotum,47.a.de oblationibus pro mortuis 110. a.

V.

Victor de invocatione Sanctorum 217.a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVARTA ET POSTREMA PARS EXAMINIS DECRETORVM CONCILII TRIDENTINI, COMPLECTENS EXPLICATIONEM LOCORVM, DE RELIQUIIS Sanctorum, De imaginibus, De indulgentiis, De jejuniis, De ciborum delectu, & Festis.

ADDITA EST HISTORICA OBSERVATIO controuersiarum, de singulis locis, inde usq; ab Apostolorum temporibus:

AVTHORE MARTINO CHEMNICIO, D.



FRANCOFORTI AD MOENVM, PER
Petrum Fabricium. Anno 1578.

Universidad de Deusto
Biblioteca

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO HENRICO IVLIO, ILLVstrissimi Principis Iulii, Ducis Brunsuicensis & Luneburgensis, filio, & Halberstatensis Ecclesiæ designato Episcopo, &c. Domino suo clementissimo:

Gratiam, salutem ac pacem, à Deo patre, per Dominum nostrum Iesum Christum, unicum Magistrum, autorem & consummatorem fidei nostræ.

SICVT IN FVNESTO GERMAnia bello Romanus Pontifex, pro eius cuius personam sustinet Antichristi, imperio, postulare ausus fuit, ut omnes Principes & Ordines imperii, futuris Tridentini concilii Decretis, sine ulla conditione & exceptione, se submitterent: ita nunc molestissimè fert, si quis cõscientiæ causa ex fundamentis Scripturæ sacræ, quæ tamen ideò Canonica vocatur, in decreta Tridentini Concilii inquirere ausit. Ideò enim Reges & Principes sibi addictos variis artificiis inflammat, ut sine veritatis inquisitione, etiam cõtra pacta & datam fidem, ferro, flamma, & sanguine, executio Tridentini Concilii obsignetur, quasi fides perfidia posset stabiliri. Huius pontificiæ Tyrannidis cùm in pijs de religione sermonibus aliquoties mentio incideret, memini Celsit. vestræ parentem, illustrissimum Principem & Dominum, Dominum Iulium, Ducem Brunsuicensem & Luneburgensem, Dominum meum clementissimum, prolixè laudare id, quod Tertullianus in Apologetico, de legibus contra Christianos tunc latis, rectè & eleganter dixit: Lex quæ probari se non vult, meritò suspecta est, & si non discussa ac probata dominetur, improba est, cum nulla lex sibi soli iustitiæ suæ conscientiam debeat, sed eis, à quibus obsequium expectat.

In quo sermone memini Celsit. ipsius longius progressam, grauiter disserere, quantum referat, in doctrina religionis fontes veræ sententiæ & refutationum, quæ corruptelis & superstitionibus rectè & solidè opponi possunt, ex ipsis fundamentis nosse & tenere, præsertim quãdo ob confessionem veræ doctrinæ odia & pericula, sicut Celsit. ipsius accidit, sustinenda sunt. Cumq; adessent, qui significabant, propter illam causam priores meas contra Tridentina decreta lucubratiunculas, multis doctis & pijs non improbari, Pontificios verò non leuiter urere: Celsit. ipsius co-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſius cohortationibus clementibus inſtitit, ut reliquas etiam partes pertexerem, ac laborem illũ, quem multi non inutilem iudicarent, Eccleſiæ & poſteritati præſtarem. Ac clementer oſtendit, Celſit. ſuæ non ingratum fore, ſi poſtremam hãc partem veſtræ Celſit. ut filiolo ſuo longè chariſſimo, publica inſcriptione dedicarem. Cuius ſui conſilij pias & graues afferebat rationes. Cupere enim ſe Deo propitio, liberis chariſſimis hæreditatem relinquere, non tantum prouinciam egregiè & feliciter excultam, ſed inter theſauros, unum hoc tanquam principale κειμήλιον velle ſuis commendatiſſimum eſſe, formam ſcilicet veræ & puræ religionis, ex fontibus Prophetica & Apoſtolicæ ſacræ Canonicæ ſcripturæ extructã, & Eccleſiarum atque Scholarum, in quibus rectè & piè conſtituendis, quotidiè diligenter elaboretur, curam atq; nutricationem. Vtq; meminiſſent, præcipua capita doctrinæ cæleſtis nõ obiter & in ſuperficie (quod dicitur) ſed ex ipſis fundamentis ſibi cognoſcenda, ut eius confeſſionem paterno exemplo, etiamſi propterea odia & pericula ſuſtinenda eſſent, Deo clementer ipſos gubernante & iuuante, retinere poſſent, Ideo velle ſe à primis annis tradi, commendari & proponi ſuis talia ſcripta, in quibus ex ſacræ ſcripturæ fundamentis, & ex veræ antiquitatis conſentientibus teſtimonijs, doctrina explicetur, & errorum atq; ſuperſtitionum ſolidæ refutationes monſtrentur.

Cumq; Celſit. ſua cognouiſſet, Lindanum Ruremundenſem Epiſcopum, in Apologetico, contra Illuſtriſſimos Germaniæ Principes, & reliquos Imperij Ordines, Auguſtanæ confeſſionis doctrinam profitentes, edito, etiam ſuæ Celſit. Eccleſiaſticam Ordinationem ſatis contumeliosè ſugillare, quaſi in ea à paterna, adeoq; Catholica Chriſti religione, diſceſſum eſſet: clementer ſignificauit, cupere ſe, & ad liberos ſuos chariſſimos, & ad omnem poſteritatem, extare teſtimonium non temerè aut leuiter, ſed habitis grauiſſimis deliberationibus, ex ſolidis ſcripturæ & veræ antiquitatis fundamentis (ſicut de quibuſdam locis in hoc ſcripto ſpecimen exhibetur) Eccleſiaſticam illam ordinationem conſcriptam eſſe, in qua ipſe etiam aduerſarius multa laudare cogitur. Et meminit Celſit. ſua, Illuſtriſſimum ſuum parentem, felicis recordationis, toto illo tempore, quo per aliquot menſes decubuit, mente ad extremũ uſq; integra; noluiſſe Pontificios ſacrificulos, ad exhibendam ſibi ſuperſtitioſam Pontificiorum unctionẽ, & mutilatam cœnam Domini, admittere, non mandaſſe aliquid de vigilijs & miſſis pro defunctis, cùm cõmentitij purgatorij ne mentionem quidem ferre tunc voluerit, non confugiſſe ad patrocinium Sanctorum, nec opera vel ſua vel aliorum iudicio Dei oppoſuiſſe, ſed curaſſe ſibi prælegi dicta ſcripturæ, & ſumptas inde pias precatiunculas de miſericordia Dei & gratuita reconciliatione, remiſſione peccatorum, & ſaluatione, propter meritum & ſatisfactionem ſolius obedientiæ & paſſionis Chriſti, unici noſtri Mediatoris & ſeruatoris, & in ea fide atq; inuocatione obdormiuiſſe. Id quod complures grauiſſimi teſtes, nobilitate generis & virtute præſtantes, conteſtentur, quibus etiam aliquoties diſertè ſignificarit, cum multas ſuperſtitiones, & varios abuſus, in papiſtica Eccleſia animaduertat, ſe filio unico hæredi poteſtatem facere, ut Eccleſiarum ſuæ ditionis reformationem, pro ut ex verbo Dei, Chriſto iudici eius ſe rationem reddere poſſe iudicaret, inſtitueret. Sed de Ordinatione illa Eccleſiaſtica, ſi Lindano eam copioſiùs, ſicut minitatur, ſugillare libuerit, non deerit Illuſtriſſimo Duci Iulio, &c. & Theologis ipſius, vera, pia & honeſta oratio.

Poſtremò quod ad hanc dedicationem attinet, addidit Celſit. ſua & hanc cauſam, quòd exiſtimet, potiſſimam partem educatonis boni Principis in eo conſiſtere, ut in principijs doctrinæ cæleſtis ſideliter inſtituatur, utq; libri complectentes ſummam & fundamẽta eius doctrinæ, à primis annis Principum liberis tradantur & commendentur. Sicut 4. Reg. 11. Ochaziæ filio, octo annorum puero, unà cum regni diademate etiam volumen Legis diuinæ in manus traditur: Licet enim per ætatem de grauiſſimis religionis negotijs iudicare nondum poſſet, exiſtimauit tamen ſapientiſſimus Pontifex Ioiada, utile & ſalutare eſſe, ut voces Legis diuinæ Regij pueri aures à prima ætate circumſonarẽt, atq; traditione illa libri Legis admoneretur, in quam ſpem, ad cuſtodiẽdam ſcilicet & propagandam veram religionem, iuxta Legis diuinæ normam, educaretur. Nam & propter illam ipſam cauſam Reges & Principes olim liberos ſuos in collegijs Eccleſiaſticis, cùm adhuc in vero eſſent uſu, educari voluerunt, ſicut Otto Magnus, & Heinricus Secundus, in collegio Hildeſienſi ita educati & inſtituti fuerunt, & in collegio Leodienſi ſcribuntur aliquando ſex Regum & Principum liberi ſimul ita educati & inſtituti fuiſſe.

Hanc igitur poſtremam partem examinis decretorum Concilij Tridentini, veſtræ, Illuſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime, Celſi. de grauiſſimo parentis Illuſtriſſimi conſilio, propter cauſas iam expoſitas, pro fauſto omine piæ & ſalutaris educationis, debita reuerentia offero, nuncupo & dedico, ac demiſsè oro, ut Celſit. veſtra in ſuſcipiendo ſacro hoc munuſculo eam oſtendat clementiã, qua ſimul & Subditorum votis atq; omini, & Illuſtriſſimæ familiæ Brunſuicenſis & Brandeburgenſis expectationi reſpondeat, & primis aſſueſcat ab annis utilia ſcripta amare, & Eccleſiæ Doctores, in mundo deſpectos & exoſos, ſua clementia complecti, fouere & tueri. Quòd ſi conſimili indicatione pietatis & clementiæ veſtra Celſ. dedicationem hanc acceperit, ſicut ante annos

Universidad de Deusto
Biblioteca

octo, maximæ tunc spei puer, Illustrissimus nunc Prussiæ Dux D. Albertus Fridericus, &c. primæ partis nuncupationem sibi gratam esse ostendit, erit de quo & Deo gratias agã, & Brunsuicensi prouinciæ gratuler.

Legat autem aliquando Celsit. vestra, cùm controuersias illas religionis intelligere cœperit, & interea legent in quarta hac parte alij, non absque voluptate, ut arbitror, integras historias, de reliquijs & imaginibus sanctorum, de indulgentijs, de delectu ciborum, de ieiunijs, & festis, quæ scilicet fuerint de his controuersiis sententiæ & obseruationes in Apostolica & primitiua Ecclesia, quomodo progressu temporis quædam fieri cœperint inclinationes ad seminaria superstitionũ, quibus alij vigilantes Episcopi se opposuerunt, donec tandem Deo mundi ingratitudinem & verbi sui contemptum ulciscente, crassæ & horrendæ indè factæ fuerunt, in Pontificia Ecclesia, non tam superstitiones quàm Idolomaniæ. Et quomodo abiectis prauis abusibus & impijs superstitionibus, controuersiæ illæ ad fontes scripturæ Canonicæ sint reuocandæ, ne propter abusus & superstitiones res ipsæ, quæ, si iuxta scripturæ normam reformentur, ad Ecclesiæ ædificationem retineri possunt, temerè & cum scandalo infirmorum abijciantur. Infeliciter enim sanantur vulnera, ubi medicina adhibetur nocentior morbo, sicut in multis reformationibus sæpè accidit.

Et quia Pontificij videntes se scripturæ præsidijs destitui, antiquitatis speciem corruptelis & superstitionibus suis prætexere conantur, utile est & hunc prætextũ, detectis sophismatum insidijs, ipsis adimere: Veneranda enim est antiquitatis canities, qua viri graues non immeritò mouentur. Voluimus igitur in hisce partibus ostendere, Pontificios fide non bona antiquitatis testimonia tractare. Primò enim pro traditionibus Apostolicis ea venditant, quæ extant in illis scriptis, quæ vetus Ecclesia expresè inter Apocrypha reiecit. Secundò plurima conquirunt suffragia ex illis scriptis, quæ falsò patribus quibusdã tribuuntur. Tertiò, veteribus quædam affingunt, quæ ipsi nunquam vel senserunt vel scripserunt, sicut Andradius scribit, Valentinianos à Tertulliano in Scorpiaco ideo damnatos, quòd dicitarint, sanctis, qui ex hac vita discesserunt, non esse tribuendũ cultum & inuocationem. Extat autem liber ille Tertulliani, & nulla in eo syllaba de cultu & inuocatione sanctorum reperitur, sed hoc refutat Tertullianus, quod nostici Martyriorum (sicut inquit) refragatores docuerunt simplicitatẽ, imò vanitatem atq; adeo dementiam esse, ob cõfessionem. Euangelij mortem perpeti, Deum enim nõ velle mortem peccatoris, qui ideo semel occisus sit, ne nos occideremur, cumq; taurorum & hircorum sanguinem recuset, quomodo hominum sanguinem flagitaret? Contra illud figmentum, Tertul-

Tertullianus ex scriptura ostẽdit, perpetrãda martyria, maximè ideò, ne colendo & orando Deos alienos, nomen & honorem unici Dei creaturis addicamus. Et in illo ipso libro ponit hanc sententiam, quæ fundamenta inuocationis sanctorũ prorsus euertit, quas mihi, inquit, potestates ianitrices in cœlo adfirmas iuxta Romanam superstitionem, scito ascensum illum cõplanatum vestigijs Domini, & introitum reseratum viribus Christi, nec ullam moram in limine Christianis occursuram. Quod si adhuc clausum putas cœlũ, memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse, &c. Et tamen non verentur fingere, Tertulliani tempore, circa annum scilicet CC. eos hæreticos iudicatos, qui sanctorũ inuocationi cõtradixerunt. Ita Chrysostomo tribuunt hanc sententiam, Imperatores Christianos supplicasse sanctis, & scenarum fabrum atq; piscatorem etiam mortuos, ut protectores, inuocasse, cùm ipsa Chrysostomi editio fateatur, in uetustis exemplaribus illa non fuisse, cumq; in aliorum posteriorum scriptis ea inueniantur. Quartò versionibus prauis Græcorũ abutuntur ad superstitiones suas stabiliendas. Ita ex versione nõ vera Perionius conatur inuocationẽ sanctorum ex Iustino probare. Alij adorationem reliquiarũ ex Eusebio, prohibitionem esus carnium ex historia Ecclesiastica, sacrificium Missæ ex Ignatio, satisfactionẽ pro peccatis per ieiunium, ex Basilij τὸ ἀπολογήσασθαι, sicut suis locis ostendimus. Quintò, ex priuatis veterum quorundã disputationibus, & deuotionibus, quibus tamen sæpius alij contradixerunt, faciunt dogmata catholica. Ita memorabile est quod in vita Antonij scribitur: Christianos in Ægypto solitos Sanctorum virorũ defuncta corpora aromatibus condire, ut sæpius spectari possent. Antonium verò ipsis suasorem & autorem fuisse, ut exuuias illas in terram defoderent, ut ibi iuxta sententiam diuinam (Puluis es, & in puluerem conuerteris) computrescerent. Imò ex Origenis opinionibus purgatorijs, quas vetus Ecclesia damnauit, non verentur suum purgatorium Pontificij tanquam catholicũ dogma probare. Sextò, in dissimilibus Patrum sententiis non adhibent normã scripturæ Canonicæ, quæ scilicet sententiæ verbo Dei magis conueniant, sed illas excerpunt, quas iudicant suis superstitionibus pingendis quoquo modo seruire posse. Postremò, cum ingens sit dissimilitudo inter formam Ecclesiæ, quæ fuit Patrum tempore, & quæ nunc est apud pontificios, ipsi veterum testimonia ita allegãt, quasi omnia illa, quæ in pontificia Ecclesia fiunt, Patribus etiam ita in usu fuissent. Hæc & similia his mediocri diligentia in postremis hisce partibus de singulis locis ostendere conatus sum.

Et quia Durandus non dissimulat pleraq; talia, vel ex Iudaicis obseruationibus, vel ex Ethnicis ritibus, in Ecclesiam irrepsisse, utile est propter

Universidad de Deusto
Biblioteca

propter posteritatem, etiam tales Antitheses notare. Quòd enim gentes pro lustratione ciuitatũ & agrorum, circumferendis statuis & promiscuo cantu puerorum & puellarum, Cererem placabant, fulmina popysmis arcebant, & flumine viuo se à delictis purificari putabãt: Inde Pontificij suas sumpserunt processiones, aquã lustralem, quodq; fulminibus strepitus nolarum, & suffitus herbarũ consecratarum opponunt. Forma certè in cultu Sanctorum apud Pontificios per omnia similis est, sicut apud gentes singulis Idolis peculiaria dedicata erant templa, statuæ deorum in templis, & anathemata in templis suspensa. Et sicut apud gentes Herculi decimas vouebant, ut diuitijs abundarent: Æsculapio gallum mactabant, ut à morbo conualescerent: Neptuno taurum immolabant, ut feliciter nauigarent. Et sicut Varro dixit, discendum, qua de causa quisq; deorũ aduocandus sit, ne à Libero aqua, à lympha vinum optetur: Ita Pontificij certas procurationes inter Sanctos distribuerunt, ut Christophorum certis ritibus colendum & inuocandum, ut præseruet à repentina morte: Sebastianum & Rochum ut à peste: Antonium ut ab igne sacro: Hubertũ ut à morsu canis rabidi: Sigemundum ut à quartana: Benedictum ut à calculo: Leonhardum ut à vinculis: Iobum ut à scabie, Valentinũ ut ab epilepsia: Apoloniam ut à doloribus dentium: Seruatium ut ab omnibus morbis: Laurentium & Florianum, ut domum ab igne seruaret: VVendelinus gregem à lupis defendebat: Scholastica tonitrua & tempestates arcebat: Ludouicus minorita cereuisiæ curam agebat: Vrbanus & Medardus vini: Margarita parturientibus ipsa virgo præerat: Georgium tutelarem habebant equites: Nicolaum nauigantes: Erasmum negociantes: Hieronymo cereus accendebatur, ad res perditas recuperandas. Imò sicut Alcoranus Mahomethi violationem iurisiurandi tridui ieiunio compensat, & eadem boni viri duorum mensium ieiunio expiat: ita Pontificii certis ieiuniis quauis delicta expiant, imò per ea mortuis se subuenire fingunt. Sed infinitũ esset omnia percensere, hæc verò exempli tãtùm gratia hoc loco adducta sunt, cùm de argumento, quod in hisce partibus tractatur, quædam dicenda essent: In ipso verò scripto, Lector hæc plenius explicata inueniet.

Deum autem oro, ut vestram, Illustrissime Princeps, Celsit. tanquam nouellam oliuæ plantulam, Spiritu suo sancto in tota institutione rigare, fouere & excolere velit, ut efficiatur organon Deo gratum, politiæ utile, & Ecclesiæ salutare, Amen. Brunsuigæ, X. Augusti, Anno Domini: M. D. LXXIII.

Celsit. vestram

demisè & reuerenter colens,

Martinus Chemnicius, D.

DE RELIQVIIS SANCTORVM

Decretum Concilij Tridentini.

Sanctorum quoq; Martyrum, & aliorum cum Christo viventium, sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templa Spiritus sancti ab ipso ad æternã vitam suscitando & glorificanda, à fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur: Ita ut affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem atq; honorem non deberi, vel eas aliaq; sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atq; eorum opis impetrandæ causa, Sanctorum memorias frustrà frequentari, omnino damnandos esse, prout iampridem eos damnauit, & nunc etiã damnat Ecclesia.

QVIS SIT STATVS CONTROVERSIÆ IN HOC LOCO.

Scriptura ideò vocatur Canonica.

SAcra scriptura ideò vocatur Canonica, quòd sit & esse debeat Canon seu Regula, ad quam exigendum, & secundum quam dijudicandũ est, quicquid sive de dogmatibus, sive de cultibus in Ecclesia Dei disputatur. Ad hanc regulam, hoc est, ad sententias & exempla Scripturæ, si hæc disputatio de reliquiis Sanctorum referatur & examinetur, facilis & plana erit dijudicatio. Vt autem commodius & rectius illud fieri possit, principiò exponemus capita, in quib. hæc controversia de reliquiis Sanctorum consistit. Non enim in eo status hujus controversiæ vertitur, An corpora, reliquiæ, sive ossa Sanctorũ, quorum animas Deus ex hac mortali vita ad cœlestẽ patriam evocavit, propter spem resurrectionis & glorificationis sint honorificè & reverenter tractanda & sepelienda, sed Pontificii, quando deveneratione atq; honore reliquiarum disputant, de his potissimùm capitibus dimicant.

Dicta de hac Pontificiorum in hac actione dicunt.

Elevatio corporum defunctorum.

Corpora, cineres, seu ossa Sanctorum, ex sepulchris eruenda seu elevanda, & in loco edito, puta supra summum altare, vel in alio conspicuo loco collocanda, auro, argento, serico, &c. exornanda.

Circumgestatio in publicis processionibus.

Reliquias illas in processionibus & supplicationibus publicis esse circumferendas, ac populo Christiano tangendas, exosculandas, vel saltẽ spectandas, esse ostentandas, & proponendas.

Canonistæ ad invocationem.

Docent, tales reliquias per Pontificem Romanum esse approbandas, Extra. De reliquiis & veneratione Sanctorum, quod Canonistæ dicunt fieri per Canonizationem, quam ita definit Antonius parte 5. suæ summæ, Titulo 12. cap. 8. quod per canonisationem Sancti proponantur à Papa, ut exemplar fidei & vitæ sanctæ, & ab omnibus ADORANDI ET in necessitatibus INVOCANDI.

Cultum earum meritorium esse.

Docent singularem & meritorium cultum Dei esse, si populus opis impetrandæ causa (sicut Tridentinum Decretum loquitur) propositas & ostentatas illas reliquias tangat, osculetur vel spectet, & ante illas, gestu & animo adorabundus procidat, & candelis, serico, corollis, & similibus ornamentis eas veneretur.

V. Gratiam & virtutem Dei in iis inesse.

Docent, gratiam & virtutem Dei in illis reliquiis, quibus eam dictitant insidere, aut assistere, quærendam, & ejus participes fieri, qui reliquias illas tangunt vel spectant.

VI. Offerenda iis dona.

Sacrificium Deo gratum esse, si reliquiis illis offerantur preciosa dona.

VII. Indulgentiam peccatorum dari colentibus eas.

Reliquias illas tangentibus, osculantibus, aut saltem spectantibus, multas peccatorum indulgentias pollicentur.

VIII. Orationes ad Sanctorum reliquias magis exaudiri.

Orationem meliorem, digniorem, & Deo acceptiorem esse, si fiat apud vel ante reliquias Sanctorum, ut quorum meritis opem impetremus. Atq; ideò in necessitatibus vota facienda, & peregrinationes suscipiendas ad illa loca, ubi existimantur reliquiæ Sanctorum esse, ut ibi opis impetrandæ causa invocentur.

Vota & peregrinationes ad loca sanctorum.

Ad sacramenti Eucharistiæ sanctitatem etjam non parum conferre, si in altari reliquiæ Sanctorum includ̃ habeantur.

IX. Ad Eucharistiæ sanctitatem iuvarii is.

Canonistæ docent, reliquias Sanctorum posse super aliquem poni, Thomas addit, illas licitè posse portari in collo ex devotione & FIDVCIA ad Deum & ad SANCTOS, quorum sunt reliquiæ, Hæc enim sunt verba Thomæ.

X. Gestatio earum aut super aliquẽ impositio.

Iuramenta apud Pontificios fiunt tactis Sanctorũ reliquiis, ut religio Iurisiurandi inter Deum & inter Sanctos dividatur.

XI. Vsus in iuramentis.

Incertis, suppositiis & falsis reliquiis plena sunt apud Pontificios omnia, quibus tamen sine discrimine eadem veneratio & idem honor exhibetur.

XII. Multa ossa falsò pro Sanctorum reliquiis haberi.

Hæc apud Pontificios in veneratione reliquiarum & factitata esse & adhuc fieri, publicum & notorium est, quæ ideò in principio hujus loci, tanquam in tabella explicata, proponere volui, ut Lector consideret, quales abusus & superstitio nes, sub specioso titulo, de honorandis Sanctorum reliquiis stabilire, & Ecclesiæ rursus obtrudere conetur Tridentinum Concilium. De his enim capitibus quivis Christianus, ex verbo Dei rectè institutus, juxta analogiam fidei facilè judicare potest. Quia verò quando superstitiones illæ reprehenduntur, invidiosè opponi solet ex Scriptura & ex pia antiquitate plausibilis titulus de honorãdis Sanctorum reliquiis, sub quo crassas & tetras illas superstitiones, quas in Tabella præcedenti notavimus, venditare conantur: Primò igitur paucis ostendemus Scripturæ sententiam, quomodo illa, & testimoniis & exemplis Sanctorum demortuorum corpora, ossa, seu reliquias veneretur & honorari velit, unde ipsa antithesis per se ostendet, Pontificias veneraciones nec testimonia nec exempla Scripturæ habere, imò Scripturæ adversas & contrarias esse. Secundò ex historia antiquitatis, de veneratione reli-

Capita secuturæ refutationis.

Ex Scriptura quomodo honorandæ reliquiæ.

Ex historia antiquitatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quiarum, quædam annotabimus, quomodo illa à bono & tolerabili usu ad superstitiones & abusus magis magisq; inceperit degenerare, donec tandem in Idololatriam non dissimulandam evasit.

SACRAE SCRIPTVRAE SENTENTIA, de corporibus, ossibus, seu reliquiis Sanctorum.

Quomodo gentes mortuorum corpora tractaverint. Iulianus.

GEntes, cùm verbum Dei de corporum resurrectione & glorificatione ignorarẽt, licet de animarum immortalitate aliquid, quasi per somnium cogitarint, ipsa tamen cadavera hominum mortuorum, propter fœtorem & immundiciem tanquam abominabilia exhorruerunt, sicut Iulianus apud Cyrillum libro decimo ostendit. Inde Barbari quidam cadavera hominum canibus & avibus dilanianda & devoranda projecerunt,

Leges XII. tabularum. Et leges XII. Tabularum corpora mortuorum in civitate, ne inde contaminarentur, sepelri severè vetuerunt, quæ prohibitio etjam postea aliquot Principum rescriptis confirmata fuit. Scriptura verò non tantùm animarum præstantiam & immortalitatem docet, verumetjam corporum in piis in hac vita sanctificationem celebrat, & eorum post hanc vitam, in resurrectione futuram glorificationem promittit. Sicut enim Deus non animam tantùm, verumetjam corpus humanum creavit: Ita filius Dei Mediator non animam tãtùm, verumetjam corpus humanum assumere & redimere voluit. Et Spiritus sanctus Lavacro regenerationis & renovationis non animam tantùm, sed & corpus abluit, obsignat, & sanctificat, nec anima tantùm, sed & corpora nostra, sicut inquit Irenæus, percipiunt Eucharistiam, quę constat duabus rebus, terrena & cœlesti, corpore scilicet & sanguine Christi. Et Paulus affirmat, corpora fidelium etjam in hac vita esse domicilia & templa inhabitantis Spiritus sancti & gratiæ Dei, 1. Corinth. 6. & 2. Corinth. 6. Corpora etjam piorũ esse membra Christi, idem affirmat 1. Corinth. 6. Ephes. 5. Et in ipsis etjam corporibus, & per corpora, Deus multa gloriosa & mirabilia opera in Sanctis suis exercet & ostendit, sicut per manus Apostolorum edebat signa & prodigia, ac umbra Petri sanabat infirmos, Actorum 5. Membra nostra præbemus arma justitiæ Deo, Rom. 6. Et glorificamus Deum, non tantùm per spiritum, sed & per corpus nostrum, quæ utraq; sunt Dei, qui ea precio redemit, 1. Cor. 6. Ac stigmata crucis & passionis Christi in ipsis nostris corporibus portamus, Galat. 6. 1. Cor. 15. Et illa ipsa hæc misera piorum corpora filius Dei in novissimo die ad vitam suscitabit, Iohan. 5. Et in hac carne mea videbo Deum meum, Iob 19. Qui corpus humilitatis nostræ glorificabit, Phil. 3. ut quod nunc seminatur in corruptione, ignominia, & infirmitate, resurgat in incorruptibilitate, gloria & potentia, 1. Corin. 15. Vt splendeat sicut Sol, Matth. 13. & conforme reddatur glorioso corpori Christi, Philip. 3.

Principum rescripta.

Scriptura sententia de mortuorum corporibus.

Irenæus.

Paulus de honore corporum fidelium.

Scriptura dupliciter considerat homiñ corpora.

Scriptura igitur corpora piorum dupliciter considerãda proponit. Primò, quia sint per naturam, postquam propter peccatum in summas miserias demersa sunt, corpora scilicet peccati & mortis, Rom. 7. & 8. in corruptione, infirmitate, & ignominia, 1. Corin. 15. Sicut veteres elegantèr dixerunt: Quid aliud est homo secundum corpus, quàm sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium?

Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror, *Bernhardus*

Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Item:

Cùm sex, cùm limus, cùm res vilissima simus,
Vnde superbimus, ad terram terra redimus.

Secundò, proponit Scriptura fidei ita considerãda piorum corpora, quid per gratiam in hac vita in spe fiant, & quid post hanc vitam in gloria futura sint, sicut jam ostendimus.

Scriptura duplicitèr de sepulchris & cadaveribus mortuorum loquitur.

Eodem modo Scriptura etjam de sepulchris & cadaveribus piorum loquitur dupliciter. Primò sicut per se sunt & sensui patent, ut cùm Christus Matt. 23. dicit: Sepulchra foris quidem apparere speciosa, intus verò plena esse ossibus mortuorum & omni spurcitia. Et quando Iob inquit, cap. 7. Induta est caro mea putredine, & sordibus pulveris, cutisq; mea facta est abominabilis. Et 19. Vado ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans. Cap. 13. Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea, &c.

1. Cuiusmodi per se sensibus patent.

Matth. 23. Iob 7. 20. 13.

Secundò loquitur Scriptura de corporibus, reliquiis & sepulchris fidelium defunctorum, qualia sunt ex gratia, in fide & spe coram Deo, ut: Preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, Psalm. 116. Custoditt Dominus omnia ossa justi, unum ex his non conteretur, Psal. 34. Vocantur mortui Dei, Iesa. 26. Mortui tui vivent, expergiscimini & jubilate, qui habitatis in pulvere, quia ros herbarum virentium rostuus. Intra populus meus in cubicula tua, donec transeat indignatio mea. Et hinc sumpsit Syrach, quod bis repetit. cap. 46. & 49. Ossa eorum de locis suis revirescant. Iesa. 56. Veniunt in pacem, requiescunt in cubilibus suis. Matth. 9. Non est mortua puella sed dormit. 1. Corinth. 15. Dormiunt in Christo. Apoc. 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Nam & caro mea requiescet in spe, resurrectionis scilicet & glorificationis, Psal. 16. Cumq; in veteri Testamento tactus mortui contaminaret, Christus in novo Testamento, assumpta mortali nostra carne, tangens mortuos, ipsa cadavera nostra sanctificavit: Et positus in monumento alieno sepulchra nostra, per se immunda, gloriosa reddidit. Inde enim Angeli in albis in sepulchro apparent, per ipsum enim sepulchrum & requies humani corporis, facta est gloria, Esa. 11.

Cuiusmodi ex gratia coram Deo.

Psal. 116.

Psal. 34.

Esaiæ 26.

Syr. 46. 48.

Esa 56.

Matth. 9.

1. Cor. 15.

Apoc. 14.

Psal. 16.

Tactus mortui.

Esa. 11.

Hæcideò copiosius descripsi, quia quando superstitiosus cultus reliquiarum reprehenditur, statim solet objici, quod Hieronymus etjam Vigilantio opponit: Ergo Petri & Pauli reliquiæ immundæ sunt? Ergo Domini corpus in sepulchro positum immundum fuit? Et Angeli mortuo cadaveri atque polluto præbebant excubias? Ergóne cilicio colligandæ, & in sterquilinium projiciendæ sunt Martyrum reliquiæ? &c. Respondemus autem, nos nequaquam sentire aut docere, Sanctorum reliquias vel cõtemptim habendas,

Hieronymus.

Scriptura docet reliquias in precio habendas.

bendas, vel irreverenter & irreligiosè tractandas, sed eo illas loco & in eo precio habendas, sicut recitata testimonia Scripturæ ostendunt. Nõ autem inde sequitur, vel ex humanæ rationis cogitationibus sumendum, vel ab Ethnicorum aut quorumcunque hominum exemplis discendũ, aut quenque sibi ipsi fingere debere, qua veneratione honorandæ sint Sanctorum reliquiæ: sed eadem Scriptura, quæ docet in precio habendas

Scriptura etiam docet rationem veneranti reliquias Sancto rum.

Sanctorum reliquias, modum etjam & rationem veræ venerationis earum ostendit. Et si hanc regulam sequamur, non poterimus errare, nec poterit quis jure nos accusare, quod reliquias Sanctorum non satis veneremur, si honorem in Scriptura præmonstratum ipsis, exhibeamus. Et quicquid huic regulæ non consentaneum, in veneratione reliquiarum præsumitur, illud meritò ac jure reprehendere ac repudiare possumus. Lucerna enim pedibus meis verbum tuum. Et: Si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.

Scriptura vetus Testamentũ ignorat ea, quæ Pontificii de colendis reliquiis Sanctorum declamitant.

Extant igitur in Scriptura multæ descriptiones funerationum, & quidem aliquot, ut in veteri Testamento magnificæ & sumptuosæ extant curationes funerum: nihil verò tale in illis descriptionibus legitur, sicut Pontificii de cultu reliquiarum docent, sed tantùm quod funera piorum honorificè curata, reverenter ad sepulturam deducta, & religiosè in monumentis condita & asservata sint. Idem & multò quidem simplicius in novo Testamento de sepultura Baptistæ & Stephani legimus. Cumq; tota plebs Iudæorum Patriarcharum memoriam semper maximi fecerit, & quidem ratione promissionis (sicut in præcedenti loco dictum est) nomina eorum etjam in precibus publicè commemorarint non tamen ad monumenta eorum invocationem instituerunt, non ossa ipsorum effossa circumgesta runt, & ad peculiarem cultum osculanda, tangenda, spectanda, ostentarunt, non accensis cereis honorarunt, non impetrandæ opis causa coluerunt, non docuerunt gratiam & virtutem Dei apud reliquias illas quærendam, non vota fecerunt, non oblationes obtulerunt reliquiis illis, non imposuerunt eas langventibus, nec ad collum portarunt, non posuerunt in illis spem & fiduciam, non per ossa Sanctorum jurarunt, cum aliàs in juramento varios admisissent abusus, Matthæi 5. & 23.

Quid novum Testamẽtũ de reliquiis.

Quòd si quis excipiat, in veteri Testamento gratiam Dei parciorem fuisse, & contactum mortui etjam pii tunc pollutum habitum: In novo certè Testamento inter natos mulierum, excepto Christo, non surrexit major Ioanne Baptista. Et Stephanus plenus gratia & fortitudine, edidit miracula & signa magna in populo, Actorum 6. Non tamen vel cùm Baptista, vel cum Stephano, vel cum Apostolis mortuis tale quid fecit Apostolica Ecclesia, quod Pontificios reliquiis Sanctorum facere ostendimus. Eisengrinus quidem ita argumentatur: Si Actorum quinto ægrotos exportarunt, ut venientis Petri vel umbra illos obumbraret. Si Actorum decimo nono, Sudaria à corpore Pauli delata, & super infirmos imposita, morbos fugarunt: Quare non idem jam etjam reliquiis Sanctorum tribueremus, cùm per

Eisengrini argumentũ.

mortem gratia ipsorum non sit imminuta, sed magis aucta.

Sed illam argumentationem & talem consequentiam Scriptura & veteris & novi Testamenti prorsus ignorat. Neq; enim quæcunq; Deus per Sanctos suos in hac vita fecit, eadem etjam per corpora & ossa ipsorum post mortem se facturum promisit. Vtebatur ministerio ipsorum in hac vita ad propagandum Evangelium, & addidit promissionem de signis sequentibus, Marci 16. Illo ministerio defuncti sunt in hac vita, & sicut de Davide Paulus Actorum 13. inquit, cum suæ generationi voluntate Dei serviissent, obdormierunt. Non itaque consequens est, quod Deus in hac vita per Sanctos præstitit, illud post mortem apud reliquias ipsorum quærendum esse. Non dubium sanè est, Deum pro infinita sua potentia per ossa Sanctorum majora etjam miracula posse facere, quàm quæ per ipsos, dum in hoc sæculo viverent, facit. Sed Scriptura cùm de corporibus & ossibus Sanctorum mortuorum multa tradat, non tamen vel à potentia Dei absoluta, vel ex eo quod Deus per Sanctos in hac vita fecit, consequentiam talem texit ad reliquias ipsorum, ut fine certo & expresso verbo peculiarem cultum ad reliquias Sanctorum instituat. Et Dei voluntas non nostris argumentationibus, sed suis ipsius æstimanda est vocibus. Hæc regula certissima & tutissima est.

Ac diligenti observatione dignum est, quòd exempla de reliquiis Sanctorum in verbo Dei ita descripta sunt, ut quasi intento ad fontem digito, explicationes & refutationes eorum, quæ à Pontificiis opponuntur, præbeant. Vt Elisæus 4. Reg. 13. jam moriturus vaticinatur de victoria Israelitarum contra Syros, si convertantur ad Dominum. Cumq; Elisæus jam mortuus & sepultus esset, & eodem anno coptæ militares Moabitarum irruptionem facerent in terram Israël, Deus peculiari & extra ordinario miraculo confirmaturus veritatem vaticinii Elisæi, per contactum ossium ipsius jam defuncti, mortuum hominem resuscitavit ad vitam. (Et hoc est quod Syrach dicit, cap. 48. Corpus Elisæi post mortem prophetasse.) Quidni enim Deus sua virtute, quando vult, hæc posset facere, per ossa illa, quæ suæ custodiæ commendata esse affirmat, Psalm. 34. Non autem dicit Scriptura, mortuum illum hominem ex destinato & proposito ad Elisæi sepulchrum abductum, ut contactu ossium ipsius resuscitaretur, quasi tunc fuerit consuetudo in populo Dei, concurrendi ad sepulchra Prophetarum seu Sanctorum, ut votis & invocationibus gratiam & virtutem apud ossa mortuorum quærerent. Sed textus dicit inopinato casu mortuum illum in Elisæi sepulchrum projecti, cùm quidem vellent sepelire hominem, & supervenientibus latrunculis, non haberent spacium faciendi foveam, ne ita q; cadaver in sepultum, hostium libidini expositum esset, aperuerunt tymbam monumenti, quod proximum erat, quod Elisæi fuit, & in illud non deposuerunt (tantùm enim temporis non habebant) sed projecerunt mortuum suum, qui ad fundum delapsus, ita attigit ossa Elisæi, & revixit, ut hoc miraculo DEVS Israelitas commonefaceret Prophetiæ Elisæi, ne

Exemplum de reliquiis Elisæi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

timerent incursiones hostiles, si modò Domino adhærerent.

Quia verò illustre & stupendum fuit illud miraculum, & Pontificii omnes illos suos cultus reliquiarum, quos paulò antè descripsimus, ex miraculis extruxerunt (A miraculis enim argumentantur ad institutionem cultuum) videbimus, an Scripturæ ex insigni hoc miraculo ossium Elisæi idem fecerit, vel faciendum præscripserit, quod Pontificii faciunt in cultu suarum reliquiarum. Si enim Scriptura ex illo ossium Elisæi miraculo idem fecit, valebit illa Pontificiorum consequentia, à miraculis ad cultum, sin minus, rectè & tutò ea poterit repudiari, à quibuscunq; etjam nectatur. Iam verò etjam post editum illud miraculum, Elisæi ossa non legimus sepulchro eruta, in sublime elevata non circumgestata, non exosculanda, tangenda, spectanda, proposita, non candelis honorata, non serico exornata, non opis impetrandæ causa, invocatione adorata, non ad peculiarem cultum proposita. Nec institutus fuit concursus ad ossa illa ad quærendam ibi gratiam & virtutem Dei, non promissæ indulgentiæ, non impositæ reliquiæ illæ infirmis vel mortuis, non per illas juratum, non collocata in illis spes & fiducia, &c. Tale prorsus nihil in Scriptura de reliquiis Elisæi factum legimus, etjam postquam insigne & stupendum illud miraculum per ossa ejus editum fuisset. Sed ossa Prophetarum in monumentis seu sepulchris relicta sunt, id quod etjam Christus affirmat Mat thæi 23. Nec ad sepulchra illa iustorum Iudæi perrexerunt adoraturi seu invocaturi. In templo enim adorabant. Aedificabant sanè sepulchra Prophetarum, & ornabant monumenta iustorum, Matth. 23. declarantes ita reverentiam suam erga sanctos Prophetas, quos injustè occisos fatebantur. Sed hoc ipsorum studium non in admodum excellenti gradu à Christo commendatur, quin potius, sicut & Chrysostomus interpretatur, hoc in ipsis graviter reprehenditur, quòd sint mortuorum Prophetarum laudatores & admiratores, cùm viventium, & præsentium, qui peccata arguunt, & verbum Dei purè docent, sint contemptores & persecutores, quodq; Sanctos pauperes hîc viventes negligant, & in mortuorum monumentis ædificandis ostentationis gratia multum absumant. Nam & hanc interpretationem addit Chrysostomus.

Ex miraculo ossium Elisæi non institutus cultus.

Ornantes sepulchra iustorum quando laudẽtur. Matth. 23.

Hæc sunt manifesta & profectò talia, quibus semel tota hæc controversia, de reliquiis Sanctorum, definiri, & universus Pontificiorum cultus hac in parte refutari potest. Nam & Syracides cap. 48. describens miracula Elisæi in vita & post mortem, finem & usum ponit, ne unum quidem ex illis capitibus, quæ de Pontificiorum cultu annotavimus, sed confirmationem vaticiniorum Elisæi, utq; populus à peccatis ad DEVM, quem Elisæus docuerat, converteretur. Et memoriam quidem ac reliquias Sanctorum & Prophetarum reverenter celebrat Syracides, non autem addit superstitiones illas, de quibus Pontificii dimicant: sed ossa in sepulchris sub spe gloriosæ resurrectionis relinquit, & reverenter habet, ut cap. 46. & 49. Sit memoria eorum in benedictione, & ossa eorum locis suis pullulent seu revirescant, & nomen eorum permaneat in æternum, permanente gloria ipsorum ad posteros.

Ossa piorum reliquuntur in sepulchris

Porrò extat etjam in scriptura exemplum de asservatis & deportatis Iosephi reliquiis, cujus consideratio præbebit materiam veræ explicationis & refutationis eorum, quæ Pontificii de transferendis & asservandis reliquiis Sanctorum disputant. Iosephi enim mortui corpus non fuit in AEgypto vel sepulturæ mandatum, vel in monumentum illatum, sed aromatibus conditum, & in arcam seu ciſtam ex precioso ligno fabrefactam sepositum, & usque ad exitum Israelitarum ex AEgypto asservatum. Num verò ad instituendum talem cultum, sicut capita de Pontificia veneratione reliquiarum suprà descripta sunt? Nequaquam. Sed Ioseph, ad testificandam suam fidem in promissionem Dei, mandavit, ne corpus suum in AEgypto sepeliretur, sed ut tam diu asservaretur, donec in tempore visitationis ossa secum asportarent in terram promissionis, ut hoc quasi illustri pignore posteri inter pressuras & persecutiones animati, de exitu ex AEgypto, & de hæreditanda terra promissionis, non hæsitarent. Nam & ideò hoc Iosephi factum, reliqui ex duodecim Patriarchis non traxerunt in exemplum, nec sequentes Prophetæ & justi hoc imitati leguntur. Nec verò dubium est, filios Israel ossa seu reliquias Iosephi reverenter asseruasse, id quod Syrach ostendit verbo ἐπισκέπτεσθαι, quod significat tam diligenter aliquid servare, ac si operimento aliquo defenda tur & muniatur, nihil tamen illius superstitiosæ venerationis, quam suprà descripsimus, ipsos reliquiis illis Iosephi exhibuisse legimus. Vetus translatio legit Syrach 49. Ossa Iosephis visitata esse, & post mortem prophetasse, quod quidam eò detorquent, quasi Israelitæ ad ossa Iosephi, instituta peregrinatione, tanquam ad oraculum cõcurrerint. Sed Græcus textus habet ἀπεσκέπτεσθαι, quod verbum jam explicatum est. Posteriora verò verba prorsus non habet, sed ex cap. 48. quod ibi de Elisæi ossibus dicitur, Librarii ad Iosephi etjam ossa, contra fidem textus transtulerunt.

Asservatio & deportatio ossiũ Iosephi.

Exemplum Iosephi nõ ad imitationẽ.

Textus Syr. ad peregrinationes transformatus.

Porrò de asportatis etjam Iosephi reliquiis, historia sacra loquitur, Exod. 13. Sed nec eo modo nec fine, nec ea de causa, nec tali opinione, sic ut circumgestationes reliquiarum apud Pontificios fiunt. Reverenter fine dubio reliquias illas Iosephi Israelitæ asportarunt ex AEgypto in terram promissionis, sed nihil tale ipsis exhibuerunt, quale Pontificios suis reliquiis facere suprà ostendimus. Neque enim cùm Pharao ipsos insequeretur, cùm ignitis serpentibus infestarentur, cumq; undiq; ab hostibus premerentur, ad Iosephi reliquias, quas secum portabant, opis impetrandæ causa, sicut Tridentinum Decretum loquitur, confugerunt. Cumq; reliquias illas in terram promissionis tulissent, non elevarunt illas (ficut Pontificii loquuntur) nec peregrinationes & cultus ad illas instituerunt: sed sub terra illas condiderunt & sepelierunt, Iosuæ 24. Nec postea ad sepulchrum vel Iosephi, vel aliorũ Patriarcharum & Prophetarum, tales concursus

Transportatio ossium Iosephi qualis.

Non concursus ad ossa Iosephi.

Epiphanius.

Cyrillus.

Translatio reliquiarum in scriptura.

Ossa Saulis & Ionathæ.

Sepulchreta peculiaria.

Iosias.

Sinite eum quiescere. Ossa de sepulchro ejecta.

Tatianus.

Cyrillus.

sus & cultus unquam institui leguntur, quales Pontificii ad suas reliquias celebrant. Imò Epiphanius contra Antidicomarionitas citat ex 70. interpretatione sententiam Scripturæ, qua damnantur illi, qui mortuis cultum præstant. Et apud Cyrillum libro 10. contra Iulianum citatur sententia ex Esaia, ex sepulchris ac speluncis dormiunt propter insomnia. Quod tamen Hieronymus in Cõstantia quadam, quæ in sepulchro Hilarionis pervigiles noctes ducere erat solita, laudat, & quidam etjam assumẽtum illud in 49. cap. Syracidis, de ossibus Iosephi prophetantibus, ita interpretari non verentur.

Similiter extat etjam in Scriptura exemplum de ossibus seu reliquiis mortuorũ ex uno sepulchro in aliud translatis, ut intelligeremus, Scripturam etjam in hac disputatione de translatione reliquiarum certam regulam præbere. Nequaquam autem iis de causis, eo modo, & eo fine, talis translatio in Scriptura facta describitur, sicut apud Pontificios fit. Sed quia cives Iabes Gilead sepelierant ossa Saulis & Ionathæ in nemore Iabes, 1. Regum 31. David igitur postea ossa eorum transtulit in terram Benjamin, & intulit in paternum Saulis sepulchrum, 2. Reg. 21. Audis cautam politicam, sicut tunc magnæ familiæ sua peculiaria habebant sepulchreta. Et Berzellai senex ideò aulicam dignitatem respuit, ut posset sepeliri juxta sepulchrum parentum suorum, 2. Reg. 19. Aliud etjam illustre exemplum extat 4. Reg. 23. Cùm enim Iosias sepulchra, quæ erant in excelso Ieroboam, destrueret, ossa exuit ex sepulchris, & combussit ea super altare. Cùm verò intelligeret non procul inde abesse sepulchrum viri Dei & Prophetæ, mandavit Iosias: Sinite eum quiescere, & nemo loco moveat ossa ejus. Et addit textus, Ossa illa intacta manserunt. Econtrà verò pœna divina ita describitur: Ieremiæ 8. Ejicient ossa eorum de sepulchris suis. Baruch 2. Transferentur ossa Patrum nostrorum de loco suo, & projicientur.

Ex his itaq; quæ hactenus recitavimus, manifestum est, si Sacram Scripturam pro Canone & Regula dogmatum & cultuum habere volumus, Pontificias reliquiarum veneraciones jure & rectè repudiari posse, cùm Scripturæ testimoniis & exemplis destituantur, nec illis consentaneę sint. Sanctas verò piorum reliquias ita rectè secundũ Scripturam honorari, si ita, sicut Scripturæ sententiis ostendimus, de ipsis sentiamus, atq; hac opinione reverenter funera curemus, religiosè ad sepulturam deducamus, & terræ, magnæ matri, commendemus, juxta sententiam Dei: Terra es, & in terram reverteris. Atque ea ibi, in spe resurrectionis, & glorificationis, reverenter quiescere, Iesa. 57. & in pulvere dormire, (Dan. 12.) sinamus, donec, qui in monumentis sunt, audiant vocem filii Dei, qua ad vitam suscitentur, Ioa. 5. Hoc enim modo, ipsius Dei custodiæ reliquias Sanctorum commendamus, Psl. 34. Vt sint, sicut oratio quædam Tatiani ad Græcos eleganter inquit, ἐν ταμείοις ἐν ἀποκέμενα, in pœnu, conclavi seu cubiculo prædivitis Domini depositæ. Et Cyrillus lib. 10. cõtra Iulianum verum reliquiarum honorem in Ecclesia etjam hoc modo describit: Defunctorum, inquit, reliquias videri quispiam apud nos non nudas & negligenter in terram projectas, sed bene compositas. Occultatæ enim quodammodo sunt in sinu matris, in profundis terræ, sicut & Prudentius eleganter canit: Nunc suscipe terra fovendum, Gremioq; hunc fuscipe molli, Hominis tibi membra sequestro, Generosa & fragmina credo.

Prudentius.

Sed de hac vera & Canonica reliquiarum veneratione, Tridentinum Decretum non admodum est solicitum. Dimicat autem de aliis superstitiosis reliquiarum cultibus, qui non tantum carent testimonio verbi Dei, sed contra illud non obscurè pugnant. Electitii enim cultus, qui opis impetrandæ causa, ex rationis humanæ præsumptione, fine verbo Dei, instituuntur & fuscipiuntur, etiamsi magnam speciem præ se ferant, in Scriptura tamen rejiciuntur & prohibentur, Deuter. 12. Coloss. 2. Ita gratiam & virtutem suam Deus vult in verbo & Sacramentis, juxta mandatum & promissionem, fide & invocatione ad Deum quæri. Ea igitur fine verbo & extra verbum, non debet à nobis ad Sanctorum ossa allegari. Hora etjam nunc est, quòd invocatio ad nullum locum alligata est, Ioannis 4. Pugnat igitur contra officium Mediatoris Christi hæc persuasio, quòd oratio dignior, melior, & acceptior sit, si fiat coram reliquiis Sanctorum, quàm si in spiritu & veritate, in nomine Christi, in alio loco fieret. Ita indulgentias peccatorum promittere osculantibus reliquias, pugnat contra doctrinam de fide in Christum, per cujus solius nomen remissionem peccatorum accipiunt credentes, Actor. 10. Fiduciam & spem collocare in reliquias, pugnat contra primum præceptum. Per aliud quàm per Dei nomen, ut per reliquias jurare, pugnat contra secundũ præceptum, Sanctos verò, quorum reliquiæ à Papa canonisatæ sunt, in necessitatibus invocare & adorare, adversa fronte repugnat doctrinæ de invocatione & adoratione Dei. Et hæc omnia, quæ cum verbo Dei non obscurè pugnant, in Pontificia reliquiarum veneratione fieri notorium est, & in principio ostendimus. Et ipsa appellatio Scripturæ canonicæ nos admonet & confirmat, ut quicquid in veneratione reliquiarum cum hac regula non consentit, sed ab ea discedit, vel cum ea pugnat, liberè bona quorumcunque hominum venia repudiemus. Quando verò reliquias Sanctorum ita veneramur, ficut Scripturæ exempla nobis præmonstrant, tunc certi sumus, nos rectæ viæ, quę appellatur via mandatorum Dei, insistere.

Canonica reliquiarum veneratio.

Papistica reliquiarum veneratio, pugnat contra Scripturam.

Hanc Scripturæ sententiam Augustinus breviter complectitur de Civitat. libr. 1. cap. 19. Non contemnenda & abjicienda sunt corpora defunctorum maximè justorum atq; fidelium, quibus tanquam organis & vasis, ad omnia bona opera, sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid hujusmodi, tantò carius est posteris, quantò erga parentes major extitit affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multò familiarius & conjunctius, quàm quælibet indumenta gestamus, unde & antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, exequiæ celebratæ, sepultura provisa ipsis dum viverent, hæc de sepeliendis vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

etjam transferendis suis corporibus, filiis mandaverunt, verùm istæ authoritates non hæc admonent, quòd insit ullus cadaveribus sensus, sed ad Dei providentiam, cui placent etjam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem Resurrectionis astruendam.

ANNOTATIONES QVAEDAM EX *historia Antiquitatis, de reliquiis Sanctorum.*

TAm brevi itaq; ac facili compēdio, tota controversia de reliquiis Sanctorum dirimi & dijudicari posset, si sacram Scripturam ut Canonem & Regulam in hac causa seriò adhibere vellemus. Sed Pontificii in Scriptura non multum sibi præsidii positum videntes, totam hanc controversiam à Scripturæ norma, ad Patres, & ad veteres consuetudines, transponere conantur. Sed nos seducentes illos non volumus sequi. Nō enim videndum est, inquit Cyprianus, quid aliqui ante nos fecerint, sed quid ille, qui ante omnes est, in suo verbo nobis faciendum præscripserit & præmonstrarit. Neque enim hominum cōsuetudinem, sed Dei veritatem sequimur. Nec hominum vel privatæ vel publicæ devotiones, sed sola sacra scriptura Canon, regula & norma esse debet dogmatū & cultuum in Ecclesia. Quicquid igitur in Patrum scriptis, & in antiquis consuetudinibus cum hoc Canone congruit, cum laude eorum recipimus, quicquid verò ab hac regula dissentit, cum pace eorum, liberè, salva honorificentia, quæ talibus debetur viris, respuimus, sicut in prima parte pluribus hæc sententia demonstrata est.

An ex consuetudinib. hæc controversia dijudicanda. Cyprianus.

Augustinus.

Quia tamen non immeritò magna est & esse debet antiquitatis reverentia: Videbimus quos ritus vera antiquitas circa reliquias Sanctorum, qui Scripturæ cōsentanei fuerunt, servarit, quando verò, unde, & quomodo longius progressum sit. Quæ principia, licet primò fuerunt tolerabilia, admixtis tamen paulatim superstitionibus, tandem in non dissimulandam idololatriam evaserunt.

Initia.

Progressus.

Exitus.

Fuerunt igitur post Apostolorum tempora multi præstantissimi & celeberrimi Martyres, & in magno precio ac honore habita fuerunt martyria. Basilidis enim hæresin docentem non esse pro Christo martyrium subeundum, quia non ipse, sed pro ipso Simon Cyrenæus sit crucifixus, magna vehementia refutarunt. Huc enim pertinet quod Irenæus scribit lib. 3. cap. 20. Ad tantam temeritatem progressi sunt quidam, ut etjam martyres Domini spernant, & inhonorent eorū martyrium. Corpora etjam seu reliquias martyrum reverenter & religiosè tractarunt. Sed nihil aliud legimus, quàm quòd honorificæ sepulturæ eas tradiderunt. Ita Epistola martyrū Galliæ circa annum Domini 160. apud Eusebium libro 5. cap. 1. cōqueritur, persecutores Martyrum corpora inhumata projecisse canibus, adhibitis nocte ac die custodibus, ne quisquam illorum à Christianis sepeliretur. Reliquias verò combustas, & in favillam redactas in Rhodanum dispersisse. Et additur: Nos verò in magno eramus mœrore constituti, quòd non liceret nobis corpora Sanctorum martyrum sepulturæ tradere. Circa idem tempus acciderunt etjam ea, quæ Epistola Ecclesiæ Smyrnensis apud Eusebium libr. 4. cap. 15. de Polycarpi ossibus narrat, de quibus in præcedenti loco diximus. Persecutores enim nolebant Polycarpi corpus Christianis humandum concedere, sed exusserunt illud. Christiani verò ossa illa ambusta nacti, auro & gemmis preciosiora habuerunt. Sed quid illis fecerunt? Sicuti conveniebat, inquiunt ex more ea condidimus. Illo verò tempore cœperunt ad ea loca, ubi insignium Martyrum reliquiæ humatæ erant, cœtus seu conventus Ecclesiasticos, præcipuè die passionis ipsorum, quē eleganter appellarunt Natalitium, celebrare. Ita enim inquit Epistola Smyrnensis. Vbi etjam, quo ad fieri potest, congregatis cum exultatione & gaudio, Dominus Natalem Martyris sui diem celebrare largietur.

Martyria in honore.

Reliquiæ Martyrum sepultæ.

Eusebius.

Polycarpi ossa.

Conventus Ecclesiastici ad monumenta Martyrū quando.

Epist. Smyrnensis.

Hæc Pontificii producentes mox attexunt, seu potius affingunt omnia illa sua capita de veneratione reliquiarum, quæ in principio hujus loci exposuimus, quasi fuissent illa omnia antiquissimis primitivæ Ecclesiæ temporibus in usu. Sed Epistola Smyrnensis affirmativè & negativè clarissimè totum negocium explicat. Cultū enim martyrum simpliciter & diserte negat. Honores verò ipsorum ita describit, non sicut Pontificii Sanctos colunt, sed sicut Scriptura docet, quemadmodum historia illa in præcedenti loco plenè explicata est. Quia enim Christiani videbant, apud Græcos multos ad virtutem & fortitudinem inflammari, inde, quòd viri fortes, qui strenuè pro patria pugnando nobili morte occubuerant, anniversariis laudibus coronarentur, cùm apud sepulchra illorum conveniretur: (Ita enim Cyrillus libro 6. contra Iulianum, ubi de martyrum honoribus agit, loquitur) judicarunt, & in Ecclesia hac ratione multos ad fortiter suscipienda, & constanter perferenda Martyria, incitari & confirmari posse. Cùm igitur viderent multos martyria aversari, & in persecutionibus deficere, instituerunt Martyrum panegyres peculiari solennitate celebrandas, in quibus certamina ipsorum debitis laudibus efferebantur, memoria ipsorum grata prædicatione celebrabatur, coronæ ac palmæ, quibus à Deo agonothetæ juxta Scripturæ promissiones donati essent, Martyres gloriosè prædicabantur, ut hoc modo superstites, ad futura certamina pro fide subeunda & perferenda, præparārentur, excitarentur, & confirmarentur, ne metu supplicium deficerent, & confessionem abjicerent. Et hoc est quod Epistola Smyrnensis dicit: In loco sepulturæ Polycarpi congregati, cum gaudio & exultatione diem passionis ejus celebrabimus, ad memoriam eorum qui antè certarunt, & ad futurorum exercitationem & præparationem, sive, ut Ruffini Paraphrasis habet, ut sequētium animi ad præcessorum viam exemplis insignibus suscitentur. Sed hæc in præcedenti loco diligentius & prolixius explicavimus. Hoc loco verò pauca repetenda fuerunt, ut ostenderetur falsum est, quòd Pontificii fingunt, antiquissimis primitivæ Ecclesiæ temporibus talem fuisse cultum & venerationem reliquiarum, sicut ex

Martyrum panegyres quare primùm institutæ, & quomodo celebratæ. Cyrillus.

ex Pontificiæ Ecclesiæ usu & praxi in principio hujus loci descripsimus.

Hæc igitur in veteri Ecclesia inita fuerunt panegyricorum conventuum apud sepulchra martyrum, tolerabilia sanè nec reprehendenda, sed pro ratione illorum temporum in mediis & fævissimis persecutionibus utilia, ut scilicet ad imitationem fidei, charitatis & constantiæ martyrum, reliqui invitarentur ac armarentur. Et talis ratio honorandi reliquias Sanctorum mansit in Ecclesia etjam sequentibus temporibus. Martyrum enim corpora non inhumata circumgestārunt, cultus & opis impetrandæ causa, sicut Pontificii faciunt: Sed ea reverenter, & quidem cum periculo sepelierunt, sicut Eusebius libr. 7. cap. 16. narrat: Assyrium Martyris cujusdam corpus humero suo splendidoq; & precioso indumento impositum detulisse, & splendidissimæ sepulturæ, quantum conveniebat, tradidisse. Et capit. 22. Sanctorum mortuorum corpora complexi sinu exceperunt, laverunt & ad sepulturam ornarunt. Ita Origenes contra Celsum lib. quinto inquit: Humana cadavera ut animæ domicilia, haudquaquam sunt abjicienda, quippe quæ ex optimarum legum permissu cum honoribus, qui haberi his possunt, & sepultura dignantur. Et libr. 8. Rationalem animam honorare didicimus, & hujus organa sepulchro honorificè demandare. Alibi, ut libro 1. in Iob, meminit preciosi vestitus, quo mortui ornabantur, quando in terram erant condendi. Loca verò sepulturæ appellata fuisse κοιμητήρια, Eusebius testatur lib. 7. capit. 15. Vbi etjam dicit, illa à persecutoribus erepta fuisse Christianis, ut scilicet non potuerint ibi suas panegyres celebrare. Ita Tertullianus in Apologetico dicit: Romæ in eodem cœmiterio, in via scilicet Ostiensi, suo tempore extitisse monumentum Petri & Pauli. Et Eusebius ex Cajo quodam scriptore Ecclesiastico idem confirmat. Tunc igitur Sanctorum corpora nondum monumentis eruebantur, sed sinebantur in cubiculis suis dormire. Cyprianus libr. 3. Epist. 6. diligenter jubet annotari dies, quibus Martyres decedunt, ut commemorationes eorum in Martyrum memoriis celebrari possint, sicut ex Epistola Smyrnensi jam ostēdimus. Et apud Euseb. libr. 7. Epist. Hieracis inquit: Cùm ab omnibus pulsi morti traderentur etiam tunc festum egimus, & quilibet singularum afflictionum locus panegyricus nobis fuit, ager, solitudo, navigium, diversorium, carcer, &c. Hæc in certis historiis ita descripta extāt, in quibus nihil eorum capitum, quæ de pontificia veneratione reliquiarum suprà exposuimus, sed ea tantùm legimus, quæ in Epist. Smyrnensi explicavimus, de honesta scilicet sepultura, & de panegyricis cōmemorationibus Martyrum. Quæ verò præterea suppositicia, dubia, & falsa scripta sub nomine & titulo Romanorum Pontificum feruntur, eorum, quia nec possunt nec debent veritati testimoniū præbere, meritò non habetur ratio. Tali igitur reverentia & veneratione tractatę & habitæ fuerunt reliquiæ Sanctorum in primitiva Ecclesia ultra annos trecentos.

Veteres non deserūt, nō circumgestarunt. sed sepe terunt reliquias.

Gallia veneratio reliquiarum primùm trecentis annis.

Hæretici damnati propter

Porrò in veteri Ecclesia etjam hæretici quidam damnati fuerunt, ideo quod reliquiis Martyrum non deferrent debitos honores. Historiæ verò ostendunt, causas damnationis non fuisse illas, de quibus Pontificii in hac controversia dimicant, sed longè alias. Et hæc ipsa consideratio de hæreticis aliquid lucis huic controversiæ affert. Basilides igitur, sicut suprà ostēdimus, ideo damnatus fuit, quòd Martyria diceret non necessaria, sed inutilia & vana esse, ac propterea ipsos Martyres, sicut Irenæus loquitur, sperneret. Cajanos scribit Hieronymus à Tertulliano damnatos, eò quòd reliquias Martyrum non honorarent. Illos verò Augustinus dicit carnis resurrectionem negasse. Ratio igitur & causa manifesta est. Conciliū Gangrense canone 20. damnat eos, qui panegyricas Martyrum solennitates, quæ nunc eo fine & modo sicut ostensum est celebrabantur, damnabant. Atq; inde sumptum est, quod in libello de dogmatibus Ecclesiasticis capit. 73. scribitur, Sanctorum corpora, & præcipuè beatorum Martyrum reliquias, tanquam Christi membra syncerissimè honoranda, & Basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta divino cultui mancipata, affectu piissimo & devotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus sed Eunomianus & Vigilantianus creditur. Verba verò canonis Gangrensis hæc sunt: Si quis per superbiam tanquam perfectum se existimans, convētus, qui ad memorias martyrum fiunt, abominatur, & ministeria, quæ in eis fiunt, simul cum eorum memoriis execratur, anathema sit. Lindanus huic canoni falsò affingit, quasi Eustachium ob reprehensa & non servata illa capita in veneratione reliquiarum, de quibus Pontificios dimicare in principio diximus, damnarit. Sed illis temporibus tales superstitiones nondum invaserant Ecclesiam. Et acta Gangrensis Concilii, in præfatione & conclusione, causam ita exponunt, ut opus sit divinationibus. In præfatione enim patres Gangrenses dicunt, quosdam privata conventicula in ædibus celebrare, & loca sanctorum martyrum contemnere, & eos, qui illic conveniunt, reprehendere. In conclusione verò suam sententiam his verbis explicant: Nos domos Dei honoramus, & conventus, qui in his fiunt, tanquam sanctos & utiles suscipimus, pietatem in privatis domib. non claudentes: sed omnem locum in nomine Dei ædificatum honoramus, & congregationem sanctam in Ecclesia ad utilitatem communem factam recipimus. Est itaq; etiam ratio Gangrensis canonis manifesta. Ita veteres Porphyrium, Iulianum, cum reliquis Ethnicis, in hac disputatione damnārunt, quod dicerent, corpora & ossa Sanctorum esse rem immundam & abominabilem, contaminantem & urbes & homines, sicut Cyrillus contra Iulianū & Theodoretus contra Græcos recitant. Eunomius etjam cum suis sectatoribus Basilicas Apostolorū & Martyrum, sicut Hieronymus scribit, non ingrediebantur. Causa verò non est obscura. Eunomius enim divinitatem Christi negabat. Cùm verò Martyres doctrinam & fidem de eius divinitate sangvine suo obsignassent, & Deus miraculis, quę ad sepulchra Martyrum edebantur, fidē illam Martyrum confirmaret: Eunomii sectatores, ne ea, quæ Ma-

Concilium Gangrense.

Porphyrius.

Iulianus.

Eunomius.

Eustachius.

Basilides.

Cajani.

contumeliæ reliquiarū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gistri sui doctrinæ contraria essent, ipso facto approbare viderentur, nolebant se aggregare conventibus Ecclesiasticis, qui in memoriis Martyrum celebrabãtur, quia ibi præcipuè Martyrum fides de Christo vero Deo & homine adimitationem prædicabatur. Hos hæreticos ante Hieronymi tempora in hac causa ab Ecclesia damnatos fuisse constat. Inde verò nequaquam probantur aut stabiliuntur Pontificii cultus reliquiarum. Causæ enim damnationis, sicut ostensum est, tales fuerunt, quæ nihil aliud quàm sententiam Epistolæ Smyrnensis ostendunt & confirmant. Et quidem Vigilantius etjam, si id, quod *Vigilantius.* Hieronymus ipse tribuit sensit, Reliquias scilicet Martyrum immundas esse, cilicio colligandas, & in sterquilinium projiciẽdas, meritò damnatus fuit. Adorationem certè ne Hieronymus quidem probare audet. De circumgestatione verò mox dicemus.

Seminaria superstitionis in veneratione reliquiarũ quando & quomodo.

Hactenus igitur Pontifices suæ venerationis reliquiarũ, sicut eam in principio descripsimus, verum aut firmum patrocinium ex probatis historiis antiquitatis primitivæ Ecclesiæ, per annos trecentos & amplius, nullũ habere possunt. Quæ enim hactenus descripta sunt, scripturæ sunt consentanea, & pro ratione illorum temporum, sine superstitione ad ædificationem Ecclesiæ utilia fuerunt.

Sed videamus jam porrò quando, quomodo, & unde res hæc longius progressa, superstitionũ seminaria secum traxerit, quę à quibusdam Episcopis reprehensa, à quibusdam dissimulata, à quibusdam verò etjam laudata & aucta sunt, unde eò tandem evaserunt, sicut suprà pontificias superstitiones in veneratione reliquiarum describimus. Sub Constantino igitur magno cęptæ fuerunt translationes reliquiarum, ex sepulchris obscurioribus, ad monumẽta celebriorã, quod Constantinus ex zelo pietatis non malo fecit. Sicut enim reliqua externa ornamenta, quæ Ethnicæ religioni plausibilem speciem & authoritatem apud homines conciliarunt, ſtuduit ad Christianam Religionem transferre, ut *Constantino cœpit translationem reliquiarum.* eam hoc modo etjam gentibus commendabiliorem faceret, sicut tota eius historia indicat. Ita cùm videret, gentes Regum & præstantium virorum corpora, si in loco ignobiliori condita essent, magna pompa & solennitate ad monumenta nobiliora transferre: Quos verò Heroas putabant, in splendidissimis templis deponere. Sicut Cyrillus libr. 10. contra Iulianum multis exemplis ostendit, celeberrima templa gentium fuisse olim sepulchra aut monumenta mortuorum. *Ethnicorum exempla.* Nota est historia, quàm regia Pompa, Antigonus Demetrii patris cineres, ex Syria in Græciam deportarit, sicut eam Volaterranus & Sabellicus ex Plutarcho describunt, quorum verba adscribam, ut similitudo ostendat, unde talia in Ecclesiam irrepserint. Antigonus, ajunt, cùm Demetrii patris cineres obvios haberet, magna veneratione illos complexus est. Vrna clautit aurea, purpura & diademate instrata, quam regia navi sublimiter collocavit, circumstantibus hastatis juvenibus armorum fulgore conspicuis, Xenophane canente sacrum carmẽ, civitates, ad quas appellebant, urnæ coronas mittebant, & viros, *Demetrij cineres translati.* qui reliquias deducerent. Inde Corinthum remigrans, omnibus circa nationibus adeuntibus, cineres illos honorandos præbuit. Cumq; Corinthii honores & coronas illis misissent, tandem eas apud Demetriadem depositi. Extat etjam apud Plutarchum in Theseo & Cymone descriptio Pompæ, qua Thesei ossa, post annos quadringentos, ex Seyro insula Athenas à Cymone *Ossa Thesei translata.* in sua triremi translata, & quàm splendida deductione ac festiva celebritate (utrumque enim significat *θωμπη*) ab Athenien sibus excepta sint, quasi ipse Theseus in urbẽ rediisset. Idem etiam de Phocyoris ossibus scribit. *Phocyorũ ossa.*

Cùm hæc, inquam cõsideraret Constantinus, cogitavit talia meritò exhibenda esse Sanctorum Dei, Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum reliquiis, quas gentes pro immundis habebant. Cœpit ergo Sanctorũ reliquias ex sepulchris obscurioribus transferre ad loca celebriora, adhibitis splendidissimis Pompis, quod statim & alii magno studio imitare cœperunt. Ita Hieronymus scribit Constantinum sanctas reliquias An- *Translatio ossium Andreæ, Lucæ, Timothei.* dreæ, Lucæ & Timothei transtulisse Constantinopolim. Apollo Daphnæus Iuliano scisciranti oraculum indicavit, se propter vicinum mortuũ (erat enim Babylæ Martyris sepulchrum vicinum) non posse respondere. Cùm igitur Iulianus mãdasset, ut Christiani Babylæ sepulchrum auferrent, universa Ecclesia conveniens, matres & viri, virgines juvenesq; longo agmine thecam *Babylæ.* Babylæ transtulerunt Antiochiam intra sacrum templi septum, psallentes per viam, Confundantur omnes qui adorant sculptilia. Arcadium narrat Hieronymus, ossa beati Samuelis, post tãm *Samuelis.* longum tempus, de Iudæa transtulisse in Thraciam, Episcopos cineres illius vase aureo, serico & precioso linteamine velatos, portasse, populos Ecclesiarum à Palestina usque Chalcedonem reliquiis illis occurrisse, & tanta lætitia, quasi præsentem viventemq; Prophetam cernerent, suscepisse adora tes non Samuelem, sed Christum, cujus Samuel & Levita, & Propheres fuerat. Hęc enim sunt Hieronymi verba.

Ex hisce initiis secuta sunt catervatim & quasi certatim innumera hujus generis exempla; quorum omnes illorum temporum historiæ plenæ sunt. Nam & circa illa tempora, Atriana hæresi contra divinitatem Christi latè & cum potentia in ipsis Imperatorum aulis grassante, apud quo- *Miracula apud monumenta Martyrum.* rundam Martyrum sepulchra miracula quędam sanationum edebantur, ad testificandam & confirmandam fidem illam Christi, pro cujus cõfessione Martyres sangvinẽ suum effuderãt. Hujus generis miracula aliquot descripta extant apud Augustinum de civit. Dei, libro 12. cap. 8. Et apud alios eius ætatis scriptores. Quæ ut negari omnia nec debent, nec possunt, præsertim quæ fidem *Multa miracula cuita quæ Augustinus vocat dubia.* Christi illustrant & astruunt: Ita pleraque talia sunt, quæ, sicut ipse Augustin. fatetur, non tanta commendat authoritas, ut sine difficultate vel dubitatione credantur. A posterioribus certè scriptoribus multa talia adjecta & immixta sunt, quæ fabulis quã veris miraculis similiora sunt. *Commẽtitia miracula.* Vt quod Nicephorus narrat de duobus Episcopis, qui in Nicena Synodo, priusquam Formula fidei Niceni conscriberetur & subsignaretur, mortui

mortui fuerant, quod postea super corpora mortuorum formula illa fidei imposita, & manè utriusque chirographi subscriptione confirmata inventa sit (veritatem scilicet à mortuis, Iesaiæ octavo.) Ita quod de translatione reliquiarum Chrysostomi scribit, non potuisse eas moveri, Theodosium verò scripsisse Epistolam ad Chrysostomum, quæ cùm posita esset super pectus ipsius, motum fuisse tumulum. Et corpus Chrysostomi ante annos 35. mortui, cùm in throno Episcopali collocatum fuisset, dixisse: Pax vobis. Alii verò adhuc crassiora & magis fabulosa affinxerunt.

Conquisitæ reliquiæ.

Sed occasione quorundam, ut cœperam dicere, miraculorum, perreptari undiq; tunc cœperunt omnia antiqua sepulchra, cõquiri ossa, comportari favillæ, quæ vel Prophetæ alicuius, vel Apostoli, vel Martyris esse putabãtur, partim ex antiquis indicationibus, partim ex visionibus, apparitionibus, signis, somniis, & aliis indiciis. Factæ autem fuerunt translationes illæ reliquiarum iisdem ritibus & cæremoniis, quæ in solenni deductione funerum usitatæ tunc erant. Accedebant autem ex gentilium Pompis urnæ aureæ, & velamenta serica, obviationes, deductiones, sicut de Demetrii reliquiis scriptum, & in translatione Samuelis servatum, ostendimus. Deponebantur autem Martyrum reliquiæ non super altare (sicut nunc in Papatu fit) Illum enim locum Christo, ut hostiæ pro peccatis totius mundi, deberi existimabant: sed sub altari, ut qui Christi redempti sint passione, inquit Ambrosius libr. 10. Epist. 85. ubi addit: Hunc ego locum prædestinaveram mihi. Dignum est enim ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consvevit. Sed cedo locum Martyribus, &c. Et hoc est quod Hieronymus dicit, Romanum Pontificem super veneranda ossa Petri & Pauli offerre, & tumulos ipsorum Christi arbitraria altaria. Et quia preces communes seu publicæ fiebant in administratione Eucharistię, dicit Iulianus, apud Cyrillum lib. 6. & 10. Christianos apud sepulchra Martyrum invocasse Dominum,

Quibus cerimoniis factæ translationes reliquiarũ.

Reliquiæ Martyrum sub altari.

Hæc Constantini seculo nova fuerunt, sine Scripturæ mandato, & sine prȩcedentis antiquitatis exemplo, ex *κακοζηλία* quadam splendoris in Ethnicis Pompis & sepulchretis instituta. *Initia translationum tot malorũ.* Quæ sanè initio zelo quodam pietatis susceptæ, vix videri potuerunt habere aliqua superstitionis seminaria. Nam honorificæ illæ translationes & deductiones reliquiarum factæ fuerunt propter spem resurrectionis & glorificationis illarum exuviarum, quę in vita fuerãt templa Dei, & organa Spiritus sancti, resuscitanda ad vitam & lucem cœlestem. Et sicut tempore Pauli, ad significandam spem resurrectionis, actio Baptismi viventibus alicubi suprà mortuos administrabant, 1. Corin. 15. Ita Eucharistia administrari potuit super corpora Martyrum sine superstitione. Potuit etjam oratio sine superstitione ad Deũ fundi apud sepulchra Martyrũ, in illa fide Christi, pro qua Martyres mortui fuerant. Ipsa etiam honorifica translatio & depositio reliquiarum, quæ erant vel Prophetarum vel Apostolorum, vel Martyrum, præter commonefactionem de spe resurrectionis & glorificationis, fuit etjam

Eucharistia & orationes ad sepulchra Martyrum.

Naturalis affectio erga reliquias.

incitamentum quoddam, ad admirationem fidei & virtutum, quæ prædicantur de Sanctis, sicut Chrysostomus inquit in Babylam: Post sermonis facultatem ipsa certè Sanctorum sepulchra, proximum locum obtinent, ad animos hominum in ipsos Sanctos intuentium, ad virtutũ earundem æmulationem excitandos, &c. Præterea extra verbum Dei naturalis quædam affectio est, si quis post longum tempus spectare possit membra illa, quæ in antiquis Prophetis, Apostolis & Martyribus, organa fuerunt Spiritus sancti ad opera præstantissima. Sicut Augustus Imperator Alexandriam ingressus, id quod primum in ea urbe optavit conspicere, Alexandri magni corpus fuit, quod & floribus totum consperfit & coronę prosecutus est honore. Ita Chrysostomus inquit Hom. 22. in epist. ad Roman. Ego Romam celebro, non propter marmoreas columnas, & aliam Phantasiã, sed propter columnas illas Ecclesiæ, Petri scilicet & Pauli corpora. Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videri pulverem corporis illius, stigmata Christi gestantis, pulverem, in quam, oris illius, per quod Christus locutus est. Vellem videre sepulchrum, quo recondita sunt arma illa justitiæ, arma lucis, membra nunc viventia, tum verò cùm in hac vita essent mortua: quæ mundo fuerunt crucifixa membra Christi, quæ Christum induerant, quæ templum Spiritus sancti, sanctaq; fuerant ædificatio, quæ ligata erant spiritu confixa timore Dei, habentia stigmata Christi, &c. Idem Homilia 8. in Epistol. ad Ephesios: Vellem nunc etiam esse in illis locis, in quibus ista dicuntur esse vincula, cuperem videre cathenas illas, quas verentur & horrent dæmones, venerantur verò Angeli, quòd si liberum fuisset per curas Ecclesiasticas, & corpus habuissem validum, nihil utique causatus fuissem, quò minus tanta susceptа peregrinatione, cathenas duntaxat illas, & carcerem, ubi ligatus fuit, vidissem, &c. Ita Antonius tunicam palmeam Pauli Heremitę tanti fecit, ut diebus solennibus tantùm illa amiceretur. Theodosius etjam junior sago quodam Episcopi Chibronensis indui pro gloria ducebat. Et thronũ Iacobi primi Episcopi Hierosolymitani, ad sua usq; tempora servatum fuisse scribit Eusebius. Hæc ideo dico, quæ enim simplici intentione & absque superstitione facta sunt, non temerè traducimus aut damnamus, sed quoad ejus fieri potest, excusamus, & libenter in meliorem partem, quantum quidem per adversarios & sine detrimento veritatis fieri potest, interpretamur.

Naturalis affectio erga reliquias.

Augustus reliquias Alexandri conspicit.

Chrysostom. optat videre posse reliquias Pauli.

Et Petri.

Tunica Pauli Heremitæ.

Thronus Iacobi.

Sed tamen dissimulari non potest, novas istas & electitias devotiones erga reliquias, sine scripturæ testimonio, & absq; vetustissimæ Ecclesiæ exemplis susceptas, statim post initium habuisse seminaria superstitionis, tanquam communiter accidens aut potius tanquam Accidens inseparabile adjuncta. Sicut enim Pompa translationis reliquiarum ad Ethnicorum æmulationem, sicut ostẽdimus, instructa fuit: Ita simul cum Ethnicis Pompis adhærescentes etjã gentilis superstitiones in Ecclesiam irrepserũt. Nota enim est historia apud Plut. in Theseo: Quod Athen. in Marathone pugnantes, dicantur vidisse spectrũ Thes. in ar-

Quomodo sensim irrepserit superstitio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Athenienſiũ perſuaſio de oſſibus Theſei.

in armis pro Athen. pugnans & Barbaros invadens. Poſtea Apollo per oraculum monuit Athenienſes, ut oſſa Theſei inquirentes Athenis deponerent, & religioſa veneratione ſervarent, atque ipſum tanquam Heroa, hoc eſt, tanquam munimentum & præſidium urbis, ſacrificiis & invocationibus colerent. Epiphanius ſcribit, AEgyptios gentiles, locum, ubi Ieremias ſepultus fuit, magna devotione & religione coluiſſe, ea opinione, quod ab ipſo aſpides & Crocodili profligarentur. Ita AElianus de varia hiſtoria libr. 12. narrat: Alexandri Magni corpus per triginta dies inhumatum jacuiſſe. Poſtea Ariſtandrũ nomine correptum dixiſſe: Cùm Alexander omnium ſeculorum Reges felicitate ſuperaſſet, ſibi à Diis patefactum eſſe in quacunq; terra corpus ipſius requiem eſſet habiturum, eam felicitate abundantem, & ab hoſtili vaſtatione liberam fore. Inde inter ſucceſſores Alexandri ortam contẽtionem, ſingulis conantibus corpus illud in ſuũ regnum transferre, quaſi obſidem firmitatis & immobilitatis Imperii. Tandem verò Ptolomæum præcæteris præveniſſe, & in Alexandriam AEgypti illud tranſtuliſſe, &c. Polydorus etjam, ex Dionyſio oblationem cereorum oſtendit fuiſſe partem cultus gentilitii. Et ſuprà diximus de floribus, roſis, & Coronis, quæ reliquiis oblata fuerunt ab Ethnicis.

Aegyptiorũ de Ieremiæ reliquijs.

Aelianus de Alexandri reliquijs.

Cerei & flores Ethnicorũ apud reliquias.

Hæc gentilitia in Eccleſiam etjam recepta, & novis additamentis aucta fuiſſe, ex hiſtoriis patet. Suſceptis enim tranſlationibus reliquiarum, mox addita fuit perſuaſio: Sanctos ſeu Martyres illius urbis ſeu Regionis, ubi reliquiæ ipſorum depoſitæ erãt, columnas, turres, munimenta, præſidia eſſe, ſicut Baſilius in 40. Martyres & in Manantem Martyrem declamitat. Sicut apud Romanos propter urnas, quibus in fornicibus domi quiſq; ſuorum oſſa & cineres depoſita habebat, Lares & Penates in domibus, tanquam tutelares, patronos, & protectores familiæ colebant, & in neceſſitatibus invocabant, ſicut Servius in multis locis annotat. Ex tranſlationibus mox factæ fuerunt circumgeſtationes reliquiarum, ut apud Hieronymum contra Vigilãtium. Et apud Auguſtinum, cùm in tranſlatione reliquiarum Stephani mulier cæca illuminata eſſet: mox Lucillus Epiſcopus circumgeſtationem memoriæ Stephani inſtituit. Ac quia aliquando quædã miracula ad reliquias edebantur, omnes, in quibuſvis infirmitatibus & neceſſitatibus eò currebant, flores apud Auguſtinum, oraria, tunicas apud Ambroſium, ſepulchris illis ſeu urnis injectas, ſi reciperent, tanquam amuleta & præſervativa geſtabant, Martyres ipſos ſuis cineribus adeſſe opinabantur. Nec Deum tantùm: ſed ipſos etjam Martyres apud memorias illas invocabant, ſentiebant gratiam & virtutem divinam oſsibus illis inſidere, ideo invocationibus & aliis cultibus eã apud reliquias quærebant: ſicut Baſilius in Pſalm. 115. diſputat. Nec tantùm curationes corporales ibi quærebant, ſed fingebant Spiritualem gratiam, ut ſanctimoniam & charitatem, dari & augeri per cõtactum, exoſculationes ſeu complexus reliquiarum, ut Nyſſenus in Theodorum Martyrem rhetoricatur. Apud Auguſtinum quidam reliquias Martyrum imponunt egrotis. Tunc etjam circa Hieronymi & Auguſtini tempora cœperunt divulſiones reliquiarum, ut diſtributæ in variis locis viſerentur. Ita apud Auguſtinum de Civit. libro 21. capit. 8. reliquiæ Stephani in aliquot locis Aphricæ extabant, cùm apud Theodorum Lectorem ſub Theodoſio juniore, Stephani integræ reliquiæ ſcribantur Hieroſolymis Conſtantinopolim tranſlatæ. Inde Monachi quidam circumcurſitantes vendere cœperunt reliquias, apud Auguſtinum de opere Monachorum. Mulier cuiæ claro die ſole rutilante cereos ante tumulos Martyrum accendebant. Apud Hieronymum vulgus vigilias agebat in Cœmiteriis Martyrum, & cibos ſanctificandos eò ferebat. Suſcipiebant etjã peregrinationes ad loca, ubi reliquias miraculis celebres & claras audiebant. Ita ad terram ſanctam, ad limina Petri & Pauli Romam peregrinabantur. Et Auguſtinus epiſto. 137. duos clericos pro amolitione ſuſpicionis furti, ad reliquias Felicis Nolenſis miſſos ſcribit.

Perſuaſio de Laribus tranſlata ad reliquias Sanctorum.

Circumgeſtationes reliquiarũ unde

Cõcurſus ad reliquias.

Amuleta.

Invocatio Martyrum.

Gratia inſidẽs reliquijs.

Divulſiones reliquiarũ.

Nundinatio reliquiarũ.

Cerei.

Vigilia.

Peregrinationes ad reliquias.

Et hęc Pontificii pro ſuis ſuperſtitionibus ſtabiliendis producere ſolent, quaſi ſit Apoſtolica traditio, ſemper, ubiq;, & ab omnibus in Eccleſia obſervata. Sed in Scriptura, nec mandatum, nec exemplum, de omnibus illis obſervationibus legitur. In verè antiqua etjam & primitiva Eccleſia, in citatis hiſtoriis talia exempla nulla extant. Quod enim in Iuſtini quæſtionibus quædam leguntur: Quòd Martyrum corpora tueantur homines ab inſidiis dæmonum, morboſiq; curent arte medica incurabiles: Conſtat à Iuſtino quæſtiones illas non eſſe conſcriptas. Nam in quæſt. 82. & 86. citatur Origenes, qui longè poſt Iuſtinum vixit. Et quæſt. 127. Manichæorũ meminit, qui poſt annum Domini 300. innotuerunt. Quando igitur Pontificii in hac de reliquiis diſputatione opponunt antiquitatis titulum, reſpondemus primò: Noſtram antiquitatem eſſe Chriſtũ & ſacram ſcripturam. Deinde addimus, Apoſtolicam, & primitivam Eccleſiam, ſuperſtitioſas illas obſervationes circa reliquias Sãctorum, quas jam recenſuimus, ultra annos trecentos & amplius ignoraſſe. Irrepſerunt autem in Eccleſiam circa annum 400. de quibus temporibus Auguſtinus ipſe conqueritur, Epiſtola 119. Tam multis præſumptionibus plena fuiſſe omnia, ut tolerabilior fuerit Iudæorum conditio, qui legalibus ſarcinis, non humanis præſumptionib. ſubjiciebantur. Et ex ramuſculis de ſignis ſeu miraculis, quorum quędam vera, quædam commentitia erant, aucta fuerunt hæc omnia. Proclivè enim & uſitatum eſt humano ingenio, ex ſignis ſeu miraculis, ſine verbo & mandato Dei, fingere nova dogmata, & inſtituere peculiares cultus, cùm tamen in Scriptura Deus hoc ipſum prohibuerit, & cavendum mandaverit, Deut. 13. Matthæi 24. 2. Theſſal. 2.

Antiquitas noſtræ Chriſtus.

Circa annũ 400. hæc irrepſerunt.

Ex miraculis novi cultus.

Et tamen illis ipſis temporibus, in iſtis vulgi pullulantibus ſuperſtitionibus, ſingula fermè capita reprehenſa fuerunt. Concilium enim Elibertanũ Canone 34. ita ſtatuit: Cereos per diem placuit in Cœmiterio non incendi. Inquietandi enim Sanctorum ſpiritus non ſunt. Qui hæc non obſervaverint, arceantur ab Eccleſiæ communione. Et Canone 35. placuit prohibere, ne fœminæ in

Superſtitiones reprehenſæ à multis.

Cerei prohibentur in Concilio.

Vigiliæ prohibentur.

næ in cœmiterio pervigilent, eò quòd ſæpe ſub obtentu orationis ſcelera latenter committantur. Extat oratio Gregorii Nyſſeni, diſſvadens & improbans ſtudium peregrinationis ad terram ſanctam. Hiſtoriæ ſanè gratia veteres quidam ſuſceperunt profectionem Hieroſolymitanam, & Chriſtum, qui in locis illis natus, converſatus, & paſſus fuit, in ſpiritu & veritate adorarunt, ſicut Euſebius libro 6. cap. 9. narrat, Alexandrum ex Cappadocia circa annum Domini 200. profectionem inſtituiſſe ad loca Hieroſolymitana, εὐχῆς καὶ τῶν τόπων ἱστορίας ἕνεκεν, orationis & hiſtoriæ gratiæ viſendi loca illa. Poſtea pietatis partem non poſtremam quidam in Hieroſolymi tana peregrinatione conſtituerunt, quaſi gratia Dei in locis illis amplior, & Spiritus ſanctus abundantior & propior eſſet. Sicut Chryſoſtomus Homilia quinta, ad Antiochenos narrat: Quoſdam ſolitos in Arabiam peregrinari, ut terram illam oſcularetur, in qua Iob ſederat. Nyſſenus igitur peculiari oratione perſuaſiones & ſuperſtitiones illas refutavit ex veris & ſolidis fundamentis. Dicit enim, rem illam ad Regulam Scripturæ, & ad dictum præceptorum Domini exigendam eſſe, An ſit opus à Domino mandatum? Et addit: Si præter Domini præcepta id appareat introductum, non video quid ſit quod præcipiat velle quid aliquem facere, qui ſe ſibi legem boni fecerit ipſum. Vbi Dominus ad Regni cœlorum hæreditatem appellat benedictos, inter rectè facta quæ eò dirigunt profectionem Hieroſolymitanam non enumeravit. Vbi beatitudines enumerat, tale ſtudium non eſt complexus. Quòd autem neq; beatum efficit neq; ad regnum cœlorũ conducibile eſt, qui in eo ſtudium & opera ponatur? Quid verò plus eſt habiturus, qui loca illa adit? Quaſi verò in locis illis Spiritus ſanctus abunder, & gratia Dei amplior ſit ibi? Imò inquit: Ego ex collatione cognovi, noſtra loca illis exteris longè eſſe ſanctiora. Vos ergo, qui timetis Dominum, in quibus locis eſtis, eum laudate. Localis enim mutatio ut Deus propior ſit non efficit: Sed ubi fueris, ad te Deus veniet, ſi animę tuę diverſorium paratum inveniet. Quod ſi hominem interiorẽ perverſis cogitationib. plenum habeas etjamſi in Gõlgatha, in Oliveto, in monumento reſurrectionis fueris, non ſuſcipies Chriſtum. Conſule ergo fratribus, ut à corpore peregrinentur ad Dominũ, nõ è Cappadocia in Palæſtinam. Quia enim Spiritus ubi vult ſpirat. Ejus igitur illi quoq; qui hic ſunt ac credunt, participes fiunt, juxta fidei analogiam, non juxta peregrinationẽ in Hieroſolyma ſuſceptam: Hæc Nyſſenus. Temporibus etiam Ludovici Pii, Claudius presbyter publico ſcripto reprehendit ſuperſtitionem illorum, qui pro acquirenda vita ęterna Romam peregrinabantur, propterea quod dictum eſſet Petro, Tibi dabo claves Regni cœlorum. Sed nõ eſt dictum, inquit Claudius, ut Petrus in cœlo exiſtens, ſolvat eos qui in terra ſunt. Sed quicquid ſolveris in terra, &c. Et eandem concludit Claudius: Nemo de meritis vel interceſsione Sanctorum confidat, Quia niſi eandem fidem teneat, per quam illi placuerunt Deo, ſalvus eſſe non poterit, &c. Bernhardus etjam Epiſt. 319. Monachocuidam peregrinationem Hieroſolymitanã diſ-

Peregrinatio Hieroſolymitana.

Ad terram ſanctã.

Nyſſenus contra tales peregrinationes.

Claudius contra peregrinationes.

Bernhardus dehortatur peregrinationes.

Auguſt. contra ſepulchrorum adoratores.

Epulæ ad ſepulchra Martyrum.

Auguſtinus diſputat contra præſentiam.

Et invocationem Martyrum.

Cyrillus contra turamenta per reliquias.

Falſa reliquiæ tempore Auguſtini.

Monachorũ circumcurſationes.

Carthaginenſe concilium de falſis reliquijs.

Vulgi ſuperſtitiones ab Epiſcopis diſſimulatæ.

Terra ſanctæ ſuſpenſa.

ſvaſit, addita hac ratione: Non terrenam, ſed cœleſtem Hieroſolymam inquirere Monachorum propoſitum eſt, & hæc non pedibus proficiſcendo, ſed affectibus proficiendo.

regrinationes.

Auguſtinus de moribus Eccleſię Catholicæ, c. 34. inquit: Nolite conſectari turbas imperitorum, qui in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt. Novi multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores, novi multos, qui cùm luxurioſiſſimè ſuper mortuos bibant, & epulas cadaveribus exhibentes, ſuper ſepultos ſeipſos ſepeliant. Scribit etiam libr. 8. de civit. cap. 27. quoſdam epulas ſuas detuliſſe ad ſepulchra Martyrum, quas cùm inquit, appoſuerint, orant & inferunt ut veſcantur, ſanctificari ibi eas putantes per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum. Sed addit: à Chriſtianis mulieribus hoc non fieri, & in pleriſq; terrarum nullam talem eſſe conſuetudinẽ. In prędcedenti etiam loco de invocatione Sanctorum oſtendimus, Auguſtinũ enim perſuaſionem convellere, qua opinabãtur, ſpiritus Martyrum reliquiis ſuis præſentes adeſſe, & peccatores audire. Illud etjã Baſilii, de gratia & virtute divina inſidẽte reliquiis ſanctorum, Auguſtinus ita conatur tollere, quòd diſputat, Deũ ubicunq; vult, quando & quomodo vult, per Angelica miniſteria, talia miracula apud ſepulchra Martyrũ poſſe edere, ſed hæc in prædcedenti loco explicata ſunt, ubi & hoc oſtenſum fuit, Auguſtinũ improbare, ſi ſancti in precibus invocentur. Hieronymus etjam damnat adorationem reliquiarũ. Et Cyrillus lib. 10. contra Iulianum, Sanctorum reliquias dicit non circumgeſtandas: ſed in ſinu Matris in profundis terræ occultandas. Ibidem etjam ſcribit: Ethnicorum ſuperſtitionem fuiſſe, per mortuorum reliquias iurare, Mὰ per eos qui in Marathone, in Salamine, in Arthemiſio, in Plateis: cæſi ſunt. Mὰ per alios qui in vulgaribus ſepulchris ſunt. Auguſtinus de opere Monachorum cap. 28. inquit, Tam multos Hypocritas ſub habitu Monachorum uſquequaquam diſperſit, circumeuntes Provincias, nusq; miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquã ſedentes. Alii membra Martyrum (ſi tamen Martyrũ) venditant, & omnes petunt, omnes exigunt, aut ſumptus lucroiæ egeſtatis, aut ſimulatæ precium ſanctitatis. In quinta etjam Carthaginenſi Synodo cap. 14. conqueruntur patres per ſomnia, & manes quaſi revelationes, ubiq; conſtitui altaria tanquã memorias Martyrum. Et decernunt evertenda altaria, ubi non certæ Martyrum reliquiæ conditæ, fideliſſima origine probatur. Additur autem in illo canone, tales everſiones propter tumultus populares ſæpe non permitti. Ad multas igitur tales vulgi ſuperſtitiones Epiſcopi ſæpe conniuere coacti fuerunt, ſicut & Auguſtinus inquit: Talia multa propter quarundam vel religioſarum vel turbulentarum perſonarum ſcandala devitanda, liberius improbare non audeo. Ita de Civita. libr. 22. cap. 8. Quidam terram ſanctam Hieroſolymis allatam, in cubiculo ſuo ſuſpenderat, ne quid mali etjam ipſe pateretur, cum maligni ſpiritus domum infeſtarent. Cumq; domus ab illa infeſtatione purgata eſſet, cogitavit quid de terra illa fieret, quam diutius in cubiculo ſuo reverentiæ cauſa habere nolebat. Accerſiunt Epiſcopos

Universidad de Deusto
Biblioteca

pos proximos, petivit ut terra illa alicubi infoderetur, atq; ibi orationum locus fieret. Non restitimus, inquit Augustinus, factum est, &c. Hieronymus verò adversus Vigilantium tales mulierculaꝝ superstitiones magna orationis acerbitate etjam tuetur. Cumq; negare non posset ex gentilium ritu sumptum esse, quòd claro die, sole fulgente, moles cereorum apud sepulchra Martyrum accenderentur, ita respondet: Quòd si aliqui per imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certè religiosarum fœminarum, de quibus verè possumus dicere: Zelũ Dei habent, sed non secundum scientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde pendis? Neq; enim Christus indigebat unguẽto, nec Martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honorẽ Christi hoc fecit, devotioq; mentis eius recipitur. Et quicunq; accendunt cereos, secundum fidem suã habent mercedem, dicente Apostolo: Vnusquisque in sensu suo abundet, &c. Fides igitur tunc cœpit haberi, quod quisque sine verbo Dei ex suo sensu præsumebat. Et ex hoc fonte posterioribus seculis superstitiones stabilitæ, & in immensum auctæ sunt, ita ut nulla Ecclesia adorationes faciendas, vel ad Sacramenta administranda, idonea judicaretur, nisi reliquiis Sanctorum sanctificata esset. De consecrat. Dist. 1. additæ sunt prodigiosæ fabulæ de commentiis miraculis, unde cultũ tandem instituerunt, à gentium Idololatria nec genere, nec specie, nec numero differentem.

Augustinus. *Hieronymus.* *Cereos quomodo defendat Hieron.*

Sed singulas sequentiũ temporum superstitiones in specie recensere non est nostri instituti. Et pleraq; huc pertinentia in præcedenti loco de invocatione Sanctorum annotata sunt. Neq; enim hominum quorumcunq; vel præsumptiones vel consuetudines: sed Dei vocem & scripturæ veritatem sequi nobis Deo benè juvante cõstitutum est. Atq; ideo primo loco scripturæ sententias & exempla exposuimus de vera reliquiarũ veneratione. Cumq; fidelium reliquias hoc modo juxta sacræ scripturæ præscriptum honoremus, & honorandas dicamus, immeritò accusamur. Pontificias verò reliquiarum veneraciones, quia non tantùm scriptura dissentiunt: sed propter multiplices superstitiones cum Scriptura pugnant, meritò improbamus. Quia verò venerandæ antiquitatis nomine & titulo, superstitiones suas velare conantur, ostendimus in primitiva & antiquissima post Apostolos Ecclesia, per annos trecentos, nõ fuisse illas veneraciones reliquiarum, de quibus Pontificii nunc dimicant.

Scriptura. *Primitiva Ecclesia.*

Postea verò monstravimus, quando & quomodo lõgius in hac re fuerit progressum, & sparsa superstitionum seminaria, quæ tamen à multis fuêre reprehensa, donec res in apertas exiit superstitiones, pro quibus retinendis Pontificii nunc digladiantur. Quod primum verum, adulterinum quodcunq; posterius, inquit Tertullianus. Revocetur itaque tota controversia ad primos fontes, & res plana erit. Veteres pro ratione suorum temporum, quæ ad excitandam & confirmandam imitationem fidei, charitatis, & constantiæ, in confessione & perferendis Martyriis, utilia judicârũt, piè sine superstitione primùm observârunt. Nunc cùm talia sine usu imitationis tantùm superstitionibus servire cogantur, (nam Tridentinum Decretum de Imitatione nullum verbum facit, sed opis impetrandæ causa omnia hæc fieri & facienda docet) non rectè illis prætenduntur exempla antiquitatis: cùm quidem ipsæ etjam antiquitatis Historiæ ostendant, quàm periculosum sit, sine verbo Dei, ex humanis vel præsumptionibus vel consuetudinibus, peculiares cultus vel instituere vel susc ipere. Scripturam itaque, juxta ipsorum Patrum consilium, sequamur, & ita errare non poterimus.

Inclinatio ad superstitiones. *Alia ratio veteris Ecclesiæ.* *Alia Pontificia.*

Restat adhuc longa camarina, de impostur is & fallaciis, incertarum commentitiarum, seu supposititiarum, & falsarum reliquiarum: Sed hæc historia à Calvino peculiari libello inchoata ab aliis, quibus nota sunt talia, pertexetur. *Historia commentitiarum reliquiarũ.*

Vtile autem esset propter posteritatem in singulis nationibus tales descriptiones confici & capsulas reliquiarum inspici. Ita enim multiplices fraudes detegerentur. Et usu veniret, quod vir eruditus & gravis Andreas Abbas Amelunxbornensis narrare solet, Angelorum quondam Regi Edvardo ex dentibus laboranti accidisse: Cùm enim ille mandasset Apolloniæ dentes, quq ubique in Regni sui Ecclesiis in reliquis servabantur, ad se mitti. Tot ex unius Regni reliquiis, Apolloniæ dentes coacervati fuerunt, quos aliquot magnæ tonnæ capere non potuerunt. Aut quod circumforaneo cuidam patrum memoria accidit, qui cùm plumas Spiritus sancti se circumferre in reliquiis jactabat, faceti quidam homines clàm aperta capsula, carbones loco plumarum subjecerunt. Cumq; postridie præmissa longa præfatione, de plumis suis præfatus fuisset, & populus adorabundus astaret aperiens capsulam pro plumis carbones invenit. Is verò artis suæ non immemor, inversa oratione cœpit declamare, esse carbones craticulæ Laurentii subreptos. Sed hoc argumentum aliis relinquam, & ad sequentia progrediar. *Dentes Apollonie.* *Plumæ Spiritus sancti.* *Carbones Laurentij.*

Vnicum tantùm adhuc locum adscribam ex Eusebio, unde intelligi poterit, qua fide veterum testimoniis abutantur Pontificii. Ita ergo Eusebii locum tanquam ex Trapezuntii versione citant Pontificii. Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites ut Dei amicos honorantes, ad monumenta illorum accedimus, votaq; ipsis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum nõ parum juvari profitemur. Hæc Pontificii.

Inspexi autem locum Euseb. lib. 43. de præparatione Evangelica, cap. 7. & deprehendi, esse manifestum crimen falsi. Eusebius enim nequaquã dicit, fideles ipsis Martyribus vota seu supplicationes facere, sed dicit, id quod antea ex aliis etjam patribus ostendimus, solitos Christianos apud monumenta martyrum Deum invocare. Totum autem locum Eusebii adscribam: ostendit enim quomodo ex κακοζηλίᾳ gentilium Philosophorum & Poëtarum seminaria superstitionum sensim in Ecclesiam irrepserint, vel tandem non æquarint tantùm, sed & separarint gentium superstitiones.

Eusebius igitur existimavit, complures ex gentibus

gentibus accessuros ad fidem Christi, si ostenderetur, doctrinam Ecclesiæ nõ alienam esse à Philosophorum & Poetarum sententiis: instituit itaque in illis libris conformitatem doctrinæ Platonis & Ecclesiasticæ. Et ex Platone hęc verba describit, quomodo oporteat honorare mortẽ eorum qui gloriosè vitam commutârunt? Respondet Plato, qui in militia cum gloria mortui sunt, nonne dicimus aurei generis eos esse? Omnino credemus Hesiodo, quomodo quidã hujus generis moriũtur, quòd illi δ' αἰμονες ἁγνοι ἐπιχθόνιοι τελέθουσι ἐσθλοὶ ἀλεξίκακοι φύλακες μερόπων ἀνθρώπων, hoc est, quando Heroes moriuntur, inde fiunt dæmones puri, obversantes in terris, boni, depulsores malorum, & custodes hominum. Addit autem Plato, in posterum igitur ut dæmones factos οὕτω θεραπεύσωμεν, καὶ προσκυνῶσωμεν αὐτῶν τὰς θήκας, ita colemus eos, & monumenta eorum adorabimus.

Huic Platonicæ sententiæ Eusebius subjicit hæc verba: Hæc Platonica rectè accommodantur ad mortem θεοφιλῶν religiosorũ, quos rectè dixeris milites veræ pietatis ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παρεῖναι, καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι, τιμῶντε καὶ τὰς μακαρίας αὐτῶν ψυχὰς, ὡς εὐλόγως καὶ τετων ὑφ' ἡμῶν γινομένων, hoc est, unde & moris nobis est ad monumẽta seu loculos eorum accedere, & apud illa vota seu precationes facere, honorareq; beatas ipsorum animas, tanquam probabiliter seu rationi consentanea hæc à nobis fiant. Et tandem concludit Eusebius. Hæc Plato & alii σύμφωνα τοῖς ἡμετέροις δόγμασι, dogmatibus nostris cõsonantia seu consentanea.

Manifestum igitur est quod ex gentium ritibus, ut rationi consentaneis, talia in Ecclesiam irrepserint. Cumq; Plato dicat, ipsa monumenta Heroum adorari, Eusebius non dicit, Christianos idem facere: sed dicit, Christianos apud sepulchra martyrum orationes seu vota facere ad ipsum Deum, sicut Iulianus apud Cyrillum consuetudinem illã Christianorum recitat, id quod suprà ostendimus.

DE IMAGINIBVS DECRETVM TRIDENTINUM.

Imagines porrò Christi, Deiparæ virginis & aliorum Sanctorũ in templis præsertim habendas & retinendas, eisq; debitum honorem & veneracionem impertiendam: non quòd credatur inesse aliqua in ijs divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quòd ab eis aliquid sit petendum, vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, velati olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant. ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicenæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.

Illud verò diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri & confirmari populum in articulis fidei cõmemorandis & assiduè recolendis: Tum verò ex omnibus sacris imaginibus magnum fructũ percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt: sed etiam quia Dei per sanctos miracula & salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro ijs Deo gratias agant, ad sanctorumq; imitationem vitam moresq; suos componant, excitenturq; ad adorandum ac diligẽdum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem hũ Decretu contraria docuerit aut senserit, anathema sit.

In has autẽ sanctas & salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit, ita ut nullæ falsi dogmatu imagines & rudibus periculosi erroru occasionem præbentes statuantur. Quod si aliquando historias & narrationes sacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi posse. Omnu porrò superstitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione, & imaginũ sacro usu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis deniq; lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur nec ornentur, & Sanctorum celebratione, ac reliquiarum visitatione homines ad comessationes atq; ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum ac lasciviam agantur. Postremò tanta circa hæc diligentia & cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum aut præpostrè & tumultuariè accommodatũ, nihil prophanum, nihilq; inhonestum appareat, cùm domum Dei deceat sanctitudo.

Hæc ut fidelius observentur, statuit sancta Synodus nemini licere ullo in loco vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit: nullæ etiam admittenda esse novæ miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo. Qui simul atq; de ijs aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & alijs pijs viris, ea faciat, quæ veritati & pietati consentanea judicaverit. Quòd si aliquis dubius aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de ijs rebus gravior quæstio incidat, Episcopus, antequam controversiam dirimat, Metropolitani & Comprovincialium Episcoporum in concilio provinciali sententiam expectet: ita tamen, ut nihil inconsulto sanctissimo Roman. Pontifice novum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.

QVIS SIT STATVS CONTROVERSIAE DE imaginibus.

VALDE mirandum est de Imaginibus seu statuis, hoc est, de re, in qua religio Christiana & pietas nulla ex parte sita est, tàm atroces, hostiles, atque adeò cruentas dimicationes in Ecclesia ortas fuisse, sicut postea ostendemus. Fuerunt enim & olim, & adhuc sunt, qui acerrimè contendunt, nullas prorsus imagines, etjam si nec ad cultum prostent, nec ad adorationem proponantur, tolerandas esse: quod quidam de solis templis sive locis, ubi ad cultum di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vinum conuenitur, intelligunt: quidam verò in genere, in nullis etjam privatis locis, Sanctorum imagines tolerandas docent. Illi igitur necessitatem de imaginibus per se nec faciendis, nec habendis, nec tollerandis imponunt conscientiis, & partem pietatis non postremam in demoliendis imaginibus collocant, ac religionem non minima ex parte inde æstimant, si vel habuerint vel viderint Templa imaginibus simpliciter & prorsus vacua. Pontificii econtrà in Tridétino Decreto prorsus necessitatem faciunt, de imaginibus in templis habendis & retinendis, tanquam parte non postrema religionis, pietatis, & cultus divini: imò docent, imaginibus honorem, atque adeo cultum exhibẽdum, & quidem eodem cultu, qui rei per imagines significatæ debetur venerandas: ut, si sit Dei vel Christi imago, eam cultu λατρείας & adorationis, sicut Deum ipsum venerandam, si Mariæ, cultu ὑπερδουλείας, si Sanctorũ, cultu δουλείας, Sicut Antonius ex Thoma docet, & sicut ex Pseudosynodo Nicena postea ostendemus. Imò Pontificiorum templa tantùm non clamitant, imagines in illis, auro, argento, gemmis, serico, honorari, votis, cereis, suffitu, anathymatis, oblationibus, templis, aris, festis, ceremoniis, salutationibus, incurvationibus, genuflexionibus, expansione manuum, apertione capitis, imò precibus & invocationibus coli, & in publicis supplicationibus circumferri. Lutherus verò juxta regulam scripturæ, imagines, repræsentantes veras atque utiles historias, inter adiaphora posuit, quæ ornatus, memoriæ, sive historiæ gratia, sine superstitione haberi possint: & tamen si non habeantur, religioni & pietati nihil decedat. Cultum verò imaginum verbo Dei prohibitum & damnatum esse ostendit. Superstitiosa igitur opiniones de imaginibus, per doctrinã verbi divini, animis hominum esse eximendas: & si quæ imagines ad cultum prostent, eas publica authoritate esse tollendas, ac si ex imaginibus periculum idololatriæ timendum sit, eas potius abolendas esse docuit. Hæc ut eò commodius explicari possint, Primò de Ethnicorum imaginibus & statuis quædam annotabimus. Secundò ostendemus, quæ sit doctrina veteris & novi Testamenti de imaginibus. Tertiò monstrabimus in primitiva Ecclesia imagines non fuisse adhibitas ad cultum divinum. Imò ne in oratorio quidem, ubi Ecclesia ad cultum divinum cõveniebat, facilè fuisse admissas. Quartò annotabimus, quomodo & quando cœperit usus imaginum in Ecclesia; & quæ postea de imaginibus fuerint certamina, & in quas tandem superstitiones evaserint, quas non corrigere, sed retinere & stabilire conantur Tridentini patres.

Quidã omnẽ usum imaginũ damnãt.

Pontificii imagines colunt & adorant.

I.
II.
III.
IIII.

DE VSV IMAGINVM apud Ethnicos.

Quia ea quæ in Scriptura de simulachris traduntur, ad Ethnicas superstitiones potissimùm respiciunt, atque ex gentilium illis consuetudinibus multa postea in Ecclesiam etjam irrepserunt, primo loco quædam de origine, atque usu imaginum, apud Ethnicos annotabimus. Illa enim collatio multum lucis huic controversiæ adferet. Nõ autem integram hujus rei historiam ex scriptoribus colligemus, quo scilicet tempore, & à quibus authoribus initiũ sumpserit usus simulachrorum apud Ethnicos, nec quid singulis temporibus de simulachris actum sit apud Ethnicos: alterius enim argumẽti hæc sunt; sed quæ ad propositum nostrum institutum facere videbuntur, breviter ex certis scriptoribus annotabimus. In libro igitur Sapientiæ extat illustris & prolixa descriptio de origine & cultu simulachrorum. Nam cap. 14. ita scribitur, ἀρχὴ πορνείας ἐπίνοια εἰδώλων. Initium scortationis (scilicet spiritualis) est excogitatio simulachrorũ, & adinventio illorum corruptela vitæ est, neq; enim erant ab initio, neque in perpetuum manebunt. Nam κενοδοξίᾳ, hoc est, inani hominum gloria seu ambitione in mundum introducta sunt, atque ideo velox ipsis interitus destinatus est. Acerbo enim luctu præmaturè abrepti filii, dolens pater imaginem fecit, & jam antea mortuum hominem, nunc tanquam Deum colere cœpit, & domesticis suis tradidit μυστήρια καὶ τελετάς, religioné seu sacra, ceremonias seu sacrificia. Deinde progressu temporis, impia consuetudo prævalescens, pro lege servata est. Et ob Tyrannorum mandata ἐθρησκεύετο τὰ γλυπτὰ religiosis ceremoniis culta sunt sculptilia. Et quos (ἐνόψια) in conspectu, coram vel præsentes honorare non poterant (eò quòd procul habitarent) eorum è longinquo ad vivum expressam imaginem regis, quem honorare volebant, repræsentarunt, ut absentem, tanquam præsentem per adulationem studiosè colerent (κολακίνωσι) Ad intentiorem autem cultum, imperitiores provexit artificis eximia diligentia. Ille enim potentiori studens placere, similitudinem arte elaboravit ad summam elegantiam. Vulgus verò opificii venustate abductum, quem paulò antè ut hominem honorârat, mox ut numen colendum (σέβασμα) existimat. Et hæc fuit vitæ humanæ seductio, quòd homines in servitutem redacti, incommunicabile nomen lignis & lapidibus imposuerunt. Infandorum enim simulachrorum cultus, omnis mali origo, causa & finis. Nã inanimatis confisi simulachris, ultionem malè facientes non timent. Vtraq; ergò de causa punientur, & quoniam de Deo malè senserunt dediti simulachris, & quòd sanctitate spreta injustè agunt. Et cap. 13. dicit: Artifex vel hominis effigiem, vel animalis simulachrum, figurat ex ligno, auro, argento, aut lapide, opus manus antiquæ, & in extructo ad id digno domicilio, in pariete illud collocat, & ferro firmat, ne cadat, cùm seipsum juvare non possit. Huic vota faciés pro substãtia, pro nuptiis, pro liberis, non erubescit inanimato loqui, pro sanitate invocat infirmum, pro vita rogat mortuum, pro auxilio supplicat inopi, &c. Et cap. 15. Agit gratias Deo, quòd nos in errorem non seduxit malæ artis excogitatio, adumbratio picturæ, labor infructuosus, effigies per varios colores seu sculpta, cujus aspectus insipientibus dat concupiscentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem, &c.

Origo simulachrorum, Sap. 14.

vsus imaginum politicus apud gentes.

Cum hac narratione consentiunt reliquæ etjam Ethnicorum historiæ. Duplex enim causa & usus imaginum seu simulachrorum apud Ethnicos describitur. Alter fuit politicus, historiæ & gratæ

Valerius Messala.

gratæ memoriæ causa. Ita Volaterranus scribit lib. 17. Valeriũ Messalam, qui primo bello Punico consul fuit, tabulam picturæ prælii, quo Hieronem & Carthaginenses in Sicilia vicerat, primùm proposuisse in latere curiæ Hostiliæ. Antiquitùs etjam, sicut scribit Alex. ab Alex. libro 5. cap. 24. ea observata fuit consuetudo, ut nobilibus viris defunctis, illorum imagines, tàm circa limina domus, quàm pro foribus locarentur, ut defunctorum desiderium repræsentatæ illæ species lenirent, posterosq; ad præclara facinora domi forisq; obeunda invitarent. Ita Valerius Maximus scribit libro octavo, cap. 16. Scipionis Africani imaginem in cella Iovis positam, quæ inde petatur, quotiescunq; munus aliquod Cornelianæ gentis celebrandum sit. Et Catonis superioris effigiem in curia positam, quæ ad ejus etjam generis officia inde expromatur. Et addit Valerius hoc Epiphonema: Gradum, ordinem Senatoriũ qui utilissimum Reip. senatorem tantùm non semper secũ habere volvit. Et Salustius de bello Iugurthino inquit: Sæpe audivi, civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere: Cùm majorum imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad virtutem accendi, scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in se habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neq; prius sedari, quàm virtus eorum famam atq; gloriam adæquaverit. Ac usitatissimum fuit benè de Repub. meritis statuas ponere. Athenienses enim primi tyrãnicidis Harmodio & Aristogitoni publicè statuas posuisse videntur, sicut Plinius scribit libro 34. cap. 4. Vbi addit: Effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri causa perpetuitatem merentium. Excepta deinde res est à toto orbe terrarum humanissima ambitione. Etjam omnium municipiorum foris statuæ ornamentũ esse cœpêre, prorogarique memoria hominum; & honores legi, ac basibus inscribi, Honores clientum instituit sic colere patronos: Hæc Plinius. Apud Lacedæmonios, ficut scribit Alexander ab Alex. libro tertio, cap. 7. usitatum fuit, his qui in re militari fortia gesserant facinora, statuas & columnas pariter cum elogiis post obitum erigere. Rege verò defuncto, ipsius simulachrum, ita ut quasi vivus apparet, in thoro purpura & auro instrato effingere. Et Miltiadi ob egregiam in pugna Marathonia navatam operam, hunc honorem Athenienses tribuerunt, ut imago eius exsculpta in publica porticu poneretur. Ita Phocioni & Socrati iniustè damnatis post mortem statuæ ab Athenienfibus erectæ sunt.

Maiorũ imagines.

Scipionis.

Catonis imago.

Miltiades.

Phocionis. Socratis.

Statuæ benè meritis positæ.

Athenienses primam statuam.

Romanor. statuæ.

Alexander Magnus centum viginti equites, qui in campis Adrastæis ceciderant, equestribus statuis donavit. Romani etjam, sicut scribit Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 7. Iis qui domi vel foris egregiè se gessissent, post mortem in nostris imagines in memoriam posteritatis plerumq; cereas aut marmoreas, vel etjam æneas columnas, cum Trophæis & titulis publico concilio, erigebant, & res gestas monumentis insculpebant. Ita Horatio Cocliti statua in Vulcanali posita fuit. Mutio etjam Scævolæ honoris gratia statua erecta. Et Tito Sempronio Gracho publico senatus consulto statua consularis in templo fuit collocata, cum inscriptione: Restitutos ab eo mores. Philosophis etjam, Oratoribus & Poëtis statuæ positæ sunt, ut Homero, Colophoni, Gorgiæ Delphis, Isocrati in Olympus, Menedemo, Demostheni, Berosо Athenis, Mithridates Platoni, Ptolomæus Philopater Homero, Mantuani Virgilio statuam posuerunt. Postea vivis etjam honoris & gratitudinis ergò statuæ positæ sunt. Et quando memoriam alicujus delere, vel nomini ignominiam inurere volebant, statuas vel dejiciebant, vel contumeliosè tractabant. Exemplorum plenæ sunt omnes Historiæ. Et quod Amoris ac honoris indicia fuerint, ostendit historia M. Antonini apud Fulgosium. Ipso enim mortuo, velut sacrilegus fuit habitus civis, qui domi ejus non habuisset imaginem, dignum ducentes, ut aut metallo, aut saltem pictura eius virtutis servarent memoriam, cujus vitam diuturniorem fata passa non erant. Sicut contrarium Neroni & Domitiano antè acciderat, quorum memoriam propter sceleratam vitam extinguere quæsierunt. Ita Eusebius de vita Constantini libro quarto scribit, Romanos audita morte Constantini, non vocibus tantùm proclamasse, Cõstantinum beatum, Deo amabilem, & verè imperio dignum: sed reipsa etjam hoc declarasse, Mortuum tanquam viventem (εἰκόνος ἀναθήμασι) suspensis pictis tabulis, effigiem ejus referentibus honorantes. Cùm enim cœli effigiẽ coloribus expressissent, ipsum super cœlestes orbes, in æthereo cœtu requiescentem, depinxerunt. Et postea addit Constantinum (εἰκόνων ἀνασώσεσι) erectis imaginibus unà cum filiis suis apud omnes gentes honoratum, & in numismatis effigiem ejus exsculptam.

Philosophorum & Poëtarum imagines.

Constantini imagines.

Hactenus de politico imaginum & statuarum apud Ethnicos usu diximus, cui mox vel accesit vel successit superstitiosus & idololatricus cultus. Nam & politicæ quædam imagines in ipsa templa collocatæ, ac pulvinaribus Deorum impositæ scribuntur. Vulgi etjam adulatio præter flores & coronas, suffitu etjam seu incenso & cereis statuas venerabatur. Ita Cicero 3. Officiorum de statuis, C. Mario à multitudine positis scribit: Omnibus vicis statuæ factæ sunt, & ad eas thus & cerei: Imperatores etjam quidam partim subornabant, partim imperitabant statuis suis suffitus, sacrificia, supplicationes, anathymata, & alios divinos honores exhiberi. Sicut historiæ de Nabuchodonosore, de Alexandro Magno, de Antiocho, de Caligula, Domitiano, Heliogabalo, Commodo & Diocletiano, referunt. Est & superstitionis non exigua pars, quod Polydorus scribit: Romæ Marcianorum familiam solenne semper habuisse, ut Alexandrum Magnum viri in auro & argento, mulieres in reticulis & annulis exsculptum gestarent, eò quòd sicut Iulius Capitolinus testatur, diceretur juvari in omni actu suo, qui Alexandrum auro aut argento sculptum gestaret.

Superstitiosus imaginũ usus apud Ethnicos.

Cerei, suffitus, coronæ, sacrificia, supplicationes, imagines.

De Alexandri imagine gestata.

Deorum verò, sive ut rectius loquar, Idolorũ simulachra apud gentes tandem omnia delubra implêrunt, & divinum cultum totum ad se rapuerunt. Antiquitus quidem multæ gentes absque simulachris Deum colebant. Persa enim nec

Templa gentium primò absq; simulachris.

Persæ.

Lacedæmon. puræ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aegyptij. statuas nec aras Diis suis erexisse scribunt Herodotus & Strabo. Aegyptiis licet Templa marmore & auro essent luxu ingenti & mira arte elaborata, tamen Deorum imagines ipsis habitas fuisse deridiculas scribit Alex. ab Alex. libro 2. capite 22. Vbi etjam addit: Etjamsi Lycurgus apud *Spartani.* Lacedæmonios multarum ceremoniarum institutor fuerit, nullam tamen apud ipsum factam Deorum imaginem fuisse, quippe qui hominum aut animalium species Diis tribui semper vetuerit. Eusebius de præparat. libro 6. scribit, apud *Seres.* Seres lege exceptum fuisse, ne simulachra colerentur. Tacitus scribit: Germanos prisco tempore, nec Deos cohibere parietibus, neq; ullam *Germani.* humanioris speciem assimilare ex magnitudine cœlestium fas arbitratos. Augustinus de Civitat. libro quarto, capite 31. ex Varrone citat, antiquos Romanos, plus quàm annos centum & *Romani.* septuaginta, Deos sine simulachro coluisse. Et addit hæc verba Varronis: Quòd si adhuc, inquit, mansisset, castius Dii observarentur, cujus suæ sententiæ testem adhibet Varro inter cætera etjam gentem Iudæam. Nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat, qui primi simulachra Deorum populis posuerunt, eos civitatibus suis & metum dempsisse, & errorem addidisse, prudenter existimans, Deos facilè posse in simulachrorũ stoliditate contemni. Plutarchus *Iudæi.* in Numa inquit: Hic Romanos prohibuit existimare imaginẽ DEI (ἄνθρωποειδὲ ἤκιστα ζωόμορφον) hominis speciem aut animalis habere formam. *Numa.* Nec fuit apud eos prius vel picta vel ficta Dei species, sed in prioribus centum septuaginta annis templa quidem ædificabant, simulachrum verò nullum (ἔμμορφον) effigiatum faciebant, perinde atque nefas esset, meliora per deteriorum similitudines exprimere, cùm Deus aliter quàm intelligentia comprehendi non possit: Hæc Plutarchus.

Cultus simulachrorum apud gentes. Posteris verò temporibus totam religionem & universum cultum Deorum gentes ad simulachra & statuas alligârunt: varia enim & multa fingebant Deorum genera, inter quos unum statuebant esse magnum & primum Deum, qui det omnia, aliosappellabant parvos Deos, à magno illo ortos, qui aliqua dent. Lactantius libro primo, capite quinto. Epiphanius Tomo primo, libro quinto, hæresi 76. Et inter parvos Deos alios selectos appellabant, à quibus opera majora in mundo administrentur, alios plebejos seu minorum gentium Deos, utpote minutis opu- *Varia Deorũ genera.* sculis deputatos. Augustinus de Civita. libro 2. cap. 2. Alios bonos, quos obsequiis lætis, ut prodessent, propitiabantur & invocabant. Alios malos, quos cædibus & supplicationibus tristibus, ne nocerent, placabant. Augustin. de Civit. lib. 2. cap. 14. Alios vocabant dæmones, quos Porphyrius mediatores constituit inter Deum & homines, lib. 8. cap. 20. Clemens in oratione ad gentes dicit, dæmones circa sepulchra versari, & post Deos custodire homines. Tatianus dicit, Græcos tribuere dæmonibus quòd sanent morbos. Euseb. de præpar. lib. 4. cap. 3. dicit, quatuor genera ponit: Primò Deum patrem omnium. Deinde aliorum Deorum multitudinem. Tertio loco dæmones, quorũ alios bonos, alios pravos arbitretur. Quartò heroum animas, & bonos quidem summa religione, ut prosint, colendos: malos verò, ne noceant, placandos. Singulis autem Deorum generibus dedicârunt peculiaria templa, delubra, sacella, fana. Et in his singulos Deorum peculiaribus repræsentârũt statuis, simulachris, seu imaginibus ligneis, lapideis, marmoreis, aureis, argenteis, pictis, fictis, sculptis, fusis. Et rudiores quidem primùm, sicut scribit Clemens in oratione ad gentes, erigebant ligna insignia, lapides non sculptos, sed columnas ex lapidibus: Alii gladium, alii hastam adorabant. Postea artificum studio illa in statuas efficta sunt, quas non in templis tantùm, sed & domi habebãt & venerabantur, sicut tradit Clemens. Et singulis Diis peculiarem attribuerũt effigiem, vel hominum, vel animalium quadrupedum, vel reptilium, vel aquatilium, vel volatiliũ, & singulas statuas certis habitibus & coloribus distinxerunt, sicut Arnobius describit lib. 6. Et Eusebius de præparat. lib. 3. Statuas autem ita formatas, certis deinde ritibus precularum, & unguentorum dedicabãt & consecrabant, atq; inde fieri existimabant, ut Dii in statuis habitarent, sicut tradit Arnobius contra gentes, lib. 6. qui etjam lib. 1. dicit, Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex Oliva unguine ordinatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam. Apud Augustinũ de Civit. lib. 8. cap. 23. Hermes visibilia & contrectabilia simulachra, velut corpora Deorum esse asserit: Inesse autem his quosdam Spiritus invitatos, qui valent aliquid sive ad nocendum, sive ad desideria eorũ nonnulla complenda, à quibus eis divini honores & obsequia cultus deferuntur. Hos ergo Spiritus invisibiles per artem quandam visibilibus rebus corporalis materiæ copulari, ut sint quasi animata corpora illis spiritibus dicata & subdita simulachra, quæ inde tanta & talia faciãt. Et cap. 24. dicit Hermes, Evocantes animas dæmonum vel angelorũ, eas divinis mysteriis indiderũt imaginibus sanctis, per quas idola & benè faciendi & malè vires habere possent. Et hos esse internuncios, mediatores, & intercessores hominum apud Deum, Apulejus ibidem tradit.

Simulachra in templis. *Peculiaris effigies, habitus, color Deorũ in simulachris.*

Imagines verò sive statuas hoc modo dedicatas seu consecratas, Augustinus epist. 40. dicit, à gentibus sacris sedibus honorabili sublimitati locari, ut à precantibus atq; immolãtibus attendantur. Item talibus simulachris divinum cum timore cultum exhibent, eaq; viventibus similia venerantes adorantesq; contuentur, eisq; velut præsentibus preces allegant, victimas immolant, vota persolvunt. Et Prudentius tradit, super aris stetisse simulachra quæ colebantur, Clemens ad gentes scribit, statuas nidore, sanguine, fumo, & sacrificiis honoratas & adoratas. Euseb. libro 3. de vita Constantini addit anathymatum honorem. Arnobius lib. 7. contra gentes partem cultus fuisse tradit incẽsionem thuris ante ipsa numinum signa. Sozomenus lib. 2. cap. 4. addit, oblationem thymiamatum & libaminum, quæ Lactantius ita describit libr. 6. cap. 1. focos adolent ac veteri vino madefaciunt, sacras dapes apparant, & exquisitas epulas offerunt. Arnobius lib. 7. inquit: Honorabant idola coronis, floribus, aris,

Locus imaginum in templis & cultus. *Vota.* *Sacrificia.* *Thus.* *Coronæ.*

Cerei. aris, tinnitibus, tympanis, Symphoniis, canonibus ad tibiam collatis vocibus. Lactantius lib. 6. cap. 2. Diis accendebant in templis lumina. Ita apud Eusebium libro 2. de vita Constantini Licinius accensis cereis candelis pro consuetudine *Adorationes cunia.* sacrificat. Apud Arnobium, libro sexto, adorant simulachra in terram prostrati. Apud Livium libro 6. Decadis quartæ, Romani Cereri jejunant. Apud Sozomenum, libro quinto, cap. 5. delectu *Festa.* ciborum colunt idola, utqui sacris interesse velint, abstineant à prophanis cibis. Festa verò & ludos partem fuisse honoris & cultus idolorum, *Cœlibatus.* testatur Epiphanius lib. 3. Tom. 2. & Arnobius libro 7. Sacerdotes idolorum quidam non miscebantur mulieribus. Hiera adversus Iovinianum, *Caput rasum.* lib. 2. Quidam rasis capitibus incedebant teste Hieronymo lib. 13. in Ezechielem. Solebant non ab omnibus omnia, sed à certis Diis apud peculiares statuas certas res petere, ut indicat Tatianus contra Græcos. Item sicut Arnobius libro *Aqua lustralis.* secundo scribit, sentiebant singulos Deos certarum rerum datores esse. Adeuntes delubra aqua se aspergebant, Iustinus Apolog. 2. Alii coma sordida, veste lacera, abstinentes à lavacris adorabant simulachra, Clemens in Paræneticoad gentes. Vbi & addit, simulachra Deorum ad publicas calamitates avertendas, solennibus ceremoniis ex uno loco in alium solita transferri. Ita Romani apud Arnobium, libro septimo, ad vin- *Circumgestatio statuarum.* cendum Hannibalem Magnam matrem Deûm ex Phrygia Romam transtulerunt, & magnifico templo honorârunt. Ad pestem etjam abigendam Aesculapium ex Epidauro Romam adduxerunt, & templo ac sacrificiis coluerunt. Arnobius libro octavo scribit, Romanos cruda hyeme nudos discurrere, scuta vetera circumferre, vicatim Deos ducere, quædam fana quotidiè, quædam semel in anno adire. Testatur etjam Epistola Ieremiæ, gentes in publicis supplicationibus statuas Deorum circumgestasse. Eusebius libro tertio, de vitâ Constantini scribit, in statuis illis inventa mortuorum corporum ossa & arida crania.

Ossa mortuorũ in statuis. Similitudo inter Ethnicos & Papistas ad statuas. Hæc ideo annotavi. Collatio enim ostendit, tantam esse similitudinem cultus divini, qui olim fuit in delubris gentium, & qui nunc ad statuas in Pontificiorum templis cõspicitur, Vt Ludovicus Vives fateatur, non posse discrimen aliquod ostendi, nisi quòd nomina tantùm & titulos mutârint, ut rectè ac verè jam Pontificiis dici possit, quod Faustus olim Christianis objicere conatus fuit: Idola vertistis in martyres seu Sanctos, quos votis similibus colitis.

Quomodo statuæ soluebãtur statuas. Et ne hac exceptione elabi conentur Pontificii, quod non tribuant virtutem aliquam materiæ, vel formæ statuarum, quodq; non Diabolum ut gentes, sed in imaginibus vel Deum ipsum, vel Sanctos cum Deo viventes, & de Ecclesia benè meritos, colant & honorent, ut honor imaginibus exhibitus referatur ad prototypum, hoc est, ad eos qui per imagines seu statuas significantur & repræsentantur: Agè ex gentium historiis manifestè ostendemus, honores & cultus, quos statuis seu imaginibus exhibebant, ipsos retulisse non principaliter ad materiam seu formã statuarum, seu vel ad summũ Deum, vel ad eos quorum Spiritus apud Deum vivere, & tanquã mediatores seu intercessores mortalibus apud Deũ multùm prodesse existimabant, utpote qui in vita de genere humano benè essent meriti. Sicut ex iis, quæ hactenus annotavimus, manifestum est. Et vulgi quidem superstitio apud Ethnicos sicut & apud Pontificios crassior fuit ipsis statuis affixa, quam sapientes magis dissimulârunt quàm probârunt: Sicut apud Augustinum de Civitate lib. 4. cap. 27. Scævola Pontifex expedire existimat, falli in religione civitates. Et cap. 31. Varro dicit, Multa esse vera quæ non modò vulgò scire non sit utile, sed etjamsi falsa sunt aliter existimare populum expediat, atq; ideo Græcos mysteria taciturnitate parietibusq; clausisse. Et lib. 6. cap. 10. Seneca vulgi superstitionem ita irridet, Sacros, inquit, immortales inviolabilesq; Deos in materia vilissima atque immobili dedicant, habitus illis hominum, ferarumq; & piscium, quosdam verò juxta sexum diversis corporibus induunt, numina vocant, quæ si Spiritu accepto subitò occurrerent, monstra haberentur. Et postea, Hæc omnia sapiens servabit, tanquam legibus jussa, nõ tanquã Diis grata. Item: Omnem istam ignobilem turbam Deorum, quam longo ævo longa superstitio congessit, sic adorabimus, ut meminerimus, cultum ejus magis ad morem quàm ad rem pertinere. Sapientes verò apud Ethnicos non existimarunt, Deos per se tales habere formas, sicut in statuis figurabantur, sed addebant concinnas interpretationes, sicut Augustinus inquit Epistola 49. Et extant tales interpretationes apud Eusebium de præparat. libro 3. 4. & apud alios, quòd scilicet vel in hujusmodi formis aliquando hominibus apparuissent, vel quòd invisibilis natura & proprietas Deorum ita ob oculos poneretur, vel quòd per ejusmodi habitus indicarentur merita & inventa ipsorum, quibus genus humanum olim juverunt: vel ut significarentur beneficia ab ipsis petenda. Arnobius libro sexto scribit, gentes docuisse adorandas statuas, nõ quòd æs, aurum, argentum, & similes statuarum materiæ Dii sint, sed quod Deorum, qui aliàs invisibiles sunt, præsentia per simulachra exhibeatur, & quòd iis vel Dii, vel virtutes divinæ inhabitent, seu quòd per ea Dii invisibiles honorẽtur & colantur propter dedicationem. Item scribit, gentes sensisse Deos in templis ad statuas invocatos, libentius & citius audire, quàm si sub axe nudo, & æthereo tegmine adorentur. Apud Athanasium in oratione, contra idola dicunt Philosophi, statuas non esse Deos, sed simulachra Deorum ideo haberi, ut Dii sub istis imaginibus respondeant, & se revelent, qui alioqui invisibiles aliter cognosci non possint. Alii subtilius philosophantes dicunt, hæc instituta esse, ut per ea Dii invocentur & adventus Angelorum ac aliarum potestatum ad conferenda beneficia ita concilietur. Addunt esse pro elementis literarum, ut ita homines discant Deum invisibilem agnoscere: Hæc Athanasius. Eusebius libro tertio, de præparat. citat ex Porphyrio, quòd rudiores tantùm ad ligna & lapides in statuis respiciant: Sed sapientes voluisse Deum & Dei virtutes sensibus nostris (δι' εἰκόνων συμφιλῶν) per imagines nobis familiares

Vulgi crassæ opiniones de statuis. *Quæ opinione gẽtes adorarint statuas.* *Imagines pro literis apud gentes.* *Sapientes quid de statuis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

liares (μυνύειν) significare seu patefacere: invisibilia Dei, per picturas visibiles (ἀποτυπώσαντας) effingentes seu exprimētes (τοῖς καθάπερ ἐκ βιβλίων τῶν ἀγαλμάτων ἀναλέγεσθαι τὰ περὶ θεῶν μεμαθηκόσι γράμματα) illis qui assveti sunt ex simulachris tanquam ex libris literas seu institutiones de Diis legere seu colligere. Et libro quarto tractat & refutat argumētum gentilium, quo cultum idolorum ex miraculis sanationum, & ex pœnis erga contemptores idolorum, ipsa experientia comprobatis, defendunt & stabiliunt. Et apud Augustinum de Civitate, libro 7. cap. 5. Varro dicit, sicut per corpus humanum anima, quæ est in corpore cognoscitur: Ita per simulachra, quæ formam haberent humanam, significari immortales Deorum Spiritus, &c. Et quanquam hujusmodi interpretationibus Sapientes inter gentes vulgi superstitiones pinxerint: tamen mā fit id, quod Augustinus scribit Epistola 49. Idola quidem omni sensu carere quis dubitet? veruntamen cum his locantur sedibus honorabili sub limitate, ut à precantibus atque immolantibus attendantur, ipsa similitudine animatorum mēbrorum atque sensuum, quamvis insensata atq; exanimata, afficiunt infirmas animas, ut vivere & spirare videantur, accedente præsertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus Dei impenditur. Item quando eis velut præsentibus preces allegant, vota persolvunt, sic afficiuntur omnino, ut ea sensu carentia putare non audeant.

Nota Augustini dictum.

Gentiū idola quæ in scriptura nominantur.

Hæc quæ de gentium imaginibus hactenus annotavimus, postea habebunt usum, ubi ad Papisticam imaginum venerationem devenerimus: similis enim statuarum cultus, similibus etiam interpretationibus apud Pontificios pinguntur.

SACRAE SCRIPTVRAE SENTENtiæ & doctrina de Imaginibus, Simulachris seu Statuis.

SCriptura de Simulachris duo potissimùm tradit: Primò gentium Idola irridet & damnat. Secundò quando populus DEI usum Simulachrorum ad cultum veri DEI transferebat, Hoc scriptura reprehendit, prohibet, & damnat.

Gentium igitur Idola in scriptura hæc ferè nominantur & describuntur. Et interpretationes appellationum ostendunt, partim quomodo verus cultus Dei in idololatriam apud gentes degenerârit, partim qua opinione idola coluerint. Moabitarum ergo idola fuerunt: Baal, Numero 22. quod appellationem inde habet, quòd Deum, qui est Dominus noster, ac potestatem in nos habet, magno devotionis ardore ita colere voluerint, sicut uxor erga maritum affecta esse debet. Et ratio cultus Baalitici ita describitur: Extruxerunt ipsi excelsa, Num. 22. Iere. 19. vel in tectis ædium ipsum coluerunt, Ierem. 42. Extruxerunt ei domos, 3. Regum 18. Faciebant ipsi statuas. 4. Regum 5. & 10. Erexerunt altaria, fecerunt Lucos & alia vasa, 4. Regum 21. & 23. coluerunt ipsum genuflexione & osculatione, 3. Regum 16. & 19. 4. Reg. 21. Suffitu. Ierem. 7. & 23. Incenso. 4. Regum 23. Festis & solennitatibus, 4. Regum 10. peculiaribus Prophetis & Sacerdotibus, 3. Reg. 18. 2. Paralip. 23. adorârunt invocatione, Baal exaudi nos, 3. Reg. 18. coluerunt ornatu argenti, auri, & monilium, Oseæ 2. Sacrificiis, 4. Reg. 10 Immolatione seu combustione liberorum, Iere. 19. Fuit & Moabitarum idolum Baalpeor, Num. 25. habens nomen ab apertione, quod propter affinitatem appellationis Priapi, & propter Historiam fornicationis, Num. 25. interpretantur de nudatione pudendorum. Quia verò verbum illud propriè de apertione oris dicitur, potest & hæc ratio appellationis esse, quod audierint de Deo, qui patribus locutus, & dato verbo se patefecisset. Cultus autem describitur adoratione per incurvationem seu genuflexionem, comestione eorum quæ immolata fuerant. Et dicuntur conjugati fuisse ipsi Baal, Nume. 25. Psalm. 106. Porrò & Chemos fuit Moabitarum Idolum, Numer. 1. 21. 3. Reg. 11. 4. Reg. 13. Iud. 11. Ier. 48. Quidam inde dictum volunt κῶμον, Deum comessationum seu Bacchum, quod cultus ejus fuerit, sicut Exod. 32. describitur, sedit populus manducare, & surrexit ludere. Potest verò & appellationē inde habere, quòd fuerit simulachrū ejus qui disceserat seu aberat, Sicut origo simulachrorum describitur, Sap. 14.

Baalpeor.

Chemos.

Madianitarum idolum videtur fuisse Baal Berith, Iud. 8. & 9. quasi Dominus, qui fœdus cum populo suo inierat, & cui populus fœdere astrictus erat.

Baal Berith.

Syriæ idolum fuit Rimmon, 4. Reg. 5. nomen habens à jaculationibus.

Rimmon.

Assyriorum fuit Nisroch, Esa. 37.

Nisroch.

Ammonitarum Idola fuerunt Moloch, 3. Reg. 11. & Milchom, 4. Reg. 23. quasi rex, sub cujus Regno & potestate vivamus: Eum coluerunt traducendo liberos per ignem, Levit. 20. 4. Reg. 23.

Moloch.

Milchom.

Sidoniorum idolum fuit Astharoth vel Asthoreth, Iud. 2. 3. Reg. 11. 4. Reg. 23. Appellationem habet à fœtura ovium, Deu. 7. Ad singula enim beneficia impetranda, & ad quasvis calamitates avertendas, peculiaria habuerunt & coluerunt idola.

Astharoth.

Philistinorum idolum fuit Dagon, Iud. 16. & 1. Reg. 5. Nomen habet à fœcunditate & multiplicatione piscium & frumenti.

Dagon.

Ammonitarum idolum fuit Baal Zebub, 4. Reg. 1. Habitus autem fuit princeps dæmoniorum, Luc. 11. Et dictus dominus muscarum, vel quòd dæmonia tanquam examina muscarum homines circū volitent, vel quòd contra infestationem Muscarum invocatus fuerit, certa immissio morborum & lapsuum, atq; liberatio ipsi tributa scribuntur 4. Reg. 1.

Baal Zebub.

Babyloniorum idola fuerunt Bel, Iesa. 46. Ierem. 50. ejusdem etymologiæ cum Babel. Item Nebo, Isa. 46. à vaticinando nomen habens. Eorum verò, quos rex Assyrius ex Babylone & vicinis provinciis in Samariam collocârat, idola fuerunt, 4. Reg. 17. Suchoth Benoth, Nergel, Asima, Nebahaz, Tharthac, Adramelech, Anamelech, quas Syriacas voces appellationem habere dicunt à gallis, gallinis, pullis, hircis, canibus, asinis, equis, mulis, pavonibus, ūde colligitur, qua opinione idola coluerint.

Bel.

Nebo.

Samaritanorum idola

AEmulatione AEgyptiorum Israelitæ in deser to,

Siccuth. to, Amos 5. hæc idola coluerunt, portastis Siccuth regem vestrum. Nomen autem habet à tegumento, seu protectione & monumento. Item,

Cium. *Cochab.* Cium imaginem vestrarum, placentas enim simulachris offerebant. Et Cochab, hoc est, sydus seu stellam Deorum vestrorum.

Miplezeth. In genere nominantur idola, ut Miplezeth. 3. Reg. 15. quod nomen habet à timore & tremore, sicut Ieremias de statuis idolorum dicit, ostentantes metum gentibus. Item Thamuz, Ezech. 8.

Thamuz. *Gad.* Gad, Isai. 65. nomen habens ab excursoribus, grassatoribus, depopulatoribus. Ibidem offertur libamen ipsi Meni. Nomen autem habet à calculatione, & distributione rerum. Pro fortuna igitur & felicitate in negociationibus idolum illud coluerunt, Ezech. 8. Omnes formæ reptilium & animalium, ac universa idola domus Israel depicta erant in pariete, quæ nebula fumi suffitus colebant. 4. Regum 23. coluntur Sol, Luna,

Meni.

Militia cœli. *Regina cœli.* signa & militia cœli, Ierem. 7. & 44. regina cœli, 4. Reg. 22. In simulachro depicta erant currus equi Solis, Isa. secundo, coluntur talpæ & vespertiliones, scilicet contra infestationes. Hæc sunt gentium idola, quorum nomina extant in veteri Testamento, quæ David vorat Elilim, hoc est,

Elilim. *Siddim.* vanitates, nihili. Moses Deut. 32. vocat Siddim, hoc est, dæmonia vastantia. In novo Testamento Roman. 1. dicit Paulus, gentes mutasse gloriam Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volatilium, & quadrupedum, & reptilium. 1. Cor. 12. Currebatis ad simulachra muta. Acto. 14. Dii specie hominum descenderunt, Barnabam vocant Iovem, Paulum Mercurium, eò quòd esset dux verbi, quos sacrificiis taurorum & coronis colere volebant, Actor. 19. Inclamatur magna Diana Ephes. Act. 17. describitur ara ignoti Dei. Actor. 28. navigantes præferunt insigne Castoris & Pollucis. Quam falsè verò Scriptura irrideat, & quàm graviter damnet idola illa gentium, videre est apud Isa. capit. 37. Non erant Dii, sed opera manuum hominum è ligno aut lapide. Isa. 40. cui similem facietis Deum, aut quā imaginem ponetis ei? Artifex conflat simulachrum ex auro, argento, ligno, &c. Isa. 41. faber confortavit conflationem, confortavit simulachrum clavis, ut non moveatur. Nunciate futura benè aut malè si potestis facite, & sciemus quòd Dii sitis, vos estis ex nihilo, abominatio elegit vos. Is. 44. Quis formavit Deū & sculptile cōflavit ad nihil utile, fabri sunt ex hominib. Artifex dat ligno formam viri, & speciē hominis. Ex dimidia parte ligni succendit ignem, coquit carnes, ex residua parte facit Deum & simulachrum, curvatur ante illud, adorat, & ante illud precatur, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu, non sentiunt, non intelligunt, &c. Isa. 45. Pudefiant fabricatores idolorū, errant qui ligneū simulachrum gestant & rogant Deum non salvantem. Isa. 46. cui me similem facieris? Conferunt aurum, conducunt artificem, ut faciant Deum, cui procidunt, quem adorant, portant illum in humeris cùm clamaverint ad eum, non audiet, de tribulatione non salvabit eos. Iere. 10. statuta gentium sunt vanitas, lignum formatur, auro ornatur, clavis firmatur, portatur, quia incedere non valet. Nolite timere ea, quia nec malè possunt facere nec benè, purpura indumentum eorum, opus artificum universa hæc. Sic ergo dicetis eis: Dii, qui cœlos & terram non fecerunt, pereant. Eze. 6. væ super abominationes, cadent in medio idolorum, ubi suffitum ipsis fecerunt. Eze. 14. posuerunt idola in cordibus, & scādalum iniquitatis coram facie sua, ponam faciem meam contra illos. Ose. 3. visitabo contra eos dies Baalim. Oseæ 8. Artifex fecit illū, & non est Deus, mittam ignem in civitates eius. c. 10. currunt ad vitulos, dicent montibus, cadite super nos. cap. 11. Baalim sacrificant, simulachris adolent, irruit gladius in civitates eius. Amos 5. Adoratis idola, ideò transferam vos ultra Damascū. Mich. 1. Omnia idola ponam in perditionem. Zach. 10. Simulachra locuta sunt vana, ideo abducti sunt quasi grex. Psal. 115. Aures habent & non audiunt, similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Ro. 1. Cùm Deū cognovissent, non ut Deum glorificaverunt, sed coluerunt præter Creatorē ea, quæ condita sunt, Gala. 4. Serviebatis eis, qui natura non sunt Dii. 1. Cor. 10. Ne sitis cultores idolorum, &c. Item dæmonis immolant, & non Deo, &c. Atque ita Scriptura irridet & damnat propter idola & gentes & Israelitas, quando crassa superstitione gentium idolomaniam imitabantur, sicut multa his prorsus affinia & similia in Papatu facta sunt.

Elilim. *Siddim.*

Militia cœli. *Regina cœli.*

Alterum verò, quòd Scriptura de simulachris tradit, propius ad hanc disputationem de imaginibus, sicut ea nūc speciosis coloribus pingitur, accedit, quòd scilicet in populo Dei omnibus fermè temporibus quidam nō sanè ipsas statuas nec idola adorarint, & usum simulachrorum ad cultum veri Dei trāstulerint. Et quid de illo instituto Deus in suo verbo judicarit. Hæc enim observatio deteget fucos Pontificios, in cultu ac veneratione imaginum, sicut in Tridentino Decreto pingitur. Et ante diluviū quidē nihil tale, quod quidem in Scriptura annotatū sit, legimus. Post diluvium verò annis vix trecentis exactis Thare scribitur servisse Diis alienis, Ios. 24. Et Epipha. scribit illum primum fuisse, qui filio suo, Haram immatura morte prærepto statuam posuit. Item, ducentis annis post mortē Noah in domo Laban & in familia Iacob inveniuntur Dii alieni, Genes. 31. & 35. Quales verò fuerint Dii illi alieni, operæprecium est considerare. Andradius enim ita philosophatur, quia Deus, qui in natura sua invisibilis est, & ante incarnationem Christi, & postea etiam visibili aliqua specie patribus se ostendit, ut vel in effigie humana seu similitudine filii hominis, Genes. 32. Isa. 6. Danielis 7. quæ imago erat corporis illius, quod filius definito tempore assumpturus erat, vel in forma antiqui dierū, Daniel. 7. vel in igne in rubo, Exod. 3. vel in columna ignis & nubis, Exod. 13. & 33. vel sub specie columbæ, Matth. 3. & sub aliis variis formis, quę in Apocalypsi describuntur, ubi etiam & Angelorū & beatorum Spirituum variæ imagines Ioanni à Deo offeruntur. In quibus formis Sancti ipsum verum Deum, qui sub huiusmodi visibilibus speciebus, tanquam imaginibus, præsentiam suam sub hominum aspectum ponebant, venerabātur & adorabāt. Inde igitur infert Andradius, Deum ipsum ostendisse hominibus originem, usum, venerationem & adorationem imaginum in cultu

Quomodo Scriptura irrideat & damnet idola.

Simulachra translata ad cultum veri Dei reprehēduntur in Scriptura.

Andradius de imaginib.

Universidad de Deusto
Biblioteca

divino, ut scilicet homines ipsius sapientiam imitati, iisdem vel similibus speciebus Deum effingerent & exprimerent, atq; in illis speciebus, seu ad tales imagines ipsum verum Deum colerent, & adorarent. Nihil enim referre, humanáne an divina opera tales imagines fiant, arténe fabricétur an miraculo, cùm utrumq; sit effigies, simulachrum seu imago. Ita Andradius.

Speciosa sanè oratio, si remota regula & extincta lucerna verbi divini, ex humanæ rationis cõsequentiis, de religione & cultu divino statuendum esset. Sed Rom. 1. Paulus dicit, hanc esse ipsissimam idololatriæ seu vanitatis originem, quòd homines sine verbo Dei per διαλογισμους, hoc est per argutas suas ratiocinationes seducti, gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem hominis aut alterius imaginis mutarunt. Et has ipsas Andradianas & Pontificias ratiocinationes, multos in populo Dei olim seduxisse, Scriptura manifestè ostendit. Alienos enim Deos, quos Thare in Chaldæa coluit, constat fuisse Vr Chaldæorum, Genes. 11. quod ignem seu focum ignis significat. Sicut postea etiam Persæ ignem in foculo equo impositum circumgestarunt, & sub nomine Orimasdæ coluerunt. Et apud Roman. Vestales ignem perpetuum custodierunt. Ale. etiam ab Alex. lib. 5. cap. 12. scribit in Poliadis Minervæ templo virgines lychnum in extincti luminis & Palladium custodivisse. Apud Delphos etiam mulieres matrimonio solutas ignem per vigilem custodivisse. Non autem adeò vel inepti vel impii fuerunt Patres, Ios. 24. qui in populo Dei educati & instituti erant, ut existimarent, essentiam divinam esse elementum ignis, sed quia igne cœlitus delapso & absumente sacrificia, Deus præsentiam suam Patribus patefecerat, sicut & postea fecit, 2. Paralyp. 7. 3. Reg. 18. ignem illum exceptum, conservarunt, (quod postea & Vestales Romanæ & Delphicæ mulieres æmulatæ sunt, ignem suũ si extinctus foret, è flamma solis rursus elicientes) & in illo igne, ad seu apud, & ante illum ignẽ, verum & vivum Deum colere & adorare instituerunt. Existimarunt enim prorsus, sicut Andradius argumentatur, Si filii Israel gloriam Domini in specie ignis descendentem rectè adorarunt, 2. Paralyp. 7. piè igitur, & rectè cultum veri Dei ad Vr seu ignem posse institui. Sed quia fine verbo, mandato & promissione Dei ex privatis ratiocinationibus hoc instituebant, Scriptura pronunciat ipsos coluisse Deos alienos, hoc est, fuisse cultum illum Idololatriam, Ios. 24.

Vr Chaldæorum.

Orimasda.

Ignus perpetuus.

Teraphim.

Eadem ratio est de Teraphim, quos Labã Deos suos vocat. Gen. 31. Et quos Micha Iud. 17. sculpsit & fudit. Fuisse enim Teraphim statuas, ad effigiem, similitudinem, seu imaginem formæ humanæ fabricatas, non est dubium, sicut ostendit locus manifestissimus 1. Reg. 19. Non autem adeò rudes & crassi fuerunt, quasi essentia divina esset statua ex ligno formata, ex argento fusa, ex ære sculpta, sed quia in similitudine viri seu filii hominis λογος patrib. apparuerat, Gen. 23. Dan. 7. existimarunt verum & vivum Deum rectè posse coli, si talem imaginem repræsentantem non creaturã aliquam, aut idolũ aliquod, sed ipsum Deum exprimerent, & in tali imagine, seu ad tale simulachrum Deum invisibilem colerent & adorarent. Nam Iud. 17. non Dæmoni, sed Lehouah, hoc est, ipsi vero Deo, pecunia illa, unde sculptibile & fusile formatur, consecrabatur. Et Micha dicit: Nunc benefaciet mihi Iehouah. Et capit. 18. Danitæ apud simulachrum illud consulunt, & interrogant Deum, & Levita respondet: Iehouah adest itineri vestro. Israelitæ ergo non Creaturas, non Dæmonas, sicut gentes suis Teraphim fecerunt, Ezech. 21. Zach. 10. Sed verum Deum, qui peculiari appellatione Iehouah à commentitiis numinibus discernitur, in simulachris seu imaginibus coluerunt, & tamen Scriptura pronunciat, ipsos coluisse Deos alienos, Gene. 35. Rationem explicat Samuel 1. Reg. 15. Quia iniquitas seu mendacium Teraphim est, nolle acquiescere voluntati Dei patefactæ, sed à verbo discedere, & mandatis eius aliquid addere.

Porrò Ezechielis 20. scribuntur filii Israel deflexisse ad Idola Aegypti, nõ quòd vel Creaturas vel Dæmonas cum Aegyptiis adorarint, sed quòd simulachra & externos ritus Aegyptiacæ religionis ad cultum veri Dei transtulerint. Ita Exod. 32. cùm Moses in monte commoraretur per 40. dies & noctes, & columnã ignis & nubis, in qua Deus hactenus ipsos præcesserat, non amplius viderent, cogitarent, ex Andradii ratiocinationibus se rectè facturos, si præsentiam Dei alio externo simulachro repræsentarent, ad quod, vel in quo, verum Deum colerent. Cumq; in AEgypto cultum Apis vidissent, simulachrum illud fuso seu conflato aureo vitulo, ad cultum veri Dei transtulerunt, & cultum non ad materiam vel formam vituli, sed ad prototypum suum, vel rem significatam, hoc est, ad verum Deum, qui ipsos ex AEgypto eduxerat, retulerunt. Dicunt enim: Hi sunt Dii tui, qui eduxerunt te ex AEgypto, non quòd sentirent, vitulum eo die primùm conflatum, ipsos ante menses 4. eduxisse ex AEgypto, sed hac oratione protestantur, se hoc simulachro non aurum, nõ formam fusilem, non bovem creatum, sed illum Deum colere, cujus brachio excelso ex Aegypto educti fuerant. Et Aaron sonora voce proclamavit: Cras solennitas erit, non vituli, sed Halehouah veri Dei. Sed non obstantibus solennibus, & sonoris istis protestationibus, Deus pronunciat, peccavit populus recedens à via quam præcepi eis (quomodo scilicet velim coli) excandescam & delebo eos. Nec valet hoc loco Andradii exceptio, Israelitas non peccasse in genere, quòd Deum in simulachro volue rint colere, sed in specie, quòd scilicet non debito simulachro hoc fecerint, sed Dei gloriam commutarint in similitudinem bouis commedentis herbam, Psalm. 106. cum in tali specie Deus nunquam apparuisset. Sed Ezech. 1. & 10. quando gloria Dei apparet, videtur facies hominis, facies leonis, facies bovis, & facies aquilæ. Et quod manifestum est, Exod. 20. non dicit Deus, se in simulachris coli velle, si modo divinæ majestati convenientem habent formam, sed simpliciter dicit: Non facies tibi ullum simulachrum ad cultum.

Apis.

Vitulus aureus.

Ita Iud. 2. Israelitæ servierunt Baalim. Sed Oseæ 2. dicit Dominus: Me vocarunt Baali, hoc est, cultum ad statuam illam, dixerunt se non vel materiæ vel formæ statuæ, nec Dæmoni, sicut gentes

Me vocarunt Baali.

gentes faciebãt, sed Deo vero exhibere. Et tamen Scriptura dicit Iud. 2. Fecerunt malum in conspectu Domini serviendo Baalim.

Israelitæ imagines creaturarum.

Postea, sicut ingenium humanum proclive est à superstitione ad idolomaniam simulachrorum, Israelitę non tantùm Dei, verumetiam virtutum cœlestium, ac aliarum creaturarum, quarum ministerio Deus solet generi humano benefacere, simulachra fecerunt & coluerunt. Atq; ad singula beneficia impetrãda, & pericula avertenda, peculiaria habuerunt & coluerunt simulachra. Sicut ex locis suprà annotatis, in quibus idola gentium & Israelitarum æmulatio describitur, si appellationum Etymologiæ excutiantur, manifestum est. Et eodem prorsus modo in Ecclesia pontificia à superstitione imaginum ad profligatam illam statuarum idolomaniam, cujus ipsos etiam Pontificios aliquantulũ jam pudet, deventum est.

Lex Dei de simulachris.

Ne verò exemplis, sed legibus controversia hæc dijudicetur, Deus tradita certa lege voluntatem suam de simulachris patefecit, Exod. 20. & Deut. 5. Levit. 26. Cùm enim sapientes omnũ temporum ex ratione judicarint, Deum, Angelos & Sanctos visibili aliquo externo signo constituto, colendos & venerandos: Deus talẽ usum simulachrorum ad cultum simpliciter numerat inter Deos alienos, & ita prohibet, ut nullus elusioni aut exceptioni locus esse possit. Primo enim numerat sculptile & fusile, statuam positã, seu erectum lapidem ad imaginem aliquam formatum seu fabricatum. Et generali vocabulo Themunah, hoc est, similitudinem seu imaginẽ, exprimentem & repræsentantem, qualicunque effigie speciem aliquam, quocunque modo, & ex quacunque materia pictam vel effectam. Deut. 4. vocat Samel, id est, figuram, effigiem, seu formã. Secũdò res, quarum similitudinẽ seu imaginem ad cultum proponi & usurpari vetat, ita numerat, ut nullus exceptioni locus sit, dicit enim eorum quę vel in cœlis suprà, vel in terra deorsum, vel quæ sub aquis, vel quæ sub terr. sunt. Sunt autem in cœlo Deus, Angeli, & Spiritus beatorũ, sub terra sunt dæmones: Sunt autem sub terra corpora mortuorum. Reliqua quæ cœlo affixa, quæ in aere, in aquis, in terra sunt, per se patent. Prohibet igitur ad cultũ facere, proponere, aut usurpare, non tantùm imagines idolorum & dæmoniorum, 1. Cor. 8. nec tantùm irrationalium creaturarum, verumetiam Angelorũ, Spirituum justorum, qui in cœlis sunt, & hominum defunctorum, quorũ corpora sub terra sunt, & ne ipsius quidem Dei imaginẽ ad cultum fieri, proponi & usurpari vult lex Dei: Deus enim noster in cœlo est. Et lex prohibet eius, quod in cœlo est, imaginem ad cultum fieri. Et Deute. 4. ratio additur, vocem verborum eius audivistis, non autem vidistis simulachrum aliquod, quando de medio ignis vobis locutus est Dominus. Tertiò duobus vocabulis prohibet omne genus cultuum religiosorum, cùm inquit: Non adorabis nec coles ea, quorum altero, quod incurvationem significat, omnes externi gestus & ritus cultuum, altero interiores affectiones & devotiones cultuum complectitur. Et cultus illos exteriores & interiores Scriptura in libro Sapientiæ & in locis suprà annotatis describit, incurvationibus, genicutlationibus, provolutionibus corporis, manuum extensionibus, exosculationibus, sacrificiis, incenso, thure, libationibus, ornatu auri, purpuræ, &c. circumgestationibus, invocationibus, supplicationibus, votis, desiderio, amore, devotione, spe, fiducia, metu, &c. Quartò, ne quis hæc ita eludat, quasi tantùm prohibeatur cultus, qui ipsi materiæ vel formæ simulachrorum exhibetur: ostendimus jam aliquot Scripturæ exemplis, et jam quando cultus illi imaginum ad prototypum sive ad res per imagines significatas, sive ad Deum ipsum referuntur, tamẽ appellari cultum Deorum alienorum. In statuis enim, per statuas, seu ad statuas seu imagines, Deus nec se, nec Angelos, nec Sanctos, nec ullam creaturam vult coli, sicut ex iis, quæ hactenus ex Scriptura demonstravimus, manifestissimum est.

Quarum rerum imagines ad cultũ prohibentur.

Qui cultus prohibeantur.

Cultus Dei non alligandus, non exercendus ad statuas.

Hæc igitur lex divina non semel posita, sed ter repetita, Exod. 20. Levi. 26. Deut. 5. & 27. simpliciter prohibet, imagines ad cultum religionis seu pietatis facere, habere vel usurpare, cultum enim divinum nõ vult ad statuas allegari, religionem, pietatem & cultum Dei, non vult collocari aut exerceri in veneratione imaginum, non vult vel ipsas imagines coli, vel Deum vel sanctos, vel vllas creaturas in imaginibus, seu per imagines adorari aut coli. Et illa prohibitio in lege illa Dei ita circumscribitur, ut nulla exceptione, sicut ostendimus, eludi possit.

Quomodo lex divina de simulachris eludere conentur Pontificij.

Manifestum autem est, cum hac legis divinæ sententia pugnare ea, quæ in decreto Tridentino de veneratione imaginum statuuntur, præcipuè verò, quòd in pseudosynodo Nicena secunda dicitur, Sanctorum imagines honorãdas, & palàm esse adorandas, quodq; Thomas scribit, imaginibus Christi eundẽ cultum & eandẽ adorationẽ, quæ Christo ipsi debetur, exhibendã esse, de quibus postea sub finem quędam annotabimus. Exceptiones verò, quibus Põtificii legem illam Dei eludere conantur, vanæ sunt, & ipsis verbis legis atq; Scripturæ exemplis exclusæ. Quidam enim tantùm dicũt prohiberi, ne alienorum Deorum imagines ad cultum proponantur, Sed Scriptura legem illam manifestè interpretatur, etiam de veri Dei imagine seu similitudine, ne & illa ad cultum proponatur, Exod. 20. Deut. 4. Isa. 40. Alii dicunt tantùm prohiberi, ne vel dæmonum, vel idolorum, vel creaturarum irrationalium imagines ad cultum proponantur, sed lex in genere loquitur de iis, quæ in cœlo, in terra, & sub terra sunt. In cœlo autem sunt Deus, Angeli, & Spiritus justorum, in terra vivunt sancti, Psal. 67. sub terra in pulvere dormiunt corpora beatorum. Alii dicunt, ipsas imagines non esse adorandas & colendas, sed in imaginibus & per imagines, eos qui per imagines significantur, & repræsentantur, puta Deum, Angelos & sanctos colendos. Sed suprà aliquot Scripturæ exemplis ostendimus, Deum talem cultum non probare, sed prohibere & damnare. Sanctorum verò cultum & adorationem, sive fiat per imagines, sive absq; imaginibus, cum Scriptura pugnare in præcedenti loco demonstravimus. Sunt qui dicunt, cùm Deus in cultu suo semper externa visibilia signa verbo suo adjunxerit, qualia sunt Sacramenta veteris

Universidad de Deusto
Biblioteca

& novi Testamenti, non ergo esse contra voluntatem Dei, si per extraneas & visibiles imagines colatur, sicut in veteri Testamento versus templum & ad arcam fœderis adorabant. Respondio autem plana est, quod Deus ipse verbo & manda to suo talia externa signa seu sacramenta in veteri & in novo Testamento instituit, non autem nostro arbitrio permisit, quæ & qualia nobis videntur signa, & quidem ad cultum facere: Dicit enim: Non faciatis singuli quod vobis rectum videtur, sed quod ego præcipio vobis, hoc tantùm faciatis Domino Deo vestro, non addatis quicquam, nec detrahatis, Deut. 12. Et imagines quascunque ad cultum fieri, proponi & usurpari, Deus disertè, sicut ostendimus, prohibuit. Postremò ait Andradius, in veteri Testamento, cùm Christus nondum esset incarnatus, non licuisset Deum invisibilē in imagine visibili colere, nunc verò, postquam Deus in carne, sicut Paulus loquitur, manifestatus est, licitè & rectè Christum per imagines adorari & coli, sicut Tridentinum Decretum loquitur. Sed lucerna pedibus meis verbum tuum, & lux semitis meis. Christum enim adorandum & colendum esse, Apostoli docent: in simulachris verò & per imagines esse colendum & adorandum, Apostoli nequaquam docent. Sed 1. Ioan. 5. cùm dixisset filium Dei venisse, & dedisse nobis mentem, ut cognoscamus verum Deum addit, filioli, custodite vos seu cavete à simulachris. Qua sententia ad legem, Exod. 20. respicit, & eam in novo etiam Testamento ratam esse debere ostendit. Græci enim sculptile, statuam seu imaginem, Exo. 20. reddiderunt εἰδωλον, qua voce Ioannes etiam utitur. Stat igitur Scripturæ sententia, nullam imaginem sive Dei, sive Angelorū, sive Sanctorum, sive cujuscunq; creaturæ, ad cultum esse faciendam, proponendam seu usurpandam.

Lex de simulachris ratificata in novo Testamento.

An simpliciter omnis factura & usus imaginum prohibeatur.

Et de cultu quidem imaginum ex lege Dei hęc manifesta sunt. Sunt verò qui contendunt, legem illam, non tantum cultum & adorationem, verùm ipsas etiam imagines simpliciter prohibere. Duas enim distinctas legis illius partes faciunt, quarum prior simpliciter prohibeat facere imagines. Altera prohibeat factas adorare aut colere. Sed Levit. 26. textus legis ita ponitur, ut ostendantur prohiberi, ne ad adorandam sive ad cultum fiant, aut ponantur imagines: Non facietis, inquit, vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec lapidem insignitum ponetis Lehisthaheuoth ad adorandū. Et ipsa Scriptura ostendit, facturam & usum imaginum, si non proponantur & usurpentur ad adorationem & ad cultum, non simpliciter prohiberi. Lapides enim insignitos ad adorationem ponere prohibetur, Levit. 26. Sed ad monimenta seu memoracula historiarum, Iacob Genes. 28. lapidem erexit in titulum, fundens oleum desuper. Et Ios. 2. Dominus præcipit poni & erigi duodecim lapides, ut sint signum memoriale seu commonefactorium historiæ transitus per Iordanem. Iosue etiam moriturus erigit lapidem prægrandem sub quercu, quæ erat in Sanctuario Domini, ut esset in testimonium icti fœderis cum Deo, Ios. 24. Samuel quoq; in memoriam auxilii divini contra Philistinos erigit lapidem, & nomen eius vocat lapidem adjutorii, 1. Reg. 7. Et illustre exemplum extat Ios. 22. Cùm duæ tribus & dimidia ædificassent altare, reliqui Israelitæ rati ad cultum hoc factum esse, indixerunt illis bellum: Cùm verò illi ostenderent, se altare illud extruxisse non ad sacrificia, sed in testimonium & ad memoriam historiæ, filii Israel hoc approbarunt, & Deū glorificarunt. Imò Deus ipse jubet, Exod. 25. fieri duos Cherubim aureos ex utraque parte propiciatorii. Et Cherubim fuisse imagines alicujus faciei alatas, Deus ipse ibidem ostendit, dicit enim: Expandent alas, & alis operient propiciatorium, respicientq; se mutuò versis in propiciatorium vultibus. De omnibus verò operibus tabernaculi, ad quæ etiam Cherubim pertinent, dicit Dominus, Exod. 31. Implevi Bezaleel Spiritu Dei, sapientia & intelligentia, ad operandum auro, argento, ære. Salomon etiam ad ornatum domus Domini, 3. Reg. 7. & 2. Paralyp. 3. capita columnarum format in modum Lilii, facit mala punica, sub mari fusili facit boves duodecim, in basibus format leones, boves, Cherubim, in tabulatis sculpsit Cherubim, leones & palmas. In Pontificis etiam tunica formata fuerunt ex auro mala punica, Exod. 39. Num. 21. Deus mandat Mosi, ut faciat Serpentem æneum, & erigat illum in signum. Serpentem autem illum fuisse figuram Christi, certum est, Ioan. 3. Et in memoriam illius historiæ, quæ in deserto tunc acciderat, æneus ille serpens ultra annos septingentos servatus fuit in populo Israel, ac priusquam accederet abusus cultus & adorationis, non judicarunt se asservatione imaginis illius peccare contra legem, Exod. 20. cùm verò cœpissent simulachro illi incensum adolere, hoc judicavit Ezechias, pugnare contra legem illam Dei, atque ideò serpentem illum contregit, 4. Reg. 18. Imaginem etjam Cæsaris Christus in moneta nec exhorruit, nec damnavit, Matth. 22. Et talem existimo etjam statuam illam fuisse, quam Michol in lectum loco Davidis posuit, 1. Regum 19. Imagines igitur ad ornatum, ad memoriam, commonefactionem, & repræsentationem historiarum facere, habere & usurpare, non pugnat contra legem illam Dei, si non accedat cultus & adoratio imaginum.

Imagines positæ ad ornatum seu historiam memoriam.

Quidam disputant, legem illam Dei de imaginibus non loqui de locis prophanis, politicis, domesticis aut privatis, sed tantùm de locis sacris, ubi ad cultum Dei convenitur, ne ibi ponantur ullæ imagines. Sed Moses Deut. 27. dicit, si imago ad cultum seu adorationem proponatur aut usurpetur, etiamsi illud fiat in abscondito, prophano sive privato loco, esse maledictionem. Et Iosue certè lapidem in signum erexit in ipso Sanctuario Domini, Iosuæ 24. Salomon etjam in ipso templo Domini varias formavit imagines, 3. Regum 7. Imò Deus ipse in Sancto sanctorum super arca fœderis, quò se vertebant adoraturi, jussit fieri Cherubinas imagines, Exod. 25. Ex quo igitur fundamento verbi Dei usus imaginū in templis, si non proponantur aut usurpentur ad cultum & adorationem, sed vel ad ornatum, vel ad memoriam, commonefactionem seu repræsentationem historiarum, quæ veræ & utiles sint, damnari possit aut debeat, non video. Certè ex lege,

An in templis omnis usus imaginū prohibeatur.

lege, Exod. 20. hoc deduci non potest. Quòd verò metus, & periculum superstitionis & idololatriæ prætenditur, illud inculcatione veræ doctrinæ & præmonitionum cōtra cultus imaginum caveri & averti potest. Aut si spreta doctrina accedat ad imagines cultus & adoratio, rectum erit imitari exemplum Ezechiæ. Nec verò vel necessitatem habendi imagines in templis cum Tridentinis patribus probo, nec partem ullam pietatis in illis colloco, sed inter adiaphora cū Luthero imagines refero, si non ad cultum seu adorationem proponantur aut usurpentur. Neque verò etiam ex rebus adiaphoris, si non accedant vel pravę opiniones, vel impii abusus, fingenda sunt peccata, sine verbo Dei, sicut quidam nullas etiam indifferentes imagines tolerandas clamitant, & in earum vel carentia vel demolitione non postremam pietatis partem collocant.

An Dei imagines faciendæ.

Postremò sunt qui disputant, alias quidem imagines utcunque tolerari posse: Dei verò & Christi nullas esse imagines, vel faciendas vel tolerandas.

Et quidem si quis existimet, essentiam Dei vel lineamentorum circumscriptionibus, vel colorum varietatibus exprimi posse, aut talem esse divinitatis naturam, sicut Anthropomorphitæ finxerunt, is meritò damnatur, sicut Isaiæ 40. scriptum est, cui similem facietis Deum, aut quam imaginem ponetis ei? Si verò sine prava opinione, & sine superstitione non quidem ipsa divinitatis essentia, sed tantùm species illæ visibiles, quibus olim Deus præsentiam suam patefecit, (Sicut Danielis 7. apparet antiquus dierum. Et Luc. 3. Spiritus sanctus corporali specie columbę descendit) historicè pingantur, aut si Christus in servi forma, in qua Deus manifestatus est, tanquam memoraculum historiarum Evangelicarum exprimatur, illud equidem prorsus damnare non ausim, sicut nec damnari potest, si figuræ visionum divinarum Apocalypseos colorib. exprimantur. Lubenter tamen fateor periculosum esse, velle divinitatis aliquam imaginem, quocunq; prętextu facere, facilè enim potest impingere in legem Dei, Deute. 4. Ies. 4. Act. 17. Optimam verò, certissimam, & utilissimam DEI & Christi imaginem esse, quam mentis nostræ agnitio ex verbo Dei format & concipit. Sed tamen de indifferentibus odiosè dimicandum non est, Sicut enim non pietas, ita nec peccatum in illis collocari debet, si non accedant pravę opiniones & abusus. Quia enim Deus ipse in visionibus tales imagines ostendit, sicut peccatum non est, tales visionum historias verbis exprimere, ita peccatum non erit, tales Scripturæ historias historicè & ad usum historicum picturis repræsentare, modò illud fixum maneat, ipsam divinitatis essentiam, nec debere, nec posse figura aut imagine aliqua exprimi.

Vndeh nullas imagines ad cultum tolerarunt.

Varro apud Augustinum de Civit. lib. 4. rectè dicit, gentem Iudæorum Deum sine simulachro aliquo coluisse, hoc est, Iudæos non habuisse simulachrum aliquod in templo ad cultū propositum. Iosephus etiam libr. Antiq. 18. capit. 11. scribit, Cum Cajus statuam suam vellet per Petronium Ierosolymis in templo Dei collocare, ut tanquam Deus coleretur, Iudæos maluisse se morti exponere, quàm id, quod lege Dei prohibitum erat, admittere vel recipere, cultum scilicet statuarum.

Quod verò alibi Iosephus scribit, Iudæos nec Cæsaris effigiem, nec Aquilam, Romani imperii signum, ne in militaribus quidem vexillis, aut in locis extra templum, etjamsi non ad cultum seu ad orationem proponerentur, voluisse tolerare, prætendentes legem Dei, Pharisaicæ hypocriseos pars est, quæ pietatem esse judicabat, culicem colare, etiamsi camelum deglutirent. Et peculiarem cultum Dei in eo cōstituebant, quod seniorum traditionibus ad strictiorem observationem, quàm quę ab ipsa lege exigitur, se astringerent. Extra casum enim cultus, adorationis & superstitionis imagines non fuisse in lege prohibitas, clarissimè ostendimus. Scribit autem Iosephus lib. 18. Antiquitatum cap. 4. Pilatum πεποιμένος, hoc est, imagines Cæsaris, quæ ad umbilicum usq; depictæ erant, & signis seu vexillis militaribus inerāt, in urbem Ierosolymam intulisse: Iudæos verò noluisse hoc tolerare, prætendentes, legem divinam prohibuisse ἐικόνων ποίησιν, fabricationem seu formationem imaginum. Atque ideo priores præsides urbem ingressos cum signis seu vexillis non hoc modo insignitis. Sed tempore Christi publicè habuerunt Iudæi imaginem Cęsaris in numismate, quod Christus nec reprehendit, nec damnat, Matth. 22. Simile est quod Iosephus scribit libr. 17. capit. 8. Cùm Herodes supra portam majorem templi parasset anathema pretiosum, magnam scilicet auream aquilam, utpotè signum Romani imperii, Pharisæos quosdam legis interpretes declamitasse, legem Dei, phibere (ἀναθέσεως εἰκόνων) ne imagines statuātur aut animantium effigies (ἐμπνεύσεσθαι) artificiosè paratæ ponantur. Sophistas igitur istos discipulis suis autores fuisse, ut aquilam illam dejicerent. Et lib. 1. contra Apionem citat ex Hecatæo, in tęplo Ierosolymitano: τὸ παράπαν omninò prorsus non fuisse (ἄγαλμα οὐδὲ ἀνάθημα) simulachrum aliquod, aut Anathema. Sed suprà ostendimus, in templo Salomonis fuisse imagines, Et Luc. 21. scriptum est, secundum etjam templum pulchris ἀναθήμασι ornatum fuisse. Vnde rectè colligitur, illas Iosephi narrationes, non ex vero & antiquo sensu legis divinæ, sed ex recentioribus Pharisæorum traditionib. & superstitionibus sumptas esse. Sed quæ sit vera legis divinæ de imaginibus sententia, ex perspicuis & firmis Scripturæ testimoniis hactenus ostendimus. Quibus addatur Pauli etiam exemplum, Actorum 28. ubi vehitur in navi, quæ præfert insigne Castoris & Pollucis, quos gentes ut præsides maris, & navigantium patronos colebant: Quo facto Paulus ostendit, pios rectè sentientes, non contaminari tolerandis imaginibus etiam idololatricis, quæ ad cultum prostant, si ratione vocationis & officii eas ordinariè & legitimè tollere non possint. Paulus certè insigne illud Castoris & Pollucis non dejecit vel confregit, sed sine impietate in navi illa vectus est, cùm idola illa nec coleret nec adoraret. Et sine dubio cultum, adorationem, & opinionem patrocinii verbo Dei reprehendit, vi verò & manu imagines

Pharisei omnem usum imaginum damnarunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes illas nõ dejecit, ſicut nec Prophetæ, licet verbo deteſtarentur cultum idolorum, ea per vim tumultuariè confregerunt: ſed pii Reges ordinariè hoc fecerunt. Theodoſius etjam imagines Idolorum abolevit, ſed poſtquam opinio cultus per verbum Dei animis hominum exempta erat, quaſdam idolorum ſtatuas reliquit ad memoriam & commonefactionem, quàm inepta & impia fuiſſet idololatria gentium.

HISTORICA OBSERVATIO, QVOD *in primitiva Eccleſia imagines non fuerint adhibitæ ad cultum divinum, imò quod ne quidem legantur in oratoria Chriſtianorum admiſſæ.*

Nec Chriſtus nec Apoſtoli tradiderunt uſum imaginum.

SIcut Chriſtus nullum mandatum dedit de adhibendis imaginibus, ſeu ſtatuis ad miniſteriũ Eccleſiæ: Ita etjam Apoſtoli emiſsi ad prædicandum Evangelium, & ad docendas omnes gentes, non leguntur imagines ſeu ſtatuas ad declarandam doctrinam cœleſtem, ne quidem, quãdo barbaris gentibus Evangelion annunciabant, ad hibuiſſe, cumq; jactis alicubi fidei fundamentis, ad alia loca tranſirent, repetitiones & commone factiones doctrinæ non ſtatuis commendarunt, ſed hominibus fidelibus, qui idonei eſſent ad docendos alios, & in hunc uſum doctrinam traditam in ſcripta retulerunt. Organon enim, per quod Spiritus ſanctus efficax eſt, vocans, illuminans, convertens, ſanctificans homines, non docuerunt eſſe imagines ſeu ſtatuas, ſed verbũ Dei ſcriptum, prædicatum, auditum, cogitatum, Ro. 1.2. Corinth. 3.2. Timot. 3.1. Petr. 1. Pſal. 119. Cumq; cultum idolorum, qui ad ſtatuas exercebatur, abolerent, & veri Dei cultum inſtituerent, non leguntur, vel ſtatuas illas ad verum cultum vivi Dei tranſtuliſſe, vel alias imagines aut ſtatuas, in quibus, per quas, ſeu ad quas veri Dei cultus exerceretur, ſubſtituiſſe, ſed verum Deum in Spiritu & veritate, non juxta præſcriptum verbi colendum docuerunt. Hæc extra controverſiam certa & vera ſunt.

Idem verò etjam Apoſtolorum diſcipulos & ſucceſſores feciſſe, nullum eſt dubium. Cumq; in veris hiſtoriis aliquot extent deſcriptiones rituum, quibus primitiva Eccleſia per annos trecentos & amplius, in conventibus Eccleſiaſticis, & in exercitiis cultus divini uſa fuiſſe legitur, nulla fit mentio adhibitarum imaginum ſeu ſtatuarum, ſive Dei, ſive Sanctorum. Sed cùm idololatria Gentium conſtaret cultu & adoratione imaginum, ſimulachrorum & ſtatuarum, quem tamen cultum ad prototypum, ſicut oſtendimus, referebant, Chriſtiani à ſimulachris prorſus abhorrebant, & eos, qui vel aliorum ſtatuas, vel ipſum etjam Chriſtum in ſtatuis, ſeu per imagines colere & adorare volebant, pro hæreticis damnabant. Scribunt enim Theodoretus libr. 1. hæret. Fab. & Auguſtinus de hæreſibus, Simonem Magum Sectatoribus ſuis tradidiſſe ſuã & Scorti ſui Selenes imaginem colendam & adorandam, cui etjã ſuffitum diſcipuli ipſius feciſſe ſcribuntur. Irenæus lib. 1. cap. 23. ſcribit, Baſilidis ſectatores uſos fuiſſe imaginibus & invocationibus. Et cap. 24. narrat, Carpocratianos, qui ſe Gnoſticos appellabant, imagines quaſdam vel coloribus depictas, vel ex alia materia fabricatas, habuiſſe, & dixiſſe, formam Chriſti illo tempore, quo fuit cum hominibus, à Pilato factam. Illas, inquit, imagines cum imaginibus Philoſophorum mundi proponunt, coronant, & reliquam obſervationem circa eas ſimiliter ut Gentes faciunt. Epiphanius Tomo 2. lib. 1. hæreſi 27. dicit, Carpocratem occultè feciſſe imagines Chriſti, Pauli, &c. ipſiſq; ſuffitum feciſſe, & eas adoraſſe. Auguſtin. de hæreſibus ſcribit, Marcellinam ſociam ſectæ Carpocratis, coluiſſe imagines Ieſu & Pauli, Homeri & Pythagoræ adorando incenſumq; ponendo.

In primitiva Eccleſia non fuit uſus imaginum in cultu Dei.

Hæreſes de cultu imaginum.

Simon Magus.

Baſilides.

Gnoſtici.

Carpocrates

Cultus divinus apud gentes ad ſimulachra.

Et ex differentiis, inter cultum Gentium & Chriſtianorum, hæc non poſtrema fuit, quòd gentes Deos ſuos in ſimulachris, per imagines, & ad ſtatuas colebant: Chriſtiani verò unicum & verum Deum, abſque ſimulachris, in Spiritu & veritate, juxta præſcriptum verbi colebant & adorabant. Et ad præcidendam omnem idololatriæ occaſionem, ne Chriſtiana religio cum Paganiſmo, qui ſimulachrorum cultu conſtabat, ullam haberet affinitatem, & ne Ethnicæ ſuperſtitionis ſeminaria, occaſione ſimulachrorum, vel in Eccleſiam irreperent, vel in animis converſorum remanerent, primitiva Eccleſia ne in oratoria quidem voluit Chriſti vel Sanctorum imagines recipere. Et inter capita accuſationum, Ethnici hoc etiam Chriſtianis objecerunt, quòd religionem haberent abſque ſimulachris. Ita Clemens Alexandrinus, qui circa annum Domini 200. vixit, lib. 6. Stromatum inquit: Nobis nullum eſt ſimulachrum in mundo. Quoniam in rebus genitis nihil poteſt Dei referre imaginem. Et in Paræneticо ſcribit: Nobis apertè veritum eſt artem fallacem exercere: Scriptum enim eſt, Non facies cujuſvis rei ſimilitudinem, &c. Item nobis non eſt imago ſenſilis, de materia ſenſili, ſed quæ percipitur intelligentia. Deus enim, qui ſolus verus eſt Deus, intellectu percipitur, non ſenſu. In Libris etiam Recognitionum qui Clementi Romano, licet non verè, tribuuntur, extat diſpoſitio generalis contra imagines libr. 5. & refutatur præcipuum argumentum Ethnicorum, quo etiam Pontificii imaginum ſuarum cultum palliant. Per gentes (inquit) ſerpens ille proferre verba hujuſmodi ſolet, Nos ad honorem invisibilis Dei imagines viſibiles adoramus. Clemens reſpondit, hoc certiſsimè falſum eſſe. Non autem ſubſtitutt alias pictas vel fictas, ſive Chriſti, ſive Sanctorum imagines, ſed inquit: Si verè velitis Dei imaginem colere, homini benefacientes, veram in eo Dei imaginem coleretis. Si ergo vultis verè Dei imaginem honorare, nos vobis, quod verum eſt, aperimus, ut homini qui ad imaginem Dei factus eſt, benefaciatis. Hæc autem in tantum ad honorem Dei imaginis cedunt, ut, qui iſta non fecerit, cõtumeliam imagini divinæ intuliſſe credatur. Quis ergo iſte honor DEI eſt, per lapideas & ligneas diſcurrere formas, & inanes atq; exanimes figuras, tanquam numina venerari, & hominem, qui eſt verè imago Dei, ſpernere? Hæc Clemens ille.

Chriſtianos ſine ſimulachris.

Clemens Alexandrinus de imaginib.

Clemens Romanus.

Apud Origenem circa annum Dei 240. in libris contra Celſum extat juſta tractatio de hac quæſtione.

Celſus de imaginibus.

quæſtione. Celſus enim libr. 7. oſtenſurus Chriſtianos pejores eſſe barbaris, Lybicis, & atheis Scythis inde hoc probare conatur, quia non patiantur vel templa, vel aras, vel ſimulachra & ſtatuas intueri. Perſas ex Herodoto oſtendit irriſiſſe ſimulachra, quia non crediderunt cum Græcis Deos ex hominibus genitos. Heraclitum etjam dicit ſcripſiſſe, Stultum eſſe, ut quis imaginibus ſupplicet, ſi non agnoſcat ipſos Deos vel Heroas. Chriſtiani verò, inquit Celſus, ſimulachra apertè vituperant. Quòd ſi, inquit, lapidẽ, lignum, æs vel aurum, negent Deum eſſe, quis ea, niſi ſtolidus quiſpiam, pro Diis habuerit? Sed Deorũ ſunt iſta vel ſacra vel effigies quædam. Nec fortè divinas has eſſe imagines contenderim. Chriſtiani enim dicunt, Deum feciſſe hominem ad ſuam imaginem, & ſpeciem ſibi ſimilem. Sed tamen illi aſſentientur Chriſtiani, in quorundam honorem, qui vel ſimiles ſint vel diſſimiles ſpecie, hæc eſſe fabricata. Sed excipient non Deos eſſe, quibus ea ſint dedicata, ſed dæmones, & non eſſe dæmonibus ſerviendum illi, qui in verum Deum credit. Hæc Celſus objicit Chriſtianis. Origenes verò reſpondet, cõſiderandum eſſe, alias eſſe cauſas & rationes, propter quas Perſæ averſentur ſimulachra, & alias, propter quas Chriſtiani idem faciant. Non enim patiuntur Ieſum apud aras, & templa, & ſimulachra colere, ſed hæc averſantur, quia audiunt ſcriptum eſſe. Non ſint tibi Dii alieni, nec feceris tibi rei ullius ſimilitudinem, non adorabis ea, nec ſervies illis. Et poſtea ad Heracliti ſententiam, qua affirmat, ſtultum eſſe ſimulachris ſupplicare, niſi Deos prius quis norit & heroas, qualéſnam ſint. Origenes reſpondens inquit: Nos Deum & unigenitũ ejus Filium agnoſcimus, & Sanctos etjam; ſed dicimus, fieri non poſſe, ut Deum quis norit, & ſimulachris ut ſupplicet. Nec ſolùm, inquit, ſtatuis ſupplicare veſanum eſt: ſed vel hoc ipſum diſſimulare. Nos verò ſimulachra non veneramur, ne vel in eam incidamus opinionem, qua imagines iſtas aliquos eſſe Deos putemus. Celſo verò, & cæteris, Deos eſſe ſimulachra negantibus, hoc crimini damus, quod tamen honorem imaginibus deferãt. Vulgus enim Deos eſſe credit, quos alii ita venerantur, nos verò, ne divinæ quidem imaginis ſimulachra hæc eſſe duxerimus, quippe qui Dei, ut invisibilis & incorporei, formam nullam effingamus. Quod verò homo dicitur ad imaginem Dei formatus, ad hoc reſpondemus, In anima rationali hanc eſſe Dei imaginem.

Origenes de imaginibus.

Et libro 8. Celſus objicit Chriſtianis, quòd & aras, & ſimulachra, & delubra defugiant. Origenes autem reſpondet, non ut loco Gentilium idolorum alias externas imagines ſubſtituat, ſed inquit, nobis pro aris & delubris juſtorum ſunt mentes, unde emittuntur ſuaviſsimi incenſi, odores, vota & preces ex conſcientia puriore. Sunt nobis præterea & ſimulachra, non per impuros opifices aliquos fabricata, ſed per Dei verbum in nobis edita & formata, virtutum ſcilicet exempla & ſtructuræ, quæ imitatrices ſunt Chriſti, qui primogenitus eſt omnis creaturę. Et, ut ſummatim expediam, inquit, Chriſtiani omnes, & quas diximus aras, & quæ jam oſtendimus ſimulachra, collocare maximè adnituntur, non tamẽ inanimata & inſenſibilia quædam, nec dæmonum ſuſceptibilia, ſed ſpiritus Dei capacia & tabernacula Dei inhabitantis in nobis. Et poſtea, Nos ſimulachrorum fundationes ideò defugimus, quia ubi per Ieſu doctrinam comperimus, quomodo colendus ſit Deus, ea nos evitamus, quæ ſub pietatis prætextu & opinione quadam, impios reddant, &c. Et hæc tam ſtrictè obſervata tunc fuerunt, ut libr. 4. contra Celſum Origenes affirmet, nullum ſive imaginum fictorem, ſive ſtatuarum fabricatorem in Iudæorum Repub. fuiſſe, ut quos procul Lex ipſa abigeret, ne qua his eſſet fabricandorum ſimulachrorum occaſio, quæ ſtultas mortalium animas à Deo revelleret, & ad contemplanda terrena animi oculos retorqueret. Hæc Origenes.

Veteres cur iniquiores imaginibus.

Sed de lege, Exod. vigeſimo ſuprà diximus. Fuerunt autem Patres illi in univerſum imaginibus ideò iniquiores, qui enim ex gentibus convertebantur, verum etjam Deum in imaginibus per ſimulachra, ſeu ad ſtatuas, ſicut in Paganiſmo aſſueti fuerant, colere & adorare volebant, ſicut Lampridius de Alexandro Severo, qui primus Imperatorum de Chriſtianiſmo bene ſentire cœpit, ſcribit, quòd domi in privato ſuo Larario, inter Idola, etjam Chriſti imaginem habuerit & coluerit.

Lactantius de imaginib.

Lactantius etjam circa annum Domini 300. in ſuis ad Conſtantinum Inſtitutionibus, gentium idola ſeu ſimulachra ita confutat, non ut alias ſubſtituat imagines, ſed argumenta ponit generalia contra quemvis ſimulachrorum cultum: Nam libr. 2. cap. 2. omnes idolorum prætextus, quibus etjam ſuas Pontificii imagines pingunt, recitat & confutat. Non ipſa, inquiunt, ſimulachra timemus, ſed eos, ad quorum imaginem facta, & quorum nominibus cõſecrata ſunt. Nempe ideò timetis, inquit, quòd eos in cœlo eſſe arbitramini. Cur igitur oculos in cœlum non tollitis? Cur ad parietes, & ligna & lapides potius, quàm illò ſpectatis, ubi eos eſſe creditis? Quid ſibi ſimulachra volunt, quæ aut mortuorum aut abſentium monumenta ſunt? Nam omnino fingendarum ſimilitudinum ratio idcirco ab hominibus inventa eſt, ut poſſet eorum memoria retineri, qui vel morte ſubtracti, vel abſentia fuerunt ſeparati. Deos igitur in quorum numero reponemus? Si in mortuorum, quis tam ſtultus, ut colat? Si in abſentium, colendi ergo non ſunt, ſi nec vident quæ facimus, nec audiunt quæ precamur. Si autem Dii abſentes eſſe non poſſunt, qui, quoniam divini ſunt, in quacunque mundi parte fuerint, vident & audiunt univerſa. Supervacua ergo ſunt ſimulachra, illis ubiq; præſentibus, cùm ſatis ſit audientium nomina precibus advocare. At enim, inquiunt, præſentes non niſi ad imagines ſuas adſunt. Ita planè ſicut vulgus exiſtimat, mortuorum animas circa tumulos & corporum ſuorum reliquias oberrare. Item Dei, cujus ſpiritus ac numen ubique diffuſum, abeſſe nunquam poteſt, ſemper utique imago ſupervacanea eſt. Sed verentur, inquit, ne omnis religio eorum inanis ſit & vana, ſi nihil in præſenti videant, quos adorent, & ideò ſimulachra conſtituunt. Sed ſimulachrum Dei, quia à ſimilitudine

Universidad de Deusto
Biblioteca

nomen habet, non illud est, quod digitis hominis, ex lapide aut ære, aliave materia, fabricatur, sed ipse homo. Et si sentire simulachra possent, ultrò adoratura homines essent, à quibus sunt expolita. Adorant ergo insensibilia, qui sentiunt, irrationabilia, qui sapiunt, exanima qui vivunt, &c. ca. 2. Vulgus indoctum pompis inanibus gaudet, animisq; puerilibus spectat omnia, oblectatur frivolis, & specie simulachrorum capitur. Ibidem citat & probat hos versus:

Nec pietas ulla est velatum sæpè videri,
Vertier ad lapidem, atq; omnes accedere ad aras,
Nec procumbere humi prostratum & pandere palmas.
Ante Deûm delubra, & votis nectere vota.

Cap. 4. citat & laudat illud Persij, hoc esse aurum in templis, quòd sint Veneri donatæ à virgine pupæ, quas illa ob minutiam fortasse contempserit. Sed non videt, inquit, simulachra ipsa & effigies Deorum, nihil aliud esse quàm grandes pupas, non à virginibus, quarum lusibus venia dari potest, sed à barbatis hominibus consecratas. His ludicris, & ornatis, & grandibus pupis, unguenta, & thura, & odores inferunt. His peplos & indumenta preciosa, quibus usus velaminis nullus est, his aurum & argentum conferant, has auro, gemmis excolunt & exornant. cap. 7. Tanta homines imaginum cupiditas tenet, ut minus curentur res ipsæ. Auri, gemmarum & eboris pulchritudo acriter perstringit oculos, nec ullam religionem putant, ubi illa non fulserint. Veniunt igitur ad Deos, non tam religionis gratia, quàm ut aurum oculis hauriant, nitorem levigati marmoris aspiciant, & quantò fuerint ornatiora templa, & pulchriora simulachra, tantò plus majestatis habere creduntur. Adeò religio Deorum nihil aliud est, quàm quòd cupiditas humana miratur. cap. 17. Dæmones docuerunt imagines & simulachra fingere, ut hominum mentes à cultu veri Dei averterent. Cap. 18. Simulachra ipsa, quæ coluntur, effigies sunt hominum mortuorum. Est autem perversum, ut simulachrum hominis à simulachro Dei colatur. Cap. 19. Deus non in ima, sed in summa regione quærendus est. Quare non est dubium, quin religio nulla sit, ubicunq; simulachrum est. Nam si religio ex divinis rebus est, divini autè nihil est, nisi in rebus cœlestibus: Carent ergo religione simulachra, quia nihil potest cœleste esse in ea re, quæ fit ex terra, quod quidem de nomine ipso apparet. Quicquid enim simulatur, id falsum esse necesse est. Idem lib. 6. ca. 2. Num mentis suæ compos putâdus est, qui autori & datori luminis candelarum ac cerarum, lumen affert pro munere? Cap. 25. Vestes, gemmas, & cætera quæ habentur in precio, si quis putet Deo chara & offerenda, is planè quid sit Deus nescit. Has Lactantii sententias ideò adscripsi, quia ostendunt, illis temporibus in oratoriis Christianorum nullum fuisse usum simulachrorum, multò minus ad cultum ea fuisse à Christianis adhibita. Deinde, quia ita sunt positæ illæ sententiæ, quasi Lactantius Pontificiorum Templa ingressus simulachra & cultus eorum vidisset, & ex professo irrisisset. Operibus Lactantii adjunctum est carmen, in quo hi versus leguntur:

Quisquis ades, medijq; subis in limina Templi,
Siste parum, insontemq; tuo pro crimine passum
Respice me, me cõde animo, me in pectore serva.

Sed carmen illud non est Lactantii, sed recentioris post Lactantium.

Ex Athanasio & Eusebio suprà adscripsimus sententias, quòd Ethnici prætenderint imagines seu simulachra esse tanquam rerum divinarum literas. Et istam sanè rationem Patres illi in Ethnicis confutant, non autem in illum usum alias imagines substituunt. Athanasius quidem Sermone 4. contra Arrianos utitur hoc argumento: Qui adorat imaginem regis, in illa adorat ipsum regem, quippe cùm ipsa imago aliud nihil sit, quâ regis forma ac species. Sed hoc Argumentum Athanasius nequaquam accommodat ad imagines, statuas, seu externa simulachra Dei colenda & adoranda, sed ad ipsum Christum, qui est substantialis imago Dei, atq; ideò cum patre adorandus. Ita August. Epist. 119. dicit, Exod. 20. prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo, non, quia non habeat imaginem Deus, sed quia nulla imago ejus coli debet, nisi illa, quæ hoc est, quòd ipsa (hoc est Filius Dei) nec ipsa pro illo, sed cum illo.

Athanasius, Eusebius de imaginibus.

Et, ut summatim dicam, ex certis & probatis historiis constat, sicut Erasmus in Catechesi sua inquit, usq; ad Hieronymi ætatem fuisse probatæ Religionis viros, qui in templis nullam ferebant imaginem nec pictam, nec sculptam, nec textam, ac ne ipsius Christi quidem. Nam ne Constantini quidem tempore, qui tamen multis preciosis anathematis ex auro, argento, & gemmis templa ornavit, imagines in templa receptas fuisse apud Eusebium legitur, cùm tamẽ & suas & suorum imagines, Danielis etjam & boni pastoris symbola, fieri curasse scribatur, sed in aliis locis, non in templis collocasse, apud Eusebium libro tertio & quarto, de vita Constantini. Et quæ Lactantius de imaginibus scripsit, ea Constantino inscripsit.

Erasmus.

Vsq; ad Constantinum imagines nõ in templis.

In unc & solo Tertulliano, qui circa annum Domini 200. floruit, animadverti, historiam de Pastore vocante & quærente ovem erraticam, alicubi in calicibus sacris depictam & insculptam fuisse, disputans enim in libro de Pudicitia, juxta Montani dogma, parabolam Lucæ 15. non de Christianis lapsis, sed de Ethnicis nondum conversis intelligendam inquit: Procedant ipsæ picturę calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Christiano, an Ethnico peccatori, de restitutione conlineet. Hæc Tertulli. sed illa pictura non fuit ad cultum proposita, & quàm iniqui, cæteri illorum temporum Scriptores imaginibus fuerint, jam ostendemus.

Damascenus verò peculiaris Patronus cultus venerationis & adorationis imaginum, cùm & Scripturæ testimoniis, & primitivæ Ecclesiæ exemplis destituatur, vehementer contendit, cultum imaginum esse traditionem Apostolorum non scriptam. Hoc enim artificio conatur elabi, ne onus probationis in se recipere cogatur. Addit autem, Christum ipsum esse authorem & approbatorem, cùm imaginum, tum cultus earũ. Dum verò hoc probare conatur, manifestũ prodit

dit figmentum. Extat enim apud Eusebium in fine libr. 1. historiæ Ecclesiasticæ narratio, eo titulo, quod ex Archivis Reip. Edessenæ sit desumpta, de legatione & Epistola Abgari Regis ad Christum, & Christi ad Abgarum. Isti verò Eusebianæ narrationi Damascenus lib. 4. cap. 17. addit, seu potius affingit hoc, quod Eusebius in publicis instrumentis non invenit nec legit: Abgarum scilicet Edessenorum illum Regulum, misisse pictorem (ὁμοιογραφοῦσαι) ad depingendam imaginem seu simulachrum Christi. Cùm verò pictor ille propter claritatem, quæ ex vultu illius resplendebat, hoc præstare non posset, Christum ipsum vestem divino & vivifico vultui suo admovisse, & (ἐναπεμάξασθαι) quasi abstergẽdo vesti imaginem suam impressisse, & Abgaro eam cupienti misisse. Illud verò Damasceni figmentum, Nicephorus lib. 2. cap. 7. ad ipsam Eusebii narrationem assuit & affingit, & quidem cum fœnore. Addit enim præterea aliam fabulam, Persarum etjam Regem pictorem misisse, & per hunc, & Christi, & Matris ejus depictam imaginem accepisse. His verò Nicephorus addit Eusebii clausulam. Hæc ex Archivis Edessenis sunt desumpta. Quod inspicienti Eusebii historiam manifestò apparet, esse crimen falsi. De ficta verò illa imagine Nicephorus lib. 17. cap. 6. scribit: Quòd Iustiniani temporibus Edessam in obsidione, rebus omnibus desperatis, ad imaginem illam divinitùs acceptam, tanquam ad supremam ancoram, confugerint, & divinam ejus virtutem in liberatione experti sint. Sed in Decretis dist. 15. Gelasius dicit, & idem repetit Isidorus, totam illam narrationem de Abgaro esse apocrypham. Et tamen Pontificii non verentur fundamenta doctrinæ suæ ex apocryphis fabulis mutuari, & iis tantùm non triumphare. Similis autoritatis est altera fabula de Veronica, quæ ne vulgarium quidem scriptorum testimonia habet, nisi forsan Legendæ illius, quam Vives dicit immeritò auream vocari, cùm scripta sit ab homine plumbei cordis, & ferrei oris.

Damasceni & Nicephori fabula de Abgaro.

Narratio de Abgaro apocrypha.

Legenda aurea.

Inter Athanasii opera fertur historia de imagine Christi, à Nicodemo olim facta, usurpata verò à Gamaliele, Iacobo, Simeone, Zachæo, Episcopis q; Hierosolymitanis, quæ sub vastationem Hierosolymæ in Syriam translata fuerit, atq; postea in oppido Berytho à Iudæis crucifixa & perfossa, emiserit sanguinem & aquam, quibus totã hydriam compleverit, unde multi ægroti perunẽti sanati fuerint. Et hoc miraculo Iudæos cõversos, cruorem etjam illum ab Episcopo loci per Asiam, Aphricam & Europam missum. Sed supposititicium esse illud scriptum, & falsò Athanasio tribui constat, id, quod Nanniusetjam Lovaniensis, qui Athanasii opera in Tomos digesserit, non diffitetur. Et quod fraudem manifestè detegit: Sigebertus scribit anno Domini 765. in Berytho Syriæ imaginem Christi in domo Iudæi, à Christiano relictam, inventam fuisse, & quæ præterea accidisse feruntur. Ipsa etjam Lombardica historia, Legenda 130. expressè dicit, illud quod de cruce Berythana narratur, cõtigisse anno Domini 750. falsò igitur Athanasio tribuitur.

De imagine crucifixi in Athanasio supposititio.

Lucæ imagi nem Mariæ.

Iesuitæ ex Simone Metaphraste, quem Lombardicis Legendis, quia illæ gratiam jam exue-

runt, novo titulo succenturiarunt Pontificii, citant, Lucam Evangelistam imaginem Matris Christi artificiosè delineasse, cui postea templum ædificatum scribit suo more Niceph. lib. 14. cap. 2. Et Alexium imaginem Christi ad Abgarum missam intuitum. Citant etjam ex ignoto & obscuro scriptore Michaële Syngelo, Dionysium Areopagitam illos corripuisse, qui imagines abrogare conabantur. Sed autores sunt dubii, & narrationes pugnant contra veritatem historiæ primitivæ Ecclesiæ. Inde ergo æstimetur, qualis sit Pontificiorum causa, quam non aliter ac per figmenta probare possunt.

Ita in Sylvestri etjam Legenda scribitur, ipsum circumtulisse imagines Apostolorum: Damasus etjam in Pontificali dicit, Constantinum in Basilica Lateranensi, ubi baptizatus erat, fecisse fontem sanctum, & in Labio fontis, agnum fundentem aquam, ad dexteram agni Salvatorem, in læva agni Baptistam cum titulo: Ecce agnus, &c. Sed eadem fide, qua fabula Baptismi Constantini ibi narratur. Platina scribit, Constantinum stã tuas Christi & Apostolorum in templa collocasse, sed tale nihil Eusebius habet, licet alii posteriores historici alicubi eò inclinare videntur. De cruce Domini ab Helena inventa in Ambrosii scriptis, de quorum tamen fide dubitatur, & apud alios authores multa leguntur, sed Gelasius Dist. 15. dicit, novellas esse revelationes, quæ juxta Pauli sententiam legendæ sint cum judicio: Omnia probate, quod bonum est tenete. Et tamen nec lignum crucis, nec clavos in templa proposuerunt colenda & adoranda, sed de uno clavo frænos Constantino fieri præcipit, alterũ diademati ipsius intexuit, partem crucis Constantini statuis inditam Socrates narrat. Alii addunt alia miracula. Sed Gelasius dicit, novellas esse revelationes cum judicio legendas. Et tamen de Helena Ambrosius dicit, Regem adoravit, non lignum crucis. Ex veris igitur & certis historiis non potest ostendi imagines in primitiva Ecclesia ad cultum divinum adhibitas, vel in oratoria receptas fuisse, per annos trecentos & amplius.

Constantinè imagines.

Inventio crucis non authentica.

HISTORICVS IMAGINVM VSVS in primitiva Ecclesia.

Historicæ imagines in primitivæ Ecclesiæ.

REstat jam ut ostendatur, non tamen simpliciter extra casum cultus & adorationis, omnẽ etjam historicum imaginum usum in primitiva Ecclesia rejectum fuisse. Extat enim historia apud Eusebium lib. 7. cap. 14. quæ multa huc pertinentia utiliter monet: Mulierem scilicet illam, quam sanguinis profluvio laborantem, à Salvatore curatam Evangelistæ tradunt, ex civitate Cæsareæ Philippi oriundam fuisse, domumq; illius ibi ostendi, & admiranda quædam Servatoris in eam beneficii quasi trophæa ibi durare. Pro fororibus enim domus illius æneam mulieris (ἐκτύπωμα) effigiem genibus flexis, & manibus instar supplicatis in anteriorem partem extensis, super editum lapidem collocatum. Huic è regione viri erectam (ἀγάλμα) imaginem ex eadem materia, diploide decenter amictam, & manum mulieri porrigentem. Ad cujus pedes, in ipsa basi, peregrinam quandam herbæ speciem enasci,

Statua Christi Cæsareæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam quidem, ubi ad æneivestitus fimbriam ex
treverit, morbis cujusque generis medicandi fa-
cultatē habere (ἀλεξιφάρμακον τυγχάνειν) Hanc
ſtatuam effigiem Ieſu exprimere dicebant, quam
ad noſtram uſque ætatem permanentem, ipſi ad
eam civitatem profecti, oculis cernebamus, in-
quit Euſebius, Hiſtoricam fuiſſe hanc imaginem
manifeſtum eſt. Ne verò exiſtimetur ex manda-
to, traditione, aut exemplo Chriſti, Apoſtolorū,
Euſebius de origine imaginum. & Eccleſiæ Apoſtolicæ hoc factum, & partem eſſe
Religionis Chriſtianæ: Euſebius addit, eos qui ex
Gentibus crediderant, & beneficio aliquo à Ser-
vatore noſtro affecti fuerant, olim, ut veriſimile
eſt, (ἀπαραλλάκτως οἷα σωτῆρας ἐθνικὴ σωνηθεια)
gentili conſuetudine nihil immutata, ſed ſine di-
ſcrimine per omnia ſimiliter, ſicut in Gentiliſmo
aſſueti erant, tanquam ſervatores, hoc eſt, qui
aliquid beneficii & ſubſidii ipſis contuliſſent, ad
hunc modum apud ſe honore afficere conſue viſ-
ſe. Et addit Euſebius nihil mirum eſſe, nam &
Chriſti & Apoſtolorum imagines antiquæ. nos, inquit, Petri & Pauli Apoſtolorum, & ipſius
etiã Chriſti imagines (διὰ γραμμάτων ἐν γραφαῖς
σωζομένας) in picturis colorum varietate expreſ-
ſas & conſervatas aſpeximus. His verbis Euſebi-
us politicum & hiſtoricum imaginum uſum de-
ſcribit, Illum verò in Apoſtolica & primitiva Ec-
cleſia non fuiſſe rejectũ & damnatum, hinc con-
ſtat: In illis enim locis Apoſtoli docuerunt, &
Primitiva Eccleſia non damnavit hiſtoricum imaginum uſum. fuerunt ibi etjam poſtea Eccleſiæ, & tamen ſtatu-
am illam ab Hæmorrhouſa poſitam, nec repre-
henderunt, nec dejecerunt, ſed tanquam hiſto-
ricum monumentum ſeu memoriale reliquе-
runt. Nec à Deo ſtatuam illam damnatam fuiſſe,
herba illa ἀλεξιφάρμακος indicat. Euſebius etjam
ſtatuam illam, & reliquas imagines Chriſti & A-
poſtolorum, in hiſtorico uſu nec reprehẽdit nec
damnavit. Inde enim abſq; dubio ſumptæ poſtea
fuerunt deſcriptiones ſtatuæ, lineamentorum,
& habitus Chriſti, & Apoſtolorum, quæ extant
apud Nicephorum libr. 1. cap. 40. & libr. 2. cap. 37.
Iulianus ſtatuam Chriſti dejicit. Iulianus verò poſtea, ſicut ſcribit Sozomenus li-
bro 5. cap. 20. cum propoſitum ſibi haberet, omni
contumeliarum genere Chriſti nomen afficere,
ſtatuam illam Chriſti in Cæſarea Philippi deje-
cit, ſuamq; ejus loco poſuit, quæ fulmine mox
tacta & combuſta fuit. Gentiles verò ſtatuam il-
lam Chriſti, odio nominis Chriſti per plateas
traxerunt, & contumeliis affectam comminue-
runt.

Nec tamen vel Apoſtoli, vel primitiva Eccleſia
Ad ſtatuam Chriſti nullus cultus inſtitutus. concurſus, aut peregrinationes ad ſtatuam illam
Religionis ergò inſtituerunt (Euſebius enim hi-
ſtoriæ gratia eò profectus fuit) non circumgeſta-
runt illam in ſupplicationibus, nõ cultum Chri-
ſti apud eam inſtituerunt, non cereis & aliis ana-
thematis eam honorarunt, non vel ipſam ſtatu-
am, vel Chriſtum in illa ſtatua, aut per illam ſta-
tuam, coluerunt & adorarunt. Imò non fuit il-
lis temporibus, per annos trecentos, in oratoria
Chriſtianorum ſtatua illa translata. Quid enim
ſub Iuliano factum ſit, poſtea annotabimus. Et
ex iis, quæ Nicephorus lib. 10. cap. 30. ſcribit, certò
intelligitur, nequaquam ad cultum uſurpatam
fuiſſe ſtatuam illam in primitiva Eccleſia. Dicit
enim temporis diuturnitatem oblivionem in-
duxiſſe, cujuſnam ea ſtatua formam referret, &
cujus rei gratia ibi eſſet collocata. Quia enim
ſub dio ſteterat, corpus fuiſſe mutatũ, & imbres
ex locis ſuperioribus limũ ſecum trahentes, ſta-
tuæ ipſi aggeſſiſſe, ut literæ nõ apparerent. Cùm
verò herbailla inveſtigaretur, effoſſa terra lite-
ras rem ipſam indicantes apparuiſſe. Et dein-
ceps herbam illam, ab eo tempore, neq; eo ipſo,
neque alio loco, fuiſſe conſpectam.

Hæc igitur de hiſtorico uſu imaginum Chri-
ſti & Sanctorum in primitiva Eccleſia, plana &
manifeſta ſunt. Et eodem pertinet etjam, quod
Auguſtin. de imaginibus Chriſti, Petri & Pauli. Auguſtinus ſcribit de conſenſu Evangelii, lib. 1.
cap. 10. Ethnicos finxiſſe, Chriſtum ſcripſiſſe ali-
quid ad Petrum & Paulum, & addit: Gentes iſti-
us figmenti occaſionẽ inde ſumpſiſſe, quod plu-
ribus locis ſimul Petrum & Paulum cum Chri-
ſto pictos viderant. Huc pertinet etjam pictura
Tertulliani de paſtore quærẽte ovem perditam,
calicibus inſculpta. Origenes etjam, licet ſimu-
De politicis imaginibus. Origenes. lachra à religione Chriſtiana proſcribat, politi-
cum tamen uſum imaginum non improbat.
Nam in 13. cap. Matth. de ſimilitudinibus in ima-
ginibus & ſtatuis diſputat, quando in cera, &
quando in ligno effinguntur, quando eminen-
tias, & quando colores exprimant, & hæc accom-
modat ad parabolas. Lactantius etjam ſimula-
Lactantius. chrorum inſectator acerrimus, tamen de politi-
co ſeu hiſtorico uſu imaginum ita inquit libro
quinto, capite tertio. Nego eſſe quenquam, qui
non optet in primis id ſibi poſt mortem contin-
gere, quod etjam Reges maximi concupiſcunt.
Cur enim ſibi homines ſepulchra magnifica, cur
ſtatuas, ſibi imagines comparant, niſi quòd im-
Athanaſius. Baſilius. mortalitatem de memoria nominis ſperant. A-
thanaſius etjam & Baſilius à politicis Regum i-
maginibus ſimilitudinem mutuantur, quando
de æqualitate gloriæ & majeſtatis Patris & Filii
Ambroſius. diſputant. Ambroſius etjam in Pſalmo 118. idem
argumentum tractans ſcribit: Qui Imperatoris
imaginem coronat, utique illum honorat, cujus
imaginem honoravit, & qui ſtatuam contempſe-
rit Imperatoris, Imperatori utique, cujus ſtatu-
am conſpuerit, feciſſe videtur injuriam. Sed ne-
quaquam inde docuerunt, imagines Dei, vel pi-
ctas, vel fictas, eodem cultu & eadem adoratione,
ſicut Deum ipſum, in Eccleſia proſequendas: hoc
enim lege Dei expreſsè prohibetur, & in primi-
tiva Eccleſia damnatum fuit, ſicut hactenus o-
ſtendimus.

Conſtantinus quoq; poſt converſionem ima-
ginem ſuam depingi curavit. Nam ſicut Euſebi-
us de vita ipſius libr. 4. ſcribit, in aureis nummis
ita eam inſculpi curavit, ut panſis manib. inſtar
precantis, cœlum contueri videretur. In ipſis ve-
rò regiis, per quaſdã januas, in tabellis, quæ ſum-
mis veſtibulorum partibus affixæ erant, erecto
ſtatu pingebatur, ſurſum in cœlum cõtemplans,
& precantis forma manus ſurſum tollens. Nec
judicatus tunc fuit Conſtantinus peccare contra
legem, Exod. 20. Et lege quidem cavit, ne ipſius
effigies in idolorum templis poneretur. Non ta-
men eam in Chriſtianorum templis collocaſſe
legitur. Sed ſtatua ipſius cum cruce Romæ, non
autem in templis collocata aliquoties ſcribitur
apud Nicephorum lib. 17. cap. 30. & 49. lib. octa-
vo, ca-

Conſtantini imago. vo, cap. 32. Suprà etjam diximus de Conſtantini
imaginibus, poſt mortem ipſius ad memoriam
factis.

Frequens ſanè apud omnes veteres Scriptores
eſt mentio ſigni crucis, ſed videndum eſt quale
fuerit ſignum. Non enim primis illis tempo-
ribus fuit imago ſeu effigies, hominis membris
expanſis, cruci clavis affixi, ſed tempore Tertul-
liani & poſtea, Chriſtiani digitis in aëre forma-
Signum crucis non effingebatur, ſed in aëre formatur. bant figuram tranſverſam quaſi crucis, & ita ſe
ſignabant. Non erat autem ſignum ad cultum
& adorationem propoſitum, non enim tunc ali-
quid ſubſiſtens erat, ſed tantùm erat profeſsio &
commonefactio, quòd in Chriſtum crucifixum
crederent, atque omnem in ipſo ſpem & fiduci-
am collocatam haberent. Sub Conſtantino verò
cœpit ſignum crucis duobus lignis tranſverſim
Quale ſignũ crucis ſub Conſtantino. conjunctis repræſentari vel tali forma pingi. Nar
rat enim Conſtantinus ſe, cùm ſolicitè cogitaret,
an Gentilem idololatriam abjicere, & cultum
Chriſti amplecti vellet, vidiſſe ſupra Solem in cœ
lo ſignum crucis, ex lucis ſplendore figuratum
additis quaſi literis, in hoc ſigno vince. Qua vi-
ſione Deus ipſum monuit de agnitione, invoca-
tione, & cultu Chriſti crucifixi, ſicut Epiſcopi cõ-
vocati, ipſi apud Euſebium exponunt. Et Con-
Vexillũ Conſtantini forma crucis. ſtantinus hac viſione motus, vexillum militare
tali forma fieri curavit: Haſtile ſcilicet oblon-
gum, auro obductum, quod cornu habuit tranſ-
verſum, ad formam crucis conſtructum. In faſti-
gio corona gemmis & auro circumtexta, in qua
nota Servatoris duabus primis literis nominis
Chriſti inſcripta erat. In tranſverſo autem cor-
nu velamen quoddam appenſum adhæſit, gem-
mis reſplendeſcens. Sub velamine verò deorſum
in oblongo haſtili, aurea Conſtantini & libero-
rum effigies, ad pectus uſq; depicta, cõtinebatur.
Signum crucis Conſtantino non in templa. Illud ſignum Conſtantinus non in templis ad
cultum & adorationem propoſuit, ita enim ſi-
mul & ſuam & ſuorum imaginem adorari volu-
iſſet, ſed pro militari ſigno uſus eo fuit, quòd pri-
vatim poſtea in Palatio obſervatum, ipſe Euſebio
oſtendit. In ipſis etjam armis militum ſignum
hoc inſculpi fecit, ut eſſet partim ſignum profeſ-
ſionis, partim ut milites ſenſim ita deduceret ad
agnitionem, invocationem, & cultum Chriſti
Alexandrini ſignum crucis. crucifixi. Hoc exemplum alii etjam imitati ſunt,
Alexandrinos enim ſcribit Ruffinus thoraces Se-
rapis, quos in parietibus, in ingreſsibus & in fe-
neſtris habuerant Gentiles, jam Chriſtianos fa-
ctos abraſiſſe, & pro iis crucis dominicæ ſignum
in iiſdem locis appinxiſſe.

Fuit autem tunc ſignum crucis tantùm figu-
ra tranſverſa, nõ effigies hominis expanſi & cru-
cifixi, nec ad adorationem propoſitum erat, nec
An Conſtantini tempore imagines in templis. Conſtantini tempore in templis fuiſſe vel hęc ef-
figies, vel alia imago legitur. Apud Euſebium e-
nim de vita Conſtantini libro tertio, & quarto,
extant prolixæ & accuratæ deſcriptiones, quo-
modo lapidibus, marmore, auro, argento, gem-
mis templa exornarũt, nulla verò imaginum fit
mentio. Columnas & thecas duodecim in me-
moriam Apoſtolorum, non autẽ ſtatuas vel ima-
gines ipſorum in templis poſuiſſe legitur. In me-
dio foro apud fontes ſymbola boni paſtoris, &
Danielem cum leonibus ære inciſum poſuiſſe, &
in ipſo Palatii introitu ſignum crucis in tabula
ex auro & gemmis confectum, affixiſſe legitur,
lib. 3. ſed non in Eccleſias tranſtuliſſe. Statuam
etjam ſuam cum ſigno crucis Romæ & Conſtan-
tinopoli in plateis, non in Eccleſiis collocaſſe le-
gitur. In Tripartita quidem hiſtoria & apud Ni-
cephorum videntur loca quædam eò inclinare,
quaſi Conſtantini tempore cœperint ſtatuę quę-
dam in templa collocari. Non admodum igitur
hac de re pugnabo, ſed tamen Euſebii hiſtoria de
Conſtantino, ut qui de re præſenti ſcripſit, certi-
oris eſt autoritatis, poſteri enim ex rumoribus
videntur quædam addidiſſe. Ita Sozomenus lib. *Sozomenus.*
1. cap. 4. de cultu & adoratione ſigni crucis quæ-
dam addit. Sed Euſebius, qui ex ipſius Conſtan-
tini narratione, ea quę de ſigno crucis ſcribit, ac-
cepit, nihil tale habet. Et reliqui etjam Scripto-
res illorum temporum cultum & adorationem
crucis negarunt. Arnobius certè, qui vixit anno *Arnobius.*
Domini 330. lib. 8. contra gentes, calumniam illã
refutans, quaſi Chriſtiani cruces colant, inquit,
cruces nec colimus nec optamus. Vos planè qui
ligneos Deos conſecratis, cruces ligneas, ut Deo-
rum veſtrorum partes, forſitan adoratis. Nam
vexilla caſtrorum quid aliud ſunt, quàm inaura-
tæ cruces, trophæa verò veſtra, non tantùm ſim-
plicis crucis faciem, verùm & affixi hominis imi-
tantur, &c. Cyrillus etjam libro ſexto contra Iu-
lianum negat, ſignum crucis à Chriſtianis & co- *Cyrillus.*
li & adorari. Quando verò lignum crucis in tem-
plis poſitum, & quando crucifixi effigies acceſſe-
rit, in ſequentibus annotabimus. Hactenus e- *Imagines nõ ad cultũ propoſitæ.*
nim ex certis & veris hiſtoriis oſtendimus, in
primitiva Eccleſia, ultra trecentos annos, ima-
gines non fuiſſe ad cultum adhibitas, atq; ideò,
ne ad cultum transferrentur, non receptas in O-
ratoria ſeu templa. Quæ verò ex ſcriptoribus re- *Nec in oratoria recepta.*
centioribus, vel ex dubiis & ſuppoſititiis ſcrip-
tis, quaſi antiquitùs facta proferuntur, meritò
non curamus.

HISTORICA OBSERVATIO, QVANdo & quomodo imagines in templa receptæ, & quis primum uſus earum fuerit, quæq; poſtea conſecuta ſint.

GEntiũ Idolis deſtructis, & pace Eccleſiis red-
dita ſub Conſtantino, & poſtea frequentior
cœpit inter Chriſtianos uſus eſſe hiſtoricarum
imaginum, ſicut de Miletio Antiocheno, qui in
ſecunda Oecumenica Synodo mortuus fuerat.
Niceph. lib. 12. cap. 14. ſcribit: Tantum viri hujus
deſiderium in animis hominum relictum, ut il-
lius formam & effigiem in parietibus & tabulis
depingi, in poculis & in annulis exſculpi cura-
rint, ſicut etjam Chryſoſtomus narrat. Cùm ve- *Quæ occaſione imagines in templa.*
rò Panegyricæ ſolennitates de martyrum paſſio
nibus magno ſtudio frequentarentur, templa
quoq; ſplendidè & magnificè exornarentur, cœ-
pit in ipſis etjam templis uſus eſſe imaginũ, non
ſanè ad cultum & adorationem, ſed partim ad
hiſtoricam commonefactionem, partim ornatus
gratia. Et cœptum hoc fuit potiſsimum circa an-
num Domini 380. Et reliqui ſanè patres iſtius ſe-
culi mutuantur quidem aliquando ſimilitudi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes à picturis politicis. Et de Imperatorum quidem statuis, ac de aliis imaginibus, quæ in locis privatis seu prophanis fuerunt, aliquando mentionem faciunt. Sed imagines seu picturas in ipsis templis tunc fuisse, ex certis ac genuinis ipsorum scriptis ostendi non potest, supposititia enim meritò repudiamus. Et de pictura in calice apud Tertullianum suprà diximus.

Greg. Nyssenus primus imagines in templa apud Græcos.

Apud Gregorium Nyssenũ verò, primũ quod observare potui, inter Græcos reperiuntur descriptiones picturarum in ipsis templis, ut oratione in Theodorum Martyrem, describens memorias Martyrum, dicit ædem, ut Dei templum, structuræ cùm amplitudine, tùm pulchritudine, splẽdidè exornatam, fabrum in animalium figuram signum formasse, & Latomum ad argenti levitatem crustas lapideas expoliviſſe. Et pictor etiam inquit, artis suæ flores induxit, in imaginibus exprimens res martyris prę clarè gestas, labores, cruciatus, immanes Tyrannorũ aspectus, impetus, ardentem illam & flammas evomentem fornacem, beatissimum Athletæ finẽ, Christiq; certamini præsidentis humanæ formæ effigiem. Hæc pictor, tanquam in libro loquente, artificiosè depingens, Martyris certamina nobis expoſuit, & instar prati amœnum & floridum templum exornavit. Solet enim etiam pictura tacẽs in pariete loqui, maximeq; prodesse, &c. Ex eodem Nysseno citatur etiam hæc sententia de historia Abrahæ. Vidi sæpius inscriptionis imaginem, & sine lachrymis transire non potui, cùm tam efficaciter pictura ob oculos poneret historiam. Procumbit enim ante aram Isaac, genibus innixus, circumductas ferens in tergo manus. Abraham verò à tergo pueri innixus pedũ curvamine, sinistra comam pueri apprehendit, ad se trahens, declinat autem faciem ad puerum, miserabiliter illum intuens, dextram autem gladio obarmatam gestat, quam etiam ad cædem dirigit. Iamq; gladii acies ipsum corpus propemodũ attigit, cùm illum divina vox à facto deterret. Hæc Nyssenus apud Græcos.

Apud Latinos verò de Pontio Paulino, qui post annum Domini 400. vixit, scribitur: Cùm populus, qui ad Natalem divi Felicis conveniebat, in templo epulari soleret, Paulinum parietes templi picturis, ex veteri & novo Testamento desumptis, ornandos curasse, ut accumbentes spectandis illis occupati, temperantius convivium exigerent. Et Epist. 12. picturas & versus, quibus duas Basilicas, Nolanam & Fundanam, exornarat, transmittit Severo petenti versus Paulini sub imagine Martini, ubi de imagine Trinitatis hi extant versus.

Pleno coruscat Trinitas mysterio,
Stat Christus agno: vox patris cœlo tonat,
Et per columbam Spiritus sanctus fluit.

Et in Natali Felicis 9. scribit:

Nunc volo picturas fucatas agmine longo
Porticibus videas, &c.
Omnia namq; tenet serie pictura fideli,
Quæ senior scripsit per quinq; volumina Moses.

Et Natali 10.

Miremurq; sacras veterum monumenta figuras,
Et tribus in spatiis duo testamenta legamus.

Prudentius.

Prudentius etiam in passione Cassiani Martyris narrat, se vidisse picturam Martyrii ipsius:

Erexi ad cœlum faciem, stetit obvia contra
Fucis colorum picta imago martyris.
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri, miserabile visu,
Confossa parvis membra figebant stylis.
Aedituus consultus ait: Quod prospicis, hospes,
Non est inanis aut anilis fabula.
Historiam pictura refert, quæ tradita libris,
Veram vetusti temporis monstrat fidem, &c.

Idem in Hymno de beato Hippolyto inquit:

Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta super tumulum species liquidis viget umbris,
Effigians tracti membra cruenta viri.
Docta manus virides imitando effingere dumos
Luserat, & minio roseolam saniem, &c.

Hæmorrhoussam statuam in Templum.

Sozomenus li. 5. cap. 20. scribit: Cùm Iulianus statuam Christi ab Hæmorrhoussa positam, dejecisset, & Gentiles eam in contumeliam Christi confregissent, Christianos postea fragmenta illa collegisse, & in Ecclesia posuisse, atque ibi suo etiamnum tempore servata illa fuisse scribit. Nicephorus verò suo more posteriorum temporũ superstitiones vetustis historiis assuens, dicit lib. 10. cap. 30. Christianos statuam illam in diaconico Ecclesiæ loco honoratiori posuisse, & cultu convenientem eam prosecutos fuisse.

Signum crucis in Templa.

Postea etiam crucis signum in templa illatum fuisse ex Nili Epistola colligitur. Cùm enim Olympiodorus quæsivisset, an decorum esset templum ornare imaginibus variorũ animantium: Respondet, puerile & stultum hoc esse, sed in loco sacro crucem esse effigiandam, & parietes veteris ac novi Testamenti historiis opera docti pictoris replendos. Fuit autem illis temporibus lignum tantùm trâsversum, in forma crucis compactum, quod Cyrillus etiam contra Iulianum lib. 6. ostendit. Quod enim lib. 2. cap. 3. de visitatione infirmorum scribitur, de addita super crucem hominis inibi patientis imagine longè post ea accessit. Libri enim illi non sunt Augustini, sed longè post Augustini ætatem conscripti.

Quale signũ.

Contra talitũ imaginũ.

Vtilis verò & multa monens observatio est, quòd illis ipsis temporibus, quãdo in ipsa etiam templa Christianorum historicum imaginum usum recipere & admittere cœptum fuit, non pauci eruditi & pii Episcopi partim contradixerint, metuentes secuturam adorationem picturarum, & magis probantes morem primitivæ Ecclesiæ, quæ religionem absq; simulachris habuit & exercuit, cultum verò & adorationem imaginum simpliciter omnes tunc damnarunt.

Epiphanii historia contra imagines.

Nota est Epiphanii historia, quòd in Palæstina in vico Bethel, invenerit velum pendens in foribus Ecclesiæ tinctum atque depictum, habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam. Narrat autem Epiphanius ipse in Epistola ad Ioannem Patriarcham Hierosolymitanum, historiam his verbis: Cùm hoc vidissem in Ecclesia Christi contra autoritatem scripturarum hominis pendere imaginem, scidi velum illud, & magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem

rem mortuum eo obvolverent. Illi verò contrà murmurantes dixerunt: Si scindere voluerat, justum erat, ut aliud daret velum. Quòd cùm audissem, pollicitus sum me daturum. Nunc autem misi quod potui reperire, & precor, ut jubeas Presbyteros eius loci suscipere velũ, quod à nobis missum est: & deinceps præcipere, in Ecclesia Christi ejusmodi vela, quæ cõtra religionem nostram veniunt, non appendi. Decet enim honestatem tuam, hanc magis habere solicitudinem, ut scrupulositatem tollat, quæ indigna est Ecclesia Christi, & populis qui tibi crediti sunt. Hæc Epiphanius in Epistola sua, quam Hieronymus cum laude & commendatione Epiphanii in latinam linguam convertit: unde rectè intelligitur, illam Epiphanii sententiam Hieronymo, & eius seculi Doctoribus, in latina Ecclesia nõ improbatam fuisse. Fertur & alia Epiphanii sententia his verbis: Attendite vobis, ut servetis traditiones, quas accepistis.

Estote ergo memores, ne in Ecclesiam imagines inferatis, neq; in Sanctorum Cœmiteriis eas statuatis: sed perpetuò circumferre Deum in cordibus vestris. Quin etiam, ne in domo communi tolerentur. Non enim fas est, Christianum per oculos suspensum teneri, sed per occupationem mentis.

Elibertanus canon cõtra imagines.

Et contra Collyridianos Epiphanius inquit: Diabolus mortalem naturam in hominum oculis deificans, statuas imagines humanas præferentes per artium varietatem expresit.

Et Elibertanum Concilium in Hispaniis tale fecit Decretũ Can. 36. Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne, quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur. Et Can. 34. Cereos per diem placuit in Cœmiteriis non incendi.

Augustinus contra imagines.

Augustinus de moribus Ecclesiæ, lib. 1. cap. 34. inquit: Nolite consectari turbas imperitorũ, qui in ipsa vera religione superstitiosi sunt. Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores. Quos mores Ecclesia condemnat, & quotidie corrigere studet. Idem de fide & symbolo, cap. 7. Quod pater sedere dicitur, non putandum est flexis poplitib. fieri. Tale enim simulachrum Deo nefas est, Christiano in Templo collocare, multò magis in corde nefarium est, ubi verè est Templũ Dei. Et contra Adimantum Manichæũ, capit. 13. Adimantus reprehendit zelum Dei, quo à cultu simulachrorum prohibemur. Vultergo videri favere se simulachris: Quod propterea faciunt, ut miserrimæ & vesanæ suæ sectæ etiã paganorum concilient benevolentiam.

Cyrillus de historico usu imaginum.

Apud Cyrillum lib. 6. Iulianus Christianis hoc objicit: Vos ancylia, quæ Iupiter demisit, non adoratis nec colitis, & interim lignum crucis adoratis: Imagines illius in fronte & ante domos pingẽtes. Cyrillus verò respondens, nõ concedit aut fatetur, signum crucis à Christianis coli & adorari: sed historicum usum imaginum eleganter describit. Enumeratis enim beneficiis, quæ Christus per crucem nobis præstitit, addit: Hæc omnia nos recordari facit salutare lignũ, & svadet ut cogitemus, quod unus pro omnibus mortuus est, ut viventes non sibi ipsis vivãt, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Et propterea, ut dixi, precioſi ligni crucem facimus in memoriam omnis boni & virtutis. Quoniam autẽ res ista Iuliano vituperatione non carere videtur, dicat oro: Vis optimũ accersamus pictorem, cui dicamus: Animus nobis est, ó pictor, velle docere formosos pueros, intemperantiam damnũ ipsis afferre: Volumusq; suadere mulieribus, quæ in domo sunt, inhonestam vitam ipsis esse pernicio sam: sed fortasse sermo docere volentiũ istis non sufficit, ut rectè & inculpatè vivere velint. Ponatur eis & ob oculos pictura quædam, adjuvans sermones docentium. Pingatur ne Iupiter cum Ganymede? &c. Et tandem concludit: Vis igitur ut lignum, quod nos ad recordationem omnis virtutis inducit, abjiciamus & relinquamus, pueris q; & mulierculis tua proponamus?

Basilius de imaginibus.

Basilius historicum quidem picturarum usum in imaginibus politicis non damnat. Dicit enim in sermone in 40. Martyres. Quin etiam bellorũ Trophæa & victorias, & historici Scriptores & Pictores demonstrant: hi quidem oratione rem exornantes: hi verò in tabulis depingentes, multos ad virtutem & civilitatem excitãrunt: Siquidem quæ historia oratione exprimit, hæc tacens pictura per imitationem ostendit. Nec tamen Basilius vel æquat vel præfert imagines Scripturæ. Ejus enim sententia est Maxima est ad recti investigationem meditatio Scripturarum divino afflatu nobis datarum. In his enim & rerum argumenta inveniuntur, & vitę beatorum virorum præscriptæ, veluti imagines quædam animatæ, secundum Deum politica imitatione operum exhibentur.

Chrysostom.

Ex Chrysostomo in 7. Synodo citatus sententia de pictura repræsentante historiam Stragis Assyriacæ, Iesˢ. 37. Sed idem alibi inquit: Nos per scripta Sanctorum fruimur præsentia, non sanè corporum ipsorum, sed animarum imagines habentes. Nam quæ ipsis dicta sunt, animarum illorum imagines sunt. Amphilochii etiam, qui Iconii Episcopus fuit, hæc sententia fertur: Nobis non sanctorum corporales vultus in talibus coloribus effigiare curæ est: quoniam his opus non habemus, sed politiæ virtutum illorum memores esse debemus.

Amphilochius.

Asterius.

Asterius etiam, qui picturam passionis beatæ Euphamiæ se cum admiratione spectasse scribit, alibi sumptuosas picturas reprehendit, dicens: Ne pingas Christum in vestibus, sed magis sumptu illo & impensis pauperibus subveni.

Quid quarũ seculũ de imaginibus.

De aliis sententiis, quæ Titulo Patrum illius seculi citantur, postea ubi ad 7. Synodũ perventum fuerit, dicemus. Nunc tantum hoc ostẽdere volui, illo ipso seculo, quando historicus imaginum usus à politicis statuis & picturis in ipsas etiam Ecclesias à quibusdã transferri cœpit, reliquos Patres, partim novo huic ritui opposita primitivę Ecclesiæ traditione & consuetudine, contradixisse: partim, licet non damnarint historicum imaginum usum, nõ tamen valde magnificisse: scripturæ verò nequaquam adæquasse, nedum prætulisse: cultum verò & adorationẽ imaginum simpliciter reprobasse & damnasse.

Multiplicata imagines.

Post ea verò tempora sensim cœperunt imagines in Ecclesiis multiplicari. Cœperunt etiam statuæ, tum Christi & Sanctorum, tum Imperatorum etiam, in templis collocari. Nysseni enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

tempore & aliquantò post, picturæ tantùm erat. Vulgi verò superstitio subinde tentabat ad cultum & adorationem imaginibus & statuis abuti, sed restiterunt vigilantes Episcopi, & historicum usum imaginum ita probarunt, quod simul cultum & adorationem earum prohibuerunt & damnarunt.

Gregorius Magnus contra adorationem imaginum.

Gregorius Magnus enim circa annum Domini 600. ad Serenum Episcopum Massilienſem libro 7. Epistola 109. scribit his verbis: Pervenit ad nos, quod fraternitas vestra quosdã imaginum adoratores aspiciens, easdem imagines confregit atq; projecit. Et quidem zelum vos habuisse, ne quid manu factũ adorari posit, laudavimus, sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi, qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua igitur fraternitas & illas servare, & ab earum adoratu prohibere debuit, quatenus & literarum nescii haberent, unde scientiam historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret. Eandem sententiam prolixius repetit & explicat, lib. 9. Epistol. 9. ad eundem Serenum: Perlatum ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus, Sanctorum imagines, sub hac quasi accusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem, quia eas adorari vetuisses, omninò laudavimus: fregisse verò reprehendimus. Aliud enim est picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum, addiscere. Nam quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura. Frangi verò non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias nõ sine ratione vetustas admisit, hortamur, ut eorũ animos, quos à tua disiunctos unitate cognoscis, revocare festines. Convocandi enim sunt Ecclesiæ filii, eisq; Scripturæ testimoniis ostendendum, quia omne manu factum adorare non liceat, quoniam scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Ac deinde subjungendum est, quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi factæ fuerant, ut nescientes literas, ipsam historiam attendentes, quid actum sit discerent, quia transiisse in adorationem videras, idcirco comotus es, ut eas imagines frangi præciperes. Atq; eis dicendũ: Si hanc instructionem, ad quam imagines antiquitus factæ sunt, habere vultis in Ecclesia, eas modis omnibus & fieri & haberi permitto. Atq; indica, quòd non tibi ipsa visio historiæ, quæ pictura telle pandebatur, displicuerit: sed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita. Et si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe: adorare verò imagines omnibus modis devita. Sed hoc sollicitè admoneas, ut ex visione rei gestæ ardoré compunctionis percipiant, & in adoratione solius Trinitatis humiliter prosternantur.

Historicus usus imaginũ Gregorij.

Ex his Gregorii sententiis manifestum est, adorationẽ imaginum prohibitam & damnatam tunc fuisse ab Episcopis, idq; ex Scripturæ sententia Vulgus verò ægrè passum fuisse illam superstitionem sibi eripi. Et historicum quidem imaginum usum non malè describit Gregorius, nisi quòd hoc considerandum est, ne existimetur, doctis proponendam esse vocem sacræ Scripturæ: Idiotis verò loco auditus verbi, statuas esse proponendas. Apostoli enim barbaris etjam nationibus Evangeliũ annunciárunt, non per statuas, sed viva Evangelii voce. Et quicquid de institutione & commonefactione per picturas dicatur, nullo modo pictura verbo Dei, scripto, prædicato, lecto, audito & cogitato cõparanda, omnium verò minimè præferenda est. Quod enim Iesuitæ & Andradius ex natura & ratione signorum philosophantur, picturam magis & fortius movere animum ad devotionem, quàm vocem verbi divini auditam & cogitatam, nullo modo admittendum est. Non enim ex Physica signorum ratione, sed ex ordinatione & promissione Dei, hæc æstimanda sunt. Et non de statuis, aut imaginibus: sed de voce Evangelii lecta, prædicata & audita, habemus expressam ordinationem & promissionem Dei. 1. Corinth. 1. Placuit Deo per stultam prædicationem salvos facere credentes. Roman. 15. ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. 2. Tim. 3. sacræ literæ possunt te instituere ad salutem per fidem. Scriptura enim utilis est ad docendum, arguendum, corrigendum, erudiendum in Iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne bonum opus instructus. Psalm. 119. Meditatio sermonum tuorum illuminat. Roman. 10. Fides ex auditu verbi Dei, Rom. 1. Evangelion est potentia Dei. 2. Cor. 5. est ministerium spiritus. Tales verò promissiones efficaciæ divinæ de imaginibus & statuis nõ habemus. Quando itaque historicus imaginum usus admittitur, necessariò taxanda est illa opinio, quę imaginum usum verbo Dei prædicato & audito vel confert vel præfert. Inde enim factum est, quòd in Pontificiis Ecclesiis vox verbi divini, quæ quidem intelligi à populo potuerit, fermè conticuerit, & vulgus ad mutas statuas deductum fuerit, ea opinione, quòd efficaciores statuæ essent ad instructionem, & ad excitandam devotionem, quam vox verbi divini prædicata & audita. Diligenter verò notandum est, quod Gregorius dicit, vetustatem nõ præcepisse, sed admisisse historias Sanctorum in Ecclesiis depingi. Et quæ vetustas illud admiserit, in præcedentibus ostensum est, scilicet non primitivæ Ecclesiæ vetustas. Athanasius enim & Eusebius illum prætextum paganorum, quòd statuæ essent quasi literæ vulgi, disertè rejecerunt & refutarunt.

Vulgus de imaginibus.

Imagines aut Scriptura cõ ferenda vel præferenda.

Seminaria cultus imaginum tempore Gregorij.

Omninò tamen ætate Gregorii nimium imaginibus tribui, & seminaria secuturæ superstitionis spargi cœperunt, dum ante imagines prostrati, Christum ipsum adorare cœperunt. Gregorius enim lib. 7. Epist. 53. ad Secundinum, cui petenti miserant imaginem Dei salvatoris, & sanctæ Dei genitricis, atq; Petri & Pauli, inquit: illum toto corde & tota intentione diligis, cujus imaginem præ oculis habere desideras. Non enim abs re facimus, si per visibilia invisibilia demonstramus. Sic sponsam amans, si contigerit eam ad balneum ire, præparat se, ut visione ejus hilaris recedat. Scio quidem quòd imaginẽ Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed

las, sed ob recordationem filii Dei, in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre consideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur: sed illum adoramus, quem per imaginẽ aut natum aut passum, sed in Throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura, quasi Scriptura ad memoriam Filium Dei reducit, animum nostrum, aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet, &c.

Nicephori fabula de adoratione imaginum.

Addenda verò est & hæc observatio, quod postea, cùm adoratio imaginũ recepta, & defensio ejus suscepta esset, quia videbant illam à tota antiquitate per annos sexcentos constanter reprobatam, finxerunt vetustam hæresin esse, docere quòd Sanctorum imagines non sint adorandæ. Ita Nicephorus libro 16. capit. 28. describens impietatem Xenajæ, qui Petri Gnaphæi socius fuit, cui nondum baptizato Episcopatum mandarat, asserens, sufficere ei pro Baptismo consecrationem. Iste, inquit, Xenajas primus (ô audacem animum & os impudens) vocem illam evomuit (δεῖν προσκυνεῖν) non debere adorari Christi & Sanctorũ imagines. Vixit autem Xenajas iste circa annum Domini 500. Sed Gregorius postea adhuc anno 600. adorationem imaginum expressè prohibet & damnat. Idem etjã antea Augustinus de totius Ecclesiæ sententia fecerat, & Elibertana etjam Synodo publicè decretum factum fuerat contra adorationem imaginum, sicut ostendimus. Imò Deus ipse longè ante legem tulerat: Non adorabis nec coles imagines. Vanum igitur & falsum est, quòd Nicephorus scribit, hæresin esse Xenajæ, quasi ille primus docuerit, Sanctorum imagines non esse adorandas.

Sexta Synodus de imaginibus.

Porrò historicus imaginum usus post Gregorium etiam Synodorum decretis comprobari & confirmari cœpit. Fit enim earum mẽtio in sexta universali Synodo, circa annum Domini 680. Et Pontificii quidem scriptores dicunt, concilium illud sanxisse & mandasse cultum, venerationem & adorationem imaginum: Sed res longè aliter se habet. Ex Græco enim nono canone, illius Synodi canones prolati jam extãt, & octogesimum secundum de imaginibus, Perionius Græcè allegat, cujus hæc est sententia: In quibusdam sacrarum imaginũ picturis agnus digito præcursoris monstratus exprimitur, qui in typum gratiæ receptus est, adumbrans verum illum, per Legem nobis demonstratum agnum, Christum. Veteres igitur figuras & umbras, & veritatis Symbola (προχαράγματα) & adumbrationes Ecclesię traditas retinentes, gratiam illis præponimus, & veritatem, ut legis complementum, suscipimus. Vt igitur id, quod secundum legis umbras perfectum fuerit, in Christo, etiam (χρωματουργίας) colorum picturis seu pictorũ artibus, omnium oculis (ὑπογράφηται) subjiciatur aut præscribatur; definimus, illius agni Christi Dei nostri, qui tollit peccatũ, picturã, κατὰ τὸν ἀνθρώπινον χαρακτῆρα) secundum humanũ characterem in imaginibus in posterum, pro veteri agno (ἀναδειλῶσθαι) erigẽdam, per quam (τὸ τῆς ταπεινώσεως) ea quæ ad humiliationem Dei verbi pertinent (κατανοοῦντες) contemplamur, & (πρὸς μνήμην) ad memoriam seu recordationem conversatio-

Imago crucifixi quando.

nis eius in carne, & passionis mortisq; eius salutaris, ac quæ inde mundo facta est, redemptionis (χαραγωγήματι) quasi manu ducimur. Hæc verba canonis nihil dicunt de cultu & adoratione imaginum: sed historicum usum earum probant & declarant. Quia scilicet vetus Testamentum fuit tempus umbrarum, jam sub novo Testamento nõ umbras esse proponendas: sed præter doctrinam signis seu picturis etiam ostendendum figuras legis impletas esse in Christo. Ad historicam etiam contemplationem, ac memoriam, seu commonefactionem operum Christi, imaginem ipsius specie humana posse proponi indicant. Observandum verò est, imaginem Christi crucifixi, hoc est, sicut canon loquitur, figura seu specie humana repræsentantem humiliationem, passionem & mortem ipsius, istis primum temporibus circa annum Domini 690. cœpisse fieri, & in Ecclesia collocari: hactenus enim crucis tantùm signum usitatum fuerat, sicut suprà ostendimus. Quòd verò Canon ille nominat σεπτὰς εἰκόνας, quod quidam interpretari conantur, imagines cultu & adoratione prosequendas, hoc nequaquam inde probatur. Vocantur enim ἅγιαι σεπταί, ἐπίσκοποι σεπτοί, nec tamen vel templa vel Sacerdotes coli & adorari debere inde sequitur: sed quia erant loca prophana, erant etjam imagines politicę, ad eorum differentiam, sacra loca, & sacræ imagines vocantur σεπταί. In Gratiano de consecr. dist. 3. cap. venerabilis, citatur Canon sub titulo sextæ Synodi de venerãdis & adorandis imaginibus, sed falsa est inscriptio. Verba enim, quæ ibi citantur, non sunt sextæ Synodi, sed extant in septima Pseudosynodo, Actione 6. Tomo 2.

Gratiani falsa allegatio.

INITIVM CVLTVS ET ADORATIONIS imaginum in Ecclesia.

ETsi hactenus quidem usus imaginum in Ecclesia historicus fuit & tolerabilis: consideretur autem, quomodo ad cultũ & adorationem imaginum sensim facta fuerit inclinatio & progressio. Gregorius enim, sicut ostendimus, licet imagines adorari nolit, tamen ante imagines illum adorat, in cujus memoriam & recordationem per commonefactionem imaginis deducitur. Ita postea etjam ad imagines ipsum Deum ubiq; præsentem adorarunt, sicut Blandus scribit: Hierosolymis in recitatione passionis Christi, homines ad lignum crucis, ipsum Christum adorasse. Inde verò non multò post ipsarum imaginum cultus & adoratio subsecuta est: Vnde non dissensiones tantùm, sed horribilia, & quidem cruenta certamina orta sunt, quorum integram historiam persequi non est nostri instituti: ea verò tantùm, quæ ad illustrãdam hanc de imaginibus controversiam facere videbuntur, excerpemus.

Progressio ad cultum imaginum.

Sunt autem illorũ certaminum historiæ non ubiq; bona fide descriptæ, Hoc quidem scribunt omnes, Philippicum Imperatorem circa annum Domini 713. jussisse abradi & deleri imagines Patrum, qui in 6. universali Synodo Monotheletas damnarunt. Alii dicunt, Constantinopoli in templo Sophiæ imagines omnium Patrum, qui sex

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quare Philippicus abraserit imagines patrum.

sex illis universalibus Synodis interfuerant, depictas fuisse, quas omnes Philippicus deleri jussit. Causam verò nō eodem modo omnes describunt. Plerique narrant, Philippicū Monotheletarum hæresi infectum, imagines patrū sextæ Synodi iussisse deleri, ut esset indicatio & testimonium, se decreta sextæ Synodi improbare, & amplecti sententiam Monotheletarum. Ac Romanos contra in signum professionis, quod & sextæ, & reliquarum generalium Synodorum doctrinam amplecterentur, curasse patrum imagines, qui in Conciliis illis interfuerant, in porticu S. Petri depingi. Sed hanc non esse veram causam, inde certissimè colligitur, quòd in Synodo Constantiniana, qua imagines damnatæ sunt, approbantur omnium sex universalium Synodorum decreta, & nominatim sextę Synodi decreta contra Monothelatas approbantur, & recipiuntur.

Vera causa certaminum de imaginib.

Vera autem causa illorum certaminum de imaginibus, ex Damasceni scriptis, qui circa illa tempora vixit, & in Synodo Constantiniana, tanquam Icolonatra, damnatus fuit, rectè colligi potest. Similiter etiam ex contrariis Romanorum circa illa tempora Pontificum decretis & Synodis. Damascenus igitur libr. 4. cap. 17. disertè de adversariis suis dicit: exprobrant nobis, (προσκυνοῦσι καὶ τιμῶσι) quòd adoramus & venerамur Christi, Mariæ, & reliquorum Sanctorum imagines. Constantinus etiam Papa, Gregorius II. & XXXI. ac sequentes, in suis Synodis & Epistolis, contra Græcos Imperatores decreverunt. Imagines veneratione cultus & adorationis prosequendas. Græcorum etiam Synodi pugnantes cōtra imagines, adversarios suos, quos damnāt, nominant εἰκονολάτρας. Et Zonoras apertissimè hoc tradit, dicit enim: Copronymus cum Episcopis in forum progressus coram omni populo venerabilium imaginum adorationem interdixerunt, idololatras appellantes eos, qui imaginibus cultū præstarent, τῷ σεπτῷ εἰκόνῳ προσκύνησιν ἀπειγόρευσαν, εἰδωλολάτρας τοὺς τὰ τοιαῦτα σεβομένους καλίσαντες. Et postea de Leone Isaurico inquit, εἰδωλολατρίαν τὴν τῶν εἰκόνων ἀπεκάλει προσκύνησιν. Adorationē imaginum vocabat idololatriam. Et ad Germanū Patriarchā dicit Isauricus, μὴ δεῖν τὰς εἰκόνας τιμᾶσθαι non esse colēdas imagines. De cultu igitur & adoratione imaginum potissimùm tunc certamen fuit. Et hęc vera fuit causa illorum certaminum, ubi Græci quidem demolitione imaginū voluerunt adorationē earum abolere. Dixerunt enim, sicut Stapulensis etiam recitat, se illud facere tollendæ idololatriæ causa. Romani verò Pontifices non ex verbo Dei disputarunt: sed Excommunicatione sua Græcos Imperatores Imperio dejecerunt. Ita Philippicū Imperio exuit Antonius, Antonium Theodosius, qui imagines conatus fuit restituere, sed vix uno anno regnavit.

Damascenus

Zonoras.

Leo Isauricus contra imagines.

Post hunc Leo Isauricus certamen cōtra imagines majori vehementia instauravit. Proposito enim publico edicto mandavit, omnes imagines dejiciendas & confringendas. Ac ipse Constantinopoli omnes statuas ex templis congestas, in medio urbis concremavit, picturas abrasit, & parietes dealbavit, contradicentes verò vel capite truncavit, vel alia parte corporis mutilavit. Ludimagistrum etiam cum discipulis ædibus inclusum combussit. Gregorius III. verò in Synodo Romana cōtrarium statuit, & Leonem damnat. Sed Leoni patri succedens Constantinus filius, Romanæ Synodo opponit aliam, quam circa annum Domini 755. in urbe Constantinopolitana, vel, ut alii volunt, Ephesina, convocat. Atque ibi non tantùm adorationem imaginum: sed ipsas simpliciter imagines damnarunt, ut quas nullo modo, & in nullum usum, etiam extra casum cultus & adorationis, vel facere vel habere liceat. Rationem habent præcipuè hanc, cùm naturæ in Christo non possint separari, & divina non possit pingi, ideo etiam humanam eius effigiem non debere pingi, ne putetur, alia esse persona humanitatis quæ pingatur, alia divinitatis quæ pingi non possit. Cumq; etiam corpus eius ineffabili gloria jam sit illustratū, ideò illud pingi non posse. Et Sanctorum animæ ac virtutes, quæ veræ sunt ipsorum imagines, cum coloribus exprimi non possint, ideò Sanctorū etiam imagines non debere pingi. Acta hujus Synodi, quam postea non Constantinopolitanam, sed Constantianam vocari voluerunt, extant in Actione 6. secundi Niceni Concilii.

Gregorius Tertius.

Synodus Constantiniana simpliciter damnat imagines.

Et Romæ quidem Stephanus Tertius, contraria Synodo Constantinianam damnavit. In Græcia verò Constantinianæ Synodi decreta duraruntapud illos, qui inde ἐικονόμαχοι vocabātur, donec Irene Leonis IIII. uxor, tutorio nomine, Constantini filii sui in pupilli Imperium administrare cœpisset. Illa enim spe retinendi vel recuperandi in Occidente Imperii, quæ sivit reconciliationem cum Romanis Pontificibus, & anno Imperii sui 6. convocavit Synodum Constantinopolim, quæ per tumultum distributa fuit. Altero anno cōvocavit Patres Nicæā, rebus omnibus ita instructis, ut nemo contradicere vel disputare auderet. Scribit enim Albertus Pighius, Adrianum Pontificem Romanum scripsisse ad Græcos imperatores, seu consensurum celebrando Concilio, non ut de controversia illa disceptaretur, sed ut simpliciter Pontificia de adorandis imaginibus sententia reciperetur. In illa Synodo ex præscripta Romani Pontificis sententia pronunciatur & statuitur: Sacras imagines non tantùm haberi posse ad usum historicum, sed illas ex mandato divino in Ecclesiis necessarias esse: imò venerandas, salutandas, osculandas, colendas & adorandas, cereis etiam, suffitu & similibus honorandas. Factum hoc fuit circa annum Domini 788. Et intra dies admodum paucos, viginti scilicet, cùm fine adversariis agerent, debellatum fuit. Inchoata enim fuit Synodus illa 24. Septembris, sub octavum Calendas Octobris. Et tertio Idus Octobris, hoc est, 13. Octobris promulgata fuit definitio Synodi. Mox verò Irene omnia rursus templa imaginibus & statuis complevit. Et soceri sui Constantini VI. corpus effossum, publicè cremari jussit, ac cineres in mare dispergi. Constātinus verò filius adultus factus, matri Imperium abrogat, & statuas rursus dejicit & exurit. Irene postea non mater, sed Medea, filio capto oculos eruit, & in squalenti carcere variis excruciatum malis occidit. Hi fuerūt fructus

Septima Synodus adorationē & cultum imaginum statuit.

Stephanus Tertius.

Irene.

Crudelitas Irenes

ctus certaminum de imaginibus, ad quorum vel cogitationem primitivæ Ecclesiæ Patres cohorruissent, si prævidere potuissent tàm atrocia & cruēta fore certamina, de tali re, de qua quæ fuerit veteris Ecclesiæ sententia, suprà ostensum est.

DE SEPTIMA ICONOLATRICA Synodo.

Extant autem acta septimæ istius Synodi prolixè descripta, & quia propter multas causas utile est nosse & considerare, qua fide causa illa ibi tractata, & ex quibus fundamentis decreta illa, de cultu & adoratione imaginum, facta sint, præcipua capita excerpemus, & in ea tanquam in tabella Lectori spectanda proponemus, ut inde æstimari possit, quantum istiSynodo autoritatis tribuendum sit.

Vtr historico usu imaginum ipsa.

Primò igitur, quod attinet ad historicū usum imaginum, quòd ille non simpliciter sit damnatus, quodq; nō simpliciter sit prohibitum, extra casum cultus & adorationis, imagines, vel ad usum historicum, vel ornatus gratia, facere & habere, rectè dicunt, ipsam scripturam interpretari Legem, Exod. 20. de imaginibus. Constat enim in ipso tabernaculo, & in templo Salomonis, historiæ, commonefactionis, significationis, & ornatus gratia fuisse imagines, Exo. 25. Ebr. 6. Num. 21. 3. Reg. 6. Et de medio Cherubim Deus solebat loqui, Numer. 7. Cherub verò habuisse faciem hominis constat. Ezech. 41. Et quæ in hanc sententiam ex Patribus quibusdam, vel de scripturæ historiis, vel Martyrum passionibus, per picturas expressis & repræsentatis, proferuntur, culpari à candidè judicantibus non debent, si intra historicas metas consistant: ut quod Actione quarta Gregorius dicit: Vtinam fieri posset, ut & cœlum & terra & aqua, omnia quoque animantia, & plantæ, & si quod aliud est, sive per colores, seu per picturas, aut voces, posset nos commonefacere de historia Christi & Sanctorum. Et Germanus inquit: Quæ quis antea legit vel audivit, si iterum in pictura ista repræsentari viderit, in memoriam ea, quæ antea audivit & legit, reducit: ignorantes vero, quando talia per picturas oculis objecta viderint, arripiunt inde occasionem inquirendi & pervestigandi historias. Quod verò in Actione 4. quidam dicit, majorem esse vim imaginum, quàm verbi Dei, falsum esse suprà ostendimus.

Discrimē inter historicū usum & adorationem.

Secundò necessariam distinctionem inter historicū imaginum usum, & inter earum cultum & adorationem, confundunt. Atque ex testimoniis, si quæ adducunt de historico imaginū usu, statim vel apertè vel obliquè inferunt, earū cultum & adorationē. Agnovisse hoc quidam videntur in illa Synodo: sed reliquorum voces prævaluerunt. Nam Actione 4. Constantinus Cypri Episcopus dicit, fuisse quidē imagines in tabernaculo: sed ne ad idololatriam converterentur, Dominum dixisse: Non facies tibi similitudinem aliquam, ne populus culturam illi exhibeat. Et Actione quinta producitur scholion quoddam in Exodum: Et si facimus hominum piorum similitudines: non tamen illæ fiunt ut adorentur ut dii, sed ut eas videntes, ad imitationem facinorum illorum provocemur. Si verò similitudines Christi facimus: sanè non propter similitudinem adoramus: sed quo mens per ea, quæ conspexit, sursum volet.

Quàm absurdè allegent veterum sententias.

Tertiò, ubicunq; in veterū scriptis ad picturas seu imagines in genere alluditur, ipsi mox attexunt: Ergo in templis Christianorū habēdę sunt, imagines: ut Athanasius explicans doctrinam, quòd filius Dei, assumpta natura humana, imaginem Dei in ea obliteratam & deletam, restituerit, utitur hac similitudine: Sicut ea, quæ in tabulis picta sunt, cùm figura per sordes & situm deletā fuerit, necessarium est, ut denuò pingatur & reficiatur, modò talis sit, ut adhuc renovari in eadem materia & tabula possit. Nam per eādem formam & materiam, in qua depingitur, non destruitur, sed potius in id, quod ante fuit, restituitur. Hanc sententiam Adrianus Papa Romanus, adducit, probaturus, imagines in Christianorū templis habendas, quod Athanasius cum similitudinem illam in genere à picturis sumeret, ne cogitavit quidē. Idem imagines in templis probare conatur ex illa Cyrilli sentētia: Fides depingit verbum quod in forma Dei existit, quod similitudine nostra assumpta factum est homo. Et imaginum usum nobis supplent parabolæ, subjicientes quasi oculis & manibus, ea, quæ in nudo intellectu contemplationem obscurè habēt. Et Actio. 4. imagines in templis, Cyrilli autoritate, ita confirmare conantur, quia Cyrillus collationem veteris & novi Testamenti hac similitudine explicans, inquit: Vmbra & figura Lex erat, imò velut quædam pictura, ad contemplationem videntium ipsa opera posita. Vmbræ autem artificii in tabulis pingentium primæ, sunt characteres, quibus si super inducti fuerint colores, tunc sanè pulchritudo picturę apparebit: Ita novum Testamentum umbras veteris absolvit & consummavit. Allegant & illam Cyrilli sententiam, quæ celebrat descriptionem Mosis, Genes. 22. quòd historiam illam de Abrahamo quasi in tabula depinxerit, nunc insidenteni asino, assumpto simul & puero, nunc dimisso asino onerantem lignis ipsum Isaacum, assumendo gladium & ignem, rursus adolescentem in lignis ligando, dextera ad immolandum puerum armata, &c. Hæc annotavi, ut Lector videat, quàm pueriles & ineptæ fuerint istius Synodi actiones, quòd ex hujusmodi sententiis voluerunt probare, patres docuisse, in templis Christianorum habendas esse imagines.

Fundamēta istius Synodi ex figmentis & fabulis.

Quartò, ex certis testimoniis veræ antiquitatis, per annos trecentos, non possunt ostendere, imagines in Christianorum templis fuisse: contrarium enim suprà monstravimus. Sed quia Synodus ista fingit esse traditionem Apostolicā, & consuetudinem vetustissimam, inde usq; à Christi & Apostolorum tempore receptam, ad eius probationem, testimonia supposititia, fabulas & figmēta cogitur assumere: ut Actione 5. producitur fabula de imagine, quam Christus ipse fecerit, & Abgaro Regulo miserit, cùm & Gelasius, & Isidorus, narrationem illam pronuncient apocrypham esse, sicut suprà ostendimus. Et tamen in Synodo illa Leo quidam Lector dicit, se petiisse Edessam, & ubi venerandam imaginem, non factam hominum manu, adorari & honorari à populo

Universidad de Deusto
Biblioteca

populo vidisse. Actione 4. sub nomine Athanasii Alexandrini citatur narratio de imagine Christi, à Iudæis crucifixa, quam Nicodemus manibus suis fecerit, & moriturus tradiderit Gamalieli, qui eam Iacobo reliquerit, à quo commendata fuerit Simeoni & Zachæo. Sed suprà ostendimus, scriptum illud non esse Athanasii, sed suppositicium: & Sigebertus ostendit, fabulam multò recentiorem esse, quam forsan quidam nomine Athanasius conscripsit, & hoc prætextu Magno illi Athanasio eam postea tribuerunt, ut ita specie & authoritate aliqua simplicioribus eam venditarent. Actione secunda Adrianus Papa magno supercilio scribit, Constantinum lepra infectum jussum fuisse in somnis à Petro & Paulo, ut à Sylvestro Romano Pontifice peteret Baptisma, ita enim consecuturum ipsum lepræ & omnium morborum sanitatem. Et Constantinum interrogasse Sylvestrum. Quales essent Petrus & Paulus, cumq; is imagines Apostolorum, quas habebat, afferri jussisset, Constantinum statim agnovisse vultus, quos per quietē viderat. Cumq; Romę à Sylvestro baptizatus esset, in memoriam ejus beneficii columnas Ecclesiarum imaginib. Christi & Sanctorum ipsum exornasse. Sed totam illam narrationem de Baptismo Constantini fabulosam & falsam esse, veteres Ecclesiasticæ historiæ Scriptores omnes convincunt. Adrianus dicit, Constantinum ideo imagines Christi & Sanctorum in templis collocasse ut ita Gentes à cultu Idolorum converteret: sed suprà clarissimè ostendimus, primitivam Ecclesiam ideo noluisse imagines in oratoria admittere, ne in illorum animis, qui ex gentibus convertebantur, seminaria idololatriæ relinquerētur, & ne Christiani facti, eo modo verum Deum colerent, quo idola coluerant, ad statuas scilicet. Et ex veris certisq; historiis non posse ostendi, quòd Constantinus imagines in templis posuerit, suprà ostendimus. Ex primitiuę etjam Ecclesiæ historia, quam in præcedentibus deduximus, liquidò judicari potest, suppositicium & falsum esse, quod Actione prima, sub nomine vetustissimi Theologi citatur, νεὼς λόγος ὁδ'ἐς, ἐνὸς ἐφ' ἕγαλμα: nullam habendam esse rationem eius templi, quod non ornatum sit imaginibus seu statuis. Impudentissimum verò est, quod fingunt, in Synodo Apostolorum Antiochena decretum factum fuisse, ut loco idolorum imago Christi proponeretur, ad quam converti ablegarentur. Ita enim allegant Decretum: Servatos non debere amplius ad Idola aberrare: sed certandum esse ante columnam Dei hominisq; Iesu Christi Domini nostri. Et de Apostolis quidem constat, quòd docuerint fugienda esse idola, 1. Iohan. 5. Quòd verò loco idolorum materiales imagines Christi substituerint, ad quas conversos ablegarint, falsum est. Et sententiam illam ex apocryphis scriptis, de actis Apostolorum, sumptam esse non est dubium, quæ tamen potuit illam sententiam habere: Non ad idola currendum esse, sed ad Christum, qui ut Deus & homo unicum fundamentum, & vera columna sit Ecclesiæ, & spectator ac remunerator certaminum, quæ fideles sustinent. Sed quid, pie Lector, de tali Synodo judicandum existimas, quæ apocryphis, fabulosis, suppositiis, & falsis nititur testimoniis & fundamentis?

Quintò, Iohannes quidam Monachus Actione quarta, dicit: Necessarias esse imagines in Ecclesiis, idq; Adrianus Papa ex doctrina scripturæ, & ex mandato divino probare conatur: sed profectò pueriles, frigidę, imò pudendę sunt probationes, nihil prorsus ad rem facientes, quæ uno verbo rectissimè appellari possunt, manifestæludificationes verbi DEI: non enim violenter tantùm, sed ridiculè prorsus, dicta scripturæ in peregrinum sensum detorquentur, non secus atque in pasquillis joci gratia quidam ludere solent. Cumq; Synodorum authoritas ex fundamentis & testimoniis, quibus nititur rectè æstimetur judicet hinc Lector, quid septimæ isti Synodo tribuere, vel velit, vel debeat, vel possit. Adrianus igitur Papa Actione secunda scribit: Sicut scriptura imagines in memoriam venerationis habet: sic & nos eas habeamus. Audi verò testimonia. Quia, inquit, factor noster Deus juxta propriam imaginem & similitudinem hominem de luto terræ finxit & illuminavit: Præterea primus homo cuncta animantia propriis nominibus vocavit. Abel ex primitiis ovilis sui Deo dona obtulit. Noe altare Domino construxit. Similiter & Abraham: Iacob etjam lapidem erexit. Item: Quare non nos quoque speciositatem domus Dei diversis coloribus & picturis exornabimus, cùm scriptum sit, Confessio & pulchritudo coram eo. Item: Domine, dilexi decorem domus tuæ, faciem tuam Domine requiram. Item Actione quarta. Si vetus Scriptura habuit Cherubim obumbrantia propitiatorium, & nos quoque imagines Christi, Mariæ, & Sanctorū habebimus obumbrantes altaria, quia ex veteri Scriptura, nova assumpsit Cherubim gloriæ. Nam Ebræorum nono, in novo Testamento citatur historia Cherubim gloriæ. Egregiam me hercle probationem. Item scriptum est, Sicut audivimus ita vidimus. Et Domine in civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges. Et in Cantico: Ostende mihi faciem tuam, & auditam fac mihi vocem tuam. Nemo accendit Lucernam, & ponit sub modio. Item: Signatum est super nos lumen vultus tui. Ergo imagines in altari collocandæ, & accensis cereis colendæ sunt. Item sanctis qui sunt in terra, inquit Psalmus, sed Sancti sunt in cœlo, ergo imagines eorum debent esse in terra, &c. Certè si Pasquillus aliquis voluisset Pontificiorum doctrinam de imaginibus falsè exagitare, & irridendā proponere, non potuisset magis ridiculè scripturam allegare. Et tamen Pontificios non pudet ad Synodi istius autoritatem, tanquam sacrosanctam, confugere.

Quàm inepte allegent scriptura in ista Synodo.

Sextò, in Actionibus istius Synodi est & hoc observandum, quod aliquoties ipsi, qui interfuerunt, fatentur: Saracenos quorum Religio, ut nunc Turcarum, sine simulachris fuit, alienores à Christianorum Religione factos, propter cultum & adorationem imaginum. Et Actione 4. fatenter, Iudæos absterritos, ne fidem Christi amplecterentur, quia videbant Christianos contra legem, Exo. 20. imagines adorare & colere. Quòd enim Synodus prætendit, Legem Dei tantùm prohi-

Saraceni.

Iudæi.

prohibere, ne vel falsorum Deorum, vel eorum, quæ nihil sunt, simulachra adorentur: manifestè contra textum Legis pugnat, quæ disertè dicit, ne similitudines eorum, quæ sunt, sive in cœlo, sive in terra, sive sub terra, adorentur & colantur. Extat in actis istius Synodi Act. 5. disputatio Gentilis, qui affirmat, cultum idolorum apud Gentes confirmari ex adoratione & cultu imaginum, sicut tunc inter Christianos exercebatur. Nā & nos, inquit Gentilis, non ipsas statuas adoramus: sed ut per cultum nostrum incorporeæ virtutes ad nos perveniant. Cumq; diceret Gentilis: sicut vos Christiani Angelos, qui incorporei sunt, pingitis & adoratis: ita & nos Deos nostros pingimus. Respondet quidam, qui vult videri catholicus, Angelos sua natura non omnino esse incorporeos & invisibiles, verùm tenui corpore præditos & aereo ac sæpius in proprio corpore visos. Porrò, quòd Actione prima dicunt, Marcionitas, Manichæos, & alios, qui finxerunt, Christum non verum corpus humanum, sed Phantasiam ejus assumpsisse, ideo imagines corporis Christi respuisse. Et idem fecisse etjam alios hæreticos, qui humanam naturam in persona Christi in divinitatem mutatam fingebant. Aliquid habet coloris, & si quis ea opinione imagines respueret, is propter impiam de humana Christi natura opinionem meritò damnaretur. Sed cùm istorum hæreticorum controversiæ & certamina, diligenter apud veteres descripta extent, nihil tale de imaginibus ipsis tribuitur, imò Manichæos simulachris æquiores fuisse, suprà ex Augustino contra Adimantum cap. 13. ostendimus. Act. 5. citatur fabula illa, quam etjam Nicephorus habet, Xenajæ hæresin fuisse: imagines Sanctorum non esse adorandas: Cùm Gregorius Magnus idem tanquā catholicam Ecclesiæ Christi doctrinam defendat, sicut suprà ostendimus. Philoxeni autem illius sententia ita recitatur Actio. 5. Christo non dandum esse honorem, nec laudem dicendam in pictura hominum arte elaborata. Esse autē illi solummodò ac optam adorationem in spiritu & veritate.

Pagani.

Marcionitæ. Manichæi.

Eutychæi.

Xenajas.

Quod verò in fine 5. Actionis extat, & à Zonara etjam describitur: perfidū quendam Iudæum persuasisse cuidam Arabum Tyranno, & postea etjam Leoni Isaurico, ut imagines in Christianorum templis delerent, & hanc esse originem Iconoclastarum, ita narratur, ut fabulæ non sit absimile. Et ob prohibendam adorationem imaginum, confractionem earum primum cœpisse, idq; ante Leonem Isauricum anteà ostendimus. Quòd si Iudæi, Samaritæ, Saraceni, odio Christi, & in ejus contumeliam, imagines ipsius confringunt & conspuunt, meritò damnantur, sicut Nabuchodonosor, ob impiè tractata vasa templi, arcam & Cherubim, divinitus punitus esse à Chrysostomo non malè dicitur, quia odio Dei & in ejus contumeliam hoc fecit.

Origo Iconoclastarum.

Et hæc, quæ hactenus dicta sunt, pertinent ad historicum imaginum usum, qui licet per se, si intra historicas metas contineatur, culpari & damnari non possit, sicut suprà ostensum est. Hæc tamen capita ex Actis annotare volui, ut Lector cōsideret, quàm indoctæ, ineptæ, & vanæ fuerint Synodi illius Actiones, quomodo commentitiis, peregrinis, & suppositiis fundamētis, ea etjam, quæ per se vera sunt, ita superstruant, ut superstitiones suas admiscere possint, ut hinc Lector statuat, quantum fidei & autoritatis in altero capite, quod principale est, de cultu scilicet & adoratione imaginum, Synodo isti tribuendum sit.

Septimo, principale caput est, quòd in Synodo ista contra manifestam scripturæ sententiam, & contra totius antiquitatis consentientia testimonia, decretum est, sacras imagines honorandas, venerandas, salutandas, amplectendas, osculandas, colēdas, & adorandas esse. Et quidem apparet, pias aures etjam tunc ab ipsis vocabulis abhorruisse. Ideo quidam vocabula mitigare studuerunt, ut Actione 3. Constantinus Cypri Episcopus dicit: Suscipio venerandas imagines; ad orationem autem, quæ sit secundum λατρείαν, tantummodo supersubstantiali & vivificæ Trinitati conservo. Leontius etjam Actione quarta, & Adrianus Actione 2. rem ipsam mitigare student, cùm inquiunt: Sicut ex consideratione creaturarū moveor, ut Deum ipsum creatorem solum adorem & colam: ita in pictura contemplans Martyrum certamina & victorias, excitor ut Deum Martyrum glorificem, virtutes Martyrum prædicem, & ad imitationē me præparem. Et Actione 7. dicunt, veram latriam soli divinæ naturæ competere. Esse autē aliam honorariam adorationem, sicut Iacob adoravit Esau, Genes. 33. Abraham filios Chet, Genes. 23. Iacob Pharaonem, Gen. 47. David Samuelem, 1. Reg. 10. Quando itaq; dicitur imagines adorandas, non intelligi cultum latriæ: sed adorare idem valere quod salutare, amplecti & amare, sicut Pharisæi scribuntur amasse salutationes in foro, Matth. 23. Et Paulus salutavit presbyteros ingressus ad illos, Actorum 21. Volunt igitur quidam vocabulo adorationis in Actis illius Synodi nihil aliud intelligi, quàm exhibitionem honoris seu reverentiæ, quæ fit externo aliquo gestu, vel inclinatione capitis, vel genuflexione vel amplexu, osculo, & hujusmodi.

Adoratio imaginū in ista Synodo.

Quomodo ludant vocabulo adorationis.

Possem autem opponere, religiosam pietatem veræ & eruditæ antiquitatis subtilitatem illam ignorasse. Gravissimis enim sine dubio de causis simpliciter prohibuit adorationem imaginum, sicut & Gregorius Magnus docuit, imagines nullo modo adorādas, sed adorationē modis omnibus devitandam. Et Lex Dei simpliciter dicit: Non adorabis nec coles ea. Possem etjam opponere, ingentem esse dissimilitudinem, quando hominibus rationalibus exhibetur civilis & externa reverentia, vel ratione officii, vel conjunctionis, vel amoris, vel quia ab illis aliquid petimus, speramus, aut tenemus. Talis enim reverentia in Scriptura veteris Testamenti, aliquando vocatur adoratio, & ejus extant exempla in Scriptura. Verùm inanimatis statuis seu imaginibus hoc exhibere non est idem, & ejus nullum extat in Scriptura vel mādatum vel exemplum: Imò Lex Dei, quia utrunq; prohibet, & adorationem & cultum imaginum, altero interiorē cultum spiritus, altero externam honorariam adorationem imaginum prohibet.

An imagines aliquo modo adorandæ.

Sed ne existimetur lis & certamen de vocabulis tantùm esse, videamus quid & quantū septi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ma ista Synodus re ipsa suis venerationibus, salutationibus, cultibus & adorationibus, tribuat imaginibus: Inde enim manifestum erit, fucum tantùm esse disputationē de vocabulis. Et Schonodus ista velit imagines adorari. lastici postea, sicut rem ipsam, ita etjam vocabulum Adorationis propriè sic dictæ, imaginibus Christi tribuerūt, sicut infrà ostendimus. Theodosius igitur quidam Actione prima, in sua confessione inquit: Saluto & veneror Mariæ imaginem, cujus etjam auxilium, protectionem & intercessionem, nocte dieq; ut peccatori mihi subveniat, invoco, ut quæ eam potestatem habet à Christo. Sanctorum etjā imagines veneror, non ut Deos, sed mētis meæ affectum & desiderium, quo in illos affectus sum, hoc modo indicans, ex toto animo omnes obtestor, ut ad Deum pro me intercedant, quò in oculis ejus misericordiam in die judicii consequar. Invocatur auxilium.

Actione 2. sub nomine Basilii citatur supposititia hæc sententia: Deiparam virginem, Sanctos Prophetas, Apostolos, & Martyres suscipio, qui pro me apud Deum supplicant, quo per istorum mediationem propitius mihi sit Deus, & remissionem peccatorum mihi gratis largiatur, quam ob causam & historias imaginum illorum honoro, & palàm adoro. Audis Synodum istam docere, imagines ita, & propter hanc causam adorandas, ut per Sanctorum, quorum sunt imagines, mediationem, Deus nobis sit propitius, & peccatorum remissionem largiatur: quæ certè adoratio soli Christo debetur. Ibidem Stauratius dicit: Venerabiles imagines honoro, quæ sunt velut arrhabo salutis meæ. Et Adriani Epistola dicit: Israëlitæ per inspectionem ænei serpentis à peste servati sunt. Nos verò Christi & Sanctorum imagines contemplantes & venerantes, absit ut dubitemus nos servari. Mediatio, propiciatio. Servamur per imagines.

Actione 4. narratur miraculum, quòd S. Anastasius apparuerit mulieri paralyticæ, & dixerit: descende ad Tetrapylum, sanctiq; Anastasii intercessionem apud Deū posce, quæ ad templum illud delata, cùm sancti imaginem cōspiceretur, dixit: Hic est, qui in somnis mihi apparuit. Et in terram se prosternens, & Martyrem flebilibus orationibus placans, sana surrexit. Et alius quidam addit, mulierculā obsessam, Romæ ad imaginem S. Anastasii sanatam. Sanationes ad imagines.

Allegatur ibi & formula jurandi in confirmationem dictorum, positis manibus super imagines Christi, & Mariæ. Atqui Scriptura tradit, cultum soli Deo debitum esse, per nomen ipsius jurare. Jurant ad imagines.

Leontius ibidem dicit: Quando imaginem Christi habeo, per eam Christum ipsum me tenere & adorare videor.

Ex Sophronio citatur tale miraculū: Ingressi templum, vidimus picturam, repræsentantem in medio imaginem Christi, Mariam à sinistris, à dextris autem Baptistam. Præterea cœtus Sanctorum, qui ante imaginem procidebant & intercedebant. Christus verò commiseratus annuit & ante imaginem inquit: illi date. Et sancti ad me ajunt: Ecce gratiam Deus tibi dedit. Et alius quidam Episcopus subjicit: hæc imago adhuc hodie Alexandriæ existit, & omnes morbos curat. Imagines loquuntur.

Aliud ibi recitatur, quòd Dæmon, cùm euidā valde molestus esset, dixerit, imaginem istā, Mariæ scilicet gestantis Christum, si nolis me tecum luctari, cave ne amplius adores: Abbatem verò Theodorum dixisse: Potius omnia Lupanaria intranda esse, quàm intermittendam adorationem illius imaginis. Ita enim in Caroli Magni libro sententia illa Synodi citatur. Dæmonū testimonium. Lupanaria.

Alius quidam uxori ægrotanti dixit: si domi essem, possem cerea Sanctorum meorum Cosmæ & Damiani imagine omnes dolores tuos auferre. In somnis Sancti illi apparuerunt mulierculæ, quæ expergefacta rogavit virum de forma illorum Sanctorum. Vir verò recordatus, quòd soleret peregrè imaginem illam secum ferre, ostendit eam uxori, quæ cùm vidisset, adoravit. Imago Cosmæ & Damiani.

Manzon quidam dicit: Ego in morbo jussi, ut inferrent ad me Christi imaginem, quam cùm vidissem, dixissemq; Domine, qui das Sanctis gratiam, respice me, imposui eam loco dolenti, & morbus repulsus est. Item muliercula ægrotans, cùm præ torminibus ingredi non posset, repsit ad illum locum, ubi in parietibus effigies Cosmæ & Damiani depictæ erant. Et quia fide prosciptione utebatur, confestim sanitati Sanctorum intercessione restituta est. Imago imponitur loco affecto. Fides in imagines.

Ioannes quidam dicit: si quis imaginē Christi aspiciens & adorans dixerit, aut ei inscripserit: Hic est Christus, non peccat. Item: dicunt Romæ in omnium officinarum vestibus exiguas Simeonis imagines collocasse, custodiam quādam & securitatem rebus suis illinc promittentes. Et Hæmorrhousa quædam inspecta tantummodò Simeonis imagine, dum is adhuc in vivis esset, sanata ibi dicitur. Maria Aegyptiaca imaginē Deiparæ virginis ita alloquitur: O virgo Domina, auxiliare mihi, quæ neminem habeo, qui mihi suppetias ferat. De imagine hic est Christus. Imagines in officinis. Alloquitur imaginem.

Plura alia similia sub titulo miraculorum ibi recitantur, quomodo pictæ imagines invocantibus distillārint guttas roris & unguentorū, quibus morbi sanati, & quomodo imagines læsæ, ultæ fuerint contemptores suos. Miracula.

Actione 5. muliercula quædam fodiens puteum, cùm aquam non inveniret, vidit in somnis quendam ad se dicentem: Mitte ut simulachrum Abbæ Theodosii afferatur, & DEVS tibi dabit aquam. Cumq; imago esset allata, dimiserunt eam in puteum, & confestim aqua scaturiit. Imago in puteum.

Abbas quidam habebat in spelunca imaginem Mariæ, habentem in ulnis Christum. Quando verò abiturus erat ad loca sancta, candelam parabat, eamq; pro more suo accendebat. Cùm verò accinctus ad iter, preces funderet, dicebat ad Dominam, totus in imaginem ejus intentus: Sancta Domina Deipara, quia longum mihi restat iter, candelam tuam cura, eamq; inextinctam serva. Nam ego tuo fretus præsidio, longum iter ingredior. Et hæc cùm ad imaginē dixisset, abiit. Reversus autem post Menses quinq; aut sex, candelam tamen semper ardentem, nec unquā extinctam invenit. Imago servat candelas.

Hæc summatim excerpta, annotare hoc loco volui, ut Lector videat, quales opiniones, & quos cultus imaginum, Tridentinum decretū stabilire, & Ecclesiis rursus obtrudere conetur, quando Tridentini decreti artificium.

do ad septimam hāc Synodum se refert. Studiosè enim crassas superstitiones, cultus, invocationis, & adorationis imaginum, in decreto suo non recensent Tridentini: sed quia tamen retineri illas volunt, præcipiunt talem venerationem imaginum, sicut in septima Synodo definita est. Et verbi sanè gratia, de superstitionibus, si quæ irrepserunt, abrogandis concionantur; sed quæ possent esse crassiores superstitiones, quàm quas hactenus ex actis septimæ Synodi annotavimus? Illas verò Tridentini judicant non superstitiones, sed magnam pietatem esse. Quomodo verò adversa quasi fronte pugnent cum doctrina verbi Dei, de vero cultu, invocatione, & adoratione Dei, in locis præcedentibus ostensum est.

Octavò, fundamenta etjam, testimonia & probationes, quibus talem cultum & adorationem imaginum septima ista Synodus confirmare conatur, Lectori tanquā in tabella spectanda, considerāda, & dijudicanda proponemus. Vtq; rectius de illis judicari possit, redigemus ea ad certa aliquot capita. Primò enim ex Scriptura probare conantur adorationem imaginum. Secundò ex traditionibus. Tertiò ex patrum testimoniis. Quartò ex miraculis. Quintò, quòd contrarium asserere sit vetus hæresis. Sextò à similitudine venerationis imaginum politicarum. Vident igitur, sibi obstare clarissimam Scripturæ sententiā, quòd solus Deus sit adorandus, quodq; adorationem imaginum Scriptura expressè prohibeat. Ideo testimonia illa ita eludere conantur. Quòd Scriptura, ubi dicit, Dominum Deum adorabis, & illum solum coles, exclusivam particulam addiderit, latriæ non autem adorationi: sed illam elusionem Angelus, Apoc. 19. ignoravit, qui se ideo à Iohanne adorari vetat, quia scriptum sit: Deum adora. Ignoravit illam tota antiquitas, ex cujus sententia Hieronymus dicit: Nos nec Angelos, nec Sanctos, nec Martyres, nec ipsorum reliquias, nec ullam creaturam: sed solùm Deum adoramus. Et Gregorius Magnus, prohibens adorationem imaginum, hoc ipso dicto utitur, quia scriptum sit, Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Athanasius inde probat Christum esse Deum, quia jubetur adorari. Non autem loquimur de civili, politica, seu mundana adoratione, seu reverentia, de qua suprà exempla quædam Scripturæ citata sunt: sed de adoratione religiosa, quæ in exercitiis fidei & pietatis usurpatur. Illam soli Deo deberi manifestissimum est. Cùm enim Satan postularet adorationem, Christus respondet, Dominum Deum adorabis. Quæ allegatio nihil ad propositum concluderet, si sententia non esset exclusiva. Et ne excipiatur, Satanam non esse adorandum, aliud verò esse de Sanctis, certè bonus etjam Angelus, Apocalypsis 19. & Petrus Apostolus, Actorum 10. sententiam illam exclusivè intelligunt. Ac de imaginibus non adorandis extat manifesta prohibitio Exod. 20. Quòd verò Synodus ista fingit, elusiones prohiberi tantùm, ne imagines idolorum, vel ne ipsa materia seu forma imaginum adoretur, suprà solidè refutatum est. Fundamenta adorationis in ista Synodo. Quomodo eludant dictū Deum solum adorandum. Quomodo eludat Legē, Exod. 20.

I. Audiamus verò quibus testimoniis, & ex quibus fundamentis Scripturæ, contra Scripturam adorationem imaginum Synodus ista doceat & defendat. Actione 2. dicunt, Scriptum est: Faciem tuam Domine requiram. Item vultum tuum deprecabuntur seu supplicabunt divites populi. Simulachra autem sunt facies seu vultus Dei: ergò imagines deprecationibus & supplicationibus sunt adorandæ. Si Pasquillus ita luderet, dicere-tur: Risum teneatis amici. Sed in re seria, contra expressam Scripturæ sententiam, Exod. 20. manifesta depravatione verbum Dei ita torquere, insigne est piaculum, quod habet definitivam judicii divini sententiam, 2. Petr. 3. Actione 4. allegantur pro adoratione imaginum hæc testimonia Scripturæ: Adorate scabellum pedum ejus. Item: Adorate ad montem sanctum ejus. Item: Ebr. 11. Iacob Virgam seu Sceptrum Iosephi adoravit, signum scilicet propter signatum. Sed textus Scripturæ hoc non habet, quòd virgam adorârit: sed quòd super virgam, hoc est, super baculum suum, propter imbecillitatem innixus Deum adorârit, Ebr. 11. sive, ut Hebræa habent, cum se erigere non posset, quod ad caput seu fulcrum lectuli conversus, Deum adorârit. Item, in veteri Testamento patres adorârunt Arcam & Cherubim, quæ formam hominis habuerunt: Sed falsum hoc est: non enim vel arcam vel Cherubim, sed verum Deum, qui promiserat se illo loco invocantes auditurum, adorabant. Excipiunt verò. Ergo eodem modo & nos ad imagines ipsum Deum adorabimus: Sed illi habebant mandatum & promissionē in veteri Testamento, de Deo illic adorando. Nos verò nec mandatum, nec promissionem, nec exemplum habemus, ut Deum ad statuas, seu ante imagines adoremus. Imò argumentum à simili (ut sicut in veteri, ita & in novo Testamento cultum & adorationem Dei ad certa loca, & externa symbola alligemus) refutatur ab ipso Christo, Iohan. 4. Nec in monte hoc, nec Hierosolymis, sed in spiritu & veritate Deum adorabitis. Quomodo Scripturam torqueāt ad imaginū adorationem.

Porrò deficientibus Scripturæ testimoniis, II. aliquoties repetunt illud Axioma: Quicquid in nomine Domini ad ejus honorem & venerationem fit, id non potest non sanctum, pium & Deo placitum esse. Cùm igitur imagines fiant, colantur & adorentur ea opinione, quòd homines existiment, se hoc modo Deo gratum cultum præstare, quis hoc, quod bona intentione fit, damnare audebit. Sed in scriptura habemus expressam refutationem hujus argumenti. Ex hoc enim axiomate non gentes tantùm: verùm etjam Iudæi Idololatriam suam extruxerunt, & inde eam, contra omnium Prophetarum monitiones, justificārunt. Sed Deus expressè de cultu suo dicit: Non faciatis singuli quod vobis rectum videtur. Sed quod ego præcipio tibi, hoc tantùm facias Deo tuo, non declines, nec ad dextram nec ad sinistram, nec addas aliquid, nec detrahas. Ex bona intentione. Ex traditionibus non scriptis.

Hoc verò peculiari observatione dignum est, III. cùm ipsi animadvertant, probationes illas non tàm esse confirmationes, quàm Scripturæ ludibria, ad traditiones non scriptas confugiunt, & anathemata sua, tanquam caput Gorgonis obvertunt. Nam Actione 1. anathema pronunciant in illos, qui dicunt; nisi ex veteri & novo Testamento

Universidad de Deusto
Biblioteca

mento èvidenter & satis de imaginum cultu & adoratione edocti fuerimus, non sequemur, sive patrum, sive synodorum, sive Ecclesiæ traditiones prætendantur. Et subinde inculcât quidem, adorationem imaginum esse traditionem Apostolicæ, primæ & veteris Ecclesiæ. Sed falsum hoc esse, suprà perspicuis testimoniis ostendimus. Ipsi verò simpliciter volunt, ea quæ titulo traditionum obtruduntur, etiamsi nec ex veteri, nec ex novo Testamento probari, nec ex veris primitivæ Ecclesiæ testimoniis confirmari possint, eadem fide, & pari autoritate suscipi, sicut ea quæ certa & expressa habent Scripturæ testimonia.

Ideo in definitione Synodi dicunt: Ecclesiasticas traditiones, sive scripto, sive consuetudine valentes & decretas, retinendas esse, & de earum numero esse imaginum adorationem.

IIII. Videamus verò ulterius, qua fide veterum Scriptorum testimonia ad confirmationem adorationis imaginum allegentur in ista Synodo. Constat enim totam veterem Ecclesiam per annos sexcentos & amplius, sicut suprà ostendimus, adorationem imaginũ simpliciter damnasse. Talium verò Testimoniorum antiquitatis nulla prorsus mentio fit in ista Synodo, sed alia conquirunt, quæ qualia sunt, jam ostendemus. Ex primitivæ autem Ecclesiæ patribus, usque ad annos post natum Christum trecentos & amplius, nulla prorsus de imaginibus proferuntur testimonia, sicut nec proferri possunt. Sed quomodo illa testimonia tractêt, qui post annos trecentos vixerunt, consideretur.

Quomodo patrum testimonia tractent.

Docere debebant, adorationem imaginum dogma esse Christianum & Catholicum. Ipsi verò patrum quædam testimonia, quæ de historico imaginum usu loquuntur, proferunt. Atqui manifestum est, ex historico imaginum usu non probari cultum & adorationem earum. Sed inquis, Ex Athanasio, Basilio, Chrysostomo probant, honorem, qui imagini exhibetur, ad ipsum prototypum referri. Item, una & eadem adoratione coli imaginem, & eum, cujus est imago. His testimoniis insidiosè & mutilatè propositis, non præmonitos possunt turbare: sed si consideretur illud, quod Patres in istis sententiis tractant & agunt, manifestum erit, illas allegationes Synodi, insidias, dolos, & fraudes esse. Patres enim sumunt similitudinem à politicis Imperatorum imaginibus, & à civili veneratione earum, quòd scilicet ipsis regibus judicetur factum, quicquid imaginibus ipsorum vel honoris exhibeatur, vel contumeliæ inferatur, quodq; ipsum Regem vidisse dicatur, qui imaginẽ ipsius aspexit. Nequaquam autem hanc consequentiam inde texunt. Ergo honor, cultus, invocatio & adoratio, quæ ipsi Christo debẽtur, materiali & exanimi ipsius imagini exhibenda sunt. Hæc enim sententia, ne unica quidem syllaba, in patrum istorũ Scriptis ostendi potest: sed quia hæreticis absurdum videbatur, Christum filium Dei, eodem honore, cultu & adoratione prosequendum, sicut ipsum Deum patrem, & prætendebant inde sequi, duos esse Deos. Illam igitur doctrinam Christi (ego in patre, pater in me. Qui videt me, videt & patrem meum. Vt omnes glorificent Filiũ, sicut Patrem. Qui non honorat Filium, non honorat patrem)

Honor imaginis ad prototypum.

Fraus septimæ Synodi.

veteres illi Scriptores, similitudine crassiore, & nota ab imaginibus Regum, sicut more politico tunc usitatæ erant, sumpta pro rudioribus qualitercunq; declarare voluerunt, ideo, quia Christus vocatur imago Dei, & character substantiæ ejus: Nihil autem prorsus dicunt de Christi & Sanctorum materialibus imaginibus, in Ecclesia, religione ac pietate colendis & adorandis. Nulla enim litera, nulla syllaba, nulla dictione in illis patrum locis hoc ostendi potest, loquuntur de politicis Imperatorum imaginibus, & hanc similitudinem accommodant ad Christum, qui est viva & substantialis imago æterni patris. Et in hanc sententiam Basilius dixit: honorem imagini, hoc est, Christo exhibitum, referri ad prototypum, hoc est, ad patrem, sicut Christus dicit: Qui filium non honorat, nec Patrem honorat. Videtitaque Lector, qua fide illud dictum Basilii, quod semper in ore habent, de imagine & prototypo, ad adorationem & cultum religionis, inanimatis simulachris exhibendum, torqueant. Eodem candore ex Ambrosio etjam allegant, Christum non dividi, quando in eo & divinam imaginem & crucem adoramus. Ipse enim se explicat, inquiens, se loqui de adoratione Divinitatis & carnis in Christo.

Quia verò ipsi animadvertunt, illis testimoniis veterum non probari adorationem imaginum in Ecclesia: ad suppositicia & adulterina confugiunt. Citant enim Basilium in Epistola ad Iulianum, quẽ dicere fingunt: Suscipio Sanctos, qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum meditationem propitius mihi sit Deus, & remissionem peccatorum mihi largiatur. Quam ob causam & historiis imaginum illorum honoro & palàm adoro. Hoc enim nobis traditum à sanctis Apostolis non est prohibendum: sed in genuinis Basilii scriptis, nec hoc testimonium, nec simile seu ejusdem sententiæ reperitur. Et quia contra scripturam, & cõtra unanimem totius antiquitatis sententiam pugnat: suppositicium esse non est dubium. Notus est autem cùm aliàs pernicios us ille lusus, quo recentiorũ opiniones antiquioribus, & probatæ fidei Scriptoribus falsò tribuere solent: tùm in hac ipsa Synodo aliquot ejus falsationis exempla extant. Tribuitur enim ibi Epistola quædam Gregorio Primo seu Magno, de veneratione imaginum, quam Gregorii Tertii esse constat. Magnũ enim Gregorium adorationem imaginum prohibere, suprà ostendimus. Fabula etjam recentior de passione imaginis crucifixi Athanasio ibi, sed falsò, tribuitur, sicut suprà ostendimus. Feruntur quoque Athanasii nomine quæstiones quædam ad Antiochum, ubi in 16. dicitur: Si duo ligna crucis dissolvantur, posse ea abjici & exuri etjam: si verò colligata sint, esse veneranda: Sed in 4. actione hujus Synodi manifestè deprehenditur, sententiam illam esse Leontii cujusdã, quem circa tempora Mauritii Imperatoris vixisse ibidem scribitur.

Suppositicia sententia Basilij.

Falsationes in ista Synodo.

Atque ita nec ex Scriptura, nec ex traditionib. nec ex patribus vetustioribus, probare possunt, sacras imagines esse complectendas, salutandas, osculandas, colendas, adorandas. Et argumẽtum præcipuum, quod dicitur, cultus qui exhibentur

tur imagini, tanquam signo, referri ad prototypum seu rem signatam, refutatum est ab Augustino, sive ad signum, sive ad signatum referatur. Nam de doctrina Christiana lib. 3. ca. 7. gentium signa vocat inutilia, ut quòd simulachra venerabantur, vel tanquam Deos, vel tanquam signa & imagines Deorum. Iudæorum verò signa, ut divinitus instituta, vocat utilia. Et de utrisq; concludit: Si signum utiliter institutum pro ipsa re, cui significante institutum est, sequi, carnalis est servitus, quantò magis inutilium rerum signa instituta, pro rebus accipere. Quæ signa si retuleris ad ea ipsa, quæ his significantur, eisq; colendis animum obligaveris, nihilominus servili carnalisq; onere atq; velamine non carebis. Et cap. 8. dicit: Christiana libertas, Iudæos sub signis utilibus inventos, ad res signatas elevatos, liberavit. Gentes verò ab Idolis ad unius Dei cultum convertit, non jam sub ipsis etjam utilibus signis servituras, sed exercitaturas potius animum in eorum intelligentia spirituali. Cap. 9. de Sanctis veteris Testamenti: Quia venerati sunt divinitus instituta, sed quorum vim significationemq; intelligebant, non hoc veneratos quod videtur: sed illud potius quò talia cuncta referenda sunt. Tempore verò novi Testamenti, quo resurrectione Domini libertas nobis illuxit, ne talium quidem signorum, quæ intelligimus, operatione operati sumus: sed quædam pauca pro multis, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicut est Baptismi Sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Domini. Hæc Augustinus, quæ simpliciter evertunt præcipuum Iconolatrarum fundamentum.

Augustini responsio de signo & signato seu prototypo.

V. Tandem igitur ad miracula confugiunt, quæ per imagines edita finguntur, & quod ipsi Sancti, quorum sunt imagines, mulierculis apparuerint, & illas apud imagines auxilium quærere jusserint, sicut quædam suprà ex Actis illis descripsimus. Et Marcum quendam fabulantur, crucem argenteam fabricasse, cumq; illam erigeret, tres in ea imagines per se enatas apparuisse, & Hebraica dialecto scriptum fuisse in superiore parte Emanuel: utrinque verò in summitate alarum, Michael & Gabriel. Et Ducem quendam visis illis imaginibus, cùm virtutem quandam in his esse cognosceret, protinus crucem adorasse. Huc pertinet etjam fabula, quam ex Damasceni vita Andradius narrat: Fuisse scilicet Damasceno, eò quòd adorationem imaginum defenderet, dextram manum, procurante Leone, abscissam. Ipsum verò ad virginis Dei paræ quandam imaginem confugisse: ab illa, cujus causa in tantam calamitatem esset conjectus, opem atq; auxilium deposcentem maximisq; precibus contendisse, ut stupendo aliquo miraculo declararet, causam quam defenderet piam & justam esse. Et ecce, inquit, in somno manus ipsi subitò restituta est, & in somnis cœlitus sibi admoneri visus est, ne à defensione adorationis imaginum desisteret. Talia multa prodigia in 4. & 5. Actione recitantur. Sed quis fidem præstabit, illa non esse fabulosa & conficta? Partim enim ex Martyrologiis, & ex Vitis Patrum, quæ scripta Apocrypha esse, ipse Gelasius pronunciat distinctio. 15. citantur: partim circa tempora fabulosæ hujus Syno-

Ex miraculis imaginũ.

Fabula de Damasceno.

Martyrologia & Vitæ Patrum apocrypha.

di contigisse finguntur. Cumq; dogma de adoratione imaginũ novum sit sine authoritate scripturæ, & absque veris primitivæ Ecclesiæ testimoniis, superstitiosè invectum, Scriptura diserte præmonet, ne ad suscipiendum novum dogma, vel signis vel prodigiis nos promoveri patiamur. Hoc enim prætextu solere Satanam mendacia & falsa sua dogmata spargere, Deuteron. 13. Matth. 24. 2. Thessalo. 2. Et veritatem Deus non vult à mortuorum spectris, sed ex Lege & testimonio inquiri, Esaiæ 8. Lucæ 16. Et Gentes de Idolis suis similia, aut majora etjam miracula magno numero proferunt, sicut ea describit Lactantius libro 2. cap. 8. Quod si absq; Scriptura, & contra Scripturam, ex solis prodigiis, de cultu Dei statuendum esset, jam dudum vicisset Ethnica religio.

Prodigia nõ faciunt dogmata.

Porrò utuntur & hoc argumento: Quòd vetus sit hæresis, damnare adorationem imaginũ. Enumerant autem Gentiles, Ebræos, Samaritas, Manichæos, Xenajam, &c. Ridiculum autem est vel fingere, Paganorum & Samaritanum hæresin fuisse, non adoranda simulachra, cùm illam ipsa ob causam, in Scriptura damnentur, quòd simulachra coluerint & adorârint, Ebræi verò ex Lege divina adorationem imaginum damnârunt: Quia Scriptum est, Non adorabis nec coles ullas imagines. Gentes verò in sua idololatria confirmatas, & Iudæos à fide Christiana inde absterritos, quòd viderent, Christianos imagines colere & adorare, suprà ostendimus. De Manichæis nullæ historiæ tradũt, ipsos aversatos imagines: sed contrarium suprà ex Augustino ostendimus, sicut etjà de Xenaja suprà diximus. Quod si qui vel in contumeliam Christi, vel ad stabiliendum Marcionitarum & Manichæorum phantasma, historicum imaginum usum consurcârunt, illi propter opinionẽ impiã meritò dãnantur. Nec tamen ulla ratione inde sequitur, imagines esse colendas, & adorandas.

VI. Qui damnavint adorationem imaginum.

Postremò locum similium fæpissimè urgent, Si, ajunt, in rebus hujus seculi probantur, & grata sunt signa illa dilectionis, desiderii, & reverentiæ, quando liberi parẽtum καμήλια, sponsa munuscula sponsi, subditi imagines, literas, sigilla Regum honorant, osculantur, venerantur: Cur igitur Deo non esset gratum, sacras imagines complecti, osculari, salutare, colere, & adorare? Item Actione prima: Si Imperatorum vexillis & imaginibus in Provincias missis, populus cum cereis & suffimentis odoratis occurrit, quantò justius est, hoc fieri Christi & Sanctorum imaginibus. Et Actione 4. dicitur, hoc fieri Symbolicè.

VII. A simili.

Sed responsio plana, firma & solida est. De cultu Dei tu Dei in Ecclesia, ex solo verbo Dei, & non ex hujus mundi consuetudinibus & ratiocinationibus, esse statuendum. Verbum Dei autem non docet, Imagines colendas & adorandas esse, sed simpliciter edicit: nullam similitudinem, sive eorum quæ in cœlis sunt, sive in terris, sive sub terris, adorandam & colendam esse. Et diserte dicit, cultus qui Deigloriæ debentur, non esse imaginibus communicandos. Esa. 42. Gloriam meam altari non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Contra hæc manifesta & firma scripturæ funda-

De cultu Dei non statuendum ex similitudinibus huius seculi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

menta nullæ in contrarium vel admittendæ, vel recipiendæ sunt argumentationes.

Et quàm ineptæ, frigidæ, & frivolæ, fabulosæ, commentitiæ, & falsæ fuerint totius istius Synodi argumentationes & actiones, ad probandam & confirmandam adorationem imaginum, ideo per partes ostendere volui, ut Lector inde statuat, quantum fidei & authoritatis definitioni hujus Synodi, de colendis & adorādis imaginibus, tribuendum sit. Et ex 6. Actione apparet fuisse in ipsa Synodo, qui historicum imaginum usum recipiendum, adorationem verò earum recusandum esse judicârunt: Sed major pars vicit meliorem. Et Gregorius Neocæsarienſis, qui anteà adorationem imaginum damnârat, in ista Synodo ad Palinodiam adactus, dicit: Quandoquidem universus iste cœtus idem loquitur & idem sentit, didici & ego atque instructus sum, quòd hæc sit veritas, quæ nunc existimatur & prædicatur. Germani etjam quædam epistola hanc affert rationem, cur retinenda sit adoratio imaginum, ne scilicet dicatur ipsos hucusq; errasse. Et in fine 5. Actionis, Legati Romani Pontificis ita concludunt: Iustum censemus, ut in medium nostri veneranda imago afferatur, quam osculantes sancti vos Sacerdotes, quid de ea fieri debeat pronuncietis. Et factum est ita, ac non multò post secuta est definitio Synodi, esse adorandas imagines. Atque hæc fuerunt documenta, hæc fundamenta adorationis imaginum in ista Synodo, quæ qualia sint, cùm manifestũ sit, non opus est prolixa refutatione.

Quantum tribuendum isti Synodo.

DE SYNODO FRANCOFORDIANA, in qua Acta 7. Synodi justa refutatione rescissa, & adoratio imaginum improbata & damnata est.

SEptima tamẽ ista Iconolatrica Synodus, propter superstitiosam & impiam, de adorandis imaginibus, sententiam, & propter ineptas, & vanas, & falsa documenta, non ab omnibus Ecclesiis comprobata & recepta fuit: sed à multis publicè fuit reprehensa & damnata. Adrianus enim Pontifex, per Legatos suos, acta istius Synodi ad Carolum misit, ut ea Episcopis Germaniæ & Galliæ approbanda proponeret. Atque hac de causa Synodus Francofordiana à Carolo convocata fuit. Hoc verò loco observanda est insignis fraus Scriptorum Pontificiorũ, qui scribere non verentur, in Francofordiana illa Synodo, Felicianam hæresin, de non adorandis imaginibus, damnatam, atq; ita septimam istam Synodum receptam & approbatam ibi fuisse. Sed falsarium hoc esse, luce clarius est. Damnata sanè fuit hæresis Feliciana in Synodo Francofordiana: verùm ea non fuit de imaginibus, sed docuit, Christum secundum humanitatem esse adoptivum Dei Filium, sicut acta ostendunt.

Acta 7. Synodi mittũtur ad Carolum Magnum.

Nota fraudẽ de Feliciana hæresi.

Porrò in Francofordiana illa Synodo, controversiam etjam de imaginibus disceptatam & definitam fuisse, inter omnes constat: Sed illi, qui Pontificum vitas descripserunt suppressis Francofordiani Concilii actis, finxerũt, ibi septimam Iconolatricam Synodum, & adorationem imaginum receptam & approbatam. Alii verò graves Historici, ut Eginardus, Regino, Adon, Antonius, Blondus, Aventinus, Himmarus scribũt contrarium: Adorationem scilicet imaginum in Synodo Francofordiana sub Carolo damnatam, Græcorum istam Iconolatricam Synodum destructam, acta ejus rescissa, & statutum, ut nec septima, nec universalis, sed Pseudosynodus diceretur, & conscriptam ibi istius Pseudosynodi justam refutationẽ, quæ sub Caroli nomine edita fuerit. Sed acta illa Francofordiana à Pontificiis hactenus ita suppressa fuerunt, ut hoc tantùm constiterit, sub nomine Caroli aliquid de imaginibus Francofurti conscriptũ fuisse. Pontificiis verò vociferantibus in defensionem adorationis imaginum, & approbationem septimæ Synodi hoc factum: aliis autem historicis contrarium affirmantibus, res dubia & incerta manſit, nisi quod vulgò persuasum fuit, adorationẽ imaginum tunc ab Ecclesiis Germaniæ & Galliæ etjam receptam, & contrariũ sentientes damnatos ibi fuisse. Sed ante paucos annos libri illi Caroli Magni, continentes acta Synodi Francofordianæ, de imaginibus, in Gallus ab Episcopo Tilio editi sunt, ex quibus Scriptores Pontificii de crimine falsi manifestè convincuntur, Episcopi enim Germaniç & Galliæ in Francofordiana Synodo nequaquã, sicuti Pontificii fingũt, septimã istam Synodum approbârunt, adorationem imaginum nullo modo receperunt, sed Pseudosynodum illam abdicârunt, adorationem imaginum magno, pio, & justo zelo damnârunt, & aliquot libris acta Pseudosynodi istius refutârunt.

Acta Francofordiana suppressa.

Libri Caroli de imaginib. editi.

Cumq; apud Græcos duæ contrariæ habitæ fuissent Synodi, quarum altera Constantiniana, simpliciter ipsas imagines, & quemvis earum usum damnabat: altera Nicena secunda, imagines non tantùm habendas: sed colendas & adorandas statuebat: Francofordiana Synodus, inter duo illa extrema, mediũ sequitur, & aliquoties dicit, Non simpliciter abdicamus effigies ob memoriam rerum gestarum, & ob venustatem basilicarum: ornditas, si fiant ad ornamentum, vel ad res gestas monstrandas, cùm sciamus per Mosen & Salomonem factas: sed earum insolentissimam, vel potius superstitiosissimam adorationem cohibemus. Cultum enim & adorationem imaginum simpliciter damnant. Non sunt, ajunt, imagines adorandæ, non colendæ: sed tu solus adorandus, tu solus sequendus, tu solus colendus es, qui in unitate substantiæ cum Patre & Spiritu sancto perpetim regnas. Item: Qui vult vitam, & cupit videre dies bonos, non imagines adorare, nec picturam colere debet: sed declinare à malo. Item: Quomodo præsumemus rem insensatam adorare? Quis tale facinus perpetrare audebit? Et rationẽ reddunt: Quia adoratio imaginum nullo dicto aut exemplo Apostolorum probari potest. Nam omni omnium rerum adoratione inhibita, solius Dei adoratio instituitur ab Apostolis. Item: Nulli Patriarchæ, nulli Prophetæ, nulli Patres imagines adorasse leguntur: sed solum Deum colere, & ipsum adorare ac glorificare, tota Scriptura clamat. Et quòd Patres primitivæ Ecclesiæ prohibuerint adorationem imaginum, ex Epiphanii Epistola ostendunt, & ex Augustino probant, qui imaginum

Francofordiana Synodus imagines concedit.

Sed adorationem earũ damnat.

num adoratores inter hæreticos Simonianos & Carpocratianos numerat.

Dignum autem est observatione, quomodo & ex quibus fundamentis Germanici & Gallici Episcopi argumenta secundæ Nicenæ Pseudosynodi refutarint. Et justæ quidem ac prolixæ refutationes extant in libris illis Caroli Magni: nos verò hoc loco præcipua tantùm capita refutationum annotabimus, ut ad ea, quæ superius ex actis Pseudosynodi notavimus, conferri possint. Primò igitur rectè dicunt, quod illa testimonia, quę ex Scriptura & patribus verè & rectè citat Pseudosynodus, nihil aliud probent, quàm imagines posse haberi, vel ad usum historicum, vel ornatus gratia. Nullo verò modo inde probari, imagines esse colendas & adorandas. Et tamen illum ipsum historicum usum accuratis limitationibus intra certas metas circumscribunt. Verus inquiunt, decor Ecclesiæ seu Domus Domini non in materialibus imaginibus, sed in virtutibus spiritualibus refulget. Paulus enim, Antonius, Hilarion, & alii, imagines non habuerunt, & tamen decorem Domus Domini dilexerunt. Item, imagines non volunt æquiparari libris divinæ Scripturæ. Hæc enim arcano ac prænago Dei consilio prædestinata, & ad humanæ salutis emolumentum patefacta est. Imagines verò Gentilium authorum vanitate sunt probatæ, & nullam salutis exhibitionem adducunt. David enim ad agnitionem Christi, per legem, non per imagines pervenire, anhelabat, cùm ajebat, revela oculos meos. Item mysteria fidei non in picturis, sed in divinis literis sunt investiganda, & fide potius quàm oculis intuenda. Quodq; dicitur, in picturis virtutes conversationis Sanctorum videri, hoc Francofortensis Synodus negat. Dicit enim, fidem, spem, charitatem, & reliquas virtutes esse invisibiles, Imitationem verò à Paulo ita præscribi: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Esse igitur Apostolicam traditionem, non in picturis, sed in virtutib. Sanctorum conversationem videri posse, & eo. um imitandam esse fidem, non imaginum fucis, sed operibus bonis. Addunt & hoc: Vetus Testamentum plenum fuisse præfigurationibus, quæ opertæ fuerunt typicis umbris, & significationibus futurorum: Novum verò Testamentum habere figurarum impletionem & veritatẽ spiritualem. Non itaque consequens esse, si vetus Testamentum habuit figuras, arcam, Cherubim, Serpentem, &c. Ideò necesse esse, ut novum Testamentum habeat imagines. Imò multitudine imaginum conditionem novi Testamenti deteriorem reddi, quàm fuit veteris, ubi figuræ divinitus institutæ fuerunt, non sicut nunc imagines ab hominibus excogitatæ.

Historicus usus imaginum.

Limitatio historici usus.

Secundò ostendunt, Pseudosynodum, ad probandam adorationem imaginum, quædam dicta Scripturæ falsò allegare, ut quod dicunt, Iacobum adorasse virgam seu sceptrum Iosephi. Item, Patres in veteri Testamento adorasse Arcam, Cherubim, montem sanctum, &c. cùm textus Scripturæ hoc non dicat. Solum enim Deum adorarunt.

Tertiò demonstrant, multa peregrina scripturæ dicta, violenter ad adorationem imaginum detorta, quæ picturis nihil prorsus dicant. Vt: Faciem tuam requiram, Vultum tuum deprecabuntur. Et quæ præterea suprà notavimus.

Quartò indicant, multa apocrypha, supposititia & falsa, sub nomine & titulo Patrum allegari, ut epistolam Iesu ad Abgarum, & alia multa.

Quintò ostendunt, ad adorationem imaginum falsò detorqueri quædam Patrum dicta, quæ vel de historico imaginum usu, vel de politicis Imperatorum imaginibus, vel de Christo, qui est imago Patris, in qua ipse Pater videtur, loquuntur.

Sextò decretum faciunt his verbis, Si quis cum Pseudosynodo dicat de pictura, hoc est Christus, is proculdubio mentitur, peccat, & insaniens scelestè agit.

Septimò rejiciunt & illud, quòd Pseudosynodus præterndit, per imaginem Dei fortitudinem adorari, & dicunt: Deus non est quærendus in imaginibus, nec adorandus in depicta tabula.

Octavò reprobant & hoc, quòd Pseudosynodus decernit, osculationem, complexum, & adorationem idem esse, cùm adoratio longè aliquid majus sit quàm reverentia imò quàm ipsa deprecatio. Et contendunt dictum illud Scripturæ, Dominum Deum tuum adorabis, exclusivè intelligendum, contra Pseudosynodum.

Nonò, repudient & illum prætextum, quo Pseudosynodus plurimum utitur: Honorem scilicet imagini exhibitum referri ad prototypum, Quia Christus non dixit: Quæ imaginibus, sed quæ uni ex minimis meis fratribus fecistis, mihi fecistis. Item non dixit, Qui imagines, sed qui vos recipit, me recipit.

Decimò, quòd Pseudosynodus adorationem imaginum inde conatur probare, quia Abraham filios Heth, Moses Iethronem, adorasse scribitur. Ad hoc Francofordiana Synodus ita respondet: Aliud est hominem adorare, hoc est, salvationis officio, & humanitatis ac reverentiæ obsequio salutare, aliud picturam adorare. Fraternitatem enim, dilectionem & reverentiam erga proximos exhibendam, Scripturarum docemur exemplis, imagines verò adorare vel salutare exhibemur, Exod. 20.

Vndecimò, de miraculis imaginũ respondent: Ea nulla habere, vel veteris Testamenti, vel novi testimonia, sed esse incerta, dubia & falsa.

Duodecimò, quando veteres de cruce Dominĩ magnifica prædicant, dicunt significari non lignum, sed totum opus Christi in cruce peractũ, deinde etjam afflictiones piorum.

Decimotertiò, quia Pseudosynodus Sacramento corporis Christi comparaverat imagines, & earum dedicationem, Respondent Germani, Eucharistiam à Christo institutam, & per invocationem nominis divini confici. De imaginibus verò, vel per impositionem manuum, vel mysterio aliquo consecrationis dedicandis, nullum traditum esse verbum.

Decimoquartò dicunt, ridiculum esse imagini oculos habenti & nihil cernenti lumen offerre.

Hæc capita, quæ præcipua sunt, ideo breviter hoc loco annotare volui, ut ad argumenta τῶν ἐικονολάτρων, quę sup. ex actis excerpsimus, con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ferre posint, ut quæ ex consideratione fundamentorum dijudicari possit, cujus Synodi sententia vera sit.

DE CERTAMINE CLAVDII ET IONÆ, anno Domini 840. Quod & Ecclesiæ Germaniæ & Galliæ diu abhorruerunt ab adoratione imaginum, & quomodo tentata fuerit inclinatio.

CElebrata autem fuit Synodus Francofordiana anno Domini 764. qua aliquo modo cohibita fuit controversia de adoratione imaginum. Nam Haimo & Rabanus, qui non longè post illa tempora scripserunt, nihil de illa controversia habent, quòd imagines sint adorãdæ. Quia verò Romani Pontifices in superstitiosa sua opinione persistebant, varia hac de re mota fuerunt certamina, etiam postea, tam in Latina, quàm in Græca Ecclesia. Ludovicus enim Caroli filius, in aula sua habuit presbyterum quendam, Claudium nomine, quem, quia in explanandis Evangeliorum ad populum lectionibus, peculiari dono à Deo instructus erat, ad Italicam plebem, quæ ab Evangelistarum sensibus procul aberat, misit, & Taurinensi Ecclesiæ præfecit. Ibi verò videns, populum Italiæ, superstitiosæ, imo perniciosæ imaginum adorationi, qua plurimum incolæ istarũ partium ex inolita consuetudine laborant, deditum esse: Imagines delevit, evertit, & penitus abdicavit. Hæc ad verbum de ipso scribit Ionas adversarius eius. Abbas verò quidam Theodomirus se Claudio opposuit, ad quem Claudius scripsit libellum contra adorationem imaginum. Cumq; libellus ille dijudicandus, à Ludovico missus fuisset ad Ionam Aurelianensem Episcopum, is sive sponte, sive à Pontificiis instigatus, contra Claudium pro imaginibus scribere tẽtavit. Sed vivente Ludovico & Claudio continuit se. Post mortem verò utriusq; tres libros contra Claudium edidit, circa annum Domini 840. Vnde argumenta quædam Claudii colligi possunt, quanquam Ionam verba Claudii non candidè recitare manifestum est. Ex Claudii verò verbis, & ex Ionæ responsionibus multa observatione digna colliguntur, quales fuerint in Italia & Græcia superstitiones circa imagines, & quàm alienæ tunc adhuc fuerint Germanicæ & Gallicæ Ecclesiæ ab adoratione imaginum, quomodo verò sensim eò retrahi cœperint.

Claudius.

Ionas.

Adoratio imaginum in Italia.

Claudius igitur cultum & adorationem imaginum in Italicis Ecclesiis juxta Francofordianam Synodum reprehendit. Et statim, inquit, aperuerunt omnes (in Italia scilicet) ora sua ad blasphemandum me, & nisi adjuvisset me Dominus, forsan vivum deglutissent me. Et Ionas adversarius respondens, non audet adorationem imaginum defendere, sed dicit ex Gregorio, picturas sanctarum rerum gestarum, non ad adorandum, sed solummodo ad instruendas nescientium mentes in Ecclesiis permissas esse. Et ex Origene adducit Testimonium: Imagines nec affectu colendas, nec externa specie adorandas. Ex Hieronymo etiam in expositione Danielis, de tribus pueris in Babylonia, hoc dictum citat: Ergo judices & principes seculi, qui Imperatorum statuas & imagines adorant, hoc se facere intelligant, quòd tres pueri facere nolentes, Deo placuerunt. Adducit etiam hoc ex Fulgentio: Quia ipse Deus sibi soli præcipiens tantummodo serviendum, sicq; jubens à fidelibus adorandum, prorsus interdixit, ne quis audeat Creaturam adorare, Creaturæ servire, ideò in fine præcepti dicit: Non adorabis ea, nec servies eis. Ex Lactantio etiam citat, Nihil colendum quod oculis mortalium cernitur. Item, nihil aliud adoremus, nihil colamus, nisi solius parentis nostri unicum nomen, qui non in ima, sed in summa potius regione quærendus est.

Gregorius.

Hieronymus.

Fulgentius.

Lactantius.

Porrò scribit Claudius, adoratores imaginum ad errorem suum muniendum respondisse: Non putamus imagini, quam adoramus, aliquid inesse divinum: sed tantummodo pro honore, cujus effigies est, tali veneratione eam adoramus. Et Ionas respondens, dicit: idipsum etiam nonnulli Orientalium, qui eodem sceleratissimo mancipantur errori, objurgãtibus respondere solent. Nos verò hoc unà tecum reprehẽdimus, inquit, & detestamur, Tribuat Dominus, ut aliquando & isti & illi ab eadem eruantur superstitione. Dixerunt etiam adoratores imaginum, legem Exod. 20. tantùm de similitudinibus Deorum alienorum loqui, sed Claudius ostendit, legem generaliter loqui. Et Ionas respondens, dicit: Verum est, sanæq; fidei congruentissimum, nullam prorsus similitudinem faciẽdam, cui cultus aut adoratio, quæ soli Deo debetur, quodammodo exhibeatur. Fuit & hoc Claudii argumentum: Cùm opera manuum Dei non sint adoranda & colenda, quantò magis opera manuum hominum non sunt adoranda & colenda, prorsus nec in honore eorum, quorum similitudines esse dicuntur. Et Ionas respondens dicit: In hujus sententiæ sensu nobiscum sobriè sapis.

Prætextus adorantium imagines.

Orientales adoratores imaginum.

Quid igitur Ionas in Claudio reprehendit? Hoc verò diligenter observetur. Primò enim hoc reprehẽdit, quòd Claudius ob adorationem ipsas imagines deleverit, everterit & penitus abdicarit, cùm potius debuisset Gregorium ad Serenum Massilienſem, imò Paulum sequi, qui Athenis aras idolorum non destruxit, sed ratione ignorantiam redarguit, veritatem monstrans. Secundò reprehendit Ionas hoc, quòd Claudius simpliciter ipsas imagines damnare videatur. Dicit enim: Sinãtur à te in Ecclesiis depingi imagines Sanctorum, & historiæ Sanctorũ operum, non ut adorentur, sed potius ut quandam pulchritudinem reddant, & præteritarum rerum memoriam sensibus imperitorum ingerant. Et postea addit: Gallia utiq; imagines sanctorum ob præmissas causas, & habet & habere finit: Eas verò adorari, magnæ detestationi & abominationi habet. Item: Nos figmenta & imagines non colimus, imagines tamen & habemus, & non habentibus non præjudicamus. Et postea: Nonne Galli atq; Germani, cuicunque picturæ adorationem non solùm deferre detrectant, sed & adorantib. libera voce resultant, eosq; quanta possunt invectione redarguunt, &, ut ad sanitatem redeant, toto conamine elaborant? Atque hoc testimonium de Ecclesiis Galliæ & Germaniæ diligenter observetur. Imò Nicetas libr. 2. in vita Isaaci Angeli

Galli & Germani habuerunt imagines, sed non adorarunt circa annum 850.

Alemannis adoratio imaginum interdicta circa annum 1160.

Aurelianensis Ionas extentat adorationem imaginum.

geli scribit, adhuc tempore Friderici Barbarossę, circa annum Domini 1160. Alemannis sacrarum imaginum adorationem interdictam fuisse. Hactenus igitur Ionas non malè disputavit.

Tertiò autem incipit adorationem imaginum extenuare. Illi, inquit, qui nimio & indiscreto amore, ob honorem Sanctorum, eorum imaginibus supplicant, nescio an temerè idololatræ sint vocandi, cùm Trinitatis fidem credant, videntur potius ab hac superstitione, adhibito rationis moderamine revocandi. Item, licet in cultu & adoratione imaginum, ignorantia fallente aliquid temporis insumpserint, nullo tamen pacto ab unitate fidei defecisse, & ad idola conversi esse, credendi sunt. Non igitur hujusmodi error tam granditer & indiscretè sordibus anathematum comparandus, sed temperato sermone ignorantiæ deputandus fuisset.

Quartò Ionas à Francofordiano decreto discedens, rursus dehabitur à Pseudosynodi distinctionem, de adoratione latriæ & duliæ, atq; adorationem imaginum prius extenuatam incipit obliquè palliare. Et Sanctorum quidem corpora seu reliquias, tanquam templa sancti Spiritus, pio amore amplectenda & honoranda dicit, non tamen externos adorationis gestus materialibus Sanctorum imaginibus tribuere audet: sed tantùm de ligno schemate crucis facto, seu de cruce picta disputat, & illam cõtendit venerandam, colendam & adorandam, non tamen cultu, qui solius divinitatis est, sed honoraria salutatione, in recordationem Christi Salvatoris. Ita sensim & paulatim adorationes imaginum cœperunt rursus Ecclesiis obtrudi. In illa verò Ionæ disputatione præcipuè hoc observandum est, cùm Paulus & Patres, vocabulo crucis, non lignum vel picturam, sed totum mysterium Redemptionis à Christo in cruce peractæ, deinde etiam afflictiones piorum, intelligant, sicut & Francofordiana Synodus ostendit, unde Paulus dicit, se gloriari in cruce Christi. Et Chrysostomus, crux nobis totius beatitudinis causa est. Item, Crux spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cœcorum dux, spes desperatorũ, devictio diaboli, &c. Ionas illa Encomia crucis omnia ad lignum seu picturam crucis refert ac declamitat: Tu igitur crucem non adorabis, quæ totius beatitudinis nobis causa est? Te Paulus antea depinxit, ubi inquit: Cavete eos, de quibus sæpe dicebam vobis, nunc autem flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, &c. Sed manifestus & palpabilis & sophisticus paralogismus est. Non enim de Christo Redemptore, & de mysterio Redemptionis in cruce peractæ, controversia erat: sed de duobus lignis schemate crucis compaginatis, seu de cruce picta. Et si signum illud commonefactionis gratia usurpetur, suprà Cyrilli verbis veteris Ecclesiæ sententiam exposuimus. Sed quia Ionas contendebat, lignum seu picturam crucis adorandam, ideò quòd in tali forma ligni Christus olim passus esset, Claudius oppositum, eadem ratione adorandas esse virgines, quia virgo peperit Christum, adoranda præsepia, pannos, quia involutus pannis, in præsepio reclinatus fuit, adorandas spinas, arundines, lanceas, quia & hęc fuerunt instrumenta passionis Christi, imò adorandas asinas, quia Christus Rex justus & Salvator, asello vectus, urbem ingressus est. Idem dicit, Christus jussit crucem portare, non adorare. Illi volunt adorare, sed non volunt portare. Et Ionas in responsionibus tonat quidem & fulminat, sed fulgur ex pelui, & ex fulgore fumum. Nihil enim ad rem dicit, quare scilicet duo ligna, si transversim compingantur, sint adoranda. Ita ergo post Francofordianam Synodum, post annos circiter 50. tentata rursus fuit quędam inclinatio apud Gallos, ad cultum imaginum: Germaniam verò etiam diu post circa annum 1160. adorationẽ imaginum adhuc damnasse, ex Niceta ostendimus.

Adoratio ligni crucis primum tentata à Ionа.

Quid crux S. Paulo & Patribus.

CERTAMINA IN GRAECA ECCLESIA, etjam post septimam illam Iconolatricam Synodum.

IN Græca verò Ecclesia, post celebratam septimam illam Synodum, per annos fermè centum continuos, magnæ turbæ, dira certamina, & sævę persecutiones, proprer controversiam illam de imaginibus, extiterunt. Decretis enim & documentis septimæ istius Synodi, conscientiis nequaquam satisfactum erat. Et Constantinum ipsum, sub quo pupillo, celebratum fuerat istud Concilium, decreta eius postea rescidisse, suprà diximus. Postea Zonaras scribit, Michaelẽ secundum, multos, qui certamen contra adorationem imaginum, revocare tentabant, mulctasse. Monacho verò, qui imaginem Mariæ eraserat, lingvã præcidisse. Leo verò Armenius circa annum Domini 814. magna sævitia bellum contra imagines renovavit. Monachi enim plerique, clamabant, adorationem imaginum esse idololatriam & ex aulicis præcipui favebant Iconomachis. Decretum itaq; Leo proposuit, imagines omnes esse tollendas. Nicephorum Patriarcham relegavit, & adversus alios Iconolatras magna sęvitia usus est. Et tamen filius Constantinus exactus, cùm vocem amisisset, ad Gregorii Theologi statuam confugit, ut vocem recuperaret. Michael verò Balbus multos Episcopos, ob venerationem imaginum, in exilium misit, quosdam flagris cæsos occidit, circa annum Domini 824. Filius eius successor Theophilus bellum illud contra imagines continuavit majori sævitia, quàm superiores Imperatores, nec tantùm cultores, sed & pictores imaginum persecutus est, & multos crudeliter excruciatos partim mutilavit, partim interfecit. Mulierculæ verò, ut vxor & socrus Imperatoris, clàm habebant & colebant imagines. Cumq; socrus filiolis Imperatoris ostenderet imagines, admovens eas capitibus eorũ, ut assvefierent clam imagines osculari & adorare, minima filiarum balbutiens Imperatori dixit, aviam in cistella pulchras pupas habere, quas ipsis osculandas præbuerit. Idem morio aulicus dixit, cùm apud Imperatricem imagines vidisset. Quamobrem ab Imperatore reprehensæ fuerunt mulierculæ. Post Theophili mortem, uxor Theodora, tutorio nomine filii Michaelis imperium administravit, apud eam Monachi institerunt, & impetraverunt, ut imagines publicè & restituerentur & adorarentur. Ac rursus Iconomachi ab Icono-

Tubæ apud Græcos de imaginibus.

Constantinus.

Michael.

Leo Armenius.

Constantinus filius.

Michael Balbus.

Theophilus.

Morio imaginem vocat puer.

Theodora.

Universidad de Deusto. Biblioteca

Michael. Iconolatris pulsi, cæsi, mutilati. Filius verò Michael, remota matre, suscipiens imperium, per Bardum Iconolatras vicissim dejicit, Pontifex Romanus Nicolaus Legatos suos mittit Cõstantinopolim contra Iconomachos, sed illos persuasos, Bardus in suam sententiam deducit. Hęc Zonoras de Græcis Imperatoribus.

Nota de legatis Roman. Pontificis.

De octava Synodo memorabilia.

Cùm verò Nicolaus Pontifex, Legatorũ suorum Acta, de confirmatione Photii, & depositione Ignatii, præcipuè verò de imaginibus rescidisset, Adrianus postea apud Basilium successorem Michaelis perfecit, ut Constantinopolin convocaretur Synodus, quam octavam universalem appellarunt, circa annum Domini 870. In Tomis Conciliorum aũt acta illius Concilii non extant, & Zonaras, Patronus adorationis imaginum, ejus nullam facit mentionem. Quidam scribunt, non conveniſſe ibi inter Græcos & Latinos, atq; ideò fine fructu discessum. Pontificii verò scriptores dicunt, Græcos in illo Concilio adorationem imaginum approbasse. Liber Pontificalis dicit, Adrianum Legatis suis, quos ad celebrandum illud Concilii miserat, tradidisse libellum in quo de primatu Romanæ Ecclesiæ, & de cultu imaginum præscriptum erat, ac mandasse, ne quem ex Græcis ad Synodum admitterent, nisi priùs isti libello subscripsisset. Hujus Synodi Canones collegit Caranza, sed fatetur Codices ita depravatos fuisse, ut noluerit eos describere, sed Epitomen tantùm proponere. Ex his omnibus de authoritate illius Concilii judicetur. Actione igitur octava scribuntur repetiti anathematismi septimę Synodi, & Iconomachi quidam conversi & recepti.

Andradij historia ex 8. Synodo.

Andradius recitat inde hanc historiam: Quod Theodorus quidam Iconoclasta ibi ostenderit, se non historicum usum imaginum, sed tantùm adorationẽ earum improbare. Dixit enim, nummum sibi ab Imperatore Basilio donatum, continentem eiusdem effigiem, in magno se precio habere. Patres verò conabantur ipsi persuadere, ut Christi etiam ac Sanctorum imagines coleret, & adoraret. Sed ipse respondit, non prius se hoc facturum, quàm sibi ea de re Christi præceptum fuisset ostẽsum. Ibi verò quidam ex illis, qui conversi dicebantur, locum editum conscendens, anathematizavit hęresin Iconomachorũ & Theodorum illum. Hęc scilicet fuerunt documenta. Postea Basilius Imperator, illos qui adorationem imaginum receperant, amplexus dixit: Nunc erepti estis à diabolica possessione, & facti estis veri Christiani, & vita æterna digni. Nam nisi hęresin illam anathematizassetis, Christus vobis nihil prodesset. Quæ profectò horrenda vox est, damnans omnes sanctos veteris & novi Testamenti, ac totam primitivam Ecclesiam, à quibus omnem adorationem & cultum imaginum, magno zelo damnatum fuisse, suprà multis ostendimus.

Stabilita ad oratio imaginum in 8. Concilio.

Tertius etjam Concilii illius Canon, sicut à Caranza describitur, imagines adorandas decernit, illo honore, sicut liber Sanctorum Evangeliorum honoratur, & typus preciosæ crucis colitur. Ratio hæc additur: Quia sicut per Syllabarum eloquia, quę in libro feruntur, salutem consequuntur omnes: Ita etiam per imagines & sapientes, & idiotas utilitate perfrui. Ea enim quæ sermo in syllabis, eadem & pictura in coloribus prædicat & commendat. Item, quia secundum congruentiam rationis, honor qui debetur principalibus, perivativè etiam imaginibus tribuitur. Tertiò dicunt, esse antiquissimam traditionem.

Hæc in superioribus sunt explicata & refutata. Sed efficacia erroris prævalescente, tandem veritas succubuit. Et post hæc tempora in Græca Ecclesia non admodum amplius publicè pugnatum fuit contra adorationem imaginum. Sub Basilio enim Imperatore, sicut scribit Zonaras, Dux quidam Andreas literas Agaenorum, denunciantes bellum cum illa blasphemia: Nihil Christianis profuturum Marię filium, suspendit de imagine matris Dei, addita hac oratione, Domina redde homini arroganti præmium sui fremitus. Et sub Leone circa annum Domini 900. aulicus quidã ex voto suscepit peregrinationem ad crucem Sirichanam. Sub Romano Zonaras dicit, imaginem Christi Abgaro missam, Edessa Constantinopolin translatam, circa annum Domini 940. De ulterioribus temporibus nihil attinet dicere, Zonaras enim & Nicetas scribunt, pro hæresi suis temporibus habitum, si quis non adoraret imagines.

Prævaluit tandem adoratio imaginum in Græca Ecclesia.

SCHOLASTICORVM DOCTRINA, ET PONTIFICIORUM praxis, de adoratione imaginum.

Scholastici quomodo de adoratione imaginum.

IN Romana verò Ecclesia scholastici Scriptores tandem non tantùm sicut Græci, honorariam adorationem externæ reverentiæ, imaginibus tribuendam contẽderunt, sed disputarunt, imagines Christi eadẽ adoratione latriæ, qua Christum ipsum, colẽdas. Sanctorum verò imagines eadem veneratione, invocationis scilicet, qua ipsos sanctos colendas. Thomas enim disputat:

Thomas.

Si imago consideretur, quatenus est lignum sculptum vel pictum, tunc nullam ei reverentiam tribuendam, eius enim solam rationalem creaturam capacem esse. Si verò consideretur ut imago Christi, tũc adoratione latriæ, sicut Christum ipsum, adorandam. Ideò inquit: Christum alloquimur & deprecamur, sicut Christum ipsum, O crux, ave spes unica. Rationẽ verò addit, Quia Philosophus dicit, quòd idem sit motus in imaginem, & in rem cujus est imago.

Bonaventura.

Bonaventura dicit: Quoniam imago Christi introducta est ad repræsentandum eum, qui pro nobis crucifixus est, nec offert se nobis pro se, sed pro illo, ideo omnis reverentia, quæ ei offertur, Christo offertur, & propterea imagini Christi debet cultus latriæ exhiberi, & addit hos versus:

Versus.

Effigiem Christi dum transis semper adora,
Non tamen effigiem, sed quod designat honora.

Summistarũ regula.

Reliqui Sententiarii & Summistæ generalem regulam inde extruxerunt, imagines eadem specie adorationis adorandas, qua res ipsas repræsentatas. Et eandem reverentiam deberi imagini seu signo, quæ debetur rei signatæ. Durandus de sancto Portiano agnoscit hoc falsum esse, sed inquit:

Nota de Durando.

inquit: Loquendum est ut plures. Sed ne septima quidẽ Iconolatrica Synodus ita loqui ausa fuit, ficut suprà ostendimus.

Consecrationes imaginũ in Pontificali.

Hæc verò ex praxi Ecclesiæ Pontificiæ adhuc manifestius intelligerentur, si considerentur dedicationes imaginum, & formę precularum, quibus utuntur antea imagines. Francofordiana Synodus dicit, nullum verbum traditum esse, quo imagines dedicarentur & consecrarentur. Sed postea in Pontificali peculiares formulas consecrationis imaginum confinxerunt, unde, quid & quantum imaginibus tribuant, rectè constitui potest. Lignum crucis igitur inter cętera his verbis benedicitur: Rogamus te sempiterne Deus, ut digneris benedicere hoc lignũ crucis, ut omnibus hic genu flectentibus, ac tuæ majestati supplicantibus, cordis compunctio, & admissorum concedatur remissio. Item, Sanctificetur illud lignum crucis, ut orantes inclinantesq; se, propter Deum ante istam crucem, inveniant corporis & animæ sanitatem. Item, digneris benedicere hoc lignum crucis, ut sit remedium salutare generi humano, sit soliditas fidei, bonorũ operum profectus, & redemptio animarum, tutela contra sæva jacula inimicorum.

Benedictio ligni crucis.

Imago Mariæ consecranda.

Benedictio imaginis beatæ virginis: Sanctifica DEVS hanc formulam beatæ Virginis, ut tuis fidelibus salutaris auxilii opem ferat, tonitrua aut fulmina, si invaluerint, nocentia, celerius expellantur, pluviarum quoque inundatio, aut civilium bellorum commotio, seu paganorum devastatio, ad præsentiam eius comprimantur, &c.

Imago Ioannis.

Benedictio imaginis Ioannis Evangelistę: Præsta, ut omnes illam cum reverentia intuentes, precesq; coram illa fundentes, pro quacunque necessitate oraverint, exaudiantur. Sit hæc imago dęmonum sancta expulsio, Angelorum advocatio, fidelium protectio, eiusq; in hoc loco potenter vigeat intercessio, &c.

Preculæ ante imagines.

In Hortulis, prætereuntes imaginem crucis, docentur dicere: Salva nos Christe salvator per virtutem sanctæ crucis. Item, Tu corda & corpora nostra per virtutem sanctæ crucis illuminare digneris. Intelligunt autem virtutem crucis, de qua formula consecrationis loquitur. In Antidotario extat hæc oratio ad crucem: Signum sanctæ crucis, defendat me ab omnibus malis. Per hoc signum sanctæ crucis à periculis mundi liberet me Dominus.

Veronica.

Ante Veronicam dicunt hanc orationem: Salve sancta facies impressa panniculo. Nos ab omni macula purga vitiorum, atque nos consortio junge beatorum: Nos perduc ad patriam, ô felix figura, ad videndum faciem, quæ est Christi pura. Esto nobis, quæsumus, tutum adjuvamen, dulce refrigerium, atque consolamen, ut nobis non noceat hostile gravamen, sed fruamur requie, Omnes dicant, Amen.

Vota ad imagines.

Extant aliæ plures orationes, quæ si devotè dicantur coram imagine crucis, vel Mariæ, promittuntur multorum millium annorum indulgentiæ. Docent item facienda vota, suscipiendas peregrinationes, ad certas Sanctorum statuas, hac promissione: Si quis tali se voveat imagini, sanabitur, vel optato potietur. De quibus superstitio nibus etiam Gerson conqueritur his verbis: Fateor, abnegare non possumus, multa inter Christianos simplices sub specie religionis introducta esse, quorum sanctior esset omissio, &c. Et licet protestentur se imaginibus non tribuere aliquam vel divinitatem vel virtutem, tamen sentiunt, Deum facilius & citius exaudire, & magis propitium esse, si ad statuam aliquam, vel coram imagine, invocetur. Ad Sanctorum verò invocationes, imagines in Pontificia Ecclesia fieri & usurpari ipsi non diffitentur.

Tridentinum Decretum.

Hęc Lector conferat ad verba Decreti Tridentini, & videbit, quomodo crassis superstitionib. σοφοῖς φαρμάκοις mederi κἀκὰ τὰ σκληρὰ μαλθακῶς λείγειν, & tamen ipsos nervos superstitionis retinere conentur. Nõ enim expresè dicunt, imagines adorandas & colendas. Negant etjã spem, & fiduciam in imaginibus collocandam, sed quo modo hæc intelligi velint, insinuant per eã, quæ de relatione inter imaginem & prototypum addunt, & quod se referunt ad 7. Synodum. Quæ ut rectius intelligi & dijudicari possent, historicum hanc observationem controversiæ de imaginibus, mediocri diligentia collectam, bono studio hoc loco adscribere volui, quam candido Lectori non ingratam fore spero. Deus pater Domini nostri Iesu Christi, per Spiritum suum sanctum, puritatem cultus sui in Ecclesia clementer restituat, & conservet, juxta Scripturæ Doctrinam: Dominum Deum tuum adorabis, & ipsum solum coles.

DECRETVM DE INDVLGENTIIS.

CVm potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maximè salutarem, & sacrorũ Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse doces & præcipit, eosq; anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus verò, qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur emendatos & correctos cupiens, præsenti Decreto generaliter statuit. Pravos gestus omnes pro his consequendis (unde plurimum in Christiano populo abusum causa fluxit) omninò abolendos esse. Cæteros verò, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocunque provenerunt, cùm ob multiplices locorum & Provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commodè nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque huiusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosq; in prima Synodo provinciali referat ut aliorum quoq; Episcoporum sententia cognita, statim ad summum Rom. Pont. deferantur, cuius authoritate & prudentia, quod universali Ecclesiæ expediet statuatur, ut ita sanctarum Indulgentiarum munus pie, sanctè & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

CAPVT

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT I.

QVID NOMINE INDVLGENTIARUM in hac controversia intelligatur, sive quid sint Romanenses Indulgentiæ.

Indulgentiarum nundinatio nostra ætate occasionem præbuit taxandi Idolomanias Papisticas.

TOti terrarum orbi, atque ipsis adeò Pontificiis notum est, impudentem & impiam indulgentiarum nundinationem, cùm per annos complures à multis doctis & piis (sicut postea ostendemus) frustra ac nequicquam deplorata & reprehensa fuisset, tandem Deo Ecclesiam suâ clementer respiciente ante annos quinquaginta initium præbuisse ruinæ regni Pontificii, ac salutari repurgationi doctrinæ cœlestis, quę nefandis erroribus & superstitionibus jamdudum contaminata fuerat. Illa enim occasione Deus accensa verbi sui luce, multorum oculos aperuit, ut errores in doctrina, superstitiones, & idolomanias in cultibus Ecclesiæ Pontificii abjicerent, & ad formam doctrinę, ad cultum in verbo Dei traditam & præscriptam redirent. Vnde eam plagam Papatus accepit, de qua adhuc fremens gemit, quæq; extremum ipsi allatura est interitū illustri adventu Domini nostri Iesu Christi, 2. Thessa. 2. Cogitarunt itaq; homines fore, ut Tridentinum Concilium, si Pontificias illas indulgentias non prorsus damnare & abjicere vellet, earum tamen vel mentionem sepeliret, vel approbationem suspenderet, sicut astutiores inter Pontificios Scriptores his temporibus facere consveverunt. Sed ecce in ultima sessione (sicut juxta Proverbium, Diabolus solet relicto post se fœtore discedere) peculiare Decretum de indulgentiis retinendis & dispensandis fabricant. Vbi dissimulare sanè non audent abusus, pravos quæstus, corruptelas, superstitiones, &c. quorum tamen omnium emendationem & correctionem summi Romani Pontificis voluntati subjiciunt & reservant. Ipsas verò indulgentias in Ecclesia retinendas præcipiunt, & docent, usum earum populo Christiano maximè salutarem, addunt etjam potestatem conferendi tales indulgentias à Christo Ecclesiæ concessam, antiquissimis etjam Ecclesiæ temporibus usurpatam, & sacrorum comitiorum autoritate probatam. Videndum itaque est, an hæc ita se habeant, & vera sint. Vt autem eò commodius & rectius tota hæc de indulgentiis controversia evolui & explicari possit, primò ponemus descriptionem indulgentiarum Pōtificiarum, quid scilicet sub nomine indulgentiarum in hac controversia intelligatur & comprehendatur, ita enim postea Historia de initiis & progressu harum nundinationum facilius colligi, Pontificiorum argumenta rectius expendi, & veræ refutationes facilius opponi poterunt.

Tridentini concilii in tegendis indulgentiarum impostur. impudentia.

Controversiæ status.

Visitata igitur in hac controversia & synonyma sunt hæc vocabula: gratia, venia, relaxatio, remissio, & indulgentia. Ac notum est, quòd secundum Scripturæ traditionem vocabula illa significent remissionem peccatorum, quòd scilicet agentibus pœnitentiam fide gratis, propter Christum, peccata non imputentur, sed ita solvantur

De vocabulis

ut totum debitum remittatur, & debitor dimittatur, Rom. 3. & 4. Matth. 16. & 18. In hac etiam significatione patres vocabulum Indulgentiæ accipiunt & usurpant. Vt, quando Ambrosius dicit: Nemo rectè egerit pœnitentiam, nisi à Deo per Christum speraverit indulgentiam. Et quæ dicta Gratianus ex veteribus annotat: Indulgentia peccatorum fit per pœnitentiam. Item: Viscera Domini aperta sunt omni indulgentiā petenti. Et: Peccatori ad se convertenti, Deus præstat indulgentiam.

Definitio indulgentiarū. Franciscus Maio.

Pontificii verò non hanc Evangelicam remissionem peccatorum intelligunt, quando de indulgentiis suis dimicant, sed eas ita definiunt. Franciscus Majoranus dicit: Indulgentia est remissio peccatorum, quò ad illa, quæ post susceptum pœnitentiæ Sacramentum remanent de peccatis. Angelus ita describit: Indulgentia est quædam remissio pœnæ debita pro peccato, post contritionem habitam de eo. Alii tradunt hanc definitionem: Indulgentia est pœnæ relaxatio, quam quis justè pro culpis propriis facere debuisset, de Thesauro Ecclesiæ, ad divinam justitiam persolvendam, sumpta.

Angelus.

Summa commenti Pontificii de indulgentiis.

Vt autem tota res planius intelligatur, commentum ita se habet. Fingunt in solutione, Deum propter obedientiam, & passionem Christi voce Evangelii tantùm culpam remittere, pœnam verò æternam culpis debitam, virtute clavium non plenè remitti: sed commutari in pœnam temporalem, & hanc juxta regulam justitiæ divinæ, Deute. 25. juxta mensuram delicti erit & plagarum modus, majorem esse, quàm ut à quo quam hominum in hac vita exolvi possit. Sacerdotem igitur tanquam judicem & arbitrum Ecclesiasticum, in confessione taxare & imponere talem pœnarum modum, qui nostræ infirmitati in hac vita proportionabilis & possibilis sit, ut per tales pœnas Deo pro peccatis satis faciamus. Injunctas autem illas pœnas, si in hac vita non plenè exolvantur, luendas esse in purgatorio. Ac etiamsi cæpta illa pœnitentia in hac vita plenè exolvatur, divinam tamen justitiam majores pro peccatis pœnas exigere, quæ in purgatorio luendæ sint. Illas igitur pœnas, quas vel canones pœnitentiales, vel divina justitia pro peccatis exigit, dicunt per indulgentias, vel insolidum, vel ex parte aliqua remitti, si certo & præscripto modo redimantur, hoc est, si quis illud vel faciat, vel det, quod in forma indulgentiarum ponitur, Vt exempli gratia, si quis urbis Romanæ Ecclesias, vel alias, certis temporibus largis oblationibus visitarit, vel si quis manus adjutrices, largè contribuendo pecuniam, porrexit, vel ad constructionem alicujus Basilicæ, vel ad bellum contra intra infideles, &c. is tot vel dierū, vel annorum, vel plenariam habebit indulgentiam. Sæpius etjam dant indulgentias à culpa & à pœna. Illas autem indulgentias dicunt, non prorsus esse gratuitas, quia Deus nullum peccatum dimittat impunitum, sed solutionem illarum pœnarū, quæ pro peccatis debentur sumi ex Thesauro Ecclesiæ, & per indulgentias applicari illis, qui eas vel pecunia, vel aliis operibus redimūt. Thesaurum verò Ecclesię hunc esse, quòd sancti Dei in hac vita multò plura bona opera fecerint, quàm quæ ipsis

Pœnæ peccatorum.

Quid indulgentiæ remittant.

Quomodo redimantur indulgentiæ.

Thesaurus Ecclesiæ.

ipsis ad promerendam & cōsequendam salutem necessaria fuerint, quæ vocant opera Supererogationis, plura etjam & graviora sint perpessi, quàm pro peccatis suis debuerint. Quæ igitur supererogarint, & ad salutem suam, ac pro peccatis suis non necessaria habuerint, illa tanquam in cistam quandam, admixtis etjam superabundantibus meritis passionis Christi, in thesaurum Ecclesiæ congesta esse. Et ejus thesauri claves traditas esse Romano Pontifici, ut is, vel per se, vel per suos delegatos, Indulgentias indè, pro sua autoritate & prudentia, licitantibus & redimentibus, dispenset & conferat.

Claves Thesauri.

Hæc est summa commenti, quod in sequentibus plenius explicabitur. Hoc loco verò summam ejus breviter recitare volui, ut, tanquam titulus controversiæ, semper in conspectu sit, ac semper cogitetur, quæ capita comprehendantur & de quibus corruptelis certamen sit, quando, de indulgentiis dimicatur. Posito autem hoc, quasi statu controversiæ ordine jam ostēdemus, tales indulgentias nec in Scriptura traditas, nec in veteri Ecclesia usurpatas, sed recens esse commentum. Posteà ostendemus, unde & quando, & quomodo initium sumpserint, & quales fecerint progressus, donec tandem ad summum impietatis & impudentiæ gradum evaserunt.

Quæ sint capita huius controversiæ.

CAPVT II.

QVOD ROMANAE ILLAE INDVLgentiæ nullum in sacra Scriptura, vel fundamentum, vel testimonium, habeant, imò quòd contra verbum Dei in summis ac præcipuis fidei articulis pugnent.

Scopus totius doctrinæ Christianæ & Scripturæ.

SVmma quidem, & quasi scopus totius Scripturæ est, remissio peccatorum. De Prophetica enim veteris Testamēti scriptura Petrus inquit Act. 10. Christo omnes Prophetæ testimoniū perhibent, remissionem peccatorū accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. De Baptistæ etjam ministerio scriptum est, Lu. 2. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, quæ est in remissionem peccatorum eorum. Et Apostolorum ministerium Christus affirmat consistere in prædicatione pœnitentiæ & remissionis peccatorum, sive in remittendis & retinendis peccatis, Luc. 24. Ioa. 20. Illam verò peccatorum remissionem Scriptura non definit Pontificiis Romanensium indulgentiarum nundinationibus: sed docet, cùm nos propter peccata essemus debitores Dei, juxta legem obnoxii judicio ipsius culpa & pœna ad condemnationem juxta dictum, Rom. 2. Ira & indignatio, tribulatio & angustia, & in hac, & in futura vita: Christum mediatorem nostro loco factum sub lege, suscepisse in se omnia peccata nostra, & plagas seu pœnas omnes, peccatis nostris debitas, in se derivasse, Esa. 53. & præstita seu exoluta satisfactione plenissima non solùm perfectissima obedientia pro culpis nostris, verumetjam acerbissima passione ac morte, pro omnibus pœnis, peccatis nostris debitis, acquisivisse justitiam æternam, Danie. 9. Illam verò propitiationem Deum Patrem proponere per fidem, interveniente sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem peccatorum, Rom. 3. Dedit enim nobis ministerium reconciliationis. 2. Cor. 3. Vt verbo & Sacramentis beneficium illud Christi gratis offeratur, & sine operibus in pœnitentia non simulata vera fide applicetur credentibus, Romanorum quarto. Quando verò gratuita illa promissio Evangelii fide apprehenditur, accipitur & applicatur, tunc Scriptura pronunciat: Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, Ioan. 20. Et quicquid solveritis super terram, solutum erit in cœlis, Matth. 16. & 18. Item, Justificati fide pacem habemus erga Deum, Rom. 5. Qui credit, non judicatur, imò non veniet in judicium, sed habet vitam æternam, & à morte transivit in vitam, Ioan. 3. & 5.

Quomodo peccatorum remissionem Scriptura definiat.

Nihil autem prorsus Scriptura dicit, quòd nōstris vel operibus, vel passionibus Deo pro parte aliqua peccatorū nostrorum, vel debeamus, vel possimus satisfacere. Nō dicit, quòd Sacerdos in absolutione solvens & remittens peccata, debeat imponere pœnas, tanquam vindictam & satisfactionem pro peccatis. Nihil dicit de pœnis purgatorii, nihil habet de thesauro supererogationū, nihil tradit de clave soli Romano Pontifici tradita. Omnibus enim in genere, quibus datum est ministerium reconciliationis, dictum est, Quicquid solveritis, Matth. 18. quorumcunque remiseritis, Ioan. 20. nihil somniat de Bullis indulgentiarum, ut qui tantùm dederit, habeat remissionem tot vel dierum vel annorum. Hæc adeò sunt manifesta, ut ipsi Pontificii dissimulare hoc non possint. Durandus enim de sancto Portiano, qui scripsit circa annum Domini 300. lib. 4. Dist. 20 Quæst. 3. dicit: De indulgentiis pauca dici possunt per certitudinem, quia Scriptura expressè de illis non loquitur. Quod enim dictum est Petro, Matt. 16. Tibi dabo claves, &c. intelligitur de potestate, ei data in foro pœnitentiæ. De collatione autem indulgentiarum, non est clarum, quomodo debeat intelligi. Ideò loquendo de indulgentiis, sequendus est modus communis. Antoninus etjam prima parte summæ, Tit. 10. cap. 3. scribit: De indulgentiis nil expressè habemus ex Sacra Scriptura, quam vis ad hoc inducatur illud Apostoli, 2. Cor. 2. Si quid donavi vobis, propter vos in persona Christi. Idem fatetur Rossensis, & alii plerique Papistici scriptores. Et Sylvester Prieras, Magister Palatii Leonis Decimi, qui primus contra Lutherum pro indulgentiis scripsit, expressè ponit hanc propositionem: Indulgentiæ autoritate Scripturæ non innotuerē nobis, sed autoritate Ecclesiæ Romanæ, & Romanorum Pontificum, quæ major est autoritas. Addit autem & hanc propositionem: Quicunq; non innititur doctrinæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romani Pontificis, tanquam regulæ Dei infallibili, à qua etjam sacra Scriptura robur trahit & autoritatem, hæreticus est, &c.

Scripturæ ignorat summa in absolutione solvens dulgentiarum.

Pontificii fatentur indulgentias non tradi in Scriptura. Durandus.

Antoninus.

Rossensis. Sylvester Prieras.

Hæc autem cùm manifestè & certò ita se habeant, ipse Lector jam secum consideret, quid sit, pro articulo fidei Ecclesiæ obtrudere, & cōscientiis indè laqueum nectere, vel vana falsaq; ea spe lactare, de quo (sicut manifestum est, & ipsi Pontificii

Indulgentiæ cur non recipienda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tificii fateri coguntur) nulla extant in Scriptura vel testimonia, vel fundamenta. Ecclesia verò illam suam libertatem, in quam filius Dei ab omnibus humanis traditionibus eam vindicavit, meritò ac necessariò, præcipuè in articulo remissionis peccatorum, retinet & usurpat, Galat. 5. In libertate, qua Christus nos liberavit, state, & ne rursus jugo servitutis implicemini. Coloss. 2. Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc, tanquam viventes in mundo decretis oneramini, secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ speciem habent sapientiæ per superstitionem. Matth. decimoquinto. Fruſtrà colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. Quia enim mandatum Christi est, Mat. 28. Docentes eos servare, quæ ego præcepi vobis, ideò rectè usurpamus illud, Deut. 12. Non faciatis singuli, quod vobis rectum videtur, sed quod ego præcipio vobis, hoc tantùm facias Domino Deo tuo, non addas aliquid, nec detrahas. Tota igitur indulgentiarum nundinatio, cùm fateantur, se eam ex Scriptura nō habere, unica illa sententia Augustini contra Petiliani literas, libr. 3. cap. 6. profligari potest. Si quis inquit, de quacunque re, quæ pertinet ad fidem, vitamq; nostram, si vel Angelus è cœlo vobis annunciaverit, præterquàm quod in Scripturis Legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit.

Indulgentiarum nundinatio præcipuos doctrinæ Christianæ articulos evertit.

Nec verò sine Scripturæ tantùm testimoniis & fundamentis merces istæ indulgentiarum Romanensium venales exponuntur, sed doctrina, praxis, & usus earum præcipuos & summos fidei nostræ articulos infidiosè convellit, turpiter conspurcat, & funditus evertit, id quod nō Rhetoricis declamationibus exaggerabo, sed nuda tantùm indicatione simpliciter per capita spectandum & considerandum proponam, quemadmodum indulgentiæ pugnent: I. Contra meritum & satisfactionem Christi. II. Contra gratuitam & plenariam remissionem Dei. III. Contra claves regni cœlorum. IIII. Contra fidem. V. Contra doctrinam de bonis operibus. Postremò quòd talis nundinatio in Scriptura jamdudum damnata sit. Commentum enim illud de indulgentiis Romanensibus, primò contra doctrinam Evangelii, de meritò obedientiæ & passionis Christi traditi: Quòd Christus Mediator, culpam quidem nostram omnem, sed nō totam pœnam peccatorum nostrorum omnem in se susceperit, cùm Scriptura affirmet, ipsum percussum fuisse à Deo propter peccata nostra, Esaiæ 53. Et factum esse maledictum pro nobis, Gal. 3. Et maledictio certè complectitur omnes peccati pœnas, & æternas & temporales, Deuter. 28. Fingit etjam opinio ista, Christum, obedientia, passione, & morte sua, non pro universa pœna, peccatis nostris debita, satisfeciſſe Patri, sed tantùm promeruisse credentibus commutationem pœnæ æternæ in temporariam, vel in hac vita, vel in purgatorio luendam, ut refiduam illam pœnam credētes ipsi vel suis, vel aliorum satisfactionibus redimant, vel suppliciis suis exolvant, vel Pontificiis indulgentiis relaxent. Atque ita nostra, vel Sanctorum satisfactio affuenda sit satisfactioni Christi, tanquam semiplenæ, ut assumento humanarum satisfactionum perficiatur. Et nostræ etjam, vel Sanctorū redemptiones, Christi redemptionem ut gradibus quibusdam deficientē, absolvant & perficiant. Imò quæstores indulgentiarii fæpius non omnem culpæ remissionem solius Christi merito & satisfactioni tribuunt, sed indulgentias vendunt, & à culpa & à pœna. Secundò gratuita misericordia Dei, conferentis propter Christum, per promissionem Evāgelii, plenariam remissionem peccatorum, in dulcissimis illis dictis describitur Iohan. 3. & 5. Non judicatur, non venit in judicium. Ezec. 18. Peccatorum ejus non recordabor amplius. Mich. 7. Omnia peccata nostra projecit in fundum Maris. Psalm. 103. Quantùm distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Ier. 18. Si egerit pœnitentiam, pœnitebit me mali, quod ei facere constitueram. Esaiæ 53. Illi plaga, ut nos pacem haberemus. Rom. 5. Justificati fide pacem habemus ad Deum. Commentum verò indulgentiarum fingit remissionem Dei esse semiplenam aut dimidiatam, quæ debitum quidem remittat, sed debitorem nihilominus ad solutionem, sive ad pœnas obstrictū detineat, atq; ita remittat quidem debitum, sed non animo, sicut servus ille nequam, Matt. 18. Sed Scriptura expresè docet, misericordiam simul & debitum remittere, & debitorem dimittere, Matth. 18. Paulus etjam dicit: Condonate vobis mutuò, sicut & Christus condonavit vobis. Item quotidie oramus: Dimitte nobis debita, sicut & nos dimittimus. Certum autem & manifestum est, si quis privatus ita dimitteret offensam proximo, ut nihilominus vindictam aliquam expetere, & supplicium aliquod de ipso sumere vellet, talem, ut non ex corde remittentem peccata, gravitèr à Christo reprehendi. Qua fide igitur talem remissionem ipsi DEO tribueremus? Certè si culpam, hoc est, debitum omne remisit, non habet causam exquirendi pœnas. Tertiò, claves Regni cœlorum opinione ista de indulgentiis fœdè & perniciosè adulterantur & pervertuntur. Vbi enim Christus dicit: Quicquid solveritis, erit solutum, quorum remiseritis peccata, erunt remissa. Ibi Romanenses indulgentiæ contra dicunt: Quicquid Christi claves solvunt, hoc Pontifex Romanus suis pœnis retinet, & ligatum mittit ad pœnas, vel in hac vita, vel in purgatorio exolvendas. Et earum indulgentiam non gratis à Christo per fidem in absolutione quærendam, sed precio à Romano Pontifice esse redimendam, docent. Quartò indulgentiæ Romanenses dicunt falsum testimonium contra fidem, quæ sola est organum illud, divinitus institutū, quo remissio peccatorum, merito Christi parta, applicatur, apprehenditur & accipitur. Fingunt enim, indulgētias illas non gratis fide accipi, sed qui tantùm dederit, ille licitando coëmit sibi tot, vel dierum vel annorum indulgentiam. Cumq; Scriptura etjam opera Legis, hoc est, quæ Deus ipse mandavit, ab articulo justificationis seu remissionis peccatorum excludat, Rom. 3. & 4. & 11. Ephe. 2. Romanenses indulgentiæ commentitiis operibus hoc tribuunt. Si quis suscepta peregrinatione, hanc vel illā Ecclesiam visitarit, is tot annorum indulgentiam consequetur. Quintò, operibus & afflictionibus Sanctorum, Pontificiæ indulgentiæ affingunt opinio-

Quib. capitibus cœlestis doctrinæ indulgentiæ repugnent.

Contra meritum Christi.

Contra remissionem peccatorum, gratuitam & plenariā.

Contra doctrinam de clavibus regni cœlorū.

Contra doctrinam de fide.

Contra doctrinam de bonis operib.

nionem, quam, quia Pharisaica est, & contra Scripturam pugnat, ipsi sancti in vera sua humilitate nunquam agnoscere voluerunt. Christus enim dicit, Luc. 17. Cùm omnia feceritis, dicite: Servi inutiles sumus, quia quod debuimus, fecimus. Inde Esaias dicit cap. 64. Facti sumus velut immundum omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Et David Psal. 143. Si intraveris in judicium cum servo tuo, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ps. 130. Si iniquitates observaveris Domine, quis subsistet? Psal. 32. Pro iniquitate orabit ad te omnis Sanctus. Omnium enim Sanctorum, sub hoc corruptibilis carnis onere gementium, oratio est: Dimitte nobis debita nostra, Matt. 6. Et 1. Ioan. 1. Si dixerimus: peccatum non habemus, nosipsos fallimus, & veritas in nobis non est. 1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus. Roman. septimo. Volenti facere bonum, malum adjacet. Ideò Iob inquit, cap. 9. Verebar omnia opera mea. Et Paulus Rom. 8. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Hinc electi, Matth. 25. in Iudicio opera sua nolunt agnoscere. Et Apoc. 4. Coronas suas modestè & humiliter ante thronum deponunt. Indulgentiæ verò Pontificiæ fingunt, opera & afflictiones Sanctorum esse supererogationes, quæ in precium ad soluendum reatum peccati, sicut Bonaventura loquitur, alii communicari, & data pecunia divendi possunt, cùm prudentes virgines, Matth. 25. fateantur, se de oleo suo non posse dare aliis, ne utrisq; desit. Postremò scriptura nundinationes illas indulgentiarum prophetico Spiritu, quasi intento digito, antè & notavit & damnavit. Nam 2. Petr. 2. ubi de fallis Doctoribus agit, qui introducturi sunt sectas perditionis, & abnegaturi Dominum, qui ipsos mercatus est, inquit, ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται, per avaritiam fictis verbis de vobis negotiabuntur. Item libertatem aliis pollicentur, cùm ipsi sint servi corruptionis. Et Act. 8. Pecunia tua tecū sit in perdirionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniis parari? Et hoc est ipsissimum judicium Spiritus sancti, de indulgentiis pontificiis.

Bonaventura.

Spiritus sanctus in Scriptura indulgentias damnavit.

Et hæc capita quomodo indulgentiæ Romanensium, contra summos ac præcipuos fidei nostræ articulos pugnent, ideò in frontispicio hujus tractationis, tanquam in tabella seu σωφρονιστῇ, spectanda & expendenda proposui, ut Lector moneatur, non de lana (quod dicitur) caprina contentionem esse, quando de Pontificiis indulgentiis disputatur, sed hoc agi, ut Doctrina de præcipuis, necessariis, & summis illis fidei nostræ articulis, complectentibus justificationem & salutem nostram, pura, sincera, integra, & salva à Pontificiis istis contaminationibus & depravationibus Dei beneficio conservari possit. Ex hac etjam consideratione intelligi potest, qua ratione factum sit, quòd certamen Lutheri, quod contra effrænem quæstorum Romanensium impudentiam, de indulgentiis, primùm movit, occasionem dederit repurgationi doctrinæ de merito Christi, de gratuita gratia Dei, de remissione peccatorum, de pœnitentia, de absolutione, de clavibus regni cœlorum, de fide, de operibus, &c.

Quid Lutherum impulerit ut indulgentiarum nundinationi se opponeret.

Et ex hac brevi commonefactiūcula, cujus veritas adeò manifesta est, ut vel cæcutientium oculos perstringat, Lector judicare potest, non veritatis, sed erroris & seductionis spiritum esse, qui in Tridentino decreto fingit, potestatem conferendi tales indulgentias à Christo Ecclesiæ concessam esse, cùm nulla syllaba ex Scripturis hoc probari possit, imò cùm tota illa indulgentiarum cauponatio præcipuis doctrinæ cœlestis capitibus adversa quasi fronte repugnet.

CAPVT III.

QVA FRAVDE DICTA QVAEDAM Scripturæ Pontificii ad nundinationes istas Indulgentiarum detorquere conentur.

Quomodo ante 50. annos indulgentias defenderint Pontificij.

OStendemus Sententiarios olim, & recentiores etjam pontificios Scriptores, in principio certaminis de indulgentiis, ante annos 50. liberè confessos esse, doctrinam de Pontificiis indulgentiis non posse ex certo aliquo Scripturæ fundamento expresè & perspicuè probari. Et licet quidam conati fuerint, speciem aliquam probationis prætendere ex dictis illis Scripturæ: Tibi dabo claves, Matth. 16. Item: Si quid donavi, &c. 2. Corinth. 2. Alii tamen Scolastici Scriptores dicunt, tutius esse dicere: Ideò valere indulgentias, quia Ecclesia illas dispensat & probet, & Ecclesia errare non possit. Dicunt autem, Romanum Pontificem esse Ecclesiam virtualiter: & de illo scriptum esse, Luc. 22. Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Sed conductitii Rhetores, qui his temporibus Pontificiis indulgentiis patrocinari conantur, animadvertunt, testimonium propriæ turpitudinis illam confessionem esse, quòd sine documentis & firmamentis sacræ Scripturæ indulgentiæ invectæ & receptæ sint, Ideò, ut rudibus specie aliqua oculos perstringant, quasi non prorsus Scripturæ autoritate destituantur Pontificiæ indulgentiæ, aliquot dicta Scripturæ huc pertrahere conantur, de quibus pauca quædam dicemus, ut planum fiat, dicta illa Scripturæ nihil minus, quàm Pontificias indulgentias probare, imò istis fortiter reclamare. Vtq; videat Lector, quàm timidè & suspenso gradu progrediantur Pontificii, quando argumentando, juxta Tridentinum Decretum fingere volunt, potestatem conferendi indulgentias Ecclesiæ à Christo in Scripturis concessam, addam quod Roffensis scribit, cùm videret sibi obstare, si dicantur indulgentiæ in sacra Scriptura traditæ & fundatæ, quomodo Apostolica, primitiva, & vetus Ecclesia, cujus in tractatione Scripturarum multò major fuit diligentia & religio, indulgentias illas in Scriptura non viderit aut animadverterit. Respōdet autem, posterioribus ingeniis multa nunc esse excussa luculentius, & intellecta perspicacius, quàm fuerant olim. Nimirum, aut quia veteribus adhuc non erat perfracta glacies, neque sufficiebat illorum ætas, totum illud Scripturarum pelagus, ad amussim expendere, aut quia semper in amplissimo Scripturarum campo post messores, quantumvis

Quomodo nunc ex Scriptura eas probare conentur.

Roffensis de indulgentiis, quomodo veteri Ecclesiæ ignota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

exquisitissimos, spicas adhuc intactas licebit colligere. Multa enim, inquit, sunt, de quibus in primitiva Ecclesia nulla quæstio facta fuerat, quæ tamen posteriorum diligentia, subortis dubitationibus, jam evaserunt perspicua, ut purgatorium & indulgentiæ. Cumq; multa Scripturæ dicta cumulasset, tandem inquit, sed iis omnibus Lutheri pertinacia non permovebitur. Hæc

Iacobus Angularis quòd indulgentia irrationales.

Roffensis. Et Iacobus Angularis Decanus, dispugnans contra VVesselum, de indulgentiis, inquit: Non intendo te rationibus oppugnare, quæ enim spes mihi esse posset, durum illud atque inexpugnabile tuum caput rationibus expugnare, quod nec malleo communis credulitatis omniũ valet emolliri? Sed pro magna tibi ratione, imò magis quàm pro ratione debet esse, nedum Papæ, sed & omnium, tàm Prælatorũ quàm Doctorum autoritas, qui omnes indulgentias aut largiuntur, aut largiendas esse scribunt, &c. Sed ordine recitabimus præcipuas sententias, quas ex Scriptura ad suas indulgentias detorquere conantur Pontificii. Et breves, quantum opus erit, addemus explicationes.

PRIMVM ARGVMENTVM.

An Matt. 16. fundata indulgentiæ.

PLerique omnes finxerunt, potestatem conferendi indulgẽtias Romano Pontifici à Christo concessam, quando Petro dicit, Matth. decimosexto: Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Sed ipsi Sententiarii huic fundamento non multum fidunt, sicut ex Durando paulò antè ostendimus, & res manifesta est. Illa enim Christi sententia prorsus nihil habet de illis, quibus pontificias indulgentias definiri, suprà diximus, sed solvere & ligare peccata, Matth. 16. est ea vel remittere vel retinere, Joan. 20. quod fit prædicatione pœnitentiæ & remissionis peccatorũ, sive publicè sive privatim, Luc. 24. Et fit ab illis, quibus Deus commendavit ministerium reconciliationis, posito in ipsis verbo reconciliationis, 2. Corinth. 5. Atque illa clavis ministerii solvens peccata, exercetur in foro pœnitentiæ & absolutionis, ut cum Scholasticis loquar. Sed Pontificii ipsi suas indulgentias à foro pœnitentiæ & absolutionis, sicut loquuntur, longè late q; disiungunt. Præterea solvere &

Quomodo commentum de indulgentiis huic dicto Christi repugnet.

ligare ita opponuntur, ut quod solutum est, non sit amplius ligatum. Pontifex verò contra fingit, quod in absolutione solutum est super terram, illud in foro Pontificio manere ex parte ligatum, & solvendum esse non clave ministerii, sed Pontificiis indulgentiarum nundinationibus. Item, ministerium reconciliationis sita solvit peccata, ut pœnitentibus & credentibus annunciet condonata omnia delicta, Colos. 2. Peccata non amplius imputari, Roman. 4. & 5. & per Christum redemptos ipsos esse à maledictione Legis, Galat. 3. quæ & æterna, temporalis est, Deut. 28. Pontificiæ verò indulgentiæ fingunt, peccata etjam post remissionẽ imputari, & Christum credentes non à tota maledictione Legis redemisse, sed partem ejus ex Põtificio thesauro redimendam esse. Manifestum itaque est, Pontificias indulgentias prorsus ex diametro pugnare contra sententiam illam Christi, de clave Absolutionis, tantùm abest, ut illa sententia probentur aut stabiliantur. Quòd verò excipiunt, soli Petro peculiare privilegium solvendi peccata, supra & præter reliquos Apostolos, hoc est, præter communem Absolutionem, in illa sententia à Christo datum esse, Quia inquit: Tibi dabo claves, &c. rectè & solidè ex collatione locorũ Scripturæ explicatur. Quas enim claves Christus Matth. 16. promittit, illas præbet & exhibet, quãdo post resurrectionem dat & confert potestatem remittendi & retinendi peccata, Ioan. 20. Sed illam potestatem confert nõ uni aut soli Petro, sed omnibus in commune Apostolis, Ioan. 20. Et ante illam collationem dicit Christus: Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos. Christus verò, quando tempore ministerii sui remisit peccata, debitum remisit, & debitorem liberum dimisit, Matth. 18. Hæc enim sunt verba Absolutionis ejus: Confide, remittuntur tibi peccata. Vade in pace, & noli amplius peccare, Matt. 9. Lu. 7. Ioan. 5. Imò cùm adulteræ, Ioan. 8. non esset civilis pœna imposita, nec ipse ei, post remissionem seu solutionem peccatorum, pœnã aliquam imponere voluit. Inquit enim: Nec ego te condemnabo, vade, & noli amplius peccare. Quòd autem Christus tales unquam vel docuerit vel dederit indulgentias, sicut ex Pontificiorum placitis suprà descripsimus, nulla oratione, nulla dictione, nulla syllaba, nulla litera ex Scriptura probari potest. Et sicut me misit Pater, ita & ego mitto vos, inquit Christus. Eadem ratio etjam est de Petro, cui traditæ fuerunt claves regni cœlorum. Quomodo enim illas usurparint, ex Scriptura cõstat. De indulgentiis verò ipsius nihil. Imò Simon Magus Petrus respondit: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum DEI existimasti pecunia comparari. Et quod Matth. 16. Christus Petro dicit, hoc iisdem verbis, cap. 18. expresè Ecclesiæ dicit: Quicquid solveritis, quicquid ligaveritis, &c. Ecclesia verò, imò ipsius Romanæ Ecclesiæ Episcopi, claves illas ab initio & habuerunt, & usurparunt, & tamen per annos mille & amplius indulgentias istas ignoraruni. Ligare enim seu retinere peccata, non est pœnitentiam agentibus & credentibus, post absolutionem seu remissionem peccatorũ, partem aliquam ligatam reservare, vel ad proprias satisfactiones, vel ad redemptiones per Pontificias indulgentias; sed impœnitẽtibus & incredulis peccata sunt ligan-

Exceptio Pontificiorum de peculiari privilegio Petri.

Indulgentia mille aut amplius post Christum annis in Ecclesia ignota fuerunt.

da, denunciata ipsis hac DEI sentẽtia, quòd peccata ipsorum maneant, Ioannis 9. & ira Dei maneat super ipsis, Ioannis quinto, quodq; perituri sint, nisi pœnitentiam egerint. Quòd verò indocti quidam asini dicũt: Reliquis Apostolis datam esse potestatem remittendi peccata: Petro autem solvendi, falsum est. Nam Matth. decimooctavo Ecclesiæ dicit: Quicquid solveritis, &c. Quod verò interpretantur talem solutionem, quæ fit numerato precio, ejusdem elegantiæ est, cujus illud, quod de Asina Hierosolymitana postillator quidam scribit: Solvite, id est, numerate pecuniam pro ea, & tunc adducite.

Elegans & festiua.

SECVN-

SECVNDVM ARGVMENTVM ex Scriptura.

Locus 2. Cor. 2. Lindani impudentia & figmentum de loco 2. Corin. 2.

ANtoninus refert, olim pro indulgentiis confirmandis à quibusdam inductum fuisse locum, 2. Corinth. 2. Nam & ego, quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi. Et Lindanus nunc illam sententiam Pauli, tanquã Triumpho circumducit, persvasurus hominibus, Paulum authorem esse indulgentiarum Pontificiarum. Fingit enim Corinthio illi, qui incestum commiserat, post acceptam culpæ remissionem & absolutionem, impositas fuisse, à Paulo multorum annorum rigidissimas pœnas seu afflictiones, quibus se excruciaret, ut pro incestu suo ita Deo satisfaceret. Cùm verò illarum pœnarum partem aliquam jam exolvisset, ac nimis aspera se tantùm non excruciaret pœnitentia: Paulum ad commiserationem commotum (non aliter, quàm sicut nunc Romanus Pontifex facit) reliquam pœnarum partem, quæ adhuc ipsi ad plenam pro incestu satisfactionem luenda fuisset, remisisse ac relaxasse, hoc est, indulgentias ipsi concessisse, idq; non gratis, sed propter Corinthiorum intercessiones, hoc est, Paulum ex operibus & meritis supererogationis Corinthiorum sumpsisse precium, ad persolvendum incesti illius residuum debitum (sicut Bonaventura de indulgentiis loquitur) & forsan per Bullam aliquam indulgentiæ dispensasse excommunicato illi Corinthiaco. Quod ita factum oportuit (si indulgentias Pontificias locus ille probare debet) quòd Corinthius ille data certa aliqua summa pecuniæ, seu suscepta aliqua peregrinatione ad loca sancta, indulgentias illas à Paulo redemerit. Quæ omnia si ex Pauli illo loco liquido ostendi possunt, nõ infeliciter sanè, pro stabilien dis Romanensium indulgentiis, adducitur.

Refutatio Apostolatus Pontificii ex depravatione loci 2. Cor. 2.

Sed consideratis paulisper circumstantiis manifestum evadet, Paulum nihil horum vel sensisse, vel fecisse, & illum ipsum locum Pauli Pontificias indulgentias fortiter oppugnare. Quia verò, qualis fuerit disciplina Ecclesiastica tempore Apostolorum, locus ille pulchrè ostendit, singulas circumstantias diligentius expendemus. Quidam igitur apud Corinthios cum noverca sua incestum commiserat, de quo peccato nec ipse lugebat, nec Ecclesia Corinthiaca dolebat, tolerabant enim ipsum, licet non ageret pœnitentiam, in sua communione, tanquam verum membrum Ecclesiæ. Hoc Paulus acriter reprehendit, incusans non tantùm ipsum, sed ostẽdens, ipsam etjam Ecclesiam hoc modo communicare peccatis alienis. Et docet, sicut gaudium est coram Angelis in cœlo super uno peccatore agente pœnitentiam, ita, quando talia flagitia in Ecclesia committuntur, & rei non agunt pœnitentiam, tunc debere Ecclesiam, & præcipuè ministros verbi, se coram Deo humiliare & lugere illa scandala, ne participes fiant alienorum peccatorum. Digni enim morte sunt, non tantùm qui faciunt, verumetjam qui συνευδοκοῦσι, qui comprobant vel certè non improbant talia, sicut Ezech. 9. scriptum est, qui non gemunt, & dolent super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. Ideò Paulus dicit 1. Corinth. 5. Vos inflati

Disciplina Ecclesiastica tempore Apostolorum.

Excommunicatio. Causæ excommunicationis.

estis, & non potius luxistis. Et 2. Corinth 12. Metuo ne fortè contentiones, æmulationes, iræ, concertationes, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones, inter vos, sint, ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immundicia, & fornicatione, & impudicitia, quam patrarunt. Vt igitur Ecclesia ostenderet, se talia non comprobare, nec illis delectari: sed gemitum, dolorem ac luctum ipsius facto declararet, dicit Paulus, eum qui facinus hoc perpetraverit, de medio Ecclesiæ tollendum, primùm ideò, ut coram Deo & hominibus ostenderent, se non esse συνευδοκοῦντας. Secundò, ne modicum fermenti totam Ecclesiæ massam corrumperet, sed ut cæteri timorem haberent. Ideò talia hoc modo coram omnibus vult argui, 1. Tim. 5. Tertiò, cor securum & impœnitens hoc modo ad veram peccati agnitionem & detestationem, ad seriam offensæ & iræ divinæ considerationem, atque ita ad veram pœnitentiam, adduceretur, ut ardenti fide ex animo peteret & quæreret remissionem & reconciliationem. Et sicut tunc reliquæ doctrinæ cœlestis partes miraculis confirmabantur, ita Deus etjam Apostolorum tempore miraculis ostendebat, talem disciplinam sibi probari. Excommunicati enim in corpore affligebantur à Satana, ut carne afflicti pœnitentiam agerent. Hoc enim Paulus vocat Satanæ tradere ad interitum carnis, ut Spiritus salvus fiat, 1. Cor. 5. & 1. Tim. 1. Quos tradidi Satanæ, hoc est denunciavi ipsis, quod non sint Christi, sed Satanæ membra, ut discant non blasphemare. Ecclesia verò, sicut Paulus ostendit, 2. Corint. 7. in tali excommunicatione magno studio ostendebat ἀπολογίαν, hoc est purgationem seu excusationem, quòd puri & incontaminati essent, quo ad commissum illud flagitium, ostendebat φόβον, se timere Deum, ne rea fieret participatione peccati alieni, ostendebat magno zelo ἀγανάκτησιν, se non tãtùm gemere & dolere de admisso flagitio, sed justa indignatione se illud publicè detestari, ostendebat ἐκδίκησιν se nõ impunita relinquere talia, sed externa mulcta notare in impœnitentibus, ostendebat ἐπιπόθησιν, se nihil aliud quærere, & desiderare, quàm ut lapsus resipisceret, & Deo reconciliaretur. Finem enim hunc debere esse, Paulus ostendit, ut & lapsi, & qui alienis peccatis communicarunt, contristentur secundum Deum, & dolor secundum Deum pariat pœnitentiam ad salutem non pœnitẽdam, 2. Cor. 7. Et quia hic finis est disciplinæ Ecclesiasticæ, ut fratres lucretur ad pœnitentiam, ideò Christus instituit talem processum, Matth. 18. ut vel privatim, vel in præsentia testium, vel in facie Ecclesiæ, 1. Tim. 5. lapsi arguantur. Et si corre

Processus in excommunicatione servandus.

ptionem acceperunt ad resipiscentiam, Christus non vult aliquid aliud imponi, sed dicit: Lucratus es fratrem tuum. Atq; ita 2. Tim. 2. Paulus dicit. Servum Domini oportet placidum esse erga omnes, paratum ad docendum, tollerantem malos, cum mansvetudine corripientem eos, qui obsistunt veritati, si quando det ipsis Deus pœnitentiam, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur, ad ipsius voluntatem. Si verò

Universidad de Deusto
Biblioteca

tales correptiones lapsi non audierunt, dic, inquit, Ecclesiæ, quæ & publicè & publico nomine tales lapsos graviter & acriter increpabat, reprehendebat, corripiebat, redarguebat, & excõmunicabat. Hoc enim Paulus vocat ἐπιτιμίαν ὑπὸ πλειόνων. Quando verò postea ipso facto animadvertebant, tales excommunicatos secundum Deum contristatos, peccati magnitudinem agnoscere, iram Dei expavescere, ac seriò petere remissionem & reconciliationem cum Deo & cũ Ecclesia, ut rursus in Ecclesiæ cõmunionem reciperentur. Tunc Ecclesia, videns se finem, quem disciplina sua quæsierat, assecutam, talem adhibebat moderationem, ne is, qui jam secundum Deum contristatus erat, nimia severitate, vel in desperationem, vel in dedolentiam, aut in sensum reprobum conjiceretur, hoc est, sicut Paulus loquitur, ne immodica tristitia absorberetur, vel à Satana circumveniretur, 2. Corinth. 2. Quia enim finis disciplinæ Ecclesiasticæ hic est, ut cor durum & impœnitens exaggeratione peccati & iræ divinæ teneatur, ut in seria peccati agnitione, displicentia, detestatione, & reatus confessione, vera ac ardenti fide petat à Deo remissionem: Severitas igitur ibi adhibenda est, ubi cor securum, impœnitens, & durum est, & ideò adhibenda est, ut humilietur & conteratur ad pœnitentiam, ne impœnitentia & securitas foveatur & augeatur, vel, ne audacia & petulantia peccandi, lenitate excitetur & confirmetur. Vbi verò pœnitentia adest, vel quando cor durum adductum est ad resipiscentiam, ibi opus est consolatione, quæ promissione Evangelii, annunciante ex gratia Dei remissionem peccatorũ propter Christum credentibus offertur & applicatur. Calamus enim quassatus non est conterendus, nec linum fumigans extinguendum, Esai. 42. sed contriti corde sanandi, captivis prædicãda dimissio, vinctis solutio, id quod fit, quando pauperibus annunciatur Evangelium, Esa. 61. Luc. 4.

Excommunicatorum receptio in cõmunionem Ecclesiæ.

Quando severitate utendum.

Quando lenitate.

Quia igitur Ecclesia Corinthiaca erga incestum illum, eo, quòd cor ipsius fuerat securum & impœnitens, severitate disciplinæ usa fuerat, & videbat operatione Spiritus sancti illud, quod per disciplinam quæritur, apud ipsum effectum esse, quòd scilicet peccati sui magnitudinem intelligebat, agnitione & sensu iræ Dei contristatus erat, ac ardenti fide humiliter & seriò quærebat, & petebat gratiam Dei, ut per ministerium verbi à peccatis solveretur: Cogitabat igitur Ecclesia lapsum illum rursus esse recipiendum, annunciandam ipsi esse ex Evangelio remissionem, & per claves Regni cœlorum impertiendam illi solutionem peccatorum. Quia verò enorme erat commissum flagitium, & antea ab Apostolo, ob nimiam levitatem, erga lapsum illum acriter fuerunt reprehensi, causam retulerunt ad Apostolum: Quid in tali casu esset faciendum. Et circumstantiis ita, sicut exposuimus, se habentibus, Paulus approbans consilium & sententiam Corinthiorum, respondit: Ei, qui hujusmodi est, sufficit increpatio illa, quæ facta est à pluribus, hoc est, à tota Ecclesia, adeò ut, sicut antea, cùm securus & impœnitens esset, ipsum accusastis, redarguistis, retentione peccatorum ligastis, ita nunc cùm ad resipiscentiam adductus sit, è diverso multò magis ipsum consolari, & peccatũ ei condonare seu remittere debeatis, ne immodica tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est. Et postea addit aliam rationem: Ne circumveniamur à Satana, non enim ignoramus ipsius machinationes. Et pro ratificatione sententiæ Corinthiorum addit Paulus hæc verba: Cui condonatis aliquid, & ego condono, & suum exemplum de recipiendis lapsis adducit, subjiciens: Nam & ego, si quid condonavi, cui condonavi, propter vos condonavi in persona Christi, quæ scilicet is promisit. Matth. 18. Vbi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Quicquid ergo solveritis in terra, erit solutum in cœlo. Monet igitur Paulus, ut sicut antea publico Ecclesiæ judicio fuerat excommunicatus incestus ille, & traditus Satanæ, hoc est, communibus Ecclesiæ suffragiis declaratum fuerat, ipsum non esse Christi, sed Satanæ membrum, ut ita nunc vicissim receptionem & reconciliationem ejus, publica Ecclesiæ authoritate, & communibus suffragiis, ratam habeãt. Hoc enim volunt verba Pauli: Quapropter obsecro vos κυρῶσαι εἰς αὐτὸν ἀγάπην, ut charitatem, qua resipiscentes complecti debetis, erga ipsum publicis suffragiis declaretis & confirmetis. Significat enim κυροῦν, communibus quasi suffragiis & publica authoritate aliquid comprobare, confirmare, ratum facere & habere.

Corinthij quid retulerint ad Paulum.

Responsio Pauli de recipiendo excommunicato.

Hanc esse sententiã illius loci Paulini, circunstantiæ contextus, & ipsa historia manifestè ostendunt, quam ideò hoc loco fusius aliquantò recensere volui. Est enim sedes materiæ (sicut vulgo loquimur) de disciplina Ecclesiastica, hoc est, de excommunicatione, de publica pœnitentia, & publica absolutione & receptione lapsorum, qualis fuerit tempore Apostolorũ, quo consilio, qua ratione, quo fine, & qua moderatione illa instituta, observata & usurpata fuerit. Et debuisset concilium Tridentinum operam dare, ut talis Apostolica disciplina, quæ Ecclesiæ utilis ac salutaris, & hisce temporibus omnino necessaria esset, restitueretur. Nunc verò omissa disciplina ac necessaria consolatione, quæ illo loco traditur, de nundinationibus suarum indulgentiarũ fabulantur, de quibus Paulus, cùm illa scriberet, ne per somnium quidem cogitavit, quod non difficile nec obscurum erit ostendere. Revocetur itaq; in memoriam descriptio indulgentiarum Papalium, & inter has atq; inter Paulinã sententiam instituatur collatio, & res plana erit. Primò enim Pontificii dicunt, pœnitentiam agentibus & credentibus culpam remitti in absolutione: post ejus verò remissionem imponendas pœnas satisfactorias, quas per indulgentias redimi & relaxari fingunt. Et idem factum fuisse in casu illo, 2. Corin. 2. Sed Corinthiacus ille nequaquam antea fuerat à peccatis absolutus, sed fuerat securus & impœnitens, atque ideò traditus fuit Satanæ, ut afflictione carnis, publica correptione & contristatione, ad pœnitentiã adduceretur. Neq; enim Paulus ipsum Satanæ tradidisset, si pœnitens & credens à peccatis absolutus fuisset. Secundò, Paulus nõ imposuit Corinthio mulctam publicam, ut suis illis pœnis & afflictionib. Deo pro

Sedes doctrinæ de disciplina Ecclesiastica.

Accommodatio sententiæ Pontificiæ de indulgentiis ad quæstionem & negotium Corinthiacum 2. Cor. 2.

prò peccato incestus satisfaceret: nulla syllaba hoc ex Paulo probari potest: imò tota Pauli doctrina clamitat, Christum sua obedientia, passione & morte, pro peccatis nostris satisfeciss, & factum esse nostram redemptionem. Causam verò & finem illius contristationis Paulus ipse scribit, hanc fuisse, ut ea operaretur pœnitentiã, & esset, δόκιμη, an seria & vera esset pœnitentia. Tertiò condonatio, de qua Paulus 2. Corint. 2. loquitur, fuit ipsa absolutio seu remissio peccatorũ à culpa & pœna. Dicit enim, se loqui de tali condonatione, quæ conscientiis affert firmam consolationem, ut non absorbeantur tristitia: sed pacem habeant erga Deum, quod fit, quando fide justificamur accepta remissione peccatorum, Roma. 4. & 5. Et verbum χαρίζεσθαι significat gratuitam & donariam remissionem debiti, Lucæ 7. Cùm debitores non essent solvendo, condonavit utrisque. Ephes. 4. Condonate vobis, sicut & Deus in Christo vobis condonavit. Coloss. 3. sicut Christus condonavit vobis, ita & vos. Coloss. 2. Cùm essetis mortui in delictis, convivificavit vos cum Christo, condonans vobis omnia delicta, deleto quod adversus nos erat, Chyrographo. Nequaquam ergo de Pontificiis indulgentiis loquitur.

Rossensis argutiatio.

Rossensis argutatur: Corinthium illum ante hãc condonationem, de qua Paulus loquitur, habuisse remissionem culpæ, atq; ideo aliam esse condonationem, 2. Corinth. 2. Idq; inde probare conatur, quia charitatem habuerit. Paulum enim dicere: Confirmate in illo charitatem. Sed Paulus loquitur de charitate Corinthiorum erga resipiscentes, quam vult erga ipsum declarari, non enim dicit, ἐν αὐτῷ, sed εἰς αὐτὸν, erga ipsum. Quartò, falsum est, quòd Paulus precium pro solvendo debito incesti ex operibus supererogationis Ecclesiæ Corinthiacæ sumpserit. Clamitat enim, sanctam Christi passione esse ἀντίλυτρον pro peccatis nostris. Et magna vehementia inquit: Nunquid Paulus pro vobis passus & crucifixus est? Quintò, neq; hoc verum est, certum numerum, vel dierum, vel annorum publicæ eius pœnitentiæ fuisse à Paulo præscriptum, & si post acceptam absolutionem, ante peractam sine indulgentiis canonicam satisfactionem mortuus fuisset, in purgatorio ipsi ardendum fuisse: Nullam enim dictionẽ de hujusmodi figmentis Paulus habet: sed terminus ac meta illius castigationis fuit vera ac seria pœnitentia. Cùm igitur videret Paulus lapsum contristatum esse ad pœnitentiam, non dicit. Supereſt post Absolutionem alia pœna: sed inquit (ἱκανὸν) sufficit ei, qui hujusmodi est, talis correptio. Postremò, non nisi impudentissimè fingi potest, Corinthium illum dedisse pecuniam ad redimendas indulgentias. Manifestissimum igitur est, locũ illum Pauli 2. Cor. 2. nullo modo confirmare Pontificias indulgentias: sed fundamenta earum prorsus subverti ex illo loco. Atque hæc fuit causa, quòd Antoninus & alii nolnerunt causam indulgentiarum hoc loco Pauli committere. Et tamen Lindanus sperat, se hominibus in hac Evangelii luce affectata sua eloquentia hoc persuadere posse. Quod tamen ne ipsi quidem Romano Pontifici posset gratum accidere. Si enim huic loco inniterentur indulgentiæ, tunc sequeretur, in concessione indulgentiarum nõ plus posse Paulum vel Papam, quàm reliqua membra Ecclesiæ. Paulus enim dicit: Cui condonatis aliquid, & ego condono. Atqui ærarium Ecclesiæ Romanæ nunquam concedet, in conferendis indulgentiis Papam non plus esse, quàm alios inferiores Sacerdotes. Ita enim tota negociatio indulgentiarum Romanensium concideret. Huius loci Paulini circumstantias ideo diligentius aliquantò expendere volui: Postea enim, ubi de Canonibus pœnitentialibus dicendum erit, huius explicationis usus erit, ut rectè dijudicari possit, quatenus & quando Canonica illa pœnitentia consentanea fuerit verbo Dei, quomodo verò & quãdo à norma & regula scripturæ cœperit deflectere.

Pontificij ipsi diffidunt huic argumento Scripturæ.

TERTIVM ARGVMENTVM.

De reconciliatorum cautelis.

EX locis scripturæ, ubi recõciliatis post remissionem peccatorum scribuntur pœnæ seu afflictiones à Deo impositæ, contexere conantur Pontificii ad stabiliendam doctrinam de indulgentiis, ut: 2. Reg. 12. Cùm Deus abstulisset peccatum adulterii & homicidii Davidis, tamen additur: Quia inimicos blasphemare fecisti Dominum, ideo infans morte morietur. Item: Suscitabo super te malum de domo tua, tollam uxores, & dabo proximo. Ita 2. Reg. 24. cùm David orasset pro remissione peccati numerati populi, & eam sine dubio impetrasset: tamen immittitur pestis super totum populum. Et Exod. 32. Cùm Moses pro noxa populi deprecatus fuisset, Deus respondet, in die visitationis visitabo & hoc peccatum eorum. Nume. 14. Dimisi peccatum populo: attamen nemo eorum videbit terram promissionis. Numer. 12. Miriam lepra percutitur licet Moses oret pro dimissione. Et primi lapsus pœnas etiam post remissionem Adam instituit, Gen. 3. Ac peccati originalis, licet in Baptismo dimissi pœnas temporales etiam credentes per totam hanc vitam sustinere coguntur, Ro. 8. Ex illis autem & similibus scripturæ locis primò concludunt Pontificii, reconciliatos post remissionem culpæ & pœnæ æternę manere obligatos ad pœnam aliquam temporalem pro peccatis, vel in hac vita, vel in purgatorio luendam, ut sit pars aliqua satisfactionis vel expiationis peccatorũ. Iustitiam illam Dei nullum peccatum dimittere impunitum sive inultum: sed, sicut scriptum est, Deut. 25. juxta mẽsuram delicti debere esse etiam plagarum modum. Et Christum quidem sua obedientia & passione solvisse pro culpa & pro pœna æterna: pro pœna verò temporaria, sive in hac vita, sive in purgatorio luenda, nobis ipsis esse satisfaciendum. Quia vero Scripturæ exempla testantur pœnas temporarias aliquando vel mitigari, vel condonari, seu tolli agentibus pœnitentiam, sicut de Ninivitis scriptum est. Ionæ 3. & sicut Daniel Regi consuluit, ut peccata redimat Eleemosynis seu justitia. Et Num. 16. sæviente jam incendio divino, cùm Aaron offerret thymiana, & stans inter vivos & mortuos deprecaretur Dominum, plaga cessavit. Ita 2. Reg. 24. David humilians se & orans obtinuit, ut tempus pestis abbreviaretur. Inde Pontificii alteram faciunt conclusionem, obligationem scilicet illam ad pœnas

Poenæ Davidis post adulterium & homicidium.

Post peccatũ numerati populi. Exod. 32.

Num. 14.

Num. 12.

Axioma Pontificiũ de pœnis temporalibus.

Aliud.

Aliud.

Universidad de Deusto
Biblioteca

temporarias posse vel nostris propriis, vel aliorum Sanctorum indebitis satisfactionum operibus, tanquam precio ad solvendũ debitum sufficienti, sicut Bonaventura loquitur, compensari, expiari, & tolli, aut Pontificiis indulgentiis posse redimi, relaxari, aut dimitti.

Largæ profectò ac valdè liberales sunt istæ conclusiones. Sed videndum est, an allegata Scripturæ dicta hoc, quod ipsi volunt, sentiant & efficiant. Tota autem hęc doctrina in secunda parte, cùm de Satisfactione ageremus, explicata est, ideo hoc loco breviores erimus.

Certum igitur, atq; extra controversiam est, reconciliatos in hac vita, vel communibus calamitatibus subjici, vel quosdam aliquando certis pœnis adorari. Sed quæstio, quæ in controversia est posita, hæc est: propter quas causas, quo consilio, & in quem finem, Deus reconciliatis post remissionem castigationes imponat? Verissimum sanè est, Deum nullum peccatum remittere sine æquivalente & sufficiente precio, quo legi suæ plenissimè & perfectissimè satisfiat. Sed illud precium obedientia & passione Filii Dei Mediatoris plenè, perfectè, & sufficiẽter pro nobis persolutũ est. Et propter illud Deus credentes ita in gratiam recipit, ut totum debitum ipsis remittat, & debitores solutos pronunciet, ut peccata ipsis non velit imputare, Imò iniquitatum non velit amplius recordari. Si itaq; cum Pontificiis diceremus, in reconciliatis post remissionem peccatorum remanere reatum, seu obligationem ad partem aliquam pœnæ pro peccatis, vel tanquam vindictam Dei, vel tanquam satisfactionem nostram, tunc sequeretur inde vel redemptionem, satisfactionem, & persolutionem Christi pro peccatis nostris præstitam, esse dimidiatam, semiplenam, mutilam & mancam, ita ut nostræ actiones & passiones unà cum Christi obedientia, & passione ingrediatur articulum redemptionis, expiationis & satisfactionis pro peccatis, & nostra etiam opera partem aliquam redemptionis, expiationis, & satisfactionis sibi vẽdicent, quasi Christus non maledictum, sed tantùm pars quędam maledicti pro nobis factus sit, & tantùm à parte quadã maledictionis legis non liberârit, cujus reliqua pars, vel ipsis credẽtibus sit exolvenda, vel aliunde redimenda: Vel sequeretur, Deum non omnia peccata credentib. propter Christum condonare, nec totum debitum remittere: sed fallere, quando credentibus promittit, se iniquitatum ipsorum nõ velle amplius recordari, nec peccata ipsis imputare: vel sequeretur, falsum esse, quòd Christus juramento interposito affirmat: Quicquid in terra solvitur, in cœlis solutum esse, si partem vindictæ Deus ligatam retineret: vel sequeretur, ministros Ecclesiæ fraudulenter, & non ex voluntate Domini, administrare claves Regni cœlorum, si Domino dimittente totum debitum, minister solvendo partem aliquam retineret. Sed manifestè patet, & suprà demonstratum est, hæc pugnare contra præcipuos ac luculentos fidei nostræ articulos.

De causis calamitatũ in reconciliatis.

Negativè.

Quando igitur recõciliatis post remissionem peccatorum imponuntur à Deo vel communes calamitates, vel peculiares castigationes, non sunt pars aliqua offensæ & vindictæ divinæ ob peccata quæ remissa sunt. Neque enim tali modo Deus vult fratribus nos dimittere peccata, ut partem aliquam offensæ & vindictæ nobis reservemus: cùm tamen jubeamur ita nobis mutuò condonare, sicut Deus nobis condonat. Et ex antitheſi seu collatione res planius intelligi poterit. Quando enim reprobis à Deo in hac vita immittuntur calamitates, in illis sunt signa & testimonia secuturæ æternæ damnationis, & pars quædam maledictionis æternæ. Hanc certè rationem castigationes in reconciliatis nõ habent. Deinde quando securis & impœnitentibus immittuntur à Deo calamitates, tunc sunt conciones offensæ divinæ, & excitationes ad pœnitentiam, cùm pœnæ clamitent, personam illam esse sub ira Dei & perituram, nisi agat pœnitentiam, & Deo propter Christum reconcilietur. In illis verò, qui agunt pœnitentiã, & fide propter Christum Deo reconciliati sunt, ac remissionem peccatorum acceperunt, calamitates, quæ postea à Deo immittuntur, nequaquam sunt satisfactiones pro mensura delicti. Dictum enim Deute. 25. loquitur de judicio forensi, & de mulctis politicis. Et tales castigationes non omnibus reconciliatis, nec semper, nec æqualiter à Deo imponuntur, sicut exempla Publicani, Magdalenæ, Paralytici, &c. ostendunt, & omnium temporum experientia docet. Nec sunt castigationes illæ signa, Deum adhuc reconciliatis offensum esse, & ipsos adhuc esse sub ira Dei, si non in totum saltem ex parte aliqui. Hæc enim pugnant cum gratia, misericordia, & reconciliatione divina. Sed castigationes illæ habent alias causas & alios fines, ut scilicet, Primò caro peccati crucifigatur & mortificetur, ut remisso peccato etiam infirmitas in carne reliqua sanari incipiat, Psalm. 103. radices peccatorum evellantur, petulantia carnis reprimatur, ne denuò in alia flagitia præcipitentur reconciliati, & ad vomitum redeant. Secundò, ut sint commonefactiones, ne obliviscamur purgationis peccatorum, 2. Petr. 1. sed semper rediganr in memoriam, quàm immensum Dei beneficium sit remissio peccatorum seu reconciliatio, ut ita fides solicitè curet gratiam retinere, & in bonitate Dei permanere, Roma. 11. ne illam vel securitate amittamus, vel petulantia excutiamus. Tertiò, ne peccata ipsa per se, ideo, quia personæ credenti jam remissa sunt, nec imputantur, extenuentur, excusentur, aut defendantur: sed ut conspiciatur quanta sit abominatio & atrocitas peccati per se, licet credẽti ex gratia remissum sit, & fidelibus non imputetur. Rectè enim Augustinus dixit: Nullum scelus coram Deo tàm abominabile esse, quàm de præteritis peccatis, quæ dimissa sunt, reminiscendo gaudere & inde exultare. Sunt igitur calamitates illæ piorum, & ipsis reconciliatis domesticæ commonefactiones, & sunt publica spectacula aliis etiã proposita, ne ideo, quia peccata credentibus ex gratia remissa sunt, vel ipsi vel eadem, vel similia peccata securè admittant, comminationes divinas spernant, & judicium Dei contemnant, sicut scriptum est, 1. Petr. 4. Si judicium à domo Dei incipit, quis finis eorum erit, qui non credunt Evangelio? Quartò, ut reconciliati

Aliæ causæ calamitatũ in impiis, aliæ in reconciliatis.

Causæ castigationũ pœnarum.

I.

II.

III.

Augustinus.

IIII.

ciliati semper circumferãt testimonium de peccato, in carne habitante, de pœnitentiæ, fidei, & emendationis squalida imperfectione, ac de multiplicibus infirmitatibus: ut subinde excitetur, accendatur, crescat & augeatur pœnitentia, fides & charitas: & breviter, ut castigationes sint materia exercitiorum spiritualium, patientiæ, humilitatis, spei, consolationis, perseverantiæ, &c. Ita Deus dicit, Ierem. 30. In omnibus gentibus faciam consummationem, te autem non faciam in consummationem, sed castigabo te in judicio, ut non videaris tibi innoxius. Quæ sententia repetitur cap. 46. & capit. 49. inquit: Quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibendo biberunt, & tu quasi innocens relinqueris. V. Imponuntur reconciliatis tales castigationes, ut præbeant ipsis materiam exercitiorum spiritualium, videlicet, patientiæ, humilitatis, spei, consolationis, perseverantiæ, &c. Postremò, quia corpus propter peccatum mortuum est, Rom. 8. ut aboleatur, Roman. 6. & in cinerem redigatur, Gen. 3. ut conforme reddatur Christo, & resuscitetur ad vitam æternam, Philip. 3. Ideo calamitates huius vitæ piis sunt commonefactiones de carnis resurrectione & vita æterna, quo aspirare, & capita elevare per calamitates docentur. Et quæcunque tandem causæ calamitatum, quę reconciliatis post acceptam remissionem peccatorum in hac vita à Deo imponuntur, ex scriptura afferantur, non efficietur id quod Pontificii contendunt, quod scilicet post reconciliationem seu remissionem pars aliqua pœnæ pro peccatis restet ipsis credentibus, vel satisfactionibus exolvenda, vel indulgentiis redimenda. Atq; ita unus nervus indulgentiarum Pontificiarum gladio spiritus incisus est.

V.

VI.

Secundũ indulgentiarũ fundamentum ex mitigatione pœnarum.

Lutheri distributio.

Primò recõciliatis, imponit Deus Nouæ vitæ.

Alterum nervum indulgentiis suis inde conficiunt Pontificii, quòd suprà quibusdam Scripturæ exemplis ostensum est, temporales pœnas agentibus pœnitentiam, credentibus & orantibus aliquando auferri, aliquando mitigari. Sed hæc nihil prorsus facere ad indulgentias Pontificias, luce clarius ostendi potest, si adhibeatur Lutheri distributio de iis, quæ post acceptam remissionem peccatorum reconciliatis imponuntur. Scriptura enim docet, Deum reconciliatis, post remissionem peccatorum, imponere seu injungere. Primò, ut faciant fructus dignos pœnitentia, Matth. 3. Vade, & jam amplius noli peccare, Iohã. 8. Declina à malo, & fac bonum, Psal. 34. Deponite veterem hominem, & induite novum, Ephes. 4. Abjicite opera tenebrarum, & induite arma lucis, Rom. 13. Gratia enim Dei erudit nos, ut abnegata impietate piè vivamus in hoc seculo, Titum 2. Sed hæc, quia à Deo mandata sunt, & exiguntur tanquam necessarii fructus veræ pœnitentiæ, nec debent nec possunt per ullas indulgentias, ne præstentur, condonari, aut relaxari. Esset enim verè (quod dicitur) privilegium turpitudinis, si quis fingeret, se per indulgentias posse concedere, ut credentes liberè & impunè jam post reconciliationem possint esse, non tantum sterilis & otiosa, sed mala arbor, sive, sicut apud Paulum loquuntur Roman. 3. & 6. Manebimus in peccato, ut gratia abundet. Peccabimus, quoniam sumus sub gratia. Faciamus mala, ut bona veniant. Illorum enim damnatio justa est.

Secundò, Mortificationem carnis imponit.

Secundò scriptura injungit reconciliatis post acceptam remissionem, ut carnem crucifigant cum affectibus & concupiscentiis. Gal. 5. ut facta carnis spiritu mortificent, Rom. 9. ne radix amaritudinis suppullulet, & inquinet multos, Heb. 12. Sicut in secunda parte de satisfactionibus multas tales veterum sententias annotavimus, quomodo in vera pœnitentia post reconciliationem radici, fomiti, reliquiis seu causis peccatorum, præsertim quando per diuturnam consuetudinem, quasi radices egerunt, opponenda sint contraria ad sanandas infirmitates remedia, juxta dictum Pauli Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra ad iniquitatem: ita nunc præbete membra vestra serva justitiæ ad sanctificationem. Sed & hæc, quæ sunt à Deo mandata, tanquam fructus veræ pœnitentiæ, Pontifex suis indulgentiis nec debet nec potest remittere, seu relaxare. Neque enim concedere reconciliatis, vel debet, vel potest, ut concupiscentiis carnis liberè fræna laxent, secundũ carnem vivant, & radicem amaritudinis novos lapsus pullulare sinant.

Indulgentiæ non tollunt mortificationem crucis.

Tertiò imponit afflictiones piis.

Tertiò scriptura ostendit, Deum reconciliatis aliquando post acceptam remissionem, in hac vita imponere afflictiones, seu castigationes temporarias. Quæstio jam est, an Pontifex suis indulgentiis pœnas illas possit vel plenariè relaxare, vel earum partem aliquam tollere seu mitigare. Et quàm beatus fuisset Adam, quamq; feliciter universæ suæ posteritati prospexisset, si post impositas pœnas, Genes. 3. redemisset indulgentias pro se & pro posteris suis, sex aut octo millium annorum. Ita enim nullus hominum in hac vita grave illud jugũ, sub quo omnes gemimus, ferre opus habuisset. Et stultè, ne dicam impiè, egisset Adam intermittendo talem indulgentiarum redemptionẽ, si tunc venales fuissent: facilè enim, cùm totum orbem terrarum solus tunc possideret, amplissimas potuisset redimere. Vel si hodie post Baptismum possent redimi tales indulgentiæ, ut nec patres nec fœmellę quicquam eorum, quæ Gene. 3. imponuntur, per totam hanc vitam ferre cogerentur: Divites certè semper possent redimere plenarias multorũ millium annorum indulgentias, ut in tota hac vita nihil adversi, vel in valetudine, vel in fortuna experiri cogerẽtur. Quæ omnia falsa esse, totius mundi historia & universalis experientia tantùm non clamitat. Hoc quidem verum est, pœnitentibus tales pœnas, pro Dei beneplacito, aliquando à Deo, vel relaxari, vel mitigari, juxta dictum Ierem. 18. Si gens egerit pœnitentiam, & me quoq; pœnitebit mali quod cogitâram, ut facerem ei. Et 1. Cor. 11. Si nosipsos judicaremus, non judicaremur à Domino, Luc. 15. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis. Et 1. Reg. 8. talia exempla multa recensentur. Sicut etiam testatur exemplum Ninivitarum, Ionæ 3. & Ioelis 2. Intelligitur autem pœnitentia, nõ vel de indebitis supererogationum operibus, vel de Pontificiis indulgentiis (hæc enim monstra ignota sunt Scripturæ,) sed intelligitur pœnitentia, quæ constat vera detestatione peccati, & seria agnitione iræ Dei, fide in Christum petente & apprehendente remissionem peccato-

Nec afflictiones tolluntur per indulgentias.

Pœnitentia mitigantur pœnas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatorum, quam pœnitentiam sequuntur veri fructus pœnitentiæ, in mortificatione carnis, emendatione vitæ. Et tamen, quod diligenter notandum est, quia castigationes illas Deus paterno judicio ita moderatur & dispensat, vel tollendo, seu mitigando, vel relinquendo seu exasperando, prout cuique fidelium medicinam illam utilem & salutarem esse ipse omnium optimè novit, & tamen fidelis Deus est, qui tentationi talem dat eventum, ut possimus sufferre. Ideo sancti sub cruce, in vera pœnitentia, credentes & orantes, non præscribunt Deo, quantum impositis pœnis auferre debeat: sed vera animi humilitate, sub potenti Dei manu, voluntati ipsius totos se subjiciunt, sicut David inquit: Si voluerit poterit me restituere in Regnum, si dixerit, non places, faciat quod bonum est in oculis suis. In illis enim orationibus, quibus petimus, ut pœnæ vel auferantur, vel mitigentur, semper fides addit hanc petitionem: Fiat voluntas tua, Non quod ego volo, sed quod tu vis. Sicut vetus quædam oratiuncula piè & eleganter orat, ut Deus à talibus pœnis vel liberet, vel eas mitiget, vel si paternæ ipsius bonitati aliud nobis utile & salutare videbitur, ut donet patientiam, conservet fidem, & tandem clementer salvet. Sicut etjam Bernhardi Oratio inquit: Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas. In hanc sententiam Joël dicit cap. 2. & Jonæ 3. Quis scit, si convertatur & pœniteat, & aversus à furore reddat benedictionem ne pereamus? Ita Paulus 2. Corinth. 12. ter rogavit Dominum, ut stimulum in carne & Angelum colaphizantem auferret: sed Dominus respondit: Sufficit tibi gratia mea, Nam virtus in infirmitate perficitur. Et 2. Regum 12. cùm Deus percussisset infantem Davidis, ex adulterio natum, ipse per septem dies jejunans, & pernoctans in terra, deprecatus est Dominum pro parvulo, qui tamen septimo die mortuus est.

Dispensatio afflictionum penes Deum.

Bernhardus.

Cùm itaq; hæc ita se habeant, manifestum est, dispensationes talium temporalium pœnarum non esse subjectas clavibus Ecclesiæ: manifestum & hoc est, Pontificem suis indulgentiis non posse pro sua voluntate & authoritate relaxare, sive plenariè, sive ex certa aliqua parte, vel in communi pestem, famem, bellū: vel in singulis morbum, paupertatem, & alias adversitates. Filios enim quos Deus diligit, castigat, quas castigationes si Pontifex vellet sua authoritate auferre, faceret, ut non amplius essemus filii, sed spurii, Ebræo. 12.

Afflictiones non subiectæ clavibus.

Ex tribus itaq; illis, quæ Deus juxta Scripturæ traditionem solet post remissionem reconciliatis imponere, Pontifex universis suis indulgentiis, sicut ostendimus, nihil potest remittere. Et perspicit jam Lector, qualis sit argumētatio Pontificiorum: Deus reconciliatis aliquando solet castigationes quasdam imponere, quas pœnitentibus & orantibus aliquando solet vel tollere vel mitigare. Ergo Romanus Pontifex suis indulgentiis potest de temporariis illis pœnis plenitudine suæ potestatis, vel plenariè, vel quantam partem voluerit, relaxare & remittere. Nam præter Scripturæ documenta res ipsa clamitat, hoc falsum esse.

Argumentatio Pontificiorum.

Canonica Sed ut persequamur Lutheri distributionem inter ea, quæ pœnitentibus post reconciliationem imponuntur, quartum est de pœnis quibusdam canonicis, quæ olim disciplinæ gratia à viris Ecclesiasticis sunt institutę, & pœnitentibus impositæ, de quibus postea dicemus. Sed illarum usus jamdudum exolevit, ut in praxi pœnitētię prorsus ignotæ jam sint. Illarum verò loco, quod quintum distributionis Lutheri membrum est, Pontificii commenti sunt illas pœnas sive opera satisfactionis pœnalia, quæ sine scriptura fingūt vel in hac vita persolvēda, vel in purgatorio pœnis luenda, de quibus in sequentibus dicemus. Illarum itaque postremarum pœnarum, quæ ad quartum & quintum distributionis membrum pertinent, Pontificiæ indulgentiæ relaxationem seu remissionem polliceri possunt. Cùm verò pœnæ illæ non ex scripturæ authoritate: sed ex hominum traditionibus originem suam habeant, & alteræ jamdudum sint apud ipsos etiam Pontificios obsoletæ: alteræ verò sine Scriptura sint fictitiæ seu commentitiæ: Erunt igitur Pontificiæ indulgentiæ revera fallaces relaxationes talium pœnarum, quæ per traditiones humanas institutæ, & vel jamdudum obsoletę, vel sine scriptura recens confictæ sunt. Quæ omnia postea clarius patefient. Hoc verò loco occasione argumenti, de castigationibus reconciliatorum volui repetere Lutheri partitionem, qua luculenter ostendit, Pontificias indulgentias nihil eorum, quæ Deus reconciliatis imponit, remittere: sed esse relaxationes humanarum traditionum, quæ partim obsoletæ, partim commentitiæ sunt. Nequaquam igitur tanti sunt, quanti venduntur.

pœna Ecclesiæ.

Pœnalia opera satisfactionis fictitia.

Verum obiectum indulgentiarum Pontificiarū quod sit.

Indulgentia remittit pœnas vel obsoletas, vel fictitias.

QVARTVM ARGVMENTVM.

EX Scriptura desumptum, quo Pontificii probare conantur, Thesaurum Ecclesiæ ex sanctorum passionibus & operibus supererogatoriis congestum, unde Romanus Pontifex pro plenitudine potestatis suæ indulgentias dispenset, est locus Pauli Colos. 1. Adimpleo ea quæ desunt passionū Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Hanc enim Pauli sententiam ita & intelligunt, & intelligi volunt, quòd passionibus Christi, quibus peccata nostra expiavit, & stipendium peccati sustulit, redimēs nos à maledicto legis, aliquid defuerit, quò minus plena, perfecta, consummata, & sufficiens satisfactio esse posit pro peccatis nostris. Illum verò defectum passionis Christi supplendum esse passionibus Sāctorum. Et sicut Christus passus est pro nobis, hoc est, pro expiatione ac redemptione nostra, satisfaciens passione sua pro peccatis nostris: ita Paulum & reliquos etiam pati pro Ecclesia, supplendo id, quod satisfactioni Christi defuit. Et illud suum supplementum voluisse Sanctos dispensari & applicari aliis, per Pontificias indulgētias ad satisfactionem aliquam, hoc est, sicut Bonaventura loquitur, ad precium aliquod solutionis pro peccatis, ideo, quia precio Christi aliquid defuerit. Sed hæc explicatio adeo non est analoga fidei, ut piæ aures & animi seriò exhorrescant, si quis dicat, passionibus Christi aliquid defuisse, quò minus plena, consummata & sufficiens fuerit satisfactio & expiatio pro peccatis nostris. Ideo enim personam Mediatoris oportuit Deum & hominem esse, ut obedientia & passio ipsius esset æquivalens, sufficiens, imò superabundās λύτρον pro peccatis nostris. Et omnium nostrum peccata Pater conjecit in ipsum, percutiens ipsum propter peccata nostra, ita ut voluerit ipsum conterere. Non enim partem iræ vel maledictionis: sed totam iram suam eum universis fecibus maledictionis Pater effudit in calicem illum, quem filio Mediatori in passione bibendum proposuit. Et Christus in cruce traditurus Patri spiritum dicit: Consummatum est, qua voce testatur, omnia ea, quę ad expiationem peccatorum, & ad redemptionem à maledicto Legis necessaria erant, obedientia & passione sua plenè, sufficienter, & abundanter consummata & persoluta esse. Inde Ebræ. 10. scribitur, Legem non potuisse accedentes perfectos reddere. Christum verò unà pro peccatis oblata victima, unica illa oblatione consummasse seu perfectos effecisse, eos qui sanctificantur. Et Ebr. 9. per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione parta. Contra summos hosce articulos non tantùm pugnat: verùm manifestè blasphemat Pontificiorum explicatio. Nec Paulus post conversionem unquam blasphemiam illam vel in mentem vel ad aures admisisset, se ita pati pro Ecclesia, sicut Christus pro nobis passus est, ut qui suppleret defectū passionis Christi, Pauli enim vox est, Rom. 5. Per obedientiam unius, justi constituuntur multi. Et qui exuberantiam gratiæ ac doni justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Et 2. Corinth. 5. Vnus pro omnibus mortuus est. Imò 1. Corint. 1. magna vehementia inquit: Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? Et 1. Iohan. 1. Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantùm: sed etjam pro totius mundi. Et Sanctos de operibus suis coram judicio Dei ad satisfactionē, expiationem seu redemptionem, nec velle, nec posse aliis aliquid commodato, seu usui dare, manifestus textus est, Matth. 25. Et Psal. 49. Nemo fratrem suum redimere potest, nec Deo precium redemptionis ejus persolvere. Hæc manifesta sunt. Cogitetur autem quale sit dogma indulgentiarum, quod ex talibus mendaciis & blasphemiis, cōtra summos & præcipuos fidei nostræ articulos, constat.

Quarū fundamentū indulgentiarū ex scriptura. Coloss. 1.

Horrenda dicti Paulini depravatio.

De Phrasi Paulina, Coloss. 1.

ὑστερήματα Passionum Christi.

Sed excipiunt, tamen textus dicit: Paulum adimplere ea, quæ desunt passionibus Christi. Respondeo: Ne vetus quidem translatio dicit, passioni Christi aliquid deesse: sed quæ desunt passionum Christi. Et ὑστερήματα Paulus vocat, quę ex passionibus Christi adhuc reliqua supersunt, Nunquid verò Christo in sua persona amplius patiendum erit? Nequaquam. Paulus enim dicit Rom. 6. Christus resurgens ex mortuis ultra non moritur, mors illi amplius non dominabitur: quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel. Sed quia fratrum suorum afflictiones ad se refert, tanquam membrorum ad caput, sicut inquit: Saule quid me persequeris? Omnium igitur Sanctorum afflictiones sunt ὑστερήματα, reliquiæ passionum Christi. Nam & totum corpus,

Refutatio huius blasphemi somnij.

hoc est, membra unà cum capite appellatione Christi intelliguntur, 1. Corin. 12. Christus igitur semel passus est in se pro redemptione mundi. Patitur autem adhuc quotidie in membris suis, quorum passiones ad se, quia caput est corporis, refert. Et afflictiones Sanctorum vocantur παθήματα Christi, ut hac ipsa appellatione dulcescat Crux piis. Nam dicimur Christo συμπάσχειν, ut conformes efficiamur imagini ipsius, Rom. 8. & sequamur vestigia eius, 1. Pet. 2. ita 2. Cor. 1. Passiones Christi abundant in nobis, ut ita per Christū abundet & consolatio. Et 1. Pet. 4. Sicut communicatis passionibus Christi, seu consortes estis afflictionum Christi, ita & in revelatione gloriæ eius exultabitis. Paulus itaque nihil aliud dicit, quàm ex iis afflictionibus, quę reliquę adhuc restant seu supersunt, ferendæ corpori Christi, se tanquam membrum illius corporis non postremum mēsuram suam implere. Quod verò dicit, ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας, nequaquam intelligit, se ita pati pro Ecclesia, sicut unus Christus passus est pro omnibus, 2. Cor. 5. Dicit enim 1. Cor. 1. Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? Sed quòd hoc loco dicit, ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας, hoc Philip. 1, planis verbis explicat: Quæ mihi acciderunt, ad profectum & confirmationem Evangelii evenerunt. Multi enim meo exemplo moti animosius confitentur Evāgelium. Et ea occasione etiam in ipso prætorio innotuit doctrina de Christo. Et hoc loco Col. 2. dicit, se pati pro Ecclesia, non ut redemptorem, sed ut ministerium Ecclesiæ, dispensantem & implentem prædicationem Evangelii, in cuius veritatis testimonii & confirmationē tot afflictiones patiatur. Et quod ad Phrasin attinet, ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας, Paulus eadē Phrasi etiam alibi utitur, addita certa explicatione, ut 2. Cor. 1. Si tribulamur, id fit pro vestra cōsolatione & salute non quòd Pauli tribulationes mereantur Corinthus salutē: sed quia vestra, inquit, salus efficax est in tollerantia earundem afflictionum: certi enim sumus, quòd, sicut participes estis passionum, ita futuri estis & cōsolationis. Et 2. Cor. 4. de suis afflictionibus inquit: Omnia hæc propter vos, non sicut Christus propter vos incarnatus & passus est: sed addit explicationem, ut gratia abundans (scilicet in patientia, perseverantia, & liberatione) per multos in gratiarū actione abundet in gloriam Dei. Manifestum igitur est, & ex vocabulis, & ex rebus ipsis, locum illum Pauli prorsus non suffragari commento indulgentiarum Pontificiarum.

De formula loquendi. ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας.

QVINTVM ARGVMENTVM.

Quintum argumentum Pontificium ad stabiliendum dogma de indulgentiis. Lindanus. Locus 2. Corint. 8. an de indulgentiis loquatur.

QVod ex scriptura pro indulgentiis texunt, legeram antea apud Scholasticos & riserā, tàm impertinentia (sicut vulgus loquitur) allegata. Sed video Lindanum etiam & alios Pontificios scriptores, cùm melioribus destituantur, eodem argumento uti. Paulus enim 2. Cor. 8. in exhortatione ad contribuendas Eleemosynas pro pauperibus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, hac utitur sententia. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorū abundantia vestræ inopiæ sit supplementum. Hanc verò

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò Pauli sententiam quæstores indulgentiarum ita ad suam nundinationem torquent: Corinthii abundabant, inquiunt, pecunia, sed inopes erant meritorum: Contra verò Sancti Hierosolymitani abundabant meritis spiritualibus, à pecunia verò malè parati erant. Fingunt igitur Paulum instituisse talem permutationem sive nundinationem inter ipsos, ut Corinthii præberent manus adjutrices, conferendo largè pecuniam, & pro illa pecuniæ Sancti ex operibus suis supererogationis supplementum inopiæ Corinthiorum venderent, quod ad satisfactionem pro peccatis attinet. Ita quidem quæstores indulgentiarum. Sed Paulus seipsum, quid velit, explicat. Tractans enim eandem materiam, de contributione eleemosynarum pro pauperib. Hierosolymitanis, Roman. 15. inquit: Gentes debitores sunt sanctorum, qui sunt Hierosolymis. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentes, debent & ipsi in carnalibus ministrare illis. Quid verò per spiritualia intelligi velit, ipse disertè explicat, 1. Corinthior. 9. Loquens enim de prædicatione Evangelii, quæ prodiit ex Hierusalem ab Apostolis, inquit: Si spiritualia vobis seminavimus, quid magni est, si carnalia vestra metamus? Vnde verò inopiæ nostræ in spiritualibus, quod ad redemptionem, remissionem, satisfactionem, expiationem peccatorum, justitiam, salutem, & vitam æternam attinet, supplementum petendum sit, in eodem loco 2. Corinthio. 8. expressè explicat Paulus: Hæc, inquit, gratia Domini nostri Iesu Christi est, quod propter nos, cùm dives esset, pauper factus sit, ut nos illius paupertate ditesceremus. Et ad Ro. 1. & 5. In uno Iesu Christo est exuberantia gratiæ & justitiæ ad vitam. Est enim plenus gratia & veritate, ut ex plenitudine eius omnes accipiamus gratiâ pro gratia. Nequaquam igitur Paulus vult merita supererogationis vendenda esse aliis pro pecunia, sicut Pontificii quæstores fingunt. Est enim Scripturæ sententia: Pecunia tecum sit in perditionẽ, quia spiritualia existimasti pecuniis comparari, Actorum 8. Sed hoc tantùm dicit Paulus in illâ sua sententia: quia prædicationem Evangelii, quo antea caruistis, à Hierosolymitanis accepistis, ergo debetis ipsis hanc gratitudinem, ut externam ipsorum inopiam vestris eleemosynis sublevetis.

Refutatio.

SEXTVM ARGVMENTVM.

Sextum fundamentũ indulgentiarum.

Credo communionem Sanctorum.

POstremò fingunt, dispensationem seu nundinationem indulgentiarum fundatam esse in articulo illo fidei, quo credimus communionem Sanctorum. Communionem enim largius & latissimè interpretãtur de meritis operum supererogationis, quæ non solis factoribus propria, sed communia sint omnibus fidelibus collata, in commune quasi Ecclesiæ ærarium, ad quod solus Papa claves habeat, & pro data pecunia inde cuilibet vendat, quantum visum fuerit. Hæc profectò amplissima est consequentia, quæ ex quovis, quidvis audet conficere. Falsum enim & Scripturæ cõtrarium esse in prioribus partibus evidentissimè ostendimus, credentes suis bonis operibus posse, non tantùm pro suis peccatis satisfacere, & sibiipsis salutem & vitam æternam promereri: sed posse propterea multa supererogare, quibus ad solutionem pro suis peccatis, & ad meritum vitæ æternæ possint accommodari & imputari. Solius enim Christi obedientia & passio, expiatio, solutio & satisfactio est pro peccatis nostris & precium seu meritum vitæ æternæ, & solius Christi obedientia credentibus imputatur ad justitiam & salutem. Articulus igitur ille fidei, nequaquam loquitur de tali communione, qualem in suis indulgentiis Pontificii fingunt, quæ Scripturæ ignota est: Imò quæ contra Scripturam pugnat, & contumeliosa est in Christum. Et etiamsi per impossibile fingeretur, articulum illum fidei tale quid continere: qua quæso consequentia nundinationes & Bullæ Pontificiæ attexerentur? Certè articulus ille fidei Catholicus est omnium temporum. Sed Pontificias indulgentias tota vetustas, sicut mox ostendemus, ignoravit. Et Græca Ecclesia impostura istas nunquam recipit.

Consideretur autem quę sit juxta Scripturam articuli illius sententia: ita enim apparebit, quemadmodum Pontificii commento suo, de indulgentiis, præcipuos fidei articulos depravent, necessarias consolationes obruant, & pro auro verbi Dei non carbones: sed stercora, damna, fraudes, & impostura traditionũ humanarum supponant. Veteres enim verba illa de communione Sanctorum, in explicatione symboli Apostolici vix habent: sed addita fuerunt, non ut peculiarem articulum constituerent: sed ut essent declaratio præcedentis articuli de Ecclesia catholica, quòd scilicet sit cœtus & congregatio, seu societas illorum, qui Spiritu Christi sanctificantur, & membra sunt unius mystici corporis sub capite Christo. Nam κοινωνία etiam pro societate accipitur, ut Galat. 2. Luc. 5. & 2. Corinth. 8. Deinde quia Ecclesia, sicut Irenæus loquitur, est tãquam dives repositorium, in quod omnia bona & beneficia spiritualia sanguine Christi acquisita, quę ad remissionem peccatorum & vitam æternam consequendam necessaria sunt, Deus deposuit, ut verbo & Sacramentis credentibus dispensetur: Et quia unus est Deus, una fides, unum Baptisma, unus Christus, una justitia & vita æterna, quæ ex æquo omnibus credentibus in Ecclesia proponuntur & applicantur, Ita, ut credentes communiter omnes habeant cõmunionem seu participationem eorum bonorũ, quæ in sequentibus articulis de remissione peccatorum, & de vita æterna continentur. Inde consolatione dulcissima Ecclesia vocatur communio Sanctorum. Licet enim dona in sanctis sint differentia: tamen quod ad remissionem peccatorũ & vitam æternam attinet, communio est omnium Sanctorum, qui communiter, similiter, & ex æquo omnes gratia Dei, propter meritum Christi, fide accipiunt remissionem peccatorũ & vitam æternam. Ideo enim in Symbolo coniuncti sunt illi articuli, communio Sanctorum, remissio peccatorum, & vita æterna. Tertiò, quia sancti membra sunt unius corporis, officia igitur charitatis inter ipsos communia sunt & esse debent, sicut exemplo membrorum in corpore humano Paulus illud ostendere & explicare solet. Et hæc est Sanctorum communio juxta Scripturæ interpretationem. Nequaquam autem, vel de meritis supererogationis, vel de Pontificiis indulgentiis articulus ille fidei loquitur: Paulus enim justitiam, remissionem peccatorũ, & vitam æternam docet à capite subministrari membris Ecclesiæ. Ex ejus enim plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Quàm insigni igitur depravatione Pontificiæ indulgentiæ in illum fidei articulum intendantur, manifestum est.

Sententia vera horum Symbolo communio Sanctorum.

Ecclesia cur dicta sanctorum communio.

I. II. III.

Hæc sunt præcipua argumenta ex Scriptura, quibus Pontificii falsò, fraudulenter, & malitiosè conantur Romanenses indulgentias probare, & stabilire. Quæ enim præterea afferre solent, vel ad hæc capita referri possunt, vel indigna sunt, quibus respondeatur, ut quod quidam adducere solent ex Psalmo 119. Particeps sum ego omnium timentium te. David enim hoc tantùm dicit, quòd non privatim apud se tantùm credat, confessionem verò metu periculi fugiat: sed quòd disiungat se ab impiis, (sicut inquit: Funes impiorum circumplexi sunt me: sed legis tuæ non sum oblitus) quodq; publica confessione ostendat, se socium esse omnium, qui timent Dominum, & custodiunt mandata ejus (חבר enim socium significat) & Græci reddiderunt κοινωνόν, quod socium significat, Lucæ quinto. 2. Corinth. 8. Inde verò indocti fecerunt pontificiale Participium, capiens in nundinationibus indulgentiarum partem à populo, partem à clero, partem ab utroque. Lindanus pro ærario indulgentiarum Pontificiarum allegat illud Psalm. 121. Cujus participatio ejus in idipsum, cùm non ignoret Psalmum hoc dicere: Ierusalem ædificatam esse, ut sit civitas, in qua sit conjunctio seu consociatio talis, sicut mox declaratur, ut illuc ascendant tribus Domini ad testimonium Domini & ad judicia. Præterea non defuerunt, qui ad negocium indulgentiarum detorserunt, illud Psalm. 149. Ad faciendam vindictam in nationibus, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manibus ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum. Sed hoc modo etjam Alcorani commenta ex Scriptura probari poterunt. Desino igitur similia deliramenta recitare.

Recepta allegationes Scripturæ.

Lindani testimonii pro indulgentiarũ assertione.

CAPVT IIII.

QVOD INDVLGENTIAE PONTIFICIAE, *sicut suprà eas descripsimus, primæ & veteri Ecclesiæ, hoc est, universæ, veræ, eruditæ, puriori antiquitati, per annos fermè mille & ducentos prorsus ignotæ fuerint.*

Indulgentiæ destituuntur omni vetustatis testimonio.

IN cæteris controversiis Pontificii veterũ quorundam Scriptorum seu Patrum sententias, & antiquitatis consvetudines quasdam producere solent. In hac verò de indulgentiis disputatione, non possunt, vel ulla Patrum testimonia, vel ulla veteris Ecclesiæ exempla proferre, quòd talis vel doctrina, vel usus talium indulgentiarum ullo unquam tempore, usque ad annos post natum Christum mille ducentos in veteri Ecclesia fuerit, sicut Italica Pontificiorum practica habet, Et ad hujus rei probationem nullum certius & efficacius argumentum est, quàm propria ipsorum Adversariorum confessio. Durandus enim disertè hoc fatetur hisce verbis: De indulgentiis pauca dici possunt per certitudinem, quia nec Scriptura expressè de eis loquitur, sancti etjam Patres, Ambrosius, Hilarius, Hieronymus, Augustinus minimè loquuntur de indulgentiis. Antoninus etjam hoc fatetur illis verbis: De indulgentiis nihil expressè habemus ex sacra Scriptura: nec etjam ex dictis antiquorum Doctorum, sed modernorum. Addunt quidem, quod vulgò dicatur, Gregorium circa annum Domini 600. in Romanis stationibus dedisse septennes indulgentias. Sed audi quid Magister Angularis ad Vvesselum scribat, circa annum Domini 1470. Verum est, inquit, de indulgentiis nihil expressè ex sacra Scriptura haberi, nihil de his veteres scripsisse Doctores, quanquam Gregorius dicatur, quod tamen nusquam legi, septennes Romanis in stationibus indulgentias collocasse. Audis ipsos Pontificios fateri illud, quod dicatur de Gregorii indulgentiis, nusquam legi. Nam nec ex Gregorii scriptis, nec ex ullis historiis ostendi hoc potest: sed fabulæ, vel, sicut Terentius loquitur, λόγοι sunt. Et post Patrum etjam tempora, si ordine recenseantur Scriptores Ecclesiastici, in nullo deprehenduntur vestigia vel doctrinæ, vel praxeos de indulgentiis, ne apud posteriores quidem, qui ante annum Domini 1200. scripserunt, ut sunt Rupertus Tutiensis, Anshelmus, Bernhardus: imò nec apud Magistrum Sententiarum, nec in Decreto Gratiani quicquam habere de Pontificiis indulgentiis. Hæc manifestissima sunt. Et Roffensis hoc non dissimulat. Inquit enim: Multos fortasse movet, indulgentiis istis non usq; adeò fidere, quòd earum usus in Ecclesia videatur fuisse recentior, & admodum serò repertus apud Christianos. Et postea respondet: In primitiva Ecclesia non tàm necessariam fuisse, sive Purgatorii, sive indulgentiarum fidem, atq; nunc sit. Itẽ inquit: Quamdiu nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quæsivit indulgentias: Nam ex illo pendet omnis indulgentiarum existimatio. Si tollas purgatorium, quorsum indulgentiis opus erit? Cùm itaq; purgatorium tàm serò cognitum ac receptum Ecclesiæ fuerit universæ: quis de indulgentiis mirari potest, quod in principio nascentis Ecclesiæ nullus fuerit earum usus? Cœperunt itaq; indulgentiæ, postquam ad purgatorii cruciatus aliquandiu trepidatum fuerat. Hæc Roffensis.

Fatetur hoc ipsi Pontificii. *Durandus.* *Antoninus.* *Magister Angularis.* *Gregorij indulgentiæ fabulosæ.* *Nec in Lombardo nec in Gratiano ex tant indulgentiæ.* *Roffensis testimonium.* *Cur veteribus ignotæ indulgentiæ.*

Nec verò tantùm destituuntur veterum testimoniis Pontificiæ indulgentiæ: sed contrarium prorsus docent veteres. Longobardus enim lib. 4. dist. 17. dicit: Deum tunc tegere pœnitentium peccata, quando ad pœnam non reservat, sed debitum pœnæ remittit. Idq; probat Augustini sententia, qui locum Psalm. 32. Beati quorum tecta sunt peccata, ita exponit: Tecta peccata, idest, cooperta & abolita. Si enim texit Deus peccatum, noluit advertere, si noluit advertere, noluit animadvertere, hoc est, punire sed ignoscere. Et addit: Deum videre peccata, est ea ad pœnã imputare: Avertere autem faciem à peccatis, est ea ad pœnam

Veteres doctores repugnant indulgentiarum commento. *Petrus Lombardus.* *Augustinus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Chryſoſt. contra indulgentias.

pœnam non reſervare. Et Chryſ. Hom. 1. in Epiſt. ad Philem. expreſsè dicit: Ad impetrãdam peccatis noſtris veniam, non opus eſſe, vel pecunias impendere, vel peregrinando ad loca longinqua tranſire. Verba ipſa Chryſoſtomi adſcribam: ὃ δ' ὅς γάρ ἐσι λύσεως τῶν ἁμαρτημάτων, οὐδὲ πόνου δεόμενον, οὐδὲ εὐαπάνης χρημάτων, ἀλλ' οὐδὲ ἄλλου τινὸς· ἀλλ' ἁπλῶς προαιρέσεως, ὀκ ἀποδημίας χρὴ σέλασθαι ὀκ ἀς τὸν ὑπερορίαν ἐλθὼν, ὀκινδύνως σωθῆναι, hoc eſt, via ſolutionis ſeu remiſsionis peccatorum, nec laboribus indiget, nec pecuniarum expenſa: ſeu ulla aliqua alia re: ſed ſimpliciter tantùm bono propoſito. Non opus eſt peregrinationem ſuſcipere, nec ultra mõtana aut externa loca petere, aut pericula adire & ſuſtinere, &c. Eandem ſententiam habet Auguſtinus Sermone de Martyribus: Nõ dixit Deus, Vade in Orientem, & quære luſtitiam: naviga uſq; ad Occidentem, ut accipias indulgentiam. Dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi. Indulge, & indulgebitur tibi. Non opus habes inquirere peccatorum tuorum indulgentiam, ſi vis, intus in cellario cordis tui poteris invenire. Bernhardus etiam Sermone primo de Adventu: Non te oportet ô homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non tranſalpinare neceſſe eſt. Non grandis tibi oſtenditur via, uſq; ad temetipſum, Occurre Deo tuo: prope enim eſt verbũ in ore tuo, & in corde tuo. Chryſoſtomus Hom. 38. in Matt. Templum Dei ſpeluncam facit Latronum, qui lucra terrena ſectatur, cultusq; religionis eo modo, non tàm cultus eſt Dei, quàm iniquæ negociationis occaſio. Nam quotidie Ieſus ingreditur templum, & ejicit omnes vendentes gratiam Dei. Suprà etiam cùm de reliquiis Sanctorum diſputaremus, oſtendimus, Gregoriũ Nyſſenum integram orationem oppoſuiſſe perſuaſioni de peregrinationibus ad loca Hieroſolymitana. Atqui pecunia & peregrinationes ſunt nervi indulgentiarum Pontificiarum, quos oſtendimus non tantùm deſtitui, verumetiam oppugnari & refutari teſtimoniis veteris Eccleſiæ. Quale igitur dogma ſit de Pontificiis indulgentiis, inde æſtimari poteſt, quòd I. Scripturæ documentis & exemplis prorſus deſtituitur. II. quòd repugnat præcipuis & manifeſtis fidei noſtræ articulis. III. quòd veteris & veræ antiquitatis in Eccleſia nulla habet, vel teſtimonia vel exempla. IIII. cujus fundamenta veterum ſententiis improbata, rejecta, & refutata ſunt. Et tamen Tridentini Concilii impudentia non veretur fingere, poteſtatem conferendi indulgentias, quales in Pontificia Eccleſia uſitatæ fuerunt, à Chriſto Eccleſiæ conceſſam, qua antiquiſsimis etiam temporibus Eccleſia uſa fuerit: cùm manifeſtiſsimum ſit, ad probandas Pontificias indulgentias, ſicut ſuprà deſcriptæ ſunt, ne unum quidem certum & idoneum veteris Eccleſiæ ſeu teſtimonium ſeu exemplum afferri poſſe. Quod enim ex ritibus publicę pœnitentiæ in veteri Eccleſia quidam ſubſidia Pontificiis indulgentiis conſcribere conantur: oſtendemus prorſus alienum & peregrinum eſſe.

Bernhardus.

Chryſoſtom.

Nervi Pontificij indulgentiarũ pecunia & peregrinationes.

Concluſio de fundamentis indulgentiarum.

Tridentinorũ impudentia.

HISTORIA DE INDVLGENTIIS, *hoc eſt, quomodo ex ritibus publicæ pœnitentiæ in veteri Eccleſia, ex mulctarum Canonicarum relaxatione, commutatione, ſeu redemptione, poſteris temporibus novum genus indulgentiarum extructum ſit.*

LIndanus, animadvertens quàm invidioſum & pudendum ſit, tàm recens eſſe commentũ Pontificiarum indulgentiarum, ut nullo probato & idoneo vel teſtimonio vel exemplo veteris Eccleſiæ, per annos à nato Chriſto fermè 1200. probari poſsit: conatur Lectoribus fucum facere ex hiſtoria canonicarum ſatisfactionum veteris Eccleſiæ. Quia enim illæ ſæpius leguntur imminutæ, decurtatæ, & relaxatæ, quando pœnitentium animus ſatis videbatur exploratus: contendit eandem etjam eſſe rationem indulgentiarum Pontificiarum, & eodem illas fundamento niti, cùm non ignoret, ritus illos veteris Eccleſiæ longè diverſos eſſe à nundinatione Pontificiarum indulgentiarum, id quod ad oculum (quod dicitur) oſtendi poteſt, ſi deſcriptio Pontificiarum indulgẽtiarum, ſuprà expoſita, ad ritus publicæ pœnitentiæ veteris Eccleſiæ conferatur. Ne itaque Lector fuco illo turbetur, de iſto Lindani argumento quædam dicenda ſunt. Vtq; refutatio ſine Lectoris tædio cum aliquo fructu fieri poſsit, hiſtorica obſervatione oſtendemus, qui fuerint ritus publicæ pœnitentiæ in veteri Eccleſia, propter quas cauſas, & quo fine canonicæ illæ mulctæ lapſis fuerint vel impoſitæ, vel relaxatæ, quomodo progreſſu temporis in rigorem & auſteritatem non tolerandam evaſerint, ut de commutationibus earum fuerit cogitandum, quæ pravæ, ſuperſtitioſæ, & impiæ opiniones, ritibus illis ſenſim acceſſerint: & quomodo tandem aliæ Satisfactiones, & novæ indulgentiæ, excogitatis aliis cauſis & finibus, excogitatæ fuerint, quæ in turpiſsimum quæſtum exierunt. Cujus nundinationis menſas, gratiam Dei turpiter cauponantes, cùm Chriſtus verbo ſuo per Miniſterium Reverendi viri D. D. Martini Lutheri potenter evertiſſet, & ex templo ſuo profligaſſet, ita, ut impudentes & profligatæ iſtæ Romanenſium Trapezitarum quæſturæ, toti jam mundo fœteant: Tàm bonus tamen lucri odor eſt ex re qualibet, ut Tridentinum Concilium nũdinationes iſtas ſub interminatione Anathematis Eccleſiæ rurſus obtrudere non vereatur. Hæc hiſtorica obſervatio multas diſputationes illuſtrabit, veram originẽ Pontificiarum indulgentiarum oſtendet, & monebit, quàm periculoſum ſit, humanis traditionibus, bona licet intentione inſtitutis & ſuſceptis, Eccleſiam obligare, & conſcientias onerare.

Lindanus ex ritibus canonicarum ſatisfactionũ conatur indulgentias probare.

Hiſtoria de publicæ Eccleſiæ pœnitentia & ſatisfactionibus canonicis.

DE RITIBVS PVBLICAE POENITENTIAE, *ſive quales fuerint canonicæ Satisfactiones in veteri Eccleſia.*

HOc igitur cõſtat, veterem Eccleſiam eos qui in perſecutione, vel fidem Chriſti abnegaſſent, vel Idolis ſacrificaſſent, vel in hæreſin incidiſſent, vel in alia gravia & manifeſta flagitia lapſi eſſent, non leviter aut ſtatim ad primam pœnitentiæ ſignificationem, in Eccleſiam recepiſſe, & ad communionem admiſiſſe: ſed pro publicis criminibus publicam etjam, ſive in publico, agi volebant pœnitentiam. Et ad publicam illã pœnitentiam adhibebãt varios externos ritus: partim ut Eccleſia ſuam ſolicitudinẽ, purgationem, indignationẽ, timorẽ, deſideriũ, æmulationem, & vindictam erga publica, notoria, & gravia crimina oſtenderet: partim ut & ipſi pœnitẽtes publicis, manifeſtis, externis & viſibilibus ſignis ac teſtimoniis, dolorem animi ſui de peccato fidem ſuam ſeriò quærentem reconciliationem, ac propoſitum & ſtudium emendationis, toti Eccleſiæ oſtenderent & teſtatã facerent. Ritus illos publicæ pœnitentiæ Græci, ſicut eſt apud Sozomenũ lib. 7. cap. 16. vocarunt ἐπιτιμίας καὶ τιμωρίας, hoc eſt caſtigationes, pœnas ſeu mulctas Eccleſiaſticas vel canonicas. Et in Baſilii regulis talia ἐπιτίμια pro lapſuum diverſitate varia extãt deſcripta. Latini vocárunt ſatisfactiones, inde & ideo, ſicut inquit Auguſt. in Enchiridio cap. 65. Quia enim dolor alterius cordis plerunque occultus eſt alteri conſtituuntur tempora pœnitentiæ, ut fiat etjam ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur peccata. Et quia Latina lingua, alicui ſatisfacere, intelligit ſtudium ſuum alicui declarare & probare, in ea ſignificatione Cyprianus & Auguſtinus opera illa pœnitẽtiæ aliquando dicunt ſatisfacere Deo. Illis enim pœnitentes declarant & approbant ſe Deo, quòd non ſimulent aut fingant, ſed ſeriò agant pœnitentiam, ſicut ſcriptum eſt, Ionæ 3. Vidit Deus opera Ninivitarum, quòd converſi eſſent à viis ſuis malis. Quia verò verbũ Satisfacere Latinis, ſicut Aſconius annotavit, vulgò ſignificat tantum facere, quantum irato homini ad vindictam ſatis eſt, ad obedientiam & Paſsionem Chriſti rectè accommodatur vocabulũ Satisfactionis. Incommodius verò & arrogantius eſt, ſi operibus pœnitentiæ tribuatur, præſertim cùm eventus oſtenderit, ex vulgari ſignificatione vocabuli Satisfactionis, honorẽ expiationis, propitiationis, perſolutionis, & compenſationis pro culpa & pro pœna peccatorum noſtrorum, à Chriſto ad noſtra opera translatũ, vel certè inter Chriſtum & inter nos diviſum. Et appellationem Satisfactionis juxta vulgarem ſignificationem ſtatim ſub initium aliquid incommodi rebus ipſis attuliſſe, ex Cypriani diſputationibus apparet. Aſtexanus certè in Summa ſua dicit, ſatisfactionem culpam præteritã recompenſando curare: Et ſatisfactionem eſſe injuriæ illatæ recompenſationem, ſecundum juſtitiæ æqualitatem. Græcorum verò appellationes magis propriæ & ſignificantes ſunt, quæ cum Paulinis vocabulis, 2. Cor. 7. pulchrè conveniunt: quod enim Paulus vocat ἐκδίκησιν, hoc Sozomenus vocat δικαίαν ἐπιτιμίας καὶ τιμωρίας. Sed de rebus ipſis jam quædam annotabimus.

Publicæ pœnitentiæ rituum cauſa.

Appellationes rituum.

Satisfactionis vocabuli unde natum ſit.

Satisfactionis vocabuli incommodus.

Aſtexanus de ſatisfactione.

Græcorũ appellationes.

Prima igitur publicæ pœnitentiæ origo ex Apoſtolicæ Eccleſiæ conſuetudine ſumpta eſt, quæ qualis fuerit, ſuprà in explicatione loci Paulini, 2. Cor. 2. & 7. oſtendimus, & exemplum peccatricis, Luc. 7. idem oſtendere videtur. Quæ ideo diligentius obſervanda ſunt, ex eorũ enim conſideratione & collatione intelligi poteſt, quomodo poſteris temporibus ſubinde alia acceſſerint, & quomodo ab Apoſtolica origine paulatim longius diſceſſum ſit. Euſeb. lib. 3. cap. 17. ex Clemente deſcribit narrationẽ, quæ licet canonica non ſit, quædam tamen veſtigia monſtrat Apoſtolicæ conſuetudinis, quædam verò addit, quę quomodo Apoſtolorum ſcriptis & exemplis conſentanea ſint, Lector judicet. Cùm enim Adoleſcens, quem Ioannes apud Epiſcopum quendam educari, & ad miniſterium Eccleſiæ inſtitutione formari voluerat, latronum dux factus fuiſſet: Ioannes ad ipſum profectus, ita eum revocaſſe ad pœnitentiam ſcribitur: Ne formides, adhuc tibi ſalutis ſpes reliqua eſt. Ego Chriſto pro te rationem reddam, & ſi opus ſit, tuam mortem lubens in me derivabo, ſicut Chriſtus mortem pro nobis oppetiit: Conſiſte, crede, Chriſtus me ad te miſit. Ille, abjectis armis, oculis humi defixis conſtitit, poſtea tremens amarè flevit: Ioannem deinde ad ſe accedentem, complexus eſt gemitibus & ululatibus, quoad poterat ἀπολογούμενος, quod recens Pontificius interpres Chriſtophorſomus ita reddit: pro culpa ſatisfecit. Vt enim Satisfactiones ſuas ſpecie aliqua vetuſtatis circumdent Pontificii, ſicut 2. Cor. 7. ἀπολογίαν reddide runt ſatisfactionem: ita huic loco Euſebii Satisfactionem interpres inſarſit, & quidem pro culpa dicit Latronem iſtũ ſatisfeciſſe, quod ne Scholaſtici quidem dicere audent. Significat autem ἀπολογεῖσθαι, crimẽ vel excuſare, vel diluere, vel ratione reddita aliquid defendere, quæ ſignificationes huic loco convenire non poſſunt: neque enim pœnitentis eſt, peccata vel excuſare vel defendere. Significat autẽ præterea ἀπολογεῖσθαι, reum eſſe, & culpam ſeu crimen deprecari, quæ ſignificatio huic loco pulchrè convenit, quod ſcilicet latro iſte lamentis oſtenderit, ſe reatũ ſuum agnoſcere, & culpam ſeriò deprecari. Quales igitur fuerint veterum Satisfactiones (ſi ita loqui libeat) ex hoc loco patet. Addit autem Clemens, Ioannem interpoſito juramento ſpopondiſſe, ſe ipſi, cùm dexterã homicidii ream occultaret, à Servatore veniam ſeu remiſsionẽ precibus ſuis inventuram. Atq; ita, inquit Clemens, ipſum ad Eccleſiam reduxit, crebris orationibus ἐξαιτούμενος rei culpã deprecans, continuis jejuniis σωπαγωνιζόμενος, unà cũ reo concertans, animumq; ejus conſolationibus verbi divini erigens & confirmans, nec prius inde diſceſsit, quam ipſum Eccleſiæ reſtituiſſet. Et hãc pœnitentiam Clemens vocat ἀνάκτησιν βλεπομένου, reſurrectionem à peccatis viſibilem, publicam, ſeu externam, in qua publicas ſeu cõmunes preces Eccleſia meritò adjunxit. De illis enim ſcriptum eſt, Iacob. 5. Si in peccatis fuerit, remittentur ei. Et 1. Ioan. 5. Si quis viderit fratrem ſuum peccare, petet, & dabit ei vitam. Quod verò narratio Clementis dicit, latronem illum converſum, lachrymarum unda ſecundò baptizatum, interpretatione & mitigatione valde commoda opus habet, ſicut, quod Ioannes ſcribitur dixiſſe, ſe Latronis iſtius mortem ſuſcepturum, ſicut Chriſtus noſtram.

Exemplũ publicæ pœnitentiæ temporibus Apoſtolorum.

Hiſtoria de adoleſcente Ioannis Evangeliſtæ.

Incommodè dictum.

Ad hanc formam reliqua etjam exempla publicæ pœnitentiæ, quæ in hiſtoriis extant, con-

Quibus publica pœnitentia impoſita fuerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gruunt, nisi quòd subinde nova quædam addita menta accesserunt: ut quod Euseb. lib. 5. cap. 27. scribit de Natalio, reverso ab hæresi Theodoti, quæ Christum solum hominem esse blasphemabat, quod sacco indutus & cinerib. aspersus, cum magno mœrore & lachrymis ad pedes Zepherini Episcopi se prostraverit advoluens se pedibus, non modò clericorum, sed & laicorum, ita ut Ecclesia Christi commiserata & condolens, lamentis unà se dederet. Cumq; multis precibus usus fuisset, & vibices plagarũ, quos in visione ab Angelis accepisset, ostendisset, vix tandem in cõmunionẽ Ecclesiæ receptus fuit: Ita lib. 6. cap. 35. Sidonius & Celerinus à Novato ad Ecclesiã reversi ἀποδυρόμενοι καὶ μεταγινώσκοντες, lachrymis, dolore & pœnitẽtia deplorârunt, quòd ab Ecclesia descivissent, ac præsente tota Ecclesia, malefi cia Novati denunciãrunt. Et ibidem alius à Novato ad Ecclesiam reversus, peccatum suum publicè confitetur & deplorat, ac postea recipitur. Et ca. 27. scribit, quòd Episcopus Philippũ Imperatorem Christianum, propter multa ab ipso cõmissa, non prius admiserit ad cõmunionem piorum in Ecclesia, quàm exomologesin fecisset, & se collocasset inter eos, qui propter lapsus (ἐξεταζομένους) publicè explorabantur seu examinabantur, & locum pœnitentium occupabant. Vbi verbum ἐξετάζεσθαι, quod inquisitionẽ seu examinationem alicujus significat, de publica pœnitentia usurpatũ observetur, inde enim usus seu finis illorum rituum colligi potest.

Natalius quomodo egerit publicã pœnitentiam.

Sidonius & Celerinus quomodo.

Philip. Imp. pœnitentia.

Eodem modo Irenæus lib. 1. cap. 9. de mulieribus quibusdam à Marco hæretico ad Ecclesiã reversis scribit: quòd in publico exomologesin fecerint, plangentes & lamentantes. Quid verò fuerit ἐξομολόγησις veterum, Tertullianus explicat in libro de pœnitentia. Is, inquit, actus cõfessionis, qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, Exomologesis est, qua delictũ Domino nostro confitemur, non quidem, ut ignaro, sed satisfactio confessione disponitur, cõfessione pœnitentia nascitur, pœnitẽtia Deus mitigatur. Itaq; exomologesis prosternendi & humiliandi hominis disciplina est, conversionem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoq; habitu & victu mandat sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere. Cæterùm pastum & potum pura nosse non ventris scilicet, sed animæ causa, plerunq; verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, mugire dies noctesq; ad Dominũ Deum tuũ, presbyteris advolvi, & aris Dei adgeniculari, omnib. fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia dicit Exomologesin continere.

Irenæus de pub. pœnit.

Exomologesis veterũ & eius ritus ex Tertull.

Ambrosius etjam lib. 1. de pœnitentia, cap. 16. ritus publicæ pœnitentiæ ita describit: Volo veniam reus speret, petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoscatur obsecret, & cum secundò ac tertiò fuerit dilata ejus communio, credat remissius se supplicasse, fletus augeat miserabiliter, postea revertatur, pedes teneat brachiis, osculetur osculis, lavet fletibus, nec dimittat, ut dicat Dominus Iesus: Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cognovi, inquit, quosdam in pœnitentia sulcasse vultũ lachrymis, exarasse continuis fletibus genas, straviss corpus suũ calcandum omnibus, jejuno ore semper & pallido, mortis speciem spiranti, in corpore prætulisse.

Ambrosius de pub. pœn.

Et ne opus sit singula percensere, adscribam locum Sozomeni ex lib. 7. cap. 16. ubi ritus publicæ pœnitentiæ, qui in occidentalibus Ecclesiis, & maximè in Romana usitati fuerunt, ita describit: In loco manifesto & peculiari stant pœnitentes, mœsti, & veluti lugentes. Ac finita liturgia, cùm mysteriorũ participes non fiant, cum planctu & lamentatione semetipsos in terram pronos abjiciunt: Tum ex adverso Episcopus lamentabundus accurrens, cõsimiliter humi cum ejulatu collabitur, ac tota deniq; Ecclesiæ multitudo lachrymis suffunditur. Post hæc Episcopus primus exurgit, ac jacentes erigit, & quantum convenit, pro peccatoribus pœnitentibus precatus, eos dimittit. Privatim verò sponte sua, vel jejuniis, vel lotionum ciborumq; abstinentia, vel aliis sibi injunctis, semetipsum affligens tempus expectat, in quantum Episcopus præstituit. Præfinito autẽ die pœna jam quasi debito quopiam exoluta, à peccatis absolvitur, & in communionem recipitur.

Ritus publicæ pœnitentiæ in Ecclesiis occidentalibus ex Sozomeno.

Ad talem publicam pœnitentiam Patres olim diligenter lapsos invitabant & exhortabantur. Ac gradus hosce servârunt: Primò, quando sponte se offerebant, ac competebant pœnitentiam sibi dari, seu satisfactionem injungi, maximè laudabantur. Secundò, qui verò lapsi hoc sponte non faciebant, illos Episcopus publicè coram omnibus arguebat. Tertiò, quòd si nec tunc publicam confessionem seu pœnitentiam suscipere vellent, publicè excõmunicabantur, nec prius recipiebantur, quàm publicam egissent pœnitentiam. Quartò, usitata etjam erat via denunciationis, ut si qui nossent aliquem crimen non multis notum cõmisisse, illum ad suscipiendam publicam pœnitentiam exhortarentur. Si nollet, denunciabant hoc Episcopis. Et videntur hi gradus ex Scriptura primitus sumpti fuisse, ut primus gradus ex historia peccatricis Lucæ septimo. Secundus ex Paulo, 1. Timoth. 5. Tertius ab excommunicatione Pauli, 1. Cor. 5. Quartus ex Regula Christi, Matth. 18. Fuit autem publica pœnitentia, aliquãdo solennis, cujus ritus, sed recentiores, describuntur apud Gratianum, dist. 50. can. 1. in capit. Quadragesimæ. Antiquiores verò describuntur in Carthag. concilio 3. Ca. 32. In Agathensi, Can. 11. & 37. Et causa 11. Quæst. 3. Ex concilio Aurasicano citatur hic canon. Cùm aliquis excommunicatus, pœnitẽtia ductus, veniam postulat, & emendationem promittit, Episcopus, qui eum excommunicavit, ante januas Ecclesiæ venire debet, & duodecim presbyteri cum eo, & si ille terræ prostratus, veniam postulat, & de futuris cautelam spondet, tunc Episcopus apprehensa manu ejus dextera, in Ecclesiam illum introducat, & communioni Christianæ reddat. Illa verò solennis pœnitentia olim semel tantùm dabatur in Ecclesia, nec reiterabatur. Quòd si tales rursus lapsi seria confessione revertebantur ad Ecclesiam, non dabatur ipsis locus publicæ pœnitentiæ, nec tamen omnino repellebantur, sed permittebantur quidem interesse

Gradus observati in publica pœnitentia.

Origo horũ gradũm.

Ritus pœnitentiæ publicæ solennis, & non reiterabilis.

Publica pœnitentia vulgarũ & reiterabilis. Discrimen inter veteres satisfactiones et pontificias.

cere sse prædicationi, orationi, & mysteriorũ celebrationi, sed communio ipsis non dabatur, nisi in extremis. Augustin. tamen postea talibus rursus permisit locum publicæ pœnitentiæ, Epist. 54. Alia verò fuit sine solennitate publica pœnitentia, pro criminibus, non tàm gravibus, vel occultis solùm. Illa poterat sæpius iterari. Hæc pauca de ritibus publicæ pœnitentiæ hoc loco annotare volui, ut ostenderem satisfactiones, de quibus Pontificii in materia indulgentiarum disputant, longè alias & diversas esse à canonicis veteris Ecclesiæ satisfactionibus: Has enim veteres pro publicis criminibus in publica pœnitentia imponebant. Pontificii verò pro privatis, occultis, & quibuslibet peccatis volunt injungi satisfactiones. Cumq; veterum satisfactiones unà cum publica pœnitentia prorsus exoleverint & abolitæ sint, in Pontificia Ecclesia, de inani titulo, & de umbra rei, non amplius existentis, disputant, ac talium satisfactionum indulgentias vendunt, quæ nullibi jam in rerum natura extant. Potius operam dare debebant, ut utilissima illa veteris Ecclesiæ disciplina, quæ hisce profligatis temporibus summoperè necessaria esset, Ecclesiæ sine conscientiarum laqueis restitueretur, quatenus ea Apostolicis scriptis consentanea est, & ad ædificationem Ecclesiæ, pro ratione horum temporum, servire posset. De talibus necessariis & utilibus rebus non sunt soliciti Pontificii, tantùm pro receptis satisfactionum suarum superstitionibus, & pro quæstibus indulgentiariis dimicant. Iudicavi etjam annotationem hãc de ritibus publicæ pœnitentiæ in veteri Ecclesia ideo hoc loco repetendam esse, ut eò commodius ostendi posset inclinatio ad traditiones inextricabiles, & quomodo tandem, cùm conscientiæ eas amplius tolerare non possent, indulgentiarum fraudes inde extrui cœperint.

QVALIS FVERIT RATIO POENITENTIÆ PRO OCCULTIS CRIMINIBUS. ITEM PRO QUOTIDIANIS DELICTIS IN VETERI ECCLESIA.

In publicis criminibus pœna.

Illi verò satisfactionum ritus, seu publica Ecclesiasticarum castigationum spectacula, non omnibus, qui in exercitiis Christianæ pœnitentiæ veniam peccatorum suorũ apud Deum quærebant, imponebantur: sed tantùm pro publicis & gravissimis criminibus, quibus universa Ecclesia offensa fuerat. Ita enim dicit Canon 32. Concilii Carthaginensis tertii: Cuius pœnitentis publicũ & vulgatissimũ crimen est, quod universam Ecclesiã commoverit, ante atriũ Ecclesiæ manus ei imponatur. Et Augustinus in Enchiridio cap. 65. inquit: Sed neq; de ipsis criminibus, quamlibet magnis, remittendis, in Ecclesia Dei desperanda est misericordia agentibus pœnitentiam, secundum modum sui cujusq; peccati. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale crimen cõmissum est, ut is, qui commisit, à Christi etjã corpore separetur, non tàm consideranda est mensura temporis, quàm doloris. Verùm, quia plerunque dolor alterius cordis occultus est alteri, rectè constituuntur ab his, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etjam satis Ecclesiæ.

Et inter veteres quidem Origenes & Cyprianus cohortationibus suis apud populum instituerunt, pro occultis etjam, item pro parvis & modicis peccatis, publicam exomologesin, & usitatas tunc satisfactiones, in se reciperent: sicut Cyprianus Sermo. 5. de lapsis inquit Qui fide majore & timore meliore, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentur, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam, parvis licet & modicis vulneribus, inquirunt. Et Origenes in Psalmo 37. inquit: Oportet peccatum non celare intrinsecus, fortasis enim sicut hi, qui habent intus clausam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter imminentia, si vomuerint relevantur, Ita etjam hi, qui peccaverunt, siquidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur & propemodum suffocantur à phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat seipsum & confitetur, simul evomit delictum, atque omnem morbi digerit causam.

Origenes, Cyprianus, & de occultis peccatis, publicam exomologesin, & usitatas tunc satisfactiones, in se reciperent:

Et ita quidem illi lapsos exhortati sunt, quorum lapsus in enormibus criminibus vel occultierant, vel intra conatum & attentationem cõstiterant. Quidam etjam exhortationibus illis moti, sponte sicut ex Cypriano ostendimus, se detulerunt, & publicam exomologesin susceperunt. Et Origenes addidit utilem admonitionem in Psalm. 37. Circumspice, inquit, diligentius, cui debeas confiteri peccatum, proba prius medicum, cùm debeas langvoris causas exponere, ut si is intellexerit & præviderit talem esse langvorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortasis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multi hac deliberatione & satis periti medici illius consilio procurandum est. In Græca verò Ecclesia, sicut scribit Sozomenus libro 7. cap. 16. odiosum visum fuit crimina occulta, tanquam in Theatro audiente Ecclesiæ multitudine, patefacerc. Constituerunt itaque presbyterum secretorum tenacem, ad quem lapsi accedentes lapsus suos confitebantur. Ille verò lapsus illos occultos non proferebat in publicum: sed lapsis imponebat ἐπιτίμιον, mulctam seu castigationem Ecclesiasticam, quam oporteret ipsos publicè exolvere, ut lapsus quidem non proderentur in publicum, ex publicis tamen mulctis seu satisfactionibus Ecclesia intelligeret ipsos graviter deliquisse. Et hæc in libello, qui Augustini titulo fertur, de dogmatibus Ecclesiasticis, cap. 53. vocatur secreta Satisfactio, quæ fiebat mutato habitu seculari. Verba hæc sunt: Quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor, prius publica pœnitentia satisfacere, ac ita sacerdotis judicio reconciliatum cõmunioni sociari. Sed & secreta satisfactione solvi mortalia crimina, non negamus, sed mutato prius seculari habitu, &c.

De occultis pub. pœnis.

Presbyter rius in Ecclesiis orientalibus.

Secreta satisfactio.

Sed & hic ritus in Græca Ecclesia, ante tempora Chrysostomi sub Nectario, circa annum Domini 400. publicè abrogatus est, & quisque suæ

Abrogatio pœnitentiæ rij qualis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

conscientiæ permissus, ut, prout consideret, ad mysteriorum communionem accederet. Quod de criminibus occultis intelligendum est: In publicis enim, manifestis & notoriis criminibus manet severitas disciplinæ, & excommunicationis, etjam in Græca Ecclesia.

Diximus hactenus de criminibus enormibus, quando vel publica erant vel occulta, qualis ratio publicæ pœnitentiæ seu satisfactionis fuerit in veteri Ecclesia. Cùm verò tota vita credentiũ in hoc seculo sit perpetua pœnitentia, & quotidiana debeãt esse Christianæ pœnitentiæ exercitia, veniam enim & remissionem peccatorum petimus quotidiè, quando oramus: Dimitte nobis debita nostra, & quando communionem corporis & sanguinis Christi accipimus. Veteres in quotidianis lapsibus seu peccatis non imposuerunt pœnitentib. peculiares mulctas, castigationes, seu satisfactiones, sicut in criminibus enormibus. Veterum enim distinctio est, quam aliquoties repetit Augustinus, ut ad Seleucianum, & de utilitate pœnitentiæ, & in Enchiridio: Triplicem scilicet esse rationem agendæ pœnitentiæ: Primam competentium, sive ad Baptismum venire sitientium, quibus nulla imponebatur satisfactio. Secundá prope quotidianam, quæ omnium bonorũ & fidentium est, in qua non imponebatur satisfactio: sed tundimus, inquit, pectora nostra, dicentes: Dimitte nobis debita nostra.

Triplex ratio veterum agendi pœnitentiam. Prima ante Baptis. Secunda in delictis quotidianis.

Tertiam vocat pœnitentiam graviorem & luctuosiorem, in qua propriè vocantur pœnitentes pro criminibus ingentibus seu nefandis, ubi congrua imponebatur satisfactio. Et de Symbolo lib. 1. cap. 6. inquit: Semel abluimur Baptismate, quotidie abluimur oratione. Sed nolite illa committere, pro quibus necesse est, ut à corpore Christi separemur, quod absit à nobis. Illi enim, quos videtis agere pœnitentiam, scelera commiserunt aut adulteria, aut aliqua facta immania inde agunt pœnitentiam. Nam si levia peccata ipsorum essent, hæc quotidiana oratio delendo sufficeret. Ergo, inquit, tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in Baptismate, in oratione, in humilitate majoris pœnitentiæ. Et in Enchiridio cap. 71. de quotidianis peccatis quotidiana oratio fideliũ satisfecit: Dimitte eis, &c. Origenes etjam in Levit. cap. 15. inquit: Si nos aliqua culpa mortalis invenerit, quæ non in crimine mortali, non in blasphemia fidei: sed vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat, hujusmodi culpa semper reparari potest, nec aliquando tibi interdicitur, de commissis hujusmodi pœnitudinem gerere. In gravioribus enim criminibus semel tantùm vel rarò pœnitentiæ conceditur locus. Ista verò communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur. Idem etjam indicat vulgatum Hieronymi dictum, in quo dicit, Evangelicam esse satisfactionem, qui deponit veterem hominem cum actibus suis denegat semetipsum, & mundo crucifigitur. Item qui expoliat veterẽ hominẽ, & mortificat membra, quæ sunt super terram, juxta dictum Christi: Vade, & noli amplius peccare. Addit autem: Interea fateor, longè aliam esse rationẽ de criminum pœnitentia, & satisfactione, de qua Ecclesia, quando læsionem accepit & offensa est, publicè suum judicium interponit, indicens satisfactionem publicam & graviorem, ut innotescat omnibus verè pœnitere, qui prompto animo suscipiant, quicquid Ecclesia decreverit.

Origenes.

Hieronymus.

Vtilitas præcedentis distinctionis prima.

Hanc distinctionem ex historia antiquitatis ideo hoc loco indicare volui, ut, sicut in præcedenti capite ostendi, Pontificios prorsus jam non habere in sua Ecclesia veteris Ecclesiæ satisfactiones, & longè alias fuisse satisfactiones in publica pœnitentia veteris Ecclesiæ, quàm sint illæ, de quibus Pontificii nunc dimicant: Ita ex hac nunc indicatione Lector perspiceret, vanum esse Pontificiorum commentum, quo fingunt, pro omnibus & quibuscunq; peccatis imponendas esse satisfactiones, quæ vel in hac vita, vel in purgatorio exolvendæ sint. Ostendimus enim, veterem Ecclesiam tantùm pro enormibus, ingẽtibus, seu nefandis, sicut loquũtur, criminibus, suas satisfactiones imposuisse pœnitentibus: pro reliquis quotidianis delictis quotidiana fidelium oratione, Dimitte nobis, &c. satisfactum fuisse.

Satisfactiones veterum & recentes Pontificiorum finibus differunt.

Addit & hæc distinctio aliquid lucis, quòd veteris Ecclesiæ satisfactiones, quæ propriè ita vocabantur, pro criminibus gravioribus, & imponebantur & exolvebantur ante Absolutionem & communionem. Quando verò tales pœnitentes Ecclesiæ jam reconciliati erant, admonebantur, ut jam reconciliati non amplius peccarent: sed facerent fructus dignos pœnitentia, ut scilicet in futurum essent cautiores & vigiliantiores, ad cavenda peccata & coërcendam carnem, ut peccati reliquias contrariis pharmacis curarent, & vitiosos habitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum exercitiis tollerent & abolerent. Quas admonitiones reliquis etjam fidelibus in quotidianis & leviorib. peccatis post Absolutionem & communionem diligenter & seriò proponebant, sicut in secunda parte hujus examinis de satisfactionibus tales veterum sententias quas jam adscripsimus, & Scripturæ consentaneas esse ostendimus. Et scio veteres, tales fructus veræ pœnitentiæ aliquando satisfactiones vocasse, ut cum Augustinus dicit: Satisfactionem pœnitentiæ esse causas peccatorum excindere, nec eorum suggestionibus aditum præbere. Item, satisfactio pœnitentiæ est: Vade, & amplius noli peccare. De pœnitent. distinct. 5. Quales satisfactiones nec pecunia redimi, nec indulgentiis remitti debere aut posse certum est: sunt enim mandata divina. Sed Pontificii de hisce utilibus & necessariis commonefactionibus, ad emendationem vitæ facientibus, non admodum sunt soliciti: tantùm nugantur de satisfactionibus indebitis, quas pecuniain indulgentiis redimi, aut suppliciis purgatorii lui oportere fingunt. Falsò itaque Pontificii antiquitatis titulum suis prætexunt satisfactionibus, ut illæ data pecunia redimantur & indulgentiis remittantur. Appellatio sanè satisfactionum antiqua est: sed res longè aliæ fuerunt in veteri Ecclesia, quàm nunc sunt apud Pontificios, quod ex indicationibus historiarum veteris Ecclesiæ manifestum est.

Satisfactiones Ecclesiæ veteris non pertinuerũt ad remissionem peccatorum.

Ante absolutionem.

post absolutionem.

Fructus pœnitentiæ veteribus dicti satisfactiones.

QVAS

QVAS CAVSAS ET RATIONES VEtus Ecclesia habuerit, propter quas, & quo fine canonicas satisfactiones publicè lapsis imposuerit.

NEc verò, quoad substantiam seu materiam tantùm diversæ sunt Pontificiorum satisfactiones à veteris Ecclesiæ ritibus, sicut jam ostendimus, sed fines etjam prorsus alii & diversi fuerunt. Pontificii enim fingunt, suas satisfactiones esse compensationes, vel pro peccatis, vel pro pœnis peccatorum, adeo ad remissionem peccatorum quorumcunque necessarias, ut si non in hac vita, vel opere exolvantur, vel data Pontificibus pecunia redimantur, luendas esse post hanc vitam in igne purgatorii. Hac enim hedera suspensa, indulgentias suas vendibiles faciunt. Sed quia satisfactiones sunt traditiones humanæ, non mandatæ divinitus, planum de illis judicium est juxta Scripturam, Colos. 2. Et quod vetus Ecclesia non judicarit, illas suas satisfactiones ad remissionem peccatorum necessarias esse, inde manifestum est: Primò, quòd non eædem vel similes fuerint in omnibus Ecclesiis, sicut indicat Sozomenus. Secundò, quòd non pro omnibus peccatis, sed tantùm pro gravissimis criminibus eas imposuerunt, pro quotidianis enim delictis dixerunt satisfieri quotidiana oratione: Dimitte nobis debita nostra. Item, satisfactionẽ esse: Vade, & noli amplius peccare. Tertiò, quia manente ministerio & consolatione remissionis peccatorum, veterum illæ satisfactiones sensim cœperunt in Orientali primùm Ecclesia obsolescere, & tandem in Occidentali etjam Ecclesia prorsus interciderunt & abolitæ sunt. Quartò, quia in periculo mortis, sive in casu desperato, etjamsi nondum peracta esset canonica satisfactio, decreverunt remissionem peccatorum pœnitentibus impertiendam, & eos ad communionem admittendos, Euseb. li. 6. cap. 36. Imò iis, qui toto vitæ tempore pœnitentiam avertati, in extremo vitæ suæ eam peterent, reconciliationem seu remissionem peccatorum, & viaticũ Eucharistiæ impertiebant, sicut decrevit quarta Synodus Carthaginensis. Et licet adderetur illa conditio, ut si supervixissent statutis pœnitentiæ legibus postea subderentur, tamen si contingeret eos mori, de remissione & reconciliatione eos nequaquam volebant dubitare, nec purgatorii ignis horroribus & suppliciis eos destinabant: sed sicut Dionysius Alexandrinus scribit, hæc ipsis consolatio proponebatur, ut accepta remissione peccatorũ, ἐυελπίδες ἀπαλλάττωντας, bona spe confirmati seu freti, ex hac vita decederent. Quibus omnibus cõtraria & docentur & aguntur in Pontificia Ecclesia, aliàs enim merces indulgentiarum suarum non possent extrudere. Vetus igitur Ecclesia non docuit satisfactiones suas ad ipsam remissionem peccatorum necessarias esse, nec sensit satisfactiones illas, si in hac vita non exolverentur, in purgatorii igne luendas esse. Quæ duo si Pontificiis auferantur, mensæ nummulariorum, & Cathedræ vendentium indulgentias subversæ erunt.

Alias verò causas & rationes habuerunt veteres, ob quas publicè lapsis imposuerunt suas satisfactiones, alios etjam fines suis satisfactionib. propositos habuerũt: quæ omnia ex historia antiquitatis manifestè hoc modo colligi possunt. Quædam enim ipsum Ecclesiæ corpus, quædam Ecclesiæ membra, quædam eos, qui foris sunt, quædam ipsos pœnitentes concernunt & respiciunt. Primò enim pro publicis & enormibus criminibus impositæ fuerũt tales satisfactiones, seu mulctæ potius, ut Ecclesia publico Testimonio ostenderet, sicut Paulus inquit 2. Cor. 7. suam solicitudinem, apologiam, indignationem, timorem, æmulationem, vindictam, adversus talia crimina, ne propter tales lapsus & crimina verbum Dei malè audiret, & nomen Domini blasphemaretur inter gentes, quasi Ecclesia esset colluvies quædam sceleratorum hominum, ubi libertas seu impunitas traderetur & contederetur quævis scelera perpetrandi. Et quia Magistratus tunc plerunq; erat Ethnicus, multa non puniens, quæ tamen in Ecclesia pro criminibus habentur, Ecclesia in hunc usum peculiare Presbyterium constituit, ut publicæ Ecclesiasticæ mulctæ imponerentur pro illis etiam criminib. quæ à magistratu Ethnico non puniebantur, sicut Tertullianus in Apologetico ostendit. II. Vt Ecclesia ipso facto ostenderet, se non communicare peccatis seu operibus infructuosis aliorum, Ephes. 5. Sed ut testatum faceret, se incontaminatam, puram, & innocentem esse, quod ad illa crimina attinet, sicut Paulus 2. Cor. 7. inquit. III. Vt Ecclesiæ scandalis criminum offensæ & læsæ, tali externa pœnitentia Satisfactione rursus satisfieret, sicut Augustinus inquit. IIII. Ne modicum fermenti totam massam corrumperet, 1. Cor. 5. Sed ut huiusmodi severioribus mulctis seu castigationibus reliqui admoniti, à levitate delinquendi abstenti, majori diligentia lapsus caverent & vitarent. V. Quia multi, simulatione pœnitentiæ recepti, postea novis sceleribus majora excitabant scandala, vel alias turbas in Ecclesia movebant: Ecclesia igitur illis ritibus pœnitentium animos probabat & explorabat, an seriò ipsos delicti pœniteret, & an serium haberent emendationis propositum, seu, ut Hieronymus inquit, ut innotesceret omnibus verè pœnitere, qui prompto animo suscipiant quicquid Ecclesia decreverit. Ideo Eusebius verbũ ἐξετάζεσθαι ritibus illis publicę pœnitentiæ tribuit. VI. Quia experientia ostendit, multos graviter lapsos, plerumque non satis considerare lapsuum gravitatem, atq; adeo ea, quę ad veram pœnitentiam seu conversionem pertinent, leviter, frigidè & perfunctoriè curare & agere, ita ut dolor contritionis sit frigidus, & fides perfunctoria. Veteres igitur imposuerunt publicè lapsis suas mulctas canonicas, ut illa disciplina lapsis esset commonefactio, ostendens magnitudinem & abominationem lapsus, & esset incitamentum, eliciens & excitans serium & non simulatum animi de peccatis dolorem, timorem iræ divinæ, ac veram peccati detestationem: utq; fides non obiter & perfunctoriè, sed seriò & ex animo peteret, quæreret, & ambiret misericordiam Dei propter Christum. Et hoc est quod Tertullianus dicit, Exomologesin injungere conversionem misericordiæ illicem. VII. Quia lapsus criminum efficiunt, & post se relinquunt in animis vestigia quædam

Cur enormiter & publicè peccantib. Satisfactiones Canonicæ fuerint impositæ.

I.

II.

III.

IIII.

V.

VI.

VII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

seu radices, tanquam affectationes & fomites ad alios novos lapsus: Vt igitur pœnitentibus semper obversaretur fœditas, gravitas, & abominatio prioris lapsus: utq; in posterum cautiores & vigilantiores adversus peccata redderentur, & à novis lapsibus, quasi fræno quodam revocarentur & coërcerentur, & assuefierent occasiones lapsuum vitare, publicas illas mulctas pœnitentibus imposuerũt, ut reliquias pravarum affectionum animi ex peccandi consuetudine, petulantia, seu enormitate contractarum, ita curarent, sanarent, purgarẽt, & radices illas oppositis contrariis remediis extirparent, ne inde alia & nova lapsuum germina pullularẽt, sed ut ad virtutes, prioribus vitiis oppositas, se assuefacerent. Et hoc est quod Euseb. libr. 6. cap. 35. dicit: Romæ in magno Concilio decretum fuisse contra Novatum, fratres lapsos ἰᾶσθαι καὶ θεραπεύειν τοὺς τῆς μετανοίας φαρμάκοις, pœnitẽtię medicamentis curandos & salvandos esse. VIII. Quia atrocia delicta plerumq; comitantur atroces pœnæ, quæ sæpè etiam alios simul involvunt. Et scriptura testatur tales pœnas tota, vera, & seria pœnitentia, pro bona Dei voluntate, sæpe vel tolli, vel mitigari. Vt igitur lapsi ad seriam & veram pœnitentiam ac deprecationem pœnarum commonerentur & excitarentur, disciplinam illam instituerunt, ut esset commonefactio ejus, quòd Paulus dicit: Si nos ipsos judicaremus, non dijudicaremur à Domino. Et Ecclesia simul pœnam deprecabatur. Non autem humanis illis ritibus tribuerunt placationem iræ divinæ: sed, sicut Tertullianus inquit: Quia satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia DEVS mitigatur. Item: Exomologesis disciplina est prosternendi & humiliandi hominis, injungens conversionem misericordiæ illicem.

VIII.

Has causas & hos fines, cùm ad excitãdam veram & seriam pœnitentiam utiles fuerint, nec Scripturæ repugnent, si non assuantur aliæ impiæ & superstitiosæ opiniones seu conscientiarum laquei, nemo sanus improbat. Et in hoc laborare debebant Pontifices, ut quantum his temporibus fieri posset, talis utilis disciplina, sine laqueis conscientiarum, & sine impiis opinionibus, Ecclesiæ restituerentur. Sed boni illi Patres de quæstu indulgentiarum suarum tantùm sunt soliciti, quas nisi per novas & superstitiosas de Satisfactionibus suis opiniones, se hominibus obtrudere non posse vident. Et quia illis titulum veteris Ecclesiæ circundare conantur: hunc prætextum ipsis ex historica observatione detrahere volui. Si enim ea, quæ de Pontificiarum Satisfactionum & indulgentiarum descriptione suprà exposuimus, ad hasce historicas observationes conferantur, res plana erit. Nec verò nescius sum, veteres aliquando nimis largiter, & verbis nimium magnificis disciplinã illam canonicam commendare: Vt, quod Tertullianus dicit, Satisfactionibus illis peccata expiari: Cyprianus illis dicit peccata redimi, ablui, sanari, & Iudicem placari: Ambrosius pœnas Gehennæ illis compensari: Augustinus, Deum illis de peccatis præteritis propitiari. Ea talia sunt, quæ salva fide nec possunt nec debent sicut sonant accipi & intelligi, id quod Gropperus ipse fatetur. Expiatio enim, propitiatio, absolutio, purgatio, redemptio & reconciliatio pro peccatis, solius Christi meritum est, quod juxta Scripturam verbo & Sacramentis offertur & fide accipitur. Gropperus igitur tales veterum Hyperbolas non malè mitigat hoc tropo: quòd scilicet talis disciplina fuerit incitamentum ad veram pœnitentiam, in qua fide propter Christi meritum peccata expiantur & abluuntur, & Deus credentibus placatur. Radices etiam peccatorum expurgandas esse pœnitentia, & tota pœnitentia pœnas peccatorum ali quando vel tolli, vel mitigari, jam in præcedentibus ostendimus. Et quia externa illa Ecclesiastica disciplina excitamentum & fomentum judicabatur veræ & seriæ pœnitentię: tropo quodam talia veterum dicta excusanda censet Gropperus Põtificius, cùm quidem ipse Tertullianus talem interpretationem non obscurè ostendat in illo, quod modò citavimus, dicto: Quia scilicet Satisfactione confessio disponatur, confessione pœnitentia nascatur, & pœnitentia Deus mitigetur. Quòd si reliqui Pontificii illam Gropperi interpretationem seu mitigationem recipere noluerint, sed τὸ ῥητὸν in veterum dictis contra Christi Satisfactionẽ & meritum urgere perrexerint, provocabimus ad locum illum communem, in quo ipsi Patres pronunciant, quid de hominum scriptis, sicubi à norma & Regula Scripturæ declinare videntur, judicandum & sentiendum sit, sicut in prima parte multis patrum sentẽtiis hoc ostendimus.

Immodicæ et incommodæ laudes canonicæ disciplinæ apud veteres. Tertullian. Cyprianus. Ambrosius. Augustinus.

Gropperus quomodo mitiget veterũ Hyperbolas.

Sicut verò, quando humanæ traditiones nimium urgentur, fieri solet, subinde aliquid superstitionis illis etiam ritibus publicæ pœnitentiæ adhæsit, quæ opiniones aliquando ab aliis rejectæ, aliquando verò stabilitæ sunt. Vt Cyprianus disciplinam illam, quasi ad remissionem peccatorum necessariã ita urgere videbatur, ut contenderet, ante Satisfactiones illas ritè ac plenè peractas, neminem absolvendum aut communicandum, & absolutionem datam ante completam Satisfactionem non valere. Item qui lapsi, dum sani essent, non egissent pœnitentiam, etjamsi postea in morbo eam peterent, eos tamen omnino à spe communicationis & pacis prohibendos. Alii verò tunc, & quidem ipsius Cypriani sacerdotes & Martyres illius temporis contrarium & senserunt & fecerunt, sicut ipse Cyprianus conqueritur. Dionysius etiam Alexandrinus apud Eusebium libr. 6. cap. 36. contrarium statuit. Nicenus etiam Canon 12. & Carthaginensis quarti Concilii Canon 76. & 77, diversum decreverunt, sicut in præcedentibus ostendimus. Postea verò superstitiosæ opiniones, de meritis satisfactionum stabiliri & exasperari cœptæ sunt, donec tãdem veteri illa disciplina Ecclesiastica prorsus collapsa, & penitus abolita, superstitiosæ tamen istæ opiniones manserunt, & aliis novis Satisfactionibus ac indulgentis adhæserunt, sicut in sequentibus ostendemus.

Superstitiones ritiũ publicæ pœnitentiæ assutæ. Cypriani error de Satisfactione canonica.

Hæc de veteris Ecclesiæ Satisfactionibus in secunda parte, in loco de pœnitentia, explicata sunt. Hoc loco verò plenius aliquantò repetenda fuerunt, ut explicatio & refutatio illius Argumenti, quo Pontificii indulgentiis suis ex veteris Ecclesiæ

Ecclesiæ satisfactionibus speciem aliquam circundare moliuntur, ex ipsis fundamentis monstraretur. Et ad integram historiam, de origine indulgẽtiarum omninò etjam hæc historica narratio pertinet.

DE CANONIBVS POENITENTIALIBVS.

Indulgentiæ quid primitus in Ecclesia fuerint.

HActenus in genere diximus de disciplina veteris Ecclesiæ, in publica pœnitẽtia, quia verò olim singulis criminibus publicis seu lapsibus grauioribus certæ mulctæ pœnitentiariæ constitutæ & decretæ fuerunt. Et illarum mulctarum relaxationes seu remissiones primitus appellatæ fuerunt indulgentiæ. De illis igitur etiam quædam dicenda sunt. Et Eusebius quidem lib. 6. cap. ult. refert: Dionysium Alexandrinum scripsisse ad Aegyptios Epistolam de pœnitentia, in qua exposuerit, quæ sibi de lapsis statuenda viderentur, τάξεως παραπλωμάτων διαγράφας, describens gradus criminum. Postea verò certis Canonibus, quos pœnitentiales vocarunt res illa comprehensa fuit in Concilio Ancyrano ac Niceno, & in aliis sequentibus Conciliis. Et in Basilio describuntur talia aliquot capita τῶν ἐπὶ τιμίῳ, tanquam Canones, pro quibus delictis, quæ mulctæ imponendæ, quæ capita huc referri possunt. Extant autem Canones illi pœnitentiales sparsim in diversis multorum libris prolixè descripti & collecti à Burchardo ac Gratiano. Sed nos præcipuos, quàm fieri poterit brevissimè, hoc loco annotabimus, ut in una quasi tabella veteres pœnitentiales canones expositi historicam illam observationem, quomodo Satisfactiones illæ primò nimium cumulatæ & exasperatæ, postea verò sensim collapsę, & tandem prorsus abolitæ sint, facilius Lectori declarare possint. Nam & inde veterum indulgentiarum origo, mutatio, & novarum nundinatio manifestè ostendi poterit.

Origo & causa canonum pœnitentialium.

CANONES POENITENTIALES ex Concilio Ancyrano.

Qui idolis sacrificarunt, &c.

QVi sacrificarunt idolis, & in templis idolorũ habitu cultiori cœnarunt, uno anno constituantur inter audientes, tribus inter pœnitentes. Postea per biennium communicent orationi, & reconcilientur Sacramentis.

Adducti ad idolorum templa. Sacrificantes idolis minùs sacti.

Si manducaverunt flentes, post triennii pœnitentiam suscipiantur ad communionem, sed sine oblatione, hoc est, ut ipsi oblationem non offerant.

Si perducti ad templa idolorum, non manducarunt, biennio maneant in pœnitentia, tertio anno communicent.

Qui minis territi sacrificarunt, primò inter audientes constituantur, postea per triennium peragant pœnitentiam, & post biennium communicent, sed sine oblatione, ut ita demum post sexennium plenè restituantur.

Coacti vi sacrificare.

Qui vi coacti aliquoties sacrificarunt, quatuor annis pœniteant, duobus annis sine oblatione communicent, & septimo demum anno restituantur.

Qui aliis causa fuerunt defectionis, per triennium inter catechumenos habeantur, per aliud sexennium pœniteant, ut ita post decennium restituantur. *Defectionis auctores.*

Qui cum bestiis rem habuerunt, 25. annis pœniteant, post per quinquennium orationi communicent, ut post annos triginta demum Sacramentis communicent.

Adulteri post septem annorum pœnitentiam restituantur. *Adulteri.*

Mulieres partum abigentes, per decennium pœniteant.

Homicidium voluntarium usq; ad exitum vitæ pœnitentiæ subjiciatur. Quod casu commissum est, quinquennii pœnitentiam habeat. *Homicidium voluntariũ.*

Qui divinationibus utuntur, quinquennio agant pœnitentiam. *Divinatores & pythonici.*

EX CANONE NICENO.

QVi præter necessitatem metu periculi abnegarunt fidem, tribus annis inter audientes habeantur, & septem aliis annis sint inter pœnitentes, post per biennium sola oratione communicent. *Metu periculi fidem abnegantes.*

Qui conversi redierunt ad vomitum, per triennium sint inter audientes, postea per decennium inter pœnitentes. *Post pœnitentiam relapsi.*

EX BVRCHARDO LIBRO XIX.

SI homicidium fecisti voluntariè, 40. dies continuos, quod vulgus teutonicè carrinam vocat, in pane & aqua jejunes, & septem annos sequentes pœnitentiam agas. *Voluntarius homicida.*

Si homicidium fecisti in bello, tres quadragesimas pœniteas. *Homicidium in bello.*

Si casu aliquem occidisti, jejunes carrinam, & quinquennio pœniteas. *Cædes fortuita.*

Si occidisti vel parentes, vel vxorem, vel senioremtuum, per totam vitam pœniteas, & in ultimo tandem vitę termino viaticum tibi conceditur. *Patricidium*

Si truncasti membrum alicujus, per annum pœniteas. Si vulnerasti, carrinam jejunes.

Qui Presbyterum interfecerit, ita debet pœnitere, quasi octo homicidia commisisset. *Occidens presbyterũ.*

Perjurium habet jejunium carrinæ, & pœnitentiam septem annorum. *Periurium.*

Ociosa vel levia juramenta, partim septem, partim 15. partim 40. dierum pœnitentiam habent. *Iuramenta levia.*

Si furatus es aliquid ex Ecclesia, jejunabis tres carrinas, & septem annis pœnitebis. *Sacrilegiũ. Furtum è domo Christiani.*

Si domum Christiani furando perfregisti, per unum annum pœniteas.

Adulterium, ubi una persona soluta est, habet unam carrinam & septem annos. Si utraq; persona conjugata est, duæ sunt carrinę, & quatuordecim anni. *Adulterium si alter sit solutus.*

Fornicatio habet pœnitentiam decem dierum. *Fornicatio.*

Fornicatio cum sanctimoniali habet pœnitentiam carrinæ & septem annorum. *Cum sanctimoniali.*

Si

Universidad de Deusto
Biblioteca

Corrumpens virginem & ducens eam. Si corrupisti virginem & duxisti, annum unum pœniteas: Si non duxisti, pœniteas per biennium.

Raptus. Raptus mulieris punitur carrina & septem annis.

Falsum testimonium. Falsum testimonium punitur ut adulterium, furtum, & homicidium.

Magia. Superstitio. Vsus artis Magicæ habet pœnitentiam biennii, Superstitio 40. dierum.

Solvisti jejunium, pœniteas vel viginti, vel quadraginta dies.

Ebrietas. Detractio. Ebrietas habet pœnitentiam decem dierum. Detractio & maledictum septem dierum jejunium habet.

Incestus. Incestus habet pœnitentiam usque ad mortem.

Sodomia. Sodomia decennii pœnitentiam habet.

Communicans cum excommunicato. Habuisti communionem cum excommunicato, jejunes carrinam, & pœniteas septennium.

Coitus præter naturam tres quadragesimas habet.

Burchardus fuit VVormacienſis Epiſcopus anno 1020. Hæc quæ præcipua esse judico, ex Burchardo, qui circa annum Domini 1020. VVormacienſis Episcopus fuit, annotare volui. Inde enim vocabula, quæ in Bullis quibusdam indulgentiarum usitata sunt, intelligi poterunt de carenis, quadragenis, & septenis. Burchardus scribit, carrinam, & dicit esse teutonicum vocabulum, cujus etymologia germanica, si qua est, eadem, ut arbitror, fuit, sicut septimana & dies passionis Christi, Germanis vocantur Die Carwochen vnd der Karfreytag. Quando enim in foro reus mulctam à iudice impositam, ut læsio pro injuria, vel pro damno satisfiat, persolvit: Germani dicunt, abtragt / Farr vnd wandel thun. Mulctas igitur pœnitentiales forensi vocabulo nominarunt Carrinas. Alii scribunt carenam, & à carendo deducunt. Fuit autem Carena jejunium quadraginta dierum in pane & aqua, quibus diebus à templo & congressu hominum abstinere cogebantur. Quadragenam appellarunt, quantum ex Burchardo colligi potest, tres carenas, seu tres quadragesimas, quarum prima fuit communis illa ante Pascha, altera ante festum Ioannis, tertia ante Nativitatem Domini. Septenam appellarunt pœnitentiam septem annorum, quam Burchardus ita describit: Primo anno, exceptis festis, in totum abstinebant à vino, medone, cerevisia, carne, sanguine, à caseo, & ab omni pingui pisce. In secundo & tertio anno jejunium feriæ tertiæ, quintæ, & sabbati poterat redimi. In quatuor postremis annis, jejunabant tantùm tres dies quadragesimas: Feria verò tertia, quinta, & sabbato edebant quicquid vellent. Porrò publica pœnitentia ita dabatur, ficut ex Concilio Agathensi citat Burchardus, in capite quadragesimæ. Ante fores Ecclesiæ pœnitentes se repræsentabant Episcopo civitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram prostratis, ipso habitu & vultu reos se proclamantes. Ibi secundum modum culpæ pœnitentia per præfixos gradus injungebatur. Postea in Ecclesiam introductis, manus imponebantur, misso cinere, caput cilicio operiebatur, coma deponebatur, vestimenta

Carena à carendo. *Carena quid*

Quadragena.

Septena.

Ritus publicæ pœnitentiæ.

mutabantur, & cum gemitu ac suspiriis denunciabatur ipsis, quod, sicut Adam projectus est de Paradiso, ita & ipsi ab Ecclesia pro peccatis abjicerentur. Et ministris mandabatur, ut eos extra januas Ecclesiæ expellerent, &c.

CANONES POENITENTIALES ex Gratiano.

EXtant & in Decretis Gratiani sparsim varii canones pœnitentiales, quos in unum collectos, breviter hoc loco adscribemus, ut collatio institui possit.

Si presbyter fornicatus fuerit, pœnitentiam decem annorum facere debet, hoc modo, ut in loco remoto inclusus, sacco indutus, & humi prostratus, tribus primis mensibus continuis à vespera in vesperam pane & aqua utatur, exceptis diebus festis. Postea unum annum & dimidium in alio loco pane & aqua expleat. Deinde ad pacem admittatur, & usque ad expletionem septimi anni feriam secundam, quartam, & sextam, in pane & aqua jejunet. Tribus ultimis annis omni sexta feria in pane & aqua jejunet. Hæc describuntur Distinct. 82. capit. Presbyter. *Presbyter fornicator.*

Qui duas sorores vel cognatas cognovit, septem annis pœniteat, 35. quæstione ultima. Si quis.

Qui ducit in matrimonium illam, quam polluit per adulterium, quinque annis pœniteat, 31. *Pollutam à se ducens uxorem.*

Qui cum brutis coierit, vel incestum commiserit, plus quàm septenis annis pœniteat, quæ. 2. Hoc ipsum, &c. *Incestus.*

Violans votum pœniteat tribus annis, Distin. 27. Si vir, &c. *Votum violans.*

Homicida voluntarius pœniteat septem annis, casualis quinq; annis, Dist. 50. cap. Miror, Et eos. Qui ex necessitate fecerit homicidium, duobus annis pœniteat, Dist. 50. *Homicida voluntarius. Fortuitus.*

Matricida, decem annis pœniteat, ita ut per annum integrum Ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores Basilicæ stet orans. Deinde in Ecclesia stet inter audientes, post triennium communicet. Omnibus his annis carnem non manducet, vinum non bibat, vehiculo non utatur. Iejunet tribus diebus per septimanam, usq; ad vesperam 33. quæst. 2. cap. Latorem. *Matricida.*

Eius, qui clericum occiderit, variæ describuntur pœnitentiæ, 17. quæst. 4. Vel enim septem annis pœnitere cogitur, vel viginti annis, vel cogitur exire de seculo, vel usque ad mortem non absolvitur. *Occidens Clericum.*

Perjurus, & qui aliquem injustè ad mortem accusat, 40. diebus in pane & aqua jejunet, & septem annis pœniteat, 6. quæst. 1. Et 22. quæst. 5. *Periurus & falsò accusans ad mortem.*

Qui frangunt pœnitentiam solennem, pœnitere debent annis 10. & in fine vitæ communicent, 33. quæst. 2. *Pœnitentiam violans.*

Sacrilegium habet pœnitentiam septem annorum, 12. quæst. 2. *Sacrilegium*

Qui cum hæreticis communicarit, pœniteat annis decem, 24. quæst. 1. *Cõmunicans cũ hæreticis.*

Magiæ usus habet pœnitentiam quinque annorum, 16. quæst. 5. *Magiæ usus.*

Qui

Irreconciliabilis. Qui non vult cum proximo pacem facere, vno anno pœniteat, & ad pacem redeat, 22. quæstio. 2.

Qui uxorem adulteram non pœnitentem agnoscit, tribus annis pœniteat, 21. quæst. 1.

Qui filiam spiritualem, quam vel baptizavit, vel de baptismo suscepit, cognoverit, pœniteat duodecim annis, 30. quæst. 1.

Possent autem plures Canones pœnitentiales addi ex Decretalibus, & ex aliorum Decretis vel scriptis, ut de pœnitentia eorum, qui in quadragesima non abstinebant ab uxoribus & à carnib. Item, qui comedebant animalia morticina, vel aves strangulatas, vel pisces mortuos, vel sanguinem. Item, qui non dicebant horas Canonicas, &c. Sed nostrum institutum non est omnia recentiora illa colligere. Nam & Burchardus fatetur pœnitentiali Bedæ & recentiorum, plura esse ab aliis inserta, quæ antiquis canonibus non conveniant. Hos verò præcipuos vetustatis canones ideò hoc loco adscripsimus, ut consideretur, quemadmodum cumulati & exasperati sint canones illi, utq; ex collatione eò planius intelligatur, quemadmodum in Pontificia Ecclesia collapsi, nunc & aboliti prorsus sint veteres illi ritus publicæ pœnitentiæ: & quemadmodum sensim novæ seu aliæ Satisfactiones & indulgentiæ surrogatæ sint. Inde enim vera origo indulgentiarum rectè monstrari & intelligi poterit.

DEMONSTRATIO HISTORICA, quòd indulgentiæ olim aliud nihil fuerint quàm moderationes, relaxationes, seu remissiones illarum mulctarum canonicarum, quæ in publica pœnitentia usitatæ tunc erant.

Quæ veteris Ecclesiæ fuerunt indulgentiæ. HIstoria itaque antiquitatis, multis exemplis ostendit, veterem Ecclesiam in mulctis illis seu castigationibus Ecclesiasticis seu canonicis quæfivisse & adhibuisse varias moderationes, relaxationes & remissiones, pro circumstantiis temporum, personarũ & lapsuum, & prout pœnitentes vel citius vel evidentius ostenderent & probarent seriam resipiscentiam. Quando enim fines illos, propter quos disciplinam Ecclesiasticam institutam fuisse diximus, castigatione vel moderatiore vel breviore se assequi posse videbant, nolebant rigorem canonum pœnitentialium nimis duriter urgere, sed aliquid, vel de rigore mulctarum relaxabant, vel de temporis diuturnitate remittebant, & ante expletum tempus Canonicarum satisfactionum pœnitentes sæpius ad communionem admittebant. Et vocabulum quidem indulgentiarum in hac materia apud veteres illos usurpatum non facilè invenitur, vocarunt enim mitigationes, moderationes, relaxationes & remissiones. Postea tamen indulgentias vocarunt, quando de injunctis & susceptis illis publicæ pœnitentiæ satisfactionibus aliquid, vel quo ad rigorem disciplinę, vel quo ad temporis prolixitatem, vel relaxabatur, vel remittebatur. Aliquot autem exemplis veteris Ecclesiæ ostendemus, quomodo modę rationes seu relaxationes illæ factæ sint. Inde enim manifestum evadet, quid & quales veteris Ecclesiæ indulgentiæ fuerint. *Exempla & testimonia relaxationũ satisfactionis.*

Indulgentiæ vocabulum veteribus ignotum.

Indulgentiæ quoad & in rebus.

Primò igitur asperitatem canonum pœnitentialium sæpius coacti fuerunt relaxare & moderari, ut vel breviores, vel pauciores, vel mitiores constituerent satisfactiones in publica pœnitentia. Ita Nicenus Canon 11. dicit, eos qui præter necessitatem fidem abnegarant, olim nulla misericordia dignos habitos, tunc verò aliquid humanitatis circa ipsos ostensum, constituta ipsis pœnitentia duodecim annorum. Et Canon Ancyranus 21. dicit, antiquam definitionem fuisse, ut mulieres, quæ vel conceptus excutiunt, vel partus necant, usque ad exitum vitæ ab Ecclesia removeantur. Nunc verò, inquit Canon, humanius diffinimus, ut eis decem annorum pœnitentia tribuatur. Et Canon 22, inquit: Qui casu homicidium fecerint, iis prior quidem regula septem annorum pœnitenttam imponit. Hęc verò humanior definitio quinquennii tempus tribuit. Ita Agathense Concilium Canone 37. inquit: Lapsis à fide grandem redeundi difficultatẽ sanxit antiquitas, quibus nos annorum multitudine breviata, pœnitentiam biennii imponimus. Hoc si præscripto modo facere voluerint, vetus observatio relaxetur, &c. ubi vocabulum Relaxationis observetur. Huc pertinet etiam, quòd suprà diximus, quemadmodum Cypriani & aliorum asperitas mitigata fuerit, de pace & communione danda illis, qui in exitu vitæ constituti, vel tunc primum pœnitentiam petebant, vel satisfactiones impositas nondum compleverant. Et hoc fuit unum genus relaxationum seu indulgentiarum veteris Ecclesiæ. *Canon. pœnitentibus impositæ.* *Canon Nicenus.* I. *Leviter fidẽ abnegantes* *Ancyranus.* II. *Abigentes fœtum. vel necantes partum.* III. *Fortuitum homicidium.* IIII. *A fide lapsi.* *Vocabulum relaxationis.*

Secundò etiam postquam juxta Canones injunctæ & susceptæ jam erant solennes publicæ pœnitẽtiæ satisfactiones, exhibitis tamen & perspectis sufficientibus veri doloris & seriæ resipiscentiæ documentis, ad intercessionem, vel fidelis populi, vel Martyrum sæpius, vel de injunctis mulctis aliquid remittebatur, vel ante completum publicæ pœnitentiæ tempus in canonibus præscriptum reconciliabantur. Ita apud Eusebium libro sexto, capite 35. Episcopus quidam à Novato ad Ecclesiam flebiliter lamentans, & crimen apertè confitens, reversus populo universo pro eo rogante, in communionem recipitur. Et apud Cyprianum, Martyres diligenter inspecta pœnitentium vita, cùm viderent pœnitentiam satisfactioni proximam, suis intercessionibus apud Ecclesiæ præfides impetrabant, ut de pœnis Canonicis, quæ pœnitentibus injunctæ erant, aliquid minueretur, & relaxaretur, ut satisfactionibus nondum impletis, reconciliarentur. Martyres enim illi five confessores libello de Catasta misso, suis manibus ad Ecclesiæ præfides scribebant, ut in sui gratiam hi aut illi ad communionem reciperentur, Cyp. libr. 3. Epist. 15. 16. & 18. Tertiò, ipsi etiam Episcopi cùm viderent, pœnitentes sufficientia doloris sui resipiscentiæ, conversionis, & emendationis signa declarasse, ne nimia austeritate, vel in desperationẽ, vel in dedolentiam proturbarentur, de *Secundũ genus mitigationis est satisfactionum iam impositarum.* *Exemplum Eusebij.* *Cyprianus.* *Tertia ratio relaxationũ authoritate Episcoporum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

de injunctis pœnis aliquid relaxabant, & ante completum publicæ pœnitentiæ tempus lapsos recipiebant. Cùm enim se hoc, quod ritibus illis quærebant, veram scilicet contritionem, & serium emendationis propositum in pœnitentibus, assecutos viderent, judicarunt conscientiis non esse laqueos injiciendos. Ita Ancyranus Canon 5. dicit, Episcopum hanc habere licentiam oportet, ut perspecta singulorum pœnitentium conversatione humanius agens, tempus pœnitentiæ alicui, vel prolixius, quoad correctioni necessarium viderit, addat. Item, discutiatur horum & præcedens vita & posterior, & ita circa eos sacerdotalis humanitas moderetur. Et 5. Canon Nicenus dicit: Habeantur excommunicati, quousque vel in communi, vel ipsi Episcopo suo visum fuerit, humaniorem circa eos ferre sententiam. Burchardus etiam ex dictis Hieronymi citat: Quia apud Deum non tam valet mensura temporis, quàm doloris, nec abstinentia ciborum tantùm, quantum mortificatio vitiorum: Ideò tempora pœnitentiæ, fide, & conversatione pœnitentium abbreviando præcipiuntur, & negligentia protelanda existimantur.

Ancyranus canon.

Burchardus.

Hæ fuerunt veteris Ecclesiæ, sive relaxationes sive indulgentiæ, à quibus, quemadmodum Pontificiæ indulgentiæ per omnia genera causarum diversæ sint, ex hac narratione, & ex descriptione indulgentiarum, in principio exposita, si fiat collatio, manifestum est. Atque ideò nudam tantùm pono recitationem, relinquens Lectori collationem diverfitatis.

QVOMODO POSTEA SVCCESSERINT redemptiones, seu commutationes publicarum satisfactionum.

POst veræ & primæ antiquitatis tempora successerunt redemptiones, seu commutationes publicarum satisfactionum, unde sensim inclinatio facta fuit ad alias & novas indulgentias. Cùm enim veterum satisfactiones non amplius, ob illam causam & in hunc finem usurparentur, ut lapsis essent excitamēta & fomenta veræ contritionis & seriæ emendationis, sed accesisset opinio operis operati, & tamen ex Scriptura ostendi non posset, necessarias illas esse ad remissionem peccatorum, & ad reconciliationem cum Deo, facta itaque fuerunt onera illa publicarum satisfactionum, sicut cumulata & exasperata erant, intolerabilia. Atque ideò cùm veteres satisfactiones in totum retinere non possent, alia enim fuerat ratio temporum patrum ætate. Ne igitur subitò in universum conciderent, redemptiones seu commutationes introduxerunt, ut aliquas retinerent, aliquas commutarent. Ita Burchardus ex pœnitentiali Romano multa de redemptionibus satisfactionum transcribit, ut pro uno die, quem in pane & aqua quis jejunare debet, quinquaginta Psalmos genibus flexis, vel septuaginta stando dicat, & unum pauperem pascat. Qui Psalmos non novit, dives unum diem tribus denariis, pauper uno redimat, vel tres pauperes pascat. Vna hebdomada redimitur trecentis Psalmis. Vnus mensis Psalmis mille ducentis. Pro uno anno det pauperibus in eleemosynā viginti duos solidos, pro quadragenis computet precium cibi & potus sui, ac medietatem ejus distribuat in eleemosynam pauperib. Fuerunt & peregrinationibus satisfactiones publicæ redemptæ seu commutatæ, 33. q. 1. Plures verò alię tales redemptiones seu permutationes apud Burchardum describuntur, nos exempli tantùm gratia has adscripsimus.

Finis satisfactionum Canon. alius factus.

Causa commutationis & redemptionis satisfactionum.

Canon. Burchardus.

Cōmutatio ieiunii unius diei in pane & aqua.

Psalmorum ignoratio.

Hebdomada.

Mensis.

Annus.

Peregrinationib. redemptæ satisfactiones.

Damna ex his redēptionibus & commutationib. secuta.

Epicureismus.

Persuasio operis operati.

Clerici.

Laici.

Potentes.

Pauperes.

Hieronymus.

Sed ex illis redemptionibus seu commutationibus, cùm levius & facilius fieri possent, mox subsecuta fuit languefactio veræ contritionis, seriæ emendationis eversio & persuasio impunitatis in delictis. Persuasio enim cœperat adhærescere illis permutationibus, tanquam opere operato Deo pro peccatis satisfieri. Burchardus enim ex Concilio Cabilonensi, quod tempore Caroli Magni celebratum fuit, describit canonem contra illos, qui ex industria peccantes, propter eleemosynarum largitionem, quandam sibi promittebant impunitatem, videbantur enim Deum quasi mercede conducere, ut eis impunè peccare liceret. Citat ex eodem Concilio & alium Canonem: Sunt Clerici, qui negligenter viventes, in eo purgari se à peccatis putant, si Romam, Turonum, & alia quædā loca, sub prætextu orationis, peragrent. Sunt & Laici, inquit, qui putant, impunè se peccare aut peccasse, quia loca illa oraturi frequentent. Sunt potentes, qui acquirendi census gratia id faciunt. Sunt pauperes, qui ideò id faciunt, ut majorem habeant materiam mendicandi, vel quia tantùm sunt vecordes, ut putent, se sanctorum locorum sola visione à peccatis purgari, non attendentes, quod ait Hieronymus: Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis benè vixisse, laudandum est. Et circa eadem tempora Claudius etiam Caroli Magni Presbyter scripsit contra illorum persuasionem, qui pœnitentiæ causa Romam pergebant.

QVOMODO PER COMMVTATIONES veteres satisfactiones sensim collapsæ sint, & tandem prorsus intercíderint: Earum verò loco aliæ novę satisfactiones novis opinionibus substitutæ, unde novæ etjam indulgentiæ ortæ sunt.

ITa ergo cùm rigor canonum pœnitentialium amplius tolerari non posset, primùm per commutationes in opera leviora conati fuerunt Canones illos partim mitigare, partim verò retinere. Ex Burchardi enim canonibus colligitur, solitas nunc quidem, juxta canones, pro publicis delictis veteres satisfactiones imponi: sed pœnitentibus licentiam concessam, ut partem earum commutatione, sicut dictum est, redimerent, quasdam verò dicebant redimi non posse, sed absq; commutatione complendas esse, ut cùm dicunt, jejunium sextæ feriæ redimi non posse, sed sine commutatione servandum esse. Ostendunt & hoc Burchardi Canones, cœptum tunc fuisse, ut pœnitentes ante exactum totum publicæ pœnitentiæ tempus ad absolutionem & communionem admitterētur, & postea quod reliquum erat satisfactionum, persolverent. Vt exempli gratia: Cui imposita erat septem vel decem annorum

Canones pœnitentiales partim mitigati, partim retenti.

Pœnitentes ante completam satisfactionem ad cōmunionem admissi.

Absolutio & communio data ante inchoatam persolutionē impositæ satisfactionis.

Post absolutionem impositæ.

Totus ioculatus locus publicæ pœnitentiæ in Ecclesia Pontificia.

Flagelliferi. Adam Halberstatensis in Saxonia.

Resipub. pœnitentiæ abolitæ retentis solis vocabulis.

Novæ satisfactionum formæ veteribus ignotæ.

Meritanovarum commutatarum satisfactionū.

norum pœnitentia, is post biennium vel quadriennium admittebatur ad communionē, & post communionem reliquum tempus complebat. Inde secutum est postea, quòd post injunctas satisfactiones, absolutio & communio data fuit, priusquam executio satisfactionum inchoaretur, imò tandem post acceptam absolutionem impositæ primùm fuerunt satisfactiones, sicut nunc in papatu fit. Ita laxatis primùm canonib. pœnitentialibus, usus eorum sensim collapsus fuit, & tandem prorsus intercidit. De illis enim spectaculis publicæ pœnitentiæ nihil jam reliquum est in Ecclesia Pontificia, nisi umbra quædam, sive, ut verius dicam, ludus & jocus. In capite quadragesimæ aspergunt capitibus cineres, & postea canunt ea, quæ olim in publica pœnitentia psallebantur, cùm nullos publicè pœnitentes habent. Romæ aliquando spectaculum editur quorundam conductitiorum, qui seipsos flagellant. In Templo Halberstadiano quotannis agitur talis ludus seu fabula: Conducunt certum quendam Raubaucum, quem Adamum nuncupant, sordidè vestitum, quem in capite quadragesimæ templo solenniter ejiciunt, cumq; liberaliter ipsum pascant, jubent eum, quasi jejuniis confectum, tristem per quadragesimum cum silentio foribus templi observari, donec in die cœnæ rursus in Templum introducatur. Ita, vetus pœnitentia in ludos tandem seu fabulas desiit in Ecclesia Pontificia.

Nomina verò sive appellationes Carenarum, septenarum, quadragenarum, postea in formis indulgentiarum remanserunt. Formam enim veteris pœnitentiæ, quæ olim in publicis criminibus tantùm usitata fuerat, inscitè ad quævis peccata, & ad omnes pœnitentes transferre & applicare tentaverunt, imponentes singulis pœnitentibus, vel carenas, vel septenas, vel quadragenas. Quia verò rigorem & austeritatem veterum illarum satisfactionum, cùm pro omnibus & quibusvis peccatis injungerentur, homines tolerare, vel non poterant, vel non volebant, invētum fuit hoc sophisma, ut nominarentur quidem in impositione satisfactionum, vel carenæ, vel quadragenæ, vel septenæ, sed illæ docerentur, vel per commutationes Burchardi, vel per novas de quibus mox dicemus, indulgentias redimi posse. Ex commutationibus verò Burchardi postea fecerunt novas satisfactiones. Docere enim cœperunt, in Sacerdotis arbitrio positum esse, loco veterum satisfactionum quot & quales ex illis, quæ apud Burchardum commutationes seu redemptiones vocantur, pœnitentibus post absolutionem imponere vellet, ut sunt jejunium, oratio, eleemosynæ, quas partes satisfactionis postea dixerunt. Et illas novas etjam injunctas pœnitentias novis, ut mox ostendemus, indulgentiis redimi posse docuerunt: uti; merces novarum istarum & satisfactionum & indulgentiarum, & facilius extrudi & obtrudi possent, commenti sunt, satisfactionibus istis tanquam compensatione æquivalente, per opera aliàs indebita, redimi & expiari partem, vel culpæ vel pœnæ æternæ, vel certè partem pœnæ temporalis. Etsi enim Scholastici disputent, satisfactiones nostras propriè non esse expiatorias seu compensatorias, pro culpa & pœna æterna, sed tantum propœna temporali, tamen ostendunt non paucos fuisse, qui senserint & disputarint etjam de compensationibus & expiationibus pro culpa & pœna gehennæ per satisfactiones. Simul verò tunc omnes novum commentum excogitarunt, nisi satisfactiones in hac vita, vel opere complerentur, vel pecunia redimantur, luendas esse post hanc vitam pœnis acerbissimis in purgatorio. Et de satisfactionibus quidem diximus in secunda parte hujus examinis, de indulgentiarum igitur, quæ recentes & vetustati ignotæ sunt, origine & progressu jam quædam annotabimus.

Purgatorii origo.

ORIGO ET PROGRESSVS NOVARUM INDULGENTIARUM, *de quibus Pontificii nunc dimicant ex Decretalibus Gregorii Noni, & Bonifacii Octavi.*

EX illis, quæ breviter hactenus annotavimus, manifestum est, magnam esse dissimilitudinem & luculentum discrimen inter indulgentias veteris Ecclesiæ, & inter novas illas, quas post subsecutas esse ostendimus, & in principio huius loci descripsimus. Harum origo cùm in historiis non satis luculenter annotata sit, vestigia, quantum fieri poterit, ex certis scriptis nobis inquirenda erunt. Quòd enim fingunt, Gregorium Magnum suo tempore ad certas in Ecclesiis Romanis stationes tales dedisse indulgentias, fabulosum & falsum est. Nihil enim tale, vel in Gregorii scriptis, vel in certis illorum temporum historiis extat. Occasio verò fabulæ inde videtur arrepta esse. Posteriores Pontifices Romani ad stationes in certis urbis Romæ Ecclesiæ multas & magnas profuderunt indulgentias, sicut postea indicabimus. Et quia Gregorius Magnus etjam stationum mentionem facit, mox effingunt Pontificii suas indulgentias, sed sine ullo prorsus documento ex Gregorii scriptis. Nam & Tertullianus aliquot in locis de stationibus in Ecclesia sui temporis scribit, nec tamen inde sequitur, Tertullianum vel autorem, vel approbatorem fuisse Pontificiarum indulgentiarum. Fuerunt autem Stationes, quasi statæ feriæ, quibus populus in certis templis conveniebat ad auditum verbi, ad communionem mysteriorum & adorationem. Et quia stantes verbum audiebāt, & orationes faciebant, dictæ fuerunt stationes. Atque in Gregorio extant quidem homiliæ habitæ ad populum in illis stationibus, sed de indulgentiis verbum nullum. Et tempore Burchardi quidem, qui circa annum Domini 1020. scripsit, ac Gratiani etjam tempore, cuius Decretum circa annum Domini 1150. editū esse, Gloss. 2. quæst. 6. testatur, commutationes satisfactionum cœpisse, suprà ostendimus. De indulgentiis verò, de quibus nunc agimus, nulla in ipsorum scriptis extant, vel testimonia vel exempla. Nec in Longobardo etjam. Ergo non longè ante annum Domini 1200. videntur originem suam cœpisse novæ hæ indulgentiæ, idq; hoc modo. Astexanus in sua Summa scribit: Quod pœnitens, si sentiat, satisfactionem sibi injunctam nimis esse

Fabula de Gregorii indulgentiis.

De stationib. Stationes tempore Tertulliani.

Stationes quid fuerint.

Vnde dictæ.

Indulgentiæ nec Burchardi tempore, nec Gratiani. Nec Longobardi.

Quando indulgentiæ novæ cœperint.

Astexanus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gravem aut ad servandum periculosam, posset ad eundem suum confessorem vel alium recurrere, & petere vel commutationem vel relaxationem & remissionem seu indulgentiâ in junctę satisfactionis: & sacerdotę habere potestatę, vel eō mutandi vel etjâ relaxandi satisfactionem prius injunctam. Et hæc de Sacerdotum seu confessorū indulgentiis in foro pœnitētiali, ex multis Canonistis probat Bernhardinus. Posteà disputari cœptum fuit, à quo possent fieri tales relaxationes seu remissiones, an à proprio Sacerdote, an ab æquali, an à superiore. Postremò ad solos Episcopos & Archiepiscopos dispensatio illa translata fuit. Et tandem de plenariis Romani Pontificis indulgentiis magnificè disputari cœptum fuit. Cumq; primùm, sicut Astexanus ostendit, relaxationes illæ fierent ad petitionem pœnitentium, si imbecillitatem suam ad ferendas satisfactiones satis probassent, posteà ad corrogationes eleemosynarum, ad dedicationes templorum, ad peregrinationes, & tandem ad tinnitum munerum, in genere cœperunt variæ indulgentiæ concedi, id quod ordine ostendemus.

Bernhardinus.

Quis relaxare satisfactiones Canon. possit.

In Decretalibus itaq; Gregorii Noni lib. 5. titulo de pœnitentiis & remissionibus, extant quædam, unde origo illarum indulgentiarum aliquo modo deprehendi potest. Cùm enim cœptum fuisset veteres Satisfactiones sicut ex Burchardo ostendimus, eleemosynis commutare & redimere, illi, qui publicas pro hospitalibus (ut vocant) eleemosynas colligebant, quos quæstores eleemosynarum vocarunt, ut hominum liberalitatem promptiorem haberent, cœperunt largas in suis prædicationibus proponere indulgentias: illa enim abusio in Lateranensi concilio circa annum Domini 1215. reprehensa fuit, & in capitulo Cùm ex eo, ponitur forma literarum, quæ à sede Romana solita tunc fuerit dari quæstoribus illis: Quia scilicet scriptum est: Qui parcè seminat, parcè & metet, qui verò seminant in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam. Cùm igitur ad sustentationem fratrum & egenorum ad hospitale N. confluentium propriæ non sufficiant facultates, universitatem vestram monemus, atq; in remissionem vobis injungimus peccatorum, ut de bonis vobis à Deo collatis, pias eleemosynas eis erogetis, ut per subventionem vestram ipsorum inopiæ consulatur, & vos per hæc bona & alia ad æterna positis gaudia pervenire.

Indulgentiæ ad eleemosynarum corrogationes cessæ.

Indulgentiarum impudentia taxata.

In eodem titulo Alexander Tertius circa annum. 1170. loquitur de remissionibus, quæ fiebant in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus aliquid ad ædificationem pontium. In Lateranensi verò concilio circa annum 1215. facta fuit hæc constitutio: Quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidem Ecclesiarum prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis Satisfactio enervatur, decernimus, ut, cùm dedicatur Basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, ac deinde in anniversario dedicationis tempore 40. dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoq; dierum numerum indulgentiarum literis præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties concedun-

Constitutio Lateranensis concilii, contra immodicas indulgentias.

tur, cùm Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consveverit observare.

Et in sexto Decretalium lib. 5. titulo decimo, Innocentius Quartus circa annum 1244. pro fabrica Ecclesiæ Remensis permittit concedere indulgentias, vel unius anni, vel quadraginta dierum.

Initium novarum indulgentiarum.

Novæ igitur illæ indulgentiæ cœperunt circa annum Domini 1200. & usq; ad annum 1250. fuerunt remissionis partis alicujus de injunctis pœnitentiis, scilicet vel 40. dierum, vel unius anni tantùm. Et casus pro quibus tunc dederint indulgentias, hi fuerunt: Sublevatio hospitalium, ædificatio pontium, seu viarum, & fabrica Ecclesiæ alicujus.

& quid fuerint, & quor sum data.

QVID DOCTORES ECCLESIAE ILlius temporis de novis istu indulgentiis senserint, & quomodo Scholastici suis disputationibus cœptas illas indulgentias ornare & amplificare studuerint.

Abusus novarum indulgentiarum & diversæ eruditorū iudicia & sententia.

CVm itaque illis temporibus prælati Ecclesiæ, Episcopi, Archiepiscopi, & ipsi etiâ Romani Pontifices, novo hoc aucupio delectarentur, & quæstores magna liberalitate indulgentias istas errogarent: Populus etjam pro sua levitate & curiositate avidè illas acceptaret: Variè inde inter doctos motæ fuerunt disputationes, & diversa secuta judicia, quæ qualia fuerint, ex Scholasticorum & Canonistarū scriptis colligi potest. Cùm enim res noya esset talium indulgentiarum talis largitio, quidam contra illas disputarunt, quidam verò in dubium illas revocarunt. Et quibus argumentis indulgentias illas oppugnarint, inde potest deprehendi: argumenta enim quæ in oppositum extant in Scholasticorum vetustorum scriptis, sunt illa ipsa, quæ tunc contra indulgentias agitata fuerunt. Et videntur fuisse hæc capita: Primò quòd nec Scripturæ testimoniis, nec veteris Ecclesiæ exemplis, novæ illæ indulgentiæ probari possent. Secundò, quòd mandatum divinum esset, facere fructus dignos pœnitentia, eius verò relaxandi aut remittendi potestatem Ecclesiam non habere. III. Veterum Ecclesiam non sine causa constituisse canonicas illas mulctas seu castigationes, quarum remissio esset enervatio disciplinæ Ecclesiasticæ.

Quibus fundamentis novæ indulgentiæ fuerint impugnatæ.

Primum genus argumentorum.

II.

III.

Alii cùm palam non auderent, in quod passim ab Ecclesiæ prælatis fiebat, reprehendere, obliq; eas taxarunt, variè disputando quid prodesset, sive ad quid valerent indulgentiæ. Illæ disputationes repetitæ extant in Scholasticorum & Canonistarum Scriptis. Glossa. 5. titul. 38. capit. Quod autem, &c. dicit: veterem querelam esse, & adhuc tamen satis dubium, quid valeant tales remissiones. Quidam enim dixerunt, indulgentias illas prodesse & valere non in foro Dei, sed tantùm in foro Ecclesiæ: quòd scilicet nimis diuturnæ & graves mulctæ canonum pœnitentialium relaxarentur & remitterentur, sicut Concilium Lateranense inquit, esse indultam remissionem de injunctis pœnitentiis. Et prælatos Ecclesiæ hoc facere posse, quoniam constitutiones humanæ sint

Disputationes de utilitate indulgentiarum novarum.

Indulgentias nil valere coram Deo.

Patroni & amplificatores canonum pœnitentialium.

Nec in foro Dei nec Ecclesiæ prodesse indulgentias.

Indulgentiæ bonæ deceptiones hominum.

Bonaventura.

VVesselus.

Indulgentia pia fraus populus.

Indulgentias dare periculosum esse dicunt.

Scholasticorum de indulgentiis disputationes.

Scholastica Theologia.

næ sint canones pœnitentiales, in quibus homines possent dispensare. Ibi verò quidam, ut hominibus persvaderent, magnum esse beneficium illarum indulgentiarum, disputarunt, canones pœnitentiales etjam in foro Dei obligare, & eorum satisfactiones ad remissionem peccatorum esse necessarias, atq; ita indulgentias etjam in foro Dei valere. Sed alii ex ipsis Pontificum decretis, de tit. pœnitentiis & remissionibus, ca. Deus qui, &c. ostenderunt, veteres illos Canones pœnitentiales jam tunc collapsos & antiquatos fuisse, & pœnitentiam factam arbitrariam, ita ut arbitrium discreti Sacerdotis satisfactiones moderari posset. Dixerunt itaque propter Canones pœnitentiales, qui ipso facto jam antiquati, esse desijssent, non opus esse istis indulgentiis, nec in foro Dei, nec in foro Ecclesiæ: Ecclesiam tamen illas prædicare, ut filios suos bona quadam deceptione ad bonum, ut ad dandas eleemosynas alliciat, sicut mater filiolo pomum promittit quod posteà non donat. Ita Bonaventura verba contrà disputantium recitat. VVesselus ex Alberto Magno opinionem illorum his verbis describit: Indulgentias nihil esse, nisi piam fraudem ac dolū non malum, quo plebs officioso errore trahatur ad pietatem. Alii verò disputarunt, rem valdè periculosam esse concedere indulgentias, conceden tem enim onerare se ad satisfaciendum pro illo, cui dat indulgentias. Hæc de indulgentiis paulò ante tempora Scholasticorum disputata fuisse, ex ipsorum Scriptis, & ex Canonistarum Glosis colligitur.

Porrò ætas Scholasticorum sive Sententiariorum, sicut vocantur, incidit in illud tempus, cùm Quæsturæ & Disputationes, de novis istis indulgentiis, per annos aliquot, sicut dictum est, agitatæ jam fuissent. Nam tempore Gratiani & Longobardi, quos unà cum Petro Commestore fratres fuisse scribunt, ex Sacerdotis concubina natos, cœperat in Scholis novum Theologiæ genus circa annum Domini 1150. quòd scilicet non ex scriptura, sed ex patrum scriptis, & conciliorum Decretis sententiæ colligebantur, quibus præcipua capita Doctrinæ Ecclesiasticæ, additis variis quæstionibus, comprehendi videbantur.

Scholastica Theologia.

Post annos centum verò circa annum Domini 1250. secuti sunt, qui in Longobardum, quem Magistrum sententiarum appellarunt, commentaria in scholis dictare & conscribere cœperunt, quos inde Scholasticos Doctores & Sententiarios appellarunt, qui omnia, quæ quomodocunq; in Ecclesiam tunc irrepserant disputando, non ex Scriptura, nec etjam ex Patribus, sed ex Philosophorum placitis, & humanæ rationis argumentationibus, conquisitis omnis generis subtilitatibus, defendere conabantur. Horum primus & vetustissimus Alexander ab Ales, circa annum Domini 1250. floruit. Eum mox secutus est Albertus Magnus Præceptor Thomæ. Deinde Bonavētura, Thomas Aquinas, VVilhelmus Parisiensis, VVilhelmus Varro, Præceptor Scoti, Egidius Romanus, Richardus de media Villa, Iohannes Scotus, Gregorius Ariminensis Scoti in Lectura concurrens, ut vocant.

Scholastici Doctores nuncupati.

Alexander ab Ales.

Albertus Magnus.

Bonaventura, &c.

Deinde Franciscus Maironis, & VVilhelmus Ocean, discipuli Scoti. Item, Petrus de Palude, &c.

Scholastici igitur quæstionem illam de indulgentiis tunc ἐπιτολάζσαν arripientes novis additionibus amplificarunt, & illis, qui indulgentiis, sicut ostendimus, hactenus contradixerunt; acriter se opposuerunt, & ex illis conati sanè quidam fuerunt ex Scriptura; & ex Patribus novas illas indulgentias probare, sed frustra, sicut suprà ex Antonino ostendimus. Plerique igitur Scholastici omnes fatentur, de indulgentiis istis nihil expressè haberi; vel in Scriptura, vel in Patribus. Sed quia Ecclesia universalis, quæ errare non posset, tales indulgentias faciat & acceptet, dogma igitur illud pro articulo fidei recipiendum. Cumq; hactenus ipsi Pontifices hac formula usi fuissent, per indulgentias aliquid de injunctis pœnitentiis relaxari seu remitti, Scholastici ex disputationibus illorum temporum, de quibus dictum est, animadverterunt, valorem illum indulgentiarum nimis tenuem, non posse pro voto merces indulgentiarum extrudere, aliis igitur novis additionibus hederam illis suspenderunt. Nec verò ausi fuerunt dicere, remissionem culpæ fieri per indulgentias. Omnes enim retinuerunt Augustini sententiam: Nemo tollit peccatum nisi Christus, qui est agnus Dei, tollens peccata mundi. Tollit autem & dimittendo quæ facta sunt, & adjuvando ne fiant, & perducendo ad vitam æternam, ubi fieri omninò non possunt. Disputant autem ex Scholasticis quidam merito contritionis fieri remissionem culpæ, & infusionem gratiæ, atque ita peccatorem liberari à pœna æterna, quam dicunt commutari in pœnam temporalem à nobis ipsis, vel patiendo exolvendam, vel sufficienti precio per satisfactiones compensandam & expiandam. Quia verò temporalis illa magna & super vires nostras sit, ut quæ complectatur nō tantùm tempus & pœnas hujus vitæ, verumetjam gravissimas purgatorii pœnas, ideò partem temporalis ejus pœnæ in absolutione remitti dicunt, pro refidua verò parte imponi satisfactiones, quæ quia in purgatorio luendæ sint, si in hac vita non plenè & perfectè exolvantur, ideò per indulgentias satisfactiones redimendas svaserunt. Vtq; nundinationes illas vendibiliores facerent, addiderunt insuper & hoc commentum: Satisfactiones, quæ pœnitentibus arbitrio sacerdotis imponuntur, non esse sufficientes, sed graviores esse eas, quæ canonibus pœnitentialibus olim perscriptæ fuerunt, & ne illas quidem sufficientes esse, sed divinam justitiam pro mensura delicti etjam purgatorii pœnas imponere. Ideò omnibus, & illis etjam, qui injunctas pœnitentias expleverunt, vel explere possunt, opus esse indulgentiis, nisi velint in purgatorio torqueri. Atque ideò Scotus dicit, peccatorem post absolutionem remitti vel ad indulgentias, vel ad purgatorium. In summa igitur docent per indulgentias remitti, vel pœnas vel Satisfactiones pro pœnis peccatorum debitas, quæ vel injunctæ fuerunt, vel injungi debuissent, sive ex arbitrio Sacerdotis, sive juxta Canones pœnitentiales, sive à divina justitia, & quæ luendæ essent vel in hac vita, vel in purgatorio: Vt indulgentiæ ita valeant, non tantùm in foro Ecclesiæ, verumetjam ad relaxationem pœnarum, quas

Indulgentiæ scripturæ pœ trum testimoniis carent.

Fundamentum indulgentiarum.

Axioma commune omnibus Scholastici in disputationibus de indulgentiis.

Meritum remissionis culpæ.

Æternæ pœnæ in temporalem commutatio.

Satisfit pro pœna temporali, vel in hac vita, vel in purgatorio, vel per redemptionem indulgentiarum.

Indulgentiarum præcocissima.

Scotus.

Summa figmenti Ponnifici de indulgentiarū impostura.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quis pro culpis propriis portare meruisset, etiam in foro Dei in purgatorio, hæc enim sunt ipsorum verba.

Omnium de Thesauro Ecclesiæ ex supererogatoriis operibus & clavibus huius Thesauri.

Porrò addunt, per indulgentias illas non fieri gratuitas condonationes, fingunt enim precium sufficiens & æquivalens (ita enim loquuntur) ad solvendum debitum pœnarum, vel per nosipsos, vel per alienum suffragium offerēdum esse. Iam Christum plura passum esse, quàm pro remissione culpæ nostræ & pœnæ æternæ opus fit: Beatos etjam, dum in hac vita fuerunt multa ipsis ad salutem non necessaria, & plura quàm debuerint, faciendo & patiendo supererogasse; Ecclesiam etiam militantem multa habere merita Supererogationis. Quæ omnia in unum cumulum conjecta, efficiant thesaurum Ecclesiæ, ex quo cui propria merita ad solvendum debitum pœnæ temporalis, non sufficiant, communicare possit aliena per Episcopos & Pontificem, quibus claves illius thesauri concessæ sint, ita ut per redemptiones indulgentiarum, & aliena merita accommodari & applicari possint, qui per proprias Satisfactiones non putant se sufficiens precium, ad solvenda sua debita, ad Deum afferre posse. Dispensationem verò illarum indulgentiarum Sacerdotibus & minoribus Prælatis, nisi ex peculiari privilegio data pecunia, eam impetrarent, prorsus ademerunt, & solis Episcopis potestatem, sed tamen limitatam, ad unum annum & 40. dies scilicet: Pontifici verò plenariam potestatem, & illicitatem thesauro illo Ecclesiæ dispensando tribuerunt.

Pro quibus casibus indulgentiæ dentur.

Casus etjam, in quibus & pro quibus dari possint indulgentiæ, ultra eos, quos ex Decretalibus notavimus, auxerunt. Vt pro visitatione Basilicarum & reliquiarum, item pro celebratione festorum, pro audiendis missis & prædicationibus. Item, pro defensione terræ sanctæ, & fidei, pro promotione studii. Principaliter verò si quis manus adjutrices (sicut loquuntur) porrexerit ad hospitalia, ad Basilicas, & similia, si modò temporalia, quæ exponuntur, ordinentur ad spiritualia, tunc enim non esse Simoniam. Operosè verò disputant, indulgentias prodesse non tantùm viventibus in hoc seculo, verumetjam existentibus in purgatorio, si non directè per modum autoritatis, saltem indirectè per modum suffragii, si tamen in bulla, hoc exprimatur. Thomas dicit, non esse aliquam rationem, quare Ecclesia non possit communia merita, quibus indulgentiæ innituntur, transferre, tàm ad mortuos, quàm ad vivos. Ad objectionem verò, quòd claves Ecclesiæ non possunt ligare vel solvere, nisi super terram, Raimundi Glossa respondet: Si Romanus Pontifex tamen faceret talem indulgentiam, quæ prodesse haberet etjam defunctis, non debemus ponere os in cœlum de plenitudine potestatis ejus temerè dubitanda. Bernhardinus verò ex Thoma respondet: Literam super terram referri posse ad ipsum solventem, ut sensus sit: Quicquid tu super terram existens solveris. Non enim Papa mortuus, sed vivus, potest solvere vel ligare, vel, etjàm illud referatur ad ipsos absolvendas, nihilominus posse intelligi de existentibus in purgatorio. Cùm enim purgandi sint, intra vel circa terram, posse eos dici super terram, quia non sint in cœlo. Quantùm verò indulgentiæ illæ valeant, magis ardua est apud Scholasticos disputatio. Vt enim valeant & prosint, dicunt ex parte dantis requiri potestatem dandi, & causam rationalem. Ex recipientis verò parte contritionem cum confessione, & devotionem cum credulitate Ecclesiasticæ potestatis, secundum Alensem, ut scilicet confidat, indulgentias illas sibi valere, inquit Bonaventura. Vel: sicut Angelus inquit, ut certò credat, Ecclesiam habere talem potestatem, licet non habemus manifesta testimonia, vel ex Scriptura vel ex Patribus. Principale verò requisitum ad valorem indulgentiarum Petrus de Palude dicit esse, ut quis det, vel faciat illud, pro quo datur indulgentia. Et Bernhardinus inquit, cuidam religioso dicenti: Ego non credo, quod per istas indulgentias homo evadat pœnas purgatorii, nisi opera pœnitentiæ faciat. Ego respondi: Tibi non proderunt, quia in eis non habes fidem. Sed benè mihi, quia firmiter credo, per eas evadi pœnas pro peccato debitas. Et in hujus signum dicitur: Sicut credis, fiat tibi. Item, Fides tua te salvum fecit. Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Quidam igitur dixerunt, indulgentias valere secundum internam suscipientis devotionem & non plus. Alii verò dicunt: Nisi quis vel det, vel faciat illud, pro quo datur indulgentia, quòd non consequatur eam, etjamsi bonam habeat voluntatem. Et huc detorserunt illud Salomonis. Redemptio animæ viri divitiæ ejus. Ideò dixerunt, indulgentias secundum devotionis quātitatem, & dati, seu laboris magnitudinem plus minusve prodesse. Thomas verò contendit, illas æqualiter omnibus tantum valere & prodesse, quantum sonant. Richardus dicit: Quoad remissionem extensionis pœnæ, æqualiter valere omnibus indulgentias, sed quoad remissionem intensionis, esse discrimen. Ita autem interpretantur valorem indulgentiarum, ut exempli gratia: Qui accipit indulgentiam septem annorum, is tantum remissionis habet, vel de pœnitentiis injunctis, vel de pœnis pro peccatis, sive in hac vita, si in purgatorio debitis, quantum mereretur si septem annorum pœnitentiam expleviſſet. Alii dicunt tot annos remitti de pœna, quam pertulisset in purgatorio pro peccatis.

Efficacia indulgentiarum.

Thomas.

Raimundus.

Bernhard.

Quæ requirantur ut indulgentiæ valeant.

Angelus.

Petrus de Palude.

Bernhardinus lepidum & scitum.

Thomas.

Exemplum.

Atque ita quidem Scholastici vetustiores suis disputationibus novas & grandes accessiones indulgentiis fecerunt, quæ primùm, sicut ostendimus, tantùm fuerunt relaxationes de injunctis pœnitentiis Canonicis. Iam quid porrò secutum sit ordine ostendemus.

VIENNENSIS CONCILII
Decretum, contra abusiones indulgentiarum.

CVM itaque hoc modo nundinationibus indulgentiarum, per Scholasticorum disputationes, non tàm fenestræ, quàm latissimæ fores essent apertæ: Quæstores indulgentiarum suis etjam artificiis, quomodo scilicet argentum ab hominibus emungendum esset, negociationem illam strenuè promoverunt, & brevi eò audaciæ & impudentiæ res progressa fuit, quod generali concilio reprimenda fuit. Nam circa annum Domini, 1311. in Viennensi Concilio Clemens Quintus peculiarem constitutionem contra quæstores indulgentiarum, ex qua, sicuti extat in Clementinis libro quinto, titulo, de pœnitentiis & remissionibus, quædam, quæ abusiones illius temporis depingunt, adscribemus. Dicit igitur, quæstores istos eleemosynarum in suis prædicationibus proponere abusiones, ut simplices decipiant, & aurum subtili, vel fallaci potius ingenio ab illis extorqueant, quod in animarum periculum, & in scandalum plurimorum cedat. Abusiones verò has recitat: Quod scilicet deceptione animarum multiplici indulgentias populo, motu suo proprio de facto concedant, super votis dispensent, à per juriis, homicidiis, & peccatis aliis sibi confitentes absolvant mole ablata, data sibi aliqua pecuniæ quantitate, remittant, tertiam aut quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxent, animas tres vel plures, parentum vel amicorum illorum, qui eleemosynas eis conferunt, de purgatorio, ut asserunt mendaciter, extrahant, & ad gaudia Paradisi perducant, benefactoribus locorum, quorum quæstores existunt, remissionem plenariam peccatorum indulgeant, & aliqui ex ipsis eos à pœna & culpa, ut eorum verbis utamur, absolvant. Addit autem Concilium Viennense: Non abusus hujusmodi, per quos censura vilescit Ecclesiastica, & clavium Ecclesiæ autoritas ducitur in contemptum, omnimodo aboleri volumus. Ita Clementina: Et videri sanè possent abusiones illæ in indulgentiis generaliter taxari, damnari & aboleri per Clementinam illam. Sed Pontifices ipso facto, mox addiderunt interpretationem, quòd sint abusiones damnabiles & abolendæ, si fiant à quæstoribus hospitalium, si verò à Romanis Pontificibus tales indulgentiæ, & eo modo concedantur, esse opus maximè pium.

Clemens V.

Abusus indulgentiarum illius temporis.

Enumeratio abusionū & imposturarum.

Pontificum posteriorum limitationes Concilio Viennensi circumscriptæ.

DE PLENARIIS ET PLENISSIMIS indulgentiis Romanorum Pontificum.

ROmani igitur Pontifices aliis quidem quæstoribus concessionem indulgentiarum simpliciter prohibuerunt. Episcopis verò & Archiepiscopis partiales tantùm indulgentias, ut 40. dierum vel unius anni concesserunt. Sed Romanæ sedi ex plenitudine potestatis reservaverunt largitionem annorum quorumcunq; plenariæ indulgentiæ omnium peccatorum. Nam Innocentius III. in Concilio Lateranensi, circa annum Domini 1215. ita decrevit: Qui pro recuperanda terra sancta, vel propriis impensis militat, vel aliud confert, ei plenam suorum peccaminum veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum, hoc est, sicut alii loquuntur, assumentibus crucem ad bellandum contra infideles dabantur plenariæ indulgentiæ à Romano Pontifice. Postea, sicut Alensis scribit, etjam peregrinantibus ad terram sanctam, & visitantibus sepulchrum Domini, data fuit plenaria indulgentia. Bonifacius verò Octavus anno Domini 1399. primus constituit jubilæum singulis centesimis annis celebrandum, & qui centesimo illo jubilæo anno Romæ Basilicam Petri & Pauli visitaret, non sosum plenam & pleniorem, sed plenissimam omnium suorum cōcessit veniam peccatorum. Exordium verò jubilei Pontificii dignum est tali autore, de quo ipsi Pontificii scribunt, quòd intraverit ut Vulpes, regnarit ut Lupus vel Leo, mortuus sit ut canis.

Innocentius III. de plenariis indulgentiis.

Alensis. Bonifacius Octavus auctor anni iubilæi.

Sed in hac parte historiæ de indulgentiis, prius quam progrediamur, observandum est, quomodo adulatores Pontificum studuerint omnia illa, qualia qualia essent, defendere, quibusdā tamen licet paucis contradicentibus. Nam Ioannes Andreæ, qui ostendit, se tempore Bonifacii Octavi vixisse, fatetur, olim diebus antiquis non fuisse talem concursum Romam ad Basilicas Apostolorum. Disputat tamen, quia in adventu Christi annus jubilæus legalis typicus finitus, & verus jubilæus inchoatus fuit, ideò Bonifacium rationabiliter annum jubilæum ad plenarias indulgentias constituisse, quia scilicet scriptum sit: Vt prædicarem captiuis indulgentiam. Et addit, Papam interrogatum quid sit plenissima indulgentia, respondisse in Consistorio: Esse indulgentiam adeò plenam, prout clauium potestas se extendit. Glossator verò ipse primò indulgentiam peccatorum ex Scholasticis interpretatur de pœnis pro peccatis debitis.

Parasyti Pontificiorum quomodo indulgentias iubilæi defenderint.

Plenaria indulgentia quid.

Sed mox postea disputans, quare Bonifacius non quinquagesimo, sed centesimo anno constituerit jubilæum, hanc affert rationem: Quòd in jubilæo contritis & confessis duplex indulgentia concedatur, culpæ videlicet & pœnæ. Et post eà addit, per istam indulgentiam fit totalis culpæ remissio, & totius pœnæ indulgentia, & quia talis est fine obligatione ad pœnam, si sic moritur, statim evolat, & habet ingressum Domus cœlestis. Hæc Glossa in extravaganti. In Clementina verò, Abusionibus, Glossa dicit, plenissima peccatorum remissio est à pœna & culpa, quam solus Pontifex concedit cruce signatis, pro subsidio ultra marino.

Indulgentia culpæ & pœnæ in iubilæo.

Scholastici etjam sive Sententiarii recentiores ad Pontificum opiniones docendo se accommodarunt. Licet enim vetustiores Scholastici illud axioma constanter defendissent: Indulgentias non valere ad remissionem culpæ: tamen Petrus de Palude disputat, indulgentiam plenam vocari respectu remissionis pœnæ mortalium & venialium, plenissimam verò respectu non solùm pœnæ, sed etjam culpæ venialium, quia indulgentia habeat rationem cujusdam absolutionis. Franciscus verò Maironis, ut remissioni culpæ, & pœnæ novum circundaret pallium, talem texuit catenam: Caritas, inquit, meretur augeri, sed existentes in gratia per opera meritoria merentur augmentum gratiæ. Et indulgentiæ non dantur, nisi facientibus opera meritoria. Valent igitur hoc modo indulgentiæ ad augmentum gratiæ. Per gratiam verò fit remissio culpæ, atq; ita indulgentiæ valent ad remissionem culpæ & pœnæ. Antoninus inquit: Quamvis plenariæ indulgentiæ vulgariter nuncupentur à culpa & pœna, locutio tamen talis propriè non est vera, quia culpæ solus remissor est Deus autoritativè, Esa. 34. Potest tamen sic sanari, inquit dicta locutio,

Scholastici recentiores.

Petrus de Palude plena indulgentia.

Franciscus Maironis.

Antoninus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ut remissio culpæ referatur ad contritionem & confessionem, quæ præexigitur ad consequendã indulgentiam, quæ ordinatur ad remissionem pœnæ temporalis, debitæ pro peccatis commissis, partialem vel totalem. Quidam verò, sicut summa Angelica recitat, longius progressi, dixerunt etjam pœnam inferni per indulgentias remitti. Ita illi. Et Pontifices, ut opinionem illam vulgi de indulgentiis alerent & confirmarent, cùm antea in literis indulgentiarum usi fuissent hac forma, remitti vel totum vel partem de injũctis pœnitentiis: Aut fieri remissionem vel totalem, vel partialem pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, sicut Innocentii III. Bulla sonat: alii hac generalitate uti cœperunt: Plenam, pleniorem, plenissimam, omnium suorum peccatorum veniam Caio, Seio concedimus & indulgemus.

Summa Angelica.

Formula Literarum indulgentiarũ plenissimarum.

VVesselus verò scribit, Parisiensem facultatẽ Theologicam enormitati illi contradixisse. Cùm enim Clemens VI. in Bullis indulgentiarum à culpa & à pœna indulgentias publicaret, & crucesignatis ad ipsorum vota tres vel quatuor animas ex purgatorio, quas vellent, elargiretur, ac ipsis Angelis in cœlo præciperet, ut peregrinantium animas, si in itinere evolarent, statim in Paradisum transferrent. Inventus est quidam Ioannes Angelus, qui publicè docuit hanc propositionem: Animas in purgatorio existentes esse de juris dictione Papæ, & Papam, si vellet, posse totum purgatorium evacuare. Parisienses verò Angeli istius propositionem damnarunt, & populo publicè prædicandam prohibuerunt, sicut Franciscus Maironis scribit: Ipsius verò Clementis temeritatem publicè reprehenderunt, & corrigi petiverunt, sicut VVesselus scribit: Antoninus etjam scribit, in Bullis quibusdam Clementis VI. multa narrari levia & exorbitantia satis, quas Bullas verisimile sit esse fictitias. Sed VVesselus affirmat, se illas vidisse plumbatas & reservari Viennæ, limoviis pictavis in thesauro Privilegiorum. Idem scribit, Ludovicum Regem Franciæ per Legatum suum apud Sixtum IIII. de abusibus & excessibus indulgentiarum graviter egisse. Et Sixtum quidem medio juramento corporaliter, manibus præcordia tenentem, in verbo Pontificis se purgasse, quòd illa non sciret. Addit autem VVesselus: Sed quid valuit purgatio illa nescièti, quando postea, cùm sciret, nihilominus dissimulavit & toleravit.

VVesselus. Indulgentiarum exaggerationi contradicitur à Parisiensib.

Ioannes Angelus.

Antoninus.

Ludovicus Francorum Rex, abusus indulgentiarum taxat.

DE MVLTIPLICATIONE IVBILAEO rum, & de variis cauponationibus plenarum indulgentiarum in confessionalibus, in articulo mortis & similibus.

INgeniosa res est quæstura: Lucri enim bonus est odor ex re qualibet, &: Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. Ita Romani Pontifices subinde alia & nova excogitarunt aucupia, ut quæstum indulgentiarum, cujus gustũ non insuavem jam cœperant, retinerent & augerent, conscientia aliquando, in fraudibus & expilationibus tam manifestis & notoriis, non tam contradicente, quàm reclamante: sicut Platina de Bonifacio IX. scribit: Quòd aliquoties constituerit profusionem plenariarum indulgentiarum revocare, sed obstrictos locupletandos coactus fuerit ad aucupium illud maximè compendiarium reverti. Cùm igitur post purgatorii terriculamenta hominum levitas persvasione ista de indulgentiis plenariis dementata esset: Quòd finxerunt sibi animas istiusmodi indulgentiis plenariis munitas, ab omni pœna, post mortem liberas, statim in cœlum ad Paradisi gaudia evolare, factæ fuerunt nundinationes illæ à Petro prædictę usq; adeò fœcundę, ut una non alteram, sed tergeminas semper pareret. Cùm enim à solo Pontifice in jubilæo, & in Basilicis Romanæ Ecclesiæ plenariæ illę indulgentiæ primò venderentur: multi verò vel jubilæi Bonifaciani termi num, hoc est, centesimum, non attingere, vel Romam non pervenire, vel ab ipso Romano Pontifice tales se indulgentias impetrare non posse timerent: varia inventa fuerunt aucupia, ne qua crumena ab emunctionibus istis tuta & immunis esset. Clemens enim VI. Anno 1348. celebratione commentitii jubilæi, à centesimo anno reduxit ad quinquagesimum, & addidit visitationem Ecclesiæ Lateranẽsis. Bulla Clementis VII. dicit: Gregorium undecimum ad annum trigesimum tertium reduxisse jubilæum. Tandem Paulus II. & Sixtus IIII. nundinationem jubilæi à quinquagesimo ad vigesimum quintum annũ reduxerunt, qui anno 1475. celebratus tunc fuit, & addiderunt visitationẽ Ecclesiæ Mariæ majoris. Plenitudinem etjam potestatis profundendi plenarias indulgentias Romanus Pontifex ita sibi soli reservavit, ut pro expilatione eorum, qui Romam non adirent, vel negociationem istam per alios exerceret, vel eam facultatem certis limitationibus aliis venderet. Legatos enim suos per varias misit provincias, assignatis ipsis certis legationis terminis, cum plenitudine potestatis concedendi plenarias indulgentias nomine Pontificis ad instar jubilæi. Vendidit etjam certis Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis, Collegiis, Conventibus, Hospitalibus, Confraternitatibus, & Vniversitatibus privilegia, facultates, concessiones, & indulta concedendi indulgentias plenarias certis limitationibus. Sed ecce iterum novam impostu ram, ne enim ideò, quòd ubiq; plenariæ indulgentiæ prostarent, jubilæi nundinationes Romæ frigescerent: Pontifices imminentibus jubilæis venditas prius facultates, & concessiones suspenderunt usque post jubilæum, vel ad beneplacitum. Sæpius etjam posteriores Pontifices privilegia indulgentiarum à prædecessoribus vendita, revocarunt, & irrita fecerunt, ut de novo & carius redimerentur. Extant hæc in extravagantibus Pauli Secundi, & Sixti Quarti, & in gravaminibus Germaniæ, de quibus postea dicemus. Alexander verò Sextus, sicut Polydorus scribit, ut spurios suos locupletaret stationes jubilæi anno 1500. non in Romanæ Ecclesiæ Basilicis tantùm, sed & in longinquis Provinciis ubiq; gentium vicatim ferme constituit, ut & absentes data pecunia, plenarias jubilæi indulgentias mercari possent.

Bonifacius IX. cur indulgentias plenarias non sustulerit.

Iubilæus reducitur ad quinquagesimum annũ ob plenarias indulgentias.

Iubilæus ad annum centesimum tractus 33. post ad annũ 25.

Alexander VI.

Fuit & hoc non postremum artificium, quòd confessionalia (sicut vocant) magno vendiderunt. Efficaciæ enim erroris non sufficere visum fuit indulgentias vendere illo tempore, & in illis locis

Confessionalia, & quid.

lis locis, ubi & quando publicè prostabant ad remissiones præteritorum peccatorum, sed ad futuros etjam casus, pro peccatis adhuc committendis, vendebantur & emebantur indulgentiæ. Pro numerata enim pecunia vendebant Bullas, ut quando quis in posterum crimẽ aliquod commisisset, & haberet potestatem eligendi sibi confessorem, qui vigore Bullæ haberet sibi potestatẽ hac in parte commissam, ut vel in certis, vel in quibuscunq; casibus posset confitentem absolvere, & plenariam indulgentiam ipsi conficere, vel semel in vita, vel bis in anno, vel toties quoties, prout carius quis Bullas licitatus fuerat: Et hæc diplomata vocabant confessionalia.

Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis.

Præcipuum verò aucupium fuit de indulgentiis plenariis in articulo mortis conferendis. Licet enim in vita quis aliquoties mercatus fuisset plenarias indulgentias, si non statim moreretur, dicebant: novis & aliis peccatis contrahi novum reatum ad pœnas. Vt igitur à pœnis purgatorii homines prorsus tutos & securos redderent, excogitârunt nundinationem peculiarium indulgentiarũ, quæ conferentur in ipso articulo mortis, ut acceptis illis statim sine omni purgatorii cruciatu liber quis evolaret ad cœlum. Et hæ indulgentiæ omnium carissimè venditæ fuerunt. Scribuntur autem apud Antoninum, ab Eugenio Quarto quàm plurimis datæ circa annum 1440. licet ante ipsum apud Gersonem etjam earum mentio fiat. Sed & hoc aucupium varias peperit impostu ras, ut quæstus eò esset uberior. Cœptũ enim fuit disputari de articulo mortis præsumpto & vero, hoc est, si quis existimaretur mox moriturus, & indulgentia juxta indultum ipsi tunc data esset, si is postea evaderet, & illa vice non moreretur, tunc dicebant, gratiam illius indulti expirasse, & in posterum non valere, sed alias emẽdas esse indulgentias. Eugenius Quartus verò accepta pecunia addidit hanc declarationem, valere illam indulgentiam in articulo demum mortis vero, quando scilicet quis verè moreretur, & non expirare, etjamsi antea recitata fuisset. Quia verò in repentinis casibus sæpe non potest haberi vel Sacerdos vel clericus, iterum magno redimendum fuit, ut valeret, etjamsi laicus pronunciaret formã indulti. Porrò addita fuit primùm in talibus Bullis hæc exceptio: Concedo tibi plenariam indulgentiam omnium peccatorum, Preter ea, quæ ex confidentia hujus indulti commisisti. Fuit igitur novo contractu & hoc magno redimendum, ut illa clausula vel omitteretur vel expungeretur. Postea verò magno conatu pro aris & focis disputatum fuit, an illi, cui in articulo mortis talis indulgentia collata fuit, postea etjam opus sit exequiis & suffragiis pro mortuis. Ne igitur propter illas indulgentias culinæ Sacerdotum, curantium exequias, algerent, illis etjam indulgentiis varias addiderunt limitationes de peccatis oblitis: quia forma indulgentiæ dicat de peccatis contritis & confessis. Item de venialibus peccatis, ad quæ contritio se non extendit.

Eugenius.

Impostura varia indulgentiarũ in articulo mortis.

Exceptio in Bullis talib.

Nova disputatio.

Hæc, quæ prolixè alibi disputata extant, breviter & summatim hoc loco annotare volui, ut Lector veritatem & impudentiam impostura-

rum ob oculos sibi ponere posset. Nostris enim hominibus, qui sub Papatu non vixerunt, talia vix de nomine nota sunt: & prodest, memoriam talium impostu rarum ad posteritatem propter multas causas conservare.

Adscribam autem formam talis indulgentiæ. Raimundus ad Alamaniam Orator, nuncius & Commissarius Apostolicus. Notum facimus quatenus Pontifex N. cunctis utriusq; sexus Christi fidelibus, pro tuitione fidei contra Turcas, juxta ordinationem nostram, manus adjutrices porrigentibus concessit indulgentias, gratias & facultates, quas obtinerent, si visitassent Ecclesias urbis tempore jubilæi: & præterea concessit, ut possint eligere confessorem idoneum secularem vel regularẽ, qui eos, vita comite, ab omnibus excessibus & delictis præterquam sedi Apostolicæ reservatis, toties, quoties opus fuerit, absolvere possit. Et insuper toties, quoties ad talem statum devenerint, ut verisimiliter de eorum morte dubitetur, etjamsi tunc eos ab hac luce decedere non contingat, atq; in vero mortis articulo plenariam omnium suorum peccatorum remissionem eis impertiri de suæ plenitudine potestatis facultatem concessit. Indulsit præterea & ipsos, & parentes, & benefactores eorum defunctos, qui cum charitate decesserunt, in omnibus spiritualibus bonis, quæ fiunt & fieri poterunt in tota universali Christi Ecclesia militante, & omnibus membris ejusdem in perpetuum participes fieri. Aliæ formæ habent: Vt possit absolvere ab aliis etjam casibus specialiter vel generaliter, Romano Pontifici & sedi Apostolicæ quovis modo reservatis, & propter quæ ipsa sedes meritò esset consulenda. Item à peccatis contritis, confessis, & oblitis. Item in articulo mortis plenariam omnium peccatorum, etjam exceptorum, remissionem impendere possit. Quod si tunc non obierit, illam, quoties in tali statu constitutus fuerit, recitare possit, vel idem vel alius confessor. Forma absolutionis in Raimundi Bullis hæc est: Dominus noster Iesus Christus per meritum suæ passionis te absolvat. Et ego authoritate ipsius, & Apostolica authoritate, mihi in hac parte commissa, & tibi concessa, te absolvo, primò abomni sententia excommunicationis majoris vel minoris, quam incurristi: deinde ab omnibus peccatis tuis contritis, confessis, & oblitis, conferendo tibi plenariam omnium peccatorum tuorum remissionem, remittendo tibi pœnas purgatorii. In nomine, &c. Aliæ formæ habent: Ego authoritate Christi, & Beatorum Petri ac Pauli & domini nostri Papæ, mihi in hac parte commissa, & tibi concessa, absolvo te plenariè ab omnibus peccatis tuis contritis, confessis, & oblitis, & casibus etjam sedi Apostolicæ reservatis, in quantum claves sanctæ matris Ecclesiæ se extendunt, ac tibi concessum & mihi commissum est: remitto q; tibi omnes pœnas in purgatorio debitas, claudo tibi portas inferni, & januas aperio Paradisi: bona per te facta & fienda sint in augmentum tuæ salutis & gratiæ divinæ. Vel remitto per plenariam indulgentiam omnem pœnam in purgatorio tibi debitam, ac restituo te illi innocentiæ & puritati, quam in Baptismo accepisti, ita quòd decedenti tibi ab hoc seculo clausæ sint

Formula plenariæ indulgentiæ. Raimundus ad Alamaniam Orator, nuncius & Commissarius Apostolicus. Notum facimus quatenus Pontifex N. cunctis utriusq; sexus Christi fidelibus, pro tuitione fidei contra Turcas, juxta ordinationem nostram, manus adjutrices porrigentibus concessit indulgentias, gratias & facultates, quas obtinerent, si visitassent Ecclesias urbis tempore jubilæi: & præterea concessit, ut possint eligere confessorem idoneum secularem vel regularẽ, qui eos, vita comite, ab omnibus excessibus & delictis præterquam sedi Apostolicæ reservatis, toties, quoties opus fuerit, absolvere possit. Et insuper toties, quoties ad talem statum devenerint, ut verisimiliter de eorum morte dubitetur, etjamsi tunc eos ab hac luce decedere non contingat, atq; in vero mortis articulo plenariam omnium suorum peccatorum remissionem eis impertiri de suæ plenitudine potestatis facultatem concessit. Indulsit præterea & ipsos, & parentes, & benefactores eorum defunctos, qui cum charitate decesserunt, in omnibus spiritualibus bonis, quæ fiunt & fieri poterunt in tota universali Christi Ecclesia militante, & omnibus membris ejusdem in perpetuum participes fieri. Aliæ formæ habent: Vt possit absolvere ab aliis etjam casibus specialiter vel generaliter, Romano Pontifici & sedi Apostolicæ quovis modo reservatis, & propter quæ ipsa sedes meritò esset consulenda. Item à peccatis contritis, confessis, & oblitis. Item in articulo mortis plenariam omnium peccatorum, etjam exceptorum, remissionem impendere possit. Quod si tunc non obierit, illam, quoties in tali statu constitutus fuerit, recitare possit, vel idem vel alius confessor. *narię indulgentia.*

Forma absolutionis in bullis Raimundi.

Alia forma.

Alia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

portæ pœnarum, & apertæ janua delitiarum Paradisi. Et si hac vice non morieris, salva sit tibi nihilominus ista gratia, quando aliàs fueris in articulo mortis, In nomine, &c.

Forma indulgentiarũ ad hospitalium & fraternitatũ participationem.

Alia etjam forma fuit usitata, quando hospitalia & fraternitates participationem omnium bonorum operum suorum & indulgentiarum, à Pontificibus sibi concessarum, illis communicabant, qui manus adjutrices ipsis porrigebant, & in fraternitatem recipiebantur. Vt: testamur nos hasce personas ad almam fraternitatem S. Antonii recepisse, dantes eis plenam participationem omnium bonorum operum, quæ à principio fundationis, usque ad finem prædicti ordinis die noctuq, in tercentis sexaginta quatuor monasteriis & hospitalibus per fratres exercentur. Alia forma, quia in libro ad hoc deputato scripti sunt meritò consequuntur omnes gratias, facultates, plenariasq peccatorum remissiones, juxta privilegia & indulta per summos Roman. Pontifices N. N. fratribus, confratribus & benefactoribus hospitalis nostri sancti Spiritus in urbe cõcessas, confirmatas, extensas & ampliatas. Quinquagenariæ videlicet plenissimi jubilæi Romani Bonifacii Octavi. Nec non omnium & singularum

Summa indulgentiarũ Rom.

stationum urbis, quibus continentur plus quàm decies centena millia annorum indulgentiarum & quadraginta duæ plenariæ indulgentiæ, & dedicationis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac peregrinationis terræ sanctæ, tàm in vita, quàm post mortem in æternum, ac etjam benedictionum Papalium: atq omnium & singularum indulgentiarum, tàm plenariarum quàm temporalium: & quarumcunq gratiarum spiritualium confratribus & benefactoribus. Sacri & Apostolici Hospitalis sanctis Spiritus in Saxia de urbe à diversis Pontificibus concessarum: ac omnium vigiliarũ, orationum, jejuniorum, eleemosynarum, disciplinarum, missarum, divinorum officiorum, & præcipuè triginta duorum millium missarum & totidẽ Psalteriorum quolibet anno, atq omniũ & quorumcunque aliorum bonorum pietatis & charitatis operum, quæ in eodem hospitali, & toto ordine quotidie fiunt & fient, dicuntur & exercentur in perpetuum.

Hæc exempli tantùm gratia ex Bullis quibusdam vulgaribus adscripsi, & utile esset plura Exempla annotari, ut profligatæ istius Pontificiæ impudentiæ notitia, ipsorum verbis ad omnem posteritatem transmitteretur & conservaretur.

Infinitum autem esset recensere, quomodo oppidatim, vicatim, templatim, ostiatim adscripserint indulgentias: si quis hunc locum visitaverit, si missam audierit: si officio divino interfuerit: si hanc orationem dixerit: si ante hanc imaginem candelam accenderit: vel dixerit tot Patres nostros Aveq Marias: & præcipuè si manus adjutrices porrexerit, habet tot vel dierum, vel annorum indulgentias, concessas ab hoc vel illo Pontifice. Tantùm adscribam Carmina, quæ Biturigibus in Templo Cathedrali Divi Stephani ad altare Cardinalis lapidi antiquo inscripta leguntur, quæ sua manu descripta vir clarissimus & amplissimus Dominus Hermannus Vechel-dius, Iuris utriusq Doctor & Consul Reipub. Lubecensis mihi exhibuit:

Versus de indulgentijs.

Hìc des devotè, cœlestibus associate,
Mentes ægrotæ per munera sunt tibi lotæ.
Ergo venitote gentes à sede remotæ,
Qui datis, estote certi de divite dote.
Te precor, accelera, spargas hìc, dum potes, æra,
Et sic revera securè cœlica spera.
O si tu scires, quantum data profit ibi res,
Tu juxta vires donares, quod dare quires.
Te miser à pœna, dum tempus habes, aliena,
Vt tibi fit pœnæ venia, sit aperta crumena:
Consors cœlestis fabricæ, qui porrigit, est is,
Ex hoc sum testis, vos hìc mundare potestis.
Crede mihi, crede, cœli donaberis æde,
Nam pro mercede Christo dices mihi cede.
Hìc datur exponi Paradisus venditioni,
Currant ergo boni rapientes culmina throni.
Vis retinere forum, mihi pendas pauca obolorũ.
Pro summa quorum referabitur aula polorum.

Hìc si largè des, in Cœlo sit tua sedes,
Qui serit hìc parcè, parcè comprendit in arce.
Cur tardas? tantum nummi mihi des aliquantũ,
Pro solo nummo gaudebis in æthere summo, &c.

Impudentissima fabula de plenarijs indulgentijs Francisci.

Adscribam etjam ex Bernhardini Rosario impudentissimam fabulam de plenaria indulgentia in Ecclesia sanctæ Mariæ de Angelis apud Assisium. Cùm, inquit, Franciscus apud illum locũ in cella sua oraret, apparuit ei Angelus dicens, ut iret ad Ecclesiam, quoniam Christus & beata virgo cum Angelis expectarent eum. Christus autem dixit: Francisce, postula quod circa salutem animarum, qui datus es in lucem gentium. Franciscus dixit: Supplico ut digneris facere hanc gratiam generi humano, concedere scilicet omnibus & singulis venientibus ad locum istum, & in Ecclesiam illam introeuntibus, veniam & indulgentiam omnium peccatorum suorum universaliter & generaliter. Et supplico beatæ virgini advocatæ humani generis, ut pro hac petitione impetranda, me adjuvare dignetur, &c. Christus verò respondit, dicens: satis grande est quod petisti, sed maiorib. dignus es, frater Francisce. Admitto igitur supplicationem tuam: sed

Papa vicarius Christi scilicet.

volo ut vadas ad meum vicarium, cui dedi potestatem ligandi & solvendi in cœlo & in terra, & petas ab eo ex parte mea dictam indulgentiam. Franciscus manè se contulit ad Papã Honorium, & petiit, ut ad honorem virginis Mariæ dignaretur in ipsa Ecclesia Portiunculæ ponere indulgentiam plenariam sine oblationibus. Papa respondit: se non posse hoc facere quia oportet, ut qui vult indulgentiam, eam mereatur ponendo manus adjutrices. Interrogavit autem Pontifex Franciscum, quot annos vellet ibi poni de indulgentia. Qui respondit, se non velle annos, sed animas, ut quicunq dictã Ecclesiam intrarent contriti & confessi, plenam consequerentur remissionem omnium peccatorum suorum à culpa & à pœna, quæ peccata commisissent à die Baptismi usq ad diem & horam introitus in Ecclesiam: Addens, quòd non ex se hoc peteret, sed ex parte Christi, qui eum miserat. Tunc Papa annuit, & quod postulaverat, concessit. Egrediente autem Francisco, Papa dixit: Vbi habes Bullam? At ille respondit: Nullũ de hac re volo instrumentum: sed sit beata virgo charta, Notarius seu plumba-

Bulla Franciscana indulgentiarũ.

tor Christus, Angeli testes, sigilla stigmata Franciſci. Postmodum ad petitionem Cardinalium Papa indulgentiam illam ad unam diem naturalem singulis annis in perpetuum extendi declarãvit, prima scilicet die Augusti, à primis vesperis usq ad vesperas secundæ diei. Hæc & plura Bernhardinus. Atque ita impletum fuit Pauli illud: Propterea quòd non receperunt dilectionem veritatis, misit illis Deus efficaciam illusionis, ut crederent mendacio.

DE INDVLGENTIIS STATIONUM *in Ecclesiis urbis Romæ.*

Vnius prælatæ recitationi quotidianæ 8000. annorum indulgentiæ concessæ.

Hìldesiæ in Templo Cathedrali legeram in suspensa tabula: Si quis hanc orationem quotidie devotè dixerit, habebit octo millia annorum indulgentias à pœna & à culpa. Et tunc cum amicis præsentibus disputabamus, quæ esset ratio istius supputationis, cùm ad talem annorum numerum, nec vita hominis in hoc seculo se extendat, nec purgatorium etjam tàm diu duret, quia cum consummatione seculi illud finiri fingunt.

Sed postea vidi, indulgentias stationum urbis Romæ ad multa centena annorum millia ascendere. Cumq ultra finem mundi satisfactiones & indulgentias suas Pontificii non extendant, ego sanè pro germanica simplicitate rationem calculi Pontificii, de tot centenis annorum myriadibus, non assequor, nisi Romanenses hoc mysterium nobis explicent: difficiliores enim supputationes nostri vocant Italicas practicas. Adscribam autem hoc loco summam notationis indulgentiarum in stationibus Romanis, sicut Latinè editæ sunt Romæ anno 1475. & postea Germanicè amplificatæ Norinbergæ Anno 1491. ut Lector impudentiam cauponationum, licitationũ, & nundinationum Romanensium, in brevi quasi tabella ob oculos habere possit. Diximus autem in præcedentibus, quòd veteribus stationes

Stationes

fuerint quasi statæ feriæ, quibus populus in certa templa ad auditum verbi, ad participationem Sacramentorum, & ad preces communes conveniebat, sicut extant Homiliæ Gregorii in stationibus illis habitæ. Postea vero, cùm exercitia illa penè obsolevissent, & manerent tantùm opus operatum visitationis illarum Ecclesiarum, affinxerunt indulgentias, ut homines eò invitarent. Et Bonifacius Octavus Basilicæ Petri & Pauli hoc Privilegium dedit, Clemens Sextus addidit Ecclesiam Lateranensem: Sixtus Quartus Ecclesiam Mariæ majoris. Et in jubilæis tantùm in illis Ecclesiis indulgentias primùm vendebant. Postea negociatione feliciter procedente, addiderunt alias etjam urbis Ecclesias, & numerum indulgentiarum singulis fermè diebus in infinitum auxerunt, sicut tabella hæc ostendit.

Numerus Ecclesiarum urbis Romanæ. Ecclesiæ Lateranẽsis indulgentiæ quotidianæ.

Dicunt igitur Romæ fuisse mille quingentas quinq Ecclesias, inter quas septem sunt principales, privilegiatæ majori privilegio.

Et primam dicunt esse Ecclesiam Lateranensem, quæ sit caput totius orbis & urbis. In illa igitur, ut ajunt, sunt omni die quadraginta & octo anni indulgentiarum, & totidem quadragenæ,

ac remissio tertiæ partis omnium peccatorũ. Itẽ Papa Sylvester & Gregorius, qui eam consecrãrunt, dederunt tantas indulgentias, quod nemo potest enumerare, nisi solus Deus, testante beato Bonifacio, qui dixit: Si homines scirent indulgentias Ecclesiæ Lateranensis, non opus esset, quòd irent per mare ad sanctum sepulchrum, vel ad Sanctum Iacobum. Item: dicit Papa Bonifacius: Si quis ad sedem nostram Lateranensem, devotionis, orationis, aut peregrinationis causa veniret, ille absolvetur ab omnibus suis peccatis. In Cappella, quæ vocatur Sanctum Sanctorum, quam mulieribus non licet ingredi, est vera & plenaria remissio omnium peccatorum. In eadem Capella sunt gradus 28. qui steterunt ante domũ Pilati in Ierusalem. Et quicunque hos gradus ascenderit cum devotione, habet pro quolibet gradu novem annos indulgentiarum, & totidem quadragenas, ac remissionem tertiæ partis omnium peccatorum. Qui verò geniculando gradus illos ascendit, is unam animam, pro qua orat, liberat ex purgatorio. In die dedicationis, qui vocatur dies Salvatoris, est ibi plenaria remissio omnium peccatorum à culpa & à pœna. Cumq Papa primùm indulgentiã illam largiretur, Angeli præsente populo dixerunt: Amen. Item: quando capita Petri & Pauli ibi ostenduntur, tũc Romani habent indulgentias trium millium annorum, Vicini sex millium, qui è longinquo venerunt, duodecim millium. In illa Ecclesia est aurea Porta, quæ tantùm in anno jubilæo aperitur. Sunt autem tres portæ, per quarum unam Christus Hierosolymis ad mortem suam ivit: Cumq non certò constet, quæ ex istis tribus illa fuit, itur per omnes tres. Et qui devotione per illas transit, liber fit à peccatis non aliter ac homo, cùm primùm baptizatur: Etjam pro animabus itur per illas portas.

Sanctũ Sanctorũ Romanum.

Dignum Pontifice Romano.

Aurea porta.

Item: cùm Gregorius Ecclesiam illam Lateranensem denuò dedicaret, dedit tot dierũ indulgentias, quot guttæ cadunt, si per tres dies & noctes continuè pluat. Cumq Gregorius metueret, ne thesaurus gratiæ illa profusione evacuaretur, Christus apparuit ei, & dixit: se concedere ut plures det indulgentias, populum enim his opus habere.

Insignis dingna Papæ blasphemia.

Secunda Ecclesia principalis Romæ est ad sanctum Petrum in Vaticano, in qua sunt omni die quadraginta & octo anni indulgentiarum, & totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis omnium peccatorum. Pro quolibet altari, quæ fuerunt centum & novem, dantur decem & octo anni. In festis duplicibus duplicantur illæ indulgentiæ. In festo annunciationis Mariæ sunt ibi mille anni indulgentiarum. Qui ascendit gradus Petri cum devotione (sunt autem viginti octo) pro quolibet conceduntur septem anni. Alexander postea ad singulos gradus dedit mille annos.

Ecclesia S. Petri in Vaticano.

Annunciatio Mariæ.

Quando ibi ostenditur Veronica, tunc Romani habent indulgẽtias trium millium annorum, Itali sex millium, longinqui duodecim millium.

Veronicæ.

In omnibus festis Christi, Mariæ & Petri sunt ibi mille annorum indulgentiæ. Ad summum altare omni die sunt octodecim anni. Pro peregrinis

Summum altare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

grinis est ibi plenaria remissio, etjamsi quis patrem & matrem verberasset. Sub altari sunt corpora Petri & Pauli, ibi sunt quatuor millia annorum. Apud altare ante chorum sunt quatuordecim millia annorum, & liberatio unius animæ expurgatorio Est autem præcipua porta aurea, quæ in jubilæo aperitur in Ecclesia sancti Petri, altera in Lateranensi, tertia in Ecclesia Mariæ majoris.

Ecclesia S. Pauli. Tertia Ecclesia principalis est ad sanctum Paulum, in qua sunt omni die 48. anni indulgentiarum & totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis omnium peccatorũ. In conversione Pauli sunt ibi centum anni indulgentiarum. In dedicatione Ecclesiæ sunt ibi mille anni. In festo Innocentium 48. anni.

Ecclesia S. Mariæ maioris. Quarta Ecclesia principalis est ad sanctam Mariam majorem, in qua sunt omni die 48. anni, totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis omnium peccatorum. Nona die Maii est ibi remissio omnium peccatorum à pœna & à culpa. In omnibus festivitatibus Mariæ sunt ibi duodecim millia annorum. In die dedicationis mille anni & quatuordecim.

Ecclesia S. Laurentij. Quinta Ecclesia est ad sanctum Laurentium, in qua sunt omni die 48. anni, totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis omnium peccatorum. Qui lapidem, super quo assatus fuit Laurentius, visitaverit, & sepulchrum ejus, habet septem millia annorum. Qui omni quarta feria per annum unam Ecclesiam illam intraverit, liberat unam animam ex purgatorio.

Ecclesia S. Sebastiani. Sexta Ecclesia est ad sanctum Sebastianum, in qua præter generales indulgentias 48. annorum sunt omni die mille anni. In mense Majo est ibi vera & plenaria remissio omnium peccatorum. Similiter etjam in Cœmiterio Calixti. Varii demùm Pontifices visitantibus dederunt 48. millia annorum. Ibi est locus, ubi Angelus apparuit Gregorio dicens: In hoc loco potest unusquisq; contritus & confessus remissionem omnium peccatorum à culpa & pœna promereri.

Quis dubitet hoc verũ esse.

Ecclesia Sanctæ crucis. Septima Ecclesia principalis est ad sanctam crucem, in qua sunt omni die 48. anni. Omni die Dominica sunt ibi trecenti anni. In Capella Ierusalem est plenaria remissio omnium peccatorum. Deinde sex Pontifices fuerunt, quorum qui libet mille annos dedit. In die dedicationis est ibi plenaria remissio.

Maria ad aram cœli. In Ecclesia Mariæ ad aram cœli sunt omni die mille anni. In festo Assumptionis sunt sex millia annorum.

In festo Annunciationis plenaria remissio.

S. Sylvester. In Ecclesia sancti Sylvestri sunt 400. anni.

S. Praxedes. In Ecclesia sancti Praxedis trecenti anni.

In Capella Mariæ, quæ vocatur (libera nos à pœnis inferni) sunt omni die duodecim millia annorum.

In Ecclesia Ioannis ante portam Latinam potest quis liberare unam animam de purgatorio, dicendo vel faciendo dicere unam missam.

In Ecclesia Mariæ novæ sunt omni die ducenti anni indulgentiarum.

Ad Mariam Transtyberinam omni die ducenti anni.

Ad Chrysogoni omni die centum anni.

Ad Bartholomæi omni die mille anni, & in die Bartholomæi plenaria remissio.

Ad Ioannis de Insula quotidie mille anni.

Ad Gregorii quotidie mille anni.

Ad Anastasii quotidie quadraginta millia annorum.

Ad Mariæ ad scalam Cœli quotidie septingenti anni. Singulis festivitatibus Mariæ quatuor millia annorum. Die dedicationis plenaria remissio.

Ad Sixti quotidie septem anni.

Ad Clementis quotidie 40. anni.

Ad Cosmæ & Damiani quotidie mille anni.

Ad Adriani quotidie mille anni.

Ad Mariæ rotundæ singulis Dominicis & quatuor feriis triginta anni. In Choro quotidie quadraginta anni.

In festo omnium Sanctorũ plenaria remissio.

Ad Barbaræ mille anni.

Ad Iacobi quotidie 1500.

Ad sancti Spiritus quotidie undecim millia.

Summa indulgentiarũ in urbe Romana.

Sed piget & tædet omnia prosequi. Illa igitur loca, ubi dierum, vel quadraginta, vel centum, vel paucorum annorum indulgentiæ dicuntur esse, omisi, & præcipua tantùm exempli causa annotavi. Quæstores autem Hospitalis Sancti Spiritus in urbe Roma subducta ratione invenerũt indulgentias omnium & singulorum stationum urbis exurgere ad summam ultra decies centena millia annorum, & plus quàm quadraginta duas plenarias indulgentias, præter animas quæ ex purgatorio liberantur: quibus indulgentiis quomodo vel tempus hujus vitæ, vel tempus purgatorii sufficiat, ipsi viderint, ego sanè non intelligo, nisi forsan ad usitatum illud confugerint: Superabundans Cautela non nocet, aut cum Francisco Maironis disputare voluerint, superfluas indulgentias ad augmentum gratiæ & gloriæ converti. Porrò cùm Romani & Itali indulgentias illarum stationum non amplius curarent, alias longinquas gentes, ad suscipiendas peregrinationes, ad Ecclesias & stationes urbis, invitârunt, quæ primùm incredibili numero eò confluxerunt. Sed cùm defervescente vulgi fervore, peregrinorum visitationes rariores essent, excogitatum fuit aliud aucupium, ut indulgentiæ illarum stationum absentibus pro pecunia in omnibus terris per legatos seu Quæstores venderentur, cujus negotiationis formam paulò antè annotavimus. Sed quis infinitas formas omniũ Romanensium istarum impostur arum percensere poterit? Curtisano aliquo, in officina istarum nundinationum bene exercitato, ad pertexendam hanc historiæ partem opus esset. Nam & subditis, ut eos à fide Imperatoribus suis data, averterent, largas indulgentias proposuerunt, quando excommunicatos Imperatores ab imperii culmine proturpare volebant. Innocentius Quartus dedit decem dierum indulgentias orantibus pro Rege Franciæ.

QVOD OMNIBVS TEMPORIBVS *fuerunt, qui impostur iis istiu indulgentiarum contradixerunt.*

Sicut tempore Eliæ, cùm cultus Baaliticus fraude & vi omnia occupasset, ut Elias conqueretur, se solum relictum: Deus tamen plus quàm septem millia sibi reservavit, qui genua sua non curvaverant coram Baal: Ita in mediis Pontificiarum superstitionum tenebris, Deus semper quorundam mentes illustravit, ut errores & superstitiones ipsi animadverterent, ac aliis ostenderent. Impostur as igitur indulgentiarum, de quibus nunc agimus, multi intellexerunt: Sed cùm metu tyrannidis Pontificiæ publicè & apertè eas reprehendere non auderẽt, vel tacitè apud se eas contemserunt: vel inter aniculas clam eas damnârunt: sicut Speculum aureum dicit: De erroribus Curiæ Romanæ omnes quidem intus murmurant, nulli autem clamant. Quidam tamen publicè & apertè abusus indulgentiarum reprehenderunt, de quibus ordine breviter annotabimus.

Speculum aureum.

Catalogus eorũ qui palam impostur as indulgentiarum reprehenderunt.

Suprà autem ostendimus, quemadmodũ statim sub initium Quæstores indulgentiarum indiscreta & superflua earum profusione homines ut in re nova, ita offenderint, ut Lateranẽse concilium circa annum 1215. coactum fuerit modum ipsis præscribere lib. 5. tit. de pœnitent. & remiss. ca. cùm ex eo. Et licet moderatione quadam profusio illa tunc aliquantulum cohiberetur: tamen ante Scholasticorum tempora multi fuerũt: qui totum negotium indulgentiarum reprehenderunt, sicut suprà etjam ostendimus. Et Eccius ex Vvilhelmo Antisiodorensi citat multos contradixisse Pontificibus, cùm inciperent indulgentias istas elargiri. Postea cùm Scholasticorum disputationibus quæstus indulgentiarum iterum crevisset: Viennense concilium circa annum 1311. coactum fuit, abusiones Quæstorum, ad extorquendum aurum fallaci ingenio excogitatas, reprehendere & damnare: quòd scilicet tertiam vel quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxarent, animas tres vel plures de purgatorio se extrahere mendaciter asserirent, plenariam remissionem peccatorum indulgerent, & à pœna ac culpa per indulgentias absolverent. Hæc enim sunt verba Clementinæ. Memorabile autem est, quòd Clemens Quintus celebraturus Viennense Conciliũ Vvilhelmo Durando, quem Speculatorem vulgus nominat, injunxit, ut capita quædam de celebrando concilio conscriberet: quod Opus Parisiis ante annos non multos editum est. Et in tertia parte, titulo 15. de indulgentiis ita scribit: Cùm in universali Ecclesia Quæstores indulgentiarum multos errores disseminent, multosq; seducant simplices, & multas abusiones procurent, & vitam gerant enormiter dissolutam, in tantum quod patent risui, potestasq; clavium Ecclesiæ contemnitur, cùm pro uno obulo, vel nihilo, indulgentia conceditur, nec proficiat provisio concilii Lateranensis, unde populi contemnunt pœnitentias, à confessoribus impositas adimplere, putantes se absolvi propter dictas indulgentias ab iisdem, & propter facilitatem veniæ, pro obulo obtinendæ & pecunia redimendæ, delinquere non formidant: Videretur super hoc de competenti remedio providendum, & insuper ut cessarent quæstus cursorum & nunciorum Romanæ curiæ, &c. Et ex hac Durandi commonefactione canon ille

Eccij testimonium.

Viennense concilium.

Vvilhelmus Durãdus de indulgentiarum errori-bus.

Viennensis concilii, de quo jam diximus, constitutus fuit.

Tota nundinatio indulgentiarum reprehensa. Vvaldenses.

Et illi quidem modum tantùm aliquem in profusione indulgentiarum desiderârunt, non defuerunt tamen, qui totam illam nundinationem vel contemperunt, vel reprehenderunt. Inter Vvaldenses enim articulos decimus tertius hic ponitur: Prælatorum omnium indulgentiæ, ad limina Sanctorum peregrinationes, imò anni iubilæi, nullius sunt valoris vel commoditatis. Viclephi etjam articulus 42. est, fatuũ esse credere indulgentiis. Fuerunt & hæc Viclephi verba: Consulendum est fidelibus, ut non petant curiam Romanam ad Papales indulgentias vel absolutiones à pœna culpa, sibi & aliis impetrandas, quia Dominus totius mundi non vult in tali brevi vel augusto loco coarctari: sed in cœlo existens perpendiculariter, cuilibet pœnitentiam agẽti, paratus est ad lumen suæ gratiæ influendum. In Ruthenorum etiam articulis undecimus est: Quod indulgentias & iubilæos damnent, nullius efficaciæ ea perhibentes. Eadem Hussus & Hieronymus Pragensis in Bohemia repetierunt. Primum enim articulum Hussitarum & Thaboritarum, Conradus Vvimpina hunc ponit: Indulgentias Papæ ad liberationem animarum nullius esse valoris: imò ob clericorum duntaxat avaritiam excogitatas & inventas. Et populus in Bohemia cognitis indulgentiarum impostur is nundinationes istas amplius ferre non voluit: sed quæstores indulgentias publicaturos, in carcerem conjecit, sicut Conradus Vvimpina in 11. articulo contra Hieronymũ Pragẽsem indicat, ubi & hanc recitat historiam: Quòd Pragæ anno 1411. cùm post octavas Pentecostes Quæstor quidam indulgentiarum literas invulgare vellet, & jam pro concione venias suas impudenter ebuccinaret: populus armatus concurrerit, & Quæstorem istum captum currui imposuerit, adjunctis ipsi in curru publicis quibusdam meretricibus, ex quarum mammis Papales indulgentiarum Bullas suspenderit, atque ita Quæstorem indulgentiarum cum Bullis Pontificijs, de meretricum collo pendentibus, per totam urbem Pragensem vicatim circumduxerit, & ostentui habuerit, ac tandem Bullas istas indulgentiarum publicè & solenniter crepitantibus flammis conceremârit.

Viclephus.

Ruthenorũ articuli.

Ioannes Hussius. Hieronymus Pragensis.

Bohemi nundinatores in dulgentiarũ incarcerem conjecerunt.

Constantiense concilium.

Et illas quidem contradictiones Constantiense concilium compendio refutavit, exustis contra fidẽ publicam Husso, & Hieronymo Pragensi, & concessis de facto indulgentiis, omnibus in concilio existentibus, & feria sexta jejunantibus. Inter ipsos tamen Pontificios tunc etiam fuerunt, qui in negocio indulgentiarum multa non probârunt. Gerson enim qui in Constantiensi concilio præcipuus fuit, communi errore abreptus, concedit quidem, indulgentiarum concessionem non esse contemnendam: sed devotè amplectendam, & conatur hoc probare ex potestate clavium, quas Christus Ecclesiæ tradidit, Ioan. 20. Quorũ remiseritis peccata, remittentur eis. Fundamenta tamen ea ponit quæ negociationẽ indulgentiarum ab ipsis radicibus convellunt & evertunt. In tractatu enim de indulgentiis, quem scripsit anno 1427. disputat, indulgentias

Gerson de indulgentijs.

Fundamentum Gersonis contra indulgentias.

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non pertinere ad potestatem ordinis sed iurisdictionis, atque ideo non extendere se simpliciter & directè ad remissionem culpæ, quæ fiat in absolutione sacramentali, nec ad diminutionem alterius pœnæ, nisi illius, quam Papa, aut qui confert indulgentias, inflixit aut infligere potuit. Cujusmodi sunt pœnæ excommunicationum irregularitatum inhabilitationũ, &c. & inde concludit, potestatem ordinis, seu claves Sacramentales in absolutione esse eminentiores, utiliores, & eligibiliores in collatione indulgentiarum, quàm potestatem iurisdictionis. Et addit hæc corollaria. Solus Papa supremus Christus cum Patre & spiritu Sancto potest dare plenaria autoritate indulgentiam omnimodam à pœna & culpa, quam dum confert, dat dies indulgentiarum innumerabiles & infinitos extensivè & durativè. Solus Papa Christus gratias & absque merito alio, quàm suo, facit commutationem pœnæ perpetuæ in pœnam temporalem, vel in plenam absolutionem. Solus Papa Christus potest illam tot dierum & annorum mille millium indulgentias concedere, qualis posita reperitur in diversis concessionibus summorum Pontificum. Cumq; tales Bullas Gerson nec probare posset, nec damnare auderet, addit: Forte talis enormitas concessionis ab aliquibus quæ stuosis aut aliter malè motis conficta est. Item addit: Indulgentiarum concessor, per tot millia nedum dierum, sed & annorum videtur difficulter salvabilis post remissionem æternæ pœnæ & commutationem in temporalem. Constat enim, quòd nec homo in hac vita potest aut debet ad tot annos obligari pœnitentiâ agere, cùm non sit victurus per millesimam partem tot annorum. Constat præterea quod dum mundus finem habebit, cessabit purgatorium, & ex consequenti, dies pœnarum suarum. Addit & hoc: utrum claves Ecclesiæ se extendant, non solùm super terram: sed etiam sub terra in purgatorium, sunt opiniones ad utranq; partem probabiles. Et favorabile est, inquit, dicere quod sic, saltem per indirectum. Concludit verò, indulgentias valere clave Ecclesiæ non errante, & Christo non reprobante. Neminem igitur sic debere inniti indulgentiis, concessis in toto vel in parte à pœna & à culpa, quin studiosius sit pœnitentiam agere, &c. Et alibi dicit: Fatuæ sunt & superstitiosæ quædam intitulationes de indulgentiis viginti mille annorum. Vel tali modo: Qui dixerit quinque Pater noster ante talem imaginem, &c.

Corollaria Gersonis. I. II. III.

Gerson de valore indulgentiarum.

Suprà annotavimus, quomodo Schola Parisiensis impudentiæ indulgentiarum Clementis Sexti contradixerit. Et Aventinus scribit, cùm Antipapæ Vrbanus Sextus & Clemens Septimus circa annum 1380. largissimas profunderent indulgentias, quòd Schola Parisiensis etiam solenniter adhibitis tubis & campanis, ut eorum mos est, Papæ erroneam sententiam, indulgentiariis Bullis comprehensam damnârit.

Aventinus.

Author Fortalicii fidei testatur circa annum 1450. non paucos fuisse, qui inter cætera indulgentias etiam improbârint. Certè circa annum Domini 1470. Vvesselus Gruningensis inter alios abusus Papatus etiam indulgentiarum negociationem scriptis & disputationibus inter doctos acriter taxavit, atque ideo dictus fuit Magister contradictionis. Et licet Parisiis fuisset in Theologia Magister noster, in exilium tamen ejectus, & facienda arte medica vitam tolerare coactus fuit. Is igitur in Epistola ad Engelbertum quendam dicit: Cùm Doctores à principio confiteantur, solum Deum peccata remittere, indulgentiarii confugiunt ad pœnas, quoniam mitior ibi mentiendi locus, cùm tamen Theologica regula sit, Nihil debere fideles asserere, quod non in regula fidei contineatur. Nullum autem, inquit, locum Scripturæ dabunt, ubi pœnarum pro peccatis præteritis, & prorsus omissis debitarũ judicium in Papæ arbitrium referatur. Ego, inquit, valde titubanter dictum puto, ut alicui peccata remissa sint, & adhuc nuda in conspectu Dei. Quomodo enim tecta, quæ adhuc imputantur? Quomodo verò non imputantur, quando puniuntur? Dominus fortè dimisit, ut Papa retineret ad pœnam? Item: Vbi stabilies hanc determinatam Christi voluntatem, ut unam atq; idem opus iudulgentiale nunc sex annos valeat, nunc septem, nunc septingentos, nunc septem millia, nunc plenariam indulgentiam? Quia verò obiciebatur, sanctam Ecclesiam divino spiritu gubernari, respondet: Verum est, in quibus sancta est, non autem, inquibus ignorat, & errat, sicut, proh dolor, in multis valde plangimus errantem, præsertim in sale infatuato, in vilico diffamato, in infideli Dispensatore, quos Bernhardus definit mercenarios pro pastoribus, Lupos pro mercenariis, imò pro lupis diabolos.

Fortalicium fidei.

Vvesselus Gruningensis exulat ob taxatas fraudes indulgentiarum.

Regula Theologica.

In alia Epistola ad Decanum quendam dicit, ipsos indulgentiarios fateri, quòd nec in Scriptura nec in patribus expressum aliquid extet de indulgentiis.

Exempla Vvesseli ad Decanum.

Et Patres ante Albertum & Thomam reprehendisse recens tunc cœptas indulgentias. Gersonem etjam & Antonium non pauca in materia indulgentiarum desiderasse. Parisienses verò temeritatem Clementis Sexti publicè reprehendisse. Addit & hoc: Quantos errores in materia indulgentiarum Romana curia temerè præsumpserit, & pestilenter publicârit, ac hodie noxiè pullularent, nisi sana paucorum verorum Theologorum severitas obstitisset, non opus omnia commemorare. Subjungit: se Romæ etjam sub Paulo Secundo de indulgentiis inter doctos disputasse: Venisse etjam tunc Parisiis Romam quendam Magistrum nostrum, qui dixerit: in Sorbona habitam paulò antè disputationem de indulgentiis, à quo nemo doctior, sed omnes quàm venerant confusiores recessissent. Cubicularium verò Papæ respondisse: Non novum hoc esse. Et Curiales postea plenis verbis in Vvesseli sententiam consensisse. Suam verò sententiam Vvesselus ita exponit: De pœnis ego simpliciter, donec sanius informer, teneo, quòd pœna cum suo peccato remisso remittatur, neq; ullum prorsus à peccato immunè deinceps ad pœnam obligari. Et ex Longobardo adducit dictum Ambrosii: Ille solus dimittit peccata, qui solus pro peccatis mortuus est. Item Augustini illud: Si texit Deus peccata, noluit advertere, & si noluit advertere, noluit animadvertere, & si voluit animadvertere,

Disputatio Parisiensis de indulgentiis.

Sententia Vvesseli de indulgentiis.

madvertere, noluit punire, sed voluit ignoscere. Concludit igitur, Spiritum sanctum per Petrum posuisse unicam, solidam, & solam Bullam indulgentialem, qua abundanter ministretur introitus in regnum Dei, 2. Pet. 1. Subministrate in fide vestra virtutem, in virtute scientiam, in scientia temperantiam, in temperantia patientiam, in patientia pietatem, in pietate fraternam caritatem, in ea dilectionem: hæc enim si feceritis, sic abundè subministrabitur vobis introitus in æternum regnum, &c.

Cùm Vvesselus disputationes illas ex Italia & ex Galliis per exilium suum in Germaniam attulisset: Doctor Ioannes Vesalienses, qui prius fuerat professor in Schola Erfordiensi, factus postea concionator Vvormacensis materiam illam arripuit, & inter reliquos articulos etjam hunc publicè pro concione coram populo tractavit, sicut Conradus Vvimpina annotavit: Papam & alios Prælatos non posse ex Thesauro Ecclesiæ compensationes pœnarum, pro delictis debitarũ, per indulgentias aliis distribuere, & applicare. Atq; ideo Ecclesiæ dando indulgentias plus nocere quàm prodesse. Et allegavit etjam veteres quosdam, & præsertim Cantorem Parisiensem solitũ dicere: Indulgentias esse pias fraudes, quibus Laici ad dandas eleemosynas alliciantur. Cumq; obiceretur, Ecclesiam facere indulgentias, respondit: Verum est de illa, quæ errat. Sed is proterea à Monachis comprehensus & ad ignem damnatus fuit anno 1479. Similem etjam contra se inquisitionem metuere se ostendit Vvesselus in Epistola ad Decanum Trajectensem, ubi inquit: Sæpe ego in D. Vesalio veritus inconsideratam & temerariam ejus locutionem, quæ licet Scholasticæ subtilitatis, & forsan nonnunquam etiam aliquid catholicæ veritatis haberet: ea tamen in vulgus indoctum cum gravi simplicium scandalo proferri prorsus odiosum. Accipio præterea ex amicis, inquisitorem mox, ut causam Vesaliæ absolverit, ad me usq; descensurũ ad inquirendũ. In qua re, tametsi causæ nihil verear, inquietudinem tamen, suspiciones, & calumnias sustinere oportebit, præsertim doctorum quorundam Colonien sium, quorũ (expertè loquor) ex tuis casibus facilè odia, quin & invidiam conjectavi. Hæc ille. Sed Vvesselus vel exemplo illo territus remissior & meticulosior factus est: sicut ex Epistola illa apparet, vel Deus illum mirabiliter protexit: In pace enim mortuus est Gruningæ, Anno 1489. in die Francisci, Sed post mortem ipsius fraterculus quidam epistolam ejus de indulgentiis impugnavit.

Ioannes Vesaliensis contra indulgentias.

Cantor Parisiensis vocat indulgentias pias fraudes.

De exceptione Ecclesiã dare indulgentias

Savanorola Florentinus.

Postea sub Alexandro Sexto Savanorola Florentiæ inter cætera etjam Pontificias indulgentias acriter reprehendit, sed flammis confutatus est. Et circa annum 1500. Rostochii Sacerdos quidam Nicolaus Rust, inter alias Superstitiones etjam indulgentias reprehendit, non voce tantùm, sed scriptis etjam popularibus, quæ ab inquisitoribus postea suppressa sunt, indulgentias scilicet meram deceptionem esse piorum & quæstum, veras indulgentias contingere à solo Deo gratis propter Christum omnibus verè pœnitentibus.

Tandem etjam totæ nationes de nundinationibus istis conquæstæ sunt. Nam circa annum 1510. natio Germanica gravamina sua obtulit Maximiliano Imperatori, inter quæ decimũ hoc fuit: Quòd indulgentiæ novæ cum revocatione aut suspensione veterum (Laicis contra Clerum murmurantibus) ad corradendas pecunias concedantur.

Germania gravamina exhibita Maximiliano Imperatori.

Et postea Anno 1522. Proceres Imperii centum gravamina Germanicæ nationis adversus sedem Romanam Oratori Pontificio in comitiis Norinbergensibus proposuerunt, inter quæ tertium, quartum, quintum, sextum, & septimum querelam de indulgentiis continet. Illa igitur hoc loco adscribam.

GERMANICAE NATIONIS GRAVAmen III. de oneribus Papalium indulgentiarum.

ILlud importabile jam olim increbuit Romanarum indulgentiarum onus, quando sub personа pietatis, quum aut basilicas Romanas construere, aut profectionem in Turcas parare polliciti sunt Romani Pontifices, omnem à simplicibus, nimiumq; credulis Germanis exuxerunt pecuniarum medullam. Et quod longè majoris est faciendum, per has imposituras, ac earum cõductitios præcones & prædicatores, prostigata est germana Christianorum pietas, dum qui ex trudere volebant venales suas Bullas, laudes suis mercibus occinebant miras & inauditas, condonari per emptitias has condonationes, nedum noxas præteritas aut futuras viventium, sed & defunctorum vita, existentium in purgatorio (quod vocant cantores illi indulgentiarũ) ignis, modò numeraretur aliquid, modò tinniat dextera. Atque his mercium nundinationibus simul & spoliata est ære Germania, & Christi pietas extincta, quando quilibet pro precii, quod in has merces expenderat, modo peccandi impunitatem sibi pollicebatur. Hinc stupra, incestus, adulteria, perjuria, homicidia, furta, rapinæ, fœnora, ac tota malorum lerna semel originem sibi traxerunt. Quod enim malorum amplius jam horrebunt mortales, quando sibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, sed & post obitum, ære, licet immodico, comparari posse, à nundinationibus illis indulgentiariis, semel persvasum habent? maximè Germani, quibus per hos veræ pietatis fucos, sub religionis personа nihil non persvaderi difficilè est? ut ingenio planè ad pietatem credulo est Germania.

Praconia indulgentiarũ impudentissima.

Fructus indulgentiarũ

Indulgentiæ pietatis fucus.

Et licet indulgentiæ hæ non semel in hoc ad Germanos missæ sint, quasi ex corrosa earum venditione pecunia, fideles contra Barbaros essent tutandi ac defendendi: eventu tamen compertum habent Germani, pecuniam hanc non in rem fidei aut alioqui Reipublicæ Christianæ necessariam: sed in propinquorũ luxum ac subleyandum familiam ipsorum esse versam. Quo uno bina hęc nata sunt perquàm maxima incommoda, quod & offendicula orta sunt simplicibus & quod nunc Germani toties sentientes lusam fidem, quum verè jam res postulat, ut cõtra Turcas instituatur expeditio bellica, nullis rationi-

IIII.

Qui semel est lasus fallaci piscis ab hamo, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus persuaderi se patiuntur, ut credant: quòd res ipsa fore notorium facit, ita scilicet instare cervicibus nostris crudeles Turcas, suspicantes semper prioribus simile quidpiam agi. Quæ una ratio est, ut tàm ægrè manus contra Turcas jungant. Quantorum ergo malorum & in rebus temporalibus, ac Christi fidelium conscientiis, causæ fuerint Romanæ indulgentiæ, sanctitas Apostolica, pro sublimitate captus sui exigua opera vel inde, si non ex re nulla alia conjectura consequi poterit.

V. De casibus Pontifici Romano soli reservatis.

Præterea Papalis sanctitas, cæteriq; Episcopi, ac Ecclesiæ Romanæ columnæ, casus aliquot suæ tantùm absolutioni reliquos fecerunt: quorum si unum aut alterum commiseris, jam aut numerandum, aut absolutione tibi catendũ est: nempe quòd in hoc reservati sint, ut inde nummorum aliquid eis accrescat. Quod ex eo conjicere licet, quòd in casibus etjam quâtumvis pro tempore honestis aut necessariis, nunquam tamen, nisi numeretur aliquid, dispensant. At si nihil attuleris numeraverisve, indispensatus perpetuò maneas oportet.

VI.

Verùm, si quis unde numeret habeat, jam nedum præsentes indulgentur harum constitutionum transgressiones: sed & in futurum impunè, ut eas ipsas transgredi liceat, indulto permittitur. Quo fit, ut ansam inde accipiant ij, cum quibus ita dispensatum est, pejerandi, homicidia, adulteria, & similia flagitia perpetrãdi, quãdo quilibet ex Sacerdotum vulgo absolutionem emptitiam, virtute indulti, his impertiri potest. Quæ malorum seges tota ex habẽdi libidine, auriq; sacra fame, qua nunc Ecclesiasticorum nonnulli miserè excruciantur, originem ducit.

Fons indulgentiarũ & publicorum Ecclesiæ malorum.

DE PRÆDICATORIBVS INDVLgentiarum Stationarijs. 7.

Stationarij.

EST & aliud indulgentiis vẽdendi addictum hominũ genus, quos Stationarios vulgò vocant, hi rusticorum plerunq; abutuntur simplicitate, dum omnes vicos, villas, pagos, angiportos, omniaq; peragrant castella & oppidula prædicantes sancti cujuspiam, Valentini puta, Huperti, Cornelij, Anastasiive sanctimoniã. ac quantum ad rem familiarem addat, si quotannis hunc vel illum munusculo aliquo, quod eis, Stationariis scilicet, in commodum cedat, demulceas. Inscribentesq; dehinc simplices sub sancti alicujus numen ac tutelam, promittentesq;, ut hoc aut altero morborum genere vacaturus sit, qui eis annum censum penderit. Quæ omnia in hoc excogitata sunt, ut simplices illi ad vivum usque exugantur. Nam primùm hoc negocium à Sancto Antonio cœptum, in innumerata morborum genera dehinc suevit diduci, ita ut vix superfit morbus nunc aliquis, cui Stationarii non & peculiarem Sanctum, tanquam tabernæ vel negociationi proposuerint. Processitq; eò usque ejus mali serpigo, ut pauperum ac simplicium illorum, Quæstionarij ac Stationarij prædicatores, sanguinem vorent & medullam: dumtq; illi unà cum liberis suis necessariis spoliantur, in delitijs & luxu plus quàm Sybaritico degunt Stationarij.

Sanctorum procuratio in morbis hominũ sanandis.

DE FATALI INDVLGENTIARVM *termino, quomodo Deus cathedras vendentium indulgentias, & mensas nummulariorum istorum gladio Spiritus, per ministerium Lutheri subvertit.*

ET hactenus quidẽ cõtra nundinationes istas indulgentiarũ multi partim murmurãrunt, partim sonora voce clamãrunt: sed vi, fraudibus, & dolis oppressi, nihil efficere potuerunt. Tandem verò Lutherus gladio Spiritus magno zelo, impudentissimos istos trapezitas aggressus est, cujus positiones cõtra indulgentias cum Albertus Crantzius legisset, exclamasse fertur: Vera quidẽ dicis bone frater, sed nihil efficies. Vade igitur in cellam tuam, & ora: Miserere mei Deus. Sed aderat fatalis nundinationum istarum terminus, addidit igitur Deus vocí suæ in Luthero vocem virtutis: detectis enim toti orbi impostoris indulgentiarum, mensæ istę nummulariorum sine vi, solo Spiritus gladio, subversæ perse corruerunt, & impletum est dictum Prophetæ: Ostendam gentibus turpitudinem tuam, & regnis ignominiam tuam. Quod, quomodo factum sit, utile est meminisse.

Historia nostri seculi.

Crantzius de impugnatione indulgentiarũ per Lutherum facta.

Crescebat igitur indies impudentia nundinationis indulgentiarum, ut quò amplius progrederetur non inveniret, nec ubi consisteret habere. Hactenus enim fictitiæ Pontificij jubilæi indulgentiæ ad vigesimum quintũ quenq; annum contractæ, illis solis dispensatæ fuerãt, qui suscepti peregrinationibus, limina Apostolorum, sicut ipsi loquuntur, in Ecclesiis urbis visitarent. Alexãder Sextus verò, sicut suprà annotavimus, anno 1500. in aliis regionibus omnibus, gratiam jubilæi pro pecunia oppidatim & vicatim vendidit, absentibus non secus ac si ipsas Ecclesias urbis omnes visitassent. Quo aucupio cùm ingentem pecuniæ vim confecisset, secutus per intervalla Leo decimus, de simili artificio emungendæ pecuniæ cogitavit. Cumq; anno 1513. sedẽ beatæ ascendisset, & vix sperare auderet se jubilæi terminũ ad annũ 1525. assequi posse, novo exemplo anno 1515. & 1516. missis per omnia Regna quæstorib. eandẽ gratiã, quæ in jubilæo peregrinationem Romanam suscipientibus concedi solet, tunc extra jubilæi terminũ pro pecunia, positis publicè in Ecclesiis cistis seu ærariis, venalẽ exposuit. Prætextus autem, sicut Cochlæus scribit, fuit structura templi S. Petri Romæ, quam sumptuosissimè à Iulio II. incoatam cùm Leo se absolvere velle fingeret, & pecunia non suppeteret, per impostu ram indulgentiarum se eam à Germanica præsertim simplicitate facilè emungere posse, à Curtisanis persuasus fuit. Vtq; cum autoritate aliqua impostura illa in Germania exerceretur: Archiepiscopo Moguntino hoc negocii datum, qui ea conditione illud suscepit, sicut Lutherus scribit, ut dimidiũ prædæ Roma. Pontifici, altera pars Moguntino ad solvendum pallij cederet. Cùm merces istæ in aliis Provinciis, Anno 1515. & sequenti expositæ fuissent hac licitatione, sicut Massæus scribit, ut qui decẽ solidos numeraret, animam ex purgatorio liberaret. In Germania per annũ 1517. potissimùm impostura istæ exerceri cœperunt. Quæsitus autem & ad eam

Occasio reprehensarũ indulgentiarum per D. Martinum Lutherum.

Leo X.

Prætextus indulgentiarũ Leonis X.

Albertus Archiepiscopus Moguntinus indulgentiarum Leonis X. Promotor in Germania.

Precium animæ è purgatorio redimendæ.

Ioannes Tecelius nugitendulus Romanæ Curiæ.

eam rem delectus fuit, exquisitus quidam nebulo Ioannes Tecelius Dominicanus, seu ordinis Prædicatorii. Et illum quidem anteà Maximilianus Oeniponti propter adulterium, in quo deprehensus fuerat, facco ad submersionem adjudicãrat, intercessione autem Ducis Friderici liberatus fuerat. Sed quia postea, sicut Cochlæus narrat ordini militari in Livonia amplam pecuniam sub prætextu indulgẽtiarum impudentibus suis præconiis conquisierat: Visus tunc fuit ille Moguntino ad saltandam hanc fabulã maximè idoneus. Creatus itaq; fuit commissarius Apostolicus, & hæreticæ pravitatis inquisitor, ut inquisitoriis artibus opprimere posset, si qui contradicere vellent. Atq; ita non tantùm pro concione impudentissimis præconiis: verumetjam sparso libello quodam, quem Summariam instructio nem nominabat, indulgentiarũ merces per Germaniam venales ubiq; exponebat. Capita autem & concionum & scripti ejus, sicut ex Lutheri Scriptis colligo, hæc fuerunt: Pro concione despumabant Quæstores isti tales exhortationes: En cœlum undique apertum jam est, si nunc non intres, quando unquam intrabis? O insensatos & crassi cordis homines, bestiis propè similes, qui non percipitis tantam effusionem gratiarũ. En tot potestis redimere animas. O duri, duri, & negligentes: duodecim denariis Patrẽ extrahere potes, & tàm ingratus parenti in tantis pœnis non succurris? Ego sanè in extremo judicio excusatus sum: Vos videritis. Dico tibi, si unam solam tunicam haberes, hanc quoq; exuendam & distrahendam judico, ut tantas gratias obtineres, &c. In oblocutores verò istius gratiæ ita detonabant, ut tremens vulgus & cœlum mox ruiturum, & terram hiaturam formidaret. Addebant amplificationes: Si quis literas indulgentiarum redimeret, ejus animam securam esse de salute sua. Et animas in purgatorio existentes, pro quibus indulgentiæ redimantur, statim ubi conjectus in cistam nummus tinnierit, ex purgatorio in cœlum evolare. Item: tantas esse illas gratias, ut nullum sit adeo magnum peccatum, etjãsi per impossibile quis matrem Dei violasset, quin per indulgentias solvi posset, & hominem per istas indulgentias liberum fieri ab omni pœna & culpa. Esse enim istas gratias donum illud Dei inæstimabile, quo homo reconcilietur Deo, & omnes pœnæ purgatorii deleantur. Nec necessariã esse contritionem his, qui vel animas, vel confessionalia redimerent. Verba enim instructionis hæc fuerunt: Prima gratia principalis indulgentiarum est plenaria remissio omnium peccatorum, per quam peccator perfectam remissionem & Dei gratiam denuò consequitur: Per quã etjam remissionem peccatorum sibi pœnę in purgatorio propter offensam divinæ majestatis luendæ, plenissimè remittuntur & omninò delentur. Item: Pontificem habere potestatem in purgatorium ad liberandas per viam indulgentiarũ animas: Et tàm certam esse fiduciam salutis per literas veniarum affirmabant, ut suam animam pro illis impignorarent. Crucem, quam cum insignibus Papæ in Ecclesia erigebat, æquè efficacem esse, ac ipsam Christi crucem. Addebant fabulas, in certo quodam loco quinque animarum millia per venias istas redemptas, inter quas solùm tres fuissent damnatæ, ideo quòd detraxissent indulgentiis. Finis & conclusio concionum fuit: Impone, impone, impone. Vtq; non verbis tantùm, sed exemplo & facto homines excitarẽt, primi ad cistam in omnium conspectu procedebãt splendido gestu: & sonoro tinnitu aliquid in cistam conjicientes, & astantes arridebant imponentibus, omittentibus indignabantur. Permittebant etjam pauperibus indulgentias istas gratis dari, sed ita, ut primùm undecunq; pecunias corradere tentarent à bonis fautoribus. Et uxores docebant etjã invitis maritis, quomodocũq; corradere pecuniã ad redimendas indulgentias. Hæc ex scriptis istorum temporum collecta, ipsis verbis, quibus annotata fuerunt, adscripsi.

Castitas Tecelij.

Summaria instructio Tecelij.

Capita concionum Tecelij.

Contra obloquutores indulgentiarũ.

Verba instructionis Tecelij.

Fabula de virtute indulgentiarũ Tecelij.

Indignatio publica contra impostũras Tecelij convitia.

Interea verò, dum impostura istæ magna impudentia Germaniam pervagarentur, audiebantur non murmura tantùm, sed manifestæ indignationes omnium bonorum. Defessi enim erãt jam omnes in Germania ferendis istis expilationibus, nundinationibus, & infinitis impostũris Romanensium. Vocârunt indulgentias animarum nundinas, & Monopolia fremebant à nundinatoribus istis indulgentiariis vendi licentiam & impunitatem peccatorum, non de præteritis tantùm, verumetjam de futuris, nec in hac tantum vita, verùm etjam post obitũ, sicut loquuntur querelæ Germanicorum gravaminum. Fingebant ridiculas fabellas, venisse scilicet quendam mortuum cum literis veniarum ad infernum, ac per eas petiisse libertatem: occurrisse verò Dæmonem quendam, qui cùm Bullam legeret, inter manus ipsius præ furore ignis papyrum, membranam, ceram & plumbum consumpta, atq; ita animam vacuam in profundum præcipitatam, sicut hæc narrantur in scriptis istorũ temporũ. Spargebatur & illa narratio: Nobilem quendam indicasse Tecelio, in animo se habere, quòd vellet magnum aliquod facinus designare, & in futurum ejus peccati petiisse indulgẽtiam: Et Tecelium magna quidem pecuniæ summa indulgentiam illam licitatum, nobilem tamen numerata illa pecunia Bullam accepisse. Postea nobilem illum, captata occasione, Tecelium in sylva quadam effractis indulgentiariis cistis spoliasse. Cumq; Tecelius omnes ipsi diras minitaretur: Nobilem ipsi ostendisse Bullam indulgentiarum tàm magno redemptam, & cum risu addidisse: Hoc erat peccatum illud, quod in animo habebam, à quo jam in optima forma absolutus sum. Omnes igitur optabant, & instigabant, ut ex doctis aliquis impudentissimis istis nundinationibus se opponeret: sed metu Tyrannidis Pontificiæ nemo audebat progredi.

Sales oppositi nugivendulo Tecelio á Germanis.

Alia narratio istorum temporum.

Tandem cùm Tecelius merces suas indulgentiarum ea, de qua dictum jam est, impotentia, venales exponeret in oppido, sicut Cochlæus scribit, Zutrobock (quod prope meam patriam Brizen / quæ à fidelitate olim Marchionibus Brandeburgensibus præstita, nomen habet, situm est, unde etjam maternam duco originem) ibiob loci vicinitatem, rei indignitas Lutherum, Vitebergæ docentem, magis perculit, ac Deus peculiari impetu spiritum ipsius excitavit, ut constitueret impudentissimis istis cauponationibus

Patria Doctoris Martini Chemnicij.

Principium reprehensionum, quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lutherus ufus est in indulgentijs.

contradicere. Cùm verò primùm non auderet totum negocium indulgentiarum rejicere aut damnare, enormes tantùm excessus & crassissimos abusus reprehendit: totum verò negocium in disputationem adduxit, affixis publicè propositionibus anno 1517. pridie Calendas Novembris, sicut liberum tunc erat in Scholis omnia, etiam certissima, disputando in dubium vocare. Edidit etiam concionem de indulgentiis & pœnitentia. Ac scripsit ad Moguntinum & Brandenburgensem Episcopos, ad ipsum etiam Leonem Pontificem, ut Quæstorum impudentiam cohiberent. Nec verò in universum tunc damnabat Papales indulgentias: sed tantùm modum adhiberi, ac enormes excessus corrigi petebat, dicebat redemptiones veniarum non esse vel præcepti vel consilij, nec ad salutem necessarias: sed liberas, imò utiles, si homines in eas non cõfidant. Item: non esse contemnendas indulgentias, sed liberas relinquendas: esse eas de genere eorum, quæ licent, & sub permissionem cadunt, quamvis non de numero eorum quæ expediunt.

Themata disputationis Lutheri de indulgentijs.

Concio Lutheri de indulgentijs, &c.

Litera Lutheri ad Papam & Moguntinũ & Brandenburgensem Episcopas.

Quid Lutherus principio damnarit in indulgentijs.

Mota hoc modo indulgentiarum Camarina, suspensis animis ubique omnes expectabant eventum rei. Nulla autem prorsus moderatio vel ab Episcopis, vel à Pontifice adhibebatur. Sed Tecelius per Conradum Vvimpinam contrariis positionibus omnia sua impudentissimè defendebat. Ac certatim scriptis acerbissimis in Lutherũ irruebant Theologi Pontificij, Sylvester Prieras Romæ Magister Palatij, Eccius, Hogostratus, &c. Illi impudẽtissima Axiomata Tecelij omnia, de quibus dictum est, magna vehementia defendere conabantur. Ex hisce principiis: Primò, quòd Papæ potestas esset suprema, quæ à toto simul mundo non posset restringi. II. Quòd Papa ea, quæ fidei sunt, solus haberet determinare, & Scripturam autoritativè pro suo sensu interpretari. III. Multas veritates & catholicas tenendas, licet nec in canone Scripturæ, nec à Doctoribus antiquioribus ponantur. Hæc enim sunt verba in positionibus Vvimpinæ. Ita irritatus Lutherus, totum negocium indulgentiarum per Resolutiones plenius cœpit examinare, ac paulatim etjam Doctrinam de pœnitentia, de fide, de justificatione, &c. magno omnium applausu illustrare. Interea cœpta erant Comitia Augustana Anno 1518. eò citatus erat Lutherus ad causam dicendam coram Cardinali Cajetano, cui Pontifex hoc in mandatis dederat. Ille verò hoc tantùm multis minis urgebat, ut Lutherus sua revocaret, tunc salva fore omnia. Et non pauci erant, qui dicebant, de potestate summi Pontificis non disputandum, sed tacendum & gratias agendas.

Incrementa semel motæ disputationis.

Quibus argumẽtis usi contra Lutherũ.

Comitiorum Augustanorum acta.

Cajetanus.

Cùm verò Lutherus ad hoc permoveri non posset, re infecta discessum fuit. Et quoniam quidam animadvertebant, Lutherum minis & maledictis non posse à sententia dimoveri, nec populum placari acerba defensione impudentissimarum nundinationum: aliâ igitur viâ hoc tentârunt, & per Carolum Miltitium multis actum fuit cum Luthero, ut quæ pacis essent consuleret, & Pontifici reconciliaretur. Vocârat etjam Carolus ille ad se Tecelium primarium Tragœdiæ istius authorem, ac severè objurgatum verbis ac minis Pontificiis ita terruit, ut ægritudine animi confectus, non multò post extingueretur. Hæc ratio agendi Lutherum ita moverat, ut ostenderet se pacis cupidum & studiosum. Cumq; necessitate quadam, quasi per vim in turbas illas pertractus esset, prolixè promisit omnia.

Actus adversariorum.

Carolus Miltitius.

Tecelius mœstitur.

Et sanè si hanc viam prosecuti tunc fuissent Pontificij, potuissent omnes illas turbas sanare. Sed aderat fatalis terminus indulgentiarum, & totius regni Pontificij. Constituerat enim Deus propulsatis Aegyptiacis tenebris, lucẽ verbi sui rursus accendere, & Ecclesiam suam ex Babylonica captivitate liberare. Vociferabantur itaq; ij, qui columnæ Regni Pontificij videri volebant: Non decere majestatẽ Pontificiam tàm molliter & abjectè rem illam agere. Sed effecerũt, ut Pontifex promulgaret condemnationem Lutheri. Nominatim verò edidit novam Decretalem de indulgentiis & earum efficacia, in qua non obscurè Tecceliana dogmata de indulgentiis à pœna & à culpa, pro vivis & pro mortuis confirmat. Hæc enim sunt verba: Romanũ Pontificẽ Christi vicarium, potestate clavium (quibus culpam & pœnam pro actualibus peccatis debitam tollat, culpam quidem mediante pœnitentiæ Sacramento, pœnam verò temporalem pro actualibus secundum divinam justitiam debitam, mediãte Ecclesiastica indulgentia) posse pro rationabilibus causis concedere fidelibus, sive in hac vita sint, sive in purgatorio indulgentias ex superabundantia meritorum Christi & Sanctorum, ac tam pro vivis quàm defunctis, Apostolica autoritate, vel per modũ absolutionis indulgentiã ipsam conferre, vel per modum suffragij illam transferre. Ac propterea omnes, tàm vivos quàm defunctos à tanta pœna liberari, quanta concessæ & acquisitæ indulgentiæ æquivalet, &c. Hanc decretalem Eccius in Lipsica disputatione ita interpretatus est, Indulgentias quidem de se non remittere vel delere culpam: sed tamen dari indulgentias, ut, qui eas acquirunt, absolvantur à pœna & à culpa, in hanc sententiam: Quia Papa concedat, ut qui redimunt indulgentias à culpa, mediante Sacramento pœnitentiæ à deputatis commissariis absolvantur, & deinde indulgentias, id est, pœnarum remissiones consequantur, ita utrunque fieri per indulgentiarum Bullas, ut à pœna & culpa liberentur.

Novum Clasficum adversariorũ contra Lutherũ.

Lutherus cõdemnatur à Pontifice.

Decretalis Leonis X. de indulgentijs.

Ecciana interpretatio Decretalis Pontificiæ.

Secutæ post eas sunt condemnationes Lutheri doctrinales à Lovanienfibus & Colonienfibus. Atque ita data fuit Luthero occasio, ut subinde plures errores in doctrina Pontificia detegeret, & alios etjam locos doctrinæ Christianæ, ex verbo Dei, nequicquam fremente Romano Pontifice illustraret. Et res eò deducta est, quòd in comitiis Augustanis anno 1530. Pontificii ordines Imperatorem rogarunt, ut interposita sua autoritate efficeret apud Pontificem, ne amplius indulgentias in Germaniam mitteret, totam enim religionem Pontificiam ita ludibrio exponi.

Pontificios pudere nundinationũ & defensionũ indulgentiarum.

Nunc Concilium Tridentinũ usum indulgentiarũ maximè salutarem prædicat, & leviter tantùm de abusibus quibusdam concionatur. Observet autem Lector, quòd Decretum Tridentinũ in specie non explicet, qui sint abusus illi. Tecceliana

Concilium Tridentinum de usu & utilitate indulgentiarum.

Generalitas insidiosa concilij Tridentini.

celiana enim portenta, de quibus diximus, probare forsan non potest, & tamen damnare etjam vel non vult, vel non audet, quia à tota Ecclesia Pontificia tũc, sicut ostendimus, defensa & Papali autoritate confirmata fuerunt. Ne igitur nihil agere videatur, in genere nominat abusus quosdam & pravos quæstus, quos tamen nec ostendit nec explicat: sed dicit, commodè illos in specie inveniri & prohiberi non posse, ut per verba generalia nihil significantia, spes emendationis ostentetur, re ipsa autẽ nihil fiat. In Decreto igitur Tridentino tandem omnia ad potestatem Romani Pontificis referuntur, ut ita nervi veteris superstitionis retineantur, & si fieri posset, per occasiõnem hominibus rursus obtrudantur. Sicut Pius Quintus anno 1571. edita bulla hortatus est fideles, ut pro felici successu fœderis contra Turcam jejuniis, orationibus & Eleemosynis vacarent, utq; eò libentius illud facerent, omnibus & singulis, qui quarta & sexta feria ac sabbato jejunarẽt, &c. plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem, & eam indulgẽtiam, quæ fidelibus Ecclesias almæ urbis & extra urbem, ad id deputatas, visitantibus concessa est, pro illa, quam habeat thesauros Ecclesiæ aperiendi potestate, elargitus est, dans potestatem eligendi confessorem. Et reliqua, sicut in veteribus bullis usitatum fuit. Inde Lector intelligere & statuere potest, quomodo canonem Tridentinum Pontifex accipi velit, nempe ut illa omnia, de quib. hactenus diximus, quæ collapsa & exposa jam aliquandiu fuerunt, paulatim revocentur, hoc est, restituantur, ut scilicet indulgentiæ sint non tantùm relaxationes pœnarum canonicarum, quæ jamdudum antiquatæ sunt: sed plenissimæ remissiones ipsorum peccatorum, & quidem omnium peccatorum ex thesauro operum, quæ Sancti ultra quàm debuerunt, supererogârunt, utq; Ecclesiæ rursus obtrudantur impudentissimæ impostura de stationibus urbis, quas cõtinere finguntur ultra decies centena millia annorum, & plusquam quadraginta duas plenarias indulgẽtias, cum liberatione aliquot animarum ex purgatorio, sicut suprà descripsimus. Istas exoletas merces Pius noster ex potestate sua aperiendi thesauros Ecclesiæ, ipsis veterum Nundinatorum verbis rursus venales exponit. Quia verò merces istas nõ admodum gratas, nec in magno precio esse intelligit, gratis eas exponit, si hoc artificio homines rursus inescare & fascinare posset. In fine enim Bullæ sub excommunicationis pœna districtius præcipit omnibus & singulis Notariis Ecclesiasticis; personis, ne publicationis, subscriptionis, obsignationisque textu, quicquam etjam à volentibus & ultrò offerentibus, pecuniæ exigere, aut aliquod lucrum, vel minimum facere audeant.

Summa Decreti Tridentini de indulgentijs & Quinti Bulla indulgentiaria.

DECRETVM TRIDENTINI CONCILII DE DELECTV ciborum, Jejuniis & diebus Festis.

Summa dogmatis Pontificij de delectu ciborũ & ieiunio.

INsuper hortatur S. Synodus, & per sanctissimum Domini nostri atq; Salvatoris adventũ Pastores omnes obtestatur, ut tanquam boni milites illa omnia, quæ Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater & magistra statuit, nec non ea, quæ tàm in hoc Concilio, quam in alijs Oecumenicis, statuta sunt, quibuscunque fidelibus sedulò commendent, omniq; diligentia utantur, ut illis omnibus, & ijs præcipuè sint obsequẽtes, quæ ad mortificandam carnem cõducunt, ut ciborum Delectus & Jejunia: vel etiam quæ faciunt ad pietatem augendam, ut dierum Festorum devota & religiosa celebratio, admonentes populos crebrò obedire præpositis suis: quos qui audiunt, Deum remuneratorem audiens: qui contemnunt, Deum ipsum ultorem sentiunt.

EXAMEN.

Insidiæ Tridetin. in hoc decreto.

VNiversæ Ecclesiæ notissimum est, quales laqueos Pontificii per leges suas de jejunio, & de discrimine seu delectu ciborum conscientius injecerint, quas superstitiosas & impias opiniones necessitatis, satisfactionis, cultus, justitiæ & meriti, jejuniis & delectu ciborum attexuerint, quòd scilicet sint satisfactiones pro peccatis, quibus peccata expientur, & talia bona opera, quib. Deo gratiores effici, & vitam æternam promereri possimus. Item: qui ex delectu ciborum vel servato, vel non servato fecerint vel peccata mortalia vel peculiares cultus Dei ex opere operato, quas tamen leges pro divitibus venales habuerunt, & pecuniam numerantibus, liberaliter relaxârunt. Cumq; totus orbis à Tridentinis patribus diu expectassẽt reformationem, ipsi in fine Concilii, sicut ab initio fecerunt, solita sua exercent artificia: disimulatis enim erroribus & superstitionib. Pontificio jejunio & prohibitioni ciborum annexis, dicunt, fideles debere obsequentes esse iis, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut sunt jejunia: quibus sũ ciborum delectum, seu prohibitionem potius non tantùm addunt, verùm etjam præponunt. Superstitiosas verò leges & opiniones de jejuniis, ac prohibitionibus ciborum omnes sub illa Orci galea involvunt: quando dicunt, illa omnia, quæ Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Mater & Magistra statuit, quibuscunq; fidelibus commendanda & servanda esse, ut ita sub prætextu sententiarum Scripturæ, quæ de mortificatione carnis, ac de veris jejuniis concionantur, superstitiosas suas leges & opiniones omnes stabiliant & retineant. Vtq; sub hoc prætextu, illos qui impias ipsorum de jejuniis & prohibitione ciborum leges & opiniones, ex verbo Dei, taxant, plausibili specie traducentes condemnare possint, quasi ea, quæ ad mortificationẽ carnis in Scriptura traditam conducunt, improbent & rejiciant. Et quidem si hoc agerent, ut abjectis & damnatis impiis & superstitiosis legibus & opinionibus, sana doctrina & utilia exercitia veri jejunii, sicut in scriptura hæc tradita sunt, sine conscientiarum laqueis & pravis opinionibus Ecclesiæ restituerentur, omnes pii certatim operam suam & meritò & libenter huc conferent: sed quia ad stabiliendas superstitiosas Pontificiorum leges & opiniones de jejunus & prohibitione ciborum & ad traducendos eos, qui pravas istas opiniones ex verbo Dei taxârunt, insidiosè illa omnia instructa sunt: Ideo distinctè exponemus: Primò, verã scripturæ sententiam de jejuniis & de ciborum delectu: post-

Partivio extendẽs sum-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eam totius huius tractationis.

ea subjungemus consentientes quasdam veteris Ecclesiæ sententias. Addemus deinde Antithesin de impiis ac superstitiosis Pontificiorum legibus & opinionibus, de ieiunio & prohibitione ciborum. Postremò colligemus historicam observationem, quomodo omnibus temporibus superstitiones de ieiuniis & prohibitione ciborum Ecclesiæ negocium fecerint, quomodo sæpius repressæ sint, donec tandem ipsam Ecclesiæ arcem invaserunt.

I.
II.
III.
IIII.

QVOD VERVM IEIVNIVM HABEAT TESTIMONIA & EXEMPLA SACRÆ SCRIPTVRÆ IN VETERI & NOVO TESTAMENTO.

Esse ieiunium verum.

IEjunium per se & suo genere nō est opus mandato Dei prohibitum, vel contra verbum Dei pugnans, nec inter ea simpliciter numerari vel debet vel potest, quæ sine ullo Scripturæ vel testimonio vel exemplo, ex sola hominum traditione exorta & instituta sunt. Habet enim non pauca vel obscura, sed multa & illustria testimonia & exempla, in Scriptura tùm veteris, tùm novi Testamenti: quæ ideo prodest in conspectu habere: Quidam enim propter abusus Pontificios adeo abhorrent à jejunii doctrina, ut audito vel solo jejunii nomine resiliant, ac si vel homicidium vel adulterium audirent: Quidam totam de jejunio Doctrinam sine discrimine inter traditiones humanas rejiciunt. Sed Scriptura abusus jejuniorum, Isa. 58. Zacha. 7. Matth. 6. ita reprehendit & damnat, non ut ipsa jejunia per se simpliciter abjiciat, sed ut veram eorum rationem, & pium usum ostendat, & multis piis exemplis probet ac confirmet. Quòd verò manifesta verbi Dei testimonia & probata sanctorum in Scripturis exempla habet, non est inter humanas traditiones numerandum: sed si quos superstitiosos abusus & pravas opiniones, hominum traditiones jejunio asserunt, illa discernenda & sejungenda sunt ab ipsis jejuniorum exercitiis, sicut verbi Dei testimoniis traduntur, & Scripturæ exemplis comprobantur. Atq; opera danda est, ut rejectis superstitiosis opinionibus, ac remotis pravis abusibus, res ipsa, sicut Scripturæ testimoniis & exemplis traditur, Ecclesiæ restituatur.

Contraria.

Testimonia veteris Testamenti de ieiunio.

David igitur inquit, Psalm. 35. Ego autem cùm ipsi ægrotarent, induebar sacco, humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in sinum meum vertebatur. Psalm. 69. Si quando fletu & jejunio animam meam adfligebam, hoc factum est in opprobrium mihi. Ioëlis 1. Sacrificate jejunium, & clamate ad Dominum. Capit. 2. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, in fletu & in planctu, clangite tuba, sanctificate jejunium, &c. Numer. 30. statuitur de voto ac juramento ablugationis ad affligendam animam.

Testimonia novi Testamenti.

Levit. 6. & 23. Decima die septimi mensis dies expiationum erit, affligetisq; animas vestras in ea. Omnis anima quæ afflicta non fuerit hac die, peribit de populis suis. Isa. 58. Hoc est jejunium quod elegi, &c.

Et ne quis arbitretur, jejunium rejiciendum esse inter Leviticas Testamenti veteris ceremonias, quæ jam abrogatæ sunt: habet & novum Testamentum testimonia & exempla de jejunio, ut Matth. 6. Cùm jejunas, unge caput tuum, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui videns in occulto, reddet tibi in propatulo. Matthæi 9. Auferetur sponsus, tunc jejunabunt. Matthæi 17. Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem & jeiunium.

1. Corinthio. 7. Vt vacetis ieiunio & orationi.
2. Corinthiorum 6. In omnibus exhibeamus nos ut Dei ministros, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis.

Exempla veteris Testamenti.

Hisce testimoniis accedunt multa illustria & probata Sanctorum exempla in Scriptura sacra, Iudicum 20. Ieiunaverunt die illo usq; ad vesperam. 1. Reg. 3. Ieiunaverunt in die illa, & dixerunt, peccavimus. 1. Reg. 31. Ieiunaverunt septem diebus. 2. Reg. 1. Planxerunt & fleverunt, & ieiunaverunt usque ad vesperam, propter Saulem & Ionathan. 1. Reg. 12. Deprecatus est David Dominum pro parvulo, & ieiunavit ieiunium, &c. 3. Reg. 21. Achab ieiunavit & dormivit in sacco. 2. Par. 20. Iosua proposuit quærere Dominum, & prædicavit ieiunium universo Iuda. 1. Esd. 8. Prædicavi ieiunium, ut affligeremus nos corā Deo, & peteremus, &c.

Item: Ieiunavimus & rogavimus Deum pro hoc, & evenit prosperè. Nehem. 1. Flevi & mœstus ieiunavi, & oravi coram Deo.

Esther 4. Ieiunate pro me, non comedetis & non bibetis tribus diebus & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo. Esther 9. Observanda susceperunt ieiunia & preces.

Ierem. 36. In die Ieiunij, quod prædictum erat mense nono, in conspectu Domini omni populo legitur liber Ieremiæ.

Daniel. 9. Deprecatus sum Dominum in ieiunijs, sacco & cinere.

Dan. 10. Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non intraverunt in os meum, nec unguento unctus sum. Ibidem dixit Angelus, Ap. imo die, quo posuisti cor tuū ad intelligendum, utq; affligeres te coram Deo, exaudita sunt verba tua. Ionæ 3. Prædicaverunt ieiunium, & vestiti sunt saccis, &c.

Exemplaveteris Testamenti.

Luc. 2. Anna non discedebat de Templo, ieiunijs & obsecrationibus serviens die ac nocte. Act. 13. Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus. Item: Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus dimiserunt illos.

Actor. 14. Cùm constituissent illis presbyteros, & orassent cum ieiunijs, commendaverunt eos Domino. 2. Corinth. 11. In labore & molestia, in vigilijs, sæpe in fame & siti, in ieiuniis, sæpe in frigore & nuditate.

Tobiæ 3. Sara ascendens in superius cubiculum domus, tribus diebus & tribus noctibus non manducavit neq; bibit, sed in oratione persistens cum lachrymis deprecabatur Dominum. Tobiæ 12. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna. Iudith. 4. Humiliaverunt animas suas in ieiuniis & orationibus. Item: Dominus exaudiet preces vestras, si manentes permanseritis in ieiunijs & orationibus in conspectu Domini. Iudith 8. Iudith

8. Iudith vidua habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus viduitatis suæ, præter sabbata.

1. Macha. 3. Congregatus est cœtus ut orarent, & jejunaverunt illa die, & induerunt se ciliciis & cinerem imposuerunt capiti.

2. Machab. 13. Præcepit populo, ut die ac nocte Dominum invocarent. Omnibus itaq; simul id facientibus, & petentibus à Domino, misericordiam cum fletu & jejuniis per triduum sine intermissione prostratis hortatus est eos Iudas, ut se præpararent. Baruch 1. Cùm audissent prælegi librum Ieremiæ, plorabant & jejunabant, & orabant in conspectu Domini.

QVID SIT IEIVNIVM, DE QVO SCRIPTVRA LOQVITVR, SEV QVID COMPLECTATVR, & IN QVO CONSISTAT, VEL QVÆ AD VERVM IEIVNIVM PERTINEANT.

VAriæ traditæ sunt sive definitiones, sive descriptiones jejunii, cùm à veteribus, tum à recentioribus, de quibus inter eruditos disputatur. Sed simplicissima & certissima ratio est, si ex illis testimoniis & exemplis, in quibus doctrina de jejunio tradita est, tāquam membra colligantur, ea, quæ ad veram rationem jejunii sicut in Scriptura traditū est, pertinent. Quod ut eò commodius & rectius fieri possit, præmittenda est distinctio, ut ad id, quod propriissimè appellatio ne Iejunii in Scriptura significatur, facilius pervenire possimus. Et quod ad vocabula attinet, Græci vocant νηστείαν, à privativa particula νη, & ἀπὸ τοῦ ἐσθίειν, vel σιτίου, sicut Suidas exponit, non comedere, vel cibum nō sumere. Quod Latinè ad verbum quidam vertūt, inediam. Et νῆστις Varinus interpretatur ἄγευστος σίτου, impastum, qui cibum nondum gustavit. Ita Matt. 15. & Mar. 8. de illis, qui triduum apud Christum perseverarunt, & non habebant quod ederent, Christus dicit: Nolo eos jejunos dimittere. Hebræum vocabulum est צום Zom, quod ab emulgendo seu exugendo nomen habet. Nam & intestinum pyloro proximum, quia id, quod accipit non continet, sed statim ad inferiora transmittit, atq; ita plerunq; inane est. Græcis νῆστις vocari Suidas autor est, unde Gaza reddidit intestinum jejunum. Aliquādo per verbum עבת Anaph jejunium describitur, quod afflictionem significat, & aliquando cum fame seu inedia jungitur, ut Deute. 8. Affixitte, & esurire te permisit Iesai. 58. Si esurienti protuleris animam tuam, & animam afflictam satiaveris. De quo verbo in causa finali jejunii plura dicemus.

De vocabulo ieiunii.

Vox Hebræa.

Ieiunium & fames differt.

Distinctio igitur varii usus vocabuli Iejunii utilis & necessaria est, ut ad id, quod jejunii sacri proprium est, perveniamus. Vsitatè quidem vocamus ieiunos, qui nondum vel ientaculum vel prandium sumpserunt, sed de hoc ieiunio nunc non agimus. Illos etiam Scriptura vocat ieiunos, qui per triduum non haberent quod ederent, sed ieiunium propriè non est, idem quod fames seu esuries, quando propter cibi penuriam ex necessitate aliquis cogitur inediam pati. Nam 2. Corint. 11. distinctè numerantur fames & sitis, ac postea ieiunium. Ita Actor. 27. Cùm in navi ob iactationes tempestatum, & metum naufragii appetitu prostrato per quatuordecim dies cibum non sumpsissent, vel si in morbo simile fiat, dicuntur ieiuni permansisse, sed non est illud ieiunium, de quo propriè Scriptura loquitur. Et Græcus textus peculiari vocabulo ibi utitur, non enim vocat νηστείαν, sed ἀσιτίαν & ἄσιτους. Christus etiam cùm in deserto 40. dies cibo caruisset, ita ut virtute divina famem non sentiret, dicitur ieiunasse. Matth. 4. & postea esuriisse. Sed hoc ieiunium miraculosum, sicut etiam Mosis & Heliæ ieiunium, qui virtute unius prandii per 40. dies & noctes impastus ambulavit, non pertinet ad communem doctrinam de ieiunio in Scriptura traditam. Aliud etiam & diversum à cōmuni de ieiunio doctrina est exemplum Pauli, qui visione exterritus tribus diebus, nec vidit, nec comedit, nec bibit, Actor. 9.

Ieiunia miraculosa Scriptura.

Frequens etiam, præsertim apud Scriptores Ecclesiasticos, sicut postea ostendemus, usus est vocabuli Ieiunii, ut dicant, ieiunare à peccatis, pro desistere & abstinere. Sicut & Plutarchus dicit, νηστεύειν κακότητος. Ad quod ieiunium Isaias cap. 58. alludere videtur. Cùm enim Iudæi finem ieiunii non rectè constituerent, sed in ipso opere operato abstinentiæ à cibis, absque pœnitentia, constituerent cultum Dei, respondet Deus. Non ne hoc est magis ieiunium quod elegi, dissolvere colligationes impietatis, &c. Et hoc quidem magnum, generale & perfectum ieiunium est, sicut Augustinus loquitur. Non autem propria, sed figurata est locutio, & ieiunium est spirituale seu allegoricum.

Ieiunium spirituale seu allegoricum.

Ieiunium autem propriè dictum versatur circa voluntariam cibi abstinētiam, quæ tribus potissimum modis iuxta Scripturæ traditionem exercetur.

Ieiunium propriè dictum tribus modis fit.

Primò, quando talis moderatio in cibo & potu adhibetur, ne vel corpora onerentur, vel corda graventur crapula & ebrietate, quæ virtus propriè vocatur Temperantia, Frugalitas & Sobrietas. Aliquando verò etiam sub ieiunii appellatione comprehenditur, sicut Isidori definitio habet, ieiunium est parsimonia victus, abstinentiaq; ciborum.

Primò, temperantia seu sobrietate.

Secundò, quando non in totum vel à prandio vel à cœna abstinemus, sed vel prandētes vel cœnantes aliquid detrahimus, sive in quantitate sive in qualitate cibi, vel nō tam multum, vel non tam delicatum, quantū & quale etiam salva temperantia fieri possit, sumamus. Et hæc propriè vocatur abstinentia, quam tamen etiam aliquando sub ieiunii appellatone comprehendi, descriptio Danielis decimo ostendit.

Secundò, abstinentia.

Ibi enim Daniel dicitur, se afflixisse, hoc est, ieiunasse, quia panis delicatus, vinum & caro non introierunt in os eius. Et Zachar. 7. ubi ieiunium quinti Mensis describitur, usurpatur illud verbum Abstinentiæ, unde Nazaræi, qui à vino & sicera abstinebant, appellationē habent. Quærunt enim Iudæi, nunquid flendum mihi est in mense quinto, & religiosè abstinendum? Et respondet Deus: Cùm ieiunaretis, &c. Abstinentiam igitur sub ieiunio comprehendit. Tertia species

Universidad de Deusto
Biblioteca

abstinentiæ est, quando quis in totum vel à prandio vel à cœna abstinet.

Tertiò, verè ieiunando & cibu abstinendo.

Et hoc propriissimè in Scriptura vocatur jejunium. Cùm enim temperantia seu Sobrietas Christianis debeat quotidiana & perpetua esse, jejunio verò ad tempus vocãdum docet Paulus 1. Cor. 7. discrimen manifestum est, sicut & Scripturæ exempla ostendunt, ut Iudicum 20. Ieiunarunt illo die usq; ad vesperam, 2. Reg. 1. Ieiunarunt usq; ad vesperam propter Saulem & Ionathan. Act. 10. Vsq; ad horam nonam sedebam jejunus, & precabar domi meæ.

2. Reg. 3. Post sepulturam Abner, cùm universus populus venisset cibum capere cum Davide, clara adhuc die juravit David: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum Solis gustavero panem, vel aliud quicquam. Ad vesperam verò, tempore jejunii comedebant, sed quando per plures dies jejunium durabat, nec multum nec delicatè, sine tamen prohibitione ullius generis ciborum mundorum, nec mensa solenniter instructa comedebant: sed sicut describitur Danie. 10. Lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro nec vinum non introierunt in os meum.

2. Reg. 12. David jejunans per septem dies jacuit super terram, nec voluit surgere, & cum senioribus domus suæ cibum capere, mensa scilicet solenniter posita & instructa. Et peculiaris fuit cibus lugentium, quibus fermè æquiparantur jejunantes, Math. 7. Panis scilicet arctus & aqua brevis. Isa. 30. Panis tribulationis & aqua angustiæ. 3. Reg. 22. Et Psal. 42. Fuerunt mihi lacrymæ panes. Ps. 80. Cibabis nos pane lacrymarum. Psalm. 102. Cinerem ut panem comedi. Ezech. 4. Subcinericium hordeaceum comedes. Nec tamen verbo Dei ad certi generis cibos astricti erant tempore jejunii, nec ullum genus mundi cibi tempore jejunii prohibitũ in Scriptura legitur, sed voluntariè deligebant, quod nõ erat delicatum. Atque hoc modo septem diebus jejunarunt, 1. Reg. 15. quod scilicet ante vesperam non comederunt, & non delicatè comederunt, sicut Daniel capit. 10. per tres hebdomadas ita jejunat. Ita Iudith. cap. 8. omnibus diebus viduitatis suæ, præter Sabbatha jejunavit. Hoc modo etiã Hanna jejuniis & obsecrationibus die ac nocte servivit, Luc. 2. id quod antithesis de viduis intemperantibus, 1. Timo. 5. declarat. Quæ in delitiis versatur, inquit, vivens mortua est. Quando verò jejunium solvebatur, vel una die vel post plures dies, tunc vesperi lautius se refocillabant, ut Iudith. 6. Vocatis presbyteris fecit cœnã magnam, & expleto jejunio eos reficit. Ita 1. Reg. 12. David expleto jejunio facit, &c.

Lugentium cibus.

Ieiunium verũ non constat prohibitione ciborũ.

Ieiunia graviora aliquot cõtinuorum dierum.

Hæc fuerunt usitata jejunia. Intentius verò jejunium fuit illud, quando Esther dicit capit. 4. Non comedetis & non bibetis tribus diebus & tribus noctibus. Et Tob. 3. Sara tribus diebus & tribus noctibus non manducavit neque bibit. Et valde grave fuisse tale jejunium, inde colligitur, Nam 1. Reg. 30. cùm vir quidam Aegyptius nõ comedisset & non bibisset tribus diebus & tribus noctibus, fermè exanimatus fuit, ita ut refocillandus fuerit, ut Spiritus eius reverteretur. Porrò in exemplis Sanctorum in Scriptura omnibus per totum diem usque ad vesperam cibo abstinuerunt. In Darii verò historia describitur hæc species jejunii, Dan. 6. Abiit Rex in domum suam & pernoctavit incœnatus, cibiq; non sunt allati coram eo.

Nec verò cibo & potu tãtùm ultra consuetum tempus abstinebant jejunantes, sed simul etiam tempore jejunii omnes alias licitas corporis delitias seu delectationes, & externas commoditates, quibus aliàs corpus solet foveri, curari, refocillari, delectari & exhilarari, abdicabant, & econtrà habitus & gestus lugentium tempore jejunii assumebant, ut 2. Reg. 1. Sciderunt vestimenta sua & fleverunt & jejunaverunt. 2. Regum. 5. Scindite vestimenta vestra, & accingemini saccis, & plangite. 2. Regum 12. Iejunavit David jejunium & ingressus pernoctavit dormiens in terra. Soluto verò jejunio lavit & vnxit se. Ergo tempore jejunii à lotionibus & unctionibus corporis abstinebant. 3. Reg. 21. Achab jejunans scindit vestimenta sua, operit carnem suam sacco, & dormit in sacco, & incedit miserabiliter, vel lento gradu, vel nudis pedibus, vel capite velato, hæc enim omnia significat vocabulum אט Ath. Opponitur autem saccus indumentis mollioribus, elegantioribus, splendidioribus, & laxioribus, ac significat vestes viliores, puriores, crassiores, forididiores & strictiores, quales in illis regionibus in luctu usurpabantur. Et quia sacci ad recipienda frumenta & res alias vel ex pilis vel ex crassiori lino conficiebantur, inde Latini aliquando per cilicium reddiderunt, Nehemiæ 1. Sedi, flevi, luxi & jejunavi.

Ieiunium nõ cibi tantùm, sed & aliarũ corporis delitiarũ est abstinentia.

Saccus & cilicium.

Ioelis 2. Convertimini ad me in ieiunio, in fletu & in planctu. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo, hoc est, nuptiales ornatus, gaudia & lætitias deponant.

1. Cor. 7. Paulus de usu consuetudinis conjugalis dicit: Ne fraudetis vos invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio, & orationi. Dan. 9. Posui faciem meam rogare Dominum in jejuniis sacco, & cinere. Dan. 10. Vnguẽto non sum unctus, donec complerentur tres hebdomadæ. Ionæ 3. Prædicaverunt jejunium & vestiti sunt saccis, sed & Rex surrexit de solio suo, ac deposito suo paludamento saccum induit, & sedit in cinere seu pulvere. Esther 4. Iejunium ululatus & fletus erat ubiq;, sacco & cinere multis prostrato utentibus.

Et Mardochæus scidit vestimenta sua, indutus est sacco, aspersus cinere seu pulvere. 1. Macha. 3. Ablata est jucunditas à Iacob, defecit tibia & Cythara, & jejunaverunt & induerunt se ciliciis, & cinerem imposuerunt capiti suo, & discinderunt vestimenta sua: In luctu enim musicam intempestivam esse dicit Syrach. 32. Psal. 35. Jejunabam & tanquam qui fratrem vel matrem luget pullatus & incurvatus incedebam. Isa. 58. In jejunio curvabant caput instar junci, saccum & cinerem sibi sternebant. Sed ibi lugentium & per consequens etiam jejunantium habitus & gestus, pro more regionum variantur, & fuerunt pars pædagogiæ veteris Testamenti, quam ne quidem veteris Testamenti tempore Deus tanquam necessariam postulavit. Inquit enim Ioel. 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Et Isai. 58. Nun-

Habitus & gestus exercentium ieiunantium dissimiles fuerunt.

quid tale est jejunium quod elegi, contorquere quasi circulum caput suum, & saccum & cinerem sternere. In novo verò Testamento, Matth. 6. Christus externos illos ritus jejunio adjunctos ita abrogat, ut liberos faciat, & fine illis jejunium exerceri posse, & Deo placere affirmet. Non opus est, inquit, quando ieiunas & tetrico & mœsto vultu incedas, faciem obveles, obscures, aut deformes, hoc enim significat ἀφανίζειν, sed potes caput ungere, & faciem lavare, ac nihilominus ieiunare patri cœlesti.

se non est cultus Dei.

Ieiunium carnis afflictionem complectitur.

Tertiò ostendit Scriptura, ieiunium complecti etiam carnis afflictionem, seu corporis castigationem, & animæ humiliationem, Levit. 16. & 23. Affligetis animas vestras. 1. Esdr. 8. Prædicavi ieiunium, ut affligeremus nos coram Domino. Danie. 10. Ab illo die, quo posuisti cor tuum, ut te affligeres in conspectu Dei tui. Psal. 35. Humiliabam in ieiunio animam meam. Esdr. 9. Quod cùm audivissem evulsi capillos capitis & barbæ, & sedi mœrens. Et in sacrificio vespertino surrexi ab afflictione mea, & oravi. In his locis est verbum ענה Anaph, quod significat talem humiliationem seu afflictionem, sicut Paulus describit, 1. Cor. 9. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo. In loco verò 3. Reg. 21. ubi humiliatio Achabi in ieiunio describitur, usurpatur aliud vocabulum כנע Cana, quod humiliationem & submissionem animi significat, sicut 2. Para. 12. usurpatur. Cùm vidisset Dominus, quòd humiliati essent, dixit: quia humiliati sunt, non disperdam eos. Sicut & alterum vocabulum Anah ita usurpatur, Zeph. 2. Quærite humiliationem, si fortè absconda mini ab ira Domini, &c. Vtrumq; igitur complectitur ieiunium, & castigationem seu afflictionem corporis, & humiliationem animi. Sed in sequenti capite de fine ieiunii, hæc plenius explicanda erunt. Hoc loco volui ex Scripturæ testimoniis & exemplis ostendere, quæ ad rationem seu formam ieiunii propriè dicti pertineant, quòd scilicet ieiunium cõplectatur: I. voluntariam abstinentiam cibi per totam diem usque ad vesperam. II. abdicationem aliarum etiam deliciarum seu cõmoditatum, quibus corpus aliàs solet curari, foveri & refocillari. III. afflictionem seu castigationem corporis & humiliationem animi, ut ieiunium sit castigatio corporis, & humiliatio animi, per abstinentiam cibi, & abdicationem deliciarum seu delectationum, quibus corpori & sensibus aliàs benè solet fieri, vel ieiunium est abstinentia cibi, & abdicatio delectationum corporis ad tempus talis, qua & corpus castigetur, & animus humilietur. De causa verò finali, quod in doctrina de ieiunio præcipuum est, iam peculiari capite disseremus.

Ieiunium corporis afflictionem & humiliationẽ animi complectitur.

Ἀναγκεφαλαίωσις superiorum.

DE CAVSA FINALI Ieiunii.

Augustinus.

AVgustinus in libro de bono coniugali rectè disputat, quædam per se esse bona, & propter se expetenda, ut est sapientia, salus, &c. Alia nec per se & propter se, sed ad aliud relata & ordinata, hoc est, propter finem honestum bona & laudabilia esse. Ita ieiunium per se & propter

Ieiunium per

Verus usus ieiunii.

Hieronym.

Superstitiosus finis ieiunij.

se non est cultus Dei, Regnum enim Dei non est cibus & potus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto, & qui in his servit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus, Romanorum decimoquarto. Et esca non commẽdat nos Deo, neque enim si manducaverimus, plus habebimus, scilicet apud Deum, neque si non manducaverimus quicquam nobis deerit. 1. Corinth. 8. Sed si ieiunium iungatur pœnitentiæ & orationi, hoc est, si ieiunium ad hunc finem referatur, & ordinetur, ut caro coherceatur, subigatur, & in servitutem redigatur, ne spiritui obluctetur, & eius actiones sua, vel petulantia vel ἀκρασίᾳ impediat & interturbet, sed ut corpus habeamus obnoxium & idoneum ad res spirituales, & ad faciendum officium, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum, sed ut mens admoneatur, & fiat aptior ad affectus spirituales, utq; spiritus eò ardentius & liberius totum se dedere, & vacare possit pœnitentiæ, orationi & reliquis pietatis exercitiis, sicut exemplis mox ostendimus, Si, inquam, ad hunc finem ieiunium refera tur, tunc demum Deo probatur. Hinc Hieronymus rectè dixit, ieiunium non esse virtutem, sed gradum ad virtutem. Quando verò ieiunium sine tali relatione ita suscipitur & exercetur, quasi per se ex opere operato, sit cultus Dei, tunc Deus ostendit, se illud planè non morari. Si verò superstitiosus finis, aut impia opinio cultus, meriti, iustitiæ aut satisfactionis pro peccato ieiunio affingantur, tunc DEVS tale ieiunium prorsus reicit & abominatur: Vt Isai. 58. videri volunt velut gens, quæ operatur iustitiam, & appropinquare Deo volunt, quare inquiunt, ieiunavimus & non aspexisti, afflixim us animas nostras & nescivisti? Ecce in die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra, ad lites & contentiones ieiunatis. Nunquid tale est ieiunium quod elegi per diem hominem affligere animam suam, aut contorquere quasi circulum caput suum, saccum & pulverem sibi sternere. Nunquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domini? &c. Ieremiæ decimoquarto, cùm Dominus denunciasset populo siccitatem, sterilitatem & famem, dicit: Populus hic diligit vacillare pedibus, & non abstinet vel cohibet se, ideo Domino non est complacitum in illis, & si igitur ieiunent, non exaudiam, Zachar. 7. Populus interrogat, nunquid flebo & abstinebo mense quarto, sicut iam feci multis annis? Et respondet Dominus, cùm ieiunaretis & plangeretis, nunquid ieiunium ieiunastis mihi? Hæc ait Dominus, Iudicium verum iudicate, & misericordiam facite quisque cum fratre suo. Et noluerunt attendere, aures suas aggravarunt, cor suum ad adamantem posuerunt. Et idem vult Syracides, quando inquit, cap. 34. Homo qui ieiunat propter peccata sua, & rursum vadens, & eadem faciens, quid proficit humiliando se? Et Matth. 6. Christus inquit, cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, qui obscurant facies suas, ut videantur hominibus ieiunare, Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Luc. 18. Pharisæus inter cætera opera proponit Deo ad iustificationem etiam hoc, ieiunio bis in hebdomada, sed non descendit iustificatus.

Manife-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Manifestum igitur est jejunium per se ex opere operato, si non referatur ad veras causas finales, Deo nō probari. Imò si suscipiatur opinione Pharisaica, vel ad ostētationem, vel ad meritum, satisfactionem seu iustificationem improbari & rejici à Deo. Nam & Matth. 9. Christus opinionem, qua Pharisæi jejunabant, comparat vestibus detritis, quibus Evangelii novitas non conveniat.

Veri fines ieiunii iuxta Scripturam.

Veri autem fines pii jejunii, quod Deo probatur, in Scripturę testimoniis & exemplis liquidò ostenduntur, quòd ut res planior fit in aliquot membra seu capita totam explicationem distribuemus. Primò enim quia homo constat ex corpore & anima, & operationes animæ, prout corpus affectum est, vel impediuntur vel interturbantur, vel excitantur & juvātur, ut sint alacriores & vegetiores. In usu igitur cibi & potus, ac reliquarum corporis commoditatum, ea ratio adhibenda est, ut operationes animæ non impediantur, vel nimia seu inconvenienti repletione, vel nimis delicata cura, vel etiam nimia abstinentia. Cumq; experientia manifestè ostendat, si corpori prorsus non adhibeatur necessaria cura, seu commoda tractatio, sed vel nimia inedia, vel mala tractatione debilitetur, & malè afficiatur, tunc corpore malè habente, nec animam suis actionibus rectè defungi posse, sed eius intentionem vel impediri vel turbari. Ideò Paulus Coloss. 2. reprehendit & damnat factitias seu electitias illas religiones, quæ in cibis, quæ ipso usu consumuntur, cultum Dei constituunt, & iuxta traditiones hominum, sub specie humilitatis & severitatis disciplinæ corpori non parcunt, sed illud ita vexant, affligunt & macerant (hoc enim significant ἀφειδίᾳ) ut debitum honorem necessaria sustentatione & convenienti curatione ei non tribuant. Atq; in hac disciplinę severitate cultum Dei constituunt. Tales igitur religiones Paulus rejicit & improbat. Cumq; Timotheum Paulus ita instituat, ut ea, quę ad ministerium Evangelii pertinent, rectè expediri possit, præcipit ipsi 1. Timoth. 5. ne pergat aquam bibere, sed modico vino, propter stomachum & frequentes infirmitates utatur. Atque ideò in veteri etiam Testamento sacrificiis solennioribus convivia hilaritatis ex institutione Dei coniungebantur, Deut. 12. Et in festivitatibus comedebant pinguia & lætabantur, Nehem. 8.

Primus ut caro spiritui subiiciatur.

Rursus verò corpus cibo, potu & aliis delitiis ita potest tractari & curari, ut concupiscentia, petulantia & desidia, quibus caro Spiritui repugnare, & pias eius actiones turbare & impedire solet, excitentur, foveantur, & augeantur. In usu igitur cibi & potus, & eorum, quæ ad curam corporis pertinent, illam Scriptura adhiberi vult moderationem, ne corpus, ut animæ jumentum sicut veteres loquūtur, vel nimia repletione, vel nimis delicata tractatione incrassatum & impinguatum mentem obruat, Deuter. 32. cor gravet, Luc. 21. semen in voluptatibus suffocet, Luc. 8. & spiritui recalcitret, sed ut in obsequium Spiritui subiungatur, & in officia retineatur, ut menti sit obnoxium. Et hoc est quod Paulus præcipit, Ro. 13. agendam quidem curam corporis, sed non ad concupiscentias.

Debita corporis cura.

Ne ad concupiscentias, &c.

Illud verò non una aliqua simili forma pariter omnibus præscribi potest. Aliquando enim & in quibusdā hoc fieri potest temperantia seu sobrietate, ut 1. Thes. 5. Nos qui dei sumus, non sertamus & ebrii simus, sed vigilemus & sobrii simus, ne dies Domini velut fur nos opprimat. 1. Petr. 5. Vt adversario quærenti nos devorare, fide resistere possimus, inquit, sobrii estote, & vigilate. Et Luc. 21. Cavete ne corda vestra graventur crapula & ebrietate, ne repentinus ille dies vobis ingruat. Et sicut Salomon inquit Eccles. 10. Væ terræ, cuius principes manè commessantur: Beata terra, cuius principes vescuntur in tempore ad virium refectionem non ad luxuriam. Aliquando verò & in quibusdam severiori disciplina cohibenda & cohercenda est caro, vel abstinentia scilicet vel jejunio. Paulus 1. Cor. 9. utitur exemplo athletarum, quor ūvictus ratio exquisitissima erat. Non enim promiscuè quidvis ingurgitabant, & à multis abstinebant, ut nec corpus gravaretur, nec animi vis obrueretur, sed ut & corpus agile, & vis mentis præsens, alacris & vegeta redderetur, ad circumspectionem inferendi, excipiendi, & præcavendi ictus: Ita & ego, inquit Paulus, corpus meum subigo, coërceo, cohibeo, fugillo, obtundo. Est enim valdè illustris metaphora in verbo ὑποπιάζω, sicut enim pugil adversarium suū observat, & ictibus ac plagis cohibet, fugillat, & subigit, ita, inquit Paulus, ego corpus meum observo, & ne caro adversaria sua reluctatione spiritū de statu suo dejiciat, & subjugatū carni servum seu captivum reddat, subigo, obtundo, edomo, & subiugo corpus meum, ut in servitutem animæ seu spiritus redigatur, ne aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Illa autē subactio seu subjugatio corporis, vel mortificatio carnis fit vel temperantia, vel abstinentia, vel jejunio, vel studiis, laboribus, negotiis, occupationib. crucis, cruce, afflictionib. pavoribus, sensu iræ Dei, &c. hoc fine, ne intemperantia, petulantia & desidia carnis impediat intentionem animi, in mēditationibus & exercitiis pietatis, neve ocium & luxus pariant peccata excutientia Spiritum sanctum. Hęc vera, plana & utilia sunt, ac monstrant generalia fundamenta de fide jejunii, ac de modo, quando & quomodo, pro personarum, actionum & temporum diversitate exercitia illa suscipienda & usurpanda sint. Non enim eadem exercitia similiter omnibus præscribi, vel possunt vel debent. Hinc verò generalem jejuniorum finē, Scriptura per species deducit, sicut ordine ostendemus.

Caro coërceatur aut sobrietate aut temperantia

Aut abstinentia vel ieiunio.

Secundò Scriptura ostendit, populum Dei solitum adhibere jejunia in exercitiis seriæ, & præcipuè publicæ seu solennis pœnitentię. Exempla anteà annotavimus, Ioel 2. Ioan. 3. 3. Reg. 21. Quia enim plenus venter securitatem gignit, & exercitia pœnitentiæ vel turbat vel impedit. Vt igitur mens sine impedimentis & avocamentis excitatius & liberius posset vacare agnitioni, consideronti & meditationi, de multitudine, magnitudine, gravitate & abominatione peccatorum, ea veris doloribus & fervis gemitibus deplorare ac detestari, de comminationibus divinis cogitare, expavescere agnitione, timore ac sensu iræ Dei, ac se coram Deo demissione non simulata humiliare:

Secundus usus ieiunii in exercitiis seriæ pœnitentiæ.

humiliare. Ideo veteres in Scriptura carnem abstinentia & jejuniis subjugarunt, ne sua vel securitate, vel desidia, vel petulantia, seria illa pœnitentiæ exercitia retardaret, interrumperet, impediret aut languidiora redderet. Et sicut in genere corpus malè affectum vel afflictum animo mœstitiam inducit, ac mentem demissiorem reddit: Ita cùm pœnitentia sit justitia secundum Deum, 2. Cor. 7. ut cor vera submissione & contritione humilietur coram Deo, Psal. 51. Hoc fine Scriptura ostendit adhibita fuisse jejunia in exercitiis gravioribus pœnitentiæ. Præterea cùm in pœnitentia animus intus mœstus, solicitus & agnitione peccati ac iræ Dei, serió perculsus sit, inde sequuntur etiam foris talia signa in corpore. Quales enim sunt animæ affectiones interiores, si vehementiores & non simulati sunt, tales etiam gestus, dispositiones & significationes in corpore sequuntur, testantes de animi sive lætitia sive tristitia. Veteres igitur, ut ostenderent dolores pœnitentiæ interiores non esse leves aut simulatos, foris etiam jejuniis, & aliis gestibus luctus convenientibus, dolorem suum testari voluerunt, quod in publica ac communi pœnitentia propter exemplum utile fuit, ut alii etiam illis externis spectaculis invitarentur & excitarentur ad seriam peccatorum & iræ Dei meditationem, atque ad veram animi humiliationem. Ita describitur pœnitentia in jejunio, Ioelis 2. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, in fletu, & planctu, sacrificate jejunium, convocate cœtum, senes, parvulos, infantes, sacerdotes plorent, &c. Ionæ 3. Nec homines nec jumenta gustent quicquā, sed clament præ inedia, & convertatur quisq; à via sua mala. Et 3. Reg. 21. Nonne vides Achab humiliatum coram me, quia igitur humilis factus est coram me, non inducam malum in diebus eius. Huc pertinet etiam locus Esai. 58. qui ostendit, hunc jejunii finem, ut fit commonefactio, sicut jejunium est abstinētia eorum quæ corpus appetit, ita homines non debent cupiditatibus suis indulgere, sed eas mortificare, & si quod peccatum admissum esset, ut jejunio admoniti illud corrigerent, hoc est, jejunium debere pædagogiam esse ad pœnitentiam, dicit enim, in die jejunii invenitur voluntas vestra. Item, Adlites & contentiones jejunatis, nolite ita jejunare: sed hoc jejunium elegi, dissolve fasciculos impietatis, dimitte oppressos, & omne opus dirumpe, &c.

Exempla huius usus ieiuniorum.

Nec tamen externa illa pædagogia ita fuit necessaria, quasi sine illa pœnitentia, vel non esse vel vera esse non posset. Tota enim vita piorum fuit perpetua pœnitentia, nec tamen perpetuò jejunaverunt, sed in graviorib. & solennioribus pœnitentiæ exercitiis, quæ Christus Matt. 11. vocat pœnitentiam in sacco & cinere, adhibuerunt jejunia & reliqua signa luctus, vel tanquam irritamenta ad pœnitentiam, vel tanquam externa testimonia pœnitentiæ, quam tamen externis illis ritibus Deus non voluit alligatam esse, nec in illis subsistere, sicut inquit Ioel. 2. Scindite non vestimēta, sed corda vestra. Paulus etiam loquēs de hypocrisi in abstinentia ciborum dicit 1. Tim. 4. Exerce te potius ad pietatem, corporalis enim exercitatio ad modicum utilis est, pietas verò ad omnia utilis est. Intelligit autem pietatem cultum Dei interiorem, verbo Dei mandatum & necessarium.

Ieiunij usus fuit in luctu & calamitatibus, ut sit admonitio de peccato ut causa malorum.

Tertiò Scripturæ exempla, sicut in præcedentibus annotavimus, ostēdunt, veteres in magnis calamitatibus vel præsentibus vel imminentibus, & in luctu, adhibuisse jejunia unà cum reliquis externis signis luctus, ut essent commonefactio, non tantùm nec præcipuè propter ipsas calamitates, quæ premunt nos, dolendum esse, sed debere calamitates esse conciones legis de ira Dei propter peccata nostra, ut moveantur flagellis Dei nos compelli ad pœnitentiam. Homines enim naturaliter in calamitatibus tristantur & dolent, sed secundum Deum & ad pœnitentiam in cruce contristari & dolere, ac sub potentia manu Dei se humiliare, hoc Ecclesiæ proprium est. Et propter hanc commonefactionem in calamitatibus & in luctu susceperunt jejunia. Naturaliter quidem hoc sequitur in doloribus & luctibus gravioribus, quod David inquit, Psa. 102. Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, & oblitus sum comedere panem meum. Inde in gentium etiam luctu legimus, jejunia, aspersos pulveres, scissas vestes, &c. Sed veteres in Scriptura in calamitatibus & luctu, vel susceperunt vel indixerunt jejunia propter commonefactionem & pædagogiam ad pœnitentiam. Ita Ioel. 1. in magna calamitate jubetur indici jejunium. Et Ionæ 3. ob imminentem calamitatem ideò indicitur jeiunium, ut quisq; convertatur à via sua mala. Ita 2. Reg. 12. Cùm Deus puerum ex adulterio natum percussisset, Dauid ieiunium ieiunat, agnoscit enim esse pœnam peccati. Cumq; in cruce debeamus nos humiliare sub potenti Dei manu, sicut scriptum est, Mich. 7. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, educet me in lucem, &c. Et ieiunium serviat ad humiliationem, sicut suprà ostendimus. Hoc fine, & propter hanc causam in luctu & calamitatibus adhibuerunt ieiunia. Ita filii Israel 1. Regum 7. hauserunt aquam & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunaverunt, ac dixerunt, peccavimus Domino. Vsi enim fuerūt illi ceremonia effusæ aquæ in signum & commonefactionem humiliationis. Nos sumus coram te propter peccata, tāquam aqua hæc effusa, quæ conculcatur, diffluit & absorbetur. Adeò autem usitatum in calamitatibus, & in luctu fuit ieiunium, ut Christus Matth. 9. dicat, discipulos suos non ieiunare, quia nondum habeant causam lugendi; persecutiones autem & afflictiones allaturas luctum, tunc ipsos ieiunaturos.

Ceremonia effusæ aquæ.

Vsus ieiunij fuit in precibus solennioribus & ardentioribus.

Quartò in Scriptura usurpata leguntur ieiunia, quando vel in magnis periculis, vel in gravioribus negociis, vel post admissa peccata & lapsus, preces vel communes & solennes, & ardentiores faciendæ erant. Et illud adeo frequens est, ut Scriptura pleruntq; coniungat ieiuniū & orationē. Idq; non ea opinione, quasi propter opus operatum ieiunii oratio exaudiretur, & Deo accepta redderetur, vel quasi res petita propter meritum ieiunii impetraretur. Illa enim opinio disertè à Deo ipso reprobatur, Ieremiæ 14. Cùm ieiunaverint, non exaudiam preces eorum, quia à peccatis non abstinent, & Domino non placent. Et Esai. 58. Quare ieiunavimus & non aspexisti? Nunquid

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nunquid hoc jejunium elegi, ſe affligere, caput curvare, ſaccum & cinerem ſternere. Ita Luc. 18. Phariſæi oratio rejicitur, cùm meritum exauditionis & juſtificationis inter cætera conſtitueret etiam in eo, jejuno bis in ſeptimana. Daniel verò capit. 9. pro remiſſione peccatorum publicorum orans in jejunio, ſacco & cinere non opponit meritum jejunii ad exauditionem, ſed inquit: Non in juſtitiis noſtris proſternimus preces noſtras coram te, ſed in miſerationibus tuis multis exaudi preces ſervi tui propter Dominum, & placare propter temetipſum, &c.

Cur orationibus iuncta ieiunia fuerint

Sancti igitur in Scriptura in orationibus publicis, ſolennibus & gravioribus adhibuerunt jejunia, non Phariſaica illa opinione, de qua jam dictum eſt, ſed propter alias cauſas. Primò, quia in

I. pœnitentium oratio Deo non placet. Eſai. 1. Cùm extenderitis manus veſtras, & multiplicaveritis orationem, non exaudiam, Manus enim veſtræ ſanguinibus plenæ ſunt. Ieiunium verò partim eſt incitamentum ad ſeriam peccatorum, & iræ divinæ conſiderationem, partim eſt externum teſtimonium & declaratio interioris contritionis & humiliationis animi, ſicut paulò antè oſtendimus. Ideò, ut in vera pœnitentia ex corde contrito & humiliato preces funderent, in ſolennibus ſupplicationibus prædicaverunt, ſive indixerùt jejunia, ut eſſent commonefactio, irritamentum &

II. teſtimonium pœnitentiæ. Secundò, quia oratio nõ debet labiis appropinquare Deo, ſed ardenti animi intentione ex corde proficiſci, præſertim quando fides in oratione petit & quærit gratiam Dei & remiſſionem peccatorum, ſicut Scriptura dicit, in oratione animum ad Deum levari, & coram ipſo effundi, Pſal. 25. 1. Samuelis 1. Pſalm. 62. Saturitas verò, repletio, intemperantia ac temulentia, invocationis devotionem impediunt, turbant & extinguunt, in ſobriis verò major & ardentior eſt intentio animi in invocatione. Ideò ad excitandam, retinendam & augendam animi intentionem, & devotionem in oratione, & ad cavenda ac removenda eius obſtacula, in precibus publicis, ſolennibus & ardentioribus adhibuerunt jejunia.

Præterea & ipſa ardentior animi intentio aliàs facit, ut corporis cura negligatur. Ita 1. Samu. 1. Hanna ægra ſpiritu, cibum non capit, vinum & ſiceram non bibit, ſed animum ſuum coram Deo effundit.

Propter haſce duas cauſas Scriptura jejunium conjungit orationi, quando illa in magnis periculis, vel in negociis gravioribus, vel in articulo reconciliationis cum Deo, aut publica ſolennis

Exempla de precibus & ieiunio.

aut ardentior habenda erat: Hoc fine, Levit. 16. in die expiationis jubebantur jejunio affligere animam ſuam. Ioelis 1. & 2. Cùm in magna calamitate Eccleſia clamare vellet ad Dominum (parce Domine, parce populo tuo) indicitur publicum jejunium, & convocatio ad publicas preces præeuntibus ſacerdotibus. 2. Paralip. 20. Ioſaphat convertens ſe ad rogandum Dominum in ancipiti periculo, prædicavit jejunium univerſo Iuda, 2. Reg. 12. David rogaturus pro parvulo, jejunavit jejunium.

1. Eſdr. 8. Prædicavi tibi jejunium, ut affligeremus nos coram Deo, & peteremus ab eo viam rectam. Iejunavimus igitur & rogavimus Deum pro hac re, & evenit nobis proſperè. Nehemiæ 1. Iejunavi & oravi coram Deo.

Eſther 4. Congrega omnes Iudæos, & orate pro me, non comedetis & non bibetis tribus diebus & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis ſimiliter jejunabo. Ita Daniel capit. 9. & 10. oraturus jejunat. Actorum decimo. Cornelius orans pro majori illuminatione uſq; ad horam nonam ſedet jejunans. Actor. 12. emiſſuri Paulum & Barnabam ad miniſterium inter gentes, jejunantes & orantes imponunt eis manus. Actor. 14. conſtituentes Eccleſiis presbyteros, orant cũ jejuniis. Et hoc eſt, quod Chriſtus dicit, Matth. 17. Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, niſi per orationem & jejunium. Et Paulus 1. Corinth. 7. cùm dicit: Nolite fraudare invicem, niſi ex conſenſu, ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi. Non loquitur de precibus, quas alibi vult ſine intermiſſione perpetuas & aſſiduas eſſe, ita enim Chriſtianis coniugibus nunquam liceret coniugio operam dare: Sed de ſolennioribus & gravioribus precibus loquitur, ob quarum ardentiorem intẽtionem adhibebatur abdicatio cibi & aliarum etiam corporis deliciarum ad tempus.

Ieiunium obſeruatum tempore publicorũ conventuum Eccleſaſticorũ.

Poſtremò in Exemplis Scripturæ ſuprà annotatis etiam hoc manifeſtè apparet, tempore jejunii publicos congreſſus ſeu conventus Eccleſiaſticos fuiſſe, in quibus admonitiones de exercitiis pœnitentiæ, fidei & emendationis propoſuerunt. Ita Iere. 36. in die jejunii liber Ieremiæ legitur, & populus expaveſcens defert ad Regem, Item: tempore jejunii, in ſcelera, ſi qua admiſſa fuiſſent graviora, ſolitum inquiri, ne in totum cœtum culpa redundaret, oſtendit exemplum 3. Regum 21. Cùm enim Ieſabel fingeret Naboth blaſphemaſſe Deum & Regem, juſsit indici publicum jejunium, ut prætextu pietatis inſtitueretur inquiſitio. Et Ioelis 1. & 2. vocatur ſanctificatio jejunii, ſicut Sabbati ſanctificatio, ut ſcilicet tempus jejunii ad ſancta pietatis exercitia & opera conferretur & dedicaretur. Eſaiæ 58. Frange eſurienti panem, nudum operi, diſſolve faſciculos iniquitatis, non inveniatur voluntas tua in die jejunii, &c.

Hæc ſunt præcipua capita, ad quæ omnes cauſæ finales ſuſcepti & uſurpati jejunii, quæ in teſtimoniis & exemplis Scripturæ traduntur & oſtenduntur, referri poſſunt. Et ad veram ſeu perfectam jejunii definitionem pertinet etiam hæc indicatio de veris & piis jejunii finibus. Imò in doctrina de jejunio hoc caput præcipuum eſt, de finibus. Non enim ipſa abſtinentia per ſe, ſed finibus diverſis religioſum jejunium à prophano, gentili & Phariſaico ieiunio diſtinguitur. Et quando de reſtituendis veris ieiunii exercitiis diſputatur vel laboratur, præcipua ratio habenda eſt cauſarum finalium. Si enim tantùm externa abſtinentia imponitur, & non proponuntur veri fines, tale ieiunium Deus non curat: ſi verò ſuperſtitioſi fines ieiunio aſſuuntur, tunc Deus etiam abominatur tale ieiunium, Eſa. 58. Sed ſi fines rectè indicentur & explicentur, tunc apud pios talia exercitia ſponte ſequentur, & tunc etiã fiunt cultus, ſi ex fide propter veros fines ſint voluntaria Sacrificia.

DE

DE TEMPORE IEIVNII.

Statum ieiunium unum in V. T.

IN veteri Teſtamento unus certus dies in anno, nempe decimus dies ſeptimi Menſis, ex inſtituto & mandato divino, deſtinatus erat publico ieiunio, Levi. 16. & 23. dies ſcilicet expiationis, quando tota Eccleſia conveniebat, & communi ſeu publica pœnitentia peccata ſua, & publica & privata recogitabat, confitebatur & deplorabat, ac remiſsionem ſeu reconciliationem propter futuram Meſsiæ expiationem feria ac ardenti oratione implorabat.

Et ad excitandam, retinendam & augendam intentionem animi in illo exercitio pœnitentiæ & orationis quærentis reconciliationẽ cum Deo, adhibebant jejunium ſeu caſtigationem corporis, ſicut in præcedenti capite dictum eſt. Cumq; mutuis exemplis invicem ſe deberent invitare & excitare ad exercitium communis pœnitentiæ & orationis, ne diverſis aliorum exemplis intentio in aliis, vel turbaretur, vel langueſieret, dixit Deus: Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis ſuis.

Et additur quidem legitimum, ſempiternum, ſeu ritus perpetuò erit, ſed additur (vobis) & in cunctis generationibus veſtris. Non enim omnes populos, ſed filios Iſrael tantùm lege illa obligari volebat, idq; tandiu, donec duraturum erat vetus Teſtamentum. Erat enim pædagogica commonefactio, de promiſſa expiatione, futura per

Lex ieiunij ſtati, non obligat in novo Teſtamento.

ſacrificiũ Meſsiæ. Deus verò promittens novum fœdus, oſtendit vetus antiquandum & abrogandum, Ieremiæ 31. Ad Ebræos 8. In novo igitur Teſtamento cum reliquis Leviticis ceremoniis etjam hæc de certo ac conſtituto jejunii tempore abrogata eſt, nec ejus loco aliud certum & definitum, ſeu conſtitutum tempus ad jejunium in novo Teſtamento mandatum aut præſcriptum legimus.

Ieiunia Iudaica ſine mandato divino ſuſcepta certo tempore.

Iudæi quidem etjam in veteri Teſtamento ex κατ᾽ οἰκονομίαν quadam Legis divinæ, Levit. vigeſimotertio, ſine verbo & mandato divino humana traditione, alios etjam certos annuos dies jejuniis præſcripſerunt: Vt Zachariæ 7. & 8. Et principia fuerant probabilia: Quia enim Menſe decimo, Rex Babyloniæ cœperat oppugnare Ieruſalem, & Menſe quarto cœperat civitatem, quam Menſe quinto deſolarat, & Menſe ſeptimo interfectus fuerat Godolias, ut igitur memoria illarum calamitatum eſſet commonefactio de pœnitentia ſingulis annis, donec duravit exilium ſeu tranſmigratio, illis Menſibus obſervarunt jejunium. Soluta verò captivitate quærunt, an etjam poſtea talia annua jejunia obſervari debeant. Sed quia neglectis veris jejunii finibus huic traditioni humanæ opinionem neceſsitatis & cultus ex opere operato affinxerant, Dominus reſpondet: Non mihi, inquit, jejunaſtis. Et cap. 8. dicit: ex libera obſervatione, quæ pro ratione calamitatis illorum temporum ſuſcepta fuerat, non debere legem perpetuam fieri, cauſa illa vel ſublata vel mutata. Inquit enim, Iejunium quarti, quinti, ſeptimi & decimi menſis erit Domui Iuda in gaudium & lætitiam, & ſolennitates jucundas, ſi veritatem & pacem dilexeritis. Quæ ſententia divina ideò diligenter obſervanda eſt,

Cauſa ieiuniorũ apud Zachariam.

cùm in primitiva Eccleſia propter certas cauſas pro ratione illorum temporum, ante feſtum Paſchatis obſervarent quædam jejunia, ſequens ætas poſtea inde fecit leges jejuniorum perpetuas, idq; opinione neceſsitatis & cultus, ſicut poſtea ſuo loco oſtendemus.

Ieiuniũ duodecimi Menſis in Eſther.

Eſther 9. Iudæi ſuſceperunt ſuper ſe & ſemen ſuum jejunium duodecimi Menſis, ex conſtitutione Mardochæi, & ob recordationem calamitatis, quam tunc impendentem Deus averterat, fuit memoriale non inutile. Quod verò Eſther 9. legem perpetuam & neceſſariam inde faciunt, humana traditio eſt, ſine verbo & mandato Dei, ad quam determinatio vocis divinæ Zachar. 7. & 8. rectiſsimè accommodari poteſt & debet. Et Iudæi quidem adhuc hodie ieiuniũ illud, & quidem opinione cultus & neceſsitatis obſervant, ſed abrogatio veteris Teſtamenti nos ab illa conſtitutione Mardochæi liberavit. Et opinionem neceſsitatis ſeu legis perpetuæ, ſine verbo & mandato divino introductam & ſuſceptam, ne in veteri quidem Teſtamento Deus probavit, Zachar. 7. & 8. De opinione verò cultus in cauſa finali diximus.

An ſtata ieiunia cum opinione neceſsitatis in novo Teſtamento.

Porrò quid in novo Teſtamento ſentiendum ſit de legibus certi & ſtati temporis ieiuniorum, cum opinione neceſsitatis, oſtendit hiſtoria Matth. 9. Phariſæi enim habebant certa & ſtata tempora ieiuniorum. Similiter & Baptiſtæ diſcipuli, ſive ex Phariſæorum traditionibus hoc retinuerant, ſive quòd Baptiſta, qui vinum & ſiceram non bibebat, Nazaræorum ritu ſeu pædagogia, ad talia exercitia ſtatorum ieiuniorum & precationum, diſcipulos ſuos aſſuefecerat. Vtriq; autem coniunctim, ſicut Marcus dicit, Chriſtum adeunt, & cum ipſo expoſtulant, quòd diſcipulos ſuos non iiſdem vel ſimilibus ieiuniorum legibus aſtringat. Hîc certè locus fuiſſet, vel Phariſæorum leges vel Baptiſtæ pædagogiam de certis & ſtatis ieiuniorum temporibus in novo Teſtamento confirmare, vel alias leges de ſtatis ieiuniis diſcipulis novi Teſtamenti præſcribere. Sed Chriſtus neutrum facit, imò tales legales pædagogias comparat veteri panno, qui non ſit aſſuendus novo. Et dicit, crucem, calamitates, ac perſecutiones præbituras cauſam & monſtraturas tempus ieiunij diſcipulis novi Teſtamenti. Cùm ablatus fuerit ſponſus, tunc, inquit, lugebunt, & in luctu ieiunabunt. Notum etiam eſt, quòd Phariſæus Luc. decimo octavo, in oratione ſua coram Deo, tanquam peculiarem cultum divinum inter opera ſupererogationis iactet ſtata ſua ieiunia: Bis, inquit, in hebdomada ieiuno, ſed iudicium divinum talem cultum nec probat nec acceptat.

Scriptura nõ ſancit ſtata ieiunia cum opinione neceſsitatis.

Scriptura igitur novi præſertim Teſtamenti, non præſcribit leges de certis ſeu ſtatis ieiuniorum temporibus. Et loquar de legibus, quæ opinione neceſsitatis proponuntur.

Quando enim ordinis gratia, propter pias cauſas finales ieiunia indicuntur, tunc alia ratio eſt, ſicut mox exemplis oſtendemus. Cùm enim Scriptura ieiunandũ, & teſtimoniis & exemplis doceat, ſimul etiam oſtendit, quando illud factũ ſit, & ad imitationem illorum exemplorum liberè fieri poſsit, vel conſtat Scripturæ exem-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quando exemplo scripturæ ieiunandum.

plis sanctos in cruce jejunasse, Mat. 9. vel quando infignis aliqua calamitas accepta erat, Iudit. 20. Ioelis 2. Nehemiæ 1. vel quando magnum periculum imminebat, Ionæ 3. 2. Paralip. 20. 3. Regum 21. vel in pœnitentia sive publica, ut 1. Regum 7. Levit. 1. sive privata, ut 2. Regum 12. 3. Regum 21. vel quando in gravi negocio ardenti intentione preces faciendæ erant, 1. Esd. 8. Esther 4. Mat. 17. Actor. 10. 13. 14. vel in luctu, 1. Regum 31. 2. Reg. 3. vel ne corporis repletio animi intentiones & actiones turbaret. Ita Paulus corpus suum subigit, 1. Corin. 9. Et Levit. 10. dixit Dominus ad Aaron, Vinum & omne quod inebriat non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, doceatisq; filios Israël omnia legitima mea. Et quando ejusmodi causæ aderant, tunc erat tempus ieiunandi, & tunc etiam vel publicè indicebantur jejunia: Idq; vel à Prophetis, 1. Regum 7. Ioelis 2. vel à Sacerdotibus, 1. Esd. 8. Iudit. 4. vel ab Apostolis, Actor. 14. vel à Magistratu, 2. Paral. 20. Ionæ 2. Esther 4. vel privatim suscipiebantur, 2. Cor. 7. 2. Regum 12. 3. Regum 21. Psalm. 35. Danielis 9. & 10. Testimonia suprà ascripsimus, ideò jam loca tantùm notantur.

A quibus ieiunia indicta fuerint in V.T.

Hoc igitur modo Scriptura non præscribit necessarias & fixas leges de certis seu statis temporibus jejuniorum, sed ostendit, quando pro ratione scilicet incidentium causarum, vel indicenda vel suscipienda sint jejunia. De primitivæ autem Ecclesiæ observationibus postea dicemus.

DE MODO SEV RATIONE VICTVS *in ieiunio, & de delectu, discrimine seu prohibitione ciborum.*

Ieiunium nõ delectu, sed abstinentia ciborum definitur.

EX iis, quæ suprà de definitione jejunij annotavimus, planum ac manifestum est, jejunium juxta Scripturam non hoc esse, si quis piscibus, fructibus vel terræ vel arborum, electuariis, confectionibus, vino, sicera, &c. ventrem vel repleat vel delicatè tractet, vel si quis semel in die de piscibus aut aliis esculentis tantùm abliguriat, ut ad dirigendam ingluviem, vix sequens dies sufficiat, modò carnes, caseos, butyrum, ova, non comedat. Pisces enim & fructus terræ ad præcipuas sæpè delicias adhibentur. Et lautius profectò vivit, qui piscibus benè conditis, & fructibus lautè præparatis vescitur, quàm qui carne fumo durata, arido caseo, vel rancido butyro utitur. Et repletus seu latè tractatus venter, sive piscibus, sive leguminibus id fiat, certè non jejunat. Vino etjam carnis concupiscentiam magis & facilius irritari, quàm vel ovorum, vel caseorum esu non est dubium.

Cibi minus lauti tempore ieiunij.

Scripturæ verò exempla, sicut suprà monstravimus, ostendunt, jejunantes solitos per totum diem ita abstinere, ut ante vesperam vel occasum Solis nullum cibum sumerent, simulq; jejunantes solitos abdicare omnes delicias cum cibi & potus, tùm aliarum etjam rerum. Et quando ad vesperam tempore jejunij comedebant, non vel piscium lautitiis, vel fructuum deliciis, vel vino & sicera ventrem replebant, vel lautè tractabant, sed sicut David inquit: Cibabis nos pane lachrymarum, Psalm. 80. Cinerem ut panem comedi, & potum meum cum fletu miscebam, Psalm. 102. & Danielis decimo, Panem delicatum non comedi, caro ac vinum non introierunt in os meum.

Quia enim ieiunium est afflictio, humiliatio seu castigatio corporis, qua caro subigatur, dometur, & coerceatur, sicut suprà ostensum est, ideò ieiunantes usque ad vesperam ab omni cibo abstinebant, & posteà pro necessaria corporis sustentatione aliquid quidem de qualicunque mundo cibo comedebant, sed nec multum, nec quod vel lautum vel delicatum esset, ut moneret definitio ieiunij, quòd esset afflictio animæ, & abdicatio deliciarum corporis. Non autem ulla lege statutum, aut ulla prohibitione in Scriptura interdictum fuit, qualibus cibis tempore ieiunii vel vesci vel nõ vesci liceret, sed propriæ cuiusque voluntati relictum hoc fuit, modò ieiunium esset abdicatio deliciarum seu lautitiarum.

Ratio victus temporibus festorum & ieiuniorum.

Alia igitur, & diversa fuit ratio victus tempore ieiunii, & alia fest is seu aliis diebus. Festis enim diebus comedebant pinguia, & bibebant dulcia, ut lætarentur, Nehe. 8. Ieiunii verò tempore, quando comedebant, sine prohibitione vllius mundi cibi à lautiori tractatione abstinebant, & cibis parcioribus ac minus delicatis utebantur. Hoc tempore verò de delectu seu discrimine ciborum hæc controversia est, quòd Pontificii ieiunium in sola ciborum commutatione constituunt, ut ieiunare is fingatur, qui piscibus, terræ fructibus, vino & aliis, vel ad saturitatem, vel ad delicias, vel ad repletionem sæpè utitur, modò carne, ovis, lacticiniis non vescatur, cùm deliciæ in piscibus & fructibus sæpè maiores sint, & repletiones non minores, sæpè etiam magis periculosæ fiant ex piscibus, vino, fructibus, & similibus, quæ omnia cum ieiunii definitione pugnant.

Status quæstionis de discrimine eorum.

Præcipuum verò caput controversiæ de discrimine seu delectu ciborum, hoc est, quod Pontificii carnium & lacticiniorum usum certis diebus prohibent, & peccatum mortale esse docent, si quis illis diebus vel moderatè etiam & parcè, vel sine lautitiis & crapula carnem comedat. In abstinentia verò carnium, & usu piscium cultum Dei cum opinione necessitatis, iustitiæ & meriti constituunt. De tali ciborum delectu, discrimine & prohibitione videndum est, quæ sit Scripturæ sententia. Quæstio igitur est, An peccatum sit quosdam cibos sumere, hoc est, an quorundam ciborum usus Deum offendat, & conscientiam inquinet. Item, an quibuslibet cibis, an verò quibusdam tantùm sine peccato, hoc est, sine offensione Dei, & sine offendiculo conscientiæ, bona Dei gratia, & salva conscientia pũ uti possint. Item, An cultus Dei cum opinione necessitatis constituendus sit in cibis quibusdam, vel sumendis vel non sumendis. Certum autem est totam hanc quæstionem, quod ad forum conscientiæ attinet, pendere non ex Medicorum disciplina, nec ex hominum traditionibus, sed ex verbo, mandato, concessione, seu prohibitione divina.

Opinio peccati.

Opinio necessitatis, cultus, iustitiæ, &c.

Responsio ad hanc quæstionem statim.

Statim

Vsus creaturarum in cibo initio quo modo hominicessus.

Statim enim in principio licet omnia terræ nascentia, animalia, pisces, volucres ad usum hominis creata essent, & quidem singulorum proprietates Adamo non essent ignotæ, ut qui singulis secundum proprietatem ipsorum, & usum nomina imposuerat, & Dominus omnium constitutus fuerat, Deus tamen non voluit hominem ex creaturis illis, privato suo arbitrio, ad victum, quæ ipse vellet, rapere, Sed Deus ipse, tanquam verus in magna sua domo Paterfamilias, peculiari verbo, illa quæ ex creaturis volebat, homini ad fruendũ dedit, Gen. 1. ut per verbum & in verbo, quasi ex manu Dei, victum accipientes, primi parentes cum suis posteà in ipso usu dona Dei agnoscerent & celebrarent, atque ita pietatem erga Deum etiam in externis cibis exercerent.

Terræ nascentia in cibum concessa hominiinitio, non caro

Verbo enim illo concessionis & oratione, quàm ex verbo illo fides extruebat, sanctificabatur, & cum gratiarum actione sumebatur, sicut Paulus loquitur.

Et in principio quidem terræ nascentia hominibus in cibum Deus concessit, Gen. 1. Et si quis tunc ante diluvium animalium, volucrum, vel piscium carnes ad cibum rapuisset, absq; dubio peccasset, non quòd caro per se tunc fuisset immunda (erat enim bona Dei creatura creata ad usum) sed quia verbo Dei concedente & præbente illam ad victum humanum, non sanctificabatur. Hoc enim vult Paulus quando dicit, cibum sanctificari per verbum Dei, hoc est, quòd usus cibi inde reddatur sanctus, hoc est, licitus, ut bona Dei gratia & salva conscientia usurpari possit, si habeat verbum Dei, quo concedatur seu præbeatur ad fruendum.

Carnis usus in cibum concessus post diluvium.

Post diluvium verò, Gen. 9. Deus peculiari verbo concedit, ut omnium animalium terræ, volucrum, & piscium carnibus, tam liberè vescantur homines, sicut ante diluvium oleribus viren tibus. Et in universali illa concessione nulla ponitur exceptio (dicit enim, omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, quasi herbam virentem dedi vobis omnia) nisi quod addit, carnem cum sangvine suo non comedetis, ne scilicet ex animalium occisione homicidia etjam vobis licere existimetis. Quod enim Gen. 7. ante diluvium ponitur, distinctio inter animalia munda & immunda non potest certò ostendi, quòd ad victum seu usum habita tunc fuerunt quædã animalia immunda. Ante diluvium enim prorsus nullorum animalium carnibus vesci concessum erat. Quorsum igitur tali distinctione, quod ad cibum attinet, opus fuisset? De sacrificiis igitur etjam ante diluvium usitatis, ad quæ animalia quædam munda, quædam immunda erant, locus ille simplicissimè intelligitur.

De mundis & immundis animalibus ante diluvium.

Distinctio animalium mundorum & immundorum sub Mose.

Sed sub Mose Levit. 11. & Deut. 14. Deus sua voce tale discrimen fecit, quòd ex animalibus, avibus & piscibus quædam in cibum concessit, quæ dam verò comedenda prohibuit & illa munda, hæc verò immunda vocavit, nõ quod aliqua per se essent immunda, vel à bono Deo mala creata, vel à malo aliquo principio mala facta, vel à Deo maledicta, ut per se vescentis conscientiam inquinarent. Quod enim ad cibum attinet, Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendũ, si cum gratiarũ actione sumatur, 1. Tim. 4. Id quod post diluvium, Gen. 9. & in novo Testamento sua concessione Deus ipse monstravit, sed ut pædagogia quadam veterem populum ad verbum suum ita alligaret, ut ne cibos quidem, sine certo verbo Dei sumere auderent. Ideo sub Mose pædagogo quosdam cibos verbo suo concesit, quosdam verò prohibuit. Et qui tunc cibis à Deo prohibitis vescebantur, illi peccabant, & Deum offendebant, ac conscientiam suam inquinabant, non ratione substantiæ cibi, sed inobedientiæ contra verbum Dei. Vt enim usus cibi sit sanctus, hoc est, ut à fidelibus bona Dei gratia & salva conscientia sumi possit, hoc pendet ex verbo Dei, quo si cibus concedatur, tunc sanctus est, si verò prohibeatur, immundus est.

Causa huius distinctionis Leviticæ

Causæ discriminis ciborum V.T.

Et variæ quidem afferri possunt rationes illius discriminis ciborum à Deo instituti. Quidam enim ex cibis illis prohibitis videntur tales esse, à quib. natura quodammodo abhorreat. Sed Deus in illa constitutione non Physicum, aut medicum finem sibi propositum habuit, sed Ecclesiasticam veteris Testamenti pædagogiam. Verio res igitur & certiores causæ hæ sunt. Primo, quòd Deus Iudaicam religionem, à reliquis gentibus etjam hoc externo discrimine, distinctam esse voluit. Ezech. 4. Dan. 1. 2. Machab. 6. & 7. &c. Secundò, quòd discrimine illo ciborum mundorum & immundorum Deus pædagogicas quasdam figuras, significationes seu commonefactiones, de cavenda immunditie & abominatione peccati, ac sectanda vitæ sanctimonia, populo veteris Testamenti proponere voluit, quas in specie explicari nõ est hujus loci. Tertiò, quòd Deus voluit monere, populum suum debere verbo suo alligatum esse. Quartò, quòd voluit obedientiam veteris populi ita probare, cùm verbo suo prohiberet quædam, quæ per se non erant mala vel noxia, sicut Adami obeditionem prohibitione ligni scientiæ boni & mali probavit. Sed quicquid sit de causis illis, nobis hoc loco sufficit, sanctificationem cibi ad usum licitum pendere ex verbo Dei, concedentis & præbentis cibos ad fruendum, quo verbo quando destituuntur homines, ut ante diluvium de carnibus, vel quando habent verbum prohibens, ut sub Mose, tunc non possunt, sine læsione conscientiæ, & offensione Dei, cibis illis uti.

I.

II.

III.

IIII.

Casus necessitatis.

Exceptus tamen etjam in veteris Testamento fuit casus necessitatis. 1. Reg. 21. Marc. 2 de panib. propositionis & dispensationis, Ezech. 4. Erat enim tantùm ceremonialis seu temporalis pædagogia, non moralis prohibitio.

Mosaica lex de ciborum discrimine abrogata est tempore novi Testamenti.

Tandem verò in novo Testamento, unà cùm reliquis Leviticis Ceremoniis etjam lex Mosaica, constitutio seu pædagogia discriminis ciborum per Christum prorsus est abrogata, tradita peculiari & manifesto verbo, quo exceptiones illæ, quæ vel ante vel post diluvium, sub Mose fuerunt, relaxantur, & omnes cibi à Deo ad sumptionem creati ita sanctificantur, ut sine peccato, hoc est, sine offensione Dei, & læsione conscientiæ, imò cum bona Dei gratia, & salva conscientia à fidelibus usurpari possint, si cum gratiarum actione sumantur, ut Matth. 15. Quod ingreditur in os, non inquinat hominem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Titum 1. Mundis omnia sunt munda. 1. Tim. 4. Non prohibendi sunt cibi, quos Deus creavit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs, qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reiciēdum, si cum gratiarum actione sumatur. Sanctificatur enim per verbum & orationem. Rom. 14. Scio & persuasum habeo in Christo Iesu, nihil esse commune, seu immundum per seipsum, nisi ei, qui existimat aliquid immundum esse, immundum est. 1. Cori. 10 Omne quod in macello venditur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam: Domini enim est terra, & plenitudo ejus. Colos. 2. Nemo vos judicet in cibo & potu. Et Actor. 10. Visione coelesti voce ter repetita doctrina privilegium illud confirmatum est, Quæ Deus purificavit, tu communia ne dixeris.

Propter infirmos aliquandiu tolerata sunt hæc Levitica V. T.

Et initio novi Testamenti cùm ex Iudæis multi ad fidem Christi conversi, reliquos quidem fidei articulos amplecterentur, hoc verò caput de ciborum libertate nondum vel intelligere vel capere poterant, atq; ideò olus manducabant, ne si ex macello à Christianis vel gentibus mactatum manducarent, vel aliquid in lege interdictū, vel unde sangvis non purè esset effusus, vel quòd idolis immolatum esset, sumerent. Sicut propter illam ipsam causam quatuor pueri, Dan. 1. nolunt cibis de mensa Regis vesci, ne contaminētur, sed petunt legumina sibi dari. Apostoli igitur judicaverunt, infirmitatem fidei talium esse tolerandam, nec indiscreto & intempestivo usu libertatis tales infirmos & dociles esse cōtristandos aut offendendos, ne ideo à tota Evangelii doctrina abterrerentur. Rom. 14. Act. 15 Postea verò cùm præfracti & obstinati legale illud discrimen ciborum opinione necessitatis ita urgerent, ut contenderent, eos peccare, Deum offendere, & conscientiam inquinare, qui quibuslibet cibis circa delectum vescebantur, & in abstinentia legalium ciborum cultum Dei & justitiam collocarēt: Apostoli magna vehementia hanc partem Evangelicæ veritatis seu libertatis, & doctrina & exemplis asserverunt; ac contrariam sententiam acriter refutarunt. Col. 2. Nemo vos judicet, hoc est, conscientiæ scrupulum injiciat, vel condemnet, ob cibum aut potum. Et addit rationem gravissimam. Hæc inquit, fuerunt umbra futurorum, corpus autem Christi, hoc est, discrimina illa legalia ciborum & dierum fuerunt adumbrationes, & prima quasi lineamenta personæ & officii Christi venturi, quia verò Christus, corpus illarum adumbrationum, jam exhibitus est, cessarunt umbræ. Et qui umbras illas legali opinione nunc vellet consectari, is ipso facto negaret Christum esse exhibitum. Est enim in dicto Pauli metaphora, à pictoribus sumpta, qui primùm lineas quasdam ducunt, & adumbrationes figurant, juxta quas ipsum corpus picturæ perficiunt & absolvunt. Absoluto verò ipso corpore picturæ, umbræ illæ obliteratæ cessant.

Libertate Christiana abolitæ sunt leges Mosaicæ.

Metaphora Pauli Col. 2. de umbris.

Talem comparationem Paulus fecit inter figuram veteris Testamenti, & inter Christum exhibitum. Et Galat. 2. Paulus ideò Petrum publicè & graviter reprehendit, quòd præfractis Iudæis, qui quærebant libertatem Evangelicam in servitutem legalem rursus reducere, aliquid hac in parte, vel simulando, concederet. Et rationem addit gravissimam. Non recto pede incedebat ad veritatem Evangelii. Item ut Evangelii veritas permaneret, ne ad horam quidem cessi. De abrogatione igitur legalis seu Mosaici discriminis ciborum in novo Testamento, res plana, manifesta, & nunc quidem extra controversiam est.

Status quæstionis cum Pontificiis.

Supereſt verò illa quæstio, de qua inter nos & Pontificios controversia est, cùm in novo Testamento, abrogato legali ciborū discrimine, Christus concesserit liberè quibusvis cibis, quo ad cōscientiam vesci, possit ne in Ecclesia novi Testamenti per hominum traditiones, statuta & decreta discrimen aliquod ciborum, quo ad conscientiam, constitui & mandari, ita ut certis diebus in certorum ciborum manducatione peccatum, in abstinentia verò cultus Dei constituatur. Hoc enim est, quòd Pontificii in hoc articulo de delectu ciborum contendunt, Sed in Scriptura habemus fundamenta explicationis hujus quæstionis manifesta & firma. Vt Acto. 10. divina hæc vox ter ad Petrum repetitur: Quæ Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Et Colos. 2. Paulus primùm tractat de abrogatione discriminis legalis, quod verbo & mandato divino sancitum erat, postea loquitur etiam de doctrinis, decretis & mandatis hominum constituentium: Ne tetigeris, ne gustaris, ne contrecteris. Hæc enim non posse de legali seu Mosaico ciborum discrimine intelligi, inde patet, quia vocat doctrinas & præcepta hominum, cùm Mosaicum discrimen verbo & mandato divino sit sancitum. Et argumentatur Paulus à maiori ad minus, si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, hoc est, si in Christo à Levitico discrimine ciborum, quod mandato divino sancitum erat, liberati estis. (legales enim pædagogias, quas paulò antè umbras vocarat, jam in hac sententia στοιχεῖα, quasi primas delineationes appellat) cur decretis juxta doctrinas & mandata hominum tenemini: Ne gustaveris? &c. Hanc esse Pauli sententiam contextus manifestè ostendit. Est enim collatio inter abrogationem discriminis ciborum, quod in veteri Testamento, voce divina, sancitum erat, & inter decreta juxta hominum doctrinas, & mandata, de non gustandis quibusdam cibis facta. Et argumentatio gravissima est, si à Levitico ciborum discrimine, quod tamen divino mandato sancitum fuerat, in Christo liberi facti estis, ut jam nec peccatū in usu, nec cultum in abstinentia illorum ciborum collocare debeatis.

An Ecclesia possit cibos quosdam prohibere.

Argumenta Pontificiorum pro ciborum delectu adducendo à Paulo loco citato.

Multò minus igitur aliis decretis, quæ juxta hominum doctrinas & mandata prohibent, quo minus eorundam ciborum usum (ne gustaveris) teneri debetis. Et illa ipsa argumenta, quæ Pontificii pro suo ciborum delectu stabiliendo adducere solēt, Paulus in illo loco attingit & rejicit. Habent, inquit, illa decreta speciem sapientiæ, quòd sint ἐθελοθρησκείαι, voluntarii, spontanei, seu electitii cultus, quodq; ad macerationem corporis & animi humilitatem faciant. Sed vos, inquit, cum Christo mortui estis ab hujusmodi elemen-

tis mundi, & cum ipso conresurrexistis, ut scilicet cultui spirituali in ipsius regno operam detis. Cibi verò ipso usu absumuntur. Ideo, sicut Roman. 14. inquit, Regnum Dei non est esca aut potus. Item 1. Corinth. decimo, Esca non commendat nos Deo, sive enim quid vis edamus, sive à quibusdam abstineamus, nihil amplius in regno Dei habebimus. Et Ebræor. 13. Bonum est gratia stabiliri cor, non escis, quæ non profuit his, qui in illis ambularunt, hoc est, qui discrimen illud superstitiosè observarunt, post revelatum Evangelium.

Argumentū Pontificiorū ductum ex κατοχῇλίᾳ V.T.

Hæc valdè illustris est explicatio huius quæstionis, & gravissima refutatio humanarum traditionum, & Pontificiorum Decretorum, de ciborum delectu, discrimine & prohibitione. Solent enim Pontificii ita argumentari, Omnibus temporibus in populo Dei fuit delectus seu discrimen ciborum, ut in Paradiso prohibita erat arbor scientiæ boni & mali. Ante diluvium carnes non erant permissæ: post diluvium sangvinis usus prohibitus erat: Sub Mose varii cibi interdicti erant. Ergo in novo Testamento debet esse delectus aliquis ciborum. Sed ex hoc loco Pauli sumitur vera responsio, Deus enim discrimen illud in Paradiso ante diluvium, post diluvium, & sub Mose, sua voce instituit & sancivit: In novo verò Testamento Deus sua voce nullum discrimen ciborum, quo ad conscientiam, constituit, sed abrogatis omnibus veteribus ciborum discriminibus verbo suo libertatem omnium ciborum in novo Testamento concessit.

Refutatio.

Exceptionem Ecclesiæ auctoritate sancitā.

Sed excipiunt, Ecclesia constituit aliquem delectum, & ei debetur obedientia: Quid verò Paulus Colos. 2. respondeat, jam ostensum est. Si Leviticum ciborum discrimen divino mandato olim constitutum, jam in novo Testamento nos non obligat, cur decretis juxta doctrinas & mandata hominū de non gustandis quibusdam cibis factis, teneremur, vel onerari nos pateremur? Similiter quando adducunt argumenta de mortificatione carnis, de humilitate animi, de voluntariis cultibus, Paulus illa ipsa argumenta in forma recitat, & dicit quidem ea habere speciem sapientiæ, sed tamen rejicit ea ex fundamento libertatis Evangelicæ & cultus spiritualis in novo Testamento.

Mortificatio carnis, humilitas animi, &c.

Quod autem ad verum jejunium attinet, quod cōsistit in abdicatione omnium delitiarum corporis, quod ad subigendum corpus utile est, in præcedentibus explicavimus Scripturæ sententiam. Ad hoc verò iste ciborum delectus, de quo Pontificii dimicant, nihil facit, sicut ostendimus. Et opiniones Pontificiorum de suo ciborum delectu, quòd scilicet illi assumunt opinionem necessitatis, cultus, meriti, & justitiæ, prorsus cum veris pii jejunii finibus, quos paulò antè ex verbo Dei ostendimus, pugnant.

Secunda refutatio figmenti Pontificii, de ciborum delectu, ex loco 1. Tim. 4.

Alius locus continens illustrem refutationem doctrinæ Pontificiæ de ciborum delectu, sicut ab ipsis traditur, extat 1. Timoth. quarto, Vbi Spiritus sanctus disertè denunciat, fore Spiritus impostores in posterioribus temporibus, qui præcepturi sint abstinere à quibusdam cibis, in hypocrysi, hoc est, sub simulatione externæ sanctitatis, cùm intus conscientia sit impura seu cauterio notata.

Quomodo Pontificii locum, 1. Tim. 4. conentur eludere.

Et Pontificii quidem admodum sudant, ut hoc fulmen Spiritus sanctus à suis capitibus divertant, contendunt enim Paulum loqui de Tatianis, Manichæis, Priscillianistis, qui finxerunt, carnes vel per se esse immundas, vel Diaboli felle contaminatas, sed concedatur sanè, Paulum de illis hæreticis locutum, non tamen ideò Pontificia prohibitio ciborum libera evadet. Non enim de una aliqua persona, vel de una singulari aliqua secta Paulus loquitur: Sed loquitur de omnibus doctrinis prohibentibus abstinere à quibusdam cibis, quibuscunque temporibus Apostolorum seculum illud fiat, maximè verò postremis temporibus.

An de solis Tatianis P. loquatur 1. Tim. 4.

Inepta enim est elusio dicere Tatiani, Manichæi, &c. qui olim conscientiæ causa prohibuerunt usum quorundam ciborum, peccarunt contra dictum hoc Pauli. Ergo si quis postillos vel similiter, vel sub alio prætextu jubeat abstinere à quibusdam cibis, non peccat sed rectè facit: Ac si dicerem: Paulus scribit contra Pseudoapostolos, qui justitiam operum justificatione fidei miscebant. Ergo qui nunc alio prætextu, operibus nos justificari docent, non peccant, sed rectè faciunt, vel quòd Paulus scribit de scortatione, impletum est in Corinthiis. Ergo ad nostri vel alterius seculi scortatores non pertinet. Et locus Pauli non tam de illis, qui cibos crassa accusatione, quasi à Diabolo essent, damnant, agit, quàm de illis, qui ob hypocrisin, speciem seu ostentationem externæ sanctitatis jubent à quibusdam cibis abstinere, sicut & Colosſ. 2. Speciosa decreta de non gustando rejicit. Fundamenta certè quæ Paulus prohibitioni istī ciborum, de qua 1. Tim. 4. loquitur opponit, generalia sunt, contra quasvis prohibitiones ciborum, quæ fiunt prætextu sanctitatis & cultus, ideò enim hypocrisin in textu nominat. Veritatem igitur nominat, quam fideles in novo Testamento agnoscere debeant, quòd scilicet omnis creatura Dei bona sit, & nihil rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur, hoc est, sicuti ipse explicat, quòd omnes cibi à Deo creati bona conscientia sumi possint cum gratiarum actione. Et ideò omnes illos, qui contra hanc veritatem iubent à cibis abstinere, quacunque hypocrisi illud fiat, ut conscientiis cauterium, si non abstinuerint, inurant, taxat & damnat. Hæc luce meridiana clariora sunt in loco Pauli.

Et jam colligantur encomia dogmatis seu decreti jubentis abstinere à quibusdam cibis sub prætextu sanctitatis seu cultus, sunt inquit Paulus, spiritus impostores, doctrinæ dæmoniorum, hypocritæ, falsiloqui, apostatæ à fide, cauteriatam habentes conscientiam. Nec relevat Pontificios, quòd non imperpetuum, sicut alii hæretici, sed certis temporibus seu diebus jubēt à quibusdam cibis abstinere. Paulus enim ipsam prohibitionem damnat, & est prohibitio sive sit perpetua, sive certi temporis. Nec disputat Paulus quanta temporis præscriptio requiratur in hac prohibitione, ut fiat vel sit peccatum, sed ipsam prohibitionem damnat. Et sicut ineptè diceretur, eum quidem, qui semper scortatur peccare,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui verò certis temporibus hoc faciat, non peccare. Similis est & hæc elusio: Eum quidem peccare, qui cibos quosdam in perpetuũ prohibeat, qui verò certis temporibus hoc faciat, cum rectè facere: cùm tamen utrunq; fit contra hanc Evangelij veritatem, quòd omnium ciborum sumptio libera sit, quoad conscientiam. Et hac ipsa elusione Pontificij tanquam suo se gladio jugulant: fatentur enim hæreticum esse, si quorundam ciborum usus in perpetuum prohibeatur: Et tamen apud ipsos Carthusienfibus, sub titulo majoris sanctitatis, meriti & perfectionis, in perpetuum prohibetur usus carnium. Ac Gregorius Septimus Romæ in concilio Monachis, præcipuè verò Benedictinis, ut sanctioribus, in universum carnem prohibuit: reliquis verò, ut imperfectioribus, certis tantũ diebus prohibitionem illam imposuit.

Gregorius VII.

Illæ superstitiosæ leges & opiniones de ciborum discrimine necessariò taxandæ sunt in Ecclesia. Paulus enim 1. Timoth. 4. cùm doctrinam dæmoniorum de prohibitione ciborũ damnasset, subjicit: De his si commonefeceris fratres, bonus eris minister Christi.

Et hæc patres Concilij Tridentini debuissent in suo Decreto explicare, superstitiosas opiniones rejicere, & pravos abusus corrigere, & Ecclesiæ libertatem Evangelij restituere, ut ex Scripturæ fundamentis vera Christiani jejunii ratio, monstratis piis, salutaribus, & verbo Dei consentaneis finibus Ecclesiæ restitui posset. Sed Tridentinum Decretum jejunia & ciborum delectum, nulla addita vel superstitionum vel abusuum correctione ita cum obsequendi obligatione & necessitate proponit, ut non obscurè totam lernam superstitionum Papistici jejunij, de quibus paulò pòst in specie dicemus, retinere, stabilire, & cõfirmare moliatur. Præmittit enim in Decreto de ciborum delectu & jejunio, ut pastores illa omnia, quæ Romana Ecclesia statuit, quibuscunq; fidelibus commendent, ut illis sint obsequentes. Qualia verò illa in hoc articulo de jejunio sint, paulò pòst detegemus.

DE PONTIFICIIS CIBORVM CONsecrationibus, Et quomodo iuxta Paulum cibus verbo & oratione sanctificetur.

Pontificij cõgruunt cum veterib. hæreticis in dogmate de ciborum delectu & prohibitione.

LAborant quidem Pontificii magno conatu amoliri suspicionem istam, quasi cibos quosdam prohibeant, ea opinione, sicut olim Tatianus, Manichæi, Priscillianistæ, quasi scilicet vel maledicti sint, vel à Diabolo occupati, ac propterea conscientiã inquinent, sed argumenta quibus suam prohibitionem ciborum ante hæc tempora probare & stabilire conati sunt, & Pontificiæ consecrationes creaturarum seu ciborum, prorsus ostendunt, in eodem ipsos luto cum antiquis istis hæreticis hærere. Inter reliqua enim argumenta quibus prohibitionem carnium probare voluerunt, fuit & hoc unum, quia scilicet Gen. 3. terra à Deo maledicta legitur, & per consequens etiam animalia, quæ in terra vivunt, non autem aqua cum piscibus. Non dicam quàm inepta sit hæc argumentatio, eadem enim consequentia panes, herbas, olera, radices, fructus prohibere deberent. Et quare volucrum carnes prohibent, cùm aër nõ legatur maledictus, nisi forsitan aviculæ maledictionem inde contrahant, quòd terræ aliquando insident, sed cur non etiam pisces, cùm fluviorum fundum sæpius attingant. Possem evidenter ostendere, quòd Deus ipse explicet, quomodo maledictionem terræ intelligat, quia scilicet spinas & tribulos germinabit, & in laborib. & sudore vultus ex ea comedes. Quodq; illa maledictione animalia non fecerit ad esum immunda, ipse post diluvium ostendit, concedens esum carnium, Gen. 9. Possem etiam per instantiam opponere de piscibus, quòd Deus sub Mose quædam indicarit ad cibum immunda, nõ tantùm ex animantibus terræ, verumetiam ex piscibus aquarum, & ex aviculis, quæ originem habent ex aquis, & in aere volitant. Sed hoc loco tantùm volui ostendere, Pontificios esum carnium certis diebus prohibuisse, ideò & ea opinione, quòd sentiant carnes animalium maledictas, & per se immundas esse. Hoc enim argumentationibus suis manifestè ostendunt.

Nota quam causam Pontificij adserant prohibitionis carnium.

Aliud argumentũ eiusdem farinæ.

Simile est & illud argumentũ, quo usi fuerunt, ideò scilicet in jejuniis abstinendum carnibus, & vescendum piscibus, quia Christus legitur non comedisse carnes, sed pisces, panes, mel, &c. Ergo sentiunt hos cibos per se esse sanctiores & mundiores, quàm carnes. Imò non obscurè dicunt, carnium eam esse immundiciem, quòd in homine pravas carnis concupiscentias excitent. An hæc procul absint à Tatianorum & Manichæorum fundamentis, Lector judicet. Venit mihi hoc loco in mẽtem fabellæ cujusdam, aliquando scilicet sacerdoti, ex hisce argumentis declamanti contra esum carnium, simplicem quendam Laicum opposuisse, quòd Christus carnẽ, & quidem assam, agni scilicet Paschalis, cum discipulis suis manducarit, Sacerdotem verò vi & evidentia objectionis constrictum, cùm aliud quod responderet non haberet, dixisse: verum est, Christus quidem comedit carnem, & quidem ante Pascha, hoc est, in Quadragesima, sed valdè malè ipsi convenit, mox enim postea ligatus, cẽsus, flagellatus, & cruci affixus est.

Nota fabellam.

Ex consecrationibus ciborum pontificiis colligitur Causa prohibitionis eorum.

Omnium verò clarissimè causa prohibitionis ciborum quorundam in Ecclesia pontificia inde colligitur, quòd in consecrationibus suis expressis verbis petunt, ut diaboli vis ac potestas à creaturis expellatur, & per consectationes hoc accipiant, ut sint sanitas mentis & corporis. Ergo sentiunt creaturas per se, & prohibitis temporibus, quando non consecrantur, à potestate diaboli infectas, inquinare, & corpus & animam, nisi diabolus pontificiis execrationibus inde exorcisetur. Hæc certè sunt ipsissima fundamenta Tatianorum & Manichæorum, quos cùm damnare se simulent, quomodo suã prohibitionem jisdem fundamentis subnixam, defendere possint, Lectoris sit judicium. Adscribam autem formulas aliquot talium consecrationum Papistiarum, ut ex ipsorum verbis, preculis, & agendis, Lector de sententia ipsorum statuat.

Formulæ cõsecrationum Papisticarũ ciborum.

Aqua.

Aqua igitur ita benedicitur apud Pontificios: Exorciso te creatura aquæ, ut omnis virtus adversarii ab hac creatura aquæ eradicetur & effugetur.

Benedictio

Frondium & florum.

Benedictio frondium & florum: Exorciso te creatura frondium & florum, in nomine Patris, &c. proinde omnis virtus adversarii, omnis exercitus Diaboli, omnis potestas inimici, omnis incursio dæmonum eradicetur, & explantetur ab hac creatura.

Agni Paschalis.

Benedictio agni paschalis: Dignare Domine quæsumus benedicere & sanctificare hasovium mundare carnes, ut quicunq; ex populis tuis fidelibus comederit, omni benedictione cœlesti, & gratiæ tuæ saturitate, in bonis repleatur.

Casei.

Benedictio casei: Dignare benedicere & sanctificare hanc creaturam casei, ut quicunq; fidelium tuorũ de ea comederint, omni benedictione cœlesti & gratiæ tuæ sanctitate repleantur.

Panis & laganorum.

Benedictio panis & laganorum: Benedic Domine creaturam istam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut omnes gustantes ex ea, accipiant tam corporis quàm animæ sanitatem.

Benedictio generalis.

Benedictio generalis: Benedic Domine creaturam istam, ut sit remedium salutare generi humano, & præsta per invocationem nominis tui, ut quicunq; ex ea sumpserit, corporis sanitatem & animæ tutelam percipiat. Item, Tu Domine mitte Spiritum tuum sanctum in hanc creaturam, ut qui ex ea gustaverint, proficiat illis ad æternam salutem.

Vini in die Iohan. Evangelistæ.

Benedictio vini in die Iohannis Evangelistæ: Benedicere & sanctificare digneris hanc creaturam vini, ut quicunque ex ea gustaverint, per intercessionem Mariæ & Iohannis Apostoli, vitam consequantur æternam, & extinguatur ab omnibus dignè sumentibus, si quid venenosum sumpserint. Itẽ benedicere digneris hanc creaturam vini, ut omnes ex eo sumentes, expulso omni nocivo gustu infuso tuæ benedictionis mysterio, mereantur in corpore & anima misericorditer exhilarari. Item: Benedic huius substantiam vini, ut qui de ea quantumcunq; sumpserint, vitam consequantur sempiternam. Benedic hanc creaturam vini tua sancta benedictione cœlesti, ut omnibus, cum fide, reverentia, & gratiarum actione ex ea sumentibus, sit salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & venenata & immunda, utq; universas inimicorum insidias tutamentum. Benedictio Trinitatis descendat super hanc creaturam vini, ut sit omnibus ex ea sumentibus remedium contra periculum corporis & animæ, & præguſtatio ad vitam æternam.

Has formulas consecrationum Papisticarum ideo adscripsi: ostendunt enim quòd sentiant, creaturas per se, vel diaboli potestate infectas, vel certè etiã mundis non esse mundas, nisi consecrationibus istis purificentur. Atque ideo diebus prohibitis, quando consecrationibus istis destituuntur, non posse bona conscientia sumi. Quòd verò fingunt, suis istis consecrationibus, sine mandato & permissione divina, creaturis conferri virtutem largiendi sumẽtibus salutem corporis & animæ, ac vitam æternam, magicum & blasphemum est: Sacramentorum verò alia ratio est, quæ habent expressum mandatum & promissionem divinam, de quibus suo loco dictum est.

Origo Papi-

Ortæ autem sunt Pontificiæ istæ consecratio-

Sticarum consecrationum

nes ex siniſtro intellectu sententiæ Paulinæ, quæ dicit, creaturam sanctificari per verbum Dei & orationem. Quia enim in suis consecrationibus utuntur verbis quibusdam Scripturæ, & certis preculis, sentiunt, inde creaturis præter physicas, alias & novas virtutes, vel ad remedium corporis, vel ad sanctificationem & salutem animæ conferri.

Explicatio dicti Paulinĩ 1. Timo. 4.

Sed verba Paulinæ sententiæ hæc commenta manifestè refutant, & verum ac utilem sensum ostendunt: Primò enim Paulus nequaquam sentit, creaturas per se vel malas vel immundas esse, atq; ideo opus ipsis esse sanctificatione. Expresse enim dicit: Omnem creaturã Dei bonam esse, & nihil rejiciendum, ac cibos bonitatem illam inde dicit habere, quia Deus illos creârit ad sumendum. Secundò loquitur de sanctificatione, non sicut homo sanctificatur per Spiritum sanctum, vel sicut Sacramenta sanctificantur, nec etiam, ut cibi novas & alias virtutes præternaturales accipiant. Si quis enim totum Evangelium Iohannis legeret super ova, ac peteret, ut acciperent virtutem globorum tormentariorum, Aut si super olus aduſtum totum Psalterium recitaretur, ut inde sapor eius mutaretur, non tantùm fruſtrà illud fieret, sed nomen Dei invanum assumeretur, quia nec mandatum Dei, nec promissionem ea de re habemus: sed loquitur de tali sanctificatione, sicut 1. Cor. 7. dicit. Virum infidelem sanctificari per uxorem fidelem, quia scilicet usus seu cohabitatio coniugalis fideli personę munda & licita est, qua bona Dei gratia & salva bona conscientia uti potest. Atq; ideo Paulus 1. Timoth. 4. utitur his verbis: διὰ μεταλήψεως ad sumptionem cum gratiarum actione. Tertiò non quodvis vel qualecunq; verbum Dei intelligit, nec de quibuscunq; preculis loquitur, sed certum verbum Dei ostendit, de creatione scilicet & usu creaturarum seu ciborum: Nempe quòd omnis creatura Dei bona sit, & nihil rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur, quodq; Deus cibos crearit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus & iis, qui agnoverunt veritatem. Hæc enim sunt verba Pauli, quibus ostendit, quodnam verbum Dei intelligat, per quod cibus sanctificetur, scilicet, Primò illud verbum, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Omnis enim creatura Dei bona, & nihil rejiciendũ. Secundò, quòd Deus peculiari verbo, quasi aperiens manũ suam concesserit & dederit homini cibum, Genes. 1. Tertiò licet ante diluvium tantùm terrę nascentia fuerint in cibum concessa, & sub Mose quædam excepta seu prohibita fuerint, quod in novo Testamento certo verbo Deus ostenderit, nullum cibum iam esse immundum, quo sine peccato vesci non liceat, sed Deum purificasse omnes cibos, Actorum 10, ut scilicet mundis omnia sint munda, Tit. 1. Et ideo Paulus, 1. Timoth. 4. addit fidelibus, & iis, qui agnoverunt veritatem. Constat igitur & certum est, quodnam verbum Dei Paulus intelligat, & ex verbo colligi debet, qualem orationem & gratiarũ actionem intelligat. Oratio enim debet ex fide procedere, fidem autem oportet certo verbo Dei niti. Cùm igitur verbum hoc loco certum sit, certa etiam est forma orationis, scilicet iuxta verbum illud. Hinc

Quomodo verbo Dei sanctificetur creatura.

I.

II.

III.

III.

Qua gratiarum actione sanctificetur

Universidad de Deusto
Biblioteca

manifestum est, verba & preculas, quibus Pontificii in suis consecrationibus utuntur, non esse illud verbum & illam orationem, de qua Paulus loquitur, 1. Timoth. 4.

Cur verbum & oratione fideles adhibeant in usu ciborum.

Vult autem Paulus illud verbum Dei, de quo diximus, & extructam inde precationem, & gratiarum actionem in usu ciborum à fidelibus adhiberi.

I. Primò, ut admoneantur, ne cibos sine piis cogitationibus, vel sicut jumenta, vel sicut infideles sumant, sed sciant & cogitent, se eos ex manu Dei accipere, qui etiam hæc corpuscula nostra curat, & præbet nobis omnia ad fruendum.

II. Secundò, ut sit commonefactio Adamum donationem illam, Genes. 1. nobis per lapsum, Genes. 3. amisisse, & nos propter peccata, abusus, & ingratitudinem, indignos esse illis etiam corporalibus donis, sed per ac propter Christum donationem illam nobis restitui, qui etiam ideo panes in manus suas sumpsit, & post benedictionem seu gratiarũ actionem ex suis manibus iussit populo dividi ac proponi. Inde in benedictione mẽsæ dicitur, Per Iesum Christum Dominum nostrum.

III. Tertiò, ut habeant fideles certum testimoniũ & privilegium, se absq; offensione Dei & læsione conscientiæ cibis quibusvis bona Dei gratia & salva conscientia uti posse.

IIII. Quartò, ut precatione agnoscamus & fateamur, benedictionis divinæ esse, ut usus cibi corpori & valetudini utilis & salutaris sit: sicut inquit Psalm. 104. Aperiente te manũ tuam omnia implentur bonis, ut vinum exhilaret, & panis confirmet cor hominis. Et Psalm. 145. Aperis tu manum tuam, & imples omne vivens benedictione seu beneplacito.

V. Quintò, quia in usu ciborum facilè admittitur vel abusus vel intemperantia, ne igitur ita edamus, sicut epulo iste, Luc. 16. qui postea audit, Recepisti bona tua in vita tua. Vel, sicut inquit Psalmus 17. de viris mundi, quorum pars est in hac vita, ut venter ipsorum impleatur. Et Ieremiæ 12. saginantur ut oves ad diem occisionis. Ideo additur verbum & oratio, ut juxta dictum Salomonis, Ecclesiast. 4. Edamus in lætitia panem nostrum, ut Deo placent illa ipsa etiam opera nostra. Et sicut Iob capit. 1. post convivia filios suos sacrificiis sanctificabat, si quid fortè peccassent. Vtq; moneamur in ipso usu cibi corporalis cogitandum esse non tantùm, ut edamus & saturemur, sed ut operemur etiam cibum qui non pereat, sed permaneat in vitam æternam, quem Filius hominis nobis dat, Iohan. 6. vel sicut Luc. 14. dicitur, ut cogitemus etiam de edendo pane in Regno cœlorum.

VI. Sextò, quia in saturitate facilè evenit, quod scriptum est: sedit populus edere & bibere, ac surrexit ludere. Item: impinguatus & recalcitravit. Ideo additur oratio & gratiarum actio. ut juxta quod scriptum est, Deut. 8. Cùm comederis & saturatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, ne postquam comederis & saturatus fueris, elevetur cor tuum, & obliviscaris Domini Dei tui: vel Esai. 5. Opus Domini non respicitis, & opera manuum eius non consideratis.

Hæc est vera benedictio seu sanctificatio ciborum per verbum Dei & orationem, de qua Paulus loquitur, quæ sine magica prophanatione nominis Divini, Deo grata, conscientiis utilis & salutaris est. Quod q; inter cętera doctrinæ cœlestis capita, hoc etiam de vera ciborum sanctificatione tradendum sit in Ecclesia, Paulus manifestè ostendit, 1. Tim. 4. Cùm de sanctificatione ciborũ locutus est, locum illum ita concludit, de his si commoneferis fratres, bonus eris minister Christi. Et huiusmodi benedictionib. mensæ vetus Ecclesia usa fuit. Chrysostomus aliquoties mentionem facit benedictionis mensæ, quæ usitata fuerit Monachis per Aegyptum, cuius etiam descriptio extat apud Clementem lib. 7. constitutionum. In Horologio vero Græcæ Ecclesiæ integra formula huius benedictionis describitur. Primò, antequam cibi apponantur legitur totus Psalmus 145. Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum, &c. Deinde appositis cibis recitatur à Sacerdote benedictio mensæ, & quæ appositæ sunt, ita benedicuntur: Christe Deus noster benedic cibo ac potui servorum tuorum, quoniam tu es sanctus, & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Benedictio mensæ Aegyptys Monachis usitata.

Postea, quando cibum gustârunt in Mensa, surgunt, & simul omnes recitant illam benedictionem, cuius & Clemẽs & Chrysostomus mentionem faciunt: Benedictus es Domine Deus, ὁ ἐλεῶν, qui misereris nostri, & pascis nos à juventute nostra, qui das escam omni carni, reple gaudio & lætitia seu hilaritate (εὐφροσύνης) corda nostra, ut semper omnem habẽtes sufficientiam (αὐτάρκειαν) seu habentes in omnibus animum præsentibus contentũ (πάνοτε νόμιμον) exuberemus in omne opus bonum in Christo Iesu Domino nostro, cũ quo tibi gloria, honor (κράτος) virtus seu imperium, & adoratio, cum sancto Spiritu, Amen.

Gratiarum actio post sumptum cibum.

Post sumptum cibum, primò recitatur hæc gratiarum actio: Gloria tibi Sancte, gloria tibi Rex, quoniam dedisti nobis escas ad lætitiam: imple nos etiam Spiritu sancto, ut inveniamur in conspectu tuo (εὐάρεστοι) accepti, & non (αἰσχυνόμενοι) confusi seu pudefacti, quando reddes unicuique secundum opera sua. Deinde legitur Psalmus 122. Lætatus sum in his qui dicunt mihi, in domum Domini ibimus, &c. Postea additur hic versus: Sicut in medio discipulorum tuorum (cœnãtium) adfuisti Salvator, dans ipsis pacem: Ita veni etiam ad nos, & salva nos. Tandem legitur ex Psalmo 22. Edent pauperes, & saturabuntur, laudabunt Dominum, qui quærunt eum, usque ad finem. Et versus Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Concluditur demùm hac precatiuncula. Benedictus es Deus qui misertus nostri, ex opulentis donis tuis pavisti nos. Eius gratia & benignitate (φιλανθρωπίᾳ) detur nobis frui & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Benedictio mensæ in Ecclesia Latina.

In Latina Ecclesia fuit forma benedictionis mensę fermè similis. Hęc scilicet: Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore oportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Gloria Patri & Filio, &c. Sicut erat in principio, &c. Kyrie eleyson,

eleyson, &c. Pater noster, &c. Benedic Domine nos & tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi, per CHRISTVM Dominum nostrum. Mensę cœlestis participes faciat nos rex æternæ gloriæ.

Gratiarum actio post cibũ sumptũ.

Post sumptum cibum: Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicent tibi. Gloria Patri, &c. Agimus tibi gratias omnipotens Deus pro universis beneficiis tuis, qui vivis & regnas in secula seculorum. Deinde legitur Psalmus 51. Miserere mei Deus, &c. Et subjiciuntur versus: Benedicam Dominum in omni tempore. Semper laus eius in ore meo. In Domino gloriabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur. Magnificate Dominum mecum, & exultemus nomini eius in idipsum. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usque in secula. Deus det nobis suam pacem.

In cœna recitantur hi versus: Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominũ, qui requirunt eum. Vivent corda eorum in seculum seculi. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, &c.

Benedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui vivit & regnat in secula seculorum.

Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini in æternum. Gloria, &c.

Et fieri potest, cùm vulgus talia exercitia sanctificandi cibos negligeret, quod primùm exempli & commonefactionis gratia publicè cœperint in Templis formulæ talium benedictionum proponi, sicut extat Pernarum benedictio.

Benedictio Pernarum.

Sanctifica collata nobis hæc dona largitatis tuæ, mentesq; nostras pariter spiritualibus reple deliciis. Item benedictio ovorum: Adveniat Domine benedictionis tuæ gratia huic ovorum creaturæ, ut cibus salubris fiat tuis fidelibus, cũ gratiarum actione sumentibus, per Christum, &c.

Ovorum.

Sed postea substitutis aliis, de quibus suprà dixi, consecrationibus, abusus & superstitiones accesserunt.

Has formas benedictionum veteris Ecclesiæ ideo hoc loco adscripsi, ut inde appareat, quo verbo, & quali oratione ipsi cibos sanctificârint: Et de tali ciborum sanctificatione monendi essent homines, non deducendi vel ad magicas execrationes, de quibus suprà diximus, vel ad superstitiosum ciborũ delectum, quasi in eo cultus consistat.

Atque hactenus ex Scripturæ testimoniis & exemplis veram doctrinam de jejunio explicavimus. De prohibitione etiam quorundam ciborum Scripturæ sententiam ostendimus: Et quomodo per verbum & orationem cibi verè sanctificentur, ut cum gratiarum actione sumantur. De veteris verò Ecclesiæ testimoniis exemplis in sequentibus quædam annotabimus.

TESTIMONIA ALIQVOT VETERVM CONSENtientia cum doctrina Scripturæ de vero Ieiunio.

QVANDO de dogmate aliquo Ecclesiæ controversia est, & mens solicita inquirit, quam sententiam ut veram, firmam & salutarem sequi, quas verò opiniones effugere debeat: Non satis sit cõscientiæ, si ex hominum tantùm scriptis testimonia & exempla proferantur. Fides enim, fundamentum & normam, cui certò ac tutò innitatur, quærit vocem ipsius Dei, patefacientis in verbo voluntatem suam. Meminit enim scriptum esse, Non faciatis singuli, quid vobis rectum videtur, sed quod ego præcipio tibi, hoc tantùm facias Domino Deo tuo, Deuter. 12. In præceptis patrum vestrorum nolite ambulare. Ego Dominus Deus vester, in meis præceptis ambulate, Ezech. 20. Fruſtrà me colunt docentes doctrinas & mandata hominum, Matt. 15. Et Colos. 2. ubi ex professo de cibis Paulus loquitur, inquit: Quæ secundum Præcepta & Doctrinas hominum fiunt, speciem quidem habent sapientiæ, seu in superstitione. Vnde Cyprianus recte dixit: Non videndum esse, quid aliqui ante nos fecerint, sed quid ille, qui ante omnes est, faciendum mandârit.

Cyprianus.

Ideo primùm veram de jejunio sententiam ex verbi Dei testimoniis, & exemplis proponere volui. Constituta verò & ex Scriptura confirmata vera sententia, postea non inutiliter adjungi possunt veteris etiam Ecclesiæ cõsentientia quędam testimonia, quod quo concilio & fine fieri, & quo iudicio tales Patrum sententiæ seligi debeant, quæ scilicet ad normam Scripturæ, quæ ideo canonica vocatur, cõgruunt, in prima parte huius examinis ipsorum Patrum verbis exposuimus. De præcipuis igitur capitibus Doctrinæ de jejunio aliquas Patrum sententias adscribemus, quæ cum norma Scripturæ consentiunt, nec tamen illas omnes hoc loco afferemus, sed præcipuas tantùm, quæ maximè videbuntur illustres. Et postea in historia certaminũ de jejunio multa talia Patrum dicta repetenda erunt. Sequemur autem illum ordinem, sicut paulò antè Scripturæ sententiam de jejunio in certa aliquot capita distribuimus. Sicut igitur & ex veteri & ex novo Testamento ostendimus testimonia & exempla jejunii, eodem modo etiam in primitiva seu veteri Ecclesia, semper fuerunt jejuniorum exercitia & privata & publica.

Series & tenor sequentium membrorum.

Nota est historia, quam Eusebius lib. 3. cap. 17. ex Clemente describit, de adolescente, Iohannis Apostoli discipulo, quomodo, cùm ad latrones defecisset, à Iohanne rursus conuersus fuerit. In eius verò publica pœnitentia Iohannes scribitur crebris precibus Deum pro ipso invocasse, (μετὰ στεναγμῶν πολλῶν συνεχῶν τε δακρύων) & continuis jejuniis unà cum lapso decertasse, & varijs Scripturę sententiis animum ipsius confirmasse, &c. Et Hieronymus scribit, Iohannem, cùm ingressurus esset scriptionem Evangelicæ suæ historiæ, flagitasse communes Ecclesiæ preces, jejunio conjunctas. Ac licet de Apostolorum Doctrina & Iohannis.

Historia de adolescente Iohannis discipulo.

Hieronymus de Evangelio Iohannis.

Exem-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exemplis omnium rectissimè ex Scriptura statuimus, multa enim suppositicia de Actis Apostolorum sparsa fuisse, ostendimus in prima parte. Hæc tamen exempla ad canonem & analogiam Scripturæ congruunt, quòd scilicet in publica pœnitentia, & in publicis pro arduo aliquo negocio precibus, adhibita fuerint jejunia.

Exercitia piorum ieiuniorũ post Apostolorũ tempora.

Post Apostolorum etiam tempora, exercitia illa jejuniorũ semper in Ecclesia retenta & usurpata fuerunt. Et de suppositiis Clementis Romani, Abdiæ, Hermæ, Ignatii & similiũ scriptis, nihil hoc loco dicemus, pertinent enim ad historiam certaminum, de doctrina Iejunii, sed ex vetustissimis certis Scriptoribus pauca quædam adferemus, pleraq; enim in historia jejunii, quã postea subjiciemus, locum habebunt. Iustinus igitur in Apologia 2. ritum baptismi ita describit, Docentur ante omnia precibus & jejuniis, à Deo petere præteritorum peccatorum veniam, nobis unà preces jungentibus. Et Irenæus libr. 2. capit. 57. (quem locum etiam Eusebius transcripsit,) ubi donum miraculorum in suscitandis mortuis, ad sua usq; tempora in Ecclesia durasse scribit, in huiusmodi gravissimis supplicationibus jejunia adhibita fuisse, dicit his verbis: Multi ex fratribus necessaria aliqua causa id postulante mortuos suscitarunt, universa Ecclesia illius loci (ἀιτησαμένης μετὰ νηστείας πολλῆς καὶ ἁγείας) supplicante cum jejunio multo, & castimonia, seu sanctimonia. Eusebius etiam lib. 5. cap. 24. ex Irenæi Epistola quædam transcribit, de publico jejunio, quod ante Festum Paschatos observatum fuit, quia enim circa illud tempus, sicut veteres Historiæ testantur, publicè pœnitentes recipiebant, & adultos conversos baptizabant, adhibuerunt juxta Scripturæ morem publica jejunia, quia etiam illo tempore ad seriam meditationem passionis & resurrectionis Christi, & ad solennem communionem se præparabant, & in huiusmodi actionib. antiquitus usitata fuisse jejunia Scripturæ exemplis paulò antè ostẽdimus. Et tamen observationes illas jejuniorum liberas tunc fuisse, quoad tempus & cibos, Irenæi illa Epistola & alia vetustatis testimonia, de quibus postea in historia jejunii dicemus, ostendunt. Tertullianus in libro de jejunio scribit: Episcopũ solicitudinis alicuius Ecclesiasticæ causa solitum universæ plebi jejunia indicere. Et in publicis solennioribus precibus, quas stationes vocabant, adhibita tunc fuisse jejunia, in libr. de oratione & jejunio ostendit. In lib. de pœnitentia describens publicam exomologesin, inquit, Ieiuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari & mugire dies noctesq; ad Dominum. Cyprianus in Sermone de jejunio, dicit: Sanctos olim res magnas gesturos, & oraturos jejuniis se præparasse. Et ne opus sit singulorum aliquot dicta recensere, extant integri tractatus Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, &c. de jejunio, exrant & exempla veteris Ecclesiæ omnium temporum, de quibus in historia jejunii quædam annotabimus.

Apud Iustinum in Baptismo.

Apud Irenæũ in gravissimis supplicationibus.

Ieiuniũ ante Paschа.

Tertullianus

Cyprianus.

Ostenderunt autem veteres, doctrinam & exercitia veri jejunii habere testimonia & exempla Scripturæ, sicut Augustinus inquit, Epistola 86. Ego in Evangelicis & Apostolicis literis totoq; instrumento, quod vocatur Testamentum novum, animo revolvens, video præceptum esse jejunium. Et testimonia illa Scripturæ fermè omnia colligit Hieronymus, libr. 2. adversus Iovinianum.

Addendum verò & hoc est, quod veteres quidam, dum Encomia jejuniinimis rhetoricè amplificare voluerunt, alia etiam testimonia ex scriptura, quę de jejunio usitato propriè nõ loquuntur, huc detorserunt, quæ catachreses non pauca incommoda huic Doctrinæ attulerunt. Ex Tertulliano enim jam montanizante, plerię; ut Basilius, Chrysostomus, & Hieronymus hoc arripuerunt, Adamo indictũ fuisse jejunium in Paradiso, cùm Deus prohiberet, ne de ligno scientiæ boni & mali comederet. Addiderunt & ante diluvium præceptum fuisse jejunium, scilicet quia carnium esus non erat concessus. Ita dicunt sub lege à quibusdam cibis immundis indictum fuisse jejunium, Sed abstinere à cibis, quos Deus tunc vel non concesserat vel prohibuerat, propriè non erat jejunium. Neq; enim ludæi, quando ex mandato Dei carne suilla abstinebant, & interea prandentes & cœnantes aliis cibis vescebantur, jejunare dicebantur. Iejunare enim est à cibis licitis & concessis per diem abstinere, sicut suprà ex Scriptura monstravimus. Et si definitio jejunii inde sumenda esset, quòd Adamo unius arboris usus iuterdictus fuit. Item quod ante diluvium cibus carnium nõ fuit concessus, quodq; sub Mose quorundam ciborum esus prohibitus fuit, tunc in novo Testameto, ubi sine exceptione & prohibitione indifferenter omnium ciborum usus ut licitus concessus est, nullum posset esse jejunium.

peregrina testimonia detorta sunt ad doctrinã ieiunij, & totam doctrinã perverterunt.

Refutatio ex definitione ieiunij.

Ex absurdo.

Et quanquam similes catachreses testimoniorum, quæ impertinentia in Scholis vocantur, Patribus non rarò concedendæ sunt, ex hac tamen catachresi prohibitiones quorundam ciborum contra Scripturam sub prætextu jejunii postea exortæ sunt, extructæ etiam inde superstitiosæ opiniones, de meritis jejunii, ut quod dicunt, Sicut Adam non servans jejunium à fructu arboris vetitæ Paradiso ejectus est, ita nos per jejunium rursus restitui in Paradisum.

Incommodata in doctrina de ieiunio ex testimoniis impertinentibus.

Prohibitiones ciborum.

Opinio meriti.

Simili catachresi omnes fermè ad jejunãdum exhortantur Ecclesiam inde, quia Moses, Helias & Christus, per quadraginta dies & noctes sine aliquo cibo usu jejunii perseverârunt. Cùm jejunia illa sint miraculosa, quæ imitari nos nõ possumus, nec etiam ad imitandum nobis sint proposita, sicut Chrysostomus inquit, cumq; in Scripturis alia jejuniorum exempla extent, quę imitari & possumus & iubemur. Hieronymus inde etiam ieiunium probare conatur, quòd populus Israel, cùm in deserto tantùm Manna pasceretur desiderio carnium, piscium, peponum, &c. in Aegypto, contra Dominum murmuravit. Num. 11. Psalm. 78. Sed aliud est cibo desiderato carere, quod necessitatis est, aliud est cibo licito & præsenti voluntariè abstinere, quod proprium est ieiunii.

Exempla miraculosorum ieiuniorum.

Chrysost.

Hieronymi testimonium peregrinum.

Ex tali testimoniorum Scripturæ catachresi progressum postea est, quòd ex Patrum quorundam exemplis & consuetudinibus extra Scripturam, leges ieiuniorum, & de tempore, & de prohibitione

hibitione quorundam ciborum fieri cœperunt, sicut in historia jejunii ostendemus.

Rectissima igitur & tutissima via est, ut, sicut in aliis dogmatibus, ita etiam in Doctrina de Iejunio, ex sola Scriptura inquiramus fundamenta, & ea sumamus non ex peregrinis locis, sed ex perspicuis Scripturæ testimoniis, quæ propriè loquuntur de vero jejunio. Non enim animo traducendi, sed hoc consilio quasdam veterum catachreses annotavi, ut sit cõmonefactio, quantum incommodi ipsi doctrinæ afferat, si fundamenta non ex perspicuis Scripturæ locis, in quibus dogmata propriè sedem suam habent, petantur, sed impropria, aliena seu peregrina testimonia cumulentur & urgeantur.

Definitiones ieiunij quib. Patres commodè sant usi. Augustinus. Chrysostom.

Porrò definitionem etiam jejunii veteres eodem modo circumscripserũt, sicut suprà ex Scriptura ostendimus, ut Augustin. quæst. Evangel. libr. 2. cap. 18. Scriptura docet, generale jejunium non à concupiscentia ciborum tantùm, sed ab omni lætitia temporalium delectationum. Chrysostomus Homil. 1. in Genesin, Velim vos valedicere deliciis & voracitati ac suscipere jejunium. Basilius Homil. 1. de jejunio, Cave ne jejunii utilitatem sola escarum abstinentia metiaris. Verum enim jejunium est, ab omnibus vitiis esse alienum, expectas vesperam, ut cibum capias, sed diem totũ absumis apud tribunalia. Idem Basilius in definitionibus latioribus ca. 19. ἐγκράτειαν continentiam dicimus, non omnimodam & perpetuam à cibis abstinentiam, hæc enim violenta esset vitæ dissolutio, ἀλλὰ τὴν ἐπὶ καθαιρέσει τῶν φρονήματος σαρκὸς, πρὸς τὸν τῆς εὐσεβείας σκοπὸν ἐπιμετρουμένην συμμέτρως ἀπεχὴν τῶν βρωμάτων, sed abstinentiam à lautitiis seu deliciis institutam, & usurpatam ad demoliendum sensum & ferocitatem carnis, eo fine, ut pietatis studium eò expeditius excoli possit. Et addit, ideo continentiam abstinere non tantùm à ciborum voluptatibus, verùm etiã ab omnibus, quæ huic fini impedimento sunt. Et cap. 18. dicit, continentiam ita colendam, ne incidamus in illorũ errorem, qui jubent abstinere à cibis, 1. Timo. 4. Ideo pro ratione temporis contenti quibusvis cibis, ut ostendamus omnia munda esse mundis. Et in illis nihilominus servari posse continentiæ scopum, ut scilicet ex iis non exquisita, sed quæ ad vitam necessaria sunt, frugaliter sumamus, & noxiam repletionem fugiamus, capite 19. dicit: usum, modum, & demensum in cibis differre pro ratione ætatis, studiorum, exercitiorum, & dispositionis corporum, ut impossibile sit, ἐνὶ κανόνι πάντας περιλαμβάνεσθαι una simili vel æquali regula omnes complecti. In definitionibus brevioribus dicit, νηστείας καιρὸς ἀπὸ βέλημα ἑκάστου ἀλλ' ἀχρεία, tempus jejunandi, non est voluntas cuiusq;, sed necessitas, quando illi, qui ad cultum Dei tendunt, jejunio opus habent, sicut Acta Apostolorum testantur.

Basilius.

Leo.

Leo Sermo. 8. de jejunio septimi Mensis, subigendo corpori castigatio adhibenda est jejunii.

Quod licet generali nomine ad omnem continentiam pertinere videatur, propriè tamen ad edendi diminutionem refertur, quando voluntate cibus non sumitur. Idem Sermone sexto, de jejunio Pentecostes, Ieiunium impleatur non ciborum paritate tantummodò, sed & potionis maximè vinorum. Athanasius in vita divi Antonii, Edebat semel in die post Solis occasum. *Athanasius.*

Augustinus Epistola 86. Prandere & ieiunare. *Augustinus.*

Item: Prandentes & ieiunantes aliquoties inter se opponit: ieiunantes enim prandio abstinebant, & ad vesperam primum in cœna cibum sumebant, quando verò nõ ieiunabant, tunc prandebant. Item: Epiphanius dicit in compendiaria Doctrina, Ieiunium servari usq; ad horam nonam, hoc est, circa vesperam. Augustinus de moribus Ecclesiæ catholicæ, cap. 33. Ieiunia prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaquã usitatissimum, sed continuum triduum, vel amplius sepissimè fine cibo ac potu ducere. Idem: Sermone in die Calendarum Ianuarii. Gentiles inebriantur, vos ieiunate, aut si ieiunare non potestis, saltẽ cum sobrietate prandete. *Epiphanius.* *Augustinus.*

Et Epistola 86. Aliud est corda gravare crapula & ebrietate, quod semper est malum. Aliud est modestia & temperantia custodita relaxare ieiunium.

Hieron. ad Eustachium, à Pentecoste quando non ieiunatur, cœnæ mutantur in prandia. *Hieronymus.*

QVOMODO VETERES DOCTRINAM DE CAVSA FINALI IEIVNII SCRIPTVRÆ CONSENTANEAM TRADIDERINT.

SVprà ostendimus ex Scriptura, ieiunium per se ex opere operato, non esse virtutem, nisi ad certum & pium finem in Scriptura præmonstratum referatur. Idem & Patres docent, urgent & veros ieiunii fines, aliquando verbis propriis, aliquando suis quibusdam phrasibus explicant. *Testimonia Patrum de veris finibus ieiunij.*

Chrysostomus in Matthæum Homil. 47. Non dicit ieiunium suum imitandum, quamvis quadraginta dies illos posset proponere, sed discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde. Hæc dixi non quòd ieiunium mihi non placeat, quod magnis soleo efferre laudibus, sed quia doleo, si cæteris neglectis, satis ad salutẽ nobis ieiunium existimemus, quod in choro virtutum certè extremum sortitur locum. Idem in Homilia de ieiunio ad populum Antiochenum, Ninivitas non ieiunium periculo eripuit, sed vitæ mutatio Deum placatum reddidit. Hæc dixi non ut ieiunium contemnamus, sed ut ieiunium honoremus. Honor enim ieiunii non est ciborum abstinentia, sed peccatorum fuga. Itaque ciborum abstinentia tantùm ieiunium definiens, hic est, qui maximè ipsum vituperat. Idem in Genesi Homilia secunda, Ieiunium dico abstinentiam à vitiis, setenim abstinentia à cibis propter hoc recepta est, ut petulãtiam carnis refrænet, & equum moderanti facilè parare faciat. Ieiunantem igitur ante omnia oportet iam refrænare, mansuetudinem addiscere, habere cor contritum, absurdas concupiscentias repellere, tribunal iudicis ante oculos proponere, dare Eleemosynas, nullum malum adversus proximum in cor admittere. *Chrysost.*

Hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hoc est verum jejunium, sicut & Isaias exper-
sona Dei loquens, dicit, &c. Hoc nobis curæ sit, &
non ut plerique existimemus, definiri in hoc je-
junium, si ad vesperam usq; impransi maneamus.
Bernhardus. In eandem sententiam & Bernhardus inquit,
Sermo. 3. de quadragesima, Si gula sola peccavit,
sola quoq; ieiunet & sufficit. Si verò peccaverunt
& cætera membra, cur non ieiunent & ipsa? Ieiu-
net ergo oculus, ieiunet auris, ieiunet lingua, ie-
iunet manus, ieiunet etiam anima ipsa. Et Chry-
Chrysostom. sostomus Homilia 3. in Genesin inquit: Mentem
ita compescamus, ne quid nocivũ vel concipiat,
vel effundat, ne existimemus inediam ad vesper-
am usq; ad salutem nobis sufficere. Nam notum
est, quid perversis Iudæis dicat Dominus, Zacha-
riæ 7. Ibidem Homilia 9. cùm quidam, qui ieiu-
nia ferre non poterant, non auderent ad concio-
nem venire tempore ieiunii, proponit illis Do-
ctrinam de temperantia, & addit, non simpliciter exigi ieiunium, sed ut spiritualibus eò rectius
vacare possimus. Ac concludit, si quis ieiunare
non potest, sciat eum, qui manducat, Domino
manducare. Ita in Homilia de ieiunio inquit: Si
ieiunare non potes, potes tamen abstinere à de-
liciis, hoc autem non minimum est, nec à ieiunio
multum distans, sed ipsum quoque Diaboli fu-
rorem prosternere idoneum. Et in Genesin Ho-
milia 10. Qui cibum accipit, & ieiunare non va-
let, largiorem det Eleemosynam, ferventior fit
in precibus, maiorem habeat alacritatem in au-
diendis Dominicis eloquiis, qui hæc fecerit, ve-
rum ieiunabit ieiunium, quod à nobis exposcit
Dominus. Et Homilia 15. Declinemus à malo, &
virtuti studeamus, hoc etenim verum est ieiu-
nium. Idem Homil. 3. ad Antiochenos: Ieiunium
dico non hoc vulgare, sed accuratum ieiunium,
non tantùm ciborum abstinentiam, sed & pec-
catorum. Non enim ieiunii natura peccata eri-
pere sufficit, nisi congrua cum lege fiat. Nam Pha-
risæus ieiunavit, sed post ieiunium descendit in-
anis, Publicanus non ieiunavit, & Pharisæum ie-
iunantem præcessit nõ ieiunans: Vt discas quòd
ieiunii utilitas nulla fit, nisi & reliqua, quæ puri
Augustinus. cordis sunt, consequantur. August. in Iohannem
Tracta. 17. Ieiunium magnum & generale est, ab-
stinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus
sæculi, quod est perfectum ieiunium, ut abnegan
tes impietatem, & seculares cupiditates, tempe-
ranter, iustè & piè vivamus in hoc seculo. Idem
contra Faustum lib. 30. cap. 5. Christiani eo man
di corporis causa propter animam ab irrationa-
libus mũbus amplius humiliandam, non so-
lum à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ
fructibus abstinent.

Similitudo Augustini. Et in Tractatu de utilitate ieiunii utitur hac
venusta similitudine: Si equo uteretis, qui gesti-
endo te posset præcipitare, nonne, ut securus iter
ageres, cibaria ferocienti subtraheres, & fame
domares, quem fræno non posses? Caro mea iu-
mentum meum est, via mea Christus plerunque
rapit me, & de via conatur excludere. Ita exultan
tem certè cohibebo ieiunio, &c.

Cyrillus. Cyrillus in Leviticum Hom. 10. Vis tibi osten-
dam quale te oporteat ieiunare ieiunium, ieiuna
ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiæ,
nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxu
riæ concalescas, ieiuna à malis artibus, abstine à
malis sermonibus, contine te à cogitationibus
pessimis. Tale ieiunium Deo placet, Abstinere ve
rò à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum
cum gratiarũ actione, & hoc facere cum his, qui
Dominum crucifixerunt, acceptum esse non po-
test Deo. Illi ieiunent, qui perdiderunt sponsum,
Nos habentes nobiscum sponsum, ieiunare non
possumus. Nec hoc tamen ideo dicimus, ut absti-
nentiæ Christianæ fræna laxemus. Habemus e-
nim quadragesimæ dies ieiuniis consecratos,
habemus quartam & sextam hebdomadæ dies,
quibus solenniter ieiunamus. Est certè libertas
Christiana per omne tempus ieiunandi, non ob-
servantiæ superstitione, sed virtute continen-
tiæ. Nam quomodo apud eos castitas incorrupta
servabitur, nisi arctioribus continentiæ fulta
præsidiis? Quomodo Scripturis operam dabunt,
quomodo scientiæ & sapientiæ studebunt? nonne
per continentiam ventris & gulæ? quomodo
quis seipsum castrat propter Regnum cœlorum,
nisi ciborum affluentiam referet, nisi abstinen-
tia utatur ministra?

Hæc igitur Christianis ieiunandi ratio est, sed
est & alia adhuc religiosa ieiunatio, invenimus
enim in quodam libello ab Apostolis dictum,
Beatus est, qui ieiunat pro eo, ut alat pauperem.

Cyprianus. Cyprianus de ieiunio & tentationibus Chri-
sti: Ieiuniis vitiorum sentina siccatur, petulantia
marcet, concupiscentiæ languent, fugitivæ ab-
eunt voluptates, ieiunium si discretione rogatur
omnem carnis rebellionem edomat, & tyranni-
dem gulæ exarmat. Ieiunium Scripturarum de-
liciis pascitur, contemplatione reficitur, gratia
stabilitur. Quotquot vires virtutum vidimus si-
ne ieiunio non legimus consendisse, quoties ali
quid à Deo obtinere conati sunt, ieiuniis incu-
buêre pernoctantes in orationibus, &c.

Patrum in-commodio-res de ieiunio locutiones. Sed priusquam pergamus, præmittenda est
hæc commonefactio (cùm ieiunium ad mortifi-
cationem carnis, ad exercitia pœnitentiæ & ora-
tionis, tanquam ad veros suos fines referri & or-
dinari debeat, eo modo, sicut suprà ex Scriptura
ostendimus) quòd Patres ea, quæ vel pœniten-
tiæ vel orationis fidei propria sunt, sæpius ieiu-
nio, ut causæ remotiori, Rhetorica amplificatio-
ne tribuant. Existimârunt enim se huiusmodi
Rhetoricis aggregationibus efficacius posse ho-
mines ad susciptenda & exercenda ieiunia per-
movere, sicut Chrysostomus fatetur in libro de
compunctione cordis quædam cohortatorie ma
gis quàm verè dici, sed inde postea ipsi operi ope-
rato ieiunii assuta est opinio meriti, propiciatio-
nis, &c. Tales veterum figuras libenter & meri-
tò iuxta analogiam Scripturæ interpretamur, ut
talia vel pœnitentiæ vel orationi fidei, quibus ie-
iunium eo, quo suprà dictum est, modo subser-
vit, tribuantur, sicut ipsi Patres in illis suis, quæ
iam annotavimus, dictis huiusmodi interpreta-
tionem ostendunt & præbent. Sed Pontificii ri-
gidè urgent, ut talia ipsi operi ieiunii tanquam
merita tribuantur, quæ vel solius Christi, vel pœ
nitentiæ, vel fidei propria sunt, quòd cùm salva
fidei analogia facere non possimus, neganda &
reiicienda sæpius nobis sunt talia veterum di-
cta, quando non admittitur interpretatio Scri-
pturæ

pturæ consentanea. Simul tamen etiam negari
non potest, Patres in Rhetoricis illis jejunii en-
comiis sæpe longius provectos, ab analogia fidei
& norma Scripturæ non parùm discessisse. Non
absq; causa igitur Paulus monet, & res ipsas, sicut
in verbo Dei traditæ sunt, conservandas, & for-
mam etjam sanorum verborum, sicut in Scriptu
ris præformata est, retinendã & sequendam, dis-
cessio enim licet commoda interpretatione re-
ctè exponi possit, non tamen caret periculo, &
tandem corruptelas ipsius doctrinæ post se tra-
hit. Talia igitur veterum dicta quædam, quibus
Basilius. Pontificii abuti solent, paucis adscribemus. Basi-
lius Homil. 1. de laudibus jejunii: Sicut pharma-
ca vermes in intestinis germinantes excutiunt:
ita jejunium in intimis secessibus habitans pec-
catum extinguit, in morbum incidimus per pec-
catum, sanemur per pœnitentiam, sed pœniten-
tia sine jejunio otiosa est. Atq; ut semel dicam, re-
peries quotquot fuêre sancti omnes, per jejuniũ
ad vitam Deo dignam fuisse institutos. Jejunium
preces nostras subvehit in cœlum, dum illis ala-
rum vis fit, quibus in cœlũ feruntur. Adde quòd
non solùm ad venturi seculi mala fugienda & as-
sequenda bona utile est jejunium, sed & huic ipsi
carni conducibilius est. Si cupis carnem reddere
validam, fac carnem domes jejunio, hoc enim est
quod Apostolus ait, quantum externus homo
corrumpitur, tantum internus renovatur, jeju-
nium est armatura ad confligendum cum diabo-
lo. Nam hoc genus non ejicitur, nisi per precatio-
nem & jejunium, &c. Hæc si tribuantur non
Interpretatio Basilij iuxta analogiam fidei. operi operato jejunii, sed pœnitentiæ & oration
fidei, quibus quomodo & quatenus jejuniũ sub-
serviat, suprà ex Scriptura dictum est, rectè intel-
ligi possunt, sed tamen non phrasi Scripturæ, sed
nimis rhetoricè dicuntur. Et ipse Basilius post
declamatoria illa encomia, addit ἐπανόρθωσιν
quandam. Sed cave, inquit, ne jejunium sola esca
rum abstinentia metiaris. Verum enim jejunium
est ab omnibus vitiis esse alienum. Isaiæ 58. Car-
nes non edis, sed comedis fratrem tuũ, vino ab-
stines, sed ab injuriis tibi non temperas. Væ his
qui ebrii sunt, non vino, est enim & mentis te-
mulentia. Et Homil. 2. cùm multis rhetoricatus
fuisset, tandem inquit, Attamen ad hoc ut lau-
dem promereatur jejunium, non est per se satis
temperare à cibis, sed jejunium jejunemus acce-
ptabile Deo. A vitiis enim abstinere verum est je-
junium. Quod verò idem Basilius Homi. 1. dicit:
Quoniam Adam non jejunavit à fructu prohibi-
to, exulamus è Paradiso, Iejunemus igitur ut ad
illum postliminio revertamur. Item: iussus es
non indulgere delitiis, per jejunium ergo satisfa-
cito Deo. Hæc possent ita ad analogiam fidei
intelligi, si agamus pœnitentiam & fide propter
Christum petamus remissionẽ peccatorum, tũc
aperiri nobis portas Paradisi. Et suprà dictum
est jejunium subservire pœnitentiæ & orationi
fidei. Sed tamen non est Hypotyposis sanorum
verborum in libris canonicis præformata. Solus
enim Christus pro peccatis nostris satisfecit, &
ipse solus est via in Paradisum, quem cùm latro
pœnitẽs vera fide invocabat, audivit, Hodie me-
cum eris in Paradiso. Et quando contra hanc fi-
dei analogiam Pontificii talia veterum dicta aur-
gent, cogimur salva reverentia, quæ tàm magnis
viris debetur, illa rejicere, ut fundamentum sa-
lutis salvum retineamus.

Et observetur quod Iesuitæ citantes hanc Ba-
silii sententiam, in margine notant (jejunium
est satisfactio pro peccatis) quia scilicet inter-
pres usus fuit verbo Satisfaciendi, sed Basilius di-
cit, per jejunium ἀπολόγησιν Deo. Significat au-
tem hoc loco ἀπολογεῖσθαι non excusare vel de-
fendere peccatum, sed reatum agnoscere, & cul-
pam deprecari, quod fit in vero jejunio. Nequa-
quam autem in Græca lingua ἀπολογεῖσθαι sig-
nificat ita satisfacere, sicut Pontificii intelligunt,
compensationem æquivalẽtem pro offensa per-
solvere. Chrysostomus Hom. 1. in Genesin, Deus
cupiens ea quæ peccavimus nos abluere, hanc
nobis, quæ per jejunium fit curationem adinve-
nit. Intelligit autem seriam pœnitentiam, quæ
fit adjuncto jejunio, sicut suprà ostendimus. Et
ad ea, quæ ex Scriptura suprà adduximus, con-
gruunt, ea quæ Chrysostomus ibi subjungit, je- *Chrysost.*
junium animam habiliorem efficit & valentio-
rem, leves ei pennas producit, ut in sublime fe-
ratur, & summa contemplari queat. Item: sicut
crapula innumerorum malorum causa est, ita ie-
iunium omnium nobis bonorum semper causa
fuit.

Idem Serm. 1. de ieiunio, Propiciationis tem-
pus adest, abjiciendorum peccatorum tempus
est, ieiunemus à cibis, sed primùm à peccatis. Hic
ipse se explicat, quando enim volumus peccata
deponere, & cum Deo reconciliari, necesse est, ut
agamus pœnitentiam, & fide propter Christum
petamus reconciliationem. Pœnitentiæ verò &
orationi fidei, quomodo ieiuniũ subordinetur,
suprà expositimus. In eandem sententiam in eo-
dem Sermone dicit: Ieiuna, quia peccasti, ieiuna
ut non pecces, ieiuna ut accipias, ieiuna ut per-
maneant quæ accepisti. Quod verò ibidem scri-
bit, Deus dixit, subvertetur Ninive, illa adhibue-
runt ieiunium & effugerunt. Hoc ipse explicat
in sententia paulò antè citata, Ninive civitas non
ieiunium, sed pœnitentia periculo eripuit. Et
quod postea subiungit, Ieiunemus nos ipsos cu-
rantes, & operam dantes, ut passionum Christi
participes simus. Hoc Iesuitæ ita pervertunt, *Iesuitarum blasphema de ieiunio sententia.*
quasi operei ieiunii applicetur nobis meritũ pas-
sionis Christi. Sed quia fide in vera pœnitentia,
cui ieiunium subservit, fit illa applicatio, ideo
Chrysostomus ita locutus est. Itẽ: quia ieiunium
pars est mortificationis carnis, qua conformes
efficimur Christo. Quod verò Iesuitæ Patres ita
interpretãtur, quasi nulla posset esse vera pœni-
tentia, nulla oratio fidei, impetrans gratiam Dei,
sine externo ceremoniali ieiunio, & Scriptura
negat, sicut suprà ostendimus, & Chrysostomus
ipse dicit, Pharisæum ieiunãtem Publicanus non
ieiunans præcessit.

Iesuitæ citant ex Epiphanio de compendiaria
doctrina hanc sententiam, Ieiunamus non ut be-
neficium aliquod ei, qui pro nobis passus est, ex- *Epiphanij locus ex compendio doctrinæ à Iesuitis depravatus.*
hibeamus, sed ut Domini passionem, quam pro
nobis ipse suscepit, ad salutem nostram confitea-
mur, & ut pro peccatis nostris ieiunia nobis
apud Deum supputentur. Atque inde extruunt
hoc dogma, ieiunia tanquam persolutiones, sa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Refutatio.

tisfactiones, expiationes, ꝓ peccatis noſtris apud Deum ſupputari. Sed ſi jejuniis noſtris poſſemus debita noſtra coram judicio Dei perſolvere, Chriſtus fruſtrà mortuus eſſet. Aut enim, Chriſti paſſio pro peccatis noſtris non ſatisfeciſſet, aut non totum noſtrum debitū perſolviſſet, quorum utrūq; falſum & blaſphemum eſt. Et Epiphanius ipſe dicit, Ideo illis diebus, quando memoria paſſionis Chriſti celebratur, jejunare, ut ſit cōfeſsio, Chriſtum ipſum paſsionē pro ſalute noſtra ſuſcepiſſe. Ergo nequaquam hoc ſenſit Epiphanius, quod Ieſuitæ inde extruunt, ſed verba hæc ſunt: ὅπως ὑπὲρ τῶν ἡμῶν ἁμαρτιῶν τὴν νηστείαν ἡμῖν ἐνλογίσοι θεὸς γένωνται, ut pro peccatis jejunia nobis fiant grata & accepta Deo. Et vocat jejunia pro peccatis, ſicut Syrach cap. 34. In pœnitentia enim oſtendentes luctum propter peccata adhibebant jejunia. Hanc interpretationem analogam fidei ſi Ieſuitæ noluerunt admittere, nos ab Epiphanio potius, quàm à Chriſto, qui eſt λύτρον pro peccatis noſtris, diſcemus.

Ambroſius.

Ambroſius de Helia & jejunio cap. 3. Jejunium eſt refectio animæ, cibus mentis, vita angelorū, culpæ mors, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentū caſtitatis. Quæ de pœnitētia & oratione fidei, ad quæ jejunium, ut ſuprà dictum eſt, referri debet, rectè intelliguntur. Sicut ipſe Ambroſius cap. 3. explicationem addit, jejunium eſt velamen, quod tegit culpam, quomodo verò? Tegit, inquit, abſtinentia, tegit gratia, gratia tegit dum remittit, & omnē abolet errorem. Tegit abſtinentia, dum vitium pœnitendo & mœſto affectu abluit & abſcondit. Hæc juxta analogiam fidei rectè hoc modo interprætantur, ſed ab illa analogia longius recedit, & durius profectò dictum eſt, quod Ambroſius ibidem ſcribit, cap. 9. Jejunium eſt reconciliationis ſacrificium. Et cap. 10. Menſa regni cœlorum jejunio comparatur, famis acquiritur precio. Ad menſam illam jejunia nos perducunt, hac fame illa, quæ ſunt æterna, mereamur, &c. Precium quo acquiſitum eſt regnum Dei, non eſt fames noſtra ſeu jejunium, ſed ſangvis immaculati agni Dei, 1. Pet. 1. Et quæ Sacramenta reconciliationis Chriſtus inſtituerit, ex Evangelio notū eſt. Ipſe etjam Ambroſius mitigationem quandam cogitur addere, quod de pœnitentia hæc velit intelligi, ſubjungit enim, Non autem omnis fames acceptabile jejunium facit, ſed fames, quæ Dei timore ſuſcipitur, jejunium enim culpæ interfector eſt.

Ieiunium reconciliationis ſacrificiū.

Ieiunium meritum.

Idem Ambroſius Epiſtola 82. ad Vercellenſes uſitata tunc phraſi jejunium vocat meritum, hoc eſt, bonum opus, cujus aliqua ſpiritualis eſt utilitas. Audio, inquit, Iovinianiſtas dicere, nullum eſſe abſtinentiæ meritum, nullum frugalitatis, delirare eos, qui caſtigent carnem ſuam, ut menti ſubditam faciant. Quod nunquam feciſſet, nunquam ſcripſiſſet Paulus, ſi deliramentum putaſſet, gloriatur enim, dicens: Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne aliis prædicās ipſe reprobus inveniar. Quòd verò ibidem addit, Quæ nobis ſalus eſſe poteſt, niſi jejunio eluerimus peccata noſtra. Idq; conatur probare ex Tobiæ capite 4. & 12. Iejunium & Eleemoſynā à peccato liberant. Primùm textus Tobiæ de jejunio hoc non habet. Deinde liberatio à peccato redemptio ſeu remiſsio, non eſt à Chriſto ad noſtrum jejunium transferenda. Sed de pœnitentia & oratione fidei, quibus jejunium ſubſervit, intelligi hæc poſſunt, ſicut Tobias capite 12. inquit: Bona eſt oratio cum iejunio. Nec tamen canonica Scriptura ita vel docet vel loquitur, Iejunium liberare nos à peccato.

Incommoda veterum dicta à poſterioribus latius expoſita, maiores peperetunt errores Leo.

Illas veterum figuras poſteri latius extenderunt, & ipſi operi operato jeiunii omnia ea tribuerunt, quæ Chriſti merita ſunt, & fide accipiuntur. Ita Leo Sermo. 4. de jeiunio ſeptimi menſis inquit, Quarta & ſexta feria jeiunemus, ſabbato verò apud beatiſsimum Petrum Apoſtolū vigilias celebremus, ſperantes nos ita ejus orationibus adiuvandos, ut Deus miſericordiarum, jeiunii noſtri ſacrificio placatus exaudiat. Et Sermone 8. convenientibus in unum propoſitum tribus ſtudiis, oratione ſcilicet, eleemoſyna & jeiunio, præſtabitur nobis à Deo & cohibitio cupiditatum & ex auditio precum, & remiſsio peccatorum per Chriſtum.

Sermone 9. Peccatum quod fragilitate carnis & cupiditatum pollutione contrahitur, jeiuniis & eleemoſynis deletur. Item, ut miſericordi Deo jeiunio noſtro & devotione placeamus. Item de jeiunio decimi menſis, Sermone 4. Curandis læſionibus, quas ſæpe incidunt, qui cum inviſibili hoſte confligunt, trium maximè remediorū adhibenda eſt medicina, in orationis inſtantia, in caſtigatione jeiunii, in eleemoſynæ largitate, quę cùm pariter exercentur, Deus propitiatur, culpa deletur, tentatio eliditur. Sermone 5. Velociter ad divinas conſcendit auras oratio elevata ſuffragiis jeiunii & eleemoſynæ. Idem de quadrageſima Sermone 1. dicit, Jeiunio obtineri propitiationem. Sermone 4. In quadrageſima aliorum temporum culpas & pia opera redimunt & jeiunia caſta decoquunt, &c. Quæ certè ita ſicut ſonant ſine contumelia Chriſti, & exinanitione fidei accipi nec poſſunt nec debent, ſub nomine etiam & titulo veterum tales opiniones in ſcriptis non genuinis ſparſæ ſunt, ut ſub Ambroſii nomine, Sermone 47. de quadrageſima, Jeiunemus continuè & devotè hoc ſpacio temporis, ut propitietur nobis Dominus, pateant nobis cœli, & infernа contra nos non valeant. Sermone 58. Sicut Moſes & Helias quadragenarium numerum jeiunii obſervando gratiam meruerunt, ita & nos hoc ipſum tempus cuſtodiendo mereamur. Sermone 40. dicit, Quemque pro ſalute ſua debere jeiunare.

Impia opiniones de jeiunio ſub nominibus veterum ſparſa in ſcripta ſuppoſititia.

Sub nomine Ambroſii.

Sicut Sermone 34. dicit, Pro peccatis jeiunandum eſſe. Ita ſub Auguſtini nomine, Sermone 60. de tempore dicitur, Pro peccatorum indulgentia, & pro miſericordia divina jeiunemus. Sermone 65. Eiecit nos de Paradiſo cibus, reducat jeiunium. Sermone 69. Jeiunium vocatur redemptio ſalutis & remedium peccatorum. Item quadrageſimæ jeiuniis quævis iniquitas peccatorum exorari poteſt, & quantavis judicis ſeveritas mitigari. Sed Sermones illos non eſſe vel Ambroſii, vel Auguſtini, Eraſmus liquidò oſtendit.

Sub nomine Auguſtini.

Inde verò poſteriores arripuerunt occaſionem

Poſteriorum error natus ex ſcriptis ſuppoſititijs. Bernhardus.

nem affingendi jejunio varias, partim ſuperſtitioſas, partim impias opiniones. Vt Bernhardus Sermone 66. in cantica inquit, Ego interdum abſtineo, ſed abſtinentia mea ſatisfactio eſt pro peccatis. Et ſermone 4. de quadrageſima, Pro eo quod ipſis quoq; licitis abſtinemus, ea nobis quæ prius commiſimus illicita condonantur. Bonum ergo & ſalutare jejunium, quo redimuntur æterna ſupplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Nec ſolùm obtinet veniam, ſed & promeretur gratiam, jejunium, &c. Et ex hujuſmodi inclinationibus extructa tandem eſt pontificiæ Eccleſiæ doctrina de jejunio, de qua in ſequentibus dicemus.

Quæ de cauſa teſtimonia hæc Patrum huc collata ſunt.

Has pauculas verò Patrum ſententias hoc loco adſcripſi, non ut viros illos eruditione & pietate præſtantes, & de Eccleſia optimè meritos ſugillarem, ſed quia diſſimiles apud ipſos hac de re exant ſententiæ, ut oſtenderem illa, quæ ad normam Scripturæ & analogiam fidei congruunt, diſcernenda eſſe ab aliis, quæ minus commodè dicta veteribus exciderunt. Et ut conſideretur quando Rhetoricis declamationibus indulgetur, & ab hypotypoſi ſanorum verborū in canonicis Scripturis præformata, diſceditur, licet per figuras quaſdā talia excuſari, mitigari, & in partem meliorem exponi poſsint, tamen eo modo ſenſim fieri inclinationem à puritate doctrinæ, & ſpargi errorum ſeminaria, ac præberi occaſiones, ad depravationes & corruptelas ſanæ doctrinæ, quæ tunc diſſimulari nec poſſunt nec debent, quando perverſi homines illis abutuntur ad ſtabiliendos errores, abuſus & ſuperſtitiones. Atq; ideo quando Pontificii tales veterum exceſſus ad palliandas & ſtabiliendas ſuperſtitioſas de jejuniis opiniones producunt, cogimur contradicere, & à Patrum exorbitantibus veſtigiis aliquantiſper diſcedere, ut juxta canonem Scripturæ recto pede ad veritatem Evangelii ambulare poſsimus.

Omnino enim & neceſsariò fundamentum illud ſalvum retinendum eſt, quòd ſolus Chriſtus gratiam, remiſsionem, & ſalutem nobis promeruerit, quòd Pater illa beneficia Filii ſui per Spiritum ſanctū in verbo Evangelii & Sacramentis nobis proponat & offerat, quodq; fide, quæ exiſtit in vera pœnitentia, illa accipiamus & nobis applicemus.

Et quicquid cum hoc fundamento pugnat, rejiciendum eſt. Semper etjam memoria repetendum eſt, quod ſuprà ex Scriptura oſtendimus, opus jejunii per ſe, niſi ad fines ſuprà monſtratos referatur & ordinetur, nō eſſe tàm eximiam virtutem.

Multi enim ſobrietate ad hoc abutuntur, ut proximo inſidias ſtruere, & mala machinari poſſint, ſicut & Iſaias inquit, Iejunatis ad lites & contentiones. Et quantumcunque encomia jejunii amplificentur, ſemper cogitandum eſt, inſonare nobis illam vocem Pauli, Corporalis exercitatio modicum habet utilitatis, pietas verò ad omnia utilis eſt. Cujus Paulinæ vocis ſi Patres memores fuiſſent, non incidiſſent in hyperbolas iſtas de nimiis encomiis, quæ extra & præter, imò ſæpius contra Scripturam jejunio ab ipſis tribuuntur, quæ variis & perniciosis corruptelis poſtea occaſionem præbuerunt, quòd homines putārunt, totum Chriſtianiſimum in obſervatione jejuniorum & ſimilium traditionum ſitum eſſe, cùm audirent talia externa magis extolli & amplificari, quàm ſpirituales cultus mandatorum Dei, cumiq; opinio curationis, propitiationis, expiationis, & remiſsionis peccatorū affingeretur operi jejunio, obſcurata & tandem depravata prorſus fuit ſana doctrina de pœnitentia, de fide, de merito Chriſti, & de gratuita juſtitia. Hæc commonefactio in conſideratione talium ſententiarum apud veteres utilis & neceſsaria eſt.

QVOD PATRES, SICVT ET SCRIPTVRA AD SUBIGENDUM CORPUS & MORTIFICANDAS CONCUPISCENTIAS CARNIS, NON SOLUM IEIUNIUM, VERUM ETIAM TEMPERANTIAM & SOBRIETATEM PROPONANT.

De ſperantia, & ſobrietate, ſervire has virtutes iſdem pietatis exercitiis quibus ieiunium.

SVPRA oſtendimus, cùm gula, crapula, & ebrietas ſpirituales animæ actiones impediāt turbent, & ſuffocent, contra verò carnis concupiſcentias excitent & inflamment, quod Scriptura pro ratione perſonarum & ætatum proponat non tantùm jejunium, verum etjam temperantiam & ſobrietatem. Ita veteres etjam, licet multi ſint in commendandis jejuniis, eoſdem tamen fructus & effectus ad mortificandam carnem, ad excitanda ſeria exercitia pœnitentiæ & orationis, tribuunt etjam temperantiæ & ſobrietati, ſicut jejunio.

Et quidem illis qui non poterant vel non volebant abſtinere, vel jejunare, proponebant temperantiam & ſobrietatem, ſicut paulò antè tales ſententias Chryſoſtomi annotavimus, Qui jejunare non poteſt, ſtudeat, inquit, temperantiæ, abſtineat à delitiis, &c. Finis enim eſt, ut ſpiritualibus exercitiis eò rectius vacare poſsimus, quod aliqui & aliquando temperantia aſſequi poſſunt, aliquando jejunio opus eſt. Ita Auguſtinus contra Fauſtum lib. 30. cap. 5. inquit, Abſtinent quantò magis quiſq; vel minus ſeu voluerit ſeu poterit.

Sententiæ Scripturæ de temperantia & ſobrietate.

Vrgent itaque veteres illas Scripturæ ſententias, quæ docent, temperantiam conducere ad mortificationem carnis, ad facienda officia vocationis, ad exercitia pœnitentiæ, orationis, fidei & pietatis. Romanorum 13. Non in commeſſationibus & ebrietatibus, ſed induite Chriſtum. 1. Corinthio. 9. Qui in agone contendit πάντα ἐγκρατεύεται, per omnia temperans eſt. Atque ita Paulus inquit, & ego corpus meum ſubigo. Et Tit. 1. Paulus ab Epiſcopo requirit, ut nō ſit vinolentus, ſed temperans, quam temperantiam ad patientiam, pietatem, & charitatem utilem eſſe Petrus confirmat, 2. Petri 1. Et Chriſtus Lucæ 21. præſcribens ea, quæ utilia ſunt, ut ſemper vigilemus & oremus, dicit, Cavete ne corda veſtra graventur crapula & ebrietate. Ita 1. Pet. 5. Vt poſsimus diabolo fide reſiſtere, inquit: Sobrii eſtote & vigilate. 1. Theſſalonicenſ. 5. Sobrii ſimus, induti lorica fidei, charitatis, & ſpei. Et 2. Timoth. 4. ut Timotheus miniſterium ſuum implere poſsit, Paulus præcipit ei ut vigilet, in omnibus laboret, & ſobrius ſit. Tit. 2. ſobrietatem præſcribit & iuvenib. & ſeniorib. Syrach 31.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Modicum sufficit homini πεπαιδευμένῳ temperanti, seu benè instituto, somnus salubris est in visceribus temperantiæ, manè surgit & anima ejus cum ipso est, vinum accommodatum est vitæ hominis, si moderatè bibatur. Exultatio animæ & jucunditas vinum moderatè potatum.

Vinum copiosè potatum irritationem animi creat. Ecclesiast. 10. Væ tibi terra cujus Principes manè comedunt. Beata terra cujus Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, non ad luxuriam.

Ita ergo crapula & ebrietas in Scriptura damnatur, & fugienda præcipitur. Nec tamen illis vitiis immediatè opponitur ieiunium, sed temperantia, ut abstineamus à crapula & ebrietate, ut Isa. 28. Verùm hi quoq; præ ebrietate nescierunt videre, ignoraverunt judicium. Quem igitur docebit sapientiam. Deut. 32. Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum suum. Proverb. 20. Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas. 1. Corinth. 6. Ebriosi regnum Dei non possidebunt. Galat. 5. Commessationes, ebrietates sunt opera carnis, & qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Oseæ 4. Vinum & ebrietas auferunt cor. Proverb. 30. Ne bibant & obliviscantur judiciorum. Isaiæ 5. Væ qui consurgitis ad sectandam ebrietatem, & potentes estis ad bibendum vinum. Ephes. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Isaiæ 22. Quando Dominus vocatad fletum & ploratum, ecce gaudium & lætitia, comedere carnes, bibere vinum, comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Et revelatum hoc est in auribus Domini, non remittetur, &c. Amos 6. Væ, qui cum lascivitis in stratis, comeditis agnum de grege, canitis bibentes vinum, unguento delibuti & nihil patiebantur super cõtritione Ioseph. Luc. 6. Væ qui saturati estis & ridetis, esurietis enim, lugebitis & flebitis. Proverb. 23. Qui vina sectantur, eorum oculi spectabunt extraneas, & cor perversa cogitabit.

Contra crapulam & ebrietatem.

Has Scripturæ sententias ideo hoc loco annotavi, ut manifestum fiat, non solùm jejunium animam reddere idoneam & alacrem ad perficienda officia vocationis, ad exercitia pœnitentiæ, orationis & pietatis, sed temperantiam & sobrietatem idem etjam efficere, sicut hæc scripturæ testimonia ostendunt. Scopus enim seu finis, quem Scriptura respicit, hic est, ne carnis petulantia exercitia spiritus impediantur & suffocentur. Ad illum finem assequendum Scriptura contra carnis rebellionem, quod ad cibum attinet, proponit hæc tria remedia: I. Cavere, vitare, fugere crapulam & ebrietatem. II. Sectari temperantiam & sobrietatem. III. Si ratio domandæ carnis ita exigat, jejunare. Iubet igitur Paulus necessaria sustentatione corpori honorem exhibere, & carnem curare, sed ne id cedat ad concupiscẽtias carnis, vult adhiberi abstinentiam à commessationibus & ebrietate, Romanorum 13. Deinde temperantiam seu sobrietatem, ne cor gravetur, Lucæ 21. quibus si finem propositum non assequamur, scriptura proponit doctrinam de ieiunio, quod habet quidem testimonia & exempla scripturę, sicut suprà monstratum est, non tamen in forma mandati, simpliciter ab omnibus & semper ita exigitur, sicut temperantia, quæ simpliciter omnibus & semper præstanda mandatur. Hæc ideo observanda sunt, ne quis Patrum declamationes de jejunio ita accipiat, quasi nullus nunquam possit spiritu actiones carnis mortificare, exercitia pœnitentiæ, orationis & pietatis, rectè etjam in sobrietate administrare, nisi adhibeatur externum jejunium.

Finis, quem scriptura præscribit temperantiæ & ieiunio.

Eodem modo Patres etiam temperantiæ eadem tribuerunt quæ ieiunio, ut Ambrosius de Iacob & vita beata, Passiones animæ sunt, superbia, avaritia, ambitio, contentio, invidia, corpori nexa sunt vitia, vorandi libido, effusio luxuriæ & lasciviæ. Istarum passionum temperantia maximè restinguit ardorem, quę primùm sobrietate atque moderamine animum temperat, mentem informat. Deinde etiam delitiarum abstinentia restinguit habenas corporalis ferocitatis. Temperantia igitur est correctionis prævia disciplinæ magistra, refrenans cupiditates, &c.

Temperãtiæ eadem à patribus tribuuntur quæ ieiunio.

Hieronymus libro 2. contra Iovinianum, Si quis existimat & abundantia ciborum potionumq; se perfrui, & vacare posse sapientiæ, hoc est, & versari in delitiis, & delitiarum vitiis non teneri, seipsum decipit. Absque cibis impossibile est humanum corpus subsistere, adesse ergo debet ratio, ut tales ac tantas sumamus escas, quibus nõ oneretur corpus, nec libertas animæ prægravetur.

Hieronymus.

Idem in 44. caput Ezechielis: Sunt opera, quæ pro necessitate corporis facere compellimur, ut cibum capere & potum, quæ tunc circumcidimus, si non ad delitias, luxuriam & inertiam, sed ad necessitatem naturæ & corporis istius sustentaculum cuncta faciamus. Ambrosius de Helia & jejunio, sicut mater fidei continentia, ita perfidiæ mater ebrietas est.

Ambrosius.

Aũgustinus Epist. 86. Cùm ei argumenta deficiunt, quibus probet sabbato jejunandum, in luxurias epularum & temulenta convivia & ebrietates insultãdus invehitur, quasi non jejunare sit inebriari.

Augustinus.

Aliud enim est gravare corda crapula & ebrietate, aliud modestia & temperantia custodita relaxare ieiunium. Prandia ergo Sanctorum à voracitate & ebriositate ventricolarum discernat.

Prosper de vita contemplativa cap. 10. Temperantię virtus si in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, cogitationes pravas removet, inserit sanctas, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & ab omni vitiorum tempestate defendit, &c.

Prosper.

QVAE ET QVALIS SIT PONTIficiorum doctrina de ieiunio.

HActenus ex Scriptura canonica ostendimus, quæ sit vera sententia doctrinæ de jejunio, quis pius & salutaris eius usus. Addidimus etiam ex veteris Ecclesiæ scriptoribus sententias quasdam

Antitheſis Pontificij dogmatis de ieiunio.

quasdam verbo Dei consentaneas. Et ostendimus, quomodo ab hypotyposi sanorũ verborũ in Scripturis præformata, sensim cœperint discedere. Superest jam ut ostendatur & doctrinam & exercitia jejunii in pontificia Ecclesia non congruere ad Canonem seu normam Scripturæ Canonicæ, sicut illa testimoniis & exemplis doctrinam de jejunio tradit & proponit, sed leges & opiniones Pontificiorum expressè pugnare cum Scriptura.

Partitio.

Ad quod demonstrandum non est opus prolixa oratione, sed sit tantùm instituatur antithesis doctrinæ pontificiæ de jejunio, ad ea, quæ suprà ex testimoniis & exemplis Scripturæ de jejunio constituta sunt, tunc dijudicatio facilis & plana erit. Vt igitur membra membris commodius opponi possint, ordine tantùm recitabimus, quid pontificia Ecclesia de legibus temporis jejunii, de ciborum quorundam prohibitione, & de meritis jejunii statuerit. Hæc enim est definitio pontificii jejunii, quòd sit subtractio cibi, facta secundum institutionem Ecclesiæ, scilicet statutis temporibus, & abstinentia ciborum prohibitorum sub pœna peccati mortalis, ad satisfaciendum pro peccatis, & ad promerendam gratiam DEI, & vitam æternam. Vel sicut Alexander Alensis definit, Iejunium est abstinentia à cibo & potu, secundum formam Ecclesiæ, intuitu satisfaciendi pro peccato, & acquirendi vitam æternam.

Definitio Pontificij ieiunij.

Alexander ab Ales.

I. Primum igitur generale caput pontificiæ doctrinæ est de jejunio, quomodo suum jejunium describant, suprà enim ex Scriptura ostendimus, sanctos jejunantes omnibus delitiis corporis renunciasse, & per diem ab omni cibo usq; ad vesperam seu cœnam abstinuisse, & parcè ac minus delicatè etjam cœnasse, sine ulla tamen prohibitione ciborum à Deo concessorum.

Quomodo ieiunium suũ describunt Pontificij.

Quomodo verò & quàm miris technis veram illam rationem jejunii, sicut suprà ex Scriptura eam monstravimus, Pontificii eludant & pervertant, cùm maximè jeiunare videri velint, ex ipsorum scriptis ordine annotabimus, idq; per partes & membra, ut fraus eò planior fiat.

Abdicatio delitiarũ nõ urgetur à Pontificijs.

Et 1. de abdicatione aliarum delitiarum, seu delectationum corporis tempore jejunii, nihil admodum in statutis Pontificiorum præcipitur, certè in praxi apud ipsos non servatur, sed de cibis tantùm statuunt, cùm scripturæ jejunia plus, sicut ostendimus, complectantur, quàm ciborum abstinentiam.

II. Iejunium suum potissimùm constituunt in discrimine, delectu, seu prohibitione potius ciborum quorundam, ut scilicet tempore jejunii abstineant ab esu carnium, ovorum & lacticiniorum, dist. 4. cap. denitq. Parum est, ut his diebus à carnibus animalium abstineamus, nisi ab his quoq;, quæ sementinã trahunt originem carnis, jejunemus à lacte videlicet, caseo & ovis. Et hoc ita statutum ab ipsis & observatum fuit, ut etjamsi quis per totum diem ab omni cibo abstinuisset, si in cœna vel parum carnis etjam non lautè præparatum, vel durum frustrum casei sumeret, is judicaretur jejunium solvisse & fregisse, ac peccatum mortale ad misisse, quia scilicet Ecclesia suo statuto diebus jejunii hæc prohibuerit.

Discrimen ciborum apud Pontificios facit ieiunium.

Scholastici verò scriptores, dum rationes hujus prohibitionis inquirunt, disputant quidem de causis physicis, quòd carnes animalium propter caliditatem & humiditatem maximè nutriant & delectent, ac provocent fomitem peccati & incentivum carnis seu libidinem, sed hisce rationibus vident multa obstare, scilicet quòd in piscibus major sit delectatio, quàm in carne fumo durata, quodq; condimenta piscium plus ad libidinem provocent, quàm salsedo carnium salitarum. Argumentanturq; etjam ipsi, legumina propter ventositatem irritare libidinem magis quàm carnes. Ex Aristotele etjam adducunt, quod maximè nutritiva sint aqua & terra, minimè autem aër & ignis, atque ideo pisces potius quàm volatilia & eorum ova prohiberi debuisse. Fortissima verò objectio est, quod de vino, cujus usum in jejuniis suis non prohibent Pontificii: & Scriptura dicat, & experientia testetur, esse rem luxuriosam, Ephes. 5. Et aliquid sanè conantur ad illa argumenta respondere, sed tandem eò decurrunt, Ideo carnes jejunii tempore prohibitas, quia terra propter peccatum Adæ sit maledicta, aquæ verò non, ut quæ postea sanctificata etjam sit Baptismo Christi. Item: quia Christus post resurrectionem piscem comederit, non carnes. Alensis.

Scholaſtici de cauſis pro hibiti eſus carnium.

Scitum.

Suprà verò ostensum est, talem ciborum prohibitionem, sub peccato mortali, & ex talibus causis, adversa fronte repugnare Scripturæ novi Testamenti, & esse ipsissimam doctrinam dæmoniorum, 1. Timoth. 4. Cumq; Colos. 2. Paulus dicat: Neminem debere nos judicare vel damnare in genere cibi vel potus, juxta doctrinas & mandata hominum: Manifestum est, quo jure & quo spiritu Pontificii inde faciant peccatum mortale.

Refutatio prohibitionis ciborum.

Vanum enim & falsum est, quòd Alensis dicit: Eum qui suscipit Baptismum, eò quòd tunc fiat membrum Ecclesiæ, subjicere se statutis Ecclesiæ sub peccato morali tobservãdis. Christus enim Matth. 28. institutioni baptismi hoc addit, Docentes eos servare, quæ ego præcepi vobis. Et Matth. 15. Frustrà me colunt doctrinis & mandatis hominum. Falsum etjam & crimen falsi est, quod Isidori verbis tradit libertatem omniũ ciborum, quæ post diluvium concessa fuerat, in novo Testamento à Christo fuisse retractatam, ubi per Apostolum suum dixit: Bonum est non manducare carnem. Item, qui infirmus est, olus manducet. Paulus enim non simpliciter loquitur. Ita enim & secum & cum Christo pugnaret, sed addit, malum esse si fiat cum offendiculo fratris infirmi, quales tunc erant recens ex Iudaismo conversi, qui præ infirmitate fidei nondum poterant capere libertatem Evangelii de omnibus cibis. Quodq; Paulus de hujusmodi infirmis dicit, quod præ metu, ne inciderent in aliquod cibi genus à Moyse interdictum, si ex macello gentium vel Christianorum carnes emerẽt, olus manducãrint, hoc ita depravant, quòd infirmi, hoc est, qui non sunt perfecti, si ad perfectionem tendant, debeant à carnibus abstinere & oleribus vesci. Et ipse Alensis citat quædam veterum dicta contra delectũ illum ciborum, ut quod glossa Rom. 14. dicit: In usu escarũ non acquiritur

Alenſis figmentum.

Depravatio ſententiæ Pauli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quiritur regnum Dei, sicut etiam non admittitur. Non enim usus ciborum interdicendus, sed concupiscentia frænanda est. Et alia glossa ex Augustino dicit, non interest quid alimentorum vel quantum accipiat, dummodò hoc faciat pro congruentia eorum, cũ quibus vivit, vel pro usu necessitatis & salutis corporis. Item ex eodem Augustino, nec in abstinendo, nec manducando est justitia, sed in æquanimitate tolerandi inopiam & temperandi abundantiam. Et quod Gregorius dicit, non cibus, sed appetitus in vitio est. Sed dicta illa miserabiliter eludit.

Patres cõtra delectum ciborum.

III. *Alensis de quantitate ciborum.*

Tertiò, Alensis disputat & decidit tempore jejunij non tàm à quanto, quàm à quali abstinendum esse. Et interpretatur hoc non tantùm de cibis delicatis, sed potissimùm de cibis prohibitis: dicit enim, majus peccatum esse tempore jejunij comedere unum morsellum carnis, quàm de piscibus & aliis multum comedere. Item dicit, excessum manifestum in quantitate cibi minuere quidem meritum jejunij, non tamen solvere jejunium, quia, inquit, Ecclesia non determinavit quãtum debeat sumi in communi, modò quis carnes non comedat.

IIII. *Lautitias nõ prohibet Pontificium ieiunium.*

Quartò, scriptura tradit, Danielem tempore jejunij panem desiderabilem, hoc est, cibum delicatum non comedisse. Pontificij verò sua praxi ostendunt quid sentiant, jejunium esse modò abstinentia à carnibus, ovis & lacticiniis præstetur, etiamsi pisces & reliqua cibaria lautè, delicatè & opiparè præparentur & condiantur. Et delitiæ illæ simulatorum jejuniorum fuerunt quidem taxatæ à quibusdam, sicut Alanus inquit de planctu naturæ. Hodie gulæ vitium profundius se porrigit in Dominos & Prælatos, qui Salmones, Lucios, cæterosq; pisces æquipollenti generositate insignes, variis decoctionum cruciant martyriis, balneantes officio sacri piperis, ut multiformem saporis gratiam consequantur. Alius ministrorum contundit, colat alius & conficit, substantiam vertit in accidens, naturam mutat in aërem, ut faturitas transeat in esuriem. Similes Hieronymi sententias postea in historia annotabimus. Sed talia ieiunii condimenta noluerunt sibi eripi Prælati Pontificii, oppositerunt enim ex dist. 41. dictum Augustini: Non cogantur divites cibis pauperum vesci. Dicit igitur Innocentius, Si quis pisces & similia lautius capiat vel nimis ardèter, non credimus, quòd propter hoc solvatur ieiunium, licet in his excessibus eũ peccare credamus, venialiter scilicet.

Innocentius.

V. *Vsus vini tempore ieiunij nõ prohibitus.*

Quintò, usum vini tempore ieiunii non prohibent Pontificii, sed concedunt non tantùm in prandio vel cœna, verùm etiã postea, imò etiam ante prandium seu cœnam, modò causa fit rationabilis. Albertus dicit, ieiunium frangi si ante cibum quis bibat vinum. Innocentius credit, non solvi ieiunium sive ante cibum, sive post bibatur, & hoc maximè propter consuetudinem. Alensis verò ponit unam notabilem regulam, scilicet tempore ieiunii cum piscibus vinum esse necessarium. Atqui talia Pontificiorum ieiunia præcipuæ apud nos sunt delitiæ. Et vinum profectò facilius & magis carnis concupiscentias inflammat, quàm arida caro, durus caseus & rancida ova. Mirabile itaq; est ieiunium & expetenda sanè castigatio corporis, pisces optimi, condimenta lautissima, vinum fortissimum seu præstantissimum & quantitas indeterminata.

Albertus.
Innocentius.
Alensis.

VI. *Tempus refectionis dieb. ieiunij apud Pontificios.*

Sextò, pertinet & hoc ad descriptionem Pontificii ieiunii, quod de tempore confectionis seu comestionis tempore ieiunii tradunt. Cùm enim veteres dicant, ieiunia ad horam nonam usque producta fuisse. Et horas more Scripturæ supputent, ut sexta hora sit meridies, tertia sit inter medium tempus inter ortum diei & meridiem, nona verò sit intermedium tempus inter meridiem & vesperam: Pontificii excogitârunt artificium, quo constitutiones illas veterum eluderent, & nihilominus fortiter ieiunare viderentur. Vesperam enim vocârunt nõ horam vespertinam, sed quando vespertinũ officium celebratur, illud verò ad horam secundã post meridiem celebrare cœperunt. Ita nonam vocare cœperunt nõ tempus intermedium inter meridiem & vesperam, sed quando nonæ officium cantabatur, quod faciebant per horam ante vespertinum officium, hoc est, circa horam à meridie primam. Et tunc cœperunt diebus ieiuniorũ cœnam sumere. Antonius verò dicit, modò sexta, hoc est, meridiana hora transierit, posse diebus ieiunii cibum sumi, hoc est, cœnari in meridie. Sed quia & hoc nimis grave putabatur, præsertim in quadragesima, cùm Cabilonense cõcilium dicat, Nullatenus ieiunare credendi sunt, si antè mãducaverint, quàm vespertinum celebretur officium. Vetus enim erat constitutio, in reliquis ieiuniis ante nonam horam non esse solvendum ieiunium, in quadragesima verò ante horam vespertinam non esse cibum sumendũ. Mirifica igitur techna cœperunt sextam, nonã atq; adeo etiam vespertinum officiũ in quadragesima cantare ante meridiem. Et Sole in summo axe splendente, ipsi boatibus suis in Templis clamitãt, tenebras & chaos horridum terram occupasse. Atq; ita vespertino officio ante meridiem decantato, liberè comedunt, hoc est, ante meridiẽ cœnant, & tamen volunt videri per totum diem usq; ad vesperam ieiunasse, sed fictione iuris, sicut summa Angelica dicit. Et ex illa quadragesimali techna generaliter postea cœnæ ieiuniorum mutatę sunt in prandia. Et nihilominus fingunt se veteris Ecclesiæ constitutiones de ieiuniis servare. Durandus dicit, quia tàm Papa, quàm Cardinales, Prælati & religiosi ieiunantes, hora sexta, hoc est, in meridie comedunt, ideo consuetudo reliquos etiam totaliter excusat. Septimò post tale prandium, deinde sub vesperam non cœnã sumunt, sed collationem, ficut loquuntur, faciunt Pontificii, ut scilicet mensa non solenniter sternatur, sed tantùm mantili circumposito confectiones, electuaria, placẽtæ, ficus, boletinuces, dactyli, poma, pyra, & huiusmodi species, præsertim in confectionibus imponãtur addito bono vino. Et quia per modum medicinæ hæc sumi fingebantur, multa ibi disputabantur de medicinis consecrativis, & iuvantibus digestionẽ, de medicinis cibalibus, de cibis medicinalibus, ut in tali luxu nihilominus strenuè ieiunare viderentur. Petrus de Palude dicit: Si quis etiam manè non propter voluptatem, sed per modum medicinæ ne deficeret in die ieiunii, ante horam commestionis vinum biberet,

Vesperæ Pontificorum.

Nona.

Antonius.

Cabilonense Concilium.

Vesperæ ante meridiem.

Durandus.

VII. *Collatio vespertina tempore ieiuniorum apud Pontificios.*

Petrus de Palude.

beret, vel ficus & aliquid huiusmodi prælibaret, non frangeret jejunium. Sed hoc, inquit, vulgo non est prædicandum. Richardus verò ita disputat, quam vis aliqui dicant, quòd die jejunii bibere vinum vel cerevisiam manè, & comedere electuaria de fero, delectationis causa, frangit jejunium, ego tamen, inquit, credo cõtrarium, quia quamvis illa aliquo modo nutriant, in hoc tamẽ non est principaliter eorum usus.

Richardus.

Antonius. Antonius verò recitatis istis Scholasticorum disputationibus addit, sed communis usus Christianorum est, diebus jejunii facere collationem de fero, & aliquid parum sumere cum potu, sine tali consideratione, an per modum medicinæ sumatur. Et hoc eorum factũ piè interpretandum, & excusandum est, nisi sumerẽt in notabili quantitate. Panormitanus verò fictiones seu potius ludificationes illas ridens & improbans inclinat in eam opinionem, licere in die jejunii pluries comedere sine fractione jejunii, dummodo fiat ex causa rationabili & secundum cõsuetudinem eorum inter quos vivitur. Et hoc dicit, quia Græcis addictus fuit: Alensis enim scribit. Græcorum sententiam esse, melius esse in die jejunii pluries & qualibet vice parum comedere, quàm semel in die cum repletione. Cùm Hieronymus etiam dicat: Melius est sæpius comedere parum, quàm semel satis sumere. Et Isidorus: Spernitur eius jejunium, qui in vespere ciborum satietate reficitur. Idem Panormitanus etiam dicit, putarem ego quòd aliquid comedere pro collatione de sero magis ad sustentationem naturæ, quàm ad delitias, non fit peccatum, nec frangit jejunium. Angelus verò in sua Summa dicit, peccatũ esse, nisi comestio potius ordinetur ad medicinam, quàm ad cibum ex intentione sumentis, & ex modo ac quantitate sumpti, licet consequenter aliquid nutriat. Et addit, Non restringo me ad electuaria solùm sicut quidam, sed addo panem & fructus, & quodcunque aliud, quod sumitur per modum medicinæ.

Panormitanus.

Græcorum sententia de ieiuniis.

Hieronymus.

Isidorus.

Panormitanus.

Angelus.

Pontificij ludibria ieiuniorum non ieiunia habent. Hæc de jejunii Pontificii descriptione per partes tanquam in στιχολογίᾳ exponere volui, ut prius aspici possit, qualia non jejunia, sed veri jejunii ludibria sint apud Pontificios. Quàm longè enim absint ab illa ratione jejunandi, quæ in Scriptura traditur, nuda collatio ostendet, cum impudendis fictionib. juris, sicut ipsi loquuntur, Scripturę jejunium eludant, & manifestam fraudem ei faciant, tamen talia ludibria jejunii non veretur Deo ad satisfactionem pro peccatis opponere, & varia ipsis merita tribuere. Quomodo verò talia ludibria jejunii ab Hieronymo exagitentur, in historia dicemus.

Doctrinæ Pontificiorũ de tempore ieiuniorum.

Secundum caput generale doctrinæ Pontificiæ de jejunio complectitur Leges sive statua de temporibus, quibus ex præcepto sub peccato mortali jejunandum esse docent. Suprà autem ostendimus, quæ sit Scripturæ sententia de tempore, quando in novo præcipuè Testamento jejunandum sit. Nempè sicut Augustinus inquit, Epist. 86. Ego in Evangelicis & Apostolicis literis totoq; instrumento quod appellatur novum Testamentũ, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus oporteat jejunare, & quibus non oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum. Et in historia jejunii ostendimus, veterem Ecclesiam alicubi quibusdam diebus septimanæ, quarta scilicet feria & sexta, quando publici Ecclesiæ cœtus celebrabantur, & populus ad auditum verbi, ad usum Sacramentorum, & ad publicas preces conveniebat, fervasse jejunia. Ita etiam ante festum Paschatis propter publicè pœnitentes, & baptisandos. Et quando ordinationes ministrorum Ecclesiæ fiebant, publica observabantur jejunia. Sed illa jejunia habebant liberas & dissimiles in diuersis Ecclesiis observationes, sicut postea ostendemus. Pontificii verò ex liberis & dissimilibus observationibus, suis legibus & statutis fecerunt præcepta, non ordinis tantùm & disciplinæ gratia, sed opinione necessitatis, ut mortaliter peccare judicetur is, qui statuto illo die vel tempore non jejunat, etiamsi alio tempore ejunet. Ecclesia enim, sicut Bernhardinus inquit, sub peccato mortali indicit statuta sua jejunia. Et addit Bernhardinus: O quot ad infernum demerguntur, quia non ieiunant, quot sunt qui credunt sufficere sibi tres dies per hebdomadam ieiunare, qui ex hoc solo damnabuntur, quia totam quadragesimam non ieiunant. Durandus ita argumentatur. Augustini sententia est, instituta maiorum pro lege sunt tenenda, & Hieronymus addit, sicut prævaricatores legum divinarum ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt, sed statuta ieiuniorum sunt ex institutione Romanorum Pontificum, & prævaricatio legis divinæ, est peccatum mortale, Ergo similiter etiam peccatum mortale est, non ieiunare statutis diebus. Extructa autem illa fuerunt ex κατασυλλήψει legis Mosaicæ, sicut enim Levitic. 23. scriptum est, de septimi mensis decimo die: Omnis anima, quæ affligita non fuerit die hoc, peribit de populis suis, & delebo eam de populo suo. Ita Pontificii populo novi Testamenti, voluerunt imponere certorum temporum ieiunia sub peccato mortali. Nec verò unius tantùm diei, sicut sub Mose, sed multorum & variorum dierum, ut scilicet sub libertate novi Testamenti durior esset servitus. Atqui Christus suo adventu legalem necessitatem ieiunii Levitici, quod erat certi temporis, abrogavit, nec aliud novum mandatum, quo conscientias ad certi alicuius temporis ieiunium obligaret, in novo Testamento substituit. Nec etiam prælatis Ecclesiæ concessit, humanis traditionibus & mandatis, conscientias opinione necessitatis, sub peccato mortali, ad certorũ temporum ieiunia obligare. Si enim ab elementis Mosaicis in Christo mortui sumus, quomodo hominũ doctrinis & mandatis teneremur? Nemo ergo vos judicet in cibo ac potu, aut in parte diei festi, Colos. 2. Ad festa verò etiam ieiuniorum dies pertinebunt in veteri Testamento, Quando enim ieiunabant, nihil operis faciebant, Levit. 23. Et Galat. 4. Paulus in genere dicit observationem dierum & temporum, quò ad conscientiam, scilicet opinione necessitatis, sub peccato mortali, pugnare contra Evangelium. Et capit. 5. concludit, In libertate igitur, qua Christus vos liberavit, state, & nolite rursus jugo servitutis implicari. Quomodo verò pro ratione incidentium causarum

Scriptura nõ definit certũ tempus ieiuniorum. Augustinus.

Causa ieiuniorum quarta & sexta feria.

Fons Decreti Pontificij, de certo ieiunio rum tempore.

Christus non tulit leges de certo ieiunio rum tempore, nec ecclesiæ potestatem cuiquã dedit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum ordinis & disciplinæ gratia, sed conscientiarum libertate, possint jejunia, vel indici vel suscipi suprà ex Scriptura ostendimus, & in historia jejunii etiam veteris Ecclesiæ exemplis ostendemus. Nunc verò Pontificiæ Ecclesiæ doctrinam de hoc capite recensebimus.

Discrimina ieiuniorum Pontificiorũ.

Varias igitur tradunt ieiuniorum distinctiones, quod attinet ad tempus ieiunandi.

I. Assumpta ieiunia.

Primò enim quædam vocant assumpta ieiunia, ut quando quis liberè ex propria devotione sumit sibi tempus aliquod ad ieiunandum. Hæc ieiunia dicunt esse voluntaria, & pertinere ad opera supererogationis.

II. Votiva ieiunia.

Secundò, quædam vocant votiva ieiunia, quando scilicet vel ex voto ordinis alicuius Monastici (quivis enim ordo peculiaria habet statuta ieiunia) vel ex voto peculiariter emisso (ut quando Sancti peculiaria in morbis ieiunia vovebant) aliquis se ad certi alicuius temporis ieiunium obligat. Et hæc dicunt ratione voti esse necessaria.

III. Iniuncta.

Tertiò, quædam vocant iniuncta ieiunia, quæ scilicet à Sacerdote in confessione ad satisfactionem iniunguntur. Et hæc ratione Sacramenti pœnitẽtię & satisfactionis dicunt esse necessaria.

IIII. Indicta seu instituta.

Quartò, quædam vocant instituta seu indicta, quæ certis temporibus præcepto Ecclesiæ statuta & mandata sunt, illa ratione præcepti dicunt esse necessaria.

V. Ieiunia consilij.

Quintò, quædam ieiunia vocant consilii, quæ scilicet non omnibus sunt præcepta, sed tantùm illis consulta, qui per opera supererogationis ad statum perfectionis contendere volunt.

VI. Consuetudinaria.

Sextò, quædam vocant ieiunia consuetudinaria, quãdo scilicet in aliqua regione est ieiunium aliquod consuetum, quod tamen non est præceptum per ius scriptum.

VII. Extraordinaria.

Septimò quædam vocant extraordinaria, quę pro ratione incidentium causarum extraordinariè indicuntur.

Species ieiunij indicti seu præcepti Quadragesimale.

Indicta autem seu instituta ieiunia, quæ sunt præcepti, hæc numerãt: Primò, quadragesimam totam exceptis dominicis. Secundò, quatuor tempora. Tertiò, vigilias nativitatis Domini & assumptionis Mariæ. Quartò, Vigilias Apostolorum excepta vigilia Ioannis Evãgelistę, Philippi & Iacobi. Ex consuetudine recepta ieiunia hęc numerant: In vigilia omnium Sanctorum, Iocannis Baptistæ & Laurentii. Consilii ieiunia dicunt esse in adventu Domini, in Rogationibus, in vigilia Pentecostes, & à secunda feria quinquagesimæ usque ad quartam. Item, iuxta summam Angelicam, quarta & sexta feria ac Sabbata omnia sunt ieiunia consilii. Alii dicunt, olim in primitiva Ecclesia hæc ieiunia fuisse præcepti, iam esse consilii. Ex hac nuda commemoratione varietas & multitudo laqueorum conscientis ineiectorum, aliquo modo æstimari potest, cùm sub peccato mortali pleraque ieiunia necessaria fecerint, & quidẽ ad vitam æternam necessaria, imò plus ultra vitam æternam ieiunia posse mereri finxerunt. Operæ precium verò est audire rationes institutionis ieiuniorum, quadragesimę prę sertim & quatuor temporum. Omnes quidem in eo consentiunt, quadragesimam ideo institutam, quia Christus ieiunarit 40. dies. Sed Alensis videt multa posse obiici, quia scilicet Christi illud ieiunium fuit miraculosum, & sicut rectè dicit, in miraculis Christus proponitur nobis non imitandus, sed admirandus. Item, Christus cùm diceret (Discite à me) Apostolis suis non iniunxit, ut ieiunium suum quadragesimæ imitarentur, imò noluit ipsos ieiunare quandiu cum ipsis fuit. Item, cùm Moses ieiunasset quadraginta diebus, itidem & Helias, inde tamen non institutum fuit ieiunium quadragesimæ in veteri Testamento, cùm non extaret mandatum DEI generale, Obiicit sibi & illud argumentum, quod Paulus illos arguit, qui observant tempora & dies. Etsi imitandum esset ieiunium illud Christi, statim post Epiphaniam esset ieiunandum. Illas obiectiones conatur quoquo modo eludere, sed eùm agnoscat, solidi nihil posse contradici, ad alias rationes confugit, In Vere scilicet celebrandam esse quadragesimam: Primò, quia ieiunium dicit institutum esse propter peccatum primi hominis, ille autem in Vere peccavit. Secundò, quia in Vere maximè insurgunt motus carnales, Ergo in Vere instituenda fuit quadragesima. Et tamen mox ex Aristotele adducit, libidinem in viris magis dominari in hyeme, in fœminis in æstate.

Exceptiones Alensis. I.

Cur quadragesimale ieiunium in Vere servetur.

De numero verò quadragenario mirificè philosophantur, ut ex Gregorio, sicut in veteri Testamento mandata fuit solutio decimarum, & laudabantur, qui de omnibus dabant decimas (scilicet sicut Pharisæus ille, Luc. 18.) ita in novo etiam Testamento mandandas & solvendas esse decimas, utq; etiam temporis decimas solveremus, ideo ieiunium quadragesimæ institutum esse. Cumq; decima pars dierum totius anni faciat tantùm 36. dies de supplemento numeri quadragenarii anxiè laborant. Item, tenemur satisfacere Deo pro transgressione Decalogi secundum inordinationem quatuor affectionum contra singula præcepta, sed quater decies faciunt quadraginta. Item ieiunia nostra fiunt in remissionem peccatorum & numerus quinquagenarius, ut iubilæi est remissivus, quinquagesimus verò numerus componitur ex partibus quadragenarii, Ergo in numero quadragenario instituendum fuit ieiunium. Hæc Alensis. Thomas dicit, virtus Decalogi impletur per libros 4. Evangelistarum. Item, caro cuius voluptatibus præceptis Decalogi contraimus, ex quatuor elementis constat, Ergo quadragesimale ieiunium debuit institui. Quam ineptæ verò sint rationes istæ, iam Dei beneficio patet, ut tantùm recitasse sit confutasse. Bernhardinus verò suis Rhetoricationibus addit plures rationes, quia scilicet quadraginta diebus & noctibus, Deus pluit aquam diluvii, quadraginta dies dati sunt Ninivitis ad pœnitentiam, quadraginta mãsionibus filii Israel ex Aegypto, pervenerunt ad terram promissionis, Elias quadraginta diebus pervenit ad montem Dei. Christus post quadraginta dies à sua resurrectione ascendit in cœlum, &c. Sed eadem consequentia ex quibusvis aliis numeris Scripturæ, & hoc & quidvis aliud posset concludi. Mirum verò, ni harum inepciarum Pontificios iam pudeat, sed qui semel frontem perfricuit, eum oportet gnaviter impudentem esse.

Philosophia & argutatio de numero quadragenario ieiunij vernij. I.

Thomæ ratiuncula.

Bernhardini ratiocinatio.

Ratio ieiunij Pontificij quatuor temporum.

Ex eadem logica afferunt etiam rationes de jejuniis quatuor temporum, quia scilicet in veteri Testamento dandæ fuerunt primitiæ. Ergo in novo Testamento sub peccato mortali instituenda fuerunt quatuor temporum jejunia, ad solutionem primitiarum temporis. Item in veteri Testamento in quatuor mensibus scribuntur fuisse jejunia, Zachar. octavo. Ergo in novo Testamento debent esse quatuor temporum jejunia. Quin igitur eadem opera toti ad totum Mosen, abnegato adventu Christi, redimus. Addunt & hanc rationem, quòd ad expiationem offensarum in singulis quadris anni instituenda fuerint jejunia. Sed hoc pertinet ad caput de meritis jejunii.

I.

II.

III.

Causæ ieiunij quartæ & sextæ feriæ.

De jejunio quartę & sextę feriæ afferunt hanc rationem, quia CHRISTVS dixerit, venient dies quando auferetur sponsus, & tunc jejunabunt. Sed feria quarta Iudæi tractarunt de occidendo Christo, sexta autem feria crucifixerunt ipsum, Ergo illis diebus jejunandum est. Christum verò ibi loqui non de statis jejuniorum diebus, sed de persecutionibus, cruce, & aliis calamitatibus superventuris post abitum suum, & de luctu Apostolorum in cruce, ex contextu manifestum est. Et omnibus Pontificiorum argumentis unicam tantùm illam Augustini sententiam oppono. Quibus diebus oporteat jejunare, quibus non oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum. Et tamen cum opinione necessitatis sub peccato mortali, stata sua jejunia conscientiis obtrudunt Pontificii.

Refutatio generalis omnium superiorum cõmentorum.

De finibus seu meritis ieiuniorum Pontificiorũ.

Tertium generale caput doctrinæ Pontificiæ de jejunio ostendit, quo fine & jejunent & ieiunari velint Pontificii, vel ut ipsorum phrasibus utar, quale meritum, qualem efficaciam seu fructificationem ieiuniis suis tribuant. Et hoc caput præcipuè observandum est. Suprà enim ostendimus, non actu, seu ipso opere operato, sed finibus discerni ieiunia prophana, superstitiosa, & impia, à veris, piis, & Christianis ieiuniis. Scholastici igitur disputant, sicut Alensis dicit, Hominem non teneri ut ieiunet, sive in charitate, sive ex charitate, quia institutio sive iniunctio ieiunii ad actum obligat, non ad modum. Albertus dicit ieiunium in peccato mortali præstitum non prodesse quidem ad promerendam vitam æternam, prodesse tamen ad aliq, quia scilicet impleat mandatum ad quod tenebatur, obligante sive Ecclesia sive confessore, & quia ieiunium quoquomodo factum, relinquat dispositionem bonam ad castitatem, & præcipuè quia magis confinem faciat gratiæ Dei, ad quam disponat, vel sicut Bonaventura loquitur, quia valeat ad gratiæ impetrationem. Si verò in charitate fiant ieiunia, tribuunt illis multas & varias utilitates. Et non malè loquuntur, cùm dicunt, ieiunium ordinari ad refrenationem libidinis, & elevationem mentis, iuxta Augustini dictum, quod allegant, ieiunium purgat mẽtem, sublevat sensum, & carnem spiritui subiicit, cor contritum & humiliatum facit, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verò lumen accendit. Sed opus operatum ieiunii per se illa non potest efficere, nisi spiritu actiones carnis mortificantur, sicut Hieronymus ipse de se fatetur: Quoties, inquit, in eremo constitutus, in illa vasta solitudine, quæ exusta Solis ardoribus, horridum monachis præstat habitaculum, putabã me Romanis interesse delitiis, sedebam solus, quia amaritudine plenus eram, horrebant sacco mẽbra deformia, quotidie lachrymæ, quotidiè gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressit, nudæ humo vix ossibus hærentia membra collidebam. De cibo verò ac potu taceo, cùm etiam languentes monachi aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepisse luxuria fit, ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaveram, scorpionum tantùm socius & ferarũ, sæpe choreis intereram puellarum, pallebant ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat, & in frigido corpore, & ficca iam ac præmortua carne, sola libidinum incendia bulliebant, &c.

Alensis.

Albertus.

Bonaventura.

Ieiunia valere ad satisfactionem pro peccatis.

Sed audi quæso quomodo loquantur, quando de meritis ieiunii sui disputant, verba enim tantùm ipsorum adscribam, communis igitur omnium ipsorum vox & opinio est indici ieiunia, & valere ad satisfactionem pro peccatis. Et quid fit satisfactio Durandus ita declarat, quod iniustitia commissa per offensam, reducatur ad æqualitatem iustitiæ & amicitiæ per satisfactionem, ut satisfactio sit recompensatio offensę, ad reconciliandam amicitiam.

Satisfactio quid. Durandus.

Hæc sunt verba Durandi. Scotus dicit, satisfactionem esse operationem externam laboriosam seu pœnalem, voluntariè assumpta ad puniendum peccatum à se commissum, & ad placãdum Deum. Gabriel dicit esse passionem seu pœnam voluntariè toleratam in ordine ad peccatum, vel peccati remissionem. Et proprium satisfactionis esse dicit, ut fit æqua correspondentia, seu æquivalẽtia eius, quod redditur ad illud, pro quo redditur. Quia verò in satisfactione oportet esse æqualitatem inter offensam & recompẽsationem, disputant, hominem quidem ex se non posse reddere Deo aliquid equivalens pro peccatis, sed tamen vel cum acceptatione divina, vel excommunicatione meriti passionis Christi hoc posse.

Scotus.

Gabriel.

In hanc ergo sententiam Alensis dicit, ieiunamus, ut satisfaciamus pro trangressione decalogi. Et ieiunium ab Ecclesia statutum est in satisfactionem reatus culpæ. Item, ieiunia nostra fiunt propter remissionem peccatorum, ieiunia quatuor temporum instituta sunt, ad expiationem offensarum commissarum in quatuor quadris anni. Item, Per modicum ieiunium satisfacit homo pro peccato, cui debetur pœna permaxima. Item, Ieiunium necessarium est ad rollenda peccata, ut fit reconciliatio & pax cum Deo. Ieiunium institutum est, ut perfectam reconciliationem cum Deo mereamur per ieiunium. Dicit etiam, ieiunium est causa obtinendi vitam æternam. Item, Ieiunium voluntariũ factum in charitate meritorium est vitæ æternæ, non aũt posset mereri vitam æternam, nisi omnis pœna dimissa esset. Ergo meritorium est ieiunium etiam dimissionis omnis pœnę. Hæc omnia sunt verba Alensis in summa de ieiunio.

Alensis de meritu ieiunij.

Ber-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Bernhardinus.

Bernhardinus addit placationem iræ Dei & æternam glorificationem, quia Ecclesia canat, Paradisi portas aperuit nobis jejunii tempus. Addit & hoc, sicut quadraginta diebus Deus pluit in diluvio, ita, inquit, si nolumus incurrere diluvium æternæ punitionis, debemus quadragesimam jejunare. Et sicut per 40. mansiones filii Israel ex Aegypto venerunt ad terram promissionis, ita nos quadraginta diebus jejunii transimus de tenebris peccati ad supernæ patriæ lucem. Sicut etiam Elias in fortitudine cibi ab Angelo allati 40. diebus pervenit ad montem Dei: Ita nos comedendo cibum quadragesimalem, quam Ecclesia præscribit, perveniemus ad montem æternæ gloriæ. Et sicut Christus post quadraginta dies à sua resurrectione ascendit in cœlum, ita nemo potest in cœlum ascendere, nisi his quadraginta diebus jejunaverit. Hæc Bernhardinus.

Refutatio horum omnium.

Nec verò prolixas refutationes hoc loco addere opus est, in prima enim parte ostendimus, nullam aliam esse expiationem peccatorum nostrorum coram Deo, nullum aliud meritum remissionis peccatorum & vitæ æternæ, nisi sanguinem unigeniti filii DEI, Domini nostri Iesu CHRISTI, quod meritum verbo Evangelii & Sacramentis offertur, & fide accipitur. Cum ergo Pontificii omnia hæc jejunio suo tribuant, atque ita Christo Mediatori detrahant, nuda hæc recitatio sufficit, ad ostendendum pus mentibus, quid de jejunio Pontificiæ Ecclesiæ sentire debeant.

Tridentinorũ patrũ artificium & technæ in tegendis his opinionibus impiis de ieiunio.

Atque iterum observetur artificium patrum Tridentinorum, illa enim, quæ ex Scholasticis jam recitavimus, quę in sanctissimũ & perfectissimum meritum Christi manifestè contumeliosa & blasphema sunt, studiosè in suo decreto dissimulant, ac tantùm mortificationis carnis mentionem faciunt. Num verò hoc modo tectè ac tacitè Scholasticorum blasphemas de jejunio opiniones abiectas & damnandas esse volunt? Vtinam hoc sentirent ac vellent, via enim quædam ad emendationem ita aperta esset. Sed quid de suis satisfactionibus, ad quas jejunium etiam pertinet, sentiant, in secunda parte ostendimus. Et reliqui Pontificii huius seculi scriptores mysterium illud Tridentini Decreti sine involucris explicant.

Petri Asoti interpretatio decreti Trid. de ieiunio.

Et ne longè eamus, ex Assertione Catholicæ fidei conscripta à Petro Asoto, qui Tridentinæ Synodo immortuus fuit, quędam verba huc adscribemus. Dicit itaque, jejunium non solùm ad carnem subjiciendam spiritui, sed & placandum etiam Deum, satisfaciendum ipsi pro peccatis, & Christi meritum nobis applicandum, necessarium esse, Item finis jejuniorum est, ut peccata expientur, ita Dei mitigetur, utque DEO gratiores efficiamur. Item negare jejunium opus esse, quo æternam vitam meremur, & satisfacimus pro peccatis, error inquit est apertissimus, &c.

Hæc Sotus. Atque hæc est glossa ordinaria Decreti Tridentini de jejunio, tradita ab illo, qui Concilio interfuit, & Decretorum pars magna fuit.

Quartum caput est, doctrina de Pontificiis dispensationibus in jejunio. Tradunt enim esse causas quasdam rationabiles seu legitimas, propter quas aliquis à jejunio excusentur, ut est infirmitas morbi & languoris, ut in ægrotis, sive infirmitas cõplexionis, ut qui ex inanitate stomachi incidunt, vel in vertiginem capitis, vel in insomnia, sive infirmitas ætatis, ut in pueris usque ad annum 21. in senibus circa annum 70. sive infirmitas sexus, ut in prægnantibus & lactantibus sive infirmitas paupertatis, ut qui non tantum semel habent, quo quantum est possint refici, sive infirmitas laboris necessarii, qui non potest sustineri à jejunantibus, sive infirmitas peregrinantium. Excipiuntur itaque à necessitate jejunii. I. ægroti. II. Infirmæ complexionis. III. pueri. IIII. senes. V. prægnantes & lactantes. VI. Pauperes. VII. laborantes. VIII. peregrinantes. Et sumpta sunt hæc ex veteris Ecclesiæ ἐτυμολογίᾳ quæ non proposuit jejunia cum opinione necessitatis, sed abstinebant quantum quisque vel valebat vel volebat, sicut Augustinus inquit: Nam qui jejunare non valet, potest, iuxta Chrysostomi sententiam, temperanter vivere, & in sobrietate potest etiam carnem mortificare, pœnitentiam, orationem & reliqua pietatis officia exercere.

De dispensationibus Pontificijs in ieiunijs.

Qui à ieiunandi necessitate excipiantur.

Inde verò Pontificii fecerunt nundinationes suarum dispensationum, non pro causis legitimis, sed pro pecunia legitima. Hoc enim primò rectè traditum fuit, & consuetudine etiam observatum, sicut ipsi fatentur, quando causa excusans à jejunio legitima & evidens esset, non opus esse quærere dispensationem, sed quemque per seipsum posse solvere jejunium. In dubiis verò casibus recurrendum esse, vel ad confessorem, vel ad arbitrium boni viri. Postea Hostiensis cœpit disputare: Non sufficere licentiam simplicis presbyteri, etiam ex iusta causa, nisi summa necessitatis immineat, ita quòd ad Episcopum non possit habere recursus. Tales igitur dispensationes Episcopi sensim ad suas curias traxerũt, quia non gratis concedebantur, & factæ inde sunt magnæ nundinationes. Quod cùm Romana curia animadverteret, plerosq; tales casus ad se revocavit, præsertim in redemptionibus & commutationibus jejuniorum. Cumq; in curia Romana non scrupulosè de causis legitimis, sed de pecunia tantùm pro dispensationib. numeranda disputaretur, maluerunt plerique à sede Romana tales bullas mercari, sicut extant certæ taxæ indultorum pro licentia utendi lacticiniis temporib. prohibitis, ut pro una persona Turonenses 6. ducatos 2. pro tota familia Turonenses 12. ducatos 3. Carolinos 6. pro toto oppido Turonenses 200. ducatos 50. Ne difficilem se præbebat curia Romana, quando taxa illa numerabatur, sicut Gabriel inquit: Nostris temporibus per Apostolicæ sedis dispensationem, quæ facilè conceditur, in quadragesima lacticiniis generaliter plerique omnes utuntur, frigescente ubiq; charitate & repescente disciplina Christiana. Vnde reliqui nulla concessa dispensatione similiter lacticiniis utuntur. Hæc Gabriel.

Nundinationes dispensationũ ieiunij.

Hostiensis.

Precia Romanorum indultorum & licentiæ vescendi cibis interdictis.

Gabriel.

In hisce capitibus consistit summa doctrinæ Pontificiorum de jejunio, quam ideo ipsorum verbis exponere volui, ut ad ea, quæ ex Scriptura &

& ex Patribus de jejunio suprà annotavimus, conferri possit, & ex ipsa collatione constitui, quàm ingens sit dissimilitudo, utq; eò rectius intelligatur, quid Pontificii velint intelligi, quando vel in Tridentino Decreto, vel in aliis scriptis de jejunio loquuntur.

Quale ieiunium in nostris Ecclesiis. Temperantia docetur.

Honesta est oratio, quando loquuntur de utilitate exercitiorum jejunii, ut quod habeat testimonia & exempla cum Scripturæ tum totius antiquitatis. Et quando declamitant, in nostris Ecclesiis prorsus sublata esse jejunia, potest Lector turbari, existimans eos loqui de jejunio, quod in Scriptura traditum, & in veteri Ecclesia usitatum fuit. Sed meminerit Lector ingens esse discrimen, & sciat ipsos loqui de suo jejunio, quod quale sit, ipsorum verbis exposuimus. Et talia ludibria jejunii, tales superstitiones & impias opiniones, sicut ex Pontificiorum libris descripsimus, ex nostris Ecclesiis explosa esse, gaudemus, & Deo gratias agimus, quod accensa verbi sui luce tenebras illas discusserit, falsum verò est, nos in Ecclesiis nostris nihil, vel de doctrina, vel de exercitiis veri ieiunii retinere. Scimus enim ipsos etiam Scholasticos tradere quod duplex sit jejunium, nempe jejunium virtutis, quod dicunt esse actum temperantiæ seu sobrietatis, & jejunium Ecclesiæ, quod magis propriè ceremoniale seu pædagogicum jejunium nominaretur, dicunt enim esse determinationem de tempore comedendi, & de qualitate ciborum. Nos igitur ad temperantiam ac sobrietatem auditores nostros ex verbo Dei sedulò exhortamur, propositis prohibitionibus & comminationibus divinis, contra crapulam & ebrietatem. Et Deo benè juvante, inter postremi huius seculi crapulas, habemus multos, qui non simulato studio, temperantiam & sobrietatem sectantur ac colunt. Sed, inquis, jejunium propriè dictum, aliquid amplius complectitur, quàm temperantiam, quæ quotidiana & perpetua esse debet. Ego verò hoc non nego, suprà enim ex Scriptura manifestè hoc ostendi. Respondeo autem per distinctionem: Si intelligatur ceremoniale jejunium Pontificiæ Ecclesiæ, quòd in prohibitione quorũdam ciborum, in observatione temporum, & in tali opinione meriti, sicut ipsi tradunt, consistit, fatemur nos illud, non tantùm non docere & exercere, sed ex verbo Dei reiicere & damnare. Si verò intelligatur pædagogicum jejunium, sicut in testimoniis & exemplis Scripturæ describitur, & in veteri puriori Ecclesia usitatum fuit, certè doctrinam illam, sicut eam suprà ex verbo Dei descripsimus, Ecclesiis nostris proponimus, & ad talia exercitia, sicut in Scriptura proponuntur, quando carnis vel petulantia, vel inertia hoc postulat, ad studium feriæ pœnitentiæ, orationis, meditationis verbi & Sacramentorum, auditores nostros exhortamur. Ac multi sunt, qui accessuri ad meditationem verbi, ad exercitia precum communium, & ad communionem Sacramentorum, pridie vel à cœna abstinent, vel certè parcissimè cœnant. Exercitia verò talia Scripturis consentanea, non magis vigere & florere, dolemus, utque iuxta Scripturæ normam & exempla fine superstitiosis legibus & impiis opinionibus, publicè & privatim restitui aliquando possint, ex animo optamus.

Pædagogicũ ieiunium in nostris Ecclesiis.

Conquerimur autem Pontificiorum superstitiosas leges, & impias de ieiuniis opiniones, causam dedisse ad collapsam hanc disciplinæ partem, & nunc etiam quò minus restituatur, obstare, quod pro suis legibus & opinionibus acerrimè pugnent Pontificii. Ex iis enim, quæ in descriptione ieiunii Pontificii ipsorum verbis exposuimus, facilè colligi potest, quomodo vetera veri ieiunii exercitia iamdudum collapsa fuerint. Lutherus certè ea non sustulit, quia iampridem in Pontificia Ecclesia nulla talia ieiunia fuerunt, sicut in verbo Dei traduntur, sed ludibria potius veri ieiunii, sicut collatio manifestè ostendit. Quòd verò dictitant quidam, Lutherum in primo certamine debuisse abiectis abusibus, superstitionibus, & impiis opinionibus ipsam substantiam ieiuniorum retinere. Adhoc non difficilis est responsio: Nulla enim vera veri ieiunii exercitia tunc erant in Ecclesia Pontificia, sed ludificationes tantùm, sicut ostendimus, quas certè retinere nec voluit nec debuit Lutherus, imò prohibitionem ciborum, observationem temporũ, cum opinione necessitatis, & impias de merito opiniones, sicut exposuimus, omnino debuit iuxta verbum Dei reiicere & damnare. Atqui hæc tota substantia erat Pontificii ieiunii, quid igitur de illa vel debuit vel potuit retinere? Alia verò est quæstio, quare non repudiato Pontificio ieiunio, exercitia Biblici (ut ita loquar) ieiunii Lutherus inter initia suorum certaminum restituerit? Sed ad hanc etiam quæstionem facilis est responsio: Quia enim regnum Dei non consistit in externis observationibus, præsertim cibi & potus, Romanor. 14. sed in pulchritudine filii regis interiori, Psalm. 45. hoc est, in iustitia fidei, in cultibus interioribus, & in spiritualibus pietatis exercitiis, Corporalis enim exercitatio ad modicum utilis est, 1. Timoth. 4. Inepta & inutilis esset instauratio seu reformatio, ordiri ab externis observationibus. Cùm igitur abolitis fermè interioribus cultibus, & spiritualibus exercitiis pietatis, existimaretur tũc totus Christianismus consistere in observatione traditionum de ieiuniis & similibus, additis impiis opinionibus necessitatis, iustitiæ, meriti, &c. Luthero ut sapienti architecto de fundamento cogitandum fuit, ut scilicet falsas ac perniciosas istas opiniones verbo Dei animis hominum eximeret, doctrinam de pœnitentia & iustitia fidei ex Scriptura illustraret, & ex hoc fundamento cultus spirituales restitueret, ac libertatem Evangelii in externis observationib. ex verbo Dei declararet. Hæc fuerunt primaria præcipui momenti capita, quę nec exigui temporis, nec pauci laboris fuerunt. Positis verò & illustratis primariis illis fundamentis, certè ieiunii etiam non oblitus fuit Lutherus, sed diligenter ostendit, quomodo genuina eius exercitia restitui possent, non externa illa specie, sicut veteri Proverbio dicitur: Italorum devotio, Germanorum ieiunia, fabam valent omnia, sed iuxta normam verbi Dei, ut acceptabilia fierent ieiunia, ad reprimendam carnis petulantiam. Hæc tractat in explicatione 6. capitis Matth. ubi dicit à Magistratu posse externum ordinem politico fine institui, de carne & piscibus, sicut in Saxonia absque ullo mandato

Lutherus nõ sustulit vera ieiunia.

Cur non retinuerit.

Cur non restituerit ieiunia.

Quid Lutherus de ieiunio docuerit.

talis

Universidad de Deusto
Biblioteca

talis ordo politicus & Oeconomicus liberè ſervatur. Deinde addit, præcipuè & ante omnia temperantię & ſobrietati ſtudendum. Poſtea adjungenda eſſe etiam exercitia jejunii, propriè dicti, ut aliquando corpus caſtigetur, ſubtractione & cibi & omnium deliciarum corporis, non impia aliqua opinione meriti, ſed hoc fine ut carnis petulantia & inertia reprimatur, & caro ſpiritui ſubjiciatur, utq; ad ferēdas afflictiones, ubi opus fuerit aſſueſiat. Illud verò dicit, nec poſſe nec debere certis ac generalibus regulis præſcribi, ſed conſcientiis liberum eſſe relinquendum, pro ut quiſque carni ſuæ fræno opus eſſe animadverterit. Temperantiam verò & ſobrietatem, ſemper & omnibus eſſe colendam. Illam doctrinam tradit in multis aliis locis, ut in libello germanico de uſu Chriſtianæ libertatis in fine. Item de bonis operibus, ubi dicit talem habendum eſſe delectum ciborum in ieiuniis, prout quiſq; animadvertit, cibo aliquo concupiſcentias carnis ſuæ, vel inflammari vel reprimi. Eadem doctrina etiam in Auguſtana confeſsione, & eius Apologia repetitur: Et multis explicatur à Domino Brentio, in Apologia VVirtenbergenſi.

Hæc volui hoc loco adiicere, ad reprimendam calumniam iſtam, quaſi in noſtris Eccleſiis, & doctrina & exercitia ieiunii propriè dicti, prorſus ſint extincta. Nobis certè exemplo Lutheri opera danda eſt, ut & doctrina de ieiunio diligenter tradatur & vera eius atq; utilia exercitia, quantum in hac diſſolutione diſciplinę fieri poteſt, reſtituantur. Nota eſt Domini Philippi querela in loco de mortificatione. Mundus nunc ſuperbiſſimè excuſsit diſciplinam, & ſumit ſibi immodicam licentiam, pro qua graves pœnas aliquando Deo daturus eſt. Nam præterquam quòd ipſa licentia coniuncta eſt cum intemperantia & aliis multis vitiis, illud mali etiam habet, quòd in tali barbarica vita non poteſt doceri aut aſſuefieri iuuentus ad religionem, & paulatim induit contemptum religionis. Poſtea grandior ætas, neq; intellectum, neq; reverentiam, neq; exercitia ulla religionis habet. Hæc ibi.

HISTORIA CERTAMINVM DE ABSTINENTIA & Ieiunio.

IN tota hac diſputatione multa diſſimilia dicta Patrum, & varia exempla antiquitatis, ad ſuperſtitiones ſuas pingendas & ſtabiliendas, obiiciunt Pontificii. Ad quas obiectiones rectè quidem, oppoſitis aliis ſanioribus ſententiis & exemplis antiquitatis, congruentibus ad normam ſacræ Scripturæ, reſpondetur: Sed illuſtrior eſt refutatio & explicatio ſolidior, ſi occaſiones ſententiarum & exemplorum, quæ in hac controverſia agitari ſolent, monſtrentur. Intelligentia enim dictorum ſumenda eſt ex cauſis dicendi, ſicut Hilarius rectè inquit. Illud verò commodiſſimè oſtendi poteſt in obſervatione hiſtorica, qualia ſingulis temporib. in Eccleſia de hac controverſia fuerint certamina, quæ conſideratio & aliàs præterea habet utilitates. Quia enim Paulus dicit, traditiones hominum in hoc genere habere ſpeciem ſapientiæ in ſuperſtitione, ſive cultibus electitiis ſeu voluntariis (vocat enim ἐθελο θρησκίαν) & in humilitate affligēte corpus, Col. 2. Et doctrinas dæmoniorum habere prætextum externæ ſeu ſimulatæ ſanctitatis, quæ hypocriſis vocatur, 1. Tim. 4. utile eſt in hiſtoria Eccleſiæ obſervare, quomodo myſterium illud ſuperſtitionis & hypocriſeos, partim per hominum traditiones, partim per doctrinas dæmoniacas, omnibus temporibus ſe exeruerit, qua ſpecie ſimplicibus & bonis ſæpe impoſuerit, & quos veritatis ſuæ teſtes Deus ſingulis temporibus excitarit, qui oppoſita norma ſacræ Scripturæ, hypocriſin illam detexerunt, & ſuperſtitionē repreſſerunt, donec fermentum illud prorſus perſuaſit, & doctrinam & exercitia ieiunii. *Hiſtoria ieiunij utilis & neceſſaria.*

Conteximus igitur, quantum pro inſtituti noſtri ratione fieri poterit, breviſsimè hiſtoriam certaminum de ieiunio. Certum autem eſt, doctrinam & exercitia temperantiæ, ſobrietatis, ieiunii, & abſtinentiæ, oppugnari tanquam caſtris ex adverſo poſitis, à ſpiritu γαστριμαργίας, crapulæ, ebrietatis, commeſſationum, intemperantiæ & luxuriæ, quæ vitia ex verbo Dei ſerio ſunt reprehendenda & damnanda propoſitis ſeveriſsimis prohibitionibus & comminationib. divinis. Sed illa vitia, ut opera carnis manifeſta, non poſſunt ulla ſpecie ſanctitatis velari, impietas enim eorum nullo prætextu, vel excuſari, vel defendi poteſt. Et ſi quid prætendatur ad excuſandas excuſationes in peccatis, facilè prætextus omnes poſſunt detrahi, maximè ipſa conſcientia cogitationibus invicem accuſantibus, atteſtante in mentibus non prorſus reprobis. Neceſſariò tamen & ſeriò hoſtes illi, qui abſtinentiam & ieiunium à ſiniſtris crapula & ebrietate impugnant, gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, iuſto cœlo ſunt invadendi, & ex Eccleſia Dei profligandi. A dextris verò, quo maiori ſpecie, eò periculoſius per ſuperſtitionem & hypocriſin ſana doctrina, & vera exercitia ieiunii impugnantur, & admixto ſuperſtitionis fermento depravantur. Verum enim eſt quod Chryſoſtomus dicit: Nihil tam periculosè depravat bonum, quàm hypocriſis ſeu ſimulationum malum ſub ſpecie boni celatum, dum non cognoſcitur, non cavetur. Quod igitur ad hanc partem de ſuperſtitioſis opinionibus, ieiunio admixtis, attinet: hiſtoricas quaſdam obſervationes annotabimus. Primò, quomodo ipſa Scriptura tales ſuperſtitiones, & taxet & cavendas præmonſtret. Secundò, quomodo externæ Gentium Religiones hypocriſin illam æmulatæ ſint. Tertiò, quomodo ſub nomine & titulo Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum, Apocrypha Scripta & ſuppoſititia exempla, ad ſtabiliendas iſtas ſuperſtitiones, Eccleſiis obtruſa fuerint. Quartò, quomodo ſæpe ſimplices & boni ſpecie illa ſapientiæ & ſanctitatis circumventi, ligna, fœnum, & ſtipulas ſuper fundamentum extruxerint. Quintò, quomodo ab hæreticis doctrinæ iſtę dæmoniorum ſparſæ, & qua ſpecie propugnatæ fuerint. Sextò, quomodo & per quos teſtes, ex quibus etiam fundamentis Eccleſia melioribus temporibus ſuperſtitionibus illis ſe oppoſuerit. Et quomodo facta inclinatione *Oppugnatur ieiunium à crapula.* *Hypocriſis.* *Capita hiſtoriæ de ieiunio.*

natione ſenſim fermentum ſuperſtitionum in doctrinam & exercitia jejunii primū admiſſum, poſtea verò certatim invectum & receptum fuerit. Hæc capita in quibus præcipuę obſervationes conſiſtunt, prout ordo hiſtoriæ ſe obtulerit, ſimpliciter explicabimus, atque inde multarum obiectionum ſolutiones ultrò ſe offerent.

QVALES SVPERSTITIOSAS OPINIONES IEIVNIO, TVNC ADMIXTAS IPSA SCRIPTVRA TAXET & REFVTET.

SVprà ex Scriptura ipſa oſtendimus, quòd optimis etiam Eccleſię temporibus, quando ſcilicet Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli docuerunt, jejuniis admiſceri cœperint pravæ & ſuperſtitioſæ opiniones, quas quando Scriptura refutarit, in præcedentibus explicavimus. Hoc loco tantùm hiſtoricas obſervationes ex locis illis Scripturę annotabimus, quæ ſcilicet, & quales ſuperſtitioſę opiniones illis temporibus in doctrinam & exercitia jejunii irrepſerint, quas Deus ipſe magno zelo improbavit. *Certaminā Scripturæ contra ſuperſtitiones ieiunii.*

Et in Scriptura ſanè non occurrit exemplum de talibus jejunii ludibriis, qualia in papatu uſitata eſſe jam oſtendimus: Quòd ſcilicet ſimularint ſe jejunare, & interea vel piſcium lautitiis, vel aliis confectionibus ſe, vel ad nauſeam, vel ad ſaturitatem repleverint. Sed per totum diem nō cibis tantùm, verùm aliis etiam corporis dolecta tionibus, aſſumptis lugentium ritibus abſtinuerunt, ita ut jejunium eſſet afflictio animæ, ſive caſtigatio corporis, ſicut oſtendunt loci Iſai. 50. Iere. 14. Zach. 7. Matth. 6. In hujuſmodi verò jejuniis, in quibus, quo ad ſubſtantiam (ut ita loquar) nihil deſiderabatur, Scriptura tamen ſuperſtitioſas opiniones reprehendit, ut quòd exercitia Iejunii non referebant ad pios illos fines, quos ſuprà ex verbo Dei deſcripſimus: ſed fingebant, ipſum opus operatū ieiunii per ſe eſſe cultū Dei, Quare aiunt, Eſai. 58. Ieiunavimus & non aſpexiſti, affliximus animas noſtras, & tu ignoras? Imò fingebant, ieiunium opus eſſe meritorium, propter quod & oratio exaudiretur, Ierem. 14. & ira Dei averteretur, ſicut Zach. 7. fingunt, ſe ob ieiunia ſua. 4 Menſium ex captivitate eſſe liberatos. Taxatur & illa opinio in Zacharia, quòd temporalia ieiunia, quæ exemplo Scripturæ ob præſentes calamitates, ad excitandam pœnitentiæ & orationis maiorem devotionem, indicta fuerant, volebant convertere in ſtata, perpetua, & neceſſaria ieiunia, & ex talibus ieiuniis, à Deo non mandatis, peculiares cultus facere. Et hæ ſunt præcipuæ ſuperſtitioſæ opiniones, quæ tempore veteris Teſtamenti leguntur in exercitia ieiuniorum irrepſiſſe, quas Prophetæ magno zelo damnarunt. Illas hoc loco breviter tantùm perſtringo, ſuprà enim refutationes plenius ſunt explicatæ. *Vetus Teſtamentum: Cōtra opus operatū ieiunii. Contra meritum. Contra leges traditionum*

In novo verò Teſtamento Chriſtus, Mat. 6. illam Phariſęorum opinionem reprehendit, quòd pietatem & ſanctitatem putabant ſitam eſſe in externa obſervatione traditionum de ieiuniis, nam propter opinionem & laudem ſanctitatis oſtendebant ſe externis geſtibus, ut ab hominibus viderentur ieiunare. Sed Phariſæus Luc. 18. habuit opinionem meriti iuſtitiæ coram DEO per ſuum Ieiunium. Cùm enim non eſſet à DEO mandatum bis in ſeptimana ieiunare, tanquam opus ſupererogationis hoc ſuum ieiunium iudicio Dei opponit in articulo iuſtificationis, hoc enim parabola agit, uter inter duos illos iuſtificatus deſcenderit, & quid uterq; ad Deum pro iuſtitia attulerit. Atq; in hanc ſententiam Phariſæus inter cætera dicit: Ieiuno bis in Sabbato, ſed deſcendit non iuſtificatus. Hoc manifeſtiſsimum eſt, quòd ea fuerit opinio Phariſæi iſtius de ſuo ieiunio. De ſtatis etiam ſeu certis ieiuniorum temporibus Phariſæi & Baptiſtæ diſcipuli, quaſi exprobrandi cauſa, quæſtionem Chriſto proponūt, quare ſuos etiam diſcipulos non aſſuefaciat ad ieiunia certi ſeu ſtati temporis, ſicut non Phariſæi tantùm, ſed Baptiſta etiam ſuos diſcipulos ad talem diſciplinam aſſuefecerit. Et ibi certè tempus & occaſio fuiſſet, ſi quid tale in novo Teſtamento Chriſtus ſtatuere, & diſcipulis ſuis iniungere voluiſſet. Ieiunaverat ipſe 40. dies, & hoc ſuum ieiunium poterat diſcipulis, vel quò ad anniverſarium tempus, vel quò ad numerum dierum, vel quò ad ciborum diſcrimen, imitandum proponere. Sed nihil horum etiam oblata per quæſtionem illam occaſione facit. Vivebat ipſe cum diſcipulis non in abundantia, ſed ex piorum Eleemoſynis, temperanter, ſobriè, & parcè, ut ob carnis laſciviam ſubigendam, non opus ipſis eſſet ieiunio. Cumq; perſecutiones & aliæ calamitates nondum urgerent Apoſtolos, dicit ipſos, qui tunc ut filii nuptiarum tractabantur non eſſe adigendos ad ieiunia, Luc. 5. Superventuras verò perſecutiones & calamitates monſtraturas ipſis tempus, quib. diebus lugendum & ieiunandum ſit. Et hoc diligenter obſervetur: valdè ſpecioſum enim argumentum eſt, quòd Baptiſta internatos mulierum Propheta maximus, à cuius prædicatione novum Teſtamētum initium ſumpſit, rigidam & auſteram vitam duxerit, non veſcens vulgaribus & uſitatis cibis. Cumq; diſcipulos etjam ſuos, ad diſciplinam certis temporibus frequenter ieiunandi aſſuefecerit, ſicut hiſtoria illa indicat, Matth. 9. Et Phariſæi ex ipſo fundamento proponunt Chriſto quæſtionem, quare non illud Baptiſtæ exemplum diſcipulis ſuis imitandum proponat, ſi maximè Phariſæorum traditiones de ieiuniis probare nolit? Chriſtus verò reſpondet: Filios nuptiarum non eſſe huiuſmodi legibus ad ieiunia adigēdos (hoc enim verba Lucę volunt μὴ δύνασθαι νηστεύειν. Et rationem addit, vetuſtatem, ſive diſciplinæ legalis, ex qua Baptiſta aliquid retinuis, ſive traditionū humanarum unde Phariſæi ieiunabant, non eſſe aſſuendam novitati Evangelicæ, talem enim mixturam non prodeſſe, ſed obeſſe. *Contra meritum iuſtitiæ.* *Contra ſupererogationem.* *Contra leges ieiuniorum.* *Baptiſta exemplum.*

Ita enim & Hieronymus ſimilitudinem de veſtimento veteri, & aſſumento novo, interpretatur. Num verò, quia liberum facit Chriſtus ieiunium in novo Teſtamento, prorſus tollit vel prohibet illud? Minimè. Oſtendit enim Matt. 9. quomodo ſit ieiunandum, ut pater cœleſtis, videns rependat. Sed non vult legibus ad certa tempora neceſsitatis opinione alligatum eſſe ieiunium. Crux verò inquit, & negotiorum gravitas præbebunt occaſionem, & monſtrabunt tempus ieiunandi, *Novum Teſtamentum. Contra Hypocryſin ieiunii*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iunandi, sicut & in veterum exemplis illud conspicitur. Et valdè memorabilis est hæc observatio, de exemplo Baptistæ & discipulorum ejus. Ne enim hæc in novo Testamento, opinione necessitatis, meriti, vel supererogationis, ad imitationem traherentur, & leges inde conderentur, vel de temporibus jejuniorum, vel de qualitate cibi, Christus noluit discipulis suis imitationem ejus exempli injungere, imò ostendit illud pertinere ad vetustatem veteris Testamenti, quæ non sit assuenda libertati novi Testamenti.

Ciborum delectus.

Et ipse Christus propter hanc ipsam causam, noluit rationem victus à Baptista servatam, imitari, sed maluit in collatione ad Baptistam, vocari à Pharisæis homo vorax, & potator vini, ut ostenderet, nec in abstinendo nec in manducando sitam esse justitiam Evangelii, sicut Augustini Glossa tradit. Et videtur CHRISTVS huc etjam respexisse, cùm discipulis emissis hoc mandati daret: Quicquid vobis apponitur, comedite. Paulus enim 1. Corin. 10. sententiam illam repetens addit: Nihil interrogantes propter conscientiam. Et hæc ex Evangelica historia Christi de superstitiosis jejuniorum opinionibus observanda sunt.

In Pauli verò Scriptis apparet opiniones istas longius progressas. Quia enim Apostoli in casu scandali propter infirmos in fide, usum libertatis in cibis ita moderabantur, sicut prolixè tradit Paulus, Rom. 14. Et Synodus Apostolica, Act. 15. constituerat, necessarium esse abstinere ab idolothytis, suffocato & sanguine, necessitate scilicet charitatis ergà infirmos, in fide, in casu scandali: Inde Pseudoapostoli fecerunt necessitatem legis, judicantes conscientias, etjam extra casum scandali, in talibus & similibus cibis. Paulus igitur ex loco de libertate Christiana respondet, sine scrupulo propriæ conscientiæ, quicquid in macello venditur, & quidquid apponitur, liberè manducari posse, 1. Corinth. 10. & neminem debere nos judicare in cibo & potu, Col. 2. Vbi non obscurè etjam Paulus ostendit, suo tempore tentata fuisse nova Decreta juxta doctrinas & mandata hominum, de non gustandis quibusdam cibis, idq; non Mosaica opinione, sicut Pseudoapostoli faciebant, sed sub specie singularis sapientiæ, sub prætextu humilitatis & afflictionis corporis, ad peculiarem cultum Dei. Hæc enim sunt Pauli verba, Col. 2. ex quibus colligitur Pauli tempore traditas fuisse à quibusdam has de jejunio opiniones, quas ipse, ut superstitiosas, reprehendit. Quia enim jejunio ad humiliationem animi, & castigationem corporis facere constabat, isti sub hoc prætextu, sapientiæ specie, primò certis decretis & mandatis humanis, ad certa tempora determinabant jejunia. Secundò, in prohibitione & delectu ciborum quorundam constituebant jejunium, Ne tetigeris, ne gustaris. Tertiò, ex opere operato jejunii faciebant peculiarem cultū Dei ἐθελοθρησκίαν. Quartò, corporis nullam curam habere, sed subtractione debiti honoris, seu necessarii subsidij illud vexare, lædere, & malè afficere, putabant magnam esse humilitatem, sanctitatem, & peculiarem cultum Dei. Quomodo verò Paulus hæc refutet, suprà ex contextu ostendimus. Hoc loco tantùm historiam colligimus, quæ superstitiosæ opiniones tempore Apostolorum, doctrinæ & exercitiis jejunii assui cœperint, quas Apostoli refutarunt & damnarunt. Nec verò de sui tantùm temporis superstitionibus in jejunio Paulus loquitur, sed per spiritum prænostrat, quòd ex superstitionibus istis humanarum traditionum, in posterioribus temporibus futuræ sint doctrinæ dæmoniorum, prohibentium quosdam cibos, seu in hypocrysi prætendentium abstinere à quibusdam cibis. Et tradit Timotheo, quomodo hac in re erga tales opiniones in officio suo se gerere debeat, ut sit bonus minister CHRISTI, retinens formam sanæ Apostolicæ doctrinæ, ne scilicet tales opiniones, & doctrinas, vel excuset, vel dissimulet, sed detracta hypocrisi, tanquam falsas & seductrices, imò diabolicas arguat, & opposita vera sententia, refutet. Sed de loco illo Pauli suprà dictum est, nunc tantùm, quæ historica sunt, annotamus.

Paulus contra Leviticũ ciborum discrimen.

Contra traditiones humanas.

De tempore. De cibu. De opere operato.

Vaticinium Pauli.

Nota.

Superstitiones in ieiuniis nõ novæ.

Hæc de certaminibus in hac materia jejunii, quorum in Scriptura mentio fit, in principio hujus historiæ, exponere volui, ut observetur, non novum esse, sed facile accidere posse, quòd superstitiosæ opiniones assuantur jejunio, ut nec vetustati opinionum, nec antiquitati exemplorum, nisi ad normam verbi Dei congruat, aliquid tribuatur. Si enim temporib. Prophetarum, Christi & Apostolorum, tales opiniones irrepserũt, quid non putamus posterioribus temporibus factum esse? Et ut moveamur exemplo Scripturæ diligenter vigilandum esse, ne fermentum superstitiosarum opinionum in doctrina jejunii dissimuletur, quasi non multum referat, sed ut seriò taxetur, refutetur, expurgetur, & damnetur. Postremò ideò etjam historicam illam observationem ex Scriptura præmittere volui, quia omnes fermè superstitiosæ opiniones, quæ in regno Pontificio, & aliis temporibus jejunio admixtæ fuerunt, in Scriptura prænostratæ & damnatæ sunt, vel in specie, vel certè in genere, ut mirum sit hypocrisin tantùm valuisse, quòd cõtra luculentas Scripturæ prænmonitiones, illæ ipsæ opiniones, quæ in Scriptura dãnatæ sunt, in Ecclesiam postea invaserint. Sed Paulus dicit, Spiritum sanctum disertè, quod hoc futurum esset, prædixisse. Ad omnia igitur, quæ in hac historia sequentur, illa quę ex Scriptura jam annotavimus, normam & regulam dijudicandi præbebunt.

QVID EXTRA GENTIVM RELIGIONES operi operato ieiunij, & delectui seu prohibitioni quorundam ciborum tribuerint.

A Quo spiritu profecta sit illa opinio, quòd ipsum opus operatum jejunii, præcipuè verò abstinentia à quibusdã cibis, sit cultus Dei: Paulus manifestè ostendit, cùm vocat doctrinam Dęmoniorum. Id quod inde etiam apparet, quod idem Spiritus, in externis gentium Religionibus idololatricæ cultus sanctitatis & puritatis partem non postremam, in opere operato jejunii, & præcipuè in abstinentia quorundam ciborum positam esse voluit, κακοζηλίᾳ quadã legis Mosaicæ. Ita Hieronymus adversus Iovinianum, libro secundo

Delectus ciborum apud Sacerdotes Aegypti.

cundo citat ex Chæremone Stoico descriptionem vitæ antiquorũ Aegyptiorũ sacerdotum, quòd scilicet ex eo tempore, quo cœpissent divino cultui deservire, carnibus & vino se semper abstinuerint, propter tenuitatem sensus & vertiginem capitis, quem ex pravo cibo patiebantur, & maximè propter appetitus libidinis, qui ex his cibis & hoc potu nascuntur. Pane rarò vescebantur, ne onerarent stomachum, & si quando comedebant, tusum pariter hyssopum sumebant in cibo, ut escam graviorem illius calore decoquerent, oleum tantùm in oleribus noverant, verùm & ipsum parum propter nauseam & asperitatem gustus leniendam. Quid loquar, inquit de volatilibus, cùm ovum quoque pro carnibus vitaverint & lacte quorum alterum carnes liquidas, alterum sangvinem esse dicebant calore mutato. Ibidem ex Eubulo citat Hieronymus, quòd apud Persas tria fuerunt Magorum genera, quorum primi doctissimi & eloquentissimi, excepta farina & olere, nihil amplius in cibo sumpserint. Ex Euripide etjam citat, Iovis Prophetas in Creta, non solùm carnibus, sed & coctis cibis abstinuisse. Et ex Xenocrate, quod apud Athenienses in Templo Eleusinæ tria præcepta fuerunt proposita: Honorandos parentes, venerandos Deos, & carnibus non vescendum. Ita Volateranus lib. 13. cap. 4. Anthrop. scribit, Amphiaratum summum vatem jussisse Sacerdotes, qui responsa clara accipere & reddere vellent, integrum diem à cibo, à vino autem triduò abstinere. Et Alexander ab Alexandria, libr. sexto, cap. secundo scribit, apud Trœzenios, qui ad Aridali aram rem divinam facere, & Deorum responsa petere vellent, per integrum diem à cibo, à vino autem per triduum, abstinuisse. Idem libr. 4. cap. 7. scribit: Indorum Magos, quando ad Solis sacerdotium evecti erant, carnibus penitus abstinuisse. Et capit. 17. Qui Isidis sacris initiandi erant, dies decem carnibus & vino abstinebant. Numa enim pro frugibus sacra facturus, esu carnium & Venere abstinebat. Rauissas scribit, Aegyptiorum Sacerdotes tridui inediam solitos sustinere, priusquam sacra facerent. Polydorus Virgilius ex Livio citat, Matrem initiaturum filium Bacchanalibus dixisse, decem dierum castimonia opus esse. Idem ex Herodoto narrat, Aegyptios pridie diei festi, quo immolaturi erant, solitos solenne jejunium habere. Ita etjam diabolus Magis suis conjuratoribus injungit, ut ante conjurationes per aliquot dies jejunent, & à carnibus abstineant. Mahomet etjam partem cultus suæ religionis constituit in abstinentia vini, & in statis jejunijs, sicut in obsidione Constantinopolis tridui jejunium indixerunt Turcæ, ac captam deinde urbem, merito operis jejunii acceptam tulerunt. Illa exempla gentilium præbent explicationem ejus, quòd ciborum quorundam sub specie sanctitatis prohibitionem, Paulus vocat doctrinam dæmoniorum. Et ostendunt qualis sit opinio constituens cultum Dei in opere operato jejunij.

Apud Magos

Apud Iouis Prophetas.

In sacris Eleusiniis.

Apud Vates.

In sacris Solis.

Et Isidis.

Numa.

Magi.

DE ESSAEORVM ABSTINENTIA *& quomodo illa in Ecclesiam irrepserit.*

HIeronymus lib. 2. adversus Iovinianum, ita scribit: Iosephus Essęos miris effert laudibus quòd & ab vxoribus, & vino, & carnibus, semper abstinuerint, & quotidianum jejunium verterint in naturam. Sed Iosephus in Essæorum descriptione, in libris de antiquitate, & de bello Iudaico, illa de jejuniis Essæorum, & de abstinentia & carnibus nõ habet, sed describit νῆψιν, hoc est, sobrietatem, frugalitatem, seu temperantiam ipsorum, quòd scilicet à laboribus hora quinta, quæ nobis est undecima convenerint ad prandium, & vesperi ad cœnam, ubi panis & vasculum ex uno & eodem pulmento singulis fuerit propositum. Et quia interpres pulmentum vocat, colligere quidam inde voluerunt, id quod Hieronymus scribit. Sed Iosephus vocat ἐδέσμα, quod generaliter significat quodvis eduliũ. Apud Philonem verò descriptio illa extat, qui dicit: Essæorum quosdam coluisse vitam practicam quos Iosephus descripsit. Alios verò circa θεωρίαν fuisse occupatos, qui vulgò ἱεροφάνται vocati fuerint, illorum vitam peculiari libello Philo descripsit, in quo de jejuniis & abstinentia ipsorum hæc scribit: ἐγκράτειαν, inquit, hoc est temperantiam seu abstinentiam, quasi fundamentũ quoddam in anima jacientes reliquas virtutes superstruunt. Et qualis fuerit ipsorum abstinentia ita describit. Cibum, inquit, aut potum nemo ipsorum capit ante Solis occasum. Quidam, porrò inquit, quibus majus scientiæ desiderium insidet, per totum triduum non cogitant de cibo. Nonnulli verò ita capti sunt illecebris sapientiæ, ut duplo plus temporis abstineant, & expletis sex diebus vix alimentũ necessarium degustent, imitati cicadas, quæ cantantes aere nutriuntur. Septima verò die, inquit, quæ sacra est, post animarum curam etjam corpus pascunt. Nihil autem opipari vel lauti parant, sed utuntur pane simplici, obsonium ipsorũ est sal, quibus οἱ ἄκρως δίαιτατοι delicatiores hyssopũ adjiciunt. Potus ipsorum aqua ex fluentis hausta. Et postea inquit: In diebus quibus cœnant, vinum non præbetur, sed aqua limpidissima, pluribus quidem frigida, senioribus verò calida, τράπεζα καθαρά τῶν ἐναίμων mensa pura est à dapibus cruentis, hoc est, animantium, quæ sangvinem habent. In qua mensa panes sunt cibus, obsonium verò sales, quibus aliquando hyssopus tanquam condimentum pro delicatioribus addit. Et rationem addit, οἶνος γὰρ ἀφροσύνης φάρμακον vinũ enim ipsis habetur, ut venenum dementiæ, obsonia verò opipara (τῶν θρεμμάτων) ex animantib. judicant, maximè provocare concupiscentiam διεφθαρμένην ἐπιθυμίαν. Hæc Philo.

Essæi apud Iosephum.

Essæi Philonis.

Essæorum ieiunia.

Quia verò Philo scribit, quemlibet ipsorum habuisse domunculam quandam sacram, quę vocitata fuerit σεμνεῖον καὶ μοναστήριον: Eusebius inde vult elicere, fuisse ritus primorum Christianorum temporibus Apostolorum, maximè cùm Eusebii tempore, fermè talis fuerit Monachorũ vita. Et quia Philo illud genus hominum scribit

Universidad de Deusto
Biblioteca

ubiq; in aliis etiam orbis locis fuisse, maxima verò copia in Aegypto, & circa Alexandriam multiplicatum fuisse. Pontificii ex Hieronymo fingũt, Marcum ex traditione & præscripto Petri tale genus vitæ instituisse, ut esset peculiaris cultus, seu θεραπεία Dei. Et formam vitæ monasticæ inde sumptam esse, tota illa descriptio Philonis ostendit. De carnium etiam esũ plerique patres Essænorum rationẽ reddunt, quòd scilicet concupiscentiam carnis provocent. Et Hieronymus etiã hinc sumpsit, quod ad Eustochium virginem scribit: Vinum ut venenum fugiendũ esse, propter quod dictum ipse fatetur, se à multis reprehensum fuisse. Ac magnam profectò speciem illa antiquitas habet, si ab Apostolis instituta & probata, atq; à primis fidelibus Apostolorum tempore usurpata fuisset. Quæ species & olim valdè multos seduxit, & nunc à Pontificiis tanquam caput Gorgonis prætenditur. Sed ne opus sit conjecturis agere, habemus testes certissimos, quomodo descriptio illa Philonis intelligenda sit. Sozomenus enim lib. 1. cap. 12. inquit: Hæc scribens Philo, voluit significare illos Ebræos, qui sua ætate Religionem quidem Christianam profitebantur, adhuc tamẽ morem Iudæorum ἰσθ' ἁπλῶς τερον in vita sequebantur, & eorum instituta servabant. Idem repetit etiam Nicephorus. Et Sophronius in vita Marci inquit: Philo videns primam Ecclesiam Alexandriæ judaizantem, quasi in laudem gentis suæ, super eorum conversatione scripsit: Hæc diligenter sunt notanda, ne titulo & prætextu antiquitatis nobis imponatur. Non enim Apostolica est traditio, quam Philo describit, nec ex Apostolorum doctrina, aut præscripto instituti fuerunt tales cultus: Sed reliquiæ fuerunt veteris fermenti Essænorum, quòd ipsis etiam ad fidem Christi conversis adhæsit. Et si descriptio hæc Philonis conferatur ad ea, quæ Hieronymus ex Chæremonte de vita veterum idololatrũ Aegypti Sacerdotum transcripsit, apparebit, Philonis Essæos mixturam fecisse ex Iudaismo & Paganismi traditionibus, & illis opinionem cultus affinxisse. Et tamen sub titulo & prætextu Apostolicæ antiquitatis exemplum illud ad imitationem & olim obtrusum fuit multis, & nunc etiam à Pontificiis tanquam in triumpho ducitur, ad stabiliendam prohibitionem ciborum, & opinionem cultus, tanquam Apostolicam, quod diligenter observandum est, valdè multa enim dijudicari possunt.

Sozomenus.

Sophronius.

Vnde illud institutum apud Philonem.

Quia verò Philo historiam illam scripsit, docentibus adhuc, & in carne viventibus Apostolis, (ad Caligulã enim legatus fuit missus, & postea sub Claudio orationem contra Cajum in frequenti Senatu recitavit) operæ precium est considerare, extentne in Apostolorum scriptis vestigia quædam, unde colligi possit, quid de institutoilio (quod cùm esset celebre, & varia loca, sicut Philo inquit, pervagaretur, Apostolos latere non potuit) senserint probarintne illud, aut ad imitationem proposuerint, an verò improbarint? Si enim tale quid ostendi posset, res esset planissima. Aliquoties autem jam dictum est de loco Pauli, Col. 2. Et quia Paulus ibi rejicit doctrinas & mandata hominum, quæ sub specie sapientiæ, cultus & humilitatis decreta tunc faciebant, de non gustandis quibusdam cibis, & de immodica abstinẽtia lædẽte corpus. Inde, quòd ad res ipsas attinet, manifestum est, quid Paulus de judaizantibus illo Essæorum instituto senserit.

Paul. Col. 2. ad institutũ illud apud Philonem refpexit.

Diligenter autem contuli hunc Pauli locum ad Philonis illam descriptionem, & deprehendi, verba in eo loco à Paulo ita posita, ut quasi intento ad fontem digito, monstrare voluerit, quòd de illo essæisantium instituto loquatur. Quia enim Philo dicit, quosdam ob amorem σοφίας neglecta corporis cura per triduũ, imò per sex sæpe dies, vix degustare aliquid, hoc Paulus ita exprimit: Habent speciem σοφίας, non habẽtes curam corporis. Et quòd Philo dicit, ipsos σωματικὰς ἀνάγκας nõ dignas ducere, quibus aliquid temporis in die tribuant, hoc Paulus vocat ἀφειδίαν σώματος, gloriabantur enim, se soli animæ vivere, Philo dicit, ipsos institutum suum vocasse θεραπείαν, hoc est, cultum, & se θεραπευτὰς, hoc est, cultores. Illud verò Paulus in eo loco ἐθελοθρησκίαν, cultum peculiarem vocat. Cumq; illi se vocarent ἱκέτας, sicut titulus Philonis habet, quasi supplices ratione humilitatis: Paulus ideò speciem ταπεινοφροσύνης taxat. Ipsum etiã verbum ἀσκητίζεσθαι, quod Paulus ibi usurpat, ex Philonis descriptione sumptum est, illa enim Essæorum exercitia vocat σοφίας ἀσκήματα. Et illa ipsa Mimesis Pauli μὴ γεύσῃ, ne gustaris, respicit ad id, quod Philo dicit: Vix post sex dies ἅπτεσθαι necessarium cibum. Sicut & vocabulũ πλησμονὴς quod in descriptione illa Philonis extat, Paulus eo in loco usurpat.

Et quia Philo de theoriis ipsorum grandia philosophatur, ita ut concludat, ipsos esse cœli cives, ac Patri ac Creatori omnium verè assistere. Ideò Paulus dicit: Inflatus mente carnis in his, quæ nõ vidit ἐμβατεύων. Iosephus etiam scribit, Essæos jactare nomina quædam Angelorum, ideò Paulus in illo loco Angelorum etiam mentionẽ facit. Cumq; ἄσκησις illa multis arrideret, & magnis præconiis extolleretur, Paulus 1. Tim. 4. dicit: Corporalis exercitatio ad modicum prodest, pietas verò ad omnia utilis est. Rationes etiã Essæorum de potu aquę, & abstinẽtiæ à carnibus, quasi usus vini & carnium per se (aliud est enim loqui de crapula & ebrietate) sit venenum dementiæ, & irritamentum cõcupiscentiæ carnis: Paulus quasi ex professo refutat, cùm Timotheo præscribit, ne amplius aquam bibat, sed modico vino utatur propter stomachum, & cùm de cibis dicit, Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur.

Hæc ideò annotavi, ut Lector utrunq; locum & Philonis & Pauli inter se conferat. Videbit enim, Paulum & verbis & sententiis ostendere, quòd de illo Essæorum instituto, quod tantis encomiis Philo evehit, loquatur. Rem ipsam certè quòd in illo Essæorum instituto, ad abstinentiã à quibusdam cibis, & in multos dies cum læsione corporis producta jejunia, eo fine, ut esset cultus Dei, attinet, Paulus in eo loco manifestè, & quasi ex professo improbat & refutat. Et utile est observare, cùm Apostoli jejunium, & docuerint, & ipsi exercuerint, quòd tamen superstitiosas opiniones,

niones, quæ primis etiam illis temporibus, inter Christi nomen profitentes, magna specie irrepere incipiebant, acriter reprehenderint & refutarint. Ac tota hæc historia monet, ne testimoniis & exemplis extra scripturam canonicã, etiamsi speciosotitulo antiquitatis, & Apostolicarum traditionum, à multis & magnis etiam viris commendetur, temerè credamus, nisi ad normam Canonicæ Scripturæ probè examinata fuerint, juxta Pauli præceptum: Omnia probate, quod bonum est tenete.

DE ADVLTERINIS ET SVPPOSITITIIS Scriptis, quibus superstitiosæ Leges & opiniones de ieiuniis, extra & contra Scripturam Canonicam stabiliuntur

Apocrypha.

Titulus traditionum quid.

HActenus ostendimus, & extra cõtroversiam manifestũ est, nec Christum tulisse, nec Apostolos Ecclesiæ præscripsisse Leges, sive de tempore, quibus diebus sit jejunandum vel non jejunandum, sive de discrimine aut delectu ciborum, quibus tempore jejunii, vel sit utẽdum, vel non utendum. Sparsa autem fuerunt varia adulterina & suppositicia scripta, sub nomine & titulo, vel Apostolorum, vel virorũ Apostolicorum, in quibus tales leges de jejunio continentur. Et illa, quidem Scripta in primitiva Ecclesia, tanquã Apocrypha reiecta fuerunt. Sed cùm postea quidam ex veteribus (sicut in prima parte ostendimus) tolerent illis, quæ in huiusmodi apocryphis scriptis extant, titulum traditionum Apostolicarum tribuere, species illorum titulorum multis imposuit. Et quia nunc etiam talia, quasi ab Apostolis tradita, à Pontificiis urgentur, annotandæ nobis erunt historicæ quædam observationes de suppositiis seu adulterinis illis Scriptis. Quæ observatio ad hoc etiam utilis erit: Quãdo enim Patres quidam dicunt, ieiunium quadragesimæ, vel aliquod aliud, item delectum ciborum ex Apostolorum traditione descendere, non statim turbemur: Intelligenda enim sunt apocrypha illa scripta, quæ quàm incerta, dubia, & suspecta sint, iam ostendemus.

Ante annos igitur non multos editi sunt Græcè & latinè octo libri de constitutionibus Apostolicis, quasi à Clemente Romano conscripti, tanquam doctrina catholica & Apostolica. Titulus enim est διαταγαὶ ἢ διατάξεις τῶν ἁγίων ἀποστόλων καθολικὴ διδασκαλία. Et in quinto libro cap. 13. quasi ex Apostolorũ persona dicitur: Observandum vobis est jejunium τῆς τεσσαρακοστῆς, quadragesimæ continens memoriam τῆς πολιτείας καὶ νομοθεσίας, cõversationis & legislationis Domini. Hoc jejunium celebretur ante jejuniũ Paschæ, quod incipiens à secunda feria, desinat in Parasceven. Ibidem cap. 16. scribitur: Ipse Dominus παρήγγελε. præcepit nobis jejunare sex illis diebus ante Pascha ob Iudæorũ impietatem, jubens lugere ob interitum eorũ. Item, προσέταξε ἡμῖν νηστεύειν τὴν πρὸ δ' καὶ παρασκευήν: Indixit seu mandavit nobis, ut jejunemus quartam feriam & Parasceven: illam ob proditionem, hanc ob passionem. Item solo sabbato sanctæ septimanæ jejunare oportet, quia in illo Opifex ipse sub terra fuit. At cap. 18. Ieiunate sex illos ante Paschã dies, solo pane utentes & sale, atq; oleribus & aquâ in potum, εἰνὲ ἐκ χρεῶν ἀπέχεσθαι. A vino verò & carnibus vos abstinete in diebus illis, sunt enim dies luctus non festivitatis. Parasceve verò & sabbatum totum ieiunate (qui quidem possunt) nihil gustantes usq; ad galli cantum noctis. In reliquis diebus ante Parasceven ad horam nonam vel ad vesperam quisq; cibum sumat, vel quemadmodum quisq; poterit. Cap. 21. post hebdomadam Pentecostes ieiunare unam septimanam. Item: προστάσσομεν, præcipimus vobis, ut in omni quarta feria & Parasceve ieiunetis, & quod à Ieiunio supereſt, pauperibus erogetis. In omni sabbato excepto uno, & die Dominico conventus celebrantes exhilaremini. Peccati enim reus est, qui die Dominico ieiunat. Et lib. 7. Ieiunia vestra non sint cum hypocritis, illi enim ieiunant in secunda & quinta sabbati. Vos verò, vel quinque dies ieiunate, vel quartam feriam & Parasceven: In illa enim Iudas pecuniam proditionis accepit: In hac verò Dominus crucifixus est. Sabbatum & Dominicum diem festũ agite: Illud enim creationis, hic resurrectionis νεκύωμα monumentum seu commonefactio est.

Hæc in libris istis tanquam Apostolicæ constitutiones, Ecclesiis ab Apostolis traditæ & mandatæ, describuntur. Et illo traditionum titulo multos deceptos fuisse, exempla multorum ostendunt, qui talia ieiunia, ut ab Apostolis mandata necessitatis opinione observarunt. Epiphanius etiam contra Aerium, atq; in compendio doctrinæ, ex hoc scripto asseverat Apostolorũ constitutione traditum, ordinatum, & præceptum esse, ut in quarta feria, & pro sabbato ieiunetur usque ad horam nonam. Ac mandasse Apostolos tunc nihil sumendum esse præter panem, salem, & aquam. Cumq; Clementis constitutiones addant hanc limitationem seu dispensationem, οἷς δύναμις προσέστι τοιαύτη, Item ὅπως ἂν τὶς δύναται, qui possunt, &, quemadmodum quisq; poterit) Epiphanius sine exceptione necessarium mandatum inde facit. Ita crescũt Leges traditionum. Sed Librorum istorum, qui Clementis Romani nomine feruntur, nulla certa est autoritas. Multa enim adulterina scripta sub eius nomine sparsa fuisse, Eusebius testatur lib. 3. cap. 38. Et Ruffinus quæritur libris huius Clementis, multa adulterina inserta, quæ Ecclesiastica Regula non recipiat. Inde Gelasius Distin. 15. Clementis scripta inter Apocrypha reiecit. Et de his ipsorum Apostolorum constitutionibus Epiphanius, qui eas frequenter allegat, & magnificare videtur, non dissimulat, quale fuerit Ecclesiæ iudicium. Nam contra Audianos dicit: διατάξεις illas Apostolorum esse τοῖς πολλοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ, hoc est, à multis seu plerisq; constitutiones illas Apostolorum haberi pro dubiis & incertis. Et addit quidem, non esse ἀδόκιμους, hoc est, reprobatas illas constitutiones, multum enim Epiphanius illis traditionibus tribuit.

Quid Epiphanius illis constitutionibus tribuerit.

Descriptis Clementis Rom.

Constitutiones illas esse apocryphas.

Sed sexta Synodus in Trullo circa annum 690. Canon 2. ita de illis statuit: Quia Apostolorum il-

Sexta Synodi Canon.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lis per Clementem constitutionibus (παλαιὰ νόθα καὶ ξενά ὑποτῶν ἑτεροδόξων ἐπιλύμης τῆς ἐκκλησίας) jam olim adulterina quædam, & peregrina ab iis, qui à fide aliena sentiunt, ad Ecclesiæ perniciem admixta sunt, ideò meritò visum fuit Synodo ποιήσασθαι αὐτῶν ὑποβολήν, illas ad Ecclesiæ ædificationem & securitatem rejiciendas aut abjiciendas esse. Præterea Leges illas de jejuniis, quæ in libris illis describũtur, reliqui etiam Patres non agnoverunt pro Apostolicis. Augustinus enim disertè inquit: Quibus diebus oportet jejunare, & quibus non oporteat, præcepto Domini & Apostolorum, nõ invenio definitum. Et Socrates li. 5. expressè dicit: Apostolos de tempore jejunii aut delectu ciborum nihil præcepisse. Imò Irenæus, & ipse etjam Epiphanius, sicut mox indicabimus, testantur dissimiles & liberas in hoc genere fuisse Ecclesiarum observationes, quod nunquam factum fuisset, si Ecclesia judicasset constitutiones illas, de quibus jam diximus, esse Apostolicas. Et singulari judicio Dei arbitror factum, quòd in cõstitutionibus istis posita sunt illa ipsa verba, quibus Paulus 1. Tim. 4. utitur in descriptione humanarum traditionum, & doctrinarum diabolicarum de abstinentia: Quales scilicet cibos non oporteat γεύσασθαι, & à quibus cibis oporteat abstinere diebus jejunii, ita enim constitutiones illæ loquuntur, ut scilicet ex ipsis verbis agnoscerentur constitutiones nõ esse Apostolicæ. Et tamen cùm olim, tum hoc etjam tempore illæ traditiones tanquam Apostolicæ ad stabiliendas superstitiosas Leges de jejuniis, & de ciborum delectu obtruduntur Ecclesiis. Ad quam dijudicationem utilis est hæc historica observatio.

Patres illas constitutiones Apostolicas non agnoverunt.

Ejusdem generis sunt & Canones, qui Apostolis tribuuntur, quos res ipsa & collatio ostendit, esse quasi aphorismos constitutionum illarum, de quibus jam diximus. Ex illis igitur Canonibus quinquagesimus ita statuit:

Canones Apostolorũ.

Si quis à carnibus & vino abstinuit, ὃ διὰ ἄσκησιν. ἀλλὰ διὰ βδελυρίαν, nõ propter exercitationem ad cultum pietatis, sed propter abominationem, aut corrigitor, aut ex Ecclesia ejicitor.

Sexagesimus secundus dicit: Si quis comederit carnes in sanguine animæ ejus, aut à bestiis laceratum, aut suffocatum, à communione excluditur. Sexagesimus octavus: Si quis sacram Quadragesimam, aut quartam aeriam, aut Parasceven non jejunarit, nisi imbecillitate corporis impediatur, communione privator. Hæc Canones illi, qui Apostolici vocantur. Sed ne titulus nobis oculos perstringat, historiæ ostendunt, Canonum illorum authoritatem non esse certam & authenticam. Nam dist. 16. Isidorus ita dicit: Canones qui dicuntur Apostolorum, quia eos nec sedes Apostolica recepit, nec sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo quòd ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dinoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab authoritate Canonica & Apostolica eorum gesta constat esse remota, atq; inter Apocrypha deputata.

Canones apocryphi.

Ita etiam Distinctio. 15. Gelasius Canones illos, qui Apostolorum dicuntur, inter Apocrypha ponit. Alii verò Canones illos probarunt, sed ex illis quidam agnoscunt, tantùm quinquaginta, quidam sexaginta, quidam octoginta quinque capita, sicut Distinctio. 16. Gratianus recitat. Sed quicquid sit de dissimilibus illis testimoniis, hoc constat ex illa varietate judiciorum antiquitatis, Canones illos esse ἐν ἀμφιλέκτῳ, sicut de constitutionibus Apostolicis Epiphanius loquitur, hoc est, authoritatem illorum esse dubiam & incertam.

Et hoc nobis sufficit, qui certius & firmius habemus verbum in Canonica scilicet Scriptura comprehensum, cui, dum ut lucernæ in loco obscuro apparenti attendimus, benè & rectè facimus, inquit Apostolus, 1. Petri primo. Et Paulus præmonet, ne turbemur, aut à sensu doctrinæ, quam certò constat esse Apostolicam, dimoveamur, sive per sermonem, sive per scriptum aliquod, tanquam ab Apostolis profectum, 2. Thessalon. 2.

Adde quòd Canones illi non servent characterem Apostolicæ doctrinæ, inde non obscurè animadvertatur, quòd sexagesimus secundus Canon dicit: Quia Lex in veteri Testamento prohibuit sanguinem & suffocatum, ideò in novo Testamento sub pœna excommunicationis ab illis esse abstinendum. Hoc enim pugnat cum doctrina Apostolorum de abrogatione veteris Testamenti, & de libertate Evangelii. Apostoli quidem Actor. 15. ob charitatem in casu scandali infirmiorum fecerunt decretum de sanguine, suffocato, & Idolothytis. Et qui ex Iudaismo erant, sicut & hodie Iudæi faciunt, ideò ex macellis Gentium non emebant carnes, nec quicquid à gentibus apponebatur comedebant, Gentium enim laniones quædam suffocabant, non emisso sanguine, & quando etjam mactabant, tamen non tam diligenter sanguinem exprimebant, sicut Iudæi facere solebant.

De sanguine & suffocato.

Illud verò decretum Actor. 15. de cibis non fuisse Legem universalem aut perpetuam, sed tantùm temporariam dispensationem propter infirmiores Paulus ostendit 1. Cor. 10. Vbi dicit: Quicquid in macello venditur, & quicquid vobis apponitur, comedite, non inquirentes propter conscientiam. In hisce verò Canonibus Clemens post mortem Apostolorum inde Legem universalem, & perpetuam facit sub pœna excommunicationis, quod certè contra normam Scripturæ Canonicæ pugnat.

Patres canones illos pro Apostolicis non agnoverunt.

Quodq; vetus etjam Ecclesia Canonibus illis in materia jejunii non tribuerit Apostolicam authoritatem, inde manifestum est. Tempore Augustini enim acris erat concertatio de jejunio sabbati. Romanis prætendentibus traditionem Petri, hisce Canonibus contrariam, quòd sabbato esset jejunandum: Asiaticis verò opponentibus aliorum Apostolorum traditionem, sabbato non esse jejunandum. Cumq; Vrbicus quidam ex jejunio sabbati faceret legem necessariam: Alii verò necessitatem inde facerent, quòd sabbato non sit jejunandum, Augustinus respondet: Interminabilis est ista concertatio generans lites, non finiens quæstiones.

Et quia inquit: Præcepto Domini aut Apostolorum non invenio definitum, quibus diebus non

non oporteat jejunare, & quibus oporteat. Ideo dicit, observationes illas diversas & liberas esse, & ad obtinendam, quam fides obtinet, justitiam, non esse necessarias, Augustinus Epistola 86. Vbi etjam docet, per se liberum & non peccatum esse die Dominico jejunare, atq; post Manichæorum demum hæresin jejunium diei Dominicæ factũ esse horribile & scandalosum. Ita Origenes in Leviticum etjam docet, liberum esse per omne tempus jejunare, & omne tempus totius anni aptum esse jejunio. Et Hieronymus ad Luciniũ ostendit, Paulum & cum eo credentes ipsa die Dominica jejunasse. Sicut Augustinus dicit, Christum, quia quadraginta continuos dies jejunavit, etjam Dominicis diebus jejunasse. Ergo Canones illos Apostolicos prohibentes jejunium Sabbati & Dominicæ diei Patres vel ignorârunt, vel pro Apostolicis non agnoverunt. Ita quòd Canones illi de jejunio quadraginta dierum statuunt, hoc Irenæus, sicut mox ostendemus, non agnovit, Legem esse Apostolicam: dicit enim, dissimiles & liberas fuisse observationes.

Et ipsi jam Pontificii, sicut paulò antè ostendimus, docent jejunium quartæ & sextæ feriæ non esse præcepti, sed tantùm consilii, quòd certè cum hisce Canonibus pugnat. Socrates enim lib. 5. cap. 22. expressè dicit de temporibus & ritibus jejuniorum neminem posse scriptum aliquod mandatum Apostolorum ostendere. Hosce ergo Canones non agnovit pro Apostolicis. Ipsi quoque Pontificii prohibitionem Jeiunii in die Dominico tribuunt Melchiadi Pontificii circa annum Domini 315.

Posteriorum igitur decreta, ut maiorem haberent authoritatem, Apostolicis adscribere voluerunt. Quòd verò quinquagesimus Canon dicit: διὰ ἄσκησιν, à carnibus abstinendum, ex instituto Essæorum, sicut paulò antè ostendimus, & ex posteriorum, ut Eustachii, disputationibus sumptum est, in Attalo verò ac Blandina mox dicemus, quomodo Deus opinionem illam refutârit.

Hermæ de ieiunio.

Huc pertinent etiam Hermæ Scripta, cui fingunt Angelum in habitu Pastoris apparuisse, & multa mysteria revelasse. Is igitur Hermas similitudine 5. de ieiuniis multa disputat, & genus quoddam ieiunii vocat stationẽ, de quo in Tertulliano dicemus. Ibi verò Angelus Hermæ hoc mandatum dat: Die ieiunii nihil gustabis, nisi panem & aquam, & supputato sumptu quem facturus eras, illum da pauperibus. Cumq; in Scriptura novi Testamẽti de prohibitione ciborum nullum extet mandatum Dei, Angelus iste dicit ibi: Si mandata Domini custodieris, scriberis cum electis: si autem præter ea, quæ mandavit Dominus, aliquid boni adieceris, honoratior eris apud Deum, quàm futurus eras. Idq; probat hac similitudine: Si servus diligentius, melius & rectius aliquid, quàm à Domino mãdatum erat, efficiat, dominus adeo hoc probat, ut faciat eum cohæredem filio. Et hoc diligenter observetur, unde sumptum sit fundamẽtum operum supererogationis in ieiunio & aliis operibus, ut scilicet servus sit prudentior Domino, de qua materia in prima parte diximus. Quod verò ad traditionem ieiunii in pane & aqua attinet: considere Lector eadem esse cum illis, quæ in Essæorum instituto, & in constitutionibus Pseudoapostoleis notavimus.

Vnde supererogationes.

Cùm enim illa non satis per se autoritatis habere viderentur, per visiones & revelationes stabiliri cœperunt: ideo enim fingunt, Angelum Hermæ talia mandata dedisse, Sed Paulus præmonet, ne à sano verbi Dei sensu dimoveamur per spiritum seu revelationem, 2. Thessalo. 2. Et de prohibitione ciborum, 1. Timoth. 4. disertè dicit: orituram illam à spiritibus impostoribus. Qualis igitur Angelus illæ Hermæ fuerit, non obscurum esse potest. Præterea libros illius Hermæ ex veteribus quidam, quia utilia aliqua continebant, legerunt quidem & commendârunt, Irenæus præcipuè & Origenes: Sed Eusebius libro 3. Hieronymus in Prologo galeato, & Tertullianus etiam in libro de pudicitia, libros illos inter Apocrypha & adulterina ponunt. Et ex huiusmodi fontibus exorti sunt rivuli traditionum de ieiuniis, quos posteri ipsis Apostolicis tribuere cœperunt.

Angelus Hermæ qualis.

Apocrypha Hermæ.

De Abdia etiam Babylonico similis ratio est. Notum enim est ex Eusebio & Gelasio, distin. 15. Sparsa olim fuisse varia Scripta de actis singulorum Apostolorum, quæ vetus Ecclesia habito diligenti Examine, inter Apocrypha & adulterina reiecit. Sed quia mundus vult decipi, sicut vetus proverbium habet, & pro eo, quòd homines veritatis dilectionẽ non accipiunt, solet ipsis Deus mittere efficacem errorem: Inde igitur factum est, quod adulterinæ illæ fabulationes de vitis Apostolorum, quæ in primitiva Ecclesia reiectæ fuerunt, postea in Legenda, quam auream tunc vocârunt, Ecclesiis rursus obtrusæ fuerunt. Sed quia Legenda illa profectò non aurea, sed ferrei oris & plumbei cordis, sicut Ludovicus Vives rectè iudicavit, nostris temporibus fœtere cœpit hominibus, alio igitur habitu per novum Actorem, explosas illas fabulas, in theatrum Pontificii nuper reduxerunt, sub nomine scilicet Abdiæ Babylonici. Sed Affricani liber esse videtur, cuius scripta inter apocrypha refert Gelasius. Ibi ergo à Matthæo fingitur institutum ieiunium quadragesimæ & aliorum statorum temporum. Et prohibitio carnium certis diebus à Matthæo ibi instituta legitur: de meritis etiã ieiunii quædam ibi traduntur. Et in vita Andreæ & Thomæ fingit Abdias iste, Apostolos definiisse, quibus diebus fit jeiunandum, quod Augustinus palam negat, & Socrates prolixa disputatione falsum esse ostendit. Sed nos iuxta consilium Petri non sequimur arte compositas fabulas: habemus enim certum & firmum sermonem in Scriptura canonica, quę sit vera & germana Apostolorum doctrina. Nec tamẽ inutile est nosse & aspicere qualia fundamenta habeat Pontificium ieiunium.

Abdias de vitis Apostolorum.

Legenda plumbea.

Sed ne recensendis Apocryphis fabulis nimiũ immoremur, tantùm pauca quædam de loco Ignatii in Epistola ad Philippenses dicam: Editæ sunt Ignatii Epistolæ Græcè, in quibus elegans sanè dictio est, & multæ continentur piæ ac illustres sententiæ. Ostendimus autem in prima parte sententias quasdam, quæ veteres ex Ignatii Epistolis citârunt, nunc nec in Græca, nec in Latina editione legi: sicut est sententia de Eu-

Ignatij Epistola.

Universidad de Deusto
Biblioteca

charistia, quam Theodoretus allegat. Et author Græcæ editionis ostendit, multas sententias aliter à veteribus citari, quàm nunc in Ignatii Epistolis legantur. Possent etiam ostendi quædam sententiæ, quæ de Filii divinitate ita loquuntur, ut non obscurè ab hæreticis insertæ videantur. Ex constitutionibus verò, quas Apostolicas vocant, multa satis ineptè variis locis assuta esse, manifestum est. Tale est etiam assumentum in fine Epistolæ Ignatii ad Philippenses, quod ad verbum ex constitutionibus, quas Apostolicas vocârunt, sumptum, & Ignatio assutum est. Quadragesimam, inquit, nolite contemnere, imitationem enim continet politiæ Domini. Quartam feriam & Parasceven jejunantes, reliquias pauperibus erogate. Quæ planè totidem & iisdem verbis leguntur in constitutionibus Clementis. Assumentum autem illud non esse Ignatianum aut Apostolicum, ex iis, quæ sequuntur, manifestum est: nam ibidem dicitur: Si quis cum Iudæis (quod scilicet ad tempus attinet) Pascha celebrat, κοινωνὸς socius est eorum, qui Dominum occiderunt. Sumptum quidem & hoc est ex constitutionibus Clementis, sed non esse Apostolicum, prolixa oratione apud Eusebium Polycrates ostendit lib. 6. cap. 23. In illo etiam Ignatii loco dicitur: Si quis diem Dominicam aut sabbatum jejunaverit, χριστοκτόνος, interfector Christi est. Sed hoc non esse Apostolicum, Augustinus prolixa illa ad Casulanum Epistola ostendit, sicut iam expositum est. Ita ergo non obscuris indiciis supposititia deprehenduntur. Et hæc eo consilio hoc loco annotavimus, ut consideretur, cùm doctrina de jejunio in libris canonicis simplex, plana, & certa sit: quomodo humanæ traditiones, novas insuper Leges & opiniones addere conatæ sint, idq; sparsis apocryphis scriptis, ut viderentur illa ab Apostolis profecta. Ne igitur titulo traditionum & antiquitatis, in iis, quæ verbi Dei testimoniis destituuntur, moveamur: indicatum jam est unde originem sumpserint.

De ieiunijs loco Ignatij.

QVOMODO VETVS ECCLESIA IEiunium quartæ & sextæ feriæ: Item Paschale ieiunium ex piis causis & finibus, salva libertate Evangelica servarit.

OStendemus jam porrò, quomodo in primitiva Ecclesia quidam, juxta Scripturæ testimonia & exempla jejuniorum exercitia instituerint: quidam verò ad traditionum opiniones inclinarint, & quomodo superstitiosæ illæ opiniones tunc repressæ fuerint. Paulò antè igitur, cùm de Patrum sententiis tractaremus, ostendimus ex Iustino, usitatum tunc fuisse, quando illi, qui in ætate adulta ex gentibus convertebantur, baptizandi erant, quòd docebantur de peccatis præteritis pœnitentiam agere, ac petere à Deo veniam. Vtq; in actione pœnitentiæ consideratio abominationis peccati ac iræ divinæ: in oratione verò fidei devotio eò magis excitaretur & accenderetur: precibus junxerunt jejunia, non tantùm pœnitentes, sed cum ipsis reliqua etiam Ecclesia. Ita in publica pœnitentia post lapsus usitatũ fuisse precib. addere jejunia, ex Tertulliano ostendimus. Idem in publicis precibus & gravioribus supplicationibus usitatum fuisse, ex Irenæo, Tertulliano, & Cypriano docuimus. Et hæ causæ ac tales fines jejunii cum Scripturæ testimoniis & exemplis consentiunt. Tempus verò talium jejuniorum, vel Episcopi, incidente solicitudine aliqua Ecclesiastica, indicebant, sicut ex Tertulliano diximus, vel tunc observabantur, quando Ecclesia, vel ad publicas & solennes preces, seu supplicationes, vel ad publicam pœnitentiæ seu Baptismi actionem conveniebat. Ita cùm publici & ordinarii Ecclesiæ conventus, ad auditum & meditationem verbi; ad usum cœnæ Dominicæ, & ad solennes supplicationes, præter Dominicã in Septimana feria quarta & sexta plerisque in locis fierent: servata illis diebus fuerunt etiam jejunia, ut ad auditum & meditationẽ verbi major intentio, atq; ad supplicationes publicas excitatior esset devotio. Vtq; ostenderetur ad hunc finem directum debere esse jejunium, cœnam Dominicam illis diebus administrabant circa horam nonam (sicut ipsi horas numerabant) & postea solvebant jejunium. Sicut hæc consuetudo describitur apud Epiphanium in compendia ria doctrina.

IIII. & VI. feria conventus & ieiunia.

Et contra Aerium Clemens etiam Alexandrinus quinto Stromatũ meminit jejunii die Mercurii & Veneris. Et Origenes in Leviticum (quod scriptum alii Cyrillo, alii Hesychio tribuunt) dicit: Habemus quartã & sextam Septimanæ dies, quibus solenniter jejunamus. Et si in hanc sententiam intelligatur, quod extat in Ignatii Epistola ad Philippenses (quartam feriam & Parasceven jejunantes, reliquias pauperibus erogetis) nihil habet incommodi. Illis verò diebus communionem celebratam ad horam nonam vel vesperam, Cassander multis exemplis ostendit, & colligitur ex Chrysostomi prima Epistola ad Innocentium. Eadem de causa, quia ante festum Paschatis publicam agebant pœnitentiam, vel baptizandi vel lapsi, ut in festo absolverẽtur & baptizarentur: & quia tota Ecclesia ad feriam meditationem passionis & resurrectionis Christi, & ad communem ac solennem communionem cum reconciliatis & baptizatis tunc se præparabat: observatum fuit jejunium, quod Paschale tunc vocârunt, postea verò quadragesima le nominatum fuit: sicut Irenæi historia apud Eusebium testatur. Et Origenes etiam in hanc sententiam dicit: Habemus Quadragesimæ dies ieiuniis consecratos.

Ieiunij Paschalis.

Quod igitur ad causas seu fines jejunii attinet hæc primitivæ Ecclesiæ exempla ad Scripturæ normam non malè conveniunt. Tempus verò talium jejuniorum, sine superstitiosis Legibus, ordinis gratia, liberè & dissimiliter servatum fuisse, historiæ ostendunt. Quidam enim non sexta feria, sed die sabbati Synaxes celebrabant & jejunabant. Aegyptii verò sabbato participabant quidem mysteria, sed non jejunabant, sicut Socrates refert lib. 5. cap. 22.

Liberæ observationes.

Et ne opinio necessitatis inde oriretur, quasi auditus, meditatio verbi, oratio, & usus cœnæ Dominicæ, non possent absq; ceremoniali illo jejunio fieri: noluerunt die Dominico, qui ad spiritualia illa exercitia præcipuè destinatus erat, jejuuia. Cumq; referente Hieronymo, in multis Ecclesiis quotidie communicarent, non tamen quotidie jejunarunt.

Quando primitiva Ecclesia ieiunarit.

Irenæus de ieiunij Paschalis diversitate.

Valdè illustris verò extat locus in Epistola Irenæi, quam describit Eusebius libro 5. cap. 24. Dicit enim: In forma sive in medio jejunii Paschalis magnam esse diversitatem, seu observationes dissimiles: quidam enim, inquit, unum diem ante Pascha jejunant, quidam duos, alii verò plures dies, alii quadraginta, diurnas & nocturnas horas supputantes pro die. Et hæc ποικιλία, varietas seu diversitas observationum jejunii, non jam nostra, inquit, ætate primùm cœpta & facta est (γεγονὼς) sed longè antè, illorum scilicet tempore, qui ante nos fuerunt. Et rationem illius diversitatis reddit sententia obscuriore quidem, sed quæ diligenter observanda est.

Verba illius hæc sunt: τῶν παρὰ τὸ ἀκριβὲς, ὡς εἰκὸς, κρατούντων τινῶν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνιδιαζόντων εἰς τὸ μετέπειτα παροικοῦσαν. Hanc sententiã Ruffinus suo more nulla fide ita reddidit: Cœpit hæc diversitas ab illis, ut opinor, qui non simpliciter, quod ab initio traditum est, tenentes in alium morem, vel per negligentiam, vel per imperitiam postmodum decidere. Musculus ita vertit: Cœpit per eos, qui præter accuratam diligentiam rerum habenis potiti, simplicem & vulgatam cõsuetudinem posthabuerunt, ac mutarunt.

Sed κρατοῦντων nõ ponitur absolutè, sed refertur ad συνιδιαζόντων. Et εἰς τὸ μετέπειτα παροικοῦν non est posthabere, sed in futurum aliquid facere seu ordinare. Propriùs igitur ad veram sententiã accedit Chrysostophorsomus Angelus interpres. Varietas illa jejunii cœpit apud Majores nostros, qui, ut conjectura assequi licet, non accuratè consuetudinem eorũ, qui vel simplicitate quadam, vel privata autoritate in posterum aliquid statuissent, observarunt.

Ex Irenæi sententia quæ observanda.

Multa autem memorabilia hęc Irenæi sententia docet. I. Tempore vivorum Apostolicorum, qui proximè post mortem Apostolorum vixerunt, non fuisse certas, statas, aut necessarias Leges de jejuniis: Sed diversas & dissimiles observationes.

Quia enim Irenæus Epistolam illam scripsit ad Victorem circa annum Domini 195. ergo τῶν προὸντων, Majores ante se intelligit eos, qui Apostolorum ætatem insecuti sunt: dicit enim πολὺ πρότερον, longè antè. II. Dicit fuisse συνήθειαν consuetudinem vulgarem, non mandatum, statutum, præceptum, præscriptum, Legem, aut traditionem Apostolicam de jejunii tempore. III. Consuetudinem illam jejunii Paschalis seu Quadragesimæ dicit non ex traditione Apostolica, nec ex publica Ecclesiæ Apostolicę, seu primitivę autoritate ortam, sed esse Idiotismum ab hominibus simplicibus privata quadam observatione introductam. IIII. Significat fuisse quosdam, qui de jejunii forma in posterum etiam tempus aliquod statuerunt, sed κατ' ἰδιωτισμὸν, privata sententia seu devotione non autoritate vel Apostolica, vel publica, talem enim antithesin vocabulum ἰδιωτισμὸς requirit. V. Dicit viros Apostolicos consuetudines illas jejuniorum Paschalium, utpotè ex simplici idiotismo ortas, παρὰ τὸ ἀκριβὲς, hoc est, non accuratè observasse, & inde ortam fuisse illã in forma jejunii diversitatem. Ex hac igitur Irenæi sententia, quæ tam certa & authentica est, quod tunc sine contradictione ad componendam gravissimam de Festo Paschatis controversiam oppositi fuit, manifestum est, Apocrypha, supposititia, & adulterina esse, quæ in constitutionibus, canonibus, & aliis Scriptis sub nomine & titulo Apostolorum narrantur de mandato, statuto, aut traditione Apostolorum, quod ad jejunium Paschale seu Quadragesimale attinet.

Aliæ Irenæi sententiæ.

Addit autem Irenæus præclaram sententiam: Ad unitatem veræ fidei non opus esse similitudine rituum in jejuniis. Illi, inquit, in tali diversitate jejunii pacem inter se coluerunt, καὶ ἐπ' ἰσότητος τῆς εὐσεβείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως συνίστων. Et dissonantia jejunii fidei consonantiã non turbat vel destruit, sed magis cõmendat aut potius constabilit, quòd scilicet regnum Dei non sit esca vel potus. Hæc sententia ideo bene notanda est, posteri enim ex libera & dissimili illa consuetudine jejunii Paschalis fecerunt legem adeo rigidam, ut ideo Aerius hæreticus judicatus fuerit, sicut postea Ambrosii & aliorum sententias de Quadragesimæ necessitate exponemus.

Est & hoc diligenter observandum, quòd vetus Ecclesia, sicut ostendimus, habuit causas jejuniorum, IIII. & VI. feria, atq; etiam ante Pascha, Scripturæ exemplis consentaneas. Postea verò cùm causæ illæ desissent, sublatæ & mutatæ essent, hoc est, cum IIII. & VI. feria non amplius Synaxes celebrarentur: nec ante Pascha, vel baptizandi, vel lapsi publicam pœnitentiam agerent, ipsum tamen opus operatum jejunii lege rigidissima, & opinione necessitatis recentium fuit. Cumq; fines jejuniorum illi, quos veterem Ecclesiam juxta Scripturæ exempla respexisse ostendimus jam exolevissent: affinxerunt opiniones de merito reconciliationis, expiationis peccatorum, salutis, & vitæ æternæ. Hæ veræ historicæ observationes, ad totã hanc de jejunio controversiam plus afferunt lucis, quàm prolixè disputationes.

OBSERVATIO EX IGNATII, ATTALI ET IRENAEI HIstoria, quomodo primis illis temporibus, superstitiosa leges & opiniones de ieiunijs motæ, statim rejectæ fuerint.

PErgamus jam ostendere, quomodo antiquissimis etiam primitivæ Ecclesiæ temporibus, simplices quidam, intentione non mala ad superstitiosas traditionum leges & opiniones inclinarint, & quomodo repressis opinionibus rectè instituti fuerint.

Extat Ignatii Epistola ad Heronem diaconum Antiochenũ, unde intelligi potest, & quæ fuerit Apostolica doctrina de ieiunio ac temperãtia, & quę superstitiosæ opiniones in exercitio ieiuniorũ tunc cœperint irrepere. Verba hęc sunt: ὑπνέσατε καὶ ἀγρυπνήσατε, ἀλλὰ μᾶλλον ἕτερος, ἵνα μὴ σαυτὸν καταβαλῇς. οἶνον καὶ κρεῶν μὴ πάντα ἀπέχου· ὁ γὰρ τοιοῦτος βδέλυκται, ieiuniis & oration. vacato, seu

Ignatius ad Heronem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

seu operam dato, sed non immodicè, immoderatè aut nimium, ne teipsum dejicias aut destruas, à vino & carnibus non penitus abstineto, neque enim abominabilia sunt. Et addit testimonia, quia, inquit, Scriptura dicit: Bona terræ comedetis, carnem ut olera manducabitis. Item: Vinum lętificat cor hominis, oleum exhilarat, & panis confirmat. Sed hæc sumenda sunt, inquit, μεμετρημένως καὶ ἐντάκτως ὡς θεῷ χορηγοῦντος, moderatè & sobriè, tanquã Deo ea subministrante, quis enim sine ipso vel edit vel bibit, quicquid bonum, quicquid egregium est, ipsius est. Et non multò pòst subjungit: Quicunque dicit aliquid παρὰ τὰ διατεταγμένα, præter ea, quę mandata sunt, etjamsi fide dignus sit, et jamsi jejunet, etjamsi virginitatem servet, etjamsi prophetet, & signa faciat, lupus tibi habeatur sub ovis pelle ovium exitium machinans.

Ignatius de cibis.

Et in Epistola ad Philadelphenses: Si quis in reliquis rectè sentiat τινὰς δὲ τῶν βρωμάτων, ex cibis autem quosdam vocet abominabiles, ille ἔνοικον inhabitatorem habet diaconem apostatam. Fuerunt igitur Ignatii tempore, circa annum 110. qui à cibis quibusdam, maximè à carne & vino sub specie religionis abstinuerunt, & immodicis jejuniis corpora læserunt. Ignatius verò opponit fundamẽtum ex verbo Dei, Omnem creaturam Dei esse bonam, & nihil rejiciendum si cum gratiarum actione sumatur. Illas verò Scripturæ sententias præcipuè allegat, quæ docent liberè posse sumi etjam ea, quæ in cibis bona seu lauta sunt, quæ corpus exhilarant, cor confirmant & lætificant, si sobriè & moderatè hoc fiat. Ostédit etjam fuisse tunc quosdam, qui in usitatis jejuniis voluerint sibi autoritatem conciliare stabiliendi ea quæ à Domino mandata non sunt.

De lautis cibis.

Memorabilis præterea historia extat apud Eusebium, lib. 5. ca. 3. quam ex Epistola Ecclesiarum Galliæ descripsit. Vnde colligitur, traditionem illam de jejunio in pane & aqua, & exemplum Essęorum, de quibus paulò antè diximus, cœpisse etiam in Ecclesiam irrepere, non quidem ea opinione, quasi reliqui cibi vel à diabolo essent, vel per se abominabiles, sed δι' ἄσκησιν, sicut apocryphi canones loquuntur, hoc est, quòd existimârunt, se tali abstinentia certorum ciborum peculiarem cultum divinum exercere. Ita autem Eusebius historiam illam describit: Cùm Alcibiades unus ex numero Martyrum (πάνυ ἀνυχμηρῶς διῆγεν) admodum squalidè, sordidè, aridè, seu vili cibo vitam instituisset, & ante illud tempus nihil omninò aliud quàm solum panem & aquam in cibum & potum sumpsisset, ac conaretur etjam in carcere eodem modo vitam degere, Attalo (qui sicut cap. 1. Gallica Epistola dicit, judicabatur columna & firmamentum Ecclesiarum esse) post primum agona in amphitheatro confectum, revelatum est, Alcibiadem (μὴ καλῶς) non benè seu rectè facere, quòd creaturis Dei non uteretur, & inde aliis (τύπου) exemplar scandali relinqueret. Alcibiades verò ita persuasus πάντων ἀνεδὶ ὡς μεταλάμβανε, liberè, promiscuè, sine discrimine absque delectu & sine prohibitione (hæc omnia enim significat ἀνεδ' ην) omne genus ciborum capessebat & Deo gratias agebat. Et addit hoc Epiphonema: Non enim ἀνεπισκέπτως visitatione gratiæ divinæ destituti erant, sed Spiritus sanctus erat ipsis σύμβολος, consiliarius, consultor, seu dator consilii. Hæc Eusebius ex Epistola martyrum, unde manifestè apparet, quosdam tunc circa annum Domini 170. ἄσκησιν, hoc est, exercitium cultus divini posuisse in dura seu austera vita vel cibis vilioribus, & opinione cultus abstinuisse à cibis melioribus. Quia verò inter reliqua miracula, etjam Prophetiæ donum tunc adhuc in Ecclesia durabat, sicut Eusebius illo in loco indicat, responso Spiritus sancti, ex loco 1. Timoh. 4. opinio illa rejecta & refutata fuit. Et Alcibiades sententiam Scripturæ edoctus, postea sine discrimine & delectu quibusvis cibis cum gratiarum actione usus fuit. Et Epiphonema Epistolę dicit, peculiare beneficium Dei fuisse, quòd Ecclesia in illo errore nõ fuit relicta, sed à Spiritu sancto edocta de libertate Christiana in quibusvis cibis.

Effœica & traditiones in Ecclesiam.

Alcibiadis abstinentia ab Attalo reprehensa.

Cibi absque delectu.

Hoc valde illustre testimonium est, considerétur autem, quomodo Pontificii illud eludere conentur: Quidam dicunt, Alcibiadem abstinuisse à reliquis cibis ea opinione, quasi abominabiles essent, & hanc opinionem fuissa damnatam, ut is fit sensus hujus historiæ, sicut canon Clementis dicit: Si quis non propter ἄσκησιν excitium cultus, sed propter abominationem abstinet à carnibus & similibus cibis, communione privetur. Sed historia Alcibiadis non dicit, ipsum postea alia opinione, scilicet propter ἄσκησιν à certis cibis abstinuisse, sed disertè dicit, ipsum postea sine discrimine & delectu quibusvis cibis cum gratiarum actione usum, & nihilominus cultum divinum exercuisse. Alii opponunt quod in eadem Epistola Biblis martyr ex Ruffini versione dicit: Vehementer erratis, quòd putatis infantium viscéribus vesci Christianos, qui ne irrationalium quidem animalium carnibus vescuntur. Sed textus non loquitur de carnibus, sed de sanguine, verba enim ita habẽt in Epistola Martyrũ οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἵματα φαγεῖν ἔξεστιν, quibus ne irrationalium quidem animantium sanguinem comedere fas est. Respiciunt enim ad decretum Apostolorum, Actorum 15. cujus observatio tum adhuc hæsit in Ecclesia. Adeo itaq; veris antiquitatis exemplis Pontificiorum sententia de jejuniis non est consentanea, ut ad ea eludenda cogantur quævis sophismata conquirere, sed fruſtra & nequicquam, adeo manifesta est veritas.

Elusiones Pontificiorum.

Ruffini versio.

Huc pertinet etjam locus Irenæi apud Eusebium libro 5. cap. 24. Cùm enim Victor Romanus Pontifex, in Ecclesias Asiaticas propter dissimilem observationem festi Paschatis, tãquam non orthodoxas acriter inveheretur, & eas à communione excludere conaretur: Irenæus scribit, non de die Paschatis solum, sed etjam de jejunii ratione & modo, istam controversiam constitutam esse. Ergo de jejunio Paschali, quod nunc quadragesimale vocatur, voluerunt tunc quidam cum Romano Episcopo leges ferre, opinione necessitatis sub pœna excõmunicationis, quando, quot diebus, quamdiu, & quomodo jejunandum esset: Sed Irenæus respondit, liberas & dissimiles esse

Nota de quadragesima ex Irenæo.

esse illas observationes, ad quarum similitudinem Ecclesię non sint adigendæ, nec propter dissimilitudinem, quasi in fide ἑτεροδόξως damnandæ. Et rationes adducit gravissimas, quia consuetudines illæ non ex mandato Domini, vel ex præscripto Apostolorum, sed ex Idiotismo ortæ sint, quibus viri Apostolici noluerint obligari opinione necessitatis: Et talem liberam dissimilitudinem rituum in Adiaphoris, non tantùm non rumpere, sed magis commendare & stabilire unitatem & veritatem fidei, quod scilicet fides & regnum Dei non consistat in cibo & potu & similibus externis ritibus, sicut paulò ante sententiam Irenæi ex ipsius verbis exposuimus. Ita ergo primis illis temporibus, superstitiosæ leges & opiniones de jejuniis, moveri quidem cœperũt, sed gravi autoritate repressę & refutatę fuerunt, quæ historiæ ideo diligentius observandæ sunt, posterioribus enim temporibus leges & opiniones illæ de jejuniis tanquam Apostolicæ, sub specie magnæ religionis recipi, probari, & magnis encomiis commendari cœperunt. In qua judiciorum diversitate optima est Tertulliani regula: Quòd primum verum, adulterinũ verò quodcunq; posterius.

QVOMODO ABSTINENTIA AC *prohibitio vini & carnium in Tatiano & Severo damnata fit.*

IN historia Ecclesiastica utiliter hoc observari potest, quòd opiniones quædam superstitiosæ & minus sanæ, sæpius ab hominibus non malis primùm sparsæ & usurpatæ, atq; in illis aliquandiu toleratæ fuerunt. Postea verò quando illæ ipsæ opiniones crassius proponi, & rigidius defendi cœperunt, tanquam hæreticę damnatę fuerunt. Ita sententiæ quædam de libero arbitrio minus commodæ & sanæ, à patribus antea usurpatę, & in illis toleratæ, postea in Pelagio damnatæ fuerunt. Eodem modo quod in therapeutis Philonis non toleratum tantum, verum etiam laudatum fuerat, postea in Encratitis & Severianis, crassius illud tradentibus & defendentibus, damnatum fuit. Suprà enim diximus, therapeutas Philonis subtitulo & nomine ἐγκρατείας cõtinentiæ vel abstinentiæ, penitus abstinuisse à carnibus à vino. Ex Tatiani verò schola, postea circiter annum Domini 180. progressi fuerunt, q se appellaverunt ἐγκρατεῖς, sicut Irenęus apud Eusebium loquitur: Vel ἐγκρατίτας, sicut Epiphanius loquitur. Illi juxta Irenæi descriptionẽ τῶν ἐμψύχων ἀπεχεσθαι ἐσκηνοσάντο, abstinentiã à carnibus animãtium introduxerunt. Atqui ex Apocryphis & ex Alcibiadis historia ostẽdimus, abstinentiam illam etjam antea ab aliis usurpatã fuisse, Epiphanius dicit, ἐμψυχοφαγίαν ἀπαγορεύουσι, animantium manducationem interdicunt seu prohibent. Et de Severianis idem dicit: ὅινα πάντελῶς ἀπέχοντα, A vino omninò abstinent. Sed utrunq; etjam Philonis θεραπευτὰι fecerunt, qui de vini abstinentia hanc reddiderũt rationem, quia vinum sit pharmacũ ἀφροσύνης dementiæ. Eãdem verò rationem Encratitæ etjam & Severiani, sed crassius, proposuerunt. Vinum scilicet θολοῖ, turbare mentem hominis, & jam ad libidines, jam ad iram, jam ad insaniam excitare, atq; hoc probarunt exemplis Noe, Loth, &c. Dixerunt autem inde hoc fieri, quia serpens seu diabolus terræ commixtus vitem produxerit, & venenũ illud draconis in vino ita turbare mentem, atq; ideo vinum esse diabolicũ, ac propterea utentes vino esse ἀνόμους καὶ ἁμαρτωλούς, peccatores & prævaricatores. Et sanè si vinum per se esset causa dementiæ, & carnes causa pravæ concupiscentiæ, omninò sequeretur non esse bonas Dei creaturas. Sed Epiphanius rectè respondet, non vini, sed intemperantiæ culpam esse, quæ in aliis etiam rebus rectè prohibeatur.

Tatiani.

Encratitæ.

Causa abstinentiæ à vino.

Therapeutæ Philonis & alii dixerunt, à carnibus ideo abstinendum, quia pravas concupiscentias provocent & inflamment. Quia verò pravas illas concupiscentias provocare & augere peccatum est: Encratitæ rationem illam crassius aliquando exposuerunt, dixerunt enim, sicut Epiphanius scribit, βδελύσσειν καὶ ἀπαγορεύειν, abominari & prohibere manducationem animantium, κατὰ φόβον καὶ ὄνδελμα, propter metum & imaginativum quasi spectrum, ne damnarentur ob perceptionem carnium animantium. Ita superstitiosæ illæ opiniones, quando in errores nimium crassos erupuerunt, tanquam hæreses damnatæ sunt. Et hoc quidem modo aliquãtum repressæ fuerunt superstitiones, sed tamen ex illis alio prætextu, alia specie & opinione semper aliquid etjam postea adhæsit: Esum enim carnium tempore jejunii, postea etiam prohibuerunt ex hoc capite, quòd vitiosas concupiscentias provocet & inflammet, quod cùm peccatum sit, ideo dixerunt pœnam damnationis incurrere eos, qui prohibitis temporibus carnibus etjam moderatè vescerentur. Et Caribusienſium regula esum carnium per totã vitam, sub pœna æternæ damnationis prohibet. Hoc certè cũ illud ipsum ὄνδελμα, imaginarium illud spectrum, metus damnationis propter esum carnium, sicut Encratitarũ opinio apud Epiphanium describitur. Ita quod in Encratitis damnatur, hoc in aliis laudatur, modò aliam speciem induat. Epiphanius qui ipse alibi prohibitionẽ carnium laudat, hoc loco dicit: Tatianum interdixisse esum carnium οὐκ ἐνεκεν ἐγκρατείας, non continentiæ, tẽperantiæ, aut moderationis causa, cũ ipse scribat, quòd Tatiani vocârint se ἐγκρατίτας, quod à toto suo instituto ἐγκράτειαν prædicârunt, adeò, ut ne in mysteriis quidem vino voluerint uti, sed aqua, unde dicti fuerunt ὑδροπαραστάται, sed temperantiam & sobrietatẽ, quam Scriptura præcipit, existimârunt sicam esse in prohibitione vini & carnium, & non aliter posse præstari nisi per abstinentiam à vino & carnibus. Debuisset igitur Epiphanius de carnibus dicere, sicut de vino dixerat. Non in carnibus, sed in intemperantia vitium esse, & in esu carnium, sicut in aliis etjam cibis, adhibendam esse temperantiam, atque hoc modo moderatè vesci carnibus non esse peccatum. Sed errores non rectè possunt refutari ab illis, qui aliqua ex parte in eodem luto hærent. Clemens lib. 3. stromatum dicit, librum à Tatiano fuisse compositum hoc titulo: De perfectione secũdum Salvatorem. Vnde colligi potest, quòd opinio-

Nota.

Carthusienſes.

Epiphanius.

Clemens.

Universidad de Deusto
Biblioteca

opinione perfectionis abstinentiâ à vino & carnibus indixerit. Et tales historicæ observationes de multis rebus commonefactiones præbent.

QVAE FVERINT LEGES ILLAE IEIVniorum, quas historiæ à Montano hæretico latas, & ab Ecclesia illius temporu reiectas fuisse referunt.

IN hoc Historici consentiunt, non diu post Tatianum cœpisse Montanum phanatica sua dogmata, sub prætextu novæ Prophetiæ, quam fingebat Paracleti revelationem esse, spargere. Inter errores verò, & damnata Montani dogmata, unum etiam caput de jejuniis fuisse inter omnes convenit. Qualis verò fuerit Montanistarum de jejuniis opinio, quæ judicio Ecclesiæ catholicæ explosa, & tunc damnata fuit, nõ satis perspicuè & diligenter, ab illis, qui catalogos hæreticorum descripserunt, annotatum est: Multos quidem illis temporibus scripsisse refutationes dogmatum Montani, Eusebius libro 5. capite 15. & 16. notatis ipsorum nominibus, testatur: sed eorum Scripta ad nostra tempora non pervenerunt. Ex Apollini verò confutationibus verba quædam, Eusebius libro quinto, capit. 17. describit, in quibus jejuniorum Montanicorum mentio fit, sed valde paucis verbis: Hic est, inquit, novitius ille Doctor, ὁ νυσείας νομοθέτησας, qui de jejuniis leges tulit, seu potius, qui jejunia certis legibus determinavit, definivit vel ordinavit, hoc enim verba propriè significant. Atq; inde reliqui etiam historici dicunt, Montanum fecisse leges de jejuniis, quos primitiva illa Ecclesia rejecerit & damnârit, quæ verò & quales istæ Montani leges fuerint, nemo fermè certò explicat. Idq; inde factum est, quòd ex posterioribus plærisq; vel easdem, vel similes de jejuniis leges amplexi sunt: quomodo igitur in Montano illud refutarent, quod ipsi amplectebantur? Ira Epiphanius, qui ipse leges de temporib. jejuniorum & de ciborũ delectu amplectitur, nec rectè recitat, nec refutat Montanistarum leges de jejuniis, sed affingit ipsis hanc opinionẽ. ἀπέχεσθαι τῶν βρωμάτων παραγγέλλουσι, ὡς ἕνεκεν πολιτείας προσφερόμενοι, οὐχ ἕνεκεν ἀρετῆς μείζονος, καὶ ἐραστείας, καὶ σεφάγου, ἄλλα βδελυκτὰ τὰ ὑπὸ κυρίου γεγενημένα, ὀνομάζοντες, hoc est, præcipiunt abstinere à cibis, nõ disciplinæ gratia exhortantes, non majoris virtutis gratia, non premiorum & coronarũ gratia, sed quòd ea, quæ à Domino facta sunt, abominabilia judicent. Ita Epiphanius. Sed ex vetustissimis nemo illam opinionem Montano tribuit, & quia paulò antè opinio illa in Tatiano publicè damnata fuerat, Montanus sine dubio dogmati suo de jejuniis, non blasphemam & damnatam hanc, sed aliam plausibiliorem speciem circundedit, maximè cùm fingeret se ex paracleti revelatione ad meliorem & perfectiorem Ecclesiæ disciplinam dogmata sua proferre. Et ipse Epiphanius tribuit Montano hoc testimonium, quod totam scripturam, vetus & novum testamentum, receperit, Ergo non docuit cibos à Deo creatos abominabiles esse, hoc enim est cõtra doctrinam novi Testamenti.

Montanus.

Apollonius.

Leges ieiuniorum.

Epiphanius errorẽ Montani non rectè describit.

Theodoretus dicit, Montanum introduxisse νυσείας καινὰς παρὰ τὸ τῆς ἐκκλησίας ἔθος, nova jejunia præter Ecclesiæ morem & cõsuetudinem sed quæ aut qualia illa fuerint, non explicat.

Quales verò fuerint Montani leges de jejunio, inde aliquo modo colligi potest, quod apud Eusebium lib. 6. cap. 3. Gallicæ Ecclesiæ, cùm ad Asiaticas de Montani erroribus scriberẽt, historiam de Alcibiadis abstinentia ab Attalo reprehensa, Epistolæ illi inserverunt, quodq; literas illas Irenæo, qui de tempore jejunii contra Victorem disputavit, perferendas tradiderunt. Vnde non obscurè conjicere licet, de tempore jejunii, & de discrimine seu delectu ciborum, Montanum leges tulisse.

Montani leges quales.

Sed quia conjecturis in re tanta non est fidendum, âge producamus testem, qui & rectissimè intellexit, & omnium certissimè testari poterit, quæ & quales fuerint Montani leges de jejuniis, quas Ecclesia tunc rejecit & damnavit. Tertullianum enim ad Montani partes defecisse, & eas contra Ecclesiam publicis Scriptis defendisse constat.

Et Hieronymus testatur ipsum specialiter contra Ecclesiam inter cætera tenuisse volumen de jejuniis, quod in prioribus Tertulliani editionibus desideratum fuit, sed in Lutetiana editione additum jam extat, & ita conscriptũ est, ut multis verbis explicet, & quæ fuerint Montani leges de jejuniis, & quibus argumentis Montanistæ leges suas de jejuniis cõtra Ecclesiam defenderint: Et vicissim ex quibus fundamentis Ecclesia istas Montanistarum leges improbârit & refutârit. Atq; ex hoc testimonio, quod de hac cõtroversia certissimum, atq; omni exceptione maius est, rectè & manifestè agnoscemus, quæ fuerint Montani leges de jejuniis, ab Ecclesia tunc reprobatæ & damnatæ. Apparebit etiam inde, qua fide Epiphanius Montani errorem de Ieiuniis descripserit, & quomodo sequens ætas ad leges illas ieiuniorum in Montano antea damnatas, prætextu & adulteratione disciplinæ relapsa sit. Atq; propter hanc causam singulare beneficiũ Dei esse iudico, quod scriptum illud Tertulliani de ieiuniis denuò in lucem prodiit: Inde enim iudicare possumus, quales & unde sunt traditiones illæ de ieiuniis, quę apud plerosq; etiam Patres iactantur. Sed præcipua capita ad hanc controversiam pertinentia ex libro illo Tertulliani describemus, & quidem ipsis Tertulliani verbis.

Tertullianus Montanista.

EX TERTVLLIANI LIBRO de Ieiuniis.

SCribit igitur Tertullianus de ieiunio adversus Physicos, hoc est, sicut Hieronymus dicit, contra Ecclesiam, se enim Montanistas vocabant spirituales, reliquos verò animales. Et in exordio dicit, se contra illos scribere, qui paracleto Montani controversiã faciebant, & novam eius prophetiam recusabant. Quid autem Ecclesia in Montanistarũ legibus de ieiunio reprehenderit, ita exponit Tertullianus. Arguunt nos, inquit, quòd ieiunia propria custodiamus, quòd stationes plerunq; in vesperam producamus, quòd etiam xerophagias observamus, siccantes cibum ab omni carne & omni virulentia, & vuidiorib. quibusq; pomis, nec quid vinositatis vel edamus vel potemus, lavacri quoq; abstinentiam cõgruentem arido victui servemus. Novitatem igitur objectant, de cujus illicito præscribant. Si humana præsumptio est, hæresin judicandam: Si spiritualis indictio est, Pseudoprophetiam pronunciandam. Hæc igitur Catholici in Montanorum jejuniis referente Tertulliano reprehenderunt.

Montanistæ de ieiunio.

Quid tunc Ecclesia de ieiuniis.

Montani Phrases de ieiunio.

Fundamẽta Ecclesiæ contra Montanistas.

Montanistæ de ieiuniis quomodo.

Promereri Deum.

Necessitas Adam.

Postea exponit etiam, quæ fuerit tunc doctrina & sententia Ecclesiæ de jejunio. In Evangelio illos dies, inquit, jejuniis determinatos putant, in quibus oblatus est sponsus, scilicet in hebdomada ante Pascha, & hos esse jam solos legitimos Christianorum, abolitis legalibus vetustatibus. Itaq; die cætero indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus & causis cuiusq;, sic & Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum cæterorum, & in commune obeundorum jejuniorum, & proinde nec stationũ, quæ & ipsæ suos quidem dies habeãt, quartæ feriæ & sextæ, patsivè tamen currant, non sub lege præcepti, neq; ultra supremum diei, quando & orationes ferè hora nona concludant, &c. Tertiò, recitat etiam, quæ argumenta, & ex quibus fundamentis, Ecclesia tunc Montanistis oppositurit, xerophagias dicunt novum affectati officii nomen, & proximum ethnicæ superstitioni, quales castimoniæ Apim & Isidi & magnam matrem certorum eduliorum exceptione purificant, cùm fides in Christo libera, ne Iudaicæ quidem legi abstinentiam quorundam ciborum debeat, semel in totum macellum ab Apostolo admissa, detestatore eorum, qui jubeant cibis abstinere à Deo conditis, & ideo nos Montanistas, ita tunc prænotatos. Sic & cum Galatis nos quoque percutiant, observatores dierum, mensium, & annorum. Ioculantur interea & Esaiam pronunciasse, non abstinentiam cibi, sed opera justitiæ Dominum elegisse. Et ipsum Dominum in Evangelio ad omnem circa victus scrupulositatem compendio respondisse: Non his coinquinari hominem, quæ in os inferuntur, sed quæ ex ore proferuntur, cùm & ipse Dominus manducaret & biberet, usq; in notationem. Ecce homo vorator & potator. Sic & Apostolum dicere, quòd esca nos Deo non commendet, neq; abundantes si edamus, neque deficientes si non edamus. His addunt supervacua, nec adeo necessaria existimanda dilati vel diminuti cibi officia præponente Deo justitiæ opera. Diligendum esse Deum & proximum, in his enim duobus præceptis totam legem pendere & Prophetas, non in intestinorum nostrorum inanitate. His verbis Tertullianus describit argumenta & fundamenta Ecclesiasticorum contra Montanistas.

Quartò, texit Tertullianus Apologiam Montanici dogmatis, ubi opiniones ipsorum de jejunio multis verbis describit. Nos capita tantùm ipsius Tertulliani verbis excerpemus, reliqua in ipso Tertulliano, qui volet leget. Affirmare igitur, inquit, nos Montanistæ debemus, quantum inanitas ista intestinorum apud Deum valeat, & ante omnia ostendendum, unde ratio ipsa processerit hoc modo promerendi Deum, tunc enim agnoscetur observationis necessitas. Et disputat mandatum jejunii fuisse, quod Adamo in Paradiso datum fuit, Non comedes de arbore scientiæ, &c.

Atque ita Deum ostendisse, cibum pro veneno deputandum, & antidotum famem sumendam, per quam mortis causa purgetur. Item: cùm Deus ieiunium mandet, & animum conquassatum (utique cibi angustiis) sacrificium appellet, ergo interdicto cibo & observato eo præcepto, primordiale delictum expiatur, ut homo per eandem materiam causa satis Deo faciat per quã offenderat, hoc est, per cibi interdictionem, atq; ita salutem æmulo modo redaccenderet inedia, sicut extinxerat saginа. Item: primordiale delictum maioris abstinentiæ operatione expiandum est. Et introducens exempla Mosis & Heliæ addit: Tanta est circumscripti victus prærogativa, ut Deum præstet homini contubernalem parem pari, quia scilicet iuxta Scripturam Deus non edit. Item: Ieiunium, inquit, iratum Deum homini reconciliat, ut Samuel ostendit, in Masphat. Per inediam Ninive de exitio prædicata liberatur. Dicit etiam ad exorandam iram Dei, ad elimanda peccata, ad impetrandam tutelam Dei & gratiam, necessaria esse ieiunia. Item, non modò periculorum aversionem & delictorum obliterationem, sed & sacramentorum agnitionem ieiunia de Deo merentur, ut in Daniele. Dicit etiam Christum in deserto, cùm quadraginta diebus ieiunaret, præstituisse legem de ieiuniis transigendis. Et Exemplo de Propheta ille, cui Deus prohibuerat, ne comederet panem in Bethel, 3. Reg. 13. utitur ad stabiliendas Montani leges de ieiunio.

Purgatio mortis.

Expiatio, Satisfactio.

Salus.

Reconciliatio.

Liberatio.

Exoratio, Gratia.

Tutela.

Ieiunium Christi.

De ciborum verò delectu ita disputat montanisans Tertullianus. Exceptio, inquit, quorundam eduliorum portionale ieiunium est, & vocat interdictionem cibi. Et xerophagias conatur probare ex Daniele, quodq; David cinerem sicut panem ederit. Vini abstinentiam ab exemplo Samuelis, Aaronis & Nazaræorum probat.

Exceptio & interdictio quorundam ciborum.

De stationibus quæ in serum producantur, & de solenni constitutione sive lege Mõtani, quando, sive quibus diebus fit ieiunandum, distertis verbis dicit. Illa carere Scripturæ autoritate, sed observari ex traditione, de qua ita inquit: A quocunq; institutore ista sunt, sive spirituali sive tantùm fideli, certè Deo currũt, hoc est, in honorem Dei fiunt, Ergo non sunt à spiritu diaboli.

Montanicæ sunt ex traditione.

Quod verò Ecclesiastici dicent, præter ea solennia, quæ vel Scripturis vel traditionib. maiorum constituta sunt, nihil observationis amplius adiiciendum obillicitũ innovationis. Adhæc Tertullianus ita respondet, ut ostendat, quæ fuerint Ecclesiæ veræ primitivæ ieiunia, & quæ postea ac quomodo accesserint. Certè, inquit, vos præter Pascha, ieiunantes citra illos dies, quibus oblatus est sponsus, etiam stationum (scilicet quartæ & sextæ feriæ) semijejunia (scilicet quia fine ciborum delectu, & tantùm usq; ad horam nonam) interponentes, interdum etiam pane & aqua victitantes, ut cuiq; visum est. Et respondetis quidem ex arbitrio hæc agi, non ex imperio. Movistis igitur gradum excedendo traditionem maiorum, cùm, quæ non sunt constituta obitis. Si hoc vestro arbitrio permittitis, cur non idem Paracleti, scilicet Montani, imperio datis? Certè,

Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Indicebatur ieunia.

inquit, Episcopi sæpe universę plebi mandare assolent jejunia, ex aliqua solicitudinis Ecclesiasticæ causa imminentium, sive Ecclesiasticarũ tentationum, sive mundalium plagarum, quare ergo non Paracletus ταπεινοφροσυνην indicaret, & talem disciplinam mandaret.

Galat. 1.

Ad argumenta Ecclesiasticorum ita respondet: Paulus ad Galatas disputat contra veteres legales solennitates: Sed Montani disputationes non sunt vetera illa, sed nova solennia. Ad lo-

1. Tim. 4.

cum 1. Tim. 4. ita respondet: Paulus damnat hæreticos perpetuam abstinentiam præcepturos, ad destruenda & despicienda opera Creatoris, quales fuerunt Martion & Tatianus. Sed quantula, inquit, apud nos est interdictio ciborum? Duas in anno hebdomadas xerophagiarum, nec

Tempora ieiuniorum Montani.

totas exceptis scilicet Sabbatis & Dominicis, offerimus Deo, abstinentes ab eis, quæ non rejicimus, sed differimus. Paulus verò accusat illos castigatores, & interdictores victus, qui non ex officio in honorẽ Dei, sed ex fastidio in convitium Creatoris abstinebant.

Ethnicorum abstinentia.

In fine Ethnicorum exempla introducit. Omnem, inquit, ταπεινοφροσυνην etiam ethnici agnoscunt, cùm stupet Cœlum & aret annus nudipedalia denunciantes, Magistratus purpuras ponunt, fasces retrò avertunt, precem indigetant, hostiam instaurant. Alibi verò annuo ritu saccis velati & cinere conspersi, idolis suis invidiâ supplicem objiciunt, balnea & tabernæ in nonam usque clauduntur. Et ex xerophagiis Isidis & Cibeles dicit Montanica probari. Si enim illi idolis hoc faciunt, cur non potius nos Deo hoc faceremus? cùm & Iudæi hodierni usq; ad ortum stellarum jejunia sua producant.

Nota.

In toto verò Scripto & præcipuè in fine, illos, qui Montani leges de jejuniis nolebant recipere, acriter criminatur, quòd temperantiam, humilitatem & ieiunia oderint, gulæ & commessationibus dediti, & omnia Scripturæ dicta de crapula & ebrietate contra illos torquet, eodem prorsus modo, sicut Pontificii nunc faciunt, Deus inquit, cibi venter est, pulmo Templum, aquali culus altare, sacerdos cocus, spiritus nidor, condimenta charismata, & victus prophetia. Item: apud te charitas in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet, &c. Macies, inquit, non displicet nobis, neq; enim ad pondus Deus carnem tribuit, sicut nec spiritum ad men-

Nota.

suram, facilius verò per angustam salutis januam introibit caro exilior, & ita resuscitabitur caro levior.

Hæc ipsis Tertulliani verbis adscripsi, ne quis fingi aliquid criminetur. Et Lector etiam non admonitus animadvertit præcipua capita historiæ de ieiunio, & hisce notationibus comprehendi clarius & certius, quàm in omnibus fermè aliis historicis.

Primò enim manifestissimè hinc patet, falsam esse illam descriptionem erroris Montani de ieiunio, quam Epiphanius, sicut suprà notavimus,

Epiphanius mala fide, &c.

Montano tribuit. Tertullianus enim Montanista diserte hoc neget, & contrarium prorsus profitetur, Montanum scilicet interdixisse quosdam cibos non perpetuò seu in universum, sed certis tantùm temporibus, non quòd cibos illos rejicendos aut abominabiles judicârit, sicut Tatianus, sed disciplinæ, maioris virtutis & præmiorum gratia. Et ex hac collatione manifestum est, veteres & præcipuè Epiphanium, descriptiones hæreseòn accommodasse & intellexisse secundum præconceptas suas opiniones. Quia enim Epiphanius, sicut postea ostendemus, leges de temporibus jejunii, & de ciborum prohibitione ipse probavit & ursit, ideo nec potuit nec voluit Montani leges, sicut primitiva Ecclesia fecerat, inter hæreses referre, sed aliud ipsi tribuit, & affingit, quod Montanus expresè negat. Illud verò quod Montanus revera sensit, quodq; vetus Ecclesia in ipso damnavit, Epiphanius tanquam verum laudat & probat, sicut collatio descriptionis Montanismi, quæ extat apud Tertullianum & Epiphanium, manifestè ostendit. Et hæc certè non est bona fides, debuisset enim Epiphanius veteris Ecclesiæ historiam, quid illa in Montano damnasset, bona fide describere, nõ suas opiniones substituere. Et hoc diligenter observandum est, ut sciamus, quãtum huiusmodi scriptoribus tribuere debeamus, & sequẽtia ostendent, quantum Ecclesiæ nocuerint illi, qui iudicia veteris seu primitivæ Ecclesiæ non bona fide descripserunt, sed ad præconceptas suas opiniones inflexerunt. Inde enim factum est: quod ii, qui postea Montanum strenuè damnabant, Montani tamen sententiam amplecterentur & sequerentur, sicut mox ostendemus.

Secundo ex hac etiam Tertulliani descriptione rectè colligitur, quæ fuerit veteris seu primitivæ Ecclesiæ, usq; ad Tertulliani tempora per annos fermè ducentos de ieiunio doctrina & sententia, Apostolos scilicet docuisse, esse ieiunandum, sed non imposuisse jugũ, quod ad tempus

Ecclesia de temporibus ieiunij.

attinet, certorum & in commune ex imperio seu mandato obeundorum ieiuniorum: sed illud reliquisse Ecclesiæ & fidelium arbitrio, ut pro temporibus & causis, vel Episcopi indicerent, vel privati susciperent ieiunia, non ex imperio, nec sub Lege præcepti, sed indifferenter ex arbitrio. His enim verbis Tertullianus Ecclesiæ sententiam Montanistis tunc oppositã describit, ostendit etiam, primitivâ Ecclesiam ieiunia nõ constituisse in discrimine seu delectu ciborum. Imò interdi-

De ciborum delectu.

ctionem seu exceptionem certorum eduliorum tempore ieiunii, Ecclesia tunc tanquam hæresin damnasse, & libertatem ciborũ, quoad conscientiam, etiã tempore ieiunii, magno zelo defendisse. Hoc etiam vetus Ecclesia diligenter tradidit sicut verba Tertulliani docent, suum quidem locũ tribuendũ esse ieiunio, sed spirituales cultus seu exercitia iustitiæ & dilectionis, longè anteferenda esse corporalibus ieiuniorum exercitiis. Et ipsum opus operatũ ieiunii, seu, ut Ter-

Opus operatum ieiunij.

tullianus loquitur, inanitatem intestinorũ, per se non esse cultũ Dei, nisi scilicet ad veros & pios fines in Scriptura monstratos, referatur. Liber-

Libertas.

tatem igitur, sine opinione necessitatis, in ieiuniis vetus Ecclesia & usurpavit & defendit, quò ad tempus & quoad cibos, quibus scilicet diebus, & quando sit ieiunandum, & quib. cibis sit utendum. Tertiò, colligitur etiam ex hac Tertulliani narratione, quæ observationes ieiuniorum receptæ & usitatæ fuerint in primitiva Ecclesia, Paschale

schale scilicet jejunium, circa illos dies, quando ablatus est sponsus, quasi solenne, ex more majorum receptum & usitatum tunc in Ecclesia fuis-

Quæ ieiunia tunc in Ecclesia.

se. Quod verò in illo etiam Paschali jejunio diversæ & liberæ fuerint observationes, antea ex Irenæo ostendimus. Et hoc forsan sibi volunt Tertulliani verba, ubi dicit: Circa illos dies quibus sponsus ablatus est jejunari, hoc est, quod juxta Irenæi narrationem quidam jejunârint, non tantùm duos illos dies, quando per crucifixionem sponsus à discipulis ablatus est, & altero in sepulchro quievit, sed plures etiam dies ante Pascha.

Deinde ostendit locus ille Tertulliani, Ecclesiam præter traditionem, constitutionem & morem majorum, ita enim Tertullianus loquitur, cœpisse tunc jejunare, etiam quarta & sexta

Ieiunium IIII. & VI. feriæ.

feria, quando scilicet ad stationes publicarum orationum conveniebant. Sed illa jejunia non fuisse ab Apostolis imposita, sed passivè cucurrisse, hoc est, indifferenter, ex arbitrio, non ex imperio disciplinæ, nec sub lege præcepti observata fuisse. His enim verbis Tertullianus utitur. Addit etiam Tertullianus de moribus Ecclesiæ catholicæ hoc: Interdum etiam pane & aqua victitatum, ut cuique visum erat, ex arbitrio, non ex imperio. Hæc verò de jejunio quartæ & sex-

Ieiunium in pane & aqua.

tæ feriæ: Item de jejunio in pane & aqua, tunc nova fuisse in Ecclesia, Tertullianus his verbis ostendit. Movistis ergo gradum, inquit, excedendo traditionem majorũ, dum quæ non sunt constituta, obitis. Porrò ostendit etiam, Ecclesiam circa nonam horam, quando publicæ orationes concludebantur, solitam jejunia solvere, Hæc omnia in sequenti Patrũ historia magnum habebunt usum.

Quartò, ex hoc Tertulliani scripto rectè & verè colligitur, quam *vanissimè* jejuniorum Ecclesia in Montano reprehenderit & damnaverit, quod scilicet tempora jejuniorum etiam

Montani leges quæ.

tunc usitatorum ex imperio & sub lege præcepti, opinione necessitatis, observanda esse docuerit, quodq; nova constitutione seu lege propria jejunia, hoc est, certa solennia tempora præscripserit & mandârit, quibus diebus & quàm diu sit jejunandum: Tertullianus enim scribit, præter usitata tunc jejunia, duas in anno hebdomadas, exceptis sabbatis & Dominicis jejunandas, à Montano fuisse præscriptas, stationes etiam jejuniorum in serum seu vesperam producendas esse.

Prohibitio ciborum.

Deinde damnavit Ecclesia & hoc in Montano, quòd leges fecit de prohibitione, vel, sicut Tertullianus loquitur, de exceptione & interdictione certorum eduliorum tempore jejunii, Arguunt, inquit, Montanistas, quod xerophagias, hoc est, aridum victum observent, siccantes cibum ab omni carne, vinositate, virulẽtia & humidioribus fructibus, cum lavacri abstinentia. Et hisce

Necessitas.

observationibus Montanus necessitatem attribuit, cùm econtra Ecclesia doceret, indifferenter ex arbitrio, ut cuique videretur, pro temporibus & causis cujusque, non ex imperio nec sub lege præcepti, talia observandaesse. Hæc enim sunt Tertulliani verba.

Quintò, illud etiam in Tertulliani narratione utiliter observari potest, ex quib. Scripturæ fundamentis Ecclesia tunc leges Montanicas refutârit? Nempe, quia Apostoli & docuerunt & observârunt pro temporibus & causis cujusque jeju-

Apostoli de ieiunijs.

nandum, nec ullũ aliud jugũ imposuerunt certorum jejuniorum. Ideo nec ex imperio nec sub lege præcepti mandanda esse jejunia: Paulum enim damnare temporum observatores. Cùm verò Montanistæ dicerent, legales seu Mosaicas temporum observationes abrogatas esse: novas verò posse institui, si modò fiat intentione honoris & cultus divini: Ecclesia tunc respondit: Præter ea quæ in Scriptura constituta, & in Apostolica Ecclesia usitata fuerunt, nihil observationis adjiciendum. Novitatem enim esse illicitam, quę

Novitas.

si ex humana traditione vel præsumptione oriatur, hæresin esse iudicandam, si sub prætextu revelationis seu inspirationis divinæ proponatur, Pseudoprophetiam pronunciandam. De cibis usi fuerunt locis Scripturæ, Matth. 11. & 15. Roman. 14. 1. Cor. 10. Gal. 4. Esai. 58.

Locum verò Pauli 1. Tim. 4. Ecclesia tunc intellexit, non tantùm de Marcionitis & Tatianis, qui cibos quosdã perpetuò ad despicienda opera Creatoris prohibebant, verùm etiam de Montanistis, qui certis temporibus cibos quosdam prohibebant, ex imperio disciplinæ, & in honorem Dei. Et ex Tertulliani responsione manifestè patet, Montanistas tunc prorsus eadem exceptione, qua nunc Pontificii utuntur, conatos eludere locum Pauli 1. Tim. 4. de ciborum prohibitionibus, sicut Tertulliani verba ostendũt, id quod Lectori diligenter observandum est.

Locus 1. Tim. 4. quomodo intelligẽdus.

Sextò, quas opiniones meriti Montanistæ ieiuniis suis affinxerint, non aliunde melius & certius, quam ex Tertulliano Montanista cognoscere possumus, quæ observatio propterea utilis est, ostendit enim, ex quibus fontibus profluxerint Pontificiorum phrases suprà descriptæ, de meritis ieiunii. Ita autem Tertullianus Montani do-

Montanista de meritis ieiunij.

gmata de ieiunio contra Ecclesiam defendens loquitur, ieiunium esse rationem promerendi Deum. Esse antidotum, per quod purgetur causa mortis, & primordiale delictum expietur, per cibi interdictionem Deo offenso satisfieri, salutem inedia redaccendi, & primordiale delictum majoris abstinentiæ operatione expiari. Ieiunium Deum iratum homini reconciliare, de exitio liberare, iram Dei exorare, peccata elimare, impetrare tutelam & gratiam Dei. Ieiunia de Deo mereri periculorum averſionem, & delictorum obliterationem, & carnem ieiuniis exhaustam, facilius per angustam salutis ianuam introire. Quodq; David dixit: Spiritum contribulatum esse sacrificium Deo: Hoc Tertullianus de cibi angustiis intelligit. Hæc omnia sunt Tertulliani Montanisantis verba. Et quia inde quædam in aliorum etiam Patrum scripta postea irrepserũt, si Pontificii noluerint admittere, ut ea iuxta fidei analogiam commodè interpretemur, possumus hinc ostendere, ex qua schola emanarint, & cuius linguam imitentur, cùm Scriptura ita non loquatur.

Postremò, est & hoc observandũ, quibus Scripturæ locis Montanistæ ad stabiliendas suas de ieiuniis leges abusi sint: Nempe de arbore, cuius

Universidad de Deusto
Biblioteca

usus Adamo in Paradiso interdictus fuit. Item; Christum suo jejunio præstituisse legem jejuniis. Et quæ præterea suprà Tertulliani verbis commemorata sunt. Observandum est & hoc, quod ex jejuniis & superstitiosis abstinentiis certorum ciborũ apud Ethnicos & Iudæos, Monatistæ per κακοζηλίαν occasionem arripuerunt suorum jejuniorum. Et quomodo Ecclesia illud inverterit, scilicet, xerophagias novum esse affectati ficti nomen, proximũ ethnicæ superstitioni. Item, quãdo Pontificii nos, qui superstitiosas ipsorum leges & opiniones de jejunio non probamus, criminantur tanquam patronos crapulæ & ebrietatis, sciamus eandem sophisticam Montanistas contra Ecclesiam usurpasse, & τὰπεναντία specie leges suas palliasse. Respondemus autem, illud quod Augustinus Vrbico respondit: Aliud est corda gravare crapula & ebrietate: Aliud est modestia & temperantia custodita, relaxare ieiunium, hoc est, crapula & ieiunium non sunt immediatè contraria, ut eum, qui non ieiunat, necesse sit inebriari. Prandia igitur, inquit Augustinus, temperantiã à voracitate & ebriositate ventriculorum discernat, &c.

Ethnica.

Sophistica.

Hæc de Montanistarum ieiuniis ex Tertulliano, qui circa annum Domini 220. Montani partes defendendas sibi sumpsit, accuratius, retentis ubiq; ipsius verbis, explicare volui. Hæc enim observatio ostendit, quales & unde sumptæ sint traditiones de ieiuniis, quas ex apocryphis scriptis suprà recensuimus. Multa etiam sequentium patrum dicta, ex vera hac de Montanismo historia, rectè dijudicari poterunt, præcipuè verò affinitas & similitudo Pontificij ieiunii cum Montanismo, ad oculum quasi, ex hac historia deprehenditur perspicitur.

QVOMODO POST TERTVLLIANVM *per aliquot annos libertas Evangelica in ieiunijs, salva retenta fuerit, ex Origene: Et de usu sanguinis.*

ITA ergo certamine illo Ecclesiæ contra Montanistas superstitiosæ leges de ieiuniis paulisper repressæ, & libertas Evangelij aliquandiu retenta ac defensa fuit, sicut ostendit locus Origenis Homilia 10. in Leviticum, ubi ostẽdit, quomodo verè humilietur anima, quodq; verum ieiunium non consistat in prohibitione ciborum, & quæ sit libertas in observatione ieiuniorum, verba Origenis hæc sunt: Tu si vis ieiunare secundum Christum, & humiliare animam tuam, omne tibi tempus est aptum totius anni, imò totius vitæ tuæ dies habeto ad humiliandam animam tuam, si tamen didicisti à Domino, quia mitis est & humilis corde, vis tibi ostendam quale te oporteat ieiunare ieiunium? Ieiuna à malis actibus, abstine à malis sermonibus, contine te à malis cogitationibus, tale ieiunium Deo placet: abstinere verò à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & hoc facere cum illis qui Dominum crucifixerũt, acceptum esse non potest Deo. Indignati sunt aliquando Pharisæi Domino, cur discipuli eius non ieiunarent, quibus ille respondit: Non possunt filii sponsi ieiunare quamdiu cum illis est sponsus. Illi ergo ieiunent, qui perdiderunt sponsum. Non habentes sponsum nobiscum, ieiunare non possumus. Neq; hoc tamen ideo dicimus, ut abstinentiæ Christianæ fræna laxemus. Habemus enim quadragesimæ dies ieiuniis consecratos, habemus quartam & sextam septimanæ dies, quibus solenniter ieiunamus. Est certè libertas Christiana per omne tempus ieiunandi non observantiæ superstitione, sed virtute continentiæ, &c.

Origenes de ieiunio.

Scripsit autem Origenes circa annum Domini 240. Et tunc sine superstitiosis legibus & opinionibus Ecclesiã servasse libertatem Evangelicam in ieiuniis, ex loco illo Origenis manifestum est. In ea tamen libertate, illi qui sine legibus, liberè & sponte vel sæpius vel strictius ieiunabant, paulatim concipiebant opinionem maioris perfectionis, sicut Clemens Alexandrinus antecessor Origenis 5. stromatum de Ignotici sui quem informat perfectione disputans, inquit: Novit ipse ieiunii quoque ænigmata illorum dierum, qui vocantur Mercurii & Veneris, &c.

Opinio perfectionũ.

Porrò allegatur & alia sententia ex Origene, libro 3. in Iob. Quando ieiunamus, abstinemus nos, ut non gustemus carnes, neq; vinum, neque superfluas escas. Sed illud scriptũ nõ esse γνησιον Origenis, Erasmus multis argumentis ostendit. Et ipse Origenes in capite 15. Matth. contra ciborum discrimen ita inquit. Apostolus cùm sciret non ciborum naturam esse in causa, ut lædatur utens aut iuvetur abstinens, sed opiniones, quæque in his subest ratio, dixit: Esca non commendat nos Deo, neque enim si comederimus abundabimus, neq; si non comederimus aliquid deerit nobis. Et concludit contempta superstitione, in rebus indifferentibus, non faciendum esse discrimen in usu ciba riorum.

Origenes de ciborum delectu.

Illud verò observandum est, quod Origenes Homi. 16. in Num. scribit: Etiam nos, qui ex gentibus vocati sumus, necessariò iubemur abstinere, sicut ab iis, quæ idolis immolantur, ita & à sanguine, &c. licet enim decretum Apostolorũ, Actor. 15. factum fuerat, ut esset temporarium, propter infirmitatem eorum, qui ex Iudaismo conversi erant, tamen etiam cessante ea causa, observatio illius decreti tanquam necessaria diu in Ecclesia manfit. Ita Biblis martyr apud Eusebium lib. 5. cap. 2. circa annum Domini 160. dicit: Nobis ne mutorum quidem animalium sanguine vesci fas est. Et Tertullianus in Apologetico refert inter tentamenta Christianorum solitos à paganis botulos cruore distentos admoveri. Et Augustinus quidem contrà Faustum libro 32. cap. 13. dicit: Apostolos præcepisse, ut ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne præfocatis carnibus vescerentur, ut cum Israelitas etiam gentes, propter angularem lapidem illum duos in se condentem, aliquid communiter observarent. At ubi Ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus carnalis Israëlita appareat, quis iam hoc Christianus observat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? Aut leporem non edat, si manu à

De esu sanguinis.

Augustinus.

nu à cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? Et qui fortè pauci adhuc tangere ista formidant à cæteris irridentur. Hæc Augustinus. Postea tamen in sexta universali Synodo circa annum Domini 680. peculiari canone, qui est 67. repetita est illa prohibitio. Meritò, ajunt, damnamus eos, qui cujuscunq; animalis sanguinem arte aliqua condiunt, & sic comedunt. Et qui hæc fecerit clericus deponatur, laicus excommunicetur. Item: in libris pœnitentiariis peculiaris pœnitentia injungitur illis, qui vel sanguinem vel suffocatum comederunt. Quidam scribunt, demum circa annum Domini octingentesimum observationem illam generaliter desiisse. Quædam verò historiæ habent circa annum Domini 1114. Pomeranis ad fidem conversis, injunctum fuisse, ne vel suffocatum, vel sanguinem comederent. Imò Armeni adhuc hodie observationem illam retinent. Adeo tenax est humana superstitio veterum observationum, etiã quando nulla amplius talis causa subest, propter quã initio institutæ & receptæ fuerunt, quod propter multas alias consimiles observationes notasse utile est.

Sexta Synodus de sanguine.

Pomerani.

Armeni.

CERTAMEN MANICHAEORVM, PRISCILLIANISTARVM & EVSTATHIJ *de ieiuniũ & delectu ciborum.*

CVm per Ecclesiæ certamen contra Montanistas libertas ciborum cõscientiis restituta & stabilita esset, cœpta fuit postea hæc pars doctrinæ variis & prodigiosis hæreticorum disputationibus turbari. Nam circa annum Domini 280. Manichæi inter cæteros multos errores, etiam hunc sparserunt: Ab omnibus animantium carnibus abstinendum esse, sed nec ova saltem sumenda, nec alimonia lactis utendum, quia hæc omnia naturæ malæ & immundæ sint, ut quæ diabolus operetur feculẽtiori materia mali, vel quæ commixtione gentis tenebrarum sint inquinata, sicut inquit August. contra Faustum lib. 6. cap. 5. & lib. 30. cap. 5. vel quòd de occisis carnibus fugerit divina substantia, referente Augustino de hæresibus. Vinum etiam non bibũt, dicentes, fel esse, quod sit principium tenebrarũ, August. ibidem. Vtiq; ostenderẽt se exprofesso ab Ecclesia Catholica, quod ad articulũ incarnationis Christi attinet, dissentire, indixerunt suis jejunium ipsa die Dominica, finxerũt enim Christum non in vera carne, sed in spectro natũ & resurrexisse. Et videntur Manichæi ad eam opinionem inde delapsi, quòd viderunt ex libertate Evangelica quosdam sanè & aliquando, nõ autem tàm multos quàm ipsi vellent à carnibus & vino abstinere, ut igitur fortiori ratione plures ad abstinentiam illam urgerent, dixerunt, ea immunda & abominanda esse, solis verò electis suis (sicut perfectiores suos nominabant) simpliciter usu carnium, ovorum, lacticiniorum & vini interdicebant. Auditoribus verò suis tanquam imperfectioribus, secundum veniã illa edenda concedebant, sicut scribit Augustinus contra Faustum, lib. 30. cap. 5. Et hæc est origo, unde postea Monachis, & præcipuè Carthusiensibus tanquam perfectioribus, sub alio prætextu, strictior abstinentia à carnibus quàm reliquo vulgo tanquam imperfectioribus injuncta fuit. Quia verò Augustinus semper opponit Manichæis, non usum carnium, sed luxũ in culpa esse, videntur Manichæi fundamentum suæ opinionis inde extruxisse, si caro & vinum causa sunt vitiosarũ cupiditatum in vescentibus, sicut non pauci scripserunt, consequens ergo erit, illa per se esse immunda, & cõmixtione gentis tenebrarum inquinata.

Manichæorũ abstinentia.

Ieiunium in Dominica.

Occasio Manichæismi.

Opinio perfectionis.

Carthusienses.

Nota.

Postea sub annum Domini 380. à Priscilliano quodam in Hispanis & Galliis eadem hæresis renovata fuit, carnes scilicet esse immundas & execrandas, atq; ideo ab usu earum abstinendum.

Priscillianus.

Illud verò Manichæorũ delirium multi justis voluminibus refutarunt. Et in publicis etiam Synodis opinio illa damnata fuit. In Ancyrana enim Synodo circa annum Domini 308. Canon 14. Manichæis oppositus est, ut, qui in clero à carnibus abstinere volunt, habeant hanc potestatem, sed ita ne illas tanquam immundas contemnant, sed contingant. Eos verò, qui carnes pollutas & abominandas existimarẽt, ita ut nec olera cum carnibus cocta gustare velint, deponendos esse. Idem Canon postea contra Priscillianistas repetitus fuit in Toletano primo, Canon. 21. In Braccarensi, Canon. 14. & 32. Et Ecclesia postea in detestationem Manichæorum jejunium diei Dominicæ abominabile judicavit. Et post exortam Manichæorum hæresin illud sine dubio scriptum est, quod Ignatij epistolæ ad Philippenses postea assutum est. Eum scilicet esse χριστοκτονον, qui Dominica die jejunat, ea scilicet opinione sicut Manichæi.

Ancyrana Synodus.

Porrò circa annum Domini 320. Eustathius, Sebastiæ in Armenia Episcopus, à carniũ esu abstinendum docuit, nõ quod cum Manichæis eas immundas & abominãdas judicaret, sed alia opinione & specie, quę qualis fuerit ex historiis ostẽdum est. Socrates lib. 2. cap. 33. dicit, Eustathiũ multa præter ritus Ecclesiæ tentasse. Et inter cætera recẽset hoc, βρωμάτων ἀπέχεσθαι διδάσκειν, à cibis abstinendum docuit, καὶ τὰς μὲν ὡρισμένας νηστείας ἐκτρέπεσθαι, & præscripta seu constituta quidem jejunia aversanda, Dominicis verò diebus jejunandũ docuit. Sozomenus verò lib. 3. cap. 13. clarius explicat, qua opinione & specie Eustathius hoc fecerit. Armenis, inquit, autor fuit monasticæ disciplinæ ἀσκήσεως, austeræ seu accuratæ vitę, καὶ εἰσηγητὴς τῷ γενομένον τοῦ μάτων τε ὧν χρὴ μετέχειν καὶ ἀπέχεσθαι καὶ πολιτείας ἀκριβοῦς, & extitisse ipsis autorẽ, qui instituit & introduxit accuratã, exactam, exquisitam seu consummatã disciplinam, quibus cibis sit utendum & à quibus abstinendũ. Dicit autẽ Sozomenus, Eustathiũ præ nimis exquisita disciplina ad absurdas observationes delapsum. Et addit quosdam ex sectatoribus ipsius accusari, quòd Dominicis diebus jejunárint. Adjicit & hoc, Eustathiũ in Synodo Gangrensi se declarasse, ὅ ανθρωπίνης ἕνεκα ἀλαζονείας κατὰ θεὸν ἀσκήσεως, q̃ non cõtumaciæ aut arrogantiæ, sed religiosæ exercitationis erga Deum gratia, illa instituisset & introduxisset. Hæc ex Sozomeno ipsius verbis, quæ plana sunt, describere volui, nam interpres Angelus

Eustathij abstinentia.

Ciborum delectus ab Eustathio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sententiam illâ non fideliter reddidit. Et in actis concilii Gangrensis dicitur, Eustathium docuisse carnium cibos illicitos esse: Sed Sozomenus clarius opinionem illius exponit.

Opinio Eustathij.

Consideretur autem ordo historiæ de jejuniis, cùm enim Manichæorum dogma de prohibitione ciborũ, propter crassam blasphemiã, invisum esset omnibus, statim superstitio cogitavit, si hac non succesisit, alia aggrediendũ est via. Eustathius igitur primùm Monachis suis præscripsit exquisitam disciplinam, quibus cibis uti possent, & à quibus abstinere deberent, à carnibus scilicet, sicut Gangrensis Synodus declarat. Et illam abstinentiam proposuit, non ea opinione sicut Manichæi, quasi carnes immũdæ & abominabiles essent, sed ὡς ἄσκησιν κατὰ θεόν propter exercitationem cultus divini. Postea institutum illud multi alij etiam amplexi sunt, & adversus alios, quos præ se contemnebant, se extollebant, arrogãtes sibi justitiam & perfectionem, sicut Gangrenses Canones ostendunt. Et diligenter observetur, quando & quo autore instituta fuerit disciplina illa, præscribens & præcipiens, quibus cibis sit utendum, & à quibus sit abstinendum, in exercitiis cultus divini, quodq; in tali ciborum delectu consistat cultus Dei.

Nota.

Gangrensis Synodus.

Propter illam verò controversiam vicini Episcopi ad Synodum Gangrensem convenerunt. Et in 2. Canon ita decreverunt: Si quis eum, qui carnem (excepto sanguine idolothyto & suffocato) ex fide cum religione manducat, condemnãrit, velut spem propter hujusmodi perceptionẽ non habeat, anathema sit. Et cap. 19. dicunt, si quis eorum, qui in proposito sunt continentiæ, præter necessitatem corporalem, & superbiens jejunia communia totius Ecclesiæ putaverit cõtemnenda, perfectam sibi in sua scientia vindicans rationem, anathema sit. Quomodo verò Eustathius communia Ecclesiæ jejunia contempserit, ex instituto ipsius intelligi potest, quòd scilicet non ex luxu quodam hoc fecerit, sed prætextu exactioris continentiæ, sæpius & strictius jejunandum docuerit, ita ut ne Dominico quidem die solvẽdum voluerit jejunium, sicut Concilii canon 18. dicit: Si quis tanquam hoc continentiæ convenire judicans die Dominico jejunaverit, aut in ejusdem diei contemptum, anathema sit.

Libertas.

In hoc igitur Gangrensi Concilio libertas novi Testamenti de cibis rectè defensa est, quòd scilicet qui ex fide cum timore Domini carnes manducat, non sit condemnandus, quasi propter earum perceptionem spem non habeat: Prohibitio igitur carniũ tempore jejunii sub peccato mortali, & sub pœna damnationis, tunc nondum fuit in Ecclesia. Tentata quidem fuit prohibitio illa, sicut ostendimus, sed Ecclesia tunc illam non recepit, sed damnavit. Quia verò Monachi & Clerici abstinebant, & abstinentia illa laudari incipiebatur, tanquam eximium exercitium cultus divini, sicut ex hisce narrationibus patet: Illa admiratio peperit postea æmulationem, inde facta est consuetudo, & tandem ex consuetudine lex, sicut sequentes historiæ ostendent.

Nota.

HISTORIA SPIRIDIONIS.

ET hactenus quidem per annos post Christũ natum trecentos, superstitiosæ leges & opiniones de forma jejunii & discrimine ciborum, variis coloribus tentatæ, sed vel privatis piorum, vel publicis Ecclesiæ judiciis repressæ & refutatæ fuerunt.

Cumq; vetus Ecclesia, sicut ex Tertulliano ostendimus, jejunia, & quæ ex consuetudine usitata esse cœperant, & quæ pro temporibus & causis cujusq; vel indicebantur vel suscipiebantur, non ex imperio, nec sub lege præcepti, sed ex arbitrio, indifferenter & liberè servaret, nec certæ vel necessariæ essent observationes, quandiu, & à quibus cibis, jejunii tempore esset abstinendum. Videbimus jam porrò, quomodo post annum Domini trecentesimum, in liberis illis & dissimilibus observationibus, ex admiratione austerioris disciplinæ, in prolixioribus jejuniis, & voluntaria à carnibus abstinentia, quidã privatim opinionem vel necessitatis vel meriti conceperint, quidam verò publicè legem necessitatis, & tempori jejuniorum, & discrimini ciborum sub prætextu Apostolicæ traditionis, adscribere conati sint, idq; opinione meriti, sub peccato mortali & pœna damnationis. Et quomodo tamen subinde vestigia quædam veteris & primitivæ libertatis manserint, retenta & defensa fuerint, donec tota ea collapsa & sublata est. In omnibus verò, quæ sequentur, historiis, cogitandum est id, quod Tertullianus dicit, Quòd primum verum, adulterinum quod posterius. Et quod Cyprianus eleganti similitudine ostendit, Sicut in aquæ ductibus, quando in remotioribus canalibus aqua turbida vel feculenta apparet, regredimur ad canales fonti propiores, & denique ad ipsum fontem: Ita in controversiis Ecclesiasticis recurrendum esse ad testimonia veteris seu primitivæ Ecclesiæ, præcipuè verò ad fontes civitatis Dei, ut juxta Augustini consilium, non ideo aliquid verum & rectum esse putemus, quia vel hic, vel ille, doctrina & sanctitate præpollens, hoc vel senserit, vel fecerit, sed si ex libris canonicis hoc probare potuerint, ut in illorum scriptis, quę divinarum Scripturarum autoritati congruunt, cum laude eorum accipiamus, quæ autem non congruunt, cum pace eorum respuamus.

Ordo historiæ de ieiunio.

Tertulliani dicta.

Cypriani similitudo.

Augustinus.

Ita ergo hoc loco adscribemus celebrem historiam Spiridionis, qui circa tempora Nicenæ Synodi, & postea, vixit. Sic autem describitur historia illa apud Sozomenum, lib. 1. cap. 11. Cùm instaret Quadragesima, quidam ex itinere divertit ad Spiridionem, quibus diebus ipse cum suis solebat jejunia continuare, ita ut certo seu statuto die cibum gustaret, intermediis autem seu interpositis diebus ἄσιτος sine cibo permaneret, cùm igitur Spiridion hospitem valde fessum videret: Age, inquit, filia, lavato hospiti pedes, & quod comedat ei appone. Cùm verò filia responderet, nec panem, nec farinam seu polentam adesse, propter jejunium enim supervacua fuisse horum apparatio, Spiridion cùm prius precatus esset, & veniam petiisset, mandavit filiæ, ut carnes suillas, quas domi salitas habebat, coqueret, quibus

bus coctis, hospitem fecit secum accumbere, deiq; appositis carnibus, ipse cœpit comedere, hortans hospitem, ut idem faceret, qui cùm illud facere recusaret, diceretq;, se Christianum esse. Hanc, inquit, ob causam, eò minus recusare debes, Verbum Dei enim pronunciat, Mundis omnia esse munda. Multa in hac historia notanda sunt. Ostendit enim primò, quòd tunc in Quadragesima quidam liberè jejunium per aliquot dies, sine ullo cibo continuarunt. Et in illis regionibus, sicut Mirandulanus de prænotionibus libr. 3. inquit, per duos, tres, aut quatuor dies, ab omni cibo abstinere, nec mirum, nec molestum erat, quod in nostris frigidioribus locis, vel impossibile vel miraculosum esset. Secundò, quòd in Quadragesima pane & polenta contenti, ab esu carnium abstinuerint. De illa verò libera & dissimili observatione antea ex Irenæo quædam annotavimus, & mox ex Epiphanio & Socrate etiam quædam adscribemus. Tertiò, quod accesserit tunc opinio necessitatis, Christianum scilicet in Quadragesima non posse bona conscientia, & sine peccato carnes comedere, sed necessariò tunc ab illis, si Christianus esse velit, abstinere debere. Quartò, quòd Spiridion licet prius veniam à Deo petat, quod præter suum morem & institutum, illo die cibum capere, & in Quadragesima carnes comedere vellet, liberè tamen sine scrupulo conscientiæ, & ipse carnes comederit, & hospitem, ut idem faceret, hortatus sit. Quintò, cùm hospes religionem prætenderet, & recusaret in Quadragesima carnes comedere, eò quòd existimaret, Christianis sine peccato hoc non licere. Spiridion disertè negat hoc, & argumentũ hoc invertit & refutat, propter hãc ipsam causam, inquiens, quòd Christianus es, eò magis non debes recusare esum carnium, etiam in jejunio Quadragesimæ, quia Deus ipse sine prohibitione & exceptione pronunciat: Mundis omnia esse munda, quòd si ipse Spiridion rectè expendisset divinum illud oraculum, Actor. 10. Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris, non opus fuisset prius veniam petere, quasi in Quadragesima comedendo carnes aliquid prohibiti & illiciti facturus esset. Manifestè igitur hæc historia utrumque ostendit. Et quòd liberis illis observationibus cœperint affingi opiniones necessitatis, quibus etiam magni viri fascinari cœperunt. Et quòd tamen obiectis conscientiæ scrupulis & laqueis, ad fundamenta Scripturę respexerint, unde superstitiosæ illæ opiniones repressæ ac refutatæ, & libertas novi Testamenti usurpata & defensa fuit, sicut exemplum hoc Spiridionis ostendit.

Observanda in Spiridionu historia.

QVOMODO CIRCA ANNVM DOMINI 400. una cum vita Monastica, etiam Leges ieiuniorum, opinione necessitatis & meriti, per Basilium, Epiphanium, & Ambrosium, in Ecclesiam invehi cœperint: Et de Aerij historia.

PErgamus autem in contexendo ordine historiæ. Hactenus enim ostendimus, quomodo post libera jejuniorum exercitia, austerior in jejuniis & abstinentia ciborum disciplina, Monachorum primum collegia, opinione cultus & perfectionis, per modum constitutionum invaserit, sicut Eustathii historia ostendit. Et quomodo clericis disciplinam illam arripientibus & imitantibus idem permissum fuerit, sicut Ancyrana Synodus docet: Quomodo etiam alii, admiratione eius disciplinæ, sine lege aliqua, privatis suis (ut ita dicam) devotionibus, instituta illa sectari, sed liberè, cœperint. Vnde in consuetudinem, sed liberam, res abire cœpit, admixta tamen sensim opinione aliqua necessitatis, sicut Spiridionis historia ostdẽit. Iam verò insequentes historiæ monstrabunt, quomodo monastica illa instituta in genere omnibus imponi cœperint.

Series historiæ ieiunij.

Primò per viam exhortationis, exaggeratis jejunii meritis. Deinde per modum legis, & opinione necessitatis, sub prætextu & titulo Apostolicæ traditionis. Semper autem in memoriam revocetur, quod initio huius loci diximus, vera Scripturæ jejunia, si ad veros juxta Scripturam fines, referantur, non reprehendi, sed meritò laudari. De superstitiosis verò jejuniorum legibus & opinionibus jam disputamus, quomodo illæ Ecclesiam invaserint.

Basilius igitur circa annum Domini 360. Institutum Monachorum in Græciam introduxit. Monastica enim illa instituta primum in Aegypto, eo, sicut Philo ostendit, modo cœpta, in Syriam progressa sunt, inde per Eustathium in Armeniam translata, postea verò per Basilium in Græciam, per Epiphanium in Cyprum, per Ambrosium in Italiam deducta fuerunt. Et simul cum Monachatu non parum etiam superstitionis in jejuniis & delectu ciborum invectum fuit, sicut ostendimus.

Propagatio Monachatus.

Basilius igitur cùm monasticas Eustathii constitutiones in Monasterio recepisset & servasset, Eustathii enim librũ κατακτικὸν Basilius suo nomini adscribi non ægrè passus est, sicut Sozomeni narratio ostendit. Factus deinde Episcopus, easdem observationes in genere, universæ etiam Ecclesiæ proponere cœpit.

Cumq; antea consuetudo jejunandi libera & dissimilis recepta fuisset, sicut ex Irenæo & Tertulliano ostendimus, Basilius tanquam generale edictum proponit, quot diebus, quandiu, & quo rum ciborum abstinẽtia, jejunandum sit. In prima enim homilia de jejunio, meminit consuetudinis, quòd jejuniorum tempore carnes non ederint, à vino abstinuerint, & ante vesperam cibum non sumpserint. Secunda verò Homilia dicit: Alia jejunia sponte suscipi. Paschale verò tanquam κήρυγμα καὶ παράγγελμα, publicũ mandatum & edictum, denunciari.

Basilij edictum de ieiunio.

Et tamen, quod notandum est, non quadraginta, sed quinque tantùm diebus jejunium illud Basilius in eo loco circumscribit. Quia verò nondum leges impositæ erant, Basilius multis & variis exhortationibus hoc agit. Et de veris finibus seu effectibus jejunii, multa quidem præclarè secundum Scripturam dicit: sed sicut in huiusmodi declamatoriis materiis fieri solet, longius etiam provehitur. Cùm enim contra crapulam & ebrietatem multa declamitasset, & animadverteret, illa omnia etiam ad temperan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam posse referri, ut igitur edictum suum de jejunio speciosius & plausibilius reddat, plura & grandiora jejunio tribuit, quàm vel Scriptura tradat, vel eius analogia ferre possit, quæ nos sanè libenter commodè ad analogiam fidei interpretaremur, sed Pontificii hoc non admittunt. Dicit autem Basilius, tam vetus esse jejunium, ut simul cum homine condito cœperit. Verbum enim illud (Non edetis de hoc ligno) jejunii & abstinentiæ legem esse. Et quia Eva in ligno illo nõ jejunavit, Deo nobis per jejunium satisfaciendum esse. Et quia ideò quòd Adam nõ jejunavit, nos è Paradiso exulamus, jejunandum igitur esse, ut ad Paradisum per jejuniũ revertamur, &c. Quæ si conferantur ad ea, quæ suprà ex Tertullia no montanizante descripsimus, manifestum erit, cùm Scripturæ phrases non sint, ex qua Schola prodierint. Sensu enim & verbis cum Montani traditionibus prorsus conveniunt. Et hoc diligenter observandum est, cùm ex consuetudine legem vellent facere, quomodo per Rhetoricas hyperbolas à Scripturæ simplicitate recessum, & ad ea, quæ præcedentibus seculis damnata fuerunt, inclinatio rursum facta sit. Quæ enim in Montano Ecclesia, circa annum Domini 180. damnavit, ea circa annum 380. iisdem fermè verbis in Ecclesiam invehi cœperunt, sicut collatio manifestè ostendit. Suprà autem ostendimus, diversum prorsus esse abstinere à fructu à Deo prohibito, & jejunare, hoc est, à cibo licito ad tempus abstinere, nisi quod postea jejunium falsò definierunt, esse abstinentiam à cibis per humanas traditiones prohibitis. Sed hęc in præcedentibus sunt explicata.

Rhetoricæ hyperbolæ.

Epiphanius primum Monachus.

Legem imponit ieiunys.

Vnde tales observationes primum oria.

Epiphanius verò circa annum Domini 370. sub Valente & Valentiniano, cùm antè in Monasteriis Aegypti institutus, ipse postea in Palestina Monasterium extruxisset. Factus tandem Cypri Episcopus, non per viam exhortationis, sicut Basilius, sed disertis verbis, tanquam legem generalem, & constitutionem necessariam, jejuniorum tempora, & delectum ciborum proponit, ideq; sub nomine traditionis & constitutionis Apostolicæ. In compendiaria enim doctrina dicit: Rituum, qui in Ecclesia usurpantur, quosdam observari ἐκ προσταγματος ex præscripto, ex lege, seu mandato, τὰ δὲ κατὰ ἀποδοχὴν προαιρέσεως Quosdam verò libera seu voluntaria electione susceptos esse, & sicut in præcedentibus inquit, quosdam ἀπ' ἰδίας νοὸς, ex privatis cogitationib. sibi constituisse disciplinam & ritus cultus divini, quibus annumerat jejunia admiranda. Et in fine dicit, quòd cum reliquis etiam historiis consentit, servatum tunc fuisse jejunium quarta & sexta feria usque ad nonam horam: Illis enim diebus, sicut ipse dicit, celebrabantur σιωάξεις, hoc est, Ecclesiastici conventus, ad auditum & meditationem verbi, ad exercitia orationum, & ad cœnæ Dominicæ communionem, propter quæ exercitia servabantur tunc jejunia. Item dicit, Ecclesiam tunc solitam servare Quadragesimam in jejuniis ante sex dies præcedentes Pascha. Et alicubi per sex illos dies Paschæ in ξηροφαγίαις, pane scilicet sale & aqua solitam perseverare. Hoc verò singulare est, quod Epiphanius addit, νηστας ταχθάσας jejunia quartæ & sextæ feriarum ordinata, statuta & imposita esse ab Apostolis. Cum q; eius ratione de proditione & crucifixione Domini addidisset, inquit, & tradiderunt Apostoli illis diebus celebranda jejunia, ut impleretur hoc dictũ: Quando auferetur ab ipsis Sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus.

Legem Epiphanij de ieiunio

Et contra Aerium dicit, Apostolos definivisse, præscripsisse & statuisse (utitur enim verbo ὁρίζεσθαι) quarta feria, & pro sabbato jejunandum esse. Itẽ, Apostolos præcepisse seu edixisse (utitur enim verbo παραγγέλλειν) ut in sex diebus ante Pascha nil sumeretur, nisi panis, sal, & aqua.

Et allegat quidem librum constitutionum Apostolicarum, sed scriptũ illud apocryphum esse suprà ostendimus, nec ipse hoc dissimulat contra Audianos scribens, & ex Tertulliano manifestissimè ostẽdimus falsum esse, quod Epiphanius dicit, ieiuniũ quartę & sextæ feriæ, traditionem, statutum, præscriptum & mandatum Apostolorum esse. Ecclesia enim circa annum Domini 180. Montanistis hoc opposuit, quod ieiunatum tunc quidem fuerit 5. & 6. feria, sed passivè, ex arbitrio, non ex imperio, nec sub lege præcepti, sicut verba suprà adscripsimus. Et Augustinus disertè dicit, Apostolos non definisse, quibus diebus ieiunandum sit, & quibus non ieiunandum, sicut postea ex Socrate idem ostendemus. Et Ambrosius in 14. caput ad Rom. dicit, humanas esse traditiones diversas & dissimiles. Sunt quidam, inquit, qui quarta feria carnem non edendã statuerunt, sunt qui sabbatis, sunt iterum, qui à Pascha usq; ad Pentecosten edant. Ξηροφαγίαι verò adeò non sunt Apostolorum traditio, præscriptum, seu mandatum, ut circa annum Domini ducentissimum Ecclesia eas refutarit, ideò quòd esset affectatum novi officii nomen, sicut suprà verba Ecclesiasticorum ex Tertulliano descripsimus. Sed quia in consuetudinem tunc venerunt talia ieiunia, Epiphanius illis, qui paulò vetustiora videbantur, adscripsit titulum traditionum & constitutionum Apostolicarum, abusus ad hoc testimoniis, & apocryphis & suppositiis scriptis. Atque ita, quod in Montanistis vetus Ecclesia damnarat, hoc post annos ducẽtos Epiphanius tanquam Apostolicam traditionem & constitutionem proponere non veretur. Non itaque leviter sinamus nobis imponi titulo traditionũ Apostolicarum, sed semper regrediamur ad fontes.

Refutantur Epiphanij leges.

Nota Montanica.

Sicut autem sæpe factum fuit, quando argumenta firma & solida defuerunt, quod hæreseos nomen, tanquam caput Gorgonis obiectum fuit, sicut de damnatione Eustachii, qui Aerii collega fuit, Socrates libro primo, capite 24. inquit: τοῦτο δὲ ἐπὶ πάντων ἀνθρώπων τῶν κατεγνωσμένων ποιεῖν ὀι ἐπίσκοποι, κατηγορέντες μὲν, καὶ ἀσεβῆ λέγοντες, τὰς δὲ αἰτίας τῆς ἀσεβείας οὐ λέγουσι. Hoc inquit, Episcopi in omnib. quos damnant, facere solent, ut eos accusent, & impios pronuncient, causas verò & rationes impietatis non reddant. Ita Epiphanius ad stabiliẽdas leges suas de ieiuniis & delectu ciborum, arripit Aeriũ quendam, quem verbis admodũ contumeliosis hæreseos accusat & condemnat: Inter reliqua verò has causas recitat. Primò, quòd dixerit, Episcopum revera nihil differre à presbytero, quod illo ipso

Episcoporum cõdemnationes quales.

Aerij hæreses apud Epiphanium.

Epiphanii tempore Hieronymus tanquã verũ ex Paulo probavit, in epist. ad Oceanũ, & in cõmentariis ad Titũ. Deinde quòd Aërius leges de diebus jejuniorũ, & de ciborũ delectu reprehẽderit, quia enim Epiphanius leges illas probabat, & laudabat, statim igitur diversum sentientes hæreticos proclamabat. Sed remoto aut sepulto paulisper hoc præjudicio, rẽ ipsam conſideremus, & causam ipsam pŏnis e scena remotis expẽdamus.

Quid Aerius & cõtra quæ disputarit.

Licet enim historia illa Aerii non extet alibi descripta, ex illis tamen circumstantiis, quas Epiphanius describit, non obscurè colligi potest, quid Aerius disputarit. Dicit enim Epiphanius, quòd reliqui etiam Historici commemorant, Aerium collegam fuisse Eustathii illius, de quo paulò antè diximus, & cœpisse ab eo dissentire & cõtra eum disputare. Suprà autem ex Sozomeno ostendimus, Eustathium illum præscripsisse suis rigidam disciplinam, de temporibus jejuniorũ, & quibus cibis sit utendum, a quibus verò abstinendum. Si itaq; Aerius ea quæ Epiphanius ipse tribuit superstitiosis Eustathii legibus, quas vetus etiam Ecclesia tunc damnavit, opposuit, scilicet tempora jejuniorum non esse τεταγμένα, ab Apostolis statuta & præcepta: hoc enim Iudaicum & jugum servitutis esse. Idem certè dixit, quod Augustinus & Socrates dicunt, Apostolos scilicet nec definisse nec legem tulisse, quibus diebus sit jejunandum. Et idem etiam Ecclesia contra Montanistas apud Tertullianum dicit. Et quod porrò Aerius contra Eustathii leges dicit: Si jejunare voluero, eligam à me ipso diem, & jejunabo non ex lege præcepti, sed ex libertate: quodq; dicit, se jejunare quarta feria & pro sabbato, non ex imperio vel sub lege præcepti, sed liberè & voluntariè. Idem certè dicit, quòd Ecclesia Tertulliani tempore, contra Montanistas dixit, sicut verba illa suprà ex Tertulliano annotavimus. Et si moderatè usus fuit Aerius esu carnium & potu vini, nisi liberè vellet abstinere, sicut Epiphanius inquit, si illud contra Eustathii leges recte, quomodo damnari possit, nisi vetus Ecclesia apud Tertullianum simul damnetur, Imò nisi Apostolus simul damnetur, non rideo. Damascenus in libro de hæresibus de Aerio ita scribit: Carnibus & cibis omnis generis usus est sine religione, in statis jejuniis negavit se lege teneri. Et quanlo Lectorem, ut Ecclesiæ illa verba apud Tertullianum conferat ad ea, quæ Aerio Epiphanius & Damascenus tribuunt. Et cogitet Aeriana opposita fuisse Eustathii legibus, atq; ita judicium ferat. Si verò Aerius ex quadam petulantia communia Ecclesiæ jejunia, si veris iuxta Scripturam finibus, & salva conscientiarum libertate fiebant, turbavit, ut, cùm annua solennitate meditãda esset historia passionis Christi, ipse à summo mane carnibus & vino se impleverit, sicut Epiphan. ipsi tribuit, nec laudo nec probo factum. Sed Epiphanius omnia illa, etiam Eustathio opposita, simul complectitur, quando Aerio hæresim impingit. Et quia ipse animadvertit, illas causas nõ sufficere, addit, Aerium totum Arrianum fuisse, quod si verum est, meritò sanè hæreticus iudicatus fuit. Quod autem ad hanc de ieiunio cõtroversiam attinet, cùm Epiphanius Eustathii monasticam disciplinam & instituta, de quib. suprà diximus, nõ tantùm probaret, sed admiraretur, quid aliud potuit quàm Aerii disputationem Eustathio oppositã damnare? cùm tamẽ ante ea Ecclesia ipsum Eustathiũ im hac materia damnasset.

In refutatione verò Epiphan. διατάξεις Apostolorũ potissimũ allegat, sed quia illis non satisfidit, alibi enim fatetur, eas esse ἐρεμιζόντων cõfugit itaq; ad συμφωνίαν Ecclesiarũ. Sed quomodo inde potest legem facere cùm ante ipsum Irenęus, & post ipsum Socrates testẽtur, dissimiles & liberas fuisse illas observationes? Et ipse Epiphanius in compendiaria doctrina, dissimiles & diversas observationes in cibis describit. Quidam inquit abstinẽt ab omnibus carnibus, quadrupedũ, volatiliũ, & piscium, ab ovis item & caseo. Quidã verò à solis quadrupedibus abstinẽt, volatilib. verò & reliquis vescũtur. Alii verò à volucribus abstinẽt, piscib. verò & ovis utũtur. Alii neq; ovis vescũtur, sed solis piscib. Alii verò etiã à piscib. abstinẽt, caseo verò vescũtur. Alii neq; caseum sumũt. Sunt præterea qui à pane abstinent, alii ab arborum fructibus, alii à cibis coctis, &c.

Diversa observationes in cibis.

Et molestè quidem fert Epiphanius, quòd Aerius noluerit λατρείαν, hoc est, cultum Dei, in huiusmodi observationibus constituere, cùm Paulus expressè dicat, Rom. 14. Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto, qui in his servit Christo, acceptus est Deo, & probatus hominibus. Et 1. Cor. 10. Esca non commendat nos Deo. 1. Tim. 4. Corporalis exercitatio ad modicum prodest, pietas verò ad omnia utilis est. Hæc Pauli testimonia certiora & tutiora sunt, quàm Epiphanii præiudicia.

Opinio cultus.

Ita ergo, sicut ostendimus, Epiphanius, cùm ad Monasticas constitutiones assuefactus esset, fecit inde leges necessarias, communes & generales in ipsa Ecclesia, de temporibus ieiuniorum & de ciborum discrimine.

Eodem modo Ambrosius circa annum Domini 380. quoque unà cum Monastica vita etiam leges ieiuniorum in suam invexit Ecclesiam, quàm grandia enim præter, imò nisi commode intelligantur, contra Scripturam ieiunio tribuat, suprà, cùm de patrum sententiis ageremus, ostendimus.

Ambros. sermones de Quadragesima.

De Quadragesimæ verò ieiunio multi extant sermones sub Ambrosii nomine, quos alii, quando sententias inde citant, Maximo alii Cassiodoro, alii aliis tribuunt. Et in Serm. 23. dicit, ideò quadraginta dierum numero ieiunari, quia Christus numerum illum ieiunii consecravit. Quotidianis igitur sine intermissione ieiuniis Quadragesimam celebrandam, ita ut si quisquam unam diem abstinendo prætermisit, totam Quadragesimam violarit. Atqui Epiphanius Dominicam diem excipit. Et Chrysostomus dicit duos cuiusque septimanæ dies in Quadragesima à ieiuniis liberos fuisse. Non itaque universalis tunc fuit Ambrosii lex. Imò non esse Ambrosii eam legem inde patet. Nãli. de Elia & ieiunio cap. 10. Ambrosius dicit, in Quadragesima totis præter Sabbatũ & Dominicam ieiunatur diebus. Et tamen Serm. 25. dicit, non leve peccatum esse, & quidem apud conscientiam, indictam à Domino fidelibus Quadragesimam violare. Quia scriptum sit, qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, &

Quadragesima continua

Indicta à Domino.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vit,& ipse ambulare.Sed quod ad numerum dierum jejunii attinet. Irenæus & Socrates disertè dicunt, falsum hoc esse,& Chrysostom. sicut post ea ostendemus,expressè dicit,Christum nō præcepisse, ut Quadragesimale suum jejunium imitemur. Ser. verò 33. Ambrosii dicitur causam salutis nostræ esse,si Quadragesimam jejunemus. Et Sermo.34. Quisquis Christianus consecratam jejunando non impleverit Quadragesimam,prę varicationis & cōtumaciæ reus tenebitur, quod legem divinitus pro salute sua datam,prandendo ipse rescindit. Sicut enim reliquo anno jejunare, peccatum est,ita in Quadragesima non jejunare, peccatum est, illa enim voluntaria sunt jejunia,ista necessaria,illa de arbitrio veniūt,ista de lege, ad illa invitamur, ad ista compellimur. Observet autem Lector, quòd sermones isti dicunt, Reliqua jejunia in anno voluntaria esse,& ex arbitrio. Epiphanius verò dicit,jejuniū quartæ & sextę ferię per totū annum servandum esse, ex lege præcepti traditionis Apostolicæ.Et Pontificii jejunia quatuor temporum faciunt necessaria. Ita scilicet inter se consentiunt,qui extra scripturam traditiones Apostolicas jactant,& in de leges faciunt.Et in illo ipso sermone Ambrosius fatetur, quosdam in Quadragesima solitos prandere, quosdam alternis septimanis jejunare.Ergo lex illa Quadragesimæ tunc primum introducebatur, quam senes & aniculæ potissimū amplectebantur,sicut ibidem inquit. Vt autem omnes ad eam suscipiendam permoveret, dicit Serm. 36. numerum illum Quadragenarium nō esse terrena cogitatione inventum, sed cœlesti maiestate præceptum, atq; ideò qui constitutum numerum uno die manducando præterit, non ut unius diei violatorem accusari, sed ut totius Quadragesimæ transgressorem argui, non enim tam sacerdotum quàm Dei præcepta esse.Et Ser. 38.dicit.Quadragesimæ jejunia indicta & præcepta Christi esse, quæ vel ex toto vel ex parte violare peccatum & sacrilegium sit.Ser.37.Sed hæc quæ de Quadragesimæ jejunio sub Ambrosii nomine sparsa sunt,nec cum Scriptura, nec cum Patrum præcedentium testimonijs consentiunt. Et ex Chrysostomo & Socrate mox diversum ostendemus.

Causa salutis.

Lex pro salute.

Necessaria. Ex lege.

Non generaliter servata

Anicula:

Præcepta.

Sacrilegium.

DE IOVINIANI CERTAMINE: Et de Hieronymi sententijs.

Iovinianus. CVm verò hoc modo leges jejuniorum opinione necessitatis,& meriti,justitiæ & remissionis peccatorum urgerentur, Iovinianus quidam ex Monacho Clericus factus contradicendo se opposuit, sed quia sicut historiæ testantur,nec eruditus, nec eloquens fuit, & sententiam suam contra illas leges & opiniones non ita,sicut oportebat, proposuit & defendit, Ambrosii Panimachii, & Hieronymi eloquentia citò repressus fuit.Non autem uno & eodem modo Iovinianistæ opinio à Scriptoribus recensentur.Hæreseologi ex Thoma opinionē Iovinianistæ ita describunt,quòd docuerit inter abstinentiam ciborum,& eorum cum gratiarum actione perceptionē,nullam esse differentiam. Quod si Iovinianus hoc intellexit de opere operato jejunij seu abstinētiæ, quod ad cultū Dei,& justitiam coram Deo attinet.In hanc certè sententiam Paulus dicit,1.Cor.8.Esca non commendat nos Deo,neque enim si manducaverimus aliquid nobis deerit.Et Roman.14.Regnum Dei non est cibus vel potus, sed qui in justitia, pace & gaudio Spiritus sancti servit Christo,is placet Deo. Ambrosius verò Epistol.82.ad Vercellenses dicit,Iovinianistas docuisse,non esse jejunandum,prædicasse voluptates,suasisse delicias, juxta dictum: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Item detrahere eos,qui jejuniis carnem suam castigent,ut menti subditam faciant, quæ si non exaggerendi & prægravandi causa, sicut sæpe fieri solet, Iovinianо tributa sunt,sed si verè ita sentit,quia contra Scripturæ testimonia & exempla de jejunio docuit,justè reprobatus fuit. Augustinus inquit, Iovinianum docuisse,Nō prodesse aliquid jejunia, vel à cibis quibusdam abstinentiam, quod si his verbis Iovinianus voluit negare effectus veri jejunii,si ad illos fines referatur,sicut ex Scriptura sup. monstratum est,non rectè fecit.

Iovinianі opinio.

Ambrosius de Iovinia-no.

Augustin. de Iovniano.

Sed ex argumentis Iovinianі,sumptis ex locis Scripturæ 1. Timot.4.1.Cor.10.Rom.14.Matth.11. Iesa.58.& ex refutationibus Ambrosii & Hieronymi, non obscurè colligitur, de opinionibus meriti præcipuè certamen fuisse. Ambrosius dicit, Iovinianistas docuisse,nullum esse jejunij meritum, ut nihil meriti accrescere hominibus per jejunium aut inter jejunia & saturitatem æqualia merita dispēsanda,sicut Hieronymus refert. Et per meritum non intellexerunt veros jejunij fines,suprà ex verbo Dei descriptos,sed,sicut Ambrosius contra Iovinianum inquit, quæ nobis salus esse potest, nisi jejunio eluerimus peccata nostra? Qui sunt ergo hi,qui meritum excludunt jejunij? Et Hieronymus contra Iovinianum inter cætera & hoc defendit, per jejunium possumus in Paradisum redire,unde per saturitatem fueramus ejecti.Item,Jejunium Deum placat.Et Ninivitæ iram Dei jejuniorum miseratione detorserunt. Cornelius jejuniis meruit Spiritum sanctum accipere. Dives purpuratus,propter epulas in Tartaro, Lazarus ob inediam in sinu Abrahæ.Et in septimum Danielis inquit:Pro peccatis propriis debemus inedia & vigiliis Deum ad clementiam flectere, &c. Quæ certè jejunij præconia nimium sunt transcendentia, & cum analogia fidei non consentientia. Et Montanistæ hoc modo de jejunij meritis docuerunt,sicut suprà ex Tertulliano ostendimus.Si ergo Iovinianus ideo damnatus fuit,quod docuit,opus jejunii nō esse meritum gratiæ Dei,remissionis peccatorum,reconciliationis cum Deo, causam salutis,& vitæ æternę,immeritò & iniustè damnatus fuit.Hæc enim merita soli Christo debentur, verba offeruntur,& fide accipiuntur,sicut tota Evangelij doctrina testatur.

Iovinianі opinio.

Ambrosius.

Hieronymus.

Nota.

Sed forsan cum superstitiosas istas opiniones de jejunio vehementer refutare vellet Iovinianus, nimium deflexit in alteram partem,vel docens simpliciter nō esse jejunandum,vel nullam prorsus esse veri jejunij utilitatem.Et hinc in refutationibus contra Iovinianum, omnia illa simul miscentur,quæ diligenter discenenda sunt, quando

Error Iovinianі.

quando de controversia illa verè & dextrè judicare volumus.

Hieron. de jejunio. Ita Hieron.non malè sanè declamitans contra crapulam, & ostendens jejunium habere multa testimonia & exempla in scriptura, quoq; utile sit ad carnem Spiritui subjiciendam. Et si sanctificetur cæteris operibus, hoc est, si referatur ad exercitia pœnitentiæ & orationis proficere curationi peccatorum. Atq; in hanc sententiam non malè dicit: Nos omnem creaturā cibi laudamus, nec negamus illa, si voluntas fuerit in cibo sumē da,sed maciem saginæ,abstinentiam luxuriæ,jejunia præsertim saturitati. Item non ventris esuries accepta est Deo,quam lites rapinæ & luxuria destruunt.Et similia multa de jejunio ex scriptura non malè dicit, sed simul immiscet etiam superstitiosas de meritis jejunij opiniones, quæ ab aliis rectè dictis prudenter distinguēdæ sunt, ut quæ ad normam scripturæ congruunt,accipiantur, quæ non congruunt, juxta Augustinum respuantur.

An quadrag. traditio. In epistola ad Marcellam adversus Montanū Hieronymus inquit: Nos unam Quadragesimā secūdum traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo jejunamus. Montani-

Montanistæ tres Quadragesimas. stæ tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres pasci sint salvatores, non quod per totum annum excepta Pentecoste jejunare non liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre. Sed suprà ostensum est, apocryphum opinionem esse, quòd Quadragesimæ jejunium sit traditio Apostolica. Quid verò tres Montanistarum Quadragesimæ fuerint ex Tertulliani libro de jejuniis patet,tres enim septimanas in anno Montanistæ in xerophagijs jejunarunt ex lege præcepti. Atq; Epiphanius loquens de Quadragesima,laudat eos,qui duplas,triplas, imo quadruplas quadragesimas supererogant. Notandum autem est, quod Hieronymus dicit, per reliquum annum jejunare, non ex necessitate,sed voluntate. Sed Pontificii jejunia quatuor temporum tradunt necessaria esse ex præcepto Hieronymi, ergo tempore illo necessitas jejuniorum quatuor temporū in anno adhuc fuit ignota Ecclesiæ, sicut hoc ipsius sententia manifestè ostendit. Postea verò leges illæ cumulatæ sunt, quas ut maiori specie Ecclesiæ obtrudere possent,finxerunt eas primis & antiquissimis Ecclesiæ temporibus conditas esse, sicut postea ostendemus. Lex igitur,quæ in Montanistis antea

Ieiunium 4. temporum. damnata fuerat , postea in jejuntis quatuor temporum per metamorphosin in cultum Dei conversa & canonizata est, quod diligenter notetur.

Hieronymus etiam, causam, quare Ecclesia certa quædam jejuniorum tempora ordinarit, non malè explicat, factum scilicet esse non opinione necessitatis & cultus,sed ordinis gratia,ut esset commonefactio admonens,diligentiā temperantiæ & coercēdi carnem debere perpetuam

Cur tempora jejunandi ordinata. esse. Scribens enim In quartum caput ad Galatas inquit,Dicat aliquis, si dies & tempora observare non licet, nos quoque simile crimen incurrimus, quartam sabbati Parasceven & jejunium Quadragesimæ observantes. Respondet autem Hieron.Ideò constitutos aliquot dies, ne inordinata exercitia fidem in Christo minuerent. Et viris prudentibus jejunia inter dies constituta esse, propter eos, qui magis sęculo vacant quàm Deo,nec possunt, imò nolunt toto in Ecclesia vitæ suæ tempore jejunare & orare. Quotus enim quisque est,inquit,qui saltem hæc pauca,quę statuta sunt,vel orandi tempora vel jejunandi, sem per exerceat, &c. Liberæ ergo fuerunt observationes ordinis & commonefactionis gratia instituta, & hæc sententia diligenter observetur.

Prætereà hypocrisin seu ludibria jejunij tunc exorientia , admodum venustè exagitat Hieronymus,quasi coram prospexisset Pontificiorum ludibria in jejuniis, ut adversus Iovinianum,libro secundo dicit: Etiam ex vilissimis cibis vitanda est satietas,nihil enim ita obruit animum, ut plenus venter & exæstuans, huc illuc; se vertens,& in ructus vel crepitus ventorum afflatione respirans. Quale verò illud jeiunium est, aut qualis illa refectio post ieiunium , cùm pridianis epulis distendimur, & guttur nostrum mediatorium efficitur latrinarum. Dumque volumus prolixioris inediæ famam quærere , tantum pridie voramus, quantum vix alterius diei nox digerat. Itaq; non tam ieiunium hoc appellandum est , quàm crapula & fœtens ac molesta digestio.

Ludificationes ieiunii.

Et ad Nepotianum scribit: Tantum tibi ieiuniorum impone, quantum ferre potes, sint tibi pura, casta, simplicia, moderata & non superstitiosa ieiunia,quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesq; ciborum quærere, caricas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, pistoria, &c. Tota hortorum cultura vexatur, ut cibario non vescamur pane, & dum delicias sectamur, à Regno cœlorū retrahimur. Audio præterea quosdam contra Regulam hominumq; naturam, aquam non bibere, non vesci pane, sed sorbitiunculas deliratas, & contrita olera, beatarumq; succum, nō calice sorbere, sed concha,proh pudor, non erubescimus huiusmodi ineptijs, nec tædet superstitionis? Insuper etiam famam abstinētiæ in deliciis quærimus,fortissimum ieiunium est panis & aqua, sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua vivimus , quasi publicum & commune ieiunium non reputatur.

Delitiæ ieiuniorum.

Gratianus transcribit hasce etiam Hieronymi sententias, Non dico hebdomadas ieiunandas,Non dico ieiunia duplicata, sed saltem singulos dies absque ciborum luxuria transigamus. Item: sint tibi quotidiana ieiunia & refectio satietatem fugiens, Nihil enim prodest tibi biduo vel triduo transvisse vacuum portare ventrem, si post pariter obruatur. Item, sint tibi ieiunia moderata quotidiè esurire, & quotidiè prandere. Item,Audiant,qui ea,quę necessaria sunt,corpori subtrahunt,quod Dominus per Prophetam dicit:Ego Dominus odio habens rapinam in Holocaustum, de rapina verò holocaustum offert, qui nimia vel ciborum vel somni penuria corpus suum immoderatè affligit. Est & hæc Hieronymi sententia. Sic comedas, ut statim post cibum possis legere, orare, psallere.

Gratianus ex Hieronymo.

QVOMO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVOMODO AVGVSTINVS SVO MODO, modestè sepositis plerisq; superstitiosis legibus & opinionibus, doctrinam & exercitia jejuniorum ad fontes & fundamenta Scripturæ revocarit.

Augustinus.

IN hæc tempora post annum Domini quadringentesimum, cùm de jejuniis omnia ferverent superstitiosis legibus & opinionibus, tunc publicis tunc privatis, incidit Augustinus, qui suo modo rectè & modestè sepositis superstitiosis legibus & opinionibus, ad veræ Scripturæ fundamenta, doctrinam rursus deducere conatus fuit, licet in quibusdam temporibus & consvetudini cedat, quæ consideratio & jucunda & utilis est. Colligemus autem illa ex genuinis Augustini Scriptis, in sermonibus enim pleraque aliena sub ipsius nomine suppositа sunt: Quod verò sæpè non apertè & liberè, tales superstitiones reprehendit, ejus ipse causam indicat Epist. 119. Vbi de quibusdam, qui prorsus abstinebant à carnibus, & putabant se peccare, si comederent, scribens, inquit, Hujusmodi multa propter nonnullarum, vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberius improbare non audeo. Et addit, Christiana religio, quam misericordia Dei liberam esse voluit, servilibus oneribus premitur, ut tolerabilior sit Iudæorum conditio, qui etiamsi tempus libertatis non agnoscant, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus, subjiciuntur.

Augu. modestia & querela.

Quod igitur ad tempora jeiuniorum attinet, cùm plerisq; sicut ostēdimus, meras leges, necessitates, præcepta, mandata, & apostolicas traditiones sonarent, Augustinus ad Casulanum epistol. 86. cùm Vrbicus quidam de jeiunio sabbati traditionem Petri proponeret, & alii contrariam traditionem aliorum Apostolorum allegarent, simpliciter pronunciat, Ego in Evangelicis & Apostolicis literis, totoq; instrumento, quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens, video præceptum esse jeiunium. Quibus autem diebus non oporteat jeiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini & Apostolorum non invenio esse definitum. Et non multò post idem repetit, Non invenimus, inquit, in Evangelicis & Apostolicis literis, quæ ad novi Testamenti revelationem præcipuè pertinent, certis aliquibus diebus evidenter præceptum, observandæ esse jeiunia, sed resilla sicut aliæ plurimæ, invenit in veste filiq regis, hoc est, Ecclesiæ, varietatis locum. Quæ Augustini sententiæ, sicut Lector ipse animadvertit, adversa quasi fronte opponũtur Epiphanii & Ambrosii disputationibus de legibus jeiuniorum. Addit autem in illa epistola Augustinus, in hisce rebus morem cuiusq; Ecclesiæ servandum esse. Et celebrat Ambrosii responsum de jeiunio sabbati, qui dixit, Quando Mediolani sum non jeiuno sabbato, quando verò Romæ sum, jeiuno sabbato, & ad quamcunque Ecclesiam veneritis, inquit, eius morem servate si pati scandalum non vultis aut facere, & addit regulam, in his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta maiorum (Hieronymus addit limitationem, si nõ officiant fidei) pro lege tenēda sunt, de quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consvetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis, cùm certa documenta veritatis nulla insinuet, cavendum est, ne tempestate contentionis, serenitas charitatis obnubiletur. In hac sententia observetur, in declamationibus patrum, quando ex consvetudinibus volunt leges necessarias facere, certa documenta veritatis nulla insinuari. Addit autem Augustinus etiam aliam memorabilem sententiam, Fidem Ecclesiæ non consistere in hujusmodi observationibus, & quod in fide verum est, non impediri talibus diversis observationibus. Et epistola 118. agitans quæstionem, quòd alii sabbato jeiunant, alii non, inquit, totum hoc genus rerum liberas habet observationes. Et addit regulam: Quòd neq; contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur societate servandum. Quæ regula priori ideò coniungenda est, ne ex vocabulo legis, quo Augustinus in priori regula utitur, Pōtificii opinionem necessitatis facere possint. Hoc enim loco dicit indifferenter habendum. Posito verò hoc fundamento, deinde Augustinus de usitatis & receptis tunc jeiuniorum temporibus disputans, rationes quærit & affert quales cunque, non quidem necessarias, sed probabiles. Ita de Quadragesima solet afferre Exemplum jeiunii Christi, sed ita ut salvum maneat prius illud Augustini axioma, In Evangelicis & Apostolicis literis non esse definitum aut præceptum, certis quibusdam diebus observanda esse jeiunia. Eodem modo in Psalmum 110. & Epist. 119. disputat, Numero Quadragenario ante resurrectionem Domini significari vitæ huius laborem & mœrorem. Et jeiunium Quadragesimæ esse commonefactionem de continentia à mundi illecebris, utq; cum labore & luctamine ingemiscentes gravati, aspiremus ad futuram vitam, quæ significetur lætitia 55. dierum post Pascha. Et subtiliter quidem philosophatur de Quadragenario & Quinquagenario numero etiam lib. 2. de doctrina Christiana, sed profectò, sicut ipse dicit, certa documenta veritatis nulla insinuat. Ideò Epist. 119. dicit, observationem dierum, quib. Christus crucifixus, sepultus & resuscitatus est, adiunctam esse per patrum Concilia. Eodem modo Epist. 86. Cur quarta & sexta feria maximè jeiunet Ecclesia, illa, inquit, ratio reddi videtur, quòd quarta feria Iudæi consilium ad occidendum Dominum fecerunt, sexta verò Dominus sit traditus & crucifixus. Sed mox addit, eos qui sabbato jeiunant, significare luctum discipulorum, & humilitatem mortis Christi, eos verò, qui non jeiunant, significare quietem sabbatismi. Sunt igitur rationes in utramq; partem, Ergo non necessariæ, & documenta veritatis, sicut ipse appellat, non certa. Præcepto enim Domini & Apostolorum, inquit, non est definitum, quibus diebus observanda sint jeiunia. Non ignoro autem in sermonibus Augustino adscriptis, quædā ita dici, quasi quadragesima sit à Christo mandata ac præcepta, & eam non servare sit peccatum & sacrilegium. Sed non sunt Augustini γνήσια, nam & eadem verba in illis leguntur, quæ ex sermonibus, sub Ambrosii nomine sparsis, antea annotauimus.

Statu jeiuniorum tempora, nõ sunt ex Apostolicis literis.

Contra Epiphanium & Ambrosium.

Ambrosii regula.

Augustini regula.

Disputationes sine certis documentis veritatis.

Fides non in observationibus.

Quæ indifferenter habenda.

Augustin. de Quadragesima.

De jeiunio 4. & 6. feria.

Sermones supposititi.

Secundò

Prohibitio carniũ apud Theophilũ.

Ex quib. fundamentis.

Secundò ex consvetudine, quòd tempore jejunii, & præcipuè in magna illa Paschæ hebdomada, plerisq; à carnibus & à vino, tanquam à delicatioribus & fortioribus cibis abstinebant, multi incipiebant tunc legem facere, quasi peccatum etiam in moderato horum usu, & cultus Dei in eorum abstinentia, consisteret. Sicut Theophilus Alexandrinus significans Episcopis Aegypti tempus celebrandi paschatis, libro tertio Paschali inquit: Nequaquam diebus Quadragesimæ vini poculum suspiremus, neque carnium edulio delectemur. Quærenim legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in jejuniis, & carnium esum repudiant. Idq; Theophilus probat ex ritu & lege Nazaræorum, Levit. 10. & Amos 2. Item ex abstinentia ciborum, qui tempore veteris Testamenti secundum legem immundi erant, Danielis 1. & 2. Macch. septimo. Expendat autem quæso Lector, quæ & qualis sit ratio hujus consequentiæ. In veteri Testamento Nazaræi à vino & sicera, reliqui Israelitæ à carne suilla & aliis immundis cibis ex legis prohibitione abstinebant. Ergo & in novo Testamento, tempore jejunii, ex præcepto legis abstinendum est à carnibus & à vino. Et sicut tunc Israelitæ vescentes carne suilla, & Nazaræi bibentes vinum, peccabant, abstinentes verò obedientiam Deo præstabant: Ita & in novo Testamento, in quadragesima comedere carnes, est peccatum mortale, abstinere verò, est cultus DEI. Quasi verò vel non facta esset abrogatio cultus Levitici veteris Testamenti, vel ita facta, ut aliis & novis hominum traditionibus, decretis & mandatis, de discrimine ciborum, conscientiæ sub peccato mortali subjectæ esse deberent, cùm Paulus disertè & ex professo contrarium doceat, Galat. quarto. Colos. secundo, 1. Timoth. 4. sicut explicationes supra sunt traditæ.

Abstinentia à carnibus libera Augu.

Augustin. de libertate abstinentia.

Cùm igitur hoc modo lex traditionis, prohibens esum carnium, proponeretur & urgeretur, Augustinus ostendit, esse quidem consuetudinem, sed non universalem, nec legem necessariam, sed observationem liberam. Ita enim scribit contra Faustum, lib. 30. cap. 5. Catholici edomandi corporis causa, non solùm à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper, sicuti pauci, vel certis diebus atq; temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes, quantò magis quisque vel minus, seu voluerit seu potuerit. Et de moribus Ecclesiæ lib. 1. cap. 33. libertatem illam, etiam cùm opiniones necessitatis multorum animos occupassent, retentam fuisse ostendit, ita tamen, ut de illa libertate subinde magis magisq; aliquid concederetur. Cùm enim varia mirabilium jejuniorum & abstinentiæ exempla, in Oriente & Italia commemorasset, addit: Inter hæc nemo urgetur in aspera, quæ ferre non potest, nulli quod recusat imponitur, nec ideò condemnatur à cæteris, quòd in eis imitandis se fatetur invalidum. Meminerunt enim: Omnia munda mundis. Et: Quod intrat in os non inquinat. Itaque non rejiciendis generibus ciborum quasi pollutis, sed concupiscentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ, invigilat omnis eorum industria. Et recisatis sententiis Pauli, 1. Cor. 6. & 8. Rom. 14. subjungit: Propterea his etiam qui firmiores, & adhæc contemnenda sunt idonei, certoq; sciunt nõ se pollui, si quid ciborum, sine turpi cupiditate, altitudine mentis assumserint, tamen ex charitate temperandum est, ne offendantur illi, quibus adhuc pro sua imbecillitate hujusmodi opus est temperantia. Hæc illi, inquit, norunt & tenent, intelligunt enim Scripturas juxta Apostolicam disciplinam, ubi non manducantem nemo spernit, manducantem nemo judicat, qui infirmus est olus manducat. Multi tamen firmi propter infirmos idem faciunt. Multis non est causa ista faciendi, sed quòd viliore victu vivere placet. Ita multi neq; vescuntur carnibus, neque tamen eas immundas superstitiosè putāt. Itaque illi ipsi, qui salutis temperant, si ratio valetudinis cogat, ægroti sine ulla formidine accipiunt. Et stultè nonnullos recusantes, fraternè admonent, ne vana superstitione debiliores citius quàm sanctiores fiant. Ita pietatem sedulò exercent, corporis verò exercitationem ad exiguum tempus pertinere noverunt. Continent se igitur, inquit, hi qui possunt, à carnibus & à vino, propter duas causas, vel propter fratrum imbecillitatem, vel propter suam libertatem, &c. In hac Augustini sententia multa veteris Christianæ libertatis vestigia apparent, apparet etiam hoc, quomodo firmiores, qui libertatem hanc intelligebant, propter alios infirmiores, qui scilicet putābant peccatum esse carnibus vesci, de libertate aliquid concesserint, donec ea tota illis cessionibus tandem oppressa est. Et idem est in hoc loco, quod alibi Augustinus ipse de se scribit, hujusmodi multa, propter nonnullarum vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberius improbare non audeo.

Cessio libertatis.

Idem lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 13. ponit talem descriptionem, quæ Pontificiorum etiam jejunia graphicè depingit. Si quis, inquit, existat ita homo parcus & frugi, ut appetitum ventris & gutturis moderans, non epuletur bis per unum diem, & huic cœnanti oluscula cum exiguo lardo apponantur, eodem lardo uncta atque condita, quantum comprimendæ fami sat est, sitimq; irriget, propter diligentiam valetudinis, duabus aut tribus vini meracis potionibus. Isque illi victus sit quotidianus.

Imago Pontificij ieunij.

Alius verò ex alia parte, nihil gustãs carnium, nihil vini, exquisitas & peregrinas fruges, multis ferculis variatas, & largo pipere aspersas, nona hora libenter assumat, noctis etiam principio tardius cœnaturus, bibat autem mulsum, & expressos succos, vini speciem imitātes, atque id suauitate etiam vincentes, & bibat non quantum sitit, sed quantum libet, talibusq; deliciis perfruatur, nulla necessitate, magna voluptate. Quem tandem horum duorum, quod ad cibandum potādumq; attinet, abstinentius vitam ducere judicatis? Nõ opinor usque adeò vos esse cœcos, ut nõ illum de parco lardo & vino, huic gurgiti præferatis? Ita quidem veritas cogit, sed vester error longè aliter canit.

Electus enim vester, si quotidiè ita vivat, ut hic quem posterius descripsimus, ab uno & duobus fortasse gravioribus reprehendi potest, damnari autem omnino non potest. Si autem semel

a cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum illo priore cœnaverit, & vel rancido frustro porci labra unxerit, ilicò gehennæ destinatus judicabitur. Quæso aliquantulum consuetudini obsistite, quid enim est ista pravitate perversius, hominem boletos, orizam, tubera, placentas, carcanum, piper, laser, distento ventre cum gratulatione ructantem, & quotidie talia requirentem, *Nota.* non videri à regula sanctitatis excidisse: Alium verò, fruges vilissimas fumoso lardo cõdientem, tantumq; hinc assumentem, quantum refectioni corporis sufficit, certo supplicio præparari? Hæc Augustinus contra Manichæos disputat, sed sicut Lector animadvertit, simpliciter & prorsus congruunt ad Pontificiorum praxim & judicia de jejuniis. Atque ideò totum locum adscribere volui, ut appareat, ad quorum abstinentiam Pontificiorũ jejunia quàm proximè accedãt, quodq; Augustini ætatè, lardum aut fumosa caro porci, non vitiârit abstinentiam.

Idem Augustinus in usu quorumvis ciborum moderato non vult constitui peccatum, nec in abstinentia eorum cultum seu justitiam. Et descripsit illas sententias etiam Gratianus Distin. 41. ut de doctrina Christiana, libro tertio, capit. duodecimo. Quisquis rebus præstantibus restrictius utitur, quàm sese habent mores eorum, cum quibus vivit, aut temperans aut superstitiosus est. Quisquis verò sic eis utitur, ut metas bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus, non usus rerum, sed libido utentis in culpa est, ut cùm pedes Domini unguento pretioso perfunduntur, quid igitur locis & temporibus personisq; conveniat, diligenter attendendum est, ne temerè pro flagitio aliquid reprehendamus. Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autẽ fœdissima gulę flamma in vilissimum olus ardescat. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræq; bestiæ, quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus hujusce modi rebus, non ex earum rerum natura, quibus utimur, sed ex causa utendi, & modo appetendi, vel probãdum est vel improbandum, quod facimus.

In usu ciborum non peccatum.

Idem Augustinus quæst. Evang. lib. 2. cap. 11. ostendit, filios sapientiæ intelligere, nec in abstinendo, nec in manducando, esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, & in temperantia per abundantiam non se corrumpendi, atq; oportunè sumẽdi, vel non sumendi, ea, quorum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omnino, quid alimentorum sumas, ut succurras necessitati corporis, dummodo congruat in generibus alimentorum his, cum quibus tibi vivendum est. Neque quantum sumas interest multum, cùm videamus aliorum stomachos citius satiari, & eos tamen parvo quo satiantur cibo, turpiter inhiare. Alios autem plusculo quidem satiari, sed tolerabilius inopiam perpeti. Magis ergo interest, non quid vel quantum alimentorum, pro congruentia hominum atq; personæ suæ, & pro suæ valetudinis necessitate, quis capiat, sed quanta facilitate & serenitate animi careat, quando his necesse est carere, ut illud Pauli in animo compleat: Scio & minus habere, scio & abundare, ubiq; & in omnibus imbutus sum, & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati. Item, neque si manducaverimus abundabimus, neque si non manducaverimus egebimus, Item, non est regnum Dei esca & potus.

Nec in manducando nec in abstinendo est justitia August.

Tertiò, cùm in disputatione de finibus & effectibus jejunii seu abstinentiq;, plerique per declamatorias hyperbolas, nulla non merita, & quidem gratiæ, justitiæ, remissionis peccatorum, salutis & vitæ æternæ, jejuniis cœpisse nt tribuere, Augustinus illas Rhetoricationes ad normam Scripturæ revocans, ostensis veris ex Scriptura finibus, suo more modestè opponit negativam sententiam. Ita epistola octuagesima sexta, disputans de jejunio sabbati, cùm præmisisset sententiam illam, quòd mandato Domini, vel Apostolorum non sit definitum vel præceptum, certis quibusdam diebus observanda jejunia, subdit: Per hoc sentio, non quidem ad obtinendam quam fides obtinet justitiam, in qua est pulchritudo filiæ regis intrinsecus, sed tamen ad significandam requiem sempiternam, sabbato aptius relaxationem quàm contentionem jejunii convenire. Et in his rebus tutius est, ne simus illis similes, qui de Baptista dicebant: Dæmonium habet. Et de CHRISTO: Ecce homo vorax & vinosus. Filij verò sapientiæ hi sunt, qui quando manducant, manducantes non spernunt, quando non manducant, manducantes nõ judicant, modò non per offensionem, vel manducent, vel non manducent. Quia neque, si manducaverimus abundabimus, neque si non manducaverimus egebimus. Ibidem falsè exagitat Vbici dictum, qui contendebat ideò sabbato jejunandum, ut maculæ erroris, quæ de ista mortalitate reliquis diebus contrahuntur, jejunii fructibus abluantur. Glossa Rom. 14. citat hanc Augustini sententiam, in usu escarum non acquiritur regnum Dei, sicut etiam non amittitur. Non enim usus ciborum interdicendus, sed concupiscentia frænanda est. Item, nec in manducando nec in abstinendo est justitia.

Augustin. de effectibus ieiunij.

Iustitia fidei non in ieiunio.

Remissio peccatorum non in ieiunio.

Nec regnum Dei.

Fines autem veri jejunii, juxta Scripturam Augustinus tradit, corporis castigationem, vel concupiscentias eius coercendas, ut mens ad exercitia spiritualia eò liberior fit. Cujus generis sententias aliquot suprà ex Augustino descripsimus, nunc quasdam alias subjiciemus. Vt de gestis cum emerito Donatista inquit: Per jejuniorum dies quando nobis maximè jejunantibus, plus vacat audire, gesta illa per annos singulos ordine recitentur.

Ieiunium ad auditũ verbi.

Contra Faustum li. 20. cùm Faustus cap. 2. objecisset, etiam Christianos per Quadragesimam à carnibus abstinere, Augustinus cap. 5. respondet, Christiani non hæretici sed Catholici, edomandi corporis causa propter animam ab irrationalibus moribus amplius humiliandam, non quòd illa esse immunda credant, non solum à carnibus, verumetiam à quibusdam terræ fructibus abstinent, vel semper, sicut pauci, vel certis diebus, atq; temporibus, sicut per quadragesimam ferè omnes, quantò magis quisq; vel minus seu voluerit seu potuerit.

Ad domandũ corpus & animam humiliandam.

Ex fine iudicandum.

De moribus Manichæorum cap. 13. inquit: fines quo

nes quo referuntur ea, quæ facimus, si laudabilis fuerit, tunc etiam facta digna laude sunt, si verò finis jure culpatur, ipsum quoq; officium nemo improbandum dubitabit. Catilina sitim & famem ferre poterat. Hæc illi cum Apostolis nostris erant communia. Vnde igitur parricida iste ab Apostolis nostris discernitur, nisi fine. Namq; ille iste tolerabat, ut cupiditates suas expleret, illi contrà, ut eas premerent, & dominanti rationi servire cogerent. Possunt & Christiani, Manichæorum à vino & carnibus abstinentiam, jumentis & multis passeribus, postremò etiam innumerabilibus generibus vermium comparare. Sed discutiendum est, quo fine ista faciatis. Si ergo parsimoniæ gratia, & coërcẽdæ libidinis, quia escis talibus, & potu delectamur & capimur, audio & probo. Et capite decimo quarto, Apparet ex Paulo, quo fine à carnibus & vino sit abstinendum. Is finis est triplex, ad comprimendam delectationem, quæ in his maximè cibis haberi solet, atque in tali potu usq; ad ebriositatem pervenit. Ad tuendam infirmitatem propter illa, quæ idolis sacrificantur & libantur. Et quod maximè commendandum est, propter charitatem, ne imbecilliorum ab his continentium offendatur infirmitas.

Parsimoniæ & coercendæ libidinis gratia.

De fide ad Petrum, cap. 42. Firmissimè tene omnem creaturam Dei bonam esse, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Et Dei servos, qui à carnibus & vino abstinent, non tanquam immunda, quæ à Deo facta sunt, respuere, sed à fortiori cibo & potu, pro sola castigatione corporis abstinere.

Pro castigatione corporis.

De dogmatibus Ecclesiasticis, cap. 66. Bonum est cibum cum gratiarũ actione sumere, & quicquid Deus concesit, edendum est. Abstinere autem ab aliquibus, non quasi à malis, sed quasi à non necessariis, non est malum. Moderari verò eorum usum pro necessitate, propriè est Christianorum. Et cap. 67. cibos vel credere malos, vel malitias causare percipientibus, non est Christianorum, sed propriè hierarchitarum, & Manichęorum. Hæc sententia diligenter observetur.

Abstinentia.

Moderatio.

Cibi non causant malitiam.

Ex aliis scriptis, quæ nõ sunt Augustini γνησια, Pontificii citant diversas sententias, sed qua fide, Lector intelligit, vt Sermone de tempore 60. Nemo pro laude humana, sed pro peccatorũ indulgentia, vel pro misericordia divina ieiunet. Ser. 77. Eiecit nos de Paradiso cibus, reducat ieiunium. Serm. 69. dicitur ieiunium esse redemptionem salutis, qua iniquitates redimantur, & ira Dei placetur. Item, Ieiunium peccata deprecari & justitiam promereri, &c.

Pseudepigrapha de ieiunio.

Quartò, mirabilia, & ut ipse loquitur, incredibilia ieiuniorum exempla Augustinus recitat, ut de moribus Ecclesiæ, capit. 33. continuum triduum vel amplius sæpissimè sine cibo & potu ducere. Et ad Casalanum dicit, quosdam nulla refectione interposita, ultra hebdomadam perpetuare jejunium, ut jejunio 40. dierum magis appropinquent. Et addit narratum fuisse quendam ad ipsum quadragenarium numerum pervenisse. Et capit. 31. de moribus Ecclesiæ dicit, quosdam in terris desertissimis, ab omni hominum conspectu discretos, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum afferatur, & aqua contentos.

Ieiunia mirifica.

Sed addit, videntur illi nonnullis res humanas plus quàm oporteret deservisse. Item, in tantum processit temperantia & continentia quorundam, ut restringenda nonnullis, & quasi ad humanos fines revocanda videatur. Et quomodo cap. 33. inter illa singularia exercitia libertatem Christianam tueatur, paulò antè sententiam ejus adscripsimus.

Nota.

Quintò, ludificationem jejuniorum & abstinentiæ, qualem Pontificii etiam, sicut suprà ostendimus, exercent, Augustinus falsè taxat, ut Dominica in octavis Paschæ. Sunt quidam observatores quadragesimæ delitiosi potius quàm religiosi, exquirentes novas suavitates magis, quàm veteres concupiscentias castigantes, qui pretiosis copiosisq; diversorum fructuum apparatibus aliorum ciborum sapores superare contendunt. Vasa in quibus coctæ sunt carnes, tanquam immunda formidant, & in carne suâ ventris & gutturis luxuriam non formidant. Iejunant non ut solitam temperando minuant edacitatem, sed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, optimis mensis tanquam pecora præsepibus irruunt, ventresq; distendunt, artificiosis & peregrinis condimentorum diversitatibus tantùm capiunt manducando, quantum digerera non sufficiunt jejunando. Idem in Psalm. 43. Mutare vis carnalem voluptatem, non amputare. Non laudatur in illo jejunio, qui ad luxuriosam cœnam servat ventrem suum. Invitantur enim aliquando homines ad cœnam magnam, & cùm ad eam volunt avidi venire, jejunant. Nunquid hoc jejunium continentiæ, & non potius luxuriæ deputandum est? De moribus Ecclesiæ cap. 31. de Monachis inquit: Corpus reficiunt quantum saluti & salubritati sat est, coercente unoquoq; cõcupiscentiam, ne se profundat, vel in ea ipsa quæ præsto sunt parca & vilissima. Ita non solùm à carnibus & vino abstinent, pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab his etiam, quę tantò concitatius ventris & gutturis provocant appetitum, quantò quasi mundiora nonnullis videntur, quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod à carnibus alienum est, ridiculè turpiterq; defendi.

Augustinus contra ludificationes ieiunij.

Ieiunare ad luxuriam.

Ex paucis hisce observationibus satis patet, quomodo Augustinus varias sui seculi de jejunio opiniones, ad superstitionem inclinantes, pro solita sua modestia, oppositâ saniori ac Scripturæ congruenti sententia, reprehenderit & corrigere studuerit. Et in præcedentibus etiam non pauca hujus generis ex Augustino annotabimus.

QVOMODO CHRYSOSTOMVS IN *Græca Ecclesia, circa annum Domini 410. superstitiosas de ieiunio opiniones reprehenderit.*

Sicut Augustinus in latina Ecclesia, ita Chrysostomus eodem fermè tempore, circa annũ Domini 410. in Græca Ecclesia superstitiosas quasdam de jejuniis opiniones ita reprehendit, ut ad Scripturæ normam disputationes illas revocaret. Alicubi sanè de jeiunio loquens, declamato-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rium seculi sui stylum imitatur, sicut de ipsius hyperbolis in præcedentibus quædam annotavimus. Sed cùm Epiphanius & Theophilus, Leges jejuniorum, opinione necessitatis & meriti nimium urgerét, Chrysostomus cœpit ὑπεραίρεσις quasdam imponere.

Duos enim illos nianifestos & habuit & expertus fuit adversarios. Et Chrisostomi quidem tempore per Quadragesimam exceptis duobus hebdomadæ diebus, usq; ad horam priusquàm natum fuisse, & circa nonam horam priusquàm solveretur jejunium, Ecclesiam ad auditū & meditationem verbi convenisse ex homiliis ipsius in Genesin constat. Et homilia 1. & 2. dicit, tunc coquorum discursus, pecudum mactationes, & carnium concisiones è medio tolli. Et homilia 6. ad Antiochenos dicit, lege jejunii vulgò tunc prohibita fuisse certa quædam nutrimenta, & deliberationem vini. Sed opinionem necessitatis, & alias quasdam superstitiosas opiniones ipse liberè taxavit & reprehendit. Et quia pleraq; ipsius sententias suprà adscripsimus, hoc loco tantùm capita eorum, quæ in vulgatis de jejunio opinionibus reprehendit, breviter notavimus.

Chrysostom. contra opus operatum jejunium.

Primùm igitur in valdè multis locis opinionem illam reprehendit, quasi jejunium per se, ex opere operato, sit virtus & cultus Dei: Aut quasi ea, quæ & in Scriptura & à patribus jejunio tribuuntur, ad ipsam per se aut solam à cibis abstinentiam pertineant; cùm ad illos maximè fines quibus jejunium subvenire debet, respiciendum sit. In Genesin Homilia sexta: Ne existimemus inediam usq; ad vesperam ad salutem nobis sufficere.

Deus enim Iudæis per Prophetam dixit: Non mihi jejunastis jejunium. Hæc dicit Dominus: Iudicium justum judicate, misericordiam faciat quisque cum proximo suo, &c. Homilia 9. Laciviàs carnis refræmus, & virum probemus jejunium.

Chrysosto. de finibus ieiunii.

Jejunium autem dico, abstinentiam à vitiis. Etenim abstinentia à cibis propter hoc recepta est, ut rigorem carnis refræmet, & tanquam æquum moderanti facilè parere faciat. Jejunantem oportet concupiscentias repellere & refræmare, ac bonis operibus studere. Hoc verum est jejunium, sicut & Isaias ex persona Dei loquens dicit, &c.

Non igitur, ut plerique existimemus definiri in hoc jejunium, si ad vesperam usque impransi maneamus. Non hoc est, quod quæritur, sed ut cum ciborum abstinentia, & à cæteris abstineatur, quæ nocere possunt, utq; spiritualibus magis vacetur. Homilia trigesima: Jejunia preces semper conjunctas esse oportet, tunc enim potissimùm preces nostræ sobriæ sunt, tunc expeditior est mens nostra, non gravata, neque pressa malo delitiarum onere.

Ad populum Antiochenum Homilia quarta: sicut sunt quidam ciborum inter se abstinentiam æmulantes, & mirabilem contentionem facientes, & hi quidem integros duos dies transigunt jejuni, hi verò non vini tantùm & olei, sed & omnis ferculi usum, à sua mensa rejicientes, pane & aqua duntaxat utentes. Quadragesimam omnem expediunt. Sic & nos inter nos contendamus, ut juramentorum imbres destruamus: hoc enim omni jejunio utilius, hoc omni vitæ asperitate ampendiosius, & studium quod circa ciborum abstinentiam habemus, hoc circa juramentorum abstinentiam exhibeamus. Quoniam extremæ dementiæ crimen subimus, prohibitā quidem contemnentes, circa indifferentia verò omne moventes studium, commedere enim non est inhibitum, jurare verò prohibitum est. Nos verò concessis abstinentes, prohibita audemus. Illustris & memorabilis est hæc Chrysostomi sententia, manifestè numerans abstinentiam ciborum inter adiaphora, & ostendens superstitionem, neglectis utilioribus pietatis exercitiis, circa talia indifferentia magno studio & contentione oriupari. Alias plures similes sententias ex Chrysostomo suprà descripsimus, quas hoc loco non visum fuit repetere.

Ieiunium inter adiaphora.

Nota.

Secundò, licet jejunium Quadragesimæ, tempore Chrisostomi servatum fuerit, & ab ipso laudatum, dicit tamen à CHRISTO non esse mandatum, ut Homilia quadragesima septima in Matthæum: Non dicit jejunium suum esse imitandum, quamvis quadraginta illos dies posset proponere, sed discite à me, quoniam mitis sum, & humilis corde. Imò verò contrà inquit: Omne quod apponitur vobis, comedite. Hæc dixi, non quod jejunium mihi non placeat, quod magnis soleo efferre laudibus, sed quia doleo, si cæteris neglectis, satis ad salutem nobis jejunium esse existimemus, quod in choro virtutum citè extremum sortitur locum. Contra opinionem verò necessitatis, longa oratione pugnat Chrysostomus, homilia in Genesin 10. Cùm enim quidam, qui jejunia ferre non poterant, ideò in concionem, quæ circa vesperam habebatur, venire non auderent, inquit, sobrius auditor etiam pransus spirituali conventu dignus est, sicut supinus & deses, etiamsi jejunus permaneat, nihil inde utilitatis capiet. Et hæc dico non ut jejunii rigorem solvam, nam multum laudo jejunantes, sed doceo, non turpe esse, eum, qui cibum antea accepit, adesse spirituali sermone, sed ignavo animo adesse ab affectionibus vexari, & carnis lascivias non reprimere. Num comedere malum est? absit, sed gula damnosa est, & impleri plus quàm satis. Et nihil malè est vnum ad mensuram bibere, sed rationis judicium intemperantia subvertere. Et enim dilecte si ob corporis imbecillitatem non potest jejunus diem producere, nullus, qui sapit, propter hoc tea arguere poterit. Neque enim jejonium & abstinentiam simpliciter à nobis exigit Dominus, neque hoc ipsum, ut jejunii huc usque permaneamus, sed ut à secularibus operibus nos abdicantes, omne nostrum otium in spiritualia collocemus, quod si sobria mente vitam nostram instituerimus, & cibos ita sumpserimus, ut tantùm satiemur quantum usus exigit, & vitam omnem in bonis operibus dispensemus, jam nullo opus fuerit ex jejunio adiumento. Sed quia negligens est humana natura, & de delitiis gaudet, ideo Deus hanc ex jejunio medicinam excogitavit, ut delitiis sublatis, secularium curam ad spiritualia opera transferamus.

Quadragesima non data à Christo.

Ieiunium inter virtutes postremum.

Finis ieiunii.

Æmulatio in ieiunio.

Si quis non potest ieiunare.

seramus. Si igitur sunt aliqui, quos corporis infirmitas vetat jejunos & impransos permanere, eos laudo, quòd corporis infirmitatem curant, & pransi plus exhibent studii in doctrina spirituali. Sunt enim, sunt profectò viæ, quibus fiduciæ ad Deum januæ aperiri possunt multò majores, quàm ciborum abstinentia. Igitur qui cibum accipit, & jejunare non valet, largiorem det eleemosynam, ferventior fit in precibus, majorem habeat alacritatem in audiendis divinis eloquiis, odium deponat, &c.

Nota.

Verum ieiunium.

Qui hæc fecerit, verum jejunabit jejunium, quod à nobis exposcit Dominus. Propterea enim hanc à cibis abstinentiam fieri præcipit, ut refrenantes carnis lascivias, eam obedientem faciamus, & ad mandata Dei implenda sequacem. Igitur qui jejunat, gratias agat Domino, qui vires ei tribuit ad ferendos jejunii labores. Et qui manducat, iterum gratias agat Deo, quia nihil ipsum offendere potest, quò minus animæ salutem agat, modò velit. Neq; enim comedisse confusionem nobis affert, sed malè egisse. Et cùm cibo, mensuræ nostræ congruo, utimur, non opus est ut erubescamus. Nam Dominus nos huic corpori conjunctos esse voluit, quod alioqui consistere nequit, nisi cibo pascatur, tantùm intemperantia non admittatur, &c.

Vti cibo non peccatum.

Non judico opus esse Lectorem admonere, quàm variæ & superstitiosæ de ciborum abstinentia opiniones hac Chrysostomi sententia taxentur & refutentur, manifestum enim hoc est. Sed integram sententiam ideò adscripsi, ut confideratis disputationibus illis, quæ circa ea tempora magna contentione à multis, sicut ostendimus, agitatæ fuerunt, manifestè intelligi posset, superstitiones istas, non generaliter ab omnibus fuisse vel probatas vel receptas, sed fuisse qui oppositā veræ Scripturæ sententia, pullulantibus superstitiosis opinionibus contradixerunt: Vtq; Pontificiorum legibus tales sententiæ rectè opponi possent.

Tertiò Chrysostomus multis in locis ostendit, effectus qui jejunio tribui solent, non ad ipsum opus operatum jejunii, sed ad pœnitentiam & orationem, quibus jejunium subservire debet, referendos esse. Ita homilia 3. ad Antiochenos, Iejunium pietatis materia & magister est, jejunium autem dico non hoc vulgare, sed accuratum, non tantùm ciborum abstinentiam, sed & peccatorum. Non enim jejunii natura peccata eripere sufficit, nisi congrua cum lege fiat. Discamus igitur, quomodo jejunium celebrare debeamus, quoniam & Pharisæus ille jejunavit, & descendit fructibus jejunii inanis. Publicanus non jejunavit, & Pharisæus jejunantem præcesserit non jejunans, ut discas quòd jejunii utilitas nulla sit, nisi & reliqua consequantur, Iejunaverunt Ninivitæ, & Dei misericordiam elicuerunt, jejunaverunt & Iudæi, & culpati abierunt. Videamus igitur, quomodo Ninivitæ jejunarint, & quid tandem sit quod iram Dei solverit. Num jejunium solum & saccus? non est dicendum, sed totius vitæ mutatio, ita enim Propheta inquit: Et vidit Deus opera eorum. Qualia opera? Quòd jejunaruntq; quòd saccum induerunt? nihil horum, sed hæc omnia tacens, intulit: Quoniam aversus est quisq; in viis suis malis, cernis quòd non jejunium periculo eripuit, sed vitæ mutatio Deum barbaris placatum & benevolum reddidit. Hæc dico, non ut jejunium contemnamus, sed ut jejunium honoremus. Honor enim jejunii non ciborum abstinentia est, sed peccatorum fuga. Itaq; ciborum abstinentia tantùm jejunium definiens hic est, qui maximè ipsum vituperat. Idem libr. 1. de orando Deum inquit, Ninivitæ deprecationis præsidio, plurimorum scelerum, quib. divinam iram in se provocarant, remissionem acceperūt. Pœnitentiæ igitur & orationi, effectus hosce Chrysost. vult tribui, non operi operato jejunii.

Non ieiunium sed pœnitentia & oratio.

Definitio ieiunii.

QVOMODO PORRO VSQVAE AD annum Domini 450. libertas Christiana in usu ciborum, à Cyrillo, Theodoreto, Prospere, Prunasio, & Socrate, defensa fuerit.

OStendemus porrò jā breviter quomodo usque ad annum Domini 450. libertas Christiana in usu ciborum defensa, & veri fines jejuniorum monstrati fuerint.

Cyrillus igitur in Leviticum lib. 10. disputat contra illos, qui putabant ex mandato legis statā jejuniorum tempora observanda. Et ponit prolixam sententiam, quam suprā sub Origenis nomine descripsimus (nam & illi hæc commentaria in Leviticum tribuuntur) capita autem hæc sunt, quæ ipsius Cyrilli verbis annotabo. I. humiliationem animæ debere perpetuam esse, & consistere in imitatione Christi, qui est humilis corde. II. Iejunium, juxtā præceptum Evangelii, consistere in abstinentia à peccatis, in fide adeunte Christum Pontificem, & in renovatione. III. Iejunium externum seu corporale non consistere in delectu seu prohibitione quorundam ciborum, sed in abstinentia Christiana, quæ sit continentia ventris & gutturis. IIII. Finem jeiunii debere esse, ut ad exercitia spiritualia simus eò expeditiores. V. Opinionem necessitatis contra Pharisæos à Christo ipso refutatam esse, Matth. 9. Non enim miscenda esse indumenta nova & pannos veteres. VI. Vsitata jeiuniorum tempora servanda, non observantiæ superstitione, sed in Christiana libertate, virtute continentiæ. Integra sententia suprà in Origene descripta est, quam brevitatis gratia nolui hoc loco rursus adscribere.

Cyrilli sententia de ieiunio.

Idem Cyrillus libr. 9. in Leviticum: Scitis certamen esse carni adversus spiritum. Quòd si carnem frequenti mollitie, ad jugi delitiarum fluxu foveatis, necessariò adversus spiritū insolescet, & fortior illa efficietur, cogetq; eum suis vitiis obedire. Si verò nutrimenta spiritus adhibeas, divinam scilicet lectionem, sermonem doctrinæ, & orationes assiduas, convalescet ille, & carnem coget suis legibus obsequi. Quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis, tu carnem adversus spiritum armas, cùm eam carnibus reples, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.

Quomodo caro tractanda, ne adversus spiritum.

Lib. 2. contra Iulianum, cùm Iulianus Christianis objecisset vitam dissolutam, eòquòd citra debitum vescerentur, & nihil vitarent quod edi

Universidad de Deusto
Biblioteca

potest: Respondet Cyrillus: Græci in hoc potissimum pietatis virtutem constituunt, & in omni virtute præditum arbitrantur eum, qui à cibis quibusdam abstinuerit. At cur sanctificationis modum in illis ponunt? Certè sanctissimus & impollutus, quod nos polluere posset, fecit nihil. Cur enim cibus inficeret, vel quam maculam inureret iis, qui illius sunt participes? Vitanda autem sunt ea, per quæ contaminantur, ut sunt peccata, quæ qui nihil faciunt, contaminantur etjam dum parum edunt, & ab eduliis quibusdam cavent, atq; ita Iovem colere volunt.

In delectu ciborum sanctitatem constituere stultũ Cyrillus.

Ibidem li. 7. Iulianus imponebat crimen Christianis, quòd indifferens apud ipsos esset edere carnes. Cyrillus verò respondet, Leges puniunt improbos. In quos verò animadvertunt, nunquid in crudeles, adulteros, deceptores? etjam vel in eos, qui liberè pisces & carnes attingunt, si quidem in hoc præscriptũ esset tempus aliquod? Et postea scimus, sola peccata eos, qui illis laborant, coinquinare. Ita nullum vitamus edulium ut immundũ, corporales verò voluptates moderatione compescimus, & aculeum petulantioris carnis hebetantes, parcè victitare consuevimus, & omninò in delitiis esse inter optima non ponimus. Iulianus autem nos saltatoribus & publicanis comparat, Christianæ religionis libertatem ignorans. Nos autẽ memores sumus eorum, quæ Paulus scribit: Cibus non commendat nos Deo, neq; si edamus meliores sumus, neq; si non edamus deteriores. Item, Omnis cibus bonus, &c. Et quod Christus dicit: Quod ingreditur in os, nõ coinquinat hominem, &c. Et paulò pòst, plurimi quidem apud nos fuerunt summa bonitate conspicui, qui ad eam pervenêre continentiam, & ita seipsos castigarunt, ut etiam iis, quæ ad vitam utilissima sunt, strenuè abstinere voluerint, nempe pane & oleo, & herbis & leguminibus, ventris necessitatem placarunt, usi pura aqua. Et rejectaneus quidem apud ipsos cibus nullus fuit. Abstinuerunt autem à nonnullis, mentis ad deteriora propensionem revocantes & carnis lasciviam compescentes, ut mentis oculũ magis subtilem haberent, &c.

Indifferens cibus carniũ apud Christianos.

Non constitutum tempus carnibus vel piscibus.

Libertas Christianorum in cibis.

Abstinentia quorundam privata.

Finis abstinentiæ.

In ordine autem hujus historiæ præcipuè observandum est, quòd ingruentes superstitiosas opiniones alii aliis plenius & nervosius refutarunt. Monachorum enim singularis abstinentia in magna tunc cœperat admiratione esse, sicut Theodoretus in vitis patrum describit, Marcianum quendam, qui singulis diebus usq; ad vesperam jejunabat, & vesperi tantùm panem, eumq; ad mensuram, quartam scilicet partem libræ sumebat. Avitum verò scribit per triduum semper sine cibo mansisse: Sabinum nec pane nec obsonio usum, sed tantùm farina aqua madefacta, quam semel in totum mensem parabat, nec prius sumebat quàm sitim contraxisset: Macedonium nón pane nec leguminibus usum, sed ordeo madefacto. Simeonem verò totam semper hebdomadam jejunum mansisse, &c.

Exempla singularis abstinentiæ apud Theodoretũ.

In illis ergo singularibus abstinentiæ exemplis Cyrillus hoc probat, si fiat eo fine, ut carnis petulantia compescatur, & mens ad spiritualia magis excitetur. Si verò in tali ciborum delectu constituatur pietas, sanctitas, & cultus Dei, hoc Cyrillus, sicut ostendimus, reprehendit ex loco Pauli 1. Corinth. 10.

Cyrilli iudicium de talibus exẽplis.

Theodoretus verò tantùm opinioni necessitatis contradicit, & libertatem defendit, eamq; usque ad illa tempora servatam fuisse ostendit. Explicans enim illud Pauli Rom. 14. Vnusquisq; in suo sensu abundet, inquit. Non de divinis decretis hoc dicit, ibi enim valet illud. Qui aliud evangelisaverit, anathema sit: Sed de solis cibis uniuscuiusque sententiæ potestatem dedit. Hæc enim consuetudo in hodiernum usq; diem manet in Ecclesiis. Et hic quidem abstinentiam amplectitur, ille verò omnibus esculentis absque ullo scrupulo vescitur, & ne hic illum iudicat, nec ille alterum reprehendit.

Nota qualis libertas in ciborũ delectu Theodoreti tempore.

Et in Epitome divinorum dogmatum, capite περὶ ἐγκρατείας, de abstinentia ita scribit: Abstinentiam à vino atque esu carnium, & reliquam (ἐγκράτειαν) continentiam, non similiter atque hæretici amplectitur Ecclesia. Illi enim (νεμεσῶσι) lege cavent aut jubent, ab iis tanquam abominandis abstinere: Ecclesia verò (οὐδ' ἐν περὶ τούτων νενομοθέτηκεν) nullam legem de illis condidit, vel nihil per modum legis de illis constituit, nõ enim (ἀπαγορεύει) prohibet seu interdicit eorum sumptionem, seu participationem. Et propterea alii quidem (νενομισμένων πρὸ ἐμοῦ διὰ τέλους ἀπολαύουσι) cibis suavibus & iucundis, à verbo Dei permissis seu concessis, liberè, securè, & absque ullo scrupulo fruuntur, alii verò abstinent. Nullus autem qui rectè sapit manducantem condemnat. Nam & abstinentia & sumptio sunt in potestate sententiæ seu voluntatis cuiusq;, &c. Et allegatis sententiis Pauli, Rom. 14. 1. Cor. 10. & 1. Tim. 4. addit, Tantùm abfuit, ut divinus ille vir carnibus vesci prohiberet. Nam & Christus ipse carnem agni cum discipulis suis manducavit, & convivis vinum per miraculum præbuit. Hæc Theodoretus. Et observetur, quòd leges de delectu seu discrimine ciborum, cum opinione necessitatis, licet à multis rogari & spargi cœpissent, tamen circa annum 440. nondum fuerint vel receptæ vel probatæ, sicut sententia hæc Theodoreti manifestè ostendit. Et Cyrillus addit, non fuisse tunc tempus aliquod hisce rebus præscriptum, li. 7. contra Iulianum.

Nondum fuerunt leges de ciborum delectu.

Eodẽ modo Primasius, Augustini discipulus, in cap. 14. ad Rom. dicit, De ieiunio nõ est lex posita, sed quomodo unusquisq; vel potest, vel vult.

Annus 440. adhuc ignoravit leges de ciborum delectu. Primasius ignorat leges ieiuniorum.

Socrates verò Ecclesiasticæ historiæ scriptor, prolixa narratione ostendit, adhuc circa annum Domini 440. & de tempore ieiunii, & de modo seu forma abstinentiæ, fuisse diversas & liberas observationes in Ecclesiis. Et disertè dicit, licet illis temporibus iactarentur traditiones Apostolorum de ieiuniis, neminem tamen potuisse ostendere scriptum aliquod mandatum, sed Apostolos tales ritus & observationes cuiusq; sententiæ & arbitrio liberas reliquisse. Vnde rectissimè colligitur, quo loco habenda sint illa, quæ sub Apostolorum nomine, titulo canonum & constitutionum, scripta nunc circumferuntur, quæq; de legibus ieiuniorum, scriptis vetustiorum patrum admixta sunt, Ecclesia enim circa annum 440. illas leges non agnovit.

Socrates historicus de ieiunio.

Locus

Locus autem Socratis libr. 5. cap. 22. sic habet: Qui in eadem fide consentiunt, in ritibus seu ceremoniis inter se discrepant. Vt jejunia ante Pascha ab aliis aliter observari inveniuntur. Nam qui Romę sunt, tres septimanas ante Pascha, sabbato & dominica exceptis jejunant, Græci verò, Illyrici & Alexandrini, ante sex septimanas jejunium, quod ante Pascha fit, jejunant, Quadragesimam appellantes. Præter hos alii septem septimanis ante festum initium jejunandi faciunt, & quamvis solos quindecim dies ex certis intervallis jejunent, nihilominus tamen & ipsi tempus illud Quadragesimam vocant. Et mirandum est, cùm de numero dierum discrepent, quomodo tamen omnes tempus illud Quadragesimam appellent. Et rationem appellationis alii aliam (ἐγερσιλογάνται) à seipsis excogitatam reddunt. Nec de numero dierum solùm discrepant, sed & abstinentiam ciborum non similem seu eandem servant.

Quadragesimæ diversitas.

Rationes excogitatæ.

Abstinentia diversitas.

Alii enim omnino ab animatis abstinent, alii inter animantia solos pisces comedunt. Alii cum piscibus volucres etiã manducant, quia ex aquis utraq; sint orta. Alii à baccis & ovis abstinent. Alii arido pane solo vescuntur. Alii ne illo quidẽ. Sunt qui cùm ad horã nonam usq; jejunaverint, indifferenter utuntur cibis. Et alia ratione apud alias gentes jejunatur, cuius rei infinitæ sunt causæ. Et quoniam de hac re nemo potest ostendere (ἐγγραφῳ παράγγελμα) scriptum aliquod mandatum, perspicuum est quòd Apostoli liberã potestatẽ hac in re cuiusq; sententiæ & arbitrio permiserunt (τῇ ἑκάστου γνώμῃ καὶ προαιρέσει ἐπέτρεψαν) ut quisque nec metu nec ex necessitate quod bonum sit, ageret. Eadem Sozomenus etjam repetit, lib. 7. cap. 19.

Nullum extat mandatum scriptũ.

Liberæ observationes.

Prosperi verò sententiæ de jejunio ideo diligentius sunt observãdæ, eius enim tempore Leo Pontifex leges jejuniorum cum opinione necessitatis & meritorum magna contentione urgere cœpit, sicut suprà quasdam ipsius sententias adscripsimus. Prosper itaque contrà opinionem operis operati opposuit Scripturę sententiam de veris jejunii finibus, ut de vita contemplativa, libro 2. cap. 17. A cibis concessis se continere, abstinentia quidem est, sed carnalis & imperfecta. Ea autem spiritualis & perfecta censenda est abstinentia, quæ abstinentem tàm ab illecebris carnalium voluptatum, quàm à peccatis omnibus facit alienum. Et cap. 21. Membra sua, quæ sunt supra terram, mortificant, quando insolens corpus jejuniorum cõtinuatione castigant, quando intra necessarium modum, suum temperant appetitum, certi quòd nec delitiæ quælibet, si absq; desiderio percipiantur, officiũt, & viles cibi plerunq; abstinentiæ profectum, si appetenter accipiantur, impediunt. Vnde datur intelligi, quod veraciter abstinentes, escarum non naturas, sed concupiscentias damnent. Quia autem non solùm à qualitate, sed etjam à quantitate ciborum cupiũt abstinere, nihil aliud student, quàm ut appetitus suos nõ expleant, sed comprimant, &c. cap. 23. Cæterùm si à quadrupedibus abstinentes, altilibus, vel aliis avibus preciosis, vel piscibus perfruantur, non mihi videntur refecare voluptates, sed mutare, nec pro abstinentia, sed pro delitiis communes ac viles carnes abjicere, quò delicatioribus possint suas voluptates explere: cùm non aliquarum carnium nobis naturæ damnandæ sint, sed carnales concupiscentiæ fugiendæ. Et spiritualis abstinentia non aliquorum ciborum usum, sed desiderium suadeat cõpescendum, cap. 24. Veruntamẽ sic abstinere vel jejunare debemus, ut non nos jejunandi vel abstinendi necessitati subdamus, cùm fine abstinentia quemlibet hominem catholicum caritas sola perficiat, & omnis abstinentia, aut perdat fine adjunctione charitatis, aut pereat. Quia ergo abstinere aut jejunare etjam hæretici possunt, corpora sua panis & aquæ perceptione afficientes, non pro magno ducamus, quando ab illis, quę ipsi quoq; rejiciunt, abstinemus, sed quando abstinentiam nostram fides commendat, charitasq; consummat. Ipsis verò catholicis Christianis, qui sive non valendo sive nolendo abstinere, omnia usui nostro concessa, cũ gratiarum actione percipiunt, non nos propter abstinentiã præferamus, ne fortè plus virtutum habeant illi, unde nobis abstinentibus jure præferantur. Quocirca si volumus abstinentiam nostrã jejuniaq; nostra perficere, ab omnibus vitiis discedamus. Quia tunc nobis proderit, quòd corpora nostra, vel certè corporum incentiva, rigore districtioris abstinentiæ castigamus, si carnalibus desideriis absoluti sanctis virtutibus floreamus, &c.

Prosper Leonis tempore.

Abstinentia vera.

Finis ieiuniorum.

Delicata ieiunia.

Prosper contra delectum ciborum.

Contra necessitatem ieiuniorum.

Contra opus operatum ieiunij.

Libertas abstinentiæ.

Finis ieiunij.

Hæ observationes historicæ jucundæ profectò & utiles sunt, monstrantes, quomodo pullulantibus superstitiosis opinionibus de jejunio Deus subinde testes aliquos veritatis excitarit, qui superstitiones reprehenderũt & refutãrunt, hac simul doctrinam & exercitia veri jejunii ad fontes & fundamenta Scripturæ reducere conati fuerunt, alii aliis vel nervosius & vehementius vel modestius, & languidius, ut ita in historia conspiciatur, perpetuum quasi certamen superstitionis & veræ pietatis. Quando enim vel ex vulgo vel ex Patribus quidam inclinationem ali quam ad superstitiones faciebant, opposuit Deus alios, qui exorbitationes illas corrigere, & ad regiam Scripturæ Canonicæ viam reducere conati fuerunt, sicut hactenus in hac de jejunio historia ostendimus.

Capita huius historiæ.

QVOMODO AB ANNO DOMINI 460. cum non essent qui contradicerent, superstitiosæ leges & opiniones de ieiunio, per Pontificum & conciliorum decreta cumulatæ sint, donec scholastica Theologia inde extructa est.

HActenus igitur usq; ad annum Domini 450. ostendimus, quòd leges jejuniorũ in opinionibus necessitatis & meritorum, sæpius quidem & variè tentatæ, semper autẽ repressæ & refutatę fuerint, singulis enim illis temporibus semper fuerunt, qui mõstrata vera verbi Dei de jejuniis sententia, superstitionibus contradixerunt, & libertatem Christianam defenderunt. Ab hoc verò tempore, extinctis Ecclesię luminaribus, cùm vix inveniretur aliquis, qui libertatis & veritatis patrocinium contra superstitiosas leges susci-

Inclinatio ad superstitiosas leges et opiniones.

Universidad de Deusto
Biblioteca

re vel posset vel auderet, cumulatę illę, & per Romanorum Pontificũ rescripta, per posteriorum conciliorum decreta, & per Monachorum constitutiones, stabilitæ sunt, ita ut maxima pars cultus in illis observationibus consumeretur, quę & mandatis Dei præferebantur, & meritum gratiæ & remissionis peccatorum, cum contumelia Christi, sibi vendicabant, sicut ex scholastica Theologia, quæ inde enata est, suprà ostendimus. Sequentium igitur temporum historiam ex Leonis sermonibus, & ex illis, qui postea leges & constitutiones illas in decretis collegerunt, breviter perstringemus.

Leo de ieiuniis quatuor temporum.

Leo itaq, quem Magnũ vocant, circa annum Domini 460. solennia jejunia quater in anno publicè indixit & mandavit, jejunium scilicet Quadragesimæ, Pentecostes, septimi mensis & decimi, de illorum enim temporum jejuniis extant multi sermones Leonis. Et de jejunio quidem septimi mensis & decimi non dissimulat, ex sinistra æmulatione Iudaicarum observationum, Zachar. 8. illa sumpta esse. Dicit enim sermone 4. de jejunio septimi mensis. Quando vos ad quæ dam, quæ in veteri Testamento instituta fuerũt, cohortamur, non Iudaicæ observantiæ jugo vos subdimus, licet enim in temporibus conveniat, non tamen concordat in moribus. Sed hæc elusio non solvit argumentum de abrogatione observationum veteris Testamenti, Galat. 4. & Co-

Chrysostom. de parte diei festi.

los. 2. Et Chrysostomus explicans locum Pauli, Galat. 4. annotat Paulum ideo dixisse (in parte diei festi) ut ostenderet, se arguere eos, qui etiam si non per omnia, sed tantum in parte aliqua, observationes veteris Testamenti conscientiis in novo Testamento imponere volebant. Quadragesimæ verò & Pentecostes jejunia Leo dicit Apostolorum traditione, de Paracleti magisterio instituta. Sed hactenus liquido ostendimus, falsum hoc esse, nisi quis Montanici Paracleti magisterium & disciplinam, cui Leonis leges de jejuniis non malè conveniunt, intelligat. Leo autem ut suis persuaderet, legale hoc jugum suscipere, tribuit jejunio reconciliationem & propitiationem Dei culparum redemptionem, & peccatorum remissionem, sicut in præcedentibus tales Leonis sententias adscripsimus. In illis verò mensibus jejunârunt quarta feria & sexta, sabbato verò ad vigilias convenerunt. Hoc enim Leo semper repetit. Quarta & sexta feria jejunemus, sabbato verò apud beatum Petrum pariter vigilemus.

Paracletus.

Leo de meritis ieiunij.

In hisce verò humanarum traditionum sive constitutionibus sive observationibus, non inutile erit ostendere fuisse magnas diversitates, quæ sæpius mutatæ, variatæ & cumulatæ fuerũt, donec tandem in leges rigidissimas evaserunt. Apud Gratianum distinct. 76. traditur antea ter in anno jejunia celebrata, postea verò factainde quatuor temporum jejunia. Elibertinum concilium cap. 23. statuit singulis mensibus, excepto Iulio & Augusto, talia jejunia celebranda. Rabanus de institutione clericorum libr. 2. cap. 24. dicit, quatuor illis temporibus sabbatis specialia jejunia fuisse constituta, in mense Martio primo sabbato, in Iunio secundo sabbato, in Septembri tertio sabbato, in Decembri quarto sabbato, an-

Ieiunia triũ temporũ, postea quatuor

Singulorum mensium ieiunia.

Ieiunia quatuor temporum unde.

Nota.

te quæ sabbata feria quarta & sexta legitima jejunia præcesserint. Addit autem, quod memorabile est, causam & originem illorum jejuniorum hanc fuisse, quòd Gelasius constituerit, illis diebus ordinationes presbyterorum & diaconorum debere fieri. Cumq primùm in ordinationibus, exemplo Apostolorum Actorum 13. & 14. propter preces ardentiores adhiberentur jejunia: Postea factum est inde opus operatum & lex generalis, etiam cùm non celebrarentur ordinationes. Idem Rabanus capite 17. inter jejunium & stationem ita distinguit, ut jejunium sit abstinentia cuiuslibet diei, non per legem, sed secundum propriam voluntatem. Statio verò sit observatio statutorum dierum vel temporum, ut quartæ & sextæ feriæ, jejunium ex vetere lege præceptum, juxta dictum, Jejuno bis in sabbato, id est, quarta & sexta sabbati. Quæso autem Lectorem ut hanc rationem benè consideret & expendat.

Discrimẽ inter ieiunium & stationẽ.

Burchardus libr. 13. ex Aurelianensi concilio citat constitutionem de triduano jejunio rogationum ante festum Ascensionis. Ex Moguntinensi verò citat constitutionem, ut Litania major, à cunctis Christianis, uno die, scilicet septimo Calendas Majas, cum jejunio observaretur. Ex Gregorio Magno describit, Quadragesimam ideo observandam, ut sit persolutio decimarum totius anni. Ex Aurelianensi concilio describit constitutionem de jejunio vigiliarum in festivitatibus sanctorum. Nocturni enim conventus in sanctorum festivitatibus, mutati postea sunt in pridiana jejunia, & præcedentis diei manfit appellatio vigiliarum. Et capite 2. tradit, in Moguntinensi synodo constitutum, ut diebus jejuniorum, hora nona cum litaniis ad Missarum solennia convenirent. Cap. 12. dicit, in Quadragesima non nona hora, sed post vespertinum officium manducandum.

Ieiunium rogationum.

Ieiunium vigiliarum.

Missa circa tempus vespertinum in ieiuniis.

Gratianus de consecrat. distinct. 3. citat constitutionem Innocentii, quod omnino singulis sabbatis sit jejunandum. Quam legem Augustinus prolixa disputatione ad Consulanum refutat. Et sexta universalis synodus can. 55. Romanorum observationem, quòd per Quadragesimam sabbatis jejunabat, reprehendit & improbat. Gratianus verò de consecrat. distinct. 5. citat cõstitutionẽ Gregorii Septimi, ut diebus sabbati omnes Christiani à carnium esu abstineant. Monachis verò in perpetuum prohibuit esum carniũ. dist. 4. sub Gregorii Magni nomine in Quadragesima prohibet usum lacticiniorum & ovorum, sed sexta synodus circa annum 680. fatetur canone 56. in Armenia & in aliis locis, quosdam in Quadragesima, sabbatis & Dominicis, ova & caseum comedisse, quod canone illo tunc prohibebatur. Accesit et jam vulgi superstitio, sicut Nicephorus lib. 17. cap. 32. hoc exemplum describit, cum Constantinopolis in magna rerum inopia, Imperator Iustinianus, ex Christiana libertate, in Quadragesima jussisset carnes venales in foro proponi, populus eas nec emebat nec edebat. Paulus Diaconus addit, venditores carnium à vulgo interfectos.

Nota de ieiunio sabbati.

Prohibitio lacticiniorum.

Exemplum superstitionis vulgi.

Porrò varia & mirabilia superstitiosæ & prodigiosæ abstinentiæ illorum temporũ exempla, sive

sive facta extant, quæ omnia huc referre non est animus, superstitio enim semel admissa, in infinitas se vertit formas, ut tandem, ubi consistat, non inveniat, adeò, ut tres quadragesimæ à Hieronymo in Montanistis antea publicè damnatę, postea singularis pietatis titulũ sibi vendicârint, sicut Beda in historia Anglica celebrat Monachũ quendam Ecbrechtum, qui tres in anno quadragesimas cum suis observârit, unum ante Pascha, alterum ante Pentecosten, tertium ante natalem Domini. Et alium celebrat Episcopum, qui duas ex illis celebrandas constituerit.

Tres Quadragesimæ.

Opiniones verò de meritis jejunii, unà cum constitutionibus seu legibus, subinde magis magisq cumulatæ sunt, sicut suprà annotavimus. Bernhardus sentire, quòd jejunium sit satisfactio pro peccatis, pro quo ea quæ commissimus condonentur, & peccata remittantur. Item jejunium obtinere veniam, promereri gratiam & coelo dimere æterna supplicia. Gratianus dist. 13. quæstio. 2. dicit, jejunia vivent ium, esse defunctorum auxilia. Sed non opus est in posterioribus illis seculis, singulorum vel temporum vel autorum sive constitutiones & leges de temporibus jejuniorum & cibis, sive opiniones de meritis jejuniorum, ordine & prolixè percensere. Scholastici enim Doctores illa omnia in suis summis complexi sunt. Et quia suprà peculiari loco, Scholasticorum doctrinam de jejunio exposuimus, ut hoc loco eam repetere non sit opus: Finem igitur jam faciam, & historicam hanc de jejunio commemorationem concludam, remittens Lectorem ad ea, quæ suprà ex Scholasticis & aliis Pontificiis scriptoribus annotavimus.

Bernhardus de meritis ieiunij.

Gratianus.

Scholasticorum doctrina de ieiunio.

DE FESTIS.

QVòd decretum Tridentinum dicit, dierum festorum devotam & religiosam observationem, facere ad augendam pietatem: Non potest rectius explicari, quàm si primò ostendatur antithesis, inter pædagogicam servitutem veteris, & inter Christianam libertatem novi Testamenti, quod ad annos, menses & dies, hoc est, quod ad festa attinet. II. Si primitivæ Ecclesiæ observationes considerentur. III. Si ostendatur, qui abusus, & quæ superstitiosæ opiniones, in celebrationes festorum irrepserint. Ita enim juxta Ieremiam preciosum à vili separari poterit, & ostendi, quæ festa, & qua religione in nostris Ecclesiæ serventur.

SCRIPTVRAE SENTENTIA ET DOctrina, de diebus festis, qualis fuerit in veteri Testamento, & qualis sit in novo.

IN veteri igitur Testamento Deus pædagogicas commonefactiones & significationes de beneficiis & promissionibus divinis, de cultu Dei, de exercitiis pietatis, & de salute vitæ æternæ, per tempora, annos, menses & dies, ita distribuit, ut certis & statutis temporibus populus ad auditum verbi, ad meditationem beneficiorũ & promissionum Dei, ad preces, laudes, gratiarum actiones, & publica exercitia cultus Dei & pietatis, conveniret. Ita singulis diebus, mane & vesperi ad petendam & celebrandam gubernatio-

Veteris Testamenti festa.

Mane & vesperi.

nem & protectionem divinam in quotidianis vitæ hujus negotiis, & ad petendam remissionem peccatorum ac Spiritus sancti gratiam, conventus Ecclesiastici habebantur. Deinde inter septimanæ dies fuit sabbati festivitas constituta, ad commonefactionem beneficiorum Dei in creatione & sustentatione rerum, Exo. 20. in memoriam admirandæ liberationis ex servitute AEgyptiaca, Deut. 5. in signum sanctificationis, Ezech. 20. & ad significandum sabbatum interius seu spirituale & æternum, Ebræ. 4. In mensibus constituit neomenias, ut monerentur, astrorum motus, & vices temporum tanquam peculiare opus Dei considerare, utq per singulos menses beneficiorum Dei, & vitę suæ rationem, subducerent. In principio & exitu anni instituit festivitates, ob recordationem & celebrationem beneficiorum, populo in Ecclesia, politia, & Oeconomia, per totum annum à DEO præstitorum.

Sabbatum.

Neomenia.

Paschæ.

Addit certis temporibus anni alias solennitates, de illustrioribus Dei beneficiis, olim populo in eductione ex AEgypto, in introductione in terram promissionis, in promulgatione legis, in constitutione Ecclesiæ & politiæ Israeliticæ, præstitis. Quæ festivitates simulerant significationes & commonefactiones promissionum de futuris beneficiis Messiæ, & de vita æterna. Et propter easdem significationes & commonefactiones, septimo semper & quinquagesimo etiá anno, peculiares institutæ erant festivitates. Postea simili exemplo, in memoriam illustriorũ liberationũ, sub Esther, Iudith, & Macchabæis, alia etiam festa instituta fuerunt. Et Deus festivitates à se institutas, certis ceremonis circumscripsit, quomodo à vespera in vesperam, cum cessatione ab operibus servilibus, & per quot dies, quibus sacrificiis & ritibus, eas vellet celebrare, additis comminationibus pœnarum contra prophanatores. Quæ plenè explicare nõ est hujus loci, tantùm enim propter antithesin inter vetus & novum Testamentum, quod ad festa attinet, hæc breviter hoc loco commemorata sunt.

Pentecostes.

Tabernaculorum, &c.

Iubilæus.

Encænia, etc.

Et Iudæi quidem contendunt, pœdagogiam illam festorum divinitus institutam, necessariò etiam nunc observandam, quia de sabbato Deus dicit, Exod. 31. Pactum hoc est sempiternum inter me & filios Israel, signumq perpetuum. Et de Paschate, Exodi duodecimo. Cultu seu statuto perpetuo celebrabitis, legitimum hoc tibi erit, & filiis tuis in æternum. Ita de reliquis etiam festis, Levit. 25. dicitur, Legitimum & præceptum sempiternum erit in generationibus vestris. Sed quia Ieremiæ 31. prædicitur antiquatio seu abrogatio veteris pacti, & institutio novi. Et Moses ipse de alterius Prophetæ verbo vaticinatur, Deuteron. decimo octavo. Lex igitur & Prophetæ usque ad Ioannem, Matth. 11. Imposita enim fuerunt legalia illa usq ad tempus correctionis, Ebræorum nono. Et lex fuit Pædagogus noster usque ad Christum, postquam verò fides venit, & Deus Filium suum misit, non amplius sumus sub pædagogo, nec in servitute sub elementis mundi, Galat. 3. & 4. Fuerunt autem festa pars elementorum pædagogiæ legis, de quibus Paulus differè dicit, Galat. 4. Dies observatis & Men-

An lex de festis perpetua

Abrogatio eorum, quæ ad vetus Testamentum pertinent.

Festorũ abrogatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Menses, & tempora & annos, metuo ne frustrà laboraverim in vobis. Et Coloss. 2. Nemo vos iudicet in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.

De vocabulis perpetuitatis apud Ebræos.

Quod igitur ad dicta Mosaica attinet, Burgensis eruditè ostendit, in lingua Ebræa dictiones quasdam significare perpetuitatem absolutam sine fine, ut נצח, & quando particula ע vel geminatur vel iungitur Præpositioni vel dictioni עולם. Quando verò dictio עולם vel sola ponitur, vel præcedente ל, tunc significare perpetuitatem, secundum conditionem rei cui adiungitur, ut quando Scriptura dicit, In æternum verbum tuum permanet. Item: Veritas Domini manet in æternum. Ibi significat perpetuitatem æternam sine fine. Quando verò dictio illa prædicatur de re, cuius duratio est periodica, & ambitu quodam temporis limitata, tunc significat perpetuitatem non absolutam sed periodicam, sicut Latini vocant seculum seu ætatem alicuius rei. Ita Deuter. 15. de servo, qui anno septimo non vult liber exire, dicitur, Serviet tibi in æternum, hoc est, per totam suæ vitæ periodum, vel usq; ad annum Iubilæum. 1. Reg. 1. Samuel manebit in tabernaculo Domini usq; in seculum, hoc est, usque ad annum 50. quod erat seculum ministerii Levitarum, Num. 8. vel, sicut Hanna ipsa declarat, omnibus diebus vitæ suæ. Cùm itaque periodus durationis & observationis ceremoniarum veteris Testamenti adventu Messiæ in carnem in scripturis limitata & circumscripta sit, manifestum est, qualis perpetuitas intelligenda sit in dictis Mosis, scilicet usq; ad Christum, hoc enim est seculum legis seu Mosaicũ, sicut ipsi Rabini, dies novissimos, seu seculum nouissimũ & futurum, appellant tempus Messiæ. Item: duo millia anne, duo millia Lex, duo millia Messias. Vtque intelligeretur, statuta illa Mosaica, nec perpetua esse, nec omnes homines obligare, ideo additur, Perpetua erunt inter filios Israel, in habitaculis & generationibus vestris.

Olam seu seculum Levit. ceremon.

Quia verò de abrogatione Leviticorum festorum in novo Testamento cõstat, videndum iam est, quid & quomodo sit abrogatum. In veteri enim Testamento, in festis populus conveniebat in cœtum, sabbatis legebatur Moses, Actor. 15. & fiebant preces communes, Lu. 1. Psalmi, Hymni, gratiarum actiones celebrabantur, 1. Paralip. 25. Et breviter festa illa sanctificabãtur, hoc est, tempus illud in sancta pietatis exercitia sepositis impedimentis & avocamentis negotiorum seculi, impendebatur. Hoc certè genus in novo Testamento non est abrogatum. Nam & ad Christum populus sæpius convenit, ad audiendum verbum Dei. Et Apostoli cum suis convenerunt in unum ad audiendum sermonem Dei, ad usum Eucharistiæ, & ad reliqua, quæ ad λειτουργίαν, hoc est, ad publicum munus ministerii pertinẽt, Actor. 13. & 29. 1. Cor. 11. In cœtu illo administrârunt baptismum, Actor. 10. factæ ibi fuerunt obsecrationes, deprecationes, interpellationes & gratiarum actiones, 1. Timot. 2. & 1. Cor. 14. usi ibi fuerunt canticis, Psalmis, Hymnis, & Benedictionibus, 1. Corinth. 14. & finis concionum in illis conventibus ibi pulchrè describitur, ut omnes

Quæ sunt sanctificationi retinentur in novo Testamento.

instituantur, discant, coarguantur, exhortationem & consolationem accipiant. In illis conventibus contulerunt etiam & distribuerunt Eleemosynas pro pauperibus, Actor. 2. 1. Cor. 16. Hoc certè genus sanctificationis sabbati adeo non est abrogatum in novo Testamento, ut Apostolus Ebræorum 10. dicat, illam (ἐπισυναγωγὴν) mutuam congregationem, non esse deserendam, sed colendam ad mutuam exhortationem & provocationem, ad tenendam cõfessionem spei, & charitatem & bona opera. Et Matthæi 18. Christus hujusmodi conventibus præsentiam suam & gratiam promittit.

Quid sit, speciem abrogatam esse, non genus.

Et hoc est, quod usitatè ac rectè dicitur, Novum Testamentum, in præcepto de sanctificatione sabbati, non genus quod mortale est, sed speciem quæ ceremonialis est, abrogasse quod scilicet conventus illi expresso mandato Dei in veteri Testamento ad certas circumstantias temporum determinati & allegati erãt, quo scilicet die celebrandum esset sabbatum, quibus mensibus, quoto die mensis, & per quot dies reliqua festa essent celebranda, quando inchoanda & finienda, à vespera scilicet in vesperam, quæ festa Ierosolymis tantùm celebranda essent, & quæ alibi possent celebrari, quibus ritibus in celebratione festorum esset utendum, quodq; ab aliis operib. ita esset abstinendum, ut sabbato ne quidem liceret extra locum progredi, Exod. 16. nisi per iter Sabbati, nec ignem succendere, Exod. 35. Et harũ circumstantiarum observatio, extra casum necessitatis, ex mandato Dei erat necessaria, pro cõscientiis imposita sub peccato mortali, & pœna damnationis. Illæ igitur circumstantiæ, & necessariæ earum observationes, conscientiis in novo Testamento abrogatæ sunt. Non ita autem abrogatæ sunt illæ circumstantiæ, quasi in novo Testamento, absque ordine, meræ debeant esse confusiones in conventibus Ecclesiasticis. Paulus enim in hujusmodi circumstantiis libertatem conscientiarum ita asserit, ut tamen velit in Ecclesiasticis cõventibus omnia ordine fieri, & ita decenter, ut serviant ædificationi, & sint incitamenta & retinacula pietatis, ac testimonia quòd Deus revera sit in medio nostri. Non enim confusionis Deus est, sed pacis, 1. Corinth. 14. & Coloss. 2. Gaudeo videns vestrum ordinem. Ita Christus in sabbatis & in reliquis festis, & ipse docuit, & concionibus interfuit. Vt autem ostenderet, se illud liberè & non ex necessitate facere, contra opinionem necessitatis, de abrogatione sabbati Mosaici, & verbo docuit, cùm diceret Filium hominis Dominum esse Sabbati, & factis sæpius libertatem illam testatam fecit, cùm sabbatis sanaret, & discipulos spicas in sabbato confricantes, defenderet. Atque ideo etiam, conventus suos ad docendum verbum, aliis sæpius diebus extra sabbatum celebravit. Atque labores, qui in casu necessitatis & charitatis, in ipso sabbato suscipiebantur, nõ damnavit, tantum illas operas externas, quæ ministerium & sanctificationem turbant & impediunt, prohibitas esse ostendit, cùm Mar. 11. docens in templo, non permitteret ut quisquam vas deportaret per templum, eò quòd scriptum sit, Domus mea domus orationis est. Ipse verò suo exemplo ostendit, quomodo

Ordo & decorum in conventibus Ecclesiasticis.

Libertas sabbati.

Quæ opera prohibita.

Quæ sanctificatio.

quomodo tempus conventuũ Ecclesiasticorum ad sanctificationem esset conferendum. Cùm enim ipse docuisset, postea soluto conventu, privatim discipulos examinabat & rectius instituebat, Mar. 4. & Lu. 14. a cõcione digressus, ad prandium concionem repetit, usum doctrinæ ostendit, & vera pietatis exercitia præmonstrat. Inde rectissimè potest colligi, qua libertate, devotione & religione, sabbatum in novo Testamento sit sanctificandum.

Libertas dierum.

Eodem modo, Apostoli primùm tolerârunt infirmitatem fideiilliorum, qui sine superstitione Mosaicos dies observabant, Roma. 14. ubi addit, firmiores in fide judicasse, post abrogationẽ veteris Testamenti, omnes dies per se esse æquales, nec unum alio esse sanctiorem. Ostenderunt etiam Apostoli suo exemplo, in novo Testamento liberum esse, vel singulis diebus, vel quocunq; die commodum videretur, ad tractandum verbum & Sacramenta, & ad publica seu communia pietatis exercitia, convenire. Ita die sabbati docuerunt, Acto. 13. 16. 17. & 18. Et quia in festis multitudo frequẽs conveniebat, Paulus hac occasione usurus ad propagationem Evangelii, dicit se velle diem Pentecostes agere Hierosolymis. Præterea ut ostenderent, exercitia Ecclesiasticorum conventuum in novo Testamento non esse alligata ad certos dies, ipsi quotidie perseverârunt in doctrina Apostolorũ, in communicatione, & fractione panis, & precationibus. Et Acto. 5. Non cessabant omni die docere, & in templo, & in domibus. Ita Paulus 1. Corint. 5. ostendit, Pascha Iudaicum ita esse abrogatum, ut illud, cujus commonefactionis & significationis gratia vetus Pascha celebrabatur, quotidie nobis in novo Testamento sit cogitandum & agendum. Nam & Pascha, inquit, nostrum pro nobis immolatus est Christus. Itaque festum celebremus, non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis syncerit atis & veritatis.

Apostoli quotidianas Synaxes.

Observatio sabbati quãdo & cur omissa.

Cùm verò postea Pseudoapostoli liberas illas observationes sabbati Mosaici, & aliorum festorum, tanquam ex lege, opinione necessitatis ita urgerent, ut conscientias non observantium judicarent, Paulus dicit, nõ esse observandos dies, mẽses & annos, sed standum in ea libertate, qua Christus nos liberavit, ne rursus jugo servitutis implicemur, Galat. 4. & 5. Nec permittendum esse, ut aliquis nos judicet in sabbatis vel festis, Coloss. 2. Et tunc, atque ea occasione, contra opinionem necessitatis, in publicum testimonium abrogationis festorum Mosaicorum, & libertatis novi Testamenti, cùm ordinis gratia dies aliquis ad conventus Ecclesiasticos liberè esset eligendus, noluerunt Apostoli simpliciter sabbati diem retinere, sed prima sabbatorum convenerunt ad frangendum panem, & ad audiendum verbum, Actor. 20. Et prima sabbatorũ conferebant Eleemosynas, quæ pars erat actionum in cõventibus Ecclesiasticis, 1. Cor. 16. Quia enim prima sabbatorum Christus à morte resurrexerat, Marci 16. ob memoriam igitur resurrectionis, qua Christus in gloriam regni novi Testamenti intravit, visa fuit illa dies commodior ad conventus Ecclesiasticos in novo Testamento. Et hæc videtur dies illa esse, quæ Apocalyp. 1. (κυριακὴ) vocatur

Synaxes prima sabbatorum.

Dominica dies nominata.

Dominica dies sine lege præcepti.

Dominica, quam appellationem tota postea vetustas retinuit & usurpavit. Nec tamen Apostoli, vel lege aliqua vel præcepto, eius diei observationem, opinione necessitatis, conscientiis in novo Testamento leguntur imposuisse, sed libera fuit observatio, ordinis gratia: Si enim ab Elementis, quæ divinitus in veteri Testamento instituta & mandata fuerant, liberati sumus, quomodo hominum decretis teneremur, Coloss. 2. Nam & in alio casu dicit Paulus: Præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Quid verò Apostolica Ecclesia in conventibus Ecclesiasticis egerit, paulò antè monstratis locis ostendimus. Atq; hæc sunt, quæ in scriptura novi Testamenti ad festa pertinentia, tradita sunt, juxta quam normam, ut devota & religiosa festorum celebratio, ad augendam pietatem, restituatur, nemo improbat, sed omnes pii optant.

HISTORIA PRIMITIVAE ECclesiæ de festis & eorum observatione.

VT tota res de libertate & vera observatione festorum in novo Testamento eo fiat planior, & antithesis eò rectius possit intelligi, brevẽ adjiciemus annotationem, de Festis & eorum observatione in primitiva Ecclesia, post tempora Apostolorum. Et ordine notabimus, quæ & quam pauca primitiva illa Ecclesia festa habuerit, & quomodo ea celebrârit.

Primo igitur constat, vetustissimã Ecclesiam post Apostolorum tempora, Dominica die conventus Ecclesiasticos celebrasse. Dionysius enim Corinthius apud Eusebium, lib. 4. cap. 23. inquit: τὴν σήμερον κυριακὴν ἁγίαν ἡμέραν διανυομεν. Hodie sacrũ diem Dominicũ celebravimus. Tertullianus libro de Idololatria, inter solennitates Christianorũ, primo loco nominat diem dominicum, & dicit, Christianis octavo quoq; die festum seu solennitatem esse. Et in Apologetico exercitia Christianorum, in congregationibus illis festivis ita describit: Comtus inquit in cœtum, ut ad DEVM quasi manu facta precationibus ambiamus, orantes, Comtus ad divinarum literarum commemorationem, fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, siduciam figimus, disciplinam præceptorum inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes & censura divina, si quis ita deliquerit, ut à conjunctione relegetur. Modicam unusquisq; stipem pro pauperibus apponit, &c. Ita Iustinus Apologia secunda, non tantùm nominat diem illum, sed quomodo celebratus fuerit ostendit, omnes, inquit, & urbani & rustici ex agris, conveniunt in unum, & Primò leguntur scripta Prophetica & Apostolica. II. Præses habet orationem monitoriam & exhortationem, ut bona quæ lecta sunt imitentur. III. Cœtus omnis consurgit ad preces. IIII. Celebratur communio Eucharistiæ. V. Conferuntur eleemosynæ κατὰ προαίρεσιν cuiusque in subsidium pauperum, pupillorum, ægrotantium, exulum, &c. Et rationem, quare illo potissimum die in cœtum coierint, Iustinus hanc reddit, quia die solis DEVS mundum creârit, & CHRISTVS

Dominicus dies in primitiva Ecclesia.

Octavus dies

Tertullia. de exercitio Dominici diei.

Iustinus de Domini.

Ratio Dominici diei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

STVS eodem die à mortuis resurrexerit. Ignatius ad Magnesios hanc rationē affert, quod quidam sub professione Christiana, adhuc Iudaismum, qui abrogatus esse debebat, in animo habuerint. Non amplius itaq; judaicum sabbatum, inquit, celebremus, sed πᾶς φιλόχριστος ἑορτάζετω τὴν κυριακήν, τὴν ἀναστάσιμον, τὴν βασιλίδα τῶν ὑπάντων πασῶν τῶν ἡμερῶν, ἐν ᾗ καὶ ἡ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλε, καὶ τὸ θάνατος ἐγένετο νίκην χριστῷ, οὗ ἀρνοῦνται τέκνα ἀπολείας. Omnis, qui CHRISTVM amat, festū celebret Dominicā diem, resurrectione insignem, quæ suprema & regina est omnū dierū, in qua mors devicta, & vita nostra exorta est in Christo, quē filii perditionis negāt, &c. Propter illos igitur, qui Iudaismi abrogationē, & resurrectionē Christi negabant, Christiani loco sabbati Dominicum diem sumpserunt. Et quomodo Christiani tunc celebrârint Dominicam diem, ignatius ita explicat: Non amplius Iudaico more sabbatum celebremus, ocio vacantes, qui enim non laborat, non manducet, &: In labore vultus tui manducabis panem tuum. Sed unusquisq; nostrûm sabbatum celebret spiritualiter, meditationi legis divinæ operam dans, non corporis mundi gentiæ (σὺ μὴ ῥυᾶς) opus creationis & administrationis divinæ cum admiratione considerans, & in tali sabbatismo celebret quisque Dominicam, Et paulò antè dicit, Omnes in unum simul ad precationem cōveniatis. Vna sit communis oratio, una mens, una spes, in dilectione & fide in Christum. Augustinus epist. 119. Dies Dominicus Christianis resurrectione Domini declaratus est, & ex illo cœpit habere fest. vitatem suam. De civitate libr. 22. cap. 30. Dominicus dies Christi resurrectione sacratus, æternam nō solùm spiritus, verùm etiā corporis requiem præfigurat. De verbis Apostoli Serm. 15. Domini resuscitatio promisit nobis æternū diem, & consecravit nobis Dominicum diem, qui Dominicus vocatur, quia eo die Dominus resurrexit. Cyrillus in Ioan. libr. 12. cap. 58. Diem octavum, quo Christus Thomæ apparuit, Dominicū diem esse necesse est. Iure igitur sanctæ congregationes die octavo in Ecclesiis fiunt, &c.

Ignatius de die Dominico.

Augustinus.

Cyrillus.

Liberam autem fuisse illam observationem, inde non obscurè colligitur, quod præter Dominicum diem, quarta etiā & sexta feria, sicut Epiphanius scribit, celebrârunt (συνάξεις) conventus Ecclesiasticos, ad auditum verbi, ad usum Sacramentorum, & ad preces communes. Et Augustinus Epistol. 118. Alii quotidie communicant corpori & sanguini Dominico. Alii certis diebus accipiunt. Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur. Alibi sabbato tantùm & Dominico. Alibi tantùm Dominico. Totum hoc genus rerum liberas habet observationes. Ita Sozomenus lib. 2. c. 19. Constantinopoli, & apud alios ferè oēs, sabbato & prima sabbati, ἐκκλησιάζουσι, Ecclesiasticos conventus celebrant. Et Eusebius de vita Constantini lib. 4. scribit, Constantinum statuisse, ut Dominicum diem, & eum qui sabbatum antecedit, omnes venerarentur, ob memoriam earum rerum, quæ iis diebus à communi omnium nostrum Servatore fuerunt gestæ. Et Sozomenus libr. 1. cap. 8. dicit, Constantinum legem tulisse, ut tum die Dominico, quia in eo Christus resurrexit, tum die qui sabbatū antecedit, quia in eo Christus crucifixus fuit, omnes à judicialibus & aliis negotiis obeundis vacarent, precibus verò & supplicationibus Deum colerent.

Synaxes 4. & 6. feria.

Quotidie.

Sabbato.

Dies Veneris festivus.

Secundò, celebrationis seu observationis festi Pascha frequens fit mentio in historia primitivæ Ecclesiæ, præcipuè verò in celebri illa apud Eusebium lib. 5. cap. 23. & 24. historia. Et quidam per Pascha intellexerunt non tantùm resurrectionis, verùm etiam passionis seu crucifixionis memoriam. Ita hebdomadam passionis, quę aliis sancta seu magna appellatur, Epiphanius vocat Paschatis hebdomadam, cuius peculiaria jejunia describit. Alii, ut Episcopi apud Eusebium, mysterium seu diem resurrectionis vocabant Pascha. Et propter meditationem passionis Christi usitata tunc fuisse jejunia, in præcedenti loco diximus: Ipso verò die resurrectionis solvebatur jejunium, Eusebius libr. 4. cap. 22. Et vigiliarum Paschæ meminit Eusebius libro 6. cap. 9. Tertullianus libro 2. ad uxorem, nominat abnoctationem solennibus Paschæ. Hieron. in cap. 25. Matthæi scribit, in die vigiliarum Paschę, ante noctis dimidium populos non dimissos. Et Eusebius de vita Constantini libro 4. scribit, Constantinum Paschales illas pervigilationes ornasse lampadibus, accendens per totam urbem columnas seu moles (κίονας enim vocat) cereorum. Atque inde absque dubio cerei Paschalis ritus emanavit ad posteros, & ad aliam postea superstitionem trâslatus fuit.

Festum Paschatis.

Vigiliæ Paschæ.

Cereus Paschalis unde.

Porrò & illas observationes Paschatis liberas fuisse, ex magna observationis varietate constat. Asiatici enim semper decimaquarta Luna, quando Iudæi azyma præparant, celebrant Pascha. Europæi verò, ne quid cum Iudæis videretur commune habere, die Dominica post 14. Lunam. Et Polycrates quidem Asiaticam observationem non tantùm ad traditionem Iohannis, Philippi, Polycarpi, refert, verùm addit etiam, observationem illam esse ex præscripto Evangelii, & secundum Canonem fidei. Victor verò Romanus Europæam observationem, sub pœna excommunicationis, Asiaticis etiam Ecclesiis imponere volebat, tanquam traditionem Petri & Pauli, sicut Sozomenus scribit. Sed Irenæus ex aliis rationibus, & ex Polycarpi exemplo ostendit, observationes illas indifferentes & liberas esse. Et Socrates libr. 5. cap. 22. cùm prolixa disputatione ostendisset, nec Polycratem nec Victorem satis justas causas habuisse de festo Paschatis tā odiosè digladiandi, addit, Nec Apostolum nec Evangelia tale jugum servitutis conversis imposuisse: Sed homines ob relaxationem à laboribus, & Paschatis festum, & alia festa, in memoriam salutaris passionis, in singulis locis singulos præarbitratu, & consuetudine quadam celebrâsse. Nam neque Servator, inquit, neque Apostoli (νόμῳ τινὶ παραφυλάξαι παρήγγειλαν) lege aliqua illud observandū præceperunt. Neq; pœnam aut supplicium, sicut Lex Mosaica Iudæis, nobis vel Apostoli vel Evangelia ideo cōminantur. Sed historiæ tātùm gratia in Evangeliis scriptum est, Christum tempore azymorum passum esse. Et mox subjungit: Scopus Apostolis præpositus

Asiaticorum Pascha.

Occidentalium.

Prætextus traditionū.

Socratis historia de festis.

Festa non ex præcepto sed libera.

Apostoli non tulerūt leges de festis.

Traditiones non possunt scriptis probari.

Nota bene.

Quomodo ex observationibus leges factæ.

Canon Nicænus de festo Paschatis.

Augustinus.

Paschæ passionis & resurrectionis.

Ephemerides

Epistola Paschales.

Aureus numerus.

Error in celebratione Paschatis.

tus fuit (ὁ περὶ ἡμέρων ἑορτασικῶν νομοθετῶν) nō ut de diebus festis leges sancirent, sed ut rectæ vitæ & pietatis autores essent. Mihi quidem (inquit Historicus) videtur, sicut multa alia, pro locorum diversitate, consuetudine quadam introducta sunt, ita etjam Pascatis festum ex consuetudine quadam apud singulos populos (ἰδιάζασαν) privatā habuisse observationē propterea, quòd nemo Apostolorum cuiquam legem de eo imposuit, vel præscripsit. Et postea dicit. Asiatici quidē suam observationem à Ioāne, Romani verò suā à Petro & Paulo traditam cōtenderunt, sed nemo illorum (ἐγγραφον ἀπόδειξιν) scriptam aliquā de his rebus demonstrationem proferre potest. Et circa finem inquit: Nonnulli qui omnem scortationem indifferentem putant, de festis tanquam de vita decertant, & propter festa se justificari putant. Addit & memorabilem hanc sententiam, οὐ γὰρ τοῦτο παραλαβόντες ὡς νόμον τοῖς ἐπιγινομένοις παρέγραψαν. Qui tales ritus à maioribus accepérunt, eos postea tanquam legem ad posteros transmiserunt.

Postea in Nicena Synodo Constantinus suasit, ut Orientales, qui ex vetere traditione, eodem tempore quo Iudæi Pascha celebrabant, cum pauciores essent, conformitatē cū reliquis Ecclesiis servarent, ac simul oēs, die Dominica post decimamquartam Lunam vernalem, festum Paschatis celebrarent, ne cū Iudæorū perfidia commune aliquid haberet Ecclesia. Epistolæ Concilii & Constantini de hac re extant apud Eusebium, & in Tripartita historia. Et Augustinus dicit Epist. 119. quia inter mortem Christi & resurrectionem ejus medius fuit sabbati dies, quo Iudęi suum Pascha celebrârunt, ideò ut nostra festivitas à Iudæorum festivitate distingueretur, per patrum Cōcilia adjunctam esse illorum etjam dierum observationem, quibus anniversaria memoria passionis, sepulturæ & resurrectionis Christi celebraretur, & Pascha resurrectionis Dominica die observaretur.

Quia verò Ephemeridum usus, a quib. motus Planetarum ad singulos dies supputati monstrātur, illis temporibus nondum fuit, ut nunc, vulgatus. Alexandrino Episcopo hoc negotii datum fuit (quia in AEgypto Mathematica studia semper magis exculta fuerūt) ut ipse aliis Ecclesiis tēpus Paschatis per Epistolam, quā Paschalem nominabant, significaret, sicut hujus argumenti extat Theophili epistola Paschalis. Et in hunc usum excogitatus postea fuit numerus, quem aureum vocant, Calendario inscribendus, qui novilunia & plenilunia mōstraret, ut semper & ubique die Dominica post verum pleniluniū Pascha celebraretur. Et adhuc hodie quidem, Canon computi (ut vocant) Ecclesiastici, est numerus aureus, sed progressu temporis indicatio novilunii per aureum numerum sæpè adeò, jam fallit, ut luna existente in cœlo, vel dimidia, vel plena, aureus numerus, sæpè fingat novilunium, unde contra mētem Nicæni Concilii, sæpius jam Pascha celebramus in mense immundorum, rarò verò juxta Nicænam constitutionem dominica proxima post decimam quartam Lunam. Cumq; ratio Calendarii facilimè jam posset emendari, ut observatio Paschatis quotannis conveniret, ad constitutionem Nicænæ Synodi, sicut rationes illæ publicis scriptis eruditè monstratæ sunt à Stephlero, Pighio & ab aliis: Existimo illam, quæ nunc sæpissimè propter aureum numerum accidit, aberrationem ideò divinitus permitti, ut re ipsa ostendatur, observationes illas liberas esse, nec opinione necessitatis ad certa tempora alligatas, sed ordinis gratia servari. Et Theophilus indicat, Gallos in celebratione Paschatis diem anniversarium, qui ipsis fuit octavus Calendarum Aprilium observasse, sicut in natali Domini octavus Calendarum Ianuarii observatur. Simile etjam Sozomenus de Novatianis quibusdā scribit.

Gallorum Pascha.

Tertiò, Pentecostes etjam in primitivæ Ecclesiæ historiis crebra fit mentio. Intelligunt autem vetustissimi non quinquagesimum tantùm diē, sed totos illos quinquaginta dies post Pascha, qui lætitiæ ita dicati erant, ut non liceret in illis jejunare, nec geniculando sed stando orare, sicut Tertullianus scribit de corona militis, omnes autem quinquaginta illos dies à die Paschæ in Pentecosten festos fuisse, indè colligi potest, quod Tertul. lib. de Idololatria dicit, si singulæ gentiū solennitates numerentur, non possent implere nostram Pentecosten, hoc est quinquaginta illos dies festos, intra Pascha & Pentecosten. Et Hieronym. ad Lucinium cū dixisset: Vtinam omnitēpore jejunare possemus, addit: Nec hoc dico, quod dominicis dieb. jejunandum putē, & contexas quinquaginta diebus ferias auferam. Et Ambrosius in cap. 17. Lucæ inquit, Maiores tradidere nobis, omnes quinquaginta dies Pentecostes, ut Pascha celebrandos, quia octava hebdomadis initium Pentecosten facit. Et Sermone 60. dicit, Istorum quinquaginta dierum jugum & continuatam esse festivitatem, qualis his est die Dominica. Sed & has solennitates liberas habuisse observationes, indè ostenditur, quod jam dudum interciderunt, nam & jejunia postea intra Pascha & Pentecosten ordinata, & geniculationes ad missæ sunt, nec festi jam sunt omnes illi dies. Et Tertullianus de corona militis numerat hæc inter illa, quæ sine ullius Scripturæ instrumento, soliius traditionis titulo, & consuetudinis patrocinio recepta fuerunt. Postea igitur tantùm quinquagesimus dies festus mansit, ut adventus de cœlo Spiritus sancti anniversaria solennitate celebraretur, sicut inquit Augustin. Epist. 118. Et Hieronymus in cap. 4. ad Galat. inter festa numerat Pentecostes lætitiam, qua Spiritus sancti veneraremur adventum.

Pentecoste.

50. dies post Paschа.

Quartò, Festi ascensionis Augustinus ita mentionem facit, Epist. 118. Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atq; statuta retineri. Sicut quod Domini passio, & resurrectio & ascensio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritus sancti, anniversaria solennitate celebrantur. Et apud vetustiores quidem festi Ascensionis non fit peculiaris mentio, sed comprehendunt illud, sub quinquaginta illis festis diebus post Pascha. Cùm verò illi non omnes ubique festi amplius haberentur, peculiaris so-

Ascensionis festum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lennitas facta est, anniversaria dies Ascensionis. Causam verò institutionis & observationis talium Festorum Augustinus ita explicat, de civitat. Dei, lib. 10. capit. 4. Nos uni Deorum beneficiorum eius memoriam, solennitatib. festis & diebus statutis, dicamus sacramusq́, ne volumine temporũ ingrata subrepat oblivio. Et contra Faustum, lib. 32. cap. 11. Nos Pascha celebrantes, occisionem agni Dei, cùm quotidiè, tũ maximè anniversaria solennitate, non venturã signamus, sed factum commemoramus. Ideò dies Paschæ nostræ solennitatis ad diem celebrationis umbraticæ Iudæorum, non occurrit, ut & diem Dominicum, quo Christus resurrexit, cõplecteremur. Et cap. 12. loquens de quinquagesimo die, quo nobis Christus Spiritum paracletum quem promiserat misit, addit: Ea quippe anniversariè in Ecclesia celebrantur, quæ insigniter excellentia, certis diebus facta sunt, ut eorum necessariã salubremq́ memoriã festivitas concelebrata custodiat.

Aug. de causis festorum.

Ita Hierony. etiam in cap. 4. ad Galat. causam institutionis & observationis festorum explicat: Dicat aliquis, si dies observare nõ licet, nos quoque simile crimen incurrimus, quartam sabbati observantes, & Parasceven, & diem Dominicam, & jejunium quadragesimæ, & Paschæ festivitatem, & Pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum, diversa in honore Martyrum tempora constituta. Ad quod, qui simpliciter respondebit, dicet: Non eosdem Iudaicæ observationis dies esse quos nostros. Nos enim nõ azymorum Pascha celebramus, sed resurrectionis & crucis. Nec septem juxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus sancti veneramur adventum. Et ne inordinata populi congregatio fidem minueret in Christum, propterea dies aliquot constituti sunt, ut in unũ pariter veniremus. Nõ quo celebrior sit illa dies qua convenimus, sed quo quacunque die conveniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia maior oriatur.

Hieronymus de causis festorum.

Qui verò oppositæ quæstioni acutius respondere conatur, illud affirmat, omnes dies æquales esse, nec per Parasceven tantùm Christi crucifigi, & die Dominica resurgere, sed semper sanctũ resurrectionis esse diem, & semper cum carne vesci Dominica. Ieiunia autem & congregationes, inter dies, propter eos à viris prudentibus constitutas, qui magis seculo vacant, quàm Deo, nec possunt, imò nolunt, toto in Ecclesia vitæ suæ tempore congregari, & ante humanos actus DEO orationum suarum offerre sacrificium. Quorus enim quisque est, qui saltem hæc pauca, quæ statuta sunt, vel orandi tempora, vel ieiunãdi, semper exerceat, &c. Hanc Hieronymi sententiam Isidorus & Rabanus ita describunt, omnes festivitates, pro varietate regionum, ideo à viris prudentibus institutæ sunt, ne fortè rara congregatio populi fidem minueret in Christo, &c. Propterea ergo dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter convenirent, ut è conspectu mutuo, & fides crescat, & lætitia maior oriatur: ita illi. Basilius Sermone in aliquot Scripturæ loca: Hac de causa patres nostri has fidelium congregationes in templis statuerunt, ut quæ singulis diebus discere non valemus, ea in communi solennitate convenientes accipiamus.

Rabanus.

Basilius.

Paulinus Nolanus illam sententiam carmine non invenusto reddidit.

Paulinus.

Primus enim gradus est cœlo pertexere cunctos
Continua pietate dies, & tempore toto,
Pascha sacrum Christi cultus celebrare pudico.
Quod si mixta seges tribulis mihi germinet, & (cor
Incultum stimulet terreni sæva laboris,
Vel festis Domino studeam me offerre diebus,
Vt vel parte mei tangam confinia vitæ,
Corpore ne toto trahar in consortia mortis.

Item:

Ergo velut cœlum stellis, & floribus arva,
Annos temporibus Dominus: Sic ipse diebus
Tempora distinxit festis, ut pigra diurnis
Ingenia obsequiis, saltem discrimine facto.
Post intervallum reduci solennia voto,
Sancta libenter agant residesq́ per annua mentes.

Quintò, Anniversarium diem Natalis Christi celebratum fuisse apud vetustissimos non legitur, sed in orationibus Basilii, Nazianzeni, & Chrysostomi. Et Basilius festum illud nominat Θεοφανίαν Nazianzenus γενέθλια, qui etjã peculiarem habuit orationem, In sancta Epiphaniorum lumina. Epiphaniorum verò appellationẽ veteres attribuerunt simul, & diei nativitatis Christi, & Baptismi ipsius. Et in Aegypto utriusque solennitas uno die celebrata fuit, sicut & Epiphanius unum, & eundem diem tribuit nativitati, & baptismo Christi. In Occidentis verò Ecclesiis distinctæ fuerunt festivitates. Chrysostomus oratione de Philogonio, Natalem Christi vocat omnium festorum metropolin: Nisi enim secundum carnem natus fuisset, nec baptisatus, nec mortuus, nec resuscitatus esset. Huius festi mentio fit apud Nicephorum, lib. 7. Maximinus in ipso natalis Dominici die, Nicomediæ Christianos in ipso templo cõcremavit. Et apud Sozomenum, lib. 8. capite octavo, Imperator in die natali Christi non vult cum Chrysostomo communicare.

Natalis Christi.

Epiphania.

Sextò, inter veteris Ecclesiæ festa numerat Hieronymus ad Gal. 4. pro varietate regionum, diversa in honorem Martyrum constituta tempora. Dies enim passionis ipsorum, cũ per mortem in Christo ad veram æternam scilicet vitam, verè renasceretur, γενέθλια, natalitia ipsorum, & vocârunt & celebrârunt. Sicut apud Eusebium lib. 4. cap. 14. Ecclesia Smyrnensis scribit, se diem Martyrii Polycarpi, tanquam natalitium, cum gaudio & exultatione coacto cœtu Ecclesiastico, celebraturam. Et rationem celebrationis addit hanc, ad memoriam præcedentium, & ad excitationem & præparationem sequentiũ, sicut in loco de invocatione sanctorum, illa de Polycarpo historia prolixè explicata est. In hunc usum Cyprianus curavit annotari dies exitus Martyrum, Ita apud Augustinum in Ioannem, Tracta. 27. mentio fit festi Laurentii & Sixti. Tracta. 120. Stephani in Psalm. 117. Felicis Martyris. Apud Ambrosium in Psal. 118. Sebastiani. Inde Panegyricæ orationes in anniversariis diebus Martyrũ, apud Basilium, Nazianzenum & Chrysostomũ. Et veram rationem celebrationis illorum festorum

Martyrum festa.

Basilius.

rum Basilius capit. 40. in Asceticis rectè explicat, Non decet Christianos in Martyrum memoriis ob aliam causam comparere, quàm ut precentur, & ex commonefactione constantiæ Martyrum ad huiusmodi zeli imitationem incitentur. Idem in Psalmo 114. iam inde à media nocte, cùm ad hoc Martyrum templum veneritis, ipsorum Martyrum Deum, & per Hymnos, usque ad meridiem placare non destitistis. In hanc sententiam extant multæ piæ collectæ, in festis Sanctorũ olim usurpatæ. Vt: Concede, ut quorum gaudemus virtutibus, accendamur exemplis: Vt quorum natalitia colimus, etiã actiones imitemur, & de eorum in æterna beatitudine societate gaudeamus. Item: ut fidem eorum lingua loquamur, & moribus fateamur: utiq́ tantæ fidei proficiamus exemplo. Da nobis, ut qui hodie Pauli conversionem celebramus, per eius ad te exempla gradiamur. Quorum solennia colimus, eorũ etjam virtutes imitemur. Da Ecclesiæ tuæ, Petri & Pauli in omnibus sequi doctrinam, per quos religionis sumpsit exordium. Da nobis vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Da Ecclesiæ tuæ & amare, quod Apostoli crediderunt, & prædicare quod docuerunt. Tribue nobis, ex eius imitatione, pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla eius adversa formidare. Præsta, ut quorum diem passionis annua devotione recolimus, etiam fidei constantiam subsequamur. Concede, ut cuius memoriam celebramus in terris, eius beata consortia feliciter consequamur in cœlis, &c.

Veteres collectæ.

Sed in loco de invocatione & reliquiis sanctorum, plures huius generis sententias ex patribus annotavimus, ubi etiam ostendimus, quomodo celebrationes illæ Martyrum, sensim cœperint ad superstitiones inclinare.

Observandum autem est in illa Hieronymi ad Galatas sententia, quòd omnia festa Martyrum, non ubiq́ in omnibus Ecclesiis celebrata fuerint, sed pro varietate regionum in illis Ecclesiis, ubi & Martyria perpessi & tumulati erant, sicut ex panegyricis veterum constat.

Martyrum festa non universalia.

Primitivæ igitur & veteris Ecclesiæ festa, per annos quadringentos, hæc fuerunt: Primò, Dies Dominica. Secundò, Festum passionis Christi. Tertiò, Resurrectionis. Quartò, Ascensionis. Quintò, Pentecostes. Sextò, Nativitatis & baptismi Christi. Septimò, pro varietate regionum eorum Martyrum, qui in illis locis vel passi vel tumulati erant, memoriæ. Et illa pauca festa, quàm simpliciter & purè fuerint in veteri Ecclesia celebrata, ostendimus. Scio autem in sermonibus apocryphis & ἀσήκοις, alia etiam festa illis temporibus tribui, sed nos de genuinis & certis veterum Scriptis loquimur.

Festa primitivæ Ecclesiæ quæ?

Post hæc verò tempora, magis magisq́ cœperunt festa cumulari. Vt cùm Constantinus apud Eusebium, li. 4. diem solẽnem, ad dedicationem templi à se extructi constituisset, & pace Ecclesiis reddita, ubiq́ templa magnificè extructa dedicarentur: Secuta inde postea fuerunt oppidatim, & vicatim, annua festa dedicationis cuiusq́ templi. Et Martyrum festa, ex suis provinciis, per translationes reliquiarũ, per universum orbem spargi cœperunt. In Græca Ecclesia Iustinianus festũ, τῆς ὑπαπαντῆς, quãdo puer Iesus in templo à Simone exceptus fuit, præcepit toto terrarũ orbe celebrari. Mauritius Imperator ἐξόδου κυρίου, dormitionem Mariæ 15. Augusti celebrari jussit, apud Nicephorum lib. 17. cap. 28.

Festum dedicationis quãdo.

Festum purificationis.

Dormitionis Mariæ.

Concilium Moguntiacum sub Carolo Magno, circa annum Domini 800. Canone 36. numerat hæc festa: Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Natalẽ Petri & Pauli, Nativitatem Ioannis Baptistæ, Assumptionem Mariæ, Dedicationem Michaelis, Nativitatem sancti Remigii, Martini, Andreæ, Natalem Domini, Octavas nativitatis, Epiphaniam Domini, Purificationem Mariæ. Et illas festivitates Martyrum & Confessorum, quorum in unaquaq́ parochia sancta corpora requiescunt. Simiiter et jam Dedicationem templi. Hæc sunt verba Canonis. Sed in libris Caroli Magni, ubi hæc constitutio repetitur, additum est. De assumptione Mariæ interrogandum relinquimus, quod diligenter notetur.

Quæ festa tempore Caroli Magni.

Nota de festo assumptionis.

Postea in Lugdunensi Concilio, circa annum Domini 1240. sub Innocentio Quarto statutum fuit, qui dies per annum essent feriandi, scilicet, Natalis Domini, S. Stephani, Ioannis Evãgelistæ, Innocentiũ, Sylvestri, & octava Domini, & Theophania, Purificatio Mariæ, Pascha cum tota hebdomada, Rogationes tribus diebus, Ascensio Domini, sancti dies Pentecostes, Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, Laurentii, Assumptio Mariæ, Nativitatis Mariæ, Ecclesiæ dedicatio, sancti Michaelis, omnium Sanctorum, & sancti Martini. Reliquæ verò festivitates (inquit Canon) nõ sunt cogendæ ad feriandum nec prohibendæ.

Novem festa in Lugdunensi Concilio.

Gregorius Nonus circa annum Domini 1230. cap. conquestus, de feriis eundem habet festorum Catalogum, nisi quod addit annunciationem Mariæ, & omittit festum Rogationum, Martini & dedicationis cujusq́ Oratorii.

In decretali. bus.

Nec verò hoc numero festorum contenti fuerunt, sed de consecrat. distinct. 3. additur festum inventionis Crucis. In Clementinis additur festum corporis Christi, lib. 6. de reliquiis & veneratione. adduntur festa quatuor Doctorum Ecclesiæ. Canonistæ addunt festa Evangelistarum, Marci & Lucæ. Vrbanus Sextus instituit festum visitationis Mariæ, quod Antoninus dicit nũquam receptum vel consuetum fuisse. Paulus Secundus instituit festum præsentationis Mariæ. Sixtus Quartus addidit festum conceptionis Mariæ. Alii addiderunt Antonii, Nicolai, Catharinæ festa. Et præterea Episcopi in singulis diœcesibus sua peculiaria habuerunt festa, cap. pronunciandum & conquestus.

Festum inventionis crucis.

Corporis Christi.

IIII. Doctorum.

Evangelistarum.

Visitationis.

Præsentationis.

Conceptionis Mariæ.

Hæc nuda commemoratione tantùm annotare volui, ut collatio inter festa primitivæ Ecclesiæ, & ea, quæ posteris temporibus accesserũt, eò planior fit.

DE SVPERSTITIONIBVS, QVAE IN *festivitates irrepserunt: Et quomodo in nostris Ecclesiis festa religiosè observentur.*

Hisce breviter ex Scriptura & ex primitiva Ecclesiæ historia expositis, facilis & plana jam

Universidad de Deusto
Biblioteca

erit ratio de diebus festis, & eorum celebratione. Licet enim pars sit libertatis Christianæ, quòd conscientiæ nec sint alligatæ, nec debeant alligari ad certorum vel dierum vel temporum observationes, opinione necessitatis, in novo Testamento, Quia tamen voluntas Dei est, sicut suprà ostendimus, ut Ecclesia in singulis locis, aliquando ad auditum verbi, ad usum Sacramentorum, ad publicas preces, ad gratiarum actiones, atq; ad alia communia pietatis exercitia conveniat: Et Paulus vult, ut in Ecclesiasticis conventibus omnia fiant ordine & cum decoro, 1. Corinth. 14. Ad evitandas igitur confusiones, & inordinatos concursus, & ne ab Ecclesiasticis congressibus homines prorsus abducerentur, sed ad illos magis invitarentur & excitarentur, *Certus dies ad conventus.* certus olim in septimana dies, ex Christiana libertate, ordinis gratia, ad solennes Ecclesiæ conventus, in Apostolica Ecclesia constitutus fuit. Et licet ad illum diem Ecclesiastici conventus, nulla necessitate vel legis vel præcepti, in novo Testamento alligati sint, Barbarica tamen petulantia esset fine causa, cùm quidem conscientiis Christiana libertas relinquatur, ordinis & concordiæ gratia, nolle morem illum Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ observare, maximè cùm ad ædificationem Ecclesiæ faciat & usurpari possit. Celebrantur sanè apud nos singulis diebus quotidiani sacri conventus, sicut & antiquitus factitatum fuisse, Origenes homilia 2. in Numeros *Quotidiani conventus.* indicat, cùm inquit, Vnam aut duas horas ex integro die deputet Deo, & ad orationem veniat in Ecclesiam, & vel in transitu verbum Dei audiat. Et Chrysost. 1. Tim. 2. Sicut fideles norunt, quomodo diebus singulis mane & vesperi orationes fundantur ad Dominum. Sed quia non ille jam est fervor religionis in hominibus, ut quotidiè frequentes ad verbum, Sacramenta & orationes conveniant, sicut in Actis Apostolorum, & aliquando in primitiva Ecclesia factum fuit: Exhortationibus quidem excitandi sunt, ut sit sabbatum ex sabbato. Sed quia alii necessitate quærendi victus, alii vocationis laboribus impediuntur, plerosq; verò pigritia, securitas, injuria & neglectus religionis abstinet: Vtile igitur est ad commonefactionem & ædificationem unum aliquē *Per integrū diem.* in septimana diem, ita religioni consecrare, ut in eo aliud nihil operis fiat, vel negocii suscipiatur, quam ut in sacrum cœtum, ad auditum verbi, ad perceptionem Sacramentorum, ad publicas preces, ad confessionem fidei, ad gratiarum actiones, ad collationem Eleemosynarum, & alia pietatis exercitia conveniatur. Ideo enim tunc à reliquis operibus & negotiis, impedientibus publicum ministerium, cessamus ne exercitia illa aliquo vel obstaculo vel avocamento, turbētur, interrumpantur aut impediantur. Vtq; suo quisque exemplo alios etjam, ad publici ministerii reverentiam, invitet.

Et quia eodem consilio, in veteri Ecclesia, sicut ostendimus, de peculiaribus divinis novi Testamenti beneficiis, & de præcipuis Christianæ *Alia festa.* fidei capitibus, festa quædam liberè observanda, in primitiva Ecclesia instituta sunt, quæ ad commonefactionem rudiorum, institutionē & ædificationem Ecclesiæ, piè usurpari possunt, ut præcipua capita doctrinæ cœlestis, per annum ordine, monstrato usu, possent proponi, & præcipua beneficia Dei ad memoriam revocari, ut pro illis in magna Ecclesia publica & solenni gratiarum actione, Deus celebretur, utq; rudiores ad consideration em & celebrationem talium beneficiorum Dei, doctrina, commonefactionibus & exemplis, instituti & excitari possint: Pia sanè modestia, & modesta pietas, salva conscientiæ libertate ordinis & concordiæ gratia, ad ædificationem talia festa non gravatim, eo ficut dictum est, modo, observabit. Neq; enim probari potest petulans illa quorundam confusio, ficut à viro quodam pio & gravi me audire memini, qui magna animi offensione alicubi audierat die passionis quendam interpretantem historiam de nuptiis in Cana Galileæ, in die resurrectionis historiam Nativitatis, in die ascensionis historiam passionis. Non quòd peccatum sit illis diebus de hisce historiis vel loqui, vel cogitare, sed quia in Ecclesia omnia debent ordine fieri, & ad rudiorū ædificationem.

Quascunq; igitur pias ferias, ordinis & concordiæ gratia, ad ædificationem, quibusq; Eccle- *Quomodo festa celebrentur.* siis observare judicatum fuerit, liberum hoc est, modò summa diligentia advigiletur, ut non tantùm labores externi intermittantur, sed multò magis, ut opera carnis evitentur, utq; feriæ illæ Domino verè & solidè sanctificentur, illis quæ sæpius jam exposita sunt exercitiis, ficut Isaias inquit 58. Ita sanctificatur sabbatum, & glorificatur Dominus, si à sabbato averteris pedes, ne facias vias tuas, nec invenias voluntatem tuam, nec loquaris verbum tuum in die sancto, sed Dei opus opereris, Ioan. 6.

Si itaq; mens & sententia Tridentini decreti hæc esset: Liberam dierum festorum observationem, ea devotione & religione celebrandam, ut ad pietatem inflammandam & augendam serviret, nemo esset qui contradiceret. Quia verò *Abusus & superstitiones in festis.* abusus & superstitiosæ opiniones de festis illa generalitate vi; lentur vel dissimulari vel approbari, necessariò addenda est declaratio. Vt enim festorum celebratio fit devota & religiosa, & ad pietatem augendam faciat, necesse est, ut abusus & superstitiones taxentur & abjiciantur, atque ita salutaris festorum usus restituatur.

Breviter autem capita tantùm præcipuarum superstitionum annotabimus.

Primò itaque superstitiosa est multorum opinio, quasi Dominicæ diei & reliquis diebus fe- *An dies festi per se sanctiores.* stis per se peculiaris quædam insit sanctitas, propter quam gratia Dei tunc major sit, & hominibus magis obvia, quàm aliis temporibus: opera etjam, quæ illis diebus fiunt, meliora & sanctiora sint, quàm si aliis temporibus fierent, ficut Iudæi fingunt, diabolum diebus sabbati propter ejus sanctitatem fugere, & Magi etjam superstitiosa opinione sanctitatis dierum festorū ad suas incantationes abuntur. Sed paulò antè verbis Hieronymi ostendimus, dies omnes per se esse æquales, nec alium sanctiorem.

Secundò in multorum animis hæret opinio operis operati, quasi per se cultus Dei sit, festis *Opus operatum in festis.* diebus vel à laboribus cessare, vel templa visitare, etjamsi illa non referantur ad vera pietatis exercitia. Quæ superstitio in Iudæorum sabbatis & festis, acriter taxata fuit in veteri & novo Testamento. Sanctificatio enim finis est sabbati, & propter illum finem addita est sabbato vocatio ab aliis operibus impedientibus aut turbantibus illam sanctificationem.

Merita festorum. Tertiò, huic cognata est illa superstitio, qua Pontificii feriis peculiaria attribuunt merita, ficut canunt, ut per hæc festa æterna gaudia adipiscantur.

Quartò taxanda est & illa persvasio, quasi satis sit, vel Dominico tantùm die, vel in aliis tantùm festis, verbum audire, orare, beneficia Dei cogitare, gratias agere, & pietatem exercere, cùm festa sint commonefactiones, quid per totam vitam fieri debeat, ficut inquit Chrysostomus, Homil. 40. in Matthæum: Quid sabbato illi opus est, qui per totam vitam suam agit solennitatem, cœlesti vivens disciplina, peccata fugiens, virtutes colens. Solenniter igitur vivamus continuè, nam tūc solùm veram solennitatem peragimus, cùm spiritualis vitæ continuè cultum augemus, Ibidem in 1. Corinth. 11. vigilemus cum Domino, compungamur cum discipulis, oremus, semper id quidem, sed in diebus solennibus potissimùm. Namq; solennitates & festa ideo instituta sunt, non ut turpitudini serviamus, nec ut delicta cumulemus, sed ut illa prorsus abjiciamus.

Ità Origenes Homilia in Leviticum nona, objurgat eos, qui festis tantùm diebus ad Ecclesiam concurrebant.

Feriis deleri peccata. Quintò, perniciosior verò est illa persvasio, quòd quidam fingunt, feriis deleri peccata, etjā si nulla agatur pœnitentia, vel celebratis festis liberè & impunè posse quivis designari.

Sexto, pars quædam est Iudaici fermenti, nimis scrupulosè diebus festis prohibere operas externas, quæ vel quando etiam non impediunt publicum ministerium, & exercitia sanctificatio *Quæ opera diebus festis prohibita* nis sabbati. A tali scrupulosa enim Mosaica observatione novum Testamentum nos liberavit. Ab illis verò externis operibus recte & meritò cessare jubemur, quibus ea, quæ ad sanctificationem sabbati pertinent, impediuntur vel turbantur. Illi verò sabbatū præcipuè violant, qui ocio seu feriis abuntur ad voluptates, levitates, crapulam, ebrietatem, & quævis alia flagitia, unde fit ut nullis fermè diebus Deus gravius offendatur, quàm illis ipsis qui Dei cultui peculiariter sunt mancipati. Christiani igitur Imperatores, *Imperatorū lex de feriis.* Codice de feriis, piè & rectè ita sanciverunt: Dies festos majestati Altissimi dedicatos, nullis voluptatibus occupari, nec ullis exactionū vexationibus prophanari. Dominicum itaque diem, semper honorabilem ita decernimus & venerandum, ut à cunctis executionibus excusetur, nulla quenquam urgeat admonitio, nulla fidejussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat, sit idem dies à cogitationibus alienus, præconis horrida vox fileſcat, &c. Et paulò pòst: Nec tamen hujus religiosæ diei ocia relaxantes, obscœnis quenquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vendicet scena theatralis, vel Circense certamen, aut ferarum lachrymosa spectacula, etjamsi in nostrum natalem celebranda solennitas inciderit, differatur. Amissionem militiæ, proscriptionem patrimonii sustinebit, si quis unquam die festo spectaculis interesse, vel cujuscunq; judicis apparitor, prætextu negocii publici seu privati, hæc quæ lege hac statuta sunt, crediderit remoranda, &c. Et comessationes diebus festis acriter reprehenduntur ab Augustino, sicut sententia ipsius citatur, distinct. 44. *Comessationes in festis.*

Labores verò necessitatis & pietatis in festis non esse prohibitos, ipsum jus Pontificium concedit, titulo de feriis. Et Prosper in carmine re- *Opera necessitatis & pietatis.* ctè dicit:

Non rectè servat legalia sabbata cultu,
Qui pietatis opus credit in his vetitum.
Non corrumpuntur virtutibus ocia sancta,
Tantùm à peccatis libera corda vacent.

Septimò est & hæc pars quædam Iudaici fermenti, quòd scrupulosè disputant octum seu ferias festorum inchoari debere à vespera præce- *Quando inchoanda feria.* dentis diei, & servari usque ad vesperam diei sequentis. Et quærunt, quomodo excusentur barbitonsores, qui vesperi profesti post occasum solis, sæpius per aliquot horas laborant. Illæ certè circumstantiæ non habent mandatum aut determinationem in novo Testamento, cujus hoc tantùm genus est, ut ab iis, quæ publicum ministerium, & ipsam sanctificationem impediunt, abstineamus. Ita Paulus Actor. 18. cùm apud Corinthios nondum prima sabbati celebrarentur convētus Ecclesiastici, sabbato docebat, reliquis verò diebus (atq; ita etjam prima sabbati seu die Dominica) operabatur. Et Acto. 19. Cùm prima sabbati convenissent ad frangendum panem, us- *Vigilia in festis.* que ad mediam noctem extracta fuit concio. In veteri Ecclesia, in vigiliis præcedentis diei, aliquando usq; ad mediam noctem perseverabant, ficut scribit Hieronymus in capit. 25. Matthæi. Aliquando media nocte conveniebant, & usque ad meridiem simul manebant, Basilius in Psalm. 114. Aliquando, ut tempore persecutionis cœtus ante lucanos celebrabant, quos orto die solvebant, ficut Plinii epistola indicat. Et Tertullianus meminit nocturnarum convocationum, libro 2. ad uxorem. Et antelucanis etjam cœtibus datum fuisse Eucharistiæ sacramentum, tradit in lib. de corona militis. Et Rabanus scribit: In nocte nativitatis, ea hora, qua natus creditur Christus, credentes communicasse. Illis ritibus plerisq; collapsis, & vigiliis antiquis in pridiana jejunia conversis, postea legem fecerunt, de festis à vespera ad vesperam ocio feriandis ex opere operato. De consecrat. 3. cap. pronunciandum. Et de feriis, cap. omnes. Octavò Pontificii cele- *Quæ sint in festis apud Pontificem præcipua.* brationem festorum in eo potissimùm consti- tuunt (De consecrat. dist. 1.) ut audiat quis Missam integram, & sacerdoti stipem offerat ad altare. De auditu verbi, de usu Sacramentorum, de publicis seu communibus precibus & gratiarū actionibus, cùm lingva populo ignota Missa celebretur, de q; Eleemosynis pro pauperibus, non adeo sunt soliciti. Quàm horrenda verò sit opinio de sacrificio propitiatorio in actione Missæ, in secunda parte de Missa ostendimus.

Nonò, festorum observationem non relin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Necessitas festorum. quunt pro ædificatione liberam, sed addunt opinionem necessitatis, sub obedientia debita & sub pœna excommunicationis, ita, ut mortalissimè (sicut Bernhardinus loquitur) dicant peccare eos, qui festa quædam non servant.

Multitudo festorum. Decimò, vetus est querela de nimis magna festorum multitudine, non quòd exercitia pietatis frequentiora damnentur, sed quia vulgus, quod per labores plerunq; à multis vitiis arcetur, ex feriis nimium frequentibus occasionem arripit ad compotationes, & alia multiplicia vitia. Sicut Polydorus Virgilius cõqueritur, multitudinem feriarum lascivæ & petulanti juventuti præbere occasionem ad quasvis morum corruptelas, & addit, de Christianorum festis, in tanta vitæ dis-

Tertullianus solutione, rectè jam posse dici, quod Tertullianus de gentilium solennibus sacris olim dixit: Grande scilicet officium, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu obolefacere, certatim cursitare ad injurias, impudentias, ad libidinis illecebras, quasi publicum gaudium, per publicum exprimendum esset dedecus. Hæccine solennes dies decent, quæ alios dies non decent? Num malorum licentia pietas erit, & occasio luxuriæ religio deputabitur, &c. Cùm itaq; multitudo festorum non amplius jam ita ad ædificationem faciat, sicut in veteri Ecclesia, rectè faciunt qui svadet, vel multitudinem illam minuendam: vel diebus illis historias Biblicas de festis populo proponendas, post preces dimittendum esse populum ad labores.

Festa de apocryphis. Vndecimò, multa instituta sunt festa, de quibus nullæ in Scripturis historiæ extant. Imò de apocryphis dubiis, incertis, atq; adeò commentitiis & falsis narrationibus, instituta sunt festa, ut sunt pleræq; de sanctis Lugendæ. Item, de festo Nativitatis, præsentationis, assumptionis, & conceptionis Mariæ. Illæ enim Legendæ, dist. 15. à Gelasio inter apocrypha abjiciuntur. Postea verò apocryphas fabulas, sicut Augustinus loquitur, per festa quasi canonizare voluerunt. Et ad confirmationẽ novitii & falsi dogmatis, quasi Maria sine peccato originali concepta esset, quod in prima parte refutavimus, festum conceptionis Mariæ instituerunt, quod Antoninus dicit, non esse festum nivis.

Festa ob patrocinia Sanctorum. Duodecimò, usitata fuit superstitio, pro qua stabilienda & retinenda, adhuc præcipuè dimicant Pontificii, ideo celebranda sanctorũ & præcipuè Mariæ virginis festa, ut illo opere mereamur sanctorum patrocinia & auxilia, sicut Rosarium inquit: Sancti magis patrocinantur, & opitulantur iis, qui festa ipsorum celebrant. Item, sancti merita sua communicant illis, qui ipsos festivitatibus honorant. Et quomodo Ethnica prorsus consvetudine illud factum fuerit in Pontificia Ecclesia suprà in loco de invocatione sanctorum, ex publicis ipsorum Hymnis, sequentibus & collectis, annotavimus, & quàm horrenda sit idolomania ostendimus.

In festis. Consecrationes luminarium herbarum, &c. Ludicræ ceremoniæ. Postremo ex Agendis Pontificiis notum est, quas superstitiosas consecrationes luminarium, herbarum & aliarum creaturarum, exerceant in festis Purificationis & Assumptionis. Item, in vigilia Paschæ. Et quàm ludicris utantur ceremoniis in festo Palmarum, Passionis & Ascensionis.

Quomodo etjam veteres ritus, lectiones & conciones de publica pœnitentia, & baptismo adultorum, rebus ipsis dudum abolitis, sine vero ac veteri usu, pro forma, quod dicitur, retineant, & quasi pro ludibrio habeant, in die cinerum, per Quadragesimam, & festum Paschatis, manifestum est.

Quæ festa & quomodo in nostra Ecclesia celebrentur. Abjectis verò superstitionibus vera & utilia veteris Ecclesiæ festa, ad conventus Ecclesiasticos, ea devotione & religione apud nos celebrantur, ut non dubium sit, Dei benedictione pietatẽ inde inflammari & augeri, cùm quidem populus doceatur, Spiritum sanctum per ministeriũ verbi sacramentorum velle efficacem esse, & Christum velle medium interesse illis, qui in nomine ipsius congregantur, Matth. 18. Vt enim de hac Brunsvicensi Ecclesia jam potissimùm dicam, In scholis quotidiana pietatis exercitia ita instituta *Exercitia pietatis in Scholis.* sunt, ut convenientibus pueris semper prælegatur caput aliquod, sive ex veteri sive ex novo instrumento, addita summaria ejus explicatione. Deinde singulis horis pũ aliquot Hymni decantantur. Præterea singulis diebus certa hora scholastici ad templum accedunt recitantes publicè caput aliquod vel ex Scriptura, vel ex Catechesi, additis pijs Psalmorum, Responsoriorum, Hymnorum, Canticis & collectarum precationibus.

Quotidiani Ecclesiæ conventus. Populus verò singulis diebus bis, certa horâ manè & vespri convenit, & post decantatos aliquot Psalmos, concio habetur, distributis ordine lectionibus, partim ex veteri, partim ex novo Testamento. Et concio semper concluditur precibus communibus, & Hymno aliquo gratiarũ actionis. Præterea singulis septimanis, certo aliquo die populus frequentior convenit ad publicas & solennes supplicationes, quæ Litaniæ vocantur.

Dominicæ dies exercitia. Dominicis autem diebus, magna solennitate, frequentia populi ad decantandas laudes Dei, ad auditum & meditationem verbi, ad usum Sacramentorum, ad publicas preces, & collationem eleemosinarum, & alia pietatis exercitia convenit. Et ordo temporis ac lectionum, ab hora quinta matutina, usque ad horam quartam vespertinã, ita distributus est, ut pro ratione Oeconomiæ singuli ex familia certis conventibus interesse, & pro suo quisq; captu aliquid audire & discere possit.

Alia festa principalib. doctrinæ celestis capitibus solennia. Præterea de præcipuis beneficiis Christi, & de festa, magna devotione & religione celebrantur, explicatione doctrinæ & publica celebratione beneficiorum Dei. Ita festum Nativitatis Christi *Nativitatis.* religiosè celebratur, utq; tota de hoc articulo doctrina ordine proponi & explicari possit, triduũ huic festo, sicut & quibusdam aliis, tribuitur. Die circumcisionis explicatur doctrina, quomodo Christus factus sit sub lege, & tractatur locus *Circumcisionis.* de libertate Christiana & adduntur commonefactiones de auspiciis novianni. Epiphaniorum *Epiphaniorũ* die tractatur doctrina & gratiarum actio de vocatione gentium. In festo purificationis exponi- *Purificationis.* tur doctrina, quomodo Christus sit primogenitus inter multos fratres, traduntur commonefactiones utiles pro puerperis, & dulcissimum Simeonis canticum explicatur. In hoc verò festo, sicut

Baptismi Christi. sicut & in aliis, abusus & superstitiones à Pontificiis invectæ, taxantur & refutantur. Dieb. Bacchanaliorum historia baptismi Christi proponitur, ut moneantur homines suæ professionis, ne

Annunciationis. ethnicorum furores illis dieb. imitentur. Festum

Cœnæ Domini. Annunciationis Mariæ, propter articulum de cõceptione Christi servamus. Memoriam institu-

Passionis. tionis Eucharistiæ celebramus die cœnæ. Passio-

Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis. nis Dominicæ solennem meditationem, die Parasceves celebramus. Eadem ratione festum resurrectionis Christi, Ascensionis, Missionis Spiritus Sancti, & Trinitatis, solenniter celebramus

Baptistæ. Iohannis Baptistæ & visitationis Mariæ festum

Visitationis. propter historias complectentes utilissimas do-

Michaelis. ctrinas, retinemus. Die Michaelis, fabulæ Pontificiæ & superstitiones de dedicatione Michaëlis & invocatione, refutantur. Traditur autem Scripturæ doctrina de officiis Angelorum, & publica celebratur gratiarum actio, pro perceptis per totum annum fructibus. Apostolorum diebus his-

Apostolorum festa. toriæ de ipsis Biblicæ populo proponuntur, & deinde ad suæ quisq; vocationis labores dimittitur. Ita cùm singulis diebus ordinarii sint Ecclesiæ conventus, per occasionem de aliis etjam in Calendario signatis festis, de quibus veræ extãt historiæ, cõtinentes utilem aliquam doctrinam, fiunt commonefactiones. Et præter festivas illas

In Quadragesima. solennitates, per tempus Quadragesimæ, doctrina veræ pœnitentiæ, & historia passionis tractari solet. Præterea singulis anni quadrantibus certi

Catechesis. aliquot dies adsolennem Catecheseos tractationem constituti sunt. Nec veteris Ecclesiæ morem in certis lectionibus, festivis diebus tractandis, non pudet imitari, sicut Augustinus inquit

Certæ lectiones in festis. in procemio Epistolæ Ioannis: Meministis Evangelium Iohannis ex ordine lectionum nos solere tractare, sed quia nunc interposita est solennitas sanctorum dierum, quibus certas ex Evangelio lectiones oportet in Ecclesia recitare, quæ ita sunt annuæ, ut aliæ esse non possint, ordo ille quẽ susceperamus, necessitate paululum intermissus est, non omissus. Idem Tractatu 6. in Iohannem dicit: Anniversaria solennitate, post passionem Domini, nostis librum Actuũ Apostolorum omni anno in Ecclesia recitari. Et Tract. 13. dicit, Psalmum 21. omni anno legi in novissima hebdomada, intento universo populo.

De vera igitur veterum & utilium Festorum celebratione, non habent quod in nostris meritò reprehendant Pontificii. Vtinam ipsi rectè curarent de religiosa & devota veterum Festorũ celebratione, ita ut abjectis superstitiosis opinionibus, ad augendam veram pietatem inservire possent. Iam verò ex una fidelia omnia sua festa dealbant, tam ea quæ apocryphis fabulis nituntur, quàm illa quæ in Scriptura Canonica certas & utiles habent historias. Et superstitiosas opiniones sub titulo devotionis occultant. Ideò, ut preciosum à vili, religio à superstitione, eò facilius & rectius discerni possit: Apostolicæ, primitivæ & veteris Ecclesiæ de Festis sententiam & observationem oppositum Pontificiorum accessoriis superstitionibus, & ostendimus, in nostris Ecclesiis celebrationem festorum, ad exemplum Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ, restitutam & conformatam esse.

CONCLVSIO.

ET hæc sunt præcipua capita, quæ de residuis Tridentini Concilii locis, de Virginitate scilicet, de Cœlibatu sacerdotum, de Purgatorio, de Invocatione, Reliquiis, & Imaginibus Sanctorum, de Indulgentiis, de Iejuniis, & Feriis, annotanda & explicanda visa fuerunt, quæ explicatio opinione longius excurrit, inde & ideò, quòd in singulis locis, historiam certaminum, inde usque ab Apostolorum temporibus ordine contexere volui. Quæ historicæ observationes, quanquam *Historia certaminum de singulis locis.* labore non exiguo mihi constiterunt, inter scribendum tamen honesta & pia delectatione ita me detinuerunt, ut existimem, in hoc genere argumenti, explicationes controversiarum non posse rectius & melius illustrari, quàm hac ratione, si fundamentis confirmationum, refutationum, ex Scriptura extructis, addatur talis historica annotatio certaminum de singulis locis. Tales enim historicæ observationes rectè & solidè possunt opponi Pontificiorum clamoribus de veterum testimoniis & sententiis ostendunt etjam qua fide, & quo candore, veteris Ecclesiæ authoritatem, suis superstitionibus prætexant Pontificii, Et in prioribus duabus partibus illa ratio non ita tunc mihi in mentem venit, si tamen aliquando editio repetenda & retexenda erit, dabo operam, ut singulis locis talis historica certaminum observatio addatur. Et hæ ipsæ observationes, quas nunc collegimus, facilè possent ex historiis latius extendi, in quo, ut eruditiores diligentius & facilius elaborent, oro, ego simplici filo præcipua tantùm annotare volui. Ex illis etjam, quæ Lindanus & Tiletanus prioribus huius *Lindanus & Tiletanus.* scripti partibus opposuerunt, constituerã quædam addere. Continent enim non parum multa, quibus hæ controversiæ, quo magis agitantur, non infeliciter illustrari, & Pontificiorum sophismata clarius ostendi possunt. Sed quia nimium hæc scriptio jam excrevit, fiet illud alio tempore, editio repetenda erit. Quòd si prolixitas quem offenderit, poterit Lectori vel occupato vel fastidienti, per Epitomen quandam, quã adornari curabo, consuli. Deum oro, ut hisce laboribus bono animo & pio studio susceptis, sua benedictione adesse velit, ut aliqua inde utilitas ad Ecclesiam redeat, Amen.

ADDITIO.

IN loco de indulgentiis, in descriptione rituum publicæ pœnitentiæ & absolutionis, facta fuit mentio instituti cuiusdam in Ecclesia Halberstadensi, quòd personatum Adamum quendam die Cinerum templo ejiciant, & die cœnæ rursus recipiant & absolvant. In quo cùm vestigia quædam veteris publicæ pœnitentiæ & absolutionis, licet in ludicrum spectaculum jam transformata, appareant, visum fuit ejus descriptionem ad finem adjicere.

Volaterranus igitur in Geographia, ubi de Saxonia agit, ita scribit. Apud Saxones in Ecclesia *Volaterranus de Adomo Halberstadiensi.* Halberstadiensi, quotannis institutum conspici tur in auditum. Die namq; Cinerum, sacrificio paracto, facinorosum quempiam, sordidatum & stadiensi.

Universidad de Deusto. Biblioteca

operto capite templo ejiciunt. Is die noctuq discalciatus, urbem, sacra, templaq salutando, perambulat, tantùm post mediam noctem in plateis aliquantulum quiescit. Deinde invitatus (omnes enim eum invitant) quicquid apponitur, taciturnus vescitur. Demum in die cœnæ Dominicæ accersitur & absolvitur, pecuniaq collata cumulatur, aceum Adamum vocant.

Alciatus lib. 9. Parerg. cap, 22. ritum istum ita describit:

Alciatus de Adamo Halberstadiensi.

Quæsitum nuper fuit, quænam esset publica pœnitentia, cujus frequens in jure Pontificio mentio est, & quæ solis prophanis conceditur, sacris viris prohibetur. Respondi eam rem satis esse declaratam in Agathensi Synodo, licet ubiq hodie exoleverit, nisi quòd Saxones, urbe Halberstadiensi, ejus imaginem etjam num servant: Ibi singulis annis ex plebe aliquis eligitur, quem gravioribus noxis inquinatum putant, hunc ferali habitu, & obvoluto capite, cinerasium die in templo statuunt, & peractis sacris ejiciunt, donec 40. dies, per urbis compita, vagus & mendicans erraverit: interim divinas ædes eum ingredi fas non est: qualemq cibum, sibi vel ab ædituis vel aliunde oblatum non aspernatur, neminem alloquitur, non indulget somno, nisi post concubinam noctem, idq in media via. Die Iovis, quæ Dominicæ cœnæ dicata est, ad templum reducitur, ibi à Sacerdote solennibus quibusdam ceremoniis absolvitur, & à confluente illuc populo stipem accipit. Adamum hunc vocant, & omni crimine expiatum credunt, quem ritum mirabilem Pius Pontifex, institutum inauditũ Raphael Volaterranus, appellant, ego olim vulgarem, & ex veterum decretis acceptum scio. Sic enim publica pœnitentia peragi solebat, videturq mihi sacro sancti illi patres hac in re veterum Græcorum sacrificia quadantenus imitati: Siquidem apud interpretem Lycophronis relatum est, cùm urbs aliqua pestilitate, aut fame, vel majore vi atque calamitate affligeretur, consveviſſe hominem in ea fœdissimum perquiri, quem caseo cum placenta & caricis allectum, septies virgultis quibusdam circa pudenda verberatum, tandem facta scrobe comburebant, ejusq cineres in mare projiciebant, sic expiari civitatem existimantes.

Græcorum καθάρματα.

Beatus Rhenanus de Adamo Halberstadiensi.

Beatus Rhenanus ritum hunc ita describit: Singulis annis eligitur aliquis ex plebe, qui Comœdiam pœnitentis & confitentis agat. Is in capite ieiunii quadragesimalis ad templum adductus, in cultu lugubri, & qui pœnitentem deceat, nimirum caput obvolutum habens, post sacrum inde ejicitur. Perq totos illos 40. dies nudis pedibus vias urbis terit, templorum muros circuit, tantùm non subintra, nec cum quoquam sermonem miscet. Canonici huic cibum præbent, quem ille qualem qualem boni consulit. Non indulget somno, nisi post mediam noctem, idq in plateis. At in die, quæ Dominicæ cœnæ dicata est, ad templum reducitur, & à Sacerdote, non absque longis, sed pulchris ceremoniis absolutus à plebe stipem accipit. Hunc Adamum vocare solent.

Hoc tempore pauper aliquis, mercede à Canonicis, ad agendam Comœdiam illam publicæ pœnitentiæ & absolutionis (sicut Rhenanus loquitur) conducitur, qui pulla veste, & oblongo pileo, in ambitu templi, taciturnus vel obambulat vel sedet, & cum libet dormit, in Canonicorum verò ædibus benè pascitur.

Ceremonia ejectionis.

Ceremonia autem ejectionis & receptionis ita se habet:

Post cinerum ceremoniam ejiciendus est pœnitens ab Ecclesia, & tali modo increpandus: Ecce ejiceris hodie à sinu matris tuæ sanctæ Ecclesiæ, propter peccatum tuum: Sicut Adam primus homo ejectus est de Paradiso, propter transgressionem suam. Et Chorus canit Responsorium, In sudore vultus tui, &c.

Quomodo pœnitentes offerantur Episcopo.

Feria quinta, den Grünendonnerstag/hora 7. egrediatur pœnitens de loco, ubi pœnitentiam gessit, ut præsentetur Ecclesiæ. Sedente autem Pontifice pro foribus Ecclesiæ, eminus cum Archidiacono, pœnitentibus jussum illius in atrio Ecclesiæ præstolantibus, antequam eos offerat, postulat Archidiaconus his verbis:

Adest, ô venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis, & salutis humanę, qua mors interitum, & vjta æterna accipit principatum, quando in vinea Domini Zebaoth, sic novorum palmitum plantatio facienda est, ut purgetur execratio vetustatis. Quamvis enim à divitiis bonitatis & pietatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen & largior est per indulgentiam remissio peccatorum, & copiosior per gratiam assumptio renascentium, augemur regenerandis, crescimus reversis, lavant aquæ, lavât lachrymæ: Inde est gaudium de assumptione vocatorum: hinc lætitia de absolutione pœnitentium. Inde est quod supplex populus tuus, posteaquâ in varias formas criminum, neglectu mandatorum cœlestium, & morum probabilium transgressione, cecidit, humiliatus atque prostratus, Prophetica ad Dominum voce clamat, dicens: Peccavi, impiè egi, iniquitates feci, miserere mei Domine, Evangelicam vocem non frustratoria aure capiens: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Manducavit, sicut scriptum est, panem doloris, lachrymis stratum rigavit, cor suum luctu, corpus afflixit jejuniis, ut animæ suæ reciperet, quam perdiderat sanitatem. Vnicum itaque est pœnitentiæ suffragium, quod & singulis prodest, & omnibus in commune succurrit. Dum ergo ad pœnitudinis actionem tantis excitatur exemplis, sub conspectu ingemiscentis Ecclesiæ, Pontifex dicat: Iniquitates meas agnosco, &c. Averte faciem, &c. Redde mihi lætitiam. Quo itaq supplicante, iterum subjungat Archidiaconus: Redintegra in eo, Apostolice Pontifex, quicquid Diabolo svadente corruptum est: & orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinæ reconciliationis gratiam, fac hominem proximum Deo, ut qui antea in suis perversitatibus sibi displicebat, nunc jam placere Domino in regione vivorum, devicto mortis autore gratuletur? Tunc dicat Pontifex: Venite: & Archidiaconus ex parte pœnitentium: Flectamus genua. Tunc omnes pœnitentes genua flectant.

Forma publicæ confessionis.

Petitio absolutionis.

Cantat Clerus: Venite Filii, audite me, & timorem Domini docebo vos, &c.

Interim

Recipiuntur pœnitentes.

Interim pœnitentes manuatim à plebesanis Archidiacono, ab Archidiacono reddantur Episcopo, ab Episcopo Ecclesiæ: Vbi prostrati iaceãt.

Prosternuntur.

Deinde imponat Episcopus Antiphonam: Cor mundum, &c. Tunc prostrato Episcopo, addatur Litania, in qua ter dicatur: ut pœnitentem istum benedicere & reconciliare digneris.

Orationes pro absolvendis.

Postea dicãtur preces hæ: Salvum fac servum tuum Domine Deus meus sperantem in te. Convertere Domine usququo, & deprecabilis esto super servo tuo. Mitte ei Domine auxilium de sancto, & de Sion tuere eum. Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum fac eum Domine, nc confundatur, quoniam invocavit te. Ne memineris Domine, &c. Oremus, &c. Famulum tuum quæso Domine, confugientem ab ira tua ad te, paterna recipe pietate, ut qui tuæ Maiestatis flagella formidat, de tua mereatur venia gratulari, per Dominum, &c.

Forma publicæ absolutionis.

Frater N. Dominus noster Iesus Christus, qui dixit discipulis suis, Quæcunq ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunq solveritis super terra, erunt soluta & in cœlo. De quorum numero quamvis indignos nos esse voluit, ipse te absolvat, per ministerium nostrum, ab omnibus peccatis tuis, quæcunq cogitatione, locutione atq operatione, negligenter egisti, & à nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regna cœlorum, Amen. Hic aspergat eum aqua benedicta & thurificet, & postea dicat: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Postea surgant pœnitentes & moneantur ab Episcopo, ut quod pœnitendo diluerunt, iterando non revocent. Tunc faciat sermonem, &c.

Admonitio post absolutionem.

Comœdia publicæ pœnitentiæ.

Hæc ex libro Agendorum ad verbum descripta, ostendunt esse veterem illam formam publicæ pœnitentiæ, & publicæ absolutionis, quæ describitur in capite 9. Agathensis Concilii, & citatur dist. 50. Postea collapsa disciplina publicæ pœnitentiæ, substitutum est spectaculum illud, ut Davus aliquis Comœdiam confitentis & pœnitentis agat, sicut Rhenanus loquitur. Lindanus addit, Traiecti Batavorum, populum totum templo ejici, & è vestigio ad pœnitentiam per Archidiaconi umbram revocari, & in templum reductum, post preces publicas, ac manus Episcopalis impositionem, absolvi & reconciliari, &c.

Traiectina Cœmedia.

Cùm autem scriptum sit: Nomẽ Domini non esse invanum assumendum, cogitet Lector, qualis sit prophanatio, verbo Absolutionis in Ecclesia ita ludere, sicut Histriones in Comediis solent facere. Potius opera esset danda, ut publica pœnitentia, confessio & absolutio, ad veterem ac verum usum restitueretur.

INDEX

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE IN HAC QVARTA PARTE EXAMINIS OBITER allegatorum & explicatorum.

Genesis 1. Fecit Deus hominem ad imaginem suam 24.b.25.a.35.b.36.b. Ecce omnem herbam dedi vobis in escam, 99.a.103.b.104.a. vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona 103.b.
2. De ligno scientiæ non comedes. 99.b.101.a.106.b.133.b.135.b.140.a. appellavit Adam nomimibus suis cuncta animantia 36.b.99.a.
3. Quia fecisti hoc, & obedisti voci uxoris, 55.b.57.b. maledicta terra propter te, 102.b. in labore vultus tui manducabis panem 156.a. Terra es, & in terram reverteris, 5.a.57.a. Adam ejectus de Paradiso 70.b.106.b.109.a.140.a.
4. Abel de primitijs offert 36.b.
7. De mundis animalibus septem 99.a.
8. Noe altare construxit Domino 36.b.
9. Omne quod movetur, & vivit erit vobis in cibum, 99.a.101.b 102.b.113.b. carnem ut olera comedetis, 130.a. Noah inebriatus 131.b.
11. Vr Chaldæorum 20.a.
19. Loth inebriatus 131.b.
22. Abraham filium Isaac immolaturus, 30.a.35.b. altare erigit 36.a.
23. Abraham adorat populum terræ 37.b.43.b.
28. Lapidem erexit in titulum 22.a.36.b.
31. Furata est Rahel simulachra Iacob 19.b.20.a.
32. Vir luctans cum Iacob 19.b.20.a.
33. Iacob adorat Esau 37.b.
35. Abijcite Deos alienos, qui sunt inter vos, 19.b. 20.b.
47. Iacob adorat Pharaonem 37.b.
50. De Iosephi sepultura 4.b.
58. De sanctificatione Sabbati 161.a.

Exod. 3. Rubus ardens 19.b.
12. Cultu perpetuo Paschæ celebrabitis 153.b.
13. Iosephi ossa asportate, 4.b. columna ignis & nubis 19.b.
16. Nemo egrediatur loco suo die septimo 154.b.
20. Non facies tibi simulachrum, ut colas illud, 20.b.21.b.bis.22.b.25.a.33.a.35.a.39.b.44.b. quæ in cœlis sursum, aut in terra deorsum, 21.a.21.b. non adorabis, nec coles ea, 21.a.37.b.39.b.41.b.44.a.b. non assumes nomen Domini invanum, 103.b. sex diebus creavit Deus cœlum & terram 153.b.
24. & 34. Moses ieiunat 40. dies, 91.a.106.b.110.b. 133.b.
25. Fac duos cherubinos aureos 22.b.35.a.36.b.43.a.
31. Implevi Bezaleel Spiritu Dei, 22.b. pactum hoc est sempiternum 135.b.
32. Hi sunt Dij tui, 20.b. cras solennitas erit Domini, 20.b. sedit populus, ut manducaret & biberet, 18.b.104.a. peccavit populus recedens à via, quam ostendi eis, 20.b. cultus vituli aurei, 20.b. in die visitationis, & hoc peccatum visitabo 55.b.
33. Columna ignis & nubis 19.b.
35. Non succendetis ignem die Sabbati 154.a.
39. Mala punica ex auro in veste Pontificis 22.b.

Levitic. 10. Vinum & omne, quod inebriat non bibetis 98.a.133.b.145.a.
11. De mundis & immundis animalibus 99.a.101.a.
16. & 23. affligetis animas vestras, 90.a. 93.a.96.a.b.115.b. omnis anima quæ non fuerit afflicta hoc die peribit de populis suis 90.a.97.a.
20. Liberos per ignem ducere Moloch 18.b.
22. Mortuum tangere immundus habetur 2.b.
25. Legitimum & præceptum sempiternum erit, 153.b.
26. Ne feceritis vobis idola, 21.a.21.b. nec lapidem insignitum ponetis ad adorandum 22.a.

Numeri 1. & 21. Chemos idolum Moabiticum, 18.b.
6. Nazarei vinum non bibunt 133.b.145.a.
7. De medio Cherubim Deus loquitur 35.b.
8. Cum quinquagesimum annum impleverint, servire cessabunt 154.a.
11. Israel contra Deum murmurat 106.b.
12. Miriam lepra percutitur 55.b.
14. Dimisi peccata populo: attamen nemo eorum videbit terram promissionis 55.b.
16. Aaron stans inter vivos & mortuos orat 55.b.
21. Serpens aneus erectus 22.b.35.a.43.a.
23. Excelsa Baal 18.a.19.a.
25. Baalpeor Moabitarum. 18.b. fornicatio Israelitarum cum Moabitis, 18.b. conjugatus est Israel ipsi Baalpeor 18.b.
30. Votum & iuramentum de ieiunio.

Deute. 4. Vocem eius audistis, simulachrum non vidistis, 21.a.b.23.a. Simulachrum cuiuscunque figuræ 21.a.
5. Ne feceris tibi sculptile, aut similitudinem, 21.a.21.b. Memineris quod servus fueris in Aegypto 153.b
8. Afflixit te & esurire te permisit, 91.a. Cum comederis & saturatus fueris, benedices Domino 104.a.
12. Non facietis quod vobis bonum videtur, 5.b.22.a.39.b.50.a.105.b. coram Domino comedes & lætaberis. 94.b.
13. Si Propheta surrexit, & signum dederit 10.b.41.b.
14. De mundis & immundis animalibus 99.a.
15. Serviet tibi in æternum 154.a.
17. Astaroth à fœtura ovium dictus 18.b.
18. Prophetam excitabo eis 153.b.
25. Iuxta mensuram delicti erit modus plagarum, 48.b. 55.b.56.b.
27. Maledictus qui facit sculptile 21.b.22.b.
28. Maledictiones alicui infligi 50.a.54.a.
32. Impinguatus recalcitravit 94.a.104.a.112.a.
Sacrificaverunt Dæmoniis, Siddim 19.a.

Ios. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ios.2. Duodecim lapides erigendi 22.a.
22. Duæ tribus cum dimidia altare erigunt 27.b.
24. Servierunt ibi Diis alienis, 19.b. 20.a. Lapis erigitur in testimonium icti fœderis, 22.a.b. Ossa Ioseph sepulta 4.b.
Iudic.2. Servierunt Baalim 21.a.
2.& 3. Astaroth Sidoniorum 18.b.
8.& 9. Baalberith 18.b.
11. Chemos Moabitarum 18.b.
16. Dagon idolum ibid.
17. Consecravi hanc pecuniam Domino, 20.a. idolum Michæ ibid.
18. Iehova adest itineri vestro 20.b.
20. Ieiunaverunt usq; ad vesperam 90.b.91.b.98.b.
1. Reg. 1. Anna flebat, nihilq; comedebat 96.a. Anna orat flens largiter, 96.a. Samuel vinum nõ bibit, 133.b. manebit in tabernaculo vsque in seculum 154.a.
5. Dagon Philistinorum 18.b.
7. Hauserunt aquam & effuderunt eam coram Domino 95.b.198.a. ieiunaverunt in die illa, 90.b.133.b. Lapis adiutorij 22.b.
10. David adorat Samuelem 37.b.
15. Quia mendacium Teraphim est inobedientia, 20.b.
19. Michol ponit imaginem hominis in lecto, 20.a. 22.b.
21. David edit panes propositionis 99.b.
30. AEgyptius qui tribus diebus non comederat, 92.a.
31. Saul & Ionathæ sepultus, 5.a. ieiunaverunt septem diebus 90.b.92.a.98.a.
2. Reg. 1. Sciderunt vestimenta sua, 92.b. planxerunt fleverunt & ieiunaverunt 90.b.
3. Scindite vestimenta vestra, 92.b. si ante occasum solis gustaverо panem 92.b.98.a.
12. Ideo suscitabo super te malum, 55.b. David orans pro filio, ieiunat, 90.b.95.b.96.a.98.a.98.b. pernoctavit dormiens in terra, 92.b. noluit cum senioribus domus suæ cibum capere, 92.b. septimo die infans moritur, 58.a. David expleto ieiunio lavit 92.a.
15. Si voluerit restituet me in regnum 58.a.
19. Ber Zellai cupit sepeliri cum Patribus suis 5.a.
21. Saulis ossa translata in sepulchrum paternum 5.a.
24. Pestis immissa super populum, 55.b. David orans cessare fecit pestem 55.b.
3. Reg. 7. Imagines variæ in ornatu templi 22.b.
11. Astaroth Sidoniorum 18.b.
Chemos idolum Moabitarum ibid.
Moloch Ammonitarum ibid.
13. Propheta non debet panem comedere in Bethel, 133.b.
15. Miplezeth 19.a.
16.& 19. Genu flectere Baal 18.b.
Domus Baal ibid.
18. Prophetæ & Sacerdotes Baal 18.b.
Baal exaudi nos 18.b.
Deus igni absumit victimam 20.a
19. Eliæ ieiunium ad dies quadraginta, 91.b. 106.b.110.b.116.b.118.a.133.b. Reliqui mihi septem millia, 81.a.
21. Iesabel indicit ieiunium, 96.b. Ahab ieiunavit & dormivit in sacco, 90.b.92.b.93.a.94.b.95.a.198.a.198.b.
22. Panis tribulationis & aqua angustia 92.a.
4. Reg. 1. Baalzebub Ammonitarum 18.b.
3.& 10. Statua Baal ibid.
5. Rimnon idolum Syriæ 18.b.
10. Sacrificia Baal, 18.b. festa & solennitates Baal, 18.b.
13. Elisæi ossium contactu mortuus resuscitatur, 3.b. 4.a.
17. Succoth, Benoth, Nergel, &c. 18.b.
18. Ezechias serpentem æneum confringit 22.b.
21.& 25. Altaria luci & vasa Baal 18.a.
21. Genu flectere coram Baal 18.a.
23. Militiam cœli colere, 19.a. incensum Baal 18.b. Liberos per ignem ducere Moloch ibid. Equi currus Solis, 19.a. Astharoth Sidoniorum, 18.b. Chemos Moabiticum idolum, 18.b. Milchom Ammonitarum, ibidem. Iosias ossa eruta comburit, 5.a. ossa Prophetæ intacta manserunt ibid.
1. Par. 25. Psalmi & Hymni decantati 154.a.
2. Par. 3. Variæ imagines in ornatu templi 22.b.
7. Deus in igni apparet 20.a.
12. Quia humiliati sunt non disperdam eos 93.a.
20. Iosaphat prædicavit ieiunium universo Iudæ, 90.b. 96.a.98.a.
23. Prophetæ & Sacerdotes Baal 18.b.
Esdr. 8. Prædicavi ieiunii, &c. 90.b.93.a.96.b.198.a. ieiunavimus & rogavimus Dominum, 90.b.98.b
9. Evulsi capillos capitis & barbæ 93.a.
Nehe. 1. Sedi, flevi, luxi & ieiunavi, 92.b.96.b.98.a.
8. Comedebant pinguia & lætabantur 94.a.
Esth. 4. Mardochæus scidit vestimenta sua, 92.b. Ieiunium ululatus & fletus, 92.b.98.a. ieiunate pro me 90.b.
9. Ieiunium duodecimi mensis, 97.b. observanda susceperunt ieiunia & preces 90.b.
Iob. 1. Filios suos Sacrificijs sanctificabat 104.a.
7. Induta est caro mea putredine 2.b.
9. Verebar omnia opera mea 50.b.
10. Vado ad terram tenebrosam 2.b.
13. Quasi putredo consumendus sum 2.b.
19. In hac carne mea videbo Dominum 2.a.
Psal. 16. Caro mea requiescit in spe, 2.b. Sanctis qui in terra sunt 21.b.36.b.
17. Vt venter eorum impleatur 104.a.
22. Edent pauperes & saturabuntur 104.b.
25. Ad te Domine levavi animam meam 96.a.
26. Dilexi decorem domus tuæ 26.b.43.b.
27. Faciem tuam requiram 39.b.43.b.
32. Beati quorum tectа sunt peccata, 61.b. pro hac orabit ad te omnis Sanctus 50.b.
34. Benedicam Dominum in omni tempore 105.a. Declina à malo & fac bonum, 57.a. custodit Dominus omnia ossa eorum 2.b.3.b.5.b.
35. Humiliabam in ieiunio animam meam, 90.a.93.a. 198.a. tanquam qui fratrem aut matrem luget, 92.b
42. Fuerunt mihi lachrymæ panes 92.a.
45. Vultum tuum divites deprecabuntur, 92.b.44.b. Omnis gloria filiæ Regis intus est 119.b.146.b.
49. Nemo fratrem suum redimere potest 59.a.
51. Miserere mei Deus, 105.a. Spiritus contribulatus, 33.a cor contritum & humiliatum 85.a.
62. Nonne Deo subiecta erit anima mea 99.a.
69. Fletu & ieiunio animam meam affligebam 90.a.

78. Ten-

78. Tentaverunt & exacerbaverunt Deum, 106.b.
80. Cibabit non pane lachrymarum, 9.a.98.b.
96. Omnes dij gentium elilim 19.a.
99. Adorate scabellum pedum eius, 39.b. adorate ad montem sanctum eius 39.b.43.b.
102. Oblitus sum comedere panem, 97.b. Cinerem, vt panem comedi 92.a.98.b.133.b.
103. Qui sanat omnes infirmitates meas, 56.b. Longè fecit a nobis iniquitates 50.b.
104. Vinum lætificat cor hominis, 130.a. Aperiente te manum, implentur bonis 104.a.
106. In similitudinem bovis comedentis herbam, 20.b.& coniugati sunt ipsi Baalpeor 18.b.
111. Confessio & magnificentia opus eius, 36.b. Escam dedit timentibus se 105.a.
115. Aures habent & non audiunt, 19.b. Deus autem noster in cœlo est 21.a.
116. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius 2.b.
117. Laudate Dominum omnes gentes, 105.a. veritas Domini manet in æternum 154.a.
119. Revela oculos meos, 43.a. funes peccatorum circumplexi sunt me, 61.a. particeps sum ego omnium timentium te, 61.a. in æternum Domine verbum tuum permanet, 83.a. lucerna pedibus meis verbum tuum, 3.a. 22.a. 24.a. meditatio sermonum tuorum illuminat 32.b.
122. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, 104.b. cuius participatio in idipsum 61.a.
124. Forsitan vivos deglutissent nos 45.a.
130. Si iniquitates observaveris Domine quis sustinebit 50.b.
143. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens ibid.
145. Exaltabo te Deus meus Rex, 104.b. aperis tu manum tuam, & imples omnia benedictione, 104.a.
145. Ad faciendam vindictam in omnibus, 61.a.
Proverb. 13. Redemptio animæ viri divitiæ eius 38.a.
20. Luxuriosa res est vinum 113.a.
23. Qui vim sectantur spectabunt extraneas, ibid.
30. Ne bibant & obliviscantur iudiciorum, 112.a.
Eccles. 1.& 4. Edamus in lætitia panem nostrũ 104.a.
10. Væ terra cuius Principes manè cõmessantur 94.b.112.a.
Esa. 1. Cùm extenderitis manus vestras nõ audiam, 96.a. bona terræ comedetis 139.a.
2. Talpas & vespertiliones colentes 19.a.
5. Væ qui consurgitis ad sectandam ebrietatem. 112.a. opus Domini non respicitis 104.a.
6. Deus super Solio sedens 19.b.
8. Veritatem à mortuis requirere, 9.a.41.b. Si non dixerint iuxta verbum hoc 3.a.
11. Sepulchrum eius gloria 2.b.
22. Comedamus & bibamus: cras enim morimur 112.a. 142.b.
26. Mortui tui vivent 2.b.
28. Præ ebrietate ignoraverunt iudicium, 112.a.
30. Panis arctus & aqua brevis 92.a.
34. Deus est qui remittit peccata 78.a.
37. Non erant Dij, sed opera manuum hominum, 19.a. Nesroch Assyriorum 18.b.
40. Cui similem facietis Deum, 19.a. 21.b. 23.a. artifex conflat simulachrum 19.a.
41. Faber confortavit simulachrum 19.a.
42. Calamum conquassatum non conteret, 54.a. gloriam meam alteri non dabo 41.b.
44. Sculptile conflavit ad nihil utile 19.a.
45. Pudefiant fabricatores idolorum 19.a.
46. Bel Babyloniorum, 18.b. Nebo Babyloniorum, ibid. Conducunt artificem vt faciant Deum 19.a.
53. Percussus est propter peccata nostra, 50.a. pœnas nostras ipse sustinuit 49.a.50.b.
56. Veniunt in pacem & requiescunt 2.b.
57. Requiescunt in cubilibus suis 5.a.
58. Ieiunavimus & non aspexisti, 93.b.95.b.121.a. non inveniatur voluntas tua in die ieiunij, 99.b. ieiunatis ad lites & contentiones, 111.a. nolite ieiunare sicuti hactenus, 90.a.93.a.121.a. in ieiunio curvabant caput, 92.b. hoc est ieiunium quod elegi, 90.a. 91.b.95.a.108.a.109.a.133.a. si animam afflictam satiaveris 91.a.
60. Vt prædicem captivis dimissionem, 54.a.77.b.
64. Iustitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ, 51.a.
65. Mensam Gad adornantes, 19.a. libamen Meni conficientes ibid.
Ierem. 7.& 23. Suffitum facere Baal, 18.b. Reginam cœli colentes 19.a.
8. Ejicient ossa eorum de sepulchris 5.a.
10. Lignum formatur, auro ornatur 19.a.
12. Saginantur ut oves ad diem occisionis, 104.a.
14. Etiamsi ieiunent non exaudiam, 63.b.95.b.121.a.
15. Si pretiosum à vili separaveris 153.a.163.a.
18. Pœnitebit me mali, quod cogitaveram. 50.b 57.b.
19.& 32. Excelsa Baal, 18.a. liberos immolare Baal 18.b.
30. Castigabo te in iudicio 57.a.
31. Faciam fœdus novum, 97.a. iniquitates eorum non recordabor 55.b.56.a.
32. Baal super tectis cultus 18.a.
36. In die ieiunij quod prædictum erat, 99.b. liber Ieremiæ legitur 96.b.
46.& 49. Quibus non erat iudicium, bi bibendo biberunt 57.a.
48. Chemos Moabiticum idolum 18.b.
50. Bel Babylonicus 18.b.
Ezech. 1.& 10. Facies hominis, leonis, bovis & aquilæ 20.b.
4. Subcinericium hordeaceum comedas, 92.a.99.b.
6. Cadent in medio idolorum 19.b.
8. Reptilia & idola depicta, 19.a. Thamutz, 19.a.
9. Non gemunt super abominationibus 53.a.
14. Posuerunt idola in cordibus 19.b.
18. Peccatorum eius non recordabor amplius, 50.b.
20. Scirent quia ego Dominus sanctificans eos, 153.b. in præceptis meis ambulate, 105.b. deflexerunt ad idola AEgypti 20.b.
21. Teraphim Gentium 20.b.
41. Cherub faciem hominis habuit 35.a.
Dan. 1. Daniel cum socijs abstinet à cibis regijs 99.b. 100.a.
6. Daniel orat facie versus Hierosolymam conversa, 22.a. Rex pernoctavit incœnatus, 92.a.
7. Antiquus dierum, 19.b. 23.a. veluti filius hominis 19.b.24.b.
9. Deprecatus sum Dominum in ieiunio, 90.b. 93.b. 95.a. 98.a. exaudi preces servi tui propter Dominum, 98.a. adducatur iustitia æterna, 49.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

10. Panem desiderabilem non comedi, 90.b. 92.a. 92.b. 96.b. 98.a. 114.a. unguento non sum unctus, 92.b. ut affligeres te in conspectu Dei tui, 90.b. 93.a. 133.a.
12. Qui in pulvere dormiunt 5.a.
Ose. 2. Argentum & aurum contribuere ad cultum Baal, 18.b. me vocárunt Baali, 21.a.
3. Visitabo contra eos dies Baalim 19.b.
4. Vinum & ebrietas cor auferunt 112.a.
8. Artifex fecit illum, & non est Deus 19.b.
11. Sacrificant Baalim ibid.
Ioel. 1. & 2. Sanctificat ieiunium, 90.a. 94.b. 95.a.
2. Convertimini ad me in ieiunio & planctu, 92.b. scindite corda vestra & non vestes, 92.b. 95.a. quis scit si convertatur & pœniteat, 57.b. egrediatur sponsus de cubili suo 92.b.
Amos 5. Portastu Sichut, 19.a. Adoratis idola, ideo transferam vos 19.b.
6 Canitis bibentes vinum 112.a.
Iona 3. Predicatur ieiunium, 90.b. 92.b. 94.b. 95.b. 98.a. 133.a. nec homines, nec iumenta comedant, 95.a. vidit Deus opera Ninivitarum, 63.a. quia conversi sunt à via sua mala, 107.b. 108.b. Ninivitæ non fuerunt deleti, 55.b. 57.b. 58.a.
Mich. 1. Omnia idola ponam in perditionem, 19.b.
7. Iram Domini portabo quia peccavi ei, 95.b. projiciet in profundum maris omnia peccata 50.b.
Nahum 3. Ostendam gentibus turpitudinem tuam 82.b.
Zephan. 2. Querite humiliationem 98.a.
Zach. 7. Nunquid ieiunium ieiunastis mihi, 90.a. 91.b. 93.b. 96.a. 97.a. b. 108.a. 121.a.
8. Ieiunium quarti, quinti, septimi & decimi mensis 97. a.b. 117.a. 152.a.
10. Simulachra loquuta sunt vana 19.b. 20.b.
Iudith. 4. Humiliaverunt animas suas in ieiunio, 90. b. si permanserit u in ieiunijs & orationibus 90.b. 98.a.
6. Expleto ieiunio eos refecit 92.a.
8. Ieiunabat omnibus diebus viduitatis suæ, 92.b.
Sap. 13. Artifex hominis effigiem faciens, 14.b.
14. Initium fornicationis est excogitatio simulachrorum 14.b. 18.b.
15. In errorem nos non seduxit malæ artis excogitatio 14.b.
Tob. 3. Sara tribus diebus & noctibus non edit aut bibit 90.b. 92.a.
4. & 12. Ieiunium & eleemosyna liberat à peccato 110.b.
12. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, 90.b.
Strach 31. Modicum sufficit homini temperanti 112.a.
32. In luctu musicam esse intempestivam, 92.b.
34. Homo ieiunans propter peccata sua, & rursum vadens, & eadem faciens 93.b. 110.a.
46. Sit memoria eorum in benedictione 4.a.
46. & 49. Ossa eorum locis suis revirescent, 2.b. 4.b.
48. Elisei corpus post mortem prophetavit, 3.b. 4.b.
49. Ossa Iosephi asservata, 4.b. post mortem prophetârunt 4.b. 5.a.
Baruch 1. Plorabant, ieiunabant & orabant, 91.a.
2. Ossa patrum de loco translata projicientur 5.a.
1. Mach. 3. Defecit tibia & cythara, 92.b. ieiunaverunt illo die 91.a.
2. Mach. 6. Eleazar nõ comedit porcinam carnem 99.b.
7. Septem fratrum constantia 99.b.
13. Misericordiam petentes cum fletu & ieiunijs, 91.a.
Matth. 3. Cibus Iohannis Baptistæ, 121.a. facite fructus dignos pœnitentiæ, 57.a. 66.b. 76.b.
4. Christus quadraginta dies & noctes ieiunavit 91.b. 106.b. 108.a. 116.a. 121.b. 133.b. 135.b. 144.b. 147.b. Dominum Deũ tuum adorabis, & illi soli servies 32. a. 39.a.b. 43.b.
5. Ne iuretis per cœlum 3.a.
6. Fiat voluntas tua, 58.a. dimitte nobis debita nostra, 50.b. 66.a.b. 67.a. Ieiunium hypocritarum, 90.a. 93.b. 121.a. Tu autem cum ieiunaveris 90.a. 93.a. 121.b.
7. Ite per angustam viam, 134.a. Intrinsecus sunt lupi rapaces 130.a.
9. Discipuli Iohannis & Pharisæi ieiunant, 79.b. 121.b. Non possunt filij sponsi lugere, 95.b. 98.a. 108.b. 116. a. 121.b. 136.b. cùm auferetur ab eis sponsus ieiunabunt, 90.a. 117.a. 135.a. 156.b. 140.b. Nemo assumentum novum immittit vesti veteri, 94.a. 97.b. 121.b. 150.a. Mulier profluvio sanguinis liberata. 27. b. confide fili remissa tibi sunt peccata, 52.b. 56.a. Non est mortua puella sed dormit. 2.b. Christus mortuum tangit 2.b.
10. Quicquid vobis apponitur edite, 122.a. 147.b.
11. Non surrexit maior Iohanne Baptista, 2.a. Lex & Prophetæ usque ad Iohannem, 153.b. venit filius hominis edens ac bibens. 124.a. 133.a. 146.b. In sacco & cinere pœnitentiam egissent, 95.a. discite à me quia mitis sum, 107.b. 116.a. 136.a. 150.b.
12. Discipuli evellunt spicas Sabbatho 154.a.
13. Iusti fulgebunt ut Sol 2.b.
14. Sepultura Baptistæ 3.a.
14. & 15. Christus accepit panibus gratias agit, 104.a.
15. Frustra me colunt mandatis hominum, 50.a 105.b. 113.b. Non quod in os ingreditur inquinat hominem, 99.b. 133.a. Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, 78. a. nolo eos dimittere ieiunos 91.a.
16. Tibi dabo claves Regni cœlorũ. 11.a. 51.b. 52.b. Quicquid ligaveris, aut solveris super terram 48.a. 49.b. 52.a. 52.b. 76.b.
17. Non ejicietur nisi per orationem & ieiunium 90.a. 96.b. 98.a. 109.a.
18. Lucratus es fratrem, 53.b. si te non audiat assume unum atq; alterum, 53.b. Dic Ecclesiæ, 54.a. 64.b. quicquid solveritis super terram, 49.b. 51.a. 52.b. 56. b. 58.a. ubi duo aut tres congregati fuerint, 54.b. 154.b. 162.b. Dominus remittit servo debitum, 48.a. 50.b. 52.b. Servus conservum jugulans 50.a.
21. Solvite asinam 52.b.
22. Cuius est hæc imago? Cæsaris. 22.b 23.b. In his duobus præceptis pendent, lex & Prophetæ 133.a.
23. Amant salutationes in foro, 37.b. Iurare per templum, 3.a. culicem colare & camelum deglutire, 23. b. sepulchra foris pulchra, intus plena ossibus, 2.b. 4. a. ædificatis sepulchra Prophetarum 4.a.
24. Dabunt signa & prodigia 10.b. 41.b.
25. Virgines prudentes nõ dant aliis de oleo suo 31.a. 59. b. quando vidimus te famelicum & cibavimus te, 51.a. quicquid uni ex minimis meis feci stis 43.b.
26. Mulier Christũ ungens, 12.a. auser calicẽ à me, 59.a.

Non

Non quod ego volo sed quod tu vis 58.a.
28. Docete eos servare, quæ ego præcepi 113.b.
Marci 2. De panibus propositionis, 99.b. Dominus est filius hominis etiam Sabbati, 154.b.
4. Nescitis parabolam hanc 155.a.
8. Si dimisero eos ieiunos 91.a.
11. Non permisit ut vas deportaretur per templũ 154.b.
16. Prima Sabbatorum veniunt, 155.a. Angelus in albis sedens in sepulchro, 2.b 3.a. signa quæ sequentur credentes 3.b.
Luc. 1. Multitudo populi precabatur foris, 154.a. ad dandam scientiam salutis 49.a.
2. Ieiunijs & obsecrationibus serviens Deo, 90.b. 92.a.
3. Spiritus sanctus descẽdit corporali specie quasi columba 19.b. 23.a.
4. Christo datur liber Esaiæ Prophetæ 154.a.
5. Qui erant socij Simoni, 60.b. 61.a. Non potestis facere ut filij thalami ieiunent 121.a.
6. Væ qui saturati estis & ridetis 112.a.
7. Peccatrix pedes Christi lachrymis rigat, 63.a. 64.b. condonavit utrig, 55.a. dimissa sunt ei peccata multa, 64.a. Remissa tibi sunt peccata 52.b. 56.b.
8. Ministrabant ei de facultatibus suis, 120.b. Semen voluptatibus suffocatur 94.a.
10. Qui vos recipit me recipit 43.b.
11. Beelzebub Princeps dæmoniorum 18.b.
13. Nisi pœnitentiam egeritis similiter peribitis 52.b. 57.b.
14. Num licet Sabbato sanare, 144.b. Beatus qui edit panem in regno cœlorum 104.a.
15. Pastor quærens & reportans ovem, 26.b. 28.a. gaudiũ in cœlis est super uno peccatore resipiscente 53.a.
16. Dives epulabatur splendidè, 104.a. Recepisti bona in vita tua, 104.a. Habent Mosen & Prophetas 41.b.
17. Cùm omnia feceritis, dicite servi inutiles sumus, 51. a. fides tua te salvum fecit, 76.b. Regnum Dei non venit cum observatione, 119.b.
18. Ieiuno bis in hebdomada, 93.b. 95.b. 99.b. 109.b. 121. b. 148.a. decimæ do omnium, 116.a. Abijt hic iustificatus 56.a.
21. Templum multis donis ornatum, 2, 3.b. levate capita vestra, 57.a. Ne corda vestra graventur crapula & ebrietate, 91.b. 94.a. 111.b. 136.a.
22. Desideravi hoc Pascha edere vobiscum, 102.b. 150.b. rogavi pro te ne deficiat fides tua, 51.b.
23. Hodie mecum eris in Paradiso 109.a.
24. Obtulerunt ei partem piscis assi, 102.b. prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum 49.a. 52.a.
Ioh. 1. Ex plenitudine eius omnes accepimus, 60.a. 61. a. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi 75.b.
2. Christus vino donat sponsum 150.b.
3. Spiritus ubi vult spirat, 11.a. Sicut Moses serpentem erexit in deserto, 23.b. qui credit in filium non iudicatur, 49.b. 50.b. Deus spiritum non dat ad mensuram, 138.a. Ira Dei manet super ipsum 52.b.
4. Neq; hic, neq; Hierosolymis adorabunt, 5.b. veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate 5.b. 11.a. 24.b. 39.b.
5. Noli amplius peccare, 52.b. 57.a. 66.a.b. 67.a. ut omnes glorificent Filiũ sicut Patrem, 40.a. qui nõ honorat Filium, non honorat Patrem, 40.b. non veniet in iudicium, 49.b. 50.b. è morte transibit in vitam, 49.b. qui in monumentis sunt resuscitabuntur 2.a. 5.a.
6. Operemini cibum, qui non perit, 104.a. operemini opus Dei 160.b.
8. Neque ego te condemnabo 52.b.
9. Peccatum vestrum manet 52.b.
14. Qui videt me, videt & Patrem, 40.a. ego in Patre & Pater in me ibid.
19. Consummatum est 59.a.
20. Sicut misit me Pater, ita & ego vos, 52.b. quorum remiseritis peccata, 49.a.b. 50.b. 52.a. 52.b. 83.b. ut credentes vitam habeatis per nomen eius 49.a.
Actor. 2. Quotidie perseverabant in doctrina, 155.a. 160.a. dividebant illa omnibus prout cuiq; opus erat 154.b.
5. Signa & prodigia per manus Apostolorum, 2.a. infirmi umbra Petri sanati, 2.a. 3.a. non cessabant omni die docere 155.a.
6. Stephanus plenus gratia & fortitudine 3.a.
8. Curaverunt unà Stephanum, &c. 3.a. quia donũ Dei existimastis pecunijs parari, 51.a. 52.b. 60.a.
9. Saul quid me persequeris? 59.a. Paulus tribus diebus non edit, aut bibit 91.b.
10. Quæ Deus purificavit tu immunda ne dixeris, 100.a. b. 103.b. 129.a. Petrus non vult adorari, 39.a. usque ad horam nonam sedebam ieiunus, 91.b. 96.b. 98.a. huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, 49.a. in nomine eius habere omnes remissionem peccatorũ, 5.b. Petrus baptizat Cornelium 154.a.
13. Ieiunantibus illis dixit Spiritus sanctus, 90.b. Ieiunantes & orantes, 90.b. 96.b. 98.a. 152.b. Prophetæ per omne sabbatum leguntur, 154.a. cùm David gratis fuisset dormivit, 3.b. civitas convenit ad audiendum sermonem Dei 154.a.
13. 16. 17. 18. Apostoli sabbato docuerunt 155.a.
14. Dij specie hominum descenderunt, 19.a. cùm orassent cum ieiunijs, 90.b. 96.a. 98.a. 152.b.
15. Imponentes iugum cervicibus, 133.a. 134.b. 135.b. 141.b. Sabbato legitur Moses in Synagogis 154.a.
17. Ara inscripta ignoto Deo, 19.a. numen non est simile auro & argento 23.a.
18. Sabbato Paulus docet, alijs diebus operatur, 161.a.
19. Sudarijs Pauli impositis infirmi curantur, 3.a. magna Diana Ephesiorum 19.a.
20. Prima Sabbatorum conveniunt ad frangendum panem, 154.a. 155.a. usque ad mediam noctem protrahitur concio, 161.b. Paulus ad Pentecosten ascendit Hierosolymam 155.a.
21. Paulus salutat presbyteros 37.b.
27. Decimum quartum diem ieiuni nunc permanetis 91.b.
28. In signo Castoris & Pollucis 19.a. 23.b.
Rom. 1. Evangelium est potentia Dei, 24.a. 32.b. frustrati sunt per cogitationes suas, 20.a. mutaverunt gloriam Dei in similitudinem, 19.a. coluerunt præter creatorem creata, 19.b.
2. Qui approbant aliorum peccata, 53.b. ira & indignatio, 49.a. propter vos blasphematur nomen Domini 67.b.
3. Faciamus mala ut eveniant bona, 57.a. remissionem peccatorum per eius sanguinem, 48.a. iustificari hominem fide absq; operib. 50.b.
4. Non operanti sed credenti, 50.b. Beati quorum remissa sunt peccata, 48.a. cui nõ imputabit Dominus peccata, 52.a. quibus imputabitur credentibus 49.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3. Iustificati fide pacem habemus, 49.b.50.a.55.a. peccatū non imputatur, cum non est lex, 52.a. unius Christi gratia exuberavit in multos, 60.a. per obedientiam unius iusti constituuntur multi 59.a.
6. Manebimus in peccato, ut gratia abundet? 57.a. aboleatur corpus peccati, 57.a. Christus ultra non moritur, 59.a. præbete membra vestra arma iustitiæ Deo, 2.a. peccabimus cum simus sub gratia, 57.a. præbete membra vestra serva iustitiæ 57.b.
7. Volenti facere bonum, malum adiacet, 51.a.
7. & 8. Corpus peccati & mortis 2.b.
8. Corpus propter peccatum mortuum est, 57.a. Si factæ carnis Spiritu mortificaveritis, 57.b. Non sunt condignæ passiones nostræ, 52.a. ut cōformes fiamus imagini Filij Dei, 59.a. affligimur tota die 55.b.
10. Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, 12.a. fides ex auditu 32.b.
11. Si permanseris in bonitate 56.b.
13. Abiicite opera tenebrarum, 57.a. non in commessationibus & ebrietatibus, 111.b. corporis curam ne agatis ad concupiscentias, 94.a.113.a.
14. Infirmum fide suscipite, 155.a. alius oleribus vescitur, 113.b. diem ad diem conferens, 155.a. Vnusquisque in suo sensu abundet, 11.b. scio in Christo Iesu nihil esse immundum, 100.a. Si propter cibum frater tuus contristatur, 100.a. Regnum Dei non est cibus & potus, 93.b.101.a.114.a. 119.b.129.b.131.a.141.b.142.b.146.b. Malum est homini, qui offendiculum vescitur 122.a.
15. Quæcunq; scripta sunt in nostram doctrinam scripta sunt, 32.b. Gentes debitores sunt Sanctorum, qui sunt Hierosolymis, 60.a.
1. Corint. 1. Num Paulus pro vobis est crucifixus, 55.a. 59.a. placuit Deo per stultam prædicationem salvos facere 32.b.
4. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus 51.a.
5. Inflati estis & non potius luxistis, 53.b. ad interitum carnis ut Spiritus salvus fiat, 53.b 55.a.64.b. paululum fermenti totam massam fermentat, 53.b. 67.b. nam & Pascha nostrum est Christus 155.a.
6. Ebrioſi regnum Dei non possidebunt, 112.a. Sumus membra Christi, 2.a. estis templum Spiritus sancti, 2.a. glorificate Deum in corpore vestro ibid.
7. Vt vacetis ieunio & orationi, 90.a. 92.b. 96.b. 98.a. vir infidelis sanctificatur per uxorem fidelem, 103.b. præceptum Domini non habeo, 155.b.
8. Nihil est simulachrum in mundo, 21.a. Esca nos non commendat Deo, 93.a.101.a.133.a.136.b.141.b.142.b. neq; si manducaverimus abundabimus 146.b.
9. Si spiritualia vobis seminavimus, magnum est si carnalia metamus, 60.a. qui in agone contendit per omnia temperans est, 94.b.111.b. castigo corpus meum, 93.a.94.b.98.a.111.b.
10. Ne sitis cultores idolorum, 19.b. dæmoniis immolant, & non Deo, 19.b. Nihil interrogantes propter conscientiam 100.a.122.a.126.b.
11. Imitatores mei estote, ut & ego Christi, 43.a. si nos ipsos iudicaremus non iudicaremur, 57.b. 68.a. cum convenerit us ad comedendum, 154.a.
12. Currebatis ad simulachra muta, 19.a. unius corporis membra omnes sumus, 59.b 60.b.
14. Dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem, 154.a. unusquisque vestrum canticum habet, 154.b. Deus non est Deus confusionis, 154.b.160.a.
15. Dormiūt in Christo, 2.b. qui baptizantur super mortuis, 9.a. seminatur in corruptione & infirmitate, 2.b. Resurget in gloria 2.a.
16. In una Sabbatorum unusquisq; apud te seponat 154.b.155.a.
2. Corin. 1. Passiones Christi abundant in nobis, 59.a. sit hoc pro vestra consolatione & salute 59.b.
2. Sufficit ei ista correptio, 54.a.55.a. ut charitatem erga ipsum confirmetis, 54.b. si quid donavi vobis, propter vos in persona Christi, 49.b.51.b.53.a.54.a.54.b.55.b.63.a.
3. Fecit nos ministros novi Testamenti, 24.a. Evangelium est ministerium spiritus 32.b.
4. Omnia hæc propter vos, 59.b. Internus homo renovatur 109.a.
5. Vnus pro omnibus mortuus est, 59.a. ministerium reconciliationis 49.b.52.a.
6. Templum estis Spiritus sancti 2.a.
7. Dolor secundum Deum parit pœnitentiam, 53.b. pœnitentiam secundum Deum, 95.a.95.b. genuit in vobis defensionem indignationem 54.a.63.a.67.b. commendastis vos, quod puri estis 67.b.
8. Societatem ministerij in sanctos, 60.a.61.a. propter nos pauper factus, ut gratia illius ditesceremus, 60.a. vestra abundantia illorum inopiam suppleat 60.a.
11. In ieiunijs 90.b 91.b.
12. Pro eo ter rogavi Dominum, 50.a. lugeam eos qui peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam 53.b.
Galat. 1. Si Angelus e cœlo aliud evangelizaverit anathema sit 5.b 150.b.
3. Dextras dederunt societatis, 60.b. quod Petrus non recto pede incessit ad veritatem, 100.b.
3. Vt redimeret nos à maledictione legis, 52.a. factus pro nobis maledictum, 50.a. 56.a. Lex pædagogus est ad Christum, 153.b. Non amplius sumus sub pædagogo 153.b.
4. Misit filium suum factum sub lege, 49.a. serviebatis ijs, qui natura non sunt dij, 19.b. ad infirma, & egena elementa mundi, 152.a.155.b. Dies observatis & menses & tempora, 115.b.116.b.133.a.b.135.a.b.143.a.153.b.155.a.158.a.
5. In libertate in qua Christus nos liberavit state, 49.b. 115.b.153.a. caro concupiscit adversus spiritū, 149.b. comessationes & ebrietates, &c, 112.a. carnem crucifixerunt cum concupiscentijs 57.b.
6. Absit ut glorier, nisi in cruce Christi, 45.a. stigmata Christi gesto in corpore meo 2.a.
Ephes. 4. Vnus Deus, una fides, unum Baptisma, 60.b. deponite veterem hominem, 57.a. condonate vobis invicem, sicut & Christus vobis 50.b.55.a.
5. Ne commertium habeatis cum operib. infrugiferis tenebrarum, 67.b. Nolite inebriari vino in quo luxuria est, 112.a.113.b. membra sumus corporis eius 2.a.
Philip. 1. Ad perfectum & conformationem Evangelij evenerunt 59.b.
3. Inimicos crucis Christi, 45.a. transfigurabit corpus humilitatis nostræ, 2.a. ut conforme reddat corpori suo glorioso 2.b.57.a.
4. Scio egere & abundare 146.a.
Coloss. 1. Qui est imago Dei inconspicui, 40.b. impleo quod deest passionum Christi, 58.b.59.a.

2. Gaudens ac videns vestrum ordinem, 154.b. condonans vobis omnia delicta, 52.a. 55.a. Nemo vos iudicet in cibo & potu, 100.a.115.b.122.a.159.a. In parte diei festi, 152.a.154.a. umbra futurorum, corpus autem Christi, 100.a.b. Mortui estis in Christo ab elementis mundi, 100.b.101.a.115.b.152.a. quid adhuc decretis tenemini, 50.a.155.b. Iuxta præcepta ac doctrinas hominum, 100.b. 101.b. 105.b. 122.a. 122.b. 124.a. corpori non parcunt, 94.a.112.a.124.b.
3. Mortificate membra vestra, 66.a. sicut Christus vobis condonavit, ita & vos 55.a.
1. Thessal. 5. Vigilemus & sobrij simus. 94.b. sobrij simus induti loricam fidei 111.b.
2. Thess. 2. Ne turbemini per sermonem tanquā nobis authoribus, 126.b. per spiritum aut revelationem, 127.a. Christus adventu suo Antichristum abolebit, 48.a. Signis & prodigijs mendacibus, 10.b. 41.b. mittit eis efficaciam elusionis 127.b.
3. Qui non laborat, non manducet 156.a.
1. Timot. 1. Quos tradidi Satanæ, ut discant non maledicere 53.b.54.b.
2. Fiant obsecrationes intercessiones, 154.a. precium redemptionis pro omnibus 155.a.
3. Deus in carne manifestatus 22.a.
4. Attendentes spiritibus impostoribus, 127.a. per hypocrisin mendacia loquentium, 120.b.122.b. prohibentium cibos, quos Deus creavit, 99.b. 101.a. 103.a. 107.a. 113.b. 122.b. 126.a. 134.b. 135.b. 136.a. sanctificatur per verbum, & precationem, 199.a. 101.b. 102.b. 105.a. 124.a. 130.a. de his si commonefeceris eos, bonus eris minister, 104.b. exerce te potius ad pietatem, 97.a. Corporalis exercitatio parum prodest, 97.b.111.a.119.b.124.b.134.b. 141.b.
5. Viduas in deliciis vivens, 92.a. argue eos coram omnibus, 53.b. 64.b. ut cæteri timorem habeant, 53.b. modico utere vino 94.b.124.b.
2. Timoth. 1. Formam habeto sanorum verborū 109.a.111.a.
2. Hæc commenda fidelibus hominibus, 23. Si quando det eis Deus pœnitentiam 51.b.
3. Possunt te erudire ad salutem, 32.b. Omnis scriptura divinitus inspirata 24.b.
4. Vigila in omnibus 111.b.
Tit. 1. Episcopus non sit vinolentus, sed temperans, 111.b. Mundis omnia munda, 100.a.103.a.107.a.139.a.
2. Senes ut sobrij sint, 111.b. Adolescentes adhortare ut sobrij simus, 111.b. ut abnegata impietate pie vivamus 57.a.
1. Pet. 1. Sanguis agni immaculati, 110.a. Hoc verbum quod per Evangelium delatum est ad vos 24.a.
2. Sequamur vestigia Christi 59.b.
4. Consortes estis afflictionum Christi, 59.b. Iudicium à domo Dei incipit 56.b.
5. Humiliamini sub potenti manu Dei, 58.a. 95.a. Sobrij estote & vigilate 94.b.111.b.
2. Pet. 1. Subministrate in fide vestra virtutem, 85.b. In temperantia patientiam, 111.b. Obliviscens purgationis peccatorum suorum, 56.b. Non arte cōpositas fabulas sequimur, 127.b. habemus firmiorem sermonem propheticum, 126.b.
2. Per avaritiam fictis verbis de vobis negotiabuntur, 51.a. libertatem alijs pollicentur ipsi servi corruptionis, 51.a. Canis rediens ad vomitum, 57.a.
3. Detorquent scripturas ad suam perniciem, 39.b.
1. Joh. 1. Si dixerimus peccatum non habemus, 51.a.
2. Advocatum habemus Iesum Christum, 59.a. debet ita ambulare, ut Christus ambulavit, 142.a.
5. Si quis viderit fratrem suum peccare, &c. 63.b. Cavete à simulachris 22.a.36.a.
Heb. 1. Character substantiæ eius 40.a.
4. Septimo die requievit Dominus 153.b.
8. Faciam testamentum novum 97.a.
9. Cherubim gloriæ, 36.b. usque ad tempora correctionis, 153.b. æterna redemptione parta, 59.a.
10. Vnica oblatione perfectos fecit, 59.a. non deserentes aggregationem nostri mutuam, 154.b.
11. Iacob sceptrum Ioseph adoravit 39.b. 43.a.
12. Quos diligit castigat, 58.a. ne radix amaritudinis suppullulet 57.b.
13. Gratia stabiliri cor, non escis 101.a.
Iacob. 5. Si in peccatis fuerit, remittentur ei, 63.b.
Apoc. 1. Dies Dominica 155.a.
4. Abiiciunt coronas suas ante thronum, 51.a.
14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur, 2.b.
19. Noli facere, quia sum conservus tuus, 39.a.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM ET VERBORVM, IN HAC QVARTA PARTE EXAMINIS MEMORABILIVM.

A.

ABdias Babylonicus 127.b.
Abgari historia apocrypha 27.a.43.b.
Absentem non esse colendum 25.b.
Absolutionis doctrina per indulgentias labefactata, 51. b. 52.a. publica lapsorum pœnitentium absolutio, 54. a. 65. a.b. absolutio Papistica, 54.b. antea aut post absolutionem satisfactiones imponi, 66.b. 68.b. Formæ absolutionis in Bullis, 79.a. absolutionem sacramentalem præstare indulgentiis 84.a.
Abstinentia, 71.a. 72.a. 91.b. 114.b. 151.a. non per se, sed secundum fines distinguit hos, qui ei student, 96.b. abstinentia ab aliquibus cibis non est ieiunium, 92.a. 106.b. hostes eius, 120.b. finis, 150.b. diversitas abstinentiæ 151.b.
Accusationes sine vedditis causis 139.b.
Accusatorus falsi pœnitentia 70.b.
Adam eiectus paradiso, 70.b. Adamus Halberstadensis pœnitentiam agens, 73.a. 163.b. Adamo indictum fuisse ieiunium in paradiso 106.b.
Adiaphoris annumerantur imagines, 14.a. Adiaphoristi ritus non rumpere debent unitatem fidei, 129.b. 131. a. 144.b. quid sit adiaphoron, 144.b. studium circa res indifferentes, 147.b.
Adolescens per Iohannem à latronibus reductus 109. b. 63.b.
Adon 42.b.
Adoratio an & qualis debeatur statuis, 37.b. quid scriptura vocet adorationem, 38.a 39.b. 43.b. 46.b. Omnis adoratio imaginum prohibita, 38.a. cui ea debeatur 39.a.
Adramelech 18.b.
Adulterorum pœnitentia, 69.b. adulteram ducentis, 70.b. uxorem adulteram non pœnitentem agnoscentis pœnitentia 71.a.
AEgyptiorum de reliquiis Ieremiæ persuasio, 10.a. templa, 16.a. Dii, 19.a. Idolum Apis, 20.b. Sacerdotes quibus abstinuerint 123.a.b.
AEgyptus Mathematica studia fovit 157.a.
AElianus de varia historia 10.a.
Aerij hæreses apud Epiphanium 140.b.
AEsculapius Romam adductus 17.a.
AEternum quid significet in scriptura 154.a.
Afflictiones nostræ non sunt meritoriæ, 51.a. 55.a.b. 56.a.b. causa afflictionum, 56.a.b. Non tollunt eas indulgentiæ 57.a.b.
Africanus 127.b.
Agni paschalis benedictio 103.a.
Alanus 114.a.
Albertus Magnus, 74.a. Albertus 117.a.
Albertus Kranzius 86.b.
Alexander ab Alexandria 15.a. 16.a. 20.a.
Alexander Alensis, 75.a. 113.a. 113.b. 114.a. 116.a.
Alexander VI. 78.b. 85.a.
Alexãdri Magni reliquiæ, 9.b. 10.a. statua & imago 15.b.
Alexander Severus Christi imaginem habuit, 27.a. 25.b.
Alexius 27.b.
Altare olim non reliquiis sanctorum, sed Christo tribuebatur, 9.a. altaria plura extructa ad effictas reliquias, 11.b. altare summum Romæ, 81.b.
Amelunxborn 12.b.
Ammonitarum idolum 18.b.
Amphilochius 31.b.
Amplificationes Rhetoricæ in patribus, 106.b. 108.b. 111. a. 140 a.
Anamelech 18.b.
Anastasius quos sanet 38.a.
Anathemata Conciliorum & patrum, 34 a. 40.a.
Andradius 19.b. 20.a.
Andreæ reliquiæ 8.b.
Andreas Abbas Amelunxbornensis 12.b.
Angariæ quatuor 116.a. 117.a.
Angeli non colendi 21.a. 37.a.
Angelorum corpora 37.a.
Angelus imperat Papæ 78.a.
Angelus cum Herma colloquium de ieiunio, 127.b.
Angelus scriptor Papistarum 78.a.
Anglia quot dentes Apolloniæ habuerit 12.b.
Animarum immortalitas 2.a.
Animæ operationes iuvantur & impediuntur certa corporis dispositione 94.a.
Animi affectiones se per corpus produnt, 95 a.
Anni initium & exitus festive habemus, 153.b.
Anniversariæ panegyres ad sepulchra martyrum, 6.b.
Annonius 42.a.
Annunciationis festum 163.a.
Antigonus patru sui cineres transtulit 8.a.
Antiochi statua 15.a.
Antiquitati reverentia debetur, 6.a. authoritatis eius usus aut abusus, 10.b. 120.a 124.a. 125.a.
Antoninus 49.b. 53.a. 63.b. 114.b.
Antonini statua 15.b.
Apis cultus 20 b.
Apocrypha 110.b. 124.b. 127.b. 141.b.
Apocrypha allegare 27.a. 35.b. 41.a. 43.b.
Apollo Daphnæus 8.b.
Apolloniæ dentes in Anglia 12.b.
Apollonius 132.a.
Apostolorum imagines invocatæ 38.b.
Apostolicarum traditionum fucus, 125.a. 140.b. Constitutionum Apostolicarum libri, 125.a.b. 140.b. 141.b. Canones Apostolorum, 126.a.b. 150.b.
Aqua lustralis, 17.a. Aquæ effusæ ceremonia, 95.b. Aquæ benedictio, 103.a. aquam frigidam, aut calidam bibere. 123.b. ea abstinere 143.b.
Aristogitonis statua 15.a.
Armeni 137.a. 152.b.
Arnobius 16.b 17.a. 29.b.
Ascensionis festum 157.b. 162.a.
Asconius 63.a.
Asima 18.b.

Astharoth

Astharoth 18.b.
Astexanus 63.a. 73.b.
Asterius 31.a.
Assyriorum idolum 18.b.
Athenienſium persuasio de ossibus Thesei, statuæ ab illis positæ benè meritis, 15. a. Athenienſium sacra, 123. a.
Augustus Alexandri reliquias conspicit 9.a.
Aventinus 42.a. 84.a.
Aves strangulatas comedere 71.a.
Aureus numerus 157.a.

B.

Baal 18.a.
Baal Berith 18.b.
Baal peor 18.b.
Baal Zebub 18.b.
Babylæ martyris reliquiæ 8.b.
Babyloniorum idolum 18.b.
Bachanalia 123.a.
Baptismum corpore etiam percipimus, 2.a. super sepulchris olim fuit baptizatum, 9.a. secundo baptizari, 65.b. Innocentiam in baptismo acceptam per indulgentias restitui, 79.a. baptismo æquiparare ingressum portæ cuiusdam Romanæ, 81.b. cum precibus & ieiunio administratus, 106.a. 128.a. tempus baptismi 106. a.
Baptismi Christi festum 158.b. 163.a.
Basilicæ sanctorum nominibus appellatæ, 7.b. hæretici illas nonnegesi sunt, 7.b sine reliquiis sanctorum nullam pro vera agnoscere, 12.a. constructiones earum iuvare quid prosit, 48. b. visitare eas indulgentias meretur 76.a. 77.a.
Basilidis hæresis de martyrio pro Christo non subeundo, 6.a. 7.b.
Basilidis sectatores 24.a.
Basilius Imperator 46.a.
Bel Babyloniorum 18.b.
Bellum contra infideles iuvare, quid prosit, 48.b. 76.a. 77.a. 79.b. 89.a.
Benedictini carnes non edunt 102.a.
Benedictiones creaturarum, 103.b. Romense benedictio 104.b.
Benoth 18.b.
Bernhardinus 74.a. 115.b. 118.a.
Berosi statua 15 b
Bestiis mixti, quamdiu pœnitentiam agant 70.a.
Biturgibus inventi versus de indulgentiis 80 a.
Blondus 42 b.
Bohemi nundinatores indulgentiarum in carcerem conicerunt 83.b.
Bona alia per se, alia propter aliud, 93.a. bono nihil magis obest, quam hypocrisis & superstitio 120.b.
Bonaventura 46.b. 75.a.b. 117.a.
Bonaventura de implenda satisfactione Christi imperfecta 55.b. 58.b.
Bonifacius VIII. 73.a. 77.a.
Bonifacius IX. 78.a.
Britzen 87.b.
Brunsuicensis Schola & Ecclesia conventus sacri & pietatis exercitia 162.b.
Burchardus 69.b. 70.a. 71.a. 72.a. 152.b.

C.

Caiani cur damnati 7.b.
Caietanus 88.a.
Calamitatum causæ in reconciliatis, 56.a.b. 57.a. de impiorum calamitatibus quid sentiendum, 56.a. dispensatio rerum est in arbitrio Dei 58.a.
Calici insculptæ picturæ 26.b.
Caligulæ statua 15.a.
Calvinus de reliquiis Sanctorum 12.b.
Canonicæ satisfactiones, vide Satisfactiones.
Cantus ad funera, 8.b. in cultu idolorum 17.a.
Capitis vertigo 123.a.
Caranza 46.b.
Carena quid sit & unde dicta 70.a. 73 a.
Caro cruce frenatur, 57.a. crucifigenda, 57.b. Coërcenda & spiritui subjicienda, 94.a. 108. b. 149.b. Carnis usus in cibum, quando homini concessus, 99.a. causa prohibitæ carnis in cibum, 102.a. Carnis usus à quibusdam prorsus damnatus, 101.b. 137.a.b. in vitando esu carnium perfectionem ponere, 102.a. 132.a. causæ prohibiti esus carnium ex Scholasticis, 113. b. Carnis concupiscentias excitantia, aut sedantia, 111.b. AEgyptii Sacerdotes, & multi alii carnibus abstinuerunt, 123 a. In esu carnis tempore ieiunii quantum peccatum, 113. a. Carnes provocare concupiscentiam 123.b. 131.b. 137.b. 147.a. nomine constitutionis Apostolicæ abstinentiam à carnibus prohibere, 124. a. 125.b. 126.a. Iudæi cur non emant carnes è Macello gentium, 126.a. qui introduxerint abstinentiam à carnibus, 131.b. diu eve eas immundas & execrandas, 147.a.b. quando cœperit prohibitio, 138.a.b. 139.b. Carnes suillas in ieiunio edere, 139.a. esus earum est res indifferens, 150.a. Monachis prohibitus, 127 b. Carnes in quadragesima venales nemo emere voluit per superstitionem 152.b.
Carolus Magnus Synodum convocat Francofurti, 42.a. libri eius de actu Synodi illius, 42.b. filius eius Ludovicus 44.a.
Carpocrates 24.b.
Carrina quid & unde dicta 70.a. 73 a.
Carthusienses non comedunt carnes, 102. a. 131. b. 137.b.
Casei benedictio 103.a.
Cassander 128.b.
Cassianus martyr 30.b.
Castigationes reconciliatorum, quomodo accipiendæ, 56.b. Castigationes peccatorum in Ecclesia, vide pœnitentia & Satisfactiones.
Casus reservati 79.a. 85.b.
Catecheseos exercitia 163.a.
Catonis imago 15.a.
Celerini pœnitentia 64.a.
Cerei ad reliquias Sanctorum, 10. a. b. 10. b. 11.a. 31.a. in cultu idolorum, 17.a. 43.b. Cereus Paschalis 156.b.
Ceremoniæ dissimiles in fidei vnitate, 129.a. 130.b. 151.a. ceremoniarum veteris Testamenti periodus, 153.b. quatenus abrogatæ 154.b.
Christophorsomus 63.b. 129.a. 138.a.
Christum crucifixum esse negavit Basilides, 6.a. divinitas eius ab Eunomio negata 8.a.
Christi imaginem olim Patribus apparuisse, 19. b. Christi imago quomodo colatur à Pontificiis, 21. b. an facienda & toleranda, 22.b. 25.b. Christi imago an Abgaro communicata, 26.b. 27.a. 43.b. 47.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi crucifixi imago in Berytho,27.b.crux Christi inventa,27.b.statua Christi Cæsareæ Philippi,27.b. 128.a.30.b.Petrus & Paulus olim cum Christo picti, 28.b.præter signum crucis etiam imago Christi crucifixi templis illata,30.b.33.b.Christum ad signum crucis adorare,32.b.33.b. Imago Christi quomodo habitu fuerit,38.b.49.b. Maria & Iohannes cum Christo depicti,38. a. de Christi adoratione,40.b. Christum secundum humanitatem adoptivum Dei filium dixerunt Feliciani,42.a. crucis Christi consecratio,46.b.47.a. Christus nos à culpa & pœna liberavit, 48.b.50.a. quomodo beneficia eius nobis applicentur,50.a. passionem & satisfactionem Christi facere imperfectam,50.b.55.b.58.b.Christum solum hominem esse docuit Theodotus, 64.a.quomodo Christus dicatur tollere peccata,75.a.meritum eius non prodendum,111.a.Christus in miraculis non imitandus, sed admirandus,116.b. adventu Christi limitata est lex Mosaica 154.a.

Ciborum delectus est laqueus conscientiarum, 86.b.superstitiones eum comitantes & sequutæ,ibidem.quo prætextu ex defendantur,90.a.cibus lugentium peculiaris,92.a. cibo & potu animæ operationes impediri possunt, 94. a.non ciborum delectu,sed abstinentia definiendum est verum ieiunium.98.b.ratio victus tempore festorum aut ieiuniorum.98.b.an ciborum commutatione ieiunium ponere, 98.b.opinio necessitatis, cultus & iustitiæ in delectu ciborum posita,ibidem.cibus mundus aut immundus unde æstimandus,99.a.b.causa discriminis ciborum in veteri testamento instituti, 99.b. ratio concessorum,aut prohibitorum ciborum non à medicis est petenda, 98.b.99.b.113.a. cibi sanctificatio unde dependeat, 99.a.b. lex de ciborum discrimine abrogata nobis, 99.b.propter infirmos aliquandiu tolerata esse Leviticas observationes ciborum in Ecclesia Christi,100. a.libertate Christiana abolitæ sunt leges Mosaicæ de cibis,100.a. an Ecclesia potestatem habeat abrogata lege Mosaica de discrimine ciborum,novam de eo legem sancire,100. b. ciborum discrimen, quomodo probetur servandum,101.102. Pontificij idem quod olim hæretici de ciborum prohibitione docent,102.a. b.de consecrationibus ciborum in papatu,102.b formulæ consecrationis cibi & potus apud Pontificios, 103.a.cibi sanctificatio,103.b.104.a.benedictio mensæ,& gratiarum actio post sumptum cibum, 104.b. 105. a. prohibitiones ciborum sub prætextu ieiunij execratæ,106.b. moderationis in cibo,& potu & aliis rebus commendatio.112.a.b.113.a.129.b in delectu & prohibitione ciborum Papistæ ieiunium ponunt,113.b. Scholastici de causis prohibiti esus carnium, 113. b. refutatio prohibitionis ciborum, 113.b. Patres contra delectum ciborum,114.a. de quantitate ciborum in ieiunio.114.b.115.a. de precys Romanorum indultorum & licentiæ vescendi cibis interdictis,118.b.ciborum delectus tempore Apostolorum, 122.a.inter gentes,123.a. apud Essæos.123.b.à cibis abstinere, quia res sint abominabiles, 126.a.130.b. 132.a.de delectu & prohibitione ciborum apud Montanistas,132.b.134.b.139.a.Ethnicorum abstinentia 135.a.Eustachius de ciborum delectu,138.a. quando cœperit indici & observari talis abstinentia, 138. b. 139.b.ciborum diversa observationes, 141.b. opinio cultus in eo, 141.b.cibos non causare malitiam,147. a.150.a.sanctitatem in delectu ciborum constituere, 150.a.de reliquijs vide ieiunium. Item caro,&c.

Cineres pœnitentibus aspersi 70.b.73.a.
Circumcisionis festum 162.b.
Cium 19.a.
Claudius presbyter contra peregrinationes 11.a.
Claudij cum Iona de imaginibus certamen, 44.a. quis ille fuerit, & quomodo ministerio functus sit, 44.a.b.
Clavium doctrinam pervertunt indulgentiæ,50.b.52.a. quæ sint, quæ per claves non tollantur, aut relaxentur,58.a.eas tantum in terra valere 70.a.84.a
Clemens V. 77.a.
Clemens VI. 78.a.
Clemens VII. 78.b.
Cochab 19.a.
Coelitis statua 15.a.
Cœlibatus Sacerdotum gentilium 17.a.
Cœna Domini, vide Eucharistia.
Cœna Pontificiorum in die ieiunij 114.b.
Coitus præter naturam quomodo puniatur, 70.a.coitus cum animalibus pœna 69.b.70.b.
Collatio pro cœna in diebus ieiunij 114.b.115.a.b.
Collecta 159.b.
Commodi statua 15.b.
Communio, vide Eucharistia.
Communio Sanctorum, quo extendatur à Pontificijs, 60.a.quid sit 60.b.
Computus Ecclesiasticus 157.a
Concilia & Synodi,&c. Concilium Agathense, 64.b. 70.a.Ancyranum,69.a.71.b.72.a. 139.b.Aurasicanum,64.b. Aurelianense,152.b.Cabilonense,62.b. 114.b. Carthaginense.11.b.64.b.65.a.67.a.68.b. Constantiense,83.b. Elibertinum, 10. b. 31.a. 33.a. 152.a. Francofordiana Synodus,42.a. Sexta Synodus,33.a.b.125.b.137.a.152.b.Septima Synodus,34. 35.36.37.38.39. Octava Synodus,46.a. Concilium Gangrense,7.b.138.a.Lateranense,74.a.74.b.77.a. 83.a.Lugdunense.159.b.Moguntinense,152.b.159.b Nicænum,14.a.21.b.34.b.42.b.68.b.59.a.71.b.157 b.Viennense 76.b.83.a.
Concilia qualia ferre possunt Pontificij,34.b. conciliorum maior pars vincit meliorem 42.a.
Conciones habitæ ad monumenta Martyrum, 6.b.7.a. b.12.a.in quolibet etiam loco 7.b.8.a.
Conciones habitæ ex prædicto textu 155.b.
Coniugij cum adultera pœna pœnitentiaria, 70. b.duas sorores aut cognatas cognoscens quomodo pœnitentiam agat 70.b.
Confessio peccati in publica pœnitentia, 64.65.66.
Confessio publica etiam occultorum peccatorum, 65.b.
Confessio privata coram pœnitentiario 65.b. pro sua conscientia ad ministrorum communionem non præmissa confessione accedere, 65. b. ante aut post confessionem & absolutionem satisfactiones imponi 66.b.
Confessionalia quid 78.b.
Conradus VVimpina 83.b.85.a.88.a.
Conscientiis laqueos injicere sine Scriptura 50.a.
Consolandi resipiscentes 54.b.
Constantinopolin translatæ reliquiæ Sanctorum quorundam 8.b.
Constantinus reliquias Sanctorum transtulit ad monumenta celebriora, 8. a. imagines multas fieri curavit, 26. b. 27. b. de Baptismo Constantini & Baptisterio ab illo facto, 27.b.35.a.de clavo Christi frenum sibi fecit,27.b.quomodo se depingi fecerit, 28.b.signum crucis ei apparuit,29.a. vexillum eius forma crucis 29.a.
Constantinus Leonis filius per synodum omnes imagines abolet ac damnat, 34. b. corpus Constantini effossum Irene cremavit, & cineres in mare dispersit, 34.b.
Constantini filij interfectrix mater Irene, 34.a. 34.b.
Constantini imagines 15.b
Continentia quid,110.a.utilitas eius 116.a.
Controversias dextrè aut minus dextrè diiudicare, 142.a.b.
Conventus Ecclesiastici in veteri Testamento,153.b. in novo Testamento,154.a.in veteri Testamento ad certas circumstantias erant alligati,154.b. ordo & decorum in conventib.Ecclesiasticis,154.b.tempus conventuum,155.a.sanctificatio eorum,ibid.libertas dierum,155.a.159.b.quotidiani conventus Christianorum.155.a.160.a. dies Dominica ab Apostolis destinata sacris conventibus 155.b.160.a.
Conventuum sacrorum propria exercitia. 155.b. habiti etiam sunt quinta & sexta feria conventus sacri,155.b. diversa tempora conventuum sacrorum, 161.b.
Conventus Ecclesiastici Brunsuigæ 192.b.
Coronæ mortuis oblatæ, 8. b. 10. a. idolis impositæ, 17.a.
Corporum humanorum in hac vita sanctificatio, 2. a in futura vita glorificatio,ibidem. abiectio post mortem, 2.a.6.b.8.a.redemptio per Christum,2.a. regeneratio per Baptismum, ibidem.percipimus etiam corpore Eucharistiam, 2.a. sunt domicilia Spiritus sancti.2.a per corpora Sanctorum Deus multa facit ibid. Deum glorificamus in corpore nostro,2.a.quid sunt per naturam, & quid per gratiam,2.b. corporum honorifica sepultura,6.a.7. a.9.a. translationes eorum, 4.b.8.b.corporis affectiones impedire & iuvare possunt operationes animæ, 94.a.cura corporis debita 94.a.
Cosmæ imago 38.b.
Crapulæ fructus 93.b.111.b.
Creaturarum benedictiones Papisticæ 103.a.
Crucis signo se signare, 29.a.76.b.vexillum Constantini forma crucis, 29.a. signum crucis Constantino apparuisse,29.a.signum crucis duobus lignis formari cœptum, sed sine addita imagine,28.a.29.a. cultus crucis 29.a.
Crucis Christi miraculum, 41. a. per crucem Christi quid veteres intellexerint,43.b.45. a. adoratio crucis à Iona invecta,45.a.quomodo adoretur in Ecclesia Romana,46.b.quomodo consecretur ut virtutem iuvandi adorantes habeat,47.a.quomodo invocanda sit,47.a.crucis piorum utilitas, 56.b.dulcem crucem facit quod nomen habet passionum Christi, 59. b.sanctæ crucis Ecclesia Romana 82.a.
Culpæ remissio, Vide pœna.
Cultus ex Scriptura indicandi,1.a.occasione miraculorum novos cultus sine verbo instituere,10.b.11.a 14. b.cultum in idolatriam degenerare,18. a. in cultu non recedendum est à via quam præcepit Dominus, 21.a.cultus externus & internus,21.b.absentem non esse colendum,25.b. cultus novos ex miraculis sine institutione effingere,4.a. electity cultus quantumvis speciosi rejiciuntur, 5. b. cultum omnem vulgo non velle explicare,17.b. cultum facere bona intentione.39.b.cultus non instituendus ex consuetudinibus & rationibus humanis 41.b.

D.

Dagon 18.b.
Dæmones unde sint,13.b.16.b.officium eorum 16.a.
Damasi Pontificale 27.b.
Damiani imago 38.b.
Decimas omnium dantes,etiam temporis 116.b.
Definitio optima, quomodo & unde conficienda Theologo 91.a.
Defectionis authorum pœnitentia 69.b.
Dei imaginem aliquam non faciendam esse 16.a.
Deus primus & magnus sub se habens Deos minores,& hos alios bonos,alios malos,16.a.cur gentibus placandi Dij fuerint,16.b. Deorum imagines in templis positæ,16.b. variæ formæ Deorum, 16.b. an quia Deus in certa forma appareat,idcirco a nobis etiam sit efformandus 20.a.
Deus ubique 23.b.
Demetrij cineres translati 8.a.
Demosthenis statua 15.b.
Dentium dolores curare 12.b.
Detractionis pœnitentia 70.a.
Devotio in superstitionem degenerans 10.a.12.a.b.
Dies observare 115.b.116.b.133.a.b.135.a.b.134.a. Diei in horas distributio in Papistarum cultu 114.b.
Dies Dominica sacris cœtibus destinata, 155 b. non tamen præcepto aut necessitatis opinione nobis est imposita,155.b.Christiani in primitiva Ecclesia observata,155.b.diei Dominicæ exercitia propria,154.b. quare sit Christianis festiva,155.b.156.a.160.a.sanctificatio & sanctitas eius,160.b violatio eius, 161.a.b quomodo habeatur Brunsuigæ,162.b.certæ lectiones eius 163.a.
Diocletiani statuæ 15.b.
Dionysius Areopagita de imaginibus 27.b.
Disciplinæ Ecclesiasticæ forma, 53. a.53.b.54.a.b. hæc erat studiosè reducenda, 65.b.68.a.nimia eius commendatio,68.a.collapsæ eius causa 119.b.
Divinatorem consulens quamdiu pœnitentiam agat, 69.b.
Doctrinæ inclinatio quomodo fiat 111.a.
Dogmata è Scriptura indicanda,1.a.117.a.omisso verbo Dei è miraculis dogmata fingere.9.b.è consuetudinibus & ratiocinationibus humanis dogmata affingere,42.a.dogma aliquod solius Ecclesiæ authoritate niti 75.a.
Domitiani statuæ 15.b.
Durandus, 46.b. 49.b. 52. a. 63.b.83.a.114.b.115.b. 117.a.

E.

Ebrietatis pœnitentia,70.a.fructus 91.b.111.a.
Eccius 88.a.
Ecclesiam non posse errare, 75. b. Ecclesiam posse indulgentias dare, quatenus non errat, 84.b.85.a.
Ecclesiæ Romanæ statuta omnibus fidelibus servanda

Universidad de Deusto
Biblioteca

vanda obtendere, 90.a.102.a. Ecclesiæ debita obedientia, 101.a. Ecclesiam non agnoscere, vbi non sint reliquiæ Sanctorum, 12.a. Ecclesiam virtualiter esse Pontificem Romanum, 51.b. Ecclesiarum ad quas venimus, ritus observandi 144.a.
Edessenorum in imagine Christi, quam habuerunt, fiducia 27.b.
Edvardus, Rex Angliæ, dentes Apolloniæ colligit 12.b.
Egidius Romanus 75.a.
Eginardus 42.a.
Eisingrinius 3.a.
Eleemosynis peccata velle redimere, 72.b.110.a.b. ad corrigendas eleemosynas indulgentiæ propositæ, 74.a. Eleemosynarum contributiones in conventibus sacris 154.a.155.b.
Eleusynia sacra 123.a.
Encœnia veterum 153.b.
Encratitæ 131.a.
Ephemerides 157.a.
Epiphaniæ 158.b.162.b.
Episcopum à presbytero nihil differre 140.b.
Esseorum ieiunia & abstinentiæ 123.b.
Eucharistiæ sanctitatem iuvare reliquiis Sanctorum, 1.b. præcipitur ea etiam corporibus nostris, 2.a. ad sepulchra Sanctorum administrata, 9.b. bis post publicam pœnitentiam iterum lapsis non data fuit, nisi in extremis, 64.b.71.b. præmissa confessione aut eadem omissa ad communionem accedere 65.b. pœnitentibus nondum etiam peracta satisfactione in extremis est data, 67.a. etiam hîs data est, qui tunc primum converterentur, 67.a. 68.b. intercessione suæ alicui communionem impetrare, 71.b. Pœnitentes ante impletam satisfactionem ad communionem admissi, 72.b. ad Paschа solennior communio habita, 106.a. ad communionem accedentes, pridie vel à cœna abstinent, vel quam parcissimè cœnant, 119.a. fuit sæpè ad feriam quartam & sextã administrata, 128.b. 140.b. liberum est Christianis quemcunque diem ei destinare, 155.a. die Dominica administrata, 155.b 156.a. diversis diebus celebrata, 156.a. 158.a. Cœnæ Domini festum 163.a.
Eugenius IIII. 79.a.
Eunomius & Eunomiani 7.b.8.a.
Euripides 123.a.
Eustachius, 7.b. Eustachii abstinentia, 137.b.139.b. 141.a.
Eutychiani de imaginibus 37.a.
Excommunicatio papalis 34.a.49.a. veræ excommunicationis ratio processus & finis, 53.b. 63.64. excommunicatorum receptio 10, 54.a. communio cum excommunicatis quomodo puniatur 70.a.
Exequias non tollunt indulgentiæ 79.a.
ἐξετάζεσθαι 64.a.67.b.
ἐξομολόγησις 64.a.

F.

Feliciana hæresis 42.a.
Festa Deorum gentilium, 17.a. festorum celebratio indulgentias meretur, 76.a. festa veteris Testamenti à Deo ad quid institutа, 153.a. Deus festa sua certis ceremoniis, & aliis circumstantiis circumscripsit, 153.a. 154.b. sanctificatio eorum, 154.b. 155.a. 160.b. libertas dierum festorum in Christianismo agendorum, 155.a. 156.b. festorum veteris Testamenti abrogatio, 154.a. propria festorum in Ecclesia Christi exercitia, 155.b. 156.a. Apostolos non tulisse leges de festis, 151.a. ex observationibus eorum leges esse factas, ibid. de festis tanquam de vita sæpe decertant, qui tamen scortationem indifferentem habent, ibid. festum Paschatis, 157.a. Pentecostes, 152.b. Ascensionis, 157.b. de cauſis festorum, 158.a. 160.a. festum natalis Christi, 158.b. Epiphaniorum, 158.b. martyrum, 158.b. primitivæ Ecclesiæ festa, 159.a. festum dedicationis templorum, 159.a. cumulationes festorum, 159.a.b. festorum qualis apud Christianos observatio, 160.a. b. festorum historias & certas lectiones retinere, 160. a. 163.a. 162.a. merita eorum, 161.a. pietas non in festis tantum exercenda, 161.a. quæ opera diebus festis prohibita, 161.b. quando inchoandæ feriæ, 161.b. vigiliæ festorum, ibid. quid præcipuæ spectetur & agatur in festis Pontificiorum, ibid. opinio necessitatis festorum, ibid. multitudo festorum Papisticorum, ibid. gentilium solennia sacra, 162.a. festa quorum non extat historia in Scripturis, ibid. Sanctorum festa celebrari ad promerendum patrocinia eorum, ibidem. consecrationes luminarium herbarumq; in festis, ibi. Ludicræ papisticorum festorum ceremoniæ, ibid. quæ festa in Brunsuicensi Ecclesia celebrentur 162.b.
Fides eadem omnes salvandos justificat, 11.a. fides in imagines, 38.a. quomodo alij ad fidem Sanctorum imitandam sint invitandi, 43.a. fidei articulos facere sine verbo Dei, 50.a.84.b. fidei doctrinam subvertunt indulgentiæ, 50.b fides organum est quo applicatur nobis meritum Christi, ibid. fidem metu periculi abnegantium pœnitentia, 69.b.71.b. fides fundamentum est verbum Dei, 105.b. fidei doctrina per nimias laudes obscurata 111.b.
Filiam spiritualem cognoscens 71.a.
Fine rei observato rectè de ea potest iudicari 147.a.
Flagelliferi pœnitentiarij 73.a
Floribus conspersa funera, 10.a. bis idola ornata 17.a.
Florum benedictio 103.a.
Fornicationis pœnitentia, 69.b. fornicatio cum sanctimoniali 69.b.
Fortalitium 84.a.
Forum pœnitentiæ 52.a.
Forum Dei aut Ecclesiæ 75.a.
Franciscus Maioranus 48.b.
Franciscus Maironis 75.b.77.b.
Francisci indulgentiæ plenariæ 80.b.
Francofurdiana Synodus, 42.a. acta eius suppressa, ibid. concesit imagines, sed cultum eorum damnavit, 43.b. fundamenta eius & refutationes contrariæ doctrinæ, 43.a.b. anno 744. fuit celebrata 434.a.
Frondium benedictio 103.a.
Frugalitas, 91.b. 112.a.b. hostes eius 120.b.
Fulgosius 15.b.
Fundamentum firmiter retinendum 111.a.
Funerum curationes 3.a.8.b.
Furto imposita pœnitentia 69.b.

G.

Gabriel 117.b.
Galli à cultu imaginum alieni 44.a.b.
Germani à cultu idolorum alieni, 16.a. 42.a.b. 43.b. 144.b.
Germanorum ieiunia 119.b.
Germaniæ gravamina, inter quæ etiam sunt indulgentiæ

tiæ 85.b.
Germanorum credulitas 85.b.
Gnostici 24.b.
Gorgiæ statuæ 15.b.
Grachi statuæ 15.a.
Græci cum diu super imaginum adoratione disputassent & persecutiones essent passi, tandem prævalere eam in Ecclesia sua sinunt 48.b.
Gratiæ idem quod indulgentiæ 48.a.
Gratiam Dei in reliquijs Sanctorum quærere, 1.b. 5.b. 10.a.b. ubi & quomodo velit eam Deus quæri, 5.b. quod Deus per gratiam remittit, hoc Pontificij retinent & precio à se emi sinunt, 50.b. 51.a. gratiæ retinendæ studium 56.b.
Gratiarum actione cibos sanctificari, 104.a. gratiarum actio post cibum sumptum 104.b.
Gratianus, 69.a. 70.b. 152.a. 155.a. nihil habet de indulgentijs 61.b.
Gregorius II. 34.a
Gregorius III. 34.a.
Gregorius VII. 102.a.
Gregorius XI. 78.b.
Gregorius Ariminensis 75.b.
Gregorius Neocæsariensis 42.a.
Gropperus de nimia commendatione pœnitentiæ publicæ apud Patres 68.b.
Gulæ fructus 91.b.111.b.
Gula Pontificijs familiaris 114.a.

H.

Hæreses describere secundum præconceptas opiniones, 134.a.
Hæreses attribuere ijs. quos refutare non possis 140.b.
Hæretico communicantis pœnitentia 70.b.
Haimo 144.a.
Halberstadensis Adami historia 73.a.164.a
Harmodij statuæ 15.a.
Helena crucem Christi invenit 27.b.
Heliogabali statua 15.b.
Herba ἀλεξιφάρμακος ad imaginem Christi inventa, 27.b.28.a.
Hermes de ieiunio 127.a
Herodotus 16.a.
Heroes in templis sepulti 83.b.
Hieronymus Pragensis 83.b.
Hierosolymam visere 10.a.11.a.b.72.b.
Hildesia 81.a.
Himmarus 42.a.
Historiæ Ecclesiæ non fideliter descriptæ, 134.b. historiæ certaminum 136.b.
Hogostratus 88.a.
Homeri statuæ 15.b.
Homicidio cuiuscunq; generis imposita pœnitentia, 69.b.70.b.71.b.
Hominis miseria & vanitas 2.b.
Horarum suppputatio 114.b.
Hospes quomodo acceptus à Spiridone 139.a.
Hospitalium bona per propositas indulgentias cumulare 74.a.76.b.80.a.
Humiliatio nostri in ieiunio 95.a.b.101.a.
Hypocrisis plurimum obest bono 120.b.
Hyssopi usus 123.a.b.

I.

Iacobi Apostoli thronus Episcopalis 9.b.
Iacobus Angularis 32.a.81.b.
Iconomachi 34.b.
εἰκονοκλάσται 129.a.
Idola, vide imagines.
Idolis sacrificantium pœnitentia 69.a.
Ignis Persarum 20.a.
Ignis perpetuus in cultu Ethnicorum ibid.
Ignem è solis flamma elicere ibid.
Igni apparuit Deus ibid.
Ieiunia facta dysgentium 14.b. Ieiunia varia pœnitentium, 70.a.b. Ieiunij soluti pœnitentia, 70.a. Ieiunij leges sunt laquei conscientiarum, 89.b. superstitiones quæ accesserunt, ibidem. quomodo prætextu defendantur, 89.b. Ieiunium per se non esse impium, nec pertinere ad traditiones humanas, sed habere fundamentum Scripturæ, 90.a.b. 91.a. 106.a. Ieiuni qui dicantur, 91.a. Ieiunium miraculosum, 91.b. 147.a. Ieiunare à peccatis, id est, abstinere, 91.b. Ieiunium spirituale, seu allegoricum, 91.b. verum quibus rebus constet ac definiatur, 91.b. 92.a.b. 93.a. 148.a. 150.a. proprissimè sic dictum in Scriptura est cum prorsus abstinetur à cibo, 92.a. nõ constat prohibitione & abstinentia certorum ciborum, 92.a. 106.b. 107.a. 108.a. 134.b. Deo probatur si sit pœnitentiæ & orationi coniunctum, 93.a. per ieiunium caro Spiritui subjicitur, 94.a. 146.b. non eadem carnis castigatio omnib. imponi potest, 94.a.b. Ieiunium in seruis pœnitentiæ exercitijs adhibendum, 94.b. Ieiunantium luctu noscitetur 95.b. Ieiunij luctus admoner de magnitudine iræ Dei & peccatorum 93.b. 106.a. usus ieiunij fuit in precibus solennioribus & ardentioribus, 95.b. 106.a. b. 146.b. Ieiunium observatum est tempore publicorum conventuum Ecclesiasticorum, 96.b. Ieiunij definitio vnde constituenda, 91.a. 96.b. abstinentia non per se, sed secundum fines debitos pro ieiunio vero est habenda, 96.b. 107.a. 111.a. 117.a. Ieiunium quod Deus aut negligit, aut etiam abominatur, 93.b. unum ieiunium statum in veteri Testamento, 97.a. Ieiunium ante Paschа olim & nunc, 97.a. 106.a. 108.a. 114.b. 115.b. 125.a. Ieiuninm opinione cultus & necessitatis observare, 89.b. 97.a.b. quando ieiunandum ut rectè fiat, 96.b. 97.b. non delectu sed abstinentia cibi æstimandum, 98.a. Ieiunantes ad vesperam usque quomodo tandem cibati, 98.b. Papistæ in ciborum commutatione ieiunium ponunt, 98.b. Patrum de ieiunio doctrina, 106.& c. vel sic avidus agendis præmissum ieiunium, 106.a.b. Scriptura ad nimiam ieiunij commendationem violenter detorta, 106.b. hinc sub prætextu ieiunij prohibitiones ciborum exortæ, 106.b. leges ieiuniorum, 107.a. quod sit verum ieiunium, 108.a.b. 109.a. Ieiunij vis à Patribus rhetoricè nimis amplificata, 108.b. Ieiunium subordinandum pœnitentiæ & orationi, 109.b. 110.a.b. Ieiunium prosatisfactione, & expiatione peccatorum habent Iesuitæ 109.b. de meritis ieiunij, 106.b. 109.a. 110.a. Operi operato ieiunij tandem ea tributa sunt, quæ sunt meritа Christi, 110.a. Ieiunij abusus ad fines malos, 111.a. per ieiunij nimias laudes depravata est doctrina pœnitentiæ, fidei, meriti Christi, & iustitiæ gratuitæ, 111.b. quibus grave est ieiunium, illis temperantia & sobrietas tamen est sectanda, 111.b. idem ad excitandam pietatem facit temperantia & sobrietas, quod ieiunium, 112.a. Pontificiorum doctrina

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctrina de ieiunio scripturæ prorsus est contraria, 113. a. Pontificij ieiunij definitio, 113. a. abdicationem deliciarum non urgent fieri in ieiunio, ibid. ponunt illud in discrimine & prohibitione ciborum, ibid. tempus refectionis in diebus ieiunij, 114. b. in quadragesimali ieiunio prorsus recesserunt Pontificij ab antiquitate, 118. a. in prandio cœnam & pro cœna collationem habent tempore ieiunij, 114. b. quid & quantum cibi & refectionis sumere liceat in diebus ieiunij, 114. b. 115. a. non ieiunia sed ludibria ieiunii habent Pontificij, 115. a. certa ieiunij tempora constituunt cum opinione necessitatis, 115. b. leges legalium ieiuniorum sunt abrogatæ. 97. a. 100. a. 116. a. Pontificiorum alia sunt assumptæ, alia votiva alia iniunctæ, alia indictæ, alia consilij, alia consuetudinaria, alia extraordinaria, 116. a. ieiunia indicta per annũ integrum ibid. de ieiunio quadragesimali, 116. a. b. 128. 129. vide quadragesima. De ieiunio quatuor temporum, 117 a. 152. a. b. de opere operato, fine, fructu & merito ieiuniorum Pontificiorum, 117. a. b. 118. a. 134. b. 135. b. 142. a. 146. a. Tridentini dissimulant satisfactiones in ieiunio a scholasticis positas, 118. a. de dispensationibus Pontificijs in ieiunijs, 118. b. qui a ieiunandi necessitate excipiantur, 118. b. nundinationes dispensationum ieiunij, 118. b. redemptio indultorum & licentia vescendi cibis prohibitis tempore ieiunij, 118. b. in Evangelicis Ecclesijs ieiunium verum manere, papisticum esse sublatum, 119. a. aliud ieiunium virtutis, aliud Ecclesiæ, ibid. ieiunij cognata, itemq; contraria & hostes a dextris & sinistris, 120. b. historia certaminum de abstinentia & ieiunio, 129. a. certamina scripturæ contra superstitiones ieiunij, 121. a. in scriptura non inveniuntur ludibria ieiunij, ut in papatu, 121. a. 143. b. 147. b. ieiuniorum opus operatum, merita, leges, 121. a. 121. &c. 142. a. b. 148. a. 149. a. 151. b. 152. a. 153. a superstitiones in ieiunijs non sunt novæ, 122. b. Essæorum, 123. b. ieiunium triduanum, 123. b. nomine Apostolicæ traditionis ieiunia venditare, 124. a. 125. a. Contentio de ieiunio Sabbathi, 126. b. 144. a. 152. b. de moderato ieiunij usu, 130. a. 144. a. ieiunium in pane & aqua, 130. a. 135. a. Montani leges de ieiunio, 132. a. 135. a. 143. a. b. opiniones eorum de effectibus & virtute ieiunij, 133. a. b. ieiunij superstitiosi improbatoribus objecere intemperantiæ & gulæ studium, 134 a. Ecclesiæ usque ad tempora Tertulliani de ieiunio doctrina, 134. b. ab Ethnicis ieiunium discere, 134. a. 136. a. opinione perfectionis ieiunare, 102. a. 131. b. 136 b. 137. a. ieiunium diei Dominicæ, 177. a. b. 138. a. abstinentiæ admiratio fecit consuetudinem ieiunandi, 138. b. 139. b. quando cœperint indici & observari ieiunia, 138. a. b. 139. b. communia Ecclesiæ ieiunia contemnere, 132. a. 137. a. b. 138. a. 141. a. libertatis & necessitatis pugnantia, 129. a. 145. a. 151. b. Basilius per commendationes & exhortationes ieiunium observari fecit. 139. b. Epiphanius leges de eo fecit & Ecclesiæ obtrusit, 140. b. ieiuniorum liberæ observationes, 106. a. 108. a. 129. a. 138. b. 134. b. 136. b. 138. a. 141. a. 144. a. 145. a. 150. b. 151. b. 158. a. diversæ observationes ieiuniorum, 141. b. 144. a. 151. a. tempus ieiunij, 144. a. de ieiunio quarta & sexta feria, 117. a. 128. a. 129. b. 133. b. 135. a. 140. b. 143. a. 144. b. Lætitia in ieiunio, 116. b. 114. a. 143. a. 143. b. 145. b. 147. b. 151. a. Imago Pontificij ieiunij apud Augustinum, 145. b. moderatum ciborum usum in ieiunio non esse peccatum, 146. a. 143. b. nec in manducando, nec in abstinendo esse iustitiam, 146. b. æmulationes in ieiunijs, 148. b. ieiunium est res adiaphora, 144. b. 147. b. ieiunium esse postremam virtutum, 147. b. ieiunium audite conciones, 147. b. non simpliciter exigitur ieiunium, ibid. habere leges ieiunij, 150. b. ieiuniorum superstitiosæ leges, & opiniones per Pontificum & Conciliorum decreta cumulatæ, 151. a. quo tempore inclinare cœperit sana de ieiunijs doctrina, 152. a. operum cultus in ieiunio positus, 141. b. 152. b. ieiunij & stationis discrimen, 152. b. ieiunium rogationum, 152. b. vigiliarum ieiunium, ibid. Missa circa tempus vespertinum habitu in ieiunijs, ibid. de reliquijs vide, cibus, caro, &c.

Ieremiæ reliquiæ 10. a.

Imaginum usus ad religionis, aut pietatis partem aliquam non pertinet, 14. a. dimicationes variæ de usu imaginum, 14. a. non esse ferendas in templis, 14. a. non feres eas etiam in locis privatis, ibid. necessitatem non faciendi, aut habendi, aut tolerandi eas conscientiis imponere, 14. a. pietatis partem in demolitione earum & vacuitate ab illis ponere, 14. a. necessitatem facere habendarum & retinendarum illarum, 14. a. religionis & pietatis bonam partem in illis ponere, 14. a. de honore & cultu illis exhibendo, 14. a. 21 b. quomodo colantur a Pontificijs, 14. a. Lutherus inter adiaphora ponit eas, quæ veras & utiles historias repræsentant, 14. a. 23. a. quid de his faciendum quæ ad superstitionem, & cultum adhibentur, 14. a. de usu imaginum apud Ethnicos, 14. a. simulachrorum inventio est initium fornicationis spiritualis, 14. b. usus eorum politicus apud gentes fuit, historiæ & gratæ memoriæ causa, 15. a. 25. b. virtutem accendi imagines maiorum inspiciendo, 15. a. 42. b. statuas positas esse bene meritis hominibus, 15. a fuisse eas amoris & honoris indicia, 15. b. usus imaginum apud gentes superstitiosus & idolatricus, 15. b. Deorum cultus per simulachra aut sine illis, 15. b. templa gentium olim absque simulachris fuerunt, 16. a. b. simulachra & eorum usus veterius apud quosdam in gentilismo, 16. a. in stoliditate simulachrorum ipsos Deos facilè contemni, 16. a. posteriores gentes totam religionem suam ad statuas & imagines alligarunt, 16. a. simulachra artificiosè fabrefacta, 14. b. 16. b. statuarum variæ formæ, 16. b. consecratio earum, 17. a. Spiritus in statuis 17. a. varij honores & cultus idolis exhibiti, 16. a. 16. b. 21. a. cultus idolorum apud gentes & in papatu similimus, 17. a. quomodo Pontificij defendant se non similiter ut gentes idola colere, 17. a. cultum statuarũ tam gentes quam Pontificij non in materiam & formam idolorum, sed in numen aliquod contulisse, 17. b imagines habere pro libris & literis, 17. b. 32. a. b. scriptura sententia de imaginibus simulachris & statuis 18. a. gentium idola in scripturis descripta, 18. a. Scripturæ ea ridet & damnat, 18. a. 19. b. simulachra translata ad cultum veri Dei etiam reprehenduntur in Scriptura, 19. b. 20. 21. Andradij ratiocinatio pro cultu imaginum, 19. b. cultus ad statuas non alligandus aut exercendus, 21. b. quomodo Pontificij eludere conentur legem de simulachris, 21. b. An simpliciter omnis factura & usus imaginum prohibeatur, 22. a. an in templis prohibitus sit omnis imaginum usus, 22. b.

an Dei

an Dei & Christi imagines sint faciendæ & tolerandæ, 23. a. Iudæos non toleravisse statuas in templo, 23. a. prorsus etiam alias imagines noluisse tolerare, ibid. pios non contaminari tolerandis imaginibus idolatricis si eas legitimè non ponsint tollere, 23. b. imagines a Theodosio abolitæ aut relictæ, ibid. Christus & Apostoli non adhibuerunt imagines ad propagationem doctrinæ, ibid. in primitiva Ecclesia non fuit usus imaginum, 24. a. hæreses cultum imaginum defendentes, ibidem. discrimen cultus gentilium & Christianorum ad statuas, ibid. primitiva Ecclesia in oratoria non admisit imagines aut Sanctorum statuas, ibid. Christianos non habentes statuas iniuste Persis conferri, 25. a. veteres cur iniquiores imaginibus fuerint & simpliciter eas reiecerint, 25. b. 26. b. homines potius ab imaginibus quàm has ab illis adorandas esse, 25. b. simulachrum a simulando, 26. a. Patres non substituisse alias imagines in locum earum quas reprehenderunt, 25. b. 26. a. usq; ad Constantinum non fuisse imagines in templis, 26. b. de imagine Christi fabula, 274. a. historicus imaginum usus in primitiva Ecclesia, 27. b. 28. a. b. 35. a. 43. a. peregrinationes ad statuas, 28. a. statuæ Christi Cæsareæ Philippi, 27 b. 28. a. 30. b. Signum crucis, 29. a. vide etiam crux, &c. picturæ historiarum & carminũ in templis quando & quomodo cœperint, 30. a. b. statua Christi in templo posita, 30. b. Signum crucis in templa illatum, 30. b. contradictum imaginum introductioni in templa, 30. b. 31. a. b. imagines in Ecclesijs multiplicatæ, 31. b. Gregorius etsi imagines voluit esse libros laicorum, tamen adorationem earum damnavit, 32. a.

Imagines scripturæ non esse æquandas, multò minus præferendas, 32. b. 43. a. b. per imagines vox verbi Dei in papatu conticuit, 32. b. seminaria cultus imaginum tempore Gregorij, 32. b. Imaginum adorationem impugnantes, pro hæreticis fuerunt traducti, 33. a. 41. b. quando imago Christi crucifixi in templis poni cœperit, 33. b. Cultus & adoratio imaginum quomodo & quando cœperit, 33. b. Certamina de imaginibus cruenta & eorundem vera causa, 33. b. 34. a. b. Synodus Constantiniana simpliciter omnes imagines damnavit, 34. b. septima Synodus adorationem & omnem cultum imaginum statuit, 34. b. Synodus septima de historico imaginum usu rectè iudicat, sed cum hoc adorationem confundit, veterum sententias absurdè allegat, pro fundamentis cultus imaginum habet figmenta fabularia, ineptissimè scripturæ allegat, ut adorationem imaginum statuat, 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. alienos a Christianismo fuisse offensos cultu imaginum Christianis usitato, 36. b. venerationis & adorationis, quam septima Synodus imaginibus tribuit, exempla, 38. a. miracula ad imagines aut per imagines facta, 38. a. b. 41. a. 43. b. quomodo Tridentini superstitiones & impietatem circa imagines stabiliant, 39. a. adorationem imaginum bona intentione fieri, 39. b. esse traditionem Apostolicam, 40. a. quomodo patrum testimonijs probetur, 40. a. b. ex historico usu imaginum non probatur adoratio earum, 40. a. an honor idem exhibendus imagini qui prototypo referatur, 40. a. 41. a. 44. a. b. 47. a. Francofordiana Synodus imagines concedit sed cultum earum damnat, 42. a. 42. b. Imaginum multitudine populum novi testamenti quam veteris fieri deteriorem, 43. b. Imagini dicere: hic est Christus 38. b. 42. a. Imagines Eucharistiæ conferre, 43. b. an lignum crucis adorandum quia Christus in tali forma ligni passus sit, 45. a. Turbæ & persequutiones in Gracia ob impugnatum cultum imaginum. 45. a. In octava Synodo adoratio imaginum stabilita, 46. a. Scholastici in Romana Ecclesia adorationem imaginum stabiliverunt, 46. b. 47. a. Imaginum consecratio in pontificali & earundem varia virtus ex consecratione, 46. b. 47. a. formula invocationis imaginum, 47. a. vota facienda & peregrinationes suscipienda ad certas sanctorum statuas, 47. b. quomodo se Tridetini adorationi imaginum conformenti. 47. b.

Imperium firmum cõstituere velle per reliquias heroum 10. a.

Impunitatem sibi polliceri per opera sua 72. a.

Incestus quomodo puniatur 70. a.

Indulgentiæ occasionem dederunt ruinæ Regni pontificij & purgatæ doctrinæ nostro seculo, 48. a. Impudentia Tridentinorum in stabiliendis indulgentijs, 48. a. Indulgentiæ quid significent in Ecclesia, 48. b. quid papistæ in hac disputatione, 48. b. Summa commenti pontificij de indulgentijs, 48. b. quomodo redimantur indulgentiæ, 48. a. Indulgentiæ a culpa & pœna ex thesauro ecclesiæ sumptæ, hoc est, ex operibus supererogationis sanctorum, 48. a. b. 50. b. Indulgentiæ è scriptura non posse doceri, papistæ etiam fatentur, 48. a. 51. b. 52. a. Non igitur sunt recipiendæ, 50. a. quomodo summos & præcipuos doctrinæ Christianæ articulos convellant, 50. a. pugnant contra meritum Christi, 50. a. contra remissionem peccatorum gratuitam & plenariam, 50. b. contra doctrinam de clavibus, 50. b. contra doctrinam de fide, 50. a. contra doctrinam bonorum operum, 51. a. nundinatio indulgentiarum expressè damnata in scripturis, 51. a. doctrinam iustificationis & salutis per indulgentias peti, 51. a. quo spiritu agantur Tridentini in propugnandis indulgentijs, 51. b. de conquisitis è scriptura testimonijs pro indulgentijs, 51. b. &c. Ecclesia post Christum amplius mille annos ignoravit indulgentias, 52. b. probatio earum ex locis de absolutione pœnitentium, 52. 53. 54. ex locis de reconciliatorum calamitatibus loquentibus, 55. b. ex mitigatione pœnarum, 57. a. Indulgentiæ non possunt condonare aut relaxare novam obedientiam, nec mortificationem spiritus, nec afflictiones, quæ tria Deus imponit reconciliatis, sed tantum ea quæ ipsis hominibus imponuntur, ergo non nisi obsoletas & fictitias pœnas remittere possunt, 57. b. 58. a. ex eo quod Paulus implere dicitur quod deest passionum Christi, 58. b. ex retributione pro acceptis beneficijs spiritualibus, 59. b. ex articulo de communione Sanctorum, 60. a. fuisse illas antiquitati & universæ veteri Ecclesiæ per annos fere mille ducentos prorsus ignotas, 61. a. Omnis indulgentiarum existimatio pendet à purgatorio, 62. b. contra eas pugnare omnem antiquitatem, 62. b. nervi earum sunt pecunia & peregrinationes, 62. a. Impudens iactatio de indulgentijs quod à Christo sint Ecclesiæ concessæ & antiquissimis temporibus usurpatæ, 62. a. ex ritibus canonicarum satisfactionum frustra indulgentias probari, 62. &c. de quæstu

Universidad de Deusto
Biblioteca

indulgentiarum magis solicitos esse Patres Tridentinos quam de vera disciplina Ecclesiastica, qualis olim fuit reducenda, 68. a. Indulgentiæ olim dicebantur relaxationes mulctæ pœnitentiariæ. 69. a. ex abrogatis veteribus satisfactionibus & surrogatis novis indulgentiæ natæ sunt, 70. a. Indulgentias olim nil aliud fuisse quam moderationes relaxationes aut remissiones mulctarum canonicarum, quæ in publica pœnitentia ferant impositæ, 71. a. Indulgentiæ vocabulum veteribus ignotum quid significet, 71. a. Indulgentiarum novarum origo & doctrina quomodo se habeat, 73. a. b. Indulgentiæ Gregorij fabulosæ, 61. b. 73. b. Indulgentiæ ex stationibus non probari, 73. b. Indulgentiæ Papisticæ quam diu ignotæ vetustati & quando cœperint, 74. a. Satisfactionum impositarum indulgentiam petendam esse, & quis potestatem habeat concedendi eam 74. a. Data sunt primum indulgentiæ in mitigationem satisfactionis impositæ si rigidior esset, 74. a. Contra novas illas indulgentias fuisse disputatum & ex quibus id fundamentis, 74. b. disputationes de utilitate indulgentiarum in foro Dei aut Ecclesiæ, 74. b. Indulgentias esse piam fraudem, & deceptionem plebis, 75. a. 84. b. dare eas periculosum danti, 75. a. Indulgentiarum fundamentum nec scriptura est nec patres, sed Ecclesiæ authoritas, 75. b. Satisfactionum per indulgentias redemptio, 75. b. Indulgentiarum nundinationes quomodo cœperint atque hominibus fuerint commendatæ, 75. b. Indulgentiarum virtus seu effectus, 75. b. Dispensatio & applicatio indulgentiarum, 78. a. non prodesse eas tantum viventibus sed etiam existentibus in purgatorio. 76. a. quæ ad hoc requirantur ut valeant indulgentiæ, 76. b. Impudentes indulgentiarum impostura à Concilio Viennensi repressæ, 76. b. 77. a. qui fuerunt indulgentiarum abusus, 77. a. b. Indulgentiarum abusiones in pontifice non similiter ut in aliis esse reprehensibiles, 77. a. Episcopi & Archiepiscopi tantum partiales. Papa verò plenarias & plenissimas indulgentias concedere potest, 77. b. Assentatores Papæ quomodo stabilierint indulgentias, 77. b. Indulgentiæ plenæ & plenissimæ quid. 77. a Indulgentiæ culpæ & pœnæ in Iubilæo. 77. b. Indulgentiarum formula olim ut nunc usitata. 78. a. Aliorum de indulgentiis querelæ, 78. a. Bulla indulgentiarum, 78. a. b. 79. a. b. 83. b. ob quasdam indulgentiarum institutus Iubilæus, & mox ad pauciores annos reductus, 78. a. 78. b. legati Papæ addividendas indulgentias emissi, 78. a. Indulgentias ab aliis venditas ab aliis revocari, 78. b. Pontifices cumularunt eas ut suos inde ditarent, 78. b. Indulgentiæ pro futuris peccatis, 78. a. 86. b. Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis, 79. a. b. Formulæ plenariæ indulgentiæ, 79. b. formæ indulgentiarum ad hospitalium & fraternitatum participationem, 80. a. Romanarum indulgentiarum summa, 80. a. 81. b. 82. a. b. versus de indulgentiis, 80. b. de plenariis Indulgentiis Francisci Fabula, 80. b. unius preculæ quotidie recitatæ, 8000. annorum indulgentiæ concessæ, 81. a. Indulgentiis datis Papa imperatoribus obedientiam subditorum subtraxit, 82. b. semper fuisse aliquos qui impostoris indulgentiarum contraxerint, 83. a. alij modum in profusione indulgentiarum voluerunt, 83. a. alij omnem eorum nundinationem reprehenderunt, 83. b. de veris indulgentijs quas solus dat Christus, 84. a. Confessores indulgentiarum difficulter salvari, 84. b. damnum per indulgentias datum Germaniæ, 85. b. b. historia indulgentiarum à Leone X. propositarum æque Luthero impugnatarum, 86. b. 87. a. b. Concionum Tecelij de indulgentijs summa, 87. a. Leo X. edita nova decretali, condemnat Lutherum, & indulgentias à pœna & culpa pro vivis & mortuis confirmat, 88. a. ipsos Pontificios tandem indulgentiarum puduit, cùm Imperatorem rogarunt. ut faceret ne Papa amplius mitteret indulgentias in Germaniam. 88. b. Concilium Tridentinum & Papa quid hodie de indulgentijs fieri velint, 88. b. gratuito hodie indulgentias proponi, ut homines de novo ineficentur 89. a.

Innocentius III. Innocentius de esu piscium, 77. a. 78. a.
Intentione bona aliquid facere 39. b. 62. b. 133. b.
Inversionis exemplum 139. a.
Iobi terram peregrinando visere 11. a.
Ioannes Scotus, 75. b. Hus. 83. b. Vesalienſis 85. a.
Ioannis imago cõsecratione sacrificata quid posit. 47. a.
Ionæ cum Claudio certamen de imaginibus, 44. a. quis fuerit, & quid egerit, 44. a. politicum imaginum usum agnoscit. adorationem eorum damnat. subversionem reprehendit. Idololatriæ crimen tamen hos qui adorant liberat. simulq; aliquam adorationem permittit 44. b.
Iosephus 123. b.
Iovimiani certamen de ieiuno & cibis 142. a. 142. b
Iovinianistæ 110. b.
Iræ Dei sensus quomodo excitandus, 54. a. Iræ Dei cognoscendæ instrumentum est ieiunium 93. a. 96. a.
Irene Leonis uxor 34. b.
Isidis sacra 123. a.
Isidorus 113. b. 115. a. 126. a. 158. a.
Isocratis statua 15. b.
Itali superstitiosi 44. a.
Italorum devotio 120. a.
Iubileus veteris testamenti 153. a.
Iubilæus à Bonifacio VIII. institutus, 77. b. quæstus ex Iubilæo, 78. a. 79. a. 78. b. 1. a. 86. a. reprehensio eius 83. b.
Iudæos nec in templo nec aliàs tolerasse statuas aut imagines, 23. a. non fuisse etiam inter eos qui fingerent aut fabricarent tale aliquid, 25. b. abhorruerunt de Christianismo, propter cultum imaginum 37. a.
Iulianus 2. a, 7. b. 9. b.
Iuramenti levis pœnitentia 69. b.
Iusiurandum præstare attactu reliquiarum, 1. b. 5. b. 38. a. b. per mortuos non iurandum 11. b.
Iuramenti levioris pœnitentia 69. b.
Iuramentum Pontificis 78. a.
Iuramentis abstinere 148. b.
Iustitia fidei aut operum. 101. b. gratuitæ iustitiæ doctrina per nimias laudes ieiunij depravata 111. b.
Iutrobock 87. b.

K.

Karfreytag/vnd Karwochen 70. a.
Kar vnd wandelrhun 70. a.
Kemnicij patria 87. b.

Κοιμητήριον

Κοινωνία prosocietate 60. b.

L.

Lacedæmoniorum statuæ 15. a.
Lacte & lacticiniis abstinere, 113. a. 114. b. 118. b. 123. a. 137. a. 152. b.
Laganorum benedictio 103. a.
Lampridius 25. b.
Lapsorum pœnitentia & absolutio publica, 54. a.
Lapsuum pœnæ & in futurum remedia, vide pœnitentia & Satisfactiones.
Lares 10. a.
Lateranensis Ecclesiæ visitatio 81. b.
Laurentij Carbones venditare, 12. b. templum Romæ 82. a.
Lauticiæ in ieiunio pontificio non reprehensæ, 113. a. b.
Lectiones certæ dierum festorum 163. a.
Legenda aurea 27. a. 127. b.
Legendæ sanctorum 62. b.
Legis Mosaicæ abrogatio, 97. a. 100. a. 113. b. 145. a. 152. a. 153. b. 154. b. circumstantiarum in lege necessariæ observatio 154. a.
Legumina permittunt pontificij in diebus ieiunij, 98. a. 113. b. sunt libidinis irritatio, 113. b.
Leo Isauricus, 34. Armenius 45. b. X. 86. b.
Leporis præparatio 136. b.
Liberi arbitrij doctrina 131. a.
Libertas à traditionibus per Christum. 50. a. Libertas Christiana quò ad cibos, 97. a. 100. a. b. 150. a. In ieiunio, 106. b. 108. b. 128. b. 134. b. 136. b. 138. a. 139. a. 150. b. libertatis in servitutem commutatio, 144. b. libertas in conventibus sacris ad verbum & sacramenta tractanda, 154. b. 155. a. 157. a. 160. a.
Libido virorum in hyeme maior, mulierũ in æstate, 116. b. libidinem cibo ac potu accendi, 116. b. 123. a.
Lindanus 53. a. 59. b. 61. a. 62. b. 162. b.
Livius 17. b.
Locis sanctitatem peculiarem affingere, 10. b. 11. a.
Lombardinæ legendæ 27. a.
Lombardus nil habet de indulgentiis, 61. b. Impugnat etiam illas 61. b.
Lucæ reliquiæ 8. b.
Lucam pinxisse imaginem Mariæ 27. a.
Ludovicus Vives de Idolatria gentili & papistica, 17. a. Idem, 127. b.
Ludovicus Caroli filius 44. a.
Ludovicus rex Galliæ de abusibus indulgentiarum quæstus 78. a.
Lugentium cibus, vestitus, gestus 92. a. b. 95. b.
Lupanaria ingredi malle quàm adorationem imaginũ intermittere 38. b.

M.

Madianitarum idolum 18. b.
Magicæ artis usurpatio quam pœnã habeat, 69. b. 70. a. b.
Magorum apud Persas abstinentia 123. a.
Magorum hodierna ieiunia 124. a.
Magorum imagines 15. a.
Maledicti pœnitentia 70. a.
Manichæi de imaginibus, 37. a. 41. b. 43 a. de carnium esu, 101. b. 102. a. 102. b. de ieiunio, 137. a. 145. b.
Marcionitæ de cultu imaginum 37. a. 41. b.
Marcum vitæ monasticæ authorem facere 124. a.
Marcus hæreticus 64. a.

Mariæ imago quomodo fuerit invocata, 38. a. b. miracula ad illam facta, 38. a. 41. b. Christum in ulnis gestans, 38. b. Imago Mariæ à Luca delineata, 27. b. Imago Mariæ quomodo consecretur in papatu & iuvet 47. a.
Mariæ Maioris templum Romæ 82. a.
Mariæ ad aram cœli Ecclesia 82. a.
Mariæ capella Romæ: Maria nova, transtyberina: Maria ad scalam cœli: Maria rotunda, 82. 83. Purificatio Mariæ, 159. b. Dormitio Mariæ, 159. b. assumptio, 159. b. Nativitatis, Visitationis, præsentationis & conceptionis festa, 154. b. 162. a.
Martini Chemnicij patria 87. b.
Martyres & martyria olim in magno honore fuerunt, 6. a. corpora & reliquiæ martyrum reverenter habitæ, 6. a. Conventus ad loca sepulturæ ipsorum habiti, 6. b. 7. a. Occasio & origo eorum, 6. b. ob contumelias martyrum & martyrij hæretici damnati, 6. b. 7. b. templa illorum nominibus appellata. 7. b. 8. a. miracula ad sepulchra martyrum facta 8. b.
Martyres suis sepulchris adesse existimare, 10. a. 11. b. facere eos patronos & defensores locorum in quibus sepulti sunt, 10. a. Invocatio martyrum, 10. a. Vigilias agere in cœmiteriis martyrum & cibos sanctificatos eò ferre, 10. b. 11. a. b.
Martyres in templis depicti, 30. a. Imagines eorum invocatæ 38. b.
Martyrologia 41. a.
Mathematica studia in AEgypto 157. a.
Mediationem sanctis tribuere 38. a.
Medicinalis collatio ieiunantium 113. a. b.
Meletius Antiochenus 29. b.
Memoriæ martyrum anniversariæ 6. b. 7. a.
Menedemi statua 15. b.
Meni idolum 19. a.
Meritum Christi per indulgentias convelli, 50. a. 51. b. quomodo offeratur nobis & accipiatur, 142. b.
Michaelis festum 159. b. 163. a.
Michael Singelus 87. b.
Michael Balbus 45. b.
Michael Imperator 46. a.
Milchom 18. b.
Miltiadis statua 15. a.
Miplezeth 19. a.
Miracula non constituunt novos cultus sine institutione, 4. a. doctrinam confirmant, 3. a. 8. b. Miracula dubia aut commentitia, 8. b. 10. b. ad Sanctorum reliquias facta. 3. a. 8. b. 10. a. b. 12. a. ad imagines aut pet illas facta, 38. a. b. 41 a. 43. b.
Mirandulanus 139. a.
Missam audire indulgentias habet 76. a.
Moabitarum Idola 12. b. 18. b.
Moloch 18. b.
Monachorum abstinentia 150. a.
Monasterium Epiphanij 140. a.
Monastices origo ad Marcum refertur, 124. a. propagatio eius per Basilium & alios 139. b.
Monotheletæ 34. a.
Montanus et Mõtanistæ, 132. a. 133. 134. 135. 140. 143. a. b.
Morborum singulorum singuli sancti procuratores, 86. a. morbos sanari per imagines, 38. a. b.
Morituris data communio in viaticum, 64. b. 67. a.
Morticinum concedere 71. a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mortificatio carnis, 56.a. 101.a. 112.b. *indulgentia illam non tollunt* 57.b.
Mortuorum cadavera exhorrescere & abjicere, 2.a. *mortui in civitate non sepeliendi*, *ibidem. mortuos tangere olim inquinavit homines*, 2.b. *Christus tangens mortuos sanctificavit eos*, 2.b. *mortuis cultum praestare*, 5.a. *corpora sanctorum mortuorum honorifice sepulta*, 7.a. *translationes eorum*, 4.b. 5.a. 8.b. 9.a.b. *mortui effossi corpus cremare*, 35.b. *mortui excitati* 106.a.
Mulierum quae partum abegerunt, *poenitentia*, 69.b. 71.b.
Musicae cultui idolorum adhibita 17.a.
Mysteria olim taciturnitate parietibusq; clausa, 17.b.

N.

Natalicij poenitentia 64.a.
Natalis Christi, 109.a. 162.b. *natalitia martyrum*, *sunt dies mortis eorum* 158.b.
Nebahaz 18.b.
Nebo Babyloniorum 18.b.
Nebucadnezaris statua, 15.b. *abusum esse vasis templi* 37.a.
Negocia ardua cum Ecclesiae precibus & ieiunio coepta 106.a.b.
Neomenia 153.b.
Nergel 18.b.
Neronis statuae 15.b.
Nicetas 45.a.
Nicolaus Rusi 85.a.
Nisroch 18.b.
Novatiani cuiusdam conversi poenitentia, 64.a. 66.a.
Novitas vitae reconciliatis praecipitur 59.a.
Numa faciens sacra 123.a.

O.

Obsessos sanari ab Anastasio 39.a.
Officinis imagines impositae ibid.
Olam 154.a.
Opera supererogationis sunt, *quae ultra necessitatem & debitum sancti fecerunt aut perpessi sunt*, 49.a. 76.a. *operibus indulgentia tribuitur*, *quod Scriptura non permittit operibus legis*, 51.a. *refutatio eorum e scriptura*, 51.a. *operum doctrinam corrupit indulgentiarum nundinatio*, 51.a.b. *fundamentum operum supererogationis*, 127.a. *operum iustitia*, 101.b. 11.a. *Opus operatum* 67.b.
Opiniones in hominibus non malis tolerata, *sed postea cum rigidius defenderentur pro haereticis habitae* 131.a.
Orationem facere ad reliquias Sanctorum, 1.b. 5.b. 9.a. 10.a. 12.b. *oratione invocare idola*, 17.a. *orationes astantibus fuctae certis temporib.* 73.b. *in orationibus ardentioribus ieiunandum*, 95.b. 96.a. *oratione cibos sanctificari*, 103.b. 104.a. *precibus publicis res arduae commendatae*, 106.a.b. *orationi subservit ieiunium*, 109.a. 110.a.b. *temperantia & sobrietas ad exercitia eius prosunt*, 112.a.b. *oratio est exercitium dierum festorum*, 157.a. *orare geniculando aut stando* 158.a.
Oratoribus statuae positae 15.b.
Ordo & decorum in conventibus Ecclesiasticis, 154.a. 155.a. 160.a.
Orimasda 20.a.
Ossa Sanctorum, *vide Sancti*
Ovorum benedictio, 105.a. *Ovis abstinere*, 114.a. 123.a. 137.a. 152.b.

P.

Pagani confirmati cultu imaginum apud Christianos 37.a.
Palmarum dies quomodo celebretur in Papatu, 162.a.
Panegyres ad sepulchra Martyrum 6.b.
Panis benedictio, 103.a. *Panem abstinere*, 124.a. 141.b. 143.b. 150.a.
Panormitanus 115.a.
Papa super scripturam & ea quae sunt fidei potestas 88.a.
Paralyticos sanari ab Anastasio 84.a.
Parisienses, 48.a. *indulgentiarum nundinationes damnant* 78.a. 84.a. 84.b.
Participium Pontificale 61.a.
Paschati praemissum ieiunium, 79.a. 106.a. *vide quadragesima*, *&c. Agni Paschalis benedictio*, 103.a. *solennior communio in paschate*, 106.a. *pascha cum Iudaeis celebrare*, 128.a. *paschatis institutio*, 153.b. *Iudaici paschatu abrogatio*, 155.a. *Pascha Christianorum*, 155.a. *per pascha quid intelligatur*, 156.b. *paschatis hebdomada* 156. *vigilia paschae ibid. paschate solutum fuit ieiunium*, *ibid. cerei paschales unde*, *ibid. Asiaticorum & Europaeorum diversitas quo ad diem paschatis*, 156.b. *controversia de paschatis die per Synodum Nicaenam dirempta*, 156.a. *Epistola paschales*, 157.a. *error hodiernus in celebratione paschatis*, 157.a. *observationem paschatis liberam esse*, 157.b. *Gallorum pascha*, *ibid. causa celebrationis eius* 157.b. 158.a.
Passionis Christi dies 162.a.b.
Patres si a Scriptura devient, *non audiendi*, 68.b. *sententiae eorum ad Scripturam examinandae* 111.a.b. *traditiones Apostolicae falso a Patribus iactatae* 125.a.
Paulinus 158.b.
Paulus cum Christo pictus 28.b.
Pauli imago, *ibid. caput eius Romae ostenditur*, 81.b. *corpus ubi*, 81.b. *Ecclesia S. Pauli Romae*. 82.a.
Pauli Heremitae tunica, 9.b. *Paulus II.* 78.b.
Peccandi impunitatem sibi ex satisfactionibus polliceri, 72.b. *peccandi licentia ex indulgentiis* 85.b.
Peccata non fingenda sine verbo Dei, 25.a. *peccatum in rebus indifferentibus quatenus ponendum*, 23.a. *peccata tegi a Deo quid sit*, 61.b. *a peccatis resurgere*, b. *poenitentia de peccatis publicis aut occultis*, *vide poenitentia*. *peccati agnitio quomodo excitanda*, 54.a. *peccatorum gratis remissi poenas experimur*, 55.a. *peccatum sine precio sufficienti non remitti*, 55.a. 55.b. *non extenuandum aut excusandum*, 56.b. *peccata oblita & venialia*, 70.a. *contrita*, *confessa & oblita*, 79.b. *peccata obulo redimere*, 83.a. *peccatorum culpam & poenam remitti*, 84.b. *peccatum est quod Deum offendit*, 98.b. *peccatum mortale ponere in transgressione statutorum pontificiorum* 117.b.
Pecunia est nervus indulgentiarum 62.a.
Pelagius 131.a.
Penates 10.a.
Pentecostes institutio, 152.b. *pentecoste pro toto tempore a paschate ad quinquagesimum diem*, 157.b. *est dies missi Spiritus sancti*, 157.b. 158.a.
Peregrinationes ad reliquias sanctorum, 1.b. 10.b. 11.a. *ad terram sanctam*, 10.b. 11.a.b. 77.a. *ad certas sanctorum statuas*. 47.a. *ad visitandam Romanam Ecclesiam*,

fiam, 48.b. 51.a. 77.a. 79.b. *pro indulgentiis peregrinari* 61.b. 62.a.
Peregrinationes sunt nervi indulgentiarum, 62.a. *per illa redimere satisfactiones*, 72.b. *abuti illis ad peccata*, 72.b. *tribuere illis gratiam Dei*, *Spiritu sanctum*, *& vitam aeternam*, 11.a.b. *Impugnatae etiam olim sunt & refutatae*, 11.a.b. 85.a. *Papa Angelis praecipit ut peregrinantium animas*, *si in itinere evolarent*, *statim in paradisum transferrent* 78.b.
Periurij admissi poenitentia 69.b. 70.b.
Pernarum benedictio 105.a.
Persae dius suis nec statuas, *nec aras erexerunt*, 16.a. 23.a.
ignis a Persis cultus 20.a.
Perseverantia 56.b.
Pestem fugare per idolum AEsculapij 17.a.
Petri monumentum Romae, 7.a. *Chrysostomus id cupit visere* 9.b.
Petri imago 28.b.
Petrus cum Christo pictus, 28.b. *caput eius Romae ostenditur*, 81.b. *Corpus eius ubi*, 81.b. *Sancti Petrin Vaticano templum* 81.b.
Petrus de Plaude 75.a. 76.a. 70.b. 114.b.
Petrus de Soto 118.a.
Philippi Imperatoris poenitentia 64.a.
Philippicus imagines patrum abolevit, 33.b. 34.a.
Philistinorum Idolum 18.b.
Philo 123.b.
Philosophis statuae positae 15.b.
Phocionis statuae 15.a.
Phocyonis ossa translatae 8.b.
Pietas non in festis tantum exercenda 161.a.
Pilati gradus Romae 81.b.
Pisces mortuos comedere, 71.a. *pisces immundi & vetiti*, 102.b. *Christum pisces comedisse*, 102.b. *esus piscium in papatu* 98.b. 113.a. 114.a.b.
Pius V. 89.a.
Platina 78.b.
Plato de adoratione mortuorum 13.a.b.
Platonis statua 15.a.
Plinius 15.a.
Plutarchus 8.b. 10.b. 16.a.
Poenas aeternas non plenè remitti, *sed in temporales converti*, 48.b. 75.b. *pro his poenis iniungi posse satisfactiones in hac vita praestandas*, *reliquas poenas vero luendas esse in purgatorio*, 48.b. 54.b. 55.a. *poenas purgatorij per indulgentias*, *si debito modo redimantur*, *posse remitti*, 48.b. *Christum pro culpa & poenis nobis debitis satisfeciisse*, *& utramque remitti*, 49.a. 49.b. 50.a.b. 52.a. *poenarum mitigatio ad poenitentiam*, 57.b. *quomodo pij eam a Deo petant*, 57.b. *canonicae poenae Ecclesiae*, 58.a. *operae satisfactionis poenalis*, 58.b. *poenae poenitentiariae secundum peccata quaeq; impositae*, 69.a.b. *de liberatione a culpa & poena*, 75.b. 77.a. *meritum remissionis culpae* 75.b.
Poenitentia doctrina ad occasionem indulgentiarum repurgata, 51.b. 52.a. *publica poenitentia lapsorum*, 54.a. *exercitium poenitentiae in cruce*, 57.a. *poenitentiae fructus per indulgentias non possunt relaxari*, 57.b. *ad poenitentiam mitigantur poenae* 57.b.
Poenitentia vera quid sit, 58.a. *poenitentia publica quibus imposita*, 62.b. *ritus eius & eorundem causa*, 63.a. *appellationes rituum*, 63.a. *origo publicae poenitentiae est ab Apostolis*, 63.a. *ab illa origine tamen paulatim est discessum*, 63.b. *exempla poenitentiae tempore Apostolorum & patrum*, 63.b. 64.a.b. *Imperatoris poenitentia*, 64.a. *publicae poenitentiae gradus & eorundem origo*, 64.b. *Ritus eius fuit solennis & non reiterabilis*, 64.b. 70.a. *relapsis post poenitentiam non data communio*, *nisi in extremis*, 65.a. *Augustinus relapsis dedit locum poenitentiae*, *cum alij non darent*, 65.a. *Alia poenitentia criminibus*, *alia levioribus peccatis destinata*, 65.a.b. *de occultis etiam peccatis poenitentia olim fuit requisita*, 65.b. *presbyter poenitentiarius pro ijs*, *qui peccata occulta confiteri publicè erubescebant*, 65.b. *eorum qui severè confessi peccata essent publica poenitentia*, 66.a. *vita nostra perpetuo sit poenitentia*, 66.a. *Alia poenitentia ante Baptismum*, *alia in delictis quotidianis*, *alia in criminibus*, 66.a. *disciplina huius poenitentiariae nimia apud Patres commendatio*, 68.a. *superstitiones quae ad ritum publicae poenitentiae accesserunt*, 68.b. *relaxationes multae poenitentiariae olim dictae sunt indulgentiae*, 69.b. *Canones poenitentiales quibus certa certorum peccatorum poena constituuntur*, 69.a. 70.a. *post poenitentiam relapsis quam diu poenitentia agenda*, 69.b. *poenitentiam publicam agentium tempus & ieiunia*, 70.b. *electio poenitentium de Ecclesia*, 70.b.
Poenitentiam solennem frangentium poenitentia, 70.b. *Serio poenitentiam agentibus satisfactiones relaxatae aut mitigatae*, 71.b. *poenitentiale Bedae*, 71.a. *poenitentiale Romanum*, 72.a. *Res poenitentiae publicae abolita*, *retentis tantum vocabulis*, 73.a. *poenitentes posse conqueri de satisfactionum impositarum rigore & relaxationem aut mitigationem aut commutationem petere: & confessorem habere potestatem id faciendi*, 74.a. *Seria poenitentia exercitia ieiunio multum iuvari*, *crapula impediri*, 94.b. 96.a. *poenitentium externa humiliatio & luctus*, 94.b. 95.b. *tempus quo recipiebantur*, 106.a. *poenitentia & orationi subservire debet ieiunium*, 109.a. 110.a.b. *poenitentiae doctrina per nimias ieiunij laudes depravata*, 111.a. *temperantiam & sobrietatem ad excitanda seria exercitia poenitentiae facere* 112.a.b.
Poëtis posita statuae 15.b.
Polycarpi ossa quomodo habita 6.b. 7.a.
Polydorus 16.a. 162.a.
Pomerani 137.a.
Pontificale imagines consecrat 47.a.
Pontificis Romani autoritas, 52.a. *dicunt eum esse Ecclesiam virtualiter* 52.a.
Porphyrius 7.b.
Porta aurea 81.b.
Potentia Dei absoluta nil confirmari potest, 3.b.
Presbyterum occidentis poenitentia, 69.b. 70.b. *presbyteri scortantis poenitentia* 70.b.
Priapus 18.b.
Primatus Ecclesiae 46.a.
Priscillamistae de carnium esu, 101.b. 102.a. *de ieiunio & delectu ciborum* 137.b.
Prophetarum imagines invocare 38.a.
Propitiationem sanctis tribuere 38.a.
Psychici 132.b.
Purgatorio qua poena luenda, *& quomodo ab his per indulgentias*, *qui eas debito modo redimit*, *liberari possit*, 48.b.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fit,48.b.50.a. Purgatorij fundamentum,52.a.est recens inventum antiquitati ignotum,61.b. ex purgatorio pendet omnis indulgentiarum existimatio, 61. b. origo purgatorij, 75.b. purgatorij omnem potestatem esse in manu Papæ,78.a. animam 10. solidis è purgatorio liberari, 87.b. ad tinnitum nummi animam è purgatorio evolare, 87.b.
Purificationis festum 159.b.162.b.
Pythonicos consulens quam diu pœnitentiam agat 69.b.

Q.

Quadragena quid 70.a.73.a.
Quadragesimæ ieiunium, 97.a.106.a.108.a.110.b.114.b. 115.b.116.a.116.b.118.a.125.a.126.a.128.a.128.b.129. a.130.b.141.b.143.a.b.145.a.147.b.151.a.152.b.153. b. Tres quadragesimæ 153.a.
Quadragesimalis abstinentia 76.a.
Quæstura pontificia 78.a.
Quatuor tempora 116.a.117.a.

R.

Rabanus 44.a.158.a.161.b.
Raptus mulieris pœnitentia 70.a.
Rasura idolatrarum 17.a.
Reconciliationem detrectantis pœnitentia, 71.b.
Regino 42.a.
Relaxatio, idem quod indulgentia 48.b.71.b.
Religionem cõmendabiliorem facere externis ornamentis,2.b. religionis cogitationem vulgus celare 17.b.
Reliquiæ Sanctorum, vide Sancti.
Remissionem peccatorum ex reliquiis Sanctorum petere 1.b.5.b.
Remissio peccatorum idem quod indulgentia, 48.a. Deum voce Evangelij rãtum remittere culpam, pœnam verò æternam commutari in temporalem, papistæ dicunt 48 b.
Remissio peccatorum est summa & scopus totius scripturæ, 49.a. quomodo ea nobis contingat, 49.b. plenaria & gratuita remissioni peccatorum repugnant indulgentia,50.a.51.a. post acceptam remissionem peccatorum quæ nobis imponatur, 57.a. triplex remissio in Ecclesia 66.a.
Rimnon 18.b.
Res ardua cũ Ecclesiæ precibus & ieiunio cœptæ 106.a.b.
Resurrectio à peccatis 64.b.
Rhetoricæ amplificationes in patribus, 106.b.108.b.111. a.140.a.
Richardus 75.a.115.a.
Rossensis 49.b.51.b.61.b.
Rogationum ieiunium 152.b.
Romam quare Chrysostomus visere cupierit, 9.b. peregrinari Romam 11.a.72.b.
Romani olim non habuerunt statuas, 16.a. statuas posuerunt bene meritis 15.a.
Romanarum Ecclesiarum visitatio 81.a.82.a.b.
Romanæ curiæ mores nemo ausus fuit reprehẽdere 83.a.
Rupertus Tuicensis 61.b.
Ruthenorum articuli 83.b.

S.

Sabbati institutio, 153.b. Iudæi volunt ut hodie etiam necessario observetur, 153.b. Sanctificatio eius non est abrogata, 154.a.b. non genus quod morale est, sed speciem, quæ ceremonialis, esse abrogatam, 154. b. certis circumstantijs in lege fuit circumscriptum, 154.b. Opera in eo concessa aut prohibita, 154.a.b. conservatio eius quando & cur omissa 155.a.b.
Sabbato in conventibus sacris agendis surrogata est dies dominica,155.a. violatio eius aut observatio 161.a.
Sabellicus 8.a.
Sacerdotum Aegyptiorum abstinentia 123.a.
Saccus & Cilicium 92.b.
Sacramenta administrare nolle, ubi non sint reliquiæ sanctorum 12.a.
Sacramentorum usui liberum est quoscunq; dies destinare,155.a. die dominica habitus 155.a.
Sacrificantium idolis pœnitentia 69.a.b.
Sacrificia facta idolis 16.b.
Sacrilegij pœnitentia 69.b.70.b.
Salustius 15.a.
Salutis organum & arrhabonem facere imagines,38.a. salutem animæ & corporis ex cibis sperare 103.b.
Samaritanorum idola 18.b.
Samuelis ossa & reliquiæ 8.b.
Sanationes ad imagines factæ 38.a.b.
Sanctificari festum, 154.a. sanctificatio Sabbati non est abrogata, 154.a. sanctificatio conventuum Ecclesiasticorum,155.a. sanctificatio cibi, 103.b.104.a.
Sanctorum ossa & reliquiæ reverenter debent haberi, 1.a.b. elevatio cinerum & ossium defunctorum, 1. a. canonizatio eorum ad invocationem, 1.a. 8.a. 10.a. cultum reliquiarum esse meritorium, 1.a.b. gratiam & virtutem Dei reliquijs inesse, 1.b. 5.b. 10.a. dona reliquijs oblata esse sacrificium Deo gratum, 1.b. indulgentiæ datæ tangentibus aut venerantibus illas, 1.b. orationes ad eas factas magis exaudiri, ibid. juveri illis sanctitatem Eucharistiæ, ibidem. gestatio earum aut impositio in aliquid ad quid prosit, 1.b. 10.b. bis. augeri illis religionem iuramenti, 1.b.5.b.11.b. quomodo Scriptura sanctorum mortuorum corpora, ossa, & reliquias velit honorari, 1.b.3.a. 5.b.6.a. 12.a. quomodo veneratio reliquiarum à bono & tolerabili usu ad superstitiones & abusus degeneraverit, 2.a. modus venerationis Sanctorum mortuorum de Scriptura & non aliunde petendus, 3.a. Sanctorum ossa & reliquiæ è Iudæis non ita habita, ut papatus docet, 3.a. 4.a.b. 5.a. Deus non promisit se per mortuos sanctos facturum, quæ per vivos fecit, 3.b. reliquiarum translatio, 5.a. Pontificia reliquiarum veneratio non habet testimonium aut exemplum Scripturæ, 2. a.3.a. pugnat etiã cum Scriptura & doctrina Christiana, 5.b. Sanctorum invocatio, 5.b. de initijs progressu & exitu rituum circa reliquias apud veteres, 6.a.b.8.a. corpora eorum inhumata aut effossa abjici, 2.a. 6.b. 8.a. veteres non circumgestarunt, sed honorifice sepelierunt reliquias martyrum, 6.a. 7.a. 11.b. antiquitas non eruit ossa Sanctorum de monumentis, 7.a. Hæretici propter contumelias reliquiarum quomodo & quatenus damnati, 6.b. 7.b. pontificij non habent antiquitatis testimonium pro veneratione, quam tribuunt reliquijs Sanctorum, 6.a.b. 8.a. 10.b. 12.a. reliquiarum & ossium translationes, 4.b.8.a.9.a.b. miracula ad sepulturas Sanctorum facta, 3.a.8.b.10.a.11.b. reliquiæ eorum magno studio conquisitæ, 9.a. non super altaribus, sed sub altaribus positæ, 9.a. Sacramenta administrari ad locum reliquiarum, ibidem. naturalis affectio erga reliquias, ibid. Exempla Sanctorum adimitationem proposita, ibid. Sanctos eorum locorum, in quibus sepulti sunt facere præsidia & columnas, 10.a.11.a. concursus ad reliquias, 10.a. reliquias divellere, & in varia loca distribuere, 10.b. vendere ea, 10.b. peregrinationes ad reliquias Sanctorum, 10.b.11.a.b.76.a. quo tempore superstitiones circa reliquias ortæ fuerint, 10.b. adorationes ad sepulchra Sanctorum, 11.b.12.a.13.a.b. Sanctorum præsentiam ad sepulchra sua statuere, 10.b.11.b. non statuere Ecclesiã & Ecclesiastica exercitia, ubi non sunt reliquiæ Sanctorum, 12.a. reliquiæ fictitiæ, 1.b.11.b.12.b. Sanctorum imagines quomodo colantur à Pontificijs, 14. a. Sanctorum cultus damnatus, 21.b. Sanctorum imagines quomodo fuerint invocatæ, 38.a.b. communio Sanctorum, 60.b. Sanctorum patrocinia mereri velle celebrando festa eorum 162.a.
Sanctum Sanctorum Romanum 81.b.
Sanguinem comedere 71.a.
Sapientiam impedit crapula 112.a.b.
Saraceni alieniores à Christianismo ob cultum imaginum 36.b.
Satisfactio pro peccatis aut peccatorum pœnis à nobis nulla requiritur, 49.b. quid de ea papatus doceat, 48.b.50.b.55.b. satisfactioni Christi tanquam semiplenæ nostram adjicere, 50.b.56.a 59.a. satisfactiones canonicas diversissimas esse à nundinatione indulgentiarum, ideoq; hanc frustra antiquitatis testimonio commendari, 62.b 64.a 64.b.66.b. quales ea fuerint, 62.b. satisfactionis vocabulum unde sit & quid sit illa, 63.a.117.b. pœnas pœnitentiæ satisfacere Deo, 63.b. incommodius esse satisfactionis vocabulum eventus ostendit, 63.a. quomodo utantur eo Pontificij, ibid. satisfactio secreta, 65 b. satisfactionũ diversa genera, apud veteres, secundum peccatorum diversitatem imposita, 66.a. Pontificij vero pro omnibus & quibuscunq; peccatis imponunt satisfactiones, 66.b. veteres ante absolutionem & confessionem satisfactiones imposuerunt, postea verò ad fructus pœnitentiæ Deo debitos exhortati sunt: Pontificij verò post absolutionem de emendatione nihil soliciti, nugatorias satisfactiones, vel pecunia redimendas, vel in purgatorio luendas imponunt, 66.b. non tantum quo ad substantiam aut materiam differunt satisfactiones Pontificiorum & veterum sed etiam quo ad fines qui utrinque sunt diversi, 67.a.b. de satisfactionum Pontificiarum fine, 67.a. satisfactiones veterũ non pertinuisse ad remissionem peccatorum, ibid. diversitas earum apud veteres, ibidem. paulatim eas absolvisse, 67.a.69.a. absolutio & communio in extremis data pœnitentibus, etiamsi satisfactiones impositæ nondum essent peractæ, 67.a.68.b. causæ propter quas olim enormiter & publice peccantibus satisfactiones canonicæ fuerint impositæ, 67.b. canonicæ huius disciplinæ nimia apud Patres commendatio, 68.a. merita satisfactionum, 68.b. veteribus satisfactionibus abolitis surrogata sunt nova, 71.a. quare, quomodo & quando aliquid de satisfactionibus fuerit remissum, 71.a.b. de relaxatione satisfactionis, 71. b. de redemptionibus seu commutationibus publicarum satisfactionum, 72.a.74.a. veteres satisfactiones collapsas esse & hia novas successisse, 72.b. pœnitentes ante completam satisfactionem ad communionem admissi, 73.a. etiam ante inchoatam persolutionem impositæ satisfactionis data pœnitentibus absolutio & cœna, 73.a. satisfactiones veteres tandem in ludos & ritus ioculares exierunt, 73.a. nova satisfactionum forma veteribus prorsus ignota, ibid. satisfactionis novæ partes sunt ieiunium, oratio, eleemosyna, 73.a. fecerunt eas meritorias, ibidem. satisfactiones Gregorij fabulosæ, 61.a.b.73.b. satisfactiones deprecari & relaxationem aut mitigationem petere, 74.a. quis relaxandi satisfactiones potestatem habeat, 74.a. satisfactiones exolvendæ aut per indulgentias redimendæ 75.b.
Savonorola Florentinus 85.a.
Scævolæ statua 15.a.
Scandalo offensis per pœnitentiam satisfaciendum, 67.b.
Scholæ Brunsuicensis exercitia in pietate 162.b.
Scholastica Theologia, 75.a. Scholastici Doctores unde sic dicti, 75.a. nomina præcipuorum Doctorum Scholasticorum 75.a.
Scipionis imago 15.a.
Scotus 75.a.b.117.b.
Scripta suppositiția, 7.a.27.a.110.b.124.b.127.a.140.b.
Scriptura canonica dicta est, ut ea de dogmatibus & cultibus iudicetur, 1.a.5.b.6.a.10.b.11.a.20.a.b.110.a Scripturæ summa & scopus est remissio peccatorum, 49.a. Scripturæ fundamento Patrum doctrinã coniungere, 108.b. Scripturæ studiosos oportet esse temperantes 108.b.
Sebastiani Ecclesia Romæ 82.a.
Septena quid 70.a.73.a.
Sepulchra nostra qualia sint per naturam & qualia per gratiam, 2.b. sepulchrum Christi nostra sepulchra sanctificavit.
Sepultura in civitate non habenda, 2.a. sepultura sanctorum honorificata, 7.a. locus sepulturæ κοιμητηριον dictus, 7.a. de loco obscuriore erutos in monumentis celebrioribus sepelire, 8.a. in templis sepulti heroes, ibid. cur honorificè habita olim sepultura sanctorum 9.a.
Seres non coluerunt idola 16.a.
Severiani 131.a.
Siccuth 19.a.
Sidonij pœnitentia 64.a.
Sidoniorum idolum 18.b.
Sigebertus 36.a.
Signum & signatum seu prototypum 41.a.43.b.
Simeonis imagines in officinis 38.b.
Similitudines non faciunt dogmata 41.b.
Simon Metaphrastes 27.a.
Simonis Magi statuæ 24.b.
Simonia 76.a.
Simulachra, vide imagines.
Sixtus IIII. 76.a.b.
Smyrnensis epistola 6.b.
Sobrietas, 91.b.112.a.b. abusus eius, 111.b. hostes eius, 120.b.
Socratis statua 15.a.
Sodomiæ pœnitentia 70.a.
Solis sacra 123.a.
Spartani non habuerunt idola 16.a.
Speculator 83.
Speculum aureum 83.a.
Spiridonis historia 138.b.139.a.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Spiritus sancti in certis locis velle participem fieri, 11.a. plumas Spiritus sancti in reliquijs habere 12.b.
Stationarij qui fuerint & quid egerint 76.b.
Stationes in Ecclesia 73.b.81.a.106.b.132.b.153.a.
Statuæ benè meritis hominibus positæ, 15.a. statuis divini honores facti, 16.b.17.a. vide etiam imagines.
Stephani memoria & reliquiæ 10.a.
Stephanus III. 34.b.
Strabo 16.a.
Studiorum promotio indulgentias meretur 76.b.
Suchoth 18.a.
Suffragia pro mortuis non tolli per indulgentias 79.a.
Summa Angelica 78
Superstitio ex zelo pietatis orta, 10.a. superstitionis pœnitentia, 70.a. bono plurimum obest superstitio, 120.b. diligenter est observanda & retegenda 122.b.
Syriæ idolum 18.b.
Sylvester Prierias, 49.b.88.a. Sylvestri legenda 27.b.

T.

Tabernaculorum festum 153.b.
Tabulæ duodecim de sepulturâ 2.a
Tacitus 16.a.
Τεπεινοφροσύνη 134.a.136.a.
Tatianus de dæmonibus, 16.a. de cultu idolorum, 17.a. Tatiani, 131.a.b. Tatiani de carnium esu 101.b.102.a. 102.b.
Tecelius quis fuerit & quid egerit, 87.a. quomodo spolia tus fuerit suo ære ex indulgentijs collecto per nobilem quem à futuro peccato absolverat data Bulla, 90.b. Carolus Miltitius eum acriter reprehendit 88.a
Temperantia, 91.b 112.a.b. hostes eius, 120.b.131.b.
Templa nominibus martyrum appellata, 7.b. hæretici illa non ingrediebantur, 7.b. heroes in templis sepulti 8.a. nullum pro vero agnoscere velle si sit sine reliquijs Sanctorum, 12.a. templa Persarum & Aegyptiorum, 15.b.16.a. dijs dicata templa, delubra, sacella, fana, 16.b. templorum ornatus, 23.b.26.a.b.29.a.b.30.a. b imagines in templis, 22.b.30.b.36.a. Templa idolatrica ingressorum pœnitentia, 69.a. templorum dedicationes 159.a.
Tenebras in meridie faciunt Papistæ per quadragesimam 114.b.
Teraphim 20.a.
Terram sanctam invisere, 10.b 11.a.b.77.a. de terra sancta aliquid domi suæ suspendere, 11.b. indulgentiæ pro defensione terræ sanctæ, 76.a.78.b.
Testamenti veteris abrogatio 153.a.
Testimonij falsi pœna 70.a.
Thamuz. 19.a.
Tharthac 18.b.
Theodori hæresis 63.a.
Theodosius sago Episcopi indutus 9.b.
Theologia scholastica quando, per quos, & quomodo cœperit 75.a.b.
Theophilus Imperator 45.b.
Therapeutæ Philonis 124.a.131.b.
Thesaurus Ecclesiæ sunt præter merita Christi opera supererogationis Sanctorum, 49.a.76.a. ex hoc thesauro succurri alijs pro remissione culpæ & pœnæ, 48.b. 49.a. 89.a.b. demonstratio eius 58.b.
Thesei ossa translata, 8.b. spectrum eius & adoratio, 9.b.
Thomas Aquinas 46.b.75.a.
Thus incendere idolis 16.b.
Tiletanus 163.b.
Tilius Episcopus 42.b.
Τιμωρίαι 63.a.
Timothei reliquiæ 8.b.
Traditiones verbo Dei æquare, 40.a.133.b. à traditionibus humanis libertatem habemus in Christo, 49.b. quam periculosum sit illis conscientias onerare, 62.a. facilè degenerant in superstitiones, 68.b. traditiones quæ sint aut non sint, 90.a. traditiones suæ scripturæ, 157.a. traditionum Apostolicarum fucus 125.a.b.

V.

Valerius Maximus 15.a.
Valerius Messala, 15.a. Varro 16.a.
Vates vino abstinuerunt 123.a.
Veneri donatæ vuæ 26.a.
Venia idem quod indulgentia 48.a.
Ver quadragesimæ idoneum 116.b.
Verbum Dei à stantibus auditum certo tempore, 74.a. verbo suo Deus alligavit populum suum, 99.b. verbo Dei cibos sanctificari, 103.b.104.a. verbo tractando liberè est Christianis quoscunq; dies assumere, 155.a. dies Dominica exercitijs destinata 155.b 156.a.
Veronica quomodo invocetur, 47.a. ostentatio eius Romæ 81.b
Vertigo capitis 123.a.
Vestimentis Sanctorum indui 9.b.
Victophus 83.b.
Victor excommunicavit Asiaticos propter Paschatis diem ab illis observatum 156.b.
Victoriam hostium per idola quærere 17.a.
Vigilantius 2.b 7.b.8.a.
Vigilia in cœmiterijs Sanctorum, 10.b, vigiliæ festorum 161.b. ieiunia vigiliarum 116.a.152.b.
Vini benedictio, 103.a. non prohibuerunt illud Pontificij in ieiunio suo, 98.b.114.a.b. vino abstinere, 123.a.126 b.133.b.145.a. habere illud pro veneno dementia, 114.b.131.a.137.a.
Virgilij statua 15.b.
Virginum stuprationis pœnitentia 70.b.
Vitam æternam &c. cibis consecratis sperare 103.b.
Vita Patrum 41.a.
Volaterranus 8.b.15.a.163.b.
Vota persolvere idolis, 16.b. reliquijs Sanctorum, 1.b. vota ad Sanctorum statuas certa, 47.a. votum violantis pœnitentia 70.b.
Vovere ieiunium 116.a.
Vrnæ mortuorum 8.b.10.b.
Vulgi superstitiones dissimulare 11.b.
Vxore abstinere in quadragesima 71.a.

VV.

VValdenses de indulgentiis 83.b.
VVesselus 52.a.75.a.78.a.
VVilhelmus Antisidonensis, 83.a. VVilhelmus Durandus vide Durandus. VVilhelmus Occam, 75.a. VVilhelmus Parisiensis, 75.a. Varro 75.a.
VVormatiensis Episcopus Burchardus 70.a.

X.

Xenocrates 123.a.
Xerophagia 132.b.133.a.b.136.a.140.b.143.b.

Z.

Zelus pietatis in superstitionem degenerans 9.10.a-
Zonoras 34.a.46.a.b.

INDEX LOCORVM E SCRIPTIS PATRVM IN HAC QVARTA PARTE EXAMINIS ALLEGATORUM, in quo tamen explicationes locorum Scripturæ, secundum primum & proprium suum Indicem requirendæ, studio omissæ sunt.

A.

Ambrosius de sepulchro sibi aut Martyribus destinato, 9.a. de politicis imaginibus, 28.b. dictum eius de invocatione Christi depravatum, 40.b. de publica pœnitentia, 64.a.88.a. de ieiunio, 106.b.110.a.110.b.141.b. sermones eius supposititi, 110.b.141.b. Laus temperantiæ, 112.b. fuit propagator monasticæ, 139.b. de Iouiniano, 142.a.142.b. regula eius de ieiunio, 144.a. de Pentecoste, 157.b. de festis Martyrum 158.b.
Anshelmus nihil habet de indulgentijs 61.b.
Athanasius de idolorum cultu, 17.b. de imagine Christi, 27.a.36.a. de politicis imaginibus, 28.b. de imagine Dei per Christum restituta, 35.b. de quæstionibus eius 40.b. de ieiunio 107.b.
Augustinus de curatione mortuorum, 5.b. de Cæsario, 7.b. de miraculis ad sepulturas Sanctorum factis, 8.b. de Sanctorum reliquijs, 10.b. de adoratione ad sepulchra Sanctorum, 11.b. de dissimulandis iis quæ tollere non potuit, 11.b. de Romanis idola non habentibus, 16.a. de Diis gentium, 16.a. de Spiritibus in statuis, 16.b. de loco honore & cultu consecratarum statuarum, 16.a.17.b. Indeos non tolerasse statuas in templo, 23.a. de imaginibus Christi, Petri & Pauli, 28.b. contra imagines, 31.a. de signo & signato, 41.a. oratio eius pro liberatione ab hostibus obsidentibus urbem, 58.b. contra indulgentias, 61.b. de satisfactione, 63.a.64.a.67.b.68.a. de publica pœnitentia, 65.a. 66.a liber eius de dogmatibus Ecclesiasticis, 65.b. de ieiunio, 106.b.107.a.b.108.a.110.v.115.a.126.a. sermones eius supposititi, 110.b.141.a.b.147.a. de temperantia, 112.b. contra delectum ciborum, 114.a. de ieiunio Sabbati, 127.a. de suffocato & sanguine, 136.b. de Manichæorum abstinentia & ieiunio, 137.a. de veritate non nisi è Scripturis requirenda, 138.b. de Iouiniano, 142.b. querela eius & moderatio in reprehendendo ea quæ invaluerat, 140.a. definitiones eius de controversijs circa ieiunium, 144.a.145.146.147.148. de die Dominico, 156.a. de celebratione cœnæ Dominicæ, 156.a. de Paschate, 157.a. de festo Ascensionis, 157.b. de causis dierum festorum, 158.a. de festis Martyrum 158.b.

E.

Basilius de Martyrum patrocinio, 10.a. de gratia Dei apud reliquias olim quæsita, 10.a.11.b. de imaginib. 28.b.31.b. supposititia eius sententia, 38.a.40.b. dicta eius de invocatione Christi depravata, 40.b.43.b. de publica pœnitentia, 63.a. de pœnis pœnitentialibus, 69.a. de ieiunio, 106.b.107.a. nimius laudator ieiunij, 109 a.140.a. propagator fuit monasticæs, 139.b. leges ieiunij proposuit, 139.b. de natali Christi, 158.b. de festis Martyrum, 158.b. de conventibus sacris 162.b.
Beda pœnitentiale 71.a.
Bernhardus de peregrinationibus, 11.b. oratio eius, ut hic castigetur à Deo, 58.a. nihil habet de indulgentijs, 61.b. contra eas docuit, 62.a. de ieiunio, 108 a. nimius eius commendator, 111.a. de meritis ieiunij 153.a.
Brentius de ieiunio 120.a.

C.

Chrysostomi vivi & mortui miracula, 9.a. cupivit visere monumentum Petri & Pauli, 9.b. de peregrinationibus, 11.a. de imaginibus, 31.b. de cruce Christi, 45.a. contra indulgentias, 62.a. de benedictione mensæ, 104.b. de ieiunio, 106.b. nimius laudator ieiunij, 109.b. quomodo se in certamine de ieiunio contra Epiphanium & Theophilum gesserit, 148.a.148.b. de natali Christi, 158.b. de festo Martyrum, 158.b. de pietate festis non alliganda 160.b.
Clemens Alexandrinus de Diis gentium, 16.a. de statuis & imaginibus gentium, 16.b. de cultu statuarum, 16. de Deo non effigiando, 24.b. de adolescente quem Iohannes à latronibus reduxit, 63.a.105.b. de benedictione mensæ, 104.b. de ieiunio quarta & sexta feria, 128.b. de Tatiano, 131.b. Clemens Romanus de imaginibus, 24.b. octo libri de constitutionibus Apostolicis, nomine illius editi, 125.a. multa scripta adulterina nomine eius sparsa, 125.b. Cyprianus de sequendo non facta hominum, sed præcepta Christi, 6.a. de die quo Martyres obierunt annotando, 7.a. de satisfactione, 63.a.68.b.71.b. de pœnitentia publica, 65.b.68.a. de traditionibus hominum non curandis, 105.b. de usu ieiunij, 105.b. 108.b. de inquirendis fontibus in disputationibus, 138.b. de festis Martyrum 158.b.
Cyrillus de cultu mortuorum, 5.a.b. de Panegyribus ad sepulchra mortuorum, 6.b. de ossibus Sanctorum, 7.b. de sepultura in templis, 8.a. de invocatione ad sepulchra Martyrum, 9.a.13.a. de reliquijs non circumgestandis, 11.b. de signo crucis, 29.b.31.a. testimonijs eius abusa est septima Synodus ab stabiliendum cultum imaginum, 35.b. de vero ieiunio, 108.a.149.b. de die dominico 156.a.

D.

Damascenus cultum idolorum defendit, 26.b. de imagine Christi, 27.a. ut Iconolatra damnatus, 34.a. cum manu truncatus fuisset ob defensum cultum imaginum, adoratione imaginis Mariæ fuisse vestitutum, 41.b. de Aerio 141.a.

E.

Epiphanius de cultu mortuorum, 5.a. de reliquijs Ieremiæ, 10.a. de Diis gentium, 16.a. de cultu idolorum, 17.a. de Tharach, 10.b. contra imagines, 30.b. de ieiunio, 107.b.110.a.125.b.132.a.134.a.b. de traditionib. Apostolicis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostolicis.125.b.de conventibus Ecclesiasticis & ritibus eorum,138.b.de abstinentia à carnibus,131.a.b. de Montano & Montanistarum ieiunio,132.a.b.134. b.140.a.propagator monastices fuit,139.b. monasterium extruxit,140.a.leges ieiunij tulit,140.b.de nativitate & baptismo Christi 158.b.

Eusebius de corporibus martyrum abiectis, 6.b.de sepultura honorifica martyrum.7.a.locum sepulturæ vocat κοιμητηριον,7.a.de monumento Petri & Pauli, 7.a.de throno Iacobi, 19.b.de profectione Hierosolymitana,11.a.de invocatione ad sepulchra sanctorum 12.b. de gentibus idola non ferentibus, 16.a. de diis gentium, 16.a.17.b.de consecratione statuarum,16. b.de anathematum honore,16. b.de Abgari Regis legatione ad Christum, 27.a. de politico imaginum usu,27.b.28.a.de publica pœnitentia,63.b.de adolescente quem Ioannes à latronibus reduxit,63.b.105. b. de communione ijs etiam data,qui satisfactiones nondum absolvissent,67.a.de pœnis pœnitentiarijs, 69.a.de mitigatione earum,71.b.de Alcibiadis nimia abstinentia,130.a.de Montano,123.a.de die Dominica,355.b. de conventuum sacrorum diebus,156.a.de paschate,156.b.de festis martyrum 158.b.

F.

Fulgentius de imaginibus 44.a.

G.

Gersonis querela de superstitionibus in Christianismo, 47.b.fundamenta eius contra indulgentias 83.b.

Gregorius Magnus de imaginibus quod sint libri Laicorum, 32.a.44.b. prohibet tamen adorationem & cultum imaginum,32.a.b.40.b.Indulgentiæ eius fabulosæ 61.a.62.b.73.b.

Gregorius Nyssenus de peregrinationibus, 11.a.62.a.de picturis & imaginibus in templis 39.a.

H.

Hieronymus de reliquijs sanctorum, 2.b.de cultu mortuorum,5.a.de Caianis,7.b. de ossibus Samuelis,8.a. de Eucharistia ad sepulchra sanctorum habita, 9.a. de circumgestatione reliquiarum, 10.b.de adoratione reliquiarum, 11.b.tuetur superstitiones muliercularum,12.a.de cultu idolorum,17.a. transtulit epistolam quandam Epiphanij,31.a.de adoratione cui ea debeatur,40.a.de imagimb. 44.b. de ieiunio,93.b. 106.b.143.a.b.157.b.de Evangelio Ioannis, 105.b.de Adami ieiunio,106.b.de temperantia,112.b.de suo ieiunio,117.b.de Sacerdotib.Aegyptijs,123.a.de Magis Persarum, 123. b.de Essais, 123.b.de libertate ieiunij, 127.a.de Hermæ libris,137.b.de Tertulliano & Montanistis,132.b. de Iouiniano,142. b. de Pentecoste, 157.b.de causis dierum festorum,158.a.de festis Martyrum,138.b.159.a.de conventibus sacris 161.b.

Hilarius de intelligentia dictorum ex causis dicendi sumenda 120.a.

I.

Ignatij epistola ad Philippenses & alia, 127.b.123.b.ad Heronem, 129.b.de ieiunio & cibis,130.a.de die Dominica 156.a.

Iosephus de Iudæis imagines nullas tolerantibus 23.a.

Irenæus de cœna Domini,2.a.de spretis martyribus,6.b. de pœnitentia cuiusdam conversi, 64.a.de usu ieiunij 105.a libros Hermæ legit,127.b.de ieiunio quadragesimali,128.b.de ieiunij Paschalis diversitate, 139.a. 170.b.

Iustini quæstiones non esse ab ipso scriptas, 10.b. de ritu baptismi & ieiunio,106.a.128.b. de exercitijs Christianorum in die dominica & festis suis 156.b.

L.

Lactantius de cultu idolorum,16.b.de imaginibus,25.b. 44.b.de politico usu imaginum,28.b.de miraculis in Ethnicismo 41.b.

Leo de ieiunio 107.a.152.a.

Lutherus de imaginibus quid senserit & docuerit,14.a. 23.a qua causa & quo fructu indulgentias oppugnaverit, 51.a. de potestate indulgentiarum, 57.a. mensarios de templo Domini eiecit,62.b. indulgentiarum expugnator,86.b.quid de ieiunijs egerit aut reformarit 119.b.

N.

Nazianzenus de natali Christi,158.b. de festis Martyrum 158.b.

Nicephorus de miraculis mortuorum, 8.b. de Imagine Christi,27.a.de templo Mariæ,27.b.de statua Christi 30.b.de adoratione imaginum 33.a.

O.

Origenes de corporibus mortuorum sepeliendis, 7. de imaginibus,25.a.44.a.de politicis imaginibus,28.b. de publica pœnitentia, 68.b.de discrimine pœnitentiæ secundum peccata,66.a.de libertate ieiunij, 127. a.136. a. libros Hermæ legit,138.b.de ieiunio quarta & sexta feria,128.b.de ieiunio quadragesimali,128. b.de festis 161.a.

P.

Philippus Melanthon de disciplina collapsa 120.a.

Prosper de temperantia, 112.b.151.a. de festis diebus 161.b.

Prudentius de cura mortuorum,5.b.de statuis super aras positis,16.b.de Crasiano Martyre 30.b.

R.

Rupertus Tuicensis nihil habet de indulgentijs 61.b.

S.

Sozomenus de cultu idolorum, 16.a.b.29.b.de publica pœnitentia,63.a.64.b.de Essais,124.a.de Eustachio, 137.b.de Spiridione,138.b.de conventibus sacris,156. a.de Paschate 156.b.

T.

Tertullianus de monumento Petri & Pauli,7.a. quod primum quod ǫ sit verum,12.a.131.a.138.b.de pictura in calice, 26.b.28.b. de exomologesi in publica pœnitentia,64.a.67.b.68.a.nimia disciplinæ Ecclesiasticæ commendatio,68.b.de usu ieiunij,106.a.128. b.de Adami ieiunio,106.b.de Hermæ libris,127.b.de Montano & ieiunio Montanistarum. 132.b.de die dominica,155.b.de Pentecoste,157.b.de sacris cõventibus,161.b.de gentilium solennibus sacris 162.a.

Theodoretus de reliquijs sanctorum,8.a. de Montano, 132.b.exempla singularis abstinentia,150.a.Sententia eius de ieiunio 150.b.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca